
NOVVS
ORBIS
OLAVVS
MAGNVS


LIBRARIAE UNIVERS
IAGELL CRACOV

NOVVS ORBIS REGIONVM AC INSVLARVM VETERIBVS INCOGNITARVM VNA CVM TABVLA COSmographica, & aliquot aliis consimilis argumenti libellis, nunc nouis nauigationibus auctus, quorum omnium catalogus sequenti patebit pagina.

His acceßit copiosus rerum memorabilium index.

ἐν τριόδῳ εἰμί.

Hic liber emptus est anno dni 1570 a M. Stanislao Jacobeio Cracoviensi ac apud paulum Kras Segedinum vngarum florenis tribus

M. H. S. D. Brescio. S. G. R. S. Floriani Canonico cessit reddidit eundem suo possessori. Cum sit Castelonianus Villa a ne nouis clausus minutus

Bibliothecae Collegii Majoris Universitatis Cracoviensis





Nihil arduum fatis.

ADIECTA EST HVIC POSTREMAE EDITIONI Nauigatio Caroli Cæsaris auspicio in comitiis Augustanis instituta.

BASILEÆ APVD IO. HERVAGIVM, ANNO M. D. LV.

CATALOGVS EORVM QVAE HOC uolumine continentur.

EXCELLENTI VIRO GEORGIO COLLIMITIO DANSTETTERO ARTIS MEDICAE & disciplinarum Mathematicarum omnium facile principi.

SIMON GRINAEVS. S.



QVANQVAM hoc totum naturę spectaculum, ex quo uelut uiuo libro cōdisci opifex ille rerum debebat, luculenter cōsiderationi hominum offert sese: & quo minus uel euilescere, uel fastidium & satietatem parere cōtemplantibus se posset ullam, plenū dignitate maiestateq́;, quocunq; oculos & animum coniecisti, occurrit, & nouis assidue cœli uicibus, iucundissime nos inuitat, dum alia aliaq́; quotidie sydera & occidūt et oriūtur, noctis dieiq́; alia quotidie magnitudo, caloris & frigoris alia quotidie uis, alia quotidie aut senescentis aut reiuuenescentis anni forma: tamen ignaua esse uitio & socordia hominum uidetur, nec quicquam admirationis habere facies illa naturæ; estq́; incredibile memoratu, quàm pauci mortales uel maiestate eius summa, uel uarietate mirabili excitentur. Aduersus hunc morbum hominum, omnis generis scriptores & inuentores rerum, diuina prouidentia ueluti medicos commenta obiecit, qui imperitis & inertibus istis uim naturæ eruerent, & tanquam in lucem proferrent, & per eam opificis admonerent. Ac ut artes cæteras, quæ uariæ & multiplices sunt, aliam aliamq́; unaquæq; naturæ partem tractantes prætercam nunc, nullæ plus uel sibi ipsis autoritatis, uel naturæ rerum admirationis parant, quàm quæ cœli & terræ situm, quem illa & seorsim & quem inter sese habent, describerunt (ἀστρονομικὴν, γεωγραφικὴν, κοσμικὴν Græci uocant) non absq; certa & euidenti multarum & difficilium artiū notitia constitutas. Quæ postquam iuuentæ non absq; singulari benificentia dei, & proditæ literis fuerunt: rem prius impossibilē generi humano: ire non solum mente & cogitatione per cœli spatia, sed terram oculis circuire; & mundum perambulare licebat. Nam oculis & pedibus non ante uia per inuia maria patebat, quàm esset ratione expedita: quam ad rem positus cœli terræq́; cognitu necessarius fuit. Sequuta deinde corporum in natura summorum, cum eorum magnitudinibus & interuallis notitia: quod quid aliud erat, quàm ad naturæ spectaculum ualuis apertis admitti? Non est præsentis loci dicere, quæ lux tum hominum rebus illata sit, certe fores rerum patuerunt. Nam ex hoc pleno rerum mirabilium naturę theatro, quum studiosi omnes, animis uelut œstro, concitis, & profundissima admiratiōe saucijs redijssent, alij hoc impetu impulsi, maiora conari cœperunt, & intimius naturam scrutari, σόφους uocāt: alij (hi sunt μαθηματικοὶ) quum & ingenij & animi ope summa in hanc solam contemplationem incubuissent, & acie mentis finibus iam suis terrarum orbem circumscripsissent, in angustum uastitate eius, prę cœli & maiorum corporum considcratione, redacta, inuentione tantarū rerum exercitari, ire oculis quo-

cunctisque mentis acies præiuisset, & animi cogitationem per omnes diffi-cultates exequi ac molem terrarum orbis dudum animo suo permeabi-lem, & undique accessibilem circuire lustrareque ausi: quòd cæteri mortales pro insano habent, patriam, parentes, uxorem, liberos relinquere, è tuto felicique rerum statu (est enim & hæc cogitare, & cogitata exequi, amplis-simæ simul & mentis & fortunæ) in tot tamque certa rerum discrimina, & mortem mediam conijcere se, illi non solum gloriosum sed necessariū homini, sibi uero unum præ omnibus rebus maxime expetendum iudi-carunt: inuicti et uere diuini, animi quique soli ius natura concessum homi ni, idest, genuinam & non degenerem spiritus sui nobilitatem retulisse, & imperium terræ & marium, à primis parentibus hæreditarium sibi, uendicasse uidentur, in quibus solis uetus illa humani generis nobilitas reluxit. Quorum uultus & ora, quum ex illa per naturam & noua rerum miracula peregrinatione reuertentur, cæteri homines uelut numina quæ dam non immerito obstupuerunt: nouum cœlum, noua maria, nouas hominum & animantium figuras, nouos humanorū cœtuum ritus, am-pliora naturæ spatia commonstrantum. Indignati uidentur excelsi ani-mi homines, instigante numine: leuem & contemptibilem natura rerum existimationem, ac uindicare maiestatem eius, & ignauiam hominum coarguere increpareque aggressi, dum ista communi uita uelut relicta, ali-ud hominum genus, alium terrarum orbem, orbi suo, suis hominibus ostenderunt. Non est autem putandum quod hos aut cæca lucri cupidi-tas, aut temeritas quædam (nam & hæc uitia suos postea mores in hoc tā præclarum institutum intulerunt) in cæcam & inaccessam naturæ mun-dique partē transuersos egerit, sed solida uis animi, & robur circa pectus triplex, profundiore quadam è noticia conceptum. Horum laudes extāt per ænigmata ueteribus celebratæ, integris etiam uoluminibus. Nam hi sunt qui clausos captiuosque utribus rationis secum uentos uexerunt, Quid enim nauiganti interest, uentos aut emittere quum lubet, aut ad-mittere. Digni scilicet uate tāto, & Odyssea longiore (nam istis laudibus opus hoc totum est consumptum) Hi sunt qui nauim, quum primum in eam irrepsissent. Argo, id est, animatam & aligeram fecerūt, uolitare per inaccessa, partibus omnibus moueri, gyrari, flecti, reflecti, promittere, reuocare, sistere cursum, ac delphini instar inter medios fluctus ludere paratam: quique numinis instar, in quodcunque corpus seu organum im-migrassent, agile & uiuum & expeditum reddiderunt, ut nihil sit fabulo-sum, quod non facilius fidem inueniat, quàm industria & uis humana. Nec est quur mihi quisquam obijciat uel nautam impium, uel prædo-nem. Nam isti desides & ignaui spiritus, quod aliud corpus animent, su-um ab se stupefactum non possunt? quod aliud munus obeant, qui tueri hominis nomen non ualent? sed umbrā tantum præbent, numerū com-plent, & oneri sibi sunt & terræ. Illi uero sunt qui inter media mundi ele-menta præliantia, inter tempestuosum mundi spiritum, & insanum im-mensi pelagi, & immanium fluctuum montes, ubi tot simul res exitium minitantur, explorata prius apud se naturæ fide, & constantia, quomo-

do ra-

do ratione duce tanta discrimina traijcias, docuerunt. Nam eosdem ego & nauigandi lustrandiq́ꝫ terras nouas & nauium autores, fuisse sapientes illos & naturæ peritos scilicet credo. Eat aliquis & neget naturę imperium homini concessum, qui terras ferro coheret, pontibus flumina, nauibus maria committit, ratione uelifica in seruitutem aduocat uentos, iter quod per mare facit, è cœlo expedit, & in obsequiũ suũ naturam cogit uniuersam, ipsius momentis & legibus ad res suas utiliter & opportunè accommodatis. Est scilicet sagacitas spiritus illius supra omnem naturæ uim, & per omnia sibi uiam parans, dum expleat amorem, quo tacito & ineffabili bene constituta mens captiua, per omnia sequitur te deus pater, & eo nimio saucia, quanto propius ignes accedit suos, quanto propius in operibus tuis te pater rerum uidet, tanto profundius uulneratur, ardẽtiusq́ꝫ uisceribus cõcoquitur. Ergo per omnia maria, per omnia terrarum extrema uelut amens sequitur te, lassaq́ꝫ & exhausta æstu suo, amoribusq́ꝫ, & flammæ penitus conceptæ indulgens, desiderio immoritur tui. Quæ res quum hominis maximè propria sit, hominibus à uera hominis nobilitate alienis, alienissima homine uidetur. Itaque plerique mortales animi sui naturam, & ingenium paruipendentes (est enim sapientis solius spiritum dei in se inuenisse) ac diuinum illum morbum, diuinos amores non intelligentes, proximis rebus stultis friuolisq́ꝫ expleri mentis desiderium posse putant. Degeneres homines, qui ut naturæ lucem, qua uiuunt & qua utuntur per omnia, nullam uident, ita sapientum inuenta & mirabilium rerum autores, idcirco quia eas iam usu contriuerunt, pro nihilo habent. Nobis autem secus in unaquaq́ꝫ re prima origo & fons est peruestigandus. Neq́ꝫ uero uana uideri uis naturæ debet, tanto desiderio ad rerum cognitionem incensa, nec uulgare exemplum, Orbis partem nostro seculo inuentam esse tantam propemodum, quanta est Europa. Parum mihi etiam cætera dei opera animaduertere uidentur, qui ista non curant. Quũ igitur lustrandi orbis exemplũ uetus illud, quod isti literarum & omnis doctrinæ principes extulerunt iam olim nostro seculo non infeliciter reuocarint quidam, omni laude digni uiri, quorum memoriam literis exceptam docti quidam (utinam tanta dexteritate, quanta diligentia) posteritati transmiserunt: quumq́ꝫ argumenti eius libellos aliquot uulgo oberrantes, Ioan. Hutichius uir doctus, & antiquitatis mirè studiosus, Heruagio nostro excudendos dederit: eos uolui idcirco inscribere tibi, quod nemo nostro seculo, quod ego sciam, in illam disciplinarum Mathematicarum lucem sublimiore mentis acie intueatur: deinde quod istam tam luculẽtam notitiam humanitate & suauitate, quam in moribus obtines, incredibili feliciter exornaris. Cuius utriusque rei nemo testis fidelior esse potest quàm ego ipse, qui ante annos plus minus quindecim quum summa et uoluptate & utilitate mea Viennę te auscultarem, facile & ingenij uim incredibilem animaduerti, & humanitatem sæpe sum expertus. Vale.

INDEX RERVM SCITV DIGNARVM EX ALOYSIO Cadamuſto & Chriſtophoro Columbo, aliiſq; ſequentium nauigationum ſcriptoribus.

Aloyſius

Belchiaroc

C.

Carbanda

Christi

Fames

G

I.

Ihuri

Lithuanorum

Margaritæ

Nix

Q

Ryphæi

T

 Tamerla.

X.

Y.

Z.

FINIS.

ERRATA.

Fol.25.b.lege Antonieti. 32.b.Elephant. 35.a.innumeræ. 49.a.Achiolã. 51.a.alterũ uerò nauem, uidetur deeſſe apud. 52 a.qua alibi, uidetur deeſſe si, quæ si alibi. 404.b.multum. 401.a.gratias. 412.redditus 413.a.frusta. 414.a.auẽ. 419.b.inexpugnabile. 420.b.armatorũ. 424.a.domorum. 426.b.sibi, pro se. 426.b.festinare. 429.a.quòd. 436.b.inimicorũ. 437.a.empti. 439.a.ciuitatẽ. 440.b.aliter. 443.b.arctarentur. & ibid.redditibus. 448.a.eorũ. 450.b.in oppidis. 452.b. Hẽricus. 455.b.apostematos. 455.b.sibi inuicẽ. 456.a.euapor ibid.b. crineis ibid. 457.a.colẽdo. 459.a.fluuij ibid.plures. 460.a.plures. 462.a.pullulabãt ibid.perpetuãdas. & septentrione. 463.a.in honorẽ & misniam et b.peſſundederunt & Ariana. 466.a.minores ibid.operirentur & b.Attila. 470.a.circũsitis et b cõstãtinopolim.ibid.tauricæ. 471.a.paludes & milliaris. 477.b.annulo. 478.b.ciuitate. 480.b. uulgus. 483.b.circa. 486.a.uolutantẽ. 487.b.colluuie. 488.a.oppida b.lege incoluere. 489.b.genere. 493.b.populo. 494.b.uide an sit legendum cruribus. 495.a.permittuntur.b. fol.468.b.Otumanos. 496.a.mense lege mensæ. 497.b.anchoris & perpulchre & gosampino. 498.b.goſſippina. 499.a.illam nequeunt, uidetur deeſſe perscrutari. 500.a.miserorũ & apertis b.& cruore fol.503.a.claßib.& nostri ibid.goßi pion. 504.b.lege accolæ. 508.luctarũ & catenulis. 510.b.cogitaſſet. 512.b.lege narret. 514..a.unus & b.ore. 517.a.oportet. 521.b.pro commigrauit. 522.b.cui à cæsare. 526.a.unquã. 528.b.iritatus lege irritatus & apparãtes & fræti lege freti. 530.a.agadibus. 531.b.eße et b.Serrano & auxilium. 536.b.operimentũ. 540.a.erant. 543.illi. 544.a.quadraginta. 543.a Cempual. 547.a.hospitium. 548.a.summitate & Cortesium. 550.b.ciuitatis. 551.a.a nullis & fœminabus lege fœminis. 553.millia. 555.a.canais. 557.a.inuenerunt & in posterum. 559.a.propterea & b.Muteezuma 565.b.portu. 568.a.prouincia. 569.b.deiecíq;. 580.b.parere & Naruaez. 582.a.meũ. 586.b.poßent.& Hispanorũ. 587.a.cõmitebant pro cõmittebãt. & b.curere pro currere. 589.b.nolebant. 591.b seruituti. 594.a.facillime. 596.a.uellent.& b. Caastoaca. 597.a.Coretacuacin ut est fol.598.lin.20 605.a Tascaltecal & b.aggeres. 606.b.nos. 609.b.interfeciſſent. 609.b.perspicientes. 612.a.comitati. 613.a.internicioni & b.in frusta. 614.b.redintegrare. 622.b.aggerẽ. 623.b.interficere. 626.b.annuente. 627.a.pugnaremus & b.profecti 629.b.iniunxeram & ibidem milites. 629.a.expectabatur. 630.b ciuitatem. 633.b.maximum. 664.fermè semper.

TYPI COSMOGRAPHICI ET DECLARATIO ET VSVS, PER SEBASTIANVM MVNSTERVM.


ON ignoramus, optime lector, quisquis es qui istud Historicum atque Cosmographicum opus in manus sumpturus es atque lecturus, si destituaris Cosmographiæ mediocri peritia, te hinc non tantum capessurum uoluptatis & reportaturum lucri, ac si terrenæ molis sectiones & habitatas partes, regna, prouincias, insulas atque earum habitudines & situs memoriæ commendatos habueris, aut saltem in tabula regiones depictas iugiter inspexeris. Sic enim licebit te quodammodo comitem adesse singularum per mare nauigationum atque per aridam peregrinationum, & spectatorem omnium illarum mirabilium rerum, quas hi scriptores, quos in hoc uolumē coēgimus, commemorant. Consultum propterea uisum fuit, huic tam insigni uolumini, & quale orbis hucusque de extremis mundi habitationibus uix uidit, adijcere uniuersalem orbis descriptionem, quæ exprimeret & ob oculos poneret totius terræ situm & dispositionem, maris amplissima spatia & uarios sinus, montium quorundam & fluuiorum insignium tractus, & quicquid demum pro terræ generali cognitione utile & necessarium uisum fuit. Non licuit quidem singularium, particularium regionum, & quarumlibet insularum indicare situm, quū tabulæ angustia id minime pateretur, nec id etiam instituerimus. Verum quum Aloysius Cadamustus, Christophorus Columbus, & Albericus Vesputius nauigationes describant, traiectas ab Europa in longinquissimas orbis partes, puta ad Nigritas, extremos Aphros, Arabes, Calechutios & Indianas insulas, Ludouicus uero Vartomannus patritius Romanus, & Marcus Paulus Venetus peregrinationes texant, & itinera describant ad ultimos usque extensa Indos, tam ad meridiem quàm ad septentrionem expositos: sat esse duximus, si simplicio ri lectori obiter indicauerimus, quem mundi locum hæc uel illa præcipua occupet regio, & quo pelago, qua plaga, quoque itinere ad eam pateat accessus. Et certe si uel id ex hac orbis descriptione didiceris, ut faciem eius & situm in genere memoria teneas, hoc est, ut scias quomodo terra ipsa mari mediterraneo interluitur, & hoc ipso Aphrica ab Europa seiungitur: Tanai fluuio Europa ab Asia disterminetur, mari uero Rubro Aphrica ab Asia secernatur, terram non usque adeo ad meridiem expositam quin nauibus circumiri possit, à septentrione uero id minime fieri posse, quum terra ipsa fere ad polum arcticum porrecta pateat, habeatque suos indigenas: item ob uarias maris irruptiones plurimos emersos sinus, ut est sinus Adriaticus, Arabicus, Persicus, Barbaricus, Gangeticus &c. multas enatas insulas, peninsulas, cherronesos, isthmos & id genus alias quāplures & uarias terræ facies & figuras, abunde satis didicisti, & quo in historicis legendis & intelligendis

plurimum te iuuare poteris. Alioquin si hac generali Cosmographiæ portione destitutus fueris, quid quæso cogitabis, si quandoque audieris uel legeris, à Germania inferiori & ab Anglia ad partes Syriæ naues transfretare, præsertim quum Anglia septentrionem uersus in oceano sit sita: Palęstina uero in oriente terminus sit maris mediterranei aut per ungariam & Bulgariam, & tandem traiecto bosphoro, mari scilicet angustissimo, per Asiam minorem terrestre iter patere ad terram promissionis, etiam si quibusdam mare Euxinum & propontis intersint. Quid præterea apud te cogitabis, si quandoque legeris Venetos per sinum Adriaticum, & per mare mediterraneum atque Rubrum itinere compendiosissimo Calechut petere, Lusitanos uero per altum mare totam Aphricam circuire, & traiecto sinu Indico, ad Calechut usque peruenire? Hæc & similia tibi forsan apparent situ difficilia, præsertim quod itinera illa non sis emensus, & tamen sunt homini qui in Cosmographia uel mediocriter est doctus, compertissima, etiam si nunquam illas adijt regiones, aut extra patriam suam nunquam mouit pedem. Nam hoc primum & præcipuum Cosmographiæ est studium, ut sciamus totius orbis & singularum eius partium situm, formam & habitudinem. Ex his enim facile licebit cognoscere, quæ mediæ regiones sint peragrandæ, si ab una prouincia ad aliam longe ab illa dissitam sit eundum, aut quo mari, quibusque fluuijs illuc ueniri possit: denique quanto itineris interuallo inter se duæ certæ distent prouinciæ aut ciuitates, siue una ad Aquilonem, & alia ad Austrum sit exposita, siue una Occidentem, & alia teneat Orientem.

ORBIS FIGVRA

CONuenit inter omnes doctos molem terræ sphæricæ esse figuræ, atque totius mundi occupare centrum, hoc est, centrum terræ totius machinæ esse centrum. Quo fit ut Hispani & Indi sint antipodes: dissident enim medio circulo. Vnde omnes homines in terra sua rectos cum hac sphæra constituunt angulos. Et potest esse, ut nobis Germanis ex tam multis Indianis insulis etiam aliqui habitatores sint antipodes, infra in opposito hemisphærio auersis respectu hemisphærij nostri degentes capitibus, medio circulo, hoc est, mille septingentis decem & octo milliaribus germanicis à nobis dissiti. Tanta enim est terræ diameter & crassitudo, quandoquidem ambitus eius continere deprehenditur quinque millia & quadringenta milliaria Germanica, respondentibus uni gradui (qui in circuitu terræ ut in cœlo numerantur trecenti sexaginta) quindecim milliaribus communibus. Commune milliare uoco spatium terræ quod mediocri gressu duabus horis confici potest. Vnde aduertere licet, etiam latissimos & altissimos montes qui in orbe reperiri possunt, terræ rotunditati minime obstare, quum nullius ferè sint momenti ad tantam terræ molem. Patet etiam si terra undique à mari esset segregata, & solo aëre circumscripta,

Milliare

possee

possetab homine circuiri in mille & octoginta diebus, hoc est, ferè in tribus annis, si cotidie iter quinque milliarium conficeret: sed quum mari sit immersa et minima eius pars enatet, iam id non licet. Patet quidem homini iter pedestre ab Hispania per Galliam, Germaniam, Vngariam, Græciam, Syriam, Babyloniam, Persiam, & cætera, usque ad extremas Indiæ partes: sed ulterius naui filum huius itineris perficiendum est, quousque per oppositum Hemisphærium per tam uarias scilicet Indianas insulas tandem circulo completo, ad Hispaniæ litora perueniatur. Quando igitur mappam seu terræ descriptionem intueris, non imaginaberis superficiem terræ esse sic planam, ut in tabula est proiecta: sed duas eius extremitates recuruata tabula in sphæræ figuram, cogitabis esse connexas: ut qui est in Zipangri insula, quam uides longe ultra Hispaniam in alto mari expositam, simul sit circa extremas Indiæ oras, id quod uel ex ipso numero longitudinis, quem circa æquatorem descriptum uides, colligere poteris. Nam ut extremus meridianus circulus Indianus habet C C L X. ita meridianus qui Zipangri insulam ab occidente circumscribit, habet C C L X. quum sint unus & idem circulus, & mox sequens meridianus habet C C L X X. Et quoniam in hunc numerum incidimus, obiter indicabimus quid præseferat. Solent mathematici terram sicut & cœlum duplici metiri uia, secundum longum & latum. Latitudo attenditur à polo in polum, seu potius ab æquatore ad utrunque polum. Et nos hunc latitudinis numerum signauimus in utraque tabulæ extremitate tam ad dextram quàm ad sinistram, numeris ab æquatore incipientibus & per decem discretis. Longitudo uero numeratur ab occidente in orientem, cuius initium Ptolemæus constituit in ultimis finibus Hispaniæ & Mauritaniæ. Et quanto regio uel ciuitas aliqua longius ab hoc initio & meridiano circulo uersus orientem distat, tanto maiorem dicitur habere longitudinem. ut Calechut habet in longitudine circiter centum & quinque gradus, qui per quindecim multiplicati, ostendunt Calechut M. D. L X X V. milliaribus Germanicis à primo distare meridiano, si gradus acceperis æquatoris, hoc est, si gradus longitudinis numeres in parallelo Calechut, qui parum differt à parallelo æquatoris. Numerus igitur ille uersus orientem extensus, continuo crescit donec tandem completo terræ circulo ad primum recurrat meridianum. Nam ubi primus longitudinis gradus incipit, ibi finem habet C C C L X. gradus.

TERRAE DIVISIO.

PRæter zonarum ac climatum diuisionem, unde dierum noctiumque potissimum colliguntur longitudines & contractiones, uetustiores Geographi terræ molem seu habitabilem superficiem in tres diuiserũt partes, nempe in Europam, Aphricam & Asiam, quæ in sua uastissima excursione Indiam quoque ipsam complectitur, etiam si bona orbis pars illis nondum esset cognita. Nam multæ regiones orientales ultra C L X X X. meridianum (ad quem Ptolemęus sua exploratione perue

 nit)

nit) sitę ueteres latuerunt, nisi forsan per Alexandrum Magnũ, qui Orientem aperuit, nonnihil de extrema India occidentalibus innotuerit. At hodie qualis illorum regionũ sit facies, & quanta maiestate magnus Cham, Tartarorum scilicet Imperator, illis terris præsideat, Paulus Venetus & Haytonus edocent. Sic si ad Austrum spectes, magna pars terræ nostra tempestate explorata est, aut saltẽ circunnauigata, quam Ptolemæus ut incognitam reliquit: ab Hispanis uero quum in orientem nauigio contendunt, obambulatur & circuitur, ut paulo post differemus. Quin & in oceano occidentali ferè nouus orbis nostris tẽporibus ab Alberico Vesputio & Christophoro Columbo, multisq́ʒ alijs insignibus uiris inuentus est, qui non abs re quarta orbis pars nuncupari potest, ut iam terra non sit tripartita, sed quadripartita, quum hæ Indianæ insulæ sua magnitudine Europam excedant, pręsertim ea quã ab Americo primo inuentore Americam uocãt. Europa terminos habet ab oriente Tanaim fluuium, Męotides paludes quę eum fluuiũ recipiunt, & pontum: A meridie mare mediterraneum, quod apud Gades primum angustũ, nec amplius decem millibus passuum patẽs, terras aperit atqʒ intrat: sed illico latissime diffunditur, & in orientẽ ad Syriam usqʒ extenditur, insulas magnas & paruas sine numero efficiẽs: id quod tibi typus noster pro sua mediocritate satis ostẽdit. Intuere igitur eũ diligenter. Porrò ab occidente habet ab Europa terminũ oceanum magnum, & à septentrione oceanum Britannicum. Oritur Tanais non à montibus, ut antiqui senserunt, quum ducẽtorum milliariorum spatio circa Moscouiam, in qua Tanais fontes uisuntur, nulli montes inueniantur, sed latissimi ibi sunt campi, & multæ paludes. De hac re late differunt in hoc uolumine Mathias à Michou, & Paulus Iouius. Insigniores regiones Europę sunt Hispania, Gallia, Germania, Anglia, Scotia, Dacia, Norbegia, Ibernia, Italia, Pannonia, Illyris, quæ hodie sunt Sclauonia, Carinthia, Bosna, Croacia, Coruatia &c. Post Germaniã sequitur Sarmatia, quæ nostro ęuo in plurimas abijt regiones, nempe Poloniã, Lithuaniam, Liuoniã, Moschouiã, Russiam, Podoliam, &c. Post Pannoniam sequitur utraqʒ Mœsia, & Thracia, quæ hodie sunt Rascia, Seruia, Transsyluania, Bulgaria, & Valachia: itemq́ʒ Macedonia, Epirus, Achaia, & reliquæ Græciæ partes Europæ annumerantur. Hę sunt ferè omnes & præcipuę Europæ partes, præter insulas quasdã & peninsulas, ut sunt Britannia, quę hodie est Anglia, Dacia, Suetia: et in mari mediterraneo, Maiorica, Minorica, Corsica, Sardinia, Sicilia, Cãdia, quę & Creta &c. Hæc itaqʒ Europa licet cõparatione aliarũ terræ partiũ sit parua, est tamen cultissima & populosissima, ut etiã in ea re excedat totam Aphricã, non obstante quod illa in triplo aut quadruplo sit maior. Nã est tota habitabilis, præterquam in exigua parte, quę scilicet ad septentrionẽ uergit ubi propter frigoris uim habitari nequit. Habet multitudinem pugnacem, & quæ agros colat, & quæ urbes quoqʒ contineat. Affert fructus optimos uitę necessarios, & metalla quæcunqʒ usui sunt. Similiter pecudum mitium exhibet copiam: at bestiarum ferarumq́ʒ habet raritatẽ. Odores & lapil

los

los magni sumptus extrinsecus petit. Insignior fluuius Europæ est Danubius, qui & Hister, originē ducens ex Sueuia Germaniæ, labens per utranq; Pannoniam & Valachiam, & tandem sexaginta nauigabilib. auctus fluuijs, & septem magnis ostijs in mare Ponticum supra Constātinopolim sese exonerat, Mōtes uero insigniores habet Europa, Pyreneos & alpes, Syluas aūt, Herciniam & Bohemicā, etiam si illa Herciniæ à quibusdā annumeretur. Hæc in genere de Europa dicta sufficiāt.

DE APHRICA.

APhrica altera pars orbis ad meridiem exposita, & magnis solis ardoribus obnoxia, terminatur ab occidente mari Atlantico, à meridie oceano Æthiopico, à septentrione mari mediterraneo, & ab oriente Nilo flumine, seu potius ut Ptolemæo placet, mari Rubro. Insigniores eius regiones sunt Mauritania, Tinganica & Cæsariensis, Aphrica minor, Numidia, Libya, Cyrene, Ægyptus, utraq; Æthiopia, & Troglodytarum regio, pręter mediterraneas quasdam alias regiones nobis incognitas. Verum hodie hæc nomina ferè omnia præter Ægyptum euanuerunt. Nam loco prouinciarum maritimarum successerunt Mauri, Barbaria, regnum Marochi, regnum Fessa, regnum Thunesij, quod ferè è regione Siciliæ in Aphrica locum habet, regnum Nubiæ sub Ægypto, regnum Gambræ in litore oceani occidentalis, regnum Melli & Nebeorum ad meridiem, de quibus & alijs Aphricæ meridionalioris maritimis prouincijs, ex nauigationibus Cadamusti plurima disces. Nescio si hodie Aphricæ interiora loca satis sint explorata, & à doctis cognita. Id unum omnes geographi fatentur, pleraq; Aphricæ loca inculta, & aut arenis sterilibus obducta, aut ob cœli situm humanæ habitationi incommoda, multo deniq; uenefico animalium genere infestata, ut uniuersa regio magis sit uasta quam frequens, sed ubi incolitur eximie fertilis est. Cōtra meridiem plurimum est deserta ob nimios ęstus: quà uero Europam spectat, frequentior est illi cultus. Eximia agrorum fertilitas, utpote qui locis quibusdam centesimo fœnore cultoribus reddunt messem. Mirum est quod de Mauritaniæ ubertate dicitur, esse in ea uites, quas duorum hominum complexus capere non possit, uuarum racemos cubitales, arbores circa Atlantem proceritate insigni ac enodi. Sed omnium nobilissima citrus, Romanis delitijs inserta. Alit Aphrica elephantos & dracones, qui ipsis beluis insidiantur, suoq; complexu enecant leones, bubalos, id est boues syluestres, pardos, capreas & simias multas. Herodotus quoque cornutos asinos ibi nasci asserit. Interiorem Aphricam inhabitant Nigritæ: & hæc quidem torret solis aspectu & uicinitate. In medio est arenosa, ad orientem deserta, circa occiduum montosa. Habet gentes non paucas, diuerso uultu, & specie horribiles. Regem ex sacerdotibus creant, qui omnia facere debet iuxta patrios mores. Plures solis propinquitate nudi agunt, ouillis pelliculis pudenda obtegunt: alij omnino pecorum uestiuntur pellibus. Pecuariam rem uulgo exercent, & sunt pecora pusilla admodum duri hirtiq; uelleris

ris. Milij hordeiq; frequens est apud illos usus, unde etiam potum conficiunt, cæteris carent frugibus præter raras palmas. Quidam herbis uictitant, tenuioribusq; harundinum radicibus. Hodie præsidet illis, ut Marcus Antonius Sabellicus ab ipsis locorum indigenis se accepisse dicit, Prætoianes, seu ut uulgo aiunt, presbyter Ioannes, quem illi Giam, id est, potentem uocãt: nam aiunt, illũ imperare sexaginta duobus regibus. Garma est urbs regia, quæ non muris, sed tabernaculis in ordinẽ digestis, ex serico, bysso & purpura intextis extructa est. Bina messis est illis, & bina æstas. Agnoscunt etiam Christum qui ubiq; terrarum suos habet cultores: sed quicquid Libycarum gentium ab hac Aethiopia est usque ad occidentẽ, omnes Mahumeti impietatem colunt, uiuuntq; eodem cultu quo barbari qui in Ægypto sunt, & appellantur Mauri. Nugantur etiam quidam circa originem Nili habitare pygmæos, qui cubitum non excedunt, hominibus in figura persimiles: recte incedũt, imperfecte loquuntur: tertio anno generant, & octauo moriuntur: usu rationis carent, non colũt iustitiam, uerecundiam aut honestatem, ideo non homines sed bruta censentur. Insignior & maior Aphricæ fluuius, & toto orbe celeberrimus, est Nilus, quem quidam aiunt oriri ex fontibus in extremis Æthiopiæ finibus, ferturq; per plures & uarias regiones, faciens plures insulas, unam autem insignem Meroem nomine per quam & Ptolemæus ducit parallelum, qui finis est climatis primi atq; initium secundi. A solstitio æstiuo usq; ad æquinoctium immẽsa aquarum mole singulis annis inundat, & adeo totam Ægyptum adducto limo fœcundat, ut segetes quatuor aut quinq; exactis mensibus ad messem redeant. Et interim uulgus ab operibus uacans, otiosum indulget epulis ac uoluptati: & pecora in stabulis reclusa nutriuntur. Proinde ex incremento huius fluuij Ægyptij uim aut penuriam futurarum frugũ præuident. Nam quum Nilus duodecim cubitis tantum excrescit Ægyptus famem sentit. In tredecim cubitis etiam annum esurit: sed quatuordecim cubiti hilaritatem adferunt: quindecim securitatem, sedecim delitias: quod iustum fertur esse incremẽtum. Et quũ huiusmodi Nili inundationes agrorum limites confunderent, nunc minuendo, nunc mutando aut delendo signa quædam, quibus proprium ab alieno discernebatur, iterum atq; iterum mẽsurari eam terram oportebat: & sic primi Aegyptij dicuntur inuenisse artem geometriæ. Sunt in hoc fluuio crocodili: qui quum ex ouo simili ouo anserino prodeant, crescunt tamen: longitudine uitæ ad sedecim cubitorum magnitudinem. Lingua carent, dorsum squamosum habent pręcipua duricie, ut nullo tormenti ictu possit uulnerari. Homines & animalia terrestria flumini appropinquantia unguibus discerpit. Habet quoq; Aphrica montes plurimos & maximos inter quos præcipuus est Atlas, qui è media arenarum uastitate consurgens, ultra nubila caput erigit: & pars quæ ad oceanum extenditur, manat fontibus, nemoribus inhorrescit, & rupibus asperatur: non est tamen herbida sed nuda humo. Quà uero Aphricam spectat minorem, est opimus, nascentibus sponte frugibus, arboribus opacissimus, quæ

uesti-

uestiuntur lanugine sericis uelleribus nihilo uiliore. Vertex eius semper est niualis.

DE ASIA.

Asia tertia pars orbis, terminatur ab occidente ad Europam & Aphricam, hoc est ad Tanaim & Mæotides paludes, & iuxta Aphricam ad mare Rubrum: à meridie uero habet mare Indicum maximum, & à septentrione mare congelatū, seu Scythicum: porrò ab oriente oceanum orientalem. Hæc pars orbis maior est Europa atq; Aphrica, & habet regiones prouinciasq; innumeras, regna & imperia multa atq; potentissima, montes & fluuios celeberrimos, uaria genera animalium & terræ nascentium, quæ in alijs orbis partibus non inueniuntur. Nam Arabia deserta in quadam conualli fert balsamū: & in altera Arabia quæ propter fertilitatem & fructuum copiam felix nominatur, producit calamū, myrrham, thus, casiam, cinamomum, ligna odorifera, & resinam suauissimi odoris, ut etiam mira fragrantia ex illa regione spiret ad eos qui in mari à longe adueniunt. Qui uero intra regionem degunt, propter nimiam rerum fragrãtiam ac intolerabilē in sensibus percipiunt stuporem, ut cogãtur etiam illam leuare bituminis suffitu & hirci barba. Abundat quoq; hæc regio auro optimo, ut etiam inter terræ glebas temere iacentes aureæ massæ glãdium magnitudine reperiãtur. Ganges fluuius Indiæ nominatissimus alit crocodilos & delphinos, aliasq; horribiles beluas. Inueniuntur illic plurimi elephantes, & aues ad imitandum humanæ uocis sonum dociles. Mare quoque illud infundit litoribus gemmas & margaritas. In syluis uero inueniuntur lauri & baccæ. Est illic magna uis serpentum, squamis fulgorem auri reddentium. Circa litora Taprophanæ, quam hodie Sumatram uocant, uagantur passim cete, animalia monstrosa, & tantæ magnitudinis, ut colles quidam litoribus aduecti uideantur, quorum dorsum longo spinarum tractu exasperatur. Infestissima sunt ambulantibus in litore, ut nemo facile ex eorum faucibus effugere possit, si uisus ab eis fuerit. Habēt tantos hiatus, ut sæpe nauem cum hominibus deglutiant. Iaua insula habet syluam nucum muscatarum. Mare Caspium gignit cristallum & iaspidem. Hircania habet in syluis tigres. Habet hoc animal multas maculas, & est miræ uelocitatis, ut etiam nihil adeo antecedat quod non illico assequatur. Eius potentia maxime prædicatur, quando maternis curis incitatur. Nisi enim raptores mox in mare præsidio fuerint, nullus astus uel fuga quantalibet liberat. Bactriana sicut & Arabia nutrit plurimos camelos. Est animal hoc oneri ferendo accommodatissimum. Sitim in quatriduum tolerat, & quum occasio bibendi data est, resarcit omnia præterita desideria. Turbulentas aquas captat, puras refugit. Cholchorum regio mel amarum producit, Babyloniæ regio crebris icta fulminibus, ex scatebris illis euomit bitumen ad lateres ædificiaq; opportunum. In Margiana & Aria aiunt sæpe reperiri uitem, cuius stipitem duorum uix hominum ulnæ complectantur: racemum uero duo

Mel

rum cubitorum longitudinem implere. Illic etiam uinum ad tres hominis ætates, id est, in nonagesimum annum perdurare, idq; in uasis minime picatis. India terra saluberrima bis in anno metit fruges, fert cinamomum, piper, & calamum aromaticum, ebenum arborem, psitacum auem, monocerotem bestiam, & beryllos, adamantes, carbunculos, margaritas, & alias gemmas. Caucasus mons Indiæ ea fronte qua soli obuersus est, habet arbores piperis, quas ad iuniperi, uel secundum alios, ad hederæ similitudinem fructus suos edere scriptores tradunt. Sed quid pergo ista enumerare? quum Marcus Venetus, & Ludouicus Vartomannus illarum regionum nostra ferè tempestate exploratores fuerint, & luculentissime conscripserint quid in Oriente uiderint: is quidem in India citeriori, & præsertim in Calechut: ille uero in India ultima, & magni Cham latissimo imperio. Lege libros ipsorum, quos in ipso uolumine simul collegimus & mira inuenies.

NAVIGATIO AB EVROPA AD CALECHVT Indiæ emporium nominatissimum.

NEque hominum memoria, neque Antiquorum literis proditum est, nauigationes illas in oceano factas, quæ nostro tempore fieri cœperunt. Ptolemæus quidem & Strabo, ambo insignes & toto orbe celeberrimi Cosmographi, nescierunt ultra Hispaniæ & Aphricæ occidentalia litora terram aliam, præter Gades & Fortunatas insulas, quę & Canariæ, reperiri. Nec ulli alij mortalium post hos insignes uiros quicquam constitit de innumeris & maximis illis insulis, quę medio itinere inter Aphricam occidentem uersus, & Indiam in oceano, nostro æuo sunt inuentæ. Sed nec apud ullum autorem inuenies mortales unquam ausos, ut sese committerent pelago illi uastissimo, quod ab occidente per meridiem in orientem ducit: immo putarunt Aphricæ terram usque adeo uersus meridionalem polum protensam, ut ob immensa frigora non liceret hac parte sicut nec per septentrionem nauem circunducere in Orientem. Quippe qui in hac fuerunt sententia, ut existimarint terræ molem, præsertim in Aphrica, æque uersus meridiem ab undis denudatam & habitatam ut in plaga septentrionali. Nam diuiserunt eam in quinque zonas, ex quibus duæ circa polos describuntur, frigidissimæ quidem, quod maxime absint à uia solis, & propterea à paucis habitentur hominibus, hisq; syluestribus, præsertim ea quæ subest polo arctico. Nam sub polo antarctico compertum est nullam esse terram, saltem solidam & continentem. Aliæ duæ zonæ temperatissimæ habentur, quæ scilicet sequuntur frigidas zonas, quia non nimio frigore rigescunt, nec nimio solis calore exuruntur, quum limites habeant circulos arcticos atque tropicos, quibus interiacent. Arcticum circulum quidam aiunt esse quem ursa maior priore describit pede. Alij uero intelligunt circulum quem polus zodiaci reuolutione primi mobilis describit. Et distat is circulus XXII. gradibus & dimidio à polo. Tu si uolueris, poteris eum signare in mappam nostram.

Nam

Nam habet locum ferè inter sexagesimum & septuagesimum parallelum. Sic enim licebit uidere quas regiones sibi uendicet zona illa temperata, quam complectuntur includuntq; circulus arcticus & tropicus cancri. Porrò si circa polum antarcticum etiam inter parallelum sexagesimum & septuagesimum circulum antarcticum pinxeris, qui unà cum tropico capricorni alteram continet temperatam zonam, uidebis in ea ferè nullam esse terram continentem, sed mare dúntaxat & insulas quasdam hinc & hinc per oceanum sparsas, atque portionem aliquam ex interiori Aphrica in ea extensam. Cæterum quintam zonam aiunt esse inter utrunque tropicum, & hæc ob solis continuos ardores uocatur zona torrida ægreq; est habitabilis. Non est igitur, ut prisci putarunt, Aphricam in Australem frigidam & intemperatam zonam usque adeo excurrere ut ob id orientalibus minime pateret per mare accessus in occidentem, aut contrà occiduis in oriẽtem: quum hodie à Lusitania frequens sit nauigatio in Indiam & uiciniores orientis partes: nõ quidem per mare mediterraneum, quum id ducatum nequeat præstare nauigantibus nisi usq; ad Aegyptum & Syriam, non autem in Arabiam, aut Persiam aut etiam Calechut: sed per oceanum orbis circuitur meridianus, prętereunturq; multa regna, prouinciæ, populi, terrę & insulæ, donec tandem perueniatur ad sinum barbaricum, & hinc ad sinum Arabicum atque Indicum. Quod ut sanius intelligas, aduerte tabulam terrenæ descriptionis, & ducam te ab Hispania in Calechut insigne emporium Indię, non quidem proximo itinere, quod est per mare meditetraneum, & deinde per Arabiam aut mare Rubrum, tandemq; per sinum Indicum, iuxta quem Calechut ponitur: sed per oceanũ primo occidentalem, deinde meridionalem, & ultimo indicum, quod iter hodie à Portugallis frequẽtatur, & ab Aloysio Cadamusto primi libri autore perquam diligẽter describitur. Primum itaq; quum Hispani in Indiam traiecturi sunt, petũt Portum sanctum, Mederã, & septem Canarias insulas, quę olim Fortunatę dictę sunt, Hispanis ferè omnes subiectæ. de quibus habes quarto, quinto, sexto & septimo capite nauigationis Aloysij. Hinc nauigatur ad Caput album, portum continentis Aphricæ, ubi est poli eleuatio XIX. graduum. Lege de hoc portu caput nonum Aloysij. Relicto Capite albo & insulis adiacentibus, uenitur ad regnum Senegæ, quod sic uocatur à fluuio Senega, qui pręterlabitur & irrigat ferè totam Æthiopiam, disterminatq; Azenagos à primo Æthiopũ regno: de quo in XIIII. capite Cadamusti. Haud longe ab ora huius fluminis est Caput uiride, promontoriũ insigne, sub eleuatione poli XIII. graduũ, quod Ptolemęus uocat promontoriũ Æthiopũ: de quo inuenies multa capite trigesimoquinto. Relinquitur etiã ad dextram in alto mari insula, quam Hispani appellarũt Boni uisus, quã nos è regione Senegæ fluuij signauimus. Relicto Capite uiridi ductore Austro peruenitur ad ostium fluuij Gambræ, à quo regnũ Gambrę denominationem habet, fluitq; per anfractus & ambages multas, ut alter Męandrus. Hinc nauigãtibus offertur caput Sagres, ac deinde tran

ſito regno Melli, peruenitur ad caput Bonæ ſpei, quod corrupte & Hiſpanice De bona ſperantza quidam appellant: & tenet extremã Aphricæ uerſus meridiem partem, quam Pomponius frontem Aphricæ appellat. Nam hinc nauis ſenſim redit uerſus ęquatorem, ubi ſcilicet eſt regnum Melindæ, & Troglodytarũ regio: apud quos eſt aurifodina quã Zaphallã uocant, inſula ſcilicet haud longe à ſinu diſtans Arabico: ubi etiam eſt inſula Achiloa ſeu aquiloa, quam tamen alij uocãt Chiloam, & diſtat ſexaginta leucis à Zaphalla, uicinior quidem Arabiæ quàm Zaphalla. Omitto multa alia capita litorum, inſulas & prouincias, quæ nullibi non occurrũt in tam uaſto pelago, & ſigno duntaxat celebriora loca. Traiecto uero ſinu Indico, peruenitur ad Chalechut, nobile illud Oriẽtis emporium, quod toti fermè mundo mittit aromata, etiã ſi pauca illic creſcant. Numerãtur itaq; à Portugallia ad Calechut mille & octoginta leucæ, reſpondentibus uni leucæ quatuor milliaribus Italicis: non quidem recto itinere, ſed in Auſtrum deflexo. Alioquin ſi ex mari mediterraneo mox liceret abſq; magno terræ ſpatio intrare mare Rubrum, longe proprior nauigatio eſſet per mare illud, quàm per oceanũ, id quod oculorum iudicio facile deprehendere poteris, ſi utrunq; iter in mappa aduerteris. Veneti quidem quum ſoli ante triginta annos Europæ præſertim occidentali aromata ſuppeditarent, priuſquam illa nauigatio à Luſitanis eſſet adinuenta, à ſinu Adriatico per mare mediterraneum Alexandriam adierunt, quæ iuxta Nili oſtia ſitum habet, & hinc aliquo ſpatio terræ emenſo, per mare Rubrum ad Calechut uſq; peruenerũt, itinere quidem breuiori, & quo commodius haberi nequit. Hæc uolui ſimpliciori lectori paulo uerboſius indicare, non ignorans Geographicarum, ſicut & aliarum mathematicarum rerum inexperto nihil ſatis dici poſſe. De alijs ciuitatibus, prouincijs, & inſulis, quæ ultra & citra Calechut ab Aloyſio & Vartomãno ſitæ deſcribuntur, nõ eſt quod hic multa ſcribam, quum illi duo uiri ſatis exprimant, quot leucis, aut quanto ſpatio ad illam uel illam protogentur plagam. Nos tamen ſitum Ormi inſignis inſulæ indicauimus., nempe ſub ſinu Perſico iuxta tropicum cancri inſulæ ueſtigium ponentes, Gulphal inſula ponitur in ſinu ipſo Perſico, id quod apud Cadamuſtum legis capite ſeptuageſimo primo, at nos nullum illi in mappa fecimus ſignum.

NAVIGATIO CHRISTOPHORI COLVMBI ET Alberici Veſputij ad nouas inſulas.

CElebratur Alexander magnus toto orbe terrarum, quod primus ferè penetrarit aperueritq; Orientem, non nauigio, ſed pedeſtri & tutiori itinere in illum deductus. Verum parua erit laus illius, ſi comparetur uiris illis qui noſtro æuo maria etiam incomperta ſulcare tentarunt, & occidentem ſua exploratione aperuerunt, innumeras inſulas hominibus & opibus plenas in uaſtiſſimo mari adinuenientes: de quibus hactenus nulli mortalium quicquam conſtitit à duobus millibus annorum & ſuprà, niſi fortaſſis Indis orientalioribus & uicinioribus manſiones illæ hominum compertæ fuerint. Nemo inter doctos non putabat

bat totam aquarum uim à principio creationis in illud pelagus reiectã, & aquam ipsam illic in magnam coaceruatam molem, ut possibile non fuerit ibi aridam quoquomodo apparere: sed falsi sunt omnes qui in hac fuere sententia, quum nullibi non in mari emineant insulæ, siue ad occidentem ieris siue ad orientem siue meridiem lustres siue septentrionem. Insulas occidentales nempe Hispanam, Ioannam, Spagnollam, Cubam, Isabellam, Antiglias, Canibalorum terram, Americam, & reliquas incognitas terras primi mortalium adinuenerunt Christophorus Columbus & Albericus Vesputius, labores innumeros exantlantes, dum hinc inde per uastissimum & sæuissimum æquor uagantes, & innumera pericula subeuntes, nouas contendunt quærere terras, etiam longissime à patrio solo abducti, quippe qui adeo in meridiem digressi sunt, ut polus antarcticus illis triginta trib. sustolleretur gradibus, sub qua eleuatione etiam insulam inuenerunt in amplissimo sitam mari, & Melcham appellatam. Reliquas uero pro maiori parte inter utrunque repererunt tropicum, tametsi non paucas etiam citra tropicum cancri deprehenderint. Porrò qui mores, & quis uiuendi modus sit illarum terrarum indigenis & incolis, non est quod hic referam, lege nauigationem Columbi, quam inuenies pagina sexagesima quarta, & item nauigationẽ Vesputij, pagina LXXXVI. & quatuor eiusdẽ nauigationes, pagina CXI. & edoceberis hæc omnia. Poteris etiam aduertere si orbis descriptionẽ adhibueris, qua linea, & quo itinere nauigationes suas ab Hispãia in nouas insulas instituerint, quę mirabilia experti sint.


CVRSVS PEREGRINATIONIS LVDOVICI Vartomanni patritij Romani ad partes Indię.

ITer quod Vartomannus ad regiones Orientales fecit, fuit, tale, Ab Italia per mare mediterraneum ad Aegyptum primo demigrauit, & hinc per litus eiusdem maris uersus septentrionem conscendens, ad Beryntum, Tripolim, & Antiochiam, quæ ferè omnes sunt maritimæ, peruenit: & ab Antiochia paululum uersus Orientem digrediens, Damascum adijt. Hinc itinere quadraginta dierum & noctium ad Mecham concessit, quæ urbs in Arabia deserta quadraginta mille passibus, hoc est, magna dieta à litore maris Rubri, præsertim ab oppido Zida, quod portus est maris elegans, sita est. Pertransijt tamen medio itinere urbem Medinam, in qua gens cæca Saracenorum ueneratur corpus Mahumetis sui. A portu Zida per mare rubrum uenit ad Aden Arabiæ felicis urbem pulcherrimam & famigeratum emporium: lustratísque multis Arabiæ urbibus, commissus pelago, ut ad Persiam nauigaret, tempestate iactatus peruenit in Aethiopiam, & illinc abscedens in Persidem uelificauit, ubi multis conspectis urbibus, ad Ormum ciuitatem & insulam insignem se transtulit. Ab hac rursus soluens, ad Cambaiam Indiæ urbem haud procul ab Indo fluuio positam concessit. Et digrediens ad alias uiciniores urbes, nempe Ceul,

Cano-

Canonor, Decham, & alias quaſdam: tandem ad Calechut peruenit. Et ab hac in ulteriorem profectus Indiam, uiſis uarijs urbibus, atque multis inſulis, præſertim quæ ſpecies mittunt aromaticas, poſtliminio redit ad Calechut: & hinc cum Luſitanis in Europam reuerſus, ad Hiſpaniam peruenit, & tandem ad Italiam patriam ſuam. Marci Pauli Veneti iter hic non duxi explicandum, quum ferè nullam ſignarit prouinciam, quam pertranſierit præter Armeniam, & quaſdam circumiacentes regiones, ad quam traiecto Boſphoro & Euxino mari peruenit. Ab Armenia uero quas regiones permeauerit, donec ad extremos Schythas, qui hodie ſunt Tartaria magna, peruenit, non ſcribit: rediens tamen ab oriente ad occiduas partes, ſignauit plures. Id unum ex ſententia agit, ut nobis diligenter deſcribat Orientem, tam terram continentem quàm inſulas meridionales & orientales, potiſſimum quicquid locorum eſt ſub ditione magni Cham. Præsbyteri quoque Iohannis facit mentionem, quippe cuius regnum conterminum ait imperio magni Cham, quum tamen cæteri ferè omnes regem illum in Aethiopia Aphricæ haud longe à Troglodítis dominari aſſeuerent. Sic enim habes apud Aloyſium capite ſexageſimo, nempe presbyterum Iohannem in Aphrica circa regnum Melindæ confinem eſſe Sultano. Idem ſentit Ludouicus Vartomannus libro ſecundo, capite decimoquinto. Nudum hunc ſoluendum tibi lector relinquo. Scio & alios quoſdam fuiſſe in hac opinione, qui putauerunt ſedem presbyteri Iohannis fuiſſe in oriente, ſed aliud hodie & certius quidem edocemur.

TYPVS COSMOGRAPHICVS VNIVERSALIS.



A NAVIGATIO AD TERRAS IGNOTAS ALOYSII CADAMVSTI, Archangelo Madrignano interprete.

CAPVT PRIMVM.



QVVM ego Aloysius Cadamustus è Venetis patritijs primo animũ induxerim sulcandi eius Oceani, qui à freto Gaditano per insulas Fortunatas, & Aethiopas inferiores uersus Austrũ tendit: quũq; ibi pleraq; scitu cognituq; non indigna deprehenderim, ut fiat testatum posteris, animo mihi hæsisse, hactenus incomperta quęrere, & adire inaccessa, prout rebus memoria suppetet, excipiã & prosequar calamo, donec earum memorabilium rerũ quæ uidi, & locorũ quæ coràm adiui, ueram prorsus efficiam historiam: quæ omnia si nostris conferantur, alterũ profecto orbem efficient. Et si ea forte minus ordinate abs me describentur in rerum tantarum uarietate, non sum tamen defuturus, quin historiam ueram denarrem, & ubi ferè incredibilia & prodigiosa occurrent, licet uera, temperabo tamen de industria, & sciens citius nonnulla sum prætermissurus, quàm uel minima citra ueritatem relaturus. Primus igitur qui memoratũ Oceanum & Aethiopiam supradictam adire est aggressus, post protoparentẽ nostrum Adam (unius Plinij historiam excipio) is fuit nostro æuo illustrissimus D. infans Don Huric natus Lusitaniæ rege illustrissimo Don Ioanne: qui quidẽ princeps infans, licet sui nominis præclara, & propè innumerabilia percenseri possent, prudens præteribo omnia in præsens, id unum haud prætermiserim, quòd Christi seruatoris nostri almæ fidei eximie studuit, & nihil magis in uotis gessit, quàm nomen Christianũ à barbaris & Dei hostibus asserere, matrimonij expers fuit, adolescentiam suam castitate mira honestauit, domi & militiæ strenuus, Mauros sæpenumero fudit, & bello clarus euasit. Quum itaq; eius genitor dissolutionem corporis sibi imminere conspiceret, annorũ iam plenus, prius naturæ nõ concessit, quàm saluberrimis præceptis filium monuerit, ut, uidelicet, sacratissimam Christi fidem animo incõcusso illibatoq; coleret, nec deesset suis uotis, quibus instituerat Christi hostes debellare, & sancto nomini reddere subiectos. Adiecit etiam ad hæc, ut Lusitaniæ gentis, & in primis patritiæ Cordatæ meminisset: & ut paucis absoluã, sæpe dictus illustris. Don Huric patris monitis libens audiuit: fato iam functo parente, fratre tamẽ patrocinante, qui regno ætatis cõcessu successit. Huic nomẽ fuit Don Daruth, cuius auspicijs Mauros male accepit, qui id regnũ occupant, quod Fesse dicitur: quod quidem regnũ incipit ab Ampelusia promontorio Mauritanię, nõ longe à Gadibus, & mari Atlantico alluitur, & uergit ad Austrũ. Singulis igitur annis ex instituto Mauros lacessens, celoces suas mittebat, quo ad id promontoriũ deuentũ est, quod Caput de Non appellatur ab incolis, argumẽto, quòd qui ultra dictũ promontoriũ iuere, nõ sunt regressi, & ibi prisci nautæ terminũ semper constituerant suæ nauigationis. Hucusq; itaq; celoces principis deuenere, nec ausæ sunt ueterem terminũ excedere. Quæ ubi principi sunt renunciata, animũ accendunt magis peragrandi orbis. Instituit propterea rursus cœptam prouinciam persequi, et promontoriũ Capitis de Non aliquando transcendere dijs fauentibus: quoniã celoces Lusitanæ omnibus Oceani Liburnicis eximie præstant. Et quũ iam ad id opus nauandum præsto essent nõnullæ celoces, censuit non difficulter posse nauigare uastum Oceanum, cupiens admodum loca hactenus inaccessa adire, & nouos populorũ Africæ ritus uidere: quibus omnibus exploratis, in prõptu haberet Mauros pro arbitrio profligare, & suę ditioni addere. Iussit itaq;

Don Huric

B

Don Daruth

Caput de Non

celoces ternas expediri, cum armamẽtis, cum etiam cõmeatibus ferè omne genus, quibus uiros strenuos præfecit. Qui dicto principis audientes profecti sunt, & dictum promontorium Capitis de non, litus haud deserentes, per centum ferè milliaria præteriere, & quum nihil pręter incultam tellurem, ac omni habitatore uiduam comperissent, domum regrediuntur. Quum igitur princeps de nouis populorum Africæ moribus ac locorum sitibus, ex his nauigationibus nihil adhuc comperti haberet, rursus classem communit omni genere annonæ, & rebus omnibus, quibus hostes propulsare quirẽt, & suos diutius alere, data lege ut tamdiu nauigarẽt, donec superiores suorum nauigationes per centũ & quinquaginta milliaria excederẽt, & ultra (si eis uisum foret) progrederentur, quos pro labore tanto innumeris promissis onerat. Qui principi obsequentes, uela dedere, & quũ nihil nacti fuissent nisi uastũ & sterile solum, rediere. Quibus nõ obstantibus, princeps indies fit auidior nouarum rerum, animusq; accendebatur magis, ut assolet, in rebus uetitis: quare iam tertiò mittit, qui terram huiusmodi explorẽt. Et, ut breue faciam, tantisper annis singulis nouos expediuit nautas, donec ab Arabibus cultam terram inuenit, qui in desertis uitam trahebant: & paulo ultra progressi, nouos populos inueniunt, qui Azanegi appellantur, uiri coloris subcinericij, de quibus in sequentibus latius dicturi sumus. Et postremo iam ipsis adnauigantibus, tellus Aethiopum inferioris Africæ, quæ Oceano adiacet Australi, apparuit, rursusq; indies nouos populos, cum idiomate, tum etiam ritu & moribus differentes nanciscuntur, ut lectori diffusius deinceps liquebit.

Azanegi

CAPVT SECVNDVM.

QVum igitur ego Aloysius forem Venetijs, quæ urbs mihi solum est patrium, anno à partu Virginis M. D. IIII. annum agens alterum & uigesimum: & quum iam ferè nostri maris, quod mediterraneum appellant, litora omnia lustrauissem, decreui in Celtogalliam iterum contendere, quò aliàs fueram commercij gratia: ea enim est regio Galliæ, quæ ab Oriente terminum habet Rhenum fluuium, à Septentrione Oceanum Britannicum, in quem exonerat Rhenus prædictus, & ibi nobile emporium uisitur, Brugim appellant, nullis emporijs Septentrionalis regionis postferendum, & eò lucri causa cõtendebam. Quum ergo illò proficisci decreuissem, accinxi me itineri, non quidem multis onustus pecunijs: nam paucissimi census erant, & Liburnicas, quæ eò tendebant, conscendi duce Marco Zenone equite splendidissimo, prius Christi nomine inuocato: Venetijs soluimus anno Christi memorato, Augusti octaua luce, & prosperis auspicijs uetus institutum inter nauigandum obseruantes, iter agentes per certa hospitia, hoc est, ad consueta loca applicuimus semper, donec in Hispaniam deuentũ est. Et quum ui ingentis tempestatis ducti applicuissemus ad id promontorium, quod Sacrum Ptolemæus appellat, in Oceanum uaste prominens, nũc Caput sancti Vincentij: forte fortuna non longe ab hoc portu princeps infans per id tempus in oppido, cui nomen est Reposera, agebat animi caussa. Is ut accepit nos aduẽtauisse, ad classem nostram internunciũ mittit uirum, à suis secretis egregium, Antonium Conzallem nuncupabant, comite patricio Veneto, qui illic consulem Venetæ gentis agebat, ut diplomata Venetorum principum sigillo insignita declarabant, quiq; sub principe infante stipendia merebat. Adiuere itaq; nos ex præscripto principis, saccarum ferẽtes promercale, sumptũ ex insula Mederæ, quę Oceano Atlantico innatat, è regione Mauritaniæ: tulere etiam cõmercij gratia sanguinem draconis, & alia pleraq; sumpta ab insulis principis prædicti. Dum igitur de saccaro, & alijs mercimonijs sermo fit inter nos, ut assolet merces commutantibus, percunctamur Lusitanos, unde hæc tam præclara eruerint, & regiones locaq; sciscitamur: plura referunt, principem suum subegisse gentes innumeras, Christiano nomini hactenus incompertas, unde & saccarum, & draconis sanguis, & alia quàmplurima naturæ cõducentia exportantur: addidere etiã ad hæc,

Celtogallia

Brugis

Sacrum promont.

parua

A parua esse quæ retulissent, si conferantur cũ alijs rebus, quas præclare dictus princeps egerat: aperiuntq; nobis hũc principem egregium inaccessa maria sulcauisse per internuncios nautas, nouasq; regiones peragratas, domitas prodigiosas gentes, res miratu dignas repertas: unde innumera lucra comparantur, adeò ut ex nummo denos efficias, nullumq; fœnus esse, quod lucrum superet huiuscemodi. Hæc illi sedulo denarrabant, mirantibus nobis & obstupescentibus præ rerum euentu conspicuo. Ea igitur me inter cæteros accendunt lucri auidissimũ: statui propterea hunc principem corãm adire, ut si forte & nobis sulcandi dicta æquora potestatem faceret: quoniam suum est eius freti uectigal, custodit propterea ipse Gaditanum fretum non incuriose. Responsum habui ab eis, qui classem nostram, ut præfeci, adiuerãt, me nõ difficulter impetraturum à principe, ut meo desiderio fiat satis: uerùm scirẽ duorum optionem principem daturum, utrum uellem, sumerem. Conditio hęc est: qui celoces sua impensa expedit, suoq; periculo agit omnia, is earum mercium quas ferret, principi quartam det partem, ex uetere instituto: aut princeps suo impendio classem expediat, quo ad armamenta & illa omnia quæ tueri possunt naues ab incursu hostium, reliqua ageret qui merces ducit, & quum redijsset, principi dimidium daret omnium: & ubi nihil mercis ex nauigatione allatum fuisset, omnem impensam & operam luderet mercator: licet haud dubie constet, eos qui illò contendent, consequuturos lucrum non mediocre: adiecit etiam principem, si qui è Venetis regiones prædictas inuisere uoluerint, id facillime concessurum, imò fauturum plurimũ: quandoquidem sibi persuadebat, aromata omne genus, & alia pleraq; inibi nautas reperturos, quæ in primis Veneti super omnem gentem callent adamussim. Propterea principem prædictum adiui, qui me etiam ultra quàm par erat, honorifice excepit, & ea omnia quæ ex relatu suorum acceperam, præsens comprobauit: hoc etiam plus addidit, modo cœptam prouinciam non
B desererem, se ingentissimis fauoribus & gratijs prosequuturum hoc celebre uotum. Quibus auditis, apud me hæc omnia pensitatius reuoluebam, uegetam ætatem, habilitatem corporis, uires & ingenium, quæ omnem laborem subire poterant: & peragrandi orbis percupidus, accendebar magis, quum præsertim nullus è conterraneis meis hæc aggressus esset, nõ diffidens ex his magnis laboribus me aliquando, & honorem & emolumentum reportaturum. Decreui prorsus uotum meum absoluere, percunctaturus primo negotiatores Lusitanos, quas merces magni facerent Nigritæ, Aethiopes, & Australissimæ gentes. Redij demùm reuisum eos, qui Liburnicas in litore habebant, & ea quę in Celticam Galliam uehere institueram, uni affini meo commendo, & mercatus Liburnicas, quę nauigando itineri facerent satis, ad continentem applicui. At naues Venetæ in Galliam uela fecere.

Quando abierint Liburnicæ, & quibus uentis uela fecerint.

CAPVT III.

QVum igitur eò loci me adhuc contineremus, quem caput sancti Vincentij appellãt, aliter promontorium Sacrum, ut præfati sumus, id gratum principi admodum fuit, excipiebat me propterea solito magis honorificentius, & elapsis quampluribus diebus, iubet celocem armari, quæ uehere dolia nonaginta queat: cui præfectus erat Vincentius Lagus incola oppidi cuiusdam à dicto promontorio distantis milliaria sedecim. Celocem uero muniunt omni commeatuum genere, & earum rerum prę̄sertim, quæ nautis uictum diuturniorem suppeditarent. Deorum itaq; implorato auxilio, à promontorio soluimus die uigesimo & altero Martij, anni M. D. V. flante uento Apeliote & Borea: & primo uela dedimus uersus insulam Mederæ iter agentes, eundo ad quartam Lebegij Occidentem uersus itinere recto: die uigesimoquinto Martij applicuimus Mederæ per portum sanctum circiter meridiem. Distat dicta insula à Sacro promontorio ferè milliarijs sexcentis.

Descriptio Portus sancti, & rerum in eo memorabilium.

CAPVT IIII.

HAec insula Sancti portus parua admodũ est, utpote quæ uigintiquinque milliarium circuitu patet, circa septimum & uigesimum annum à nauibus prædicti principis reperta. Hanc Lusitani iussu sui principis incolunt, aliàs à nostris nunquam cognitam. Huic moderatur Bartholomæus Polastrus dicti principis alumnus. Fert hæc insula innumeras fruges, triticum, siliginem, & alia id genus, boues, iuuencos, apros, & in primis cuniculis scatet, est ibi sanguis draconis, qui lachryma est arboris: nam stato anni tempore arbores ferro sauciant, quæ ubi sunt incisæ, anno sequente gummam emittunt per incisiões. Gumma uero ahenis decocta & defecata, sanguis efficitur, quẽ appellant draconis. Eius arbor producit fructum cerasi instar, mense Martij gustu eximium, coloris Veneti. Insulam circumuectis constat piscium ubertatem maximam esse in primis dentalium, & ostrearum. Portu caret, stationem uero habet perquam commodam ab omni uentorum afflatu tutam, excipio Subsolanum & Vulturnum, quibus haud tuto nautæ se freto committerent, hæc Portus sanctus appellatur: mel gignit suauissimum, adeò ut nullibi sit præstantius: ceram quoq; producit abunde: nam ibi apum confertissima cernuntur examina innumeraq;.

Sanguis draconis

Monchricus portus insulæ Mederæ.

CAPVT V.

ILlinc die uigesimo septimo soluimus, uidelicet, ab insula Sancti portus, & eadem die portum Monchricum applicuimus: is est insulæ Mederæ portus, qui abest à portu Sancto milliarijs quadraginta, & ni nubes cœlum inumbrauerint, altera alteram uidet.

De insula Medera, eiusq; præfectis. CAP. VI.

Medera unde dicta

MEdera insula auspicijs & opera infantis principis colitur, frequens est habitatore. Hæc igitur à Lusitanis incolitur ab annis quatuor & uiginti, aliàs incognita: huic præfecit princeps uiros duos egregios equites: primo nomen est Tristanseræ, & hic mediæ insulæ moderatur: alteri Ioanni Gonzalæ, qui insulæ quod superest moderandum suscepit. Et huic insulæ nomen inditum est à copia lignorum: id enim indigenarum lingua Medera significat: argumento quòd quicquid inibi erat soli, totum id syluis opacum condensissimis conspiciebatur. Operæpretium igitur fuit his qui primò coluere insulam, ut igni multo compurgarent: qui adeò grassatus est aliquando, ut etiã uiros corripuisset, ni propere aquis humerotenus immersi, sibi cõsuluissent. Nam dictus Ioannes Gonzales, ut ignem euaderet cum coniuge & natis, famem bidui iugiter in aquis tolerantissime sustinuit. Igne igitur expurgata insula, semini præparatur idonea. Hæc quatuor è partibus colitur, una appellatur Monchricus, altera Sanctæ crucis, tertia Fonzala, ultima Iouis camera. Et licet quamplurimas alias habitationes habeat, hæ sunt tamen potissimæ. Si uiri percensendi forent, hi proculdubio octingenti essent, è quibus seligi possent equites centum. Insula circuitu patet quadraginta milliarium, portum non habet, uerùm peropportunas stationes: feracis est soli, licet saltuosa, instar Siciliæ, scatet tamen frugibus ferè innumeris, legit quotannis tritici scaria 30000 Venetorum: desijt tamen esse feracissima, licet fertilis adhuc plura producat, nam frequentiore semine attrita est: quoniam indies aratur, atteritur magis. Regio est irrigua fontibus, & amnibus conspicua, octo uisuntur ibi, qui insulam interfluunt: & ibi aquaticæ serræ, quibus in assamenta secantur ligna, & alia id genus efficiunt, ut sunt mensæ tripodes, quibus ferè Lusitania omnis cõdecoratur eximie, necnon circũadiacentes regiones exornantur. Assamenta ibi multijuga uisuntur, aliàs dedolantur in mensas ex cedro miri odoris, nec absimiles cupresso. Ex alijs fiunt abaci, tripodes, cophini, scrinia, & ferè omne genus receptacula, & in primis ex nasso fiunt pulcherrimæ, quæ quasi purpurei sunt coloris. Quoniam uero hæc

A hæc insula frequentioribus irrigatur fluminibus, memoratus princeps saccareum harundinetum ibi plantari iussit, ex quo saccari quamplurimum legit: inde ueniunt scitissima saccara toto orbe præcipua, primæ decoctionis, nec non mixta, & quantum ex aliorũ relatu colligere quiui, indies meliora saccara sperant: quoniam ea insula temperie cœli meliore saccarum suapte natura gignit: nam ea qualitas est plagæ illius, quæ Cypri, & Siciliæ: nunquam algent, & ibi bellaria, & tragemata ex saccaro omnium generum, mellisq; plurimum. Ceræ quidem satis, sed non tantum: uineas habet non despicabiles, in quibus taleas & malleolos maluatici plantare iussit princeps infans, afferuntur ex Creta insula, quam hodie appellant Candiam: uberes sunt uineæ, cœlo ad id inclinante: uites plus uuæ quàm foliorum ferunt, racemi prDEMO — ceriores, ut mensuram quatuor palmarum excedant, res uisu conspicua miraq; uoluptate afficit intuentes: & ibi uuæ quibus color est niger, in arcuatis pensiles. Inde etiam exportantur ex nasso arcus celebres, qui feruntur in Occidentem, & fiunt ligna apta arcubus conficiendis. Et ibi paui quamplurimi syluestres, colore ad albedinem inclinato. Perdices, neque id genus alia ibi uidebis, præter coturnices, & apros innumeros in montibus. Memini etiam ab indigenis accepisse, ibi quum primo culta est insula, copiam maximam columborum fuisse, quibus capiendis non alia arte usi sunt aucupes, quàm alligato perticæ uncino ex arboribus, quibus illic insident, traherentur ad se non pauentibus auibus, sed mirantibus ueluti ad rem non uisam hactenus: quoniam nullo habitatore humano culta fuerat insula, à solis auibus & feris habitata. Fidem huic rei maiorem adstruit altera insula nostris temporibus reperta, natura non absimilis, præsertim in auium aucupio: ea utraq; humani ritus expers fuerat: animalia ibi quamplurima usui humano apta: uiri illic etiam census non mediocris, complusculi dites ac locupletes: omnis insula adeò culta est, ut uiridarium & hortum repræsentent amœnissimum, quicquid ibi legitur, ueluti aurum est. Et ibi celeberrima diui Francisci cœnobia

B uitę obseruantioris sanctiorisq;. Accepi etiam ab incolis fide haud indignis, uuas etiam maturescere circiter sanctam hebdomadam.

Saccarum

Vuæ uernæ

Canariæ insulæ numero decem. CAP. VII.

A Dicta insula Mederæ Austro flante soluimus, quo duce iter confecimus, donec insulas Canarias applicuimus, quæ absunt à Medera fere milliarijs CCCXX. Hæ sunt decem numero, septem cultæ, tres desertæ: quæ coluntur hæ sunt, priuis priua nomina. Primæ nomen est, Fractælanceæ: secundæ, Magnæfortis: tertiæ Grancamariæ, quartæ Teneriffæ, quintæ Gieneræ, sextæ Palmæ, septimæ Ferro. Nec id est prætereundum, quod ex memoratis septem insulis, quatuor Christianum nomen colunt, uidelicet, Fractalancea, Magnafors, Gienera, & Ferrum. Tres uero quæ supersunt è septem, idolis seruiunt. Christianis insulis præest eques nobilissimus, qui Ferrara nuncupatur, oriundus ex urbe Sibilia, ditionis Hispaniarum regis. Qui colunt has insulas, uiuunt pane ordeaceo, carnibus, & lacte plurimo, & in primis caprino, quibus abundant. Hæ uini & tritici impatientes sunt, nisi aliunde importetur eis, prorsus carent: fructus fere nulli, reliqua uero optima: scatet onagris, id est, syluestribus asinis, præsertim ea quæ dicitur Ferrum. Distant inuicem hæ insulæ milliarijs quadraginta: atque ita alia respicit aliam, ut de industria continenterq; subordinatæ uideantur, & Orientem prima, ultima uero Occidentem respicit.

Quarum sint rerum feraces Canariæ.
CAPVT VIII.

EX his insulis aduehitur herba, quæ Oricola dicitur, cuius colore uestes inficiuntur, quæ quidem herba Gades in sinu Sibiliæ comportatur, & illinc in Orientem, & demùm in Occidentem itur: exportatur etiam inde corij hircini copia ingentissima, quod cæteris præstat: seui plurimum, casei uero multum: & incolæ harum quatuor insularum nomini Christiano parent,

& Canarij dicuntur. Idiomate differunt, adeò ut alter alterum haud intelligat. Mœnia non habent, sed uicos undequaque patentes, uerùm in eminentissimis montibus specus excauant, ubi degunt tuti ab omni impetu hostili. Sunt hi montes suapte natura ferè inaccessi, ideo inexpugnabiles, perinde ut nulla uis eò penetret, nisi una fames aditum præberet: & ambitus minoris harum insularum non minus patet milliarijs nonaginta. Tres uero quæ idola colunt, uastiores sunt, & frequentiore habitatore, præsertim Canaria magna, quæ hominibus circiter octo millibus exornatur. Teneriffa autem triũ maior est, hominum quindecim millia, si utrunque sexum spectes, emitteret. Palma uero rarissimo est habitatore, uisu tamẽ conspicua, & delectabilis admodum. Id etiam apprimè est dignum scitu, quòd nulla alia de caussa hæc regio est propè inexpugnabilis, nisi ob situs locorum propè inaccessos, & strenuam gentem: fitque propterea ut subdita sit nemini, licet pluribus sit lacessita prælijs. Nec silendum puto de insula Teneriffæ, quæ & eximie colitur, & inter orbis insulas est eminentior. Nam cœlo sereno eminus conspicitur, adeò ut qui absunt ab ea ad leucas Hispanas sexaginta uel septuaginta, non difficulter eam intueantur: & si leucarum rationem colligas, milliaria ducenta quinquaginta excedunt. Quòd cernatur à longe, id efficit acuminatus lapis adamantinus, instar pyramidis in medio. Qui metiti sunt lapidem, aiunt altitudine leucarum quindecim mensuram excedere ab imo ad summum uerticem. Is lapis iugiter flagrat instar Aetnæ montis, id affirmant nostri Christiani, qui capti aliquando hæc animaduertère. Hi præfectos habent nouem, quos duces appellant: nec iure hæreditario succedunt, sed ius est in armis: inuicem digladiantur, & sæuiunt ut beluæ, armis carent, quia ferrum non habent, uerùm lapidibus & scipionibus res geritur inter eos: nam lignis acuminata cornua adfigunt, ut uicem ferri gerant: nudi ferè omnes incedunt, tamen nonnulli auersè & aduersè pellibus caprinis teguntur: carnem inungũt seuo hircino condito herbarum quarundam succo, ut cutis effecta densior algorem toleret facilius: licet ibi uix algeant, quoniam ad austrum sunt positi: domos non habent, neque mapalia, nec quidem uiles casas, uerùm specus & cauernas montium incolunt: ordeo, carnibus, & caprino lacte pascuntur, abundant nonnullis fructibus, & in primis ficis, metunt fruges mense Martij & Aprilis: fidem habent nullam, nec Deum norunt, sed alij alia idola colunt, solem nonnulli, & alij lunam, & planetas, superstitiose admodum idolis seruiunt: mulieribus quidem in promiscuum nõ utuntur, sed pro arbitrio ducunt innumeras: uirgines coniuges prius non accipiunt, quàm à principe deflorentur, & id apud eos ingens decus & honos ducitur. Verùm si quis forte argutulus diceret, unde hæc nosti? Id pro responso nobis erit, Incolas, uidelicet, conterminarum insularum quæ Christo parent, ex instituto uitæ cõsueuisse hos infideles crebris incursionibus lacessere, noctu præsertim: & ubi aliquando in congressu succumbunt infideles captiui ducuntur sexus utriusque, qui sic capti in Hispaniam mittuntur, hæc nos docuere. Vsu euenit aliquando, ut è nostris corripiantur aliqui, quos Canarij ad contumelias seruant, & ut publico sint ludibrio, lanij officio fungi eos cogunt, eisque exenterandis bobus & suibus addictis, quod apud eos ignominiæ specimen & dedecoris ducitur magnum: tantisper captiuitatem tolerant, donec permutatione aliqua redimantur. Seruant etiam alium morem Canarij inaugurandis principibus. Nam quum sceptra suscipiunt, complusculi sese offerunt certatim in memoriam & honorem noui principis morituros, & sponte quispiam uitam deuouet: congregantur propterea in ualle deuexa, & ibi peractis nõnullis cerimonijs, ac prolatis uerbis quibusdam, ille qui sua morte festũ principis est exornaturus, se dat è rupe præcipitem, perinde ut ferè in frusta concisus examinetur. Pro qua re quoniam fit in gratiam principis, debet princeps superstitibus agnatis defuncti, prosequiturque eos beneficijs, ac fauoribus innumeris. Hunc morem licet ipsimet improbent, seruant tamen, & pro comperto

Leucæ Hispanæ

Adamas miræ altitudinis

A comperto habemus uerum esse quod retulimus: saliunt mirum in modum agiles supra quàm referre queam, instar funambuli & petauristæ corpora librant, & ut hinuli de saxo in saxum migrant, licet multum distent, & id nudis pedibus: lapidem iaciunt ultra aliorum iactum, & quicquid pro scopo ac signo dederint, nusquam aberrant: uim maximam ac propè incredibilem lacertis inferunt, adeò ut uno uel altero ictu umbonē infringant. Memini dum illic agerem uidere è Christianis Canarijs quendam hoc ludicri genus agentem: conditionem proponebat, propositamq; sanciebat pignore, uiris tribus mala Assyria duodena dabat, ut omnes ea iacerent in eum, nec propius accederent quàm ad octo uel decem passus, aberraturos omnes adseuerabat: nec ipse eorum poma medica tangere uolebat, nisi manu repercutiēdo, alioquin inanes illorum iactus futuros prædicabat. Ille uero duodecim sumebat, & in uiros prædictos uibrabat, nullo aberrante. Abnuēre conditionem omnes, quandoquidem probe nouerant quantum præstaret corporis dexteritate, nec eos latebat ipsum etiam plura facturum quàm iactauisset. Hæc summa est igitur, ipsos Canarios mobilitate ac agili natura ferè omnes anteire mortales. Hi etiam eximium cultum censent, herbarum succo tingere corpora colore multiplici, modo Puniceo, prasino modo, nonnunquam Veneto, aliquando cæruleo, & nihil cultius ornatius'ue ducunt colorum uarietate, & hęc pictura est eius ornatus apud eos, cuius ornatiores uestes apud nos sunt. Ex his insulis igitur Canarijs, duas ego Aloysius præsens inuisi Generam, uidelicet, & Ferrum. Palmæ quidem applicui, uerum nusquam classem deserui, ut cœptum iter consummarem.

Descriptio Capitis Albi cum insulis proximioribus.

CAPVT IX.

Soluimus ab hac insula flante Austro Aethiopiam uersus, & breui peruenimus ad id loci, cui Capiti Albo nomē est, abestq; à Canaria miliarijs fe-
B rè septingētis septuaginta: & illud præsertim est sciendū, quòd qui à Canaria insula ad Caput Albū proficiscuntur, hi litora Africæ nōnihil deserunt: quoniam qui Austro ducūtur, ad læuam Africā relinquūt, quantoq; magis quis ducit naues in altū, tanto minus continentis uidet, quia Canariæ insulæ plurimū absunt ab litore Africæ Occidentē uersus. Igitur nautæ tamdiu absunt à litore dum nauigant, quoad ultra medietatē itineris peregerint, quo insula Canaria à Capite Albo abest: & demū obliquant ad læuam tantisper, donec Caput Albū speculentur à longe, ne prius appellant terrā, quàm eminus explorauerint: quoniā ultra dictū caput nihil nisi uastū mare cōspicitur, quoad peruenias ad id litus, ubi cum dicto Capite fit sinus, qui dicitur Forna Dargin, cui ab insula quadam sinus eiusdem dicta Dargin, nomen inditum est: quod quidem nomen habet originē à parua insula in eodem sinu sita. Intra sinum per milliaria quinquaginta, & ibi etiam tres insulę, quibus indita sunt hæc nomina à Lusitanis: primam Albam appellarunt, quia arenis strata est: alteram Garzararum insulam, argumento, quòd Lusitani qui primo coluerunt eam, magnam marinarum auium copiam ibi nacti sunt, adeò ut inde duas naues onustas omni genere auium in Hispaniam duxerint. Tertia insula Cori dicta est: & hæ tres insulæ paruæ sunt admodum, arenosæq; ac desertæ. In illa quæ dicitur Dargin, aqua potu dulcis inuenitur, in alijs uero nō nisi marina. Et signanter animaduertendum est, quòd hi qui à freto Gaditano soluunt, & uersus hanc Aethiopiam, quę Austrum recipit, tendūt, nihil culti reperiunt, etiam à Barbaris, donec ad id loci uenias, qui Caput de Chantin dicitur, & ab eo uersus Caput Album semper à latere, & tunc tellus arenosa, quæ est deserta, & Septentrionalem partē respicit, præsertim eam, quæ montibus adiacet, quæ est nostra Barbaria citra Tunetum, & loca illa omnia à latere: quos quidem montes Barbari appellant Sarra, & uersus Austrum contermina est Nigritis Aethiopiæ inferioris: uasta est hæc regio, adeò ut si ex transuerso metiaris itinere dierū sexaginta uel celeris ueredarij, haud conse-

Forna Dargin

Dargin

Nigritis regio

quaris magnitudinē: nō seruat tamen uastitatē hanc undequaq;, & Oceano alluit ab altera parte: quæ tota est alba & arida, ac plena arenis, depressa est, nec inæqualis, & usq; ad dictum Caput Albū, miram præ se fert æqualitatē. A

Caput Album Inuenerunt Lusitani primo hoc Caput Album, & in eo nihil præter arenas, nulla herbarū aut arborū uestigia: uisu tamē est conspicuū, quia triangulum repræsentat: nam in fronte efficit pyramides tres, quę singulę inuicem absunt miliario. Id latus totum scatet piscibus omnium generū, nec nostris minoribus, forma tamē dissimilibus. Totus is sinus Dargin, & illa fere omnis regio indiga est aquarum, & ibi arida & petrea tellus, & paulopòst uastum æquor, & aquarum concursus ingens: nec sulcant hoc mare, nisi interdiu explorantes contis scopulos, qui ibi sunt frequentiores: ob id quandoq; obrutæ sunt naues duæ secus aridam hanc. Et sciendum est, quòd dictum caput de Chantin uersus Austrum & Septentrionem Caput Album respicit. Et notandum,

Hodenum quòd post dictum Caput Album in mediterraneis est locus, quem Hodenum appellant, introrsus situs ad diætas sex, & is locus nullo muro clauditur. Sed est diuersorium Arabū, & statio Camelorum, quò appellunt Arabes & Dromedarij, quos uocant Carauanas, quæ de Sambut ueniunt: & etiā illac transeunt, qui ab Nigritis proficiscuntur, & nostras Barbarias inuisunt. Eius re-

Nigritarum mores gionis incolæ uiuunt ordeo & cariotis, quibus ubertim abundant: alibi etiā in suis locis crescunt prędicta, sed parcius: potus illis camelorum & aliorum animalium lac, uino prorsus carent. Boues fœminas habent & capras, uerū paucas, id efficit sterile solum, & minime herbidum: boues sunt parui, si nostris conferatur. Mahumetē colunt, & odere Christianos plurimū: nunquam quiescunt, uagantur semper per deserta. Hi Nigritarum terras adeunt, & nostras Barbarias uisunt, frequentes sunt, & Camelorū copiam ingentissimam habent, quibus comportant æs & argentum, & alia quamplurima. E Barbarijs nostris in Atanbut, & ad Nigritas præfatos: inde uero exportant aurum, idq; ad nos aduehunt. His est colos niger, uestis alba, lacinijs rubricantibus, absq; tunica interiore uestiuntur: eodem habitu & mulieres utuntur absque camisijs, ut præfertur. In capite more Maurico peplum gerunt, quo circūuoluunt caput. In his arenosis locis uisuntur leones, & pardi, struthiones quoq;, quorum oua ego comedi non insuauiter. Id est etiam sciendum, quòd princeps infans Lusitanus prædictus in hac insula Dargin pactum fecit hoc modo, ut nemo sinum intret mercaturus aliquid cum Arabibus, præter eos, qui fœdus inierūt, & dictam insulam incolunt: & qui cōuenerunt cum principe, in dicta insula negociatores assiduos fouent, qui cōmercia exercēt cum Arabibus, qui hæc maria mercium gratia frequentāt, quiq; uarias merces important, ut sunt panni, telę, argentū, tapetes, & id genus alia, & in primis triticū, quoniam fame propè iugi laborant, & cōmutant mancipia cum nostris mercibus, dant etiam aurū. Qua de caussa princeps infans illic oppidum erexit, ubi fabri quamplurimi degunt, ut hæc cōmercia non desinant, sed perpetuo conseruentur: ob id propterea annis singulis eò contendunt Lusitanæ celoces, id est, ad Dargin insulam, ducūt etiam Arabes equos pernices, quos Barbaros appellant, pro quibus ab eis Nigritarum seruos & uernas accipiunt, nec minore pretio eos uendunt equos quàm decē aut quindecim mancipijs. Eò etiā, uidelicet, ad Nigritas plura ex serico elaborata contextaq; Maurico more, argentum & alia pleraq; comportant ex Illyberi, id est, ex Granata Hispaniarum ditionis, & Beticæ regionis. Afferunt etiam plura ex Tuneto Africæ minoris, quod Barbariæ regiā appellāt, & pro his omnibus rursus mancipia, & auri copiam maximam consequuntur. Hi serui primò appellunt stationes Hodeni, & inde ad montes Barchæ, illinc in Siciliam deueniunt: residuum uero uernarum ad insulam Dargin ducunt, & Lusitanis uendunt, illis, inquam, qui cum rege de mercimonijs conuenerunt, fitq; propterea, ut Lusitani quotannis mancipiorum circiter mille ex Dargin aduehant secum, & id illis magnum cōmercium: nec hactenus, nisi à diebus paucis, inter eos B

com-

A comercia fiebant. Nam prius Lusitani infensi erant his Arginensibus, & eorum sinum ternis uel quaternis nauibus infestabant, & aliquando noctu mediterranea deprædabantur, & uicos piscatorum aggressi, plura asportabant, & gentis Arabum sexus utriusq; quamplurimos captiuos trahebant, qui tandem in Lusitaniam ducti sub hasta ueniebant: pari modo alterum latus ultra Caput Album deprædabantur usq; ad flumen Senegæ.

De regno Senegæ, & Azanegis populis. CAP. X.

SEnega flumen est, quod Azanegos à primo regno Nigritarum distermínat. Azanegi homines sunt qui inter nigrum & subcinericium colorem sunt dubij, incolunt quædam loca ultra Caput Albũ in latere illo quod mox post Caput prædictum decurrit, & introrsus per deserta: plures ex Azanegis contermini sunt Arabibus Hodeni. Hi uiuunt ordeo & cariotis, & camelino lacte: uerùm quia proximiores sunt regno Nigritarum, leguminibus aluntur: pauci sunt admodum cibi, adeò ut polline ordei, uel minimo pulmento totam diem alacres uiuant: efficit eos inediæ patientes annonæ caritas. Hos aliquando captiuant Lusitani, uenduntq; pro mancipijs domi: præstant hi seruitute uernas fere omnes, præsertim Nigritas. Vtcunq; sit, ab annis paucis rediere nostri Lusitani secum in gratiam, & à ui temperãt omnes, & commercia inter eos magna fiunt, nec patitur princeps infans, ut eis de cætero inferatur iniuria, autumat eos propediem subituros Christianã legem: nam in biuio & ancipiti adhuc hærent, utrum legi nostræ, an Mahumetanæ seruitutem exhibeant, nihilq; de lege huiusmodi apud eos agitatum erat, nisi Azanegi eos edocuissent. Et hi Azanegi prauum morem seruant. Fascia linea caput inuoluunt, demisso sindonis capite per frontem, ita ut os totum cooperiat: pudet enim eos oris æque ac inguinis uel cunni: os tectum ut rem pudendam circunferunt, argumento quòd ueluti sentina quæpiam halitum tetrum semper emittat, nec detegunt nisi sumendi cibi gratia. Principes non

B habent, uerùm locupletiores inter eos eminent, his obediunt & obsequuntur. In uniuersum pauperes sunt, mendaces, & suprà quàm referre possim, proditores. Mediæ sunt staturæ, capillum calamistro exornant ut Alamanni, promittuntq; plurimum, illudq; nigrum adipe piscis inungunt, & olent pessime, quod apud eos uirtus & honos ducitur.

Commutatio salis & auri, deq; distantia.
CAPVT XI.

MAgnifaciunt etiam hi populi præpingues & obesas mulieres, & in primis proceriores mammas habẽtes: propterea ubi annum circiter septimum & decimũ attigere, rumpũtur eis ui à uiris mammæ fune per medium, perinde ut fere à pectore auulsæ pensiles remaneant: quũ uerò semel peperérint, longiores fiunt, & uisu fœdiores turpioresq;: neq; hi alios nouere Christianos nisi Lusitanos, qui annis circiter quatuordecim eis multas clades intulere, captiuos ducendo plurimos, hastæ demum ut mancipia eos subijcientes. Pro comperto etiam id habemus, quòd ubi hi populi primo Liburnicas & alias id genus naues conspexere in mari uelificãtes, antea illis incognitas & inuisas, arbitrati sunt aues esse albis alis aëra scindẽtes, è remotiorib. partibus aduentasse. Quũ aũt uela deprimerent, ut appellerent litus, credebant pisces esse: eminus uisis nauibus, nonnulli censebant fore phantasmata quũ noctu sulcarent maria: & erant hæ naues eis terriculamenta non mediocria, utpote quæ modo huc, modo illuc distrahebantur, instar phantasmatis alicuius ui uentorum ductæ, uarijsq; in locis eis inferebantur damna à nautis, noctu in primis, quũ tamen inter se celoces abessent per milliaria propè centum, prout conuenerat inter naucleros, & ut uentorum ratio patiebatur, huc atq; illuc pulsæ: sicq; intra se ratiocinabantur, si hi essent mortales homines, quonam modo quirent tantum itineris nocte una metiri, quantum nos nec triduo absoluimus prorsus nauigationis expertes. Itaque loco phantasmatis apud eos ducebamur. Huius rei certiorẽ me fecẽre ex Lusitanis quãplures,

qui

quí per id tempus ea litora frequentabāt commercij gratia. Accepi etiam id A
à captiuis, qui ferè per eadem tempora capti fuerāt, ex his teſtatū fuit nobis,
quàm ſtupidi ad rerū noſtrarum conſpectum fuerint, quando de nobis talia
ſtolide ſibi perſuadebant. Supra etiam ſtationem Edon introrſus ſex dierum
Tagaza itinere locus uiſitur, qui denominatur Tagaza, quod noſtri interpretātur au
ri ſarcinā. Vnde aduehitur ſalis petrei ingēs copia, id aſportatur camelis A-
rabum & Azanegorū uaria loca petentiū: nonnulli Tambuto iter faciūt, &
Amelum contendunt ditionis Nigritarū: quò ubi applicuere, mox ſal omne
expediunt, utputa octauo die: quicquid aduectū eſt ſalis uenditur prope Mi
tigallum, CC. uel CCC. demū ſuas repetunt caſas auro onuſti. Et id in primis
Regnum Mellis eſt ſciendū, hoc regnū Mellis caloribus infeſtari, ut ferè quadrupedia omnia
illic fathiſcant, quū nihil pabuli ibi pro quadrupede creſcat niſi peſtilēs: fitq;
propterea, ut ex centum camelis qui eò onera ferunt, nō redeant triginta do-
mum: hinc quadrupes ferè nullū uidebis, ibi pereūt omnes æſtu nimio. Ara-
bes etiam & Azanegi illic correpti morbo efflant animā: ægritudinē parit
torrens ſydus, cui ſubſunt. Ferunt etiam Tagazam à Tambuto abeſſe itine-
re dierū quadraginta equitis unius: & inter Tambutum & regnū Mellis iter
triginta dierum intercedit. Percunctatus ſum etiam hos quomodo mercato-
res regni Mellis tantum ſalis conſumant. Referebant Mellitæ nonnihil con
ſumere in regno ſuo Nigritarū, quoniam uerſus Meridiem poſiti, non longe
ab æquinoctiali, ubi dies cum noctibus ſemper propè certant de pari: lon-
giuſculi tamen dies, quoniam illorū Zenith de directo non eſt ſub æquino-
ctiali, non enim eſſent in Meridie. Sunt itaq; ultra æquinoctialem nonnihil,
& ideo plus diei quàm noctis habent, & ibi feruentiſſimus æſtus. Fitq; pro-
pterea, ut ſtatis anni temporibus eorū ſanguis inficiatur, adeò ut ni ſibi ſale
mederentur, protinus exuerēt uitam. Modus medendi hic eſt: Salis modicū
aqua liquefactum ſingulo die hauriunt, & hoc eis pro medicina & remedio
præſentaneo. Reliquū uero ſalis in glebas diminuunt tantillas, ut uiri unius B
humeris ſingulæ ferri poſſint, arte quadam ad id non inepta, uſq; ad regnum
Mellis, quò quum uenerint, ſingulis camelis duas ſalis glebas imponunt: &
id quadrat oneri, uidelicet, ut ſingulis camelis duæ ſalis glebæ imponātur: &
poſtremo in regno Mellis Nigritæ, qui Mauri nigri uulgo dicuntur, rurſus
id onus ſalis capite portant, ut priui priuas glebas ferant, numeroſiores adeò
ut propè ferentium uideatur iuſtus exercitus hominum peditum, qui per ua
ſtum iter ſalem humeris conuectant. Et hi pro leuamine laboris, & feſſorum
ſolatio, tridentibus quibuſdam utuntur humi infixis, quibus ſalem feſſi im-
ponunt tantiſper, donec uires reuocauerint. Hoc modo ſal prædictum adue-
hunt uſq; ad quoddam flumen, cuius naturam non ſum percunctatus, an ſal-
ſum uel dulce eſſet: nec id ab re dixerim, quoniā æquor creditur à multis. Et
his Nigritis operæpretium eſt ſic ſalem ſuum conducere, quoniam quadru-
pedibus ferè omnibus carent: id ſoli efficit iniquitas, quod aut parū fert her-
bæ: aut ſi fert, id totū eſt peſtilens, ut præfeci. Hinc nō difficulter colligimus,
quàm frequentiore hominum uehentium ſalem cœtu opus ſit, quum tantum
ſalis conſumant. Quū uero applicuerint ad id flumen, quod mare propè cre-
ditur, qui ſalem detulerunt, ſinguli ſingulos ex ſuo ſale monticulos erigūt: &
ita diſponūt, ut alter alteri ſuccedat continenter recto tramite, & unuſquiſq;
quopiam ſigno ſuum aceruum inſignit, & demū recedunt omnes itinere me-
Permutatio mercium diæ diei. Vbi igitur receſſere, aduētant alij Nigritæ, qui cognoſci nolūt, neq;
aliorum colloquia admittūt, & accedunt cū ſuis Liburnicis, ac nauibus gran
dioribus ab inſulis quibuſdam, & litus appellunt, uiſoq; ſale, pondus quod-
dam auri prope aceruum ſalis ponunt, prout ſibi congruere cōmercio uide-
tur: nec ab æquitate abſonum, & mox recedunt, ſalem & aurum relinquen-
tes. Nigritæ uero qui itinere mediæ diei receſſerant, rurſus redeunt, & unuſ-
quiſq; ſuum aceruū uiſit, & ubi aurum dimiſſum placuerit, auferūt, ſalem re-
linquentes, & abeunt non reuerſuri: ſi uero conditio auri relicti nō placuit,
utrunq;

A utrunq; dimittunt, uidelicet aurum & salem, & iterũ abeunt infra prędictum tempus reuersuri. At Nigritæ qui cognosci nolunt, rursus accedũt, & eos aceruos à quibus sublatum aurum uiderunt, auferunt: aut eis quibus adhuc relictum est aurum, addunt nonnihil auri: uel suum aurum (si ultra addere non libet) asportant, sale relicto. Et hoc modo sua commercia exercent, ut alter alterum non uideat uetere instituto. Et licet id forte à fide deuiet, utpote nõ credendum: illud tamen pro comperto habemus, quoniam à fide dignis est acceptum, à negotiatoribus in primis.

Quomodo Imperator negotiatorem quendam cognoscere uoluit.

CAPVT XII.

NOueritis igitur me aliquando negociatores Nigritas regni Mellis percunctatum fuisse talia, quur princeps eorum, qui & diuitijs & regno pollet plurimum, non nauasset operam ui uel amore, ut tandem aliquando sciret, quæ nam gens esset, quæ hominum forma, quod idioma, qui mores forẽt illorum, qui cognosci nolebant: id habui pro responso, Principem suum iam pridẽ hoc conatũ fuisse, ut cognosceret hos Nigritas, & excogitauisse talia, ut hos caperet: adseuerabant ipsum, uidelicet, habito cõsilio, tempus aduentus prędictorum obseruauisse, quò consueuerãt cõmercij caussa accedere ad litus, & per nõnullos dies præuenisse eorũ aduentum, dispositis insidijs hoc modo: iussit nonnullis è suis priusquã mercatores qui Carauanã ducunt, aduentarent, ad id loci accederent, ubi salis & auri permutatio fiebat, & effossa humo caueas struerent, in quibus ad tempus tandiu delitescerent, donec ex Nigritis, qui cognosci nolunt, aliqui aduenirent, aurũ deposituri pro sale: & demùm erumperent impetum facientes in eos, tres uel quatuor caperẽt, adseruarentq; diligentissime, & ad principem ducerent regni Mellis. Et ut paucis expediã, successit principi ut disposuerat: cepere quatuor, reliqui fuga sibi cõsuluere: & ex his quos ceperãt tres missos fecerũt, rati satis ac super fore, si unus ad principẽ duceretur gratia gentis cognoscendæ, ne Nigritæ
B indignabundi succenserẽt, & temperarent demũ à cõmercijs. Capto itaq; Nigrita, ac adducto ad principẽ, adhibiti fuerunt quàmplurimi uaria idiomata callentes, alij alia lingua captum interrogantes, ut eius linguam explorarẽt. Is uero captus ad omnem sermonem conticuit, & nusquam est loquutus, nec cibum sumpsit unquam: triduo solum uixit. Quæ res regni Mellis Nigritas in eam opinionem adduxit, ut credant eos populos usu loquendi carere, & suapte natura mutos esse. Alij rentur id euenisse ex indignatione, quòd uidelicet, proditi fuissent. Retulere hæc principi ægre ferẽtes, quòd nequiuissent principis desiderio facere satis. Animo iniquo tulit princeps, & enixe auideq; percunctatus est suos, quæ hominũ forma esset. Responsum est illi, uiros esse nigerrimos, & proceros adeò, ut suam staturã plus palmo excederẽt: & inter cætera referebant eos labrũ inferius promissum ad pectus usq; habere, rubrum & introrsus exulceratũ perinde ut sanguis exeat, superius uero paruum instar nostri: fiebatq; propterea, ut dentes omnes apparerent, quos habent nostris grandiores, duos etiam habent hinc & hinc reliquis eminentiores: lumina uero prominentiora, eademq; nigra, torui aspectus admodum: ferunt etiam gingiuas ut labrum sanguinẽ emitteret semper. His uisis principes reliquos pœnituit facti huius, nec deinceps gentem huiusmodi infestarunt, quoniam ob unius mortem reliqui desiere mercari triennio, quod cedebat in damnum eorum. Nos autem censuimus eis sic labra putrefieri ob ardorem torridę plagę: & quũ sale sibi medeantur, nequiuere diutius sustinere quin rursus ad institutũ uetus redirent, quum sale carere non possent. Igitur rediere elapso triennio, & ex nostris incõmodis & ægritudinibus metimur suas infirmitates: nec noster princeps magni facit loquãtur uel ne, modo emolumentũ ab his sentiat. Id est totũ quod à multis accepi eius regionis incolis: & quoniam plures hoc adseuerant, nõ difficulter adduci possumus, ut multis credamus. Ego quidem quantum in me est, hæc & alia non impossibilia

bilia credere uolo, quum ex usu multarum rerum plura didicerim. Id igitur aurum aduehitur in urbem Mellis, & ibi tripartitur, partem qui Carauanam ducunt, iter per regnum Mellis agentes, Cochium uersus Siriam ferūt: duas uerò partes residuas Carauana ex Melle aduehūt Atambutum, & ibi rursus diuiditur, partem ducunt ad eum locum qui dicitur Ato, & inde Tunetum Africæ minoris, quod est Barbariæ caput, & Regia per superius latus ad Oceanum, aliam uero partem deferunt ad illum locum qui dicitur Hodenum, ut suprà memorauimus, & illinc ad Hona & portum Orarani, qui dicitur à Barbaris Marsacubi, à Latinis, Portus magnus. Loca sunt Barbariæ in Mauritania, non longe à Gadibus è regione Illyberis, idest, Granatæ: aduehunt & aurum à Fezes, & Amarum, & Choos, & Argis, & Azafi, & Amesa loca Barbariæ extima, idest, extra fretum Herculeum: illò cōtendunt Christiani, præsertim Italiæ, empturi aurū, multiiugas merces aduehentes. Et ut eò congrediar unde sum digressus: aurum prædictum quod aduehunt ab dictis Azanegis siue subcinericijs cunctis mercibus præstat: quoniam illud aurum aduehitur Hodenum, ut præfeci, ad litus maris comportant, & ibi Hispanis uendunt nostris. Propterea Hispani frequentant insulam Dargin, & ibi ferè iugiter habitant commercij causa. Apud hos subcinericios populos non signatur aurum, neq; argentum, neq; cuditur aliqua moneta, sed res permutāt, ac alteram pro altera suscipiunt, dantq; uicissim, & hoc modo uitam ducūt. Accepi tamen à nonnullis introrsus apud Azanegos & Arabes eam monetam, quam Lusitani expendunt esse in usu, monetam, appellant mitigal, ualoris unius nummi aurei. A

Viri honorabiles ac diuites, & ibi mulieres & arma.

CAPVT XIII.

QVi hæc deserta incolunt, hi regem non habent naturalem, deferunt tamen plus honoris ac reuerentię uni quàm alteri, colunt præsertim locupletiores, & hi maiores habent fautores: ut etiam usu apud nos euenit pluribus in locis, & licet diuites sint, maiorq; ad eos hominum frequentia palpi & assentationis ut assolet, gratia eat, non sunt tamen principes. Mulieres ibi subcinericiæ, ueste cotonina utuntur. Id genus uestis mittunt Nigritæ. Vestes etiam habent quasdam, quarum in superioribus iam meminimus, Alchizel appellant, tunicis interioribus, idest, camisijs non utuntur. Armorum genus apud eos hoc est: non enim habent arma quæ ad defensionem induāt, ut nos thoracem, & loricam, quoniam nullo alio euitant, ac propulsant uim illatam quàm clypeo: hastas igitur habent longiusculas, easdemq; leuissimas, & tela: non tamen ut nostra uibrant, equis insident ut Mauri: sed non multos fert regio deserta, quoniam herbidi soli non est. Nequeūt propterea multos equos alere, fit etiam iniuria candentis syderis, idest, flagrantis solis, ut prope sit exusta. Aquarum est indiga, inde proueniunt tot incommoda, uidelicet, sterilitas ferè rerum omnium: ubi tantum ternis pluit mensibus, uidelicet, Augusto, Septembri & Octobri. In eisdem etiam regionibus numerosissimam locustarum multitudinem aera uidimus inumbrantem: nam ferè singulis triennijs aduentant, & cœlum obscurant, cateruatimq; uolitant, & ubi terras cooperuerint, corrodunt ferè omnia, adeoq; sunt frequentes, ut spatio miliarium xij. cœlum inumbrent: rubent, & maiores sunt caualetis, non apparent nisi triennio uel quatriennio semel: quæ si quottannis aduenirent, corrosa ac deserta iam forent omnia: ego aliquādo eas uidi cateruatim supra mare uolitare, numerus erat propè infinitus. B

De sinu Senegæ, disterminante harenosas terras à feracibus,

CAPVT XIIII.

POstquam dictum Caput album præteriuimus, illud semper contuentes, nostro itinere peruenimus ad flumen, quod sinum Senegæ appellant: illud enim est præcipuum flumen regionis Nigritarum introrsus per hoc latus. Disterminat itaq; flumen prædictum Nigritas à uiris subcinericijs dictis

Azanegis:

A Azanegis: separat etiam aridam & sterilem tellurem, hoc est, desertum ab irrigua & feraci terra Nigritarum. Quod quidem flumen patentioris est aluei, ostiumque habet spatio unius milliarij: altissimũ est, & rursus aliud ostiũ: demum efficit in umbilico insulam, & deniq; ostijs duobus exonerat in mare: tunc uidebis breuia, ut in syrtibus harenis obductis, quæ abacos & scamna præsentãt introrsus mare ad miliare: singulis sex horis crescit & decrescit instar flantis & reflantis Oceani: & ubi reuomit aquas, tanta ui immittitur, ut flumen retroagat ad sexaginta milliaria, ut retulerunt Lusitani, qui id coram conspexere aliquando flumen ingressi: at si qui dictum flumen ingredi uoluerint, eis operæpretium est cauere à breuibus, & harenis obductis, ne immergantur, quoniam præbent speciem solidæ telluris, & tamen tactæ fatiscunt, & in uagam harenã dilabuntur. Id etiam est notandum, dictum Caput album abesse ab hoc flumine milliarijs fere cccxxx. & totum litus harenosum cernitur usq; ad ostia fluminis introrsus per milliaria uiginti, & appellatur latus De ante rota, ditionis Azanegorum populorum subcinericij coloris. Id ante omnia miratu dignum est, quòd trans flumen memoratum, homines sunt nigerrimi, & proceræ staturæ, ac habilissimi corporis: & omnis illic regio uiret, ac uernat pomiferis arboribus referta. At citra fluuium contrarias uices cernas, uidelicet, homines subcinericij coloris, staturæ contractioris: hoc flumen ferunt à Nilo deriuari, è quatuor præstantioribus fluuijs uno: easdem uices habet cum Nilo, ut ille Aegyptum, ita hic Aethiopiã reddit irriguam. Nam Nilus Babyloniam præterfluens totam Aegyptũ madefacit. Hoc flumen alios amnes emittit, & præsertim eum quem Senegæ appellant, & magna sunt flumina, totum latus Aethiopiæ irrigant, cuius tamen latius in sequentibus meminisse est animus: huius etiam commeminit Plinius libro quinto Naturalis historiæ.

Qui principes ad latus Capitis uiridis regnent.

B CAPVT XV.

Regio horum Nigritarum, qui primo loco regnum Senegæ obtinent, hi sunt in introitu regni Aethiopiæ, & omnis terra dicitur inferior, uulgò dicta terra Bassa, complures populi accolunt prædictum fluuium, uocantur Zilophi, & ulterius per spatium immensum omnis regio dicitur terra Bassa usq; Achiaridam, & transflumen. Si tamen Caput uiride excipias, ubi tellus est eminẽtior, quàm in toto latere ad milliaria fere cccc. ultra dictum Caput uiride. Citra uero per milliaria fere centũ omnis terra est litus patẽs, depressius tamen. Noueritis etiam hunc regem Senegæ quum illic agerem, appellatum fuisse nomine Zuchalin. Ibi enim multiplices sunt principes, nos regulos nuncupamus, qui aliquando zelotypia regni conspirant, & regẽ quẽ libuerit præficiunt, clarum tamen stirpe, & eum precario dominari uolunt. Nam quum eis non est complacitum, exauthoratum è regia sede detrudũt: nonnunquam rex huiusmodi effectus potentior exurgit in electores, & inuicem digladiantur. Non est tamen firmum regnum, neq; perennat, ut in Syria Soldanus. Nam assidua expectatione pendent, ne regno priuentur: Lis est tamen de paupere regno. Inopes sunt admodum fere omnes, quibus reges dominantur: nullas urbes habent, rusculа uero, & mapalia citius quàm domos, quandoquidem calcem non habent, qua parietes ferruminentur, carent lapidibus, & angusta est regio: utpote, quæ à latere milliaria cc. non excedit: Mare autem introrsus tantundem, ut mihi relatũ est: latitudine etiam uix dictam mensuram excedit. Rex igitur eorum redditus non habet annuos: uerùm tributa pendunt reguli illi quotannis: efficit hoc metus, ne indignationem regis incurrant. donant regem equis, qui illic magni penduntur ob raritatem. Carent etiam phaleris, & omnibus equorum instratis. Rex etiã donatur quadrupedibus alijs: bobus fœminis, capris & legumine multiplici. His uictitat rex eorum, adijcit tamen ipse ad hæc multa: deprædatur complures, surripit mancipia conterminis ui uel amore, sibi uictum parat:

mancipia uerò nonnulla culturæ addicit, alia exponit mercatoribus Azanegis uenalia, qui eò contendunt caussa commercij: equos præsertim adducũt, uendunt etiam Christianis, postquam consuetudinem habent cum Nigritis: huic regi licet tot ducere uxores quot uoluerit. Itidẽ regulis licet, & indigenis omnibus, modo alere queant: nulla lex matrimoniũ multiplex prohibet. Rex uero suppra xxx. uxores semper habet: plus tamẽ unã quàm alterã caripendit. In his tamen ratio stirpis habetur maxime: quoniã quæ loco præclaro sunt ortæ præstãt cæteris. Rex itaq; hanc uiuendi consuetudinẽ seruat: uxores suas ruri alit, & adseruat hoc modo: nam singulis coniugibus agros, & latifundia armentaq; impartitur pro earũ uictu, mancipia etiam & ancillas elargitur eis. Mancipia agros colunt, & alia nauãt, quæ ad rẽ familiarem spectãt. Habẽt boues tã mares quàm fœminas, quibus arant tellurem: quum uero usu uenerit, ut rex rus cõcedat, diuertit pro arbitratu ad quamcunq; libuerit: singulæ uero terna uel quaterna obsonia deferunt, adeò ut ipse rex & omnes aulici qui cũ eo proficiscuntur, uiuant dictarũ regis uxorũ expensis. Nã uidebis singulo mane innumera mancipia dapes multijugas ferentia ad principẽ, quæ omnia Condo adseruãda dãtur. Condus uero Promo, hic uero Parocho per gradus subministrat, perinde ut paruo temporis interuallo prope dapes innumeræ aduehãtur. Quum aũt complacitum regi fuerit discumbere, seligit ex his obsonijs quæ uoluerit, reliquum tribuit aulicis, uerũ uix unquam eximunt edendi amorem, esuriunt semper, & nunquam saturi, modo huc, modo illuc regem sequuntur, aliena semper impensa. Nec quicq; pensi habet rex, quib⁹ sumptibus, & se & suos alat, huius rei cura spectat ad alios. Cum uxoribus uices alternat, modo hanc, modo illã comprimit: hinc natorum infinitus prope numerus: quoniam ubi à se compressam mulierem pregnantẽ senserit, aliam aggreditur. Hunc etiam morem et reguli seruant.

Vxorum uariatio regum.

Nigritarum habitus & fides. CAPUT XVI.

MAhumetem primi Nigritæ colunt: non tamẽ adhuc pertinaces sunt in ea fide ut Leuco Aethiopes, quos Mauros albos appellant, præsertim gregarij: principes uero tenacius colunt Mahumetem. Quippe qui sentiunt cum sacerdotibus Azanegis & Arabibus, qui principes legẽ huiusmodi docent, & his argumentis persuadent eis legẽ colendã, quod, uidelicet, sit absonum, nec principis ordini consentaneũ, ut cũ uulgo imperitiore nullũ deũ colant: fitq; propterea ut nõ difficulter principes adducãtur ut credant Mahumeti: quoniã aliorũ gentiũ consuetudinẽ nesciũt: sacerdotes tantũ, ut præfecimus, Azanegos & Arabes nouere fidei magistros Mahumetanæ. Vbi uero cœpere uersari cum Christianis, & nostram fidem à nostris sanctiorem extolli, & prædicari eximie audiuere, minus Mahumeti credũt, nostris oblectantur moribus, & arguunt fidem nostrã esse sanctiorẽ, & meliorem ob id quòd sumus ditiores ac locupletiores illis: exemplum sumunt ab his mortalibus ad æterna, addentes nos summopere à nostro Deo amari, argumento quòd tot diuitias largitur suis, eosq; tot animi ac corporis dotibus honestat: nec posse legem huiusmodi, nisi à bono conditore proficisci: nihil minus legem suã nõ deserunt, licet & nostrã probent, aiuntq; in utraq; lege utriq; locum esse salutis. Habitus istorũ talis est, Nudi propè incedunt, nisi quòd pro subligaculis corio caprino utuntur, hoc pudenda cooperiunt. At principes & locupletiores omnes camisijs cotoneis utũtur, quoniam regio pannis huiusmodi abundat, & ex filis mulierum pensa fiunt: nam filũ nent, & pannũ largiorẽ palmis binis efficiunt. Non fiunt ibi longiores panni, quoniam pectines non habent maiores, quibus texere queant. Insuunt propterea ternas uel quaternas telas simul, & tunicas conficiũt largas quidem, sed genua nõ attingentes, uixq; media tegunt brachia: fœmoralia etiam cotonina faciũt, nos brachas appellamus, siue subligacula oblonga, adeò ut tunicam talarem credas. Is habitus est latissimus, perinde ut ora eius pateant circuitu palmorum xxx. uel xl. & ubi uestem subcingunt, innumeras plicas efficiũt ob longitudinem

A gitudinem ac latitudinem habitus: nam sinuat instar sagi præcincti, aduerse & auerse, idest, retro & ante terram uerrunt ueste: & quũ sit res ridicula admodũ, ipsi tamen rem putant honorificentissimã: uari quoq; incedunt, idest, diuaricatis cruribus, instar micturientium mulierum. Percunctabãtur quando q; nos ipsi, an uidissemus unquam honorabiliorem habitum, quippe qui decẽtiorem in uiris non credunt. Mulieres partem corporis superiorem, id est, à capite usq; ad cincturam nudam circumferunt: inferiorem uero sindone usq; ad crura media cooperiũt: pedibus ambulant nudis, is mos est & uiris & mulieribus tam cõiugatis quàm nubilibus: aperto capite incedũt, torquẽ ex capillis agunt, & eo exornantur uiri æque ac fœminæ: uiri etiam pleraq; puellaria pensa exercẽt, nent enim, & pannos compurgant aqua. Ibi semper calores eximij, nec unquã magis algent uel bruma, quàm nos Aprili mense.

Viri habitu elegantes, sed uictu immundi. CAPVT XVII.

HVius plagæ homines corpora eleganter curant: nam ter uel quater singulo die aqua immersi lauantur, utpote qui balneis oblectãtur plurimũ: uerùm in culinis adeò immundi ac turpes, ut dum eorum concinnant obsonia & dapes, stomachum suscitent & nauseam: & earum præsertim rerum quarum prorsus sunt expertes, non solum sunt simplices, uerùm etiam stolidi: contrà, in illis rebus quas ex frequentiore usu nouere, ut nos, sunt accuratissimi: loquaces sunt admodum, adeò ut uix unquam desinant nugari: ante omnia mendaces ac fallaces, alioquin hospitales, quippe qui biduo ac triduo domi sua impensa hospitem libenter alunt.

Quomodo inter se concertent principes Nigritæ & regni Gambræ.

CAPVT XVIII.

HI principes Nigritæ sæpenumero inuicẽ digladiantur: pedites bella conficiunt, quoniam equis carent ob iniquitatem soli: nam ob æstus prope diuturnos uix ibi herba crescit qua alantur equi: loricas nec thoraces habẽt B quibus uestiantur ad bella, eis prorsus carent: uerũ clypeos & scuta ferè omne genus habent: ut uero hostem feriant, telis utuntur quibusdam quæ iaciunt ueloci dexteritate. Nam id præsertim callent, uidelicet, uibrare hastas, & iacere tela: his adfigitur acuminatum ferrum ad palmi mensuram, & mira arte fabrefactum, perinde ut quum quempiam sauciauerit, uix extrahi queat ni carnes lancinentur & atrociter concerpantur, ferro reluctante ex opposito: ut apud nos sagittarum sunt quædam genera: ferunt etiam enses & sicas quasdam more Maurico obliquas, fiũt ex ferro absq; calybe, quoniam in regione Gambræ Nigritarum ulteriore calybem non habent: & si forte habẽt id metallum, tamen effodere nesciunt. In bello etiam hastis quibusdam utuntur quæ lanceas præsentant, alia arma non habent. bella illorum sunt atrocissima, quoniam diloricati ut præfecimus, præliantur: hinc maxima hominum strages, audaces sunt maxime, utpote qui ultro sese periculis obiectãt, maluntq; in bello oppetere quàm terga dare, licet fuga sibi consulere queãt: nec eos perterrefacit sociorum clades, imò atrociores redduntur, mortem contemnentes, adeò assueuere prælijs ac bellis, & cladibus innumeris.

De eo quòd natant eximie, & de regno Senegæ. CAP. XIX.

HI naues non habent quibus maria tranent, nec eas uidere ab orbe condito, nisi postquam Lusitani illò sunt profecti: accolę uero fluminis utuntur cymbis quibusdam, quę humeris trium hominum deferri possent: his piscantur, & traiecto fluuio uaria loca petunt: sunt etiam isti Nigritæ natatores accerrimi, prout ex usu didici: & accepi ab nõnullis, qui ex lectione multiplici id didicere. Regnum Senegæ Nigritarum introrsus Orientem uersus conterminum est regioni dictæ Tuchmoræ: at uersus meridiem regnũ Gambræ contingit, ad Occidentem uero respicit Oceanum, uersus autẽ Septentrionẽ Nigro fluuio clauditur, qui ut diximus subcinericios populos disterminat à primis Nigritis: & id flumen prius per annos circiter quinq; quàm ego eò concederem, Lusitani nautæ iam explorauerant: qui quidem Niger flu.

Lusitani cum Nigritis pacem iniere, & fœdus maximum, adeò ut deinceps magna inuicem exerceant commercia: frequentarunt propterea regionem huiusmodi annis singulis naues usq; ad meum aduentum. A

Quas merces Aloysius Cadamustus permutauerit cum principe Budomeli Senegæ.

CAPVT XX.

TRaieci dictum flumen celoce mea, & tantisper nauigaui, donec deueni ad regionem quę dicitur Budomel, & is est principum titulus, & dicitur terra de Budomel, sicuti nos appellamus principum uel comitum regiones uario nomine. Quum igitur ad id loci perueni, immoratus sum illic nonnihil, quoniam idioma huius principis callebam, & ad id adducebar non difficulter, quoniam audiueram hũc principem esse candidissimæ fidei, & nemini imponere, magnæq; probitatis uirum esse, perinde ut tuto merces ad tempus huic uendi possent. Nam ad præscripta tempora ad unguem fidem seruare aiebant inconcussam. Quum igitur mecum adduxissem nonnullos equos, qui illic pretij erant non contemnendi, licet plerasque res alias detulissem, ut sunt ex lana panni & ex serico sindones more Maurico, & alia quamplurima. Decreui itaque apud principem efficere, ut eum locum adirem, quem ad Palmas dicunt, ditionis principis de Budomel, ubi non portus, sed statio uisitur: quò quum ueni, reddidi certiorem principem aduentus mei, internuncio Nigrita meo mancipio, iussiq; ut meo nomine illi omnia mea offerret, & equos in primis, quibus sciebam principem delectari plurimum. Vt ergo paucis expediam, Princeps memoratus certior iam factus rerũ mearum, adit nos equis xv. ac peditibus cl. comitatus, meq; commonefecit, an liberet terram appellere uidendi principis gratia, addebatq; me minime lusurum operam, nec me unquam pœniturum laboris suscepti, gratum animum eundemq; liberalem principem gerere. Quibus adductus litori applicui, & uisi principem, nec uidisse pœnituit, nam facta non dissimilia uerbis fuere: excepit me honorificètissime, post multa equos emit meos: & quicquid abs me desiderabat, mox est consequutus: fidi illi ingenue. B Rogauit me propterea ut secum irem in regiam suam, quæ introrsus est ad milliaria ccl. Pollicebatur enim inibi se equorum pretium persoluturum, hortatusq; est enixe, ut dies aliquot præstolarer, quoniam inter negotiandum conuenerat inter nos, ut centum mancipia pro mercibus daret. Abduxit itaq; equos cum phaleris & alio ornatu mercemq; plurimam, quæ omnia emeram ego non pluris quàm ccc. aureis. Decreui igitur secum ire, nec prius abiui, quàm ab eo perpulchra adolescẽtula donatus fuerim: nigra quidem erat, uerum formosa, & annum non excedebat duodecimũ. Voluit esse cubili meo addictam usquequaque: suscepi puellam libens, & ad nauem ducendam uni ex meis tradidi. Iui igitur cum principe percupidus nouas res & uidere & audire, solicitabarq; non minus hoc desiderio quàm pecuniarum exigendarum studio uel amore.

Quomodo Aloysius Cadamustus concesit cum principe eo loci qui dicitur Budomel in Mediterranea. CAPVT XXI.

COntendi igitur Budomelam regiam principis locum Mediterraneum, prius equis ac necessarijs ad uiaticũ à principe acceptis, & ubi ad quartum lapidem prope regiam principis deuenimus, commendauit me nepoti suo cuidam eius ruris domino quò iam deueneramus: nomen huic erat Bisboror, & is nepos suus me domi excepit honorifice, & ibi xxviii. diebus steti mense Nouembri, & dum illic ago, sæpenumero eo ad principem de Budomel nepote comite. Interea plura memoratu digna uidi mores regionis concernentia: ut etiam hæc attentius uiderim, id effecit, quòd ad flumen Senegæ ubi mei me opperiebantur, terrestri itinere sum regressus: nam undabundo mari fidere nolui, quoniam per id tempus admodum sæuiebat, adeò ut ad celoces meas prius redire nequiuerim, quàm naues fluminis litori applicuerint: & dum certiores meos reddere studeo, natatorem quæro qui

Bisboror.

A qui nando literas ferat, quibus meis nautis compertum fiat me non posse aliter classem repetere, ni prius ipsi naues ad flumen dirigant, ob procellosum mare. Scirent propterea me usq; ad id loci terrestri itinere contendere. Quæro igitur ab incolis, an quispiam natator adsit, qui uice ueredarij fungi uelit quiq; calleat artem nandi, & ad meos ire nõ formidet, introrsus mare ad tria milliaria. Mox sese multi ultro offerunt id nauaturos: uerum quia æquor incredibili feruore concitatum erat, uix mihi persuadebam hominẽ huiusmodi nando id consequi unquam posse, & eo minus adducebar ut crederem, quo breuia innumera conspiciebam prope litus iactu arcus: hi sunt arenę aceruí, qui ubi onera sentiunt quæpiam, mox euanescũt, & naues uorticibus obruuntur. Quum uero supra aquam eminent, uidentur abaci uel scamna, quibus si insederis illico rues. Et inter hæc breuia feruet mare atrocius utpo coartatum, nihilq; adminiculi ibi comperies, quo innixus uires lassas foueas. Timebam igitur illis ne ab profluente pessundarentur. Vtcunq; fuerit, Nigritæ duo affuere nauaturi quod petebam. Quæro quam pro labore tanto mercedem cupiant: respondent maiulias duas ex stanno pro unoquoque petere: quatuor enim huiusmodi maiuliæ nummũ nostrũ aureum efficiunt. Acceptis igitur literis, se mari iactabundo credidere. horresco referẽs, quas difficultates subierint hi natatores, dum superare breuia cõtendunt, perinde ut crediderimus aliquando eos submersos. Nam urinabant sub aqua spatio horæ, nec uidebantur. Tandẽ alter illorũ cessit uiribus undabũdi maris, nec sæuientes undas domare potuit, redijt ergo uoti impotens. Alter uero maiorum uirium compescuit rabiem maris, & ad classem peruenit, responsumq; retulit: quod factum uisum est mihi fere impossibile. Hæc itaq; summa est, hos Nigritas uidelicet, nando fere omnibus mortalibus præstare. Quæ uero uiderim dum agerem apud hunc principem, hæc sunt. Primò nolim credas ibi esse urbes, neq; oppida, licet dicatur principes aut præfecti: nam illo

B rum rex rura tantũ & mapalia possidet: & is princeps quo cũ egi plura, partem regni eius tenet, quæ res est parui momẽti. Nec principes habẽtur quia ditiores nummis uel thesauro aliquo inueniantur: non enim in pretio est aurũ, præsertim moneta, quæ nulla est apud illos: sed obsequio & fide præstãt nostris principibus: mira est obediẽtia quam exhibent principibus subditi.

Breuia maris.

Maiuliæ.

Mapalia & rura Budomel, & Mulieres CAP. XXII.

VT nihil prętermittamus dignum scitu, noueritis hũc principem semper esse errabundo nõ absimilem: quiescit ferè nunquam, modo huc, modò illuc contendit, & eò præsertim ubi sunt suæ coniuges. Nã ut retulimus, mapalia & ruscula habent, ubi multiplices adseruantur coniuges. Et id rus quò ego iui, domus principis nũcupatur: ibi uidebis circiter XL. uel L. humiles casas consertas paleis, idest, mapalia in ordine continenterq; dispositas, ut alterã sequatur mox altera: his circundedere sepes nõ ex tribulis uel spinis, uerum ex proceris arboribus, dimisso interuallo quod ostij uicem suppleat: quò quum es ingressus, aulam comperies ruralem septam sepe arborea, Cortile appellatur à rusticis. Nouem ex huiusmodi aulis domum principis præcedunt eo ordine, ut ex altera in alterã aditus interior pateat, ibi nouẽ mulieres hic princeps habebat: sunt etiam in alijs ruribus coniuges quamplurimæ, quæ huic principi inseruiunt pro suo arbitratu. At quælibet ex his mulierib. quinq; uel sex adolescentulas Aethiopas domi alit, quibus pro libito princeps potiri potest, citra omnẽ cõiugis indignationẽ, quippe quæ haud ægreferunt uetere instituto principis, ut hac Veneris uarietate cõiunx princeps oblectetur. Suntq; hi Nigritæ admodum proni ac salaces in Venerem, nullaq; satiantur libidine. Percunctatus est me propterea princeps, an aliqua nossem, quæ Venerem excitarent frequentius: nam unus tot fœminis uix satisfacere quibat. Induerat enim opinionem hanc, uidelicet, Christianos esse ingenij acerrimi, & ferè nihil nescire. Adijciebat ad hęc, si uoto huic suo turpi quidem fecissem satis; me beneficia innumera illico consequuturum.

rum. Laborant zelotypia hi principes adeò atroci, ut nec ipsis natis satis ac super fidant. Vni igitur principi patet ad mulieres aditus. A

Quibus stipetur princeps lateronibus. CAPVT XXIII.

HVius principis latus custodiunt uiri cc. quocunq; pergere contigerit: & licet frequenter per uices succedant qui principis habent custodiā, non desunt tamen usquequaq; innumeri, qui undequaque salutatum ad principem ueniunt. Ante regiam igitur principis ubi ipse diuersatur diutius, præcedunt septē atria, & ante ea plateæ quædam uisuntur, in quorū diametro arbor est procera & umbrosa, quæ principis fores obseruātibus umbrā amœnam præbet. Habet itaq; princeps dispartitā familiā, & qui propius regiam degūt, hi sunt principi magis accepti, digniores'ue: & quo magis elongantē à regia, tāto minoris census, ac fere gradus nullius dinoscuntur. Has igitur graduū differētias ostendūt domus ex industria continēter in ordine dispositæ, ut cognoscas eos esse excellētiores qui regiæ principis sunt proximiores, pauci tamē ad fores principis accedūt. Id enim fere solis Christianis licet, & Azanegis sacerdotibus, qui principē legē Mahumetis docēt, quibus maior potestas agendi quæcūq; est apud principē, quàm ipsis suis Nigritis.

Mos salutandi principem, & principis consuetudo CAP. XXIIII.

PRinceps igitur memoratus magnam præ se fert arrogantiam, quippe qui non prodit in publicū, nisi mane & uesperi: nec tamen à uestibulo regiæ digreditur, ibi sese mira superbia spectandum suis præbet illustrioribus. Is igitur princeps quum uarijs de causis quempiam admittit audiendum, tali dignatur reuerentia. Quum itaq; hi qui ad principem petunt admitti ad fores iam accesserint, utraq; genua flectunt, & humi ferè strati harenam identidē nudi reijciunt in terga, caput etiam harena aspergunt, ut speciem humilitatis prę se ferant: & is est mos adeundi principis. Nec ibi aliquem comperies eminentiæ tantæ, qui aliter principem adeat suum, quàm nudo corpore, uerendis tantum corio tectis, humi reptans, ac harena aspersus totus: & ubi ad principem iam deuenere, humi uoluntantur, ut sues in cœno: quū iam propius ad passus duos accesserit, sistit gradum, rem suam principi explicans, harenā semper in terga proijciens capite demisso, in ingentissimę subiectionis specimen. Et princeps simulat supplicantē nō uidere nisi furtim, nec propterea ab aliorū colloquio temperat. Vbi uero Vasallus desijt exponere res suas, tunc intuitu insolentissimo toruoq;, uerbis duobus dat responsa, ut nec breuius sit responsum Laconicum, qui solo elemento mentem suam declarabant: ut si annuendum erat, per u, id est, uolumus: si contrà, per n, id est, nolumus. In hoc igitur superbiæ fastu uersatur princeps, in tātoq; æstimatu & ueneratione apud suos, ut ipsi nos nec Deo immortali maiorē exhibeamus reuerentiā: id efficit timor incredibilis, nēpe de nutu principis eorū uita pendet. Nam pro re quaq; minima morte plectuntur, & mulieres ac filij uenales exponuntur excandescente principe. Hæc sunt igitur quę miram obedientiam ostendunt, quū subditi à principe patiuntur, quæ uix hosti colliberent. B

Moschea principis, id est, templum idolorum, & mos sacrificandi & discumbendi.

CAPVT XXV.

ADeò maximam cum principe familiaritatem contraxeram, ut uel Moscheam ingredi mihi fas esset: id est enim idolorum templum, ubi sacra fiūt. Quū igitur aduesperascebat, presbyteros suos Azanegos siue Arabes accersebat: nam hi apud eos uice sacerdotum fungūtur, & sacris pręsunt ceremonijs ac legem docent Mahumetis. Ingrediuntur itaq; in cellam sacratiorē optimates eminentiores, gratia orandi: sic enim orant stantes, & cœlū subinde respicientes, terram sæpenumero deosculātur: & princeps sacerdotem imitabatur agentē hæc omnia spatio mediæ horæ. Et ubi desierat orare, percunctabatur me, quænam de hoc ritu orandi mea foret sententia, libenterq; me differentē de nostra fide audiebat: dixi ego plura, ut decuit de celebritate nostræ fidei, quum principem beneuolum haberem auditorē: ostēdi enim

A enim falsum esse principem & alios omnes qui legem illam obseruabāt: addidi nostram sanctiorem esse, idq; comprobabam innumeris argumentis: nec prius desij concionari, quàm excanduerint maiores satrapę, qui indignabantur suam fidem abs me in ordinem redigi. At princeps risu uultum soluebat, adstipulabaturq; meis dictis, asserens & ipse nostram fidem non iniuria colendam esse, & nostrū Deum eo argumento esse, & magnum & probum, ob idq; multiplicia dona nobis elargiret, diuitias, opes, dexteritatē ingenij, uires, & pleraq; alia. Suam tamen apprime extollebat, subdens eam faciliorē aditum ad salutē eis præstare q̃ nobis nostrā. His rationibus nixus, quoniā, inquit, Vobis datum est præsentibus bonis frui, erit præsens uita uobis pro paradiso illa æterna. Nos uero qui per uarias uitæ interturbationes uitā trahimus assiduo, scimus nobis haud defuturā illam æternam felicitatē: quoniā perpessi laboris, & susceptæ ærumnę præmium nondum sumus consequuti. Validas ad hoc adducebat rationes uir, ut erat ingenij elegantis, nec nostra sibi displicebāt, neq; difficulter nostrā fidē induisset, ni pauisset exui regno. Id enim acceperā à nepote, qui me enixe rogauerat, ut nostrā fidem principi exponerē, adfirmabatq; rem dignam esse, uerbū dei. Idq; perlibenter audiendum fore cēsebat. Mores igitur huius principis iam retulimus, & præsertim eundem morem in uictu seruat, quem rex Azanegæ, suscipit à suis coniugibus dapes, ut etiam cæteri Nigritæ principes: humi procumbentes epulātur absq; nitore & elegantia uitæ, perpauci cum rege discumbūt, id solis licet sacerdotibus, aut regulis quibusdam, uel saltem eminentioribus optimatibus. Reliqui ignobiles XII. uel X. simul discumbunt, & inter epulandum fere omnes ex eodem catino sumunt, & quidem non immoderate, uerum frequentius, utpote qui ter uel quater interdiu epulantur.

Legumina & uinum quæ ex regno Senegæ proueniant. CAP. XXVI.

B IGitur regnum Senegæ, ulteriorq; plaga Nigritarū, uinum, triticum, siliginem, ordeū, auenam, haudquaquā fert iniuria candentis syderis, quū præsertim ibi mensibus nouem iugiter nō pluat, uidelicet, à mense Octobri usq; in mensem Iulij. Id efficit ut iacta semina nō germinent ob terræ calorem nimium: producit tamē miliū, fabas, & fasiolos omne genus, quæ omnia nusquā elegantiora uisuntur. Sunt fasioli instar nucis auellanæ faberrime facti, diceres torno aliquo insculptos ac striatos, adeò uariātis naturæ ars in eis ludit, res uisu conspicua. Fabæ uero largiores, & proceriores, rubent colore uiuacissimo, alię albicātur, cernuntur uisu conspectiores: mēse Iulij seminātur, Septembri leguntur. Quū aūt tellus cœlesti rore perfunditur, id est, uberiori pluuia, tum terram mirū in modū colunt, non amplius q̃ trimestri spatio seminant, & legunt sata: ignaui sunt cultores: & uix tantū seminant, quantū ad uictum sit sufficiens, nec in horreis cōgregant triticū uel alia. Is itaq; mos colendi agri seruatur, instrumenta quædam rustica habēt, quæ bipalijs nō sunt absimilia, eis terram egerunt ritu contrario, quàm nos consueuerimus: nam quum ligonizant terram, ante proijciunt, non ut nos, qui terram egestā semper ad nos trahimus, adeò ut pedum plantas ligonizando cooperiamus terra, nec altius q̃ tres aut quatuor digitos agunt bipalia uel graues uomeres, aliter ipsi non arant. Verùm quia terra est feracissima, suapte natura quamplurima producit, horū potus præbet succus palmæ, lac & latices: nec ea est palma quæ fert cariotas. Alia est arbor, quæ ibi minime frequens est: & hæ arbores anno continuo succos emittūt instar lachrymarum, succus appellatur mignol: & ut uberiorem habeāt succi prouentum arbores sauciant, & statim prosilit succus, qui excipitur uase aliquo, ut thura legūtur: huic liquori colos est subcinericius, & serū lactis pręsentat, nec maior est prouētus q̃ binæ uel ternę mēsurę die noctuq;: huius est incredibilis suauitas, & ut uinū inebriat, ni aqua immixta fuerit: qui prima die prouenit ex sauciata arbore, is est dulcior, & omni uino uel perq̃ dulci præstat, & indies suauitatem amittit, fitq; acidum & acre, tamen tertio aut quarto die magis homini conducit: id sum

ego expertus pluries, & nõ minus, quàm uino aliquo eleganti hoc ſucco ob/lectabar, mignolum appellant, neq; eo uti poſſunt omnes abunde, hoc eſt, ad uoluptatem, licet ad hilaritatem plurimi, & in primis illuſtriores: non habẽt harum arborum uineas, ſed ſparſas & uagas, ut fere cuiq; pateant, qui liquo/rem huiuſmodi elicere uulnerata arbore uoluerit. A

Varij fructus, & miræ naturæ oleum. CAP. XXVII.

FRuctus habent multiplices, nec noſtris abſimiles, ſuaues ſunt licet ſylue/ſtres, qui ſi ut apud nos colerentur, eſſent profecto multo meliores: regio eſt patens, & aprica, ad omnia producenda prope apta: paſcua ibi quãplurima, & arbores eminentiſſimæ, nobis tamẽ incognitæ: lacus ibi quãplurimi, qui aquã potu nõ inſuauẽ propinant, neq; nimiũ uaſte expanduntur, uerum profundiſſimi: & ibi piſces innumeri, licet noſtris abſimiles: inq; his ſerpẽtes degũt, incolæ calcatrices uocãt. Fert etiã hæc regio miræ naturæ oleũ, quod pollet triplici uirtute, odorẽ, uidelicet, uiolaceũ habet, ſaporẽ uero oliuę: & ſi adhibitus fuerit dapibus, eas ut crocus inficit: quamuis ipſum crocũ ſuperet uberiori colore. Sunt & ibi arbores quædã quæ faxiolos producunt, rubẽtes cum macula nigricante, quæ eſt illis pro inſigni, & à noſtris oculus dicitur, alij hilum appellant, producit igitur quamplures, ſed paruos admodum.

Angues immanes, qui deuorant capras, & anguium faſcinatores.
CAPVT XXVIII.

INueniuntur ibi multiplices animaliũ ſpecies, præſertim ſerpentũ fere omnium generũ, uenenoſi alij, alij innoxij ſunt, duorũ pedum menſuram excedunt. alas nec pedes habent ut ſerpentes, alioquin immenſi, & tantę quidem uaſtitatis, ut integras capras hauriant, nec lancinẽt, ſolide deuorantur: ferũt incolæ ſerpentes huiuſmodi cõgregari ſtatis anni diebus, & migrare in loca quædam ubi formicarum eſt uis magna, quibus & colos albicans, quæ ſua/pte natura humiles quaſdam caſas inſtar ſpecus extruunt: nam ore terrã por/tãt, & ferruminãt abſq; calce, diceres clibanos aliquos uel ruſcula in ordine diſpoſita. Nã ex huiuſmodi caſis uidebis C. & CL. cõtinenter ſubordinatas, ut alterã ſequatᷣ altera miro naturæ ordine. Sunt etiã hi Nigritæ faſcinatores, id eſt incantatores eximij, faſcinãt præſertim ſerpẽtes. Huius rei me certiorẽ reddidit adoleſcens quidã, qui anno ſuperiore agens apud nepotẽ principis de Budomel, & quũ hoſpitio receptus dormiret, audiuit innumeras ſerpentũ ſibilationes, quibus experrectus dum attentiore animo euentũ rei expectat, intelligit nepotẽ principis euigilauiſſe, & domũ egredi uelle: percũctatus eſt propterea adoleſcẽs nepotẽ principis quò nam nocte intẽpeſta concederet: cui nepos (iã inclamauerat ſeruos à pedib. ut ſterneret camelũ) ſum, inquit, profecturus nõ longe, mox rediturus. Iuit igitur nepos & faſcino cõpeſcuit ſerpẽtes, illicoq; rediẽs rurſus alloquitur hoſpitẽ Ligurẽ, Audiſti'ne, inquit, circiter noctẽ mediam exſibilantes ſerpẽtes? At Ligur, Audiui quidẽ. Subiecit itaq; principis nepos dictus Biſboror: Erant, inquit, ſerpentes, quibus hęc plaga ſcatet, obſederãt enim domũ gregẽ deuaſtaturi: ni ego occurriſſem malo tãto incãtatione, qua utimur frequẽtius. Ligur uero his auditis, dixit ſe mirari plurimum, & rem hanc Chriſtianis prope incredibilem fore: tum nepos ad Ligurem, Non eſt, inquit, quur mireris ob hæc minima: nam princeps noſter multo maiora efficit incãtatione quũ libet. Quũ enim, inquit, cupit præſentaneum uenenum habere quod illico mortem afferat, inficit ibi arma ue/neno, deſignato in terra circulo, & faſcinatione ſerpentes eò concedere compellit. Quo quum uenerint, ſpeculatur uenenoſiorẽ quem interficiat, ueneni colligendi gratia, reliquos uero miſſos facit. Occiſo itaq; ſerpẽte, eius ſanguinem cum ſemine arboris cuiuſdam miſcet, & ea mixtura arma illinit, quæ ſic illita ubi ſauciauerint condictò mortem afferunt, licet paruũ uulnus exiſtat, modo ſanguinis nihil nõ elicuerit. Subdidit etiam Ligur nepotem prædictũ hortatum eum fuiſſe, ut rei uideret exemplum. Verùm Ligur parum huius rei curioſus renuit experiri rem huiuſmodi. Omnium igitur conſenſu Nigritæ ſunt B

A tæ sunt incantatores eximij. Sunt tamen etiam apud nos huius facti haud expertes, imò sagaces, contra serpentes præsertim.

CAPVT XXIX.

IN regno Senegæ Nigritarum boues solum, & bucculæ uisuntur inter animalia domestica: nam capras & pecora ibi nõ uidebis ob ardorẽ torrentis syderis. At boues tam mares quàm fœminę nostris multo sunt minores, uixque ibi uaccam rubentem comperies, aut albæ aut nigræ omnes sunt, uel utroque colore distinctæ. Ex rapacibus leones, & pardi frequentiores, necnon lupi, capreoli, ac lepores propè innumeri. Sunt etiam in ea regione elephanti syluestres quamplurimi, non domantur ut alibi, & ferè gentiũ ubique efferantur, propterea & gregatim incedunt, ut in nostris nemoribus apri: cicures uix reperiuntur ibi. Hi igitur duos eminentiores dentes habent hinc & hinc, instar aprorum, uerum ritu contrario: quandoquidẽ alteri, scilicet, apro in superiora retorti sunt dentes: at alteri, scilicet, elephanto dimittuntur in terram: nec uel senecta huic sunt decidui, uitam cõcomitantur: hominem nisi læsus nõ lædit: & ubi lædit, manu hominem comprehensum iacit in sublime ultra arcus iactum: ea dicitur manus elephanti, quam alij promuscidem appellant, eam emittit & retrahit pro suo arbitratu, nullusque inuenitur tantæ pernicitatis, quẽ suo incessu non comprehendat, licet gradatim solum ambulet effœtus, magis sæuiunt dum pariunt, ne catulis uis inferatur, & quatuor ad summum pariunt uno partu: maribus uix est cura sobolis, arborum folijs uiuũt, & fructibus: nam promuscide arborẽ deuastant, adeò ut si stipitem manu cõplexi fuerint, quantumcunque magnum ab arbore dispartiant: manum habẽt in inferiore maxilla, quam exerunt & retrahunt pro libitu, hac cibũ capiunt, & hauriunt potum omnem, & ori administrant suo: os habent in pectore, frequentia incolunt nemora, ac luto plurimum ut apri oblectantur. Sunt & alia ingentia animalia, uerùm syluestria.

B *De Psitacis & alijs auibus.* CAP. XXX.



AVitiorum sunt complura genera, & in primis Psitacis scatet regio: nam hos odêre plurimum Nigritæ, quoniam totã plagam ferè circumuolitantes, fruges & præsertim legumina deuastant: multijugi sunt, uerũ è paruis & grandioribus, complures ego attuli: distinguũtur colore triplici, subcinericio, uiridi, ac ueneto, quos adhuc ferè inuolucres ex nido subripui, sed mox periere. Adultos igitur centũ quinquaginta in Hispaniã detuli, eos singulos singulo aureo nummo uendidi. His itaque mirum est ingeniũ, & solertia nidificandi: nam excelsissimã querunt arborẽ, quæ surculos habeat subtiles ac tenues, cuiusuis ponderis ferè impatientes, h[illegible] i cacumini adligant depender[illegible] [illegible]rculum, cui nidũ mira industria fabricatum suspendunt, instar pilę rotundũ, relicto solũ foramine admodum angusto, quod ostij uicẽ suppleat: aiũt id efficere alitẽ, ut serpentũ fallat astutias. Nã nidũ pensilẽ petere nequeũt, quippe qui surculo tã tenui nusquam seipsos crederẽt mole grauati corporea. Igitur his artibus tuta est à serpẽte auis, licet parua. Ibi etiã sunt gallinæ quædã, quas appellãt Pharaonis, ex Oriente deferunt, his regio ubertim abũdat. Sunt & anseres nõ ut nostræ, sed colore & pẽnis multijugis uariatę,

De em-

A

De emporio, & qui eò confluant. CAP. XXXI.

QVoniam obtigit illic moram trahere diuturniorem, decreui eorum emporium, siue nundinas quasdã uisere: nam die lunæ & ueneris in pratis quibusdam conueniunt à quatuor uel quinq; milliaribus circunstantis regionis: qui enim magis distant, alia emporia & nundinas adeunt. In his igitur nundinis compertum habui quàm indigi sint rerum multarum, quá ue profunda egestate laborent, id declarabant eorum uiles merces, hæ enim erant cotoni elaborati mulierum pensis, nec eorum ingens copia, panni ex cotonis. Insuper legumina, oleum, milium, & pelues igneæ, storias, tegetes appellant, palmarum folijs complicatas, & alia complura usui illorum nõ inepta, hæc mulieres uendunt: at uiri arma, & auri nonnihil, permutant omnia, pro re altera, rem alteram consequuntur, quandoq; pro binis ternas, aut pro ternis binas: pecuniam signatam non norunt, nec nummos omne genus regio cudit. Hi igitur Nigritæ in promiscuum ibant ad me stupidi, & admodũ admirantes effigiem Christiani, & in primis albicantem colorem, necnon habitum, & corporis formam ac habitudinem insolitam: habitus is erat diplois ex serico nigro, damascum appellamus, chlamys item ex panno coloris cyanei, identidem pannum ex lana contuebantur, & diploidem loco miraculi cuiusdam: nonnulli albedinis periculum faciebant, arbitrati non esse colorem naturalem, sed factitium. Igitur ut certiores huius rei fierent, sputo illitas manus admouebant brachijs & manibus meis, ut experirentur utrum color foret à natura, uel ab arte. Vbi uero uidebant sputum nihil de albedine ademisse, sed albicantes carnes fore, rursus admirabantur. Ad has itaq; nundinas ut multa experirer, utq; scirem an aurum illic foret uenale cõcesseram: uerùm ut præfeci, auri parum illic sum nactus promercalis.

De equis ibi uenalibus, & pabulo, & eorum incantatoribus.

CAPVT XXXII.

B

ILlic igitur equos magni pendunt, quandoquidem difficulter eò ducuntur, nec nisi à nostris Barbarijs per Azanegos, & Arabas illò ducuntur. Illorum propterea ingens precium est, nec facillimè ibi aluntur ob aridam tellurem: nam torrida est plaga, quæ pabula non producit, facitq; æstus nimius, ut equorum inguina intumescant, ut uix meiere possint. Crepãt propterea stranguria huiusmodi labefactati: pro fœno utuntur faxiolorum laceramentis, sole siccatis, id uicem fœni supplet: nam ubi legerint faxiolos, secant eorũ caules, & sole exiccant: loco auenæ succedit milium, quo mirum in modum pinguescunt: pro equo instrato phaleris & reliquo ornatu, dant mãcipia nouem ad summum quatuordecim, prout equi, & forma elegans, & agilitas persuaserit dandum. Quum autem emerint equos, mox accersunt fascinatores equorum, huncq; ritum seruant: rogum accendunt sarmentis, & herbis quibusdam suapte natura fumum exhalantibus, & equo per lorum apprehenso, sistunt ipsum supra fumantem rogum, uerbis nonnullis prolatis, unguento tenuissimo equum illinunt, & in domum adducunt, ubi ad XV. uel XX. dies delitescit, à nemineq; uidetur. Interea etiam appendunt collo equorum effascinationes quasdam corio rubeo inuolutas, & hæc agunt adfirmantes strenuiores tutioresq; bello futuros equos.

De fœminis, & earum mira alacritate. CAP. XXXIII.

HVius itaq; regionis mulieres hilares sunt suprà quàm referre possim, gestiunt, exiliunt, saliunt, & perlibenter chorizant, & in primis adolescentulæ noctu solum dum luna est pernox, in suis tripudijs: differunt à nobis quamplurimum. Res nostras admirantur fere portenti loco, ut sunt balistæ & tormenta omne genus. Nam quum uisum uenissent classem, iussi in uacuum exonerari tormenta, ut edito reboatu terrorem parerent his populis. Territi igitur tormenti inaudito, atrociq; bombo, credidere dæmonum opus, non mortalium artem, adijcientes uno ictu posse huiusmodi tormenta supra centum homines prosternere, tibias etiam admirabantur: & quum uidissent

A ſent exornatas,ut fit,inſtar animalis alicuius credidère uiuum animal uarias emittens uoces,non inſtrumenta: quod ubi intellexi ne hac opinione ducti diutius fallerentur:dedi tibias illis cõtrectandas,tunc cognouere artem eſſe, non animal neq; phantaſma, adeoq; eis oblectabantur, ut dicerent rem cœleſtem fore ab ipſo deo fabrefactam, tanta cõcinnitate ac melodia allecti, & in primis uocum uarietates admirati,remq; nullam uidiſſe pulchriorẽ prædicabant. Nauim etiam per ſingula membra & minores partes ſcrutabãtur: ut malum,anchoras,uela,remiges,& id genus alia,dicebantq; oculatam nauim eſſe,quoniam in fronte uidẽtur ſculpta lumina,quod ſolum fit cauſſa ornatus:ut fit quandoq; in carpentis & curribus. Propterea adſeuerabant nos fore eximios incãtatores,nec dæmonibus abſimiles, utpote qui ſulcabamus maria gradu citatiſſimo inſtar phantaſmatis,& itinere quamplurima in mari metiebamur,ipſi uero uix de loco ad locum terreſtri itinere ire nouerant, & id præſertim admirabantur,nos,uidelicet,in tantum à continente recedere aliquando,ut per compluſculos dies terra nuſquam appareat,& tamen nõ ignorabamus ubi gentium eſſemus,& quò nam tenderemus: quod eſſe non poteſt,inquiunt,citra magicam artem:quod profecto haud dicerent,ſi nauigandi callerẽt artes. Non minori etiam admiratione adficiebantur,uiſis candelis accenſis, quippe qui nulla alia luminaria unquam uiderant præterquã ignem. Vbi igitur uidere ardere candelas,dixere rem eſſe pulcherrimam. In eadem regione mellis eſt plurimũ, nam id è fauo mellis ore ſugunt, ceramq; abijciunt:emi propterea ego fauum mellis,& more noſtro à cera mel diſgregans, percunctatus ſum de cera eos quid ſentirent: qui aiebant ſe eam nihil pendere,uti rem inutilẽ. Confeci itaq; ex cera huiuſmodi candelas,ipſis cernentibus,& iuſſi eas accendi,quo facto,magis ac magis admirabantur,profitentes nos ferè nihil neſcire.

Quomodo Antonietus, & Aloyſius in mare conuenere non longe à Capite uiridi.

B CAP. XXXIIII

IN hac regione inſtrumenta muſicalia habent ferè nulla,præter duo, & ea melodiæ & concentus prope nullius: uidi inſtrumentum quoddam ſambucam appellant,quod fidibus binis tantum pulſatur,& nulla inde concinnitas,digitis pulſant:res rudis,& prope momenti nullius. Vt igitur præfeci, oportuit me illic per dies aliquot diuerſari cauſſa explorãdę mercis,ut ſi forte fortuna aliquid occurriſſet, quod conduceret commercio: & ideo libentius ferebam,ut res nouas uiderem,quas referrem aliquando. Quum itaque decreuiſſem à continente ſoluere, & in altum facere uela deſiderio uidendi adhuc maiora:quum præſertim à principe infante certior factus fueram,nõ longe à regno Senegæ eſſe regnum quoddam, cui nomen eſt Gambræ, & prout referebant Nigritæ principi infanti.Id regnum auri eſt feraciſſimum, adeò ut ſi eò contenderent Chriſtiani,inde conſequerentur diuitias innumeras. His igitur allectus, quum ut aurum conſequerer:quum etiam orbis partes incompertas mihi antea uiſerem: expeditus à principe ad nauim redeo meam,parans uela facere uentis:ut in pelagus altius eueherer: relicturus latus quo appulerant celoces. Dum itaq; hęc meditamur,repente naues apparuere in ſalo fluctuantes,nam uiciſsim altera uiderat alteram,nec ignorabamus eos eſſe Chriſtianos. Congreſsi igitur mutuo conſpectu frui affectantes colloquuti ſumus:moxq; patuit alteram nauim fore Antonieti cuiuſdam Liguris,qui maria ſulcare probe nouerat: alteram uero aulicorum quorundam principis infantis.Hi igitur uiri conuenerant fide data:ut Caput uiride ſuperarent deſiderio uidendæ nouæ regionis.Iniui itaq; cum eis amicitiam, & fœdus ingens,ut ſimul maria ſulcantes nouas regiones adiremus. Vnà igitur ſoluimus uela,dantes uerſus dictum Caput uiride Auſtro duce,à latere ſemper ut præ oculis continentem haberemus uſquequaq;. Sequenti itaque die uentis proſperis Caput prædictum cœpit nobis apparere:nã diſtat à regno principis Budomel unde ſolueramus milliaria ferè quadraginta.

De Capite

De Capite uiridi, & eius denominatione, & moribus gentium.

CAPVT XXXV.

ID igitur promontorium Caput uiride idcirco appellatur, quia consitum est arboribus densissimis, eisdemq; uiridibus ac uirentibus anno ferè continuo. Huius notitiam habuere primò Lusitani superiori anno meæ nauigationis: appellarunt itaq; hoc promontorium Caput uiride ab arboribus, uti ab harena Caput album denominatur. Hoc itaq; Caput uiride eminens est admodum, & uisu pulcherrimum, inter duos montes medius exit. Tandem in mare prominens uaste, uarijsq; rusculis Nigritarum, & mapalijs septum undequaq;, ab ea parte præsertim: quę respicit Oceanum. Sunt tamen hi Nigritæ ex regno Senegæ. Vltra Caput prædictum uisuntur tres paruæ insulæ non longe à continente, sed prorsus desertæ ab hominibus: uerùm scatent arboribus instar Capitis uiridis. Quum uero aquæ penuria non mediocri laboraremus, iecimus ancoras, ut aquæ nonnihil inde hauriremus. Insulæ illi quæ uisa erat uberior, adhæsimus. Appulsi igitur huic grandiori insulæ fontem quempiam quærebamus, nullumq; nacti sumus pręter quandam scaturiginem, quæ uix poterat nobis auxiliari sitientibus. In eadem igitur insula inuenimus nidos complures, & oua alitum diuersarum, quæ nobis haud erant incognita. Ibi stetimus per totam diem, piscatiq; sumus uaria piscium genera, sagenis alios, alios hamis quibusdam cepimus, in primis dentales: & ostreas ueteres ponderis librarũ xij uel xv. pro unoquoq; piscium. Mense Iunij postero die illinc soluentes: adnauigauimus litora haud propè deserentes. Id est etiam sciendum quòd mox post Caput uiride litora se sinuãt & in ipso recessu fit sinus pulcherrimus: terra est plana & referta arboribus innumeris, quibus non prius decidunt folia, quàm alia subnascantur, uirent semper, & licet distent à mari iactu arcus, uidentur tamen à longe ipsa contingere maria. Res profectò est uisu conspicua: & ut fatear ingenue, ego quidem uarias orbis partes peragraui cum ad ortum, tum etiam ad occasum solis, uerùm nusquam amœniorem uidi, ea complusculis irrigatur fluuijs, quorum quoniam sunt nauium impatientes, non meminimus. Vltra sinum degunt bini populi, alij Barbazini, Serreti alij dicuntur: hi quidem sunt Nigritæ, uerùm regi Senegę non parent: regem non habent nec principem, licet uni magis quàm alteri honorem maiorem exhibeant. Principem non eligunt, qui uitæ ac necis potestatem habeat, cum in se tum etiam in natos: nam morem Nigritarum principum aspernantur, qui ubi libuerit pro mancipijs, & uxores, & natos subditorum uendunt: fitq; ut eorum uita semper sit in ancipiti, interq; spem & metum suspensa. Idola colunt quàm qui maxime, legem habent nullam, uiri sunt truculentissimi, arcu utuntur ac uenenatis sagittis, perinde ut sauciati illico pereant, modo sanguis uel mediocris exeat. Hi sunt nigerrimi, ac staturæ habilissimæ: regio frequens est nemoribus, quæ lignis sunt referta plurimũ: irrigua est fluminibus quàm plurimis: ideo ferè inaccessa, nec patet adeuntibus aditus nisi per nonnullos angiportus ex circumiacentibus, timent propterea neminem. Id sunt experti aliquando Nigritarum reges, qui quum bellum eis intulissent, sunt pessime accepti ab his populis. Discurrunt igitur latus prædictum. Austro flante peruenimus ad ostium fluminis, quod Rium appellant Barbazinorum: latitudo fluminis ostij est iactus arcus, huius nominis memini ego in charta nauigationis, quam edidi nuperrime. Abest hoc flumen à Capite uiridi milliaria ferè lx. interdiu solum nauigabamus, occidēte sole iactis anchoris ad passus x. uel, xij. aquæ longe à continente milliaria iiij. uel v. Quum uero illucescebat, uela faciebamus in altum, positis prius speculis in suggesta celocis: qui eminus specularentur scopulos maritimos: ubi uidissent mare luctari & fremere cum scopulis occurrentibus, mox renunciarent uelificantibus. Dum igitur adnauigauimus, ad ostium alterius fluminis deuenimus: id erat Rij Senegæ magnitudine haud impar. Viso ergo flumine tam præclaro, decreuimus quempiam

A è nostris mancipiis emittere, qui terram exploraret: terra erat aprica, & omni arborum uarietate exornata, adeò ut nos summopere eò inuitaret. Adduxeramus enim nobiscum è Lusitania mancipia complura, quę Turcimanos appellamus. Hi sunt Nigritæ, quos rex Senegæ Portugallensibus siue Lusitanis (qui eò proficiscuntur commercij causa) uēdit. Hi igitur Turcimani siue mancipia (Sclauos uulgo appellant) Christi fidem in Lusitania suscepere, & Hispanum idioma callent: nam † nos mutuati eramus à dominis ea lege, ut pro huiusmodi seruitute, quam nobis exhibituri erant Turcimani quum redijssemus, seligerent ipsi quemcunq; libuisset ex omni mancipiorum cœtu, Turcimani uero libertatem perpetuam consequerentur. Iactæ igitur sunt sortes, ad quem spectaret suum Turcimanum emittere in litus. Cecidit sors super Ligurem, qui condicto cymbā expediuit, qua discedēs à classe in litore mancipium exponeret lege data, ut caueret ne continentē appelleret ultra quàm foret necesse: satis ac super erat, si mancipium in sicco poneret, & mox in altum nauim duceret, ne incautus à Barbaris deprehenderetur. Instituunt igitur mancipium, ut quum terram attigerit, quærat quæ gens, qui princeps, qui mores sint regionis. Sciscitaretur etiam an ibi copia auri foret, uel alia quæ commercijs conducerent. Vbi itaq; mancipium terram tenuit, actutum adfuere Nigritæ eius regionis, qui eminus speculati fuerant aduentantem classem. Idcirco uenerant ad litus sagittis & arcubus onusti, delitescētes in frutetis et uepribus, ut quempiam è Christianis improuidum corriperent. Viso igitur mancipio propius accedunt, colloquunturq; nonnihil, & mox exertis ensibus & machæris, plagis innumeris mancipiū confecerunt: cui prius proxima nauis auxiliari nequiuit, quàm uitam exhalarit. Quod ut compertum habuimus, stupidi rem ægre tulimus, intelligentes gentem sæuam & atrocem esse, quandoquidem in sui consimilem Nigritam tam truculenter sæuierant, scientes haud dubie sæuituros in nos magis, B si potestatem in nos haberent. Relicto igitur litore, huiusmodi cœptum iter persequebamur, ducti Austro, in cōspectu continentem usquequaq; habentes. Litoralis regio amœnissima erat, arboribus innumeris fulta, & soli patentis, nec inæqualis. Et tandem peruenimus ad ostium fluminis Gambræ, quod patebat latitudine trium uel quatuor milliarium, ubi magis in arctum exibat. Ingressi igitur flumen ostij tam patentis, duximus ibi posse nonnihil quiescere, ut mox postridie certiores fieremus, ubi nā gentiū essemus, & an illic esset Gambrę regnū, cuius desiderio flagrabamus mirabilē in modū.

alias eos.

De flumine magno nauigato ab ilmadijs. CAP. XXXVI.

APpulsi igitur ostio magni fluminis, quod in primo ingressu præ se ferebat latitudinem sex uel octo milliarium. Censuimus propterea hoc præclarum flumen fore regni Gambræ, cuius desiderio afficiebamur plurimū: nobis etiam non difficulter persuadebamus, illic auri plurimum esse, aut forte aromata quæpiam, uel alia quęcunq; mercimonia, quibus locupletati domum alacres rediremus aliquando. Luce itaq; sequenti uentis prosperis minorem celocem præcedere iussimus, uiris & armamentis fultā, cum eaq; è nostris cymbis unam. has paruas naues ex composito pręmisimus, quippe qui adhuc ignorabamus altitudinem fluminis, uerebamur proptererea ne tantarum nauium foret impatiens. Expeditis itaq; his nauibus, nautas commonefecimus, ut aquæ altitudinem contis explorarent identidem, & ubi agnoscerent eam satis fore nostræ classi, gradum referentes signo aliquo nos certiores facerent. Iuere nostri & quū aquæ multum reperissent, nos monuere. Quibus cognitis, uisum est aliam expedire nauim aliquanto maiorem, armis probe cōmunitam, & illam Antonini licet multo minorem, lege præscripta, ut si forte fortuna occurrissent illi Nigritarū ilmadiæ (idest nauis genus) rem ipsi non decernerent, neq; congrederentur, sed statim gradum reuocarent, iter ad nos dirigentes: quandoquidem eò nos concesseramus non belli sed lucri gratia, quęrebamusq; ut omnia pace & cōcordia fierent, quod

A

non ui sed ingenio nos consequi posse sperabamus. Euecti itaque in interiorem fluminis partem, nostri subinde uada & fluminis profunditatem contis tentant, inueniuntque in horas altiores aquas & ingentium nauium capaces, & altitudine mensuram passuum xvi. excedere: prouecti ultra ad milliaria duo, uident fluminis litora conserta arboribus pulcherrimis hinc & hinc, animaduertuntque flumen immensis orbibus & recessibus implicari, ut Mæandrus aliquis. Decreuimus propterea gradum referre, & dum hæc meditamur, ecce à tergo ab ostio cuiusdam parui fluminis quod exonerabat in magnum, mox emergunt tres almadiæ, nos lembos appellamus, fiunt excauata arbore, nec maiores cymbis nostris, quas trahunt naues, sunt agiles nimium, uerum parui ponderis capaces. Quæ ubi liburnicas nostras & celoces conspexere, credidere nos eò contendere, ut uim inferremus aliquam: nam edocti eramus illorum consuetudinem fore, ut arcubus uterentur, & sagittis ueneno infectis ferè per totam plagam regni Gambræ. Et licet nostri satis ac super eos eminus propulsare quiuissent, ut tamen dicto parerent nostro, uisis almadijs concito gradu ad nos redeunt: non tamen facere potuerunt etiam effusa fuga, quin semper ad iactum arcus post terga Nigritas haberent. Mirum est quam pernices sint hi uecti hoc nauium genere. Quum autem nostri consequuti classem fuissent, ingressi celoces, innuebant Nigritis ut proprius accederent. Illi uero gradum sistentes nusquam propius accessere. Erant uero in his almadijs homines xxv. uel ad summum xxx. Nos admirabantur plurimum, ut rem sibi & ipsorum prædecessoribus hactenus inuisam incognitamque, naues uidelicet, id genus, ut sunt nostræ, & homines albos. Pleni itaque admiratione non loquebantur, licet à nobis ad colloquia mutua inuitarentur signis, ut assolet quibusdam. Abiere igitur, & ea die nihil ultra tentauimus.

Quomodo Nigritæ nostros sunt adorti in flumine.

B

CAPVT XXXVII.

MAne itaque sequenti nos cum paruis nauigijs soluimus illinc circiter diei horam tertiam uentis prosperis, ut nostros adiremus socios, ut sic demum tutius interiora fluminis peragrare possemus, & tandem aliquando deorum munere mitius hominum genus quàm id erat quod nuperrime uideramus in almadijs, nansisceremur. Igitur quum sociorum classem inuenissemus, unà omnes uela dantes uersus prædictum flumen iter direximus, præmissa parua celoce, sequentibus nobis continenter, ut altera ex ordine post alteram iret. Et quum iam ingressi essemus ferè ad quatuor milliaria, illico à tergo almadiæ quædam (unde uenerint adhuc incompertum habeo) ad nos citatissimo gradu contendebant. Quibus uisis, mox in eos uela fecimus, ueriti ne nos suis uenenatis sagittis impeterent: non enim ignorabamus eorum sagittandi mores. Classe igitur reuocata in orbem, quàm citius potuimus nostros armauimus, ante omnia præcauentes, ne nos incautos & inermes hostis inueniret: uix tamen nobis erant arma ad hostem propulsandum. Diuisa itaque in duas partes classe, quasdam Nigritarum naues circumdedimus, percensuimusque eorum cymbas, quæ XVII. erant, maiores nostris nauigijs, quæ nostra ferunt flumina, easque impellunt remigijs innumeris. Sublato itaque remige, quisque illorum nos admirabatur, utpote rem nouam & incognitam. Percensiti tunc à nobis plures non apparuerunt quàm centum & quinquaginta uiri: profecto si ad corpus spectes conspicui, nigerrimi quidem, uerum habitu albo induti non indecoro, habitus is erat tunicis quibusdam, camisias appellamus: ex cotonina alba induebantur: in capite paruum habebant pileum, ut mos est Germanis: id plus habet quàm Alemani, uidelicet, in pileo ex utraque parte nescio quid alas præsentans duas: in medio penna eminebat, ut est uidere apud nostros milites, qui talibus plurimum gaudent: utcunque fuerit, nos iudicabamus hunc habitum militiæ conuenire: eratque in fronte cuiusuis almadiæ Maurus quidam stans, clypeum teretem in brachio habens: is clypeus uidebatur ex corio confectus: & neuter bellum inferebat, sed alter alterum

admirabatur

A admirabatur. Vbi itaq; uidere à tergo uigere alios, qui clandestine aduenere, mox demissis remigijs expediũt arcus, nihilq; promouentes in nostros sagittas dirigunt: quibus conspectis, nostri tormenta exonerant: uerum aquis immersi lapides iacti, neminem occiderunt. Perterrefacti tamẽ tormentorũ reboatu & strepitu insueto, stetere pauidi admodum. Quum uero cognouere neminem læsum his tormentis, uerum eorum iactus emori in aqua, rursus reassumptis animis magis ac magis in nos sçuiunt, aërẽ sagittis obtenebrantes celeritate incredibili. Et iam propius accedebãt, audaciores solito: at nostri balistis eos propulsabant, & catapultis plagisq; onerant innumeris. Primus igitur qui iecit in eos is fuit Liguris filius nothus, qui Nigritę unius pectus transfixit, moriq; illico coëgit. Susceptus is itaq; à suis, extractaq; sagitta admirationẽ peperit id teli genus Nigritis omnibus: nec ob id tamen temperabant à sagittis suis, fiebantq; in horas atrociores: contrà nostri eos male accipiebant, perinde ut paruo temporis momento è Nigritis plures cecidērint: ex Christianis uero, quæ deorum gratia fuit, nec unus perijt. Profligatis tot Nigritis, qui ob cladem acceptam indignati plurimum, celocem minorem circumuenire satagebant uno impetu omnes: quod ut animaduertimus, mox in medium recepimus celocem prædictam: & rursus exoneratis tormentis (bombardas uulgo appellant) stragem intulimus maximam. His uisis Nigritæ iam ferè saucij omnes in diuersa abeunt: nos uero catenis iniectis id curabamus, ne naues in uarias partes dilapsæ, uirium minus haberẽt, unà omnes ferebamur connexis nauibus & uentis prosperis, ultraq; progrediebamur cedentibus iam Nigritis, id in primis obseruantes, ut cum Nigritis mutuo colloquio frui possemus aliquando.

Decretum factum in flumine Gambræ. CAP. XXXVIII.

IGitur adeò mancipia nostra Nigritas inclamarunt, ut eorum fessi clamore Nigritæ, tandem aliquando permiserint unam ex ilmadijs suis propius accedere, ut puta ad iactum arcus. Percunctati sunt itaq; eos nostra mancipia,
B cur in nos tam atrociter sæuirent, quũ præsertim non alia de causa illuc concessissemus, quàm commercij & pacis concordiæq;, prout melius declarabat cum reliquis Nigritis regni Senegæ contuberniũ, & frequentior necessitudo. Ad hæc etiam nostri adijciebant, uenisse è partibus orbis remotioribus, ut munere perpulchro suum regem nomine regis Lusitanorum donarent: quandoquidem is enixe peroptabat ab eorum rege arctè diligi & amari. Rogabant præterea ut dicerent, ubinam gentium rex per id tempus ageret, & quis princeps huic regioni dominaretur, quodq; huic flumini nomen inditum foret. Addebant etiam ut ad nos tuto & pacifice accederent, accepturi è rebus nostris quicquid libuisset, & è suis darẽt pro suo arbitratu: modo omnia pace, & citra bellum cõtumeliamq; fierent. In hanc ferè sententiã nobis responsum est, non quidem eos latere, quæ gens foret Christiana natio, & unde ueniret, scireq; quid egerint iampridem cum rege Senegę, & alijs Nigritis suę ditionis, qui quoniam nobiscum degunt boni esse non possunt: quippe qui non ignorant Christianos uesci humana carne, nec alia de causa emere Nigritarũ mancipia, nisi ut mandant & lancinent ut ferinas carnes: propterea apud eos iuratissime asseuerabant, nullum Christianis amicitiæ locum superesse, sed cordi eis hæsisse, omnia sua quæ classe attulerant, diripere & deprædari, regiq; suo dono dare, seq; trucidare atrocissime: regem abesse illinc itinere trium dierum: regnum esse Gambræ quod quærebant: flumen magnum esse, nomen quidem non reticuit, uerum ego non memini. Hoc igitũ accepto responso, ut par erat, indignati in eos uela fecimus: qui effuse fugientes, mediterranea petiere. Hunc finem habuit congressus noster. His peractis explorato omnium uoto contendebamus rursus interiora fluminis penetrare, uel ad milliaria circiter centũ: quæ res, ut patuit omnibus, permouit multos, quos proprij laris cura solicitabat nimium: nec sunt passi nos ultra progredi, affirmantes satis ac super egisse, dum in has partes à sua

urbe remotissimas sospites deuenissent, addētes nolle de cætero lacessere fortunam: & discordia ingenti concio soluta est. Nos autē qui callebamus horum consuetudinem, scientes quàm duræ ceruicis forent, quantumue prosilient ubi non exaudirentur, conducibilius fore duximus, si eis pro tempore cederemus. Sequenti igitur die illinc soluimus, uersus Caput uiride iter facientes, ut deorum auxilio in Hispaniam rediremus aliquando. A

CAPVT XXXIX.

PEr id tempus quo in ostio fluminis moram traximus, semel tantū septentrionem uidimus, qui adeò demittebatur, ut crederetur mare ferè contingere, ab aquisq; non plus uidebatur abesse, quàm lanceæ tertia parte: & ibi sydera sex conspicati sumus: quæ magna erant, & mirum in modum splendebant: ea metiti sumus pyxide, & infra scriptam figuram præsentabant.



Censuimus propterea huiusmodi astra plaustrū austrinū efficere: licet priorem stellam in ordine minime uidere potuerimus: quoniā haud quadrat rationi ut eam prius uideamus quàm septentrionē perdiderimus, id est, ab nostris oculis euanuerit. Inibi etiam comperimus noctem horarum tredecim, diem uero undecim, ingrediente mēse Iulij, quo regio illa eximie flagrat: habet tamen uarias temporum uices: hyemem & ipsi appellant, quoniam ab dicto mense usq; in mensem Octobris terra irrigatur imbre & pluuia ferè continua: & præsertim in meridie exurgit quædam nebula, quæ cœlum inumbrat, nec supra terram multum tollitur in Subsolanum & Apeliotē. A Subsolano uero ad Vulturnū transit fulgoribus eximijs: & tunc imbre tellus madefacta semini præparatur. Vti agunt Nigritæ in regno Senegæ. Viuunt milio, leguminibus, carnibus & lacte. Accepi etiam introrsus non pluere, nisi ferè feruentem aquam: & ibi quum diescit non uisitur aurora ante emersum solis, ut usu euenit apud nos: quoniam semper inter auroram & solis ortum nonnihil temporis intercedit: imò quamprimum nox abscesit, illico sol emergit absq; alio medio. Verum licet sol uideatur, non tamen illuminat ad spatium mediæ horę: uidetur enim pati deliquium in ortu: propterea obumbratur aliquantisper. Causam uero, cur sol ibi citius uideatur quàm alibi gentium, nullam aliam afferunt, nisi quia regio patentis est soli & depressi, uacatq; montibus, qui forte alibi obstant, ne sol oriens mox cernatur. Huic sententiæ astipulantur socij qui aderant omnes. B

Quomodo Antonietus Ligur, & Aloysius Cadamustus in secunda nauigatione nouas inuenere insulas, CAP. XL.

MOres igitur & qualitatem huius regni Gambræ, quantum ego colligere potui in meo itinerario, uix referre possumus: quoniam, ut præfecimus, incolarum sæuitia, & eorum in primis qui litoralia incolunt, consequi nequiuimus uotum nostrum: nam gens suapte natura ferox, colloqui cum mitioribus noluit, nec commercia tractare quępiam. Igitur noueritis nos cognita huius gentis feritate haudquaquam ultra progressos fuisse, nautis reluctantibus, sed in Hispaniam, flumine illo Gambræ non superato, redijsse. Anno itaq; sequenti præfatus Ligur, & ego Aloysius unanimes rursus classem expediuimus, quum animum applicuissemus ad hanc prouinciam nauandam, ut tandem aliquando dictum flumen explorantes, regnum Gambre ingrederemur. Hæc ergo ut percrebuere ad aures principis infantis, sine cuius commeatu expeditio hæc fieri non poterat, complacitum illi plurimū fuit, quod hæc nobis cordi fuissent: & ut huic pio proposito, nec pœnitendo

uoto

A uoto fauens subscriberet, unã e suis celocem armat eximie, & omni genere annonæ cõmuniuit. Soluimus itaq; à loco quodam qui dicitur Lanchus, qui parum abest ab Sacro promontorio, siue Capite sancti Vincentij, ingrediente mense Maio prosperis uentis, & iter fecimus per Canarias insulas: eas tamen ex composito prætereuntes, utpote rem non incognitam nobis, si superiorum meministis. Austro ducebamur, & labentibus aquis, quæ flante Noto mirum in modum fluunt, peruenimus ad Caput album: quo uiso, duximus classem in altum: & sequenti nocte adortus est nos uentus Auster, cuius impulsu regredi oportuisset, ni nonnihil ad occidentem declinauissemus. Sustinuimus igitur hanc uenti sæuitiam noctibus duabus, & diebus tribus: die uero tertio terram in conspectu habuimus, quod nemo nostrum autumasset. Cœpimus itaq; gestiẽtes exilire omnes, terram identidem inclamantes, admirati nimium ibi terram reperiri, quum prorsus id nesciremus. Expedita igitur cymba duos homines emisimus, qui explorarent iam uisam tellurem. Iuere itaque, & duas prægrandes insulas uidisse renuntiant: quod ut accepimus, mox ruimus in dei laudes, qui sua clementia incredibili hactenus incognita nobis cognoscenda præpararet: res profecto nouas, & toti Hispaniæ incompertas. Vt igitur oblatam à deo terram aliquando peragraremus, rerum nouarum percupidi, fortunam experiri uolentes nostram, uela fecimus uersus huiusmodi insulas: quò breui peruenimus: & ubi in conspectu fuit, uisa est maxima, tantumq; obnauigauimus ut stationem non incommodam reperiremus. Appulsi igitur, prius iactis ancoris, cymbam bene armatam emisimus, ut compertum nobis fieret, an insula coleretur ab humanis. Ingressi ergo nostri insulam, neminem unquam conspexere humanum, neque extabant uestigia itinerum, quibus cognosci posset quàm culta foret insula. Hoc cognito, mane sequenti, ut animo satisfacerẽ meo, iussi ex meis decem armari, tum telis, cum etiam balistis, ut interiora insulæ adirent, si forte ultra quosdam colles, qui ibi attollebantur, homines forẽt. Iuere igitur, &

B collibus superatis inuenere neminẽ præter colũbos, & ferè omne genus auitiorũ: nam columbi capiebãtur pro libito manu hominis: nõ enim pauebãt ad uiri conspectum, utpote ad rem sibi hactenus inuisam. Cepere igitur ex his quamplurimos, quos scipionibus occiderant, nobisq; attulere. Ex alia regione apparuere tres aliæ insulæ magnæ, quas ipsi non uideramus: nam ad septentrionem nobis remanserant. Visum est etiam eis duas alias insulas uidere uersus occidentem in uasto mari: uix tamen id comprehendebant ob magnam distantiam: neque nos eas uisere magni fecimus, quippe qui animum induxeramus cœptum iter persequi, nec tantũ suppetebat tempus, uerebamur'que ne frustra tereremus, diuertendo ad inhabitatas insulas. Interea dum his ego insisto quatuor insulis, alij uidere decem paruas insulas, quas quum adiuissent, nihil præter aues inueniunt, & pisces ingentissimos. Vt igitur reuertar unde sum digressus, solui ab hac insula, iter meum persecutus, & ecce duæ aliæ insulæ: & quum oram unius percurrerem, mox incidimus in cuiusdam fluminis ostium, & censentes aquam potu fore non insuauem, litori applicuimus: erat enim insula consita omni arborum genere pulcherrimo: & dum fontem quærimus quempiam, glebas salis albas minutulas nanciscimur secus flumen. Legimus ergo nonnihil salis, quod itineri sufficeret nostro: nam ibi sal effuse affluit. Hausimus etiam aquæ non parum. Erant ibi testudines innumeræ, quibus pro tegmento natura uastatissimas testas dederat, magnitudinis tantæ, ut pro clypeo non inepte sufficiant. Nostri itaque esculentis huiusmodi oblectati plurimum, exenteratis testudinibus multijuga eduliorum genera fabricabantur, asseuerantes eis alias se solitos ubertim uesci, & cum primis in sinu Argino, cuius in superioribus affatim meminimus: nam is sinus scatet huiuscemodi testudinibus: hortabanturq; ut ego eis uesci uellem. Esitaui igitur cibum inibi insuetum, ut cõplura experirer: uisus est nõ insuauis: albicat enim caro hęc, nec multum absimi-

Lanchus.

absimilis uitulinis carnibus, si fragrantiam & saporem spectes. Quum itaque placuisset comedisse, cibum approbans, in naui plurimum adseruari iussi, ut quandoque leniret famem. In primo etiam itinerario meo, quod prætermiseram, comedi ex elephante satis illecebri. Piscati sumus etiam in ostio dicti fluminis, ubi tanta uis erat piscium, quantam uix referre quibo: quandoquidem ferè credulitatem omnem excedit. Erant ex his piscibus complusculi, quos nemo nostrum uiderat unquam, uerum pergrandes, & ad cibos humanos non inepti. Ostium uero fluminis in tantam exibat latitudinem, ut onerariam nauim centum quinquaginta doliorum capacem haud grauatim exciperet: adeò patebat, ut paucis expediam, ut unius iactu arcus latitudinem eius metiri nequiuisses. Illic statiua fecimus biduo animi causa, ut feriati aliquanto à laboribus, animi deinceps ad dura promptius euigilarent. Annonam omne genus inde exportauimus, ut futuræ fami consultum iret: inter cætera colũbos innumeros. Nec id præteribo, nos illi insulæ, cui primo applicuimus, Boni uisus nomen indidisse: argumento, quòd prima à nobis uisa foret. Alteram uero, quæ inter quatuor eminet insulas, Diui Iacobi nuncupauimus, ob id quòd ea die, quæ in honorem sanctorum Iacobi & Philippi concelebratur, à nobis est reperta.

De loco dicto Duæ palmæ, & de fluuio Gambræ nauigato,

CAPVT XLI.

His peractis die memorato ab his insulis soluimus, per Caput uiride tenentes iter: & breui deorum munere peruenimus ad id loci qui dicitur Spedegar, in conspectu tellurem semper habentes: & ibi locus alius, qui ad Duas palmas appellatur: is est inter Caput uiride & sinũ Senegæ prædictũ, & quoniã iam terra erat nobis aliàs cognita, audacter dictum caput percurrimus, adeóque id concite à nobis actum est, ut sequenti mane dictum Caput superauerimus: & tandem aliquando rursus ad prænominatum Gambræ flumen peruenimus, & intrepidi dictum flumen nauigare cœpimus obstante Nigritarum nemine: nam almadiæ nusquam apparuere. Interdiu solum adnauigabamus, contis explorantes fluminis alueum, ecce quædam almadiæ Nigritarum, uerum secus litus fluminis euntes, nobis haud erant impedimento, & introrsus ad decem milliaria insulam quandam paruam reperimus: quò quum applicuissemus, è nostris quidam uitam exuit: nam febre diutius laborauerat: & licet ægre tulerimus omnes uiri exitum, tamen quoniam deo maximo complacitum fuerat, ut decuit fideles, nusquam eius potentiam detrectauimus: uerum pro more humano satis mœsti, humauimus hominem iam uita functum & quia huic Andreæ nomen fuerat, insulam de nomine uiri appellauimus. Est itaque à cunctis deinceps dicta insula, Sancti Andreæ. Soluentes igitur ab hac insula, dictum flumen nauigamus: sequebantur à longe quædam Nigritarum almadiæ, quas inclamans mancipium nostrum, quòd Nigritarum idioma nouerat, tantum effecit, ut proprius accesserint Nigritæ, à nobis cum uoce, tum etiam rerum nostrarum assidua ostentatione allecti: pollicebamur enim eis pro colloquio plurima, hortabamurque ut omnem de nobis suspicionem feritatis exuerent: quandoquidem hi eramus, qui humanitate & comitate cæteris præstamus mortalibus. His ergo prouocati propius accessere, iam nobis fidentes: quare unus ex Nigritis celocem est ingressus intrepide, & cum Turcimano, id est, mancipio nostro colloquutus, admirabatur nimium nostrum morem nauigandi, et in primis uela: quoniam ipsi solo remige impellunt naues, rati nullum alium inter mortales modum fore maria sulcandi, albicantesque homines cum insueto habitu magis ac magis demirabantur: nam his est habitus ex cotonina quadam alba admodum, quæ instar camisiæ uestem eis suppeditat: complusculi etiam nudi incedunt. Excepimus itaque Nigritam honorificentius quàm potuimus, muneribus nostris hominem propè onerantes. Qui nostra consuetudine delectatus, percunctabatur de multis nostros. Postremo aperuit

A nobis id eſſe Gambræ regnum, quod errãtes iampridem quærebamus: & illorum dominum dixit eſſe Faroſangolum, eumq; abeſſe illinc itinere dierũ decem introrſus meridiem uerſus: ipſum tamen ſubeſſe maiori principi, id eſt Regi Mellis, qui magnus Imperator Nebeorum dicebatur. Adiecit tamen, non eſſe longe à litore fluminis utrinq; regulos compluſculos, in quorum cõtubernium & neceſsitudinem mox, ſi libeat, ſua opera reciperemur: & in primis pollicebatur id ſe nauaturum apud regulum Batimauſam: quoniam iam intelligebat nos & probos & comes uiros eſſe. Hanc igitur uiri huius nobis cõceptam opinionem gratam habuimus ſupra modum, eumq; è noſtris adnumerauimus in celoce receptum protinus, & tandem nauigando deuenimus ad eum locum, quem appellant Batimauſam, qui noſtra ſententia abeſt ab oſtio fluminis quadraginta milliaria.

De principe conciliato muneribus noſtris. CAP. XLII.

ILlud eſt etiam ſciendum, quod dum ſulcauimus flumen Subſolano uecti ſumus: & is locus ubi iecimus ancoras, multo anguſtior erat oſtio fluminis, & mea ſententia latitudine milliariũ nõ excedit, in eumq; cõpluſculi fluuij exonerant. Vbi itaq; applicuimus ad id loci, decreuimus mancipium noſtrum (quo interprete utebamur) cum Nigrita, quem prius conciliauerãt nobis munera & blãditiæ, ad principem mittere Batimauſam, quẽ perpulchro munere donauimus. Id erat munus tunica quædam ſericea, contexta more maurico: nos tunicam interiorem appellamus, ſiue camiſiam: inſtituimusq; Turcimanum, ut munus his uerbis exornaret: Nos, uidelicet, huc cõtendiſſe, ut fœdus & neceſsitudinem eximiam nomine regis Portugalliæ, ſiue Luſitaniæ ſecum iniremus, uelleq; commercia exercere, ubi ſibi complacitum fuiſſet: & ſi noſtrarum rerum egeret, eis æque ac ſuis uteretur, noſtrum regẽ nuſquam defuturum, ut illi morem gereret uſquequaque: aliaq; quamplurima adiecimus, quæ ſciens prætereo, ne ſurgat opus in Iliada magnam. Pro-
B fectus eſt itaque mancipium Nigrita comite: & ut breue faciam, principi noſtro nomine cuncta expoſuit. Quo effectum eſt ut maximam cum principe amicitiam conflauerimus, permutauimusq; plurima. Dedit enim pro noſtris mercimonijs mancipia, & auri quippiam: aurum tamẽ ibi infra famam nominis reperimus, utpote qui audiueramus regionẽ huiuſmodi ſcatere auro plurimo. Inuenitur quidem aurum: uerum magni penditur ferè ut apud nos: ſciũt rem præclarã eſſe, licet cum rebus minimis permutent: quæ ſi à nobis conſiderentur, ſunt profecto uiles: apud eos tamen ſunt in pretio nõ mediocri. Id efficit regionum uiuendi uaria conſuetudo, ibi etiam ſtetimus ad dies ferè quindecim. Interea ibant cateruatim Nigritæ ad claſſem noſtram, loco miraculi noſtra & nos ducentes: nõnulli ut permutarent ſua, alij ut rem non uiſam prius conſpicerẽt: accedebant aliqui, ut fuſaras uenderent, id eſt, genus mercis cotonum, & eius filum, & tunicas ex eodem: hæc erant multijugi coloris, ut ſunt punicei & albicãtis, necnon uermiculati coloris. Ferebant & feles propè omne genus, quandoquidem ea regio ſcatet animalibus huiuſmodi, ueduntq; pretio uiliori, utputa marchetis decem, non tamen ipſa pecunia: ignorant enim omne genus pecuniæ: uerum re quapiam, quæ decem marchetorum pretium non excedat pro fele quolibet. Adducebant & alia quamplurima, ut ſunt pelles felium, & caſtoreum, & id genus alia: dabant unciam caſtorei, id eſt muſcati, pro re pretij marchetorum quadraginta uel ad ſummum quinquaginta: non tamen pondere aliquo permutabant: nam omne genus ponderis neſciunt: uerum ſi res data ſpectetur, unciæ pondus expleret. Ferebant inter alia cariotas, id eſt, dactylos palmarum fructus, & fructuum genera omnia. Ex his nonnulli ſylueſtres erant, non tamen inſuaues: ego tamen his abſtinui metu profluuij corporis: ſoluũt enim mirum in modum aluum. Itaque ibat ad nos quotidie frequens hominum turba, nec idiomatis unius: uarium erat linguarum genus, nec deſinebãt uecti cymbis ſuis (almadias uocant) ultro citroq; commeare flumẽ ſulcantes, traijcien

tes de loco ad locum, modo huc modo illuc uecti, ut apud nos in quibusdam fluminibus est uidere, utputa Lugduni Galliarum urbe in Arari flumine placidissimo: uerum omnis eorum nauigatio remigijs absoluitur: his mirum in modum stantes naues impellunt: utrinque in puppi plus remigum maior est numerus, modo hinc, modo illinc, ut medio æque utrinque librata nauis incedat, in neutram partem magis declinans. Stantes itaque remigant, ui lacertorum nullis inhærentibus remigijs. Verum sic fabricantur remigia: Habent lanceam longitudinis passus unius & dimidij, in cuius summitate alligant asserculum quendam teretem, uti nos in mensa utimur pro patinis, quum loco argenti uel stagni ligna succedunt, frugalitate, uel potius pauperie suadente: hoc instrumento nauigant, & quidem citatissime: almadiæ suę à latere semper litus haudquaquam deserentes, suntque ibi paruorum amnium ostia complura, quæ exonerant in mare: his se committunt tutius, nec multum ab regionibus suis recedunt, ne ab suismet Nigritis corripiantur, & captiui facti demum pro mancipijs uendantur Christianis. Dum itaque illic mercamur cum Nigritis ægrotare nostri cœperunt febre adrapida & calidissima: propterea ut nostris cōsuleremus, protinus illinc soluimus, rursus ad ostium dicti fluminis reuertentes.

De syluestribus elephantis, & quomodo capiantur.

CAPVT XLIII.

DE rebus huius regionis quæ referri possunt à nobis, qui eas uel subiecimus oculis, aut à fide non indignis accepimus per id tempus, quo illic fuimus, de fide ipsorū potissimū auspicabimur. Idola igitur summopere colūt ritu multiplici, fidē non mediocrē fascinationibus adhibentes: patrant & alia innumera dæmone suadente: deum tamen norunt, licet cognitū nō obseruent, alij Mahumetem spurcissimum uenerantur, & hi ut apud nos Aegyptij populi uagantur extra solum patrium: & in primis apud Mauros degunt: incolæ uero regionem non excedunt suam. Viuunt ut Nigritæ regni Senegæ prædicti, & ferè eisdem cibis aluntur. Id plus habent, quòd orizam uberius ibi legunt: quoniam in regno Senegę non nascitur. Vescuntur canibus, quod nusquam alibi comperimus. Vestiuntur cotoninis: at Nigritæ ferè in uniuersum nudi incedunt: nam apud illos maior est cotonorum copia. Mulieres uniformem habent habitum: prius tamen quàm adolescant, corpora compungunt stigmatibus nonnullis, quæ igne inurunt, ut perpetuo remaneant. Notæ huiusmodi præsentant ornatum quendam factum in sindone opere polymito ex serico contextum, coloris multiplicis. Plaga est admodum torrida: & quanto accedunt magis ad austrum, eo plus sunt exustiores: & cum primis secus flumen calor grassatur eximie ob arborum frequentiam. Nam æstus ubi exhalare nequit, urget magis. Arbores uero ibi sunt tantæ magnitudinis, ut earum ambitus sit pedum XVII. licet eminentia altitudinis non quadret magnitudini: non enim altius tolluntur quàm pedes XX. cariosæ sunt tamen, & sine senecta, ut euenit annosis arboribus, siue carie quapiam commaculatæ erant & corrosæ. Aiebant etiā incolæ multo eminentiores arbores in regione huiusmodi esse, faciuntque hæ arbores, ut non difficulter credamus terram illam feracissimam fore: quoniam ubi arbores adolescunt in tantum incrementum, regio haud dubie non potest esse non irrigua. Fert etiam hæc regio elephantes, sed syluestres, neque ibi cicures fiunt aut domantur, ut alibi gentium. Vidi ego aliquando quatuor ex huiusmodi nemus egredientes, quos ubi sum è naui speculatus ego & socij complusculi, exiliuimus è naui contendentes ad eos: qui ubi nos conspexere, mox nemori sese dedidere. Vidi & exanimatum elephautum, quem occidi iusserat princeps quidam dictus Gnumimensa, in gratiam meam. Is princeps accola est ostij fluminis Gambræ, & profectus est uenatum concomitantibus compluribus Nigritis, biduo ferè continuo. In hoc igitur uenatu oppetijt prædictus elephas. Pedites exeunt ad uenationem, arcubus &

A machæris armati, & sua arma omnia illinunt ueneno præsentaneo. Nec id uos lateat, hos populos elephantos in nemoribus uenari, ubi cœni plurimũ cernitur: Nam id genus animalium suapte natura ut sues in cœno uolutantur creberrime. Hi itaque Nigritæ pone arbores delitescunt, ac prætereuntibus elephantis sagittas & uenabula infigunt, saliuntq; miro modo de loco in locum, ab una arbore ad aliam, donec feriant elephantum: qui quum maxima mole prægrauetur, nequit insidiantis ictus uelocissimos deuitare. Si tamen id tentarent in locis apricis & patentibus Nigritæ, in eis potissimum ubi nullæ uisuntur arbores, non euaderent profecto uires elephantorũ: quandoquidem nullus hominum tantæ pernicitatis inuenitur, quẽ mox elephas non comprehendat etiam non currens, sed gradatim incedens: id efficit animalis uasta magnitudo, & ubi usu euenit, ut irato omine elephas in agris patentibus hominem sit consequutus, non euadat quidẽ: nec aliter lædit quàm promuscide, manũ appellant. Hac itaq; homines corripit circumamplexu, & adeò iacit in sublime, ut sæpenumero correpti hoc modo prius efflent animam, quàm terram contigerint. Hęc elephantis promuscis non multum absimilis labro suillo. In hoc differunt, quòd huic ea est uolubilis ad nutum, ut modo uibret, modo pro libito retrahat. Id à compluscul is Nigritis accepi: non efferantur tamen, nisi prouocati: nec hominem lædunt, nisi prior iniuriam intulerit ipse. Vidi ego aliquando illic occisum elephantem perquam mediocrem, cuius dentium amplitudo palmos ternos excedebat: eminebãt ad duos palmos: uerum palmus contectus carne maxillæ immergebatur, ut totus occultaretur, ut sunt aliorum radices dentium: & quoniam eorum senecta dentibus cognoscitur, aiebant argumento dentium amplitudinis feræ despicabilis, ipsum haudquaquam annosum fore, si conferatur alijs proceribus, quorum dentes tantæ sunt magnitudinis, ut uicem postium suppleant, & pro palis sepes muniant, teste Plinio: & ut ipsi referebant, nõnullis eò amplitudinis crescunt dentes, ut duodecim palmorum mensuram excedant: &

B licet præfecerim, hunc elephantum, si spectentur cæteri, minime fuisse conspicuum: erat tamen tantæ proceritatis, ut unus plus carniũ haberet, quàm tauri quinque nostri. Donauit me igitur hoc elephanto princeps eo pacto, ut tantum carnium assumerem, quantum libuisset, reliquum uero uenatoribus impartirer: quoniam illi in cibatu elephantos gratissimos habebant. Inuitabar propterea identidem ab eis, ut & ego carne huiuscemodi uescerer. Iussi igitur partem animalis concidi in frusta, & ad classem deferri meam, mox'que ahenis excoqui subiecto igne. Alij aliam partem torrebant, perinde ut & elixum & tostum comederim: non quidem uoluptatis, quæ nulla erat, sed experientiæ causa, ut iactare possem me aliquando esitauisse eas carnes, quibus conterranei nunquam uesci consueuere. hæc summa est, carnibus, uidelicet, huiusmodi me minime delectatum fuisse. Insuauis est gustu & asperrima dura'que nimium. Tuli etiam ad classem promuscidis partem, idest manus elephantis: euulsi etiam ab eo pilos, qui nigricabant, & quasi duorum palmorum mensuram excedebant, erant'que amplitudinis haud contemnendæ. Hos igitur, & carnis nonnihil in Hispaniam detuli, & omnibus principem Don Hurich prænominatum donaui, qui hæc omnia loco præclari muneris excepit, ueluti rem nouam, & hominibus regionis illius hactenus incognitam: nam hunc principem delectabant eximie, quæ ab remotioribus partibus orbis deferebantur: & in primis obseruabat uir princeps, ut earum rerum fieret particeps, quæ opera sua & diligentia comperta fuissent.

Velocitas elephantis.

De tibijs elephantis, & cabalino pisce, CAP. XLIIII.

NOueritis igitur, elephanti pedem teretem esse instar pedis equi, obrotundum circumquaque, uerum ex callo nigerrimo amplissimoq;, inq; pedis callo ungulæ quinæ in una parte pedis: ea, uidelicet, quæ promixior est plantæ: nam singulæ ungulæ grossoni argentei mensuram haud excedũt:

licet parui elephantis occiſi pes eſſet: uerum planta pedis eius unius palmi A
& medij excedebat latitudinem, pro quadrata qualibet parte: quoniam, ut
pręfeci, pedes habent obrotundos, ut ſunt apud nos lignei aſſerculi, quibus
in menſa uiri frugi utuntur: Galli trenſcieu, nos talieros ſiue orbes appella-
mus. Donauit me pręfatus Nigritarum princeps pede elephantis alio, cuius
planta menſuram trium palmorum ſuperabat: id ego met ſum metitus aſtan
tibus compluſculis, eãdemq; latitudinem omni ex parte habebat. Donaui
igitur principem rurſus hoc pede, & dente palmorum duodecim, mire à na-
tura exornato. Hæc itaq; omnia princeps prædictus ceu rem pręclaram mu
lieri duciſſæ Burgundiæ dono dedit. Nec eſt quòd credant aliqui elephantũ
non habere plicatiles tibias: quoniam falluntur plurimum: nam plicant ge-
nua ut cætera animalia, & pro libito humi ſe proſternunt, & ſurgunt quum
libuerit, contra quorundam opinionem. Flumen itaque Gambræ, & eius re
gionis complures omnes calcatricem nutriunt, & in primis piſcem mirę na-
turæ, inſtar uituli marini, ni caput equinum haberet. In hoc tamen uitulum
marinum imitatur, quòd uidelicet modo aquaticum, terreſtre modo eſt ani
mal, utroque elemento uiuens: uaſtum corpus habet, ut bos fœmina quæ-
piam, licet crura ſint multo graciliora: biſculos habet pedes, et ut dictum eſt,
caput non abſimile equo: dentes duos habet, hinc & hinc prominentes, ut
eſt uidere in apris: ſuntq; hi dentes tantæ magnitudinis, ut duorum pal-
morum impleant menſuram. Egreditur interdum hoc animal flumen & ter-
ras petit, ut quadrupedia: nec alibi quàm hic huiuſcemodi piſcis inuenitur.
Apud eoſdem Nigritas reperiuntur ueſpertiliones & noctuæ magnitudinis
triũ palmorum, & multiplicia auitiorum genera, quæ præſertim à noſtris nõ
mediocriter differunt. Sunt & innumeri pſitaci, & piſces cõpluſculi noſtris
prorſus abſimiles cum guſtu, tum etiã forma: in cibatu tamẽ haud inſuaues.

De flumine Caſamanſe, & Capite rubeo.

CAPVT XLV.

EFfecit igitur noſtrorum aduerſa ualetudo, ſicuti retuli in ſuperioribus, ut B
operæ pretium fuerit mox ab regione principis Batrinenſe abire. quare
illinc ſoluentes, breui flumen euaſimus. Quum igitur ſuperauiſſemus flumẽ
dictum, & annonæ omne genus plurimum nobiſcum haberemus, uiſum eſt
fore laudabile, ſi ultra dictum flumen uela faceremus: ad id accedebat maior
ſolito ſecuritas, utpote qui ternas naues habebamus: & dũ hæc tractamus,
quadam die circiter diei horam tertiam uela dedimus felicibus uentis: quia
uero uix euaſeramus ſinum Gambræ, & ab ea parte continentis, qua domi-
natur Notus ſiue Auſter, mare ſæuiebat magis, nos Occidentem uerſus Ze-
phyro prouehebamur abeuntes à continente: terra tamen quã deſeruimus,
erat æqualis admodum, & innumeris ſcatebat arboribus: uerum ubi altum
tenuere rates, mox apparuit angulus quem dicta terra faciebat, haudquaquã
dignum memoratu, quum in eo nihil foret conſpicui: & id pro comperto ha
buimus: illico ultra dictam frontem inſtar anguli omnis litoralis plaga no-
bis ſeſe uno intuitu pręſentabat. Nauigabamus igitur diſcedẽtes ab ea quan
tum poteramus: quoniam allatrabat eam undabũdum ac atrox mare intror-
ſus ad quatuor milliaria. Certiores de hac re nos reddebant duo homines in
prora, ſpeculæ fungentes officio, nec non alius in celſo nauis malo, qui præ-
dicebat ſcopulos, & alia diſcrimina maritima, ut ſunt breuia & ſyrtes, & in
mari terras ab aquis deſertas aliquando, ſiccas appellamus. Interdiu ſolum
adnauigabamus, uix uela facientes, ne in ſcopulos incideremus nolentes, no
ctu ſemper pauentes cuſtodem habebamus uigilem: ibant noſtræ celoces
continenter, ideſt, mox poſt alterã altera, iactis ſortibus, quis præcedere de-
beret: nam quiſq; alium præmittere uoluiſſet: uerum ne quis ferret grauatim
frequentius quàm cæteri ſubire pericula, alternatim id præcedendi officium
nauabamus. Igitur à latere regionis prædictæ iter facientes, ita tamen ut ter-
ram conſpicaremur uſquequaq;, die tertio poſtquam illinc ſolueramus, per-
uenimus

A uenimus ad ostium fluminis cuiusdam non mediocris, quod patebat quingentis ferè passibus: & procedentes quasi ad occidentem mox reperimus paruum sinum quendam: ubi ancoras iecimus, quum iam aduesperauisset. Quum uerò illuxit, uela dantes uentis, dum insinuamur nonnihil cedentibus terris, ecce ostium alterius fluminis, quod magnitudine cum illo Gambræ fluuio propè cõtendebat: in cuius ripis utrinque arbores conspiciebantur innumeræ: & quoniam uisa est plaga ferax, illi appropinquare decreuimus. Ostio igitur applicuimus, & quisq; nostrum cymbas emisit suas, necnõ & Turcimanos, qui & interpretis & exploratoris uices supplebant aliquando, prout tempus & loca exigebant. Hos igitur emisimus, ut terram & mores hominum ac flumina, & si quid ultra dignum erat scitu, explorantes nobis referrent. Profecti igitur, & dicta exequentes redíere: id noui afferentes, flumen, uidelicet, uocari Ra, ditionem esse principis Casamansæ Nigritæ qui interiora fluminis incolebat ad triginta milliaria: uerum principem domo per id tempus abesse, & bello uacare contra uicinum regulum. His itaq; cognitis, die sequenti illinc abiuimus. Nec præteribo sinum hunc Casamansem abesse à sinu Gambrę ad leucas ferè XXV. quę milliaria centũ efficiũt.

De fluminibus ibidem repertis & gentibus, CAP. XLVI.

QVum à flumine memorato recessissemus, litori semper inhærentes, ad quoddam caput deuenimus, nostra sentẽtia à prędicto flumine distans milliaria XX. & id caput eminentius est nonnihil si terræ circumadiacenti conferatur: & quoniam in fronte præferebat terram rubram, Caput rubrum nuncupauimus: & rursus superato Capite, nauigantes deuenimus ad ostiũ alius fluminis, patẽs nostro iudicio iactu arcus, quod prætereuntes ibi nihil immorati, sinum sanctæ Annæ appellauimus, & persequuti iter nostrum peruenimus ad flumen aliud haud impar illi sanctæ Annæ, & hoc sinũ nun-

B cupauimus sancti Domini. Is abest à Capite rubro milliaria fere LX. Illic abeuntes nauigãdo semper à latere post unius diei nauigationẽ deuenimus ad uastissimum cuiusdam ingentissimi fluuij ostium, quod primo cõspectu censuimus sinum esse quempiam. Verum quoniã altrinsecus conspiciebantur arbores innumeræ Austrũ uersus præsertim, flumẽ esse cognouimus: nã ostiũ fluminis patebat ferè milliaria XX. Triuimus igitur tempus traijciendo dictum flumen, & ad ulteriorẽ ripam deuenimus: mox apparuere insulæ quędam. Decreuimus propterea illinc prius haudquaq; soluere, quàm de regione comperti aliquid habuissemus. Iactis itaq; ancoris, stationem inibi fecimus nostram: & ecce sequẽti mane almadiæ duæ ad nos citatissimo gradu contendebãt, quas ut uidimus, pauere cœpimus, & reassumptis animis, ad arma concursum est, ut si forte uenissent uim illaturi, non inermes deprehenderemur: non prius tamen appropinquauere nobis, q̃ erecta hasta quapiã, cui adligauerant sindonem albã, ut securitatẽ accedendi peterent. Signo huiusmodi hoc uiso, & nos idem dedimus concordiæ signũ: quo cõspecto Barbari accessere propius, et in primis maior almadia celoci meę appropinquat, nosq; lumina nusq; deflectentes cõtuebantur uiros albos admirati, nauesq; nostras mirari non desinebãt, malumq; & antemnã, res illis incognitas conspectabant propè stupidi. Quare percupidus ego noscere gentem, & ad mutua colloquia descendere, monui mancipia nostra, ut compellarent hos Nigritas. Verum lusere operam loquendo, quoniam nusquam nostrã linguam intellexere, minusq; nosipsi eos intellexeramus: quod summopere displicuit Illinc igitur soluimus, ubi sciuimus nos terere incassum tempus: decreuimus cõducibilius fore, si gradũ referentes ultrà nõ progrederemur: quando quidem quãto magis ulteriores plagas audiuissemus, tãto minus eorũ idiomatis capaces eramus, nullaq; commercia sperabamus, ubi sermonis mutui copia nõ dabatur, reluctante natura. Hæsit itaq; cordi nobis regredi, & lares patrios repetere: nõ prius tamẽ illinc abiuimus, q̃ merces nonnullas cõmutauerimus biduo in ostio fluminis cõmorati. Vidimus etiam ibi Septentrionem

nem prope terram cõtigere, adeò deprimebatur. Deprehendimus etiam ibi naturæ quædam pugnantia, quæ nusquam comperimus, ubi Christiani degunt, aquam, uidelicet, crescentem, decrescentemq; decremẽto, actuq; imparibus. Nam Venetijs & alibi gentiũ, mare flat horis sex, & in totidem refiat, id est, crescit & decrescit paribus spatijs. Illic uero increscit mare horis quatuor, & idem decrescit horis octo, idq; fit impetu tanto, ut non sit satis existimare an res credulitatem omnem superet, adeoq; mare sæuiebat, ut tribus ancoris iactis, ex prora irreuocabili fere pondere, ne sic naues sisti satis poterant: & usu aliquando euenit, ut atrox tempestas eò discriminis nos adduxerit, ut ui coacti fuerimus uela facere non sine discrimine uitæ, quoniam maior feruor & æstus procellosi maris erat quàm uis uentorum.

Quomodo illinc soluimus ob id quòd idioma nesciebamus.

CAP. XLVII.

Abiuimus itaq; ab ostio huius uasti fluminis, ut rediremus Hispaniã, iter faciẽtes per has insulas, quę à cõtinẽte per milliaria fere triginta absunt, hæ enim sunt numero quatuor: duæ maiores incoluntur à Nigritis, soli sunt non inæqualis, nec eminentis: uerùm depressi admodũ, inq; eis arbores magnę proceritatis: nulla etiam ibi sermonis cõmercia fuere, quia alter alterum haud intelligebat. Inde igitur soluentes, uersus patriam contendebamus, quò deo miserante breui peruenimus laboribus innumeris superatis.

LIBER SECVNDVS NAVIGATIONIS EX VLISBONA VSQVE CALECHVT, TRADVctus ex idiomate Lusitano, in Italicum sermonem.

CAPVT XLVIII.



VICQVID ego uidi accepiq; ab alijs per id tempus, quo eas partes adiui, id totum retuli in superiore tractatu: uerũ post me eadẽ partes adiuere complusculi, & comprimis Portugallenses, qui orbis explorãdi causa ab eorum rege ex composito missi fuere: nam fato iam functus, suo principi infanti Don Hurico rex Lusitaniæ celoces duas expediuit, duce Petro Sinzia alumno præfati principis: huic princeps iussit ut totum latus Nigritarum excurreret, & nouas regiones adiret. Hunc igitur Petrum classis præfectum concomitatus est adolescens quidam, cum quo mecũ maxima intercedit amicitia, quiq; dum peragraui easdem partes, amanuensis meus fuit. Quum itaq; redirent pręfatæ celoces, ego Aloysius Cadamustus concesseram eò loci, qui dicitur Lachus, non longe à Sacro promontorio Lusitaniæ, aliter dicitur Caput sancti Vicentij. Dum igitur illic agerem, ecce dictus Petrus præfectus classis & amicus ille meus diuerterunt in ædes meas, qui abs me amice excepti, omnem suam nauigationem sedulo exposuere, locaq;, & quibus nomina indidissent haud reticuerunt, explicantes singula ex ordine, prout in sequentibus mox colliquescet, et in primis sunt orsi à Sinu magno, quem nos adiueramus. Primo loco itaq; dictus amicus referebat se lustrauisse duas memoratas magnas insulas, quas cultas esse adseuerabat, & in primis ad alteram illarum propius accedentes, cum incolis Nigritis colloquuti sunt, licet alterum alter haud intellexerit: uisere tamen eorum domos, quæ sunt mapalia, id est, ex paleis humiles casæ, pastorales domos appellamus, inibiq; colossos & statuas ligneas idolorum comperere, quibus satis ac super cognouere eos idolorum seruituti esse addictos. Vbi igitur nihil consequi ab eis potuere linguæ difficultate, illinc abiuere iter suum persequuti à latere semper, donec deuenere ad ostium cuiusdam magni fluminis, quod, ut aiebant, patebat longitudine trium uel quatuor milliarium, aiuntq; dictum flumen abesse à Sinu magno, cuius meminimus,

A mus, milliaria ferè quinquaginta, per latus semper: adfirmabatq; dictum sinum uocari de nomine cuiusdam reguli dicti Besegne, cuius regio adiacet dicto fluminis ostio. Deniq; abiuimus à fluminis prædicti ostio, à latere semper maria sulcantes, quoad peruenimus ad quoddam Caput, quod Verge appellant, cuius plaga asperatur montibus, non tamen multum attollitur, distatq; eorum sententia, flumen prædictum à Capite huiusmodi milliaria ferè centum & quadraginta. Suntq; in his montibus arbores propè innumeræ, sua uiriditate uoluptatem contuentibus etiam eminus afferentes: proceræ igitur sunt, & conspicuæ admodum.

De Capite Sagres, & alijs tribus, ac de nominibus ingentium fluminum.

CAPVT XLIX.

SVperauere igitur dictum Caput Verge, à latere semper nauigantes itinere milliarium LXXX. Et ecce aliud Caput apparuit eminentius eis omnibus, quæ unquam uiderant ipsi: nam tollitur in sublime supra omnẽ æstimationem, & acuminatur instar adamantis, scatetq; multijugis arboribus, huic nomen indidere Sagres, in memoriam eius arcis, quam in fronte promontorij Sacri princeps infans beatæ memoriæ condi iussit, quam appellauit Sagren. Hanc Lusitani Caput Sagres de Signea appellant, addebantq; naucleri memoratos populos idolorum latriæ plurimum uacare, argumento imaginum lignearum, quas colunt impense, nec prius discumbunt cibum sumpturi, quàm dapes obtulerint suis idolis. Sunt nigri, & ferro candente notas & stigmata inurunt corpori, presertim in fronte: hi tamen citius in subcinericiũ colorem inclinant quàm in nigrum: pro subligarijs quibus pudenda contegunt, libris utuntur arborum, cætera sunt nudi, arma habent nulla, quia ferro carent. Viuunt oriza, melle ac leguminibus, fabis, uidelicet, & fasiolis nostris non absimilibus, licet elegantioribus, carnibus uescuntur uaccarum caprarumq;: non tamen ad satietatem, quoniam nec huiusmodi abundant. Et

B ultra dictum Caput aiunt esse duas insulas perquam mediocres ob angustiã illarum incultas: altera illinc milliaria sex, altera octo distat, scatẽt tamen arboribus: habẽt etiam illius fluminis accolæ almadias quasdam instar nostrarum maximas, his maria sulcant, hæ enim sunt triginta uel quadraginta hominum capaces: stantes remigant, ut præfecimus: aures habent circunquaq; terebratas foramine multiplici. In his foraminibus appendunt annulos aureos, ut olim margaritas Aegyptij: ferunt etiam appensos annulos naribus, quos haudquaquam detrahunt, nisi cibum sumpturi. Itidem agunt & fœminæ: id plus habent mulieres principum & optimatũ, quòd perforata circunferunt labra, inq; eis condalia, annulorum genus, ut alij Mauri gerunt, adimuntq; pro arbitrio, & id est principatus uel magnæ claritudinis specimen præclarum. Vltra dictum Caput Sagres ad milliaria ferè XL. inuenitur alius sinus dictus nomine sanctus Vincentius, cuius ostium patet ferè milliaria quinquaginta, secus latus prædictum. Est alter sinus dictus Viridis, magnitudine excedit sinum sancti Vincentij. His fluminibus & sinibus indidere nomina Lusitani nautæ, quos rex Portugalliæ eò miserat explorandi orbis gratia. Regio est tota implicata montibus, unde & amnes, & parua flumina cõplusculа deriuantur, redduntq; irriguam terram, nec peragratu est difficilis. Vltra dictum sinum Viridem ad milliaria circiter CC. & quatuor aliud Caput apparet, quod Lætum appellarunt, ob apricitatem regionis, quæ à dicto Capite auspicatur. Post hoc caput mons est eminentissimus, totus arboribus consitus iugiter uirẽtibus. Superato dicto monte introrsus mare ad octo milliaria uisuntur insulæ quædam paruæ, quarum maior ambitu patet milliaria quasi duodecim, hanc Syluestrem appellarunt, montem Leonẽ dixere: huic succedit ima, sed patens regio tota harenis strata, ut plerunq; in litore maris est propter fluxum & refluxum iactabundi sali. Quũ uero præterieris montana Leonis, mox fluuius labitur ingens, cuius ostium circuitu patet milliaribus ferè tribus: fluuium Rubrum appellarunt, ducti hoc argumento, quòd

terra erat rubra, & in eundem colorem aquæ, quæ solent esse cœrulei coloris inclinabant: huic flumini adiacet promontorium, quod de nomine fluminis nuncuparunt, eisdem moti causis. Contra autem dictum promontorium uisuntur duæ insulæ pari nomine nuncupatæ, & inde Septentrio uisitur, non plus distans à mari quàm hominis mensura, adeò ut uideatur contingere aquas. Distat autem ostium prædicti Rubri fluminis ab hac insula milliaria quasi decem. Superato monte Rubro, tellus se sinuat admodum aquis impellentibus, & fluuius ingens, quē appellarunt sinum sanctæ Mariæ niuis, quoniam ea die quæ est uirgini beatæ celebris, quia in exortu canis, quum candens sidus dominatur plurimum, conspectæ fuere niues, fluuius huiusmodi repertus est. Ab altera parte fluminis est frons quædam è regione, cuius paulum introrsus mare est quædam insula, ubi mare harenam emittit, & efficit breuia innumera, estq; procellosum admodum, ob montes adiacētes, & exonerantes in id fluuios, propterea insulam dixerūt Scamnorum, quoniam sic egestæ harenæ referunt scamna, & abacos, ut dictum est abunde superius. Vltra dictam insulam eminet Caput magnum, cui nomen diuæ Annæ indidere, quoniam ea die est repertum. Abest autem promontorium huiusmodi à dicta insula milliaribus XXIIII.

De flumine Palmarum, & alijs quampluribus.

CAPVT L.

VLtra itaq; dictum flumen sanctæ Annæ ad milliaria ferè LXX. per latus inuenitur aliud flumen, cui ob copiam palmarum nomen à palmis inditum est: ostium autem huius fluminis licet uaste pateat, est tamen repletū harenis, & breuijs, quæ quasi inaccessum ipsum faciunt, quoniam non superatur absq; magno discrimine. Item abest Caput sanctæ Annæ ab hoc flumine milliaribus propè LXX. totumq; litus est aridum, & nullius ferax, licet pateat plurimum. Ibi etiam inuenere aliud flumen, quod appellarunt Sinū fluminum, argumento, quòd quando repertum est id flumen, conspexere innumeros amnes, & aquarum decursus incolarum arte factos. Supra dictum flumen ad milliaria XXIIII. per litus semper, caput quoddā inuenitur, & in mare multū eminens, inq; eo mons peraltus: hoc promontoriū appellarunt Caput montis. Vltra quod progrediendo ad sex milliaria, inuenitur aliud paruum Caput, neq; eminens, & in eo paruus admodū mons, quem Cortesium nominarūt. Ibi igitur collucentes ignes quamplurimos uidere, præsertim super arbores, & in litore uasto: nam hos accenderant incolæ regionis, ut eminus nos ueluti è specula conspectarent: erant enim illis nostra nauigia hactenus incognita. Superato dicto Capite, secus litus nemus condensissimū conspicitur, cuius arbores maris aquas obumbrāt, adeò ipsi mari adiacent. Post hoc nemus apparuere quædam almadiæ, & in qualibet illarum uiri tres nudi, qui pro armis clauas quasdam gerebant: nam hæ clauæ referebāt suo modo tela: habebāt etiam cultellos paruos in manu, & clypeos duos, arcus uero tres. Hi igitur celoci appropinquauere, auribus & naribus perforatis, alij habebant dentium humanorum torquem collo dependentē: hos compellare & alloqui uarijs interpretantibus mancipijs cœpimus: uerū licet Turcimāni nostri forent Nigritæ, & uarias nossent linguas, nusquam tamē consequi potuere, ut mutuo se intelligerent: & quamuis alter alterū intelligere nequiuerit, tres tamen ex illis ingressi sunt nostras celoces, quorum unum cœpimus ducendum ad principem, quoniam rex iusserat, ut quoties euenisset, ut ultra progredi nauigando complacitum nobis nō foret, ex ultima regione quam adiuissemus, uirum quempiam ui uel amore abduceremus. Vt itaque dicto principis pareremus, hunc ui abduximus Vlisbonam, quem alloquutus est mancipiorum Nigritarum genus multiplex. Sunt enim Vlisbonæ propè ex omni genere mortales cōplusculi: propterea sperabat princeps se abductum uirum per diuersa mancipia posse de rebus nouis percunctari. Quum igitur tentassent omne genus linguarum, ut captum Nigritam intelligerent, uicissimq;

A ſimq; intelligerentur, nullus unquam eſt id conſequutus, præter fœminam Nigritam, quæ addicta erat ſeruituti cuiuſdam patricij Vliſbonenſis. Hæc itaq; uirum huiuſmodi intellexit, & mutuo fruebantur colloquio: nec eſt conſequuta decus huiuſmodi idiomate proprio, uidelicet patrio, uerùm lingua quadam media, quam uterq; probe callebat. Igitur interprete fœmina huiuſmodi nihil noui habuimus, prҿter id, quod in ea regione unde abduxeramus uirum hunc, unicornes uiui reperiebantur, & aliæ res quamplurimæ. Quare quum dictus princeps hominē domi tantiſper habuiſſet, donec uir edoctus eſt res regni ſui præclaras: deniq; decreuit eum miſſum facere, prius datis homini nōnullis muneribus, quæ ipſe petierat. Expedita itaq; celoce iuſſu principis, hic Nigrita patriæ reſtitutus eſt honorificentiſſime. Vltra igitur hunc locum unde abduxeramus uirum huiuſmodi, nemo eſt adhuc progreſſus uſque ad eum diem quo ego ſolui ab Hiſpania, qui fuit. M. CCCC. XCIII. menſis Februarij primus. Cæterùm nemori prædicto nomen eſt inditum Sanctæ Mariæ niuis. Nec id prætermiſerim, quòd die ſeptima dùm redirem ſecus litus nauigans, uidi Caput Album, quo poſtera die ſuperato circiter meridiem in mari apparuit belua immaniſſima, habens effigiem piſcis, quæ in nos gradu citatiſſimo contendebat: hęc à nobis in prora exiſtentibus conſpecta eſt illico, quam ut uidimus, cœpimus trepidare, quippe qui uaſtiorem nuſquam uideramus. Ibat igitur belua huiuſmodi tanto impetu ac fragore, celſo'ue capite, ut nos perterrefaceret plurimum: quare in re ſubita præſentaneum cœpimus conſilium: decreuimus propterea nobis fuga conſulere. Datis itaq; uento uelis quàm celerius potuimus, altum petentes, euaſimus diſcrimen Deo fauente. Præuentus eſt ergo piſcis huiuſmodi ſpatio unius milliarij: nec propius acceſſit: tunc eſt à nobis conſpectus ad regulam, nam diligentius formam beluæ conſiderauimus. Quum enim caput ſupra aquam efferebat, uidebatur alas quaſdam habere inſtar alarū molendini, quod uento cir-
B cumagitur, ubi non adeſt aquarum copia. Ob id, noſtra ſententia, uiſa eſt belua non minor liburnicis, id eſt, galleis noſtris. Quam ob rem Hiſpani omnes qui aſſueuere magnis nauigationibus, fatebantur ingenue, nunquam uidiſſe atrociorem uaſtiorem'ue beluam, quam tantopere formidauiſſent: licet innumeras uidiſſent balenas: confeſſione igitur eorum, hæc belua balenam ſuperat magnitudine.

De digreſſu & regreſſu Luſitanarum nauium.

CAPVT LI.

NAues igitur, quas miſit ſereniſſimus rex Portugalliæ, hæ fuere, primò tres, quarum duæ doliorum XC. capaces erant, baloneros appellāt, aliæ uero doliorum L. poſtremo nauem onerariam mediocrem, quæ annonam omne genus uehebat. Hæ igitur omnes ferebant homines ſupra centum & octuaginta. Soluère enim ab Vliſbona nona Iulij, M. CCCCXCVII. duce Vaſco de Ghimam. Decima uero Iulij, M. CCCCXCIX. nauis quæ tulerat dolia L. Vliſbonam redijt: præfectus uero claſſis ad quandam inſulam Capitis uiridis applicuit, ut germanum ſuum, qui graui ęgritudine adflictabatur, in terram exponeret. Altera naui retenta doliorū XC. capace, aliam uero cōbuſſit uirorum penuria, & alteram quæ uehebat annonam, rogo demandauit, quoniam etiam digreſſuri domi decreuerant, ut ea non rediret.

De Melindæ regno, & de urbe Calechut, ac alijs compluribus locis.

CAPVT LII.

QVum itaq; rediremus domum, erant nobiſcum homines circiter quinquaginta quinq;, qui multiplici genere morborum adflictabantur: alijs & ora, & fauces morbus corripuerat, aliorum crura ac genua, tabe, ſanie, uel adrapido dolore labefactauerat iugis ægritudo. Nouas igitur regiones plus ſolito adiueramus ad leucas fere octingentas. Vltra uero compertam regionem, ubi Caput bonæ ſpei uſq; ad cognitam plagam tempore regis Don Ioan. ſuperaruntq; dictum Caput ſpei leucis fere ſexcentum, à latere ſemper

A populi sunt Nigritæ: & peractis dictis sexcentum leucis, mox apparuit flumen ingens, cuius in ostio est frequens uicus Nigritarum, qui quasi eis Mauris subijciuntur, qui introrsus degunt, Nigritis bella inferunt assidue. Dictũ flumen auro scatet ingentissimo, ut referebant accolæ fluuij: rogabant nos propterea, ut illic nouam lunam opperiremur, & pro mora pollicebantur auri plurimum. At præfectus classis sistere gradum noluit, sed progredi celerrime cupiebat. Progressi itaque ad leucas trecentas quinquaginta, nacti sumus urbem circundatam muro, cultamq; à populis, Indis haudquaquam absimilibus: domus ibi ex lateribus & calce pulcherrimæ, ritu Maurico. Appulimus tandem his oris, & à rege Mauro perbenigne excepti sumus, à quo consequuti fuimus itineris ducem, pilotũ appellant. Traiecturi eramus sinũ quendam, cuius naturam ignorabamus: urbs Melindę appellatur: in ingressu ostij sinus sita est, quem sinum altrinsecus Mauri innumeri uicatim accolunt. Is igitur pilotus linguam Italicam probe nouerat. Superauimus igitur sinum traiectu leucarum septingentarum: & tandem deuenimus ad urbem Christianorum pergrandem, quæ magnitudine superat Vlisbonã, Calechut appellant, cuius sinus frequens est urbibus, & oppidis Maurorum: & in capite sinus sunt quædam angustię maris, ut dicimus strictum Romaniæ. Superatis his angustijs, aliud mare occurrit, id est, sinus, mare Erythræum appellant, siue Arabicum: & ab hoc latere domus scelestissimi Mahumetis abest itinere trium dierum, Mecha dicitur, ubi arca Mahumetis, & ibi præclara ciuitas, à Mauris culta, & mea sententia, is est sinus Arabicus, in quem, ut meminit Plinius, Alexandri magni & Romanorum arma penetrauere, & Romano tandem paruit imperio.

Mecha

De situ urbis Calechut, & de moribus regis, & de eius regia.

CAPVT LIIII.

B ET ut reuertar descripturus urbem Christianorum Calechut, Vlisbona maiorem esse noueritis. Hæc igitur colitur ab Indis Christianis, qui in eum colorem inclinant, qui est inter nigrum & album, Bigas appellant: ibi templa cõplura, & tintinnabula: uerùm sacerdotibus & cultu diuino carẽt, tantum in suis delubris uisuntur: uasa quædam cum aquis, cum etiam balsamo plena, omnisq; triennio immersi flumine quodam baptizantur. Is fluuius præterluit urbem, ubi templa ex laterijs coctilibus calceq; fabricata conspiciuntur more Maurico. Diuisas uidebis urbes per uicos & angiportus, ut mos est in Italia, stratas nos appellamus, Galli rues. Huius urbis regi incredibilis seruitus exhibetur à subditis, uiuit more regio ac sublimi fastu, longum seruorum ordinem post se trahens: admissionales, & æditυος ac cubicularios habet quamplurimos, regiamq; pulcherrimam. Verùm rex urbe aberat, quum præfectus classis nostræ appulit portum Calechut: qui ubi de eius appulsu certior est factus, mox illinc soluit, agebat in quodam oppido, quod distat à Calechut quinque uel sex leucis. Redijt igitur Calechut uiris ferè quinquaginta concomitantibus: & demum triduo transacto, iussit accersiri præfectum classis nostræ: quem ubi terram tenuit, illico excepere hominum quinque millia, & ad regiam deduxere principis, uiris duodecim comitatum: cuius fores obseruabant æditui decem, clauas gestantes ex argento faberrime factas. Deinde peruenere ad cubiculum regis, ubi rex iacebat in lecto imo, qui sic condecorabatur: primò totum cubiculum stratum erat uiridi serico, uillosoq;, uelutum appellant: at eius parietes cooperiebantur serico multiplicis coloris ritu Damasceno contexto, cubile uero instratum erat stragulo albicante, uerùm aureis filis intertexto, conopeoq; ditissimo inumbrabatur. Tum rex lecto sic est orsus ab imo, qui mortales forent, quonam peterent, auide percunctatus. At nostræ classis præfectus, O rex, inquit, Christianorum mos est, ut quum principem princeps per internũcium alloquitur, prius non promat legatus sui principis mentem, quàm astantes paululum secesserint: tunc rex innuit suis, ut parumper secederent, moxq;

Velutum

præfe-

A præfectus classis regem his dictis alloquitur, Regem, uidelicet, Portugalliæ iampridem compertum habuisse, quàm facundus foret, utpote rex celsitudinis immensæ, ac Christiani nominis non contemptor, cupiebat propterea enixe in eius amicitiam, & necessitudinem recipi, si pacis & concordiæ superet locus quispiam: & quod in huius rei certius argumentum, per suum legatum condigne eum saluere iubeat, ut Christiani reges seruant, ut mutuis consalutationibus apprime gaudeant. Rex itaque legationē, & regis consalutationem perquàm humane excepit, iussitque uni è summatibus locupletioribus, ut præfectum nostræ classis honorifice domi exciperet, monuitque ducē, ut sereno animo conquiesceret.

De aromatibus & moribus Calechut. CAP. LIIII.

IN hac itaque urbe Calechut uisuntur ditissimi mercatores, innumerique: hi sunt qui regē tum muneribus tum ingenio sibi conciliant, & fere pro libito gubernant cuncta. Habēt propterea Moscheam in foro, & ibi cōmercia exercent sua, plerunque sunt Mauri, uiri acres & exerciti mercimonijs. In urbē itaque Calechut comportant aromata fere omne genus, uidelicet, cinamum, piper, gariophyllum, zinziberim, thus, lachā. Sunt & syluæ sandalij cōdensissimæ: non tamen huiusmodi aromatum genera ibi nascuntur: sed fere undequaque importantur, ab insula præsertim, quæ abest ab urbe Calechut leucis CLX. à continente autem leuca una, in eodem latere ubi sita est urbs Calechut: eò itur terrestri itinere XX. dierum spatio: incolitur à Mauris, neque Christianis: Mauri dominantur, & inde plura aromata Calechut exportantur, quoniam ibi est emporium, & eorum statio: potior illorum moneta appellatur zaraffi ex auro obryzo defecatoque: hāc cudit Soldanus Syriæ dominus, pondere nostri nummi aurei, eam granis binis excedūt zaraffi: & ibi Venetorum, & Genuensium aurei expenduntur, & moneta parua argentea, quam cudere Soldanū arbitrātur. Ibi etiam sunt panni ex serico omniū generū, cocco alij, alij

B tyrio, purpura, uel buccino infecti: ibi etiam uidebis byssinū, id est, coccū tyrio infectū, & id genus cōplura sunt, & panni auro intertexti plurifariā, Attalici dicuntur: æra aūt fabrefacta & stannea uasa plurima comperies. Et ut tandem finiam, fere ibi nihil desiderant, quod ad humanū cultū pertineat. Et hæc mea sententia ex Babylonia Aegypti comportantur, Cayrum appellāt.

De nauibus quæ cauent à magnete, & de pretio aromatum.

CAPUT LV.

POrtugallenses in urbe Calechut commorati sunt, à die decimonono Maij usque in diem XXV. Augusti: & per id tēpus uiderūt innumeras naues, utputa supra mille ac D. quæ ultro citroque cōmeāt cōmercij gratia, & præsertim aromatum. Inter has naues quæ magnitudine alias excedit, nō est capax CC. doliorū: earū sunt magnæ quædam, nōnullæ uero paruæ, unū tantū malum habent, id est, arborem: nec nauigant, nisi uentum habeant in puppi, adeoque æstibus maris interturbantur, ut nonnunque semestri fere continuo, ut tranquillū fiat mare expectēt: submergūtur plurimæ, & miro artificio sunt fabricatæ: sunt tamen debiles, perinde ut armorum pariter ac tormentorū sint impatientes: quæ uero cōtendunt ad insulas, ut inde comportēt aromata omne genus, fundi sunt perquàm mediocris, adeò ut paruo ad nauigandum alueo egeant. Aliæ sunt quæ idcirco absque ferro sunt, quoniā uim magnetis pauēt: nam is lapis uisitur supra dictas insulas, quà iter ipsi faciunt. Dum urbi appellere usu uenerit, illarum statio est in terra, in luto tamen. Id enim curant ex composito, ut tutius degāt in arido: quum increscit mare, dant operā ut eius æstu naues impellantur in siccum, & ibi tantisper manent, donec finitis commercijs soluere illinc complacitū fuerit: mare ibi crescit & decrescit singulis sex horis, ut apud nos. Visuntur aliquando in sicco naues quingētæ uel DC. quæ res prope est incredibilis. Pondus cinami, id est, cantarorum quinque pretium X. aut XII. ducatorum nō excedit, si suam monetam consideres, id est, zaraffos, fere idem pretiū erit, ut præfecimus. Vbi uero legitur, minore mul *Zaraffi*

to pretio, utputa sex aureis pondus uenditur cinami, tantundem uenditur piper, ac gariophyllũ: zinziber uero dimidio minus. Lacha aũt ferè nihili uenditur, id efficit copia ingẽs, propterea uilipenditur. Itidem sandalium, cuius nemora uisuntur: pro his rebus nihil præter aurum & argentum, aut chorallium recipiunt. Merces uero nostras præter linũ paruifaciunt. Linum igitur ibi est in pretio: nam nostri nautæ camisias complures pretio non mediocri uendebant permutatione aromatũ: licet ibi tela sit perquam subtilis & candida, quæ, ni fallor, Babyloni, quæ est urbs Nili, quam Cayrũ appellant, tunditur ut hic. Si soluendum est uectigal, pro centum quinq; soluunt: pretiosos lapides tulere paucos, & eos ferè pretij nullius: quoniam, ut uerũ fatear, defuit eis aurum & argentum, quibus cõmercia exercebant. Dicũt etiam subesse aliam causam, quur non tulerint lapides, quòd, uidelicet, maiore pretiò quàm autumauissent uendebantur. Itidem de margaritis aiebant, nos tamen secus credimus: sed nobis persuademus eos perquàm uili pretio uendi, licet à Mauris emantur, qui semper plus æquo rem æstimãt, proq; re una quatuor petunt, procaces nimium: attulere tamen hos lapides, uidelicet, berillos, topazios, zaphyros, adamantes & chrysolitos, aiunt tamen præfectum classis emisse lapides pretiosos complures, argumento quòd omne suum argẽtum cum lapidibus huiusmodi permutauerit, uidelicet, uasa aurea argenteaq; cælata, quæ causa splendidioris apparatus secum tulerat.

De Mecha ubi est arca Mahumetis, & de monte Sinai, & mari rubro.

CAPVT LVI.

NAues quæ comportant aromata omnium generum, inibi plerunq; eundem sinum prægrandem traijciunt, quem Lusitani superatis illius angustijs, cymbis quibusdam, mare Erythræum, id est, rubrum traijciunt: dehinc terrestri itinere ad domum quæ dicitur Mecha, ubi Mahumetis arca uisitur, quæ à litore maris rubri abest introrsus itinere dierum trium. Inde ad Babylonem, id est, Cayrum Nili contendunt, transeunt ad radices montis Sinai, & demum per siccam harenam, ubi turbo quandoque adeò sæuit pulueris, ut uento puluis agitatus uiatores obruat: ita nonnullæ naues circumeũt totum eum sinum: aliæ fluuium illum, ubi comperere gentes multiplices prope Mauris adiacentes, cum quibus diutina bella agunt. Reperitur etiam in Calechut uinum maluaticum, quod fert Creta, id est, Candia insula: ex Cayro tamen comportatur eò loci. Aiunt etiam quòd nunc anni octuaginta fiunt, quibus nonnulli Christiani albi eò iuere commercij causa: nam hi pileos gerebant in capite albos, oblongosq;, ut solent Germani: barba his erat promissa inter nares & os, ut Byzantij mos est aulicis: cætera tonsi, barbasq; huiusmodi mastuchos appellant: hæ ferebant uiros loricatos ferreis loricis, ac thoracibus, nostris non absimilibus: hastisq; quibusdam utebantur, tormenta etiam habebant, uerùm nostris minora: postquam consueuere singulis biennijs semel eò contendere, classem non mediocrem trahentes, utputa nauium XX. aut XXV. Hanc gentem incolæ Calechut adhuc nesciunt, mercesq; præter linum quod deferunt candidum subtilissimumq;, nauibus malos quatuor habentibus, ut Hispanæ, exportant aromata: eos igitur ex Germania aduenisse minime arbitramur: nam id haudquaquam nos lateret: uerum plus fidei habet, ut sint Tartari è Roscia profecti, ut referũt quidam, qui crebro arant maria: tamen breui speramus huius rei certiores fieri, interprete Medio piloto, qui secum profectus est, nunc apud præfectum classis captiuum agit: nam nolens nauigat.

Mastuchi (margin) · *Medius* (margin) · A · B (margin letters)

De cibatu regis Calechut, & eius populis. CAP. LVII.

AD dictam urbem Calechut Christianorum magnam uim tritici comportant Mauri suis nauigijs: una die uiuit homo pane ualoris trium quatrinorum, qui tertiam solidi partem complent: panem conficiunt absq; fermento, non habent clibanos, uerùm sub cineribus, ut nos aliquando placentas torrent, eumq; faciunt in diem: oriza abundat, & bobus, uerùm nostris multo mi-

to minoribus, abundant etiam lacte & butyro, Assyrijs malis, eisque dulciori-
A bus, pomisque omne genus citrinis, alijsque fructibus mitioribus compluribus: Cariotas habent recẽtes, & passas, & prope fructus omnium generum. Rex eius urbis ab omni morticino abstinet: nã is mos inoleuit apud eos, ut ipse rex, ac reliqui aulici & probi fere omnes nihil edant, quod mortem patiatur: nullo ergo animali uescuntur, hoc argumẽto, quòd dominus noster Christus deus omnipotens tulit sententiam in Christiana historia, ut qui mortem intu lerit, & ipse pereat, alludentes ad illa uerba: Qui ferit gladio, gladio peribit, uiri potius stolidi quàm simplices. At populus in promiscuum & carnibus ac piscibus uescuntur, soluti his curis: non tamen necant bona animalia, ut sunt boues, eosque benedictos dictitant: & quum prætereunt, contingunt manibus, eosque deosculantur, ut nostri simpliciores deosculãtur sanctorum imagines, quum manum ad os referunt deosculando non alia magis de causa, quàm quia ea tetigit imaginem. Verus itaque rex illorum lacte uiuit ac butyro, oriza quoque & alijs compluribus, eundem ritum in cibatu aulici & summates obseruant. Hic itaque rex arroganti ac superbo fastu recumbit, palmarum succo pro uino utitur. e uase argenteo bibit, ita tamen ut uas labra non contingat. Suspenso itaque uase, instar crateris uinum demittit guttatim, & ori infundit. Pisces ibi nostris haud sunt absimiles, regio sequens est piscatoribus: maiores equos nostris habent, uerum Mauri eos non magni faciunt.

De cognitione Christi quam habent, & de notitia Pontificis Romani.

CAPVT LVIII.

CHristiani qui urbem Calechut incolunt, equitant elephantes, quoniam ea regio animalibus huiusmodi abundat: quæ ubi mansuescunt facillime, rex cum aliquo contendit, trahit secum innumeram peditum multitudinem: nonnulli uero elephantis uecti, regem concomitantur. Rex uero humeris hominum nobilium fertur. uiri pubetenus tantum uestiuntur, cætera usque ad inguina nudi. Veste utũtur cotonina, quoniã eo panno abundant pluri-
B mum: utuntur & pannis sericeis, & in primis illustriores: at alij alijs utuntur uestibus, prout patitur illorum census & opulentia. At nobilium uirorũ mulieres, etiam supra cincturam carnes uelant telis subtilioribus. Egregiæ uero fœminę usque ad pubem tantum corpora tegunt. Mauri autem more suo uestiti incedunt, cooperti ad talos usque. Abest hæc ciuitas ab Vlisbona leucis millibus & octingentis: quæ ratione subducta, ut leucæ cuilibet dentur milliaria quatuor, is numerus leucarum efficiet milliaria quindecies mille & ducenta, tantundem metiri oportet in regressu: quare si pensitatius quis consideret, quanto temporis interuallo id itineris perfici possit, comperiet profecto tantam locorum distantiam metiri non posse citius quàm decimosexto mense. Mauri uero nautæ ad ulteriores regiones duce Septentrione nauigant cum instrumentis quibusdam ligneis, quadrante, uidelicet, & astrolabio. A dextris semper quum sinum Persicũ traijciunt, referunt pilotæ illorũ. Pilotæ
id est, duces itineris, quòd ad meridiẽ supersunt insulę XI. mille illis inaccessæ, quas nõ adeunt, quoniam nimiũ tendunt ad meridiẽ, adeò ut nõ sit tutus accessus. Forte fortuna hæ sunt, quas nuperrime rex Hispaniarũ inuenit. In Calechut habent mediocrem notitiam presbyteri Ioannis, uerùm non exercent inuicem commercia, neque consuetudines: quoniam multum abest ipse ab Calechut, introrsus plurimum. Christum credunt natum ex uirgine Maria, neque peccasse unquam, & ab Iudæis cruci affixum, mortuumque, ac Hierosolymis sepultũ. Papam uero sciũt Romæ degere: alioquin sanctæ Romanæ ecclesiæ notitiam haud habent aliam: norunt literas, & sua lingua scribunt.

De aromatibus ubi nascantur. CAP. LIX.

IBi igitur sunt innumeri elephantorũ dentes, ac cotoni, saccarique plurimũ, & mea sententia quicquid est quo uita carere nõ possit, eo hæc regio exornatur ditaturque mirum in modum, crediturque uinum fore in pretio, quando quidem eo libenter utuntur Indi Christiani: expetunt etiam oleum admo-

dum. Ibi etiam eximie iustitia colitur quàm alibi gentiũ: nam si quis furatur aut occidit, ritu Turcarum palo affigitur atrocissime. Qui uero uectigalibus imponere uult, si deprehensus fuerit, totũ perdit, mercesq; ludit omnes. Inibi rursus inueniũtur unguenta ferè omne genus, ut sunt castoreum, ambra, storax, & id genus alia. Insula uero quæ mittit aromata, Zellũ appellatur: ea est ultra Calechut urbem ad leucas ferè C. & LX. ubi oriuntur aromata: at arbores cinami & piperi fert alia insula introrsus continentẽ. Aiũt etiam circũ urbem Calechut nasci piper & cinamũ, uerum non ad perfectionẽ. Gariophylla deferuntur à remotiore plaga: reubarbari ibi plurimum, & aromata minutiora complura. Zinziber in mediterraneis oritur electissimũ. Sinus quem præfeci, colitur eximie altrinsecus à Mauris. Post hæc intellexi melius à nõnullis, ipsum tantũ à latere uno habitari à Mauris, ab altero uero uersus meridiem ab Indis Christianis, eisdemq; albis ut nos, in litore maris æque ac in mediterraneis. Is est tritici ferax plurimi, fructuum & carnium, & propè omnis annonæ. Inde plura ad urbem Calechut deferuntur: nam regio ubi uisitur Calechut, obducta est arenis, habet humum ieiunam: & præsertim tritici & id genus est impatiens. Ibi etiam duo uenti solum flant in ęstate, uidelicet, Subsolanus, & hyeme Fauonius, siue Zephyrus: rerum omnium sunt elegantissimi pictores: urbs muro ambitur nullo, uerum domos cõtinenter & in ordine positas, uicosq; Maurico more habet. Eadem insula quæ fert cinamum, mittit & gemmas absolutissimas.

Zellum

Portus aromatum Soldani. CAP. LX.

QVo' ad res Indas inuentas ab istis quibusdam meis literis reddidi uos certiores sigillatim: pòst uero superuenit pilotus ille, quẽ ui ceperãt. Is uisus nobis est ex Dalmatia oriundus, tamen reuera erat Iudæus, ortus Alexandriæ, aut non longe ab ea terrestri itinere: iuuenis admodum Indiam adiuit, nunc in urbe Calechut uxorẽ habet & natos. Is dominus erat quatuor nauium: ibat propterea interdum cum classe, & de eius regione mira referebat: de diuitijs præsertim ac aromatibus, & cinamomo perquam eleganti, quę omnia ueniunt ex insula quę ultra Calechut ad leucas centum & quinquaginta uisitur, parumq; abest à continente: oram Mauri tenent: piper uero & gariophyllum mittit ulterior regio, & in primis Iudęa, & ibi rex Iudęorum, uidelicet, illarum decem tribuum, quæ ex Aegypto traiecerunt in Arabiam, superato mari Erythræo. Affirmãt etiam innumeros esse idolorũ cultores, Gẽtiles uocant & Christianos propè nullos. Verùm fallũtur plurimi, qui arbitrãtur ob id Christianos esse cõplures, quòd, uidelicet, ecclesiæ uisuntur cum tintinnabulis plurimæ, quæ templa tamen sunt idolorũ, quod profecto magis quadrat rationi: nam absonum esset dicere, quòd ibi Christi nomen colatur absque diuino cultu, & præsertim à Christianis. Igitur ibi nec sacerdotes cernuntur, nec fiunt sacrificia quæpiã. asseuerant itaq; nullos esse inibi Christianos, quàm eos, qui presbytero Ioanni parẽt, qui distant mirũ in modum ab urbe Calechut, quum citra mare Erythræum existat, nõ longe à rege Melindarum, in Aphrica introrsus multum uersus Nigritas, prope Guineam. Is presbyter alibi Soldano cõfinis est, haud longe à Nilo, ubi Babylon urbs uastissima, nunc Cayrum dicitur. Hic itaq; presbyter Ioannes habet sacerdotes qui diuina exequuntur, ut nostri Euangelia colunt & obseruant, necnon alia ecclesiæ mandata ut reliqui Christiani haud contemnunt, parumq; in cultu diuino à nobis differunt. Soldanus autẽ in mari Erythræo portum habet, & ex Alexandria Aegypti ad portum maris Rubri contendunt itinere terrestri dierum octuaginta: tantũ abest ab Alexandria. Ibi uideas aromata omne genus: eò enim comportantur ex urbe Calechut. Non longè etiam ab dicta urbe uisitur quædam insula distans à continente leuca una, ubi innumeri piscatores uisuntur, qui margaritas multiplices piscantur. Ibi nullæ sunt aquæ ad potandum suaues: uerùm hi nautæ proficiscuntur ad quoddam flumen sine utribus ac dolijs, sed solis nauibus hauriunt aquam: armẽta, quum naues rediere,

A diere, illico currunt ad mare, ut aqua dulci satientur, quam abunde naues, ut præfeci, comportant. Hęc insula est citra Calechut itinere leucarum sexaginta, & colitur ab gentilibus, id est, idololatris. Vaccas & boues eximie colũt, utpote benedicta animalia, adeò ut si quis læserit quodpiam illorum, is protinus morte pœnas luat, non aliter quàm pro furto. In cibatu igitur animalia huiusmodi non habent. De insula uero Taprobane, de qua satis ac super scripsi, alia nõ habemus, nisi quòd credimus ipsam innatare uastissimo pelago, & abesse plurimum à continente.

De instrumentis nauigandi, & quanti merces inibi uendantur.

CAPVT LXI.

IN urbe Calechut est templum, quod ingredi nefas est. Impune id ingredi non licet cuiquam die Mercurij ante meridiem: nam si quis ante id horæ ingressus fuerit, mox moritur ob dæmonum conspectum, qui per id tempus inibi ferè innumeri conspiciuntur. Addebat etiam Iudæus qui captus fuerat, diem esse quendã in anno, quo in dicto templo suapte natura lampades quæpiam accenduntur, & rem monstrificam ac portentosam efficiunt. Inibi nauigant absq; pyxide, sed solo quadrãte ligneo: quæ res uisa est difficilis admodum, & in primis quũ cœlum inumbratur nubibus, adeò ut stellæ uideri non possint. Ancoras habent perquam mediocres, quas quando iaciant adhuc ignoramus: temones nauiũ alligant funibus, & longitudine excedũt nauium transtra palmis ternis: omnia nauigia eius regionis fabricantur incolę urbis Calechut, quia alibi arboribus & omne genus lignis carent. Potiores merces eius regionis sunt corallia, & æra fabrefacta in uasa, ut in cacabos & sartagines, uel ahena, & id genus plura, necnon in laminas. Conspicilia magni penduntur plurimum, adeò ut alicubi gentium par unum conspiciliorũ pretio uendatur eximio. Sunt etiam ibi in pretio telæ rudiores, uinum & oleum: panni ex auro ferè nulli, & alij panni ferè omnium generum.

B *De elephantis, & titulo regis Portugalliæ.* CAP. LXII.

HIc noster rex Portugalliæ in his rebus animi est non quidem mediocris, uerũ eximij: argumẽto est classis quã parat in expeditionẽ Indicam: nam in præsens naues quatuor expediuntur, ac celoces duæ omni annonæ genere perquã munitæ, ut mense Ianuarij præsto adsint ingentissimis refertæ mercimonijs: inq; eis armamenta omne genus, ut si forte fortuna rex Calechut renuat oblatam conditionem, & nostræ gentis contubernia spernat, discat ui dare aliquando, quod amice potuisset. Hæret igitur animo illi, ut quum opus fuerit, sua classe naues futiles ac nullius pensi regis Calechut profliget, quod si pro arbitratu succedet: quoniam uix referre possum, quàm parui sint momenti, & uirium nullarum orientalium meridionaliumq; nauigia, ubi nostris collata fuerint. inter cætera sulcare maria nequeunt, nisi uentũ habeant in puppi: uerùm ubi nauiũ propè infinitus numerus uisitur: & ultro citroq; cõmeant, ferentes aromata ferè omnium generum. Potissima animalia eius regionis sunt elephanti: his bella conficiunt: turres quasdam imponunt eis, capaces trium uel quatuor uirorum, qui de turribus huiusmodi præliantur: moderatorẽ habent, qui turrita animalia regit, ut cõmeminit Plinius. Eis reges se suaq; tutantur, alij in exercitu ad bella ducunt elephantorum M. D. C. alij M. D. C C C. alij minus, prout sumptus exigunt illorum. Quando naues appellunt onustæ, id fit ui elephantorum: currunt effusissime: & licet uix sit dicto fides, fabulaq; censeatur, rem tamen ueram denarramus. Aiunt etiam quamuis ibi sit copia elephantorũ, eos tamẽ uendi pretio ingenti, si alias res spectaueris. Præfectus classis nostræ, nec alij lapides pretiosos tulere: quare nobis persuademus haud difficulter, lapides huiusmodi inibi haudquaquã reperiri, sed è longiore regione conuehi, fitq; propterea ut eius regionis principes magni pendant lapides pretiosos, storax, castoreum, & alia id genus plurima. Quicquid autem deinceps de rebus huiusmodi comperti habebimus, mox uobis colliquescet. Hic rex noster harum regionum iam titulum gerit;

gerit, uidelicet, Rex Portugalliæ & Algarbiorum citra & ultra mare in Africa, & Guineæ dominus: & per nautas suos cum Arabibus, Persis & Indis commercia exercet. A

Quomodo rex Emanuel dedit præfecto classis regium trophæum.

CAPVT LXIII.

ANno M.D. rex Portugalliæ serenissimus classem nauium duodecim in Indiam expediuit, cui præfecit Petrum quendam Aliares, ac Abrilũ Fidalcum: & hanc classem omni genere annonæ & armamentorum communiuit diligentissime, tantumq; annonæ naues comportarũt, ut uictui mensium decem & octo abunde sufficeret, data eis lege, ut ex duodecim nauibus decem ad urbem Calechut contenderent, duæ uero in Arabiam. Igitur hæ duę diuertunt commercij gratia in eam regionem, ubi locus est dictus Zaphal, secus iter quo itur Calechut. Itaq; naues decem prædictæ eas merces domo secum attulere, quas crederent Indis & Persis haud fore ingratas. Ergo octaua mẽsis Martij anni prædicti, nauibus iam præparatis itineri, rex Portugalliæ concessit ad locum quendam ad secundum urbis lapidem, cui nomen est Sanctæ Mariæ de Ballera, non alia de caussa, nisi ut daret præfecto classis nostræ regium trophæum. Hæc itaq; classis soluit illinc die Lunæ nono Martij, cœlo sereno, ac fœlicibus auspicijs. Igitur die XIIII. dicta classis superauit insulas Canarias. Item die XXII. prętеriuit Capitis uiridis insulam. Item die XXIIII. quædam nauis digressa est ab alijs, & quò concesserit, adhuc nobis est incognitum: nam nusquam apparuit.

Quomodo naues iactabantur fluctibus. LXIIII.

VIgesimaquarta Aprilis, die Mercurij, in octaua Paschæ, dicta classis uidit continentem quendam: ob quam rem gauisi sunt plurimum. propterea misẽre exploratores, qui uiderẽt quæ gens illas terras incoleret: qui mox comperere ibi esse arborum uim maximam, & gentem quandam litus obseruantem. Iactis itaq; ancoris, rursus cymbam mittunt, quæ diligentius scrutetur regionem, ac eius incolas. Iuere igitur: & ubi redierunt, retulere gentem esse eius coloris, qui medius est inter album & nigrum, eosq; uiros habere habilissima corpora, ac capillum promissum, & nudos esse, sicuti exeunt ab utero matris, omniq; uerecundia carere, & eorum singulos arcus ferre cum sagittis, utpote qui litori fluminis custodiæ præerant: uerùm nullus erat in dicta classe, qui eorum linguam calleret. His ergo conspectis cymba redijt ad classem: & dum nox humida cœlo præcipitat, surrexit atrox tempestas, quæ plerunq; noctu sæuit: mane uero sequenti sublatis ancoris, adhuc undabundo mari ac sæuiente, percurrimus tamẽ litus quasi ad Aquilonem, flante Euro, ut si forte fortuna nacti fuissemus portũ aliquem, ubi tutius classis conquiesceret. Tandem peruenimus ad portũ quendam, ubi iecimus ancoras: etiam nacti sumus Ananinos, qui paruis cymbis portabantur: hos adiuere è nostris quidam, & duos ex eis ceperunt, & ad præfectũ classis duxere, ut intelligerent quænam gens esset: quoniã idioma illorũ nemo adhuc intelligere potuerat: nam nec nutu, nec signis quæ exponebantur intelligebant. Igitur præfectus classis prædictos Ananinos penes se nocte una habuit: & ubi uidit nullũ esse cum eis humanæ uocis cõmerciũ, eos immisit indutos tunica interiori, & ueste alia birretoq;, quod eis summe placuit, nã nudi incedebãt: propterea omne genus uestis admirabantur, utpote rem hactenus non uisam. B

De radicibus, quibus panem ibi conficiunt, & quibusdam alijs moribus.

CAPVT LXV.

EA die quæ erat octaua post festum Paschæ, id est, uigesima sexta Aprilis, præfectus classis nostræ decreuit Missam audire: propterea iussit præparari tentoriũ, sub quo diuina officia celebrarentur: & post Missarũ solennia omnes dictæ classis concioni diuinæ interfuerunt: eò etiam cõuenere multi ex illis populis, qui tripudijs & saltationibus insistebãt, quiq; cornu intonuere, dum diuina celebrarentur. & mox peractis Missis unusquisq; dilapsus est

in suam

A in suam nauim. Incolæ uero regionis illius desiliebant in mare, immergeban turq; usq; ad ulnas canendo, gestiendo, multaq; alia lætitiam præ se ferentia agendo. Post hæc prefectus classis quum pransus esset, signū dedit cunctis ut naues pro libito egrederetur. Itaq; egressi omnes cœperunt cum incolis eius regionis ludere, magnam uoluptatem sumentes ex illorum saltationibus & tripudijs: & demùm cœperūt exercere inuicem commercia: nam incolæ prò panno, papyro, & alijs minimis, arcus & sagittas dabant: & tandē in his permutationibus merciū totam diem consumpsere, & inibi inuenere flumen ad potandum suauissimū: & quū aduesperauisset, rediere ad suas naues omnes. At sequenti die præfectus classis decreuit aqua & lignis rursus nauem cōmu nire. Igitur illius iussu nautæ omnes aquatū & lignatum profecti sunt, adiuuantibus illis populis: nam cateruatim confluebant, ut nobis essent auxilio. Iuere etiam è nostris complusculi, ut illorū domos & habitacula uiserent: habitant enim longe à mari ad tertium lapidem: & permutarūt suas merces cū psitacis & radice quadā, quæ dicitur Igname, qua panis illorū cōficitur, eoq; utuntur Arabes: nam nostri pro his rebus dederunt supradictas merces: & ibi sex dies permutando nostra cū suis triuimus. Quo ad mores illorū, nō ab re fuerit pauca cōmemorare. Sunt igitur, ut suprà meminimus coloris qui est inter nigrū & album, pardum appellant: nudi semper incedunt, nullus est eis pudor, neq; uerecundia: capillum promittunt: barbam uero & oculorū palpebras uellūt, & inibi depingūt uaria colore multiplici, ut albo, nigro, & cœlesti, necnon rubeo: & ferunt labrū oris inferius perforatū, & in foramine huiusmodi ponunt ossa instar claui: alij aūt lapillos ferunt eiusdē coloris, adeò ut uideatur totum labrum gemmatū: itidem mulieres agunt, suntq; sine pudore, uerum pulcherrimæ, & capillos per humeros leniter demittunt: domos habent ligneas, quas folijs & ramis arborum cooperiūt, suffulciuntq; eas innumeris columnis: & in medio earum ad parietē collocant rete bombicinū B appensum, in quo homo inuoluitur: & rursus rete aliud, quoad continenter plura in ordine disponant, interq; ea rogos accendunt, efficiuntq; ut in cœnaculo uaria cubicula & retia parietum uicem suppleant: nam retibus discreta sunt eorum habitacula.

Igname

De Psitacis inibi repertis. CAP. LXVI.

IGitur eadem regio caret ferro & omnifariam metallo: propterea ligna incidunt lapidibus præacutis: abundant uero omni genere auitiorum, præsertim psitacorum multijugi coloris, tantæq; proceritatis, ut cum gallinis magnitudine contendant. E pennis uero auium pileos & birreta conficiūt. Terra abundat arboribus fere omnis generis, aquisq; irrigua admodū est: miliū fert, & ignamen herbam, unde panis illorū conficitur: necnon gosipij mittit plurimum. Ibi animalia uidimus nullla. Regio est uastissima: & an sit insula uel continens, nondum satis liquet: uerùm nos inclinauimus in eam sententiam, ut sit continens, ob immensam uastitatem. Cœli est saluberrimi, & incolæ retia habent fere innumera: quoniam omne uitæ suæ tempus terunt piscando: nam piscantur pisces quasi omne genus. Inter cæteros pisces qui inibi eminent, unum uidimus, qui doliū non quidem mediocri crassitudine excedit. & rursus idem longitudine duo dolia superat, & formę est obrotundę: caput habet ut sus, uerum oculos paruos, dentibus caret, sed aures longitudine & latitudine brachij mensuram excedunt: in inferiori parte corporis duo habet foramina: cauda illi est oblonga, eademq; lata supra brachij mensurā: & loripes erat: in aliqua corporis parte uidebatur habere suis cutem: corium densum supra digiti mensuram. Interea temporis dum illic agebamus, præfectus classis decreuit de his rebus regem reddere certiorem, & in ea regione uiros duos, iam ob scelera morti addictos dimittere: nam ex his complures secum trahebat. Itaq; illico prefectus classis nauim expediuit in Lusitaniam, quæ regem harum rerum certiorem facerent: nec ob id numerum duodecim nauium minuit: quoniam hæc nauis ultra dictas duodecim naues ad tales

casus ducebatur. Literæ erant eius tenoris, quòd narrabant ex ordine omnia nuperrime inuenta à Lusitanis. Hoc facto mox mittit quosdam, qui in litore crucem eminentissimam figant, ceu nostræ fidei trophæum: & in eodem loco duos, ut præfeci, morti addictos deseruit: qui ubi uidere se destitutos omni Christianorum auxilio, flebant mœstissime. At incolæ regionis illius eos solabantur, miserati eorum conditionem. A

De ingenti tempestate, qua naues quatuor submersæ sunt.

CAPVT LXVII.

IGitur sequenti die, secunda erat Maij, anni eiusdem, explicuimus uela, iter dirigētes uersus caput Bonæ spei: & id maris iter leucas ferè habet M. CC. id est, milliaria quater mille. Die uerò duodecimo eiusdem mensis nobis nauigantibus cometa quidam apparuit Arabiam uersus, cuius radij prominebant plurimum: sicq; cometa diebus octo aut decem iugiter apparuit die noctuq;: & tandem die dominica, uigesimaquarta mensis Maij, dum iter nostrum prosequimur, & classis omnis felicibus uentis potiretur, capiētes uentum nō pleno malo, sed medio, ob pluuiam quæ præcesserat, ecce uentus turbinis repentino flatu inuasit nautas, egitq; ut naues propè omnes submergerentur: nam quatuor ex nostris nauibus inuertit submersitq;, nec ultra earum quampiam uidimus: adeò enim concite eas corripuit tempestas, ut eis auxiliari nequiuerimus: quippe qui parū & nos aberamus à morte. At naues septem quæ supererant, uentū in puppi accipientes, Dei clementiæ haud diffidentes nauigabamus. Dum itaq; priore tempestate perterriti mœstissimum iter prosequebamur, ecce atrocior procella cœpit mare interturbare, & efficit ut plus solito sæuiret: adeoq; iactabamur fluctibus, ut uideremur cœlum conscendere, dum fluctus nos in superiora impellebat: quum uero demittebamur, ipsum Acheronta petere arbitrabamur, tanta erat inundatio aquarū. Vela facere uentis prohibebat tēpestas: igitur luctamur cum Neptuno, & in uarias partes disiungimur: eoq; discriminis perueneramus, ut altera alteram conspicere nō posset: nam nauis quæ classis præfectū uehebat, id est, prætoria, cum duabus alijs iter aliò cœpit: quò tamē pergeret nō satis sciens. Alia uero nauis, quæ regis nomen obtinebat, aliò profecta est, comitantibus duabus alijs. At ea quæ sola supererat, infelicior cæteris errabunda per se mare sulcabat. Sic itaq; alto iactati per dies XX. hāc maris sæuitiā perpessi sumus. B

Cometa

Tempestatis uiolentia

De Zaphala auri mina. CAP. LXVIII.

TAndē sextodecimo Iulij fauentibus superis Arabiæ litora conspeximus, & illò nauigia dirigentes ancoras iecimus. Erat ibi ingens piscium copia: cœpimus ex eis complures: nec tamen quisquam nostrum continentem applicuit: solum enim litori adhæsimus: uidimus tamen regionem illam populis ferè innumeris cultam. Tunc sublatis ancoris, & secus litus iter prosequentes nostrum, plurima uidimus flumina, ac animalia complura. Erat profecto frequens habitatore, quum hominibus, tum etiam multijugis animalibus: tandem nauigando peruenimus ad quandam auri minam: ea est in loco qui dicitur Zaphala: & ibi erant duæ insulæ, ubi naues duæ Maurorū commorabantur commercij causa: hæ enim aurum uehebant ad regnum Melindæ: quæ quidem naues ubi nostram classem conspexere, mox effusissime fuga sibi consuluere terram petentes: & aurum quod uehebant in mare proiecerunt, ne nos eo potiremur. At præfectus noster ubi hæc uidit, in eos uela fecit, cepitq; naues huiusmodi, in quibus parum adhuc supererat auri. Captos igitur compellere cœpit & percunctari, quænam gens foret, unde ueniret, & quò pergeret. At dux Maurorum: Mauri, inquit, sumus, regi Melindæ necessitudine arctissima coniuncti, ex insula quæ Zaphal dicitur, uenimus, uxorem ducebam mecum: & dum classem uestram conspeximus formidantes, terram appellere festinantius uoluimus, ea maris obruta est fluctibus: idem casus nato obtigit meo. Tum nostræ classis dux, ubi accepit eum regis Melindæ affinem esse, ægre tulit eorum iacturam, solariq; cœpit eos, honori-

A honorifice admodum ipsos excipiens in memoriam tāti regis, cum quo nobiscum maxima amicitia intercedit, & in primis cum nostro rege. Iussit itaque ut illorum naues reponerentur: & si quid auri sublatum fuerat, id totum mox restitueretur. Tunc Maurorum præfectus percunctatus est nostrum ducem, an fascinatorem haberent quempiam, qui incantationibus pessundatū aurū extrahere posset. Cui noster dux infit: Nos Christum deū colimus, qui arcte nobis has fascinationes exercere prohibet, propterea ab re huiusmodi tēperamus. Rursus ab eo noster pręfectus quærit, ubi sit dicta Zaphala, quā ipsi adhuc nesciebant, uerū fama eius adducti adnauigabant. Tum Maurus ait: Zaphala est insula quæ aurū fert, ea paret regi Mauro, qui insulam incolit Achiloam nomine dictam, nec à uobis abest in eodem itinere quod tenetis, sed iam eam præteriuistis nonnihil. Tunc præfectus, ubi hæc intellexit, signum dedit ut uela daremus uētis, à nostro itinere haudquaquā declinantes. Tandem XX. Iulij applicuimus insulam quandā ditionis regis Zaphal, nomine Monzobinghe: ea est habitatore haud frequens: uerū ibi uisuntur diuites complusculi, qui inibi cōmercia exercent. Eo igitur ubi deuentū est, corpora curabamus, ducemq; itineris accepimus, pilotū appellant, qui nos Achiloā duceret, ea est insula, ubi portus est perquā opportunus, nō longe à cōtinente. Igitur hinc soluimus Achiolā uersus, litori semper adhęrētes, ubi innumeras cōspeximus insulas eximie cultas, ac ditionis eiusdē regis: & tandem Achiloā peruenimus XXVI. mensis eiusdē, eoq; simul naues sex deuenerunt uario itinere: at septima nusquam comparuit. Hæc itaq; insula parua est admodum, & continenti propè cōiuncta: regio est aprica ac pulcherrima: domos habet eminentes more Hispanico, & ibi locupletissimi mercatores: quoniam scatet auro, argento, ambra, castoreo & margaritis. Incolæ induuntur cotono albo, nec non serico perquā eleganti: uiri sunt nigerrimi.

B *De congressu regis & præfecti.* CAP. LXIX.

HAbito itaq; saluo conductu, quo impune cū rege colloqui posset per internuntium, primo cœpit regē adire. Misso igitur Alphonso Furtado, qui uicē legati supplebat, cōcomitatus sex uel septē uiris, elegantissime, ut assolet, indutis, his uerbis alloquitur regē: Classē esse regis Portugalliæ, quę eo accesserit solius cōmercij gratia, ferreq; cōplura mercimonia, quæ forte regi erūt haud ingrata: cupere propterea præfectū classis regē corā uidere, uerū ex mandato regis Portugalliæ nō posse impune terrā appellere, nec nisi in cymba regē adire posse: hūc esse ducū classiū morē uetustissimū, ne correpto principe mox ruerent omnes qui de eo pendēt. Ad hæc rex respōdit se descensurū perquam libēter ad mutua colloquia, seq; uicissim cupere pręfectū uidere tantæ classis. Igitur sequenti die cōuenere rex & pręfectus, uecti cymbis uarijs, nā nostri tormēta expediuere, gentemq; omnē cū signiferis, buccinatoribus, tibicinibus & choraulis. at rex almadias exornat suo more, tibijs & cātu exultans, cohors nobiliū regē cōcomitatur suū. Igitur præcedētibus fecialibus colloquuti sunt. Tūc nostri tormēta ferè omne genus exonerarūt, tanto fragore edito, ut mare totū cōtremisceret, & cœlū reboaret eximie, quæ res & regē ac suos adeò perterrefecit, ut stupidi penè hæserint omnes, his nunquā assueti. Postq; mutuo colloquio uterq; potitus est, ad sua quisq; redijt. Sequēti itaq; die rursus præfectus Alphonsum emisit, qui cum rege nauaret operā de mercimonijs permutandis aliquando, uerū longe aliter rex uisus est sentire, quàm præfecto pollicitus fuerat, plura enim excusabat, & in primis ipsum mercium nostrarū non egere, & piratas propè arbitrari. Re itaq; infecta Alphonsus redijt ad classem, inibi tamē ad tres uel quatuor dies cōmorati, nihil consequuti sumus. Interea temporis rex metuens ne genti suæ uim inferremus, aliquā insulam peditibus cōplusculis cōmuniuit. Hoc uiso præfectus noster illinc soluit, & uela dedimus uentis uersus regnum Melindæ, & inter nauigandū longe à litore multiplices conspeximus insulas à Mauris cultas, & ibi urbs quæ dicit Monbaza regis Mauri, suntq;

hæc Arabiæ litora ab Mauris culta. In insula uero introrsus aiūt esse Christianos, qui ut dicūt, magna bella conficiunt: id tamen nobis fuit incōpertū. A

De muneribus regis Portugalliæ missis ad regem Melindæ,

CAPVT LXX.

IGitur die secunda Augusti mensis eiusdem deuenimus ad regnum Melindæ, & ibi tres naues regni Gambræ ancoras iecerant: nam quęlibet earum capax erat amphorarum, ducentarū: hæ enim mira arte sunt compactę, absq; ferro, uidelicet, sed ferrumine nescio quo, thure admixto: arcem non habēt in prora, sed in puppi tantū, castellum uulgo appellant: redibant naues huiusmodi ab Indica prouincia. Eò ergo ut applicuimus, mox rex munere multiplici nos donari iussit: id munus erat, arietes complusculi, gallinæ propè innumeræ, anseres plurimi, & mala Assyria ferè omne genus, quæ quidē suauitate mira omnia alia præcellunt, argumento quòd ægris, protinus eis gustatis, plurimū conferūt. Vbi itaq; terrā appulimus, præfectus classis iussit de more ut tormēta exonerarētur: duosq; negotiatores emisit, quorū alter idioma Arabicū callebat, eisq; mandat ut regē ex se adeant, illiq; renūcient classem huiusmodi aduenisse, ut ipsum nomine regis Portugallię uisat, & donet munere non ingrato, præfectūq; ad ipsum literas habere sui regis: quæ omnia libens audiuit, supra quàm referre queā: & eū qui linguā Arabicā nouerat, apud se ea nocte habuit. Quū uero illuxisset, Mauros duos uiros haud inhonoros ad classem misit, qui Arabico sermone præfectum alloquerentur his uerbis: Gratum, uidelicet, habuisse eius aduentū, rogareq; propterea ut si alicuius egeat, quod regis foret, eius rebus ęque uteretur ac suis, crederetq; esse in regno Portugalliæ: quandoquidem erant sua omnia cum rege Portugalliæ communia, ob amicitiam quæ iampridem inter eos intercessit. Præfectus uero his auditis decreuit literas quas habebat mittere ad regem, necnō munera huiuscemodi, uidelicet, ephippias quasdam exornatissimas, par unum frontalium equorum, stapedes & calcaria argentea, pectoraleq; equi unius: & habito super hac re consilio, uisum est cunctis ut munus regi offerret Araschorea negotiatorum primus. Hunc comitati sunt complures ex nobilioribus classis, præeuntibus buccinatoribus. Rex itaq; ubi hæc audiuit, illustriores quosdam præmisit, qui occurrerent negotiatori. Regia principis portui adiacet: & priusquam appropinquarent ædibus regijs, obuiarunt mulieres quędā patinas igne plenas ferentes: quibus iniecerant odores ferè omne genus, adeò ut fragrantia multiplici oppleret totam terram. His igitur odorib. excepti ad principis regiā deueniunt: ubi rex in regia sede sedebat, satrapis complusculis Mauris astantibus. Qui quum primum munera uidit, gauisus est plurimum, acceptis etiam literis, quæ ab altera parte subscriptæ erant charactere Arabico, ab altera uero Lusitano: quibus perlectis cœpit cum suis Mauris lætari & gestire, & tandem omnes uno impetu exclamarunt in cœnaculo, reddentes gratias deo, quòd eius permissu cum tanto rege, ut est Portugalliæ dominus, inissent fœdus & amicitiam. His igitur oblectatus muneribus, negotiatorem rogauit plurimum, ut tantisper apud se ageret, donec classis illic commorabatur, quoniam mirum in modū gaudebat secum de rebus Lusitanis commentari. Et Araschorea respondit, id sibi hauquaquā licere præfecto inconsulto. Tum rex illico sororiū cū annulo suo ad præfectū classis mittit, qui ab eo impetret, ut Araschorea regi morem in petitis gerat, simulq; hortaretur eum, ut regis & regni rebus uti non differret. Huic itaq; mox dux classis est obsecutus. Hoc accepto rex iussit domum pro Araschorea magnificentissime præparari, datis prius omnib. quę uictui erāt necessaria, ea, uidelicet, quę regio meliora ferebat, ut sunt arietes, gallinę, oriza, lac, butyrum, cariotę, mel, ac fructus, & id genus complura: panem uero nō misit, quoniā eo haud utuntur. Itaq; triduo apud regē fuit Araschorea: & id tempus ferè omne consumptum est in colloquijs & cōmentationibus rerū Portugallensium: nā res de rege Portugalliæ adeò libenter audiebat, B

A diebat,ut uix discedere quiret ab his colloquijs. Petijt etiam perquam auide,ut ipse ac dux clasis mutuo frui possent colloquio. Cui Araschorea,inquit:Rex serenissime,scito duci nostro minime unquam licere terrã appellere, ne classẽ deserat: tu uerò,si tibi cordi hæsit uirũ cõpellare, id nõ cõsequeris, nisi cymba uectus,perinde ut mare nõ deserat:quoniã hoc est nostri regis edictum.Itidem fecit Achiloe rex,ubi sibi complacitum fuit conuenire ducẽ. Subrecusabat rex, quippe qui quũ esset tanti, ad minorẽ ire dedignabatur: tandem persuasus Araschoreæ uerbis consensit:tunc Araschorea certiorem præfectũ clasis de gestis apud regem fecit:quibus acceptis,dux clasis cymbas paruas exornari iusit,prouiso prius ne clasis iret in diuersa.Cymba uero qua uehebatur,taliter exornabatur:primo strata erat cocco & purpura,et alijs aulæis inumbrata,necnon uiris strenuis,eisdemque armatis communita. At rex suas cymbas, almadias uocant, suo ritu exornat: iusit etiam equum sibi sterni more Lusitano, uerum non inueniebatur qui hanc operam nauaret,nescientibus eis nostrum morem: nostri ergo equum huiusmodi strauerunt.Strato itaque equo rex scalas descendebat:quibus descensis,mox affuere regni illustriores,qui inibi regem præstolabantur, arietem habentes: quem ubi rex descendit exenterarunt,& exenteratũ equi pedibus subigunt,mox ab rege equitẽ conculcandũ:& is mos eis pro cęrimonijs & fascinationibus priusquam rex domum exeat,& clamore ingenti edito regem persequebantur.Hũc morem etiã seruant in Zambombac.Rex igitur & dux conuenere, amiceque ut sunt collocuti, in sua quisque loca dilapsus est: non prius tamen ualedixit regi præfectus, quàm ab eo impetrauerat ducem itineris, hoc est pilotum, qui iter ad Calechut optime sciret. Vbi itaque rex domum redijt,ducem rursus donat munere multiplici, id est, edulijs ferè omne genus, promissumque mittit pilotum. Is erat ex naui Chambaiæ, probe sciens itinera.
B Dux uero noster inibi duos addictos morti ob scelera reliquit, unum apud hanc gentem Melindæ regni dimisit:alterum uero nauem Chambaiæ, de qua pilotum susceperant,sequi uoluit.Itaque sequenti die,quæ erat septima Augusti,iter cœpimus uersus Calechut,incipientes sinum magnum trajcere,qui non longe abest à mari Persico.

NAVIGATIONIS FACTAE EX VLISBONA IN CALECHVT, LIB. III.

De mari Rubro ac Persico,necnon de insula Angradida.

CAPVT LXXI.



DVM itaque regnum Melindæ deseruimus,à latere urbs insignis est relicta,eam Mauri incolunt: diues est & pulchra admodũ:& paulò suprà uisitur magna insula, inque ea urbs altera,incincta muro,& pulchritudine cũ superiore contendit. Ad insulã itur ponte,cui nomẽ est Zognotorre:& dũ ultra prouehimur, mox occurrũt angustiæ maris Rubri,quæ latitudine patet leucæ & dimidiæ.Ibi est Mecha, idest,arca Mahumetis, & diuæ Catharinæ mausoleum,situm in monte qui dicitur Sinai.Inde exportantur aromata quasi omniũ generũ,lapidesque pretiosi deferũtur in Babyloniã Nili,cui nomen est Cayro.Hæc aduehũtur dorso dromedariorũ,qui sunt cameli electi. In hoc mari sunt cõplura referenda digna miratu. Superato angustiarum ostio,mox mare Persicũ uisitur, & in eo prouinciæ cõplusculæ,quę magni Soldani regna contingũt:nã mare Rubrum & Persicũ sunt duo sinus,quos oceanus meridionalis, siue Indicus facit.Igitur in sinu Persico est insula parua,dicta Gulphal, ubi innumeræ sunt margaritæ:& in ostio huius maris Persici est insula prægrandis,dicta Agremus,quę paret Mauris,cũ alia insula Gulphal.Ex ea itaque insula Agremo equi complures ueniunt,quos Mauri ducunt in Indiam,uendũtque pretio im-

modico. In hac regione fiunt cõmercia prope innumera. Superato itaq; sinu Persico, mox sese offert prouincia Cõbara, quæ regẽ habet, & feracitate ac delicijs omnibus contendit cum lautioribus totius orbis prouincijs inq; ea tritici, siliginis, orizæ, saccari plurimũ: Panchæa à Latinis dicit̃, unde Virg. A

Combara.

Totaq; thuriferis Panchæa pinguis harenis.

Hæc itaq; thura mittit per totũ orbem, sericum etiam & xylon, multosq; equos & elephãtos. Rex seruit idolis, & nuperrime in regnũ inauguratus est, persuadentibus Mauris, qui ibi sunt frequentes: idolaq; colunt fere omnes. interq; eos mercatores complusculi sunt, qui hinc cum Arabibus, inde cum Indis commercia exercent. Ab his auspicatur India, & per eius latus itur in urbem Calechut, & in eo latere cõplures uisuntur prouinciæ, & Maurorũ regna idola colentium. Tandem XXII. Augusti applicuimus ad eam prouinciã quæ India dicitur, quæ ditionis est regni Gogæ: eaq; cognita, iter nostrum prosequebamur, donec deuenimus ad quandã paruam insulam, quæ dicitur Angradida, et à Mauro quodam possidetur: inq; eius umbilico lacus ingens, qui aquam potu suauem haurientibus propinat, aliàs culta, nunc inculta admodum: auri est ferax, & à continente milliaribus duobus abest. Illac transeunt Mauri, qui Mecham adeunt, dum ad urbem Calechut contendunt: coguntur q; eà transire ob aquarum ac lignorum penuriam, quæ alibi gentium est maxima. Itaq; eò tandem deuenimus, & iactis ancoris in terrã descendimus, ut & aqua & lignis rursus classis communiretur: fuimusq; ibi per dies fere XV. Interea obseruabamus, an almadiæ Mechæ aduentarent: quoniã decreueramus eas, si potestas fuisset in manibus nostris, capere. Dũ igitur sic immoramur, conducebant ad nos multa undequaq; populi, qui libenter nobiscum loquebantur, pluraq; referebant: eos propterea honorifice excipi à nobis classis præfectus iussit: & in ea insula uisebatur: parua admodum classis: ubi complusculis diebus immorati diuinis insistebamus, id est, solennijs missarum: & unusquisq; nostrum sacram Eucharistiam sumpsit: nã ibant nobiscum complures sacerdotes, ut cum negotiatore patriæ nostræ uitam ducerent in urbe Calechut. Peractis igitur diuinis, lignisq; & aqua rursus communiti, frustra expectantes naues Mechæ, illinc soluimus, ad urbem Calechut contendentes, quæ abest ab hac insula leucis LXX. B

Angradida.

Quomodo dux classis profectus est ad regem Calechut.

CAPVT LXXII.

Itaq; die tredecimo Septembris eiusdem anni peruenimus ad urbem Calechut, cuius incolæ ubi nostri aduentus certiores facti sunt, effuse nobis occurrerunt, uecti cymbis extra urbem ad primam leucam. Inter eos qui nobis occurrerunt, erat quidã mercator de Gusurate locupletissimus, ac nonnulli urbis primores, qui nostram adeũtes classem, prætoriã nauim ingressi sunt, his uerbis ducem consalutantes: Regi placere plurimum quòd incolumes aduentauerint, quodq; nihil illi gratius obuenire posset, quàm quod utantur regis opibus & auxilio. Post hæc uisa regis erga nos beneuolentia, ancoras iecimus ante urbis mœnia, tormentaq; exonerari iussimus: quæ res adeò perterruit urbis incolas, ut dicerent contra nostros nullas esse uires præter deorũ. Quum itaq; aduesperauisset, dedimus membra quieti: quum uero illuxisset, præfectus statuit mittere ad regem interpretes, quos secũ adduxerat ex Vlisbona. Ex his unus erat Maurus Christianus, reliqui Indi, qui omnes probe nouerant idioma Lusitanorum, uerum erant adhuc gentiles, id est idololatræ, piscatoresq;. Hos itaq; eleganter indutos ad regem mittit, qui ubi cõsalutauerint eum, securitatem adeundi regis impetrent: saluũ conductum appellant. Adiuit itaq; regem Maurus, composq; uoti factus mittit saluum conductum ad præfectum: cæteri autem Indi regem non uidere, ob id quòd essent uiri nati obscuro loco: Nam rex huiusmodi id pro fastu obseruat, ne adeant ipsum ignobiles, prout latius referemus in sequentibus. Salui conductus tenoris erat, ut liceret impune cuiquam in terram descendere.

Hoc

A Hoc accepto præfectus classis Alphonsum Furtadum mittit ad regem, interprete comite, qui Arabicam linguam optime callebat: quibus dat in mandatis, ut ad regem hæc proferant, classem esse regis Portugalliæ, & eò solum aduenisse, ut cum eo commercia exerceant, ineantq; fœdus & amicitiam non uulgarem: regem propterea alloqui coràm: id fieri nõ posse ex sui principis præscripto, nisi prius datis eis obsidibus quos ipse nominauisset: & hi erant urbis primores. His expositis, rex conditionem renuebat, excusans ualetudinem aduersam, & defessam ætatem obsidum quos uocauerat, adijciẽs ad hæc, se alios daturum, qui maris sæuitiã tolerantius perpeti possent: admirabaturq; plurimum de proposita conditione. Et in his disceptationibus biduo uel triduo hæsitauit, tandem decreuit conditionem haud aspernari, cuius rei certior factus dux classis, se præparabat expeditioni, instituebatq; cõmorari cum rege, & ternos aut quaternos dies inibi consumere, secumq; adducebat uiginti aut triginta uiros honoratiores classis, eosdẽ eximie cultos & adornatos. habebat etiam secum aulicos, & alios cõplures, qui illi more regio inseruirent, uasaq; cælata cõpluscula tulit, ut honoratior fieret his rebus, quæ suapte natura magnificentiam præ se ferunt, prouiso prius de præfecto classis, cui iussit ut obsides perquàm honorificentissime exciperet, haberetq; in delitijs, donec ipse rediret. Postero die rex uenit ad litus ubi erat quædam domus mari fere adiacens, ut commodius præfectum classis exciperet. Itaq; misit quinq; uiros ex primoribus urbis, qui tantisper illic cõmorarentur, donec præfectus classis rediret. Iuere igitur ad classem seniores urbis, longum seruorum ordinem secum trahentes, nec non tibicines & choraules, satellitesq; cõpluscculos, enses & clypeos ferentes. His uisis dux classis uectus cymba naui egreditur sua, & ad litus contendit. Vbi uero optimates obsides appropinquauere classi, prius naues ingredi nolebant, quàm in terram descendisset præfectus: qui licet nondum appulisset portum, eò tamen cõtendebat pleno gradu, suamq; supellectilem præmiserat, ut mos est

B principibus. Diu igitur disceptatum est de hac re, obsidibus renuentibus nauem ingredi, ni terram dux primò teneret. Dum sic cõtenditur, Araschorea it ad eos, hortaturq; ut perfidiæ suspicionem omnem exuant, eò uenisse non ut imponant eis, sed ut eorum amicitiam promereantur. Tandem his adductĩ uerbis, nauim ingressi sunt intrepide. At præfecto iam terræ appulso, it obuiam nobilium decentissima cohors, ipsumq; honorificentissime excipiunt, & humeris imponunt suis, nec terram contingere patiuntur, donec ad principis regiam peruentum est.

De habitatione & ornatu regis Calechut. CAP. LXXIII.

IGitur rex Calechut ædes eminentissimas habitat, habens pro thoro regio locum concameratum, instar sacelli cuiusdam: peluis figuram referebat, ut nos quandoq; imagines sanctorum collocamus, suppositis uiginti puluillis sericeis, nec non instratis aulæis. Thronum panno sericeo inumbrauerat, qui purpuram præsentabat: ipse uero nudus conspiciebatur totus: circũduxerat bombicinum pannum candidissimũ, eundemq; subtilissimũ, quem auro exornauerant: in capite gerebat birretum aurei panni, qui cassidem ferream referebat: perforatas habebat aures, inq; eis adamantes & sapphyri uniones q; duo, quorum alter obrotundæ figuræ erat, alter uero instar pyramydis, nucis auellanæ magnitudinem excedebat. In brachijs uero armillas aureas, à cubito usq; ad manum, distinctas lapidibus pretiosis innumeris, eisdemq; incredibilis ualoris. Crura uero pariter exornabantur, & in digito pedis uernabat lapis pretiosus splendore incomparabili. Condalia etiam in digitis manuum, hoc est annulos omnifariam: habebat smaragdos, adamantes, & id genus alios complures. Inter hos lapides quidam fabam magnitudine superabat. Balteumq; habebat aureum, gemmis innumeris distinctum, adeò ut æstimationem omnem excederet. À latere uero regiam sedem argenteam, quæ bases & bracteas aureas habebat, easdem gemnis multijugis Condalia.

 uariatas.

uarietas. In sua regia conspeximus currum quendam, id est genus uehiculi, nos carpentum dicimus, miro lapidum & gemmarum apparatu condecoratum: eo uectus fuerat ex solita regia in has maritimas ædes. Id genus uehiculi trahunt uiri duo. Hunc exornabant quindecim uel uiginti buccinæ argenteæ, quarum tres erant ex puro auro, ac ponderis non mediocris, adeò ut earum quamlibet uir unus ferre nequiret: oras uero earum ditabant lapides pretiosi, easq; mira uarietate distinguentes. His adiungebantur uasa quatuor argẽtea, trullaq; aurea, & ex aurichalco magna candelabra, in quibus tortus filus oleo immersus conflagrabat: que res erat superuacanea, uerum arrogantiam præ se ferebat, & celsitudinem principatus. Huic genitor eius astabat, necnon germani duo, longe à throno paßibus quinque uel sex stantes, omnis splendoris apparatu condecorati. Post eos paulò longius stabant innumeri optimates ac principes reguliq;, diuitijs & ipsi quàm maxime onusti. Itaque præfectus claßis hæc uidens, ad regem ibat manum eius exosculaturus: uerum annuere astantes, ut à congreßu temperans propius non accederet regi: quandoquidem is est mos illorum, ut regem contingat nemo. Cõtinuit se igitur præfectus noster: cui mox sedes allata est, ut sedendo regem alloqueretur, quod non mediocris honoris est specimen. Cœpit igitur alloqui regem præfectus, promens quæ iusserat Portugalliæ rex: & illico literas protulit, quæ lectę fuere regi: nam charactere Arabico exaratæ erant. His peractis præfectus ad classem nuncios misit qui munera regi ferrent, quæ in sequentibus explicabuntur.

De muneribus missis ad regem Calechut. CAP. LXXIIII.

PRimo uas aureum cælatum, in quo principes de more manus abluunt, maluuium appellamus: deinde uas aliud argenteum, idemq; inauratum coopertum'que cooperculo argenteo, miro modo fabrefacto. Item clauas duas argenteas cum catenis argenteis. Item puluinos quatuor pręgrandes, uidelicet, duos coopertos aureo panno, duos uero alios ex serico purpurei coloris. Item conopeum unũ ex pãno aureo cum lacinijs distinctis auro ac serico coccineo, cumq; eo tapetum magnum, & stragula duo ditißima: alterum figuris insignitũ, alterum uero arbusculis ac folijs uirentibus distinctũ. Deinde gutturnium argenteum, quo guttatim per colli angustias aqua infunditur manibus, pari opera & ornatu elaboratũ, uti uasa superius descripta. His susceptis muneribus, necnõ uisis literis, & legatione audita, uisus est lætari plurimum. Propterea hortatus est præfectum claßis, ut diuerteret in eas ædes, quas sibi parari iusserat: interea dixit se missurum captum eos obsides, quos pignori dederat præfecto: quoniam uiri erant patritij clariq; admodum, nec usque in illam horam cibi aliquid sumpserant, aut potus: quandoquidem ipsi pro lege habebant, ut in mari cibum non capiant, nec bibant, essentq; usquequaque insomnes: addiditq; si præfecto complacitum sit naues repetere suas, id pro arbitratu faceret: quoniam eosdem obsides in crastinum se daturum pollicebatur, ut rursus ipse redire ad regem posset, expediturus commercia. Igitur dux noster classem reuisit, relicto interea Alphonso Furtado cum socijs septem uel octo, qui illi domi inseruirent. Dum itaq; litus deserit præfectus noster, uerna quidam illorum nobilium præuenit præfectum, & citatißimo gradu contendit ad obsides, nuncians præfectum receßisse. Qui ubi hæc accepere, sese præcipites è nauibus in mare dederũt: quod uidens Araschorea negotiator præcipuus, illico cõscendit cymbam, & mox duos obsides cepit, cumq; eis tres uel quatuor uernas: reliqui uero natando euasere. Interea præfectus claßis superuenit, & eos obsides, quos nactus est, in inferiore parte nauis poni iußit, ne & ipsi in mare desilirent: deinde monuit regẽ de cõpertis, questus de gestis per obsides, reijciens causam huius rei in quendã regiũ amanuẽsem: addebatq;, in carcerẽ trusisse obsides, ob id quòd timerent suis: quia adhuc in terra apud regem agebant, & insuper suam supellectilem repetebat, spondens se quamprimum dimissurum

A suorum obsides, ubi sui dimitteretur. Iuere igitur ad regẽ nostri legati, cumq; eis duo ex illis quos ceperamus in almadijs: & tota nocte præfectus classis præstolatus est responsum. Postero autem die rex ad litus accessit, stipatus cohorte decem aut duodecim mille hominum, & cum eis nostri, quos cum suis permutaturi erant. Interea expediũtur uiginti aut triginta almadiæ, quę cum nostris qui permutandi erant cõscendunt ad classem. Vbi igitur in conspectu fuere, propius accedere non audebant, hæsitabundi omnes, an prius darent captiuos, quàm suos redemissent: & inter spem & metum positi, totã diem frustra consumpsere, rursus ad litus redeuntes: & quum terram appulissent, nobis conspectis, probris & maledictis nostros incessebant, identidẽ mortem ac supplicium minitantes. Quare nostri noctem illam per uarias animi interturbationes & corporis molestias transegere. Sequenti tamen luce iterum rex mittit ad præfectum internuncios, nũcians se ultro suos ad eũ mittere inermes cum captiuis Christianis, exhortãs plurimum ut ipse remitteret obsides, quos penes se habebat. Mittit itaq; dux noster cymbas suas ad almadias, ut tandem aliquando permutatio fieret captiuorum. Conuenere cymbæ utrinq;, & supellex reddebatur nostris, quum senex impatiens morę sese in mare iecit. Tunc nostri indignati plurimum, & senem capiunt, & alios in mare trudũt. Postridie dux compassus seni, qui famem triduo sustinuerat, eum ad regem misit rogans, ut & ipse remitteret adolescentes duos, qui inibi adhuc retinebantur: remisitq; omnia eorum arma, quæ capta fuerant in almadijs. His uisis rex pudore uictus adolescentes ad præfectum mittit. Post hæc triduo continuo nemine ultro citróque commeante, sed omnibus domi sese continentibus, præfectus tandem decreuit regem rursus his aggredi uerbis: quòd, uidelicet, commercia inter eos futura essent, si iterum obsides darentur. Quum uero hærerent omnes, nec inuenirentur qui barbaris ultra fiderent ob præteritam perfidiam, Franciscus Chorea eques seipsum obtulit id munus obiturum seq; regem aditurum intrepide clara uoce professus est. Ita actum est, regem adiuit, ipsumq; certiorem fecit uenturum Araschoream ad regem, de mutuis mercimonijs tractaturum: uerum id haudquaquam fieri posse, nisi rursus obsides dentur: Nam petebat pro pignore mercatorem quendam locupletissimum, Gugeratum nomine. Tum is mercator respondit, se mox missurum nepotes, quos habebat duos: quod regi admodum complacitum fuit. Itaque sequenti die de his omnibus præfectus à Francisco certior est factus. Quibus perceptis, Araschorea se itineri accinxit, prius obsidibus in potestate habitis. Quum ergo terram Araschorea appulisset, & dies iam inclinaretur, uisum est ad classem redire, ut ibi noctem tutius agerent. Postridie uero ad regem cõtendit Araschorea, nauaturus de commercijs operam, quam Franciscus regi pollicitus fuerat. Huic igitur rex perquam commodas ædes dari iussit, quæ erant illius uiri locupletissimi, cuius superius meminimus: cui etiam à rege demandata erat prouincia, ut Araschoreã mores regionis sedulo doceret. Cœpit itaq; Araschorea negotiari, nec mercari poterat, nisi per interpretes Arabas: neq; regẽ adire quibamus, nisi Mauris medijs, qui suapte natura inuidi nobis aduersabantur, & iugiter imponebant: non tamen eorum impostura nos diutius latuit. Nam id curauerant, ut dum negotiabamur apud eos, nemo nostrum ad classem contenderet: si tamen in terram e nostris ibant aliqui, excipiebantur ab eis, sed redeundi nulla dabatur copia. Quod uidẽs dux classis, credidit fraudem subesse, & uentis uela facere iussit. Et quum rates iam altum tenerent, conspectę à nostris, per internuncium, perceleri cymba uectum, reuocatæ sunt ad portum. Rebus igitur pacatis, Araschorea commercia exercebat cum Barbaris, & adeò res conquieuere, ut iam intrepide nostri negotiari quirent. Is tamen mercator Maurus, qui nepotes pignori opposuerat suos, eos repetebat, nos ferè infensus obseruãs. Tum rex alio accersito uiro Turcha, protinus iubet ut nostra non incuriose curet, aliasq; paret ædes, ut mitius pacatiusq; no-

Franciscus Chorea

Maurorum perfidia

B

ſtras diuenderemus merces. Hoc facto, indies melius noſtra ſuum effectum ſortiebantur: nam uendidimus multa, compluraq; emimus: & inter nos uiguere ſpatio duorum menſium mirabilem in modum commercia. Rebus itaque noſtris nundinatis, it ad regem Araſchorea, & gratias agit quas poteſt maximas. Inuicem rex multa pollicetur, hortaturq; plurimum, ut cœpta mercimonia deinceps proſequantur intrepide: nec prius eos miſſos facit, quàm ædes illis perpetuo donauerit, ſuper qua re confecta ſunt diplomata, hoc eſt, regiæ literæ, quæ uicem ſupplebant priuilegij: hæ enim ex ęre erant ad ipſos: ad regem uero Luſitanum ex auro puriſſimo. Is eſt ſuus mos exarandi diplomata, quæ mercatoribus dari ſolent. Erecta etiam ſunt de iuſſu regis trophæa regia ſupra domum, ut ſic ædium indemnitati conſultum foret. Contendit itaque ad claſſem Araſchorea, & literas profert regias, ac obſides reddidit quamprimum, quibus confiſi maxima ſecuritate, altiſsimaq; pace fruebamur: iam alter fidebat alteri, & de obſidibus nulla mentio fiebat: uidebamur enim domi agere, adeò amicè omnia inter nos agitabantur. Interea dum mutua pace fruimur, ecce nauis maria aliena ſulcãs, quoſdam elephantos ferens eximios, quorum unus cæteris elegantior erat, ac bello aſſuetus magis, pretijq; non mediocris. Hæc ubi regi comperta fuere, mox & nobis ſunt relata ex rege, qui nos apprime rogabat, ut in ſuam gratiam nauim huiuſmodi corriperemus, mercesq; inuitis mercatoribus interciperemus: quoniam pretium immodicum pro eo elephanto ſpoponderat, nec tamen conſequi eum potuerat. Idcirco plurimum precabatur, ut ab eis pertinaciæ ſuæ pœnas exigeremus. Quæ quum rex multis precibus denarraſſet, præfectus illico reſpondit ſe regi morem geſturum: uerum intellexiſſe ratem memoratam eſſe omni armorum genere communitam, eamq; uaſtiſsimam, ac cœtu uirorum exornatam: capi propterea nõ poſſe ſine hominum ſtrage. Ideo petebat, ut ſibi impune liceret, ubi opus foret, in eos iuribus belli uti. His itaq; rex protinus annuit, & Mauros miſit ad claſſem noſtram, qui rei nauandæ non præeſſent, ſed intereſſent, & noſtrarum uirium ac dexteritatis locuples facerent teſtimonium, uel ſi forte fortuna deditionem facere uoluiſſent, adducti eius perſuaſione. Igitur noſtri celocem parant, tormentaq; ferè omne genus expediunt, nec ſupra ſeptuaginta uiros rati imponunt, qui noctibus duabus iugiter memoratam ratem conſectabantur, nec tamen aſſequi poterant. Sequenti tamen die annixi plus ſolito, poſt longam ac celerem inſectationem nauis comprehenſa eſt. Hoc prius amicè hortati ſunt, ut regi facerent deditionẽ. Qui ubi hæc audiuere, nos ueluti fabellam quampiã narrantes, ſua freti multitudine, aſpernati ſunt: ferebat enim nauis homines ſupra tercentum. Qui pro reſponſo ſagittis nos impetere cœperũt, & ſupra quàm referre queam contemnere. Tunc noſtri arma expediunt tormentaq;: & atrociter exoneratis tormentis, in eos contendunt. Qui reboatu tormentorum perterriti, & iam rate dehiſcente, mox ſeſe dedidere. Huius rei condicto rex certior factus eſt, qui ad litus magna cõcomitante caterua profectus eſt, ut egregium facinus coràm uideret: nam uix adduci poterat, ut crederet celocem noſtram perquam mediocrem, tantam nauim profligare quiuiſſe. Nam, ut præfecimus, nauis erat duplo celoce maior, & uirorum in ea bellantium numerus multo frequentior: quæ res ad maiorem uictoris laudem attinebat. Regi noſter præfectus & nauim & elephantos dedit, omnibus lętam uictoriam nobis congratulantibus, & noſtra nauis illico claſsi reddita eſt.

DE AEDIFICIIS VRBIS CALECHVT: ITEM DE *eius incolis, qualem habeat ueſtitum ac inceſſum, deq; eorum religione ac republica, qui rex & magiſtratus: item de mulierum monſtroſa licentia, deq; alijs mirandis ritibus, ex æquo & iniquo, honeſto ac inhoneſto permixtis.*

CAPVT LXXV.

VRbs itaque Calechut uaſta eſt admodum abſque mœnibus: intus pluribus in locis uacat. Domus haud ſunt contiguæ, inuicem diſtantes plurimum,

A rimum. Lapidibus & calce extructæ sunt, interiores ædium partes sculptæ: pro imbrice palmis utuntur, illis tegunt suas ædes. Fores prægrandes habēt, miroq; artificio fabrefactas: Has muro incingunt, instar pomerij. Ibi uisuntur arbores innumeræ, stagna, & fontes complusculi: nam stagnis libenter immerguntur, lotionibus enixe gaudentes: Fonte plurimum lætantur. In urbe uero lacus uisuntur complures, quibus immersi gregarij ac proletarij, omnis'que ignobilior uulgus, ter uel quater interdiu lauantur. Rex idolorum latriæ est addictus: licet nonnulli crediderint eum Christianum fuisse, qui minus mores eius calluerūt: nam nos apud regem diuturniores fuimus, mercimonijs insistentes, quo facillime scire quiuimus, qui ritus eius forent. Regem appellant Ganfer, cuius aulici & contubernales omnes sunt Mauri, qui habilissima habent corpora. Nudi incedunt pube tenus, reliqua panno inuoluunt. Nudis ambulant pedibus, & aperto capite prodeunt, nisi eminētiore præcellant gradu: tunc enim birreto utuntur serico, hoc est, uelutato, eoq; longiore, ut retulimus. Terebrant aures, in'que eis margaritæ quæque pretiosissimæ appenduntur. In brachijs aureas armillas gestant. Patritij denudatos enses et clypeos ferunt: at enses in cuspide latiores sunt quàm alibi, clypei sunt teretes, ijs non dissimiles, quibus apud nos pedites utuntur: peltas appellamus, eos'que coloribus nigro & albo distinguunt. Gladiatores sunt, quàm qui maxime, in alio fere nullo exerciti. Hi sunt qui regis latera stipant numero frequentiore. Numerosiore oblectantur coniugio: quinque aut sex mulieres uni uiro nubunt: quos habent chariores, eos coniuges comprimere uolunt, & id est beneuolentiæ argumentum apud eos maximum. Nullus est eis pudor, nulla uerecundia, continentia nulla. natæ illorum ante puberes annos corpora prostituunt sua: quum annum octauum egerint, nudæ ipsæ æque ac uiri incedunt. Diuitias prope incomparabiles circum-

B ferunt: capillum comunt mirum in modum: pulchritudine fere omnes superant uiros: prehēsant ut stuprent eas, quoniam uirginitas est eis pœna, nam nubere non possunt uirgines. Bis in die comedunt, pane & uino abstinent: carnibus, nec pisce uescuntur: in cibatu habent orizam, lac, butyrum, saccarum, & arborum fructus: prius cibum non capiunt quàm loti fuerint: tacti à non lotis, non comedunt, nisi rursus lauentur: & is mos est eis pro cærimonijs, eumq; mire obseruant. Viri & fœminæ per urbem incedunt esitantes folium quoddam, cui nomen est betelle: hoc igitur inficit ora & dentes colore subrusso, hoc more abstinent tantum obscuro loco nati. Vbi uero ob funera pullam induunt uestem in speciem mœstitiæ, temperant à folio huiusmodi, ut & dentes præ se ferant mœrorem & subrusso colori succedit nigricans. Rex duas habet coniuges, & quamlibet illarum sacerdotes decem assiduo comitantur, easq; comprimunt, & id in decus regis eximium fieri iactant, nullum alium honoratiorem titulum regi dantes, quàm quod eius coniuges à sacerdotibus comprimantur: propterea eorum filij nusquam regno succedunt, sed ex sorore nepotes regnum capessunt. In regia degunt innumeræ mulieres, utpote mille & quingentæ, aiuntq; id esse argumentum regię excellentiæ: nec aliud hæ mulieres agunt, quàm puluerulentam domum scopis uerrere, aqua'ue aspergere, quocunque rex eat sequuntur: domus aspergitur aqua mixta boum excrementis, ædes regiæ tolluntur in altum, inq; eis fontes, quibus immerguntur quum corpora abluunt. Quum rex egreditur, carpento uehitur, id est currus, quem bini uiri ferunt, omni lapidum genere condecoratum. Carpentum stipant choraulæ, præcones, buccinatores, & id genus complusculi. Patritij uero, & eminentiores suæ ditionis, omnes sequuntur, enses denudatos ac clypeos teretes gerentes. Sagittarij etiam ac uelites eum præcedunt, itinera explorantes, habet suos æditus & admissionales: conopeo, id est tentorio tegitur, dum incedit, ut apud nos dum pompa ducitur regum & principum, & ut aliquando finiam, nullus est in toto orbe apud suos honoratior: quippe qui instar numinis alicuius reueren-

Ganfer

Betelle

Sacerdotum licentia

uerentiſsime colitur:nã ad eũ propius quis nõ accedit,quàm ad tres uel qua- A
tuor paſſus:quũ uero aliquid porrigunt, ac ſi ſtipẽ darent elephanto ab ipſis
tremebũdis,id ramo porrigitur:quoniã regem tangere apud eos nefas duci-
tur. Quũ eum alloquuntur,id agũt demiſſis capitib. manu ori apposita: & ne
mo è patritijs regẽ adiret inermis,hoc eſt,ſine enſe & clypeo. Quũ regem ue
nerantur,capita manib. tangunt,ſicuti qui deũ adorant. Qui uero agunt ma-
giſtratus,parui ſunt cenſus, hi regem nec uident,nec alloquuntur: & in pri-
mis piſcatores,qui ſi forte fortuna in uicis urbis occurrerint patritijs, aut ef-
fuſe fugiũt, aut ſi perrexerint ire obuiã nobilitati, mox uapulãt ſcipione ali-
quo: patritiorum uero cõiuges quũ rex uitam cum morte commutat, ipſum
comburũt ligno ſandalio igni ſubiecto: uulgares uero & capite cenſi human
tur: barbã comunt,ratiocinatores ſunt maximi,ac ſcribæ perceleres: ſcribũt
in folijs palmarum ſtylo ferreo, abſq; colore uel incauſto. Eſt & aliud genus
hominum, qui magna commercia agunt, Guſurantes appellantur, oriundi
ex Cambaia prouincia: hi ſuapte natura idola colũt, Solem, uidelicet, & Lu-
nam,uaccasq; adorãt, & ſi quis uel fortuito bucculam occiderit,is protinus
morte mulctatur, nihilq; eiuſmodi uiri eſitant quod mori poſſit: nec pane,
nec uino utuntur: & ſi qui per imprudentiam carnes comederint,hi mox re-
legantur ut oſtiatim uictũ queritent per orbẽ uniuerſum errabundi,uel ſi cla
ro loco nati forent: uacant plurimũ incantationibus diuinationibusq;: albe-
dine incolas urbis Calechut ſuperãt: capillũ exornant plurimum comuntq;:
panno bombicino induuntur: peplis utuntur ut fœminæ, quibus inuoluunt
capillos: nubunt ut noſtri: zelotypia laborant eximie: mulieres habent pul-
cherrimas,eaſdemq; pudicas, illorum mercimonia ſunt panni & uniones.

De negociatoribus & itinere ad Aromata, & Cayro portu Alexandriæ, qui dicitur Babylonia. CAP. LXXVI.

SVnt inibi & alij mercatores, dicti Zetieties, ex alia prouincia: idola co- B
lunt, eorum mercimonia ſunt lapides omnifariam prætioſi, uniones, o-
mne genus aurum & argentum,nigriores ſunt cæteris, prætexta utuntur, a-
liquando nudi ferunt pro cauda equorum ac boum caudas: faſcinatores
ſunt maximi, adeò ut uiſibiliter dæmones frequentius alloquantur, eorum
coniuges libidinoſiores ſunt cæteris mulieribus, ſummeq; Veneris appeten
tes. Ibi etiam ſunt Mauri ex regione Mechę,ubi Mahumetis arca. Ibi rurſus
Turchæ, Perſæ, Aſſirij ex Babylone, & fere innumerabiles gentes aliæ,exi-
mij ſunt mercatores, ijdem'que locupletiſsimi, & omnium rerum quæ im-
portantur in urbem Calechut emptores, earundem'que uenditores. Nam
eius urbis hæ ſunt potiores, uidelicet,lapides prætioſi, ut ſunt Berylli, Sma-
ragdi, Chelidonij, Topaſij, Sapphyri, Chryſolithi, & id genus plures,
Caſtoreum, id eſt, muſcum,thus,aloë, ac reubarbarum, porcellanæ'que,
necnon gariophyllum, cinamomum, ſandalium, lacha, myriſtica,nux mu-
ſcata appellatur, & maſtix, hæc omnia aliunde importantur: piper uero &
zinziber ibi naſcuntur,myrobalanumq; & caſia, hæc regio urbis Calechut
abunde mittit. Hi igitur Mauri ſunt præpotẽtes, & regni illius tenent habe-
nas: nemo eſt qui illis poſt regem non pareat. In montibus uero non longe
ab urbe Calechut rex dominatur longe potens, rerum multarum dominus,
Naremegha Naremegha dicitur,idola colit,coniuges habet ſupra trecentas: fato functus
ſuo comburitur, & cum eo coniuges omnes,cæteri uero quum uitam exue-
rint,in fouea comburuntur, & eorum coniuges omni mundo muliebri exor
natæ illò contẽdunt, cõcomitantibus parentibus & cognatis omnibus,ſub-
ſequentibusq; choraulis & tibicinibus, applauſu immodico ad foueam ue-
niunt, & ibi coniunx quæ comburi uult cum uiro,circumuehitur foueã ge-
ſtiens ac tripudijs inſiſtens, & demùm ut cancer reptando incedit, quoad ſe-
ſe in ardentem foueam præcipitet. Aſtant etiam memorati affines,obſeruan
tes factum: quoniam quum ſeſe præcipitem dederit mulier, mox inijciunt ol
las olei & butyri ſupra corpus mulieris, ut hoc fomẽto altus ignis citius cõ-
burat

A burat coniugem. Fert etiam hæc regio elephantos multiplices, & in primis domitos, ac belli artes edoctos: his bella conficiunt acerrima: hi etiam adeo sunt cicures & mansueti facti, ut nihil eis desit ad humanitatem præter loquelam: nam imperata faciunt, & dominos cognoscunt suos: id enim nos ipsi conspeximus in urbe Calechut, ueramq; denarramus historiam: nam aure certior arbiter est oculus. Elephantes quibus rex utitur efferantur plurimum, uiriumq; sunt incredibilium: nam duo tantum nauim magnam trahūt in terram. Ibi maria non sulcant nautæ, nisi à mense Octobri usq; per totum mensem Martij: & id est illis æstas, reliquum uero tempus est hyems, adeò ut nobiscum contrarias uices temporum habeant. Quum uero non nauigant, in sicco naues tenent. In mense Nouembri naues Arabum Mechæ soluunt illinc, & in Arabiam contendunt, aromatum omni genere onustæ. Vida dicitur eorum portus, quò primo aromata conuehunt, & inde ferunt ad Cayrum Alexandriæ portum, & emporium Orientalium cantatissimum: eò tamen hæc omnia ab portu Vida terrestri itinere conuectantur. Educationis uis. Vida

De strage Maurorum & Christianorum facta in Calechut.

CAPVT LXXVII.

QVum itaque diutius immorati illic fuissemus, tribus, uidelicet, mensibus commercijs insistentes, nec nisi duas naues mercibus onerauissemus, & iam moræ istius nos tæderet plurimum, præfectus nostræ classis mittit ad regem nuncios, qui ei renuncient, iam menses ternos elapsos, quibus ipse tolerantissime præstolabatur, ut tandem aliquando expediretur: quoniam tempus redeundi ad patriam appetebat: & tamen uix celoces duas oneratas mercimonijs esse, Mauros nihilominus emisse & asportauisse quæcunque libuisset, & uili quidem pretio, se propterea rogare plurimū, ut tandem annuat Portugallensium uotis, patiaturq; eos expediri prout inter regem & Araschoream conuenit iampridem. Hęc retulit noster nuncius. Is in
B hunc ferè modum rex respondit: Se non difficulter passurum, ut Lusitanæ naues expediantur, nec sibi posse persuadere, Mauros furtim mercari: quandoquidem exierat edictum ab eo, ut prius nemo naues oneraret, quàm Lusitani expediti forent: si forte sibi imposuere Mauri, se haud ægre laturum, quòd Lusitani Maurorum onustas naues corripiant, & sibi uendicent eodē pretio, quo emissent Mauri cunctas merces quas nacisc ētur in nauibus. Itaque decimasexta Decembris, dum Araschorea uacat commercijs, essentq; in portu duæ naues nostræ iam onustæ, ecce Maurorum nauis quædam soluit illinc, onusta admodum omni genere aromatum, ferens elephantos ternos. Cuius rei factus certior præfectus noster, mox ratem corripuit: huius erat dominus Maurorum illustrior: is ægre ferens factum, it protinus ad regem, questus grauiter de illatis ab Lusitanis. Fit per urbem clamor ingens, confluunt ad regem Mauri, qui in nos conspirauerant. Rex igitur fatigatus his querimonijs, annuit ut uir seditiosus, & fidei nullius. nam ut citius regē flecterent, aiebant nos plura iam exportauisse quàm attulissemus in regnum eius, nosq; propterea fures uocitabant & prædones. De consensu igitur regis sumunt Mauri arma, telaq; expediunt, & efferari incipiunt, per mediam urbem bacchantes ibant, cędibus & internecioni Christianorum uacantes. Iam ruebant cateruatim in nos omni armorum genere communiti, tum solis ensibus & pallio protecti uim ingruentem propulsare cœpimus: uerum sufficere illis nostræ uires nequibant, maior erat numerus quàm à nobis redigi in ordinem posset. Retulimus igitur pedem: & iam è nostris ciciderant tres uel quatuor, è suis uero septē uel octo. Dum igitur pedem retrahimus, consauciantur è nostris cōplures: & uix portas occludere quiuimus, irruente barbarorum incondita turba: tunc à muris propulsare cœpimus hostem: at illi domum expugnant: ea enim ambiebatur muro, alto quidem haud supra equitis mensurā: nam nos septem uel octo arcus habebamus, quibus innumeros barbaros cōfecimus. Tandem prouocati magis Mauri in nos plus

solito sæuiunt: murũ quo cingebatur domus demoliuntur. Nos uero consilij A & opis egẽtes euasimus ædes, ut ad litus cõtendentes à nostris exciperemur: nam non longe à litore cymbæ nostræ exitum rei mœstissime præstolabantur: opem ferre non poterant, licet certiores facti essent à nobis uexillo leuato, dum adhuc domi obsideremur, uerum tormenta lædere hostem nimis distantem nequibant. Itaque inter uitam & mortem ambigui ad litus contendimus sequẽtibus Mauris, nec prius naues nostras ingredi potuimus quàm cecideri Araschorea noster, & è nostris quinquaginta: qui uero euasere, se iactabundo mari nantes credidere ferè XX. non enim naues ad litus accedere audebant, ne corriperentur à Mauris, inter eos qui ad classem peruenere ferè mortui, erat filius Araschoreæ, natus annos undecim: præfectus uero cymbarum iam fessus, regredi ad litus noluit, quum præsertim dux classis ægrotaret. Igitur hi solum uiginti mortem euasere, reliquis à Mauris male acceptis. Hæc igitur ut sunt relata præfecto classis, ipsum peruasere plurimũ, moueretq; ad excandescẽtiam, quòd, uidelicet, sui adeò male accepti fuissent, ut uix uiginti è tot uiris superessent. Itaq; iussit naues Maurorum decem, quæ in portu morabantur corripi, & occidi omnes qui in eis reperirẽtur. Captis igitur nauibus desiderati sunt homines plus quàm sexcenti, delituerant nõnulli in sentina, ubi etiam merces compertæ sunt complusculæ. Viros trucidauimus, & omnes merces nobis adiudicauimus, & naues omnes combussimus, erant etiam in nauibus elephanti tres, quos occidimus comedimusq;. Sequenti uero die propius urbẽ appulimus, & exoneratis tormẽtis mœnia demoliti sumus, non sine hominum ingentissima clade. Illatis damnis innumeris, & inuicem ipsi è continente tormenta in nos exonerabant, uerum nihil profecere, in uanum emittentes. Dum sic congredimur, ecce naues duæ quæ portum quærebant, qui distat à Calechut leucis quinq;: quæ ut nos conspexere, mox effuse fugerunt, ad portum contendentes, ubi septem aliæ na- B ues ferè in sicco mercimonia operiebãtur. In eas igitur uela fecimus, uerũ operam lusimus, quoniam propius accedere nequibamus, tum quia erant propè in arido, tum uel maxime ob numerosiorem hominum cœtum, qui inibi naues tutabantur. Propterea decreuimus proficisci ad urbem Chuchinam, ubi commercia exercere tutius quiremus.

Quomodo naues onerauimus. CAP. LXXVIII.

SOluimus igitur illinc Chuchinam uersus euntes, quæ urbs abest à Calechut leucis triginta, regnumq; est nulli parens, & inter nauigãdum à nobis conspectæ sunt naues duæ, quæ, quum uela fecissemus in eas, mox à suis desertæ sunt. Nam qui eas ducebant uecti paruis cymbis profecti sunt in terram, nos uero accedẽtes eos, nullis compertis mercimonijs, præter orizam, eas comburi iussimus. Applicuimus ergo ad urbem Chuchinam uigesimo quarto Decembris, & in ostio cuiusdam fluminis ancoras iecimus, quibus iactis præfectus noster emisit pauperculum quendam conseruatũ, qui sponte sua naues nostras fuerat ingressus, ultroq; in Hispaniam proficiscebatur. Is igitur ad regem contendit, & quæ nobis in urbe Calechut euenerant regi explicat. Qui ubi hæc accepit, ut regem decuit, nobis compassus, uicem nostram indoluit. Exposuit etiam regi, præfectum nostrum multa adduxisse, quę libenter cum mercibus regionis, si complacitum foret regi, commutaturus erat: et ubi merces non placuissent, pecuniam pollicebatur multiplicem. Ad hæc respõdit rex ægre ferre, illatas nobis fuisse iniurias: quod uero ad se spectaret, merces suas aduentumq; eorum grata habere: quandoquidẽ iampridem de fama & probitate Portugallensium certior factus fuerat, bonam propterea de eis opinionem induerat. accederemus itaq; intrepidi, cõmutaturi nostra cum suis pro nostro arbitratu. Tũc nuncius noster infit regi, nos nunquam ex uetere instituto consueuisse prius terram appellere, quàm obsides dati fuissent, mitteret propterea è suis quempiam, ut mox accederent negotiaturi. Tum rex his auditis, actutũ duos patritios obsides dedit, ut confidentius

A fidentius accederēt nostri, qui cōmercia exercebant. Hi igitur obsides regio iussu adiuere præfectum classis, seseq; illi commitentes. Præfectus uero ut uicissitudinem rependeret, quatuor aut quinq; è suis in terram misit, negotiatoremq;, & hos commonefecit, ut quàm celerius possent expedirent merces suas, inuicē emerent eorum mercimonia pretio aliquanto, nonnunq; uero permutatione, prout cōducibilius fore rati fuissent. Interea quoniam apud eos inualuit mos pro lege, ut in mari si quis comederit, is nunquam regem uideat: obsidum adhuc nemo comederat, permutabātur in diem propterea alijs succedentibus tantisper, donec alij comedissent. Igitur illic cōmorati sumus circiter dies XV. naues exonerantes non longe ab urbe Chuchina, ubi portus est qui dicit Carnagallo, & ibi cōperimus Christianos, Iudæos, Mauros, & Zapharas. Inuenimus etiam ibi Iudæam quandā de Seuilia, quæ ex Cayro uenerat uisum Mecham, & inde Chuchinam, & cum ea duo Christiani, qui asseuerabāt se profecturos Hierosolymas, & inde Romam, quod profecto perquā gratū præfecto nostro fuit. Dum itaq; naues nostræ exonerātur, ecce ingēs classis regis Calechut in mari apparuit, naues supra XXV. trahens. Huius certior factus rex, illico ad præfectum mittit quendam, qui ei nomine suo uim hominū maximam ad classem profligandam offerat. Huic præfectus respondit, se regi agere gratias, nec per id tempus opis suæ egere, se satisfacturum aduentanti classi, ostensurumq; illis eorum futiles conatus: & reuera credidit haudquaquā sibi opus fore alieno auxilio, quoniam iampridē expertus fuerat eorū uires: & ipsi non accedebant, sed altum tenentes à classe nostra una leuca aberāt: nihilomnius præfectus uela explicare iussit, ab portu soluēs, & obsides secum ferēs, dimissis in terra è nostris septem, & pleno gradu contendit in classem barbarorum, ratus non difficulter se subacturum Barbaros. Verum sequenti nocte classis nostra uentos haud habuit
B felices, ut in hostes contenderet. Postera uero die quæ fuit decima Ianuarij, M.D.I. propius alter alteri accessit adeò, ut congredi cōmode potuissemus. Dum igitur utrinq; naues se prælio expediūt, præfectus recēsens suos, uidit nauim Sancini Tonari abesse, propterea satius censuit, si per id tempus temperauisset à pugna. Decreuit igitur in patriam redire suam, fauētibus uētis: nos tamen usquequaq; per diem totam classis Calechut cōsectata est: quum uero aduesperauisset, mox euanuit: nos uero citato gradu patriam petebamus, dimissis septem è nostris, & duos nobiscū ferētes obsides: quos cœpit præfectus enixe rogare, ut se tempori accommodarent, nec desperarent, uerum cibum quempiam caperent, ut suæ uitæ consultum irent: nam triduo iam famem sustinuerant. tandem adducti ducis hortamentis, comederunt non sine mœstitia. nos uero uersus Lusitaniam uela fecimus.

De rege Chanonæ amico nostro. CAPVT LXXIX.

ITaq; die XV. Ianuarij ad quoddā appulimus regnū, quod Chanonam appellant de Gafferes, quodq; à Calechut parum abest, & eiusdem sunt linguæ. Dum igitur è regione regni huiusmodi nauigamus, rex ad nos amice nūcium mittit, qui referat se ægre tulisse, quòd eò prius non concesserint, quàm aliò iuissent: uerū eos hortari plurimū, ut si merces nō habeāt quæ uoto suo faciant satis, se uberrime daturū protinus. Ad hæc præfectus respondit, oneratas iam esse naues, nec alterius egere nisi cinamomi bacharis cētum, quæ sunt CCCC. cātara, id est uasis gen9. Hoc accepto rex, mox ad ducē cinamomū mittit diligentissime fidēterq;: pro eo dedit præfectus pecuniā signatam cruce, cruciferos appellant. Post hæc eò cōuehebatur cinamomi plurimum certatim cymbis frequentantib. uerū nullus supererat ulteriori merci locus, onustæ erāt admodū naues. Rex uerò ratus nos nō habere pecunias, rursus ad nos mittit, qui renūcient regē sponte daturū mercimonia absq; pecunijs, soluerēt modo quū redijssent: nec ob hoc desineremus cōmercia nostra absoluere, quoniā audiuerat regē Calechut bona nostra deprædatū fuisse, publicatis nostris mercimonijs, ac illata hominū Christiani nominis strage nō

mediocri: addebat etiam compertum habuisse iampridem inconcussam esse Portugallensium fidem, se propterea esse propè addictum nobis. Huic itaq; regiæ uolũtati, & opinioni de nobis tam benignæ correspõdens noster præfectus, ut erat uir acerrimi ingenij, non uulgares retulit gratias: & eas se relaturum quandoq; ingenue professus est, & introducto nũtio uim pecuniarũ maximã, quæ superfuerat, ostendit: & rursus querẽti regi an alicuius egeret: respõdit nullius, nisi uiri cuiuspiã, quem secum in patriam ducat, qui rerum Portugallensium testimoniũ locuples aliquando regi faciat. Rex igitur protinus patriciũ quendam misit, qui nobiscũ iret in patriã: nõ prius tamẽ illinc soluimus, q̃ de obsidibus regni Chuchini sciberemus, certiorẽ faciẽtes regem, nos ire in Lusitaniã, & obsides fore apud se sua causa in pretio, & fauentibus superis redituros quamprimum, & nostros insuper suæ altitudini commendabamus: dedit etiã præfectus noster negotiatori literas: quibus hortabatur uirũ & socios ut bono essent animo, & negotiarẽtur tantisper, donec redirent, futurũ sibi decus ingens, quod inibi Christianũ nomẽ exornent, quũ apud immortalẽ deũ, tum etiam apud principem nostrũ & reliquos conterraneos omneis. Itaq; apud hunc regẽ diem unum duntaxat consumpsimus. Illinc soluentes, uela uentis dedimus, iterfaciẽtes uersus Melindę regnum: ultima Ianuarij luce sinum traiecimus Melindæ, & ibi nauim comperimus Combaiæ ex Melindæ regno, ueniebat onusta mercibus cõplusculis, hanc cepimus, arbitrati esse Mechæ regni aut Maurorum: ferebat enim supra trecentum uiros sexus utriusq;: ubi uero apparuit eam esse regni Gambrę, mox dimissa est, passa iacturam nullam, pilotum solum accepimus ab eis, & demum iter nostrum persequuti sumus.

De naufragio sinus Melindæ. CAPVT LXXX.

Die duodecima Februarij sub noctem piloti omnes, idest, itineris duces & reliqui, qui chartam, nauigationis optime callent, terram applicuere: tum * Sancinus Tonarus, qui præfectus erat ingentis nauis, ultro se obtulit itineris præuium, & explicatis uelis, ipse rates omneis præibat: & ecce nocte intempesta mare sæuit undabundum admodũ, classem actutũ cõturbat, modo huc, modo illuc impellens: & tandẽ Sancini nauim impulit in siccũ, cœpit protinus cõflagrare, ubi ignis emicuit: mox certiores huius inauspicati euentus reliquas naues reddidit, quo uiso igne: iussit præfectus classis naues eò uela facere, ubi ignis emicuerat. nox erat tenebricosa, quũ luna per nox minime esset, uenti etiam magis inualescebant, adeò ut uix tempestatẽ ferre possemus, non audebat propterea classi propius accedere, ne & aliæ naues igne corriperentur. Misit itaq; eò paruas cymbas, ut iactis in pelagus mercibus, uel ipsos homines uendicarẽt ab incẽdio, uerum nauis iã dehiscebat, conflagrabatq;, ut nullus spei locus superesset: ardebat enim tanto incẽdio, ut propè naues alias ignis corriperet. His uisis uela deserentes, remigare cœpimus, & omnium mercium nauis cõbustæ iacturã fecimus, saluis tantum uiris: nam aromata omne genus ferebat nauis quæ arsit: & ea erat ducẽtorum doliorum capax: & in hoc submersu & conflagratione nihil prorsus seruatum est: uiri enim solis tunicis interioribus induti incendium euasere. Illinc itaque soluentes, prætermisso regno Melindæ, quoniam eò concedere minime licuit, uersus Monachiæ prouinciã iter direximus, & inde ligna & aquam sumpsimus, reductis in terram nauibus, ne à fremente salo submergerentur: nam plenæ rimarum erant undequaque perfluentes. Tunc præfectus classis misit Sancinum quæsitum celocem quampiam, necnon pilotum, quo præuio insulam Zaphalæ exploraremus. Interea nos naues sarciebamus: inde soluẽtes, petere instituimus locũ quẽdã piscosum, ubi pisces erant innumeri. Ibi igitur uberrime piscati sumus, & quũ multũ pisciũ consequuti essemus, illinc abeuntes in atrocissimã tempestatẽ rursum incidimus, quæ perinde nos interturbabat, ut coacti fuerimus gradũ referre: & dũ sic iactamur maris fluctibus, nauis quædam è nostris correpta est à sæuiente salo.

alias sanctus Tanarus.

Quot

A *Quot naues redierint in Lusitaniam.* CAP. LXXXI.

ITaque post tot naufragia, & animi interturbationes, & ferè rerum omnium iacturam, ac intertrimenta, die paschæ Sancti pneumatis caput Bonæ spei appulimus. Id enim promontoriũ, quod Pomponius frontem Africæ appellat, ubi Africa se cuneat, & fastigiatur admodum. Inde uero uentis prosperis ad id oppidum quod adiacet promontorio Viridi deuenimus, regnũ Tesenice dicitur. Ibi itaque nacti sumus liburnicas tres, quas nuperrime rex Lusitanis eò miserat gratia explorandi orbis, ut est uir ad magna quæque altus & educatus. Illic etiam comperimus nauim quandã, quę sæuiente freto à nostro conspectu euanuerat, è regione ostij sinus Mechæ: nam in urbe quadã commorati fuerant, ubi & cymbam, & maiorem hominũ partem reliquerãt: redibat enim nauis, uiros septem tantummodo ferens, eosque ægrotantes, utpote qui uinum non bibebant, nec item aliam aquam, quàm pluuiam bibebant in naui, ut assolet, collectam. Tandem aliquãdo appulimus Vlisbonam solum patrium, ferè ultima Iulij. Postridie uero superuenit ea nauis, quæ euanuerat dum rediremus, necnon et Sanctus Tonarus cum celoce quã fabricatus fuerat in insula Zaphale: & is nobis referebat eam insulã esse perquã angustam in ostio cuiusdam sinus à Mauris cultam, & ibi montes esse, ubi aurifodinæ sunt quamplurimæ: addebat etiam eò complusculos alios cõtendere emẽdi auri gratia permutatione rerum multarũ. Etiã tempus quo Sanctus illuc cõcesit, cõperit ibi quãplures Maurorũ naues, cepitque inibi Maurum, qui apud eum tantisper obsidis officio fungeretur, donec Christianus quidam redijsset, quem ipse in Arabiam causa explorãdę regionis destinauerat. Quum aũt nusquã cõparuisset, uela uẽtis dedit, secum ducens Maurum, & tandem in patriam diu optatam peruenit. Nec etiam id uos latere uolumus, Vlisbonam è tanta classe sex duntaxat naues redijsse, reliquis pessundatis

B cum hominum strage, necnon mercium infinita iactura.

De pondere & moneta eorum. CAP. LXXXII.

POstquã in superioribus meminimus mercium ferè omne genus, superest nunc, ut nonnihil de pretio & pondere earum in mediũ afferatur. Igitur in urbe Calechut baccar nucum muscatarum, id est mensuræ genus continens cantaros quatuor, non pluris uenditur quàm pro CCCCL. fauis: & Faui XX. ducatum, id est, nummum aureum efficiunt. Item cinamomi baccar CCCXC. fauis. Item faracula aridi zinziberis, id est XX. baccari pars, fauis sex. Item faracula zinziberis, saccaro conditi fauis XXVIII. Item baccar tamirindi fa. XXX. Item ba. piperis procerioris fa. CCCC. Item ba. zerombeci fa. XL. Item ba. myrobalani fa. D. LX. Item ba. zedouariæ fa. XXX. Item ba. sandali rubri fa. LXXX. Item ba. Lachæ fa. CCLX. Item ba. sandasij fa. CLX. Itẽ ba. masticis fa. CCCCXXX. Itẽ fa. camforæ fa. CLX. Itẽ ba. piperis fa. CCCLX. Itẽ fa. thuris fa. V. Item fa. belzuini fa. VI. Item fa. ligni aloë fa. CCCC. Item fa. casiæ fa. II. Item fa. reubarbari fa. CCCC. Item ba. gariophylli fa. D. C. Item fa. opij fa. CCCC. Item ba, sandali albi, fa. D. CC. Item mitricale ambræ, quod uncię sex cum quarta efficiunt mitricale unum ambrę. Item ba. unum XX. farazolæ efficiunt, farazolam uerò XIIII. aratollæ, & tertia pars unius efficiunt Portugallensium, quoniam Venetijs XXIIII. aratollę, libra efficiunt XXII. & secundam partem. Ad summam igitur nummus aureus non pluris ualet quàm XX. fauis. Post hæc dicendum est de pretijs rerum, quas domo attulimus, uidelicet, quanti uendantur in urbe Calechut. Item fa. æris fa. XLV. Item fa. coralli albi, fa. mille. Item fa. plumbi. fa. XVIII. Item fa. coralli obliqui fa. DCC. Item fa. argenti fa. XX. Item fa. coralli nothi fa. CCC. Item fa. aluminis fa. ✳ XX. Item almenum unum, quod est pondus excedens mensuram Portugallensium, aratis duobus & medio, quod efficiet libras tres uel circa, more Veneto, & hoc pondere uẽdunt crocum, fauis uidelicet LXXX.

Frons Africæ

De regionibus, unde comportantur aromata.

CAPVT LXXXIII.

NOn absonum igitur crediderim, si eorum locorum nonnihil meminerim, unde afferuntur aromata ferè omnium generum. Piper itaque aduehitur è turri quadam quæ est ultra Calechut, secus litus ad leucas ferè L. Cinamomũ mittit regio dicta Zalon, nec alibi inuenitur, ea est ultra Calechut itinere leucarum CCLX. Gariophyllum fert Meluza regio, quæ abest à Calechut ad leucas duodecim more Lusitano, in loco qui dicitur Canonor. Nuces uero muscatæ, & mastix afferuntur ex Meluza quæ abest à Calechut leucis DCCXL. Castoreum, hoc est, muscatum, uenit è prouincia quadam quæ dicitur Pego, distante à Calechut leucis D. Vniones uero proceriores affert plaga Armuzi, citra urbẽ Calechut leucis DCC. Spicus nardus, & myrobalanum aduehuntur ex Columbaia prouincia citra Calechut leucis DC. Cassiam in surculis mittit urbs ipsa Calechut. Mittunt uero sua thura Sabęi citra Calechut leucis DCCC. Mirrhę Fartica regio citra Calechut DCC. Lignum autem aloẽ, & reubarbarum, camphoram, & calingam mittit Chiua regio ultra Celechut ad mille leucas. Zerombam fert Calechut, cardamomum maius Canona mittit oppidum Calechut, longe ab eo leucis duodecim. Piper longum in Same inuenitur. Benzui, & zan ultra Calechut leucis DCC. Tamirindum, & Zeudoariam mittit urbs Calechut. Lacham mittit oppidũ dictũ Samoterra, ultra Calechut leucis D. Brasille fert regio Tanazar, ultra Calechut leucis D. Opiũ fert plaga Adde citra Calechut DCC. Satis igitur ac super dictum sit de ponderibus, & rerum pretio, nec non de locis unde hæc aduehuntur.

NAVIGATIO CHRISTOPHORI COLVMBI, QVA MVLTAS REGIONES HACTEnus orbi incognitas inuenit, inuentasq; Hispaniæ rex coli iussit & frequentari. B

Quomodo rex Hispaniarum dedit liburnicas duas Christophoro Columbo.

CAPVT LXXXIIII.



ITAQVE Christophorus natione Italicus, patria Genuẽsis, gente Colũba, uir erat procera statura, colore ad rubedinẽ inclinato, facie oblõga. Is quũ diutius in regia regis Hispaniarum inuictissimi diuersatus fuisset, animum induxit, ut hactenus inaccessas orbis partes perquam diligẽter peragraret. Petijt propterea rursus & iterum instantissime à rege memorato, ut uoto suo tam pio non deesset, futurum sibi & toti Hispanię decus pręclarum adseuerabat, si sua opera & impensa nouas inaccessasq; regiones nactus esset: & ad id opus nauigandi ultro se offerebat, nam pollicebatur plures posse nancisci in occidente insulas, quæ adusum, imò ad delitias mortaliũ minime forent ineptæ, & in primis in eis insulis, quæ conterminæ sunt Indiæ, inueniri posse arbitrabatur baccas, id est, uniones, lapidesq; pretiosos fore omne genus, necnon aromata omnifariam, auriq; plurimum. Hæc meditantem rex & regina identidem derisere, utpote cogitatẽm inania, & pensi nullius, uertebaturq; hic sermo propè in fabellam. Tandem peractis annis VIII. insistente adhuc Columbo, cœpit rex his sermonibus aures præstare attentiores, decreuitq; post multa experiri uiri ingeniũ, propterea in effectum huius celebris instituti, iussit liburnicam unam & celoces duas omni genere annonæ armamentorumq; communiri: quibus expeditis, prima Septembris luce M.CCCCXCII. soluit ab Hispanis litoribus, & diu optatum iter aggressus est.

De In

A

De insulis compertis à Columbo uiro acerrimo.

CAPVT LXXXV.

ITaq; soluit à Gadibus iter faciens uersus insulas Fortunatas, quas nunc Hispani appellant Canarias, ob id quod canibus maxime abundent: antiqui uero Fortunatas dicebant. Hæ enim absunt à Gadibus milliaribus M C C. prout ipsi computant suas leucas, dantes unicuique leucæ. M. IIII. Fortunatas propterea eas dixere ob aëris miram temperiem, cœliq; clemẽtiam, sunt in clymate per Syenem uersus meridiem: eas incolunt ferinę gentes, quibus nulla est religio, nullius dei timor, nulla uerecundia, utpote quæ nudi incedunt usquequaque: eò Columbus concessit aquę nõnihil sumpturus, ut uel inibi socij prius parumper conquiescerent, quàm atrocioribus assuescerẽt laboribus: nam qui sulcant maria incomperta, his necesse est propè labores innumeros exantlare. Soluens igitur illinc arabat maria, & per dies XXXIII. totidemq; noctes nauigans uersus occidentem, nihil telluris unquam apparuit: tandem è specula quispiam insulas quasdam conspicatus est: propius accedentes uidere insulas sex, quarum duæ erant uastissimæ, eisq; nomina indidit, alteram Hispanam, Ioannam alteram nuncupauit.

Canariæ

Fortunatæ

De magnis nsulis. CAPVT LXXXVI.

IOannam non satis compertum habuere utrum esset insula uel ne: dum tamen eius latera legunt, audiuere innumeros auium cõcentus, & in primis lusciniarum, quæ densissimis nemoribus inerrabant, mense Nouembri. Inibi etiam conspexere limpidissima flumina, eademq; ad potandũ suauissima, portus magnos celebresq;. Et quum uẽto Choro nauigarent, prouecti sunt magis secus insulæ litora, nusquam tamen ad calcem peruenere. Quum igitur progressi fuissent ferè milliaria D C C C. & nullũ terminum adhuc comperissent, credidere continentem esse: propterea decreuere gradum referre, impellẽte pelagi sæuitia: nam malus, id est, arbor nauis nutare incipiebat. Con
B
uertit itaque nauim ad orientem, & mox deuenere ad eam insulam, quæ dicitur Hispana: & quum summe appeterent terram explorare quę ad Aquilonem uergebat, & iam ipsis terræ appropinquantibus, condicto ratis maxima in scopulum quendam collisa est, adeò ut iam dehisceret: uerum summergi nequiuit ob planiciem saxi: mox accurrunt cum cymbis uiri celocis alterius, & socios è faucibus Neptuni eripuere ferè moribũdos. Quum terram appulissent, conspecti sunt ab incolis eius insulæ, qui protinus effusè fugerunt in nemora densissima, nõ aliter quàm si fugacem leporem consectaretur canis, genus inauditum: nostri tamen uestigia persequuntur fugientium & mulierem quandam corripuere, quam quum ad naues reduxissent, uino & obsonijs prope distentam, & eleganter uestitam missam faciunt: nam ipsi nudi incedunt, & humaniores ignorant delitias.

De situ & moribus Hispanæ insulæ. CAP. LXXXVII.

QVamprimum igitur hæc mulier deuenit ad suos satura & propè farta, cultuq; insolito uestita decentissime, alij hac liberalitate adducti, mox certatim, cateruatimq; ad litus concurrunt, rati genus esse diuinum: nam desiliebant in pelagus secum ferentes aurum, quod cum ollis testaceis, uasisq; uitreis permutabant, pro minima quaq; re etiam despicabili aurum dabant. exempli gratia, si quis dedisset frustum speculi cõfracti, protinus aurum consequebatur. Contracta igitur amicitia, uigentibusq; commercijs, nostri cœpere diligẽtius eorum uitam & mores explorare, compererẽq; protinus eos regẽ habere: propterea petentes mediterranea, hoc est interiora insulę à rege eorum perquam honorifice sunt excepti: quum uero aduesperauisset, edito signo de moræ salutãdæ uirginis, nostri genua plicabãt, quos ęmulabãtur Barbari itidem agentes: ubi nostri & crucem seruatoris trophæum uenerabantur, eam & ipsi condicto colebant: hi etiã ubi uidere nauim pessundatã, certatim confluebãt cũ cymbis suis aduehẽtes nostros, & ab undabundi maris faucibus eripiẽtes. Cymbas huiusmodi appellant canoas: quæ ex sola

caua arbore factas, non quidē ferro, sed cote præacuta excauant: habent etiā longiores naues, id est, liburnicas, octuaginta remorū, capaces. Ferro carēt omni, propterea nostri admirabantur, quonam modo quirent domos construere, quas conspiciebant miro modo extructas, nec non alia arte fabrefactas faberrime: uerum cote, ut diximus, pro ferro utuntur. Acceperūt etiam referentibus amicis, non longe ab ea insula esse quosdam populos, qui carnibus uescebantur humanis. Idcirco ubi nos uidere, crediderunt Antropophagos esse, ideo effusissime fugerunt. Canibalos appellant ferinos populos, qui in cibatu homines habeant gratissimos. Hos nostri preterierant, eos ad meridiem relinquentes. A

Canibali

De Canibalorum moribus. CAPVT LXXXVIII.

IGitur hi populi mœstissime conquerebantur nobis de efferatis illorū moribus, nam aiebant eos in se non aliter sæuire, quàm tigrim uel leonē quēpiam in mansuefacta animalia: horresco referens. Impuberes, si qui corripiuntur, exectis testibus, saginant uti nos gallos gallinaceos, ut lautius eis uescantur. Puberes uero mox contrucidant, quibus exenteratis, ilia comedūt recentia, membrorumq; partes extremas, cætera saliunt, adseruantq; ut nos insitia & farcimina omnis generis: nam insitia fiunt ex sanguine aprino uel bubulo, aut ex carnibus tessellatim concisis, alij apexabo appellāt, haud dubie est genus farciminis. Mulieribus haud uescūtur, uerum eas ad prolem, ueluti nos gallinas ad oua seruant: si qua est anus, ea mancipij uicē gerit. Propterea hæ insulæ, quas iam subegimus, ubi audiunt aduentare hos efferatiores immanesq; populos, actutum dant terga, licet sagittis utantur, non sunt tamen tantarum uirium, ut compescere eos queant. nam pauci complures fundunt, utputa centum decem profligant Canibali, nusquam cominus congrediuntur, fuga tantum sibi consulunt. Nos nequiuimus aliter intelligere, quos deos colant alios, quàm solem & lunam, cœlumq;. Mores uero aliarum insularum idcirco non referimus, quoniam ob angustiam temporis & interpretum penuriam de eis nihil comperti habuimus. B

De moribus illorum qui Hispanam insulam colunt.

CAP. LXXXIX.

HVius insulę cultores loco panis utuntur radicibus quibusdam, quę sunt (si magnitudinem formamq; spectes) instar napi, saporem habēt, quem molles recentesq; castaneæ, ages uocant. aurum apud eos est in pretio, id enim auribus appensum ferunt. suis non emigrant finibus, nec ut alij ultro citroq; commeantes commercia exercent. cœpimus eos percunctari signis, ubi eruerent aurum, intelleximus ab eis legi in harenis fluminis cuiusdam, quod ex editissimis deriuatur montibus. Id enim labore eximio colligunt, funduntq; in frusta, & demū in bracteas, id est, laminas. Verum ubi nos erramus non nascitur, aliunde aduehitur, ut circumuecti insulam re ipsa cognouimus: quoniam postquam illinc soluimus, deuenimus ad quoddam flumen, quo profecti sumus sumendæ aquæ gratia, & ibi auriferas conspeximus harenas, ibi quadrupedia, non nisi cuniculos uidimus: serpentes uero immensæ uastitatis, numerosioresq;, quos fert insula, sed innoxios conspeximus: necnon syluestres turtures, anates nostris proceriores, anseresq; oloribus candidiores, uerum capite tantum rubeo erant: & ibi psitaci complures, alij coloris prasini, fului alij, alij uero Indis non absimiles, id est, torque miniato. Tulere ex his igitur sexaginta uersicolores, coniecturamq; ex his alitibus fecimus non longe Indiā abesse: uerum huic sententiæ nō astipulabatur sphæræ ratio, & in primis philosophus in illo de Cœlo & mundo, Senecaq;, & alij complusculi cosmographiæ haud expertes, qui adseuerant Hispanias non multum ab India abesse, maritimo præsertim itinere. Hæc igitur insula suapte natura gignit masticem, aloē, & alia his non dissimilia. & in primis grana quædam rubea, quę pipere sunt acriora: cynamomumq;, & zinziber nostri tulere.

De uiris

A *De uiris quos Columbus gratia explorandæ insulæ dimisit.*

CAPUT XC.

IGitur Columbus de compertis terris satis ac super lætus, utpote qui uidebatur nouum comperisse mundum. Quum uero primum uer iam appeteret, decreuit patriam repetere suam, dimissis apud regem uiris triginta octo, qui perquam diligenter sciscitari & explorare deberent locorum situs, ac regionis mores, frugumq; ac arborum naturam. Rex enim appellatur Guancianillo, cum quo iniit fœdus maximum, cõmendauitq; illi suos arctissime, adeò ut intuitus eos pio obtutu, coram Columbo illacrimari cœperit, miseratus conditionem remanentium. Tandem Columbus iussit uela uentis dare Hispaniam uersus, secum ducens ex insulanis uiros decem, non alia magis de causa, quàm ut eorum linguam aliquando discerent, quoniam id consequi haud difficulter poterant: nam caracteribus nostris suum idioma scribi probè potest: cœlum appellant Turci, domum boa: aurum cauni: uirum probum toyno: nihil, maxani dicunt. Reliqua uero nomina æque ac nos nostra proferunt.

Quomodo Columbus fuit dictus Admirans mare. CAP. XCI.

REx itaque & regina Hispaniarum nihil magis gerebant in uotis, imò supra uota, quàm ut almam Christi fidem indies augerent, auctamq; colerent, & cultam summopere uenerarentur: propterea id eximie obseruabant, ut hæ gentes quæ hactenus nomen Christianum ignorauerant, tandem aliquando ope & industria sua, scirent unam esse Christi fidem, extra quam nulla est salus, nec redemptio. Inq; huius rei specimen decreuere summis honoribus Columbum prosequi, nihilq; prætermittere, quod ad cultum & decus eius spectaret. Igitur uultu sereno eum excipiunt, condecorantq; innumeris titulis: & quod apud Hispanos eximius ducitur honos, in consessum ipsum recipiunt: uolereq; ut deinceps non Columbus, sed Admirans
B oceanum appellaretur: & ut licuit colligere ex Admirantis sermonibus, sperabat propediem fidem nostram magna incrementa habituram, si hæ insulæ ad fidem reducerentur: in commercijs uero & alijs mortalium emolumentis, quibus plerunque omnes inhiant, nullam propè spem collocauerat. Itaque serenissimi reges iubent ut protinus Liburnicæ XVII. expediantur, quæ arcem in prora habeant, id est speculam, unde eminus speculantur: celoces uero duodecim absque specula, inq; eis hominum mille ducenti, qui omni genere armorum communirentur. Fabros'que lignarios, id est, carpentarios, artificesq; ferè omnium generum ære annuo conduxit, qui classem sequerentur: equites etiam quosdam centuriauit, ut nihil classi deesset, quod ad ualidam expeditionem spectaret. Columbus uero sues & boues sexus utriusque in classem introduxit, triticumq; & ordeum, ac legumina propè omne genus corrogauit in nauibus, tum ut uitam in naui diutius protraheret, tum uel maxime ut inibi terræ mandaret semina: tulit etiam arborum taleas quas ibi plantaret: quoniam id genus illic haudquaquam arbores uisuntur: nam præter pinum & palmas nullas habent arbores nobis cognitas, & hæ mira ubertate crescunt, adolescuntq; in tantam altitudinem, ut non facile referri possit ob maximam soli ubertatem. Sunt enim illorum fructus prope innumerabiles, uerum nobis incomperti, aiuntq; sub sole feraciorem tellurem minime esse. Instituit etiam noster Columbus secum ferre instrumenta omnis generis ferrea, quæ conducerent urbi condendæ: ut in noua regione nouas urbes cõderent, quæ forent suorum tutissima receptacula: multiq; insuper regis clientes, contubernalesq; ultronei se obtulerunt huius nauigationis socios, desiderio comparandæ gloriæ, prouocati gestis Columbi præclaris. Igitur prima Septembris soluère ex Cades uentis prospere flantibus, & prima Octobris applicuere insulam Canariam, eam, inquam, quæ Ferrum dicitur. Quarta uero Octobris uela fecere uersus meridiem, nihilq; comperti de eorum nauigatione usque ad hyemale æquinoctiũ habuimus,

At uigesimo tertio Martij, rege & regina discumbẽtibus, mox affuit uereda rius quidã, qui renunciauit celoces duodecim applicuisse Gades: successum autem nauigationis ulterioris quinta aprilis luce M.D.IIII. germanus frater altricis primogeniti regis missus ab Admirante ad regem peruenit, cunctaq; retulit quæ in sequentibus adnotabuntur. A

Quomodo Admirans adiuit Canibalorum insulas.

CAP. XCII.

ITaque prima Octobris Admirans Columbus soluit à Canarijs flante Africo, ad læuam iter faciens, meridiem uersus adnauigauit XXI. diebus priusquam tellurem cõspexerit aliquam. Tandem deuenit ad Canibalorum insulas sæpe dictas, & primo conspectu uidere nostri insulam uastissimam, adeo arboribus condensam, ut uix discerni posset, utrum sylua foret uel ne: & quoniam is dies erat dominicus, Dominicam eam nuncupauerunt: et ubi cognouere incultã esse, minime uisum est illic gradum sistere, sed ultra progressi sunt. In his igitur uiginti & uno diebus sua sententia sulcarunt maria per leucas fere mille trecẽtas & uiginti. Nam per id tẽpus Aquilonem uentum prosperum semper habuerant: deinde soluentes ab dicta insula, breui peruenere ad aliam insulam omni genere arborum refertissimam, quæ inenarrabilem suauitatis odorem fragrabat: nonnulli allecti amœnitate loci, in terram descendẽtes, nihil animatum ibi cõspexere, præter lacertas inauditæ magnitudinis: eam Crucem appellarunt, primoq; loco de cultis post insulas Canarias conspecta est: & hæc erat Canibalorum insula, ut re ipsa demum cognouere, id adfirmitantibus interpretibus Hispanæ insulæ, quos secũ ducebãt. Circũuecti itaq; insulã, casas humiles complusculas cõpererunt: nam uicatim degunt XX. uel ad summã XXX. domus simul cõtinenterq; dispositæ in orbem ambientes plateam quãdam, cuius diameter erat orbicularis: domus erant ligneæ amphitheatri instar. Hunc morẽ construendi ædes seruant, erigunt complures eminentissimas arbores in orbem, inq; eis trabes figunt, quibus arbores inhęrẽt, fitq; ut his fulcimentis minime ruãt. Imbrices uero, quum domum cooperiunt, ita constituũt, ut formam tentorij efficiant, surgitq; in modum pyramidis, id est, in acutum. Demum has sic dispositas arbores intexunt palmarum folijs, & quarundam aliarum arborum, ut & uentos & imbres tutius arceãt: introrsus uero trabes texunt funibus bombicinis, & radice quadam sparto minime absimili: cubilia habent eminentissima, quæ fœno & bombice sternunt: porticus habent maximas, ubi saccara collocant. Et ibi etiam conspeximus duas statuas ex ligno fabrefactas, quas duo angues immensæ uastitatis sustentabant, eas credimus esse eorum idola: uerum compertum habuimus statuas huiusmodi solũ ornatus causa erectas fuisse, quoniam hi solem & planetas tantũmodo adorant. Eò igitur ubi nostri applicuere, mox uiri & mulieres effuse fugerunt, deserẽtes eorum domos: ubi uincti erant impuberes complusculi, quos ad saginam adseruabãt: necnon anus complures, quæ mancipiorum obibãt officia, protinus ad nos contenderũt. At nostri ingressi eorum domos, animaduerterũt illic uasa esse fictilia omne genus, quæ nos Samia appellamus, in quibus elixabãt carnes humanas, psitacis, anseribus, & anatibus simul admixtis: alias autẽ uerubus impositas torrebant, selectis ossibus, & brachijs humanis, quibus pro ferro utebãtur, ut sagittis adfigerẽt suis: ferro enim prorsus carent. Vidimus etiam ibi impuberis caput nuperrime abscisum, sanguine adhuc defluẽte, hoc erat trabi infixum. Hæc insula quatuor ingentissimis irrigatur fluminibus, Gua dalupeam appellauimus, quoniã non est absimilis monti illi sanctæ Mariæ, quem Guadalupum Hispani uocitant, incolæ uero Grachanam: fert hęc insula psitacos fasianis multo maiores, nec alis similes, nam alas habent uersicolores, cætera rubei: tãtaq; psitacorum apud eos copia, ut apud nos cicada rum: & licet eorum nemora sint psitacis referta, eos tamen saginant, quos habẽt in cibatu gratissimos: mulieres uero quę cõfugerãt ad nostros, Admirãs B

Crucis insularium mores

Guadalupea

nostro

A nostro ritu exornari iussit, & compluscułis donari muneribus, mandans ut protinus eas ad Canibalos mitterent: quoniam hæ probe nouerant quò fugissent Canibali. Itaq; mulieres ad Canibalos profectæ sunt: quo factum est, ut mox Canibali ad nostros accurrerint pellecti muneribus, quibus donatæ mulieres fuerãt, autumãtes itidẽ consequi posse. Vbi uero coràm fuere, siue timore, siue scelerũ cõsciẽtia, mutuo sese respiciẽtes, illico terga dedere, proxima petentes nemora: at nostri qui inerrabant insulæ explorabũdi, cymbas eorũ omnes cõfregere. Et illinc soluẽtes adiuere socios suos, quos dimiserãt in Hispana insula primo itinere: & dum eunt utrinq;, complures præteriere insulas: ab ea parte uero, quæ respicit Aquilonẽ, apparuit insula, cuius inquilini nostros interpretes, quos ab insula Hispana duxerat Admirans, intelligebãt, necnõ eos quos uẽdicaueramus à sæuitia Canibalorũ, dicebãt uocari Matininam, adfirmantes eam cultã esse à solis fœminis, quæ statis anni temporibus coibant cum Canibalis, ut solebãt olim Amazones: prolem partiebantur, mares dabant parentibus, fœminas uero fouebant ipsæ: aiunt etiam has fœminas specus habere altissimos, quò se recipiunt ubi extra stata tempora quispiam eò concesserit, & ibi se tutãtur sagittis propulsantes hostem, si forte fortuna explorauerint aliqui aditum: propterea nostri per id tempus propius accedere nequiuerũt, præternauigãtes insulã ad milliaria ferè quinquaginta. Inuenimus aliã insulam, quam interpretes aiebant esse apprime cultam, habitatoribusq; frequentissimã, & inter alia habere innumeras fruges, & propè omnia quibus uita humana carere nequit: & quoniam mõtes habent præaltos, eam montẽ appellauimus Ferratum: at nostri interpretes, & hi quos adseruaueramus ab atrocitate Canibalorũ, adfirmabant Canibalos aliquãdo longa metiri itinera supra mille milliaria, ut carnibus uescãtur

B humanis. Postridie illius diei nacti sumus aliam insulam, quæ quoniam erat obrotunda, Admirans eam nuncupauit sanctam Mariam rotondam. Supra istam comperimus aliam, cui diui Martini nomen indidit: uerum in neutra istarum stationẽ fecimus. Perendie uero aliã inuenimus, quam aiebant longitudine esse milliariũ CL. à parte, uidelicet, occidẽtali in oriẽtale latus: referebant mira de ea interpretes, quòd uidelicet, foret summe ferax, & pulcherrima, hanc postremo appellarunt sanctam Mariam antiquam. Post eam comperit ferè innumerabiles insulas, uerũ lõge à prędicta, milliaria propè CCCC. Interq; eas quædã cæteris præstabat magnitudine, quæ dicebatur ab incolis Ay Ay, nostri uero nuncuparũt Sanctam crucem: eò appulimus, ut aquam hauriremus: at Admirans emisit triginta uiros, qui explorarẽt diligenter insulam, qui mox quatuor Canibalos cum totidẽ fœminis inuenerũt, quæ mulieres uisis nostris, cõplicatis manibus eleuatisq; auxiliũ petere uidebantur: quibus liberatis, uiri in nemora dilapsi sunt. Biduo itaq; illic agẽs Admirãs, triginta uiros in insidijs collocauit, qui corriperẽt Canibalos, si qui apparuissent. Qui uero stabant in litore, uiderunt cymbam, caneam ipsi appellãt, homines octo, & totidem mulieres uehentem. Vbi igitur Admirans classicum cecinit, unà omnes ruunt in Barbaros, qui strenue sagittis pulsare nostros conabantur, nec prius quiuere se clypeis tegere, quàm Hispanus à fœminis sagitta ictus occubuit, alter uero male acceptus est. Hispani tamen ubi comperere sagittas ueneno illitas esse, decreuerũt propius manus cõserere, & ui remorũ in eos contendere: quod ut fecere, protinus Barbarorũ nauim pessum dedere. Præeminebat enim ibi mulier quædam ueluti regina, cuius dicto parebant omnes: hæc natum habebat secum torui aspectus atrocisq;, qui facie non regem sed prædonem, aut furem quempiã sæuissimũ præsentabat. Submersa itaq; naui, non desinebant nando nostros onerare sagittis, eleuatis tantum supra aquam brachijs, quæ res uisa est monstrifica. Dum itaq; natant sagittantq;, ad saxum quoddam deueniunt, ubi tandem à nostris sunt expugnati, occisis nõnullis, et regulo grauatim saucio uulnere duplici: hos ad Admirantem trahunt reluctantes, qui conspectum tanti uiri minime pauentes,

ferociam nusquā exuerunt, spumas efferuescentes nō aliter quàm leo ubi in A
casses deuenit tunc rugitus edit maiores atrocioresq;, sæuitq; magis: adeoq;
efferebātur, ut nullus esset inibi tam intrepidus qui ferocientes uiros nō formidaret. Progressus itaq; Admirans Affrico flante aliquando, nonnunquam spirante Fauonio, peruenit ad quandam pelagi uastitatem, ubi propè innumeræ erant insulæ multiiugæq;: nam aliquæ frequentioribus obumbrabātur nemoribus, aliæ uero summa apricitate amœnitatē non mediocrē præ se ferebant, nonnullæ autem squalebant saxis, humo ieiuna aridaq;, & præustis implicitæ montibus: aliç etiā intra cautes colorem coccineum continebant, aliæ uiolaceum, albicantem aliæ: perinde ut multi rati fuerint eas esse minas gemmarum, aut loca metallorum corruscantibus plurifariam coloribus. Eò itaq; non concessere sçuiente pelago, nam uerebantur ob scopulorū frequentiam, ne naues collisæ saxis, dehiscerent protinus submergerenturq;, in aliud tempus rem differentes. Nequiuere etiam insulas percensere, ob eorū implicitam frequentiā: tamen nonnullæ celoces, quæ altiore fundo haud egebāt, mediocri cōtentæ alueo propius accessere, & supra XLVII. insulas numerarunt, locumq; Archipelagus nuncuparūt ob insularū frequentiā. Dum itaq; relictis insulis in altū prouehūt, in medio ferè itinere aliam nacti sunt insulā, quæ dicebatur Buchema, ubi complures erant illorum qui atrocissimas Canibalorum manus euaserant: hi nobis retulere insulam cultā esse eximie, cultoresq; mitiores, & usquequaq; Canibalis infensos: inq; ea nemora complura, quæ apros fouent ingentissimos: hi naues nō habent, quibus sulcare possint maria, & Canibalos adire: uerum ubi Canibali eò contenderint, congrediuntur atrociter, propulsantq; eos: quos si ceperint male accipiūt, par pari referentes: nam erutis luminibus, eos in frusta minutatim concidunt, & ignibus torrent, & pro uindicta deuorant, alioquin humanis non uescuntur carnibus. Hæc nobis referebant nostri interpretes, quos ex Hispana insula adduxeramus. At nostri parum illic immorati, prçteriere insulam, nisi quod ab B
ea parte quæ occidentē respicit in terram descenderūt, ut aquæ nonihil haurirent, ubi eminentem pulchramq; domum inuenerūt, & cum ea duodecim minores domos omni habitatore desertas, ibiq; nulla erant habitantium recentia uestigia: causam propterea ignorabāt, quur desertæ forent, ni forte habeant illarum habitationū stata tempora, dum candens sydus feruet nimiū, abeūt in mitiora loca, reuersuri quū cōducibile arbitrabūtur: uel forte metu Canibalorum litora deserunt tantisper donec abeunt, utcunq; fuerit insula: unicum habet regem, cui perquam reuerenter adstant, obediuntq; mirum in modum, Chiasichium appellant eorum regem: latus huius insulæ quod meridiem contuetur, longitudine ducentorum milliarium patet: ea nocte duæ fœminæ, & totidem adolescentes, quos asserueramus de manibus Canibalorum, ubi è conspectu suæ patriæ fuerunt, in mare sese proiecerunt, & nando ad solum patrium deuenerunt nobis nescientibus.

Chiasichius

Quomodo admirans suos reperit uitam exuisse. CAP. XCIII.

TAndem aliquando Admirans peruenit cum tota classe ad Hispanam insulam, quæ abest à Canibalis leucis ferè CCCC. Verū omine inauspicato infelicíq;: nam hi quos loco prçsidij inibi reliquerat, uitam exuerant omnes. In hac insula est regio, quæ dicitur Xaynana, unde Admirans primo itinere profecturus in Hispaniam, quasi loco obsidum decē uiros abduxerat: ex his ob cœli mutationē, septem occubuerāt: unus uero eorū qui superfuerat, ubi suam patriam classis applicuit, Therema dicitur, sponte à nobis emissus est: reliqui uero nando clanculum aufugerunt. Quæ res parum Admirantē mouit, qui modo suos cōperisset uiuos, reliqua nihili pendebat: uerum ubi paululum est progressus, canea quædam apparuit, genus est liburnicç longioris capax ingentium remorum: hæc regis fratrem uehebat, eiusq; præfecto apprime abiens suos cōmendauerat, cumq; eo fœdus magnū inierat. Is igitur regis Guancenarilli frater alio tantum uiro comitatus, ad Admirantem contendit,

Canea

A tendit, & nomine regis imagines aureas duas dono Admiranti dedit. Post hæc cœpit Hispanorũ miserabiles casus exponere: uerum uix id intelligere quiuimus, nostris interpretibus non satis eius linguam callentibus. His auditis progreditur Admirans, quoad deuenit ad Ligneũ oppidũ, quod Hispani sibi pro potiori tutela condiderant: id totum comperit demolitum combustumq́ꝫ, nec alia supererant uestigia, præter pallidum cinerẽ: quę res nos omnes dolore incredibili affecit: non tamen nobis facile persuasum iri poterat, quin aliqui superuiuerẽt: propterea ut huius rei essemus certiores, Admirãs iussit tormenta quædam exonerari, ut reboatu edito, si qui delitescerẽt e nostris mox excitarent, scirentq́ꝫ nos aduentauisse: uerum operã lusimus, quoniam nullus usquam comparuit, cunctis fato functis. Tunc Admirans nuncios misit ad regem Guancenarillũ sciscitatũ de suis, questus grauiter de occubitu suorum. Hæc nostri retulerunt, quantum colligere potuerunt ex regis responso, complures, uidelicet, in ea insula reges esse illo potẽtiores, qui ægre ferebant Hispanos subegisse insulas: propterea contẽderant ad ligneum oppidum, ubi Hispani degebant, eoq́ꝫ expugnato contrucidauerãt uiros, & oppidum combusserant, ipsumq́ꝫ ferentem nostris suppetias ictum sagitta fuisse, inq́ꝫ eius rei fidem brachium fascijs circumuolutum ostentauisse, nec propterea ad Admirantem iuisse, quoniã consauciatus uulnere non contemnendo fuerat. His acceptis nulla fide adhibita, postridie Marchionem quendam cognomine Sibilium, rursus ad regem mittit, qui perquam diligenter rem sciscitetur, perpendatq́ꝫ an sint uera quæ ex rege allata fuerant. Is igitur eò concessit, & remotis fascijs comperit regem falsa loquutum, nullius cicatricis apparente uestigio: uerum procumbentem nactus est uirum simulantẽ ægritudinem, huius cubili coniugebantur concubinarum cubilia octo. Tũc deuenimus in eam opinionem, ut non difficulter crederemus nostros astu et insidijs eius occubuisse: tamen Marchio finxit fidẽ præstare regi, hortatusq́ꝫ est uirum, ut in crastinum Admirantem uiseret. Postera itaque die ad Admi-

B rantem rex contendit, à quo est honorificentissime exceptus, & ueluti miseraretur nostrorum erumnas gemebundus indoluit. At ubi conspicatus est mulierem quandam, quæ nostro auxilio erepta fuerat à Canibalis, eam adfatus est sua lingua longiore subsellio, nobis haudquaquam intelligẽtibus, illi plurimũ applaudẽs, hæc dicebatur Catharina. Tandem post multa illinc abiuit, & amicitiam fœdusq́ꝫ rursus pollicebatur: nõ defuere tamen è nostris qui suggererent Admiranti, ut uirum corriperet, & correptum cædis nostrorum pœnas luere cogeret. Admirans uero, ut erat uir multi pensi, rem accuratius pensitatiusq́ꝫ expendebat, loci & temporis rationem habens: nõ enim sibi per id tempus conducere arbitrabatur, ut incolarum animos ad iracundiã prouocaret. Postridie uero illius diei quo illinc rex soluit, eius germanus classem uisit, & mulieres subornauit, ut sequens effectus comprobauit. Itaq́ꝫ nocte subsequente Catharina cum septem alijs in mare desilijt, ut superato pelago ad regem cõtenderet: nostri tamen, ubi fraus apparuit, consequuti natantes mulieres, tres tantum ceperunt: at Catharina cum tribus alijs ad regem peruenit, qui susceptis mulieribus in interiora insulæ dilapsus est: quo facto nobis rex aperuit se nostros contrucidauisse.

De uindicta occisorum. CAPVT XCIIII.

ADmirans igitur cognita proditione, decreuit hominem persequi usque ad regni interiora. Misit itaq́ꝫ tercentum uiros, qui Marchionem infensi consectarentur. Hi ergo dum hominẽ explorabundi quærunt, deuenere ad ostium cuiusdam signati fluminis, ubi perquam celebris erat portus, quem Regalẽ appellarunt: nam ubi ingressus est, adeò flumen se sinuat, obliquatq́ꝫ efficiẽs multiplices recessus, & flexus innumeros, ut alter Mæandrus uideantur, nec licet sis ingressus, cognoscere queas an sis intra uel extra, quanquã in ostio adeò pateat, ut sit trium liburnicarum capax: ex aduersa fluminis parte mons uisitur conspicuus, qui impendio uiret, & pręclaris exornatur nemoribus.

bus. Ibi psitaci complures, & auitia ferè omne genus exaudiũtur suauissime alterneq́ concinentia. Hunc portum interfluũt fluuij duo, & dum altius progredimur, nacti sumus eminentissimas quasdam ædes, quas credidimus regis esse eius, quem persequebamur. Idcirco eò contendimus citato gradu, & ecce occurrũt nobis uiri propè centũ, qui habilissima habent corpora, quiq́ arcus & sagittas ferentes, toruo uultu ibãt ad nos, subinde uociferãtes se minime esse Canibales, sed Taynos, id est, nobiles, ac patricios: nos uero signo pacis edito propius accessimus, & quum mutuo colloquio frueremur, protinus fœdus & amicitiã nobiscũ iniere, nec de cætero pauentes, ad nos ueluti ad suos cõfidentissime ibãt, hos munere multiplici donauimus. At nostri dũ illic agerent, domum mensi sunt, quę diametrum habebat XXXIII. passuũ, erat instar amphitheatri obrotũda, huic circunquaq́ adiacebãt triginta aliæ minores ædes, in cõtignationibus pro trabibus harundinib. uersicoloribus utebãtur, mira arte textis complicatisq́. Hos patricij nostri percunctati sunt de rege Marchione, quem adseuerarũt petijsse montes. Huius rei decreuere Admirantem certiorem reddere, & in primis cõflatæ necessitudinis cum uiris patricijs. Verum Admirans flagrans perniciali odio in Marchionem ad diuersas insulæ partes exploratores expediuerat, qui regẽ si quo modo possent corriperent: nã præ cæteris quos miserat, erant duo strenui iuuenes, Horeda, uidelicet, & Gormalanus animo inuicto, alius alia loca petẽs, propè omnem regionẽ inter se partiti sunt explorandam. Hi ergo dum uarias regiones peragrarent, deuenere ad quædam spectatissima flumina, quorũ alia ab una parte montis defluebant, nõnulla uero ab altera deriuabantur. Is mons eminentissime attollebatur, qui aurifero sabulo cõspergebatur, & inde aurũ effodiunt incolę hoc modo: nam actis sinistris brachijs in præcordia montis egerunt aurum, egestumq́ dextra excipiunt manu, dabantq́ nostris: adseuerabant etiam uidisse grana complusc ula zecare, quæ allata fuere regi Hispaniarum, nam granum unum pondus erat unciarum nouem, hoc uidere complures uiri. B

De flumine aurifero, & alijs rebus repertis. CAPVT XCV.

HIs uisis nostri condicto ad Admirantẽ rediere, ut nõ recederẽt à præscripto: nam Admirãs iusserat, ut nil aliud agerẽt, quàm explorare regiones nouas, & mox referre earum situs & qualitates, nec ipsi pergerent eò inconsulto exercere cõmercia, pro quãto uitam caripẽderent suam: accepere etiã

Gazichius ab incolis non longe esse in montibus regem quendam, quem Gazichium

Canoba Canobam, sua lingua appellant, idest, dominum domus auri: nam boa domus interpretatur, canum aurum, & Gazichius rex. In hoc etiã flumine inuenere absolutissimos pisces, aquamq́ haud insuauẽ. Marchio Sibilius refert apud Canibales populos in mense Decembri esse æquinoctiũ, quod ratio sphæræ nõ patitur: addebat etiã inibi aues eodẽ mense fœtificare: quum tamen ab eo sciscitaremur, quantũ eis polus eleuaretur ab oriente, retulit Septentrionẽ non uideri, sed mergi sub arctico polo, & transcendisse custodes. Verũ ut ingenue fatear, nemo inde uenit, cui indubia fides adhiberi posit, quoniam ferè omnes expertes erãt literarum, & in primis syderalis scientię.

De oppido ab Admirante condito. CAPVT XCVI.

IGitur is Admirans classis præfectus in suam & gentis Hispanæ memoriã,

Locifron decreuit urbem erigere: cooptato itaq́ loco, qui Locifrõ dicitur, nõ longe à portu, & ut bono omine succederent cuncta, auspicatus est à diuinis: nam primo loco ecclesiã dedicauit, cæteraq́ absoluisset, ni tempus appetijsset patriæ repetendæ, uel saltem prout abiẽs pollicitus fuerat regi, ipsum de omnibus certiorem facere quamprimum. Expeditis ergo duodecim celocibus, regem protinus de compertis rebus commonefecit. Quum igitur Admirãs in

Hispana insula Hispana adhuc ageret, alij appellant huiusmodi insulã Offiram, quã nonnulli eam esse adseuerant, cuius commeminit sacra uetus historia libro Regum tertio, quæ patet latitudine graduũ quinq́ australium, id est, millia

A ria CCCLX, his polus eleuatur XXVII. gradibus: in meridie aūt, prout referebat, XXII. longitudine uero, id est, ab oriente in occidentē, patet milliaria D.CCCLXXX. & hæc insula si forma consideret, foliū balani, id est, arboris nucis castaneæ simillime refert. Statuit propterea Admirans in colle cuiusdā montis huius insulæ urbē condere, in umbilico insulæ ab ea parte, quę Aquilonē respicit, quoniā inibi uisebatur mōs alius, qui frequēs est nemoribus & lapidibus asperatur, necnon calce scatet plurima, eam Medi appellant Issabellam: ad radices uero montis planicies est perquam aprica, longitudine patens milliaria LX. & lata XII. alicubi, peragusta tamē alibi milliaria VI. hac interluunt complura flumina, quorum celebrius fere præterluit urbem ad iactum arcus. Hæc igitur flumina adeo ubertim irrigant regionem, ut eam feracissimam fere omnium rerum, quæ terra parens mittit, effecerint: nam in harena eorum fluminum iacta semina protinus germinant: fecimus huius rei periculum. iecimus enim semina multijugarū herbarū, uidelicet, lactucarū, nasturtiorum, brassicæ, & buglossę, quæ omnia sextodecimo die germinauere: at pepones, cucumeres, cucurbitæ, trigesimoseptimo die ad maturitatem peruenere: nec, ut ingenue fatear, meliora his comedi unquā. Hæc nouerat Admirans etiam relatu eorū, qui secū diuersabantur, qui & ipsum certiorem fecere rerum multarū, & in primis prouinciæ cuiusdam auriferæ: propterea misit illuc e suis triginta uiros: regio Cipagora dicitur, auro scatet: ubi uero rediere uiri triginta, retulerunt multa miratu digna, præsertim adseuerabant ab eo monte quatuor deriuari flumina, unum ad orientē proficiscebatur, aliud uersus occidentē contendebat, alterum in Septentrionē, in Austrū alterum citatissime fluebant. Insula quadripartitur, pars quæ uergit in Orientem dicitur Suma, quæ occidentem respicit Atribuinea, quę Aquilonē Lachem, quæ postremo meridiem contuetur Naiba dicta est ab omnibus.

Issabella

Quomodo Admirans adiuit auri minas. CAP. XCVII.

B VT reuertar unde sum digressus, Admirans urbem condidit muro præcinctam, & duodecimo Martij illinc soluit, ducens secū pedites circiter quater centum, ac equites nonnullos, pleno gradu contendens eo ubi acceperat minas auri esse uberrimas meridiem uersus. Igitur superatis eminentissimis montibus uallibusq;, ac traiectis fluminibus limpidissimis, tandem in eam deuenit prouinciam, ubi auspicatur Cimbaga regio, in cuius patētissima planitie decursus quidam aquarum uisuntur, quarum harenæ intermiscentur auro. Igitur Admirās ingressus mediterranea insulæ ad milliaria fere LXXII. tantundē distans ab urbe quam condiderat, peruenit ad ripas cuiusdam ingentissimi fluminis, ubi collis impendio attollitur, eminetq; admodū, & ibi arcem erigere decreuit, quo tutius arcana regionis scrutari quiret, huic diui Thomæ nomen inditum est. Dum itaq; arcem ædificat, ad eum undiq; cateruatim homines regionis eius confluebāt, accepturi mercimonia: quorū uoto Admirans satisfaciens, ab eis aliquid auri petebat qui breui ad eum rursus redeuntes, plurimū auri comportarunt. Nec id silentio inuoluam, granū allatum fuisse auri, quod pondere onziam excedebat, quæ res effecit, ut grani magnitudinē admiraremur, supra omnem credulitatem, quum præsertim adiecissent, se adhuc proceriora grana allaturos, quæ aiebant ferre aliam regionem, quæ illinc itinere mediæ diei aberat, eaq; grana inculta in harenis iacere adseuerabāt, uim auri incolis nescientibus: alij etiam tulere frustula auri dragmarum decem, maioraq; inueniri rursum adfirmantes. Illo igitur misit Admirans e suis complures, qui minas auri diligentissime explorarent, referrentq; protinus: qui euntes plura compererunt, quàm intellexerant, quàmq; unquam autumassent. Inter alia admiratu non indigna nemora habent, quæ omnium aromatum genere ubertim abundant: uerum ea haud legunt, nisi ubi permutant cum conterminis quæpiam: alij uero cum quibus commercia exercēt sua, uasa ferūt Samia, catinosq; ligneos, pelues, malluuia, & id genus cōplura, quibus qui dant aromata prorsus carent. Inuenerūt in mense Mar

Onzia

tij uuas præmaturas, uerùm agrestes. Hæc regio licet rupibus & saxis aspere- A
tur, ea tamen uiridantes gignit arbores: tota in colorẽ prasinum inclinat, imbres excipit frequẽtiores. Ideo inibi multa flumina decursusq; auriferi, nam quum imbres deriuantur à montibus, secum auri copiam maximam trahunt ad plana arua patentesq; campos, quos interluunt, ut præfecimus, innumera flumina, eadẽq; amœnissima ac placidissima, decursu haud rapido citatoq;, sed segni ac placido. Hæc loca habitant gentes ignauæ, & ferè pensi nullius: ea gens otiatur plurimum, imò ignauia torpet, algoris admodũ impatiens, & quum nemora habeant bombice referta, eo tamen uti nesciunt.

De mirabilibus compertis ab Admirante. CAP. XCVIII.

EXploratis his locis, ut pręfecimus, Admirans rediịt ad arcem Issabellam, ubi nonnullos è suis dimiserat: ipse uero cum liburnicis tribus profectus est peregre, nouas etiam quærẽs regiones, & in primis eas quas iam eminus conspicati fuerant: nam cõtinentem credidit esse, licet compertum habuerit insulam esse, quę milliaribus LXX. abest ab ea insula quã appellarunt Hispanam, regio Cuba dicitur. Ea præterita iter direximus ad meridiẽ, & inde cœpimus ad occidentem nonnihil flectere: uerùm quanto magis progrediebamur, tanto plus litora extendi uidebantur, terris semper fugientibus: sinuabant enim se litora ad meridiem semper, recessu & ambage multiplici, adeò ut quum crederemus contendere in occidentem, ad meridiem tamen indies ferebamur, terris ducentibus, ac multiịugis sinibus: tandem Admirans deuenit ad insulam, quam inquilini appellant Iamicam: hanc aiunt appellari ab
Lamia cosmographis Lamiam maiorem, quæ magnitudine Trinacriã superat: unicum in umbilico montem habet, qui sensim leniterq; surgit, ab omni regionis latere paulatim crescẽs, ut uix conscendere credas, ut in accliuis solet, donec deueneris in medium, tunc sese attollit uertice eminentissimo, & tarditatem qua usus fuerat surgendo, eminentia cõpensat: hæc insula æque ferax est ac ulla in maritimis aut mediterraneis, frequens habitatore, eodemq; acerri- B
mo ad quæq; subeunda: nam in cõmercịs acri est ingenio, adeò ut non difficulter circumadiacentes populos excedat dexteritate. Eò ubi appulit Admirans suos in terram exponere contendebat, uerùm reluctabantur illi, ac pugnatum est identidem succumbentibus insulanis, nõ sine hominum strage, tamen discordias pax est consequuta. Relicta Iamica flante Zephyro, septẽ diebus nec interpolatis, per latus Cubæ nauigauimus, intantũq; sumus progressi, ut crediderimus uel ipsam Chersonesum aureã, quæ est in ipso oriẽte, attigisse: adeò igitur prouecti eramus in altũ, petentes uarias orbis partes, ut ferè totũ uniuersum orbẽ metiti fuerimus, & ex uiginti quatuor solis horis, saltẽ uigesimã & alteram cõperimus: licet perpessi simus innumera mala, nomina tamen D.CCC. insulis indidimus, & supra ter mille præteriuimus, ubi multa erãt memoratu digna, præternauigans latera Cubæ. Et paulo supra q̃ incœperit nauigare, nactus est Admirans portum nauium capacem complurium, ibi suos cœpit emittere: qui quum terram applicuissent, tantum mapalia inuenere, eaq; uidua omni habitatore: uerùm ibidem conspexere in ueribus pisces quos ad ignem assabant piscatores: at nostri piscibus uesci tostis haud dubitarunt reiectis serpentibus: qui uisis Christianis, mox delapsi sunt in montes, & inde speculabãtur quid sibi uellent nostri: à quibus prouocati, piscatores paulatim cœperunt timorem exuere, annuentibus nostris, ne pauerent. Quidam igitur audaculus in inferiorem rupẽ desiliuit, propius accedens, quem compellare cœpit quidã oriundus ex insula Hispana, qui à teneris in Hispania apud Admirantem altus & educatus fuerat, cuius lingua parum ab eorum idiomate differt. Hunc itaq; percunctatus est, quur fugerẽt, & quænã gens esset, quo'ue nomine regio appellaretur: cõtracta igitur necessitudine, uiribusq; animi reassumptis, dixit eos piscatores esse, qui eò piscatũ concesserant rege iubẽte, qui alị regi cœnã parabat pontificiã opiparamq;: addidit etiam pergratũ habuisse plurimũ, quòd serpentes minime comedissent,

A sent, quandoquidē hi, ut affirmabant, regi ueluti delicatiores epulæ adseruabantur: quibus auditis Admirans, eos missos fecit: nam iam habebat satis cōpertū regionis mores: propterea iter suum uersus occidentē persequebatur. & dum regionem percurrit ad occidentē, eam nactus est feracissimam, refertamq; habitatoribus domesticis: qui mox conspectis nostris ad litus descendebant panes ferentes, quibus ipsi utuntur: tulere etiam cucurbitas plenas aqua, nosq; ueluti amicos hospites inuitabant cordate: nos uero paulo ultra progressi, uidimus innumeras insulas, quæ primo cōspectu cultæ uidebātur eximie, uirentibus plenæ arboribus, & in primis ab ea parte quæ continentē respicit: dum latera percurrūt, deuenere ad ostium fluminis cuiusdam, cuius latices adeo feruēt, ut in eis diutius manum immergere nequeas feruescentibus aquis: rursus progrediētes cōperere piscatores quosdā, qui in cymbis, id est, in caua arbore piscabanť, qui piscē rudentibus adligauerant naui, eumq; post se trahebāt: eius forma est nobis incognita, & nisi gradiusculū caput haberet, instar anguillæ formaretur, capite gestat pelliculā quandam, quæ similitudinē habet crumenæ alicuius: quū uero pisces uel testudines emerserint supra aquam, mox is piscis solutus dimittitur ad eos, qui telo acrior ac omni uolucre ocyor, condicto uibrat pellē, quā diximus marsupiū referre aliquod, pisces corripit, ac retinet sua pelle implicitos, nec prius prædā dimittit, q̃ aerē senserit, cuius est impatiēs admodū: tunc uincto rursus pisce, prædā legūt: nā nobis adstantibus cepere calandras IIII. prægrādes, quibus nos donarūt amice, easq; in cibatu suauissimo habuimus. His uisis, percunctati sumus piscatores an latus huiusmodi longius adhuc protēderetur, & quantū in occidentē extenderetur. Respondēre latus huiusmodi finē habere nullū. Illinc igitur soluentes, progrediebantur à latere semper, litus percurrētes: hi inter nauigandum innumeras gentes cōspexere. Non longe uero à terra huiusmodi quę nunquam terminatur, uisitur insula, ibi mortaliū uidēre neminem, nam *Mira piscandi ratio*

B si qui erant in ea, fuga pernici sibi consuluerant. At canū inibi copia ingens conspecta est minime latrantiū, licet toruo essent aspectu. Anseres etiam anatesq; insulæ inerrabant multiplices. Præternauigantes itaq; latera, Cubæ deuenimus ad quasdam angustias, ubi gurgites ac breuia prope erant infinita: & ibi mare undabundum spumas efferuescebat indignabundum admodū: sæuitq; mare hoc modo itinere milliariū XL. aquis albicantibus, nō aliter q̃ si polline conspersum fuisset. Superatis his gurgitibus, prouecti ad milliaria octoginta, eminentiorem comperimus montem, & tunc lixas emisimus, qui aquā ferrent lignaq;. Eo etiā cōcessit arquita quidā, qui quū inerraret insulæ, & in nemus condensum peruenisset, arboresq; admiraretur, huic mox à tergo affuit uir grandiusculus, toga indutus alba: sagittarius credidit primo cōspectu religiosum quendam fuisse, quē in classe habebāt. uerū ubi compertū habuit alium esse, actutū alij duo uiri eiusdem habitus & staturæ apparuere, postq; eos supra triginta alios uidit, quibus conspectis, mox fugā cepit: at illi sequebātur, manibus annuētes ne paueret, ne ue fugeret. Sagittarius uero q̃ citius quiuit classem repetijt, cuncta quæ uiderat denarrans Admiranti præfecto, qui ubi hæc accepit, protinus emisit multos, qui tenentes uaria itinera, prope totam insulam explorauerunt. Erant ibi arbores multijugæ, aliæ ferebant aromata, uiolas aliæ. Percurrētes itaq; Cubæ latera, uarias nationes nacti sunt, quorum linguam etiam incolæ Hispanæ insulæ, qui Admirātem ultro sequebantur, minime callebant: & dum progredimur, magis ac magis se sinuabant litora, modo Notho, modo Affrico flantibus, quibus ipsi impulsi aliquando ferebamur prope in siccum, adeo mare insulis est implicitū compluribus, naues fere pessundabantur nimia onustæ aqua, quam & madidum cœlum, & refluxus pelagi conrogauerant: quare operępretiū fuit referre gradum, & domum redire eodem itinere quo uenerant: neq; quempiam pauebant, quin potius sperabant ubiq; & amice & honorifice recipi: quandoquidem neminem læserant dum irent, uerum fere omnibus morem gesserant.

Quomodo Admirans insulas reddidit uectigales. A

CAPVT XCIX.

QVum itaq; rediisset ad Hispanam insulam, ubi abiens complures Hispanos patricios loco præsidij dimiserat, comperit Margaritũ uirum strenuum illinc abiuisse, qui prope iratus patriciorum magna concomitatus caterua patriam repetebat: quæ ubi comperta habuit, hominem illico inducũt, ut & ipse patriam reuisat, ratus ne delatus regi, principis indignationem incurreret: domum tamen contendebat sub uelamento consequendæ annonę, & renouandi præsidij, licet, ut præfecimus, alia subesset caussa: non prius tamen abiuit, quàm sibi reges aliquos reconciliauerit, qui succensuerãt Hispanis ob prædas, & latrocinia illata ab eis, absente Admirante: uerùm coram ipsis regibus, quorum conspectum, ut par fuerat, minime erubuerant. Primo loco igitur sibi reconciliauit regem Guarionensium, & cum eo necessitudinem contraxit arctissimam, desponsata sorore uni ex insulanis, quem prius inter suos adnumerauerat, & habito interprete, citato gradu contendit ad id oppidum quod condiderat, nomenq; diui Thomæ indiderat. Hoc itaq; reperit à rege quodam obsideri, & parum abfuit quin deditionem fecerit, quoniã iam triginta diebus continuis obsidebatur nemine auxiliante. Liberato itaque ab obsidione oppido, regem cepit, qui bellum nõ prouocatus intulerat, applicueratq; animum, ut pergeret reliquos profligare reges: uerùm ubi intellexit incolas ob caritatẽ annonæ fame laborare, quæ iam innumeros consumpserat populos, causa famis huius reijciebatur in Christianos, qui eruerant ferè omnes radices, quibus ipsi panẽ conficiebant Barbari. Statuit itaq; Admirans regredi. hęc meditantem præfectum mox commeatus regis Guarionexij largiter iuuere: nam regio eius nondum famem passa fuerat. Reuocato igitur ab incœpto itinere præfecto, ut tutius regio coleretur ab Hispanis, decreuit arcẽ erigere alteram, nõ longe à sancto Thoma oppido in monte eminentissimo, arcem de nomine Conceptionis nũcupauit. Vbi uero incolæ compertum habuere hæsisse cordi Christianis, ut regione diutius potirentur, legatos undequaq; mittunt, qui præfectum orent exorentq;, ut suos frenet, nec ut ab eis ea patiantur, quæ uix ab hostibus expectassent: nam, ut aiebant, sub prætextu quærendi auri, mala innumera inferebant, & ferè totã deuastabant regionem: adiecereq; ad hæc legati, se malle pendere uectigal, quàm his assiduo uexari incursionibus, & quiete frui posse nulla. Conuenit itaq; inter eos, ut regi Christiano uectigal soluerent hac lege, ut incolæ montium Cibanorum singulo trimestri (tres lunas appellant ipsi) auri quædam pondera ad urbem ipsam conueherent: qui uero aurum non haberent, penderent aromata & cotonum. B

De regibus qui ob malefacta Hispanorum desciuere à Christianis.

CAPVT C.

IGitur dicti reges famè compulsi polliciti fuerãt uectigal soluere Hispanis, quoniam deficientibus radicibus, quę illis loco siliginis ac tritici succedũt, panem sufficere nequibant, nisi intolerabili labore ferè nemora omnia peragrarent: tamen nõnulli fidem datam seruarunt inconcussam præscripto tempore, & ubi solidum præstare non poterant, excusabant pauperiem, promittentes se duplum soluturos, quum ad meliorem fortunam deuenissent, nam uictu deducto, uix habebant quod soluerent. Sub idem ferè tempus qui aurum è terra egerunt, inuenerunt auri granum pondere unciarum uiginti, in regno non procul distante à litore maris. Itaq; loco miraculi granum huiusmodi allatum est Hispaniarum regibus inuictissimis, idq; complures uidère. Sunt ibi etiam nemora quæ ferunt complura miratu non indigna, & in primis lignum ibi uisitur, quod appellant sandalium. Verùm ea argutulus aliquis fortè illi intempestiue obijciet, quur celoces onustas eo ligno in Hispanias miserit, & non auro: quum illius relatu compertum habeant insulas huiusmodi auro scatere plurimo. Quę obiecta nõ difficulter diluere potest hoc

responso,

A responso, quòd licet ea regio uideatur abundare auro, si nostris conferatur, non tamen tanta est copia eius, ut onerari possint naues, quum præsertim illud non sine magnis laboribus erui posset è corde terræ, languentibus etiam uiris, quos secū ducitabat, qui otio & lasciuiæ uacabant, adeò ut quæque deformarent tanto parta sudore, desidiæ ac uoluptati supra quàm possim scribere addicti: quippe qui uel ipsum præfectum moribus cōtrarium pernitiali odio persequebātur, effeceruntque suis moribus, ut Barbari, qui suapte natura exleges sunt & infrenes, magis ac magis efferarentur, prosilirentque degenerantes ab omni probata uita, perinde ut usque in hanc diem expensæ superent lucra: tamen hoc anno qui millesimus & quingentesimus primus est, bimestri legerūt supra duodecim mille libras auri, libra uero pensatur uncijs octo. Lucrati sunt etiam alia complura, quorū mentio fiet in sequentibus, superis fauentibus. Et ne digrediamur à proposito, id noueritis, eo anno tantam uim uentorum ruisse, ut illic arbores prope eradicauerit omnes, easque in sublime iaciebat, ut uiderentur cœlū ipsum cōtingere: inuertit etiam tres liburnicas Columbi, quæ erant in portu: adeoque mare inundauit, ut supra mensurā brachij totā irrigauerit insulam. Huius igitur diluuij causam barbari rejciebant in Christianos ob piacula & scelera, quæ patrauerant, quique interturbauerāt eorum quietem: adijciebantque neminē esse tam longæuum, qui meminisset tantæ tempestatis, quæ nec similem uisa est, nec habere sequentem. Itaque Admirans, ubi portum applicuit, protinus iussit fabris lignarijs, quos optimos secum habebat, ut celoces duas fabricarent.

De arce extructa apud minam auri. CAP. CI.

INterea Bartholomæum germanum suum, quem iam insulis præfecerat, cum nōnullis expeditis copijs ad effodiendum aurum misit: nam hi quos secum trahebat milites, eruendi aurum metallorumque probe nouerant artes. Distāt hi mōtes unde egeritur aurū, ab Issabella insula leucis fere LX. interque

B alia eos monuit, ut diligentius loca explorarent. Igitur dictus Bartholomęus profectus est imperator: siue, ut aiunt, ipsi Andelantadus, cōperitque uastissimas foueas, ac specus altissimos, eosdemque uetustissimos: unde adseuerāt Salomonem suos thesauros eruisse, ut est in diuina ueterique historia: artifices qui aurifodinas erant exploraturi, cœperūt terram egerere, & iam superficiē telluris eruerant, quum mox compertum habuerunt aurifodinam huiusmodi protendi nimiū ultra milliaria XVI. in eaque tantū auri effodi posse rati sunt, ut quilibet artificū singulo die uncias tres eruere non difficulter posset. Cuius rei illico Bartholomæus certiorē fecit Admirantem: qui ubi hęc accepit, decreuit rursus in Hispaniam redire: uerū prius non abiuit, quàm insulæ fratrem suum præfecerit, & illinc soluit ingrediente Martio, M. CCCCXCV. patriam repetens. Interea Bartholomæus ut monitis fratris audiret, arcē condidit, quam appellauit Auream: quoniam dum conderent eam, inuenta est harena auro mixta: trimestri absoluit opus: cœperat uaria instrumenta auri eruēdi fabricare, uerū fame grassante nequiuit perficere. Soluit igitur inde, dimisso præsidio uirorum decem, qui arcem custodirent, prouiso ne fame laborarent, dimisso cane sagace, qui cuniculos uenaretur. Itaque illinc abiēs, deuenit ad insulā Cōceptionis eo mense, quo Guarionexius & Nanicantexius uectigal pendere tenebantur: & tributis exactis ab his duobus regibus, prouisoque de annona, quæ sufficeret itineri pro se suisque, qui CCCC. erant, uentis uela dedit Hispaniam uersus.

De commeatibus missis à rege Hispaniarum, deque eius præcepto.

CAPVT CII.

IGitur circiter initiū mensis Iulij celoces tres onustæ ferè omni genere commeatuū applicuerunt insulas, ubi nostri fame laborabant: uehebant enim uinū, oleum, carnes aprugnas, bubulasque salitas, necnō insitia, & farcimina, & id genus alia complura, quæ mox partiti sunt singulis, ut unusquisque suam haberet portionem. Erogatis igitur commeatibus, regia promunt mandata, uideli-

uidelicet, regem iubere ut eas insulas colant, quæ meridiem respiciunt, ubi aurum egeritur, omnesq; insulæ accolas & reges, quorum insidijs nostri occubuerant, in Hispaniam transmittant. Quare ut regio obsequerentur mandato, mox corripuere CCC. uiros, regesq; eorũ, & in Hispaniam misere: dein de colere cœperunt eam insulæ partem, quæ respicit meridiem, & ibi in colle eminentissimo arcem construunt, non longe à portu celeberrimo, arcem appellant diui Dominici, quoniam die dominico eò peruenerunt: portum prædictum interluit eximiũ flumen, quod innumeris piscibus scatet, quodq; nauigantes uehit placido alueo, prope ipsam arcem ad duodecimũ lapidem. In arce uero Issabellæ ualetudinarij milites causarijq; dimissi sunt, necnon fabri lignarij nonnulli, qui celoces duas fabricarent: cæteri uero contenderũt ad arcem diui Dominici: qua erecta, illi præfecit uiros uiginti. Et soluens illinc, uersus occidentem profectus est.

Quomodo Columbus comperit suos perijsse.

CAPVT CIII.

IGitur inter nauigandum deuenit ad flumen Naybæ, quod ab memoratâ abest insula milliaria ferè centum & uiginti, deriuaturq; ab montibus Cibanis, qui meridiem respiciunt. Flumine traiecto, nonnullos præmisit exploratum regiones quasdam uersus Austrum, ubi ingentissima sandalij nemora conspiciebantur. Exciderunt itaque huiusmodi sandalij struem maximam, eamq; deposuerunt apud quosdam tamdiu, donec redirent, & suis liburnicis asportarent. Dum igitur præfectus latus dextrum percurreret, non longe ab Nayba flumine, inuenerunt regem quendam præpotentem, qui illis populis bellum inferebat, ubi prædicta nemora uisebantur, decreueratq; prius à bello haud desistere, quàm suæ fecisset ditionis. Huius uero regis regnum est in cornu cuiusdam insulæ ad occidentem, Saragna dicitur, & distat à Nayba flumine leucis triginta: regio asperatur montibus, regiq; huic circũadiacentes reges tributa pendunt parentq;, ut principi supremo. At præfectus noster alloquutus est regem huiusmodi, persuasitq; ut sponte uectigalis fieret, à quo non difficulter impetrauit, ut annis singulis tributa pendens, cotonum & canabim mitteret, & alia nonnulla, quibus ea regio abundat: aurum uero ibi non nascitur. Itaque rebus pacatis compositisq;, concordes unà regem adeunt, à quo honorificentissime excepti sunt, effusa omni plebe, quæ illis occurrit hilaris admodum & iucunda. Inter cætera hoc genus ludicri in gratiã præfecti actum est. Primo aduentu occurrerunt adolescentulæ triginta, quæ tantummodo pudorem cooperuerant panno cotoneo suo more, cætera nudæ: hunc morem seruant pedissequæ cosmetæ: at heræ nudæ prorsus incedunt. Igitur prædictæ ramos oliuarum manibus gestabant, & ubi appropinquabant præfecto, in signum fœderis pacisq;, illi ramos porrigebant: capillos uero promiserant per humeros, uittata fronte ambulantes: colos ijs erat cyaneus, id est, nigricans uiridis: uerùm pulcherrimæ sunt, si omnem corporis habitudinem spectaueris, quod profecto his erat habilissimum symmetricumq;. Postquam uero his iocis exceptus est, dispositis lectis discubitorijs, cœna paratur opipera. Demum itur cubitum apparatu sane regio. Postridie uero eunt in domum quandam patentem, quæ theatrum referebat, & ibi ludicra exercuere compluscula, ut sunt tripudia & alia id genus. Post hæc duæ hominum acies comparuere, hinc & hinc atrox prælium cõmittentes: nam adeò acerrime digladiabantur, ut hostes uiderentur, & utrinque ceciderunt multi: pluresq; occubuissent, nisi rex annuisset, ut temperarent à manibus. Arma erant tela, arcus, & sagittæ.

Quomodo reges qui desciuerant rursus succumbunt.

CAPVT CIIII.

ILlinc itaq; tertio die soluit, & rursus Issabellam insulam uisit, ubi comperit suos uita functos: nam ferè ducenti occubuerant uarijs affecti ægritudinibus: quæ res adeò Columbũ mœsticia ac dolore affecit, ut propè de expedi-

tione

A tione desperauerit: & id in primis hominem angebat, quod uidelicet liburnicæ Hispanæ uehentes annonam apparebant nullæ, & iampridem caritate commeatuum premebantur: tandem decreuere ægros partiri per loca mari adiacentia, inter Issabellam & sanctum Dominicũ, secus iter, quod inter Austrum & Aquilonẽ uisitur, & ibi cœperunt condere noua oppida, & primo longe ab Issabella, milliaria fere XXXVI. arcem Spei construunt. Post eam ad milliaria prope XXIIII. arcem erigunt diuæ Catharinæ. Ab ea uero ad milliaria fere XX. arcem condunt diui Iacobi. Post hanc aũt ædificant arcẽ Conceptionis. Interq; eam & diui Dominici erecta est alia, quam Bonũ annum nuncupauerũt de nomine Fundini regis. Collocatis itaq; ægris in memoratis arcibus, ipse ad oppidũ diui Dominici contendit, & illic è regis uectigalibus accipit tributa. Dumq; diutius inibi immoratur, Hispanis uitam ducentibus per mille latrocinia, ac rapinas, complures reges desciuere, conspirantq; fere omnes in Hispanos: & quũ quadam die conuenissent, paraturi expeditionẽ in nostros, Guarionexium præficiunt exercitui, qui numerum quindecim millium hominum excedebat. Verum præfectus noster, ubi de hac re certior factus est, mox eos diligentia & solicitudine præuenit, cœpitq; ad unum omnes profligare, ueluti manum tumultuariam, nõ tamen sine magno sudore ac labore, ac magnis periculis, utpote qui cum Barbaris præliabamur. Monet Admirans, ut his omissis ad eum redeamus.

De nouis insulis, & gente multiplici compertis ab Admirante Columbo. CAPVT CV.

ADmirans itaq; Columbus die XXVIII. Maij, M. CCCCXCVIII. soluit à Barameda oppido non longe à Cades cum liburnicis octo onustis iter agens uersus insulas Fortunatas, prout consueuerat. Verùm per id tempus uisum est conducere plurimum, si illàc iter faceret ob nonnullos piratas, qui tunc mare infestabãt. Illinc uero ad Mederæ insulas cõtendit, & ibi classem partitus est bifariam: nam quinq; naues ad insulã, quæ dicitur Hispana, B direxit, reliquas uero secum retinẽs, uersus meridiẽ pergit, destinans animo uelle lineam æquinoctialem tandem aliquando superare, & inde ad occidentẽ uergere, ut ferè omnia scrutaretur, ea in primis, quæ Christianis fuere hactenus inaccessa incognitaq;. Is enim erat uir alto animo celsoq;, nec nisi magnifica aggrediebatur, & tandem peruenit ad Caput uiride. Indeq; soluens flante Austro maria sulcabat, & quum in altum prouectus esset ad milliaria fere CCCCLXXX. in quandã deuenit regionẽ, ubi adeò sol torrebat omnia, ut propè ipsa classis conflagraret, uiriq; omnes æstu magno quasi animã exhalabant: nam impellente calore dolia complura crepuere, effusumq; est uinum oleumq; simul, quũ id eis usu euenisset in exortu caniculæ, quo conflagrant propè omnia. In his itaq; caloribus per octo dies uersati sunt, non sine uitę discrimine: pœnituit eos sępenumerò has partes adiuisse. Transactis autem octo diebus, flante uẽto Fauonio, iter uertũt ad occidentẽ, rati clementius cœlum nancisci posse, & accepto in puppi uento, citatissime cõtendunt, indies clementius cœlum salubrioremq; aerem nacti: nam tertia die postq; illinc abiuerant, compererunt tantam temperiem aeris, ut si priori conferatur, hæc sit prorsus felix & fausta. Vltima uero Iulij è specula eminentiori nostrũ quispiam eminus tellurẽ conspexit, id est, montes editissimos: quæ res tanto nos aspersit gaudio, ut propè gestiremus, exiliremusq;: quandoquidem usq; ad id tempus nos nostræ uitæ tædebat plurimum: nam deficiebant commeatus ferè omnes, calore dolia crepuerãt, & uitã propè desponderamus, ut usuuenit aliquando à morte parum distantibus: tandem aliquando superis fauentibus, terræ appropinquamus, uerùm non appulimus ob breuia quædã, quæ mare procellosum reddunt, faciuntq; ne ad litus tuto accedas, tamẽ cognouere terrã cultam esse, & habitari frequentissime: nam è classe conspectabant locorum amœnitatem, prata præsertim uirẽtia, inq; eis innumeros flores, qui suauitatem fragrabant inenarrabilem, ut uel ad ipsam classem mirus

odor peruenerit. Illinc soluentes ad XX. milliaria portum nanciscũtur absq; flumine, alioquin optimum: propterea inibi haud immorati, ultra progrediuntur, & mox alium comperiunt portum stationemq; peropportunam: eò itaq; proficiscuntur ocyssime, ut aquæ nonnihil haurirent: portum appellãt Charanæ, Cuspidem accolæ: prope portum nullæ erant domus, uerum animalium cõplurium innumera uestigia. Postridie uero eminus conspeximus caneã citatissime aduentantẽ, id est, apud eos cymbę genus: in eaq; XXIIII. iuuenes sagittis prope onusti, gestantes clypeos, pudore tantũ cooperto, cætera nudi: nam pudibunda inumbrauerant bombycino panno, capillumq; admodum promissum habebant. Hos ubi Admirans conspexit, nutu & signis quomodocũq; quibat, inuitat prouocatq; ad mutua colloquia. Illi uero quanto magis accersebantur, tanto minus nobis fidebant, ueriti semper ne fraus subesset quæpiam. Paulatim discedentes à cõspectu nostro, & subinde post terga respicientes, demirabantur ritus nostros, formam corporũ hactenus eis inuisam incompertamq;. Videns itaque Admirans minime allicere posse hos uiros nutibus neq; inclamationibus, decreuit eorũ feritatem lenire melodia aut concentu aliquo. Mandat propterea existẽtibus in specula eminentiore, ut musicã multijugam excitẽt, choraules, uidelicet, & tibicines, ac id genus alios moneant, ut concentum efficiant non mediocrem, quò allecti barbari propius accedant. Hi uero ubi audiuere constrepẽtes tibias, rati sunt belli signum esse, ueluti si ad arma conclamatum foret, expediunt arcus sagittasq; bello se præparantes: & quoniam mirum in modum fidunt suæ pernicitati, condicto deserta maiore canea, cymbam minorem ingrediuntur, ut fuga sibi consulerent ui remorũ adiuti: tamen tantũ eis appropinquauimus, ut quidam è nostris iecerit in eorũ cymbam prætextam & birretum: quo facto conuenit inter eos, ut litus appellẽtes mutuò fruerentur colloquio. Dum igitur præfectus it ad Admirantem, impetraturus commeatum egrediendi classem, illi rati rursus ne sibi imponeretur, effusissime fugerunt. Igitur nihil aliud de populis huiusmodi cõperti habuimus. Et post hæc illinc abiuimus, & non longe prouecti, deuenimus ad profluentem quendam adeò rapidissimũ, ut Admirans, qui à puero assueuit mari, confessus sit ingenue se non tantundem pauisse, formidauisseq;: nam deriuabatur is profluens ab oriẽte, petens occidentem gradu citatissimo. Eo itaq; prope superato, paulũ progressi, deuenimus ad quoddam ostium, quod uidebatur ad portum quempiam nauigantes admittere, eoq; proficiscebatur profluens, interq; ostium & alium profluentem sinus est ad potandum suauissimus, unde aquæ plurimum hausimus: post quem aiunt semper aquas suas ad leucas uiginti sex inuenisse, & quanto magis appropinquabant occidenti, tanto plus ubertatis suauitatisq; aquarum nacti sunt. Deinde deueniunt ad montes quosdã eminentissimos, & eò accedentes uidere prædia culta admodum: uerum hominibus domibusq; uacabat regio, & ab alio latere montis occidentẽ uersus uisitur planicies maxima, exploratumq; habuere regionẽ nuncupari Pariam, esseq; pergrandẽ, nec raro habitatore. Inibi igitur pilotas accipiunt itineris duces quatuor, quorũ ducatu una die fere præteruecti sunt insulam, cuius amœnitate allecti terræ magis apropinquant, & insulam explorantes inuenerunt frequentiorem hominum numerum quàm unquã alibi nacti fuissent, & in primis reges qui Cachi dicuntur, quiq; continuo ad Admirantem legatos mittunt, se suaq; ultro offerentes, enixe deprecantes eum, ut continentem attingens, frui suis bonis pro arbitratu non dedignetur: uerum Admirans his minime assensus est. Illi uero ut hominem sibi demererentur, postridie innumeras cymbas exornari iubent, quibus patricij primoresque uecti fastu non mediocri ad Admirantem contenderent, torquibus aureis baccisq;, ac armillis decentissime honestati insignitiq;. Hos nostri incipiũt percunctari amice, unde tantum auri eruerint, & ubi margaritas legant: at illi illico respondent nutu, uniones reperiri in harenis maris sibi contermini: significantes rursus

Cachi

nutibus

A nutibus uim maximam baccarum inueniri inibi: uerùm uix esse apud eos in pretio, utpote qui ferè nihili eas pendũt. Has igitur tãtas opes subinde ostentantes nostris offerebant, modo nõnihil illic cõmorarentur. Verum quoniã triticum classis fathiscere incipiebat, uisum est cõducibilius, si hæc mercimonia in aliud tempus dilata forent: mittunt tamen è suis nõnullos, qui terram perquam diligenter explorent, mores ac ritus accolarum, necnon situm regionis. Profecti sunt itaq; eò è nostris quidam, qui ab eis honorificentissime sunt excepti, & quidẽ honorificentius q̃ unquam autumassent: nam ad eos salutatũ accurrebant accolæ certatim cateruatimq;, non secus quàm si uisum irent numen quodpiam: eos itaq; primo duo patricij excipiũt pater & filius, suoq; more consalutant, & mox consalutatos ad domũ instar theatri factam ducunt. Ante eam autem platea conspicitur grandis admodum, & eò allatæ sunt sellæ cõplures, fabrefactę ex ligno nigricante, & quidẽ faberrime. Consederũt ergo omnes, & illico erupit adolescentũ caterua, ferẽs fructus omne genus uberrimos nobis prorsus incognitos. Posthęc œnophori subsequũtur uina electissima propinantes, quũ fulua, tum etiam rubicãtia: neq; id uinum expressum uuis aut racemis erat, uerùm ex fructibus baccisq; multijugis eisdemq; suauissimis: uitem non habent uiniferam. Vbi itaq; cõmessati sunt apud senem, in nati iuuenis mox diuertunt ædes, ubi cõplures uisebantur mulieres adolescentulæ formosæq; admodum, quæ bombicino panno uersicolori coopertis tantum pudibundis, cætera sunt nudæ, & hæ hominũ conuentus refugiunt, solitariã uitã degentes. Hos igitur uiros cœpere nostri percunctari, unde tantum auri eruerẽt. At hi quibus pro sermone nutus erat, innuebant id è montibus quibusdã egestũ esse, nec tutò nos eò per id tempus proficisci posse: quandoquidem prout colligere potuimus ex eorum nutibus, aut ibi sunt fera quædã animalia, aut anthropophagi Canibali, qui mõtes obseruant infensi: id nobis permolestum fuit, nam alter alterũ haud intelligebat.

B *De reditu Admirantis ad insulam Hispanam.* CAP. CVI.

ITaq; nostri illic immorati sunt ferè usq; ad meridiẽ, tempus nõ colloquijs, sed nutibus terentes: tandem ualedicto eis illinc abeunt non indonati, nam propè quisq; illorum donatus fuit baccarum torque non contemnendo. Hos igitur Admirans saluos excipit in classem, uelaq; uentis dedit ocyssime: nam triticum, ut præfecimus, nõ patiebatur moras ulteriores: hærebat tamen cordi eò rursus redire. Progredientes igitur indies minus profunditatis comperiunt, adeò ut uix mare capax esset liburnicarum aquis deficientibus: proptere a uisum est expedire plurimum, si præmitteretur celox quæpiam, quæ contis uada exploraret, & subsequenti classi iter præpararet. Dum ergo diebus complusculis cunctantur, pauideq; maria sulcãt huiusmodi, rati esse insulam secus quam adnauigabant, ut demum eam circumuecti Aquilone flante, uergerent ad Hispanam insulam. Igitur inter nauigandum deueniunt ad quoddam flumen, cuius altitudo mensuram triginta cubitorũ excedebat: latitudo autẽ prope immensa credebatur, adeò ut supra leucas XX. pateret: inter meridiem & occidentẽ decurrit, licet adeò sinuet, ut ad meridiem inclinare magis uideatur: mare illic implicatᷓ herbis, perinde ut uix sulcari queat nauibus fluitantibus seminibus herbarum instar lenticularum. Ibi refert Admirans cœlũ esse usquequaq; clemens saluberrimumq;, & ferè toto anno pars noctibus dies esse, ut fit sub ipso æquatore: ubi itaq; animaduertit sinum esse implicitũ, & uix exitum habere, præsertim uersus Aquilonem, ut ad insulam Hispanam remearet, naues uertendo, facit ut prora puppim cõsequatur, ordine præpostero, eà igitur agens, quà ingressus fuerat: & herbas frequẽtiores tandem euasit, dirigens gressus ad Aquilonẽ: non desunt qui affirment eam tellurem continentẽ Indiæ esse: utcunq; fuerit, id Admirantem latuit, qui terræ exitum nusquam nactus est: propterea gradu relato, fauentibus superis, uersus Aquilonem nauigans, tandem aliquando ad insulam Hispanam deuenit uigesimo octauo Augusti, M.CCCCXCVIII. prout instituerat.

De

De discordijs repertis in insula Hispana. CAP. CVII.

A

VBi igitur Admirans appulit insulam Hispanam, nactus est ferè cuncta confusa, & in primis comperit Orlandum quendam alumnum suum desciuisse, qui asylum improbis omnibus aperuerat. Hunc igitur admirans totis conatibus nixus est sibi reconciliare: uerùm is nedum recõciliari uoluit, sed & regi serenissimo grauiter de Admirante conquestus est literis quibusdam, huius fere tenoris: Nouerit V. regia M. nos iampridem passos fuisse ab Admirante, Bartholomæoq; fratribus, quæ ab impijssimis hostibus nusquã expectauisset quispiam, nam præter illud quòd sunt omnibus sceleribus addicti, uacantq; omni honestate. Id plus etiam habent, quod uiri truculentissimi, pro re quaq; minima ueluti uitæ necisq; nostræ potestatem habentes, in homines sæuiunt atrocissime, & nullus est innocentiæ tutus locus, cis est impune occidisse hominẽ: uiri sunt & iniusti, & arrogantes, inuidiq; plurimũ, & ambiunt supra modum quę sibi haudquaquã conueniunt. Propterea rex serenissime, quum in nos grassarentur ueluti in pecudes, ab eis desciuimus, quoniam nimium sunt sanguinis humani appetentes, & uestrum imperium subuertere cõtendunt, nihil relinquentes intentatum, ut insula potiri queant aliquando: & hoc erit uobis non obscurum argumentum, quod ubi effodiendum est aurum, emendum'ue, neminem ad aurifodinas admittũt præter suos complices & alumnos, quos habent suorum scelerum consiliarios. At Admirans in hanc ferè sententiam regi scribit: Rex serenissime, ne uos horum uirorum scelestorũ impura natura lateat, uobis testatissimum fiet, hos hic iura omnia diuina pariter & humana contempsisse: uitam nanq; agunt impurissimam, per cędes, stupra, ac rapinas se exercentes: qui ueriti ne horum interdum pœnas luerent, desciuerunt ab imperio regio, uoluptati, desidiæ, ac libidini supra q̃ scribere possim, dediti: qui ubi laxiori otio prosiliunt, corpora exercent inter humanas cædes: nam uoluptas apud eos ducitur maxima, hominem patibulo suspendere. Interea dum maledictis & probris mutuo contendunt, rex quidam, quem appellant Cigianorum, desciuerat ab Christianis, quiq; exercitum sex millia hominum secum trahebat, præter sagittas & arcus inermẽ: nam nudi incedunt, etiã exeuntes ad bella, corpora uero notis compluribus inurunt, compunguntq; stigmatibus à uertice usq; ad pedum plantas. Hunc igitur post uarias interturbationes ueluti tumultuariam manum fudit, ac protinus subegit, subactumq; reddidit uectigalem. B

Quomodo Admirans falso delatus regi missus est in Hispaniam uinctus ueluti captiuus quispiam. CAP. CVIII.

INterea reges Hispaniarum ex utriusq; literis certiores facti sunt controuersiæ & uelitationis suorũ, qui insulas præsidij causa incolebant. Igitur ægreferentes quæ referebantur utrinq;, quum præsertim in tanta auri copia nihil adhuc emolumenti susceptum esset, grassantibus inter se suis: decreuerunt his quamprimum occurrere: propterea uirum strenuum dictis insulis præficiunt, qui eò contendens nemine excepto, animaduerteret in reos quoscunque, aut in Hispaniam mitteret puniendos. Profectus est igitur gubernator, à rege accepta persona, & ubi delatoribus aures præbuit, mox ab inuidis Admirantis subornatus, Admirantem & germanum uinctos in compedibus ad reges misit: qui ubi Gades applicuere soluti sunt, & ultro sese conspectui regio præsentarunt, inq; regum regia splendidissima usq; in diem præsentem non inhonori degunt.

De insulis inaccessis, & uarijs moribus. CAP. CIX.

POstq; Admirans eo infelicitatis deuenit, ut regum indignationẽ incurrisse uideretur, cõplures è suis alumnis, qui sulcandi maris probe nouerant artes, decreuerũt inter se irreuocabili proposito, ut sese fortunæ cõmittentes, orbis partes adirẽt hactenus inaccessas: & mœstissime ualedicto Admiranti, impetratoq; ab eo cõmeatu, sua impensa liburnicas quasdam expediunt: alij alias petẽtes orbis partes, ea lege, ut nemo eorũ ad quinquaginta leucas illis locis

A locis appropinquaret ubi Admirās fuisset. Igitur Petrus Alonsus dictus Niger, celocē cōmuniuit suis impensis, decernēs ad meridiē contendere. Dum itaq; adnauigat, peruenit ad id loci qui dicitur Parias, cuius in superioribus cōmeminimus, ubi baccas margaritasq; multiplices Admirans inuenit: & ut à præscripto regio non discederet, locū præteriuit, nusquam appropinquans ad leucas L. Illinc itaq; soluēs, deuenit ad prouinciam, quæ Curtana dicitur, ubi portus uisitur nō absimilis illi qui Cades appellatur. Ingressus igitur portum, uidit uicum non mediocrē, domorū forte LXXX. & propius accedens, nactus est uiros quinquaginta nudos, qui eum locū minime accolebant, uerùm illinc ad tertiū lapidem oppidum habebant, cum quibus cœpit cōmercia exercere, complura permutans: nam pro mercibus quibusdam, ut sunt acus, & sonalia, licet nōnihil reluctati fuerint, unionū uncias quindecim consequuti sunt: hos enim appensos collo habebant. Postridie illinc soluit, & ad uicum minorem rediit: quò cum deuenit, omnis populus effusus illi obuiam profectus est, rogans enixe, ut continentem attingens secum moram longiusculam traheret. uerùm Petrus Alonsus, ubi conspexit tantam hominum frequentiam, nam supra triginta tres uiros celox minime uehebat, timuit ne sibi male succederet cum gente barbara, propterea nutu & signis innuebat accolis, ut si quæ emere uellent eò contenderent, se haudquaquam descensurū adfirmabat: quare his uisis accolæ lembis quibusdam uecti ad celocem contendunt onusti unionibus & baccis, qui cœpere cum nostris mercimonia exercere, & pro nonnullis uilissimis mercibus dederunt libras ferè quinquaginta unionum. Postquam autem Alonsus Niger compertum habuit gentē huiusmodi minime feram esse: nam per XX. propè dies illic immoratus, quū eam comperit nihil feritatis habere, statuit in terram descendere, & huic genti fidere humaniori. Igitur ubi terram tenuit, adeò honorifice exceptus est, ut id uix referre queam: domos habent ligneas, & pro imbrice palmarū folia habent, his tegunt omnia: in cibatu ostreas habent gratissimas, & illorū

B complures legunt uniones, apros, lepores, columbos, turtures affatim habēt: mulieres uero anseres saginant & anates, ut nostræ. In eorum nemoribus uisuntur pauones innumeri, à nostris nihil absimiles, si pennas spectes: mares paui uix differunt à fœminis, fasianis regio scatet: accolæ sagittandi sunt peritissimi, quamcūq; rem pro scopo posuerint, nusquam aberrant. Ibi igitur Alonsus cum socijs lautissime multis diebus uixit frustum panis pro clauis ferreis quatuor consequebantur: pro uno clauo fasianos, columbos & turtures emebant: loco pecuniæ corollas uitreas dabamus & acus: percunctabamur quandoq; eos, qur tanti facerent corollas huiusmodi, id est, serta uitrea, & acus: respondebant quòd eis compurgant dentes, euelluntq; sentes è pedibus, quoniam nudi usquequaq; incedunt, propterea magnifaciunt acus, & in primis magni pendunt sonalia: ubi uero introrsus prouecti sunt, conspexere condensissima nemora, uarijq; quadrupedum mugitus reboarunt, adeò ut cœlum ipsum intonuisse uideretur. tamen rati sunt ea animalia minime fera esse, argumento quòd accolæ intrepide nudi nemora lustrant, solis arcubus & sagittis cōmuniti: pro arbitratu apros in promptu semper habent, mitiora armenta habēt nulla, ut sunt boues, capræ, & pecora: uiri non sunt absimiles illis, qui insulā incolunt Hispanam, capillum nigrū promittūt, illumq; quasi more Theutonico calamistratū ferunt: ut autem dentes habeant albicantes, herbam quandam assiduo esitant ruminantq;, tritā expuunt, moxq; abluunt latice: eorū mulieres colunt curantq; rem domesticam, at uiri uenatu exercēt corpora, tripudijs ac ferè ludicris omnibus usquequaq; insistētes: uasa Samia habent cōplura, quę aliunde eò cōportantur: figlinas tabernas ipsi nesciunt, nundinas habent & emporia, eoq; confluunt ferè contermini finitimiq; omnes, uarias multijugasq; ferētes merces, prout cuiusq; solum gignit: pecunia eis haud est in usu, cuncta uenduntur emunturq; permutatione rerum, non signata pecunia: aues mansuefactas, & cicurata animalia circunferunt ludi-

ctī

Petrus Alonsus

cri causa, eaq; exornāt torquibus unionū baccarum'ue, necnon auri, ut apud nos mos est colla canum torque quapiam condecorare. Ea regio non fert aurum, importatur aliunde, idq; consequuntur suarum mercīū permutationibus, & excuduntur Germanorū nummi aurei, quos Rhenenses uocant. Viri loco fœmoraliū utre utuntur: itidem mulieres agunt. uerū hæ perraro exeūt, domi se cōtinentes: cœperunt nostri uiros huiusmodi percunctari, an longe ab ea regione essent maria, an forte regio in immensum protenderetur. Responderunt se id nescire, uerum credidere nostri eam regionē non insulā sed continentē, quandoquidem adeò scatet omni genere animaliū, ut non sit absonum credere continentē potius esse quàm insulam: quum præsertim per id latus uersus occidentē nauigauerint ad milliaria prope mille, nec tamen terminus repertus est quispiam. Demum sciscitabamur ab eis, unde tantum auri haberent: pro responso habuimus, id erui in regione quę dicitur Canchiete, quæ abest ab eis itinere sex dierum occidentem uersus.

DE GENTIBVS VARIIS, LOCISQVE INNVMERIS AB ALONSO REPERTIS. CAP. CX.



Eo igitur Alonsus Niger proficisci decreuit, & tandem prima Nouembris M. D. Canchietem regionem applicuit, quem ut uidere accolę, mox exuto timore, cōmercij causa honorifice excepērūt, ferentes quicquid auri per id tēpus habebant: parum quidē tulerunt, uerū obryzum, defecatumq;. Regio abundat psitacis, temperieq; est incredibili: nam mense Nouembri multus ibi algor, & rursus in æstate nullus æstus, torret plagam huiusmodi, temperata est regio admodum: id hominū genus syncerū est, & simultatis nullius, fidunt cunctis, lædunt neminem. Ibant ad nos uecti lembis & cymbis suo more fabrefactis intrepide, noctu præsertim, non aliter q̄ si proprias ædes frequentarent: id habent tamen, quod zelotypia plurimum laborant: quū nos adeunt, mulieres domi dimittunt: bombyce scatet regio, quippe qui suapte natura gignitur, colente nemine, eò subligacula conficiunt, quibus occulunt inguina. Tandem illinc soluere, & progredientes itinere dierū decem, nacti sunt regionē amœnissimā, ubi erant cōplura oppida, flumina, uiridaria, adeò ut spectatiorem nusquā locum uiderim: eò igitur ubi accedere uoluimus, mox apparuere fere duo millia hominū, qui suo more arcus & sagittas gestabant loricasq;, litus perquā diligenter obseruantes: hos cœpimus nutibus, signis, & inclamationibus ad amicitiam & fœdera prouocare, uerum nusquam adduci quiuerunt, ut nobiscum inirent fœdus, uidebantur magnam rusticitatem, imò ferocitatē quandam præ se ferre: quamobrem credidimus syluestres esse, corpora tamen habent habilissima symmetricaq;, colore ad nigritudinem inclinato, in uniuersum macilenta. Quare Alonsus Niger iam repertis contentus, statuit referre gradum, & patriam uersus eà rursus transire quà uenerat.

Quomodo Alonsus patriam repetijt onustus baccis & margaritis, & quomodo congressus est cum Canibalis. CAPVT CXI.

IGitur relato gradu Alonsus adnauigans deuenit in eam regionem quæ Ciniana dicitur, ubi innumeri sunt uniones, & illic immorati sunt XX. dies, ut fessa fouerēt corpora: & priusquā eò deuenissent, non longe à regione obuiarunt caneæ, id est, cymbæ XVIII. Canibalorū, quos anthropophagos iā diximus: qui ubi nostros eminus conspexere, continuo celocem ambiunt, arcus & sagittas intrepide expedientes: at nostri tormenta exonerāt, & ueluti manū tumultuariam protinus fundunt: qui quum terga dedissent, à nostris haud deserti cymbam amisere: qui uero in cymba erant, præcipites sese in pelagus dederunt, & nando fere omnes euaserunt: unū tamen ex illis corripuere, qui adeò sæuiebat in homines ut in promptu uiros tres ligatos haberet,

quos

A quos illico comederet. His itaque solutis, illis custodiendum Canibalum dedimus, qui non immemores cædis suorum, uirum atrocissimum mox aggrediuntur pugnis scipionibusque: quibus confectus parum abfuit, quin animam efflauerit: nam is socios contrucidauerat suos, & postridie eos quos libertate donauimus, trucidaturus erat. Post hæc percunctamur eos de Canibolorum moribus, hi nobis respondent eius consuetudinis esse ac feritatis, ut humanũ sanguinem plus nimio appetentes, peragrent circumadiacentes regiones, & ubi terræ appropinquauerint, mox aggerem palis & id genus lignis com pluribus extruũt, quo se tutantur tantisper, donec regionem deuastauerint, homines corripientes. Regio baccis abundat plurimum. In funere primorũ hunc morem seruant: Patricius ubi uitam exuit, in carpento quodam collocatur, & igne subdito sensim ueluti in suffitu corpus consumitur, guttatim distillante liquore humano, donec sola supersit cum ossibus cutis, & eam recõdunt ueluti rem sacram: & is est uita functi non mediocris honos. Itaque his acceptis illinc per XIII. menses soluerunt, patriam repetentes, fere onusti unionibus plurifariam: nam uehebant complura, & in primis baccarum omne genus, libras XCVI. Libram uero unciæ octo efficiunt. Emerant enim huiusmodi margaritas perquam uili pretio. Nauigando tandem in Gallitiam diebus XVI. deuenimus, & ibi Mangonibus, quorum ingenium est & uniones & gemmas ad amussim cognoscere, margaritas huiuscemodi ostendimus uisu quidem pulcherrimas, uerum eorum sententia pretij perquam mediocris.

DE NAVIGATIONE PINZONI SOCII ADMIRANTIS, ET DE REBVS PER eum repertis. CAPVT CXII.



B INCENTIANVS dictus Pinzonus, necnõ Aries eius germanus socij olim Columbi in primæua nauigatione, anni uidelicet, M. CCCCXCIX. sua impensa celoces quatuor expediunt, cõmuniuntque omni genere commeatuũ, & tandẽ superis fauẽtibus, à Palos oppido soluũt XVIII. Nouembris uersus insulas Canarias, quas Fortunatas appellamus, & ut ipsi hactenus inaccessa adirent, & inde honorem, decus & emolumentum aliquando consequerentur. Relictis igitur insulis Fortunatis, ad Caput uiride deueniunt Apeliote flante: quo uento nauigarunt ad leucas prope CCC, & in ea nauigatione tantum progressi sunt, ut Aquilonem iam non cernerent: & ubi id sydus, quo duce utebantur, euanuit ab eorum oculis, mox atrox sequuta est tempestas, uentus uidelicet ualidus cum imbre grandine mixto: tamen Apeliote uento adhuc uehebantur, nõ sine magno discrimine ad leucas CCXL. processerunt: & tandem aliquando XX Ianuarij eminus conspexere tellurem: cui quanto magis appropinquabant, tanto minus profunditatis inueniebant, deficientibus subinde aquis, propterea contis uada explorantes, nacti sunt profunditatem non excedere sedecim cubitorum: tandem in terram descendunt, & quum ibi biduo immorati fuissent, nemo usquam apparuit. Paulo igitur progressi noctu quũ luna pernox esset, conspicati sunt à longe micantia arma, exercitumque non mediocrem. Eo igitur e nostris triginta profecti sunt, quibus præfectus iussit, ne hostem lacesserent: & quum comperissent armatorum aciem esse, gradum referunt, rem in crastinum differentes, ne à præscripto præfecti recederent. Postridie itaque prima luce triginta uiri rursus eo contendunt: qui ubi à Barbaris conspecti sunt, mox excitarunt triginta duos uiros torui atrocisque aspectus, qui eis occurrerunt sagittis & arcubus suo more armati: hos nostri cœperunt nutibus & inclamationibus sibi uelle conciliare: at illi sæuiebant magis, ferociam incredibilem præ se ferentes, nec unquam adduci quiuerũt, ut fœdera pacis nobiscum inirent. Quare nostri his uisis, classem repetunt,

postero die Barbaris congressuri. Verum illi nocte intempesta castra deseruere. Lusitani uero rati sunt uagos huiusmodi populos, nec alias habere stationes quàm Aegyptij populi habeant, Tartaricq;, qui errabundi per orbem, nec mapalia nec domos habent, nisi quas queuis dies obtulerit: apud omnes aduenæ eò pergunt quocunq; uoluptas trahit, modo huc, modo illuc: uxores & natos suppellectilemq; secum trahunt: eorum uestigia è nostris complures persequuti sunt, & ut ex pedum uestigijs animaduerterunt, proceriores sunt nostris: nam planta pedis duplo maius uestigium impresserat, quàm procerus quisq; apud nos figeret. Progressi itaq; ultra, deueniunt ad flumen quoddam magnum quidem, uerum nostræ classis minime capax, propterea cymbas expediunt, quæ terræ appropinquantes regionem exactius explorarent. His igitur iam terram tenentibus, mox occurrunt populi innumeri inermes, idemq; nudi, qui nutibus & signis nostram appetere amicitiam uidebantur: nostri tamen utpote morum eorum expertes, non intrepide accedebant: uisum est itaq; hoc modo populorum ritus experiri, si quo modo adduci possent ad exercenda cõmercia. Igitur unus è nostris iecit in confertam Barbarorum turbam sonaglium: at illi in nostros frustum auri, quo facto Hispanus audaculus accurrit, ut aurum proiectum acciperet: at illi condicto hominem corripiunt mira pernicitate, nostri uero relicta classe, socio suppetias ferunt, & mox ingens prælium consertum est, eoq; discriminis nostri peruenere, ut uix eis pedem referre licuerit, urgentibus Barbaris: nec profuit eis habuisse longiores hastas, ensesq;: quandoquidem id genus uulnerum & deniq; mortem contemnentes, ruebant in eos ueluti atrocissimæ feræ, urinantes, id est, aquis immersi, adhuc classem infestabant, effeceruntq; sua feritate, ut nostri male accepti celocem amiserint, occiso illius nauis præfecto: nostri autẽ mœstissime id ferentes, illinc amissa celoce soluerunt, & ad Aquilonem contenderunt, eo modo se sinuante litore. A

Quomodo Pinzonus mare potu suaue inuenit, & de insulis uarijs. B

CAPVT CXIII.

PRogressi igitur ad leucas ferè XL. nacti sunt pelagus potu haud insuaue: & dum caussam suauitatis insolitam quærunt, deueniunt ad quoddam ostium ingentis fluminis, quod in mare uastissimo impetu exonerat: contra autem ostium insulæ uisuntur complures cultæ admodum ac conspicabiles, uerum ibi nihil compererunt, quod ad eorum spectaret commercia: mancipia tantum triginta sex emerunt, quoniam nihil compertum est ibi, quod expectationi illorum faceret satis, eis præsertim qui auide lucris inhiabant: regioni nomen Chiana marina Tambala: eius accolæ referebant introrsus esse aurifodinas complures. Postquam illinc abiuimus, non longe à flumine itinere perpaucorum dierum, rursus Septentrio apparuit ferè sub ipso horizonte, qui nostrum uisum terminat. Peractis itaque leucis quinquaginta, ea computatione ad eam regionem deueniunt, quæ Payra dicitur, & inde ad ostium quod appellant Draconis, quodq; eiusdem est regionis, quò aliquando profectus est Admirans, iter faciens per quasdam insulas, quæ sunt è regione Payræ prouinciæ propè innumerabiles: ibi sunt nemora sandalij, quo onerant negotiatores suas liburnicas, comportantq; aliò. Inter has insulas, quarum meminimus, complures sunt incultæ desertæq; Canibalorum metu: propterea ingens domorum ruina conspiciebatur: uidere etiamnum plurimos homines, qui uisis nostris mox dilapsi sunt in editissimos montes. Ea regio fert arbores, quæ gignunt casiam electissimam. Nos uero rati his mercimonijs inesse lucrum ingens, multum casiæ in Hispaniam comportauimus: uerùm physici asseuerabant, eam quidem optimam esse, si opportuno tempore legissent. Ibi uideas arbores tãtæ proceritatis ac magnitudinis, ut si sex homines restim ducerent, nec amplecti quirent arborem unam. Conspexere etiamum ibi animal quadrupes, prodigiosum quidem: nam pars anterior uulpem, posterior uero simiam præsentabat, nisi quod pedes effingit hu-

Monstrosum animal

manos

A manos: aures autẽ habet noctuæ, & infra consuetam aluum aliam habet instar crumenæ, in qua delitescũt catuli eius tantisper, donec tutò prodire queant, & absq; parentis tutela cibatum quærere: nec unquam exeunt crumenã, nisi quum sugunt. Portentosum hoc animal cum catulis tribus Sibiliam delatum est, & ex Sibilia Illiberim, id est Granatam, in gratiam regum, qui nouis semper rebus oblectantur. Catuli licet in itinere perierint, conspecti sunt tamen à compluribus, qui huic rei astipulantur. Is itaq; Vincẽtinus affirmat adnauigasse secus litus Payræ fere leucas D C. nec ambigit quin continens existat. Illinc ergo soluentes ad insulam Hispanam deuenerunt uigesima tertia Iunij, M. D. & inde aiunt rursus maria sulcasse occidentem uersus suprà C C C. leucas: & quum deuenissent ad quandam prouinciam, atrox tempestas adorta est eos, effecitq; ut protinus duæ celoces pessum ierint: altera uero crepuit: at altera salutem socijs præbuit, non tamen sine ingenti discrimine. Sæuiebat profecto suprà modum tempestas: uerùm ad id accedebat, quod socij laboribus innumeris fessi, uix sui potentes erant. Positi igitur inter salutẽ ambiguam & metum, eminus nauim conspiciunt, quæ uentis prosperis uecta, perquam celeriter maria sulcabat: & quoniam perpauci supererant, sibi nimium metuentes, ac uitam prorsus despondentes, in eam deuenerant opinionem, ut se mutuo occiderent: propterea in terram descendunt, rati omninò se atrocia subituros. Hæc meditantibus non defuit supernum auxilium: nam pacatis uentis mari reddita est tranquillitas: propterea cõspecta naui, in qua homines solum XVIII. superstites erant, resumunt animos, & in Hispaniam redire parant. Vtraq; igitur nauis uela uentis dedit, patriam repetẽs, quò deuentum est ultima Septembris. Post hos uero complures alij nauigarunt meridiem uersus, iter agentes per Payram regionem, itinere milliarium quinquies mille, nec unquam terminum nacti sunt: ideo arbitrantur continentẽ, non insulam: unde nuperrime allata sunt complura, ut sunt casia, aurum, bac-
B cæ, piper, cinamomum, herbæ, arbores, animalia multijuga, & alia complusculа, quæ apud nos minime uisuntur.

NAVIGATIONVM ALBERICI
VESPVTII EPITOME.

De nouo orbe, è lingua Hispana in Italicam traducto.

CAPVT CXIIII.



VPERIORIBVS diebus abũde reddidi te mei reditus certiorem, uir præstantissime: nam si probe memini, commonefeci tuam præstantiam de his omnibus orbis partibus, quas adiueram cum classe & impensa regis huius inuictissimi: quæ si singulæ pensitatius expendantur, uidebuntur profecto alterum orbem efficere: propterea non ab re nouum orbem nuncupauimus. Nam prisci omnes harum rerum prorsus expertes fuere, superantq; eorum opinionem quæ nuperrime abs nobis sunt comperta: quandoquidem hi rati sunt, ultra lineam æquinoctialem meridiem uersus nihil esse nisi uastum æquor, perustas incultas'ue insulas quasdam: id pelagus Atlanticum dixere: & si quandoq; assensi sunt, nonnihil telluris esse, eam contendunt incultam esse nec habitabilem: quorum opinionem præsens ad eas partes nauigatio refellit, aperitq; omnibus haud dubie falsam esse, & ab omni uero extorrem: quoniam ultra æquatorem nactus sum ego cultiores regiones, easdemq; habitatoribus frequentiores, quàm alibi gentium usquam compererim, si Asiam, si Europam, si Aphricam'ue spectaueris, ut latius in sequentibus liquebit: nam prætermissis obscuris rebus, illustres solum denarrabimus, quæ sint scitu nõ indignæ, quas'ue nos ipsi coràm adiuerimus, uel ex fide dignorum relatu acceperimus.

De mundo igitur huiusmodi nuperrime inuento, sedulo & citra mēdacium complura mox explicabimus. A

De ordine nauigationis, & de saeua tempestate. CAPVT CXV.

FElicibus igitur, ut aiunt, auibus ab Vlisbona XIII. Maij, M.D.I. soluimus iussu regis tribus liburnicis expeditis, profecti sumus quaesitum nouum orbem, & uersus Austrum iter agentes uiginti mensibus adnauigauimus. Cuius quidem nauigationis seriem primo explicabimus. Hunc igitur ordinem nauigando seruauimus: nam per insulas Fortunatas iter egimus, quę nūc magnae Canariae appellantur: hae enim sunt in climate tertio, in parte extrema habitati occidentis: inde sulcantes oceanum, litora Aphricae Nigritarumq; gradu citato percurrimus, usq; ad id promontorium, quod Ptolemaeus appellat Aethiopum, nostri uero Caput uiride, Aethiopes autem Biscecherem, & accolae Mandangam: & ea regio est intra zonam exustam gradibus XIIII. uersus Aquilonem, quam Nigritae incolunt. Ibi resumptis uiribus, & communita omni genere annonae classe, sublatis ancoris uentis uela dedimus, iter nostrum dirigentes uersus polum antarcticum, nonnihil tamen ad occidentem declinantes Euro flante: nec prius tellus conspecta est, quàm iugi nauigatione tribus mēsibus, ac diebus totidem uastissima aequora sulcauerimus: in qua nauigatione quae discrimina subierimus, quae uitae pericula, quas animi anxietates, interturbationes, naufragia, quoties'ue uitam pertaesi simus nostram, id multarum rerum scijs iudicandum relinquo, & eis in primis, qui optime norunt, quàm sit arduū incomperta quaerere, & adire inaccessa. Qui uero haec nesciunt, rerum expertes, huius rei iudices esse minime uolo. Et ut paucis multa comprehendam, id sciant, nos adnauigasse LXVII. diebus, quibus fortuna pertinax atroxq; saeuiebat: nam quadraginta quatuor diebus reboāte coelo, nihil nisi tonitrua, fulgura ac coruscationes, imbres grauissimos passi sumus, adeoq; tenebricosa nebula coelum inumbrauerat, ut interdiu nō secus ac noctu non aliter uideremus, quàm Proserpina existente cum Plutone, id est, quū minime luna pernox est, nox atris tenebris obfuscatur: propterea adeò nos timor mortis incesserat, ut uitā prope despondisse uideremur. Post haec B uero tam saeua, tamq; atrocia, complacitum aliquando Deo fuit uitę compati nostrae (quae sua fuit clementia) mox tellus apparuit: qua uisa, animi qui ceciderant elanguerantq;, condicto rediere ad se, ut usu euenit superantibus calamitates maximas, & praecipuae ereptis de fortunae reflantis faucibus. Igitur septimo Augusti M. D. I. in litore eius regionis iecimus ancoras, dantes Deo maximo gratias quas poteramus maximas, ritu solenni, & Christiano more solennia missarum celebrari iussimus. Tellus reperta uisa est nō insula, sed continens: quandoquidem in uastum protendebatur, nec finis apparebat quispiam: cultaq; erat admodum, ac habitatore multiplici perquam frequens: inibiq; animalia fere omne genus syluestria, quae huic orbi nostro sunt prorsus incognita. Nacti sumus etiam ibi alia pleraq;, quorum de industria non meminimus, ne surgat opus in Iliada magnam. Id solum haud praetereundum puto, quòd dei clementia adiuti, opportune tellus uisa est à nobis: nam diutius ferre nequibamus, deficientibus commeatibus omnibus: lignis, uidelicet, aqua, nautico pane, salitis carnibus, caseo, uino, oleo, & quod plus est, uigore animi. Igitur deo quòd uiuimus, referimus acceptum, cui honos & gloria ac gratiarum actio.

Quantum distet reperta tellus à Capite uiridi. CAPVT CXVI.

COnuenit igitur inter nos, ut secus litus huiusmodi nauigaremus, conspectum huius haudquaq; deserentes. Nauigauimus itaq; tantisper, donec deuenimus ad frontem quandam huiusce continentis, quae uergit ad meridiem. Haec frons ab eo loco, ubi primo tellus conspecta est, abest leucis fere CCC. In hoc itinere sępenumero terram applicuimus, & cum indigenis commercia habuimus, prout latius in sequentibus tibi compertum fiet: praetermissi enim Caput uiride ab hoc reperto cōtinente, abesse leucis prope D C C.

A licet ergo crediderim nauigasse plus quàm DCCC. & id effecit atrox tempestas & naufragia frequentia, & naucleri inscitia, quæ omnia iter prolongãt: eoq; loci deueneramus, ut ni cosmographia nobis nota fuisset, incuria naucleri de nobis actũ erat: nam nullus erat itineris dux, qui ad leucas quingentas nosset, ubinam gentiũ essemus: errabundi enim eramus & uagi, nescientes quò tenderemus, nisi astrolabio & quadrante, astrologicis instrumentis, adamussim mihi & socijs consuluissem: comparauiq; mihi ob id nõ mediocrem gloriam, adeò ut deinceps eius loci fuerim semper apud eos, cuius sunt apud probos uiri eruditiores: docui enim eos chartam nauigationis, effeciq; ut faterentur consuetos naucleros nihil hactenus sciuisse, si mihi conferrẽtur cosmographiæ expertes. Itaq; dicta frons reperti continentis, quæ uergit ad meridiem, in ulteriorẽ spem nos induxit scrutãdi, uidelicet, eius orbis, peragrandiq; ad regulam. Communi igitur sententia decretum, ut regionem exploraremus, etiã introrsus mores & ritus gentis illius percunctaremur. Adnauigauimus ergo secus litus leucis ferè DC. subinde in terrã descendentes, habito cum accolis colloquio frequentiore: à quibus profectò honorificè ac cordate excipiebamur: & eorum probitate, & natura innocentissima prouocati, nonnunquã quindecim uel uiginti diebus apud eos non inhonori uersati sumus: sunt enim hospitales admodum, sicuti latius infrà patebit. Is igitur continens auspicatur ultra æquinoctialem lineam gradibus octo uersus polum antarcticum, & tamdiu secus hoc litus nauigauimus, donec superato tropico hyemali propè polum antarcticum gradibus XVII. & medio appliculmus, ubi eleuatum horizontẽ habent gradibus quinquaginta. Quæ uerò ibi conspicatus fuerim, mortalibus nostri æui incomperta sunt: gentem, uidelicet, mores, humanitatem, soli feracitatem, aeris temperiem, salubritatem cœli, corpora cœlestia, & in primis octauæ sphæræ sydera fixa, quorũ sphęra nostra non meminit, nec hactenus cognita fuere à priscis etiã eruditioribus,
B ea mox sedulo sum denarraturus.

De moribus & natura gentis illius. CAPVT CXVII.

FRequentior est igitur hæc regio cunctis quas unquam uiderim regionibus: nam uidetur innumera, ut cõmeminit diuus Ioannes in sua Apocalypsi. Id genus hominum cicuratum est admodum & mansuefactũ, nemini noxium: nudi prorsus incedunt, uti eos parens natura peperit: nudi nascuntur, nudi rursus moriuntur: corpora habent habilissima, utpote facta ad symmetriam: symmetrica dici iure possunt, colore ad rubedinem inclinante: id efficit candens sydus, quod non difficulter torret nudos homines: capillos habent nigros, sed promissos: incessu & ludis agiles sunt quàm qui maximè: facie sunt perquã liberali ac uenusta, nisi ipsi eam deformarent dehonestamento ferè incredibili: nam terebratam perforatamq; faciem circumferũt, uidelicet, genas, maxillas, nares, labra, aures: neq; foramine mediocri aut uno, sed magnis compluribusq;: nam uidi quandoq; quempiam septem foramina in facie habentem, quæ singula capacia erant pruni unius damasceni: dempta itaq; carne, hæc opplent lapillis quibusdam cœruleis, marmoreis aut crystallinis, uel ex alabastro pulcherrimis, aut ebore uel ossibus cãdidissimis, more suo, arte non inepta fabrefactis elaboratisq;. Quæ res adeò est insolens & turpis, ut monstrum prima facie præ se ferat, homo, uidelicet, qui gemmatam faciem circumfert, terebratus foramine multiplici: & si credere dignum est, lapides septem in facie habens, qui singuli medij palmi magnitudinem superant. Nemo est profectò qui non admiretur: quum præsertim animo attentiore apud se hæc tam prodigiosa expenderit, uera tamen sunt. Nam ego aliquando obseruaui dictos septem lapides pondo ferè unciarum sexdecim. Inaures & ipsi ferunt pretiosiores, uidelicet, annulos appensos, aut baccas pensiles, more Aegyptiorum Indorumq;. Hunc morem uiri tantum seruant: at mulieres solum ferunt inaures. Habent etiam fœminæ & alium morem atrocem, & totius humanioris uitæ expertem. Quoniam igitur mulieres hu-

iusmodi in Venerem pronæ sunt admodum & salaces, id facinus patrant, ut A
turpiori earum uoluptati faciant satis: nam uiris in potu dant herbæ cuiusdam succum, quo epoto inguina mox tument & crescunt non mediocriter: aut ubi id non profecerit, uenenata quædam admouent, quæ mordicus inguen lancinent tantisper, donec tumescat, fitq; propterea ut apud eos complusculi testes amittant, & eunuchi reddantur. Lanam non habent, nec linum, ideo omnifariam panno carent: nec gosipinis uestibus, id est, bombicinis utuntur: nullius enim egent amictus, qui nudi usquequaque incedunt. Apud eos nulla sunt peculia: communia sunt omnia: regem non habent, nec imperium: unusquisq; sibiipsi rex est: tot ducunt uxores, quot libuerit: in promiscuum coeunt, nulla sanguinis ratione habita: cum matre filius, & frater cum sorore coeunt: libidinem passim exercent instar brutorum animalium: nam ubiq; & cum quauis muliere, etiam sibi forte obuia, rem peragunt uenere am. Dirimunt etiam pro arbitratu coniugia, quoniam exleges sunt, & à iure sunt extorres: templa non habent, nec legẽ, minusq; idola colunt. Quid plura? perniciosam quandam habent uiuendi libertatem, quæ Epicuris potius quàm Stoicis quadrat. Commercia non exercent: pecuniam nesciunt: inuicem tamen dissident, præliantur q; atrociter, sed ordine nullo. Iuuenes senes concione flectunt trahuntq; in eorum sententiam, quocunq; libuerit, accenduntq; ad bella, quibus hostes conficiunt: quos subegerint profligauerintq; hostes in cibatu habent gratissimos. Carne uescuntur humana, adeò ut pater filios epuletur, & uicissim nati parentem, prout sors tulerit & euentus. Vidi ego quendam perditissimum hominem, qui pro gloria non mediocri iactabat, se esitauisse supra tercentum uiros. Vidi etiam urbem quandam ubi immoratus sum diebus ferè uiginti septem, & ibi contignationibus humanas carnes, easdemq; salitas pensiles uidi, uti nos carnes aprugnas sole uel fumo siccatas appendimus in culina trabibus, & in primis insitia, & id genus alia: imò mirabantur plurimum, quòd nos non uesceremur hostibus, quorũ B
carnes aiunt appetentiam cibi facere, & miri saporis esse, easq; extollunt tanquam dapes ganeatas opiparasq;: arma habent nulla, præter sagittas & arcũ: his atrocissime diloricati præliantur: quippe qui nudi congrediuntur, conflaucianturq; non aliter quàm fera animalia: hos nixi sumus pluries uelle trahere in nostram sententiam, persuadebamusq; identidem, ut tandem aliquando ab his improbatis moribus, ueluti ab re abominanda temperarẽt, qui nobis sæpenumero polliciti sunt se temperaturos ab hac sæuitia. Mulieres uero, ut præfeci, licet nudæ incedant, uagæ & salaces in Venerem, non sunt tamen deformes: quam habilissima corpora habent, nec quidem exusta, ut forte sibi complures persuadere quirent: & licet obesæ & præpingues, non tamen ob id deformantur: & quod miratu nõ est indignũ, nullas uel puerperas uidi, quæ demissas haberent mammas: nam licet pepererint fœtæ, non sunt in aspectu corporis uirginibus absimiles: nõ caperatam cõtractamq; in uentre uidebis cutem, & ea quæ honeste nominari nõ possunt, prorsus à uirgine non absunt: ubi Christianorum copiam habebant, mirum est dictu quàm turpiter corpora sua prostituerent, libidinosiores supra omnem credulitatẽ. Annis uiuunt centum & quinquaginta, raro ægrotãt: qui si forte in morbos inciderint, sibi herbarum succo medentur protinus. Hæc sunt quæ apud eos comperi non obscura, uidelicet, aëris temperiem, cœli clementiam, solum ferax, longam ætatem. Id forte efficit Eurus, qui istic iugiter perflat, quiq; eius loci apud eos est, cuius Aquilo apud nos. Piscatu gaudent, eoq; uictitant plurimum, adiuuãte hoc uotum natura: nam æquora inibi scatẽt piscium omni genere. Venatu parum oblectantur, quod efficit ferarum ingens multitudo: pauent enim ob non cicurata animalia syluas frequentare. Visuntur etiã ibi leones omnifariã, ursi, & id genus alia. Arbores ibi crescunt in tantam altitudinem ut uix credas. Temperant igitur à syluis, utpote qui nudi & diloricati inermesq; tutò feris haud congrederentur.

De

De soli feracitate, & cœli temperie. CAP. CXVIII.

A REgio est aprica, ferax, & eximie amœna: & licet sit cliuosa, irrigua tamẽ est fontibus ac fluuijs innumeris, syluasq; habet adeò condensas, ut uix transitũ præbeant, obstante arborum frequentia. His inerrant animalia multijuga, eademq; sæuissima: arbores & fructus absq; cultore suapte natura crescunt: fructus habent uberrimos, eosdemq; suauissimos, nec mortalibus noxios, nostris prorsus absimiles. Gignit etiamnum terra innumeras herbas & radices, quibus panem conficiunt & alia pulmenta. Semina sunt complura, uerùm nostris minime similia. Regio nullum fert metallum, præter aurũ: auri igitur ibi ingens est copia: licet nihil nobiscum attulerimus inde hoc primo itinere: nam de hac re certiores nos fecerunt indigenæ omnes, qui plagã hanc auro scatere affirmabãt, idq; apud eos minime in pretio esse, & ferè nullius momenti, identidem prædicabant: baccas margaritasq; complures habent, ut in superioribus commeminimus: quorum omnium si uellem singillatim meminisse ob innumeram multitudinem, multijugamq; naturã, surgeret in opus magnum hæc historia: nam Plinius uir absolutissimus, qui tantarum rerum texuit historiam, non tamen horum millesimam partem consequutus est: quæ si singula percensuisset, longe aliud opus effecisset, si ad magnitudinem spectes, alioquin absolutissimum: & id in primis admirationem præbet non mediocrem, psitacorum multijuga natura, colosq; multiplex & uarius, adeò ut Polycletus, uir in pictura tãtus, has auitiorum uarietates uix consequi potuisset. Arbores omnes inenarrabilem suauitatẽ fragrant, gummas, liquores & succos emittunt passim, quarum uirtus si nobis comperta foret, puto nihil nobis non solum ad uoluptatem, sed etiam ad sospitatem, bonam'que ualetudinem defuturum: & si qui est in orbe paradisus terrestris, non longe ab his regionibus haud dubie esse debet. Itaque ut sum præfatus, regio uergit ad meridiem tanta cœli temperie, ut nec hyeme algeant, B nec æstate exæstuent.

De syderibus poli arctici. CAP. CXIX.

COelum inibi & aera perraro nubes inumbrant, ferè semper serena sunt: rorat quandoq;, sed leniter: uapores sunt propè nulli: nec diutius rorat, quàm tribus uel quatuor horis, & instar nebulæ mox fatiscit: cœlum decentissime exornatur syderibus quibusdam, quæ sunt nobis incomperta, quorũ ego consignantissime memini, & percensui ferè uiginti tantę claritudinis, ut apud nos Venus & Iupiter. Perpendi etiamnum eorũ circuitus & uarios motus, metitusq; circumferentiam ac diametrũ non difficulter quũ geometriam non ignorarem: propterea pro comperto habui, maioris esse magnitudinis quàm autumẽt mortales: & in primis Canopos tres conspicatus sum: duos claros admodum, tertium obscurũ & dissimilem alijs. Polus antarcticus ursam maiorem nec minorẽ habet, sicuti est uidere in nostro arctico polo: nec eum contingunt sydera quæpiam clara. Quæ uero ipsum ambiunt tria sunt, quæ figuram præ se ferũt trianguli orthogoni, quorum id quod medio loco uisitur, nouem gradus & medium circumferentiæ habet: & ubi hæc exoriuntur, à læua conspicitur Canopus albicans eximiæ magnitudinis, quod ubi in medium cœli deuenerit, infrascriptam præsentat figuram.

*

* *

His succedunt tria alia præclara sydera, quorum medium habet diametrum circumferentiæ duodecim graduum cum dimidio, & in medio eorum alter Canopus cernitur albus. Hunc sequũtur sex alia conspicua sydera, quæ claritate cunctis octauæ sphæræ syderibus præstant, quorum medium in superficie firmamenti diametrum circumferentiæ habet graduum triginta

duorum: hæc astra concomitatur Canopus ingens, sed niger: quæ omnia cer nuntur in uia lactea: & ubi ad lineam peruenerint meridionalem, infrascriptam referunt figuram. A



De nonnullis illius hemisphærij, quæ philosophis repugnant.

CAPVT CXX.

ILlic itaq; conspicatus sum complura alia sydera, quorum motus multiplices adamussim obseruans librum edidi quendam consignantissime, in quo commemini fere omnium, quæ in hac mea nauigatione non obscura dignoscere quiui: & is apud hunc inuictissimum regem adhuc hospitatur, quē spero propediem ad suum dominum rediturum. In eo itaque hemisphærio non indiligenter quædam perpendi, quæ philosophorum sententiæ refragantur, utpote contraria, ac omnino pugnantia: inter cætera irim, id est arcum cœlestem album circiter noctem mediam: quoniam secundum opinionem quorundam colores trahit à quatuor elemētis, ab igne, uidelicet, rubeum, à terra prasinum, ab aëre lacteum, ab aqua cœruleum: sed longe aliter sensit Aristoteles in Metheoris, dicitq; irim esse repercussionem radij redundantis ad uaporem sibi oppositæ nubis, sicut splendor in aqua refulgens, in pariete refulget, rediēs ad ipsum sua interpositione feruorem solis temperat resolutione in pluuias, inferiora fœcundat, specie sua superiora pulchra reddit, dominiū humiditatis in aëre esse ostendit: unde infra quadraginta annos à mundi fine non apparebit, quod elementorum desiccationem indicabit: pacem inter deum & homines denunciat: semper ex opposito solis est: nunquam apparet in meridie, quia sol nunquā est in septentrione. Plinius tamen ait, quod post autumni æquinoctium apparet quacunque hora. Hæc excerpta sunt à Landino ex Aeneidos quarto ab interprete, ut nemo suis fraudetur laboribus, sed suus cuiq; reddatur honos: eum uidi rursus & iterum: neq; ego unus arcum huiusmodi animaduerti, uerùm complusculi è nautis huic sententiæ suffragantur meæ. Rursus uidimus neomeniam, id est nouam lunam, eadem die, qua cum sole coniungitur. Ibi etiam singulis noctibus uideas uapores & faces ardentissimas cœlo inerrare. Præfeci paulò suprà, si tibi succurrit, id hemisphærium, quod nisi loquamur improprie, hemisphæriū dici non posse, si nostro collatum fuerit: tamen quia nonnihil formam eius effingere uidetur, uisum est improprie loquendo hemisphærium id appellare.

Iris

B


De forma quartæ partis terræ nuperrime inuenta.

CAPVT CXXI.

IGitur ut sum præfatus, ex Vlisbona, unde nos soluimus, quæ distat ab æquinoctiali uersus septentrionem gradibus fere XL. nauigauimus usq; ad eam regionem, quæ est ultra æquinoctialem gradibus L. quos si simul colle geris, nonagenarium efficient numerū: qui quidem numerus quartam partē obtinet maximi circuli, iuxta ueram priscorū supputationē traditam nobis. Liquet igitur omnibus, nos quartam orbis partem metitos fuisse: propterea nos qui Vlisbonam incolimus, citra æquatorē gradibus propè quadraginta in regione septentrionali distamus ab eis, qui ultra ęquinoctialem lineam degunt, in meridionali longitudine angulariter gradibus nonaginta, id est, à linea transuersali: & ut etiam compertius rem intelligas, linea perpendicularis, quæ dum nos recto gradu consistimus, surgit à puncto cœli, & tendit ad nostrum Zenith, eademq; linea eorum qui ultra æquatorem sunt ad gradus quinquaginta, latera percutit: fitq; propterea ut nos in linea recta simus: ipsi

uero

A uero sint, si nobis conferantur, in transuersali: & is situs efficit figuram trianguli orthogoni, quarum linearum rectam nos tenemus, prout latius declarat subsequens figura: & de cosmographia satis superq; dictum arbitror.



Cur liber dictus sit dies tertius. CAP. CXXII.

HAec sunt itaq; quæ in hac ultima nauigatione scitu digna cẽsui, quæ etiã oculis subieci: nec ab re opus nuncupaui Diem tertium: quandoquidem prius edidi libros alios duos eius nauigatiõis, quã ex præcepto regis perfeci occidentẽ uersus, inq; eis cõplura scitu nõ indigna cõsignantissime sunt exarata, & ea in primis quę spectant ad gloriam nostri seruatoris, qui hanc orbis B machinã miro extruxit artificio: quis enim satis deo pro meritis deũ laudare possit, cuius mirabilia cõmemoraui in opere prædicto, legẽs cursim quæ spectant ad sitũ & cultũ orbis, ut dum latius otiũ dabit, exactius de geographia opus quodpiã edã, ut mei uel posteri meminerint, & ex hoc opere discerent uberius deũ maximũ colere indies magis, eaq; aliquãdo scirẽt, quę nostri ueteres prisciq; patres prorsus nesciuerũt. Propterea seruatorẽ nostrũ, cui propriũ est misereri mortalitatis, omnibus uotis precor supplicibus, ut sinat me tantisper uiuere, donec id peregerim quod mente cõcepi. At alios duos dies in aliud tẽpus differendos reor, quũ præsertim rediero sospes in patriã, eruditiorum opera & consilio, necnon amicorũ hortatu luculentius opus edam.

De excusatione Alberici & uoto eius. CAPVT CXXIII.

DAbis ueniã uir candidissime, si ultimæ nauigationis gloria ad te nondũ misi, sicuti pollicitus fuerã. In causa fuit rex serenissimus, qui adhuc domi meos libellos detinet: uerũ postq; distuli in hunc diẽ edere id opus, forte fortuna addam & quartũ diẽ. Hæsit mihi cordi rursum peragrare eam orbis partẽ, quæ spectat meridiẽ: & huic operi iam nauando in expedito sunt liburnicæ duæ, armamẽtis ac cõmeatibus ubertim cõmunitæ. Dum igitur proficiscar in orientẽ iter agens per meridiẽ, Noto uehar uento: quo quũ deuenero, plura abs me fient in decus & gloriã dei, necnõ patriæ emolumentũ, & mei nominis æternitatẽ, & in primis in senectutis meæ, quæ iam prope appetit, honorem & leuamen. Quare nihil desideramus in hac re præter cõmeatum regis: quo impetrato, pleno gradu contendam: quod deus bene uertat.

De his qui plura quærunt quàm liceat. CAP. CXXIIII.

FIdus interpres præsens opus Lusitano Italicum fecit, ut scirent qui Latium accolunt, quàm magna indies occurrunt, & item qui sibi nimiũ arrogant, intelligerent omnia se scire nõ posse: quandoquidem hęc mira tot uiris acerrimis ingenio, hucusq; à condito orbe incõperta fuere. Hinc arguitur temeritatis & superbiæ nostra arrogans natura, quæ scire posse putat omnia.

RERVM

RERVM MEMORABILIVM CALECHVT, QVAE NON SVNT ABSIMILES ILLIS QVAS Petrus Aliares secundo & altero tractatu scripsit, quę rursum colliquescunt ex literis quorundam nobilium uirorum, ut latius in sequentibus patebit.

Exemplum literarum cuiusdam Cretici dominorum Venctorum legati apud regem Lusitanorum die uigesimaseptima Iunij, M. D. I.

CAPVT CXXV.



SERENISSIME princeps, &c. Reor uestram dominatinem certiorē iam factam fuisse ab præstantissimo legato, rerum omnium memorabilium, quæ hic uisu euenerunt, & in primis de classe, quam nuperrime rex Lusitaniæ inuictissimus in Indiā expediuit, quæ superis miserantibus redijt, sed mulctata ratibus septē: nam eò cōcesserant liburnicæ quatuordecim, & septē tantū incolumes rediere, reliquis pessundatis. Igitur egregie princeps per latus Mauritanię ac Getulię Noto ducti, deuentū est ad Caput uiride, dictū olim Experias, ubi uisuntur Hesperidū insulæ: & ibi auspicatur Aethiopia inferior uersus orientē, ultra quā prisci minime iuere. Hinc egreditur latus Aethiopiæ uersus orientē, donec respondeat lineæ Sicilię, à dicto latere intra lineā æquatoris ad quinq; uel sex gradus: & circiter mediū dicti lateris uisitur aurifodina huius regis: postq; eam surgit caput ad Austrum, excedēs hyemalem tropicū per gradus nouē. Istud Caput dicitur Bonę spei: & illinc itur in nostras barbarias introrsus ad milliaria ferè quinq; millia uersus plagam nostram. Quum uero præterieris dictum Caput, mox regio se sinuat, donec ad Prasum deuenias promontorium, quod antiqui, & in primis Ptolemæus, pro termino meridionalis regionis posuit: ulteriorē uero plagā appellauit incognitam. Inde itur ad Trogloditas: aurifodina uisitur, quā appellant Zaphalam, ubi maiores nostri affirmant uim auri ingentissimā esse quàm alibi gentiū. Hic intrāt sinum barbaricū, & inde in oceanū deuenitur Indicum, & demum ad urbem Calechut. Id est eorum iter: quod si recte supputaueris, milliaria prope quindecim millia uastitate sua occupat, ubi secus litora itur. Si uero desertis litoribus recto itinere ibis, recessus terrarū & anfractus montium prætermittens, sed in altum tendens usquequaq;, longe minus iter erit quàm prædiximus. Supra Caput Bonæ spei Lebeccio uecti uento, nacti sunt nouā tellurem, quam appellarunt Psitacorū: quoniam inibi inueniūtur alites huiusmodi incredibilis proceritatis, utpote qui brachium & dimidium longitudine excedant, multijugi coloris: duos nos uidimus, qui fidem rei præbēt. Nautæ itaq; ubi conspexere latam plagam, credidere continentem: propterea adnauigarunt tantisper, donec terræ spatiū duûm millium milliariū superarūt, nec tamē finis est repertus tantæ uastitatis. Plagam incolunt uiri nudi & proceri, formosiq; admodū. In eo itinere amisere naues quatuor: duas ipsi miserant ad aurifodinam, quas autumant non reuersuras: septem uero concessere Calechut: ubi honorifice nostro pro congressu sunt excepti, ædesq; à principe consequuti sunt: & ibi nostræ naues statiuam fecerunt. Obiter superuenerunt Maurorum & circumadiacentium populorum rates, & cū primis magni Soldani liburnicæ: & hi omnes cōspirarūt in Christianos: quippe qui ægre ferebant Christianū genus usq; in illas partes propagari: iactabantq; eò nostros contendisse, ut illis lucra adimerent sua: propterea primo loco naues onerare cōtendebant, nostro negociatore reluctante, qui mox regi de Maurorū insolentia questus est, quem illico deprehendit Mauris fauere, tamē ut erat uir ambiguæ fidei, nostris respondit in hūc modum, se animo haud æquo laturum, ut Mauri prius mercimonia liceantur, quàm Christiani sua commercia absoluerint: & in huius rei specimen iubebat, ut Mauris, qui huius decreti præuaricatores comperti forent, mercimo-

Experias

Prasum

Psitaci

A

B

A nia omnia impune adimerētur, eaq; occupātib⁹ adiudicabat. Cōgressi igitur Christiani cum Mauris, illico tota urbs in partes Maurorū declinauit. Quare Christiani generis strages magna facta est, in qua supra quadraginta homines desiderati sunt Christiani nominis: inter quos oppetijt negotiorū nostrorū gestor: qui licet undabundo mari sese credidisset, correptus est tamen à barbaris, & uitam efflauit mœrore omniū. Hęc igitur ut nostris nota fuere, condicto tormenta omne genus exonerant, & classem præfecti Syriæ, id est Soldani, rogo consumpserunt: nam in ea erant naues decem, catapultis uero & bombardis urbem propè deuastarunt, complures domos incendētes, quę pro imbrice, instar mapalium, paleas habebant. Quamobrem illinc abiuere, & duce Iudæo, qui fidem Christi induerat, aliud regnum petiere ultra Calechut, ad milliaria ferè quadraginta, Cuchinum appellant: eius rex odit regē Calechut, quàm qui maximè. Is igitur in odium regis Calechut nostros perbenigne excepit: & hic maiorem habet aromatum copiam, quàm rex Calechut. Quare nostri tot diuitias inde asportarunt, ut uix id audeam referre: nam ipsi aiunt emisse illic cantarum, id est genus mensuræ non mediocris, cinamomi aureo uno. Rex igitur huius regionis legatos misit ad regem Lusitanum, duosq; obsides, ut securius eò nostri redirent. At rex Calechut interea ingentissimam classem expediuit in nostros: qui quoniam onustas habebant naues, illis congredi haudquaquam uoluere, sed altum petentes Borea ducti, quem uentum ipsi ignorant, euaserunt: erat enim pertimescenda classis: quippe quæ supra centum & quinquaginta naues habebat, ferebatq; hominum quindecim millia. Igitur quum euasissent discrimen, deuenerunt ad quandam insulam, ubi diui Thomæ corpus quiescit. Huius insulæ dominus Christianos honorificentissime excepit, & sancti corporis reliquias in specimen amicitiæ nostris dedit. Quid plura? aromata omne genus nostris, quos nunquam uiderat, absq; pecunia obtulit: solueret demum quum sibi peropportunum fuisset, & redijssent felicibus, ut aiunt, auibus. Verū nostri illius

B cōmercij non egebant, utpote qui onusti erant admodum. Abfuerunt in hoc itinere menses quatuordecim, uerùm trimestri rediere: & addebant deinceps celerius iter perficere posse, utpote qui iam recessus & ambages maris nouerant, utputa in decem mensibus iter se facturos rentur. Naues rediere omnes, præter unam, quæ illisa scopulis quibusdam pessum iuit, saluis tamen uiris quos uehebat: & ea capax erat sexcentorum doliorum, nondum tamen applicuit classis: una tantum liburnica portum appulit: reliquæ uero nō longè ab urbe esse censentur: hæc enim quæ nuperrime aduenit, portum attigit ea die quæ est diuo Ioanni percelebris admodum: agebam enim per id tempus apud serenissimū regem, qui me compellās his uerbis, inquit: Heus uir probe, cōgratulare mihi, quoniam mea classis iam est in uado, omni aromatum genere onusta: quod ego audiens, ut par erat, hæc noua læto animo excepi, & in gratiam regis iussi meis, ut festiuissimū quàm possent diem agerent, æris tinnitu & cymbalorū, tibicinumq;, ut assolet, modulationibus, & tormentorū reboatu frequentiore. Postridie actæ sunt gratiæ deo, & nuncupata uota à cuncto populo. Rursus regē adiui, qui ut me uidit, monuit protinus ut uestram serenitatem commonefacerem de sua lætitia, quæ per id tempus obtigerat: adiecitq; ad hæc, ut deinceps tuto & intrepide eò mitteretis uestras liburnicas, mercaturi sua aromata: nam pollicebatur se uestros perquàm benigne accepturum, adeò ut domi esse censerentur. Addebat etiam se nauaturū operam, ut præfectus Syriæ, id est Soldanus, haudquaquā aromata ex India comportare queat: in cuius rei euidens argumentum expedire cœpit liburnicas & celoces supra quadraginta, quæ eò contendant, & earum quædam inibi iugiter commorentur: alię uero ultro citroq; commercij gratia commeent assidue: nec dubitat quin India pro arbitratu suo potiri possit. Nauis quæ iam aduenit, est Bartholomæi cuiusdam Thusci, quē tulit urbs Florentia. Ea igitur infrascripta conuexit mercimonia, uidelicet piperis cantaros CCC. cinamomi

namomi cantaros CXX. lachæ cantaros LX. castorei, & id genus odorũ cantaros XV. Gariophyllum & zinziber non attulere, quoniam præuenti sunt à Mauris, qui & gariophyllum & zinziber asportauerant: neq; hæc fert regio Calechut, aliunde importantur. Minutiora aromata non tulere. At margaritas & uniones omne genus licitati quidem fuerant, uerũ in congressu incolarum Calechut omnia perdidere, fecereq; hominum pariter ac mercium nõ modicam iacturã. Nec id inuoluã silentio, nuperrime huc aduenisse legatos quosdã, qui à rege Vbene Aethiope accepta persona, consalutatũ nostrũ regem uenere, onusti muneribus complusculis. Munera fuere mancipia & elephantorũ dentes, & complura alia, quæ & nostra regio fert. Hæc itaq; celox quæ primo loco aduenit, dum patriam peteret obuiam habuit naues duas, quæ proficiscebantur ex mina auri noua, & uersus Indiã pergebãt. Hę igitur ubi nostrã conspicatæ sunt, rati se fore nostrorũ prædam, condicto, ut sese redimerent nostris auri XV.M. quingentorũ ducatorũ obtulerunt: uerũ nostri temperarunt ab eorũ auro, immo eos complusculis donarunt muneribus, ut hac prouocati liberalitate, liberum pelagus nostris deinceps permitterent.

EXEMPLVM QVARVNDAM LITERARVM NEGOTIATOrum & collybistarũ, ac trapezitarum Hispaniæ, ad correspõsales suos in urbe Florentiæ & Venetiarum, de pace & fœdere inter reges Portugalliæ & Calechut. CAPVT CXXVI.

EX relatu eorum qui classem concomitati sunt: eam, inquã, quæ M.D.II. mense Maij ab Vlisbona soluit, & anno M.D.III. die XV. Decembris rediit, certiores facti sumus, regem Calechut cum nostro rege in hæc fœdera pacis descẽdisse, ut uidelicet pro illata strage nostris pẽderet baccharas quatuor mille piperis, id est cantara duodecim millia, & quòd Mauri undequaq; aduenientes inibi commercia tractare nequeant, oriundis ex urbe Calechut exceptis, quodq; ijdem Mecham Mahumetis adire non possint, & quòd rex noster pro suo arbitratu erigere possit arcem in urbe Calechut, acceptis à rege lapidibus, calce & lignis, quæ sufficiant condendæ arci, ære pro eis prius soluto: ita tamen ut rex eis faueat in cunctis, patiaturq; regem nostrum inibi uirum Lusitanũ nostris præficere qui ius dicat, quiq; & uitæ & necis nostrorum habeat potestatem, adeò ut nec ad ipsum regem prouocare liceat, & ubi aliqui desciscerẽt à negotiatore nostro, ij protinus dedantur plectendi pro arbitrio præfecti Christianorum: & si qui Mauri capti detineantur, hi omnes negotiatori nostro reddantur: necnon Mediolanenses duo mangones gemmarũ, qui ex urbe Roma profecti sunt in Indiam, & ibi artẽ balistariam exercent, in Christiani nominis dedecus & detrimentum ingens, nauesq; nostro more fabricãtur: hos igitur in pedicis ferreis captos, postulabat dandos præfecto classis. Præterea quòd rex regni Cuchini & Canoræ inter cõfœderatos percenseretur, ea lege, ut unum & commune periculum, una salus esset omnibus: perinde ut si quispiam sumeret contra eorum aliquem arma, is omnium cõfœderatorum hostis declararetur: & si usu euenisset, ut aliquis desciscerer ab hac pace & cõcordia, in eum ueluti perfidum aliorum uires exercerẽtur, essetq; ab omnibus tanquam proditor, & fidei hostis explosus: & hæc omnia eo tendebant, ut diutius pax inter eos uigeret. Cauebatur etiam, ut dum classis Lusitanorum inibi agebat, illò naues cuiusuis generis non accederẽt, nisi prius nostris onustis. Vbi uero tantum mercium foret, quod sufficeret, omnibus, tunc liberum erat unicuiq; naues onerare: ita tamen, ut ad consueta pretia nõ adderent, id est, ut pluris solito non uendant, quàm pro centum octo: quod genus fœnoris illic exercent. Hæ sunt pacis conditiones & fœdera, quę in nostri regis decus maximũ susceptæ sunt, ut colliquescit omnibus: nã reuera iam is noster rex non ab re dici potest dominus Indiæ. Quin iam & Turchæ, & Syriæ præfecto leges imposuit: adeò ut ad urbẽ Calechut eis non pateat aditus. Nec ambigimus quin intra quatuor annos rex noster na-

uet

A uet operam, ut nostri nautæ tutò & impune Byzantium Thracum metropolim, & Alexandriam Aegypti, emporia orientaliũ clarissima contendant, & tandem se aliquando ulciscantur de Mauris, à quibus crebro pessime sunt accepti. Classis igitur præfectus nauium duodecim hoc anno eò profectus est, & comperit regem Cuchini extorrem à suo regno: nam secesserat in quandam insulam, ubi in locum editum receptus delitescebat ab insidijs regis Calechut. Causam non afferebant aliam, nisi quòd memor datæ fidei sæuienti regi Calechut nostros haudquaquam tradere uoluerat: nam maluit exulem agere quàm fidem labefactare præstitam. Opportune igitur nostra classis suppetias tulit socio regi, & expeditis auxiliaribus copijs iuere intrepidi in regem perfidum, magnam cladem inferentes hosti. Regem Cuchini in regnũ continuo restituunt. Id regnum est non longe ab angustijs maris Erythræi, ubi arcem erigunt munitissimam: aliam ędificant in ostio sinus Cuchini, ubi tormentorum fere genera omnia iam uisuntur, eisq; decernunt hostem propulsare eminus, & tutam classi stationem præbere suæ: neque eò illis reluctantibus deinceps concedet quispiam. Itidem fiet in sinu Calechut, perinde ut stationem & litora proximiora non difficulter tueri queant. Naues uero quæ superiore anno remanserant istic, prædam fecerant non mediocrē: nam quadam die mane ceperunt Maurorum naues quinq; regni Cambaïæ, quæ ad Mecham, Mahumetis aram, proficiscebantur. In eis igitur nacti sumus gariophylli cantaros mille defecati, id est mundi, sine quisquilijs, inq; eis erat plurimum gariophylli haud decorticati, ut apud nos uisitur. Ferebant etiam hæ naues castoreum, & id genus odores, sandalium, ambram, lacham purissimam, & tenuissimas telas lini: aurum uero & argentum signatum abunde habebant, adeò ut opes quæ compertæ sunt ibi, ualorem C C. mille ducatorum excederent. Quare iam uobis testatum esse remur, quanti sit habenda ea regio, quæ fere omnibus rebus scatet effuse. Itaque ex his ratibus

B quas præfecimus, duæ pessum iere: duæ uero dum statiuam agerent, iactis ancoris in quodam portu huius insulæ, ui tempestatis actę, supra sexcentum homines amisere nõ longe ab ostio maris Erythræi. Occubuit etiam ibi præfectus Vincentius. Cymba uero alia, quæ licet atrocem tempestatem euasisset, paulum profecta in scopulum elisa, pessundata est, adeò ut totum æquor tum corporibus humanis, tum uel maxime mercimonijs omnifariam stratum & oppletum foret. Hunc finem quandoque male parta habent, ut est in adagio ueteri: Male partum male finitur. Ex tot nauibus igitur sola celox parua superstes fuit, ut cladis suorum nuncia foret. Noueritis ergo hunc nostrum regem commeatum omnibus dedisse eundi in Indiam, & exercendi inibi commercia: si tamen ex centenario lucro quadragenarium ipse habeat, hoc addito, ut ab eo naues emant non minoris, quanti sibi constitisse uidebuntur: nec nauium huiusmodi solutionem tantisper differri patitur donec redierint, sed priusquam abeant, aurum innumerato habere operæpretium est. Visus est is princeps cognouisse iacturam quam fecit in tot naufragijs, propterea cupit alios suo periculo eò proficisci. Vix credimus repperturum regem quempiam, qui oblatas suscipiat conditiones: indies tamē huius rei certiores uos reddam. Illud etiam non pręteribo, huius commercij res haudquaquam stabiles esse: quicquid erit, euentus declarabit futurus. Cum his nauibus portũ appulit Lusitanus quidam, qui uisit minam auri in regno Zaphalæ: de qua re mira refert. Asseuerat nobis ibi nauem Christianorum adhuc esse, & propè incredibilia de auri quantitate, quæ inibi reperitur refert. Propterea rex noster aliò nõ tendit, nisi ut frenet hos barbaros, arcemq; ibi erigat munitissimam, ac propulset Indos, & eos qui incolunt regnum Cambaiæ, ne ipsi deinceps mina potiri possint. Omnem igitur aurifodinam sibi protinus arrogabit. Pro comperto etiam habemus, hanc aurifodinam fuisse minam Salomonis, unde tot hausit thesauros: & ibi regina Saba, quæ iuit ad Salomonem, ut testatur sacra uetus historia. Hæc profecto sunt ma-

gna, ut uos nō latet. Nec ab re hic rex dicēdus est felix & bene auspicatus, cui contigit tam locuples thesaurus. Rentur igitur homines se mox consecuturos ab eo commeatum eundi in Indiam, soluto fœnore, uidelicet, pro centenario quadragenarium, acceptis suis nauibus, ut præfati sumus. Hunc modū uidetur uelle seruare, ut mercatores eò mittant suos gestorum negociatores, qui intersint mercimonijs, non tamen præsint: uult esse dominus rerum, adeò ut omnia sui exerceant, etiam impensa mercatorum: nam aromata suscipienda erunt de manibus Viceregis, nec liberum erit cuiq; mercari. Quare creditur commercium huiusmodi non suscepturum incrementa maiora. Indies tamen de his omnibus uos cōmonefaciam. Nec uos fugit nos alias uobis scripsisse, Cayrum ob hanc caussam decoxisse: nam ex magno orientalium emporio, si hæc succedunt regi, fiet ciuitas confusa, ut non ab re dicatur Babylon, neq; iniuria: nam illic Mauri consueuerant Christianos pessime accipere: forte erratorum dabunt pœnas. Eò igitur deinceps non comportabuntur aromata omne genus, neq; omnifariam gemmæ & margaritæ, & alia præclara complura: quoniam urbem Calechut, neq; Zaphalam ultra non frequentabunt, reluctantibus Lusitanis ob arces nuperrime erectas, & de omnibus certiores facti, gratias agetis deo maximo. De aurifodina uero Zaphalæ, ut præfecimus, mira hic feruntur. Huius rex possessor efficietur intra bienniū. Res est profecto digna miratu: nam tota India & Persis inde suum aurū hauriebat, quæ nunc à gentilibus possidetur: licet sit ditionis Chaldæorum regis ostium sinus, ubi commercia & permutationes fiunt cum gentilibus: singulis enim annis Maurorum naues ueniunt onustæ uilioribus mercibus ex Cambaia, ut aurum asportent. Merces sunt cotoni, panni uiliores, sericū plurifariam ac multijugi coloris, & in primis Turcharum more cōtextum. Hæc igitur sunt mercimonia, quæ inibi fiunt. Neq; illic rex Chiloæ diutius commorabitur metu gentilium, qui non longe degunt ad leucas sexaginta in insula quæ dicitur Chiloa: & eò contendunt naues omnes, ut soluant uectigal priusquam eant ad minam Zaphalæ. Quò quum perueniunt, ante sex uel octo menses nō expediuntur. Inde comportant aurum, ebur, & ceram merces optimas. Illinc soluentes Chiloam contendunt, & ibi rursus pendunt præstinati auri uectigal. Inde concedunt Cambaiam siue Mecham: & in nostris nauibus sunt duodecim aut quindecim negociatores regis Chiloæ, qui tributum pendit nostro regi quotannis, id est, mitigallas M.D. & id est genus ponderis: nam mitigal quodlibet ualoris est ducatorum centum quinquaginta: tamen is rex pendet à rege nostro, adeò ut in manu sua sit ipsum pro libito profligare, & id quidem parua manu: nam quotiens libuerit eò mille hominū mittere, protinus is rex terga dabit: crediturq; ut id breui eueniat: nec res foret ardua, si profligato rege, redditus D.C.M. ducatorum singulo anno consequeretur. Neq; arbitremini, uos rogo, hanc esse fabulam: uera est historia. Iam nosse debetis, me iampridem de nouis rebus crebro uos commonefecisse, & semper uera loquutum. Non sum is qui delecter mēdacijs: relatu etiam aliorum, qui inde ueniunt, testatissimum uobis fiet, me haud ficta, neq; commentitia scripsisse. Si uero apud uos bene supputaueritis, quid ferre possint naues, quas expectamus in dies: cōperietis certe eas ferre posse cantaros circiter ducentos uiginti duos aromatum omnifariam. Nam deinceps istuc mittam aromata omne genus, nauaboq; operam, ut nusquam uobis desint, postquam fœdus initum est cum rege Calechut: licet non paruum discrimen illò nauigantibus immineat ob quoddā archipelagus, in quo innatāt insulę prope quatuordecim mille, & etiam ob angustias cuiusdam freti, ubi mare uix est nauigiorum patiens: tamen tantum conabimur, quod pericula consuetudine & frequentia efficiemus innoxia: ut quandoq; gloriari possimus, ferè totum orbem peragrauisse, & ea præsertim, quæ prisci minime adiuere. Solum superest ut Taprobanam adeamus insulam, teste Plinio omnium rerum locupletissimam, si aurum, si gemmas, si ebora spectaueris: tantumq; nostra opera

Margin notes: A (beside line 1); B (beside "priusquam eant ad minam"); Mitigal (beside "tum pendit nostro regi")

& so-

A & solicitudine fiet, ut omnis India mercimonijs nostris pateat. Illic, ut scribunt nostri, non magni penduntur nostræ merces. Monent propterea ipsi, ut eò mittamus cruciferos aureos, si breuem cupiamus expeditionem nostrarũ rerum: quoniam aliæ merces diutius manent in portu, procrastinantibus ex cõposito Indis, ut tandem fatigatis impensa & diuturniore expectatione nostris, minore pretio nostra consequantur. Eius sunt ingenij, ut quandoq; sunt Itali, qui simulant mercium non egere, ut demum uiliore pretio præstinent. Ibi etiam caripendunt æra, alumina alba, nõ rubea, & in primis grandia: minutiora uero spernunt. Corallium autem nõ floccipendunt, si sit magnum & fabrefactum: alioquin nullius est apud eos pretij. Habent ij populi uices contrarias cum Alexandrinis, adeò ut si illi minuta quærãt, hi proceriora, & uersa uice. Plumbum non uilipenditur ibi, si instar lateris sit conflatum. Argentum uiuum & ambra nihili penditur. Ibi ęra fabrefacta minore pretio licitantur: quoniam rursus suo more ea conflant, uoluntq; nos in cõflando operam lusisse: non eo utuntur ut nos. Hæc igitur summa erit: alias merces, exceptis memoratis, ibi nullius esse pensi, lucriq; perquam mediocris.

EXEMPLUM QUARUNDAM LITERARUM PETRI PASqualigi oratoris dominorum Venetorum apud serenissimum & inuictissimum Portugalliæ regem, ad suos germanos in Ulisbona commorantes, die decima nona Octobris, M. D. I.

CAPUT CXXVII.



RAESTANTISSIMI fratres tanquam patres honorandi, salutem. Petro cuidam Verzo tabellario, & nonnullis Valentinis ad uos literas dedimus superioribus diebus, quibus uos certiores reddidimus omnium quæ hic usu eueniunt. Nunc autem rursum uisum est uos per Bartholomæum Marchionem auunculũ B Dominici Benedicti Florentinum commonefacere de rebus nostris, ut intelligatis nobis cordi hæsisse, ad uos quamcreberrime literas dare, modo tabellarij habeantur. Ut igitur noua anni præsentis intelligatis, scitote hic esse eam triremem, quam superiore anno rex Portugalliæ serenissimus expediuerat uersus Aquilonem, præfecto Gaspare Corterato, qui nobis refert continentem inuenisse, distantem ad milliaria duo millia, inter Corum & Fauonium, hactenus toti penè orbi incompertam terram, cuius latus aiunt ad milliaria propè octingenta percurrisse: nec tamen finis compertus est quispiam: ideo credunt continentem, non insulam esse: regioq; uidetur esse coniuncta cuidam plagæ, alias à nostris peragratę, quasi sub ipso septentrione: eò usque celox tamen non peruenit ob congelatum æquor, & ingruentes cœlo niues: argumento sunt tot flumina, quæ ab illis montibus deriuantur, quod, uidelicet, ibi magna uis niuium existat: arguunt propterea insulam non posse tot flumina emittere. Aiunt præterea terram esse eximie cultam. Domos subeunt ligneas, quas cooperiunt pellibus ac corijs piscium. Huc adduxerunt uiros septem sexus utriusq;. In celoce uero altera, quam præstolamur in horas, aduehuntur quinquaginta illius regionis incolę. Hi si proceritatem corporis, si colorem, si habitudinem, si habitum spectes, Cinganis non sunt absimiles. Pellibus piscium uestiuntur & lutrarum, & eorum in primis, qui instar uulpium pilosas habent pelles, eisq; utuntur hyeme, pilo ad carnes uerso, ut nos: at æstate ritu contrario: neq; eas consuunt aut cõcinnant quouis modo, uerum uti fert ipsa bellua, eo modo utuntur: eis armos & brachia præcipue tegunt. Inguina uero fune ligant multiplici, confecto ex piscium neruis. Videntur propterea syluestres homines, non sunt tamen inuerecundi: & corpora habent habilissima, si brachia, si armos, si crura respexeris, ad symmetriam sunt omnia. Faciem stigmate compungunt, inuruntq; notis multijugis instar Indorum, sex uel octo stigmatibus, prout libuerit. Hunc morẽ sola uoluptas moderatur. Loquuntur quidem, sed haud intelliguntur, licet adhibiti fuerint

fere omnium linguarũ interpretes. Eorum plaga caret prorsus ferro: gladios tamen habent, sed ex acuminato lapide. Pari modo cuspidant sagittas, quæ nostris sunt acuminatiores. Nostri inde attulerunt ensis confracti partem inauratam, quæ Italiæ ritu fabrefacta uidebatur. Quidam puer illic duos orbes argenteos auribus appensos circumferebat, qui haud dubie cælati more nostro uisebantur, cælaturam Venetam in primis præ se ferẽtes. Quibus rebus non difficulter adducimur, cõtinentem esse potius quàm insulam: quia si eò naues aliquando applicuissent, de ea cõperti aliquid habuissemus. Piscibus scatet regio, salmonibus, uidelicet, & alecibus, & id genus cõpluribus. Syluas habent omnifariam, perinde ut omni lignorum genere abundet regio. Propterea naues fabricant, antemnas, & malos, transtra, & reliqua quæ pertinent ad nauigia. Ob id hic noster rex serenissimus instituit inde multum emolumenti sumere, tum ob ligna frequẽtia pluribus rebus haud inepta, tum uel maxime ob hominum genus laboribus assuetum, quibus ad uaria eis uti quibit. Quandoquidem suapte natura hi uiri nati sunt ad labores, suntq; meliora mancipia quàm uiderim unquam. Visum est propterea non fore ab amicitia nostra deuium, si hæc uos non celarem. Vbi uero alia celox, quę expectatur indies, aduenerit, mox aliarum rerum certiores uos reddam. Naues uero, quæ contendunt ad urbem Calechut expediuntur. Neq; id præteribo, regi hæsisse cordi, ut tota classis, quæ proficisci in Orientem consueuit, ea primo Mechæ classem corripiat, ut tandẽ Soldano Syriæ præfecto aditus illuc non pateat, nec inde deinceps aromata exportet: & huic rei rex unice studet, persuadetq; sibi, nihil posse obstare, quin potiatur uotis huiusmodi. Assentitur tota curia, urbs & regnum omne cum eo conspirant: quoniam si sibi succedet, mirum dictu est, quàm breui omnium locupletissimus sit euasurus in tanta rerum copia & ubertate, & in primis aduẽtantibus Venetis biremibus & triremibus, ut hinc asportent mercimonia. Igitur pro cõperto habetur, nõ posse nisi maxime lucrari, Venetorum celocibus huc accedentibus, & id in manu habere sibi persuadet. Tædet propterea ipsum moræ, quoniam desiderio etiam ipsa celeritas est in mora. Peroptat igitur, & perquam ardẽtissime insistit rex serenissimus, ut uoto frui queat suo. Ob quam rem uereor plurimum, ut ab hac sententia, quæ cordi inhæsit, uix possit dimoueri: nec facile adducetur, ut in rebus orientalibus nobis adsit, quum sit huic expeditioni prorsus addictus. Nos uero qui anno elapso prouinciam sustinuimus à nemine adiuti, neq; ære ecclesiastico, sed solum nostris opibus, uix, ni faueat ipse, nobis bene consultum ibit. Valete.

EXEMPLVM QVARVNDAM LITERARVM FRANCISCI de Sagitta Cremonensis, datarum Vlisbonæ decimasexta Septembris, M. D. II. directarum ad oratorem Venetum Petrum Pasqualigum, apud reges Castiliæ agentem. CAP. CXXVIII.

PRæstantissime orator, & domine obseruandissime, iam binis meis literis pollicitus sum iampridem uestræ præstantiæ, me haudquaquam prætermissurum, quin certiores redderemini earum mercium, quas ferrent quatuor celoces, quæ indies expectantur. Nunc uero, quoniam portum applicuerũt, uisum est uos latius de rebus huiusmodi commonefacere: & res ueras solum denarrabo. Igitur hæc sunt mercimonia quæ attulerunt. Primo piperis cantaros mille, cinamomi cantaros quadringẽtos quinquaginta, zinziberis cantaros circiter quinquaginta, lachæ cantaros quinquaginta, cotonorũ tantũ, quantum emeremus ducatis quadringentis. Alia non attulerunt. Quur uero non attulerint plura aromata, causam adducũt, quòd uidelicet quum hinc soluissent, conuenit inter eos, ut duæ celoces ad minam auri proficiscerent: duæ uero aliæ ad urbẽ Calechut: propterea unusquisq; eas merces comportauit, quas arbitrabatur inibi quò cõtendebat, fore in pretio. Quũ uero dictæ naues cõtendissent ad urbẽ Calechut, nec quiuissent accedere ad minã auri,

merces

A merces expedire nõ potuerunt, licet uaria loca adiuerint. Nam fuere Canoræ, & ibi certiores facti sunt de rebus Petri Aliaris, qui agebat in urbe Cuchina, ubi etiam erat regis negotiator. Igitur ab rege Canorę excepti sunt honorifice, qui nostro præfecto aromata omne genus ultroneus obtulit. Huic noster præfectus benigne respondit, uidelicet, se prius uelle adire regem Cuchini, ubi regis negotiator erat: demũ se reuersurũ ad eum, & præstinaturũ aromata perquam libenter. Itaq; illinc soluens cõtendit Cuchinũ, ubi comperit regis negotiatorẽ, cum quo egit plura. Quum uero naues signatã pecuniam non tulissent, sed solum merces, quæ inibi parui pendebantur (nam ea regio appetens est signatæ pecuniæ admodum, mercium uero fere nihil) decreuit propterea præfectus classis redire ad urbem Canoræ. Eò ergo concessit quã primũ: eius enim rex Lusitanos colit ꝙ qui maxime: propterea cum eo permutarunt merces, quas aduehebant meliore pretio, datis pro suis mercibus aromatibus, dimissis illic tribus è nostris uiris, qui commercia nostra exercerent: negotiatorẽ nauis & amanuensem dimiserunt, qui omnibus præessent mercimonijs, quiq; indies regi persoluerent pecuniam pro creditis aromatibus. Itaq; naues illinc soluerunt onustæ omni aromatũ genere, relictis illic uiris, ut dictũ est, tribus, ne uiderentur regi imposuisse, qui sua eis dederat aromata absq; uade & pignore. Rediere tandem naues semionustæ, ob id quod nõ tulerant secum signatam pecuniam, & merces comportauerant tales, quę illic minime sunt in pretio: propterea uisi sunt operã lusisse suo periculo. Hęc ergo summa est, Indos nõ cupere nostras merces, sed signatũ aurũ uel argentum, quibus ipsi utuntur eximie: nam ibi pecunia ubertim expenditur, cuius hoc regnũ maxime eget. Nequibit propterea rex absq; pecunia, quæ fere est omnium neruus, uoto potiri suo, nisi forte ui credat exercere cum Indis commercia, & sua gratis consequi posse. Quoniam aiunt his elapsis diebus eos reges metu nominis Christiani absq; pretio dedisse tot mercimonia Admi-

B ranti nostro, qui iam istuc concesserat, ut quatuor naues gratis onerauerit, & in primis rex Calechut, cui ab ariolis suis prædictũ fuerat, ut caueret sequenti anno: quoniã astra illi magnam hominũ stragem minitabantur: & eam accipiendam à Christianis hariolabantur, addebantq; diuini, eum eodem anno regnũ metu & pauore deserturũ. Hæc noua habemus ab illis tribus uiris, qui in eo congressu barbarorum, quo oppetijt Araschorea, mortẽ euaserunt. Eadem retulit Pergamensis quidam, qui apud urbem Calechut annis uigintiquinq; egit. His adstipulatur Valentinus alius, qui inibi sex annis commoratus est. Hi sunt ergo, qui de his rebus certiorem fecerunt regem. Quod uero falsa sint, uel ne, sicuti dederunt ita accepimus. Rex itaq; Calechut magnã classem expediuit in nostros, qui apud Canoram agebant: uerũ illi fuga sibi consuluere, uela uentis protinus dantes. Propterea rex noster proximo mense Ianuarij decreuit nouam expedire classem, uidelicet octo uel decẽ naues onerarias: in cuius rei argumentum iam sunt fabrefactæ naues septem: duas enim hac æstate expediuit, quarũ una est capax septingentorum doliorum: altera uero quingẽtorum. Est & alia in portu Vlisbonæ, quæ est capax quadringentarum & quinquaginta amphorarum. Duæ aliæ fiunt in insula Mederæ: quarum altera capit dolia ter centum & quinquaginta: altera uero ducenta & triginta: alia expeditur in Setunal, quæ supra centum & sexaginta dolia capit. Hæ igitur naues senarium implent numerum. Insuper his addit aliam triremem, quæ ex Chio Ianuensi insula & profugio nuperrime aduenit: & has omnes, præter duas, rex sua impensa expediet. Duas uero, quarũ altera est capax quadringentorum, & quinquaginta doliorum: altera ter centum & quinquaginta, negotiatores quidam conuenere cum rege, ut sua impensa communiant, his pactis & legibus, quod uidelicet rex negotiatores huiusmodi ueluti stipendiatos, & sub eo merentes alat in his omnibus quibus egent nautæ. Negociatores uero tantum signatæ pecunię in nauibus secum aduehant, quæ emundis illic mercimonijs faciat satis: & ubi redierint

naues,dimidium mercium dent regi,reliquum uero sibi uendicent. Et ut dilucidius intelligatis:negociatores pro cantaris duobus aromatum non plus exponunt quàm aureos septem, uel ad summum octo: & hos cantaros bifariam diuidunt,alterum regi,sibi alterum,expensis,ut dictum est,regis:& iam compertum habemus,conducibilius nobis fore,hoc modo commercia exercere,quàm nostro periculo illuc cōtendere,ut hactenus egimus. Fit propterea,ut non difficulter rex nanciscatur,qui conditionē huiusmodi non renuūt. Nos duarum prædictarum nauium hoc modo portionem habuimus. De futuris uero,quæ forte eò cōcedent,bene perspiciat deus ipse maximus,qui est omnium autor. Video me prouectum nimis, & quasi epistolarem stylum egressum: uerum rapuit me charitatis & amicitiæ Fauonius: nolui enim aliquid uos latere. Scio quidem de alijs meis uos commonefecisse, sed non ad regulam,de his quæ usu euenerant:non enim comperta tunc mihi erant cuncta. Me igitur commendo, oroq; ut si forte fortuna uobis nostra fuerit opus opera,ea uelitis uti æque ac uestra:non enim sum unquam defuturus, quin uobis morem geram, dum spiritus hos reget artus. Valete. Datum Vlisbonæ,die XXVI. Septembris, M. D. II.

QVOMODO IOSEPHVS INDVS VENIT VLISBONAM, ET EXCEPTVS A' REGE honorifice,contendit Romam & Venetias,à nostris sociatus. CAP. CXXIX.



VVM igitur aliàs suis celocibus & liburnicis rex noster regiones australissimas peragrauisset, dum eà iret in Indiam hærendo suorū sententiæ,qui easdem partes retroactis temporibus lustrauerāt,decreuit eo anno, qui est in ordine M. D. rex Emanuel memoratus rursum eò mittere clasē XII. nauium, cui præfecit Petrū Aliares,qui suscepto de manu præfecti sui trophæo,octauo mensis Martij, eius anni, soluit Vlisbona,qui inter nauigandū innumeras passus est anxietates & discrimina. Tandem annuentibus superis XIII. Septembris,eiusdem anni, deueniunt ad urbem Calechut cum septem tantū celocibus: nam ex classe perierant quatuor,obrutæ tempestatibus sæuissimis:alia uero Zaphalam concesserat. B Steterunt igitur in portu urbis Calechut mensibus ferè tribus:& demū orta inter nostros & urbis incolas controuersia, occisisq; hinc inde hominibus nonnullis, nostræ celoces Cuchinū profectæ sunt uigesimaquarta Nouembris,anni supradicti:nam Cuchinū distat ab urbe Calechut milliaribus ferè centū & decem. Id regnū mari adiacet,cui dominatur rex gentilis, eius sectæ cuius est rex Calechut. Is igitur rex Cuchini nostras celoces perbenigne excepit,& dum illic cōmoramur cōmercia exercentes, uti in superioribus retulimus libro 5.cap.78.duo germani fratres Indi Christianiq; uenerunt ex urbe quadam dicta Caranganora,quę abest ab urbe Cuchina milliaribus ferè uiginti,qui aiebant se in uotis gerere plurimum, ut occidentalem uiserent plagam: supra autem uota gerere,ut Romam, & demum sanctam ciuitatem Hierusalem inuiseret: qui nostras celoces ingressi,nobiscum ultronei ibant:& ecce per id tempus ingens classis soluit ab urbe Calechut,ut nostrā classem pessime acciperet: quod ut nobis compertum fuit,mox uela uentis dedimus altum petentes,euntibus nobiscum dictis fratribus,& nōnullis obsidibus,qui loco & cōpensatione nostrorū dati fuerant,eorum, inquam, qui in urbe Cuchina negotiaturi remanserant. His igitur conspectis uersus Vlisbonam iter cepimus. Ex his uero fratribus Indis, quorum iam memini, alter uiuit,alter uero uita functus est,dum in Lusitaniam proficisceremur. Tandē aliquando mense Iunij M.D.I. Vlisbonā deuenimus: quò ubi applicuimus, dictus Ioseph commeatu à rege habito socioq;, Romam, & demum Venetias

A tias contendit, & rursum rediit Vlisbonam: & per id tempus complura scitu non indigna accepimus, referente eodem Ioseph Indo, quorum latius meminisse animus est in sequentibus.

De patria Ioseph, & habitudine corporis. CAP. CXXX.

IGitur Ioseph prædictus natione Indus, patria Caraganorensis, annū agens quadragesimum, coloris subcinericij, staturę fuit mediæ, hoc est, inter prociores & breues medius: id asseuerant, qui sæpenumero hominem contemplati sunt. Vir erat ingenio non mediocri, uerax admodum, utpote qui nihil magis oderat quàm mendacia: uirq; abstemius, & integritatis non uulgaris: & reuera quantum colligere ex eius consuetudine quiuimus: uir erat nō pœnitendus, & in primis fidei inconcussæ illibatæq;. Vrbs igitur, unde oriundus est uir memoratus, abest ab urbe Calechut ferè milliaribus nonaginta, quæ est in sinu quodam dicto Milibar, introrsus terras ad quintumdecimū lapidem: muro haud ambitur: longitudine uero milliarium triginta: quoniam domus ut apud nos haudquaq; sunt contiguæ, sed inuicem distant, adeò ut uideantur uicatim habitare: eamq; interfluunt complura flumina: & plerūq; eorum ædes adiacent fluminibus. Hanc urbem incolit hominum duplex genus, alterum Christianorū, gentilium alterum. Et ut uobis cunctisq; collique scat qui sint gentiles, scitote itaq; eos esse populos, qui olim pro dijs colebant idola, necnon animalia multijuga, uti in sequentibus denarrabitur. Rex eorum seruit idolis. Inibi etiam sunt complures Iudæi, uerū uilipenduntur plurimum: eò etiamnum contendunt negotiatores ferè innumeri cōmercij causa, ut sunt Syri, Aegypti, Persæ, Arabes, Medi, & id genus complusculi: quoniam illic comportantur ferè omnia aromatum genera, fertq; plaga huiusmodi multa humano generi non ingrata.

De incolis urbis Caranganoræ, deq; eorum delubris & moribus.
CAPVT CXXXI.

B VRbs trifariā diuiditur. Primores, id est, patritij, ac primæ classis uiri: sua lingua Naires dicuntur. Secundo loco, homines census ferè nullius, ut proletarij, succedunt, ut sunt apud nos gregarij; Canes suo idiomate appellantur. Postremo tertiam partem absoluunt capite censi, uiri nullius census & classis postremæ: hi piscatu uictum quæritant, suntq; deteriores cæteris, Nuiram eorum lingua appellantur: hos adeò odit nobilitas, ut si forte eos obuios habuerit, ni fuga sibi condicto consulant, pessime accipiat. Priuę tribus priua habent delubra. Mulieres uero alia templa habent, quæ non adeunt uiri. Dant deo bonorum suorū, loco primitiarum, fruges multijugas. Adorant deum cœli, eumq; trinum credunt: propterea trifrontem pingunt in statuis complicatis manibus, Tambram nuncupant. Ante eorum statuas trahuntur plagæ, nos cortinas appellamus, ex lino candidissimo: hæ reserantur dum sacrificant, sicuti latius in sequentibus referemus. Habent etiamnū statuas animalium uarias, uerū eas minime colunt. Quando delubra adeunt, alij frontem terra cooperiunt, aqua alij aspergunt: ter in die uisunt templa, mane, merīdie, & uesperi. Sacrificant hoc modo: Conuocant plebē buccinatores, cornicinæ, & choraulæ nōnulli, ut nos campano ære: & tantisper concentū efficiunt, donec magnus eorum sacerdos aduentauerit, qui indutus ueste nescio qua sacerdotali, astat altari, & canere quędam incipit ad cultum diuinū pertinentia: orationes nos appellamus. Mox subsequitur alius sacerdos, cantās et ipse nōnulla. His populus respondet omnis, usq; tertio hęc fiunt. Demū peractis his egreditur sacerdos quadam porta nudus totus, habens pro corona sertum rosarū in capite, duoq; magna lumina, totidēq; cornua fictitia. In manibus gerit enses duos denudatos, & gradu citato ueluti lymphatus quispiā uersus eorū deum currit, cortinamq; mox reserat, & ensem alterū magno sacerdoti porrigit, altero uero seipsum complusculis consauciat uulneribus: et ubi se propè confecit plagis innumeris, illic prosilit in rogum ardentissimū, ibi ex cōposito paratum, inq; eo saltat more tripudiantiū & chorizantium:

euadit tandem rogum, tortuoſiſsimiſq; oculis dicit ſe eſſe loquutū cum deo ſuo, taliaq; mandauiſſe: & tunc quaſi à deo accepta perſona incipit docere populum. Sunt & alia complura ſacrificia, quorum non meminit Ioſeph, tum quia uix eum intelligere quiuimus, tum uel maxime quia is Ioſeph cū gentilibus uix diuerſatus fuerat, utpote qui eius ſectæ minime erat. Satis itaq; ac ſuper de delubris ac ſacrificijs horum dictum arbitror. A

De regum moribus & indigenarum, & quod ibi ſunt quidam Chriſtiani.

CAP. CXXXII.

REx gentilium colit idola, & complures habet cōiuges, quibus nullus eſt pudor, nulla'ue pudicitia: paſsim proſtituūt corpora: ubi functi ſunt uita concremantur: at eorū mulieres per octiduum tantū ſuperuiuunt: demum ut in memoriam uirorum & ipſæ concrementur uiuæ, ſunt ſuæ ſpontis. Hęc referebat Ioſeph coràm uidiſſe. Filij regum regni haudquaquā ſunt hæredes, uerum qui ſecundo gradu ſuccedunt in ſtemmate: argumentum ſumunt ex incontinentia cōiugum, quòd uidelicet, filij ſunt nothi, propterea regno priuantur. Quum humāt corpora, uarijs utūtur cęrimonijs. Gentiles hoc modo induuntur, Rex apicem aureum atalici panni gerit in capite: at urbis primores birretum ex ſerico contextū, cęteri aperto capite prodeūt, nudi incedūt, pudorem contegunt ſindone mundiſsima, brachia condecorāt armis pretioſiſsimis, omne genus gemmarum faberrime excultis: in pedibus cōdalia ferunt magni pretij, uidelicet, annulos omnifariā inſignitos lapidibus pretioſis, qui inibi magni pendunt: bis & iterum lauantur in die, locaq; ad id deputata habent complura: uiri & fœminæ in uniuerſum ſunt formoſi, pulchritudine eximia honeſtantur: comunt capita mirum in modum, uti decet muliebrem mundum: caput exornant gemmis & margaritis: gentiles non aliter ſcribunt quàm ſtylo ferreo in libris arborum: linguam habēt Indam. Et de his hactenus. Verum quia in ſuperioribus cōmeminimus Chriſtiani nominis, diximuſq; complures eſſe in urbe Caranganora Chriſtianos, non ab re erit ſi eorum mentionē in hoc capite fecerimus. Nouerint igitur omnes ab B

al. Ormus Indo flumine, ubi auſpicatur India occidentem uerſus, inſulam† Ormis, quę eſt non longe à ſinu Perſico, Chriſto tantū parēre: alibi non ſunt Chriſtiani, præterquam in Caranganora urbe. In India uero ſunt multiplices reges, qui Chriſtum norunt. Qui uero incolunt Caraganoram urbē, Chriſtiani compluſculi ſunt, penduntq; uectigal regi Gentilium: nā conducunt ære annuo eorum ædes, præterquam quòd tributa ſoluunt, ut latius dictum eſt.

De domibus eorum, & quod eorum pontifices moderantur eccleſias.

CAPVT CXXXIII.

EOrum ædes parietibus fulciunt, habentq; uarias contignationes: at gentiles ſuas domos tegunt aſſamētis & lignis id genus. Chriſtiani uero ibi delubra habent noſtris non abſimilia: uerū ſolas cruces inibi uidebis: nullas habent ſanctorum imagines, concamerata ſunt ut noſtra, inq; eorum crepidine crux uiſitur pergrandis, ut eſt uidere apud nos: tintinabula habent nulla: quando uocant populum ad diuina, ſeruant morē Græcorum. Hi populi habent magnū antiſtitem, cui adſtant Cardinales duodecim, Patriarchæ duo, Archiepiſcopi uero & epiſcopi cōplures. Referebat propterea dictus Ioſeph cū quodā Epiſcopo ſoluiſſe ab urbe Caranganora, & conſcenſis ratibus iuiſſe ad inſulā Ormū, quæ eſt à Caranganora milliaribus ferè mille & quingētis. Et inde petijt mediterranea itinere trium menſium, unà cum epiſcopo memorato, peruenit in Armeniam maiorem, ut conſalutarēt reuerentiſsime ſuū magnū pontificē, à quo epiſcop⁹ dictus initiatus ſacris, Ioſephq; memoratus ad ſacerdotij gradum promotus eſt. Itidem agunt Chriſtiani omnes Indi, & regni Cataij. Eorum Pontifex Catholica dicitur, fertq; tonſuram inſtar crucis: præficit patriarchas ſuos, ut dictum eſt, alterum in India, in Cataio alterum: alios uero Epiſcopos aliò mittit, prout expedire uiſum fuerit, ut ad ſuas prouincias moderādas tranſmittātur, Huius Catholicę

commemi-

A commeminit Marcus Paulus in tractatu Armeniæ, & ibi dicit duo esse genera Christianorũ. Iacobitarum, uidelicet, & Nestorianorum, quorum papa dicitur: Iacobita, qui est hic Catholica, de quo est sermo, cuiusq; meminit Ioseph sæpe dictus. Et quum dictus papa uarios homines promoueat ad gradus huiusmodi, efficiatq; multiplices antistites, posset non ab re ambigere quispiam, unde ei hęc sit autoritas, autorandi homines cum sancta Romana ecclesia, quæ est unica, & unicam habet fidem, unumq; Romanum pontificem recipit. Sciant igitur tempore quo Alexander VI. sceptra moderabatur ecclesiæ uniuersalis, dictum Ioseph Romam contendisse: hunc Alexander maximus pontifex percunctatus est, à quo Catholica pręfatus habuisset facultatem antistandi in Oriente: huic respondit Ioseph his uerbis: Olim diuum Petrũ Apostolorũ Antiochiæ præfectũ fuisse: & quũ sancta Romana ecclesia schismate laboraret atroci, duce Simone mago, qui sui nominis monumenta reliquit, sanctus Petrus accersitus est Romam, ut Simonem cõfunderet, & laborantibus Christianis non deesset. Hic itaq; Petrus non prius soluit Antiochia, concessurus Romam, quàm uicarium Antiochiæ præfecerit, & is est qui Orientalẽ plagã moderatur, & dicitur Catholica, geritq; Petri uices: hũc uero Catholicã pręficiũt cardinales duodecim in Armenia, & id iactant autoritate Romane põtificis facere: quod esse falsum nemo est qui nesciat, quandoquidem una est sponsa Christi, quæ unam figurat ecclesiã Romanã, extra quã salus est nulla: quę uero dicũtur de alijs, cõmenta sunt omnia, & fidei nullius. Hæc dixerim, ne quis putet à soliditate petræ Christi esse recedẽdũ. Vnus deus igit͂ una fides, una est sancta Romana ecclesia.

De modo consecrandi eorum ecclesias, & de moribus quos seruant dũ humant corpora,

CAPVT CXXXIIII.

ITaq; hi habent sacerdotes, leuitas, & hypodiaconos. Sacerdotes uero non ferunt tonsuram, sed nonnihil capillorum in summa parte capitis habent.

B Infantes non baptizantur ante quadragesimum diem sui ortus, nisi morte ingruente. Confitentur ut nos, eucharistiam sacram sumunt: extremam autẽ unctionem non habent, sed loco eius corpora benedicunt: quũ ingrediuntur eorũ delubra, latice benedicto corpora aspergũt ut nos: consecrãt corpus Christi & sanguinẽ, si tamen id cõsequi possunt, in azymis, hoc est, in pane non fermentato, more nostro: & ubi non habent uinum, quoniam ea regio uitium est impatiens, uuas passas imergunt aqua, & demum succum exprimunt, eoq; uici uini utuntur: nam eò ex Cataio comportantur uuæ passæ complures. humant humana corpora more nostro, quumq; quispiam uitam exhalauerit, mox cõueniũt multi, & dieb. octo cõtinuis simul comessantur. Peractis uero epulis, fundunt pro defuncto preces, testantur, supremaq; colitur uoluntas: & ubi intestati decesserint, qui arctiore gradu defuncto est proximior, is est hæres. Eorum cõiuges uiris uita functis, cum dotalitio abeunt in paternas ædes: ita tamen, ut intra annum luctus nõ nubant. Quatuor euangelistas habent, totidemq; euangelia colunt: obseruant quadragesimã, & aduentum ieiunijs & orationibus perquam diligentissimę: inter cętera, à die parasceues usq; in diem paschæ omni cibo abstinent, nocte sancti ueneris orationibus & concionibus sacris iugiter insistunt. Intra annum has sanctorum celebritates mire obseruant. Primò diẽ sanctæ resurrectionis cũ duobus sequentibus diebus. Octauum diem paschæ supra omnem festiuitatem colunt. Quippe qui affirmãt ea die diuum Thomam, cuius sunt ipsi perquã studiosi, in latus nostri seruatoris manum posuisse, cognouisseq; non esse phantasma. Deinde diem qua Christus cœlos conscendit eximie colũt. Post hæc Trinitatis, Assumptionis beatæ Virginis, natiuitatis eiusdẽ, & purificationis, natiuitatis nostri Seruatoris, epiphaniæ, & omniũ Apostolorũ, diesq; dominicos obseruant. At primã diem Iulij mirũ in modum custodiunt in memoriam diuæ Thomę Christiani pariter ac gentiles. Cœnobia habẽt ubi continentissime uiuũt monachi nigri, habẽt & sanctimoniales complures.

res: sacerdotes uiuunt castissime, & si qui comperti fuerint incontinentes, hi mox priuantur missarum celebratione. Qui Christo parēt, diuortijs minime utuntur, bonum uel malum sit matrimonium, perennat ad ultimum usque fati diem. Ter in anno populus suscipit eucharistiam sanctissimam. Doctores habent egregios, eosq; eruditissimos. Literarum studia ibi uigent plurimum. Prophetas ut nos legunt. Addebat etiam dictus Ioseph inibi esse complures sanctos doctores, qui uetus & nouum Testamentum explicarunt cordatissime: habitu utuntur Maurico, idest, lineis tunicis: diuiserunt annum ut nos in menses duodecim, & habent intercalarem diem. Verum diem partiti sunt in horas sexaginta, easq; ad aspectum solis interdiu cognoscunt, noctu uero intuitu stellarum.

Quando hyems est in urbe Caranganora, & de nauibus eorum.

CAPVT CXXXV.

QVi Caranganoram incolunt, hi sunt inter tropicum æstiuum & æquatorem, & ut referebat dictus Ioseph, diem habent maiorem horarum tredecim cum dimidia, minorem uero decem, ita ut intelligas de nostris horis, non autem de suis, quæ sunt multo minores, ut dictum est. Quum uero sol est in tauro, umbram habent perpendicularē: quādo est in cancro, proijcitur umbra ad Austrum: & ubi est in uirgine, rursum habent perpendicularem: quando autem est in capricorno, ad Septentrionem umbra proijcitur: temporis mutationē apud eos uidebis à medio mense Maij, usq; ad medium Augusti: tunc temperant à nauigationibus, & nullo pacto ob sæuientem per id tempus fortunam maria sulcant. Sunt etiamnū in illis Indiæ partibus innumera nauigia, quæ in occidentē contendunt: alia uero in Arabiā, in Persidem alia: nonnulla mare Erythræum arant: alia uastissimam lustrant Indiā ad orientē in primis, usq; ad Chersonesum auream, & deinceps ad extrema Indiæ, prętereuntes Cataium & Taprobanam insulam Fayllamq;, & complures alias. Naues itaq; huiusmodi quibus sulcant, sunt prægrandes, adeò ut circa duodecim uela habeāt, remiges innumeros, nonnullæ uero minus, aliæ autem pro uelis tegetes, idest, storias habent, & huiusmodi ab insulis proficiscuntur: aliæ uero ex cotonina omnē genus uela conficiunt. Naues fabricātur clauis ferreis: & propterea id dixerim, quoniam falso arbitrati sunt quidā clauis ligneis eorum naues consolidari. Hæc enim non indiligenter sciscitatus sum à Ioseph prædicto. Ostēdi illi aliquando formam conficiendi nostra nauigia, ratus longe alium esse eorum morem: at ille subridens, ait itidem Indos quoad fabricandas naues seruare, eas etiam ferruminant thure admixtis nōnullis alijs. Quum autem in mare fabrefactas naues proijciunt, elephantos hinc & hinc ponunt, qui non sine hominum strage molem trahunt in mare. Cœperunt ob tot hominum cladem ab hoc more temperare, & dimissis beluis, quibus utebantur ad nauandam hanc operā, numerosiorem hominum cœtum addunt, donec moles in pelagus trahatur.

De moneta illorum, & de rebus quæ ibi nascuntur.

CAP. CXXXVI.

TRiplex est genus monetæ illic, saraphum appellāt suū aureū nummum, ualoris & ponderis nostri ducati. Aliam uero appellant parantē argenteam, & ea est ualoris solidorum sex è nostris. Habent & aliam ualoris solidi unius: & hæ omnes habent imaginem subscriptionemq; sui regis: ibi aurum neq; alia metalla inueniuntur, illuc comportantur aliunde, uidelicet, ab montibus quibusdā, qui absunt milliaribus fere C C C. Plaga Caranganoræ est soli patentis eiusdemq; aprici, & feracis: longe absunt mōtes: cœli est per quā clementis: uiri sunt subcinericij: qui uero mōtes incolūt, hi sunt albicantis coloris, & nō nisi annosi pereunt. Referebat Ioseph inibi uiros centenarios esse, qui adhuc dentiū ordinē illæsum habebant. Regio est admodū ferax, licet triticum nō gignat, neq; equos: eò triticū cōportatur à quibusdam insulis eiusdē naturæ, cuius est regio Calechut, & Cambaiæ, & id efficit are

nosa

A nosa plaga. equos mittunt Ormus & montes quidam, eis minime utuntur, nisi ad gerulam operam, quum ultro citroq; comportantur merces, ad bella non utuntur: pedites præliantur arcubus & sagittis, necnon macheris & clypeis obrotundis, hastis nõnullis utũtur in prælio, digladiatores sunt eximij, alij se loricant piscium pellibus, quę sunt ad quoscunq; ictus prope impenetrabiles, alij loricas & thoraces ferro fabricãtur. Animalia omnifariã habẽt, ut sunt boues, arietes, bubali, pecora, & id genus cõpluscula, & ea uice numinis gentiles colunt. Regio etiam fert elephantos uberrime, minutiora etiam habent animalia, ut sunt gallinæ, anseres: sues nõ habent. Percunctati sumus etiam pretium rerum, & ostensis gallinis ipsi Ioseph Indo, dixit apud suos sexcentum gallinas aureo uno consequi quire.

De oriza, palmis, & nucibus Indiæ. CAPVT CXXXVII.

HAec plaga fert orizam eximie, & saccarum tritum, utrunque emittit, ac oleo conditũ. oriza panem conficiunt nõ insuauem: habent herbarum genera uiginti, quæ hominẽ alunt plurimũ: radicibus in primis oblectãtur: rosmarinum non habent, neq; buxum, poma, uites, nec persica: hæc omnia ostendimus illi, quæ dixit haud esse in regione sua. ficus habent complures, adeo ut uix sit credibile, quantum scateat regio fructibus huiusmodi: habẽt & aliam arborem quæ fert Indas nuces: & hæ arbores, ut referebat Ioseph, quadrigeminos gignunt fructus, uidelicet, oleum, uinum, acetum & saccarum: qui uero his fidem non adhibẽt, legant Strabonẽ in XVI. suæ Geographiæ, & adstipulabuntur Ioseph Indo uera narranti: sic enim Strabonis caput incipit: Cætera uero ex palma præbet, ex ea enim panis, mel, acetum, & oleum fit, & testilia uaria: nucleis pro carbonibus fabri ferrarij utuntur, qui in aqua macerati bobus & ouibus in pabulum dantur. *Strabonis locus*

Quomodo ex palma fit uinum, oleum, acetum, & saccarum.

CAPVT CXXXVIII.

B EXpalma igitur hoc modo quatuor fiunt fructus in mense Augusti, id enim est eis primum uer. palmam putant, ut nos uites: & quoniam tunc arbores potissimũ luxuriant, gemunt incisæ, lachrimasq; instar consauciatę uitis emittunt: has uasis excipiunt, tribus solum diebus ab arbore sauciata, ea pro uino utũtur albicante aqua. Elapso triduo ex latice fit acetũ suapte natura: qui uero saccarum efficere uoluerit, is aquã huiusmodi sumat emanantem intra triduũ, & ahenis impositam tãtisper coquat, donec uix tertia pars supersit, tũc sic decocta mel efficitur suauissimum. Vbi uero mel est effectũ, id rursum aquis immergunt, & cõpurgant subinde usq; ad uigesimũ diem: & quum diligenter defecauerint, eo utuntur pro uino, & quidẽ ut aiunt, suauissimo. E nucleis uero fructus palmę exprimũt oleum. Habes igitur ex una arbore fructus complures: ex lignis etiam semicombustis carbones fiunt, ex libro arboris funes. Hæc itaq; summa sit nullam esse aliam arborẽ, quæ magis humanis usibus conducat. Ibi etiam ubertim piper nascitur, quod torrent ad calorem solis, nę forte satum alibi germinet in damnum eorum. Arbores ibi non sunt magnæ proceritatis, nusquam tamen sunt frequentiores, præsertim in India. Ibi etiamnum copia est ingens zinziberis, myrobalani, casiæ, & aromatum fere omne genus. Hæc omnia præstinant Mauri negociatores, & ea Babyloniam, Cayrum nunc appellant, urbem Niloticã comportant, inde Alexandriã, Damascum, & demũ ad Persas. Cõuehunt hæc etiam uersus montes, & ad Cataium, quæ regiones plurimũ a nobis absunt, prout latius referemus in sequẽtibus. Verũ postq; satis ac super de urbe Caranganora dictum est, ęquum censeo ut rursum ad urbẽ Calechut redeamus.

De urbe Calechut, deq; eius rege & moribus, nec non mercibus.

CAPVT CXXXIX.

VRbs itaq; Calechut occidentem respicit, abestq; ab urbe Caranganora milliaribus prope X.C. mari adiacet, & portũ habet nõ incelebrẽ, maior est Caranganora, cuius dominus est idolorum cultor, & eius sectæ, cuius est

dominus Caranganoræ: in nullo prope differunt, si cultũ deorum, si mores, si superstitiones spectaueris, uti latius commemínimus in superioribus: pro pterea ut parcamus iusto uolumini, parcius in præsentia de hac re loquemur. Illud tamen non prætereo, illic esse prope innumeros negotiatores, Persas uidelicet, Mauros, Indos, Medos, Assyrios, Syrios, Arabas, Aegyptios, et fe re ex omni orbe couenas: alij alias ducũt merces, adeo ut ibi fere nihil quod ad humanum cultum spectet desideres. Sunt inter cæteros illic nonnulli qui Guzerati appellantur, qui multijuga tractant mercimonia. Eo itaq; quasi to ta India merces comportat uberrimas: frequentior etiam inibi negotiatorũ numerus erat, quum incolæ Cataij illo proficiscebantur. Hi igitur Cataij po puli colunt Christum, & coloris sunt albicantis ut nos, uiri sunt perquã stre nui, qui olim in urbe Calechut eximie negotiabãtur. Verum quum rex Ca lechut male eos accepisset, soluere illinc, & paulopost reuertentes, stragẽ nõ mediocrem incolis urbis Calechut intulerunt, & deinceps nõ sunt regressi. Post hæc adiuere urbem Mailapetam, quæ urbs paret regi Narsindo: regio respicit orientem, & distat ab Indo flumine milliaribus X C. ibi nũc sua exer cent mercimonia: populi dicuntur Malasines, multijuga ferũt mercimonia, uidelicet, serica omne genus, æra, plumba, stanna ac castorium, & id genus innumeros odores, hæc sunt quæ eo ipsi comportant. Quæ uero exportant illinc, hæc sunt, uidelicet, coralli omnium generum & aromata. Aiunt eorũ regionem abesse ab urbe Calechut milliaribus sex mille: in capite ferũt orna menta quædã ingentissimi pretij, locupletes sunt in uniuersum. Redeamus ergo ad urbem Calechut, cuius rex dicitur Bauser, qui magnam regiam ha bet instar theatri, cuiusq; latera stipant septem millia hominum, qui pro sa lute principis uigilant. Hi noctu urbẽ lustrant: quoniam uasta est & patens absq; mœnijs. Per uices propterea uigiliæ disponũtur, ne quid inopinatum accidat, dum dant membra quieti. Hanc curã uiri C C C. habet. In theatro ui suntur aulæ siue cœnacula magna quatuor, quæ singula singulis patent na tionibus, alia Indis, Mauris alia, alia Iudæis, Christianis alia patet: unaquæ que natio nouit suum auditorium, in alieno nõ admittitur. Priui priua loca audientiæ habent, & ibi expediuntur: uerum eo prius nõ accedunt, quàm lo ti fuerint, alioquin ad regem minime admitterentur, illoti, uidelicet, utpote immundi, ac fœdi. Gentiles hũc morem seruant. In mari nunquã comedũt, quoniam si id agerent, nunquã regem uiderent deinceps, neque omittemus quin & rursum de hac re mentionẽ faciamus, licet in superioribus comemi nerimus: nam retulimus paulo supra, mulieres Indas hunc morem habere, quod uidelicet, nihil ducunt honorificentius, quàm cum uiris simul occum bere. Comburi propterea cum cõiugibus iam fato functis summe appetũt: nec id mirum. Putant enim non posse aliter sibi parare immortalitatem. Hu ius rei commeminit Strabo X V. suæ Geographiæ: eius caput sic auspicatur: Refert enim Nicolaus Damascenus se Antiochiæ &c. quæ sequuntur. Sicu ti igitur præfeci, in urbe Calechut magna fiunt commercia, & statis anni temporibus fiunt nũdinæ non incelebres, eoq; undequaq; cateruatim popu li confluunt, ex Cataio in primis: demum Indi omne genus, Persæ, Medi, Sy rij, Turche, Assyrij, Arabes, Aegyptij, & hi præsertim qui Babylonẽ, id est, Cayrum incolunt, urbem Aegyptiam, quæ Nilo adiacet amni famigerato, multarumq; gentium ac regionum termino. Percũctati sumus etiam Ioseph prædictum Indum, an illi nostræ huius regionis cognitionẽ habeant quam piam. Referebat Romanam urbem et Venetias, nec non Galliam, quę Fran cia dicitur, esse apud eos nonnihil in pretio, & in primis aurum Venetorũ, signatum argentumq; illic esse eximio in pretio. Is ergo Ioseph adiuit illu strissimos dominos Venetos, & eis ostendit nonnullos anti quissimos aureos, in quibus erat expressa Veneti ducis perquam uetus imago.

Bauser

Strabonis locus

De re

A De regnis Cambaiæ, Ormus, & Guzerat. CAP. CXL.

POstq; satis ac super de urbe Calechut dictũ remur, de rebus occiduis fiet sermo, & in primis de regno Cambaiæ, quod abest ab urbe Calechut milliaribus prope mille: & deinde ad insulam Ormus milliaria CCC. & ea est in principio sinus Persici introrsus terras milliaria XX. & id loci dicitur caput Mogolistanũ, ubi auspicatur sinus. hęc insula circuitu patet milliarib. fere CL. eius dominus seruit Mahumeti, urbs est uasta admodũ, & habitatore frequentissima, ac prope omniũ rerũ ferax: mercimonia emittit quasi innumera: ibi & uitrea fiũt uasa elegantissime. Legũt illic unionũ copiã maximã, equos fert eximios, quos in Indiã uenales mittũt, eis etiã merces cõportãt suas. hinc igitur id est, ab hoc capite Mogolistano, quod est in umbilico insulæ Ormus usq; ad urbẽ Cambaiã, intercedũt innumerę Maurorũ urbes, inter quas hæ minime sunt obscuræ, uidelicet, Sobobec, Semath, & Chesimij. Introrsus uero est urbs Guzerat. Secus aũt litus urbs Cãbaię uisitur, quę ut præfecimus, potest abesse à capite Mogolistano mil. quasi CCC. hæc urbs Cãbaiæ plurimũ sinuatur, & ubi est sita urbs, dicitur sinus Guzerat: uerũ olim dicebatur Betrosia. Et quia meminimus huius loci Guzerat, nõnulla de eo referemus. Eius itaq; plaga habet urbes complures, uicos & oppida, frequẽtissimis est habitatoribus, eiusdemq; negotiatorib. idola colũt, necnõ solẽ, & lunã, bouesq; fœminas adeo, ut apud eos capitale sit bouẽ fœminã occidisse. Morticina nõ comedũt: uinũ nõ bibũt albũ: uiri sunt albicãtis coloris, superantq; albedine incolas Calechut: fascinatores sunt eximij, comunt capiliũ & barbã, & cincinnos ut mulieres circumferunt, torqueq; ex capillo facto caput mire exornãt: mulieres uni uiro solũ nubũt, & rursus uiri unã ducũt coniugẽ. Post quã uitã cœlibẽ agũt, in uniuersum sunt cõtinentissimi, nec in uenerẽ facile ruunt ut reliqui salaces: legumine uiuunt, & olerib. (Guzerat)
B quæ parens mittit terra, ut author est Pithagoras. Abunde dictum arbitror de urbe Guzerat, super est ut nonnihil de urbe Cambaiæ disseramus.

De situ urbis Cambaiæ, deq; eius rege & nonnullis alijs locis, ac de aromatibus. CAP. CXLI.

VRbs Cambaię sita est in sinu Guzerat: ea est maxime culta, eximiaq; uastitate, & uirorum frequentia, ac fere omnium est Indiæ urbiũ excellentior. Cayrum propterea Indiæ appellatur, muro ambitur, & pulcherrimas habet ædes. Olim eius dominus erat gentilis, & idolis seruiebat, nũc sectæ est Mahumetanæ, id effecit numerosior cœtus Mahumetanorum, qui urbẽ incolũt, eamq; moderandã suscepere, quę scatet gentilib. Ibi Lacha nascitur uberius q̃ alibi gentiũ: negotiatores sunt nõ incelebres, naues habent innumeras, quibus sulcãt maria, & in primis Aethiopicũ, Erythræũ, Persicũ, necnõ Indicũ. Abest hęc urbs à capite quod dicitur Diongul milliarib. CCC. In eius sinu sunt cõplusculæ urbes, quas percensere longũ foret. Inq; ea insula quæ Maya dicit, & post id cap. Diongul orientẽ uersus aliud caput occurit, q̃d appellat Ely, ad milliaria fere cl. & inde ad urbẽ Calechut milliaria DC.

De rege Narsindo, & quadam ecclesia sancti Thomæ. CAP. CXLII.

HVcusq; litoralia omnia percurrim⁹, uidelicet, ab urbe Carãganora usq; ad insulã Ormus. Superest ut de regno Cuchini præsertim de mediterraneis nonnihil exaremus. Est igitur introrsus ad milliaria fere CCC. non longe à montibus rex quidã nimiũ potẽs Narsindi. Is quum sit ualde potens, urbẽ habet triplici circũdatam muro, ea dicitur Besenegal. Is rex, ut retulit Ioseph Indus, quum ad bella proficiscitur, secum ducit elephãtos DCCC. equites IIII. mille, pedites uero innumeros, adeoq; magnũ innumerũq;, quũ exit ad bella, secũ trahit exercitũ, ut spatio XXX. milliariũ ad quãcunq; orbis partẽ minime cõtineri possit, id est, quadrata acie tantundẽ terrarũ uersus orientẽ & occidentẽ, & rursum itidẽ uersus Aquilonẽ & meridiẽ exercitus occupat. Res prope incredibilis, licet uera: addebatq; dictus Ioseph regnum huiusce regis patere circuitu trium millium milliarium. Is rex colit i-

dola. Verum reuertamur ad litoralia, & primo loco auspicabimur ab urbe Cuchina, quæ respicit orientem, & prætenta est Indię. Dum igitur soluis ab urbe Cuchina, tendisq; ad ortum solis, ad milliaria fere centum, caput comperies quod appellant Cumar, & inde usq; ad Indū fluuium, ubi auspicatur India intercedūt milliaria quingenta. Inq; eo itinere sinus uisitur nō incelebris, cui nomē est Orizæ, & ibi famigerata urbs de nomine sinus Oriza dicta, eam præterfluit Indus. Et in eodē sinu est urbs alia, quæ instar promontorij in mare prominet, ea dicitur Milapar, in qua diui Thomæ apostoli delubrū celebre colitur eximie, idq; templū refert ecclesiam sanctorū Ioannis & Pauli Venetiarū. In eo igitur delubro corpus diui Thomæ quiescit, quod claret innumeris miraculis. Colitur propterea eximie ab omnibus, licet infidelibus. Propterea in hoc mari Indico cōplures insulæ uisuntur: & inter alias duæ sunt, quæ cæteras omni rerū celebritate præstant: altera Sayla dicitur, quę abest à dicto capite Comar milliaribus propè CC. ea est quæ mittit equas. Post hanc ad orientē altera uisitur, quæ dicitur Samotra, nos Taprobanam appellamus, quæ abest ab urbe Calechut itinere triū mensiū. Vltra eā est Cataiū feracissima, ut dictū est, insula cū alijs cōpluribus, quarū haud quaquā meminisse est animus: quandoquidē ab dicto Ioseph Indo plura nō accepimus, neque nos eas remotiores orbis partes adiuimus. Potuissemus quidē longiore subsellio gemmarū ac lapidū, margaritarumq; naturā indagare, necnon de aromatū generibus disserere cōplura, quū hæc in primis ferat India. Verū quū minime pertineant ad id quod retulit Ioseph prædictus, ex cōposito temperabimus: tum ut præter uerum nihil relatum putetis, tum uel maxime, ut tandem aliquando cœptum opus ad umbilicum deueniat.

ILLVSTRISSIMO RENATO HIERVSALEM ET SICILIAE regi, duci Lothoringiæ ac Barñ. Americus Vesputius humilem reuerentiam, & debitam recōmendationem.



B

FIERI potest illustrissime rex, ut tua maiestas mea ista temeritate ducatur in admirationē, propterea quod hasce literas tam prolixas ad te scribere non subuerear, quum tamen sciam te continuo in arduis consilijs & crebris reipublicæ negotijs occupatissimum. Atq; existimabor forte non modo præsumptuosus, sed etiam otiosus, id mihi muneris uendicans, ut res statui tuo minus cōuenientes, non delectabili, sed barbaro prorsus stylo, ueluti amusus ab humanitatis cultu alienus, ad Fernandum Castiliæ regem nominatim scriptas, ad te quoque mittam. Sed ea quam in tuas uirtutes habeo confidentia, & comperta sequētium rerum, neq; ab antiquis neq; neotericis scriptarū ueritas me coram t. M. fortassis excusabunt. Mouit me in primis ad scribendū præsentiū lator Beneuenutus, M. t. humilis famulus, & amicus meus nō pœnitēdus: qui dū me Lisbonæ reperiret, precatus est ut t. M. rerū per me quatuor profectionibus in diuersis plagis mundi uisarum, participē facere uellem. Peregi enim bis binas nauigationes ad nouas terras inueniendas, quarum duas ex mandato Fernandi inclyti regis Castiliæ per magnum oceani sinum occidentē uersus feci: alteras duas iussu Manuelis Lusitaniæ regis ad austrum. Itaq; me ad id negotij accinxi, sperās quod t. M. me de clientulorum numero nō excludet, ubi recordabitur, quod olim mutuā habuerimus inter nos amicitiā tempore iuuentutis nostræ, quū grammaticæ rudimenta imbibentes sub probata uita & doctrina uenerabilis & religiosi fratris de S. Marco Fra. Georgij Anthonij Vesputij auunculi mei pariter militaremus. Cuius auunculi uestigia utinā sequi potuissem, alius profecto, ut & ipse Petrarcha ait, essem quā sum. Vtcūq; tamē sit, nō me pudet esse qui sum. Semper enim in ipsa uirtute & rebus studiosis summā habui delectationē. Quod si tibi hæ narrationes omnino nō placuerint, dicam sicut Plinius ad Mecœnatem scribit: Olim facetijs meis delectari solebas. Et

A licet M.t.sine fine in reipublicæ negotijs occupata sit, nihilominus tantum temporis quandoque suffuraberis, ut has res quamuis ridiculas, quæ tamē sua nouitate iuuabūt, perlegere poßis. Habebis enim hisce meis literis post curarum fomenta & meditamēta negotiorum, non modicā delectationē, sicut & ipse fœniculus prius sumptis esculentis, odorē dare, & meliorē digestionē facere assueuit. Enimuero si plus æquo prolixus fuero, ueniā peto, uale.

Inclytißime rex, sciat t.M. quòd ad has ipsas regiones mercandi causa primum uenerim. Dumque per quadriennij reuolutionē in eis rebus negotiosus essem, & uarias fortunę mutationes animaduerterē, atque uiderem quo pacto caduca & transitoria bona hominem ad tempus in rotæ summo tenerent, & deinde ipsum præcipitarent ad imum, qui se poßidere multa dicere poterat, constitui mecum uarijs talium rerum casibus exantlatis istiusmodi negotia dimittere, & meorum laborum finem in res laudabiliores ac plus stabiles ponere. Ita disposui me ad uarias mundi partes contemplandas, & diuersas res mirabiles uendendas. Ad quam rem se & tempus & locus opportune obtulit. Ipse enim Castiliæ rex Fernandus tunc quatuor parabat naues ad terras nouas occidentem uersus discooperiendas, cuius celsitudo me ad talia inuestigāda in ipsam societatem elegit. Et soluimus XX. die Maij, M.CCCCXCVII. de portu Caliciæ, iter nostrum per magnum oceani sinum capientes, in qua profectione decem & octo consummauimus menses, multas inuenientes terras firmas, & insulas penè innumerabiles ut plurimum habitatas, quarum maiores nòstri mentionem nullam fecerunt: unde & ipsos antiquos talium non habuisse notitiā credimus. Et nisi memoria me fallat, memini me in aliquo legere, quod mare uacuum, & sine hominibus esse tenuerint. Cuius opinionis ipse Dantes poëta noster fuit, ubi duo de uigesimo capite de Inferis loquens, Vlißis mortem confingit. Quæ autem mirabilia uiB derim, in sequentium processu tua maiestas intelliget.

AMERICI VESPVTII
NAVIGATIO PRIMA.


NNO domini, M.CCCCXCVII. uigesimo mensis Maij die, nos cum quatuor conseruantiæ nauibus Caliciū exeuntes portum, ad insulas olim Fortunatas, nunc uero magnam Canariam dictas, in fine occidentis habitati positas in tertio climate, super quo extra horizontem earum se XXVII. gradibus cum duobus tertijs, Septentrionalis eleuat polus, distantesque ab hac ciuitate Lisbona, in qua conscriptum extitit hoccine præsens opusculum, cclxxx. leucis, uēto inter Meridiem & Lebeccium uentum spirante, cursu primo pertigimus. Vbi nobis de lignis, aqua cæterisque necessarijs prouidendo, consumptis octo fere diebus, nos, facta in primis ad Deum oratione, eleuatis dehinc & uento traditis uelis, nauigationem nostram per Ponētem incipientes, sumpta una Lebeccij quarta, tali nauigio transcurrimus, ut uiginti septem uix elapsi diebus, terræ cuidam applicaremus, quam firmam fore existimauimus. Distatque Canaria magna ab insulis mille uel circiter leucis, extra id quod in zona torrida habitatum est. Quod ex eo nobis constitit, quòd Septentrionalem polū extra huiuscemodi telluris horizontem XVI. gradibus se eleuare, magisque occidentalem LXXV. quàm magnæ Canariæ insulas gradibus existere conspeximus, prout instrumēta omnia monstrabant. Quo in loco, iactis de prora ancoris, classem nostram, leuca à litore cum media distantem, restare coëgimus, nonnullis solutis phaselis armis & gēte stipatis, cum quibus ipsum usque ad litus attigimus. Quò quàm primum peruenimus, gentem nudam secundum litus euntem innumeram percepimus, unde non paruo affecti fuimus gaudio: omnes enim qui nudi incedere conspiciebantur, uidebantur

quoq; propter nos ſtupefacti uehementer eſſe, ex eo, ut arbitror, quod ueſtitos, alteriuſq; effigiei quàm ipſi forent, nos eſſe intuiti ſunt. Hi poſtquã nos adueniſſe cognouerunt, omnes in propinquum montem quendam aufugerunt, à quo tunc nec nutibus, nec ſignis pacis & amicitiæ ullis, ut ad nos accederent, allici potuerunt. Irruente uero interea nocte, nos claſſem noſtram male tuto in loco, ubi nulla marinas aduerſus procellas tuta reſidẽtia foret, conſidere timentes: conuenimus unà, ut hinc mane facto diſcederemus, exquireremuſq; portum quempiam, ubi noſtras ſtatione in tuta collocaremus naues. Qua deliberatione arrepta, nos uento ſecundum collem ſpiranti traditis uelis, poſtquam uiſu terram ipſam ſequendo, atq; ipſo plagæ in litore gentes continue percipiendo, duos integros nauigauimus dies, locum nauibus ſatis aptum comperimus. In quo media tantum leuca diſtantes ab arida conſtitimus, uidimuſq; tunc inibi innumerabilem gentium turbam, quam nos cominus inſpicere & alloqui deſiderãtes, ipſamet die litori cum cymbis & nauiculis noſtris appropiauimus, necnon & tunc in terrã exiuimus, ordine pulchro XL circiter uiri, huiuſcemodi gente ſe tamen à nobis & conſortio noſtro penitus alienam præbẽte, ita ut nullis eam modis ad colloquium communicationem'ue noſtrã allicere ualuerimus, præter illos paucos quos multos poſt labores ob hoc ſuſceptos, tandem attraximus ad nos, dando eis nolas, ſpecula, crateres cryſtallinos aliaq; ſimilia leuia: qui tum ſecuri de nobis effecti, conciliatum nobiſcum, necnon de pace & amicitia tractatum uenerunt. Subeunte autem interim nocte, nos ab illis noſmet expedientes, relictis eis, noſtras ingreſſi ſumus ad naues. Poſtea uero ſubſequentis ſummo diluculo diei, infinitam in litore uirorum & mulierum paruulos ſuos ſecum uectantium gentem rurſum conſpeximus, cognouimuſq; multitudinem illam ſupellectilem ſuam ſecum deferre totam, qualem infra ſuo loco dicetur. B Quorum complures quamprimum terræ appropiauimus, ſemet in æquor proijcientes, quum maximi natatores exiſtant, quãtus eſt baliſtæ iactus, nobis uenerunt natantes obuiam: ſuſceperunt nos humaniter, atq; ea ſecuritate & confidentia ſeipſos inter nos cõmiſcuerunt, ac ſi nobiſcum diutius antea conſueuiſſent, & pariter frequẽtius practicauiſſent. Pro qua re tũc haud parum oblectati fuimus. De quorum moribus, quales eos habere uidimus, hic quandoquidem ſe commoditas offert, interdum etiam interſerimus.

DE MORIBVS AC EORVM VIVENDI MODIS.

QVantum ad uitã eorumq; mores, omnes tam mares quàm fœminæ nudi penitus incedunt, tectis non aliter uerẽdis, quàm quum ex utero prodierunt. Hi mediocris exiſtentes ſtaturæ multum bene proportionati ſunt, quorum caro ad rufedinem, ueluti leonũ pili uergit: qui ſi ueſtimentis operti mearent, albi credo tanquam nos extarent. Nullos habent in corpore pilos ptæter quàm crines, quos proceros nigreſcenteſq; gerunt, & præſertim fœminæ, quæ propterea ſunt tali longo nigroq; crine decoræ. Vultu non multum ſpecioſi ſunt, quoniam latas facies Tartarijs adſimilatas habent: nullos ſibi ſinunt in ſupercilijs, occulorum'ue palpebris, ac corpore toto, crinibus demptis, excreſcere uillos, ob id quod habitos in corpore pilos quid beſtiale brutaleq; reputant. Omnes tam uiri quàm mulieres, ſiue meando, ſiue currendo leues admodum atq; ueloces exiſtunt, quoniam, ut frequenter experti fuimus, ipſę etiam mulieres unã aut duas percurrere leucas, nihil putant, & in hoc nos Chriſticolas multum præcellunt. Mirabiliter ac ultra quàm ſit credibile natant, multo quoque melius fœminę quàm maſculi, quod frequenti experimento didicimus, quum ipſas etiam fœminas omni prorſus ſuſtentamine deficientes, duas in æquore leucas pernatare perſpeximus. Arma eorum arcus ſunt & ſagittæ, quas multũ ſubtiliter fabricare norunt. Ferro metalliſq; alijs carent: ſed pro ferro beſtiarum piſcium'ue dentibus ſuas ſagittas armant, quas etiam, ut fortiores exi-

A stant, unamquamque sæpe præurũt. Sagittarij sunt certissimi, ita ut quicquid uoluerint, iaculis suis feriant, nonnullisque in locis mulieres quoque optime sagittatrices extant. Alia etiã arma habent ueluti lanceas præacutas'ue sudes, necnõ & clauas, capita mirifice laborata habentes. Pugnare potissimum assueti sunt aduersus suos alienigenę linguæ confines, contra quos nullis parcendo, nisi ut eos ad acriora tormẽta reseruent, multum crudeliter dimicãt. Et quum in prælium properant, suas secum uxores, non belligeraturas, sed eorũ post eos necessaria perlaturas ducũt, ob id quod sola ex eis mulier tergo sibi plus imponere possit, et deinde XXX. uel XL. leucis subuehere, pro ut ipsi sæpe uidimus, quàm uir, etiam ualidus, à terra leuare queat. Nulla belli capita, nullos'ue præfectos habent, quinimmo quum eorum quilibet ex se dominus extet, nullo seruato ordine meant. Nulla regnandi dominium'ue suũ extendẽdi, aut alterius inordinatæ cupiditatis gratia pugnant: sed ueterẽ solùm ob inimicitiã in illis ab antiquo insitam, cuius quidem inimicitiæ causam interrogati, nullam aliam indicant, nisi ut suorum mortes uendicẽt antecessorum. Hæc gens sua in libertate uiuens, nullique obediens, nec regẽ nec dominũ habet. Ad prælium autem se potissimũ animant & accingunt, quum eorum hostes ex eis quempiam aut captiuum detinent aut interemerunt. Tunc enim eiusdẽ captiui interempti'ue consanguineus senior quisque exurgens, exit cito in plateas & uicos passim clamitans, inuitansque omnes, & suadens ut cum eo in prelium consanguinei sui necem uindicaturi properent: qui omnes compassione moti, mox ad pugnam se accingunt, atque repente in suos amicos irrunt. Nulla iura, nullam 'ue iustitiam seruant, malefactores suos nequaquam puniunt, quinimmo nec parẽtes ipsi paruulos suos edocẽt aut corripiunt. Mirabiliter eos inter sese cõquestionari nonnunquã uidimus. Simplices in loquela se ostentãt, uerum callidi multum atque astuti sunt. Perraro & submissa uoce loquũtur, eisdem quibus utimur accentibus B utentes. Suas ut plurimum uoces inter dentes & labra formantes, alijs utuntur uocabulis quàm nos. Horum plurimæ sunt idiomatum uarietates, quoniam à centenario leucarum in centenarium diuersitatem linguarum se mutuo nullatenus intelligentium reperimus. Comessandi modum ualde barbarum retinent, nec quidẽ notatis manducant horis, sed siue nocte siue die, quoties edendi libido suadet. Solo manducantes accumbunt, & nulla mantilia, nulla 'ue gausapa, quũ lineamentis pannisque alijs careant, habent. Epulas suas atque cibaria in uascula terrea quæ ipsimet cõfingunt, aut in medias cucurbitarum testas ponunt. In retiaculis quibusdã magnis ex bombice factis & in aëre suspensis dormitant: qui modus quãuis insolitus & asperior fortassis uideri queat, ego nihilominus talem dormitãdi modũ suauem plurimum iudico. Etenim quum in eisdem eorum retiaculis mihi plerũque dormitasse contigerit, in illis mihimetipsi melius quàm in tapetibus, quæ habebamus, esse persensi. Corpore ualde mundi sunt & expoliti, ex eo quod seipsos frequentissime lauant. Et quum egestum ire, quod salua dixerim reuerentia, coacti sunt, omni conamine nitũtur, ut à nemine perspici possint: qui quidẽ in hoc quãtum honesti sunt, tantũ in dimittenda urina se immundos inuerecundosque tam mares quàm fœminæ prebent: quum siquidem illos nobiscum loquentes, & coram positos suam impudicissime urinam sæpius eminxisse perspeximus. Nullam legem, nullum legitimum thori fœdus in suis connubijs obseruant, quinimmo quotquot mulieres quisquam concupiscit, tot habere, & dein illas quandocunque uolet, absque hoc quòd id pro iniuria aut opprobrio habeãt, repudiare potest. Et in hac re utique tam uiri quàm mulieres eadem libertate fruuntur. Zelosi parum, libidinosi uero plurimum extant, magisque fœminæ quàm masculi, quarum artificia ut insatiabili suæ satisfaciant libidini hic honestatis gratia subticenda censuimus. Ege ipse in generandis paruulis fœcundæ admodum sunt, neque dum grauidæ effectæ sunt, pœnas aut labores euitant. Leuissimo minimo'que dolore pa-

 riunt,

riunt, ita ut in crastinum alacres sanatæque ubique ambulent: præsertimque post partum in flumen quodpiam sese ablutum uadunt, tumque sanæ mundatæque inde, ueluti pisces apparēt. Crudelitati autem ac odio maligno adeò deditæ sunt, ut si illas sui forsitan exacerbauerint uiri, subito certum quoddam efficiant maleficium, cum quo præ ingēti ira proprios fœtus in proprijs uteris necant, abortiuntque deinde, cuius rei occasione infiniti eorū paruuli pereūt. Venusto & eleganti proportione compacto corpore sunt, ita ut in illis quicquam deforme nullo inspici modo possit. Et quamuis dísnude ambulent inter fœminas, tamen earum pudibunda sic honeste reposita sunt, ut nullatenus uideri queant: præterquam regiuncula illa anterior, quam uerecūdiore uocabulo pectusculum imum uocamus, quod & in illis utique nō aliter quàm honeste natura ipsa uidendum reliquit. Sed & hoc nec quidem curant, quoniam, ut paucis expediam, non magis in suorum uisione pudendorum mouentur, quàm nos in oris nostri aut uultus ostentatione. Admirandam peruualde rem ducerent, mulierem in eis mamillas, pupasue laxas, aut uentrem rugatum ob nimium partum habentem, quum omnes æque integræ ac solidæ post partum semper appareant, ac si nunquam peperissent. Hæ quidem se nostri cupientissimas esse monstrabant. Neminem in hac gente legem aliquam obseruare uidimus, nec quidem Iudæi aut Mauri nūcupare solide queunt, quum ipsis gentilibus ac paganis multo deteriores sint. Etenim non persensimus quòd sacrificia ulla faciant, aut quòd loca orationis'ue domos aliquas habeant. Horum uitam, quæ omnino uoluptuosa est, Epicuream existimo. Illorum habitationes singulis ipsis sunt communes, ipsæque illorum domus campanarum instar constructæ sunt, firmiter ex magnis arboribus solidatæ, palmarum folijs desuper contectæ, & aduersus uentos & tempestates tutissimæ, nonnullisque in locis tam magnæ, ut in illarum unica sexcentas esse personas inuenerimus. Inter quas octo populosissimas esse cōperimus, sic ut in eis essent habitarētque pariter animarū decem millia. Octennio quolibet aut septennio, suas sedes habitationes'ue transferunt: qui eius rei causam interrogati, naturale responsum dederunt, dicentes quòd phœbi uehementis æstus occasione hoc facerēt, ob id quod ex illorum longiore in eodē loco residentia aër infectus corruptusque redderetur: quæ res in eorum corporibus uarias causaret ægritudines, quæ quidē eorum ratio non male sumpta nobis uisa est. Eorum diuitiæ sunt, uariorum colorum auium plumæ, aut in modum lapillorum illorū, quos uulgariter Pater noster uocitamus, laminæ siue calculi, quos ex pisciū ossibus, lapillis'ue uiridibus aut candidis faciūt, & hos ornatus gratia sibi ad genas, labia uel aures suspendūt. Alia quoque similia futilia & leuia pro diuitijs habent, quæ nos omnino parui pendebamus. Commutationibus aut mercimonijs in uendendo aut emendo nullis utuntur, quibus satis est, quod natura sponte sua propinat: aurum, uniones, iocalia, cæteraque similia, quæ in hac Europa pro diuitijs habemus, nihil extimant, imò penitus spernunt, nec habere curant. In dando sic naturaliter liberalissimi sunt, ut nihil quod ab eis expetatur abnegēt. Et quemadmodū in dando liberales sunt, sic in petendo & accipiendo cupidissimi, postquam se cuiquam amicos exhibuerint. Maximum potissimumque amicitiæ suæ signum in hoc perhibent, quòd tam uxores quàm filias proprias amicis suis pro libito habēdas offerunt: in qua re parens uterque se longe honoratum iri existimat, quum natam eius, & si uirginem, ad concubitū suum quispiam dignatur & abducit, & in hoc suam inter se amicitiam potissimū cōciliant. Varijs in eorum decessu multisque modis exequijs utuntur. Porrò suos nonnulli defunctos in humo cum aqua sepeliunt, & inhumant illis ad caput uictualia ponentes, quibus eos posse uesci & alimētari putāt: nullum deinde propter eos alium planctum, aut alias cærimonias efficiētes. Alijs quibusdā in locis barbarissimo atque inhumanissimo sepeliēdi utuntur modo. Quippe quum eorum quempiam mortis momento proximum autumant, illum

eius

A eius propinquiores in syluam ingentē quandam deferunt, ubi eum in bombiceis retiaculis illis, in quibus dormitant, impositum & recubātem ad duas arbores in aëra suspendunt, ac postmodum ductis circa eum sic suspensum una tota die choreis, irruente interim nocte, ei aquam, uictum'que alium, ex quo quatuor aut circiter dies uiuere queat, ad caput apponunt: & deinde, sic inibi solo pendente relicto, ad suas habitationes redeunt: quibus ita peractis, si idem ægrotus postea manducet & bibat, ac inde ad conualescentiam sanitatem'que redeat, & ad habitationem propriam remeet, illum eius affines ac propinqui cum maximis suscipiunt cerimonijs. At perpauci sunt qui tam grande prætereant periculum, quum eos ibidem nemo postea uisitet. Qui si tunc inibi forsitan decedunt, nullam aliam habēt postea sepulturam. Alios quoque complures barbaros habent ritus, quos euitandę prolixitatis hic omittimus gratia. Diuersis uarijsq; medicaminibus in suis morbis & ægritudinibus utuntur, quæ sic à nostris discrepant & disconueniunt, ut mirarentur haud parum qualiter inde quis euadere posset. Nempe, ut frequenti didicimus experientia, quum eorum quempiam febricitare contigerit, hora qua febris eum asperius inquietat, ipsum in fringentissimam aquam immergunt & balneant, postmodumq; per duas horas circa ignem ualidum, donec plurimum calescat, currere & recurrere cogūt, & postremo ad dormiendum deferunt, quo quidem medicamento complures eorum sanitati restitui uidimus. Diætis etiam, quibus tribus quatuor'ue diebus absq; cibo & potu persistunt, frequentissimis utuntur. Sanguinem quoq; sibi persæpe comminuunt non in brachijs, salua ala, sed in lumbis & tibiarum pulpis. Seipsos etiam ad uomitum cum certis herbis quas in ore deferunt medicaminis gratia plerumque prouocant, & multis alijs remedijs antidotisq; utuntur, quæ longum dinumerare foret. Multo sanguine, multo'que flegmatico humore abundāt, cibariorum suorum occasione, quæ ex radicibus, fructibus, herbis, B uarijsq; piscibus faciunt. Omni farris granorumq; aliorum semine carent. Communis uero eorū pastus, siue uictus, arborea quædam radix est, quam in farinam satis bonam comminuunt, & hanc radicem quidam eorum iucha, alij chambi, alij uero igname uocitant: alijs carnibus, præterquam hominum perraro uescuntur, in quibus quidem hominum carnibus uorandis sic inhumani sunt & immansueti, ut in hoc omnem feralem, omnem'ue bestialem modum superent: omnes enim hostes suos quos aut perimunt, aut captos detinent tam uiros quàm fœminas indistincte cum ea feritate deglutiunt, ut nihil ferū, nihil'ue brutum magis dici uel inspici queat: quos quidē sic efferos immanesq; fore, uarijs in locis mihi frequentius cōtigit aspexisse, mirantibus illis quòd inimicos nostros sic quoque nequaquam manducaremus. Et hoc pro certo maiestas uestra regia teneat: Eorum consuetudines, quas plurimas habēt, sic barbaræ sunt, ut hic nunc sufficienter satis enarrari non ualeant. Et quoniā in meis hisce bis geminis nauigationibus, tam uaria diuersaq;, ac tam à nostris rebus & modis differentia perspexi, idcirco libellum quempiam, quē Quatuor diætas, siue Quatuor nauigationes appello, conscribere paraui, conscripsiq;, in quo maiorum rerum à me uisarum partē distincte satis, iuxta ingenioli mei tenuitatē collegi, ueruntamen non adhuc publicaui. In illo uero quoniā omnia particulariter magis ac singillatim tangentur, idcirco uniuersalia hic solummodo prosequens, ad nauigationem nostram priorem perficiendam, à qua paulisper digressus fueram, iam redeo. IN HOC nauigij nostri primordio notabilis commoditatis res non uidimus, idcirco, ut opinor, quod eorum linguam nō capiebamus, præterq; nonnullam auri denotantiam, quod nōnulla indicia in tellure illa esse monstrabant. Hæcce uero tellus quo ad sui situm positionemq; tam bona est, ut uix dari melior queat. Concordauimus autem, ut illam derelinquentes, longius nauigationem produceremus. Qua unanimitate suscepta, nos dehinc aridam ipsam collateraliter semper sectantes, necnon gyros multos, scalasq;

plures circumeuntes, & interim cum multis uarijsq; locorũ illorum incolis A
conferentiam habentes, tandem certos post aliquot dies portui cuidã appli
cuimus in quo nos grandi à periculo altitono spiritui cõplacuit eripere. Hu-
ius enim modi portũ quamprimum introgressi fuimus, populationẽ unam
eorum, hoc est, pagum, aut uillam super aquas, ut Venetię, positam compe-
rimus, in qua ingentes XX. ædes aut circiter erant, in modum companarũ,
ut prætactum est, effectæ, atq; super ligneis uallis solidis & fortibus firmiter
fundatæ, præ quarum porticibus leuaticij pontes porrecti erãt, per quos ab
altera ad alteram tanquam per compactissimam stratam trãsitus erat. Igitur
huiusmodi populationis incolæ quamprimum nos intuiti sunt, magno pro-
pter nos timore affecti sunt: quam ob rem suos cõfestim pontes omnes con-
tra nos eleuauerunt, & sese deinde in suis domibus abdiderunt. Quam rem
prospectantibus nobis, & haud parum admiratibus, ecce duodecim eorum
lintres uel circiter singulas ex solo arboris caudice cauatas, quo nauiũ gene
re utuntur, ad nos interim per æquor aduentare conspeximus, quorum nau
cleri effigiem nostram habitumq; mirantes, ac sese circum nos undique cir-
cumferentes, nos eminus aspiciebant. Quos nos quoq; ex aduerso prospici
entes, plurima eis amicitię signa dedimus, quibus eos, ut ad nos intrepidi ac
cederent exhortabamur, quod tamen efficere cõtempserunt. Quam rem no
bis percipientibus mox ad eos remigare incepimus, qui nequaquã nos prę-
stolati sunt, quinimmo omnes confestim in terram fugerunt, datis nobis in-
terim signis, ut illos paulisper expectaremus, ipsi enim extẽplo reuersuri fo-
rent. Tumq; in montem quendam properauerunt, à quo eductis bis octo iu-
uẽculis, & in lintribus suis præfatis unà secum assumptis, mox uersus nos re
gressi sunt. Et post hæc ex iuuẽculis ipsis quatuor in singulis nauiũ nostrarũ
posuerunt, quem faciendi modum nos haud parum admirati tunc fuimus,
prout uestra satis perpẽdere potest maiestas. Cæterumq; cum lintribus suis
præmissis inter nos nauesq; nostras cõmixti sunt, & nobiscũ sic pacifice lo- B
quuti sunt, ut illos amicos nostros fidelissimos esse reputaremus. Interea ue
ro ecce quoq; ex domibus eorum præmemoratis gens nõ modica per mare
natitans aduentare cœpit, quibus ita aduenientibus & nauibus nostris iam
appropinquare incipientibus, nec tamen proinde mali quicquam adhuc su
spicaremur, rursum ad earundem domorum eorum fores, uetulas nonnullas
conspeximus, quæ immaniter uociferãtes, & cœlum magnis clamoribus im
plentes, sibimet in magnæ anxietatis indicium proprios euellebãt capillos:
quę res magnam mali suspicionem nobis tunc attulit. Tumq; subito factum
est, ut iuuenculę illæ quas in nostris imposuerũt nauibus, mox in mare pro-
silirent, ac illi qui in lintribus erant, sese à nobis elongantes mox contra nos
arcus suos intenderent, nosq; durissime sagittarent. Qui uero à domibus per
mare natantes adueniebãt, singulis latentes in undis lanceas ferebãt, ex qui-
bus eorum proditionem cognouimus. Et tum non solum nosmet magnani-
miter defendere, uerumetiam illos grauiter offendere incepimus. Ita ut plu-
res eorum faselos cum strage eorum non parua perfregerimus, & penitus in
ponto submerserimus: propter quod reliquis faselis suis cum damno eorum
maximo relictis, per mare natantes omnes in terram fugerunt, interemptis
ex eis uiginti uel circiter, uulneratis uero pluribus: & ex nostris quinq; dun
taxat læsis, qui omnes ex dei gratia incolumitati restituti sunt. Cõprehendi-
mus autem & tunc ex prætactis iuuenculis duas, & uiros tres, ac dehinc do-
mos eorum uisitauimus, & in illas introiuimus: uerum in eis quicquã, nisi ue
tulas duas & ægrotantẽ uirum unicũ, non inuenimus: quas quidem eorum
domos igni succendere non uoluimus, ob id quod conscientiæ scrupulum
hoc ipsum esse formidabamus. Post hæc autem ad naues nostras cum præ-
tactis captiuis quinq; remeauimus, & eosdem captiuos, præterquam iuuen-
culas ipsas in compedibus ferreis alligauimus. Eædem uero iuuẽculæ, capti
uorumq; uirorum unus superuenienti nocte à nobis subtilissime euaserunt.
His

A His itaq; peractis, sequenti die concordauimus, ut relicto portu illo, longius secũdum collem procederemus, percursisq; LXXX. fere leucis, gentem aliã quandam comperimus, lingua & conuersatione penitus à priore diuersam, Conuenimusq; ut classem inibi nostram ancoraremus, & deinde in terram ipsam cum nauiculis nostris accederemus. Vidimus autem tunc ad litus in plaga gentium turbam IIII. míllia personarum uel circiter existere, qui quũ nos appropinquare persenserũt, nequaquam nos præstolati sunt, quinimmo cunctis quæ habebant relictis, omnes in syluas & nemora diffugerũt. Tum uero in terram prosilientes, & uiam unam in syluas tendentem, quantus est balistæ iactus perambulantes, mox tentoria plura inuenimus, quæ ibidem ad piscandum gens illa tetenderat, & in illis copiosos ad decoquendas epulas suas ignes accenderat, ac profecto bestias ac plures uariarum specierum pisces iam assabat. Vidimus autem inibi certum assari animal, quod erat, demptis alis quibus carebat, serpenti simillimum, tamq; brutum ac syluestre apparebat, ut eius non modicum miraremur feritatem. Nobis uero per eadem tentoria longius progredientibus, plurimos huiuscemodi serpentes uiuos inuenimus, qui ligatis pedibus, ora quoque funibus ligata, ne eadem aperire possent habebant, prout de canibus aut feris alijs, ne mordere queant effici solet. Aspectum tam ferum eadem præ se ferunt animalia, ut nos illa uenenosa putantes nullatenus auderemus contingere. Capreolis in magnitudine, brachio uero cum medio in longitudine æqualia sunt. Pedes longos materialesq; multum ac fortibus ungulis armatos, necnon & discolorem pellem diuersissimam habent, rostrumq; ac faciem ueri serpentis gestant, à quorum naribus usque ad extremam caudam seta quædam per tergũ sic protenditur, ut animalia illa ueros serpentes esse iudicaremus, & nihilominus eis gens præfata uescitur. Panem suum gens eadem ex piscibus

B quos in mari piscantur efficiunt. Primùm enim pisciculos ipsos in feruenti aqua aliquantisper excoquunt. Deinde uero contundunt & compistant & in panes conglutinant, quos super prunas insuper torrent, et tandem inde postea manducant: hos quidem panes probantes quambonos esse reperimus. Alia quoque quàm multa esculenta cibariaq; tam in fructibus quàm in uarijs radicibus retinent, quæ longum enumerare foret. Quum autem à syluis ad quas aufugerant non redirent, nihil de rebus eorum, ut amplius de nobis securi fierent, auferre uoluimus, quinimmo in eisdem eorum tentorijs permulta de reculis nostris, in locis quæ perpendere possent, derelinquẽtes ad naues nostras sub noctem repedauimus. Sequenti uero die quũ exoriri titan inciperet, infinitam in litore gentem existere percepimus, ad quos in terram tunc accessimus. Et quamuis se nostri timidos ostẽderent, seipsos tamen inter nos permiscuerunt, & nobiscum practicare ac cõuersari cum securitate cœperũt, amicos nostros se plurimum fore persimulantes, insinuantesq; illic habitationes eorum non esse, uerum quod piscandi gratia aduenerant: & idcirco rogitãtes, ut ad eorũ pagos cum eis accederemus, ipsi etenim nos tanquam amicos recipere uellent: & hanc quidem de nobis conceperãt amicitiam, captiuorũ illorum duorũ, quos tenebamus occasione, qui eorum inimici erant. Visa autem eorum magna rogandi importunitate, cõcordauimus XXIII. ex nobis cum illis in bono apparatu, cum stabili mente, si cogeret necessitas, omnes strenue mori. Quum itaq; nobiscum per tres extitissent dies, & tres cum eis per plagam terramq; illam excessissemus leucas, ad pagum unum nouem dumtaxat domorum uenimus, ubi cum tot tamq; barbaris cerimonijs ab eis suscepti fuimus, ut scribere pẽna nõ ualeat, utpote cum choreis, & canticis, ac planctibus hilaritate & lætitia mixtis, necnõ cum ferculis cibarijsq; multis. Et ibidem nocte illa requieuimus, ubi proprias uxores suas nobis cum omni prodigalitate obtulerunt: quæ quidem nos sic importune solicitabant, ut uix eisdem resistere sufficeremus. Postquam autem illic nocte una cum media die perstitimus, ingens admirabilis'que populus absq;

absq; cunctatione ſtuporeq; ad nos inſpiciendos aduenit, quorum ſeniores nos quoque rogabant, ut ſecum ad alios eorum pagos, qui longius in terra erant cõmearemus, quod & quidem eis annuimus. Hic dictu facile non eſt, quantos ipſi nobis impenderunt honores. Fuimus autem apud quammultas eorum populationes, per integros nouem dies cum ipſis euntes, ob quod nobis noſtri qui in nauibus remanſerant, retulerunt ſocij ſe idcirco plerũq; in anxietate timoreq; nõ minimo extitiſſe. Nobis autem bis nouem leucis aut circiter in eorum terra exiſtẽtibus, ad naues noſtras repedare propoſuimus. Et quidem noſtro in regreſſu tam copioſa ex eis uirorum ac mulierum multitudo accurrit, qui nos uſque ad mare proſequuti ſunt, ut hoc ipſum mirabile foret. Quumq; noſtri quempiam ex itinere fatigatum iri contingeret, ipſi nos ſubleuabãt, & in ſuis retiaculis, in quibus dormitant, ſtudioſiſsime ſubuehebant. In tranſitu quoque fluminum, quæ apud eos plurima ſunt & maxima, ſic nos cum ſuis artificijs ſecure tranſmittebant, ut nulla uſquam pericula pertimeſceremus. Plurimi etiam eorum eos comitabantur rerum ſuarũ onuſti, quas nobis dederant, in retiaculis illis quibus dormiunt uectantes plumaria, uidelicet, prædita, necnon arcus multos ſagittasq; multas ac infinitos diuerſorum colorum pſitacos. Alij quoque complures ſupellectilem ſuam totam ferentes, animalia etiam ſua ſecum ducebant. Et quiddam admirabile dicam, quod is ſe fortunatum felicemq; putabat, qui in tranſmeandis aquis nos in collo dorſo'ue ſuo tranſuectare poterat. Quamprimum autem ad mare pertigimus, & faſelos noſtros conſcendere uoluimus, in ipſo faſelorum noſtrorum aſcenſu, tanta ipſorum nos comitantium & nobiſcum aſcendere concertantium, ac naues noſtras uidere concupiſcẽtium preſſura fuit, ut noſtri idem faſeli penè præ pondere ſubmergerẽtur. In ipſis autem noſtris eiſdem faſelis recepimus ex eis nobiſcũ quotquot potuimus, ac eos ad naues noſtras uſque perduximus. Tanti etiam illorum per mare natantes, & unà nos concomitantes aduenerunt, ut tot aduentare moleſtiuſcule ferremus: quum ſiquidem plures quàm mille in noſtras naues, licet nudi & inermes introiuiſſent, apparatum artificiumq; noſtrum, necnon & nauium ipſarum magnitudinem mirantes. Aſt tunc quiddam riſu dignum accidit: nam quum machinarum tormentorumq; bellicorum noſtrorum quædam exonerare concuperemus, & propter hoc impoſito igne, machinæ ipſę horridiſsimæ tonuiſſent, pars illorũ maxima, audito huiuſcemodi tonitruo, ſeſe in mare natitans præcipitauit, ueluti ſolitæ ſunt ranæ in ripa ſidentes: quæ ſi fortaſsis tumultoſum quicquam audiunt, ſeſe in profundum luti latitaturæ immergunt, quemadmodum & gens illa tunc fecerunt, illiq; eorum qui ad naues aufugerãt, ſic tunc perterriti fuerunt, ut nos facti noſtri noſmet reprehenderemus. Verum illos mox ſecuros eſſe fecimus, nec amplius ſtupidos eſſe permiſimus, inſinuantes eis quod cũ talibus armis hoſtes noſtros perimeremus. Poſtquam autem illos illa tota die in nauibus noſtris feſtiue tractauimus, ipſos à nobis abituros eſſe monuimus, quoniam ſequenti nocte nos abhinc abſcedere cupiebamus. Quo audito, ipſi cũ ſumma amicitia beneuolentiaq; mox à nobis egreſsi ſunt. In hac gente eorumq; terra quammultos eorum ritus uidi cognouiq;, in quibus hic diutius immorari non cupio. Quum poſtea noſſe ueſtra queat maieſtas, qualiter in quauis nauigationum harum mearum magis admiranda annotatuq; digniora conſcripſerim, ac in libellũ unum ſtylo geographico collegerim, quem libellum Quatuor diætas intitulaui, & in quo ſingula particulariter & minutim notaui: ſed hactenus à me nõ emiſi, ob id quòd illũ adhuc reuiſere collationareq; mihi neceſſe eſt. Terra illa gẽte multa populoſa eſt, ac multis diuerſiſq; animalibus & noſtris pauciſſime ſimilibus undique denſiſſima: demptis leonibus, urſis, ceruis, ſuibus, cepreoliſq;, & damis, quę & quidem deformitatem quandã à noſtris retinẽt: equis, ac mulis, aſiniſq;, & canibus, ac omni minuto pecore, ut ſunt oues & ſimilia, necnõ & uaccinis armentis penitus carẽt: uerũtamen

A (margin mark beside first line); B (margin mark beside "autem noſtris eiſdem faſelis…")

aliis quamplurimis uariorum generum animalibus, quæ non facile dixerim abundantes sunt, sed tamen omnia syluestria sunt, quibus in suis agendis minime utuntur. Quid plura? Hi tot tantisq; diuersorum modorũ ac colorum pennarumq; alitibus fœcundi sunt, ut id sit uisu enarratuq; mirabile. regio si quidem illa multũ amœna fructiferaq; est syluis ac nemoribus maximis plena, quæ omni tempore uirent, nec eorum unquam folia fluũt. Fructus etiam innumerabiles & nostris omnino dissimiles habent. Hæcce tellus in torrida zona sita est directe sub paralelo, qui cancri tropicum describit, unde polus horizontis eiusdem se uiginti tribus gradibus eleuat in fine climatis secundi. Nobis autem inibi existentibus nos contemplatum populus multus aduenit, effigiem albedinemq; nostram mirantes: quibus unde ueniremus sciscitantibus, è cœlo inuisendæ terræ gratia nos descendisse respondimus, quod & utique ipsi credebant: in hac tellure baptisteria fontes'ue sacros plures instituimus: in quibus eorum infiniti seipsos baptizari fecerunt, se eorũ lingua charaibi, hoc est, magnæ sapientiæ uiros uocantes. Et prouincia ipsa Parias ab ipsis nuncupata est. Postea autem portum illum terramq; derelinquentes, ac secundũ collem transnauigantes, & terram ipsam uisu semper sequentes, DCCCLX. leucas à portu illo percurrimus, facientes gyros circuitusq; interim multos, & cum gentibus multis conuersantes practicantesq;: ubi in plerisq; locis aurum, sed non in grandi copia, eminus quum nobis terras illas reperire, & si in eis aurum foret, tunc sufficeret cognoscere. Et quia tunc tredecim iam mensibus in nauigatione nostra perstiteramus, et naualia nostra, apparatusq; nostri, toti penè consumpti erant, hominesq; labore perfracti: communem inter nos de restaurandis nauiculis nostris, quæ aquam undique recipiebant, & repetunda Hispania iniuimus concordiam: in qua dum persisteremus unanimitate, prope portum unum eramus totius orbis optimum, in quem cum nauibus nostris introeuntes, gentem ibidem infinitam inuenimus, quæ nos cum magna suscepit amicitia: in terra autem illa nauiculam unam cum reliquis nauiculis nostris ac doliis nouã fabricauimus, ipsasq; machinas nostras ac tormenta bellica, quæ in aquis undiq; penè perierant, in terram suscepimus, nostrasq; naues ab eis exonerauimus, & post hæc in terrã traximus, & refecimus correximusq;, & penitus reparauimus. In qua re eiusdem telluris incolæ, nõ paruum nobis adiuuamen exhibuere, quin immo nobis de suis uictualibus ex affectu largiti sponte sua fuere, propter quod inibi perpauca de nostris consumpsimus: quam quidem rem ingenti pro beneplacito duximus, quum satis tenuia tunc teneremus, cum quibus Hispaniam nostram non nisi indigentes repetere potuissemus. In portu autem illo XXXVII. diebus perstitimus, frequentius ad populationes eorum cum eis euntes, ubi singuli nobis non paruum exhibebant honorem. Nobis autem portũ eundem exire, & nauigationem nostram reflectere concupiscentibus, conquesti sunt illi gentem quandam ualde ferocem, & eis infestam existere, qui certo anni tempore per uiam maris in ipsam eorum terram per insidias ingressi, nunc proditorie, nunc per uim quam multos eorum interimerent, manducarentq; deinde: alios uero in suam terram suasq; domos captiuatos ducerent, cõtra quos ipsi se uix defendere possent, nobis insinuantes gentem illam quandam inhabitare insulam, quæ in mari leucis centum aut circiter erat. Quam rem ipsi nobis cum tanto affectu ac querimonia commemorauerunt, ut eis ex condolentia magna crederemus, promitteremusq;, ut de tantis eos uindicaremus iniuriis: propter quod illi lætantes non parum effecti, sese nobiscum uenturos sponte sua propria obtulerũt, quod plures ob causas acceptare recusauimus, demptis septẽ, quos data conditione recepimus, ut soli in suis lintribus in propria remearent, quoniam reducendorum eorum curam suscipere nequaquam intendebamus, cui conditioni ipsi quàm gratanter acquieuerunt. Et ita illos amicos nostros plurimũ effectos derelinquentes, ab eis abscessimus. Restauratis autem reparatisq; naualibus nostris, septem per gyrum maris, uento inter Græcum & Leuantem

tem nos ducente, nauigauimus dies. Post quos plurimis obuiauimus insu- A
lis, quarum quidem aliæ habitatæ, aliæ uero desertę erant. Harum igitur uni tandem appropinquantes, & naues nostras inibi listere facientes, uidimus ibidem quammaximum gentis aceruum, qui insulam illam Ity nuncuparēt, quibus prospectis, & nauiculis phaselisq; nostris uiris ualidis, & machinis tribus, stipatis, terræ eidem uicinius appropinquantes, quadringentos uiros cū mulieribus quammultis iuxta litus esse conspeximus: qui, ut de prioribus habitum est, omnes nudi meantes, corpore strenuo erant, necnon bellicosi plurimum, ualidiq; apparebant, quum siquidem omnes armis suis, arcubus, uidelicet, & sagittis, lanceisq; armati essent, quorum quoq; complures parmas etiam, quadrata ue scuta gerebāt, quibus sic opportune sese præmuniebāt, ut eos in iaculandis sagittis suis in aliquo nō impedirent. Quūq; in phaselis nostris terræ ipsi quantus est sagittæ uolatus appropiassemus, omnes citius in mare prosilierunt, & infinitis emisis sagittis sese contra nos strenue, ne in terram descendere possemus, defendere occeperunt. Omnes uero per corpus diuersis coloribus depicti, & uarijs uolucrum pennis ornati erant: quos hi qui nobiscum uenerant aspicientes, illos ad præliandum paratos esse, quotiescunque sic picti, aut auium plumis ornati sunt, nobis insinuauerunt. Intantum autem introitum terræ nobis impedierunt, ut saxiuomas machinas nostras in eos coacti fuerimus emittere, quarum audito tumultu, impetuq; uiso, necnon ex eis plerisq; in terram mortuis decidisse prospectis, omnes in terram sese receperunt. Tumq; facto inter nos cōsilio XLII. de nobis in terram post eos concordauimus exilire, et aduersus eos magno animo pugnare, quod & quidem fecimus. Nam tum aduersum illos in terram cum armis nostris prosiliuimus, cōtraq; illi sic sese nobis opposuerunt, ut duabus ferme horis continuum inuicem gesserimus prælium, præter id quod de eis magnam faceremus uictoriam, demptis eorum perpaucis, quos balistarij co- B
lubrinarijq; nostri, suis interemerunt telis, quod idcirco ita effectum est, quia seipsos à nobis ac lanceis ensibusq; nostris subtiliter subtrahebant. Veruntamen tanta demum in eos incurrimus uiolentia, ut illos cum gladijs mucronibusq; nostris cominus attingeremus. Quos quidem quum persensissent, omnes in fugam per syluas & nemora conuersi sunt, ac nos campi uictores, interfectis ex eis uulneratisq; plurimis, deseruerunt. Hos autem pro die illa longiore fuga nequaquam insequi uoluimus, ob id quòd fatigati nimium tunc essemus: quin potius ad naues nostras cum tāta septem illorum qui nobiscum uenerant, remeauimus lætitia, ut tantum in se gaudium uix ipsi suscipere possent. Sequenti autem aduentante die uidimus per insulam ipsam, copiosam gentium appropinquare cateruam, cornibus instrumentisq; alijs, quibus in bellis utuntur, buccinantem: qui & quoq; depicti omnes, ac uarijs uolucrum plumis ornati erant, ita ut tueri mirabile foret: quibus perceptis, ex inito rursum inter nos deliberauimus consilio, ut si gens hæc nobis inimicitias pararet, nosmet omnes in unum congregaremus, uideremusq; mutuo semper, ac interim satageremus, ut amicos nobis illos efficeremus: quibus amicitiam nostrā non recipientibus, illos quasi hostes tractaremus, ac quotquot ex eis comprehēdere ualeremus, seruos nostros ac mancipia perpetua faceremus: & tunc armatiores ut potuimus, circa plagam ipsam in gyrum nos collegimus. Illi uero, ut puto, præ machinarum nostrarum stupore, nos in terram tunc minime prohibuerunt exilire. Exiuimus igitur in eos in terrā quadrifariam diuisi LVII. uiri singuli decurionem suum sequentes, & cum eis longum manuale gessimus prælium. Verumtamen post diuturnam pugnam, plurimumq; certamen, necnon interemptos ex eis multos, omnes in fugam coegimus, & adusq; populationem eorū unà prosequuti fuimus: ubi comprehensis ex eis XXV. captiuis, eandem eorū populationem igni combussimus, & insuper ad naues nostras cū ipsis XXV. captiuis repedauimus, interfectis ex eadem gente uulneratisq; plurimis. Ex nostris autem interem

A pto duntaxat uno, sed uulneratis XXII. qui omnes ex dei adiutorio sanitatem recuperauerũt. Cæterùm autem recursu in patriam per nos deliberato ordinatoq;, uiri septem illi, qui nobiscum illuc uenerant, quorum quinq; in præmisso bello uulnerati extiterant, phaselo uno in insula illa arrepto, cum captiuis septem, quos illis tribuimus, tres, uidelicet, uiros, & quatuor mulieres in terrã suam cum gaudio magno, magna uirium nostrarum admiratione regresi sunt. Nosq; Hispaniæ uiam sequentes, Calicium tandem repetiimus portum, cum CCXXII. captiuatis personis, decimo quinto Octobris die. Anno domini M. CCCCXCXVIII. Vbi lętissime suscepti fuimus, ac ibi eosdem captiuos nostros uendidimus. Et hæc sunt quæ in hac nauigatione nostra priore, notatu digniora conspeximus.

AMERICI VESPVTII
NAVIGATIO SECVNDA.



QVantum ad secundariæ nauigationis cursum, & ea quæ in illa memoratu digna conspexi, dicetur in sequẽtibus. Eandem igitur inchoantes nauigationẽ, Calicium exiuimus portũ, añ domini MCCCCLXXXXIX. undecimo Maij die. Quo exitu facto, nos cursum nostrum Campiuiridis ad insulas arripientes, necnon ad insularum magnæ Canariæ uisum transabeuntes, in tantum nauigauimus, ut insulæ cuidam, quæ Ignis insula dicitur, applicaremus: ubi facta nobis de lignis & aqua prouisione, & nauigatione nostra rursum per Lebeccium uentum incepta. post enauigatos XIX. dies, terram quandam nouam tandem tenuimus, quamquidem firmam existere censuimus, contra illam de qua facta in B superioribus mentio est, & quæ quidem, terra in zona torrida extra lineam æquinoctialem ad partem Austri sita est: supra quam meridionalis polus se quinq; exaltat gradibus extra quodcunq; clima, distatq; eadem terra à prænominatis insulis, ut per Lebeccium uentum constabat, leucis quingentis. In qua terra dies cũ noctibus æquales XXVII. Iunij, quum sol in cancri tropico est, existere reperimus. Eandem terram in aquis omnino submersam, nec nõ magnis fluminibus perfusam esse inuenimus, quæ & quidem semet plurimum uiridem, & proceras altisimasq; arbores habentem monstrabat, unde neminem in illa esse tunc percepimus. Tum uero cõstitimus, & classem nostram ancorauimus, solutis nonnullis phaselis, cum quibus in terram ipsam accedere tentauimus. Porro nos aditum in illam quærẽtes, & circum eam sæpius gyrantes, ipsam ut prætactum est, sic fluminum undis ubiq; perfusam inuenimus, ut nusquam locus esset, qui maximis aquis nõ immadesceret. Vidimus tamen interim per flumina ipsa signa quàm multa, quemadmodũ ipsa eadem tellus inhabitata esset & incolis multis fœcunda. At quoniam eadem signa consideraturi, in ipsam descẽdere nequibamus, ad naues nostras reuerti concordauimus, quod & quidem fecimus. Quibus ab hinc exancoratis, postea inter Leuantem & Serocсum uentum collateraliter secundum terram, sic spirante uẽto, nauigauimus pertẽtantes sæpius interim, pluribus quàm quadraginta durantibus leucis, si in ipsam penetare insulam ualeremus. Qui labor omnis inanis extitit: quum siquidem illico in latere maris fluxum, qui à Serocco ad magistralem abibat, sic uiolentum comperimus, ut idem mare se nauigabile non præberet. Quibus cognitis inconuenientibus, consilio facto conuenimus, ut nauigium nostrum per mare ad magistralem reflecteremus: tumq; secundùm terram ipsam in tantum nauigauimus, ut tandem portui uni applicaremus, qui bellisimam insulam, bellisimumq; sinum quẽdam in eius ingressu tenebat: supra quem nobis nauigantibus, ut in illum introire possemus, immensam in insula ipsa gentium turbam à mari quatuor leucis aut circiter distãtem uidimus. Cuius rei gratia læti non parum extitimus. Igitur paratis nauiculis nostris, ut in eãdem in su-

lam uaderemus,lintrem quandam,in qua perſonæ complures erant,ex alto A
mari uenire uidimus: propter quod tūc cōuenimus,ut eis inuaſis ipſos con-
prehenderemus:& tunc illos nauigare,& in gyrum,ne euadere poſſent cir-
cundare occepimus:quibus ſua quoq; uice nitentib.uidimus illos,aura tem
perata manente,remis ſuis omnibus ſurſum erectis,quaſi firmos ac reſiſten-
tes ſe ſignificare uelle:quam rem ſic idcirco illos efficere putauimus,ut inde
nos in admirationem conuerterent.Quum uero ſibi nos cominus appropin
quare cognouiſſent,remis ſuis in aquam conuerſis, terram uerſus remigare
inceperunt. At tunc nobiſcum carbaſum unam quadraginta quinq; dolio
rum uolatu celerrimam educebamus,quæ tunc tali nauigio delata eſt,ut ſu-
bito uentum ſuper eos obtineret. Quumq; irruendi in illos aduenieſſet com-
moditas, ipſi ſeſe apparatumq; ſuum in phaſelo ſuo ordinate ſpargentes,ſe
quoq; ad nauigandum accinxerunt.Itaque quum eos præterijſſemus, tunc
fugere conati ſunt.At nos nonnullis tunc expeditis phaſelis, ualidis uiris ſti
patis, illos tunc cōprehendere putātes,mox in eos incurrimus: contra quos
bis geminis ferè horis nobis nitentibus, niſi carbaſus noſtra, quæ curſu eos
præterierat, rurſum ſuper eos reuerſa fuiſſet, illos penitus amittebamus.
Quum uero ipſi ſe eiſdem noſtris phaſelis carbaſoq; undiq; conſtrictos eſſe
perſpicerent,omnes,qui circiter uiginti erāt,& à terra duabus ferè leucis di
ſtabant,in mare ſaltu proſilierunt:quos nos cum phaſelis noſtris tota proſe-
quentes die,nullos ex eis,niſi tantummodo duos, prendere potuimus, alijs
omnibus in terram ſaluis abeuntibus.In lintre autem eorum quam deſerue-
rant,bis gemini iuuenes extabant, non de eorum gente geniti, ſed quos in
tellure aliena rapuerant,quorum ſingulis ex recenti uulnere uirilia abſcide-
rant:quæ res admirationem non paruam nobis attulit. Hos autem quum in
noſtras ſuſcepiſſemus nauiculas,nutibus nobis inſinuarūt, queāmdmodum
illi eos ab ipſis manducandos abducerēt:indicantes interim quòd gens hæc
tam effera & crudelis, humanarū carnium comeſtrix, Canibali nuncupare
tur.Poſtea autem nos ipſam eorum lintrem nobiſcum trahētes, & cum na- B
uiculis noſtris curſum terrā eorū uerſus arripientes,parumper interim con-
ſtitimus,& naues noſtras media tantū leuca à plaga illa diſtantes ancoraui-
mus, quū in litore populū plurimū oberrare uidiſſemus, in illam cum ipſis
nauiculis noſtris ſubito properauimus,ductis nobiſcū duobus illis,quos in
lintre à nobis inuaſa comprehenderamus. Quamprimū autem terrā ipſam
pede contigimus: omnis trepidi & ſeipſos abdituri in uicinas nemorum la
tebras diffugerunt: Tum uero uno ex illis quos prehenderamus abire per-
miſſo,& plurimis illi amicitiæ ſignis,necnō nolis,cymbalis,ac ſpeculis ple-
riſq; datis, diximus ei,ne propter nos cæteri qui aufugerant expaueſcerent,
quoniam eorum amici eſſe plurimum cupiebamus.Qui abiens iuſſa noſtra
ſolerter impleuit,gente illa tota, quadringētis, uidelicet,ferè uiris cum fœ-
minis multis à ſyluis ſecum ad nos eductis.Qui inermes ad nos ubi cum na-
uiculis noſtris eramus,omnes uenerunt,& cum quibus tunc amicitiam bo-
nam firmauimus, reſtituto quoque eis alio, quem captiuum tenebamus,&
pariter eorum lintrem,quam inuaſeramus per nauium noſtrarum ſocios,a-
pud quos erat,eis reſtitui mandauimus.Porrò hæc eorum linter quæ ex ſo-
lo arboris trunco cauata, & multum ſubtiliter effecta fuerat, longa uiginti
ſex paſsibus, & lata duobus brachijs erat:hāc quum à nobis recuperaſſent,
& tuto in loco fluminis repoſuiſſent, omnes à nobis repente fugerunt, nec
nobiſcū amplius cōuerſari uoluerūt. Quo tam barbaro facto cōperto,illos
male fidei,malæq; conditionis exiſtere cognouimus.Apud eos aurū dunta-
xat pauculum,quod ex auribus geſtabāt, uidimus. Itaq; plaga illa relicta &
ſecundum eam nauigatis octoginta circiter leucis, ſtationem quandam na-
uiculis tutam reperimus,in quam introëuntes tātas inibi comperimus gen-
tes, ut id admirabile foret. Cum quibus facta amicitia, iuimus deinde cum
eis ad complures eorū pagos, ubi multum ſecure, multumq; honeſte ab eis
ſuſcepti

A susceptí fuimus, & ab eis interim quingentos uniones unica nola emimus, cum auro modico, quod eis ex gratia contulimus. In hac terra uinum ex fru ctibus semẽtibusq; expressum, ut ciceram ceruisiam'ue albam & rubentem bibunt: melius autem ex myrrhæ pomis ualde bonis confectum erat: ex qui bus cum multis quambonis alijs fructibus gustui sapidis, & corpori salubri bus, abũdanter comedimus: propterea quod tempestiue illuc adueneramus Hæc eadem insula eorum rebus supellectili'ue quammultum abundans est, gensq; ipsa bonæ conuersationis & maioris pacificentiæ est, quàm usquã alibi reperiremus aliam. In hoc portu decem & septem diebus cum ingenti placito perstitimus, uenientibus quotidie ad nos populis multis, nos effigiemq; nostram & albedinem necnon uestimẽta armaq; nostra, & nauium nostrarum magnitudinem admirantibus. Hi etiam nobis gentem quandam eis infestam occidentem uersus existere retulerunt: quæ gens infinitam habebat unionum quantitatem, quodq; quosipsi habebãt uniones, eisdem inimicis suis in belligerationibus aduersus eos habitis abstulerant: nos quoque & quemadmodum illos piscarentur, & quemadmodum nascerentur edocentes. Quorum dicta uera profecto esse cognouimus, prout & maiestas uestra posthæc amplius intelligere poterit. Relicto autem portu illo, & secundùm plagam eandem, in quam cõtinue gentes affluere prospiciebamus, cursu nostro producto, portum quendam alium reficiendæ unius nauiculæ nostræ gratia, subiuimus, in quo gentem multam esse comperimus, cum quibus nec ui, nec amicitia conuersationem obtinere ualuimus: illis si quando que in terram cum nauiculis nostris descenderemus, se contra nos aspere defendentibus, & si quandoque nos sustinere non ualerent, in syluas aufugientibus, & nos nequaquam expectantibus: quorum tantam barbariem nos cognoscentes, ab eis hinc discessimus. Tuncq; inter nauigandum insu
B lam quandam in mari leucis à terra quindecim distantem uidimus, quam si in ea populus quispiam esset, inuisere concordauimus. In illam igitur accele rantes, quandam inibi inuenimus gentem, quæ omnium bestialissima simplicissimaq; omnium quoque gratiosissima benignissimaq; erat. Cuius qui dem gentis ritus & mores eiusmodi sunt.

De eiusdem gentis ritu & moribus.

HI uultu ac gestu corporis brutales admodum extant, singuliq; maxillas herba quadam uiridi introrsum repletas habebant, quam pecudum instar usque ruminabant, ita ut uix quicquam eloqui possent: quorum quoque singuli ex collo pusillas siccatasq; cucurbitas duas, alteram herba ipsa, quam in ore tenebant, alteràm uero farina quadam albida, gypso minuto simili plenam gerebant, habito bacillo quodam, quem in ore suo madefactum masticatumq; sæpius, in cucurbitam farina repletam mittebant, & deinde cum eo de eadem farina extrahebant, quam sibi post hæc in ore utrinque ponebant, herbam ipsam, quam in ore gestabant, eadem farina respergitando: & hoc frequentissime paulatimq; efficiebant. Quam rem nos admirati, illius causam secretumq;, aut cur ita facerent, satis nequiuimus comprehendere. Hæcce gens, ut experimento didicimus, ad nos adeò familiariter aduenit, ac si nobiscum sæpius antea negotiati fuissent, & longæuam amicitiam habuissent. Nobis autem per plagam ipsam cum eis ambulantibus col loquentibusq;, & interim recentem aquam bibere desiderantibus, ipsi per signa, se talibus aquis penitus carere insinuantes, ultro de herba farina'que quam in ore gestabant offerebant: propter quod regionem eandem aquis deficientem, quodq; ut sitim subleuarent suam, herbam ac farinam talem in ore gastarent intelleximus. Vnde factum est, ut nobis ita meantibus, & circum plagam eandem una die cum inedia illos concomitantibus, uiuidam aquam nusquam inuenerimus, cognouerimusq; quòd ea quam bibebant aqua, ex rore noctu super certis folijs, auriculis asini similibus, deciden te collecta erat. Quæ quidem folia eiusmodi rore nocturno tempore se im-

plebant: ex quo rore, qui optimus est, idem populus bibebat: sed tamen ta- A
libus folijs pleraque eorum loca deficiebant. Hæcce gens uictualibus, quæ in terra solida sunt, penitus carent: quinimmo ex piscibus quos in mari piscantur uiuũt. Etenim apud eos, qui magni piscatores existũt, pisciũ ingens abũdat copia, ex quibus ipsi plurimos turtures, ac quambonos pisces alios plures ultro nobis obtulerunt. Eorũ uxores herba, quã in ore uiri ipsi gerebant, nusquam utebãtur: uerũ singulę cucurbitã unã aqua impletam, ex qua biberent habebant. Nullos domorum pagos, nullaq; tiguria gens hæc habent, præterquã folia grandia quædã, sub quibus à solis feruore, sed non ab imbribus se protegunt: propter quod autumabile est, quòd parum in terra illa pluitet. Quũ aũt ad piscandũ mare adierint, foliũ unũ adeò grande secum quisq; piscaturus effert, ut illo in terrã defixo, & ad solis meatũ uersato, sub illius umbra aduersus æstum totum se abscondat. Hæcce in insula quammulta uariorũ generũ animalia sunt, quæ omnia aquã lutulentã bibunt. Videntes autem quod in ea commodi nihil nancisceremur, nos relicta illa aliam quandam insulam tenuimus: in quam nos ingredientes, & recentem unde biberemus aquam inuestigantes, putantes interim ipsam eandem terram à nullis esse habitatam, propterea quòd in ea neminem inter aduenienđũ prospexeramus, dum per arenã deambularemus, uestigia pedum quammagna nonnulla uidimus, ex quibus censuimus, quod si eisdem pedibus reliqua membra respondebant, homines in eadem terra grandissimi habitabant. Nobis autem ita per arenam deambulantibus, uiam unam in terram deducentem comperimus, secundùm quam nouem de nobis euntes, insulã ipsam inuisere parauimus, ob id quòd nõ quàm spatiosam illam, nec quàm multas in ea habitare gentes existimauimus. Pererrata igitur secundum eandem uiam una ferè leuca, quinq; in conualle quadam, quæ populatæ apparebant, uidimus casas: in quas introëuntes quinq; in illis reperimus mulieres, uetulas, uidelicet, duas & iuuenculas tres: quæ quidẽ omnes sic statura proceræ B
erant, ut inde ualde miraremur. Hæ autem protinus ut nos intuitæ sunt, adeò stupefactę permanserunt, ut aufugiẽdi animo penitus deficerẽt. Tumq; uetulæ ipsæ lingua eorũ nobiscum blandiuscule loquentes, & sese omnes in casam unam recipientes, permulta nobis de suis uictualibus obtulerunt. Eædem uero omnes longissimo uiro statura grandiores erant, & quidem ęque grandes ut Franciscus de Albicio, sed meliore quàm nos sumus proportione compactæ. Quibus ita compertis, posthæc una conuenimus, ut iuuenculis ipsis per uim arreptis, eas in Castiliam quasi rem admirandam abduceremus: in qua deliberatione nobis existentibus, ecce triginta sex, uel circiter uiri, multo quàm fœminæ ipsæ, altiores, adeò egregie compositi, ut illos inspicere delectabile foret, casam ipsam introire occœperunt: propter quos tanta tunc affecti fuimus animi turbatione, ut satius apud nauiculas nostras quàm cum tali gente esse duxissemus. Hi etenim ingentes arcus & sagittas, necnon & sudes perticasq; magnas instar clauarum ferebant. Qui ingressi loquebantur quoque inter se mutuo, ac si nos comprehendere uellent. Quo tali periculo percepto, diuersa etiam inter nos tunc fecimus consilia: unis ut illos in ipsa eadem casa inuaderemus: alijs uero nequaquam, sed foris potius & in platea, & alijs, ut nusquam aduersus eos pugnam quæreremus, donec quid agere uellent intelligeremus, asseuerantibus. Inter quæ consilia casam illã simulate exiuimus, & ad naues nostras remeare occœpimus: ipsiq; quantus est lapidis iactus, mutuo semper loquẽtes nos insequuti sunt, haud minore quàm nos, ut autumo, trepidãtes formidine, quum nobis manentibus ipsi quoque eminus manerent, & nisi nobis ambulantibus non ambularent. Quum uero ad naues nostras pertigissemus, & in illas ex ordine introiremus, mox omnes in mare prosilierunt, & quammultas post nos sagittas suas iaculati sunt, sed tunc eos perpaucum metuebamus: nam tunc machinarum nostrarum duas in eos, potius ut terrerentur quàm ut interirent, emisimus.

simus.

A simus. Quarum quidem tumultu percepto, omnes confestim in montem unum propinquum fuga abierunt. Et ita ab eis erepti fuimus, discessimusq; pariter. Hi omnes nudi, ut de prioribus habitum est, eunt: appellauimusq; insulam illam Gigantum, ob proceritatem eorum. Nobis autem ulterius & à terra paulo distantius transremigantibus sæpius interdũ cum eis pugnasse nobis accidit, ob id quod quicquam à tellure sua sibi tolli nequaquam permittere uellent. Et utique quidem repetundæ Castiliæ propositum iam nobis in mentem subierat, ob id potissimum, quòd uno iam ferè anno in mari perstiteramus, nec nisi tenuem alimentorum necessariorumq; aliorum munitionem retinebamus. Quæ quidem adhuc ex uehementibus, quos pertuleramus, solis caloribus iam contaminata iniquinatáque erant, quum ab exitu nostro à Campiuiridis insulis usque tunc continue per torridam nauigassemus zonam, & transuersim per lineam æquinoctialem bis, ut præhabitum est. In qua quidem uoluntate nobis perseuerantibus, nos à laboribus subleuare nostris sanctifico complacuit spiritui: nempe receptum quempiam pro rursum nouandis naualibus nostris nobis quærentibus, ad gentem quandam peruenimus, quæ nos cum maxima suscepit amicitia, & quam quidem unionum perlarum'ue Orientalium comperimus in numero maximo tenere. Propter quod quadraginta & septem diebus ibi perstitimus, & centum decem & nouem unionum marchas, pretio, ut æstimabamus, quadraginta non superante ducatos, ab eis comparauimus. Nam nolas, specularia, crystallinos'que nonnullos, necnon leuissima electri folia eis tãtum propter ea tradidimus. Nempe quotquot quilibet eorum obtineret uniones, eos pro sola nola donabat. Didicimus quoq; interdũ ab eis, quomodo & ubi illos piscarentur: qui & quidem ostreolas, in quibus nascuntur, nobis plures largiti sunt. Et pariter nonnullas mercati fuimus: ubi in quibusdam centum & triginta uniones, in quibusdam uero non totidem reperiebantur. Nouerit'que maiestas uestra, quod nisi permaturi sint,
B & à conchilijs in quibus gignuntur, per sese excidant, omnino perfecti non sunt. Quinimo in breui, ut sæpius ipse expertus sum, emarcescũt, & in nihil redacti sunt. Quum uero maturi fuerint, in ostrea ipsa inter carnes, preter id quod ipsis carnibus hæreant, se separant: & huiuscemodi optimi sunt. Effluxis igitur quadraginta & septem diebus, nec non gente illa, quam nobis plurimum amicam effeceramus, relicta, hinc ab eis excessimus, ob plurimarũ rerum nostrarum indigentiam, uenimusq; ad Antigliæ insulam, quam paucis nuper ab annis Christophorus Columbus discooperuit, in qua reculas nostras ac naualia reficiendo, mensibus duobus & diebus totidem permansimus, plures interdum Christicolarum inibi conuersantium contumelias perpetiendo, quas, prolixus ne nimium fiam, hic omitto. Eandem uero insulam uigesima secunda Iulij deserentes, percursa unius mensis cum medio nauigatione, Calicium tandem portum octauo mensis Septembris subiuimus: ubi cum honore profectuq; suscepti fuimus. Et sic per dei placitum finem nostra cepit secunda nauigatio.

AMERICI VESPVTII

NAVIGATIO TERTIA.



ME in Sibillia existente, & à pœnis atque laboribus, quos inter præmemoratas pertuleram nauigationes, paulisper requiescente, desiderante'que post hæc in perlarum terram remeare, fortuna fatigationum mearum nequaquam adhuc satura, serenissimo illi domino Emanueli Portugalliæ regi misit in cor, nescio ut quid, ut destinato nuncio literas regales suas ad me transmitteret, quibus plurimum rogabat ut ad eum apud Lisbonam celerius me transferrem: ipse etenim mirabilia mihi plurima faceret. Super qua re nondum tunc deli-

berauí : quinimo ei per eundemmet nuncium me minus bene dispositum, & tunc male habere significaui. Verum si quandoque reconualescerem, & maiestati eius regiæ meum forsan complaceret obsequium, omnia quæcunq; uellet ex animo perficerem. Qui rex percipiens, quod me ad se tunc traducere nequirem, Iulianum Bartholomæum Iocundum, qui tunc in Lisbona erat, rursum ad me destinauit cum commissione, ut omnibus modis me ad eundem regem secum perduceret. Propter cuius Iuliani aduentum & preces coactus tunc fui ad regem ipsum meare : quod qui me nouerant omnes, malum esse iudicarunt. Et ita à Castilia, ubi honor mihi non modicus exhibitus extiterat, ac rex ipse Castiliæ existimationem de me bonam conceperat, profectus sum : & quod deterius fuit, hospite insalutato, ac mox coram ipso rege domino Emanuele meipsum obtuli. Qui rex de aduentu meo non páruam uisus est concepisse lætitiam, plurimum me interdum rogitans, ut unà cum tribus eis conseruantiæ nauibus, quæ ad exeundum, & ad nouarum terrarum inquisitionem præparatæ erant, proficisci uellem : & ita, quia regum preces præcepta sunt, ad eius uotum consensi.

Tempus profectionis tertiæ.

IGitur ab hoc Lisbonæ portu cum tribus conseruantiæ nauibus die Maij decima M. D. I. abeuntes, cursum nostrum uersus magnæ Canariæ insulas arripuimus, secundum quas & ad earum prospectum instanter enauigantes, idem nauigium nostrum collateraliter secundùm Aphricam occidentem uersus sequuti fuimus. Vbi piscium quorundam, quos Phargi nuncupant, multitudinem maximam in æquore prendidimus, tribus inibi diebus moram facientes. Exinde autem ad partem illam Aethiopiæ, quæ Besilica dicitur, deuenimus : quæ quidem sub torrida zona posita est, & superquam quatuordecim gradibus se septentrionalis erigit polus in climate primo : ubi diebus undecim nobis de lignis & aqua prouisionem parantes restitimus, propter id quod Austrum uersus per Atlanticum pelagus nauigandi mihi inesset affectus. Itaque portum Aethiopiæ illum post hæc relinquentes, tunc per Lebeccium uentum in tantum nauigauimus, ut sexaginta & septem infra dies insusulæ cuidã applicuerimus, quæ insula septingentis à portu eodem leucis ad Lebeccij partem distaret. In quibus quidem diebus peius perpessi tempus fuimus, quàm unquam in mari quispiam antea pertulerit, propter uentorum nimborum'ue impetus, qui quamplurima nobis intulere grauamina, ex eo quòd nauigium nostrum lineæ præsertim æquinoctiali continue iunctum fuit. Inibiq; in mense Iunio hyems extat, ac dies noctibus æquales sunt, atque ipsæ umbræ nostræ continue uersus meridiem erant. Tandem uero omnitonanti placuit nouam unam nobis ostendere plagam, decima septima, scilicet, Augusti, iuxta quam, leuca sepositi ab eadem cum media, restitimus, & postea assumptis cymbis nonnullis in ipsam uisuri si inhabitata esset, profecti fuimus. Quam & quidẽ incolas plurimos habitare reperimus, qui bestijs prauiores erant, quemadmodum maiestas regia uestra post hęc intelliget. In hoc uero introitus nostri principio gentem non percepimus aliquam, quamuis oram ipsam per signa plurima, quæ uidimus, populo multo repletam esse intellexerimus. De qua quidem ora pro ipso serenissimo Castiliæ rege possessorium cepimus, inuenimusq; illam multum amœnã ac uiridem esse, & apparentię bonæ. Est autem extra lineã æquinoctialem Austrum uersus quinq; gradibus : & ita eadẽ die, ad naues nostras repedauimus. Quia uero lignorũ & aquæ penuriam patiebamur, concordauimus iterũ in terrã altera die reuerti, ut nobis de necessarijs prouideremus : in qua quidem nobis extantibus, uidimus stantes in unius montis cacumine gentes, quæ deorsum descendere non auderent, erantq; nudi omnes, necnon consimilis effigiei colorisq;, ut de superioribus habitum est. Nobis autem satagentibus, ut nobiscum conuersatum accederent,

non

A non sic securos eos efficere ualuimus, ut de nobis adhuc non differerent. Quorum obstinatione proteruiaq; cognita, ad naues sub noctem remeauimus, relictis in terra, uidentibus illis, nolis speculisq; nonnullis, ac rebus alijs. Quum'que nos in mari eminus esse prospicerent, omnes de ipso monte propter reculas quas reliqueramus descenderunt, plurima inter se admirationis signa facientes. Nec tunc de aliquo, nisi de aqua nobis prouidimus. Crastino autem effecto mane, uidimus è nauibus gentem eandem numero quàm antea maiorem, passim per terram ignes fumosq; facientem: unde nos existimantes, quòd nos per hoc ad se inuitarent, iuimus ad eos in terrã, ubi tunc populum plurimum aduenisse cõspeximus, qui tamen à nobis longe seipsos tenebant, signa facientes interim nonnulla, ut cum eis interius in insulam uaderemus. Propter quod factum est, ut ex Christicolis nostris duo protinus ad hoc parati, periculo ad tales eundi semetipsos exponerent, ut quales gentes ipsi forent, aut si quas diuitias species'ue aromaticas ullas haberent, ipsi cognoscerent. Quapropter in tantum nauium prætorem rogitauerunt, ut eis quod postulabant annueret. Tum uero illi ad hoc sese accingentes, necnon plerasq; de rebus suis minutis secum sumentes, ut inde agentibus eisdem mercarentur alias, abierunt à nobis, data conditione, ut ad nos post quinq; dies ad summum remeare soliciti essent: nos etenim illos tamdiu expectaremus. Et ita tunc iter suum in terram arripuerunt, atq; nos ad naues nostras regressum cepimus, ubi expectãdo eos diebus octo perstitimus: in quibus diebus gens permulta noua dietim fere ad plagam ipsam adueniebat, sed nusquam nobiscum colloqui uoluerunt. Septima igitur aduentante die nos in terram ipsam iterum tendẽtes, gentem illam mulieres suas omnes secum adduxisse reperimus. Quàm uero primum illuc peruenimus, mox ex eisdem uxoribus suis ad colloquendum nobiscum quamplures miserunt, fœ-

B minis tamen eisdem non satis de nobis confidentibus. Quod quidem nos attendentes, concordauimus ut iuuenem unum è nobis, qui ualidus agilisq; nimium esset, ad eas quoq; transmitteremus: & tunc ut minus fœminæ eædem metuerent, in nauiculas nostras introiuimus. Quo egresso iuuene, quũ seipsum inter illas immiscuisset, ac illæ omnes circũstantes contingerent palparentq; eum, & propter eum nõ parum admirarentur: ecce interea de monte fœmina una uallum magnum manu gestans aduenit: quæ postquã ubi iuuenis ipse erat appropiauit, tali eum ualli sui ictu à tergo percussit, ut subito mortuus in terrã concideret: quẽ confestim mulieres aliæ corripiẽtes, illum in montem à pedib. pertraxerunt, uiriq; ipsi qui in monte erant, ad litus cum arcubus & sagittis aduenientes, ac sagittas suas in nos conijcientes, tali gentem nostram affecerunt stupore, ob id quod nauiculæ illæ in quib. erant, harenam nauigando radebant, nec celeriter aufugere tunc poterant, ut sumendorum armorũ suorum memoriã nemo tunc haberet: & ita quamplures contra nos sagittas suas eiaculabantur. Tum uero in eos quatuor machinarum nostrarum fulmina, licet neminem attingentia, emisimus. Quo audito tonitruo, omnes cursim in montem fugerunt, ubi mulieres ipsæ erant, quæ iuuenem nostrum quem trucidauerunt, nobis uidentibus in frusta secabant, necnon frusta ipsa nobis ostentantes, ad ingentem quẽ succenderant ignem torrebant, & deinde post hæc manducabant. Viri quoque ipsi signa nobis similiter facientes, geminos Christicolas nostros alios se pariter peremisse manducasseq; insinuabant: quibus, qui & utique uera loquebantur, in hoc ipso credidimus. Cuius nos improperij uehementius piguit, quum immanitatem quam in mortuum exercebant, oculis intueremur ipsi proprijs. Quam obrem plures quàm quadraginta de nobis in animo stabiliueramus, ut omnes pariter terram ipsam impetu petentes, tam immane factum, tamq; bestialem ferociam uindicatum uaderemus. Sed hoc ipsum nobis Nauiprætor non permisit: & ita tam magnam ac tam grauem iniuriam passi, cum maleuolo animo, & grandi opprobrio nostro, efficiente hoc Nauipræce-

ptore nostro, impunitis illis abscessimus. Postquam autem terram illam reliquimus, mox inter Leuantem & Seroccum uentum, secundũ quos se continet terra, nauigare occepimus, plurimos ambitus, plurimosq; gyros interdum sectantes: quibus durantibus gentes non uidimus, quæ nobiscum practicare, aut ad nos appropinquare uoluerint. In tantum uero nauigauimus, ut tellurem unam nouam, quæ secundum Lebeccium se porrigeret, inuenerimus. In qua quum campum unum circuiuissemus, cui sancti Vincentij campo nomen indidimus, secundum Lebeccium uentum post hæc nauigare occœpimus: distatq; idem sancti Vincentij campus à priore terra illa, ubi Christicolæ nostri extiterunt interempti, centum quinquaginta leucis ad partem leuantis: qui & quidem campus octo gradibus extra lineam æquinoctialem uersus Austrum est. Quum igitur ita uagantes iremus, quadam die copiosam gentium multitudinem, nos nauiumq; nostrarum uastitatem mirantium, in terra una alia esse conspeximus, apud quos tuto in loco mox restitimus, & deinde in terram ipsam ad eos ex nauiculis nostris descendimus: quos quidem mitioris esse conditionis quàm priores reperimus: nam etsi in edomandis illis diu elaborauimus, amicos tamen nostros eos tandem effecimus: cum quibus negotiando practicandoq; uarie quinque mansimus diebus, ubi cannas, fistulas uirides, plurimum grossas, & etiam nonnullas in arborum cacuminibus siccas inuenimus. Concordauimus autem, ut ex eadem gente duos, qui nos eorum linguam edocerent, inde traduceremus. Quamobrem tres ex eis, ut in Portugalliam uenirent, nos ultro comitati sunt. Et quoniam me omnia prosequi ac describere piget, dignetur uestra nosse maiestas quòd nos portum illum linquentes, per Lebeccium uentum, & in uisu terræ semper transcurrimus, plures continue faciendo scalas pluresque ambitus, ac interdum cum multis populis loquendo, donec tandem uersus austrum extra Capricorni tropicum fuimus. Vbi super horizonta illum meridionalis polus triginta duobus sese extollebat gradibus, atque minorem iam perdideramus ursam, ipsaque maior ursa multum infima uidebatur, ferè in fine horizontis se ostentans, & tunc per stellas alterius meridionalis poli nosmetipsos dirigebamus, quæ multo plures, multoque maiores ac lucidiores, quàm nostri poli stellæ existunt: propter quod plurimarum illarum figuras confinxi, & præsertim earum quæ prioris ac maioris magnitudinis erant, unà cum declinatione diametrorum, quas circa polum austri efficiunt, & unà cum denotatione earundem diametrorum, & semidiametrorum earum, prout in meis quatuor diætis, siue nauigationibus inspici facile poterit. Hocce uero nauigio nostro, à campo sancti Augustini incepto, septingentas percurrimus leucas, uidelicet, uersus Ponentem centum, & uersus Lebeccium sexingentas: quas quidem dum peragraremus, si quis quę uidimus enumerare uellet, non totidem ei papyreæ chartæ sufficerent. Nec quidem interdum magni commodi res inuenimus, demptis infinitis casiæ arboribus, & pariter plurimis, quæ laminas certas producunt, cum quibus & miranda alia permulta uidimus, quæ fastidiosa recensitu forent. Et in hac quidem peragratione decem ferè mensibus extitimus. In qua cognito quod mineralia nulla reperiebamus, conuenimus unà, ut ab inde surgentes aliò per mare euagaremur. Quo inito inter nos consilio, mox edictum fuit, ac in omnem cœtum nostrum uulgatum, ut quicquid in tali nauigatione præcipiendum censerem, idipsum integriter fieret. Propter quod confestim edixi, mandauiq; ubique, ut de lignis & aqua pro sex mensibus munitionem omnes sibi pararent: Nam per nauium magistros nos cum nauibus nostris adhuc tãtundem nauigare posse iudicatum est. Qua quidem, quam edixeram, facta prouisione, nos oram illam linquentes, & inde nauigationem nostram per Seroccum uentum initiantes, Februarij decima tertia, uidelicet, quum sol æquinoctio iam appropinquaret, & ad hoc Septentrionis hemisphærium nostrum uergeret, in

tantum

A tantum peruagati fuimus, ut meridianum polum super horizonta illum quinquaginta duobus gradibus sublimatum inuenerimus, ita ut nec minoris ursæ, nec maioris stellæ amodo inspici ualerent. Nam tunc à portu illo, à quo per Seroccum abieramus, quingentis leucis longe iam facti eramus, tertia, uidelicet Aprilis. Qua die tempestas ac procella in mari tam uehemẽs exorta est, ut uela nostra omnia colligere, & cum solo nudoq; malo remigare compelleremur, perflante uehementissime Lebeccio, ac mari intumescente, & aëre turbulentissimo extante. Propter quem turbinis uiolentissimum impetum nostrates omnes non modico affecti fuerunt stupore. Noctes quoque tunc inibi quammaximæ erant. Etenim Aprilis septima, sole circa Arietis finem extante, ipsæ eædem noctes horarum quindecim repertæ sunt: hyems'que etiam tunc inibi erat, ut uestra satis perpendere potest maiestas. Nobis autem sub hac nauigantibus turbulentia, terram unam Aprilis secunda uidimus, penes quam uiginti circiter leucas nauigantes appropiauimus: uerum illam omnimodo brutalem & extraneam esse comperimus, in qua quidem nec portum quempiam, nec gentes aliquas fore conspeximus, ob id, ut arbitror, quod tam asperum in ea frigus algeret, ut tam acerbum uix quisquam perpeti posset. Porrò in tanto periculo, in tanta'que tempestatis importunitate nosmet tum reperimus, ut uix alteri alteros præ grandi turbine nos uideremus. Quamobrem demum cum nauium prætore pariter concordauimus, ut connauitis nostris omnibus, terram illam linquendi, se'que ab ea elongandi, & in Portugalliam remeandi signa faceremus. Quod consilium sanum quidem & utile fuit, quum si inibi nocte solum adhuc illa perstitissemus, disperditi omnes eramus: nempe quum hinc abijssemus, tam grandis die sequenti tempestas in mari excitata est, ut penitus obrui perdite metueremus. Propter quod plurima peregrinationum

B uota, necnon alias quamplures cærimonias, prout nautis mos esse solet, tunc fecimus. Sub quo tempestatis infortunio quinque nauigauimus diebus, demissis omnino uelis. In quibus quidem quinque diebus ducentas & quinquaginta in mari penetrauimus leucas, lineæ interdum æquinoctiali, necnon mari & auræ temperatiori semper appropinquando, per quod nos à præmissis eripere periculis altissimo deo placuit. Erat'que huiuscemodi nostra nauigatio ad transmontanum uentum & Græcũ, ob id quòd ad Aethiopiæ latus pertingere cupiebamus, à quo per maris Atlantici fauces eundo, mille tercentum distabamus leucis. Ad illam autem per summi tonantis gratiam Maij bis quina pertigimus die. Vbi in plaga una ad latus Austri, quæ Serraliona dicitur, quindecim diebus nos ipsos refrigerando fuimus. Et post hæc cursum nostrum uersus insulas Lyazori dictas arripuimus: quę quidem insulæ à Serraliona ipsa septingentis & quinquaginta leucis distabant, ad quas sub Iulij finem peruenimus, & pariter quindecim inibi nos reficiendo perstitimus diebus. Post quos inde exiuimus, & ad Lisbonæ nostræ recursum nos accinximus, à qua ad occidentis partem tercentum sepositi leucis eramus, & cuius tandem deinde portum M.D.II. cum prospera saluatione et cunctipotentis nutu rursum subiuimus cum duabus duntaxat nauibus, ob id quod tertiam in Serraliona, quoniam amplius nauigare nõ posset, igni combusseramus. In hac autem nostra tertiò cursa nauigatione, sexdecim circiter menses permansimus: è quibus undecim absque transmontaneæ stellæ, necnon & maioris ursæ minoris'ue aspectu nauigauimus, quo tempore nosmetipsos per aliam meridionalis poli stellam regebamus: quæ superius commemorata sunt, quæ in eadem nostra tertiò facta nauigatione, relatu magis digna conspexi.

AME-

A

AMERICI VESPVTII
NAVIGATIO QVARTA.



ELIQVVM autem est, ut quæ in quarta nauigatione nostra prospexerim edisserã. Quia uero iã quæ longa nar ratione fathisco, & quoque hæc eadem nostra nauigatio ad speratum à nobis finem minime perducta est, ob ad/uersitatem infortunium'ue quoddam, quod in maris Atlantici nobis accidit sinu: idcirco breuior fiam. Igitur ex Lisbonæ portu cum sex cõseruantiæ nauibus exiuimus, cum proposito, insulam unam uersus horizontem positam inuisendi, quæ Melcha dicitur, & diuitiarum multarum famosa, necnon nauium omnium, siue à Gangetico, siue ab Indico mari uenientium, receptus siue statio est, quemadmodum Calicia receptus siue hospitale omnium nauigantium est, qui ab oriente in occidentem, & econuerso uagantur, prout de hoc ipso per Calicuthiæ uiam fama est. Quæ quidem insula Melcha plus ad occidentẽ, Calicuthia uero ipsa plus ad meridiem respicit. Quod idcirco cognouimus, quia ipsa in aspectu triginta trium graduũ poli antarctici sita est. Decima ergo Maij die, M. D. III. nobis unde supra egredientibus, cursum nostrum ad insulas Virides nuncupatas, primo direximus: ubi rerum necessariarum munimina, necnon & plura diuersorum modorum refrigeramina sumẽtes, duodecim interdum inibi diebus cessantes, per uentum Seroccum post hæc enauigare occœpimus, quum Nauidominus noster tanquam præsumptuosus capitosusq; præter necessitatem, & omnium nostrum unanimitatem, sed solum ut sese nostri & sex nauium præpositum ostentaret, iussit ut in Serralionam Australem Aethiopiæ terram tenderemus. Ad quam nobis accelerantibus, & illam tandem in conspectu habentibus, tam immanis & acerba suborta tempestas est, ac uentus contrarius, et fortuna aduersa inualuit, ut in ipsam, quam nostris ipsi uidebamus oculis, per quadriduum applicare non ualuerimus: quinimo coacti fuerimus, ut illa relicta ad priorem nauigationẽ nostram regrederemur: quandoquidem nos per Suduestium, qui uentus est inter meridiem & Lebeccium, reassumentes tercentum per illam arctitudinem nauigauimus leucas. Vnde factum est, ut nobis extra lineã æquinoctialem tribus penè gradibus iam tunc existentibus, terra quædam, à qua duodecim distabamus leucis, apparuerit: quæ apparitio nõ parua nos affecit admiratione. Terra etenim illa, insula in medio mari multũ alta & admirabilis erat, quæ leucis duabus longior, & una dilatatior non existebat: in qua quidem terra nunquã quisquam hominũ aut fuerat, aut habitauerat: & nihilominus nobis infelicissima fuit. In illa enim per stolidũ consilium suum & regimen, præfectus nauium noster nauem suam perdidit: nempe illa à scopulo quodã elisa, & inde propter hoc in rimas diuisa, sancti Laurẽtij nocte, quæ Augusti decima est, in mari penitus submersa extitit, nihil inde saluo manẽte, demptis tantummodo nautis: eratq; nauis eadem doliorũ trecentorũ, in qua nostræ totius turbæ totalis potentia erat. Quum autem omnes circa illam satageremus, ut si forte ipsam è periculo subtrahere ualeremus, dedit mihi in mandatis idem nauium præfectus, ut cum nauicula una receptũ quempiam bonum, ubi puppes nostras secure omnes recipere possemus, apud insulam eandem inuentum pergerem: nolens tamen ipse idem præfectus, ut nauem meam, quæ nouem nautis meis stipata, & in nauis periclitantis adiutorio intenta foret, mecum tunc traducerem, sed solum ut edixerat portum unum inquisitum irem, & in illo nauem meam ipsam mihi restitueret. Qua iussione recepta, ego ut mandauerat, sumpta mecum nautarum meorũ medietate, in insulam ipsam, à qua quatuor distabamus leucis, properans, pulcherrimum inibi portum, ubi classem nostram omnẽ tute satis suscipere possemus inueni. Quo comperto, octo ibidem diebus eundem nauium præfectum

B

A ctum cum reliqua turba expectando perstiti. Qui quum nō aduenirent, moleste non parum pertuli: atque qui mecum erant sic obstupescebant, ut nullo consolari modo uellent. Nobis autem in hac existētibus angustia, ipsa octaua die puppim unam per æquor aduentare conspeximus, cui ut nos percipere possent, mox obuiam iuimus, confidentes sperantesq; unà quod ad meliorem portum quempiam nos secum ducerent. Quibus dum nos appropinquassemus, et uicissim nos resalutassemus, retulerunt illi nobis, eiusdem præfecti nostri nauem in mari penitus, demptis nautis, perditā extitisse. Quę nūcia, ut contemplari uestra potest maiestas, me nō parua affecerunt molestia, quum à Lisbona, ad quam reuerti habebam, mille longe existens leucis, in longo remotoq; mari me esse sentirem: nihilominus tamen fortunæ nosmet subijciētes ulterius processimus, reuersiq; in primis fuimus ad memoratam insulam, ubi nobis de lignis & aqua in conseruantię meæ naui prouidimus. Erat uero eadem insula penitus inhospitata inhabitataq;, multa aqua uiuida & suaui in illa scaturiente, cum infinitis arboribus innumerisq; uolucribus marinis & terrestribus, quæ adeo simplices erant, ut sese manu comprehēdi intrepide permitterēt. Propter quod tot tunc prendidimus, ut nauiculam unam ex illis adimpleuerimus. In ea autē nulla alia inuenimus animalia, prę terquam mures quammaximos, & lacertas bifurcam caudam habētes, cum nonnullis serpentibus, quos etiam in ea uidimus. Igitur parata nobis inibi prouisione, sub uento inter meridiem & Lebeccium ducēte perreximus, ob id quod à rege mandatum acceperamus, ut qualicunq; non obstante periculo, præcedentis nauigationis uiā insequeremur. Incepto ergo huiuscemodi nauigio, portū tandē unum inuenimus, quem Omniū sanctorum abbatiam nuncupauimus, ad quem, prosperam annuente nobis auram altissimo, infra XVII. pertigimus dies: distatq; idem portus tercentum à præfata insula leucis: in quo quidem portu nec pręfectum nostrum, nec quenquam de turba alium reperimus, etsi tamen in illo mēsibus duobus & diebus quatuor expe-
B ctauerimus: quibus effluxis, uiso quòd illuc nemo ueniret, conseruantia nostra tunc & ego concordauimus, ut secūdum latus longius progrederemur. percursisitaq; ducētis sexaginta leucis, portui cuidā alij applicuimus, in quo castellum unū erigere proposuimus: quod & quidem profecto fecimus, relictis in illo uiginti quatuor Christicolis nobiscum existentibus, qui ex præfecti nostri puppe perdita collecti fuerant. Porrò in eodem portu præfatum construendo castellum, & bresilico puppes nostras onustas efficiendo, quinque perstitimus mensibus, ob id quod præ nautarum perpaucitate, & plurimorum apparatuum necessitate, longius progredi non ualebamus. Quibus superioribus ita peractis, concordauimus post hæc in Portugalliam reuerti: quam rem per Græcum transmontanumq; uentum necesse nobis erat efficere. Relictis igitur in castello præfato Christicolis uiginti quatuor, & cū illis duodecim machinis, ac alijs pluribus armis unà cū prouisione pro sex mensibus sufficiēte, necnon pacata nobiscum telluris illius gente, de qua hic minima fit mētio, licet infinitos inibi tunc uiderimus, et cū illis practicauerimus. Nam quadraginta ferè leucas cum triginta ex eis in insulam ipsam penetrauimus. Vbi interdum plurima perspeximus, quæ nunc subticescens, libello meo quatuor nauigationum reseruo. Estq; eadem terra extra lineam æquinoctialem ad partem austri octodecim gradibus, & extra Lisbonæ meridianum ad occidentis partē triginta quinq; prout instrumenta nostra monstrabant. Nos nauigationem nostram per Nornordensium, qui inter Græcum transmontanumq; uētus est, cum animi proposito ad hanc Lisbonæ ciuitatem proficiscendi initiantes, tandem post multos labores, multaq; pericula in hunc eiusdem Lisbonæ portum infra LXXVII. dies XXVIII. Iunij. M.D.IIII. cum dei laude introiuimus. Vbi honorifice multum, & ultra quàm sit credibile festiue suscepti fuimus, ob id quod ipsa tota ciuitas nos in mari disperditos esse existimabat, quemadmodum reliqui omnes de turba

nostra per præfecti nostri nauium stultam præsumptionem extiterant. Quo superbiam modo iustus omnium censor deus compensat. Et ita nunc apud Lisbonam ipsam subsisto, ignorans quid de me serenissimus ipse rex deinceps efficere cogitet, qui à tantis laboribus meis iam ex nũc requiescere plurimum peroptarem. Hunc nuncium maiestati uestræ plurimum quoq; inter dum commendans.

Americus Vesputius, in Lisbona.

EPISTOLA POTENTISSIMI AC INVICTISSIMI EMANVELIS REGIS PORTVGALLIAE & Algarbiorum, de uictorijs habitis in India & Malacha, ad S. in Christo patrem & dominum nostrum, dominum Leonem x. Pont. Max.



SAnctissimo in Christo patri, ac beatissimo domino, domino nostro E. S. addictissimus filius Emanuel, dei gratia rex Portugalliæ, & Algarbiorum, citra ultraque mare in Aphrica, dominus Guineæ, & cõquisitæ nauigationis ac cõmercij Aethiopiæ, Arabiæ, Persiæ, atq; Indiæ, humillima beatorũ pedũ oscula. Quantum deo optimo maximo, quantum & tibi gratulari debeamus, beatissime pater, uel ex nũcio, quod nostra Indica classis proxime attulit satis apparet. Quod enim te Pontifice Maximo, te S. Romanæ ecclesiæ & Christiano orbi præsidente, tam admiranda in dei laudem ac gloriã gesta tam ex uoto successerint, tua certe laus, tua gloria censeri debet. Iure itaq; uisum est, quæ in India dei suffragio ad ipsius cultum spectãtia nostris armis modo facta sunt, ad tuam sanctitatem, utpote totius Christianæ reipublicæ caput, et orthodoxę religionis normam, carptim ac summatim, ne stylum epistolarem excedamus, describere, ut pro rerum dignitate cuncta pensari, summoq; deo accepta referri ualeant, ac indies sui sanctissimi nominis gliscentem laudem, Christianiq; dogmatis propagationẽ facile speremus. Igitur post plures dubij Martis uictorias, nõ sine labore & sanguine partas, India relictis in ea opportunis præsidijs, Alphõsus de Albiecher protocapitaneus noster, ut iacturam quam superioribus annis nostri fecerãt, iniuriamq; ulcisceretur, auream Chersonesum, Malacham accolę appellant, contendit: ea est inter sinum magnum & Gangeticum sita urbs miræ magnitudinis, utq; uiginti quinq; millium & amplius larium censeatur. Terra ipsa fœcundissima, ac nobilissimarum, quas fert India, mercium feracissima: celebratissimum ob id emporium, ubi non modo uaria aromata, & omnigeni odores, sed auri quoq;, & argenti margaritarum, ac pretiosorum lapillorũ magna copia affluit. Hanc rex Maurus gubernabat, eatenus uires suas Mahumetica secta protendente, cætera Gentiles tenent. Huc itaque quum instructa classe applicuisset Alphonsus, urbẽ oppugnare destinat. Quod præsentiẽtes Sarraceni, bello se multis munitionibus & armis præparauerant, sed frustra: nam cõmisso cum eis prælio, nostri tandem dei auxilio superiores, plurimis ex hostibus cæsis, urbem uiintrant, occupant, data prædæ libertate diripiunt, incẽdunt. Rex ipse, qui ex elephanto pugnabat, grauiter uulneratus, cum superstitibus Mauris fuga sibi consuluit. In ea pugna magnus hostium numerus exiguo nostrorum damno interit: capti plures: magna etiã ablata spolia, in quibus & septẽ ipsius regis bello assueti elephantes, suis turribus, sericis atque auro intextis ephippijs, illius prouinciæ more muniti, ac æneorum omnis generis tormentorũ ad duo millia summa arte fabricata. Capta sic urbe, hostibusq; profligatis, quo nostræ rei tutius cõsuleretur, in fluminis quod mediã urbem interfluit, ostio, unde terra mariq; subacto undiq; suæ securitati prospiciat, munitissimam arcem murorum quindecim pedum latitudine construxit, ex lapide, uidelicet, qui ex dirutis Sarracenorũ, quas Mesquitas uocant, ædibus excerptus

A ptus est. Mirabilis profecto diuina prouidentia, quod ubi tanto tempore Mahumeticæ perfidiæ cultus celebratus, ubi redemptoris nostri nomen toties blasphematum, inde occulto Dei cõsilio magna sua laudæ ac satanæ dedecore, qui tanto labore ac nostrorum sanguine tamdiu pro catholicæ fidei augmento affectamus, huic ædificio, & Christianis tam necessario operi opem acceperimus. Erant eo tempore Malachæ plures extranei, ac diuersarum nationum mercatores, scilicet, Zamatri, Pegus, Iaames, Gores, & ab extremo oriente atq; ultima Sinarum regione Chines, alijq; gentiles, qui urbem commercij gratia frequentes multis diuitijs, auro, argento, margaritis, & pretiosis lapillis, Irrico etiam uellere, ac multifarijs aromatibus & odoribus affatim replent. Hi cum multis quoque finitimis ab Alphonso fœdus & amicitiam ultro flagitantes, ab ipso & benigne & fauorabiliter sunt accepti, pactoq; commercij & mercaturæ tractatu, suas negotiationis domos circum arcem, ubi tutius uersari possent, secum trãstulere: mutuo fœdere adeò læti, ut quamuis hactenus illud emporiũ omnium fuerit celeberrimũ, deinceps tamen si fieri poterit, multo maius ac celebrius futurum existimetur. Quin & ipsi Chines nuncium ad nos mittũt, à quo perfectius res suas intelligamus: atque adeò tam hi quàm cæteri urbis accolæ dicto audire, imperatisq; legibus parêre non recusarunt, ut reipublicæ regiminis, iustitiæq; officiales nostro nomine Alphonsi manu acceperint: quorũ iudicio & arbitrio gubernantur, simul & monetam nostro ibi nomine cusam, tanquam regis dominiq; sui agnoscentes excipiunt, & expendunt, auream catholicos mille, scilicet, numorum, argenteam centum ualore Malachenses inscripsere. Hæc quũ cognouisset rex de Ausiam, & gente & solo orientẽ uersus potentissimus, ad quem fama erat iure Malacham spectare, & à Mauris olim usurpatam, legato ad præfectum nostrum destinato, qui se suaq; nostro mancipare obsequio, aureum simul craterem cum pretioso magnæq; existima-
B tionis carbunculo, ensemq; auro affabre elaboratũ, in signũ, uidelicet, recognitionis ac ueræ perpetuæq; futuræ amicitiæ dono misit: ad quẽ præfectus aliquos è nostris expertos uafrosq; uiros intima regionis scrutaturos cum multis etiam muneribus remisit, unde maximum dei obsequium & catholicæ fidei augmentum fore non dubitamus. Rebus sic apud Malacham compositis, & obfirmato tractatus commercij fœdere: relictis in arce tormentis machinisq; munitissima, secentorũ etiam uirorum, ac strenuorum militum securo præsidio, & classe ad maritimæ ore tutelam uiris armisq; optime instructa: Alphonsus in Indiam reuertens, Goę urbis pręcipuam arcem, quam ipse superioribus annis magno nostrorũ periculo, sed maiore hostium strage occupauerat, nostræq; ditioni & imperio adiunxerat à Mauris obsessam reperit, extructa etiam iuxtà alia firmissima arce, unde Ruminum Turcharumq; sex millia nostros continue infestabant. Quos quum adoriretur præfectus, plurimis iam trucidatis, desperata salute, pacta tantummodo corporum incolumitate, sed tandem ac reliqua nostris dedidere: partisq; & ibi machinarum, equorum, armorum, & huiusmodi haud contemnendis spolijs, quibusdam etiã qui inter Mauros reperti sunt apostatis, qui à fide nostra desciuerant, debito afflictis supplicio, urbem pristinæ quieti restituit. Appulerat interea Vabuli, urbi haud procul à Goa, presbyteri Ioannis potentissimi Christicolarum domini, ad præfectum nostrum legatus, qui eius nomine, ut Christiani Christiano omni ope omnia ad bellum contra catholicæ fidei hostes opportuna, militum exercitus, armorum & commeatus præsidia ultro offerat, præsertim si mare Rubrũ suo coniunctum dominio nostra classis traijciat, ubi cõmodissime utriusq; uires iungi possent: haud exiguũ adorandæ & ueræ crucis lignũ ad nos mittit, uiros uafros & industrios posces, quorũ ingenio & artificio à Sultani territorio & regione ad Nilum deflecti aliquando & diuerti posse existimat. Aderant tunc apud nostrũ præfectum à Narsingæ rege legati, rege gentili adeò potentissimo, ut mille & quingen-

tos belligeros elephantes, armatorum equitum quadraginta millia, præter innumerum peditum numerum suo arbitrio in aciem paruo negotio profer re, tantumq; agri possidere perhibeatur, quantum semestri uix itinere eme-tiri possit. Huic plures reges ac satrapes parēt: quorum nonnulli maritimis oris proximi nobis sunt tributarij, Apud Alphonsum & Gambaiæ regis legatus, terra mariq; potentissimi, atque inter Mauros maximi: item à Zabaio Goæ quondam domino, atque à rege Grosapa, alijq; complures regum satrapumq; legati à nostro præfecto fœdus pacemq; ultro exorantes, ac sua munera singuli afferentes. In hac etiam quæ proxime appulit classe, ab Armusij rege legatus cum multis margaritarum rerum pretiosarum donis, in signum, uidelicet, fidelitatis & recognitionis ad nos uenit. Hunc regem Alphonsus idem, urbe opulentissima & precipuo emporio Armusio ui capto, quindecim millium saraphorum (id est aurea moneta ducatis æquiualens) annuorū nobis tributarium effecerat. Inter hos successus, pater beatissime, diuino suffragante numine per uniuersam Indiam plurimi, spiritus sancti gratia igneq; afflati, depositis gentilitijs erroribus indies ad nostram religionem conuersi, ueram dei fidem agnoscunt. Ob quod deo optimo maximo summæ gratiæ sunt merito referendæ, quod tam procul à nostro orbe in tam remotis regionibus, quò ne fama quidem sui sanctissimi nominis penetrauerat, nostraq; nunc opera sedulo suam ueram fidem cultumq; celebrari, publicari ac propagari dignatus sit. Vnde proculdubio diuina fauente clementia sperandum est, quum nunc præfectus noster ad mare Rubrum, ut eius ostio occupato, Sarracenis earum partium commercia interdicat, relictis in India opportunis præsidijs, ingenti classe properet, ut ibi coniunctis sub crucis uexillo presbyteri Ioannis nostrisq; uiribus, maximum Dei obsequium, & Mahumeticæ sectæ detrimentum & ignominia sequatur, extremaq; Orientis ora, quò & sacras Apostolorum uoces intonuisse compertum est, occidentali nostri propediem iungatur, & ad ueri Dei cultum ipsius suffragante numine traducatur. S. sedi Apostolicæ, ac tuæ sanctitati ut optimo pastori, Christiani gregis more debitum obsequium & obedientiam oblatura. Bene ualeat beatitudo tua, quam pientissimus Deus diu ac fœlicissime conseruare & augere ad uotum dignetur. Dat. in urbe nostra Olisipone, octauo Idus Iunias, anno domini M.D.XIII.

PRAEFATIO LVDOVICI VARTOMANNI BONONIENSIS QVI ET PAtritius Romanus.



PLVRES ante me fuerūt, qui ut mirabilia mūdi cognoscerēt, indefesso studio autores quosq; qui de his rebus scripserunt, legerūt: alij uero uiuæ uoci magis fidem adhibētes, à peregrinis hominibus, atq; e remotis regionibus aduentātibus hæc percontari maluerūt, quàm ex libris discere qui plerunq; falsa ueris ad mixta habēt. Fuerunt deniq; alij, qui tanto flagrarunt desiderio uisendi exteras regiones, atq; cognoscendi peregrinos populorum mores, conditiones terrarū, & naturas rerū; ut nec librorū lectio, nec aduenarū narratio illorum sitim restinguerent, sed potius accenderent, & quodammodo cogerent etiā cum iactura rerum familiariū egredi terras suas; & coràm ea uidere, quæ absentia illorū animos tanta sauciarunt cupidine: id quod mihi plane, ut uerū satear, usuuenisse scio: nihil enim erat, quod irrequietum animū meum sedare posset, quoties exterarum nationū mihi recordatio incideret; præsertim orientalium, de quibus tā mira apud historicos & cosmographos leguntur, nisi ipse hęc lustrassem & oculis conspexissem. Sunt qui maiori ingenio prę diti, hæc terrena tanq; humilia transcenderūt & subuolantes in cœlum usq; motum illius atq; stellarū dispositionem subtili disquisitione inuestigarunt, & totum

A & totum animi sui studiũ huc destinarunt, ut singularũ rerũ, quæ in corporibus illis cœlestibus fiunt, rationes redderent in terris, nihil iucundius & fœlicius ducentes, quàm de retrogradationibus, directionibus, absidum mutationibus, epicyclorum reuolutionibus, inclinationibus, deuiationibus, reflexionibus, & alijs id genus philosophari: quod neutiquam damnamus, imò laudamus, & perpetua memoria dignos huiusmodi uiros iudicamus: sed nostro pede nos metientes, grauem illam cœlestem sarcinam robustissimis humeris Atlantis atque Herculis sustinendam relinquentes, repere uoluimus in terris, propriaque in persona conspicere terrarum situs, hominum ritus & mores, uarietatem animalium, arborum mirabiles proprietates & naturas: potissimum quæ apud Arabes, Persas, Indos & Aethiopes inueniuntur. Et quum in his inquirendis, tandem nonnihil uotis nostris, laus Deo, satis fecerimus, parum egisse arbitramur, nisi & hæc quæ uidimus & experti sumus, etiam alijs, qui ex talium lectione uoluptatem non mediocrem capiunt, impertierimus: in quorum fauorem totum iter nostrum, & uarium periculosumque discursum, quæque in tot & tam uarijs regionibus, atque hominum sectis experti sumus, uoluimus breui & ueraci describere sermone, nõ ignorantes ueritatem in his scriptis potissimum desiderari. Cæterum quid incommodi in qualibet regione mihi acciderit, quantam passus sim famem, sitim, frigus, calorem, bellum, captiuitatem, cædes, terrores, & alia innumera pericula, obiter in ipso itinerario meo suis in locis ostendam. Tantum autem abest ut hæc perpessa pericula me ab alijs regionibus adeundis coërceant, ut etiam peruestigatis terris, quę ad orientem, meridiẽ & occidentem sunt, iam deliberauerim adoriri aliud iter, exploraturus terras ad Aquilonem sitas, residuos uitæ meæ dies talibus consumpturus laboribus Dominus prosperum reddat iter meum.

B
LVDOVICI ROMANI PATRITII NAVIGATIONIS AETHIOPIAE, AEGYPTI, VTRIusque Arabiæ, Persidis, Syriæ Indiæ intra & extra Gangem, liber primus, Archangelo Madrignaao interprete.

De urbe Alexandria. CAP. I.



SI qui forte profectionis huius causam admirati, instituti mei abs me rationem contenderint, ij proculdubio sciãt me nõ alia causa actũ esse, quàm ea, qua & complures alij, qui uisendi orbis desiderio enixissime deflagrarũt: uerũ quia pleraque reliqui orbis à nostris sunt crebrius peragrata adituque frequentiore, animo destinaui eas partes uisere, quę minus essent à nostris exploratæ. Ob id Venetijs soluentes auspicato, id est, non sine diuini numinis inuocatione, uela uentis dedimus, pelagoque commissi Alexandriam urbem Aegyptij appulimus, & nouarum rerum æque cupidi ac sitientes frigidam apprime exoptant. Illinc ueluti à compertiore orbis parte abscedentes, Nilo uecti Babylonem, cui Cayro recentior ætas nomen indidit, deuenimus.

De Babylone urbe Nilotica. CAP. II.

ILlò ut peruenimus, tanta sum affectus admiratione, ut uix id referre queã: ubi tamen proprius accessi, licuitque urbem introspicere, reperta est sane fama longe inferior: quippe quæ tanta non est inuenta, quantus erat rumor: neque urbe Roma maior est ambitu, licet sit multo frequentior, utpote quæ longe plures habent indigenas: uerum fefellit complusculos suburbanus ager, qui uicis prope inumeris dispergitur: ob id rati sunt complures, eam esse Babylonis partem: quod minime conuenit, quando certe rura uicique huiusmodi ad secundum tertiumue lapidem ab urbe sunt rusculis haud absimiles. Nec operæ pretium est ut denarrandis eorum fide ac moribus multum

temporis absumam: quando colliquescit ferme cũctis eam plagam à Mahumetanis atq; Mamaluchis (ij sunt nostræ fidei desertores) cultam esse: quib9 Syriæ præfectus, Sultanum uocant, imperitat. Huic famulantur Mamaluchi, his uero Mahumetani. A

De Berynto, Triopoli, ac Antochia. CAPVT III.

OPes, amœnitatem, fastumq; Babylonis, Mamaluchorum siue peregrinorum militum mentionem, ceu notiora prudens prætereo. Relicta itaq; Babylone urbe Niliotica, proniore uectus flumine rursum Alexandriam rediens ac mare nostrum ingressus Berynthum perueni, urbem Phœniciæ Syriæ maritimam, ubi complusculos dies absumpsi. Ea à Mahumetanis colitur, nullius prope indiga: æquor mœnia allatrat, nec usquam muro ambitur, nisi ubi pelago alluitur occidentẽ uersus. Nihil ibi memoratu dignum cõperi, præter id quod incolæ memorant, locum, scilicet, uetustate exesum squalentemq;, ubi autùmant diuũ Georgiũ regis filiam à dracone immanissimo asseruisse, beluaq; mactata parenti natam restituisse. Inde soluentes Tripolim uersus uelificauimus: ea est urbs Syriæ, & à Berynto oriẽtẽ uersus bidui itinere distat, cultores præfecto parẽt Syriæ, latriæ Mahumetanę addicti: uber est solũ, & ob mercimonia omniũ ferme rerũ illic uisitur ubertas copiaq; incredibilis. Illinc discedens in urbem Comagenen Syriæ aleph nomine me contuli: ea à nostris dicitur Antiochia, sub monte Tauro urbs est elegantissima & Babylonis præfecto paret: ibiq; scalæ Turcarum & Syrorum (ita enim uulgo dicuntur) nã mõti adiacet Olympo: Azamiorũ Persarumq; præsertim famigeratum est emporiũ: sunt enim Azamij Mesopotamij, Persis finitimi, Mahumetẽ colunt. Eò usq; memorati populi ceu ad nundinas cõmercij causa contendunt. Illinc iter ad Turcas Syrosq; habetur, ab illis cũ primis, qui ab ea parte Mesopotamiæ, quæ Azamia dicitur, proficiscũtur.

S. Georgius

Antiochia

De Aman & Menin urbibus. CAP. IIII.

INde discedens Damascum contendi itinere decem dierum: uerũ priusq; Damascum peruenias, circiter medium iter urbs sita est Aman nomine. Ea fert xylon abunde, & fructus suaues admodũ ferme omne genus. Progredientibus paulisper ad sextũ lapidem à Damasco, obuia est urbs Menin nomine, quæ in cliuo montis posita est: colitur à Christianis Græcorum ritu. Iſ principi Damasceno parent. Ibi uisuntur duæ cõspicuæ basilicæ, quas ut me morant indigenæ, diua Helena Constantini parens construi iussit. Illic fructus omnifariam optimi, ediles uuæ præsertim: hortiq; perenibus fontibus irrigui. Inde itaq; abiens tandem aliquando Damascum concessi. B

De urbe Damasco. CAP. V.

DIctu prope incredibile est, fidemq; ferme omnem excedit, quàm elegãs sit urbs Damascena, quam'ue sit eius ager fœcundus: nam urbis allectus amœnitate, inibi dies plurimos insumpsi moram trahens, ut eorũ linguam doctus, mores incolarũ imbiberẽ. Ea colitur à Mahumetanis Mamaluchisq; eximie, necnon Christianis cõpluribus, qui ritu Græcorũ degũt. Obiter nõ ab re fortasse erit, quippiã de eorũ hexarchatu differere. Ea, ut pręfati sumus Syriæ præfecto paret. Primùm igitur omniũ ibi arx est munitissima: huius fuisse autorem ferunt Ethruscum quendam ab urbe Florentia oriundũ: ære proprio exædificasse dicebatur, dũ inibi hexarchus foret. Id testantur in uetustissimo marmore insculpta lilia Florẽtinæ urbis insignia. Vrbs cingitur altiore fossa, quaternisq; insigni uastigio turribus. Põte pensili traijcitur fossa. isq; tollitur ac demitur pro arbitrato. Tormentis omne genus, ac Mamaluchorũ fortissimo præsidio, utpote numero L. arx munita est: ij arcis præfecto assistunt assidue. Sub Syriæ domino stipendio merent. Peperit huius urbis principatũ Florẽtino uiro fortuna: ut enim de incolis accepimus, ita rem denarrabimus. Ferunt itaq; præfecto Syriæ Sultano quãdoq; propinatũ fuisse uenenũ: & quũ remediũ quæsissent, ab quodã Florẽtino id repertũ esse. Is inter Mamaluchos cõnumerebatur. Inuẽto igitur antidoto, principi

Hexarchatus

in pau

A in paucis charus erat: ob id ea urbe clarissima donatus est, propterea quod uiueret, princeps, illi retulisset acceptū. Arce ergo constructa Florētinus inibi rebus humanis exēptus est. Vita functū colūt uice numinis indigenæ, in seruati principis perennem memoriā. Superstitionē funalibus accensis testantur. Defuncto successit rursum Syriæ præfectus. Adijciebant ad hæc incolæ, Sultanū post indeptum imperium suis regulis (Amirre lingua Syriaca dicuntur) gratum esse admodū: quippe qui hexarchatus & præfecturas paruo negotio, petentibus elargitur: ea tamen lege, ut aureorum (saraphos ipsi appellant) complura millia quotannis pendant. Abnuentibus sponsa dissoluere exitiū imminet certissimum. Principē cōcomitantur ex summatibus deni uel duodeni. Et ubi principi cordi hæserit, uelle auri quippiam à satrapis aut commercia exercentibus (quia summa inibi uiget iniuria, passim debacchantibus latrunculis, sæuientibus præsertim in Mahumetanos Mamaluchis) dat princeps ad arcis præfectum binas literas: alteris continetur, ut cōciōne aduocata in arcē quos uoluerit accersat: alteris continuo colliquescit mens principis, id est, quid princeps à subditis consequi uelit. Quibus perlectis, haud mora, imperata faciunt, æquum uel iniquum iubeatur, nulla habita ratione. Hunc morem corrogandi auri comentus est princeps. Vsu tamen quandoq; euenit, ut sint tantarū uirium satrapæ, ut etiam iussi adesse nolint, gnari uim illaturū tyrannum esse. Ob id sæpenumero, ubi exploratū habēt uocaturum eos esse arcis præfectū, mox in Turcarum regionem dilabuntur. Hæc sunt quæ quasi de eorum moribus collegimus. Id etiam obseruauimus, uigiles in turribus nō uoce, sed tympano uigilias custodiasq; agere, correspondentibus inuicē ictu tympani uigilibus. Sed si qui forsan uigilum semisomnes, uel paruo horæ momento ad tesseram non responderint, illi actutum ueluti suarū desertores custodiarū carceri ad annū mancipanē.

De his quæ Damasci uisuntur. CAP. VI.

B POstquam reguli Damasceni mores explicuimus, in rem esse iudicamus, ut nonnulla quæ inibi conspicati sumus, elegantiam urbis concernentia expediamus: nam ea urbs incolarū numero freques est admodum, eademq; ditissima. Mirū dictu est, quantū opulentia ac eximio artificio polleat: quippe quæ affatim cōmeatuum ferme omniū habet, rei præsertim frumentariæ carniumq;, & id genus annonæ. Scatet omnifariam fructibus, & cumprimis per totum annū recentiū uuarū illic est ubertas. Sunt præterea ibi mala punica, chrysomela, amygdalæ, & proceriores oliuæ, eædēq; optimæ, rosæ itē albicantes rubētesq;, & sane pulchriores quàm unq; uiderim: & rursum poma omne genus suauissima: pyra uero ac persica gustu insuauia Rationē huius insuauitatis non aliā afferebant, q̄ aquarū copiā nimiā. Fluuius lympidissimus urbē interfluit: ob id plerūq; in singulis ędibus signati fontes conspiciuntur elaborati: præsertim opere tessellato, museaceū appellant. Aedes autem eorum à foris inelegantes sunt, sed intus decentissimę multiplici marmore, & cumprimis ophite lapide eas exornante. In urbe sunt complura delubra, Moscheas appellant. Sed quod cæteris præstat, id constructum est instar basilicæ diui Petri urbis Romæ, ubi magnitudinē inspexeris: si tamen id demas, quod in meditullio nulli sunt imbrices uel tecta, sed patescit ut sis sub diuo. Circum uero delubrū omnia concamerata sunt. Illic peculiari cultu sanctissimi uatis Zachariæ ut uerū corpus obseruāt, idq; summo in æstimato habent. Valuæ delubri præcipue ex metallo quaternæ insignes plurimum: inq; delubro plures fontes, ijdemq; cōspicui. Supersunt adhuc collapsarum ędiū monimenta, quæ à Christianis olim incolebantur, Canonicam appellant: ea opere Museaco exculta erat. Videre etiam licuit eum locum, ubi ferunt seruatorē nostrū diuū Paulū increpuisse his uerbis: Saule, Saule, quid me persequeris? Is locus est extra urbem ad primum lapidē: ibi Christiani humantur, qui in ea urbe è uiuis decedunt. Visitur etiam ibi ea turris, quæ diuo Paulo pro custodia data est: ea mœnibus urbis connexa est. Eum

Damasci opulentia.

uero locum turris, unde ab angelo sanctus Paulus exēptus est, nequicquam obstruere Mahumetani tentarūt: nam ubi uesperi obstruxerint, mane reseratum offendunt: idq; ui numinum euenire autumāt, ne actæ rei testimoniū desit. Vidi etiam illas ædes, in quibus, ut fama fert, Cain Abel fratrem cōfecit germanū: eæ enim ab altera urbis parte sunt ad primum lapidem in conualle quadam sitæ, tamen in colle decliui. Sed hinc redeamus ad peregrinos milites, quos uocant Mamaluchos, deq; eorum licentia, qua in ea urbe abutuntur multo licentius, quàm par est, prosilientes differamus. A

De Mamaluchis Damasci. CAP. VII.

SVnt itaq; Mamaluchi ex ea hominum nota, qui à nostra fide desciuerūt, abq; Syriæ præfecto ueluti mancipia æmuntur. Illud compertum habemus, id hominum genus solers esse admodum: quippe qui tum disciplina militari, tum literarū studio exercentur tātisper, donec peritiores euaserint. Indiscriminatim tam parui quàm magni stipendia sub præfecto merent: id stipendiū senos sarraphos (id est auri genus) nō excedit mense singulo, præter sui, ac serui, necnon equi uictum: tantoq; maiore stipendio conducūtur, quanto strenuiores & manu promptiores euaserint. Igitur nō perambulant urbem, nisi bini, uel terni simul: illis enim probro daretur maximo, si sine comite incederēt. Et ubi inter eundum obuias habuerint ternas uel quaternas mulieres, licentia eis cōcessa uel extorta, in quibusdā diuersorijs, chanos uocant, qua sciūt iter facturas mulieres opperiuntur, & ut propius accesserint priui priuas corripiūt. eisq; introductis licenter nimiū utuntur. Conātibus Mamaluchis frontē earū retegere (uelata enim facie incedunt) obsistūt maxime, nec cognosci uolūt mulieres: nos enim norūt, licet à nobis agnosci nō sint. Instant audacius Mamaluchi, & solita petulentia se uelle eas detegere asseuerant. At illæ inquiūt: Satis ne ac super est, quod corpora nostra uulgastis, proq; libito usi estis, nisi etiam frontē nostram aperiatis? Tunc Mamaluchi eas missas faciunt. Verum quādoq; accidit, ut rati prostituere principis filiam, suasmet uxores comprimant: idq; dū ego illic agerē usu euenit. Mundum muliebrem curant quàm quæ maxime: uestibus sericeis utūtur, & eas cooperiunt gossipinis pannis, eisdemq; tenuissimis, quasi instar serici. Ocreis utūtur albicantibus: soleis uero coccineis, aut sanè purpureis. Caput multi iugis exornant monilibus: delectantur inauribus, & in digitis gestant condalia. Nubunt toties, quoties libuerit: ubi enim pertæsæ fuerint prioris coniugis, sacerdotem suæ fidei præfectum (Cadi appellant) adeunt, seiungiq; efflagitant à priore coniugio. Discretionem huiusmodi eorum lingua Talacare nuncupant. Peracto itaque à Cadi eorum sacerdote diuortio, ad alia noua transeunt: itidemq; uiris licet. Sunt qui autument Mahumetanos quinas uel senas simul habere uxores: quod minime animaduerti: reor tamen, ut licuit intelligere, binas, uel ad summum ternas eos uxores ducere. Vescuntur in propatulo, in emporijs præsertim, ubi promercalia uisuntur: & ibi quicquid est esculenti excoquitur. Vescuntur equis, camelis, bubalis, hœdisq;, & id genus animalibus. Recentis casei summa est copia. Quibus lac est uenale, ij circunducunt quadraginta uel quinquaginta capreas, easq; ubi lac emere uolueris, in superius deuehunt cœnaculū, etiā si triplex foret cōtignatio, coràm in uase stannea lac emungunt. Supra palmum longas habēt capreæ auriculas, ubera habent multiplicia: fœcundæ admodum. Tuberum ibi ingēs est ubertas, nā nōnunq; illo uiginti quinq;, aut triginta cameli tuberibus onusti conspiciuntur, & tamen intra triduum uenduntur. Aduehūtur ex Armeniæ montib. ex Asiaq; minore, quā Turchiam, alij Anatoliam appellāt. Mahumetani longioribus uestibus utuntur fluxisq;, eisdēq; solutis panneis uel sericeis, plerunq; caligis utuntur gossipinis, soleisq; albicātibus. Ii ubi obuiam habuerint quempiam ex Mamaluchis, etsi Mahumetanus præstaret cæteris, qui inibi mercimonia exercent, illū tamē honore prosequitur, ceditq; illi de semita, qui si secus agerēt, scipione haud dubie uapularēt, admonerenturq;.

Marginal notes: B (beside "chi eas missas faciunt"); Cadi; Polygamia; Turchiæ

admonerenturq́. Sunt item ibi tabernæ complures mercium à Christianis
A conductæ: in illis serica omnifaria, & præsertim ex altera parte uillosa, ue-
lutum appellant, & id genus complura: uerum Christiani ibi à Mahumeta-
nis male accipiuntur. Velutum

Quomodo ex Damasco itur ad Mahumetis Mecham, & de Arabum moribus.

CAPVT VIII.

POstquam plus iusto forte de Damascenis rebus disseruimus, urgeorq́; so-
licitudine perficiendi suscepti itineris, pergam expedire alia. Igitur anno
salutis quingentesimo tertio supra millesimum, mensis Aprilis octaua luce,
quum accepissem camelos, Carauanam uocant, expediri, ut Mecham côten
derent, nouarum rerum percupidus, essemq́; expers eorum consuetudinis,
qui illuc erant profecturi, inij cum Mamaluchorum duce amicitiam: is fidê
nostram abnegauerat. Ad eum itaq; ubi receptum habui, ære medio mox me
donauit amictu, quo Mamaluchi uti solent: datoq́; equo pernici ac feruido,
cæteris consociauit Mamaluchis. Id, ut sum præfatus, ui maxima auri, ac a-
liarum rerum, quas illi dono dedi, consequutus sum. Ingressi tandem iter su-
mus, ac itinere dierum trium perfecto, ad locum quendam peruenimus, cui
Mezarib nomen est. Illic tridui moram fecimus, ut itineri capessendo sume-
rent mercatores necessaria, camelos præsertim, & complura alia. Eius loci
princeps quidam est, quê Zambei uocant: aruis Arabibus simul imperitat, Zambei
estq́; ingentium uirium dominus. Huic terni sunt germani, ac nati quatuor:
alit equorum quadraginta millia, inq́; eius regia equarum dena millia, ac ca-
melorû quaterna millia uisuntur. Patescit in immensum ager, utpote itinere
bidui, ubi armenta huiusmodi pecuascere solent. Is princeps Zambei capes-
surus bellum, tantarum est uirium, ut Babylonis Sultano, ac Damasci præfe-
cto, Hierosolymorumq́; principi simul arma inferat. Et quum leguntur fru-
ges, prædæ inhiat studio incredibili; miraq́; impostura circumuenit Arabas.
B Nam aliquando arbitrantur Arabes procul, utpote spatio mille passuum ui-
rum abesse, & mane postridie prędabundus adest, inopinatoq́; corripit nihil
tale metuentes: adueniens insperatò rem frumentariam ac hordeum ipsis
inditum sacculis asportat aliò. Nonnunquam perdius ac pernox excursioni-
bus populabundus insistit irrequietus admodum. Vbi uero gradum sistere
placuerit, equabus iam ob cursum fessis camelorum lac propinat, ceu rem fri
gidam. Verum enimuero uisum est mihi iumenta huiuscemodi non cursu,
sed uolatu ferri instar accipitris. Id licet testari, quoniâ coràm uidi iens cum
eis simul. Illud etiam uobis compertum sit, memoratos Arabes equis instrâ-
tis insidere, solaq́; tunica interiore amiciri. Pro telis ferunt harundinem lon- Arabes
gam decem aut duodecim brachiorum, cui ferrum in cuspide inest, circumq́;
cuspidem sericum elaboratû. Et ubi excursiones sunt faciendæ, adeò confer-
tim incedunt, ut turmatim eos iter agere existimes. Statura sunt despicabi-
li paruaq́;: color est inter fuluum & nigrum: uox est muliebris: capillum ha-
bent promissum extentumq́;, eundemq́; nigricantem. Frequentiores sunt
quàm quisquam autumare queat: inter seq́; concertant diuturniore prælio:
montana incolunt: stataq́; prædandi habent têpora: id enim tempus miro
studio obseruant, quo exploratum habent illàc transituros esse qui ad Me-
cham contendunt. Tunc ueluti latrunculi obsident itinera, & prætereuntes
opperiuntur, ut eorum fortunas populentur. In prædam ituri ducunt secum
omnia, uxores, natos, & quicquid possident fortunarum. Aedes eorum im-
ponunt camelis: quandoquidem nullas habent ædes: tentorijs & conopeis
ut nostri milites utuntur. Huiusmodi tabernacula ex lana nigra sunt confe-
cta, eademq́; depexa uiliq́; admodum. Igitur undecima Aprilis cameli, id est
carauana, numero quasi triginta quinq́; millium ex Mezarib discessere, ad
quadraginta millia hominû numerus ascendit. Nos uero non plus sexagin-
ta eramus & Mamaluchis, qui loco præsidij custodiendos susceperamus ca-
melos, id est, ipsam carauanam: sic enim collocabantur pro custodia Ma-

maluchi trifariam diuisi: alij in fronte: mediam aciem tenent alij: alij agmen claudebant: eo modo incedunt itinerantes, ut paulo post aperiemus. Primũ igitur omnium scire conuenit, quod à Mecha Damascus abest itinere quadraginta dierum, ac totidem noctium. Discessimus ergo à Mezarib, iterq; egimus ea die usq; ad horam uigesimam secundam. Tunc Agmirus dux tessara data iubet eò loci sisti omnes, ubi signum exaudierint. Et simul omnes exaudito signo consistunt: exonerandis onustis camelis, cibo capiendo, spatium duarum horarum absumitur. Dat tesseram rursum dux, & actutũ onustis camelis illinc abeunt. In cibatu camelis dantur singulis quini panes hordeacei, haud cocti, magnitudine mali punici. Inscensis equis iter agunt nocte ac die sequentibus usq; ad horam uigesimam secundam. Hora uigesima secunda eundem seruant morem quem paulo ante memorauimus. Singulis octonis diebus aquam hauriunt, egesta humo aut sabulo. Inueniuntur tamẽ nonnulli putei ac cisternæ. Temperant octauo die ab itinere, camelis bidui mora data ad recuperandas uires. Grauantur pondere incredibili cameli, quippe qui geminum pondus ferunt, utpote duorum mulorum. Illis est potus in ternos dies tantum.

De robore Mamaluchorum. CAP. IX.

VBi gradum sistere contigit ad aquas prędictas, semper oportuit cum maxima Arabum manu confligere, sed plerunq; incruentum certamẽ: nam etsi creberrime manum conseruimus, tamen unum tantum hominem occubuisse constat: adeò enim sunt imbelles Arabes, ut à sexaginta Mamaluchis Arabum quinquaginta millia cohiberi potuerint: quoniam ex eis qui Pagani nuncupantur, non sunt Mamaluchis strenuiores, armisq; capessendis aptiores, ac manu promptiores. Noueritis profecto me coràm plura uidisse, quæ Mamaluchorum bellicam uirtutem præ se ferebant. Memini inter cętera uidisse è Mamaluchis quendam, qui posito supra uerticem serui malo Assyrio, & ad distantem ad duodecim, uel quindecim passus ueluti ad scopum ictum destinare, & altero iactu malum Assyrium è uertice deturbare. Vidi & alium Mamaluchum citatissimo gradu agentem equum, ephippia eidem equo quo insidebat detrahentem inter currendum, eaque capiti imponentem, & rursum sternentem currendo eundem equum. Ephippijs more nostro utuntur.

De Sodoma & Gomorrha urbibus. CAP. X.

PEracto itinere duodecim dierum deuenimus ad conuallem Sodomæ ac Gomorrhæ. Vera equidem refert sacra pagina. Supersunt adhuc collapsarum urbium uestigia, diuinæq; iræ testimonium. Astruere licet, tres esse urbes, quæ singulæ in cliuo singulorum montium sunt positæ, & circiter altitudinem trium uel quatuor cubitorum adhuc uisitur nescio quid instar sanguinis, quasi exprimat rubicantem ceram humo admixtam. Ego certe crediderim id genus hominum corruptissimum uitiorum labe fuisse, argumento quod circum urbes regio arida incultaq; squalet humo, nullius ferax, aquarum præsertim expers. Vescebantur olim illi manna: & quum diuino munere abusi fuissent, uapularunt uerbere atrocissimo. In dei euidens miraculum adhuc conspicitur ruina urbium. Præteritis ad uiginti mille passus urbibus, è nostris circiter triginta tres siti occubuere, obruti fuere inibi sabulo complures semineces, tantum fronte retecta. Progressi nonnihil nacti sumus montem paruum, ad cuius radices aqua reperta est: cuius inuentũ gauisi sumus plurimum: ibi statiua fecimus. Postridie illius diei luce prima affuere Arabũ uiginti quatuor millia, haustæ aquę pretium reposcebãt. Respondentibus nobis, soluere nolle, id quoque munere deorum datum esse: continuo consertum est pręlium: succlamantibus illis, nos eorum latices hausisse. Nos uero in monte prædicto tanquã in loco tutiore cõglobati, camelos ceu propugnaculũ aliquod obiecimus uice muri. Mercimonia exercentes recepti erant in aciem mediam, id est, in medio camelorum, nobis quaquauersum acriter

Eremus anydros

A acriter prælíantibus: tam diuq; certatum est, quoad hostes nosq; bidui mora latices defecere. Montem corona cinxerant Arabes, iactabantq; in camelos irrumpere uelle. Tandem ut modum prælio faceremus, adhibitis ad consilium negotiatoribus, dux noster Arabibus ducentum ac mille aureos nummos dari iubet. At illi accepto auro dixere nos minime persoluturos esse haustam aquam denis aureorum millibus. Tunc intellectum est à nobis alia quærere gentem quàm nummos, quasi nodum quæreret in scirpo: ob id dux noster continuo edicit, ut in omni agmine nullus qui armis ferendis aptus foret, camelum inscenderet, sed prælio se expediret quamprimum. Postridie mane præmissis camelis, nobisq; agmen claudentibus, ut iter agere cœpimus, tercentum ferme numero eramus, consertum est prælium: è nostris cecidere duo, uir & mulier: nec aliud incommodi passi sumus. Ex Arabibus uero confecimus mille ac quingentos. Nec uos subeat admiratio, quòd tantam stragem pluribus pauci intulerimus. Occidioni causam præbuit, quòd illi sola interualla prope nudi agebant, instratisq; equis insederant, eoq; necessitatis adducti erant, ut instantibus nobis ad propria uix remeare quiuerint. Atrox præliũ

De monte culto à Iudæis. CAPVT XI.

SPatio dierum octo nacti sumus montem, qui patet ambitu decem aut duodecim mille passuum. Hunc montem incolunt Iudæorum circiter quina millia. Ii nudi incedunt: magnitudine sunt inter quintum & sextum palmũ: uox est illis muliebris, nigri sunt coloris, sed inter se nigricante colore differunt. Nulla alia re uescuntur quàm hœdinis carnibus. Circunciduntur, nec se inficiantur esse Iudæos. Si casu quopiam Mahumetanus ad eorum manus deuenerit, is crudelem in modum decoriatur uiuens. Ad radices montis offendimus cuniculum, is est meatus subterraneus, unde deriuabant aquæ plurime. Nacti hanc opportunitatem, sexdecim millia camelorum onerauimus, cuius rei pertæsum est Iudæos. Palabantur errabundi in eo monte ceu hinnuli. A descensu tamen montis temperabant: quippe qui Mahumetanos o-
B derunt quàm qui maxime. Infra montem uisebantur septem uel octo spineæ arbores mira pulchritudine, inq; eis par turturum comperimus: quæ res cessit loco miraculi, quum tot itinera mensi essemus, & nulla animalia uolucresq; conspicati fuissemus. Post hæc iter egimus duorum dierum, & tandem peruenimus ad urbem quandam, cui nomen est Medinathalhabi. Ad quartum lapidem à dicta urbe puteum inuenimus. Ibi carauana, id est, camelorum agmen constitit, ibiq; unius diei sumpta mora, illic quisque se lauit, induitq; mutatoria, ut nitidiore amictus habitu urbem lætius ingrederetur. Ea frequens est populo, quippe quæ circiter ædes trecentas habet. Mœnia ut aggeres ex humo: domus uero tum lapideæ, tum lateritiæ sunt: Ager qui urbi adiacet ob diuinam interminationem nullius ferax, si id excipias quòd ab urbe ad geminum lapidis iactum circiter quinquaginta palmæ uisuntur, quæ cariotas ferunt. Præterfluit hortum quendam ibi aquarum decursus. Is quasi ex loco cliuoso ad gradus ferme uicenos quaternosq; in subiectam planiciem effunditur: inde aquantur cameli, quum illuc proficiscuntur. Sed tempus iam appetit ut eorum refellam opinionem, qui autumant Mahumetis uiri impurissimi arcam apud Mecham in aere absq; adminiculo pensilem consistere. Ego longe aliter sentio, adfirmoq; ea nec uera, neque uerisimilia esse, utpote qui coram hæc perpendi, uidiq; locum ubi humatus est Mahumetes in memorata urbe Medinathalhabi: moram enim inibi tridui fecimus, ut in horum omnium certissimam deueniremus notitiam. Prima die urbem inijmus. Quum uero delubrum eorum, Meschitam appellant, ingredi contendebamus, id prius non licebat quàm comite quopiam paruo uel magno. Ii apprehensa manu nos illò ducebant, ubi humatum adseuerant Mahumetem.

Medinathalhabi urbs

De

De delubro & sepulchro Mahumetis, deq; eius socijs.

CAPVT XII.

A

DElubrum eius testudinatum est, longitudine passuum centum, latitudine uero passuum octuaginta patescit. Gemina porta ingressus, adeuntibus patet. A latere triplici tegitur opere cōcamerato: fulcitur columnis quadringentis ex lateritio opere albicantibus. Lychni pensiles accensi, lampades appellamus, plures admodum numero quasi triū milliū. Ab altera delubri parte in priore loco Meschitæ turris uisitur ambitu quinq; passuum quaquauersum testudinata, pannoq; contecta sericeo: ea crate ærea faberrime facta fulcitur, distantia duorum passuum, abq; adeuntibus quasi per transennam conspicitur. Læuorsum angusta porta itur ad turrim: & quum eò perueneris, rursum angustiore ianua admittendus est. Hostium huiusmodi hinc & hinc complures codices bibliothecæ instar honestant: alterum latus uiginti, alterum uero quinq; & uiginti condecorant: illi enim Mahumetis sociorūq; traditionis fœdissimas, tenoremq; uitæ eius continent. Intra dictam portam sepulchrum uisitur, id est, defossus locus, ubi adstruunt conditum esse Mahumetem, sociosq; eius. Nabi uidelicet, Bubacar & Othomar, Aumar & Fatoma. At Mahumetes dux erat, Arabsq; natione. Mahumetis gener erat Hali: quippe qui eius natam Fatomam uxorem duxerat. Bubacar is est, quem ferunt inter purpuratos patres relatum esse, adq; summum apostolatus apicem nequicquam aspirauisse. Othomar & Aumar in exercitu Mahumetis præfecti militum erant. Ii singuli singulos habent gestorum traditionumq; suarum codices. Ob eam rem discors admodum id genus fœdissimum, inter se concertant, alijs alia affirmantibus: multifariam enim diuiduntur, nec satis sciūt cui potissimum credant, mutuisq; ob id cædibus se conficiunt, ceu belluæ, his addicti hæresibus ac falsis opinationibus pensiq; nullius.

Nomothetæ Turcarum

De secta Mahumetis. CAPVT XIII.

B

NVnc uero denarrabimus mores ac sectam Mahumetis. Igitur in excelsiore turris parte est locus patens in circuitu fastigium turris extra ambire uolentibus. Mox compertum fiet uobis, quibus usi sint dolis, ut carauanæ imposturam facerēt. Primo uesperi quo illò deueneramus, ut uiseremus Mahumetis sepulchrum, dux agminis ad se accersiri delubri, id est Meschitæ antistitem iubet, eumq; in hunc ferme modum alloquitur: Eò uenisse ut uiseret Nabi, quæ uox prophetam Mahumetem significat, corpus: pretium eius rei saraphorum fore quaterna millia: parentes se habere nullos, minusq; germanos, sorores, coniuges natosq;: neque se illò contendisse commercij causa, ut aromata, aut baccar, & id genus monilia præstinaret: profectioni causam dedisse desiderium seruandæ animæ, amorem'ue comparandæ salutis: ob id se ardere desiderio uisendi corporis prophetici. Ad hæc præfectus delubri, Sidi appellant, quasi lymphatus respondit: Audes'ne his luminibus, quibus tot patrasti scelera, eum uelle conspicari, cuius intuitu deus maximus cœlū ac terram creauit? Et rursum dux noster: Domine rex uerum dicis, sed abs te unum liceat impetrasse, ut uideam prophetam: quo uiso, in eius gratiam effodiam mihi mox lumina. Side uero respondit: Cuncta tibi aperiam princeps, Nemo it inficias quin hic propheta noster uitam exuerit: qui si uoluisset, potuisset quidem apud Mecham decedere: uerū ut inopiæ specimē præ se ferret, eoq; nos instrueret exemplo, hic quàm alibi maluit rebus humanis exui, illicoq; in deorum sedes relatus est ab angelis, adeoq; in cœlum ueluti compar receptus est consessum. Et iterum dux noster ad templi præfectum: IESVS CHRISTVS MARIAE FILIVS ubi est? At Sidi: Ad Mahumetis pedes. Ad hæc dux noster respondit: Sufficit, sufficit, nolo plura scire. Post hæc delubro egressus dux conuersus ad nos infit: Respicite pro qua re terna millia saraphorum prodigere uolebam. Eadem die uesperi hora ferme tertia noctis, ex senioribus Mahumetanæ sectæ decem forte uel duodecim carauanam ingressi sunt: ea enim ad iactum lapidis ab urbis porta cōstiterat

Impia persuasio

A stiterat. Ii igitur succlamare cœperunt huc atq; illuc cursitantes ceu fanatici, Mahumetes dei nuncius resurget: ô propheta, ô deus, Mahumetes resurget, parce mihi deus. Exciti his inclamationibus dux noster, nosq; arma expedire cœpimus, rati Arabas esse, qui direpturi carauanam aduentassent, percunctantes quidnam rei esset, quidue inclamarent: quoniam nõ aliter tumultuabantur, quàm nos Christiani, quum inopinato rescimus factum esse miraculi quippiam. At senes responderunt: Num conspicitis fulgorem qui è sarcophago prophetæ Mahumetis effulsit? Ad hanc uocem dux noster: nihil, inquit, uideo: nosq; percunctatus est, uidissemus'ne quippiam? Responsum est à nobis, nihil uidisse nos. At unus senũ: estis'ne, infit, mancipia, id est Mamaluchi? Huic rursum dux: sumus sanè mancipia. Tunc senex: uos domini, nequitis cœlestia conspicari, utpote neophyti, inq; nostra fide nondum firmi. Ad hæc noster dux respondit: O insani, daturus eram aureorum terna milia, mehercle dabo nunquam, canes canibusq; prognati. Noueritis itaq; non splendorem è sepulchro emicuisse, sed senes ignem flammamq; commentos esse, ut sub uelamento fulgoris nobis imponerent, ceu diuinitus id splendoris contigisset. Ob eam rem iussit dux, ut de cętero nemo nostrum delubrum iniret. Id etiam exploratum uobis siet, adiuratissimeq; uobis adstruimus, inibi ferrum calybem'ue haud esse, minusq; magnetem, nec propius montem quàm ad quartum lapidem esse. Nos illic tridui moram egimus, causa reficiendi agminis. Ad eam urbem commeatus omneq; annonę genus ex Arabia felici, abq; Babylone, Cayrum uocant, nec non Aethiopia cõportantur mariq; aduehuntur Erythræo, à quo urbs abest itinere quatuor dierum. — *Præstigiæ*

Quomodo itur ad Mecham. CAPVT XII.

Posteaquam ineptiarum deliramentorumq; ac nugarum Mahumetis satietas, imò fastidium nos cepit, decreuimus progredi; iterq; cœptum perficere duce piloto, qui itineris cursum moderabatur pyxide ac pagina marina, ut sunt sulcandi ęquoris peritissimi. Austro igitur ferebamur, puteũq; ele- — *Pilotæ*
B gantissimũ offendimus: inde enim immensa aquarũ ubertas deriuabat: eius fontis incolæ autorẽ memorant diuũ Marcũ euangelistã architecto deo quũ ea regio siccitate incredibili exaruisset: is ab agmine nostro epotus est. Nollem tamẽ obliuioni tradere, quæ cõperi in mari cognomẽto Arenæ: id à nobis prius repertum est quàm Iudæorũ montem nacti essemus. In mari igitur huiusmodi arenoso iter quinq; dierum ac noctium habuimus. Iam iam uobis innotescet, cuiusmodi mare existat. Ea sunt arua patentia, quę arenis strata sunt albicãtibus pollinis instar. Si quò sinistro pede usu eueniret, ut ij qui illàc iter agũt Austro ferrentur, ut septẽtrione aguntur, sabulo obruti occumberent omnes. Nam etsi prosperis uehebantur flatibus atro tamen turbine sabuli adeò inuoluebamur, ut adempto è cõspectu interuallo decem passuum alter alterum non conspiceret. Ob id incolæ camelis uehuntur caueis inclusi ligneis, inq; eis uitam trahunt, ducibus tamen pilotis, qui non aliter quàm in undabundo mari pyxide ac pagina ducuntur: & ibi siti exanimati sunt complures: alij interiere ob haustos plus iusto latices, quum fontis facta fuisset potestas: tantum aquæ biberunt, ut crepuerint medij. Et illic fit Momia. Vbi uero à septentrione flant uenti Etesiæ, tũc arena tollitur in altum, in montemq; conglobata fertur. Is mons Sinai montis est brachium. Quò ut peruenimus, pylæ à nobis repertæ sunt manu & arte elaboratæ: ianuam ipsi appellant. Ad læuam dicti montis in fastigio antrum est, ad quod patet aditus porta ferrea. Comminiscuntur quidam, eò loci Mahumetem contemplationi uacauisse. Illic nostris auribus ingens strepitus, clamorq; horridus insonuit: nam prætereundo montem prædictum tantum discriminis subijmus, ut uix nos euasuros arbitrati fuerimus. Relicto itaq; puteo iter egimus dierum decem, bisq; cum quinquaginta millibus Arabum præliati sumus, & tandem aliquando ad Mecham deuenimus: & ibi uigebant bella, concertantibus inuicem germanis, uter eorum regno Mechæ potiri deberet. — *Arenosi maris periculũ* — *Momia*

De

De forma & situ Mechæ, & quur illuc contendant Mahumetani.

CAPVT XV.

IAm tempus appetere uidetur, ut de famigerata urbe Mechæ nonnihil disseramus, quidnam sit, quomodo'ue situetur, qui'ue illi moderentur. Vrbs est elegantissima, cultaq; magnopere: quippe quæ ambitu senum millium ędium contmetur. Domus sunt incolatu optimæ, æque ac nostræ, uisunturq; nonnullæ trium aut quatuor millium aureorum impensa. Vrbs mœnia non habet. Ad geminum ferè stadium ab urbe nacti sumus montem, ubi uia erat ui incisa, ea ducebat ad subiectam planiciem. Vrbis mœnia sunt montes, quibus quaquauersum uallatur: quadruplicem habet aditum. Moderator urbis & ipse Sultanus est, e quatuor germanis unus, ex stirpe Mahumetana, paretq; Sultano Babylonis, quo cum reliqui tres fratres diuturniore prælio certant. Igitur octauadecima Maij Mecham inijmus urbem. Ingressus patuit ab ea parte quæ septentrionem respicit: mox per decliuum locum in planiciem deuentum est. Ad meridionalem partem montes bini ferme se complectuntur, discreti angusto interuallo: eà itur ad Mechæ portum. Quà uero sol oritur, uisuntur montis fauces instar conuallis cuiuspiam. Illac iter patescit ad eum montem, ubi Abrahæ & Isaac patriarchis sacrificant. Is mons ab urbe abest ad octo uel decem millia passuum. Altitudine consurgit terni iactus lapidis, constatq; non marmore, sed nescio quonam lapide colore ab marmore dissimili. In fastigio montis est delubrum, Meschitam uocant, fabricatum more eorum: id tres habet aditus. Ad montis radices sunt geminæ cisternæ, quæ incorruptas seruant aquas: altera Carauanæ Babylonis, altera Damascenis camelis latices propinat. Aqua est pluuia, proculq; illinc deriuat. Sed ad urbem reuertamur, quum opportunum erit de more sacrificandi, quo ad radices montis utuntur, affatim dicturi. Itaque urbe inita, mox Memphiticam carauanam offendimus, quæ spatio dierum octo nos præuenerat: *Carauana* neq; eà uenerat, quà nos iter feceramus. Carauanam huiusmodi sexaginta quatuor millia camelorum complebant custodibus Mamaluchis centum. *Mechæ ager sterilis* Id in primis innotescet uobis opinione cunctorum, urbem memoratam deū maximum diris maledictionibus esse execratam, argumento quòd nullius est ferax fructus, cunctarumq; regionum infœcundissima. Aret comprimis aquarum indigentia: adeoq; in immensum aquarū pretium excreuit, ut duodenis denarijs tantillum aquæ emere nequeas, quo sitim unius diei expleas. Iam subijciam quo nam modo uictitent. Plerunque ex Babylone, siue Memphi Nilotica urbe, Cayrum uocant, commeatus illò mari Erythræo comportantur, portu præsertim inseruiente, cui Gidæ nomen est: is abest ab Mecha quadraginta mille passibus. Commeatus suppeditat perbeata appellatione felix Arabia, annonam mittit & Aethiopia. Illic comperimus peregrinorū numerum maximum: Alij ex Aethiopia, ex utraq; India alij, ex Perside alij, alij ex Syria profecti erant. Nusquam profecto frequentiorem uidi populum, quantum mora uiginti dierum perspicere licuit. Ii uarijs de caussis illò accesserant: commerciorum alij causa, nonnulli ut uotum absoluerent, ignoscentiarum causa eò contenderant, in quibus ignoscentijs mox exploratum fiet uobis quidnam agant.

De commercijs Mechæ. CAPVT XVI.

PRimum omniū de mercimonijs quæ illò comportantur, dicemus. Ex India maiore, quæ est intra extraq; Gangem fluuium, baccæ, id est uniones, & id genus monilia aduehuntur, affatimq; aromatum: & præsertim ex ea urbe Indiæ maioris, cui nomen est Bangellæ, panni gosipini sericiq; ducuntur. Aethiopia etiam sua mittit aromata. Quo fit ut fateri liceat, eam urbem famigeratum esse emporium omnium fermè rerum, baccarum, monilium, aromatumq; omne genus, serici, gosipini, ac unguentorum, quæ suauissimum fragrant odorem, quorum omnium summa est ubertas, & copia incredibilis.

De

A *De ignoscentia siue indulgentijs Mechæ.* CAPVT XVII.

TAndem redeamus ad peregrinorum indulgentias, quarum causa illò cõtendunt aduenæ. In urbe media delubrum instar colossei Romani, amphitheatrum dicimus, non tamen ex marmore proceribusq; lapidibus, sed ex coctis lateribus: Amphitheatri instar nonaginta, aut sanè centum portas habet, estq; concameratum: ingressus descensu scalarum duodecim graduum patet hinc & hinc. In propylæo monilia tantum uenduntur. Ingressis undiq; auro obducti parietes effulgent splendore incomparabili. In inferiore parte templi, id est subtus loca concamerata, ingens hominum turba: nam inibi ad quatuor, uel quinq; hominum millia non nisi unguenta odoratiora uendunt, & cum primis puluisculum odoriferum, quo humana corpora condiuntur. Inde ad Mahumetanos fermè omnes traducuntur odoramenta. Excedit enim omnem fidem, quàm inenarrabilem suauitatis odorem fragrent ea unguenta, nõ aliter quàm si fores in myropolio, quod castoreum & id genus fragrantiores odores redoleat. Vigesimatertia Maij indulgentiæ in delubro cœptæ sunt erogari. Quonam modo id fiat iam iam referabimus. Delubrum in meditullio patet absq; imbricamento, inq; medio est turris, circumquaq; senũ passuum magnitudine: ea serico panno obuoluitur, supraq; uiri unius altitudinem non exurgit. Turrim ineunt porta argentea: utrinque sunt balsamo, ut ferunt, oppleta uasa: ea uisendi potestas fit omnibus in die Pentecostes. Memorantq; incolæ, id balsami partem esse thesauri Sultani eius qui Mechæ moderatur. Ad omnem turris testudinem positum est ferrum instar oræ orbiculatum, idemq; terebratum, cuiusmodi retinendis iumentis parietes muniuntur. Vigesima tertia Maij frequens populus cœpit horis antelucanis septies turrim ambire, deosculando singulos angulos, eosdemq; identidem palpat. Ab hac turri ad decem uel duodecim passus est turris altera instar sacelli nostro more extructi: ea ternos uel quaternos habet aditus. In turri media positus est puteus, qui agitur in profundum ad brachia quasi septuaginta. Is aquas salnitro infectas emittit. Puteo præfecti sunt circiter octoni homines toti populo aquis hauriendis: & ubi frequens populus septeno ambitu priorem turrim circundedit, propius accedit, & tergi putei orificium tangens hæc præfatur. Sit in Dei honore: Deus indulgens mihi dimittat peccamina. His prolatis, qui aquam hauriunt ternas aquæ lagænas singulis puteo hærentibus infundunt, totumq; hominem à uertice usque ad calcem abluunt. Madefiunt omnes, etiam si serico amicirentur. Tunc somniant ineptiores ac deliri infuso latice se esse ab omni reatu emaculatos. Addunt fabulæ scelerosi absumere reatus puteum. Adstruunt etiam, priorem turrim quam suprà memorauimus, septemplici circuitu ambitam esse primam domum, quam unquam Abraham exædificauerit. Propterea ita loti, madidi adhuc ad eum montem, quò præmisimus eos profectos esse sacrificandi Abrahæ gratia contendunt, illic biduo cõmorantes. Rursum Abrahæ ad montis radices sacrificant.

B

De ritu sacrificandi apud Mecham. CAPVT XVIII.

QVia plerunque generosos animos noua delectant, accenditurq; quisque optimus ad magna subeunda horum narratu, ob id ut magnanimis fiat satis, compendiosius quantum quibo, eorum sacrificandi ritum subijciam. Igitur sacrificaturi, alij ternos, quaternos alij, senos nonnulli uerueces mactant, adeoq; laniena madet, ut supra terna millia huiusmodi pecudum confecta fuerint: quà sol emergit iugulantur, mox in opibus in dei gratiam erogantur: nam ingens, eademq; incondita egentium turba aderat, utpote triginta millium, qui humo egesta foueam agunt, inq; ea exuscitatum ignem camelorum excrementis alunt, torrentq; elargitas carnes, eisdemq; assatis uescuntur. Ego uero crediderim inedia compulsos, non uoti gratia egentes huiusmodi illò profectos esse: adducorq; ea coniectura, quod nobis ingens cucumerum copia erat: abundè enim ex felici ac perbeata Arabia aduehebantur: Templum Mechæ

tur: illis nempe cortice dempto uescebamur: siliquas uero extra tabernaculum, ut assolet, proijciebamus: at inopes numero quadraginta uel quinquaginta correpturi cortices mox aderant, interq́; eos iurgium ingens uisebatur suscipiendarum siliquarum causa, parumq́; à digladiatione aberant concertantes, utri eorum priores legerent siliquas uel sabulo infectas. Ob eam rem in eam deuenimus opinionem, quod eximendę famis, non abluendorum reatuum causa eò aduenissent. Postridie eius diei eorum Cadi (is eius loci est apud eos, cuius sunt apud nos uerbi Dei concionatores) montem summum concionaturus ad subiectum populum conscendit: nam circiter horæ spatium incolarum lingua concionatus est. Concionis summa erat, ut obortis lachrymis peccamina deflerent, pectora plangentes, ipseq́; uoce sublatissima hæc subdebat: O Abraham dilecte Dei. Et rursum: O Isaac à Deo electe, eiusdemq́; amice: deumq́; pro Nabi populo exora. His dictis continuo gementium uoces exaudiebantur. Habita concione rumor increbuit. Arabum manum numerosissimam, utpote uiginti millium aduentare. Quo nuncio icti qui carauanam agebant, actutum quasi lymphati in urbem Mechæ diffugiunt. Ad sextum usque lapidem ab Mecha Arabas direpturos carauanam uenisse nuntiabatur. Ob id & nos tutò in urbem Mechæ dilapsi sumus. Verùm dum pedum struimus circiter medium iter, id est, inter montem & Mecham, à nobis despicabilis paries repertus est, latitudine quaternorũ cubitorum. Circum parietem præteriens populus calculis ac lapillis solũ constrauerat. Huius caussam hanc esse referebant. Quum, uidelicet, diuus Abraham à Deo iussus esset, ut filium mactaret immolantium ritu, ut præceptorũ Dei amans fertur natum Isaac monuisse, ut imperata Dei capessiturus se sequeretur. Sequenti parentem nato Isaac ementita & chari cuiusdam forma aiunt cacodæmonem non longe à pariete astitisse, percunctatumq́; fuisse amici appellatione, quo'nam contenderet. Respondenti Isaac, se ad parentem proficisci, qui eum opperiebatur: ad hæc hostem humani generis respondisse memorant, gradum reuocaret, quoniam si pergeret iter perficere, sacrificaturũ eum parentem Abraham esse: ferunt Isaac hoc monitu dæmonis haudquaquam perterritum dixisse dæmoni, sineret parentem exequi imperata Dei, postquam Deo sic erat complacitum. Hoc responso narrant euanuisse dæmonem. Verùm progresso nonnihil Isaac, rursum alterius chari accepta persona, dęmonem itidem monuisse aiunt, ne, uidelicet, obsequeretur parenti, mactare eum paranti. Tunc ferunt Isaac ira percitum lapillo impacto dæmonis frontem consauciasse. In cuius rei monimentum illàc iter agens populus, ubi propius parietem accesserit, iacere in murum calculos consueuit: indeq́; in urbem se recipiunt. Dum iter agimus, cœlum inumbrabant palumbes innumeri. Aiunt auitia huiusmodi à uolucre illa traxisse genus, quæ Mahumeti in aurem loquebatur, sub uelamento sacri pneumatis. Inerrant dicti palumbes uicis, ædibus, tabernisq́; ipsis frumentarijs, milij ac orizæ, uixq́; licet eos abigere, occidere uero aut capere huiusmodi palumbes propè capitale censetur. Arbitrantur enim incolæ, ubi memoratæ aues uapularent, orbem totum ruiturum, ob id impensa aluntur in templo medio.

De unicornibus templi Mechæ, quos Monocerotas appellant, qui fermè alibi non uisuntur. CAP. XIX.

AB altera delubri parte septa uisuntur, siue claustra mauis appellare: in his unicornes gemini asseruantur, locoq́; miraculi populo spectandos præbẽt. Nec ab re, res est miratu dignissima: sunt enim eiusmodi, ut illico denarrabimus. Alterum eorum, quem constat longe proceriorem esse, pullo equino triginta menses nato haud absimilem crediderim. Prominet in fronte cornu unicum longitudine trium cubitorum. Longe natu minor est alter, utpote anniculus, ac equino pullo simillimus: eius cornu quaterni palmi longitudinem haud excedit. Coloris est id animal equi mustellini: caput cerui instar: collo non oblongo, rarissimæq́; iubæ, ab altera parte solum dependen-

Margin notes: Cadi concio (beside "atuum causa eò aduenissent"); Vnicornes (beside "unicornes gemini")

A tis. Tibias habet tenues, easdemq́ graciles admodum hinnuli modo. Vngulas anteriorum pedum bifidas habet, caprinos pedes fermè referẽtes. Tibiarum posteriorum pars exterior uillosa est, piliq́ plurimi. Sanè id animal ferũ uidetur, uerum ferociam nescio qua comitate condiuit. Eos unicornes quispiam Sultano Mechæ dono dedit, ceu rem inuentu rarissimã, eandemq́ preciosiorem. Aducti sunt ex Aethiopia ab Aethiopum rege, ut eo munere necessitudinem coniunctissime cum Sultano Mechæ præfecto iniret.

De nonnullis apud Mecham contingentibus, deq́; Zida Mechæ portu.

CAPVT XX.

HOc loco peropportunum uidetur ea recensere, quæ in re subita acerrimum præ se ferunt ingenium: ubi ipsa ingruens necessitas, cuius sunt amarissimæ leges, sic fiendum persuaserit. Illud mihi usu euenit, operæq́ precium fuit, ut fugam meditans, clanculum ab Mecha discessurus uirum me explicuerim. Igitur cum forte à duce meo nonnulla emendi datum mihi fuisset negocium, in emporio attentius me obseruans Mahumetanus quidã, Christianum esse nouit: propterea his me uerbis percontatus est lingua patria, Inte mename, id est, unde es tu? cui ego, Mahumetanus sum. At ille, uerũ nõ dicis: cui ego, per Mahumetis caput, sum Mahumetanus. Rursum Mahumetanus ille, Veni domum meam: quare sequutus sum hominẽ. Is ut domi fuit, cœpit me Italorum lingua percontari, unde nam essem, adseuerans me nosse, subdensq́ me Mahumetanum haud esse, adfirmans Genuæ ac Venetijs fuisse aliquando: & ut dictis fidem faceret potiorem, nonnulla memorabat quæ præ se ferebant eum uera locutum esse. Hoc intellecto, fassus sum ingenue me Romanum esse, sed Mahumetanæ fidei initiatum me esse in urbe Babylonis Memphitica, factumq́ ex Mamaluchis unum. Hoc audito, uisus est Mamaluchus ex denarratis non mediocrem cepisse uoluptatem, ob id honore me prosequebatur insueto. Verũ quia cordi hæserat mihi longe ultra pro-

Ludouici dissimulatio

B gredi uelle, Mahumetanum percontabar, esset'ne ea urbs Mecha illa adeò famigerata, ut eius totus fermè orbis meminerit: sciscitabarq́ ab homine, ubi nam esset baccarum ac margaritarum, & id genus monilium, aromatum'ue ingens, ut ferebatur copia: & item ubi essent tot mercimonia, quæ illò comportari dicebantur: eoq́ omnis mea oratio pertingebat, ut explorata Mahumetani mente, compertum fieret mihi, qua de caussa illic commercia, ut fuerant, non uigebant. Et quia percontando hominem, in caussa esse Lusitaniæ regem, ceu maioris partis illius oceani moderatorem, Erythræiq́ ac Persici sinus dominum minime dixi: suppressa ex composito regis mentione, ipsi mihi attentiore animo ueluti explorabundus, cœpit ex ordine causam exponere, cur nundinis non interessent commercia exercentes, inq́ unum Lusitaniæ regem causam reijciebat. At ego, ubi eius regis meminit Mahumetanus, de industria regis famam carpere cœpi, ne in eam opinionem Mahumetanus deueniret, ut gratum haberem, quod illò commercij causa contenderet Christiani. Mahumetanus uero ubi perpendit me ex professo Christiani hominis hostem esse acerrimum, honorificentius etiam solito me excepit. Et rursum ex ordine cuncta denarrabat. Doctus omnia, amici appellatione eum rogitabam, hæc Mahumetanorum lingua subdens, Menaha menalhabi, id est, oro te ut mihi assistens, me instruas quo nam modo hinc abscedere clanculum queam, iuratissime adfirmans me iturum ad eos reges qui Christianis forent infensi, Mahumetanoq́ insinuabam, scire me nonnulla arcana, eaq́ tanti pensi, quæ si comperta forẽt ipsis regibus, nulli dubium fore, quin abusq́ Mecha continuo me accerserent. Suspensus uerborum horum summa expectatione Mahumetanus, Quid, inquit, artis te precor nosti? Cui ego, fabricandis tormentis omne genus concedo nemini. At ille, Mahumetes usq́ laudetur, qui te talem huc misit uirum, ut deis Mahumetanis inseruias. Propterea duce eo in eius ædibus delitui simul cum sua coniuge, precibusq́ abs me cõtendebat, ut à duce nostro impetrarem, ut sibi liceret circiter quin-

Explorandi solertia

denos camelos omnifariam aromatũ onuſtos haud perſolutis uectigalibus A
à Mecha abducere: pro huiuſmodi enim abducendis mercimonijs Sultano
ſaraphi triginta debebantur. Ego uero Mahumetanũ in ſpem certiſſimã in-
duxi abducendorum camelorum uel ſi centeni forent, & hoc adſtruebam li-
centiore Mamaluchorum ritu. Pro his tamen omnibus efflagitabã, ut mihi
tuto in eius ædibus eſſe liceret. His auditis Mahumetanus, ueluti uoti ſui cõ-
pos, gaudebat plurimũ, cœpitq; ob eam rem me cuncta docere, monuitq; ut
ad regẽ quendã maioris Indiæ regni de Decham me reciperem. Huius regis
ubi opportunũ duxerimus, mentio fiet. Itaq; pridie quàm Carauana abſceſ-
ſerit à Mecha, memoratus Mahumetanus iuſſit me in penitiore ædium ſua-
rum parte deliteſcere: poſtridie eius diei horis antelucanis buccinator Cara
uanæ ſono tube cunctos Mamaluchos admonebat, ut inſtratis equis iter ſuũ
Syriam uerſus dirigerent: differentibus aut abnuentibus ex edicto mortem
minitabatur. Vbi ea uox meis inſonuit auribus, illico inceſſit me mentis hor
ror, ac animi perturbatio tanta, ut continuo cœperim prehenſare, ac precari
hoſpitis Mahumetani uxorem, ne me proderet, gemebundusq; deum maxi-
mum exorabam, ut me ab hac interturbatione metuq; maximo aſſereret ali-
quando. Ea die quæ Marti dicata eſt, Carauana, id eſt, camelorum agmen, à
Mecha abijt, me deliteſcẽte in Mahumetani ædibus comite uxore eius. Ma-
humetanus autem Carauanam ſequutus eſt: uerum prius nõ diſceſſit, quàm
coniugem monuerit, ut die Veneris me duci iuberet ad eam Carauanam,
Zida quæ à Zida portu Mechæ in Indiam profectura erat. Abeſt enim à Mecha is
portus quadraginta mille paſſibus. Dum latui, quanta me exceperit mulier
comitate, pro meritis minime referre poſſum. Ad id accedebat, quòd ſpecta-
tæ formæ Mahumetani neptis uirguncula annos nata quindecim, flos ipſe,
plurimum quaſi me deperiret, ad mutuum amorem blandiuſcula allectabat.
Verùm per id tempus ingruẽte uitæ diſcrimine, præ metu ac formidine Ve-
nus propè emortua erat, propterea uitam ſponſis ac pollicitationibus ama- B
tæ preferendam eſſe duxi. Igitur die ueneris proxima circiter meridiem abij
Carauanam Indicam ſequutus, nocteq; intempeſta peruenimus ad ruſculũ
quoddam Arabũ, & ibi quod ſupererat noctis abſumpſimus, uſq; ad proxi-
mum meridiem. Poſtridie iter cepimus Zidam uerſus, eoq; deuenimus ſilen
tio noctis. Ea urbs mœnia habet nulla, ſed ædes ſunt conſpicuæ, Italis haud
abſimiles: earum elegantiam prudens prætereo, ut breue faciam. In urbe hu-
iuſmodi uigent magnopere cõmercia, illò confluentibus omnibus propemo
dum nationibus, præter Iudæos ac Chriſtianos, quibus nephas eſt eò profi-
ciſci. Simul ac urbem inij, contendi ad delubrum eorũ, Meſchitã ipſi uocant,
& illic nactus ſum inopum egentiumq; cateruam maximam, utpote nume-
ro uigintiquinq; milliũ. Hi opperiebantur quempiam nautã, quo duce in pa
triã repedarent: uiſis egentibus delitui in delubri angulo, & ibi ſtratus humi
diebus quindenis morã trahens ueluti languens, plorabundus querulas ſub-
inde emittens uoces ægritudinẽ ſimulabã, quaſi afflictarer ſtomachi, uel cor-
poris languore quopiam: exciti mercimonia exercentes ad gemebundã uo-
cẽ, pauperes percõtabantur quis nam mortaliũ ille eſſet, qui eas ederet lugu
bres uoces. At inopes qui hærebãt lateri meo: Eſt, inquiunt, miſer Mahume
tanus, qui animã eſt efflaturus. Veſperi autẽ poſt primam facẽ egrediens de-
lubro eſculenta emptum itabam, utrum cibi appetentiam concitaſſem ea po
teſtis coniectura aſſequi, quod ſemel in die tantũ comedebam, neq; opipare,
ſed quidẽ frugalius q̃ quis autumare poſſit. Vrbi moderatur Sultanus, Ba-
bylonis hexarchatum habet germanus eius Mechæ Sultanus. Verũ ut præ-
miſimus, Babylonico paret. Non operæpretiũ cenſeo, ut denarrandis huius
urbis moribus ac ritu diutius inſiſtam, quando certe cõſtat eos Mahumeta-
nos eſſe. Solum eſt infœcundum admodũ, aquarũ uero præſertim potu ſua-
uium ſumma eſt caritas, ædes pelago alluuntur. Ibi quicquid eſt quo huma-
nior uita carere non poſſit inuenitur, ſed aliunde aduchitur, & comprimis ex
Baby-

A Babylone urbe Nilotica, ac ex perbeata felicíq; Arabia, compluribusq; locis aliis. Illic ob cœli inclementiã ægrescũt plerũq; humana corpora. Sunt propterea ibi fermè semper languentiũ cateruæ. Vrbs ædium quingentorũ ambitu cõtinetur. Peractis quindenis diebus, cum nauta egi, qui Persidẽ profecturus erat, ut & mihi eòdem eũdi faceret potestatẽ. In portu iecerãt ancoras centũ fermè liburnicę, si celoces cymbasq; & id genus actuarias naues percẽseas. Itaq; transacto triduo, uẽto uela dãtes, Erythrẽũ mare sulcare cœpimus.

Quur mare Erythræum sit importuosum, sulcariq; nocte non poßit.

CAPVT XXI.

SAtis est in confesso omnibus, quòd dictũ equor non est rubrũ, sed instar reliqui æquoris: Nos igitur pelago cõmissi, maria sulcauimus usq; ad occasum solis: interdiu tantũ nauigabile est mare, noctu cõquiescunt tantisper nautæ, donec ad eam insulam quæ Camaran dicitur, peruentũ est: deinceps itur tutius. Quur noctu sulcari nequeat, id caussæ afferunt, quòd aridis ac scopulis breuibusq; frequens est mirandũ in modum mare, ob id opus est diuturniore specula è superiore parte mali præuidentibus discrimina nauitis.

LVDOVICI ROMANI PATRITII

ARABIAE FELICIS LIBER II.

De urbe Gezan, deq; eius fœcunditate. CAPVT I.



POSTQVAM de moribus populorum, deq; urbium ac locorum felicis Arabiæ situ satis superq; disseruimus, quantum nobis licuit perspicere, non absonum esse uidetur, ut minore quàm quibimus immoratione, quæ supersunt expediamus. Transactis ergo sex diebus, ad urbem peruenimus nomine Gezan. Ea portũ habet cõmodissimum, eundemq; elegantissimũ. Illic enim offendimus supra quadragintaquinq; diuersarum regionum liburnicas. Vrbs litori adiacet, principiq; Mahumetano paret. Ager ferax est modo Italici soli, fert in primis mala cydonea, Punicaq;, ac Assyria, & optimas uuas, persica, pepones, nuces, rosas, flores multiplices, cucurbitas, poma citrina, allium, cepas, diceres paradisum uoluptatis: incolæ plerunq; nudi agunt: in reliquis more Mahumetanorum degunt: ibi etiam summa est ubertas carnium, rei frumentariæ, hordei, milij albicantis, dora ipsi appellant: eo enim suauissimus conficitur panis: tridui mora inibi commeatuum sumendorum gratia absumpta est.

De nonnullis populis qui Banduin dicuntur. CAPVT II.

ABeuntes ab urbe Gezan itinere quinq; dierum, nauigamus læuorsum in conspectu tellurem semper habentes: & ubi à nobis conspectæ sunt ædes quępiã, mox esculenta sumpturi in terram descendimus numero fermè quatuordecim, rati non difficulter id impetrare ab incolis posse: uerum operam lusimus. Pro responso iacti sunt funda lapides. Id genus appulsis inhospitale admodum Banduin dicitur, centeni propemodum erant qui nobiscũ manũ eminus conseruere, fundis lapides uibrantes: horæ spatio cõcertatum est: ex illis cecidere circiter uiginti quatuor, reliqui uero effusissime diffugere. Inermes erant, si fundas excipias, nudiq; agebant: diffugentibus ipsis, gallinas uitulosq; opimos sustulimus. Intra horas ternas ecce frequens continentis incolarum turba, utpote sexcentũ: quibus conspectis, uisum est nobis referendum esse gradum, redeundumq; ad liburnicas esse.

De insula maris Erythræi, Camaran nomine. CAPVT III.

EAdem die iter cepimus uersus insulam quandam cui Camaran nomẽ inditum est. Ea ambitu decem mille passuum patet. In ea uisitur oppidũ ædium fermè ducentarũ. Ab Mahumetanis colitur, in ea aquarũ carnium'ue copia est, ibiq; sal elegantius quàm unquam conspicatus sim. Ad continẽtis latus portus, abestq; ab ipso continenti octonis millibus passuum. Ea paret

Sultano Amaniorum, id est, felicis Arabiæ. Illic bidui mora sumpta, uersus ostiũ Erythræi maris iter cepimus duorũ dierũ itinere. Noctu interdiuq; sulcatur id æquoris. Nec ab re id dixerim, quandoquidem ab ea insula usq; ad Zeilæ portum noctu tuto nauigari mare rubrũ nequit, ob breuia ac frequentiores scopulos. Vbi uero ad ostium pelagi peruentũ est, inter septa siue claustra quæpiam esse uidebamur, ostio non plus ternis millibus passuum patente. Dextrorsum uero continens uisitur eminens altitudine decem passuum: sed tellus inculta admodum, quantũ terminari oculis quibat. Ad leuã autem dicti ostij consurgit mons eminentissimus, idemq; saxeus. Circiter uero medium ostium apparet insula perquam mediocris, Bebmendo nomine, omni habitatore uidua, proficiscentibus Zeilã iter est dextrorsum: Aden uero euntibus leuorsum iter accipiendũ est. Eà nos profecti sumus in cõspectu tellurẽ semper habentes, ex Bebmendo uidelicet in Adẽ itinere bidui mediæq; diei. A

De urbe Aden, deq; nonnullis eorum erga appulsos negociatores moribus.

CAPVT IIII.

HAc urbe non memini uidisse munitiorem, in continenti præsertim haud inęqualis soli: geminũ latus sepiunt mœnia. quod superest, montibus occluditur, inq; eis quinæ sunt arces: in solo æquali est urbs, ambitu sex mille ædium cõtenta: cõmercia in nundinis noctu hora secunda ob nimios, qui sæuiũt interdiu æstus, exercẽt. Prope urbem ad lapidis iactũ mons est, inq; eo arx sita est. Ad radices autem montis considunt naues: urbs profecto elegans est, & totius felicis Arabiæ urbium pulcherrima. Illò ceu ad famigeratũ emporium ex utraq; India, Aethiopia ac Perside exercentes mercimonia nauali itinere confluunt. Itidem agunt, qui ad Mecham frequentes contenduntur. Verum simul ac liburnicæ portum appulerint, adsunt præfecti uectigalium percontantes unde soluerint, quid'ue conuehant merciũ, quantumq; temporis sulcando maria absumpserint, & itẽ quot homines singulæ celoces tulerint. B His exploratis, condicto malum, uela & id genus armamenta asportant aliò, ut illinc abeundi, haud persolutis uectigalibus, exempta sit occasio appulsis. Postridie illius diei, quo illuc appuleram, corripuere me Mahumetani, correpto actutum compedes indidere. Huic rei occasionẽ idolorũ cultor quidã præstitit, qui me his quasi uerbis cõpellauit, Canis, inquit, Christiane, cane natus. exaudito Christiani nommine, Mahumetani illico me corripiunt, correptumq; trahunt ad eum, qui Sultani uicaria fungebatur opera: moxq; concione aduocata, sciscitabatur ab his qui ad consilium adhibiti fuerant, utrũ leto tradendus forẽ, ueluti Christianorũ explorator. Aberat urbe Sultanus, qui quoniã cædium humanarũ expers adhuc dicebatur: itum est in eam sententiam, ut prius morti haud traderer, quàm monitus Sultanus fuisset. Igitur fortium beneficio seruatus sum, in custodia habitus diebus quinis ac quinquagenis, pedibus appendente ferro pondo librarum duodeuiginti. Perendino die quo capti sumus, ad eum, qui de perduellione inquirit, accurrerunt complures Mahumetani minarũ pleni, qui nando superioribus diebus Lusitanorum manus effugerant, pessundatis eorũ celocibus: ob id cædibus Christianorũ inhiantes, sanguinẽ nostrum expetebant, adseuerantes identidem nos Lusitanorũ exploratores esse: uerũ non defuit supernũ auxilium nobis: nam qui nos custodiendos susceperat custodiarũ præfectus, conspectis lymphaticis Mahumetanis, ratus uim subesse, ualuas occludit, statimq; obdit pessulũ. Transactis uero quinis supra quinquaginta diebus, Sultanus nos ad se duci iubet: eò enim bini unico cameli compediti pedicis ferreis uecti sumus: nec ante ad Sultanũ peruentum est, quàm dierũ octo itinere consummato. Itaq; Sultano in urbe cui Rhadæ nomen est sistimur: tunc enim rei bellicæ princeps operam dabat, delectũ triginta millium hominũ habens, Bellum Sultano cuiusdã urbis Sana nomine, illaturus. Abest ea urbs à Rhada itinere dierum trium, partim in decliui colle, partim uero in subiecta planicie sita, uisu pulcherrima, antiquiore æuo, ac hominũ frequentia, nec non opũ ubertate

Ludouici captiuitas

præci/

A præcipua. Itaq; tremebundi Sultano assistētes, cœpit me percontari explorabundus, unde nā essem: ego uero respondi me Romanū esse, inq; urbe Babylonis, cui Cayro nomē est, fidei Mamaluchorū initiatum esse, cōtendisse me ad eam urbē quæ Medina uocatur, ubi Nabi, id est propheta humatus dicit, quodq; illò cōcesserim uisendi sui gratia, fama suæ celebritatis allectus. Addensq; ubiq; gentiū ac locorū, & cōprimis apud Syros ac Mechā, Medināq; urbē receptū esse, eum claritudine morū, ac uitæ sanctissimo tenore secundū esse nemini: deberi propterea sibi perspicuum fore, cui ob uitæ eminentiam cōperta esse debebant omnia, me minime Christianorū exploratorē fore, sed Mahumetanū optimū, suæq; eminentiæ mancipium. Ad hæc Sultanus ait, dicito, leila illala Mahumet resullula. Hæc ego nunq; promere quiui, aut quia deo nō erat cōplacitum, uel certe ictus pauore nimio hiscere nō audebā: ubi ego cōticui, mox iussus sum in custodiā cōijci, præsidio hominū compluriū: nā ex oppidis duo de uiginti quaterni homines, quatuor singulis diebus ad mei custodiā excubabant, mutatis subinde custodijs, ut per uices singula oppida quaternis diebus custodiendum me traderent: ita trimestri cœlo frui nequiui. In cibatu aūt ex milio panis singulo die dabatur, isq; modicus admodū, adeò ut uel seni panes eiusmodi, famē unius diei non exemissent. Si uero ad satietatē aquam propinassent, mecū opipare nimis actū esse arbitratus fuissem. Intra triduū Sultanus in expeditionē bellicā profectus est, Sanā urbē oppugnaturus: trahebat enim exercitū secū, quē memorauimus, subq; eo merebāt equitū terna millia: Christianis parētibus nati erant equites, ijdē instar Aethiopū nigricātes. Hi in regno presbyteri Ioannis impuberes adhuc empti fuerant, disciplinæq; militari assueuerant, erantq; prætoriani milites, qui principis stipabant latus, longeq; pluris pendebātur q̃ cæteri uel numerosiores, utpote numero octuaginta milliū. Corpus hi uelāt sindone instar chlamidis facta, altero exerto brachio, cætera sunt nudi. Inituri bella orbiculatis clypeis utuntur, ea ex binis bubalinis tergoribus constant, intercurrētibus quaternis bacillis, qui ferrumine nescio quo dilabi nō sinunt coria. Clypeos huiusmodi exornat pictura multiplex, efficitq; ut uisu credas pulchrius nihil, telisq; uitandis nihil aptius, magnitudine dolij orificiū haud excedūt. Pro manubrio tantū asseris habēt, quantum ipsa potest capere manus, idq; geminis clauis firmant. Tragula utuntur, teli enim genus est, enseq; haud oblōgo, sed lato admodū: lineis uestibus, uerū uersicoloribus amiciunt: xylon siue gosipium arcendi algoris gratia, neoterici bombicē appellant, addunt: gosipinę huiusmodi uestes prælio nauando nō sunt ineptæ: ob id ituri in prælia eas loco chlamydis induūt singuli singulas ferūt fundas ut circum capita uibrēt lapides. Subtus fundā est surculus, mesuer appellāt, eo pro dentiscalpio utuntur. Nati XL. aut L. annos, ex proprio capillo sibi cornua construūt, sicq; bicornes incedunt ceu caprearū hinnuli: ubi in bellicā expeditionē itur, sequūtur exercitū camelorum quina millia, hi singuli onusti sunt funibus gosipinis.

B

De desiderio mulierum Arabicarum, quo afflictim deperiunt albicantes homines. CAPVT V.

Digresso exercitu, haud mora, in meā custodiā redij. In prætorio principis externis cōiugibus Sultani una degebat, ea pedissequas cosmetasq; circiter duodenas alebat filo corporis conspicuas, colore ad nigrum inclinante earū sane opera mihi plurimū cōduxit: nam qui in custodia eramus, decreuimus omnes (tres enim eramus) ut quispiā nostrū stultitiā simularet, quo commodius quiret alteri alter esse usui: tandem sors tulit, ut insaniendi prouinciā suscipere: qua suscepta operæpretium erat ut ea agerē quæ præ se ferrent dementiam: uerūenimuero primis tribus diebus, quibus cœpi insanus esse, adeò fessus laboribus exantlatis repertus sum, ut maiores nunquam subierim erumnas, pueris infensissime me obseruantibus: nam quinquaginta plerūq; ex omni incolarū colluuione diutissime me lapidibus incessebant, ut parum abesset quin me obruerent: me tamen par pari referente quod læderet. Dum *Simulatā insania*

me conſectabantur pueri, inſanũ uocitabant. At ego in interula affatim lapi- A
dum ſemper gerebã, ut ex ea re dementiã meam cunctis aperirẽ. Regina ue-
ro conſpiciebat per tranſennã è feneſtris, concomitantibus eam uirginibus.
Abq; ſolis emerſu uſq; ad occaſum uacabat meis ineptijs, ut inde uidendi
mei ſumpta occaſione colloquia mecũ iniret. Quũ itaq; nõnullis negociato-
ribus eſſem ludibrio, ut teſtatior mea foret inſania, exuta interula nudus pro
diui, adq; reginę conſpectũ ueni: quæ uiſo me magna afficiebatur uoluptate,
uixq; ferebat æquo animo, ut à ſe abſcederẽ, quaſi nondũ ſatiaſſet aſpectũ. In-
terea opiparas ganeatasq; dapes mihi dare iubet, ob id ſplendide epulabar:
& ubi uidiſſet irruentes in me pueros, hortabatur ut eos neci eorũ periculo
traderẽ, belluas identidem appellitans. Aedibus principis inerrabat præpin
guis ueruex, cuius cauda adeò obeſa erat, ut pondo eſſet librarũ XI. hunc e-
go manu apprehenſum iure inſaniæ, his uerbis cõpellabam, eſſet'ne Mahu-
metanus, an Chriſtianus, uel Iudæus? at pecus obtumeſcebat: ego uero cre-
brius ut fidei Mahumetanæ initiaretur, his uerbis inſtabã: leila illala Mahu-
met reſulala: at belua nuſquã reſpondit: cui ego ſcipione cõfregi crura: oble-
ctabatur his regina ineptijs, & mactati pecudis carnes mihi dari iuſſit epulan
das: ueſcebar ego adeò illecebre, ut nihil unq; comederim uoluptuoſius: in-
tra triduũ confeci & aſinũ: qui latices in regiã cõuectabat, ob idipſum quod
fieri Mahumetanus renueret. Per id tẽpus etiam abs me adeò male acceptus
eſt Iudæus, ut propè ſeminecẽ eum reliquerim. Verũ dũ pergo inſanire, qui-
dã me longe ſtultior cœpit, probris ac maledictis cõſectari his ferme uerbis,
Canis Chriſtiane, cane natus. Ad has cõtumelias factus iritatior, cœpi in eũ
lapides iacere plurimos. Conuerſus ille ſubſcribentibus pueris, lapide meũ
pectus percuſſit grauiore ictu. At ego compeditus fugientẽ aſſequi nequiui.
Ob id ad cuſtodiã redeo meam: euntẽ rurſum ille me dementior inſequutus,
in latera lapidem impegit: ob cuius ictũ ſum longe deterius acceptus, ꝗ ex
priore percuſſione fueram: licet quiuiſſem utcunq; uulnus euitare, uerũ ut in B
ſaniæ meæ fidẽ adſtruerẽ maiorem, malui lapide uapulare. Cuſtodiã ingreſ-
ſus congerie lapidum oſtium obſtruxi, inibiq; uitam per dolores & intertur-
bationẽ traxi biduo ab omni cibaru potuq; temperans: propterea rebantur
regina & cõplures alij me animã efflaturũ, conſumptum inedia. Reſerarunt
itaq; reginæ iuſſu obſtructũ abs me oſtium: at canes illi mihi illudentes loco
panis marmoris fruſta obijciebant, adfirmantes id ſaccarum eſſe, alij botros
uuæ harena oppletos proijciebant, ſal eſſe dicẽtes: ego uero actus fame incre
dibili, ſaburratas uuas comedebã. Eadem die quoniã increbuerat me biduo
temperaſſe à potu ciboq;, fama accedente uulgari, me diuinũ eſſe: alijs tamen
cenſentibus me prorſus inſanire, ut ſcinditur incertũ ſtudia in contraria uul-
gus: itũ eſt præſtò ad quoſdã, qui eius loci erãt apud eos, cuius ſunt apud nos
eremitæ, opinione ſanctioris uitæ celebriores: hi montana incolebãt. Ad me
itaq; ſunt perducti, ut exploratius ſciſcitarentur quiſnam eſſem mortalium.
Percontantibus eos negociatoribus nonnullis, ſanctus'ne eſſem, an demẽs:
horum uaria erat ſententia, alter me ſanctũ adſeuerabat, alter uero me corre-
ptum amẽtia arbitratur. Diſſidentibus eis diutius, id eſt, plus horæ ſpatio ſu-
per re huiuſmodi, duxi miſſos eos facere. Ob id ſublata interula, lotio illos a-
ſperſi: quo facto, mox cõuenit inter eos, me prorſus amentẽ eſſe, fugaq; arre-
pta, hęc ſucclamabant, me dementẽ, nõ ſanctũ eſſe. Regina uero è proſpectu
eminentiore cuncta ridens deſpiciebat, uirgunculis aſtantibus, in hancq; uo
cem prorupit, aiens: Per dei bonũ, perq; Mahumetis caput, hic cunctorũ ho-
minum eſt optimus. Mane poſtridie quum illum forte ſomno indulgentem
nactus eſſem, qui me gemino ictũ percuſſerat, memor acceptæ cõtumeliæ, ir
rui in hominem, & arreptis eius crinibus, genibus cœpi ſtomachum collide
re, adeoq; pugnis uultum uiri contudi, ut plueret cruore facies, uixq; ſemine
cẽ deſtitui hominẽ. At regina à longe omnia proſpectans aiebat: Cõfice, con
fice beluam. Abſceſſit ille, nuſquamq; comparuit. Inter hæc urbis moderator

A rescIuit multiplici cõiectura, socios meos perfidia Punica fuga sibi cõsulere uelle, & exutis cõpedibus, effractaq; custodia abscessuros, me tamen harũ rerum expertẽ: uerũ quia probe nouerat uisendi mei reginam summa affici uoluptate, statuit prius uim mihi inferendam haud esse, q̃ ipsam conuenisset. Quæ ubi in horum cognitionẽ deuenit, censuit me nõ esse insanum, iussitq; me poni in inferiore regiæ custodia, ostio patente, compeditum tamen.

De reginæ liberalitate. CAPUT VI.

PRoxima nocte regina comitibus senis pedissequis elegantioribus me uisit, animoq; attentiore percontabatur, an essem demẽs: ego uero sensim reginæ aperui me minime amentem esse: at illa huius rei gnara in meã ibat sententiã, cœpitq; me blãdius excipere, iussitq; mihi ex leuissimis mollioribusq; plumis stratũ poni, splendidiusq; alebat, meq; totũ lauacro additis suffimẽtis emaculauit. Igitur quum me spatio duodecim dierũ ita accipi tractariq; humanius iussisset: illis peractis, è superiore regia ad loca infima descendẽs, singulo uesperi hora noctis circiter quarta me uisum itabat, secumq; comportabat delicatiora esculenta. Ingrediens uero me hac uoce inclamat: Accede inquiẽs Ludouice, esuris'ne? Ego aũt respondebam, me esurire, futuræ inediæ prospectũ iri cupiẽs: consurgensq; occurrebã reginæ, interiore tantũ tunica amictus. At illa aiebat: Non ita, sed exue interulam. Cui ego: O domina, nõ sum nũc demens. Rursum illa: Mehercule noui te nunq; amentẽ fuisse, imò astutiorẽ cautioremq; te uidi neminẽ. Ego uero in eius gratiã exui subuculã: ea enim obscœna uelabam. Nudũ uoluptuosius illa me geminæ horæ spatio intuebatur, nec à me aciem oculorũ unquã auertebat, me obseruans ueluti cupidinẽ quempiam, querebaturq;, deos incusans his fermè uerbis: O Deus hunc creasti sole candidiorẽ, è diuerso autẽ coniugem meum, meq; ac natos meos omneis nigricantes formasti: utinam hic meus coniunx foret: item superis placeret, ut natũ huic nõ absimilem haberẽ. Hæc promens sinus lachry-
B mis impleuit obortis, abq; imo pectore trahẽs suspiria me attrectabat, moxq; est pollicita mihi, se simulac Sultanus aduentasset, daturã operam, ut compedes exuerem. Proximo noctis cõticinio rursum it ad me regina, sequentibus eam binis eleganti forma puellis, allatisq; dapibus opiparis, me hac uoce inclamabat: Veni huc Ludouice. Ego respondi, adsum. Et rursum illa: Vis'ne Ludouice ut tecum nonnihil morer? Cui ego, neutiq; domina, subdens, non satis superq; sibi fore, quòd compeditus eram, nisi etiam capitis pœna plecterer? At illa inquit: Noli pauere, per hoc caput tibi spõdeo impunitatẽ: quòd si me istuc ire nõ annuis, ibit Gazella, aut Tegia, uel Galzerana. Hæc dicebat regina, nõ aliò tendens, nisi ut loco earũ cuiuspiam puellarũ mecũ cubaret. Verùm ego nunq; sum his assensus, longeq; ante hæc omnia prouiderã: quũ mihi plus iusto affecta emori me ac deperiri uidebatur, occursabant animo quæ ingruebant discrimina. Haud certe nesciebam, ubi regina potita me fuisset, non defuturũ mihi aurum argentumq;, camelos'ue ac mancipia, & id genus fermè omnia, quæ mihi cõplacita fuissent: probe etiam intellìgebã sti paturos latera mea acriore obseruatione dena mancipia quocũq; proficisci cõtigisset, uixq; me euadere posse Arabiæ septa nouerã, obseruantibus portus ac transitus omneis mancipijs nigricãtibus. Edixerat enim rex omnibus, qui fluminũ portus ac uiarũ obseruant angiportus, ne me sinerent diffugere, imò abeuntẽ corriperent: obuersabatur etiã animo, quòd si semel fuga arreptã nõ euasissem, præsto affuturã mortẽ, aut saltẽ cõpedes tantisper, quoad uita superstes fuisset. Ob eã rem reginæ nunq; sum assensus, ne simul animæ ac corporis subirẽ apertũ discrimen. Mœstus itaq; ac gemebundus noctẽ transegi, deo Opt. Max. me cõmittens. Intra triduũ uero Sultanus aduenit, ob cuius aduentũ haud mora, per internunciũ regina me fecit certiorẽ, se nauaturam operã, ut maximarũ opum fierẽ dominus, si modo illi obsequi uellem. Ad hæc respondi: Exolueret datã deo ac Mahumeti fidẽ, meq; è cõpedibus erueret: demum planissime non desperaret me illi rem gratam facturum esse.

Quare

Quare illico me prodire iussit, ac Sultanum adire: qui ut me uidit, percõtari A cœpit, quó nam proficisci uellem exutis cõpedibus. Cui ego, O princeps, parentes habeo nullos, prolis sum expers, germanos ac seruos nullos habeo: præter deum ac prophetam habeo neminem. Tu uero princeps, si tibi est cõplacitum domi tuæ me alere, ero tibi pro mancipio in famulatu perpetuo: erumpebant tandẽ lachrymæ, oraq; ubertim irrigabant, regina adstante. Quę miserata erumnas meas, Sultanum his uerbis alloquebatur, Reddenda est tibi aliquando ipsi deo huius pauperis ratio exactissima, quem diutissime in custodia nullis accedentibus demeritis habere iussisti, caue ne deorũ subeas indignationem. Ad hæc Sultanus, ad me conuersus infit, I quò libet, nam te posthac iubeo liberũ esse, ut cœlo pro arbitratu frui queas. Quo dicto actutum compedes abieci, reserantibus illis quibus id munus soluendi mei delegatum erat. Liber factus corrui ad Sultani pedes, uestigiaq; pedum eius deosculabar, gratias agẽs. Reginæ uero manus tantũ osculatus pro uirili gratias agebam. Illa autẽ manu me apprehendens: Veni, inquit, mecũ pauperrime, quoniam noui te inedia propè assumptũ esse. Vbi uero in cubiculum me introduxit suum, suauiari me cœpit totiens, ut plus quàm centies id factum esse arbitrer, dapibusq; appositis, me epulari iussit opipare. Ego comedere nolui, siue quòd præ gaudio partæ libertatis capiendi cibi appetentiam habebam nullam, aut quòd summa gaudij futurus metus occupauerat: nam ubi conspicatus sum reginam arcane in aurem Sultani loqui, cœpi totus horrere, ratus reginam ab rege me loco mancipij impetrauisse: ob id ad reginam conuersus aio: Tantisper domina non comedam, quoad me libertate donaueris. At illa, conticesce demẽs, quando certe te fugit, quid de te immortales dij sanxerint: si uir nequam non eris, princeps fies. Iam compertum habebam quorsum hæc tenderent, noueramq; quem hexarchatum esset datura. Addidi propterea, sineret me cõquiescere tamdiu, donec id sanguinis quod metus pauorq; abstulerat, reassumpsissem: nam præter Venerem cuncta uel- B le posse uidebar. At illa, mehercule uerum dicis: sed ego te quotidie splendidius excipiam, appositis ouis recẽtioribus, gallisq; gallinaceis, columbis, pipere, cinamomo, ac nuce mystica. His auditis, cœpi ampliores sumere spiritus, factus nonnihil lætior ob ea quæ tam ampliter mulier pollicebatur: & ut refocillatis uiribus, proculq; pulsa formidine, priorem aliquando recognoscerem Ludouicum. Conquieui in regia ad quindenos uel uicenos dies optime acceptus. Interea regina uenatũ eundi mihi potestatem facit, iui secum: ubi uero redij, simulabam cõparasse præ lassitudine ægritudinem, ex composito id agens, ut mihi liceret à cõgressu reginæ tẽperare. Delitui itaq; octonis diebus sub languoris uelamento: illa frequentius per internuncios me uisebat. Inter hæc commonefacio reginam uouisse me deo ac Mahumeti, destinauisseq; animo ire uelle uisum uirum quendam, qui opinione probioris uitæ celeber erat admodum, in ea urbe quæ Aden dicitur. Annuit illa, & continuò camelũ ac saraphos quinq; & uiginti mihi dari iussit. Quæ res me maxima effecit uoluptate. Postridie cõscenso camelo abeo, itinereq; octo dierum in Aden urbem perueni: moxq; uisi eum hominem, quem uulgus ob uitę sanctitatem mire colebat. Nec is ab re cultus erat, quippe qui in summa inopia expers Veneris semper uixerat. Inibi complures uisuntur huic haud absimiles, uerũ operam ludunt, quando certe constant absq; baptismi fide inaniter ac nequicquam insumptos esse labores huiusmodi. Peracto uoto postridie eius diei, quò illuc accesseram, finxi me ope illius qui sanctus habebatur incolumen factum esse: ob id haud mora, certiorẽ huius rei reddo reginam, adeoq; postquam eius in me tot extabant merita, auere etiam plurimum, ut eius regnum uisam. Id abs me factum ea ratione est, quòd compertum habebam illinc classem non discessuram intra mensem, cõueneramq; clanculum classis cuiusdam præfectum, aperueramq; illi, me iturum in Indiam, si modo mihi facta fuisset abeundi potestas: oneraui'que promissis compluribus uirum,

Hypocrisis

A uirum, ſpondens donaturum me eum fore munere perpulchro. Ad hæc ille reſpondit, ſe prius in Indiam proficiſci nolle, quàm in Perſida contendiſſet: conditiones me haud renuente, ita inter nos conuenit.

De Lagi & Aiaz urbibus Arabiæ felicis, deq; Aiaz nundinis, & de Dante oppido. CAPVT VII.

POſtero die camelum conſcendi, peractoq; itinere uiginti quinque mille paſſuum, nactus ſum urbem quandam Lagi nomine: ea in aruis planiſſimis ſita, in ſoloq; admodum æquali, populo frequens eſt, fert cariotas, & affatim carnium. At rei frumentariæ more noſtro inibi ſumma eſt ubertas, uuas habent nullas, lignorumq; ſummopere ſunt egentes, qui eam incolunt, inciuiles ſunt ac ſubruſtici, ex Arabum gente erratica, ob id pauciſſimi cenſus. Inde abiens itinere diei unius peracto, alteram urbem offendi Aiaz nomine, ea in colle gemino poſita eſt, intercurrente latiſſima conualle, inq; ea fons ſignatus: illò itaq; commerciorum cauſa, ceu ad celebre emporium plurimi mortalium proficiſcuntur, & comprimis utriuſq; montis accolæ nundinas adeunt, perraroq; uſu euenit, ut inter ſeſe montani haud digladientur. *Aiaz emporium* Concertationis horum cauſſam hanc eſſe adfirmabant, quòd indigenæ eius montis qui Septentrionem reſpicit, ſumma ope meridionales in eam ſententiam trahere conantur, ut & ipſi Mahumeti ac eius ſocijs fidem adhibeāt: hi uero reluctantur, ac uni Mahumeti ac Hali fidem adhibendam eſſe adſeuerant, cæteros uero ueluti pſeudoprophetas aſpernantur. Propterea mutuis cædibus ſe conficiunt, inſtar canum. Sed redeamus ad emporium, quò comportantur aromata minutiora fermè omne genus. Fert ea regio xylon, uulgo appellant bombicem, ſericumq;, ibiq; fructus multiplices, guſtu admodum ſuaues, ut ſunt perſica mala, punica, cydonea, ficus, iuglandes, nuces, & uuas optimas. Hinc & hinc, id eſt, in utroq; montis ſummo, ſunt arces munitiſſimæ. Itaq; deſcendens illinc biduí itinere, inueni aliam urbem, cui Dante nomen eſt inditum. *Dante urbs* B Ea arte & natura eſt munitior. In ſummo prægrandis montis faſtigio poſita. Incolunt eam Arabes inopes admodum, qui ob infœcundum ſolum non niſi egentes eſſe poſſunt.

De urbe Almacharan Arabiæ felicis, deq; eius ubertate.

CAPVT VIII.

VT noſtro uiſendi orbis deſiderio tandem aliquando ex cognitu nouarū rerum fiat ſatis, pergemus aliqua denarrare. Inde igitur abiens ad urbē quandam Almacharā nomine peruentū eſt, quæ bidui itinere à Dante urbe abeſt. Ea in monte eminentiſſimo poſita eſt, adq; eam cliuoſo ac perarduo aſcenſu itur, utpote ſeptē milliariū, adeoq; coartatur iter, ut bini homines iter compleant, non ſecus ꝙ ſi fores in angiportu. Vbi uero in ſummum euaſeris montē, ecce incredibilis planicies, inq; ea fermè rerū omnium copia: nam in ipſa mōtis planicie legitur quicquid frugis humanis uſibus cōducere queat. Ob eam rem arbitror urbem eſſe propè inexpugnabilem, ubi cōmeatus omnifariam non deſint, ſitq; ſitu quaſi inacceſſa, & cum primis adiuuat aquarum mira ubertas, ſcaturiente ciſterna adeò largiter, ut centenis hominum millibus ſufficere poſſe uideatur. Illic aiunt Sultanū condidiſſe theſauros, quoniā nde eſt oriundus. Inibi iugē moram trahit una ex coniugibus Sultani: fert ſanè ager huiuſmodi quicquid eſt, quo uita carere nequeat, cœliq; clemētia, eademq; ſaluberrima temperie urbium nulli eſt ſecunda. Indigenæ magis in albicantem quàm in quēmuis alium colorem inclināt. Et ſibi Sultanus, uelut in phylacam quampiam, auri tantum adſeruari iubet, quantum profectò onerandis camelis centenis abunde ſufficeret: nec niſi uiſa denarro.

De Reame urbe Arabiæ felicis, deq; eius temperie ac populi moribus.

CAPVT IX.

DIſcedens illinc iter cepi uerſus urbem quandam Reame nomine, itinere diei unius ab ſupradicta urbe diſtantē: hæc plerunq; ab incolis nigricantibus culta eſt, eximij ſunt negociatores: agerq; omnium fermè rerū, ſi ligna

excipias

excipias, est ferax, ambitu duûm millium ædium urbs continetur. Ab altero A
Verueces montis latere mons uisitur, ubi arx est munitissima, & ibi nonnulla ueruecū genera, quorum ego caudam animaduerti pondo esse librarum quadraginta quatuor: carent cornibus: adeoq; sunt obesi ac pingues, ut uix incedere possint: habent etiam illic uuas quasdam sine granis, suauiores illis comedi nunquam: ibi omnifariam fructus inueniuntur, ut suprà memorauimus. Huic cōpiæ accedit incredibilis cœli temperies, id cum primis testatur perēnior hominum ætas: complures sum alloquutus qui centesimum ac uigesimum quintum annum excesserant, uegetam ac succulentam adhuc uiuentes uitam: his amictus est propè nullus, utpote quibus sola interula indumentum præstat, uel nobilioribus: qui uero sunt postremæ tribus, sindone brachio exerto corpus uelant: in tota ferè Arabia homines ex proprio capillo cōrnua gerunt. Mulieres autem caligis laxioribus, instar remigum utuntur.

De Sana urbe felicis Arabiæ, deq; eius munitißimo situ, necnon de sæuitia filij regis. CAPVT X.

INde abiens itinere tridui, ad urbem quandam Sana nomine perueni, ea in æditissimo monte sita est, arteq; ac natura munitior: hanc Sultanus cum numerosissimo exercitu utpote octuaginta millium hominum octonis mensibus oppugnauit, sed nunquam expugnare quiuit: uerùm post latas æquas conditiones deditionem fecit: mœnia constant ex humo cōgesta, altitudine cubitorū decem: lata uero brachia uicena, patet propterea camelis octonis in ordine expositis iter, tanta est illius latitudo. Regio est complurium ferax fructuum, nec multum ab aruis nostris differt, si copiam rerum omnium spectaueris, & comprimis fontibus est irrigua. Vrbi moderatur Sultanus, qui
Anthropophagus natos habet duodenos, quorum uni Mahumetis inditum est nomen, qui ferme rabie dicitur correptus: mordicus enim homines impetere cōsueuit, morsosq; deuorat usq; ad ipsam satietatem, statura cubitorum quatuor, filo corporis elegantiore conspicuus, quippe qui aptissimum quadratumq; corpus B
habet coloris subcinericij. Fert ager eius urbis nōnulla aromata, eaq; leguntur non longe ab urbe. Ambitu circiter quatuor millium ædium continetur: ædes eorum elegantia ac pulchritudine nostris non concedunt: adeò urbs patescit, ut intra mœnia uisantur arua, hortiq;, ac complura uiridaria.

De Taessa & Zibith, & Damar Arabiæ felicis maximis urbibus.

CAPVT XI.

ILlinc mouens contendi ad urbem Taessa nomine, peracto prius dierum trium itinere: monti imposita est, sed uisu pulcherrima: ibi elegantium rerum ingens ubertas, & præsertim rosaceæ aquæ, urbs est antiquissima, inq; ea delubrum instar templi diuæ Mariæ ad rotundam urbis Romæ constructum, ædes ibi elegantiores, adhuc antiquitatem præ se ferentes. Eò confluunt commerciorum causa negotiatores propè innumeri: amictu non dissimili à memoratis utuntur, coloris subcinericij. Inde abiens profectus sum itine-
Zibith urbs re tridui ad aliam urbē, Zibith nomine, pulchram sanè, eandemq; optimam: à mari Erythreo abest itinere mediæ diei, ingentiumq; mercimoniorum urbs est, suppeditante merces pelago: honestata est dote plurimarum rerum, & comprimis saccari uberioris, & omnifariam fructuum. Sita est in latissima planicie intra duos montes, mœnibus caret: illic aromatū omne genus præcipuū est emporium, aliaq; largiter inde euehūtur, habitu ac colore ut supradicti. Ea uisa urbe, ad aliam Damar nomine concito gradu me contuli, unius diei peracto itinere, à Mahumetanis colitur, qui commercijs eximiè incumbunt, urbs fœcunditate non postponenda prioribus, nec amictu moribusq; indigenæ memoratis sunt multum absimiles.

De Sultano præmissarum urbium, & qua de causa Sechamir dicitur.

CAPVT XII.

HAe urbes, quarū paulo antè mentio facta est, Sultano Arabiæ felicis, qui Sechamir dicitur, parent. Secha sanctus interpretatur, amir uero princeps.

A ceps. Sancti appellatione hominem ob id dignantur, quòd aiunt ipsum humanarum cædium, si bella excipias, expertem esse. Illud etiam noueritis, quòd per id tempus quo illic agebam in uinculis, supra sexdecim hominum millia alebat: singulis singulo die dantur seni minutiores postremiq; ualoris denarij pro uictu quo trahere in custodia animam queant. Ita accipiuntur, qui plectendi morte erant: idem domi totidem mancipia nigricantis coloris alit.

De Cercopithecis, nonnullisq; animalibus humano generi infensis.

CAPVT XIII.

INde abiens redij ad urbem Aden nomine triduí itinere prius peracto: circiter medium iter nactus sum editissimum uastissimumq; montem, is omnifariam abundat animalibus, & comprimis † Cecropithecis, palabantur et ibi ferè complusculi leones, præsertim hominibus supra modum infensi, idq; efficit, ut illàc tutum inter non pateat, nisi centum simul uiatoribus, qui frequentiore numero perterreant feras: illud testari licet, quod coram uidimus: eà enim habentes iter, apertum discrimen subijmus, feris nos consectantib. complures tamen arcubus ac fundis confecimus, canibus etiam opem ferentibus: tandem aliquando periculum euasimus. Ad urbem ut perueni, cœpi simulare ægritudinem, quasi pergraui adflictarer capitis grauedine: perdius ergo in delubro iacens, noctu tantum prodibam, conuenturus nauis moderatorem, impetrauiq; ab eo, ut & mihi conscendendi liburnicam uel clanculum faceret potestatem. *Catti marini uulgo.*

De nonnullis Aethiopiæ locis. CAP. XIIII.

DVm pergimus ex instituto uarias peragrare regiones, commissi pelago, fortunæ inconstantia, nec non equorum interturbatione multijuga, à cœpto itinere absterriti sumus. Quum itaq; intra senos dies iter in Persida haberemus æquora sulcantes, iamq; septenis diebus nauigationi operam
B dedissemus: ecce in mari sæuior oborta est tempestas, fluctuāte salo, dictoq; citius nos à meditato itinere auertens in Aethiopiæ oras transtulit. Onustæ erant liburnicæ rubrica inficiendis pannis aptissima: nam quotannis ex urbe Aden rubricæ onustas naues quinas ac uicenas negotiatores abducunt: hunc colorem inficiendis lanis mittit felix Arabia. Iactati itaque ui uentorum in portum quendam Zeila nomine impegimus, ibiq; quinque dierum moram fecimus, tum ut urbem inspiceremus, tum uel maxime, ut tantisper opperiremur, donec mitesceret æquor.

De Zeila urbe Aethiopiæ, deq; fertilitate illius, ac nonnullis animalibus eiusdem urbis.

CAPVT XV.

IN ea urbe magnopere commercia uigent, ceu in famigerato admodū emporio, auri ac eboris mira est ubertas, ibiq; propè innumera mancipia ueneunt haud ingenti pretio. Hi ex regno Aethiopię, cui is Aethiopum rex, quem presbyterum Ioannem dicunt, siue Iacobitarum principem appellant, imperitat, ab Mahumetanis qui Mauri dicuntur, in prelijs corripiuntur, inde in Persidem, ac felicem Arabiam Indiamq;, necnon in Babylonem Niloticam, ad Mechamq; traducuntur, illic in pretio est iustitia, recteq; uiuitur: fert ager triticum, affatimq; carnium, ibi uisitur copia multarum rerum: mittit etiam oleum abundantius, sed non ex oliuis, uerum ex re nescio qua alia mellisq; ac ceræ plurimum: sunt etiam illic uerueces nonnulli, qui ponderosissimas trahunt caudas, utpote pondo sexdecim librarum. His caput ac collum sunt nigricantia, cætera sunt albi: sunt item uerueces prorsus albicātes, quorum cauda cubitalis est longitudinis, modo elaboratæ uitis: pelearia instar tauri à mento pendent, humum propè uerrentia: inerrant aruis boues fœminæ ceruina cornua habentes, hæ non sunt cicuratæ, sed syluestres: ubi capiuntur, dono Sultano eius urbis ceu regium quiddam dantur. Vaccas etiam uidi cornu unicum in fronte media habentes instar monocerotis, longitudine supra palmi magnitudinem: his cornu in terga resupinatur, co- *Verueces.* *Vaccæ unicornes.*

loris sunt phœnicei:illæ uero quas memorauimus, in colorem nigricantem inclinant:ibi uberrime uiuitur annona uilescente:urbem incolunt innumeri negociatores:mœnia sunt exesa,portusq; despicabilis, estq; incontinenti telluris. Illi moderatur rex Mahumetanus, sub quo peditum ac equitũ complura millia merent stipendia:rei bellicę plurimum student:interula tantum amiciuntur. Color est ijs subcinericius, inermes ad bella exeunt, latriæ Mahumetis addicti. A

De barbara insula Aethiopiæ, deq; eius incolis.

CAPVT XVI.

POstquam sæuientis pelagi tumor efferbuit, uela uentis dedimus, moxq; insulæ cui Barbaræ nomen est appulimus. Princeps eius est Mahumetanus: insula non patet plurimum, sed culta est admodum, habitatoreq; frequentior:multifariam carnes mittit. His est subnigricans color: quicquid opum possident, id habent in armentis. Illic moram unius diei fecimus, indeq; abscedentes, in Persidem uelificauimus.

LVDOVICI ROMANI PATRITII

PERSICARVM RERVM LIB. III.

De nonnullis Persiæ urbibus & portubus, CAP. I.



Diuobanderrumi

AD dies duodenos maria sulcauimus:tandemq; appulimus urbẽ quandã quæ dicitur Diuobanderrumi, id est, diuus Turcharũ portus, ea parum à continẽte abest:quando intumescit undabundum æquor est insula, aquis eã ambientibus:ubi uero resedit mare, iter est ad eam terrestre:parẽt Sultano Cambaie. Moderatur urbi quidam nomine Menacheaz: bidui illic mora insumpta est: commerciorum ingentium est emporium, eamq; incolunt ex Turcharum gente fermè quadringenti negotiatores:muro quaquauersum ambitur: tormenta omne genus mœnia muniunt. Naues habẽt celocibus nostris paulò minores, thalae appellant. Soluentes inde contendimus ad aliam urbem, quæ Goa dicitur, ea abest à superiore urbe itinere tridui: illò mercimonia maxime comportantur, exportãturq; ab his qui ultro citroq; proficiscuntur:celebres sunt admodum nundinæ:nec ubertate rerum opumq; magnitudine superioribus urbs concedit. Passim colitur Mahumetes. Illinc abiens profectus sum ad urbem aliam, quæ Giulfar dicitur, rerum copia abundans: ibi inter alia peropportunum portum conspicati sumus. Illinc abeuntes ad alium portum Meschet nomine deuenimus. B

Goa urbs

Giulfar

De Ormo urbe, deq; insula Persidis ubi margarithæ leguntur.

CAPVT II.

ABscedentes inde uelificauimus uersus urbem Ormus nomine, inclytam: ea situ elegantiore, ac unionũm copia nulli urbium est secunda: sita est in insula, & maritimis urbibus præferenda omnibus: abest à continenti spatio duodecim mille passuum, aquarum potu suauium, annonæq; mira caritas:inuehuntur fermè omnia, quæ uictum cultoribus suppeditant:procul illinc itinere dierũ trium leguntur conchæ, quæ pariunt margaritas uenustiõres grandioresq; cæteris baccis: captura earum fit, ut haud multo post expediemus. Sunt ibi nonnulli qui piscatu uictum quæritant. Hi uecti cymbis in mare iactum faciunt prægrandis saxi dependente fune, idq; fit ab gemina cymbæ parte, ut utrinq; iactis in profundum lapidibus, constabiliri nauis, nõ aliter quàm si in ancoris foret, possit. Firmata suo pondere cymba, alius, cui id munus obtigit, in æquor iacit funem saxo dependente. In naui media alius, mantica in pectus tergumq; dependente, alligato pedibus lapide se uibrat in pelagus, subtusq; aquas urinantiũ more natat, actusq; in profundũ ad passus quindenos, tantisper urinat, donec legerit conchas, in quibus delitescunt

Concharum captura

A scunt uniones ac margaritæ: collectas manticæ indit, lapidemq; protinus quo pedes grauabantur abijcit, funiq; innixus in superiora euadit: ibi quandoq; ad tercentum fermè nauigiorum genera comperiuntur, quæ undecunque contendunt. Eius urbis Sultanus Mahumetis est initiatus fide.

De Sultano Ormus, deq; sæuitia filij Sultani erga parentes ac germanos.

CAPVT III.

PEr id tempus quo ego has inuisi regiones, hæc quæ mox uobis innotescent, cõtigere. Itaque Sultano undeni erant liberi, quorum minor natu opinione insipientiæ minus cordatus habebatur: primogenitus uero ob nimiam calliditatem omnium censebatur uaferrimus. Erant item eidem Sultano bina mancipia, quæ ex regno Presbyteri Ioannis regis Aethiopum in regiam asciuerat, obq; eorũ merita strenuissimamq; consuetudinẽ fortunis innumeris ditauerat, natorumq; loco habebat. Inter hæc maior natu silentio noctis, parentibus germanisq;, illo excepto, qui mentis impos credebatur, lumina eruit: sicq; effossa detulit in parentum cubiculum, simulq; subdito igne, parentes domumq; incendio subiecit: cuncta itaq; deflagrarunt, parentes, uidelicet, ac quicquid fortunarum inibi repertũ est. Proxima luce atrox facinus cultoribus urbis innotuit, ob id tumultuari cœpere omnes, rei indignitate moti. Autor uero sceleris in regiam, ceu in locum tutissimum se recepit, ac in demortui locum suffectus est. Is uero, quẽ memorauimus amentem esse habitum, longe alius uisus est, quàm omnium uocibus destinatus erat, cognito nephando scelere, ueluti parentum necis futurus ultor, in delubrum continuò diffugit, hæc uoce sublatissima Arabice inclamans, ô dij boni, cacodemon effectus est germanus meus, confecit parẽtes ac germanos, confectosq; deflagrantissimo rogo tradidit. Intra quindenos dies ciuiũ exuscitatus furor resedit: quo uiso Sultanus accersit ad se alterum illorum mancipiorum, quę dilecta à seniore Sultano prędiximus, nomine Mahumetem:
B quod ut uenit, Sultano Arabica lingua infit: Quid ais princeps? At ille, Sultanus sum. Tunc mancipium, Ita me hercule Sultanus es. Tum ille manu apprehensum hominem, blandiendo secũ ducebat, illumq; Arabice alloquens subdit: I & socium tuum occidito, pro qua re tibi septem oppida polliceor daturum quamprimum. At mancipium, Mi princeps, inquit, triginta annis conuictorem habui socium hunc meum, propterea id sceleris quod iubes non ausim nunquam. Tunc Sultanus, Sinito inquit. Verum intra triduum uocato ad se altero mancipio, itidem agit cum eo quod cum superiore mancipio tentauerat, insidias illi nectens. At ille cui Chaim nomen erat, hoc intellecto, Fiat, inquit, in dei nomine mi princeps: moxq; clanculũ loricatus ibat obiturus principis imperata. Vt igitur ad sociũ peruenit, facere nequit, quin scelus uultu proderet. Eo uiso, haud mora, intellexit in se cudi fabam hanc, & proditoris appellatione inclamans socium, Venisti, inquit, proditor leto me traditurus? at ille, neutiquam huiuscemodi operam nauaturus accedo: at Mahumetes, nequis inficias ire, quando certe conscius patrandi sceleris animus luridum effecit uultum, ob id haud euades, quin te protinus mactem. Cognito Chaim in certissimam notionem insidiarum quas struebat deuenisse, gladium quem strinxerat, ad pedes socij abiecit, illicoq; humi stratus ueniam precabatur plorabundus, identidem inclamans, parce mihi mi princeps, nam mors mihi iure optimo debetur, ob id confice me eodem mucrone, quo te mactaturus accesseram. At ille, nemini profecto dubium est: quin sis perditissimis proditor, quippe qui triginta fermè annis mutuo usus contubernio conuictor perennis fuisti, & nunc necem illaturus aduenisti? num miser intelligis hunc qui tibi id negotij demandauerat cacodęmona esse? Verum consurge, quoniam iam tibi parsum est: illud etiam noueris, iugi triduo hanc furiam me ingẽtissimis onerasse pollicitationibus, ut mortem quam mihi illaturus aduceras, prior tibi inferrem: sed ego conditionẽ aspernatus, facinori atrocissimo minime sum assensus. Verum sinito deos

agere immortales: tu tamen si me audis, continuo nauabis eam operam quā A
mox subijciam. Conuenias uelim Sultanum, illicq; dicas te leto me tradidis/
se. Ad hæc Chaim, Subibo imperata princeps, quare ad Sultanum profe/
ctus est: quo uiso Sultanus inquit, heus Chaim, mactasti'ne amicum? at ille,
confeci me hercle princeps: tunc Sultanus, accede propius: hærenti iā prin/
cipis lateri, Sultanus gladio pectus fregit. Perendino die Mahumetes clan/
culum induit loricam, seq; ad Sultanum recepit. Hunc ut conspicatus est
Sultanus in cubiculo, Canis, inquit, cane natus, adhuc frueris aura ætherea?
Cui Mahumetes uiuo quidem in contumeliam tuam sumq; te actutum ma/
ctaturus cacodæmone deteriorem. His dictis collato pede digladiari cœpe/
runt: concertatum est nonnihil: tandem præualente Mahumete, mortem oc
cubuit Sultanus. Quo facto, haud mora, uictor Mahumetes regem occludi,
firmariq; præsidio iubet. Iuuerunt Mahumetem populi in eum ardentissima
studia. Ad eam diem charus fuerat populo admodum, ob eam rem cunctus
populus acclamationibus læticiam testans Mahumetem Sultanum saluta/
bat. Dum itaq; Sultanus in principatu uigesimum diem egisset: illis transan
ctis, classico ad se primores urbis, necnon negociatores, reliquumq; ferme
populum uocat. Quibus ita loquutum esse accepimus, quod à se factum au/
dierant, non ultra id patratum fore, nequiuisse fugere urgentis fati necessita
tem, probe se intelligere id principatus sibi haudquaquam deberi: propte/
rea ab eis impetrare uelle, ut illi moderandi regni darent habenas, qui quan
doque ad imitationen stulticiæ factus, parum cordatus uidebatur, ad hunc
iusto iure pertinere imperium. Concionati Mahumeti assensum est: moxq;
ille, qui amens habitus fuerat, in demortui locum suffectus est, moderatore
tamen Mahumete: nam postquam facinus ausit Mahumetes, omnium con/
fessione, deorum amicus credebatur. Ob id ultro ab cunctis moderandæ ur/
bis illi datum est negotium, desipiente præsertim Sultano, cuius in superio/ B
ribus abunde meminimus. Nec uos lateat in ea urbe ad quadringentos ne/
gotiatores usq; morari commerciorum causa, quæ illic plurimum uigent, il
lo enim comportantur sericum, uniones, margaritæ & id genus baccæ, aro/
matumq; adfatim. Viuunt plerunq; oriza, quoniā ea regio triticū nō mittit.

*De Eri urbe in Chorazani regione Persidis, deq; eius opibus, & complurium re/
rum copia, præsertim reubarbari.*

CAP. IIII.

INde discedens in Persidem sum profectus: peracto duodecim dierum iti/
nere, ad urbem quandā Eri nomine perueni. Regioni nomen est Choraza
ni, ea appellatione qua & nos Flaminiam nuncupauimus: urbem Eri regio
nis eius rex incolit, ea est omnium ferme rerum ferax, uisiturq; tanta serici
Serici copia copia, ut una die emere queas tantum serici, quod ternis camelorum milli/
bus onerandis sufficiat: ibi nunquam ingrauescit annona ob rerum uberta/
tem. Reubarbari in primis mira est copia: ea coniectura id sum assequutus
quòd senæ reubarbari libræ nostro more pondo unciarum duodecim singu/
lo aureo nummo ueniebant: urbs umbitu circiter septem millium ædium
continetur, colūt Mahumetem quàm qui maxime. Abiens illinc itinere die
rum uiginti, animaduerti regionē intra terras procul ab litore maris frequen
tem esse admodum uicis ac oppidis, eisdemq; summopere cultis.

De eo flumine quod arbitramur esse Eufratem

CAPVT V.

PEruení tandem ad quendam amnem, quem ipsa incolarum lingua Eufra
appellant: hunc ego crediderim Eufratem esse, uastioris cōceptaculi du/
ctus argumento. Dum itaq; secus fluuium læuorsum iter ago, tridui peracto
itinere, ad urbem aliam peruentum est Schiram nomine, ea unicum princi/
pem habet, eundemq; Persam, alij nemini parentem, addictumq; fidei Ma/
humetanę. Ibi omnifariam pretiosi lapilli inueniuntur: & comprimis Era nō
lapis, qui abigit lymphationes, pellitq; formidines, thurchicam appellant:

A abunde enim aduehuntur, ut ferebatur, ex urbe Balascham nomine, ubi ingens est ubertas castorei, ibiq; colorum complura genera. Illud uobis compertum fiet, qur perraro apud nos castoreum syncerum inuenitur: prius equidem adulteratur, quam ad nos comportetur, Persis adulterantibus: nam id hominum his uaframentis adulterandarum rerum concedit nemini, id ego coràm perspexi, uoluiq; quandocunq; synceri castorei uim oderiferã experiri. Igitur conspicatus sum aliquãdo quospiã huius rei periculũ facietes: sumebãt em̃ uesicã castorei, eamq; conceptam mox naribus olfaciendã admouebant quaterni ex ordine homines, ea admota, tanta erat fragratitis castorei uis, ut olfacietib. eliceret sanguinẽ è naribus, idq; prę se ferebat haud adulteratũ castoreum. Percunctabar etiam Persa, an castoreum ut cætera unguenta, quæ suis moriuntur horis illico expiraret. Pro responso habui, uim huius odoris adseruari ad annos denos, si modo non adulteretur. In qua re Persæ eminent præstantq; plurimum: inuicem hi sunt cunctorum hominum comissimi, & comprimis libertate præferendi omnibus: neque id ausim adstruere, nisi coràm eiusce rei periculum fecissem. Per id tempus quo illic agebam, nactus sum ibi negotiatorem quendã Persam, qui me superiore anno in urbe Mechę cognouerat, is erat oriundus ex urbe Eri in Chorazain: qui, ut me cõspicatus est, Ludouice, inquit, quis te impulit has uisere sedes, nonne ille es quem dudum apud Mecham noui? Cui ego, Sum quidẽ ille, qui uisendi orbis desiderio mirabilẽ in modũ ardeo: at Persa, deus laudetur infit, postquã offendi comitẽ mei itineris quempiã, qui eodẽ desiderio teneatur, quo & ego capior: quare in urbe, cui Squilaz nomen est, mora quindecim dierũ insumpta est. Persa uero me hortabat, ne à se discederẽ, futurus itineris iugis comes, ut eo duce præcipuã orbis partẽ peragraremus. Itaq; itineri accingimur, profecturi uersus eũ locũ, cui Sancto Braganti nomen est inditũ.

B *De urbe Sancti Bragantis, & quomodo Babylonem magnitudine exæquat, deq; Persarum rege, qui Sophi dicitur.* CAP. VI.

VRbem Sancti Bragantes ferunt magnitudine Babyloni minime concedere: quippe quam uastissime patere autumãt: eius rex Mahumeti est addictus. Memorant negotiatores habere in armis ubi libuerit ad sexagena equitum millia: gens inclinat in colorem albicantẽ, bellicoq; usui aptissima: nos uero hæc tantum ex aliorum narratu adfirmamus: non enim ultra progredi licuit grassante ac seuiẽte Sophi in eos qui Bobachar & Othomar ac Omar sacris sunt initiati. Hi Mahumetis collegæ fuere, eiusq; deliramentorum conscij. Qui itaq; his fidem censent adhibendam esse, absumuntur: quos uero nouerit Mahumetis ac Hali sacra, imò prophana colere, illæsos sinit. Inter hęc comes meus accersito me, ait: Vt scias Ludouice quãti te faciã, quam'ue ex meo contubernio tibi prospectum iri aueam, institui te arctissima coniunctione mihi deuincire, ut hoc nexu compertum tibi sit, me nusquam defuturũ esse cœptæ necessitudini. Est, inquit, mihi neptis, cui† Samis nomen est, hanc tibi matrimonio iungi ita cupio, ut nihil desiderem ardentius. Samis eorum lingua Phoebus dicitur. Nec id abre, Phœbo profecto uenustior candidiorq; erat. Adiecit ad hæc ille, se non ambire orbem, ob id quod cuiuspiam rei egens esset, uerũ solius animi ac uoluptatis causa, quã ex multarum rerum cognitione proficisci adfirmabat. Quare gradu reuocato, ad urbem Eri nomine redijmus: quò ut peruenimus, excipit me domi suæ comes meus honorifice & amanter, ostensaq; nepte, instantius mecum agebat, ut iure matrimonij uirgine potiri uellem. Ego uero qui longe alia animo destinaueram: præ me tuli id quidem non aspernari, sed commodius illud agendum esse arbitrabar: quare intra octonos dies inde abeuntes, reuersi sumus ad urbem Ormus nomine: illincq; soluentes in Indiam uelificauimus: & tandem aliquando portum appulimus, qui lingua indigenarum Cheo dicitur.

† alias Semes

LVDOVICI ROMANI PATRITII
INDICARVM RERVM LIB. IIII.

De urbe Indiæ Cambaia, omnium fermè rerum ferace,

CAPVT I.



VONIAM in operis huius exordio, si recte meminimus, spopondimus cuncta nos denarraturos esse compendiosius quàm quibimus, ne plus iusto prolixior oratio fastidium pareret lectori, decreuimus ob id promissa dissolue re, & ab instituto haudquaquam recedentes, ea uestris aurspicijs tantum scripto prodere, quę narratu digniora uidebũtur. Indiam igitur ingressi ad portum quendam deuenimus, hunc præterfluit ingens fluuius, cui Indo nomẽ est isq; non procul abest ab urbe quæ Cambaia dicitur. Ea ad tertium lapidem posita intra terras respicit meridiem: ad eam non est liburnicis uel actuarijs nauigijs accessus, nisi inundet flumẽ uberius solito, qui aliquando ad tertium uel quartum lapidem irrigare maiore auctu arua consueuit. Verum auctus inibi fluminum contrarias uices incrementorum habent, quippe qui non nisi decrescente luna augescunt: apud nos uero plenilunijs tumescũt amnes mirandum in modum. Vrbs muro nostro more ambitur: cunctisq; fermè abundat, re præsertim frumentaria, ac fructibus omnis generis. Ibi inter cætera complura aromatum genera reperiuntur, quorum nomina me latent. illic etiam gosipium abunde inuenitur, uulgo bombix dicitur: asportant inde negotiarores annis singulis tantum gosipij ac serici, ut quandoq; quadragenas aut quinquagenas naues harũ mercium abducant, alioq; comportent: In eodem regno is mons reperitur unde eruitur onyx, corneola uulgo dicitur. Nec procul inde est mons unde exciditur calcedonius lapis, adamasq;.

Indus flu.

De moribus incolarum Cambaiæ præclaræ. CAP. II.

IAmiam subijciemus Sultani eius statum ac mores: is Machamut dicitur, quum ibi essem agebatur quadragesimus annus, quo ipse regnum indeptus fuerat, rege Gugeratorum depulso. Hi nullũ animal occidere cibi gratia, nullaq; carne uesci optimum esse arbitrantur: non sunt Mahumetani, neq; idolorum cultores. Ego uero crediderim, si baptismi caractere insignirentur, eos parum à salute abesse: nam genus est plenum iustitiæ quippe quod alijs non infert, quod sibi inferri noluerit. Si habitum quæris, pars nudi agunt, pars tantum obscœna uelati: caput uincit gausape, coloris pupurei. His aũt colos est subfuluus, ob eam causam à Sultano regno pulsi dicunẽ de cuius moribus iam descendo dicturus. Huic igitur sunt in armis equitũ uicena millia: singuloq; mane in regiam ueniunt quinquaginta uiri elephantis insidentes: quibus id solum negotium datum est, ut uenerabundi regem uenerentur, beluis genua flectentibus. Mane uero rege experrecto, crepant cymbala, tympanaq;, audiunturq; sonantes tibiæ, necnon buccinatores: adsunt & complures alij, qui multijugis instrumentis musicis læticiam uiuentis regis testantur: itidem pransuro agunt: adsuntq; itidem discumbenti memoratis elephantis insidentes, & rursum cõsueto munere colendi principis fungũtur. Locis suis animalium huiusmodi ingeniũ ac consuetudinẽ denarrabimus. At Sultanus memoratæ urbis superiora labia adeo prominentia habet, ut illis æque ac mulieres capillo caput uinciat. Barbam uero albicantem gerit adusque umbilicum promissam: ueneno ita assueuit, ut omni die quippiam hauriat, ne putes ad ipsam satietatẽ uenenum sumi. Letho traditurus è satrapis quempiam, ad se accersitum, cui mors imminet, nudum sibi assistere compellit, moxq; edit nonnullos fructus, chofolos uocitant, instar nucis myristicæ muscatam appellant, mandit etiam quædam herbarũ folia, modo mali Assyrij, tambolos nominãt, addit etiam attritarum concharum ostreæ calcem, simulq; cuncta mandendo ruminat. Tandem in eum, quem

Sultani descriptio.

A cupit occidi, expuit, aspersoq; eo, cōtinuo mors subsequitur, presentaneo ueneno uitam perimente: nam ubi in hominem ut præmisimus, expuerit contrita uenena, intra mediæ horæ spatium perfusus ueneno in terram corruens efflat animam. Huic etiam sunt circiter quaterna scortorum millia: nam ubi semel concubuerit cum quauis meretricum, proxima luce uitā exuit: depositam interulam amictusq; mortaliū nemo attingit. Mutatorijs opus est prope innumeris. Sciscitabatur diligentius: ab negotiatoribus comes meus, unde hæc profecta esset pernicies uenenorum. Aiebant illi parentem Sultani à cunabulis natum aluisse ueneno, propterea uni sibi innocuum sola consuetudine factū esse, cęteris uero perniciosum ac lethale esse admodū. Verū de rebus Sultani modum facientes, incolarum mores descripturi, redeamus unde sumus digressi. Hi igitur plerunque sola tunica interiore uelantur, omnium sunt bellacissimi, commercijsq; student quàm qui maxime: regionis ubertas pro meritis referri non potest. Ea frequentatur ab ultro citroq; commeantibus ex omni fermè mortalium genere. Inde hac de urbe altera, cuius quum oportunū duxerimus, meminisse est animus, ad uarias multiplicesq; regiones orbis innumera mercimonia euehuntur, ad Turchos præsertim, Syrosq;, Arabas felices, Indos'ue, & item ad Africam incolentes, Aethiopasq;, & alios mortalium plurimos: sericum in primis, ac xylon, bombicem appellant, illinc exportant. Hinc est quòd ille Sultanus omnium censetur ditissimus, mercimonijs ibidem mirabilem in modum uigentibus. Hic maximas exercet simultates cum rege quodam, qui Iogæ regno imperitat, quod abest à supradicto rege itinere dierum quindecim. Itaq; huius regis Iogæ imperium longe lateq; patet, illiq; in armis sunt triginta armatorum millia, idolorum est cultor, omnisq; eius populus: suntq; opinione sanctitatis apud cæteros reges magno in pretio, celebresq; admodum: nam ex instituto rex huiusmodi singulo triennio ter uel quater peregre proficiscitur, aliturq; aliena impensa dum peregrinatur, ut apud nos uoti cuiuspiam gratia peregrini circuire regiones solent. Trahit secum ad quaterna contubernalium millia, lōgum sanè seruorum ordinem: coniugem insuper & natos omneis circunducit: ducit etiam quatuor uel quinq; feruidos sonipedes, felesq; qui odorem illum gignunt lectissimum, Gibellum uocitant, cercopithecosq; compluscuIos, psitacos item ac pardos, accipitresq;, hocq; ordine ambit fermè Indiam totam. Illi habitus est geminum corium caprinum, altero priorē partem, posteriorem altero corporis partē uelat, uillo extrà eminente: coloris est propè mustelini. Ibi enim ob incendium candētis syderis nigrescere ac torrere corpora incipiūt: omnes in aures gestant dependentibus omnifariā monilibus lapidibusq; pretiosis: alij exerto brachio uelant corpus, alij sola interula amiciuntur. Rex ac nonnulli procerum maximi puluisculis odoriferis quasi per speciem maioris claritudinis, infectā faciem circunferūt, ac reliqua corporis infecta: alij alijs uanis ducuntur superstitionibus, induxerūt in animū alij ne humi procumbant unquam, alij ne toto corpore strati considant in terra: alij ab omni eloquio ueluti elingues temperant: his uero adsunt terni aut quaterni homines, qui mutis uictū suppeditant: omnibus in uniuersum cornu è colle depēdet: illi ubi ad urbem quampiam peruenerint, incolas, ceu agūt apud nos cornicines, admonentes simul omnes cōcinunt, eoq; concentu stipem ab mortalibus petūt. Rege domi sedente trecenti, aut sanè quadringēti homines simul peregre exeūt. Nec plus triduo, modo Aegyptiorum, in eadē urbe morantur. In manibus ferunt scipionem in ima parte ferreo orbe munitum: alij orbes tantum quaqua uersum limatos nonaculæ instar incidētes ferunt: illi quos oderūt impetunt funda lapides uibrantes: quare ubi in urbē aliquā uenerint, ab omnibus excipiuntur placidissime, illisq; impune est uel urbis summatē occidisse, quando profecto id agere diuinitus credūtur: ager non est ferax admodum annona ingrauescente. Regio montibus plurimum asperatur: corū ædes sunt despicabiles pessimiq; incolatus: urbes muro am-

Rex Iogæ

B

bitas non habent: horum opera ac studio comportantur ad nos margaritæ, & id genus monilia, illudq; non difficulter efficiunt, peregre quoquo uolue rint aliena impensa proficiscētes. Hi igitur ob propè inaccessam regionem, Sultano Machamir maximum exhibent negotium. A

De urbe Ceul, deq; moribus ac audentia eius populi.

CAPVT III.

ABiens ab urbe Cambaiæ me recepi ad aliam urbem Ceul nomine, quæ à Cambaia itinere dierum duodecim abest. Ager qui inter utrunque intercedit Guzerat dicitur. Rex eorum idola colit: his est colos subfuluus, pro amictu alij interula utuntur, nudi agunt alij, tātum obscœna uelati, nudis pedibus ingrediuntur, apertoq; capite prodeunt: si perpaucos Mahumetanos negotiatores excipias: ad bella sunt promptiores, in prælijs ense, arcubus, lanceis harundineis, clypeisq; orbiculatis utuntur: tormenta habent quibus proruunt mœnia, stragesq; inferunt armatis exercitibus. Ea urbs munitissima mœnia habet, distatq; à mari duobus ac mille passibus: præterfluit urbē amœnissimus amnis, quo ultro citroq; undecunq; mercimonia comportantur, accedentibus eò exteris liburnicis: copiam pręstat ager suapte natura omnibus abundans, si uuas, iuglandesq; nuces ac castaneas excipias: legitur triticum ac hordeum, adfatimq; leguminum, Illic etiam cōficitur gosipinus pannus, Eorum fidem prudens prætereo, quando certe constat eos eiusdem latriæ esse, cuius est rex Calechut. Horū meminisse hæsit cordi mihi, ubi fore opportunum duxero. Illic complures negotiatores Mahumetani degunt: aëris temperies calidior est, quàm ubi est frigidissima: iustitia ibi maxime uiget in pretio: regi in armis non sunt frequētes milites. Regio fert equos uaccasq; plurimas. Discedēs illinc ad urbem quandam Dabuli nomine me contuli, itinere bidui ab superiore urbe distat: hanc ingens fluuius præterfluit, nostro more mœnia habet, ager est fœcundus, ipsaq; urbs amœna admodū, ibi negotiatores propè innumeri Mahumetani. Rex idola colit, huic ad triginta hominum millia in armis sunt: corpora animosq; ut superiores populi exercent: genus est plenum iustitiæ: his idem est cultus corporis, uictusq; ac mores insunt ut illis quos supra memorauimus.

Dabuli urbs · B

De Goga insula Indiæ, deq; eius rege. CAP. IIII.

SOluens illinc profectus sum ad eam insulam cui Goga nomen est, ea ab continente abest mille passibus hæc regi de Dechan quotannis pendit uectigalium nomine mille aureos, Perday eorum lingua appellantur: si horum formam quæras, angustiores contractioresq; sunt saraphis Babylonicis sed longe crassiores: ab altera parte pro superscriptione bini sunt insculpti dæmones: ab altera uero cernitur nescio quid literis exaratum. In ea insula maris secus litus uisitur oppidum more nostro constructum: illi est præfectus dux quidam militum cui Sauain nomen est: sub eo quadringenti Mamaluchi merent stipendia, ipseq; Mamaluchus est: is ubi cōsequi potest quempiā ex uiris albicantibus, eum beneuole excipit, cęterisq; adnumerat militibus: conducere enim eos consueuit stipendio uiginti aureorū mense singulo: sed prius honores huiusmodi nō centuriat, quàm hūc morem seruauerit. Iubet igitur centuriaturus delectumq; habiturus, geminas ex corio afferi diploides, ipse alteram, alteram uero induit is qui admittendus est ad militiam. Vt itaque uterque diploidem induit, luctantur nonnihil: ubi is qui adscribi debet in stipendiatorum militum numerum, inter luctandum repertus fuerit præstanti fortitudine, corporisq; uiribus eximius, uirumq; se explicuerit, haud mora, militibus consociatur: sin minus, sellulariæ aut cerdonicæ arti mancipatur. Is itaq; dux cum quadringentis Mamaluchis regi Narsingæ negotium ingens exhibet, huius mentio fiet locis suis. Recedens inde contendi terrestri itinere octonis diebus ad eam urbem quæ Decan dicitur.

Perday

Militum delectus

De Decan

A *De Decan urbe Indiæ pulcherrima, deq; multijugis eius monilium generibus.*

CAPVT V.

VRbi Decan memoratæ moderatur rex Mahumetanus, sub quo prædictus Mamaluchorum præfectus stipendia meret. Ea urbs uisu est pulcherrima, feraxq; ferme rerũ cunctarum. Eius rex inter Mamaluchos adnumeratur, & cum eo ad trigintaquinq; hominum millia suæ ditionis, si peditũ equitumq; recenseas numerum. Vrbem decẽtissime elegans regia exornat: regiam honestant loca complurima: nam priusquam ad regis cubiculum deuenias, per quadragena quaternaq; cubicula tibi transeundum est: sic enim disposita contignatio est, ut alteri alter aditum locus præbeat, donec ad nouissimum perueneris. Vrbs more Christianorũ mœnibus ambitur: domus sunt haud inelegãtes. Rex uero utitur fastu, pompamq; ducit incredibilem. Qui regi famulantur, in summis sotularibus circũferunt pyropos ac adamãtes, & id genus lapides pretiosos. Quę uero monilia pro inauribus ac condalijs ferant, cogitent ipsi quibus acerrimum est iudicium, quũ pedes eminentioribus corporis partibus contulerint. In eius regno mons est, unde erui dicitur adamas. Is mons est ab urbe ad sextum lapidem, muroq;, quaquauersum circundatur: ipsum firmissimum adseruat præsidium. Scatet ea regio ferè rebus omnibus in uniuersum. Mahumetem colunt: amiciuntur sericis uestibus, uel interula ex serico elegantiore: ocreis tenuioribus cũ caligis instar remigum utuntur. Mulieres Damascenarum fœminarum modo uelant faciem, ne unquam satient intuentium aspectum. *Adamantis fodinæ*

De regis diligentia peritiaq; disciplinæ militaris. CAP. VI.

IS rex cuius paulò antè meminimus, diutina bella gerit cum rege Narsingæ. Qui illi parent populi Mahumetem colunt: milites plerunque conducit exteros aduenasq;. Illis est color albicans, indigenis uero subfuluus. B Rex opibus diuitijsq; uberioribus ac liberali consuetudine nemini fermè cõcedit. In mari etiam classem habet ualidissimam. Odit Christianos quàm qui maximè. Peragrata ea regionis parte, iter cepimus uersus urbem, cui Bathacala nomen est.

De urbe Indiæ Bathacala, deq; eius ubertate, præsertim orizæ, ac saccari.

CAPVT VII.

ABest urbs Bathacala ab urbe Decan itinere quinque dierum, arte & natura nulli urbium postponenda. Rex idola gentilium ritu colit: circuitur mœnibus, estq; à pelago ad primum lapidem: portum non habet maritimum. Qui è mari illuc mercimonia comportant, aduehunt amne perquam mediocri. Illic moram degunt complures negotiatores Mahumetani ob commercia, quæ inibi summopere uigent. Amnis præterfluit urbem: ager mittit orizam, saccarum, & illud comprimis quod candidum uocitamus. Ibi fici ac iuglandes reperiuntur, ut inde urbe Calechut: Iatriæ dæmonum sunt addicti, ut incolæ Calechut: Mahumetani tamen seruant ritus suos. Equis, mulis, asinis'ue haud utuntur: uaccas, bubalos, pecora & capreas habent. Regio tritici, hordei leguminumq; ferax non est, uerum fructus omnifariam alij inibi leguntur Indico more. Dimissa ea urbe ad insulam quandã Anzediuam nomine me recepi: ea colitur à Mahumetanis idolorumq; cultoribus: distat insula à continente stadijs quaternis: ambitu uero patet uiginti mille passuum. Illic cœlum minime clemens est, agerq; infœcundus. Intra insulam ac continentem terram intercedit portus commodissimus. In insula aquæ potu suauissimæ hauriuntur. *Anzedina insula*

De nonnullis optimis Indiæ urbibus. CAP. VIII.

ILlinc discedens iter à me ceptum est uersus urbem quandam, cui Centacolæ nomen inditũ est, unius diei itinere prius absoluto. Huic princeps haud magnarum opum moderatur. Affatim tamen inibi carnium ubertas inuenitur orizæq;, ac omnifariam fructuum non aliter quàm apud Indos. Ibi complusculi Mahumetani commercia exercent. Rex idola colit: genti color est *Centacola urbs*

subful-

A

subfuluus:nudi prorsus agũt, apertoq; capite prodeunt. Princeps huiusmodi regi de Barthacal paret. Inde abeuntes itinere bidui itum est ad insulam quandam aliam Onor nomine. Rex eius latriæ addictus est dæmonum, & regis Narsingę subit imperata. Is est omnium comissimus, expers fastus: huius iussu circiter octonæ liburnicæ assidue maria sulcant, & prædabundæ quidẽ excursionibus uacant. Hic summa necessitudine ac uinculo amoris regẽ Portugaliç complectitur. Gens obscœna sindone uelat, cętera sunt nudi. Mittit ager orizam ubertim non secus quàm Indica arua. Illic animalia propè omne genus, ut sunt, apri, cerui, lupi, leones, ac omnifariam auitia, nostris tamẽ absimilia. Paui in primis psitaciq;, necnõ uaccę ferè innumerę, eædemq; subrutilæ: sunt item uerueces obesi admodum. Florum uero ac rosarum tãta est copia, ut ibi uel hybernis diebus nõ desint. Cœlum clemẽtius esse nequiret: cultoribus longe diuturnior uita est, nosq; in ea re exuperant. Haud longe à dicta urbe uisitur urbs alia Mangolor nomine, unde circiter sexaginta naues oriza onustæ soluere consueuerũt. Incolæ partim idolis seruiũt, partim Mahumetem colunt: uictus amictusq; ÿ sunt, quos supra memorauimus.

Onor insula

Mangolor

De Canonor urbe Indiæ maxima. CAP. IX.

DIgredientes illinc iter cepimus uersus urbem Canonor nomine, rerum pulchritudine præstantissimam. Ibi rex Portugalliæ munitissimum habet oppidũ. Vrbis rex idola colit, ipsiq; regi Lusitaniæ est charus in paucis. Portũ urbs habet: illò cõuehuntur equi Persæ: sed immania sunt horũ uectigalia: nam penduntur pro equo singulo aureorum uicena & quina milia. Digressis inde iter introrsus terras est ad Narsingæ urbem, ubi complures Mahumetani negotiatores degunt. Ager tritici, uuarum, ac omnium ferè fructuum, si poma citrea cucurbitasq; excipias, expers est admodum. Pane non uescũtur incolæ, sed oriza, pisce ac carnib. necnõ iuglandibus quas fert regio. Alio loco de eorum cultu ac moribus differemus, quum iam sit omnibus in cõfesso, eos indigenis urbis Calechut haud dissimiles esse. Inibi cœpta sunt inueniri zinziber piperq;, myrobolanũ, cardamomũ, cassia, & id genus aromata complura. Vrbem mœnia haud circundãt: ædes sunt despicabiles. Illic reperiuntur fructuum complura genera nostris absimilia, uerum longe suauia: suis locis à nobis describetur eorũ forma. Regio est propè inaccessa, ob frequentiores specus ui extructos. Regi sunt in armis ad quinquaginta nobilium millia, Hæros ipsi appellant. In prelÿs utuntur ense, clypeo obrotundo, hastis ac arcubus: nũc uero tormentis etiam uti consueuerũt. Nudi incedũt, obscœna tantùm uelati: ÿs apertum est caput, nisi ubi ad bella contendunt: tunc caput subrutilo galero tegunt, eoq; bis inuoluũt, uittaq; nescio qua uinciunt. Equis, mulis, asinisq; non utuntur, minusq; camelis, quos dromedarios passim uocitamus. Elephantis tantum utuntur, non tamen præliaturi. Vbi tempus appetet, dicemus abundè de arce, quam rex erexit contra regem Portugalliæ. In urbe uigent summopere commercia: nam quotannis illò undecunque ducenta fermè nauigia appellere consueuerunt. Præteritis nonnullis diebus, peracto itinere quindecim dierum orientem uersus, postquam in regnum Narsingæ deuentum est, tandem ad urbem quandam Bisinagar nomine peruenimus.

B

De Bisinagar urbe regni Narsingæ feracissima. CAP X.

VRbi moderatur rex Narsingæ: ea maxime patet: muro tamen ambita in decliuo montis sita est, circuitu octo mille passuum: triplici muro circundatur: ibiq; cũctorum mercimoniorum famigeratum cœlebratur emporium. Fœcundus est mirum in modum ager: illic quicquid est quod ad delitias ac suauiores faciat uoluptates, inuenitur: uenationibus ac aucupÿs alibi nusquam arua aptiora, syluæq;: credas uoluptatis paradisum esse quampiã. Rex indigenęq; regni idola colunt. Magnarum est rex uirium: huic supra quadringẽta equitum millia in armis excubant. Illud etiam non prætereibo, equum ibi non minoris quàm quadringentis aut quingentis pardais (ÿ sunt

aurei

A aurei nummi) uendi. Vsu quãdoq; euenit, ut octingentis aureis quis equum emerit: pretij hanc immanitatem efficit, quòd aliunde aduehuntur: ibiq; nulla equarum armenta, prohibentibus regibus, qui portus asseruari iubent maritimos, ne importentur equæ. Huic etiam sunt quadringenti ad belli usum elephantes: habet et dromedarios, qui ocyssime currunt. Hic peropportunũ uidetur, ut de docilitate, deq; agillima consuetudine elephantorũ non nihil differamus, ne uideamur nõ meminisse superiorum, quum classico lectori colliquescat, nos suprà id esse crebrius pollicitos. Igitur id animal docile est admodum, parumq; ab humanis abest sensibus, cunctasq; belluas fortitudine anteire solet. Indi bella inituri clitellas elephanto imponunt: sunt clitellæ huiusmodi, cuiusmodi in regno Ausonio utuntur muli: clitellas subtus aluum cingũt geminæ ex ferro catenæ: supra clitellas hinc & hinc domus, uel si mauis turrim aut caueam ligneam appellare: collo iungũt caueas, assamenta nescio quæ crassitudine medij palmi: singulas caueas terni homines ingrediuntur: inter utrasque dorso belluæ insidet Indus, qui belluam alloquitur illis est enim patrij sermonis intellectus, officiorumq; memoria. Constat nullum aliud animal humanis sensibus accedere propius, si amoris & gloriæ uoluptatem, si probitatem conspicuam, si prudentiam, & id genus mores, quorum sunt cætera animalia expertia, spectaueris. Itaq; septeni sunt homines, qui elephantũ bella inituri conscendunt loricati, ferentes arcus, lanceas, enses ac peltas. Promuscis elephanti, quã manũ appellant, loricatur: illi alligatur exertus ensis duorũ lõgitudine cubitorũ: crassitudine uero ac latitudine palmæ humanę, sicq; instructi præliantur. Vbi progrediendũ aut retrocedẽdum est, monet domitor, cuius uocem callet elephas. Feri, inquit moderator belluæ, illũ, ab illo tẽpera: sæui item in alios, abstine ab alijs. At animal cuncta subit imperata, eaq; adamussim explet æque ac humanorũ capax sensuũ. Verũ ubi usu euenerit, ut obiecto igne pauore icti fugam arripiant, nulla re
B adduci possunt, ut gradũ reuocent: ea gens enim mira arte ubi libuerit ignes terrendis belluis excitat. Hos adeò id animal pauet, ut nulla alia re magis terreatur. Ob id uisis ignibus effusissime diffugiunt. Reliquum quid est? discretis moribus, fortitudine eximia pręstat omnibus. Memini aliquando uidisse elephantos ternos maximã liburnicã in siccũ trahere, ut haud multo post referabimus. Dum ego apud Canonor urbem agerem, nonnulli negotiatores Mahumetani in hunc modũ in siccum nauim trahebãt, seruata Christianorũ consuetudine, uersa naui, exposita prora uersus continentẽ, subiectis ternis trabibus, tres elephanti genibus innixi, capiteq; in humum connixo nauigium in terram trahũt. Verum sunt plures qui existimant in cruribus elephantos nõ habere internodia, plicareq; ob id nequire tibias: quod profecto à uero plurimũ abest. Habẽt iuncturas ut cætera animalia, sed in ima propè parte crurum. Fœminis inest ferocia maior quàm maribus, conuehendisq; oneribus illis longe maiores sunt uires: furore etiam corripiuntur, id cursu lymphatico prę se ferentes. Elephantes ternos bubalos magnitudine excedunt, uillo etiam non absimiles: oculi ut suibus: promuscidem, quam manum appellamus, promissam admodum habent: ea ori esculenta ac poculenta admouent: subest enim iugulo os, sui sanè nõ absimile, hiscam referens: proboscis exesa est ac caua intus: eaq; sæpenumero uidi belluas porrectas capere stipes: uidi item ab elephanto arboris truncum prosterni, tantæ quidem uastitatis, ut quod effecit bellua, nos priores numero uiginti quatuor nequiuerimus. At elephas uno uel altero connixu arietauit in terram. Bini dentes qui prominent, collocãtur in superiore maxilla: auriculas quaquauersum gemini palmi magnitudine habẽt: nec id usq; minore aut maiore, ut assolet, proceritate. Pedes illis sunt obrotundi instar orbium, quibus discumbendo carnes excipimus munditiarum causa, ne gausape fœdetur. Pedem ambiunt quinq; ungulæ ostrinæ conchæ latitudine. Cauda instar bubali, terni palmi longitudine, uillo rarissimo. Fœminis sunt proceriores mares: magnitudine sunt

Elephantũ natura

multiju-

multiiuga: alij ad tertiumdecimum palmum, ad quartumdecimum tolluntur alij: transcendi quandoq; in nonnullos ego eiusce magnitudinis. Adseuerabant cultores, ad sextumdecimum palmũ quosdam altitudine exurgere. Lentius incedũt: fit propterea ut qui nõ assueuerint, non aliter quàm in undabundo ęquore nauseã subeãt, ac insidere nequeãt. Iuniorib. ubi insederis summa afficieris uoluptate, molliter instar gradarię mulę gradientib. Vbi conscendendus est elephas submittit genua, & quasi stapedes instrueret, prębet scandendi facultatem: subleuante tamen quopiã homine à tergo sessorem. Infrenes sunt omnes, nec ceruicem restis uincit: soluto prorsus capite gradiũtur.

De coitu elephantorum. CAP. XI.

INituri loca quærunt palustria, pudoreq; non nisi in abdito coëunt: dicunturq; ferè humanitus ueneri operam dare: etsi non desint autores, qui barros dicant auersè coire. Apud quosdam pro summo munere habetur, ut regem elephantino membro donent. Id forte plurimi faciunt, ob immane pretium, quo uęneunt elephanti, utpote quingentis aureis: alij (si credere dignum) duobus millibus aureis emuntur: illud forsan non moles corporea, sed acre ingenium præstat. Nusquã sane negauerim me alicubi uidisse gentes quaspiam, sensu ac ingenio elephantis longe inferiores. Itaq; is rex Narsingæ opibus ac imperio præstat cunctos, quos unquam conspicatus sum reges, unquamq; audiuerim. Vrbs situ ac elegantia urbem Mediolanum effingit præsentatq;: si tamen id excipias, quòd in loco est decliui, minusq; ęquo. Quæ illi subsunt regna, ea Narsingam circundare uidentur, ut regnum Ausoniæ ac Venetiæ Mediolanum ambiunt. Ea urbe inter utraq; maria procurrente, referebant eius Bramini (hoc enim nomine sacerdotes eorũ dignantur) regem singulo die ad duodecim mille Pardios pro uectigalibus, censusq; loco sumere. Huic semper in armis excubãt complura armatorum millia: quippe cui bella nunquam desunt, eo finitimis arma inferente. Idolorum est addictus fœdissimæ latriæ, ipsumq; cacodæmona colit non aliter quàm rex Calechut. Vbi duxerimus opportunum fore, hæc explicatius denarrabimus. Viuunt ut idolorum cultores: gens eiusmodi est habitus: qui maioris sunt census, tunica utuntur interiore haud oblonga, caput uero fascia uersicolore Mahumetanorum ritu uinciunt. Gregarij obscœna tãtum uelant, cętera sunt nudi. Rex birreto panni Attalici caput exornat gemini palmi longitudine. Profecturus in prælium gosipinam induit uestem: hanc chlamyde tegit bracteis aureis ornata. Limbum chlamydis honestant monilia ferme omne genus. Equus eius tanti esse creditur, si pretium inspexeris, quanti est quæpiam è nostris urbibus. Id efficiunt innumeri lapides pretiosi, margaritarum ac unionum complura genera, quibus phaleræ apparatu incredibili teguntur. Exeuntem in uenationes concomitantur terni aut quaterni reguli, qui deducendi regis officio fungũtur: circiter equitum sena millia iter agenti præsto sunt. Colliquescit itaq; hunc regem opibus, diuitijs, militumq; delectu, & sexcentis similibus nemini concedere. Monetam cudit, quam Pardios appellant: & item minoris ualoris monetam aliam, quæ Fano dicitur: hãc efficiunt sexdecim minutiores denarij. Aes etiam signatum habent Eas nomine, sexdecim quidem pro nummo argenteo exponuntur. Viatoribus tutum est iter usquequaque, modo à leonibus ferocientibus cauerint. Esculenta quibus aluntur prudens prætereo, eadem demum denarraturus, quum de rebus Calechut sermo fiet. Rex memoratus Christiano nomini plurimum fauet, cum regeq; Portugalliæ, quæ pars est Lusitaniæ, secum magna intercedit amicitia. Præter hanc gentem Christianos nouit nullos: illò enim appellunt Lusitani, honorificeq; appulsi tractantur. Visa itaque hac urbe mora complurium dierum, redijmus ad urbem Canonor. Quò quum peruenissemus, triduo ibi absumpto, intra terras proficisci placuit, tandemq; aliquando ad urbem Trompatam nomine deuentum est.

Barri

Narsingæ regis opulentia

De urbe

A

De urbe Indiæ Trompatam nomine deq; nonnullis alijs Indiæ locis.

CAPVT XII.

VRbs Trompatam abest ab Canonor urbe duodecim mille passibus. Illi moderatur idolorum cultor, soli non est admodum ditis, parumq; ab pelago distat, utpote mille passibus. Interfluit eam amnis perquã mediocris. Illic complura Mahumetanorum nauigia uisuntur, cultores frugalissime uiuunt, maiores non habent opes quàm iuglandes Indicas, eas condunt oriza, Scatet regio lignis & asseribus ad fabricandas liburnicas aptissimis. Ibi ad quindena milia Mahumetanorum degunt: regi tamen idola colenti obsecundant. A cultorum habitu & moribus temperabo tantisper, donec ad id loci uentum erit, quo res urbis Calechut sumus explicaturi: est enim illorũ una eadẽq; fides. Eorum domus adeò sunt despicabiles, ut nõ pluris singulæ uendantur aureo dimidio: illud etiam haud multo post compertum fiet uobis. Bidui itaque illic absumpta mora discessimus inde, uterq; uersus urbẽ nomine Pandaran cepimus, distantem à memorata unius diei itinere Regi Calechut paret, nulliusq; fermè momenti est: & comprimis portum habet nullum. Huic ad ternas leucas aduersa est insula deserta, habitatoreq; uidua. Indigenarum superioris urbis is est habitus, qui & urbi Calechut: urbs in cliuo posita est. Illinc digredientes contendimus ad urbem aliam Bapagot nomine, cui rex Calechut imperitat. In ea urbe est regia pulcherrima ueterum more constructa. Qua orientem respicit, perpulchro fluuio alluitur, ab urbeq; Calechut ternis abest leucis. Hic non est maxime immorandum, quum satis constet, eosdem mores ambabus esse urbibus. Inde igitur abeuntes tandem aliquando per celebrem inclytam'que urbem Calechut deuenimus. Præterij sciens ac prudens tot regum ac populorum mores habitumq;: præsertim regis Chianul & Dabul, necnon Bathecalo Ono'ue, ac Mangolor, Canonor, Cuchin & Cachilon, Calon'ue ac Narsingæ potentissimorum principium, Id abs me factum est fermè ex composito, ut diutius denarrandis rebus Calechut, ceu longe excellentioribus immorarer. Constat sanè hunc regem cunctos orientales anteire reges: ob id indigenarum lingua Samory id est, in terris deus dicitur.

Pandaran

Bapagot

B

Samory

LVDOVICI PATRITII ROMANI

RERVM INDICARVM LIBER QVINTVS.

De urbe Calechut Præstantissima.

CAP. I.



NOBIS ad urbem Calechut, ceu ad Indicarum urbium præcipuam metropolim appulsis, uisum est superiori libro supremam imponere manum, sequentemq; auspicari, quo maiore uoluptate lector afficiatur, rerumq; digni or elegantia animos demulcens mentem teneat, ut nobis studiũ peragrati orbis opem ferat, ingenioq; subscribant uires: hæcq; ultro peritioribus harum regionum, ceu censoribus acerrimis dijudicanda relinquimus, ut si forte longe plura adiuerint, ipsi in medium proferant. Igitur urbs Calechut est in continenti: ædes eius pelago alluuntur. Ibi non est portus, sed qua meridiem respicit ad primum ab urbe lapidem est amnis, qui effluit in oceanum angustiore ostio: is multifariam diuisus per arua dispergitur patentia, ac irrigandis agris carpitur à cultoribus: altiores non uehit aquas quàm quini palmi altitudine: incuruat ad urbem amnis non despicabili decursu, eam'que interfluit. Mœnibus haud ambitur, uerum cõtinetur circuitu sex mille ædium, non adhærentibus ut apud nos ædificijs, sed longiore spatio discretis inter se ędibus, forte ignium metu, aut sanè imperitia ędificandi. Quà uero in longitudinem extenditur, millenis patet passibus. Domus sunt despicabiles,

cabiles, quippe quæ supra equitis altitudinem ab humo non tolluntur, frondium plerunque laceramentis loco imbricum cooperiuntur, multis contignationibus. Huius rei caussam afferunt, quòd humo egesta ad quinos palmos aqua mox scaturire dicitur: ob id nequeunt altius fundamenta iacere, quæ contignationibus ferendis sufficiant. Negotiatorum ædes tabernæq; non minoris, quàm quindenis aut uicenis ueneunt aureis. Cultorum uero domus non pluris ad summum, quàm binis aureis emuntur. Nec idem est omnibus prætium: Aliæ minus aureo nummo: aliæ solido aureo nummo uenduntur.

De rege Calechut, deq; eorum Latria, CAPVT II.

PRimum igitur omnium rex Calechut dæmonum latriæ est addictus, ut haud multo post compertum fiet uobis. Non diffitentur deum optimum maximum cœli ac terræ potissimum architectum, præcipuumq; autorem, ac primariam causam esse. Sed uero fabulam addunt, somniantq; deū nullam sui principatus capere uoluptatem quire. Vbi negotium iudicandi orbis sumeret ipse, delegasse propterea uicariam operam, ut ipsi comminiscuntur, cacodæmoni, quem delíri mentiuntur esse de cœlo sumptum, iuri redendo mortalibus. Illiq; rursus ineptientes aiunt, factam à deo potestatem tribuendi cuiq; quod suum est, pro benefactis, uidelicet, ac malefactis, mercedem emeritam. Huic Deumo nomen indidere. Deum uero maximum Tamerani appellāt. At Deumum dæmonū fallacissimum, rex in eius regia con structo ad id sacello hoc apparatu, illico colliquescet, colit. Sacellum patet quaquauersum testitudinis latitudine duum passuum: tollitur autem ab humo non plus ternis passibus. Ingressum ligneum ostium præbet cum antipagmentis, quæ sunt demones complusculi torreutice sculpti, ut in emblematis uisitur. In sacello medio collocata est sedes solij instar ex ære, æneum admittens sessorem dæmonem. Dæmon sedens diademate redimitum caput habet modo Romanorū Pontificum. Sed id plus habet quòd diadema ternis insignitur cornibus. Fulciunt item dæmonis caput quaterna cornua, oreq; uastissimo hians, dentes præ se fert quaternos: naso est deformi, toruis trucibusq; luminibus, uultu minaci: aduncas manus uncini instar habet, pedes uero gallo haud absimiles. Qui monstrum horrendum ingens conspicantur, pauent continuo: res est sane uisu indignissima, eademq; horrifica admodum. Sacellum ambiūt picti dæmones ad omne testudinis latus, hoc est, in singulo angulo sedēs ex ære uisitur satanas, ita fabrefactus, ut undecūque flammescere uideatur, absumentibus animas miserandum in modum flammis. Animabus eiusmodi magnitudo semidigiti est, aut procerioribus solidi digiti. At demon dextra animam ori admouet: sinistra aūt ex inferiore loco aliam corripit. Singulo mane eorum sacerdotes, Bramini dicuntur, memoratū idolum rosacea, & id genus latice odorifero emaculant, sufficiuntq; uarijs odoramentis: suffitum humi procumbentes adorant: intra heptomadam aliquando idolo sacrificant, etsi nunquā litant. Sacrificando hūc ritum seruant: Abaculum habent in altaris modum, trium palmorum altitudine, latum quaternos palmos, longum item quinos. Abacum sternunt omnifariam floribus ac puluisculis odoriferis. Sic referto floribus altari, sanguinem galli uasi argenteo carbunculis ignitis oppleto indūt, additis suffimentis odorum innumeris: thuribuloq; accepto adolent largissime thura, altare circumuecti, tinniente crebrius interea tintinnabulo argenteo. Gallum mactant cultro argenteo, cruroreq; infectum cultrum nonnunquam igni admouere solent. Aliquando cultro arrepto edunt gestus nescio quos, ut solebant qui à lanista olim ob munus gladiatorium rationem inferendi & euitandi ictus discebant. Crematur sanguis galli totus accensis funalibus altare complentibus. At sacerdos immolaturus galli sanguinem, lacertos pedesq; argento exornat, ita fabrefacto ut astantium auribus tintinnabuli instar insonet. Pectus bulla nescio quæ condecorat: id est eorum insigne. Peracto sacrificio,

Deumus.

Tamerani

Dæmonis simulachrum

Bramini

Sacrificandi ratio

A ficio, sumpto ambabus manibus tritico, discedit ab altari cessim cancrorum more gradiendo, nusquam ab altari oculorum aciem flectens, donec ad arborem quandã peruenerit: quò ut deuentũ est, mox manibus reseratis in ipsam arborem effundit triticum, quod tulerat occlusum: elatis supra uerticem manibus demum rediens unde digressus fuerat, altare omni cultu denudat.

De regio more, quem rex discumbendo seruat. CAP. III.

PRius rex cibum sumpturus non discumbit, quàm quaterni sacerdotes regias dapes dæmoni in hunc ferme modum obtulerint: nam passis manibus, eisdemq; supra uerticẽ elatis, ac cessim utraq; occlusa manu ad se retracta, pollice tantũ prominente, idolo esculenta quibus rex uesci debet, offerunt, ibi tantisper opperiuntur, donec nõ sit uero absimile, quempiam esse potuisse. Ea adducti ratione id agunt, ne rex quicquam sumere uelle cẽseatur, quod idolo honoris gratia non sit oblatum prius. Id esculẽti quo rex uesci consueuit, affertur in trulla lignea arboris cuiusdã latiore folio strata: uescitur, oriza & compluscul is alijs rebus, quarum in præsentiarum non satis memini: humi recubat absque stragulis: discumbentem stantes sacerdotes circunstant, nusquam própius quàm ad quaternos passus accedentes, regis uerba reuerentissime obseruantes. Vbi uero rex esse desierit, actutum sacerdotes quicquid dapum superfuit, in locum quendam transferunt, inq; nuda humo collocant: quo facto rursus & iterum manibus complosis excitant corniculas aues nigricantes, quæ ad hoc unum aluntur: hæ enim signo huiusmodi assueuere, propterea ueluti tessera data illico aduolant, regias'que reliquias depascuntur: has uolucres nephas est lædere: ob eam rem tuto uolitant quocunque libuerit.

De sacerdotibus urbis Calechut, qui Bramini dicuntur.

CAPVT IIII.

B COnsentaneum esse arbitramur, plurimumq; uoluptati legentium conducere existimamus, ubi horum sacerdotum statum ac mores expediuerimus. Hi igitur eius loci sunt apud eos, cuius sunt & apud nos sacerdotes primarij. Ducturus rex uxorem, prius thorum inire non consueuit, quàm à digniore sacerdote noua nupta deflorata fuerit. Nec id munus ultro subeunt sacerdotes. Stupri à rege pretium constituitur quingentorum aureorũ. Hunc morem præter regem Calechut seruat nemo.

De multijugis idolorum cultoribus in urbe Calechut. CAP. V.

IAmiam expediemus multijugũ indigenarũ urbis Calechut idolorum cultum. Primores idolorum cultores Bramini appellantur: ij sunt eorum sacerdotes: qui prioribus succedunt, uocitãtur Naẽri, non minoris sunt apud eos quàm apud nos patritij pendũtur. Horum interest ensem, clypeum, arcum, lanceamq; quum prodeũt ferre. Desinentibus hæc circumferre, aufertur ceu exautoritatis nobilitatis insigne. Qui tertię clasis habentur, ij eius loci sunt apud eos cuius apud nos sunt cerdonicam exercentes artem. Sequẽtes Mechoa dicuntur, piscatu uictum quæritantes. Qui nouissimis sunt proximi, illis Poliar nomen est inditum. Ad hos spectat piper, uinum iuglandesq; legere. Postremi uero Niraui appellantur. Ea gens postquam seuit orizam, eandem colligit: at Poliar & Niraui etiam ueluti postremæ tribus hominibus, neutiquam nisi uocatis ad Bramini & Naẽri propius quàm ad quinquaginta passus accedere licet: ob id delitescunt in umbraculis ac locis palustribus. Quum prodeunt ut à longe exaudiantur, uoce inclamant nescio quid sublatissima, ut nobiliores moneant, ne inopinatò reperti luant morte pœnas. Vbi enim usu euenerit, ut Bramini & Naẽri inclamationibus assueti haud moniti forent, obuiam quempiam ex illis capite censis haberẽt, dum arua reuisunt, impune eos letho tradere queũt: ob eã rem inclamationib. aduentantes quoscunque præueniunt, monentq; iam uobis innotuere seni idolorum cultores.

De habitu regis ac regimine, cultorumq; urbis, deq; edendi modo. A

CAP. VI.

REgi ac reginæ, incolisq; urbis, idolorũ cultoribus haud dubie dissimilis non est habitus: quippe qui gossipino, haud sane serico panno obscœna tantum uelant, cætera sunt nudi: pedibus incedunt nudis, apertoq; capite prodeunt. At Mahumetani tunica interiore ad umbilicum usq; amiciuntur. Fœminæ uero eodẽ habitu utuntur quo & uiri: latriæ idolorum cultores, uti consueuere: sed id plus habent, quòd promittunt capillum mirum in modũ. Rex ac primores urbis inconsultis sacerdotibus non uescũtur carnibus: cæteris autem gregarijs licet quibusuis uesci carnibus, si uaccas excipias, qui Niraui & Poliar dicuntur: mure ac piscibus sole exustis uescuntur.

De horum ritu post obitum regis. CAP. VII.

EXempto rebus humanis rege, si superstites sunt mares liberi aut germani, aut fratrum filij, ij minime regno succedunt: nam filio sororis ex gentis instituto sceptra debentur: qui si nullus foret, regno succedit is qui arctiore coniunctione regem contingit, non alia, aiunt, de causa, nisi quòd Bramini sacerdotes, ut præfati sumus, reginam deflorauerunt. Peregre proficiscente aut exeunte in uenationes rege, sacerdotes uel uigesimum annum tantũ nati reginam domi asseruant, illi assistentes: nihilq; gratius regi contingere posset, quàm ut reginæ per stupri conciliationem assuescant. Propterea exploratum habet rex ob uulgatam reginæ pudicitiam, ex ea susceptam prolem inter liberos collocandũ minime fore. At sororis natos ueluti sibi iure sanguinis coniunctissimos, adscire in imperij partem consueuit. Rege defuncto regni indigenæ omnes barbam ponunt, capiteq; tonso desiderium regis testantur. Nec omnibus est idem mos, alijs menti partem nouacula nundantibus, alijs uero capitis partem solum tondentibus, ut sua trahit quemq; uoluptas. Per id tempus etiam quo regem funerãtur, qui piscatu uitam trahũt, per speciẽ mœroris à piscium captura temperant octonis diebus: & ubi ex coniunctis regis quempiam mortem occumbere contigerit, itidem seruant quod rege defũcto seruari memorauimus. Rex quandoq; adductus superstitione, ad annum ab re uenera abstinet, & item animo destinat uesci nolle betolis: hæc sunt folia quæ Assyrij mali frondis similitudinem exprimũt: has enim frondes in cibatu habent gratissimas: æque quidem illis utuntur ac nos bellarijs ex saccaro scitissime conditis: eas enim ceu illecebras edunt: nec alia quàm uoluptatis aut exuscitandę ueneris emortuæ causa, illa esse creduntur, dum huiusmodi folia mandunt. Edere sueuerunt fructum quendam, cui coffolo nomen est: hunc mittit arbor arecha nomine, palmæ non absimilis, quæ cariotas gignit non absimiles, consimiles producens fructus. Miscent insuper contritas ostrearam conchas calcis instar cinami.

B

Betoli folia

Quomodo idolorum cultores inter se coniuges commutant.

CAPVT VIII.

PAtritij ac negotiatores hunc morem inter se seruant. Fit quandoque ut iure amicitiæ alter alterum miro affectu prosequatur. Propterea quibus sunt uxores amicis, nonnũquam complacitum est per speciem maioris coniunctionis uxoribus commutandis operam dare: stultorumq; lingua mutuo se compellant in hunc ferme modum: Heus tu amice, coniunctissime uiximus. At ille: Ita diutine coniunctius amiciusq; uiuere nequiuimus. Et rursum alter: Verum'ne loqueris, quum adstruis te mihi amicũ esse optimum? Sum, inquit ille. Et itẽ prior: mehercle diligis me? At socius: amo te medius fidius. Tum ille: Commutemus uxores ea lege, ut tu mea, ego uero tua potiri queã. Tum alter: ain, tu serio? Cui ille: ita per Pollucem. Concedamus, inquit socius, domum meam. Quò ubi peruentum est, alter eorum inclamat uxorem: Accede, ait, mulier, huncq; sequere: quoniam deinceps coniunx erit tuus. At mulier: quam ob causam? loqueris'ne serio? At prior cõiunx: nõ iocor quidẽ. Tum mulier, lubens, inquit sequor. Protinus his ultro citroq; dictis,

A dictis,abit cum prioris socio uiri mulier,inuicemq; coniugem suã iure com/
mutationis ad socium mittit, qui prior adduxit mulierem. Hoc institutum
permutandis seruant uxoribus. Pignora uero alterũ parentem sequuntur.
Aliјs uero idolorum cultoribus lõge sunt aliј mores: nam fœmina septenis *Polygamia*
nubit uiris,qui in concubitum noctes alternãt. Vbi autem pepererint mulie
res prolem,delegant ad quemcunq; ex septem coniugibus uoluerint,à qua/
rum assertione nulla est prouocatio.

De ritu edendi incolarum,deq; eorum iustitia. CAP. IX.

HVmi procumbentes edunt in trulla ænea: coclearis uicem supplet arbo
ris folium,Esculenta sunt oriza,pisces,aromata, fructusq; ignobiliores,
Ex ea hominum nota qui rustici dicuntur,adeò illotè ac fœdè uiuũt,ut eden
tes in ollam manum intingant,dumq; orizam capiunt,fœdantes in olla ma
nus in pilæ modum concinnant,sicq; cõcinnatam admotamq; ori uorant.Id *Atrox homi-*
genus iustitiæ apud eos uiget,ubi quis quempiam cõfecerit,correptus pœ/ *cidæ suppliciũ*
nam in hunc modum luit.Genus habent patibuli, id est, palum longũ qua/
ternos passus.Huic non longe à fastigio ligni scipiones gemini in crucis fi/
guram affiguntur.Tunc palo per terga sontis acto,terebratũ homicidę cor-
pus cruci miserandum in modũ infigitur,sicq; affixus infelix pendet, donec
uitam exhalauerit.Patibulum huiusmodi patrio sermone Vncaleut appel/
lant.Qui uero consauciant,aut scipione quempiam uerberant,iј culpam ab
rege auro remedimunt.Obærati uero ita prȩstare solidum cõpelluntur,nam *Creditorũ mi-*
ille cui quippiam debetur auri,monet obæratum ut soluat.At is qui æs con *ra exactio.*
traxit alienum,uerba dat. Quod ubi intellectum est illi cui aurum debetur,
ubi per archigrammateos regis,qui centeni esse dicuntur,constiterit id æris
esse contractum,tunc prasini coloris fronde arrepta tam diu hominem con/
sectatur,donec comprehenderit, cõprehensum uirenti fronde circũscribit,
iubetq; lingua incolarũ his uerbis,nisi solido præstito illinc ne abeat: hæcq;
B usq; tertiò profatur,per caput Bramini, id est nomen sacerdotis, & item per
caput regis iubeo,ne hinc discedas,nisi æs retẽtum dissolueris. Ille uero qui
intra circulum circumscriptus est, aut protinus solidũ præstat, aut illic uitã
sine custode exuit, qui si aliò diffugeret, semel correptus cõtinuo leto iussu
regis traderetur.

De eorum latria erga idola. CAP. X.

ADoraturi idola ante emersum solis stagno lotionis gratia immergũtur,
sicq; loti nihil prius cõtrectant quàm domi suæ preces ad idola fuderint
orant enim humi strati,idq; clanculum. Dum sic orant, edunt gestus nescio
quos dæmoniacos ueluti lymphati,inuersis luminibus, miroq; oris dehone
stamento instar portenti.Pauorem non sine horrore cõspicantibus inferunt,
nec horæ quartam partem orando perẽnant. Vbi uero edẽdi tempus appe/
tierit,esse nequeunt,nisi obsonia concinnauerit à patritiјs quispiam.Ea cu/
ra fœminis non delegatur,quando certe sua tantum curant esculenta.Hunc
morem solum nobiliores seruant.Fœminis autem aliud non est curæ,quàm
muliebri mundo studere,ob eam præsertim causam, quod uiris cum eis an/
te non coëunt,quàm lotæ fuerint,suffitęq; uariјs odorum generibus. Quum
prodeunt fœminæ,mirus est monilium apparatus,ab auribus pretiosis lapil
lis dependentibus,lacertisq; ac pedibus omni genere cultis.

Quomodo prælium ineunt CAP. XI.

IN ea urbe quotidie quasi ex instituto à lanista rationem inferendi euitan/
diq; ictum more digladiatorum discunt cultores,ense,clypeo ac lãcea exer
citi.Profecturo ad bellum regi in expedito sunt centena peditum millia, nã
equitum ibi usus est(præter elephantorum)nullus. His uehitur præliaturus
rex,qui regẽ sequuntur,uitta serica,eademq; coccinea caput uinciunt.Prȩli
um inituri,ense obrotundo, clypeo, lanceis ac arcubus utuntur.Regis uero
insigne est nescio quid rotundum ex arborum frondibus complicatis instar
cooperculi doliј cuiuspiam,arundini adfixum, eo candentis ardorem solis
arcet,Solmer lingua patria dicitur. Vbi utrinq; cõstitere acies ad trinum ar/

cus iactum, rex mittit sacerdotes suos (Braminos appellāt) in hostiū castra, ut ex se regi dicāt, propius cum centenis Naëris (ij sunt nobiliores roburq; militiæ) collaturus pedem accedat, se quoq; cum totidem protinus accessurum. Hoc renuntiato uterq; se accingit expeditioni bellicę, inq; itinere medio centeni cum centenis manus conserunt: qui si uel tridui spatio cōcertarent, nunquam punctim, sed cæsim feriunt bino ictu caput petentes: item semel tantū cruribus intentant ensem. Vbi uero quaterni uel seni mortem oppetiere, continuo sacerdotes bellum dirimunt, eorumq; iussu utrinq; canitur receptui. Dirēpto prælio sacerdotes utriusq; exercitus ultro citroq; contendentes, utrosq; reges his uerbis percunctantur: Vultis'ne amplius? At sacerdos: Minime, infit. Itidem ex hostili exercitu sacerdos ait. Hunc morem præliando seruant cum centenis centeni. Rex uehitur quandoq; elephanto, nonnunquā à suis triarijs (Naëri dicuntur) incessu pernicissimo cōuehitur. Proficiscentem regem sequuntur multijugis musicę instrumentis concinentes. crepant tympana, & id genus complura. Naëris suis stipendij causa singulo mense quaterni penduntur carlini: dum uero bella ingruunt, seni: hoc stipendio uitam trahunt milites. Ii dentes habent nigricantes, ob eam herbam quam crebrius mandunt. Hos ubi occiderint, rogo miro apparatu imponunt: alij adseruant horum cineres: cæteris uero non idem est funerandi mos, gregarijs præsertim: alij uita functum intra proprias ædes tumulant: alij in ædium uestibulo: alij corpora in amœnis secessibus, ac uiridarijs suis humant. Monetam cudunt non aliter quàm in urbe Narsinga. Quū ego illic agerem, ex omnibus fermè orientis partibus negotiatores aderant, cum primis Mahumetani: alij ex regione Melacha, ex Bangella alij: nonnulli ex Tarnassari, ex Pego & Ciriomādel alij: nonnulli ex Zeylan de Sumatra, id est, Taprobana, alij ex Colon, nonnulli ex Caicolon, alij ex Bathecala, & innumeri fermè alij, præsertim iam notiora nomina, uidelicet Persæ, Arabes, Syri, Turchæ, Aethiopes, & ex regno Narsingæ complusculi, tot aduenæ exq; uarijs regionibus per id tempus quo illic agebam, aderant in urbe Calechut florentissima. Illud esse noueritis, quòd qui idola colunt, non sulcant maria: id munus Mahumetanis delegatur, utpote exercendis commercijs aptioribus. Incolunt enim urbem Calechut circiter quindena Mahumetanorum millia, qui ex ea urbe plerunq; oriundi dicuntur.

Naëri

A

B

Quomodo ibi maria sulcant. CAP. XII.

QVomodo enim maria adeant, quó'ue tempore se pelago committant, qualiter fabricētur nauigia in eo latere ubi uisitur Calechut, haud multo post compertum fiet uobis. Igitur naues fabricantur non minores, quàm quæ quadringentis aut quingentis dolijs ferendis sufficiant patentq; absq; tecto. In nauium commissuris nullo modo stupam ponunt, sed asseres adeò affabre connectunt, ut optime arceant aquas: commissuras pice ferruminăt. clauisq; ferreis abunde firmant communiūtq;: nec à stupa temperant ob id quòd illius sint egentes, quando affatim stupæ ac lini aliunde illò cōuehitur. Assamēta habēt trabesq; multiplices: & si ligna quęcūq; speciaueris, nostris quidem non sunt deteriora, nosq; copia lignorum superāt: uela nauium habent gosipina, eademq; in ima parte geminata: utraq; enim utuntur ducturi in altum, ut uentorum uim maiorem uela concipiant, tumescantq; magis. Nos itaque in ea re superant, qui unis tantum utimur uelis. Ancoras iaciunt marmoreas, longas octonos palmos, at quaquauersum binos: eas gemino fune appensas æquori indunt: ancoras præter has habent nullas, nauigandi stata habent tempora. E' Perside usq; ad eam plagam, cui Cumerin nomen est (ea meridiem uersus abest à Calechut octo dierum itinere) octonis mensibus, id est, inter Septembrem & Aprilem maria sulcant, à Calendis autem Maijs usque ad mensem Sextilem medium. Ab hoc latere sinus urbis Calechut temperādum est à nauigationibus, ob nimiā pelagi sæuitiam: nam undabundo indignantiq; oceano haud tutò naues committuntur. At illi habēt

temporum

A temporum uices contrarias. Quum enim apud nos ob candens sydus arent fermè omnia, tunc madefiunt ibi cuncta ob effusum largius imbrem: nã Maio, Iunio, & item Quintili ac Sextili mensibus largior ibi effunditur imber, interdiu non solum, sed etiam noctu, non usque, sed subinde pluit, modo noctu, interdiu nonnunquam. Per id tempus uix Phebus supra horizontem emergit: cæteris uero octonis mensibus pluit nunquã. Aprili exeunte soluũt à promontorio (Iatus appellant) Calechut, & uersus caput Cumerin uelificant, aliamq; oram pelagi nanciscuntur, ubi æquor minimè sæuit: tunc tranquillo mari aromata conuehunt minutiora. Nauigia, ut apud nos, alia alijs locis nomina acceptant: liburnicas alij sambuc nominant: celoces alij more nostro complanatas capel appellant. Minora igitur nauigia, ut sunt cymbæ, & id genus alia, quibus maiora nauigia quandoq; more nostro remulco ducuntur, parao nominãt: hæc sunt denos passus longa è solido ligno: remis ac malo utuntur harundineis. Sunt item ibi actuariæ naues, almadias uocant, solidæ absq; cõmissuris: et rursum alias habent nauiculas longas passus duodenos, uel terdenos, rostro perquàm angusto: uniq; tantũ homini aditus patet, adeo in arctum eius ostium agitur: hinc & hinc acuminantur maxime, caturos appellant: remis aut uelis aguntur ocyus multo quidem quàm triremes aut liburnicę, uel celoces nostrę impelluntur uelificantes. Ii sunt piratę, qui maria infestant. Fabrefiunt huiusmodi naues in insula non longe a Calechut, cui Porcai nomen est.

De regia principis urbis Calechut. CAP. XIII.

Regia principis Calechut patet non minus mille pasibus, si ambitum spectaueris. Paries parum consurgit, ut iam prędiximus: structuram affabre tamen elaboratę trabes superpositę cõiungunt, toreutico operę intercursantibus demonũ figuris: quod opus circiter ducentis aureis constare creditur: neque altius tolli queunt ob instabile solum, quo fundamenta iaci nequeunt, mox aquis scaturientibus. Quas uero margaritas, & id genus pretiosos
B lapillos rex cultus circũferat, uix expedire præ magnitudine rei possum: excedunt enim æstimationem omnem: etsi per id tempus, quo illic agebam, parum genio indulgens mœstissime uiuebat, tum ob id bellũ quod illi rex Portugalliæ intulerat, tum uel maxime ob eam ægritudinem, quam Gallicã appellant, quã maxime afflictabatur, quum præsertim iugulum morbus inuasisset: tamen auribus pendebant lapilli pretiosi, lacertos'que ac manus, pedes'ue ac crura tot monilium genera honestabant decentisime, ut satis pro rei magnitudine referri nõ possint. Regis thesaurus immẽsus creditur, quippe qui uix binis cellis continetur. Thesaurum efficiũt innumeræ aureæ bracteæ, laminas appellamus: & rursum tantum signati auri, quantum onerandis centenis mulis abunde sufficeret: id adseuerabant eorum sacerdotes, qui regis arcanorum sunt callentisimi. Ferunt id auri corrogatum à prioribus regibus esse, numero fermè duodenis, qui reipublicæ prospectum iri cupientes, tot opes congessere, estq; in primis magni pendẽdum, in memorato thesauro, monilibus & id genus multijugis, eisdemq; pretiosissimis lapillis oppletum scrinium ternis longum palmis, & item latum circiter binis, plurisq; esse creduntur, quàm ut emptorem nasciscantur.

Pustulæ apud Indos

De aromatibus, quæ urbs Calechut mittit. CAP. XIIII.

Piper mittit suburbanus eius urbis ager: legunt etiam nonnihil intra urbem cultores. Caulis piperis infirmus est admodum, instarq; uitis absque adminiculo (pedamenta uocamus) consistere nequit: hederęq; non est absimile piper, quippe quod serpit, & altiore complexu proximam semper arborem uincere consueuit. Dicta arbor, imò frutex dispergitur in ramos complusculos intra geminum ac ternum palmum longos. Folia eius mali Assyrij figuram exprimunt: sed hæc crassiora pinguiusculaq; nonnihil, intercursantibus ex aduersa parte minutioribus uenis. E singulis malleolis seni dependent racemi palmo haud ampliores, passilis non absimiles, confertiores

tamen, Coloris est, qui & immitioribus uuis. Legunt itaque mense Octobris ac Nouembris in colorem prasinum adhuc inclinantes, ad solemq; apricantem assandum imponunt tegetibus: triduo nigrescit nõ aliter quàm huc affertur: absque cultu alio putandi, minusq; ligonizandi cura est illis, simplici ac syncero telluris prouentu. Mittit & regio zinziber: haud dubie radix est, eruiturq; nõnunquam pondo unciarum duodecim: nec omnibus est eadem amplitudo: plus non agitur in profundum radix, quàm ad ternos uel quaternos palmos harundinum modo. Quum eruitur zinziber, relinquunt internodium radicis in scrobe, unde erutum est zinziber, terram'que radici aggerunt ceu semen eius radicis, proximo anno eruturi fructum, id est, zinziber. Inuenitur in locis æquis instar myrobalani: in tellure tamen rubente omnifariam, ibi legitur zinziber. Caulis eius pirum mediocre effingit: mittitur ut piper in subligarijs,

De nonnullis urbis Calechut fructibus. CAP. XV.

IBi etiam reperiuntur nonnulli fructus, quos cultores iaceros appellant. Caudici eius arboris amplitudo piri est: fructui magnitudo bini ac medij palmi: crassitudinis uero humanæ coxæ. Gignitur fructus in caudice arboris subtus frondes, alij circiter medium caudicem. Colos est uiridis, cætera nuci pineæ haud absimilis: uinaceis tamen minutioribus. Quum maturescere incipit, obducit nigricantem colorem, marcere'que uidetur. Legitur is fructus mense Decembri: saporis sunt fermè peponis, castoreum redolentis, parumq;, si saporem quæras, abest à cotoneo Persico, eodemq; mitiore: uariam in cibatu uoluptatem parit, uideberis modo edere fauum mellis, modo suaue Medicum malum comedere: intra membranas habet ut malum Punicum, inq; eis delitescunt fructus nescio qui, mollibus non dissimiles castaneis: si enim igne torrentur, saporem castaneæ repræsentant. Propterea fateri licet, non esse excellentiorem digniorem'ue illo fructu quempiam.

Amba Est item fructus alius, amba nomine. Eius caudex magna dicitur, simillima est arbori, frequentesq; ut piro fructus: is iuglandẽ nucem è nostris effingit, quum iam sunt absoluti: quum maturescit, fului eiusdemq; splendentis coloris est: intra corticem occultatur fructus, ut amygdalæ aridæ: Damasceno gustu suauior est fructus: conduntur in cadis, ut apud nos oliuæ, sed sunt longe meliores. Illic etiam inuenitur fructus, cuius forma est peponi simillima: ubi incideris, mox cõperies intus uinacea uuæ instar terna aut quaterna: arbori est eadem amplitudo, quæ est cydoneo malo, foliaq; eidem similia:

Carocapel fructui nomen carocapel inditum est: in cibatu est optimus, medicinæq; aptissimus. Itemq; alius fructus uisitur, mespilis non dissimilis: uerum albicantis est coloris: hunc haud memini. Habent & fructus quosdam cucurbitis similes, sed condituræ aptiores: res est non indigna memoratu, huic nomen est co-

Comolanga molangæ: oritur inculta tellure peponum modo. Mittit idem ager fructum

Malapolanda alium memoratu dignissimum, malapolanda appellant, tollitur ab humo nonnihil supra hominis unius altitudinem, folia gignit quaterna uel quina surculis connexa: singula folia singulis hominibus ad arcendam pluuiam solemq; sartum tectum præbent. In folio medio consurgit malleolus instar caulis fabæ flores producens, fructusq; edit longos palmum unum, quandoque medium, crassitudine hastæ conti unius. Quum legunt hos fructus non operiuntur maturitatem, uerum præcoces colligunt, probe intelligentes eos domi maturescere: pariunt singuli surculi circiter ducentos fructus miro prouentu, seq; inuicem contingunt in modum pineæ nucis conferti admodum, Triplex horum genus: alij cianchapalon uocitantur, gustu magnopere suaues, cordi presertim conducentes plurimum: colos est illis subfuluus, tenuissimæq; siliquæ. Alij cadelapalon dicuntur, superioribus etiam in cibatu gratiores, ijdemq; longe suauiores: reliqui uero ceu insuaues nullius sunt usus, Quos diximus esse hominibus ad uescendum non ingratos, eos aiũt ficis nostris non esse absimiles. Horum arbor in uita semel tantum fructus gignit:

A uerum ad radices consurgunt quinquaginta aut sexaginta surculi, qui parentem renouant, ne sit nepotum expers. Hos transferunt alio cultores spe futuri prouentus: nam constat eos intra annum fructificare. Quum uero fructus huiusmodi legere uolunt, si uirentes nimium fuerint, id est, acerbi nimis, ut maturescant ocyus, calcis nonnihil ablaqueato caudici imponũt: leguntur ij fructus uberrime toto ferme anno: ueneunt uiceni singulo nummo, id est, quarta solidi parte. Mittit idem ager anno toto flores prope innumeros, rosas, uidelicet, albicantes rubentesq́;, necnon fului coloris.

De feracissima totius orbis arbore. CAP. XVI.

ESt & alia arbos cognitu sane dignissima: quippe quæ fœcunditate ac fructuum mira suauitate totius orbis arboribus longe est præstantior: ea palmæ instar cariotas edit: inde uberior mortalibus prouentus quasi denũ emolumentum: fert enim ligna igni alendo aptissima, iuglandesq́; in cibatu gratissimas: item funes uelificationibus admodũ conducentes: præterea tenuissimos pannos, qui ubi colore quopiam infecti fuerint, sericũ præsentant. Mittit etiã dicta arbor ad fouẽdum ignem carbunculos optimos, uinumq́;: item latices, oleum, & saccarum: ex frondibus uero quę decidũt, quum, uidelicet, tempestate aliqua ramus quispiam e caudice auellitur, fiunt ædium imbricamenta, uicemq́; tecti supplet, idq́; senos menses aquam continent, adeo sartũ tectum præbẽt. Vix dictis erit fides, nisi rem compertius expediam. Memorata arbor nuces producit cariotæ instar, singulæq́; arbores ducentas nuces gignunt. His demunt priorem corticem, ignibusq́; delegant: nã lignorũ modo flagrãtissime subiecto igne ardet. Alius uero fructus gossipino aut byssino nõ est absimilis: linũ quidem figurat, postquã ab artifice expolitũ est: ex floribus uero pannum conficiunt serico simillimum: sequẽs autem pensum rursum nent, indeq́; fiũt tenuiores funes, hosq́; funiculos nectũt, ut ex illis gran-

B diores funes faciant, nauigationibusq́; sufficiant. Ex proximo nucis cortice, qui tertio loco succedit, carbones eruunt. Vltimus autem cortex nucem occulit in cibatu gratissimam: corticis huius crassitudo minimo manus digito haudquaquam maior est: cum nuce simul latices gignuntur: iuglandeq́; adolescente, crescũt item aquę in ea adeo, ut absoluta nuce simul aquæ interiora nucis occupẽt: tantumq́; laticis in nuce quãdoq́; uisit, ut haurias ex singulari nuce ternos aut quaternos aquæ calices: ea potu est suauissima, eadẽq́; limpidissima rosaceę nõ absimilis: fit ut inde oleũ pinguissimũ, nuxq́; ipsa hominĩ gratior acexistit, esse nequiret, Vobis itaq́; iã innotuere septena huius nucis emolumenta. Alterum aũt huius elegantissimæ arboris ramũ nuces producere minime sinũt: uerum circiter mediũ caudicem incidũt mutilantq́; truncum, mane et uesperi cultro consauciant, liquoremq́; nescio quem infundũt: isq́; sugit ex arbore succum: quo hausto, in supposita ad id uasa prosilit: colligunt enim noctu simul & interdiu calicem liquoris singularem: unum hunc enim liquorem igne subiecto decoquere solent, rursusq́; & iterum decoctũ id agunt, ut uitalis aquæ similitudinem exprimat: cuius tamen mirus odor, ne potum dixerim adeo cerebro humano est infensus, ut si modum excesseris, furorem prope pariat, non aliter quàm temulentis euenire consueuit. Is itaq́; liquor inibi temeti uicem supplet, eoq́; ut nos uino illi illecebre utuntur. Ex alio autem dictæ arboris ramo legunt saccarum, uerum ferme insuaue. Fert dicta arbor perẽnes fructus, modo uirides, aridos modo: gignere incipit anno quinto. Inueniuntur hę arbores interuallo ducentorũ mille passuum. Habent hæ arbores dominos, tãtiq́; sunt apud cultores, ut si aliquãdo uiguerint inter reges ac principes bella adeo atrocia, ut etiã alter alterius natum confecerit, pacem tamẽ non aspernentur. Verum ubi inter certandum belli licentia, aut iure uictorię memoratæ arbores excisæ fuerint, qui arborẽ læsit, pacem nunquã consequitur. Viuunt dictę arbores ad annos quinos supra uicenos: sabulosa amant loca: panguntur ut iuglandes, ut inde oriatur arbor. Mittit item ea regio nescio quid aliud, de quo optimum sumũt oleum.

Quomodo

Quomodo serunt orizam. CAP. XVII.

COlunt arua, arantq; bobus terras ut nos. Quum uero serendæ orizæ tempus appetierit, eius rei lætitiam omni musicorum genere tripudioq; incredibili gestientes testantur: inq; maioris lætitiæ specimen denos homines dæmonum cultu habituq; horrifico exornant, iiq; clangentibus tubi gestiunt quasi choreas ductitantes: festa celebrantes rogitant ac precãtur cacodæmones, ut uberrimum orizæ prouentum elargiantur.

Quomodo uisunt ægrotos medici. CAP. XVIII.

VBi quispiam idolorum cultor mercimonia exercens ægritudine aliqua conflictatur, eoq; peruenerit, ut efflaturus animam censeatur, tunc nonnulli incolæ, quos ipsi medicos appellant, ad id munus delegati, conticinio noctis amicti horrifico dæmonum habitu, eos qui iam sunt deplorati uisunt: iniiciunt torrem in ore ignitum, manibusq; gestãtes ignem, inq; pedibus calopodia crassitudine passus unius habentes, & absono clamore tinnitu quorundam instrumentorum ægri auribus obstrepunt, horrore tanto, ut etiam incolumis his auditis uisisq; ægresceret quamprimum, horreretq; ac humi procumberet. Eiusmodi enim sunt eorum medici, qui ægros reuisunt solanturq;. Eius regionis cultores distenti ac farti quandoq; ob uoracitatem nimiam, ut sunt edaces plurimum, ubi stomachi morbo laborant quopiam, contritis ternis zinziberis radicibus, indeq; succo facto, cyphum plenum succo huiusmodi hauriunt: quo hausto, intra triduum cõualescunt. Degunt igitur ii homines brutorum modo.

De trapezitis ac colibistis CAP. XIX.

HAbent colibistæ & mensarii pondera ac bilances adeò minutas, ut si pyxidem, ubi asseruant, & reliqua id genus quibus pondus efficitur trutineris, unciam non excedant, adeoq; iustum est examen, ut etiam capillum ponderare queas. Vbi autem adulterinum aurum à puro obryzoq; dignoscere uoluerint, Lydio lapide, nos indicem appellamus, nostro more utuntur. Id plus habent, quod probaturi aurum pilam habẽt ex rebus nescio quibus compositam, ceram exprimentem, lapideq; Lydio, quo probatur aurũ, pilæ impacto, remanẽtibus ibi auri maculis, in ueri notionem deueniunt adulterinumq; à puro auro discernunt: aiuntq; eorum lingua, id optimum est, illud uero deterrimum. Pilam autem memoratam ubi auro oppleta fuerit, liquefaciendam igni indunt, aurumq; quod imbiberat colligunt. Sunt itaque ii trapezitæ omnium insanissimi, eiusq; artis quam exercent propè ignari, ne dixerim expertes. Mercimonia exercentes, ubi emundis uendundisq; mercibus incumbunt, hunc morem quem haud multo post referabimus, obseruant. Proxenetam habent, cuius opera exercendis mercimoniis utuntur in hunc fermè modum: nam emptor uenditorq;, ubi conuenit inter eos de exercendis commerciis, consistunt in orbem: tunc proxeneta arrepto uelo siue gausape propalam dextram uenditoris apprehendit, cõprehensamq; gausape uelat, moxq; geminos pollici digitos proximiores crebriore contractu digitis suis attrectat, ab uno usq; ad centena millia numerum recẽsens clanculum arcaneq;, idemq; silens. Tunc ueditor, quanti uendere cupiat, digitorum contractu declarat, nodos tantisper tangens, donec peruenerit ad id numeri, quo merces suas est expositurus. Hoc intellecto, proxeneta contendit ad emptorem, uelatisq; manibus, ut memorauimus attrectatione digitorum emptori compertum reddit, quantum pro mercibus uenditor consequi aueat. At emptor comprehensis proxenetæ digitis, contrectatione nodorum aperit, quid sit pro mercibus uenditori daturus. It ultro citro'que proxeneta, & utriusque mentem silens retegit. Quare hunc in modum exercent mercimonia miro silẽtio, sola, ut diximus, digitorum attrectatione. Quum uendunt aromata, mensuras habent, bacchar appellant, nos uero cantaros uocitamus. Si autem pannos mercantur, cariis uti consueuerunt: id est mensuræ genus. Itidem seruant in pretiosis margaritis, & id genus monilibus: ea

Proxenetæ mirus mos

expo-

A exponunt pondere nescio quo, farasolam appellant, id pondus quinas ac uicenas libras non excedit.

De Poliar & Hiraua cultoribus, & quomodo filios enutriunt.

CAPVT XX.

MVlieres eorum transacto tertio mense filios ablactant, deincepsq; lacte caprino alunt, & ubi refersferint lacte pueros, illotos fœdosq; admodum in sabulum reponunt, ubi interdiu ferarum more uolutantur. Verum quia in nigrantem colorem inclinant magis, à bubalis haud dignoscuntur. Sunt itaq; deformiores fœdioresq;, quàm quis autumare posit dæmonum que alumni uidentur. Inumbrante uespera rursum parentes fœminæ natis lac propinant. Quum uero adolescunt, hoc uigore alti pueri, incredibili dexteritate uiri euadunt, suntq; pernices admodum, ac cursus citatissimi, itemq; funambuli, & histriones, & id genus circumforanei.

De quadrupedibus ac auitijs. CAP. XXI.

INueniuntur ibi compluscula quadrupedum ac alitum genera, ut sunt leones, apri, cerui, hinnuli, lupi, boues fœminæ, bubali, capreç, elephantes: uerum ibi non nascuntur, sed importantur. Sunt item inibi psitaci prasini coloris, alij scutulati, alij coloris purpurei. Horum est tanta ubertas, ut adhibendi sint custodes seruandæ orizæ in aruis, ne eam depascantur. Sunt uocales admodum uilisq; prætio, utpote gemino denario, id est, media solidi parte singuli ueneunt. Sunt etiam illic quædam alites sarau nomine, psitacis nonnihil inferiores, si proceritatem respicias, cōcentu tamen longe suauiores amœnioresq;. Sūt & complura alia auitiorum genera nostris dissimilia, quorum mane et uesperi tantus est cōcentus, tantaq; canendi suauitas, ut nihil amœnius, nihilq; uoluptuosius audiri posit: in tam paruis faucibus tota ferme consistit harmonia. Ob id immensa est incolarum uoluptas, non secus quam si in terrestri paradiso consisterent, uernantibus floribus, uirentibusq; toto anno omnifariam arboribus, mira cœli clementia, incredibiliq; tempe- B rie, hyeme æstateq; nusquam sæuientibus, uernare enim semper uidentur, adeò algoris ac æstus sunt expertes. Mittit eadem regio cercopithecos, ueneunturq; singulis solidis, id est, quaternis cassis: tot enim solidum efficiunt. Sunt huiusmodi ceropitheci cultoribus inopibus præsertim, magno oneri: quippe qui iuglandium arbores conscendunt, & liquorem illum, unde uinum exprimi diximus, effundunt, euertuntq; uasa quibus liquor excipitur.

Sarau

Cercopitheci

De serpentibus, qui in urbe Calechut inueniuntur.

CAP. XXII.

ILlic igitur in tantam magnitudinem adolescunt serpentes, ut maximis suibus non sint absimiles: habent longe uastius caput quā apri: quadrupedes sunt quaternorum cubitorum longitudine: in palustribus locis nascuntur. Id animalis genus aiunt incolæ ueneni expers esse, quippe quod homines nisi mordicus impetere non nouit. Reperiuntur & ibi serpentum terna genera, alij adeo est exitiosum uirus, ut modo nonnihil sanguinis eliciant, mortem homini afferant præsentaneam: id enim usu euenit crebrius quum illic agerem. Ex his itaque serpentum generibus alij aspidem magnitudine repræsentant, alij sunt longe proceriores, uisiturq; inibi illorum ingens copia. Huic ubertati caussam præbet rex Calechut, qui nescio qua ductus insania, tanti facit serpentes huiusmodi, ut illis uel ipsa mapalia construi iubeat ad arcendas pluuias, fluminiumq; cohibēdas inundationes: & ubi quispiam ex illis aliquem confecerit, nō aliter letho traditur, quàm si hominem cōfecisset. Itidem rex agit ubi quis bouem fœminam mactauerit. Serpentes uero memoratos ob eam caussam plurimi faciunt, quòd adseuerant ipsos esse de cœlo sumptos spiritus. Illud ea coniectura assequuntur, quòd solo ictui præsentaneā mortem afferant: id efficit, ut inibi multa sit serpentum fœcunditas, quoniam edicto principis impune uagantur. Norunt memorati serpentes idolorum cultores, ab eisq; minime cauent. Id etiam me illic agēte usu euenit,

Serpentes uasti

uenit, ut ingressus domum quandam noctu, serpens exitiosus octonos homines confecerit: ij enim mane postridie tumescentes reperti sunt exanimes: Sunt tamen apud eos serpentes boni ominis, nam ubi aliquo cultores proficiscuntur, si quempiam serpentum obuiam habuerint, protinus felix omen interpretantur.

De accensis lychnis regiæ Calechut. CAPVT XXIII.

IN regia principis Calechut sunt uariæ mansiones, multipliciaqꝫ cubicula: nam inumbrante cœlum uespera innumeri ardentes lychni conspiciuntur. Regis aulam dena aut duodena ex aurichalcho faberrime facta instar signati fontis complent candelabra: unius hominis altitudine tolluntur, singulaqꝫ uasa ternas habent lucernas (polyxines appellant, Grece uero polylychnos) gemini palmi altitudine, inqꝫ eis non parum est olei. In priore uasis parte innatant oleo ex gosipio funiculi accensi, elychnia uocantur: huiusmodi enim alendis flammis lucernis adhibentur: inqꝫ uase medio angustius uas conspicitur luminibus oppletum: & rursum in uasis fastigio in minore uasculo innumeri ardent ex xylo funiculi oleo innatantes. Vas cõsurgit instar trianguli: priui dęmones toreutice insculpti priuos angulos fulciunt. Ii sunt ministri regis, qui lumina assistentes regi tenent. Vbi uero quispiam ex his qui regem arctiore coniunctione contingunt, diem suum obierit, transacto anno luctus, edicto ad se cunctos regni sui sacerdotes (Bramini appellantur) accersit. Imperata subeuntibus, ad diem'que uenientibus, mox ab rege opipari conuiuij dies indicitur, genio'que triduo indulgent. His in cibatu est oriza plurifariam condita: uescuntur item apro, ceruoqꝫ: uenatu enim oblectantur plurimum. Transacto triduo singulos conuiuas, omnes sacerdotes inquam, quaternis uel quinis aureis donat. Quo facto, abeundi aliò remeandi'que ad propria facit potestatem. Tunc omnes regni cultores per speciem lætitiæ barbam ponunt.

De maxima multitudine hominum, qui illò percipiendæ ignoscentiæ causa contendunt. CAP. XXIIII.

HAud procul ab urbe Calechut uisitur delubrum quaquauersum circundatum aqua: insulę modo constructum, est uetusto more, geminumqꝫ columnarum ordinem habet, instar templi diui Ioannis in fonte urbis Romæ. In delubro medio consurgit altare lapideum, ubi gens sacrificat idolis. intra ipsas columnas uisitur actuaria cymba oleo referta duorum passuum longitudine: huiusmodi oleo enna nomen est. Delubrum plurimæ arbores, uerum consimiles ambiunt. In his uisuntur ardentes lucernæ & lychni pensiles, & id genus luminaria propè innumera. Complent rursum delubrum accensæ lampades fouente ignes oleo, & ubi illuxit ea dies, quæ est uigesima quinta Decembris, frequens undecunque populus etiam quindecim dierum itinere illinc distans, eò cateruatim, & cumprimis sacerdotum ordo sacrificandi gratia contendit. Verum prius idolis non sacrificant, quàm immersi aquis delubrum ambientibus se lauerint, Quibus locis sacerdotes eorum conscendunt cymbas oleo, ut prædiximus, refertas, ad se'que aduentantem populum oleo memorato aspergunt, capita duntaxat oblinentes, quibus oleo delibutis, cuncti sacrificio incumbunt. Ab altero altaris latere, ubi sacrificant, immanissimus uastiore forma satanas uisitur: hunc frequens populus humi procumbens adorat, moxqꝫ ad sedes proprias quisque remeat. Dum hæc fiunt, omnium criminum fide publica proponitur impunitas, triduiqꝫ spatio unicuique licet illò contendere ceu in asylum, nec licet per id tempus alteri de de altero ultionem sumere. Nusquam gentium me hercle frequentiorem uidi populum, si eum diem excipias, quo Mecham inuisi.

Sed iam hinc abeo, totius profectionis meæ difficultates ac discrimina, quæ mihi euenerunt, seriatim expediturus.

LVDO-

A

LVDOVICI PATRITII ROMANI

RERVM INDICARVM LIBER SEXTVS.

De Ciuitatibus Caicolon & Colon. CAP. I.



ANIMADVERTENS comes meus Cociazenor nomine, ob uarias interturbationes, bellorumq; discrimina, cõmercijs locũ esse propè nullũ: ob eam præsertim causam, quòd Lusitani urbi Calechut cultoribusq; nõ sine strage maxima bellum intulerãt, sumpta in occasione inferendi belli, quòd indigenæ Mahumetanis assensi fuerant, ut circiter quadraginta octo Portugallenses leto traderentur: hos enim uita functos corã uidi: propterea rex Portugalliæ genti hostilia arma semper intentat cõcertatq; diuturniore prælio, inq; suorum ultionem innumeros confecit cultores, mactariq; iubet indies. Ob id urbs pessime accipitur, quippe quæ omni habitatore uidua existit uigentibus bellis. His itaq; inspectis, uisum est illinc abire. Quare uecti limpidissimo amœnissimoq; flumine, inde soluẽtes ad urbẽ nomine Caicolon tãdẽ aliquãdo deuenimus: ea abest ab urbe Calechut leucis quinquagenis. Vrbis rex idolorũ latriæ est addictus. Ibi uigent mirabilem in modũ mercimonia: mittit ager optimũ piper. Regi non sunt maximæ opes. Huius habitus mõtesq; à cultoribus urbis Calechut haud maxime absunt. Illic etiam nacti sumus nonnullos Christianos qui diui Thomæ nuncupantur: ij negotiabantur, seruatoriq; nostro ut nos initiati sunt, de his accepimus singulis ternis annis ex Mẽphi siue Babylone urbe Nilotica sacerdotẽ illò aduẽtare baptizandi eius populi gratia, qui diuum Thomã colit, illi ritus seruant Christianos, quadragenos dies obseruant, credunt seruatorem nostrum resurrexisse, eo argumento quòd pascha celebrant nostro more, reliquasq; sauctorũ solẽnitates, ac missarũ solennia ritu Græcorũ expediũt, à quaternis nominibus, Ioãne uidelicet, Iacobo, Matthia, & Thoma nomine acceptant. Vrbs, si cœli temperiẽ, si regionis sitũ, moresq; hominũ respicias, parũ distat ab incolis urbis Calechut. Transacto triduo inde soluentes ad aliã urbẽ peruenimus Colõ nomine, à memorata spatio uiginti mille passuũ distãtẽ. Rex eius urbis idola colit, estq; magnarũ princeps uiriũ, quippe qui in armis uicena equitũ millia semper habet. Illic elegans portus uisitur, haud procul à mari arua sunt rei frumẽtariæ expertia, mittũt tamen omnifariã fructus, & præsertim piper modo urbis Calechut. his colos, habitus, moresq; sunt ut indigenis Calechut. Rex diutine cũ finitimis regibus bella gerit, utiturq; in prelio hippotoxotarum opera. Qua re bellicis expeditionibus rege incumbente, uisum est comiti meo ut illinc abiremus. Igitur pelago cõmissi, inde soluẽtes iter cepimus uersus urbẽ, cui Cayl nomẽ est, ditionis memorati regis, è regiõe dictę urbis ad quinquaginta mille passus. Vidimus quomodo piscãtur nautę margaritas unionesq;, & id gen⁹ baccas, sicuti etiã retulim⁹ in superiorib. de urbe Ormo denarrãtes.

B (margin, beside "scha celebrant nostro more")

Colon (margin, beside "Transacto triduo")

Cayl (margin, beside "Cayl nomẽ est")

De Cyromandel urbe Indiæ. CAP. II.

VLtra progressi ad urbẽ aliam appulimus Ciromandel nomine. Vrbs est maritima, & à Colon urbe nauali itinere dierum circiter septem distat, ea est uastissima, nec mœnibus ambitur. paret regi Narsingæ. altrinsecus uisitur insula Zaylon, & ubi promontorium Comerinum pręterieris, mittit ager huiusmodi miram orizæ copiã, illacq; ad multiplices uariasq; regiones iter patet: ob id complurium regionum scalæ nuncupantur. Vrbẽ incolunt innumeri negotiatores Mahumetani, qui cõmercij causa ultro citroq; commeant. Nulla inibi aromata uisuntur. fructus fert omnifariam instar urbis Calechut. Illic nactus sum nonuullos Christianos, qui memorabant corpus diui Thomæ non longe ab ea urbe, id est, ad duodecim mille passus abesse. Adijciebant etiam ad hæc, curam sancti corporis quibusdam Christianis delegatam esse, adseuerantes inibi male accipi Christianos, uixq; posse uitam

trahere, postquàm rex Lusitanorum arma cultoribus intulerat hostilia, complures'que indigenas eius regionis confici iusserat. Ob eã rem adfirmabat regẽ memoratum genti formidolosum esse admodum. Tędere uitæ propterea Christianos omnes, clanculumq́ eos passim mactari, ne id regi Narsingæ innotescat, quãdo certe constat, inter regẽ Lusitaniæ ac Narsingæ summã intercedere necessitudinẽ, Christianosq́ regi memorato in paucis charos esse. Ex memoratis etiã referebant nõnulli transactis iam quinis ac quadragenis annis ui numinũ miraculũ contigisse in hũc ferme modũ. Aiunt enim Christianos cum Mahumetanis quandoque manus conseruisse, acieq́ discessisse Christianum quendam recepto prius in lancerto uulnere, contendisseq́ protinus sanandi brachij causa ad diui Thomæ sepulchrum, tactoq́ eo consauciato, manum ad usum redijsse quamprimũ. Ob eam rem narrãt regẽ Narsingæ cœpisse Christianis subscribere, gentemq́ fouere plurimum. Itaq́ comes meus inibi complura mercimonia uenũ exposuit: uerũ quia per id tempus bellum illatum regi Ternaseris regionis erat, duximus propterea nonnihil illic cõsistendum fore. Absumptis ergo ibi compluscutis diebus, celocẽ cõscendimus, id genus nauigij ciampanã appellant, in inferiore parte magnopere complanatum. huiusmodi enim celoces altiores aquas minime exposcunt, licet ferant onera enormia. Traiecimus igitur sinum latitudine circiter uiginti leucarum, in cuius traiectu parũ abfuit quin pessum iuerimus, aperto discrimine, ob breuia, aridas, scopulosq́ crebriores imminente. Tandem aliquando appulimus insulæ, cui nome est Zaylon, quæ patet ambitu decies centum mille passuum, ut referebant cultores.

Caimpana

De insula Zailon, ubi inueniuntur lapilli pretiosi, CAP. III.

IN ea itaq́ insula, cui Zailon nomen est, quaterni reges longe lateq́ imperitant, adeò regio in immensum propè patescit. Perunctiore ac pene in transcursu res dictæ insulæ sumus denarraturi: uigẽtibus illic acerrime bellis, effectũ est ut mores hominum ac regionis situm minus explorare potuerimus: quare perpaucorum dierum mora hęc tamen quæ collegi, mox subijciam. Fert regio in primis elephãtos complures, inibiq́ pyropos eruunt: nõ longe enim, utpote ad geminum lapidem, uisitur mons uastissimæ longitudinis, ad cuius radices pyropi inueniũtur, hi sunt lapilli pretiosi, uulgo rubini appelantur (sic enim inueniuntur) nam ubi negotiatores quippiã, & præsertim mangones illò contenderint lapillorum eruendorũ gratia, operæpretium est eos prius regem adire. quo conuento, emunt mensurã telluris quandam, utpote cubiti unius quaqua uersam magnitudine. id genus mensuræ molam dicunt, eo nomine enim brachium appellant. Huiusmodi terræ mensura quinis uenit aureis, ea lege atq́ omine, ut humũ effodientibus semper pro rege quispiam adsistat, ut si forte fortuna inter effodiendum conspicerẽtur lapilli pretiosi excedentes caracteres denos, regi protinus adiudicentur: inferiorum uero lapillorum citra dictũ pondus mangonibus, ac negotiatoribus qui tellurem memoratam præstinarunt, potestatem faciũt. Haud procul ab dicto monte innumeri pretiosi lapilli inueniuntur, interfluente maximo amne, hyacinthi præsertim, sapphyriq́, ac topazij, & id genus lapides complures: mittit & idẽ ager suauiores quàm unquã uiderim fructus præcipue gariophyllõ nostris non conferendum, malaq́ assyria suauitate incredibili, ac omnifariã fructus ferme instar urbis Calechut: ita tamen, ut hi illis suauiore gustu minime concedant.

Pyropi

De Cinami arbore, CAP. IIII.

CInami arbor lauro haud est absimilis, si præsertim folia spectes, grana primo gignit lauri instar, baccas credas, minutiora tamen, eademq́ albicantia. Cinamum itaq́ nihil aliud esse q̃ arboris librũ planissime constat, hunc enim in modum legitur. nã singulis ternis annis incidunt ramos, delibrántque. demptum eo modo corticẽ cinamomũ appellant: neq́ enim caudicem incidunt, sed ramos tantum. Huius itaq́ cinami illic mira est ubertas. quum autem

A aũt colligitur, non eſt protinus abſoluta ſuauitate, mẽſtruo perfecta abſolutaq; eſt ſuauitas. Retulit ea tẽpeſtate comiti meo Mahumetanus negotiator in faſtigio uaſtiſſimi montis ſpecũ eſſe quendã, quò ſe recipiebãt eius regionis cultores omnes, orandi gratia in protoparentis ſanctiſsimi memoriã. Memorãt enim incolæ diuũ Adã poſt lapſum illic fletu ac continentia pœnitudine ductũ culpam redemiſſe. Id aſſequunt̃ ea coniectura, quòd parẽtis ad- *Adam pœnitentia*
huc uiſuntur impreſſa pedũ ueſtigia, longitudine geminũ palmũ excedẽtia. Arua ſunt orizę expertia, ſed qui conuehunt illàc iter agunt. Reges enim dictæ inſulæ, Narſingæ regis uectigales ſunt, nam pendunt quotannis tributũ & ob orizã quæ abũde ex continẽti Narſingæ illò cõportatur, coguntur uectigal ſoluere memorato regi. cœli eſt inſula clementis admodũ. genti colos eſt ſuffuluus, æſtumq; minus ue algorẽ ſentiunt, uernante ſemper tẽpore, habitu utũtur uere Gabino. chlamyde enim exerto brachio corpora uelant, pannis goſipinis aut ſericis utuntur plurimum. ea inſula ſita eſt ſub æquatore, in zona peruſta, ſubq; cãdenti ſydere. bellicæ uirtutis id hominũ genus eſt prorſus expers, quippe quod tormẽtis ferro'ue haudquaquã utitur harũdo enim lanceæ ac enſis gladijq; uicem ſupplet, ob id perraro in prælio occumbunt: apprime ſunt imbelles, nulliusq; fermè ſpiritus. illic flores prope omnifariã leguntur, gens multo perennior eſt, longioreq; æuo ꝗ̃ noſtra. Vſu euenit aliquando, præſertim quadã ueſpera, ut ex rege quidã comitẽ meũ cõueniret, diceretq;, ut continuo corallos ac crocum ad regẽ deferret, nã horum omnium comes meus uim maximã habebat. His auditis negotiator alius dictæ inſulę Mahumetanus clanculum quaſi per ſpeciẽ amicitiæ ſocium meum monuit, ne regem adiret, ceu mercimoniorum pretium minime conſequuturum. Id egit Mahumetanus mira impoſtura, ut iniecto comiti meo pauore, eoq; abſcedente liberius ſua ipſe mercimonia exponeret. Huius do-
B li non ſatis gnarus comes meus, ſtatuit abire: reſpondit tamẽ nuncio regio, poſtero die iturum ad eum. Verum mane poſtridie conſcenſo nauigio, proximum continentem remigibus maxime adnitentibus dilapſi ſumus.

De Paleachet urbe Indiæ. CAP. V.

TRidui itaq; itinere ad urbẽ quandam Paleachet nomine deuenimus, ea paret regi Narſingæ, compluriumq; mercimoniorum famigeratum eſt emporium, & cõprimis monilium quaſi omne genus. hæc enim ex Zailõ & Pego eò comportantur. urbẽ etiam incolũt ex Mahumetanis negotiatores complures, uiſunturq; inibi omnifariam aromata: nã recepti hoſpitio cuiuſdam Mahumetani, illi cũcta reſerabamus, unde uidelicet, ſoluiſſemus, quoue tẽdebamus, noſq; cõplures merces attuliſſe, corallos præſertim crocũq;. res enim huiuſmodi Mahumetano magnã peperit uoluptatem. Memorata urbs omniũ rerũ copia, Indicarũ urbium modo, ubertim affluit. ager rei frumentariæ expers eſt, uerũ oriza ſcatet plurimũ: inſtitura uero legeſq;, nec non habitum ac mores inſtar indigenarum urbis Calechut habẽt. Incolę rei bellicæ gnari ſunt admodum, ſed tormentis utuntur nullis. Verum quia per id tempus quo illic agebam, diſſidebant cultores cum rege Tarnaſari, nõ niſi hoſtilia meditantes, uiſum eſt propterea perpaucorũ dierum inibi ſumpta mora, abeundũ eſſe protinus illinc. Quare inde ſoluentes iter cepimus uerſus urbem Tarnaſari, quæ abeſt ab memorata urbe centenis mille paſſibus. Eò igitur appulimus, abſoluto prius tredecim dierũm itinere nauali.

De Tarnaſari urbe Indiæ. CAPVT VI.

VRbs eſt in India haud procul à mari, cui Tarnaſari inditũ eſt nomen, ea poſita eſt loco minime iniquo, mœnibus ambitur, portumq; percelebrem habet, amnis limpidiſſimus urbem præterfluit Septentrionem uerſus. Rex eius latriæ idolorum eſt addictus, magnarumq; uirium princeps, huic diutina cum rege Narſingæ ſunt bella, cumq; Bangellæ rege prælium iuge exercet. Huic itẽ ſunt in armis centeni elephantes, proceriores uaſtioreſq; quàm unꝗ̃ conſpicatus fuerim. merent ſub eo ſtipendia quum equitum tum

etiam peditum centena millia ense paruo, clypeisq; obrotundis eisdem'ue ex libris arborũ cõfectis utuntur: alij peltas modo indigenarũ Calechut ad bella ituri ferunt, arcubus plerũq; utuntur, harundoq; teli loco succedit. Rursum profecturi in prælιũ se loricant amictu xylo magnopere referto. ędes eorum paries circundat, collocanturq; non aliter q̃ nostrę. mittit ager triticum gosipiumq;, necnon affatim serici: legunt etiã colores inibi cõplures, eũ maxime quem uerzinũ appellant. ferunt arua omnifariã fructus, alios pomis nostris haud absimiles, pyris alios simillimos. Ferunt rursum assyria mala, cetrinaq;, necnon cucurbitas, habent etiam uiridaria amœnissima.

Præsilium

De feris ac cicuratis animalibus urbis Tarnasari.

CAP. VII.

CIngit ea regio multifariã animalia, fera alia, exarmata alia: circurũ sunt, boues, pecora, capreæ, apri, cerui, hinnuli: ferarũ uero generis sunt lupi, leones, uisuntur etiam ibi feles eiusmodi, qui zibellum gignunt: aruis etiam inerrant, paui complures, & eius generis aquilę, quas falcones appellamus, psitaci item omnium pulcherrimi, albicantes septeno colore præsertim distincti. Est etiam illic leporum ac perdicum mira fœcunditas, honestant regionem complura alia auitiorum genera, raptu præsertim uiuentia longe aquilis proceriora: nam ex superiore rostri parte ensium capuli fabricantur: id rostri fuluum est phœnicato colore distinctum nihil sane uisu pulchrius, nihil amœnius, aliti uero colos est niger & item purpureus, intercursantib. albicantibus pennis nonnullis. Ibi nascuntur proceriores gallinę, galliq; gallinacei, quàm hercle uidisse meminerim. Summam propterea uoluptatem cepimus conflictantibus acerrime gallis gallinaceis: nam singulo die huic ludicro in uicis medijs Mahumetanorum animi causà opera dabatur, mirumq; est Mahumetanorum pro hac re certamen: habent priui priuos gallos gallinaceos, eos cõmittunt alijs, expositis quandoq; pro alitum futura uictoria aureis centenis singulo congressu, uter superior euaderet. Conspicati sumus senis horis concertantes alites, nec prius modũ prælio faciebant, q̃ occubuissent. Reperiũtur etiã ibi nonnullæ capreę magnitudine nostras excedentes, nostrisq; longe pulchriores, tantæ fœcunditatis, ut uno partu quaternos fœtus ferant: exponũt ibi (tanta est animaliũ copia) duodenos uerueces singulo aureo. Cõspiciũtur illic rursum uerueces, alij cornua haud absimilia damis habentes, nostris lõge maiores, ferocioresue. Bubalos uero nostris habent deformiores, piscibus aũt nostro more regio scatet, in tantamq; adolescunt magnitudinẽ, ut bini cantari pondo nõnulli inueniantur. Vescitur id hominũ genus omnib. ferè animalibus, si uaccas excipias. Edẽtes humi procũbunt absq; gausape, ligneis tamẽ uasis utũtur adfabre factis. Potus est illis latex saccaro cõditus ditioribus præsertim: cubilia habẽt, quæ ab humo more nostro altius tollũtur, stratũ uero ex gosipio habẽt, stragulã aũt ex serico, aut sane xylo chlamide utũtur exerto brachio serica uel gosipina. Ferunt ex negotiatoribus nonnulli interulas sericas, uel xylinas elegantissime confectas in uniuersum autem pedibus incedunt nudis, si sacerdotes excipias, qui apices ferunt ex serico uel undonibus longos binos palmos, inq; apicis fastigio gerunt nescio quid in modum glandis elaboratum, quasi toreutice, multo quaqua uersum sparsum auro depẽdet à tergo instar uittæ geminum sericum binos longum digitos, inauribusq; plurimũ delectantur, quippe qui gemmis ac margaritis pretiosioribus onustas habent aures: in digitis autem nulla condalia. His est colos subalbicans, cœli uerò tẽperies frigidior est nonnihil quàm urbis Calechut: mores uero, colendiq; arua, ac legendi fructus consuetudo, à nostris institutis moribusq; parum absunt.

Capuli ex auium rostris

Gallorum certamen

De more quem seruat rex quum deflorandam eius coniugem albicantis coloris hominibus præbet. CAP. VIII.

EXhibet memoratæ urbis rex deflorandã coniugẽ nõ sacerdotibus, ut solet urbis Calechut princeps, sed albicantis coloris hominibus Christianis,

A nis, aut Mahumetanis. Cultoribus uero idolorũ id munus minime delegatur. At incolæ prius thorum nõ ineunt, quàm quempiam ex albicãtibus hominibus cuiuſuis nationis exiſtat, aſciuerint cõiugũ ſuarũ ſtupratorẽ. complacitum eſt enim illis, ut ante corpora uulgent coniuges, quàm earum ſibi fiat poteſtas. Id equidẽ uſu euenit quũ illic ageremus. Ingredientibus enim urbẽ, nobis occurrere terni uel quaterni idolorũ cultores, qui comitẽ meũ in hunc fermè modum eorum lingua compellarũt. Eſtis ne amici hoſpites? Sumus, inquit comes meus. Tunc negotiatores, Quãdo huc appuliſtis? Ad hęc comes meus. Quartus agitur die quo huc deuenimus, Et rurſus negotiatorũ quiſpiã, Ite mecũ, ædeſq; meas uiſite: quando certe nos hoſpites quam qui maxime diligimus. Tunc comiter nos inuitantes ſequuti ſumus: eoq; ut peruenimus, ientaculũ apparate appoſitũ eſt, nobiſq; iam refocillatis, ait ille: Ducturus ſum intra quindenos dies uxorẽ, uni ueſtrũ deflorãdæ cõiugis priore nocte munus delegetur. His auditis, quæ nundinato pudore promebantur ab hoſpite, puduit nos quamprimũ. Tunc mancipiũ noſtrũ ad nos conuerſum, Non uos, inquit, pudeat oblati muneris, quãdoquidẽ is eſt mos gentis urbiſq; inſtitutũ. His intellectis, pauebamus ne deterius quippiã nobis eueniret. rebamur enim gentẽ nobis illudere, Innotuit continuo hoſpiti pudor noſter, noſq; his fermè uerbis hortabatur: Ponite curas omneis amici, quoniã eiuſmodi eſt urbis huius cõſuetudo. Hæc itaq; ut nobis cõperta fuere ampliorẽ ſpiritũ ictis ſtupore impudẽtis moris dedere, accedẽte pręſertim alius comitis, qui nobiſcum ibat, crebriore adhortatione: quare comes meus pollicitus eſt ſe id laboris ſubiturũ. Tunc negotiator qui nos hoſpitio exceperat, Eritis inquit, diutini mei hoſpites, dignaborq; uos honoratiore tecto, Verũ comes meus ſubrecuſabat, adfirmãs comites nolle deſerere. At negotiator rurſum inſtabat, identidem ædes, ſuaq; omnia offerens. Peruicit itaq; ne inde diſcederemus: allatis ergo comitis mei ſarcinulis, hoſpiti comiſſimo ſimul omnes (ſex enim eramus) aſſenſi ſumus. Verum operæpretiũ B fuit comitẽ meũ tantiſper operiri, donec eius hoſpes uxorem duceret: quod prius ꝙ ad quindenos dies nõ euenit. Ducta noua nupta, comes meus ſponſa diſſoluit, uxoreq; hoſpitis illecebre potitus eſt. Ea annũ quintũ decimum, quaſi flos ipſe, haud excedebat. Verũ poſtq; deflorata eſt nupta priore nocte, ſi uiri de cętero honori illius deerit, fidẽq; iugalẽ temerauerit, morte protinus uulgatæ pudicitiæ pœnas luit. Ob id uoluiſſent mulieres huiuſmodi ſalaces plurimũ, ut nũquã nox, qua deflorabantur, eſſe deſijſſet, ſed ſaltem prorogaretur ad menſem: nõ tamen nos functos munere uulgandæ pudicitiæ miſſos quãprimum faciebat hoſpes: uerum ad quaternos quinoſq; menſes ſua impenſa domi alebat largius quàm referre poſſim: id efficit annonæ uilitas incredibilis, gentiſq; liberaliſſima cõſuetudo ac natura comiſſima.

De modo condendi humana corpora. CAP. IX.

EXempti rebus humanis ardẽtiſſimo rogo ſacerdotes regeſq; deflagrãt, tunc ſacrificant cacodæmoni, combuſtorũq; cineres in uaſis Samijs eiſdemq; infectis nitro cõdunt: his eſt anguſtũ orificium inſtar patinæ mediocris, defodiuntq; domi uaſa cineribus oppleta, Sub arborũ umbraculis ſacrificãt inſtar cultorũ Calechut. Quũ comburũt corpora: omnifariã odores in rogũ cõijciũt, aloẽn, uidelicet, & id genus arboris, cuius gũmi elegantiſſimũ illud unguentũ gignit, quod uulgo belzoi nũcupatur, laſerpitiũ eruditiores ab arbore laſeri dicunt, & itẽ ſtoracem, thus, corallum, ſandalium, & id genus propè innumeras odoratas arbores. Hęc odoramẽta igni imponũt, corporeq; impoſito incendium excitant, tubis clangentibus, tibicineq; concinente, quaſi eorum more qui olim inter diuos referebantur. Circũdant rogum quindeni aut uiceni homines, cultu dæmonum amicti, qui geſtientes lætitiam præſeferunt deflagrãti uiro aſſiſtit coniunx ſuperſtes, comite muliere nulla, pectuſq; plangens, tota ruit in eiulatus fletuſq; lugubres. Hæc fiunt ſecunda noctis uigilia. Tranſactis uero poſt uiri obitum quindenis diebus, mu-

bus, mulier uiro superstes ad se cōuiuij celebrādi gratia agnatos omneis accersit, coniugē præsertim defunctū coniunctione arctiore cōtingentes. Itaq; omnes ubi ad diem uenerint, ad locū illum adeunt, ubi rogo traditus est coniunx, ea ferme hora noctis, qua uir arsit. Tunc prodit mulier compta omniū monilium genere, reliquisq; decoramentis, quæ ad mundum pertinent muliebrem, ad id collatis fortunis omnibus agnatorum opera, puteo inibi ad id munus extructo, nec is plus in profundum agitur, quàm ut fœminā capere queat, puteum harundinibus sepiunt, septumq; uelant serico panno, ut conspectus adimatur. Ardet interea mirabilem in modum odoratis refertus arboribus puteus. At mulier postquam conuiuæ opipare epulati sunt, rursum illa mandit plurimam betolam (id est edulij genus) eoq; cibatu farta adeò satura est, ut mente uacare uideatur. Interea circundant puteum innumeri tibicines gestientesq; choraulæ, & amicti dæmonum cultu complures, qui flammas ore efferuescere uidebantur. Tunc dæmoni cui Deumo nomen est, sacrificant. Mulier uero obiter quasi lymphata ultro citroq; commeat, nec aliter tripudiat, quàm si choreas duceret, identidem illis qui habitu horrifico dæmones referunt, se commendans, ut pro se cacodęmona rogitent, sibi'que impetrent ad ipsum haud difficilem aditum, suisq; adnumeret. Aliquando pompam ambiunt complusculæ mulieres, quæ rogo imponendam arctius contingunt. Nec arbitremini id munus mulierem mœstè exequi, quando certe nihil lætius, nihilq; iucundius agi posset, quàm mulier id hilari animo exequitur, æque ac si cœlo recipienda foret. Itaque peractis cærimonijs, mulier lymphato cursu, concepto prius manibus serico panno, in rogū flagrantissimum sese præcipitat. Quo facto, actutum proximiores agnati rogo iniectam scipionibus obruunt, obrutamq; multa pice onerant, ut hoc fomento altius ignis, mulier præsentius intereat. Et nisi subiret mulier id munus post uiri mortem, incredibilis infamiæ nota illi inureretur, foretq; toti regioni ludibrio, ceu coniugis minus studiosa letoq; ab agnatis traderetur. Pompæ huiusmodi rex interesse ac præesse dicitur, quoniam hunc morem non seruant, nisi summates clariores'ue urbis patritij, ne qui putent hunc ritum ab incolis in uniuersum seruari.

De iustitia quam seruant cultores urbis Tarnasari. CAP. X.

SI quis mortalium quempiam cōfecerit, is protinus morte luit pœnas: eundem morem incolæ urbis Calechut seruant. Accepti uero ac expensi habetur ratio, si modo chirographo quopiam, aut sanè teste aliquo id liquidius constiterit. Exarant in membranis nostris haud absimilibus, nō in libris arborum ut indigenę Calechut. Quum disceptant inter se, itur ad moderatorem urbis, cui summi iuris reddendi munus ab rege delegatum est: ubi uero quispiam negotiator aduena uitam exuerit prolis expers, neminem hæredē instituere potest, rege fortunas omneis sibi adiudicante. Rege autē uita functo, nati in regnum succedunt: cultores uero quicquid possidēt fortunarum, uitam efflaturi ex urbis instituto elargiuntur uiritimq; natis impartiuntur.

De ritu condendi Mahumetanorum corpora in urbe Tarnasari.

CAPVT XI.

EXutos uita Mahumetanos negotiatores, miris condiunt odoribus, cophinis induunt corpora ligneis, sicq; conditos humant, comprimisq; obseruant, ut defunctorum capita Mecham respiciant, id est, Septentrionem uersus collocentur.

De uarijs multijugisq; nauigijs, quibus eius urbis cultores utuntur.

CAPVT XII.

HIs est uarius multiplexq; nauigiorum usus, sulcant alij maria celocibus complanatis admodum, quæ altiores aquas minime exposcunt: alij nauigant liburnicis geminam proram habentibus, geminumq; malum absque tecto. Est & aliud onerariæ nauis genus, quo enormia onera comportantur: nam ferūt aliæ ex memoratis onerarijs nauibus supra mille mercium dolia: im-

A imponunt his uastioribus nauigijs cymbas, nauesq; actuarias in urbē Melacha nomine deferendas, quibus captum proficiscuntur aromata illò, quę locis suis, ubi opportunum duxerimus, denarrabimus.

De urbe Indiæ Bangella, deq; eius ab urbe Tarnasari distantia.

CAPVT XIII.

IAm tempus appetit, ut comitis mei meminerim, quoniam utriq; nostrum cordi hæserat, ultra progredi, longeq; remotiora coràm uisere. Quū igitur hospiti suo comes meus deflorāda coniuge fecisset satis, nosq; rei Venereę, præsertim deformium mulierum satietas cepisset, pariente fastidiū plerunq; uberiore copia: expositis mercimonijs quæ comiti meo superfuerant, duximus illinc abeundum fore. Quare iter ingressi, ad urbem quandam Bangellā nomine peruenimus: ea ab memorata urbe septingentis abest mille passibus. illò enim appulimus itinere nauali undecim dierū: nam dicta urbs fœcunditate rerū omnium cum cæteris totius fermè orbis urbibus contendit, nemini sanè secunda, patet propè in immensum eius urbis regnū. Regi sunt in armis quum equitum tum etiam peditum ducenta Mahumetanorum millia: is tantarum est princeps uirium, ut diutissime cum rege Narsingæ prælietur: huius regni tanta est rerum omnium ubertas, ut nihil quod ad humanos usus pertineat desideres, si omnifariam animalia, si item rei frumentariæ uberiorem copiam, si rursum saccarum, zinziber, & id genus aromata, si postremo gosipiū sericumq; respicias, nulla est profecto in orbe toto plaga fœcundior. Ob eam rem nusquā alibi ditiores locupletiores'ue inueniuntur negotiatores, singulo enim anno abducuntur inde ad quinquaginta nauigia gosipinis pannis sericisq; onusta. Mercimonia huiusmodi uarijs barbarorū lingua cēsentur nominibus, à quib. ex cōposito tēperamus, ne Romano sermoni assuetis pariāt fastidiū. Igitur inde auecti panni ad Turchas Syrosq;, necnon Arabas, Persas, Aethiopes, Indos'ue deferuntur. Sunt etiam ibi innumeri exteri mangones, qui gemmas lapillos'ue pretiosos præstinant ab incolis. *Bangellæ ubertas*

B *De nonnullis Christianis negotiatoribus, qui inibi commercia exercent.*

CAPVT XIIII.

ILlic itaque offendimus Christiani nominis complusculos negotiatores ex urbe Sarnau, ut referebant, oriundos. Hi illò ueluti ad nundinas ferunt sericos pannos, odorataq; ligna aloës, uidelicet, & laseris: ea est arbor quæ electissimum gummi illud gignit, laserpitium appellant doctiores, uulgo autem belzoi dicitur, attulerant etiam castoreum, & id genus fragrantiores odores. Memorabant dicti Christiani esse in eo regno huius sancti nominis cōplures principes magni Chami urbis Catai imperata subeuntes. Christianis huiusmodi ex undonibus uestes erant, non eiusmodi quæ singulos artus exprimant, sed laxas innumerasq; plicas habentes, manicas uero gosipio referserant, caput tegebat apex ex panno coloris Veneti, altitudine fermè gemini palmi. His est colos albicās, trinumq; deum esse adiuratissime fatentur: quum initiātur Christianorum sacris, more nostro latice asperguntur, duodenisq; apostolis, ac quaternis euāgelistis fidē adhibendā esse planissime adstruunt, scribūt ordine prępostero Armeniorū more, celebrantq; nostri seruatoris ortū & occasum. quadragenis Christiano more abstinent diebus, nonnullasq; alias sanctorum colunt celebritates, soleis non utuntur: caligas uero ex serico fluxas admodum ferunt, easdemq; omni monilium genere exornatas. nitent in digitis eorum incomparabili splendore lapilli, quum discumbunt abaco non utuntur, sed humi procumbentes omnifariam carnibus uescuntur. adijciebant ad hæc illi se compertum habere, esse complures reges Christiani nominis maximos magni regis Turcharum finitimos, Rumi appellant. Hi ubi conspicati sunt comitis mei pretiosiora mercimonia, & pręsertim prægrandem coralli ramusculū, hominem ingentissimis pollicitationibus onerabant, cōtendentes plurimum, ut secum iret ad urbem quandam ubi pollicebantur se daturos operam, ut inibi tantum mercium exponeret, si *Christianorū Bangellæ mores*

nos qui profecto uenissent mille aureis: quos uero comiti meo pyropos dono dedit rex, tanti esse adfirmabãt, ut non minoris quàm centenis auri millibus uenire posse autumarent. Est igitur rex memoratus is qui cunctos orbis reges munificẽtia eximia prestat, omnium fermè regum ditisśimus, quippe qui decies centena aureorũ millia quotannis ab regni sui incolis exigit. Nã mittit ea plaga colores quasi omne genus, item gosipiũ, plurimũq; serici: sed has prope innumeras opes militibus omnes impartitur. Gens est in uniuersum ueneris amans, imò salax plurimum. Transactis itaq; compluscculis diebus, memorati negotiatores pro me à rege commeatum abeũdi impetrarũt: quo impetrato, rex iussit ut mihi ædes incolatu commodissimæ prepararentur, ubi ad usum humanũ desiderarem nihil. Quare morã quinq; dierũ inibi absumpsi. Interea rumore nuncio percrebuit regẽ de Aua cum robustissima manu aduentare, ut regi Pego hostilia arma inferret. Huic occurrit rex cum exercitu innumero, circiterq; medium iter nactus est eum. Obiter etiam deflagrantes mulieres illic cõspicati sumus modo mulierum urbis Tarnassari.

Regis Pego opulentia

De urbe Melacha, deq; flumine Gaza, ut autumant incolæ, necnon de cultorum feritate. CAP. XVII.

POstridie eius diei conscensa liburnica, uelificauimus uersus urbẽ cui Melacha inditum est nomen, ea occidentẽ respicit, illò enim itinere octo dierum appulimus. Haud procul à dicta urbe percelebre flumẽ offendimus, uastius sanè quàm unquã conspicati fuerimus, huic Gaza nomen est, latitudine quinq; ac uiginti mille passuũ patet: altrinsecus uero uisitur insula ingẽs, Sumatra appellant, nos uero Taprobanam dicimus: cultores memorabant dictam insulã quasi quingentorũ mille passuum ambitu patere. Huius latius meminisse est animus, quũ opportunũ duxerimus. Vbi igitur deuẽtũ est ad urbem Melacha, Sultanũ adire iussi sumus quamprimum: is Mahumetanus est, eiusq; regnum Mahumetano paret. Vrbs sita est in continenti, penditq; uectigal regi Cini. Tributo huiusmodi, ut aiebãt, ansam præbuit, quòd eius urbis cõditor rex Cini memoratus ferebatur extitisse octuagenis iam transactis annis, nec alia de causa urbs illic condita est, quàm quod cõmodissimũ habet portũ, & sanè cõmodiorem, quàm forte in toto fermè oceano intueri liceat. Crediderim propterea plura illò appellere nauigia, quàm quouis aliò: & comprimis aromata, & complura alia mercimonia omnifariã eòdem con uehuntur. Regio non est generatim ferax, mittit tamen triticum, carnes, per paucaq; ligna, aruis inerrãt alites instar regionis Calechut, uerũ psitaci sunt illis longe meliores. Mittũt item atua sandaliũ stannumq;, elephãtes, equos, pecora, boues fœminas, pardos, bubalos, pauos, & id genus complura animalia habet. Fructus autẽ legunt paucissimos, modo urbis Zeilani: illic mercari non licet nisi emere aromata sericumq; uolueris: his est colos penè subcinericius, capillum promittunt, habitu uero instar incolarum Memphis urbis, Cayrum appellant, utuntur: amplam habent frontem, oculos teretes, nasum autem simũ: ibi noctu per urbem incedere impune haud licet, grassantibus inuicem cultoribus, nam mutuis cedibus canum more se cõficiunt, ob id appulsi negotiatores non nisi in nauigijs noctes agunt. Indigenas eius urbis omnes oriundos esse Agiauais adfirmant. Illic moderatori cuidã rex uicariam operam reddendi iuris aduenis delegat, uerum cultores parent nemini, illisq; est pro ratione uoluntas, prauisq; moribus concedunt nemini, adeò mentes efferarunt. Vbi uero rex eorum ferociam cohibere uoluerit, prosiliunt magis, regionemq; si redigantur in ordinem, se deserturos minitantur: idq; agunt audacius, quoniam mari adiacent, quasi paruo negotio, quum libuerit, aliò dilapsuri. Propterea comes meus Christianos negotiatores monuit illic diutius commorandum haud esse, prosilientibus nimium cultoribus. Quare conducta celoce, Sumatram insulam uersus uela fecimus: quò quinq; dierum itinere peruenimus ad urbem præsertim quandam Pyder nomine, quæ fermè octuagenis leucis à continente abest.

Sumatra insula. — Anarchia

De

De Sumatra insula, deq; eius urbe Pyder nomine. CAP. XVIII.

A Hanc urbē celebrior totius insulæ portus insignit, ea est insula cuius paulo antè meminimus, ubi retulimus huiusmodi insulam quingentorum mille passuum ambitu patere. Ego uero crediderim eam esse Taprobanam insulam, quod quidem inter complures cõuenit autores: huic insulæ quaterni diademate insigniti reges moderantur: hi sunt idolorum cultores, fideq; et ritu uiuendi, nec non habitu regi Tarnasseri non sunt absimiles: fœminę uero coniugum desiderio spõte ardent. His est colos quasi albicans, amplioris sunt frontis: oculos habent obrotũdos, prasini coloris, capillum promittunt, naso sunt latissimo eodemq; simo admodum, statura uero perquàm despicabili. Ius ibi summopere uiget, signato argento auroq; ac stanno pro moneta utuntur. Aurum signatum est eiusmodi, ab altera parte uisitur dæmonis cælatum caput: ab altero uero carpentum elephantis trahentibus conspicitur. Pari modo signantur reliquæ pecuniæ argenteæ: ex argenteis exponunt denos singulo aureo, stanneæ uero quinq; & uiginti numerum aureum efficiunt. Mittit ea regio numerosius proceriores quàm usquam alibi conspexerim elephantes, eosdemq; meliores. Id hominum genus belli est expers admodum, uerum quæstibus plurimum inhiat mercimonia exercens, suntq; in uniuersum hospitales, appulsis exteris præsertim.

De alio piperis genere, deq; serico ac laserpitio, quod belzoe appellant, inde prouenientibus. CAP. XIX.

ILlic igitur procerioris piperis uberior est prouentus, miraq; copia. Lingua patria piper molaga dicitur, id est lõge procerius illo, quod huc aduehitur, multoq; candidius, uerum inane ac mordax plurimum, sed ponderosum minus: uenit enim inibi piper nõ pondere, sed mensura, ut apud nos triticũ exponitur. Tanta est huius ubertas, ut inde anno singulo uicenæ naues onustę euehantur: hæ Cataium proficiscũtur, illic exponitur haud difficulter ob frigidius cœlũ. Arbor uero quæ piper huiusmodi gignit, producit etiã proceri-
B us piper, sed crassioris est caudicis, amplioraq; folia eadēq; carnosiora habet arborib. urbis Calechut. Fert itē affatim serici, fitq; plerunq; id sericũ more nostro: aliud uero mittũt sponte arbores, prouenitq; in syluis ac nemoribus absq; cultu, sed id est priore deterius. Ibi uisitur lazeris arbor, quæ gũmi gignit, cui laserpitio nomē est, uulgo belzoē dicitur: referebãt nõnulli id procul à mari nasci. Ego hæc nusquã affirmauerim, quãdo certe corã minime uidi.

De triplici arborum aloes genere. CAP. XX.

QVoniam rerum uarietas parit uoluptatem, mortales'que allectat plurimum, desiderio'que discendi noua inuitat ad lectionem. Ob id duxi nõ ingratum fore lectoribus, si hæc subderem, quæ coràm uisi: propterea exploratum habebitis ob eam causam laserpitium aloē'que ubertim ad nos minime conuehi, quoniam è remotioribus partibus comportantur: illud etiam noueritis, triplex esse aloēs genus. Aliud est longe perfectius, huic calampat nomen est. Hoc insula memorata non mittit, uerum ex urbe Sarnau aduehitur: ea, ut memorabant Christiani negotiatores comites nostri, haud procul ab dicta urbe ubi aloē nascitur, nomine Calampat, abest. Est & aliud genus aloēs, lubam nomine, hoc flumine nescio quo huc comportatur: nouissimo autem bochor nomen est. Referebant dicti Christiani negotiatores causam, quur ad nos aloē primo loco dictum non deferretur, quod, uidelicet, id genus aloē mitterent regna Cataij, necnon Cini, & Macyni, Sarnauq; ac Grauay longe ditiora, quippe quæ auro uberrime scatent, multoq; maiorē quàm nos auri copiam habent, suntq; item maiorum principes uirium, nostris regibus nimirum locupletiores. Ad id accedit, quòd suffimentis odoramentorumq; genere plurimum delectantur, inq; ea re reges superant nostros. Ob id ad nos hæc odoramenta minus abunde comportantur, utpote quod in urbe Sarnau singula libra aloēs denis aureis uenit, id efficit eius rei summa caritas.

Quomo-

Quomodo ligna aloes ac laſeris probantur. CAP. XXI.

DEuenimus in certiſsimam notionem gemini ſuffimenti, aloës, uidelicet, ac laſerpitij, doctoribus memoratis negotiatoribus, nam alter eorum nō nihil aloës ac laſerpitij habebat, binas uidelicet aloës uncias, eius inquam, quod calapant appellant: ſic enim probabamus, comes meus nihilum aloës manu occluſum tantiſper tenuit, donec is pſalmus, qui Miſerere mei deus incipit, tertio conſummari poſſet, moxq; reſerata manu calefactum iam aloë inenarrabilem ſuauitatis odorem adeò fragrabat, ut nuſquam fragrantiora ſenſerim ſuffimenta. Cepit item tantum laſerpitij, quantum iuglandem efficeret, rurſumq; ſumpſit libram mediam illius, quod mittit urbs Sarnau, ut alterum alteri conferret, priuaq; ſuffimēta, ignitis uaſis impoſita prius indidit cubiculis: uera mehercle refero, lōge ſuauius redolebat illud quod nucis magnitudinem non excedebat, quàm id quod libram mediam complebat: uel ſi ad geminam libram aſcendiſſet: uix igitur pro meritis horum geminorum ſuffimentorum præſtantia referri poteſt: id itaq; cauſæ referunt, quur ad nos non conuehuntur. Mittit etiam ea regio lactam, unde conficiunt rutilum colorem, gignitur in arbore iuglandibus noſtris haud abſimili. Illic etiam inueniuntur ut apud nos omnifariam animalia.

De multijugis Sumatræ inſulæ negotiatoribus. CAP. XXII.

IN ea itaque urbe complura uidi adfabre elaborata, eademq; elegantiora quàm uſquam uiderim, cophinos præſertim auro exornatos, hi ſinguli ueniebant gemino aureo: uidi etiam in uico unico ſupra quingentos collybiſtas: tanta eſt inibi trapezitarum copia: illò ceu ad percelebres nundinas cōmercij gratia propè innumeri negotiatores proficiſcuntur: cultores uero goſſipinis ſtragula'que ſerica & ſyndone ex xylo confecta utuntur. Fert regio adfatim lignorum, unde fiunt naues, gunchos ipſi appellant, hæ trinos habent malos, geminamq; proram, geminosq; utrinq; clauos. Quum nauigant in undabundo oceano, ubi aliquando uela uentis fecere, moxq; oborto tempeſtatis turbine, operæpretium eſt alteris uelis, haud mutatis prioribus, uentos legere: condicto itaq; naui minime circumacta, altero malo uſi retrocedunt, ſunt enim omnium dexterrimi præcipuiq; urinatores, ignesq; ex tempore miro artificio fabricantur.

De eorum ædibus, deq; ædium imbricamentis. CAP. XXIII.

Tartaruca piſcis

EOrum ædes lapidibus conſtant, parumq; ab humo tolluntur: loco imbricum piſcis Tartarucæ pelles ſuccedunt: mittit enim eum piſcem pelagus Indicum, nam illic agens uidi adeò uaſtum beluæ corium, ut pondo librarū centum triumq; eſſet. Vidi item inibi maxima ebora, hæc ſunt elephantorū dentes, pondo trecentarum ac triginta quinque librarum: conſpicatus ſum etiam inuſitatæ magnitudinis ſerpentes, longe quidem proceriores quàm uidentur in urbe Calechut. Sed iam redeamus ad negotiatores Chriſtianos, qui deſiderio uiſendæ patriæ apprime flagrabant. Ob id percontabantur comitem meum, hæſiſſet'ne cordi ſibi uelle ultra progredi, an retrocedere, uel forte inibi conſiſtere. At comes meus reſpondit, ſe poſtquam illò uenerat, prius inde non diſceſſurum, quàm uaria aromatum genera uidiſſet. Tunc Chriſtiani adfirmabant, illic alia haud inueniri aromata, quàm quæ conſpexeramus. Quibus rurſum infit comes meus: Vnde myriſtica nux, gariophillumq; prouenit? At Chriſtiani myriſticam nucem, muſcatam appellant, maſticemq; fert quædam inſula, quæ hinc trecentis mille paſſibus abeſt: Tum comes meus, Patet'ne inſulam adeuntibus tutum iter, aut infeſtant piratę æquora? Ad hæc Chriſtiani reſponderūt, indignabundi æquoris tantum pertimeſcendam eſſe ſęuitiam: addebantq; id æquoris onerarijs nauibus ſulcari non poſſe. His auditis, attentius explorabat comes meus quonam modo tuto illuc proficiſci quiret. Reſponderūt Chriſtiani nihil magis uotis comitis mei ſatisfacturum, quàm ut liburnicam, cui Campanæ nomen eſt, emerent quampiam, id eſt genus actuariæ nauis. Hoc intellecto, ſciſcitabatur comes

meus

A meus an naues huiusmodi illic inuenirentur? Respondentibus autem negotiatoribus Christianis adfatim nauium reperiri, uel si supra mille conducere uellet, assensus est comes meus, ut simul geminæ naues conducerentur. Quo dicto quamprimum binæ naues affuere, compluscúlique remiges: & ubi de uectura inter eos conuenit, id pretium enim ad quadringentos aureos ascendebat. Rebus itaque in hunc modum cōpositis, comes meus cœpit amici appellatione cōpellare negociatores Christianos, his ferme uerbis: Etsi dilecti mei non sim uester conterraneus, eosdem tamen parentes habuimus, Adam uidelicet & Euam, estis ne me sociumque meum qui uestris sacris est initiatus, deserturi? Ad hæc Christiani, Quomodo hic qui non est Persa, fidem nostram induit? Tunc comes meus: Sane nunc ipse Persa est emptus aliquando Hierosolymis. Huius sancti nominis mentione exciti Christiani negociatores, sublatis in cœlum manibus, moxque procedentes humi, tellurem usque tertio deosculabantur, consurgentesque à nomine meo, sciscitabantur cuius foret ætatis, quando ex Hierosolymis adductus est? tunc comes meus: Quindenos, inquit, annos agebat. Et rursum Christiani: Debet igitur patriæ meminisse. At comes meus: Meminit quidem, cepique iampridem eo denarrante miram uoluptatem, doctoreque eo singula humanorum membrorum, esculentorum nomina quibus utuntur Christiani, didici. Ad hæc negociatores respondere: Etsi uisendæ patriæ ardentes desiderio decreuissemus tandem aliquando lares patrios reuisere, licet procul hinc, utpote trecentis mille passibus absint: tamen in uestri gratiam comitisque huius, instituimus eôdem proficisci, quo ire decreuistis. Id plus addimus, daturos nos operam, ut longe locupletior euadat, neque propterea ritus patrios deserat, ubi Persarum moribus uti noluerit. Tunc comes meus negociatoribus respondit, se libenti animo amplecti oblatas amicitię conditiones, seque eos sequuturum quocunque ierint: uerum me id exequi quod animo destinauerant, nequire ob eam rem; quod
B neptem eius Solem nomine in Perside duxissem uxorem: quare si cordi hęsit uobis, ut sim meditati itineris comes, hoc munus quo uos afficio non parui facietis, ubi gratum habueritis ut me initę amicitiæ minime pœniteat. Tunc Christiani: Agite, inquiunt, ut lubet, quando certe uobis morem gerere in uotis præcipue habemus. His itaque ultro citroque dictis, in monumentum cœptæ amicitiæ denis pyropis, mediam curiam appellant, eos donauit. Hi nempe tanti erant, ut quingentis aureis uenissent. Perendino igitur die in expedito fuere geminæ actuarię naues conuehendis nobis commeatibusque aptissimæ, fructibus præsertim omnifariam impositis, iterque insulam uersus, cui Bandan nomen est, cepimus.

De insula Bandan, quæ myristicas nuces ac masticen mittit.

CAPVT XXIII.

SVlcātes æquora circiter uicenas insulas offendimus, cultas alias, desertas admodū alias: eò peruenimus itinere quindecim dierū peracto. Insula est inculta plurimum, ac infœcundi soli, humilisque, sed magnopere plani, centū mille passuū ambitu patens, huic rex minusque hexarchus moderatur: uerum eam incolit genus hominū agreste, parū distās à beluis, nullius sane momēti. Humiles casas, imò mapalia lignea parū ab humo extantia subeūt. sola interula amiciuntur, nudis pedibus apertoque capite prodeunt, capillū promittūt, frōteque sunt lata, sed tereti. Colos est his albicās, staturaque despicabilis. Idola colunt. suntque longe deteriores illis, quos incolę Calechut Poliar & Hyraua appellant. obtusi sunt ingenij, nullarumque uiriū, adeò perditi, ut prorsus sint illaudabiles, ritu degunt ferino. Ager præter myristicam nucem, muscatā appellant, & nōnullos fructus mittit nihil: myristicæ nucis caudex Persico caudici similis, ramos foliaque consimilia producit, uerū nonnihil angustiora: priusquam nuces huiusmodi percoquant, sepit arborē mastix florentis rosæ instar: & ubi nox percoxerit, mastix eam complectitur, complexoque simul stato tempore, cultores legunt certatim uberiusque quàm possunt, quoniam cōmu- Anarchia

nia sunt ibi omnia, ceduntq; præoccupantbus: arbores absq; cultu, suppeditãte tantũ natura, fructus mittũt. Nuces huiusmodi myristicæ uæneunt mensura utpote senarũ ac uiginti librarũ, tantumq; nucũ ternis solidis, id est, medio carlino exponũt: genus monetæ eiusmodi est, quale esse in urbe Calechut diximus: illi mutua iustitia degũt, nec opus est legibus, gẽte à puris naturalib9 uix recedẽte: his uisis perendino die postquam illò appulimus, comes meus percunctatus est negociatores Christianos, ubi iam foret ea regio quæ gariophyllum mitteret? Ad hæc responderunt Christiani, procul illinc itinere sex dierũ in insula Monoch nomine, gariophyllũ inueniri. Tunc comes meus: Sũt'ne illi adeò rudes agrestesq;, ut hi quos paulò antè conspicati sumus? At Christiani responderunt, esse quidem illos populos his dissimiles, uerum incultiores minoreq; ingenij captu. His intellectis: Eia, inquit, progrediamur, ingressiq; iter ad memoratam insulam septem dierum spatio peruenimus. A

De insula Monoch, quæ gariophyllum mittit. CAPVT XXV.

HAnc insulam perquam angustam, Bandan insula magnitudine excedit: gens est cultoribus Bandan multo deterior, præter humanam speciem à beluis nihil differens: his est colos nonnihil candidior, cœliq; temperies aliquantisper frigidior: mittit hęc insula gariophyllum: nõnullę mediocres admodũ, eædẽq; incultæ insulæ circũadiacentes eundẽ fructũ ferũt. Huic caudex ex buxo nõ absimilis, folia uero cinnami instar habet, sed obrotũda magis: eius est coloris, cuius in superiorib. meminimus, lauri foliũ propè exprimẽs: quũ maturescere incipiũt, cultores harundinibus flagellant arborẽ, constrato prius circum arborem tegetibus solo: colos telluri est qui subargillosæ ac arenosæ terræ esse consueuit. Regio est humilis admodum, adeoq; demittitur, ut Septẽtriones inibi minime, adimente prospectum syderũ orizonte, cernantur. Explorata regione, uisoq; inciuili hoc hominũ genere, percunctabatur negociatores comes meus: Superesset'ne illic uisendũ aliquid? Ad hęc negociatores: Videamus, inquiũt, quo pretio exponant gariophylla: & ut id compertius fieret nobis, finximus uelle mercari gariophyllũ, moxq; intelleximus duplo uendi quàm nux myristica uendebatur, mensura tamẽ: quoniã id hominum genus omnium est prorsus expers ponderum. B

De insula Bornei. CAPVT XXVI.

GNari iam eius plagæ, auebamus plurimum nouas uisere regiones, ut noua semper delectãt, studio præsertim discendi maiora. Quare Christiani negociatores his uisis, in hunc ferme modũ me cõpellarunt: Dilecte comes, inquiunt, postq; hucusq; deorũ munere peruenimus incolumes, si tibi est cõplacitũ, eamus uisum totius orbis celebriorẽ insulam, eandemq; locupletiorem: uidebis aiunt, rem cognitu dignissimam, qua forte uidisti pulchriorem aliam neminem: uerùm operæpretium est ad aliam prius proficisci insulam, cui Bornei nomen est, illic maiores multo liburnicas cõducemus: quoniam longe altius, undabundumq; magis æquor nobis superandum est. Tunc comes meus: Agite, inquit, ut libet, in uestram enim sententiam totus cõcedo. Quare conscensa liburnica uastiore, iter ceptum est ad eam insulã, uersus meridiem semper uelificantes die noctuq;. Dum iter agimus, cõfabulationibus mira uoluptate incũbebamus, percõtantibus me illecebre dictis negotiatoribus, præsertim de nostri seruatoris inclyta latria. Et ubi sancti uultus (Veronicã appellant) mentio abs me facta est, deq; diuorũ Petri ac Pauli principũ apostolorũ capitibus, necnon de complusculis alijs sanctis: clanculũ me monuerũt, ut si uellẽ secũ proficisci, futurũ ut magnus euaderẽ princeps, ob tantarũ rerum notionẽ: uerũ absterritus itineris magnitudine, longioreq; interuallo, quippe qui rebar, ubi illò contendissem, me nunq; reuersurũ, statui eò minime proficisci. Itaq; insulæ Bornei tandem aliquãdo appulimus, ea à Monoch abest circiter ducentis mille passibus, illaq; nõnihil maior est, uerũ longe humilior, situq; demissiore. Gens idola colit, acerrimiq; est ingenij, ac uitę haud illaudabilis: colos in albicantẽ magis inclinat colorem: his nõ est idem

Bornei

habi-

A habitus, alij interula gossipina, alij undonibus utuntur, alij apice subrutilo uti consueuere. ius summopere illic uiget. ea insula mittit quotãnis adfatim cãphoræ: hanc arboris gũmi esse adseuerant, ego uero id nunq̃ adfirmauerim, quando certe rem huiusmodi oculis minime subieci: illud tamen non diffitebor comitem meum actuariam nauim centenis aureis conduxisse.

De obseruationibus nauigationum, quibus utuntur nautæ ad insulam Gyaua contendentes. CAPVT XXVII.

POstq̃ tot cõmeatus sumpsimus, qui itinere nauando abunde sufficerent, uela uẽtis dantes, uersus insulam Gyaua nomine ceptũ est iter, eò quinq̃ dierũ itinere meridiem uersus nauigãtes peruenimus: nauis moderator pyxidẽ magnetemq̃, necnõ paginã marinam cõpluribus lineis distinctam, quæ uentorũ rationẽ insinuant, secum more nostro attulerat. Vidẽs igitur comes meus euanuisse Septentriones, in' que ea urbe minime cõspici negociatores Christianos percontabatur, quonam modo adempto Septentrionis ducatu sulcare quirẽt maria: explorabũdusq̃ sciscitabat̃ ab eis, quo duce sydere pelago se cõmitterent. Ad hęc nauis moderator percõtantibus negotiatoribus Christianis, respondit cultores eius regionis quina ferme sydera habere, & comprimis astrum quoddam Septentrioni oppositum obuersumq̃ quo naui gaturi utebantur, addens se magnete uti, quoniam is lapis Septentrionẽ semper consequitur. Subdidit etiã ab altero dictæ insulæ latere gentẽ esse quandam, quæ Septẽtrionibus obuersis syderibus æquora sulcans, utebatur quasi Europeæ Sarmatiæ essent antipodes: inq̃ zona frigidissima circiter polum antarcticum cultores huiusmodi degerent, argumẽto quòd diem quatuor horarum tantum habẽt, quodq̃ algent mirum in modum rigore frigidioris zonæ instar eorum qui à polo arctico parum absunt, quare ex denarratis comes meus incredibilem uoluptatem cepit.

De insula Gyaua, deq; cultorum fide ac moribus, necnon compluscul is alijs.

B CAPVT XXVIII.

ITaq; permeando maria itinere quinq̃ dierũ ad dictã insulam peruenimus: ea prope in immensum patet, quippe quæ cõplura regna continet. Reges cultoresq̃ idolorũ latrię sunt addicti plurimũ: nec ijdem sunt omnibus ritus, colunt alij modo incolarũ Calechut idola, alij phœbum, phœbem alij obseruant, alij boues, alij quicquid prima luce obuiũ habuerint, idoli loco colũt: dæmonẽ alij, ut suprà meminimus, ueneratur. Hæc insula more nostro sericũ mittit, syluis sponte id gignentibus. smaragdos totius orbis habẽt elegantiores, habentq̃ adfatim auri ac optimi æris, ager re frumentaria scatet, omnifariamq̃ fructibus, modo urbis Calechut. Illic etiam carnes omnẽ genus more nostro inueniũtur. Id hominum genus perfidiæ est prorsus expers: eius sunt coloris necnon proceritatis cuius nos sumus, uerũ latiore sunt nonnihil fronte. oculos habẽt pergrandes, prasiniq̃ coloris, sed naso sunt admodũ simo, capillumq̃ promittunt. cœlo inerrant cõplura auitiorũ genera, nostris quidem absimilia, si pauos, turtures, ac nigricantes corniculas excipias. Ius illic mirabilem in modum colitur. cultores chlamyde serica, aut ex undonibus, ex gossipio nonnunquam exerto brãchio amiciuntur. lorica perraro utuntur, quippe qui bellorũ propè sunt expertes. Verũ maria sulcaturi arcubus ac harũdineis sagittis utunt̃. Cõsueuit etiã gens illitas ueneno sagittas eo instrumẽto, quo nos tormenti instar figulina glande aues cõficere solemus, ore in hostes uibrare, mortemq̃ illico afferunt, modo nonnihil cruoris eliciant. Tormẽtis omne genus nõ utuntur, nesciuntq̃ tormenta huiusmodi fabricare: omnibus nõ sunt in cibatu eadẽ esculẽta, alij triticeo pane utũtur, ac uerueců carnibus uescuntur alij, alij ceruis ac apris oblectantur, pisce ac fructibus aluntur alij.

De cultorum huius insulæ sæuißimis moribus, deq; modo uendendi parentes, necnon de Anthropophagis. CAPVT XXIX.

EIus insulæ cultores (eos inquam qui carnibus uescuntur) ubi uiderint parentes confectos senio nullius iam usus esse, in emporium adductos pro-

nia sunt ibi omnia, ceduntq́ pręoccupantibus: arbores absq́ cultu, suppeditã te tantũ natura, fructus mittũt. Nuces huiusmodi myristicæ uæneunt mensura utpote senarũ ac uiginti librarũ, tantumq́ nucũ ternis solidis, id est, medio carlino exponũt: genus monetæ eiusmodi est, quale esse in urbe Calechut diximus: illi mutua iustitia degũt, nec opus est legibus, gẽte à puris naturalib⁹ uix recedẽte: his uisis perendino die postquam illò appulimus, comes meus percunctatus est negociatores Christianos, ubi iam foret ea regio quæ gariophyllum mitteret? Ad hæc responderunt Christiani, procul illinc itinere sex dierũ in insula Monoch nomine, gariophyllũ inueniri. Tunc comes meus: Sũt'ne illi adeò rudes agrestesq́, ut hi quos paulò ante conspicati sumus? At Christiani responderunt, esse quidem illos populos his dissimiles, uerum inultiores minoresq́ ingenij captu. His intellectis: Eia, inquit, progrediamur, ingressiq́ iter ad memoratam insulam septem dierum spatio peruenimus.

De insula Monoch, quæ gariophyllum mittit. CAPVT XXV.

HAnc insulam perquam angustam, Bandan insula magnitudine excedit: gens est cultoribus Bandan multo deterior, præter humanam speciem à beluis nihil differens: his est colos nonnihil candidior, cœliq́ temperies aliquantisper frigidior: mittit hęc insula gariophyllum: nõnullę mediocres admodũ, eædemq́ incultæ insulæ circũadiacentes eundẽ fructũ ferũt. Huic caudex ex buxo nõ absimilis, folia uero cinnami instar habet, sed obrotũda magis: eius est coloris, cuius in superiorib. meminimus, lauri foliũ propè exprimẽs: quũ maturescere incipiũt, cultores harundinibus flagellant arborẽ, constrato prius circum arborem tegetibus solo: colos telluri est qui subargillosæ ac arenosæ terræ esse consueuit. Regio est humilis admodum, adeoq́ demittitur, ut Septẽtriones inibi minime, adimente prospectum syderũ orizonte, cernantur. Explorata regione, uisoq́ inciuili hoc hominũ genere, percunctabatur negociatores comes meus: Superesset'ne illic uisendũ aliquid? Ad hęc negociatores: Videamus, inquiũt, quo pretio exponant gariophylla: & ut id compertius fieret nobis, finximus uelle mercari gariophyllũ, moxq́ intelleximus duplo uendi quàm nux myristica uendebatur, mensura tamẽ: quoniã id hominum genus omnium est prorsus expers ponderum.

De insula Bornei. CAPVT XXVI.

GNari iam eius plagæ, auebamus plurimum nouas uisere regiones, ut nõua semper delectãt, studio præsertim discendi maiora. Quare Christiani negociatores his uisis, in hunc fermè modũ me cõpellarunt: Dilecte comes, inquiunt, postq́ hucusq́ deorũ munere peruenimus incolumes, si tibi est cõplacitũ, eamus uisum totius orbis celebriorẽ insulam, eandemq́ locupletiorem: uidebis aiunt, rem cognitu dignissimam, qua forte uidisti pulchriorem aliam neminem: uerũ operæpretium est ad aliam prius proficisci insulam, cui Bornei nomen est, illic maiores multo liburnicas cõducemus: quoniam longe altius, undabundumq́ magis æquor nobis superandum est. Tunc comes meus: Agite, inquit, ut libet, in uestram enim sententiam totus cõcedo. Quare conscensa liburnica uastiore, iter ceptum est ad eam insulã, uersus meridiem semper uelificantes die noctuq́. Dum iter agimus, cõfabulationibus mira uoluptate incũbebamus, percõtantibus me illecebre dictis negotiatoribus, præsertim de nostri seruatoris inclyta latria. Et ubi sancti uultus (Veronicã appellant) mentio abs me facta est, deq́ diuorũ Petri ac Pauli principũ apostolorũ capitibus, necnon de complusculis alijs sanctis: clanculũ me monuerũt, ut si uellẽ secũ proficisci, futurũ ut magnus euaderẽ princeps, ob tantarũ rerum notionẽ: uerũ absterritus itineris magnitudine, longioreq́ interuallo, quippe qui rebar, ubi illò contendissem, me nunq́ reuersurũ, statui eò minime proficisci. Itaq́ insulæ Bornei tandem aliquãdo appulimus, ea à Monoch abest circiter ducentis mille passibus, illaq́ nõnihil maior est, uerũ longe humilior, situq́ demissiore. Gens idola colit, acerrimiq́ est ingenij, ac uitę haud illaudabilis: colos in albicantẽ magis inclinat colorem: his nõ est idem habi-

Bornei

A habitus,alij interula gosipina,alij undonibus utuntur,alij apice subrutilo uti consueuere.ius summopere illic uiget. ea insula mittit quotānis adfatim cā/phoræ:hanc arboris gūmi esse adseuerant, ego uero id nunq̄ adfirmauerim, quando certe rem huiusmodi oculis minime subieci: illud tamen non diffitebor comitem meum actuariam nauim centenis aureis conduxisse.

De obseruationibus nauigationum,quibus utuntur nautæ ad insulam Gyaua contendentes. CAPVT XXVII.

POstq̄ tot cōmeatus sumpsimus, qui itinere nauando abunde sufficerent, uela uētis dantes,uersus insulam Gyaua nomine ceptū est iter, eò quinq; dierū itinere meridiem uersus nauigātes peruenimus:nauis moderator pyxidē magnetemq;, necnō paginā marinam cōpluribus lineis distinctam, quæ uentorū rationē insinuant,secum more nostro attulerat. Vidēs igitur comes meus euanuisse Septentriones,in'que ea urbe minime cōspici negociatores Christianos percontabatur,quonam modo adempto Septentrionis ducatu sulcare quirēt maria:explorabūdusq; sciscitabat' ab eis,quo duce sydere pelago se cōmitterent.Ad hec nauis moderator percōtantibus negotiatoribus Christianis, respondit cultores eius regionis quina ferme sydera habere, & comprimis astrum quoddam Septentrioni oppositum obuersumq; quo nauigaturi utebantur,addens se magnete uti,quoniam is lapis Septentrionē semper consequitur. Subdidit etiā ab altero dictæ insulæ latere gentē esse quandam,quæ Septētrionibus obuersis syderibus æquora sulcans,utebatur quasi Europeæ Sarmatiæ essent antipodes: inq; zona frigidissima circiter polum antarcticum cultores huiusmodi degerent,argumēto quòd diem quatuor horarum tantum habēt,quodq; algent mirum in modum rigore frigidioris zonæ instar eorum qui à polo arctico parum absunt,quare ex denarratis comes meus incredibilem uoluptatem cepit.

De insula Gyaua,deq; cultorum fide ac moribus,necnon complusculis alijs.
B CAPVT XXVIII.

ITaq; permeando maria itinere quinq; dierū ad dictā insulam peruenimus: ea prope in immensum patet, quippe quæ cōplura regna continet. Reges cultoresq; idolorū latriæ sunt addicti plurimū: nec ijdem sunt omnibus ritus, colunt alij modo incolarū Calechut idola,alij phœbum,phœbem alij obseruant,alij boues,alij quicquid prima luce obuiū habuerint, idoli loco colūt: dæmonē alij,ut suprà meminimus,uenerātur.Hæc insula more nostro sericū mittit,syluis sponte id gignentibus. smaragdos totius orbis habēt elegantiores,habentq; adfatim auri ac optimi æris,ager re frumentaria scatet,omnifariamq; fructibus,modo urbis Calechut.Illic etiam carnes omne genus more nostro inueniūtur.Id hominum genus perfidiæ est prorsus expers: eius sunt coloris necnon proceritatis cuius nos sumus,uerū latiore sunt nonnihil fronte.oculos habēt pergrandes,prasiniq; coloris,sed naso sunt admodū simo, capillumq; promittunt.cœlo inerrant cōplura auitiorū genera,nostris quidem absimilia,si pauos,turtures,ac nigricantes corniculas excipias.Ius illic mirabilem in modum colitur.cultores chlamyde serica,aut ex undonibus, ex gosipio nonnunquam exerto brachio amiciuntur.lorica perraro utuntur,quippe qui bellorū propè sunt expertes. Verū maria sulcaturi arcubus ac harūdineis sagittis utunt'.Cōsueuit etiā gens illitas ueneno sagittas eo instrumēto, quo nos tormenti instar figulina glande aues cōficere solemus, ore in hostes uibrare,mortemq; illico afferunt,modo nonnihil cruoris eliciant. Tormētis omne genus nō utuntur,nesciuntq; tormenta huiusmodi fabricare:omnibus nō sunt in cibatu eadē esculēta,alij triticeo pane utūtur, ac ueruecū carnibus uescuntur alij,alij ceruis ac apris oblectantur,pisce ac fructibus aluntur alij.

De cultorum huius insulæ sæuißimis moribus,deq; modo uendendi parentes, necnon de Anthropophagis. CAPVT XXIX.

EIus insulæ cultores (eos inquam qui carnibus uescuntur)ubi uiderint parentes confectos senio nullius iam usus esse, in emporium adductos pro-

tinus Anthropophagis uendunt: qui ubi uenierint, continuo mactantur, locoq; esculentorum ab nonnullis absumuntur. Et ubi iunior quispiam in eam deuenerit ægritudinem, ut iudicio sapientum, præsentem languorem euadere non posse uideatur, is à parentibus uel germanis ut mors ipsa præueniatur, leto traditur quamprimum, functusq; uita uenit Anthropophagis. His inhumanis moribus perterritus comes meus, stupore incredibili afficiebatur, aspernabaturq; detestandæ feritatis abusum, quum præsertim nonnulli ex regionis cultoribus negociatores petulantius his ferè uerbis aliquando cōpellassent: O Persæ, inquiunt, peccatis nulla expiandi uictima, quādo carnes adeò formosas uermibus epulandas exponitis. Hoc audito, comes meus efferatam eorum consuetudinem adeò horruit, ut condicto illinc abeundum esse duxerit. Redeamus, inquit, ad nostram liburnicam: quam ubi semel tenuero, huic continenti non appellam amplius.

Quomodo in insula Gyaua nomine, sol in meridie orbem siue sphæram complet.

CAPVT XXX.

POstq; satis superq; horū populorū inhumana crudelitas nobis innotuit, negociatores Christiani comitē meū hortabantur, ut hæc quæ paulò antè conspicati fuerant, ueluti noua quæpiam suis quū domi forent renunciarēt. Ferte, inquiūt, in patriam, eaq; mox cōperta uobis de hoc orbe fient: quibus dictis: Intuemini, aiunt, in meridie sitū solis, iusseruntq; ad sydera tollere uultūs: respicite, inquiūt, solis orbem, ut quamprimū exploratū habeatis, quantum hic absit ea quæ uos tulit regio. Respiciēs itaq; comes meus, uidit solem dextrorsum decurrere, & rursum sphærā latam circiter binos palmos læuorsum imprimere: quæ res comitē meum magna affecit admiratione: id ut ipse memorabat, mense Quintili usu euenit: ego eius rei uix memini, quoniā agētem apud exteras gētes, in orbeq; remotiore nostrorū mensiū nomina me fugerāt, imò quandoq; dierū nomina obliuiscebar. Illud etiam noueritis, paria in eo orbe nobiscū agere anni tēpora: nam illi haud plus q̄ hic nos inibi algent. Intelligens igitur comes meus illinc abeundi iam tēpus petere, utpote qui perfectum habebat se non posse illic sine aperto uitæ discrimine morari diutius, grassantibus sæuientibusq; in appulsos nimium cultoribus: nam acriore diligentia, noctu præsertim, nobis ab Anthropophagis cauere opus erat: comitē meum cōueniens statuit inde discedere, in patriamq; festinatius q̄ posset repedare. Inter hæc comes meus smaragdos geminos mille aureis emit, binosq; infantes aureis ducentis præstinauit: hi exectis testibus euirati erāt: nam in ea insula cōplures sunt negociatores, qui præter infantes mercantur nihil: hos adhuc impuberes ita emasculant, ut parū absint à fœminis.

De reditu nostro ex insula Gyaua. CAPVT XXXI.

IGitur quatuordecim dierum inibi insumpta mora, pertesi ob inhumanam feritatem Anthropophagorum mores, algoreq; nimio nos premente: Zonę enim frigidissimæ, ut in superioribus perspectū habuistis, appuleramus, Duximus ultra progrediendū minime esse. Ad id accedebat, quòd nulla supererat regio digna cognosci, propterea gradum reuocauimus, conductaq; liburnica, gionchum ipsi appellant, inde soluentes ab extimo insulæ latere orientem uersus, minus illic sæuiente salo, uelificare cœpimus, itinereq; quindecim dierum peracto, tandem aliquando ad urbem Melacha nomine peruenimus: ibi tridui absumpta mora, socijs ibidem remanētibus, uix referre queo, quibus gemitibus ac querulis uocibus nos abeūtes prosequuti fuerint Christiani negociatores: profectò ingenue fateor, si celebs fuissem, natosq; habuissem nullos, nunquam hos adeò charos comites deseruissem: mutuo amore illi nos complectebātur, identidem adseuerantes, ubi se rati fuissent tuto iter agere posse, nusquā nos dereliquisse. Ad id accedebant comitis mei crebriores adhortationes, quibus negociatores huiusmodi pericula obiectans hortabatur ne nos sequerentur, eò tendens ut denarrantibus ipsis, regionis eius opes necnon principis, ac regis locupletissimi, nostris haud innotescerent. Igitur di-

A tur digredientibus nobis illi remanserunt, aientes in urbē Sanam redire uelle. Nos uero conscensa liburnica, uersus urbem Cyromandel nomine uelificamus. Inter nauigandū moderator nauis memorabat circum insulam Gyaua Taprobanamq;, Sumatram ipsi appellant, supra septē mille insulas fore. Vbi urbi Malachæ appulimus, comes meus tantū aromatum sericiq; ac odoramentorū emit, ut circiter quina millia aureorū exposuerit. Ad urbē enim Cyromandel nō prius peruenimus, quàm itinere quindecim dierū peracto, ibi liburnicam exonerauimus, uigintiq; dierum absumpta mora, conducta alia liburnica, ad urbē Colon tandem peruentū est: illic nempe supra uiginti ac duos Christianos è Lusitania oriundos offendimus: quibus uisis fugam meditari cœpi, contempta tamen eorū paucitate, desiij pedem struere. Huc etiā accedebat, quòd aderāt nōnulli negociatores Mahumetani, qui nouerāt me uidisse Mechā, Mahumetisq; corpus: ob id uerebar, ne si fuga arrepta illic discessissem, suspicarentur illi ob id solum me abiisse, ut eorum aperirē hypocrisim. Tamen intra duodenos dies uecti flumine itinere dierum decem, ad urbem Calechut tandem aliquando rediimus.

De urbe Calechut. CAPVT XXXII.

POst multiplices uariasq; peragratas regiones, uti classico beneuoloq; lectori in superioribus abunde innotuisse arbitramur, tum ob multiiugam cœli clementiam, & rursum eiusdem aliquando incredibilem intemperiē, ut haud difficulter concipere possunt, qui peregrinationibus affuere, tum uel maxime ob populorum efferatissimos mores, inhumanamq; sæuitiam, iam pertesi peregrinationis, memoratis causis fastidium parientibus, tandem aliquando gradum referre decreuimus. Quæ uero redeunti mihi, usu euenerunt, paucis expediam, ne prolixior sermo lectori fastidium pariat: conducet enim denarranda multifariam mortalibus, quando certe hoc exemplo cohibebunt cōplures uoluptates suas, qui nimio plus quàm satis uisendi orbis de-
B siderio ardent. Quòd si monitis nostris minus obtemperabunt, illud saltem denarrantibus nobis discent, quonam modo peragraturi orbem se gerere debeant in euentis præcipue presentaneis, ubi acriore opus est ingenio. Itaque regressi iā ad urbē Calechut, illic duos Christianos nacti sumus ex urbe Mediolano oriundos, ut paulò antè meminimus, alteri Ioanni Mariæ, alteri Petro Antonio nomē erat, hi Mangones erant, è Lusitaniaq; emendorū monilium gratia dato ab rege negotio soluerant: quū enim ad oppidū Coccin deuenissent, in urbē Calechut protinus diffugerūt. His uisis, tanta sum affectus lætitia, ut maiorē nunquā ceperim uoluptatē: nudi enim incedebamus cultorum instar. Percunctari propterea eos cœpi, essent'ne Christiani: sciscitanti mihi cōdicto Ioannes Maria respondit, se quidem Christianū esse: tum Petrus Antonius ad me conuersus infit: Et tu es'ne Christianus? Cui ego: Sum equidem in summi optimiq; dei gratiam. Quo dicto manu me apprehensum in ædes suas humanissime me duxit, eoq; ut peruenimus, ruit in oscula & fletus maximos, nec me amplexando satiari quibat: ego uero uix patrii sermonis meminerā, uidebarq; balbutiens, ac lingua impeditiore: quippe qui iam annis quaternis aliæ linguæ, ipsi barbaræ diutius assueuerā, minusq; interea Christiani cuiuspiam usus eram cōtubernio: cōquieui proxima nocte secū, uerū ob conceptam lætitiam nemo nostrum somno indulsit, minusq; epulis: adeò enim quisq; nostrū mutuo fruebatur gaudio, ut eam noctē tridui spatio propagari uoluisset. Inter cætera uero quæ eos percontabar, id in primis ab eis sciscitatus sum, essent'ne in paucis regi Calechut chari: at illi, Sumus, inquiunt, apud regē plurimi, maioreq; in pretio esse nequimus, eoq; familiarissime utimur. Addidi etiā quid nam destinauissent animo: rursum illi: Cupimus profecto in patriam redire: sed quo nam modo id cōsequi possimus, nos plane fugit. Quibus ego: Redite inquā eà quà uenistis. Tunc illi: Illud sanè perarduum est, quoniam Lusitanorū perfugæ sumus, ad timorem præsertim accedente, quod innumera propè tormēta auspiciis regis Calechut, nō spon

te tamen fabricati sumus: propterea non est inanis timor noster, quandoqui dem nobis timemus, ne mali quippiam nobis contingat, quũ præcipua classis Lusitanorum iam iter ingressa, breuiq; affatura dicatur. Ad hæc respondi, si munere deorum consequi possem, ut tandem aliquando clanculum classe Lusitanorum appulsa, ad urbem Canonor nomine diffugerem, me haud difficulter à præfecto classis impetraturũ pro desertoribus ueniam. Adijciebant etiam illi ob id quod famigerati essent admodũ, fabricandisq; tormẽtis percelebres, futurum ut alià euadere nequirent, nisi eà quà prædictum erat, cum pluribus regibus eorum uestigia obseruantibus: adeò enim tanti opifices huiusmodi habebantur, ut pluris esse nequirent, propterea fugæ spem esse nullam: nam supra CCCC. tormenta, si uastiora minimaq; recenseas, fabricati sumus. Ob eam rem Lusitani sunt nobis magnopere formidolosi, pauemusq; plurimũ, ne cõmissorum luamus quandoq; pœnas: nec id ab re, quoniam nõ iniusti timoris suberat causa: nam præterquam quod fabricati fuerant propè innumera tormenta in maximam Christiani nominis iacturam, cultores etiã idolorũ artem memoratam docuerant, uibrandiq; ac exonerandi tormenta quindenos homines, quibus id munus à rege delegatum erat, in diuini nominis contumeliam docuisse dicebãtur. Per id tempus enim quo illic agebam, coràm uidi memoratos Christianos dedisse cuidam idolorum cultori archetypum, quo tormentũ ex ære fabricari posset tantæ magnitudinis, ut capax quinq; ac centum cantarorum (id est mensuræ genus) foret. Agebat etiam illic Iudæus quidam, cui liburnicam elegantissimã quaternaq; tormenta ex ferro fabricatus fuerat. Is dum lauandi sui gratia ad flumen quoddam perrexisset, forte nõ sine nutu deorũ aquis immersus pessum iuit, uitãq; efflauit. Sed iam ad Christianos redeamus, nouit mehercle deus optimus maximus, quo conatu ab dictis Christianis contenderim, ne post hac in sancti nominis contumeliam sanctorumq; fidelium dedecus ac detrimentum maximũ tormenta huiusmodi fabricare uellẽt. Quũ hæc referebam Petro Antonio, ubertim lachrymæ erumpebant. At Ioannes Maria, cui pertinacius forte hæserat, in patriam redire nolle, aiebat nihil pensi se habere, ubi illic, uel in urbe Roma rebus eximeretur humanis: nosse deum quid de se decretum foret. Quare postridie socium meum uisum redeo, qui non absq; querelis ac lamẽtationibus me excepit, quippe qui rebatur ob diuturniorem moram è uiuis me decessisse: ego uero finxi me pernoctasse in delubro quodam, Moschitam ipsi appellant, ut deo ac Mahumeti, quorum in me complura extabant beneficia, gratias agerem: quare uisus est comes meus huius rei magnam cepisse uoluptatem: ut uero attentiore animo, cõmodius'ue cultorum mores explorare possem, comiti meo insinuaui noctu delubrum incolere uelle, opesq; ac diuitias floccipendere, esseq; inopiæ amantem plurimum: nam noueram fugam meditando aptius illis imponere non posse, quàm ut simularem me esse sanctũ Mahumetanum: propterea ut huius sanctitudinis fidem facerem potiorem, in propatulũ carnibus uesci nusquam uolui, uerùm clanculum ac silenti nocte apud Ioannem Mariam gallinas epulabar singula nocte quaternas: temperabamq; à congressu negociatorum, agelastos, id est, non ridens ex composito factus eram, perdius delubrum incolens, nec illic abibam nisi uocatus à comite, qui miseratus abstinentiam meam (sic enim rebatur) creberrime me increpuit, quod carnibus nõ uescerer. Ad hæc ego respondebam, epulas ganeatasq; dapes ueneris aliorumq; peccaminum esse fomenta: quare effeci hac hypocrisi, ut opinione probitatis ac abstinentiæ me illic sanctior esset nemo: argumento, quòd nihil magis in uotis, imò supra uota cultores gerebant, quàm ut manus aut genua mea deoscularentur.

De aduentu liburnicarum regis Lusitanorum ad urbem Calechut.

CAPVT XXXIII.

EPulanti mihi apud comitem meum, ecce Persæ gemini negociatores urbis Canonor à comite meo hospitio recepti, comiterq; inuitati, dixere habere

A bere se nescio quid sinistri, quod in mediũ proferrent. His uerbis excitus comes meus, quid, inquit, audio? Tunc Persæ, Aduenere duodenæ Lusitanorũ Liburnicæ, easq; coràm conspicati fuimus. Tunc comes meus: Quinam sunt mortalium? At Persæ, sunt, inquiunt, Christiani loricati albicantibus armis, qui munitissimam arcem ac propè inexpugnabilem in urbe Canonor erigere cœperunt. His auditis comes meus ad me conuersus: Heus Ludouice, qui mortales sunt hi Lusitani? Cui ego: Oro uos, ne huius gentis mentionem mecum faciatis, quando certe constat gentẽ huiusmodi latrociniis ac maritimis excursionibus ceu piratas usquequaq; uacare, ob id aueo plurimum eos aliquando Mahumetis sacris initiari. Huius rei pœnituit socium meum, cuius ego magnam capiebam uoluptatem, lætabarq; plurimum hos aduenisse.

Quomodo medici officio illic fungebar. CAP. XXXIIII.

VSu euenit aliquando, ut negociator Mahumetanus ex urbe Calechut oriundus, pergraui ægritudine adflictaretur, aluumq; haberet insolutam: & quoniã comite meo is familiarissime utebat̃, ac deterius indies se haberet: comitẽ meum monuit, ut iure cõiunctionis, si quid præsentanei remedii nossem, quod languorẽ leuare quiret, illud afferret in medium. Ad hæc respondit comes meus, se iturũ ad ægrotũ quamprimũ: quo uiso (me enim secũ languentẽ uisum duxit comes meus) quæ causa, inquit, condigna serenos fœdauit uultus, quur hęc tristia cerno? At ille: Languori stomachi, inquit, crudelẽ in modũ urgeor, aluumq; soluere nequeo. Cui comes meus: Alges'ne forte? Rursus languens: Minime, inquit, quando certe usq; in hanc diẽ algoris sum prorsus expers. His auditis, cõuersus ad me comes meus: Heus, inquit, Ludouice, nosti'ne antidoti quippiam aut pharmaci nõnihil, quod languorẽ huic meo charo leuet? Cui ego: Erat quidẽ parẽs meus medicus, uerum in patria, didiciq; solo experimento doctore eo nonnulla. Tunc comes meus: Oro te propterea Ludouice, ut si quid comperti habes quod languori cõducat, proferas quamprimũ in amici huius mei gratiã. Ego uero lingua eius gentis uer- (B) ba quædã protuli, languentisq; manu apprehensa, pulsum attrectare cœpi, is est enim ægritudinis plerũq; index: cognoui propterea maximis hominem detineri febribus, percũctatusq; sum eũ, doleret'ne caput? At æger: Dolet quidem uehementer caput meum. Et rursum ego: Soluis'ne pro libito aluum? Tũc languẽs: Iam triduo eã minime exoneraui. Hoc audito comes meus, refertũ, inquit, bile hic stomachũ forte ob nimiam ingluuiem habet. Opus est propterea clystere ad egerẽda excremẽta. Tum æger: Agite ut lubet, inquit, modo sanescã. His intellectis, clystere expedito saccaro ouis ac sale mixtis, additis herbis nõnullis, quæ, ut arbitror, officere citius quàm cõducere languẽti debebãt, nã folia erant iuglandiũ: quare nocte ac die una quinis clysteris excremẽta egerere frustra tẽtaui, aluo obdurata nimis reluctante, officientibus herbis, eoq; discriminis ęgrũ adduxi, ut me iam cœptę prouincię pœniteret, in contrariũ cedente antidoto. Vt tamẽ consulerẽ languenti, cepi rursum amphorã succi herbæ cuiusdã, oleoq;, sale ac saccaro inditis, rursum mollire uentrẽ conor: uerũ nouissimus error prior peiore fuit: quoniã decoctionẽ haud calefactã aluo languentis indidi: pedem tamen ægri fune alligaui, ut imposito clystere, capitiq; ac manibus innixus reliquum corpus pensile haberet, me fune pedes ægri suspendente, adq; horæ spatiũ uel inuitũ ægrum nobis in superiora pertrahentibus. His uisis comes meus infit: Heus Ludouice, apud uestrates dum prospectum iri languentibus cupiunt, utuntur'ne hoc antidoto? Cui ego: Vtuntur quidem, sed quũ ferme sunt deplorati. Tunc comes meus quasi subridens: Quadrat, inquit, id remedium quo suspensum tenes hominem, ut euanescat decidatq; demẽtia uiri. Succlamabat interea infelix æger, lingua patria aiens non plura: Sat ac super habeo, animam iam efflaui. Nos uero miserum languentem hortabamur, ut tolerantius ferret antidotum, futurumq; breui ut incolumis fieret. Quo dicto mirabilem in modũ soluta est aluus instar scaturientis fontis. Ob id haud mora, demisimus fune suspensum;

Pulsus

Pharmacacienda aluo accommoda

sum, tantumq; egessit excrementorum, ut trullam implere quiuisset. Lætabatur propterea soluta aluo hilarem in modum æger, magnaq; afficiebatur uoluptate. Postridie uero huius diei febrium ac grauedinis capitis, stomachiq; languoris iam expers, crebrius solito aluum laxabat: uerum postero die cœpit dolere latera: quo uiso, butyro bubalo accepto ungi iubeo hominem, capinaq; sindone uinciri: addidiq;, si pristinam incolumitatem recipere auerent, operæpretiũ esse, idq; in primis fore obseruandum, ut bis tantum in die comederet: nec prius id mane faceret, quàm ad primum fermè lapidem commeasset. Tunc ille: si, inquit, animo destinauistis, ut bis tantum in die cibum capiam, emoriar quamprimum: quippe qui octies aut decies epulari hactenus consueui. Propterea sibi perarduum uidebatur ea subire, quæ recipiẽdæ sanitatis gratia imperabantur: conualuit tamen mea opera. Ob id cœpi esse in magno extimatu apud omnes, in pretioq; erat mea hypocrisis, passim'que me Dei amicũ esse dictitabant. Pro qua re denos aureos mihi exposuit: ego tamen renui id pretium recipere: quinimo ternos auri nummos quos habebam, inopibus erogaui, idq; ex composito egi clanculum, ut perspicuũ foret omnibus, me opum haudquaq; amantẽ esse. Hoc facto eò loci apud omnes eram, ut quisq; pro summo pretio duceret me domi habere conuictorẽ, perbeatusq; uidebatur is, qui pedes manusq; meas deosculari potuisset. Et ubi munus populus deosculandi mei exequebat, condiebam mira grauitate mores, caperataq; fronte quasi quispiam è cinctis Cethegis, uel Socratico quopiam censore, præ me ferebam miram sanctitudinẽ, ut intellectum illis esset, quæ mihi exhibebantur officia, ea pro meritis exhibita esse. Iuuabat opinionem huiusmodi comes meus, cui impositum à me ibat: nam rebatur ipsi me nusquam carnibus uesci, idq; ex professo uulgabat, addens uidisse me apud Mecham Mahumetis corpus uisentẽ: & ut fidem dictis adstrueret maiorem, denarrabat populis se nosse mores meos, fuisseq; me suorũ itinerum usq; comitẽ, esseq; me proculdubio sanctum: rursumq; addebat, se hac sanctitudinis opinione, & morum dignatione adductum, ut mihi neptem suam iure matrimonij iungeret. Quare hoc buccinatore in ore omnium multus eram, à cunctisq; dilectus mirabilem in modum. Inter hæc singulis noctibus clanculum Christianos memoratos conueniebam: de quibus aliquando accepi, duodenas Lusitanorum naues urbi Canonor appulisse. Quo audito ratus sum tempus aduenisse, à superisq; oblatam esse euadendi occasionem: ob id octonis diebus undequaq; diffugiendi aucupabar opportunitatem. At negociatores in rem meam esse dicebant, ut terrestri itinere abirem illinc. Verum ego mihi timebam magnopere, uerens ne in Mahumetanorum manus inciderem, prodente me albicante colore.

Hypocrisis

A

B

Quomodo Mahumetani ad eorum delubra concire solent populum.

CAPVT XXXV.

POstridie eius diei Mahumetani omnes in delubro orandi gratia conuenere: conuocandi enim populli ad eorum prophana (ne sacra dixerim) hunc morem seruant. Sunt quidem innumeri huiusmodi præfecti, nonnulli qui editissimam delubri turrim conscendũt, interdiu ter uel quater æris campani uicem supplentes, uoce sublatissima inclamant populum, ut ad orationem agendam protinus in delubro adsit: alteramq; aurem digito obstruentes, hæc sermone patrio profantur: Alla u eccubar, id est, deus est magnus. Et rursum: Deus est magnus, uenite ad delubrum, uenite ad delubrum. Et item: Venite deo gratias acturi, uenite deo gratias acturi, deus est magnus, deus est magnus, deus fuit, deus erit, Mahumetes dei nuncius resurget. Duxerunt me igitur in delubrum, precibusq; contendebant, ut deum pro Mahumetanis exorarem. Quod abs me factum est publicitus, ut continuo intelligetis.

De modo orandi apud Mahumetanos. CAPVT XXXVI.

SIc enim ea gens orat, habetq; ut nos quotidianas orationes, quibus summum deum appellatione patris nostri, diuamq; uirginem Mariam plenitudine

A nitudine gratiarũ dignantur: nam Mahumetani in ordine expositi præfante sacerdote iam loti in quendam modum, quo & ego usus sum, lingua patria orant. Itaq; astante frequenti populo, ne proderẽ Christianos mores, eadem oratione sum usus. Demũ rediens ad comitẽ meum postero die simulabam ægritudinem: nam circiter octonos dies temperaui à cibatu omni, assistente comite meo: uerùm noctu prodibam semper, apud Christianos cibum sumpturus. Afficiebatur huius rei maxima admiratione comes meus, meq; percunctabatur, quænam inediæ huius causa esset. Cui ego respondebam, affligari me insidiosissima grauedine capitis. Tunc ille: Vnde hoc domine mi? At ego, arbitror, inquam, cœli inclementiã id effecisse. Ad hęc comes meus: Si, inquit, insalubris est hic aër, tibiq; officit plurimum, abi hinc, inquit, & ad urbem Canonor te recipe, donec redeamus in Persida: cõmendabo enim te de meliore nota negociatori cuidam, cum quo magna mecum intercedit amicitia: is mea causa te ita honorifice excipiet, perhumaneq; tractabit, ut nihil quod ad officium pertineat desiderare possis. Respondi ego id me sponte futurum, quod in gratiam meam tam amice pollicebatur: sed uereri me plurimum, ne quid nocumenti inferrent Christiani, qui illò appulisse dicebantur. Tunc ille: Non est cur paueas, quoniam ab urbe nunquam digrediere. Quare exploratis eorum moribus, conspectaq; classe barbarorum; quæ constiterat apud urbẽ Calechut, inspectisq; tormentis, ac lustrato exercitu, quæ ituri in Christianos cõparauerant, duxi soluendi illinc iam tempus appetere: quare inde abiens iter sum ingressus, monuiq; Christianos, si quid comperti habebam, mihiq; consului, ut tandem aliquando horũ canũ euaderem manus.

De dexteritate qua sum usus ut illinc abirem. CAP. XXXVII.

IGitur pridie quàm illinc discesserim, omnia Christianis memoratis reserauí. Interea comes meus duobus Persis me tertiũ accedere iussit: propterea simul actuariam nauim conduximus. iamiam compertũ habebitis, quidnam
B aperti discriminis subierim: agebãt enim illic circiter quatuor ac uiginti negociatores, si Persas, Syros, Turchasq; percenseas: ij me nouerãt diligebãtq; plurimum, ac intelligebant quantum Christiani præstarẽt ingenio, gerendarumq; rerũ dexteritate: nam quasi in biuio curarũ positus angebar utrinq;: si enim commeatum abeundi petijssem, uerebar ne suspicarentur uelle me dilabi ad Lusitanos: si uero hospite insalutato abijssem, timebam ne retractus à fuga rationem à me exigerent posthabitæ amicitiæ: propterea lupum tenebam auribus, interq; sacrum & saxũ positus, quidnam acturus essem nõ satis sciebam. Destinaui tamen animo, huius uoti mei præter comitem meũ certiorem facere neminem. Ob id ea die quæ Ioui est dicata, pridie Nonas Decẽbres, comitibus Persis duobus mare ingressus abij: uixq; nauim ad arcus iactum duxerant in altum nautæ, quum mox quaterni cultores, quos Naëros appellant, nauis moderatorẽ inclamare cœperunt. Quibus exauditis litori protinus appulimus. Quò ut peruenimus memorati cultores percunctabantur uectorem, cur rege inconsulto me abducerent. Ad hæc Persæ: Is qui nobiscũ Mahumetanus uehitur, moribus est sanctissimis, ad urbemq; Canonor contendimus. Tunc illi: Nouimus quidem hunc Mahumetanum miraculis clarescere: uerùm quia Lusitanorũ doctus est linguam, subueremur ne gentis nostræ arcana Lusitanis aperiat: docebit enim eos classem hic comparari in eos maximam: ob id imperarunt nauis moderatori, ne me de cætero ueheret. Paruit ille imperatis, meq; in litus expositũ deseruere. Cultores uero quos memoraui, dilapsi sunt ad regem. Quo uiso, alter Persarum: eamus, inquit, ad urbẽ Calechut. Ego uero inquam: Nolite illuc proficisci, quoniam iacturã huius mercis (ferebamus enim ex splendenti byssino telas) subibitis: quandoquidem regi uectigal minime pendere uoluistis. Tunc alter Persa: Quid igitur domine agemus? Cui ego: Proficiscamur litus sequentes tantisper, quoad actuariam nauim, quæ parao eorum lingua dicitur, comperiamus. Idcirco ut ita nobis cõsuleremus, inter nos cõuenit. Quare ingressi iter sarcinu-

sarcinulis nostris onusti, spatio duodecim mille passuum in litore oberrauimus. Quid tunc haberē spiritus, quem'ue animū despondissem in summis positus angustijs, relinquo in medium prudentiori dijudicandum lectori. Tandem deorum munere cymbam offendimus, qua uecti sumus in portum Canonor urbis: eò etenim uesperi appulimus in die sabbati. Appulsi illico literas comitis mei negotiatori cuidam, ad quem in mei gratiam ipse scripserat, reddidi, tenoris fermè huiusmodi: Exciperet me tamdiu, donec eò contenderet: addens, si quid officij mihi interea ab se collatum foret, id totum sibi adscripturum esset: me insuper uirum sanctitudine clarum, sibiq; arctissima necessitudine coniunctum. Quare negociator perlectis literis eas capiti imposuit: Eris, inquit, per hoc caput hic tutò, moxq; imperauit ut cœna splendide apparateq; instrueretur: nam inter cætera fercula allatæ sunt etiam gallinæ ac columbi complures. Persæ uero conspectis gallinis: Heus, inquiunt, quid nam agitis? hic carnibus minime uescitur: propterea instructæ sunt aliæ dapes, quibus uesci consueueram. Postquam igitur est exempta fames, amorq; compressus edendi, ad me conuersi Persæ: eamus, inquiunt, animi causa uersus mare. Quo dicto protinus eò contendimus, ubi Lusitanorū naues in ancoris stabant. Expendat nunc animo attentiore auditor quisq;, quanam sim tunc uisis Lusitanis lætitia uoluptateq; incredibili affectus. Progressus nonnihil cōspicatus sum in uestibulo despicabilis casæ terna dolia: qua coniectura sum assequutus, id tugurium Christianorū esse. Quare introspiciens nonnullos uidi Christianos: quibus uisis quasi decreui intrò ad Christianos me recipere: uerū rem attentiore animo expendens, existimaui si id in propatulum egissem, futurum ut tota fermè urbs tumultuaretur, uotisq; ob id meis minime potiri quirem: propterea obseruaui locum ubi Christiani arcē construebant, decernens illò postridie me recipere.

Quomodo ex urbe Canonor dilapsus sum ad Lusitanos.

CAPVT XXXVIII.

Postero igitur die (domino enim ea dies dicata erat) prima luce consurgēs finxi me animi causa spatiatum ire uelle: tunc comes meus, i quò libet: ego uero eò perrexi quò me ducebat animus. Tandem ad arcem Christianorum perueni. Verum digressus à comitibus meis, quum iam nonnihil litoris mensus essem, Christianos duos oriundos ex Lusitania obuios habui, hosq; lingua Hispanorum sum percunctatus: Vbi, aio, ô domini, est arx Lusitanorum? Tunc illi: Es'ne tu aiunt, Christianus? Quibus ego: Sum quidem ad Dei laudem. Rursum illi: Vnde uenis? At ego: Ex urbe Calechut profectus sum. Tunc alter eorum comiti meo dixit: Redi tu ad ædes nostras, quoniam hunc uirum ad dominum Laurentium (is natus erat eius, qui regis uicaria opera fungebatur) sum equidem ducturus. Igitur ductus sum ad arcem, quæ ab urbe quaternis abest stadijs: nam per id horæ princeps discumbebat. Quo uiso protinus in terram procidens orare eum cœpi demississime quàm poteram, ut me commendatum habens, quoniam Christianus eram, assereret è barbarorum manibus. Quanta tunc sim affectus lætitia, referre satis nequeo. Vbi uero fuga mea cultoribus innotuit, tumultuosius illico agere cœperunt. Propterea acciti sunt tormentorū opifices, ut expedirent tormenta, ne si forte fortuna frequēs populus oppugnatum arcem aduentasset, incauti reperirentur, quasi nihil tale metuentes. Resedit tamen haud multo post exuscitatus furor, cunctaq; pacatius iam agebantur. His intellectis, præfectus classis manu me apprehensum in aulam quandam ducens, quidnam cultores Calechut struerent, quid ue in Christianos molirentur, tridui spatio uoluptuosius percunctabatur. Ego uero amans Christiani nominis, cupiensq; illis prospectum iri, cuncta reseraui præfecto classis, certiorem'que effeci principem eorum omnium, quæ in urbe Calechut aduersus Christianos parabantur. At præfectus classis arcanorum gentis, me prodente, iam factus callentissimus, me triremi uectum misit ad proregem paren-

A parentem eius, qui apud urbem Cucin consederat: triremi enim præfecerat rex equitem quendam, cui Ioanni Saranno nomen est. Itaque parens uice rex, ut me uidit, fronte excepit serenissima, comissimeq; me accipiens: nam & hunc monui certioremq; reddidi omnium, quæ moliebantur cultores urbis Calechut. Addidi etiam ad hæc, si fide publica proposita esset impunitas illis Mediolanẽsibus, Ioanni Mariæ uidelicet, ac Petro Antonio, qui tormentis fabricandis operabantur, nauaturum me operam ut ad Christianos redirent quamprimum: quando certe exploratum habebam, eos id munus mihi me ultro subire: idq; solum opperiri Mediolanenses, ut commeatum illo accedendi impune impetrarent. His auditis præfectus triremis ex denarratis magnam cepit uoluptatem, postulatisq; assensus est: interpositaq; fide publica prædem se constituente uicario, commeatum impetraui, intraq; triduũ ad natum eius, qui in urbe Canonor constiterat, literis datis me remisit, monens hominem, ut tantum auri erogaret mihi, quantum soluendis exploratoribus pro accessu urbis Calechut sufficeret. Itaque illinc soluens ad urbem Canonor redij, ubi sum nactus idolorum quendam cultorem, qui coniugem natosq; charissima pignora oppignerauit, ut sibi perferendarum literarum ad urbem Calechut, id est, ad Ioannem Mariam, Petrumq; Antonium munus delegarem: continebant enim literæ huiusmodi, propositam esse ambobus à prorege impunitatem, impetratumq; esse accedendi tutò commeatum: nam crebrius supra quinas uices ad memoratos Christianos ultro citro'que nuncios misi, monens homines ne cuiquam fiderent, scortis præsertim ac mancipio: nam quisque eorum pellicem, & ex ea natum mancipiumq; domi alebat. Rescripsere tamen ultimo loco ad me in hunc ferme modum: Se quicquid fortunarum habebant, exploratori quem illò miseramus, dedisse: item propterea cum quinqueremi, & alia actuaria naui, qua piscatu uitam tra-
B hentes utebantur, desertis inibi custodijs ui numinum uenturos eos, familiamq; ducturos. Nos tamen memoratos Christianos monueramus, ut natis pellicibusq;, necnon mancipijs fortunisq; omnibus illic relictis, ad nos, con uectis tantum monilibus nummis'que, haud mora contenderent: nam ij adamantẽ percelebrẽ habebant, utpote pondo duorũ ac triginta characterum, unicum propè opus naturæ. aiebant enim adamantes huiusmodi non minoris quàm quinque ac triginta mille aureis uenire debere. Habebant præterea margaritam pondo quatuor & uiginti characterum, bina'que millia pyroporum, quorum alij pondo characteris unius, alij characteris ac medij. Insuper sexaginta quatuor condalia, uarijs monilibus insignita habebant. Item quadringentos ac mille aureos. Visi sunt etiam digressuri asportare uelle septena tormenta, ternos cercopithecos, binosq; feles, qui id unguentum quod zibellum appellant, gignunt. Item tornum, quo gemmæ ac monilia mangonizantur, expoliũtur'que: quę omnia causam interitus infelicibus attulere: usu enim euenit, ut eorum mancipium resciuerit discessuros Christianos: ob id omnium regem Calechut certiorem fecit: & relatis rex uix fidem adhibere uelle uidebatur: tamen quinos prætorianos milites, quos Naëri appellant, misit ut explorarent an uera relata forent. At mancipium intelligens regem mitius cum Christianis acturum, præfectum fidei Mahumetanorum (Cadi dicuntur) adiuit, & eadem exposuit, quæ ad regem detulerat: id plus addens, Christianos arcana gentis Lusitanis aperuisse. His intellectis, præfectus fidei per speciem consilij adhibendi, Mahumetanos omnes, negotiatores præsertim accersit: qui corrogatis centenis aureis, regem Gioghi, qui per id tempus illic agebat, nummis huiusmodi donarunt, eumq; in hunc modum alloquuntur: Nosti princeps, superioribus annis quum huc accedebas, nos honoratiore splendidiore'que apparatu, quàm in præsentiarum tecum egerimus, te excepisse: forte diminuti honoris causa te latet. Huic rei occasionem dedere hi gemini Christiani, nostræ fidei hostes acerrimi, qui Lusitanos eorum omnium quæ hic aguntur, certiores reddunt. Propterea abs te

suppli-

ſupplicibus uerbis cōtendimus, ut acceptis centenis aureis, hos Chriſtianos A
protinus confici iubeas. Quibus auditis, rex Gioghi illico occidendi Chri-
ſtianos memoratos ducentis hominibus munus delegat, qui ſubeuntes re-
gis imperata, deni ac deni ceu cornicines ædibus Chriſtianorum appellere
cœperunt, quaſi per ſpeciem petendæ ſtipis. Verum Chriſtiani ubi conſpi-
cati ſunt frequentiores homines propius ad ædes accedere, ſuſpicati ſunt a-
liud quàm ſtipem eos quærere. Propterea arma cōdicto expediunt, acceden
tesq; ſubmouere cœperunt: & dum è proſpectibus eminus pugnant, ſenos
conficiunt homines, ac ſupra quadragenos conſauciant. Tandem ij, quos
Gioghæ appellāt, funda fibrarunt ſagittas ex ferro obrotundas peltæ inſtar.
Quare ambo icti ſunt: alter, id eſt, Ioannes Maria in capite: Petrus uerò An-
tonius in fœmore uulnus excepit adeò atrociter, ut uterq; corruerit. Quibus
uiſis qui illò conceſſerant, accurrêre quamprimū, inciſisq; iuguli uenis, con-
cauis manibus ſanguinem Chriſtianorū hauriebant. At pellex Ioannis Ma-
riæ natum ferens in urbem Canonor dilapſa eſt. Hunc natum octonis aureis
emi, ſacroq; latice aſpergi iuſſi, Laurentij indito nomine, in diui Laurētij gra
tiam, quoniam ea die, quæ ſancto huiuſmodi dicata eſt, ſacro fonti immerſus
eſt: uerùm intra annum ęgritudine Gallica correptus, animam egit. Noueri-
tis etiam id genus morbi peragraſſe fermè orbem totum: quippe quod ultra
urbem Calechut ad quadringenta millia paſſuum, coràm ego conſpicatus
Pua ſum humanum genus inficiens irrepſiſſe in gentes innumeras, Puam ipſi ap-
pellant, aiuntq; ſupra ſeptimum ac decimum annum id morbi ſæuire in mor
tales haud cœpiſſe: eſtq; is morbus noſtris ægritudinibus multo inſidioſior,
longé que atrocior.

*De claſſe urbis Calechut, deq; memorabili Chriſtianorum cum Mahumetanis pugna, qua Lu-
ſitani fortitudine incredibili hoſtes uicerunt, rege Canonor ipſis uictoriam
congratulante.* CAPVT XXXIX.

IGitur anno à partu Virginis quingenteſimo ſexto ſupra milleſimū, quar- B
to Idus Martias perlatum eſt ad nos, memoratos Chriſtianos occubuiſſe.
Eadem die ab Calechut, Pauam, Capagot, Pandaram, & Trompatam clariſ-
ſimis urbibus claſſis ingens inſtructiſſimaq;, utpote octo ac ducentarum na-
uium ſoluit. Harum quatuor ac octuaginta naues onerariæ erant: reliquæ ue
ro remis more liburnicarū agebantur, parao appellant. Vehebat claſſis pro-
pe innumeros Mahumetanos, purpureis ex byſſino goſſipioq; refertis ueſti-
bus amictos. Gerebant item apices xylo fultos: honeſtabant item armillæ la
certos, chirotecisq; xylo refertis manus tegebantur: pro armis, arcubus lan-
ceis, enſe ac peltis, necnon omne genus tormentis more noſtro utebantur.
Quare Idibus Martijs ſic inſtructam claſſem conſpicati ſumus: qua conſpe-
cta tanta erat nauium frequentia, ut eminus condenſiſſimum nemus, malis
ſupra nauim eminentibus, referret. Nos tamen ſperabamus ſuperûm nō de-
futurum auxilium, planiſſime credentes ui numinum peſſum ituros Sarrace
nos, noſtræ fidei hoſtes truculentiſſimos. Quare ſtrenuiſſimus eques claſſis
præfectus, natus clariſſimo domino Franciſco Dalmeda prorege Indiæ, qui
inibi undenis nauigijs moderabatur, comite præfecto noſtro, ubi robuſtiſſi-
mam hoſtium manum uidit, memor priſtinæ uirtutis, claſſico milites omnes
Concio ad conuocat, eosq; in hunc fermè modum alloquitur: Meminiſſent Seruatoris
milites noſtri, ultro'que pro alma fide noſtra mentem ſubirent: principumq; ac fra-
trum appellatione eos dignans hortabatur, ut ad memoriam reducerent ad-
ueniſſe, inquiens, diem, qua irrogati cruciatus Chriſto meminiſſe deberent:
itemq; animo reuoluerent paſſum eſſe noſtrā cauſſā Chriſtum, ut aſſerti à ne-
xu peccaminum, diuino frueremur quandoq; conſpectu. Et rurſum: Hodie,
inquit, ſocij nobis facta eſt poteſtas comparandę æternitatis, oblataq; eſt oc-
caſio promerendi Seruatoris noſtri: delebuntur enim peccamina noſtra: ite
propterea alacres mecum, ſpiritu' que ampliore ſumpto occurrite hoſtibus,
hoſq; canes mactate: quandoquidem in manu futura eſt uictoria, fauēte cœ-
ptis

A ptis deo optimo maximo, cui de orthodoxa fide cura est potissima, neque feret unquã ut illa sit hostibus ludibrio. Interea sacerdos in editiore nauis loco positus, cruci affixũ seruatorem nostrũ Christianis omnibus identidem ostentabat, concionabaturque, exhortans ut mandatorũ dei meminissemus: locoque dei, ut solent nostri sacerdotes, nobis indulgens cõtritis corde reatus omneis dimisit pro fide Christi mox pugnaturis: Eia, inquit, filij mei ultro sponteque deo duce contendamus in hostes. Elicuit sacerdotis efficax sermo toti concioni uberiores lachrymas, effecitque ut quisque nostrũ in eo certamine in Christi gratiam occumbere aueret. Obiter Mahumetanorũ classis ingens in nos acerrime uela faciebat. Eadem die nostræ classis præfectus cum geminis liburnicis cõtendit in Mahumetanos acerrime, iuitque medius inter binas Mahumetanorum uastiores naues, exoneratis utrinque tormentis: id enim præfectus classis ea ratione fecit, ut hostiũ, & comprimis earũ nauium, quæ prætoriæ erant, trophæis ducũ id pręse ferentibus, uires experiretur: uerum ea die temperatũ est à certamine. Postridie uero eius diei prima luce Mahumetani uela uentis dantes in nos contendebant appulsuri urbi Canonor. Monuere tamen prius ducem nostrum crebro, ut sineret eos illò proficisci, quò animis destinauerant, addentes se minime cũ Christianis congressuros esse. Ad hæc præfectus classis respondit, meminisse Christianos uiolatæ olim fidei perfidiæque Mahumetanorum, quum ea gens nõ est passa Christianos ex urbe Calechut redeuntes, etsi fides publica data erat, illàc iter agere: tantumque abfuisse, ut fidẽ seruauerint Mahumetani, ut etiam septenis ac quadragenis Christianis confectis supra quaterna aureorum millia diripuerint: eà ob id transirent si possent, scituros eos, quales, cuius'ue pensi, necnon spiritus forent Christiani. Tunc Mahumetani his auditis: tuebitur, inquiunt, nos Mahumetes, fundetque Christianos. Quare uno impetu feruntur omnes in Christianam gentem furore incredibili traijcere conantes non longius à litore, quàm ad

B decem mille passus iter habentes. At præfectus classis ex composito tulit, ut hostes propius accederent, è regione urbis Canonor hostibus congressurus, ut conserentibus manum Christianis, rex urbis Canonor nostrorum uirtutis spectator esset & testis. Inter hæc sumendi cibum tempus appetebat. Quare præfectus classis iubet milites genio indulgere nonnihil: & ubi refocillatos sensit animos, classico monens eos: Eia, inquit, fratres, nunc operæpretium est, ut quisque se strenuum equitem, uirumque manu promptum explicet. *Prælium nauale* Quo dicto, haud mora, in duas ingentissimas naues onerarias impetum facit. Vix referre possim, quibus tubarum clangoribus nobis obstrepere inceperint, crepãtibus more eorum tympanis innumeris. Obiter præfectus classis hostem paruipendens, uastiori naui hostium onerariæ catenas iniecit, ut cominus pugnans hostes male acceperet. Mahumetani uero iactas catenas usque tertio reijciunt: uerum iactis rursum catenis, Christiani nauem corripiunt, inque correptam audacius transcendentes cuncta perturbãt: ferebat enim nauis supra sexcentum uiros. Quare conseruere manus omnes, atroxque prælium non sine maxima humani cruoris effusione initum est, eoque stragis peruentum, ut Mahumetani omnes occisione occubuerint: nullusque qui cladis acceptæ nuncium ferret superfuit. Potitus hac uictoria præfectus classis iruit in alteram Mahumetanorum nauem onerariam, quæ iam iniectis catenis cum Christianorum liburnica congrediebatur. Ibi acerrime pugnatum est: cecidereque eo congressu quingenti Mahumetani. Pessundatis his onerarijs nauibus, despondentes Mahumetani animos, in nostras irruere undenas liburnicas, maioreque eorũ frequentia eas diduxere, diductasque singulas quindenæ aut uicenæ ambiebant. Hic enituit pręfecti classis Ioannis Saranni strenuissima inclytaque uirtus, qui sola triremi Mahumetanis huiuscemodi stragem intulit, ut fidem omnem excedat: nam quandoque usu euenit, ut triremem memorati ducis circiter quingena nauigia, quæ remis aguntur, tormentis onusta admodum circumuecta, negotium tantum exhibere non potuerint.

fuerint. Tantum enim Chriſtianis deus optimus maximusq; fauit, ut in tota eorum claſſe Chriſtianorū nullus occubuerit, etſi faucij exceſſerint acie com plures. Pugnatum equidem eſt à mane uſq; ad ueſperam, noxq; prælium dire mit. Miro enim ordine pugnabant Chriſtiani, idq; operæpretium erat: nam quandoq; contigit, ut celox qua uehebar, nonnihil diſcreta à claſſe, in altum ducta occaſionem præſtiterit hoſtibus corripiendi Chriſtianos. Mox enim affuere quaterna Mahumetanorum nauigia, quæ circumuecta eam, acrius certantibus Mahumetanis, negotium ingens noſtris exhibuerunt, eoq; diſcriminis Chriſtianos adduxerāt, ut ingreſſis iam quindenis Mahumetanis celocem, iam noſtri perciti timore in puppim ceu in tutiorem locum ſe contulerint. His animaduerſis uir inſignis claſſis præfectus, cui Simoni Martino nomen eſt, ægre ferens tot Mahumetanos celocem ingreſſos eſſe, inſilijt in eam, uadensq; per canum rabidam caterua, Ieſu ſeruatoris inclamans celebratiſſimum nomen, precabatur uictoriam, precibus contendens ne fidei deeſſet orthodoxę, ſtrictoq; enſe ſupra ſenos Mahumetanos confecit. His autem perterriti Mahumetani ſeſe præcipites in pelagus dabant, alijq; alio, ut ſors tulit, dilapſi ſunt. Quare ut intellectum eſt Mahumetanis, Chriſtianos potitos eſſe uictoria, ducti uerecundia facti, continuo quaternas alias liburnicas prioribus ſuppetias laturas mittunt. Quo uiſo præfectus celocis actutū arripit dolia, ubi puluis tormentorum aſſeruari conſueuerat, indita depexa ſindone, ut ſic inſtructū dolium grandis tormenti formam effingeret, moxq; allato puluere ignitum torrem manu tenens, tormentum incendere ac exonerare uelle, ut pauorem ea re inijceret hoſtibus, præ ſe ferebat. Videntes hæc Mahumetani, rati uerum eſſe quod fingebatur, expedirique tormenta exiſtimantes, haud mora retroceſſere. Quamobrem dictæ claſſis præfectus ſuperato diſcrimine ad Chriſtianos ſe recepit: rurſumq; dux noſter irrumpens in hoſtes ſtragem intulit non mediocrem, correptis ſeptem liburnicis omne genus mercimoniorum onuſtis, uiq; tormentorum denis alijs celocibus peſſundatis, quarum una innumeros elephantes ferebat. Itaq; ubi Mahumetani conſpicati ſunt iam æquor corporibus Mahumetanorum ſtratum eſſe, captaſq; duas prætorias naues, nonnullaq; alia nauigia, protinus fuga ſibi conſulere cœperunt, alijs alio dilabentibus. At dux noſter uidens noſtros incolumes euaſiſſe, uberiores laudes deo dabat, hortabaturq; ut poſtquam uicerant uictoriam ſequi haud deſinerent. Quibus adhortationibus Chriſtiani audentiores facti, hoſtium terga conſectabantur, diffugientibus non aliter Mahumetanis, quàm ſi centum nauium claſſis inſequeretur eos. Certatum eſt diutiſſime, utpote à mane uſq; ad ueſperam: nec diremit pugnā nox, conſectantibus nocte tota Chriſtianis Mahumetanos. Quare fuſa eſt tota hoſtiū claſſis, incruenta Chriſtianorum uictoria. Inter hæc nonnullæ noſtrorum liburnicæ conſpicatæ ſunt in pelago errabundam hoſtium onerariam nauim in illam continuo uela facere: congreſſæq; nonnihil, tandem quum ſuperiores euaſiſſent, impetu in hoſtes facto, eò eos adduxere diſcriminis, ut coacti ſint omnium armamentorum in mare iactum facere, eodemq; ſe dare præcipites. Noſtri uero cum Neptuno luctantes, hoſtes eminus arcubus ac lanceis miſerandum in modum conficiebant, ob humanum cruorē pelago purpureum induente colorem. Inſequentibus Mahumetanos fluitantes pelago Chriſtianis ad ipſum uſque continentem, euaſere tamen peritia nandi hoſtiū complures, numero ferme ducentum: qui adeò nandi artem docti erant, ut æquoris ſpatium propè immenſum, utpote uiginti mille paſſuum, menſi ſint, urinantes quandoq;, nonnunquam ſupra aquas nantes. Fiebat propterea, ut falſo Chriſtianorum conſpectu quum urinabant, arbitraremur peſſum eos iuiſſe, ſupra iactum arcus ſubter aquas hoſtibus colluctantibus: nam conſectando eos ubi propius accedebamus, rati ſemineces eſſe, arma leto eos profus tradituri expediebamus. Illi uero rurſum fallentes uiſum noſtrum urinabant. Rebamur propterea id propè phantaſma eſſe, ſuſpenſiq; rei admiratione loco

ne loco

A ne loco miraculi id factum esse credebamus. Interiere tamen fere omnes ua/rijs excepti casibus, pessundata ui tormentorum oneraria naui. Postridie ue/ro eius diei classis præfectus celoces mittit triremesq; nonnullas, ut litori in/hærentes occisorum corpora percenserent. Quare iussu memorati ducis con numerata sunt hostium occisorum supra terna millia, si eos percenseas, quos pelagus in litus eiectauerat: si item illos adnumeres, qui in liburnicis Mahu metanorũ occubuerant. Periere etiam multo plures absumpti pelago, inse/quentibus in ipsam usq; tellurem Christianis. His conspectis rex Canonor uisaq; Christianorũ eminentissima uirtute, ceu amans gentis arctius eos di/ligere cœpit. Nec id ab re, uera enim fateri licet: interfui quidẽ sæpenumero creberrimis bellis, sed hac gente Lusitana fortiorem uidi neminẽ. Postridie eius uictoriæ redimus ad proregem nostrum, qui in Cucin urbe rei euentum suspensus opperiebatur. Quò ut est peruentum, adeò lætitia dux est affectus, rexq; ipse Lusitanorum suapte natura studiosus, tantum lætitiæ ex parta ui/ctoria præ se tulit, ut satis pro meritis id minime referre queã, ob immensum gaudium, uel cœlo ipso crepitantibus tormentis, ut assolet, reboante.

Quomodo iussu proregis ad urbem Canonor sum remissus.

CAPVT XL.

IAm tempus appetit, ut rebus expeditionisq; classis regis Calechut, quę ut præfati sumus, pessum ijt, modum faciẽs tandem aliquando ad res meas re/deam. Transactis itaq; ternis mensibus, is quem proregem appellamus, pro/curationis negociatorum munus mihi ad annum ac medium delegauit, fun/cto hoc munere, idem princeps meus potestatẽ mihi fecit conscendendi na/uim, quæ ad urbem Canonor proficiscebatur, eòdem contendentibus urbis Calechut cultoribus impetrato prius à Christianis illac transeundi commea tu. Falsò memorabant dicti negociatores, in urbe Canonor mercimonia ex/ercentes, urbis Calechut incolas moram trahere: ob quam causam princeps

B meus iussit me tantisper in dicta urbe morari, quoad in certissimam dictorũ negociatorum deuenissem notionem: uerum interibi usu euenit, ut rex Ca/nonor rebus eximeretur humanis: huic suffectus est rex Christiani nominis hostis acerrimus: nam ope ac diuitijs regis Calechut id regni consecutus e/rat: & ut cõmodius expeditionem in Christianos parare posset, mutuo illi concessit quaterna ac uicena tormẽta. Igitur M. D. VII. uigesimaseptima A/prilis cœptum est atrox bellum, nec prius sunt posita arma, quàm ea dies illu xerit, quæ est uigesimaseptima Augusti. Iam compertum fiet uobis, quanti sit habenda orthodoxa fides, cuius ue pensi sit gens Lusitanorũ. Dum itaque Christiani, ut assolet, aquatũ contendunt, aggressi sunt eò Mahumetani, la/trunculorum instar itinera obsidentes: quippe qui nos oderant quàm qui mã xime: uerùm gens nostra ubi uis apparuit, gradum retulerunt, in arcemq; se ceu in portũ tutissimũ receperunt: ob id adempta est Mahumetanis in Chri/stianos ea die sæuiendi potestas. Hæc ubi dux noster, cui Laurentio Britę nõ men est, resciuit, cõtinuo certiorẽ fecit proregẽ, qui in urbe Cuchin agebat. Quare dictus princeps Laurentius mox cum expedita liburnica laturus opẽ laborantibus affuit, transactisq; quaternis diebus, ad urbẽ memoratã redijt, cõmisso nobis negocio præliandi cum rabidis canibus. Numero nõ plures eramus ꝙ ducenti: alebamur enim oriza, saccaro ac iuglandibus: uerũ aqua rum in arce summa erat caritas: propterea operæpretium erat aquatũ bis uel ter intra hebdomadam ad fontẽ quendam, distantẽ ab arce ad arcus iactum, proficisci: quotiesq; illò aquationis gratia ibamus, manũ conserere cum Ma humetanis oportebat: nec nisi ferro iter aperiendũ erat, grassantibus atrocis/simeq; sæuientibus in Christianos Mahumetanis. Nec ea erat contemnenda manus, nõ enim nobis unquã congressi sunt, quin quatuor ac uiginti milliũ hominũ numerũ excesserint. Vbi uero freqũtiores nos correpturi aduene/re, supra quinquaginta hominũ millia arma expediuerũt. Pugnabãt ense, ar/cubus, lancea peltisq;, secũq; trahebãt supra centũ ac quadraginta tormenta:

Loricati erant instar cultorũ urbis Calechut. In hunc fermè modũ præliãtur: A
nam plures binis uel ternis millibus una acie nõ congrediuntur: priusq; cer-
tamen non ineunt, quàm omni fermè musicorũ genere pugnantium animos
demulcere cœperint, pręcedẽtibus exercitũ miro artificio excitatis ignibus:
tantoq; feruntur impetu, ut terna millia denis hominum millibus pauorẽ in-
credibilemq; formidinẽ inferre possint. Verũ Christiani suapte natura manu
promptissimi occurrebant hostibus, priusquam puteũ propius accederent:
neq; proximius quàm ad geminũ lapidis iactum ad arcem accedebant: sum-
maq; diligẽtia opus erat ambiẽtibus nos quaquauersum hostibus, suppetias
ferente Mahumetanis classe sexaginta nauiũ. Verùm Christiani adeò se ui-
ros explicuerunt, ut nunquam die singulo acie excesserint, quin ex hostibus
denos, quandoq; quindenos, aliquando uicenos confecerint. Sed iam stragi-
bus modum faciebamus, territis hostibus, strato iam cæsorũ corporum solo.
Ob id aliò Mahumetanis diffugientibus pauorẽ addidit ingens tormẽtum,
cui serpenti nomẽ est: quo exonerato, magna hominũ strages edebatur: nam
uno ictu machinæ circiter duodeuiginti Mahumetani interiere. In nos uero
inanes ictus uibrabant, è nostris occumbentibus nullis. Ob id rebantur ipsi
cacodæmona nobis subscribere, partesq; nostras tueri. Nec prius bello hu-
iusmodi modum fecimus, quàm quarto Calendas Septembris: tũc enim Lu-
sitanorũ classis aduenisse dicebatur, duce Tristano à Cugna equite strenuis-
simo. Quũ enim nobis innotuisset, classem Canonor urbi appulisse, mox du-
cem cõmonefecimus, nos acriori bello esse implicitos. Cuius rei gnarus pręe-
stans præfectus iussit classiarios milites arma expedire, missis actuarijs naui-
gijs, quibus tercentum loricati notæ audaciæ equites uehebãtur: quibus ap-
pulsis, ampliore sumpto spiritu, nisi obstitisset præfectus noster, incẽdio sub-
ijcere urbẽ Canonor parabamus. Obseruet nunc attentius quisq; sapiens le-
ctor, quo gaudio, quaùe lætitia affecti fuerimus, quũ suppetias laborantibus B
nobis tales tulit præfectus appulsæ classis: nam elanguerant militũ uires, tor-
pebantq; diuturniore labore animi, consauciatis præsertim fermè omnibus.
At Mahumetani ubi intellexere tulisse opem Tristanum nobis, fracti animo
pacẽ meditari cœperunt, hostilia iam horrentes. Propterea cuidam Mamal-
maricar nomine ingentium fortunarũ uiro, impetrandæ pacis munus dele-
gant. Quare it ad nos protinus: uerùm prius pacis consequendę non est spes
data, quàm proregẽ nostrum in urbe Cucin agentẽ adiret. At dux noster con
ditionibus pacis haud spretis, bello finem imponere duxit: adductus eo argũ
mento, quòd grassantibus inibi bellis onustas mercimonijs naues in Lusita-
niam mittere minime poterat. Igitur impetrata pace, intra quatriduum nego
ciatores urbis Canonor, quibus ante cœptum bellum utebar familiarissime,
me adeuntes in hunc fermè modum sermone patrio alloquuti sunt: Petere
abs me iure coniunctionis nostræ, ut illi ostenderem quendam cæteris Chri-
stianis multo proceriorem, qui fermè singulis diebus circiter uicenos homi-
nes ex Mahumetanis confecerat, quiq; iaculantibus quingentis ex ea militũ
nota, qui Naëri dicuntur, ceu ad scopum, semper incolumis euaserat. Ad hęc
ego respondi, abijsse hominẽ, iamq; in urbe Cucin agere: uerum rem tacite
reuoluens credidi faustiorẽ humanis fuisse, qui Mahumetanis stragẽ intule-
rat: propterea compellabam hominem, qui me percunctatus fuerat, his fer-
mè uerbis: Es'ne mihi amicus? At ille: Sum quidem. Cui ego: Is miles qui a-
deò in acie strenue egit, nõ est Lusitanus. Ad hæc ille: Vnde igitur est oriun-
dus? Rursum ego: Lusitanorum, imò totius orbis est deus, idemq; omniũ ma
ximus. At ille: Mehercle uera loqueris: quãdoquidem probe memini dixis-
se Mahumetanos, non Lusitanum, sed Lusitanorum deum eum esse, qui stra-
gem Mahumetanis acerrime inferebat, ob id rebãtur multo meliorẽ suis dijs
deum uestrum esse, uerùm eius esse eos expertes. Quare receptũ est ubiq;, ui
numinũ, non humana ope Mahumetanis cladem esse illatã: id enim hominũ
genus simplex est admodũ: quippe quod ad omnem fermè auram stupet plu
rimum:

A rimũ:nam tinniẽte ex ære campana adeò ea gens ſtupebat,ut miraculi quippiam fieri arbitraretur: deſinente uero tinnitu aiebant: Summus eſt horum deus: nam ubi tintinnabulum tangunt, loquitur:ubi uerò tangere deſierint, obmuteſcit æs campanũ. Quid hoc igitur eſt? horum deus ſanè omnium eſt optimus. Intererant etiam noſtris miſſarum ſolennibus: & ubi ſacram eucha riſtiam aſtantibus adorandam ſacerdos more Chriſtiano oſtendebat,cõuerſus ego ad Mahumetanos aiebam, ſeruatorem noſtrum digito monſtrans: is eſt,dicens:Luſitanorũ noſtræq; gentis,necnõ totius orbis deus optimus maximus. Ad hæc illi aiebãt: Vera quidem loqueris,ſed id nos fugit. Ea idcirco ſubieci,ut exploratum haberetis,mira ignoratione gentem huiuſmodi in diuinam maieſtatem committere. Sunt item ij populi miri incãtatores, faſcinationibusq; creberrimis ſtudent,quibus cogunt adeò exitioſos ſerpẽtes,ut eorum uirus præſentaneam admodum mortẽ ſolo contactu inferat. Sunt item omnium dexterrimi funambuli,ac planipedes, & id genus homines circumforanei:ego crediderim agilitate corporis eos præſtare mortales omnes.

De congreſſu Luſitanorum ac Pannaniorum. CAPVT XLI.

APpetit iam certe tempus reuiſendæ patriæ: ad id præſertim accedente, quòd præfectus claſſis onuſtis nauigijs, profectionem in patriam parabat. Ardebam ſanè miro amatæ patriæ deſiderio:quippe qui extra eam quaſi conſenuiſſe uidebar, ſpatio ſeptem annorum extorris. Mouebar etiam deſiderio conducendi uobis, utpote qui noueram poſt tot peragratas regiones me doctore proſpectum iri mortalibus. Quare impetrato à rege abeundi cõmeatu, ſtatui illinc quamprimum diſcedendum fore: uerùm abeundi dux memoratus mihi prius poteſtatem non fecit, quàm ſecum uiſum irem nonnulla, ut mox compertũ fiet uobis, ſibi grata. Iuſſit igitur militibus cunctis, ut loricati ſplendentibus armis ſibi præſto adeſſent. Qui imperata ſubeuntes ducem ſequuti, urbem Cucin omni fermè habitatore uiduant, indeq; uigeſima tertia Nouembris anni memorati, impetum ſimul omnes in portum
B Pannaniorum irrumpentes fecimus. Appulſi urbi memoratæ poſtridie eius diei horis antelucanis, expeditis actuarijs nauigijs claſſico ad ſe milites conuocans, in hunc fermè modum loquutus dicitur:截 Supereſſe Luſitanorum ſolidæ gloriæ urbem Pannaniorum expugnandam: nullam aliam fore, quæ gentis Chriſtianæ uictoriæ curſum remorari poſſet, à tergoq; relinquendam minime eſſe: eam totius Indiæ certiſſimam eſſe ſalutem, collatis eò fortunis incolarum innumeris, ceu in tutiſſimum patriæ receptaculum perfugiumq; cunctorũ. Enitendum propterea omnibus uiribus, ne tot illuſtria decora id unũ quod ſubeundum ſupererat, deformaret. Finita concione ſacerdos more Chriſtiano ad memoriam cunctis reducens ea quæ ad cõparandam æternitatẽ, promerendamq; ſeruatoris noſtri gratiã pertinebãt, adſeuerans nullã deinceps offerri Chriſtianis delendorũ reatuũ cõmodiorem occaſionẽ, quàm ut pro ſeruatoris noſtri aſſerẽdo imperio pugnaciſſime præliarẽtur: eoq; aſtantes ſacerdos adduxit, ut efficaciore ſermone concioni exciuerit uberiores lachrymas, auentibus ſubire imperata enixiſſime miroq; ardore Chriſtianis omnibus. Quare paulò antè emerſum ſolis cœptũ eſt atrox cũ rabidis canibus bellum: pugnauerunt enim ſexcenti Chriſtiani cum octonis Mahumetanorum millibus: accedente præſertim Chriſtianis incommodo, quod triremes quæ aderant geminæ, litus appellere nequibant. Itaque ſolis actuarijs nauigijs uecti in terram, Mahumetanis cõgreſſuri appulimus. Tellurem prior tenuit illuſtris Laurentius proregis filius: ſecundo loco ſucceſſit prætoria nauis, qua & ego uehebar. Vbi itaque propius acceſſimus, conſertum eſt prælium, tantoq; atrocius, quanto ſuperandum erat fluminis contractius oſtium, diſpoſitis utrinq; tormentis innumeris, pugnantibus è litore quadragenis ac quaternis Mahumetanis, qui animo iuratiſſimo deſtinauerant, ſe in ueſtigio tantiſper manſuros, quo ad uictores euaderẽt, aut pro uictoria certantes illic occumberent, acti amore fortunarum ſuarum (præfecti enim nauiũ erant) qua-

rum certissimam iacturam imminere conspicabantur. Exoneratis itaꝗ com/ A
pluribus tormentis, appulsos summouere nequicquam conabantur: nam su=
pra quadragenas machinas cepimus, deorumꝗ munere nostrum nemo inte/
rijt, occisis nihilominus cētenis ac quadragenis Mahumetanis. At princeps
Laurentius me spectatore senos Mahumetanos confecit, gemino excepto
uulnere. Excessere è nostris cōplures saucij, feruente atrocius prælio. Verū
ubi triremes aduenere, hostes pedem referre cœperunt: nos uero aquis decre
scentibus duximus receptui canendum esse: illo præsertim accurrentibus ca
teruatim Mahumetanis. Propterea captas terdenas naues incendio subieci/
mus, rati eas ubi abijssemus, hostibus adhuc usui futuras. Quibus crematis
præfectus classis militibus iussit, ut gradu relato in proximum latus sese reci
perent, ubi militum suorū absolutæ uirtutis memor, militiæ insignibus com=
plusculos honestauit: me quoꝗ, quæ sua fuit humanissima consuetudo, in e-
quitum splendidissimorum numerum asciuit, parentis loco mihi subscribē/
te Tristano à Cugna duce promptissimo. Auctoritatis itaque militibus, dux
noster ad uasa conclamari iubet, illincꝗ soluens cunctas Mahumetanorum
ædes incendio subijci mandat. Quare munere deorum summis defuncti pe/
riculis incolumes, tametsi militum haud expleto numero, tandem aliquan/
do ad urbem Canonor redijmus. Quà ut peruentum est, onustis omni com/
meatuum genere nauigijs, in dilectam desideratamꝗ diu patriam, professio/
nem parare cœpimus.

LVDOVICI ROMANI PATRITII

RERVM AETHIOPIAE LIBER VII.

CAPVT PRIMVM.



HISTORIAM cudere uolentibus, cosmographis præser/ B
tim, qui immortalitatem nominis, gestorumꝗ suorū pro/
pagationem plurimi faciunt, nihil æque conducit, quàm
superiorum firma ac pertinax memoria, necessarium pro/
fecto uitæ bonum, ne ubi eos promissorum ceperit obli/
uio, iuri optimo ceu obliuiosi, uel certe indiligentes in or/
dinem redigantur ab eis, qui famam aliorum ultronei lace
rant, discerpunt ac laniant ultra quàm par est: ob id eorum nō immemor, quę
initio operis pollicitus sum, iamiam descendō sponsa dissoluturus: quippe
qui probe memini dixisse me aliquando, Aethiopum res celebriores, uideli/
cet situm regionis, moresꝗ populorum me denarraturum. Quare nactus oc/
casionē solidum præstabo, ea explicans quæ inibi offendi haud longiore im/
moratione, ut festinantius cœpto operi ultimam manū imponam, tandemꝗ
aliquando optato otio fruar tot exantlatis ærumnis.

De multijugis Aethiopiæ insulis. CAPVT II.

NOs igitur septimo Idus Decembris iter cepimus uersus Aethiopiam, tra
iecto prius sinu, itinereꝗ quadringentorum mille passuum peracto, ad
eam insulam, cui Monzambrich inditū est nomen, ditionis Lusitaniæ regis,
peruenimus: uerum priusquam eò appulerimus, complura conspicati sumus
oppida, quæ regi memorato parent. Ibi uisuntur munitissimæ arces, compri
mis in Melindæ ac Mombazæ regno: eas quandoꝗ dux incendio subiecit.
Habet item arces alias in oppidis Monzambrich ac Zaphala. Quæ uero il=
lustris Tristanus de Cugna, uir manu promptissimus, præclare gessit, prudēs
prætereo, probe noscens, gesta huiusmodi longe maiore immoratione indi/
gere: nam si eius facta fortia, quæ ex India rediēs egit, captam præsertim Go=
giam, Pati ac Craua urbes clarissimas, necnō Sacutaram insulam optimam,
ubi erexit arces rex Lusitaniæ, percensuero, exurget præsens opus in longe
maius uolumen, ꝗ ab initio animo destinauerim. Tempero item ex cōposi/
to à bello inibi patrato, quoniam procul illinc aberam, ne uidear ea denarra/

A re, quę oculis minime subieci. Omitto præterea complures alias insulas, quas iter agendo offendimus, pręsertim Cumeris insulam, ac senas alias, quę affatim zinziberis, saccari, cõpluriumq; fructuũ, necnon omnifariam carniũ mittũt. Item suppressa est mentio eius feracissimæ insulæ, cui Pendæ nomen est: ea regi Lusitaniæ paret, omniumq; rerum est fœcunda admodum.

De Monzambrich insula, deq; eius cultoribus. CAP. III.

SEd ad insulam Monzambrich redeamus: ea ut præfati sumus, pariter etiam Zaphala, regi paret memorato: inde enim iussu regis auri ac olei plurimum exportatur: uerùm ea è continenti aduehuntur. Inibi quindecim dierum mora insumpta est. Insula perquam mediocriter patet, coliturq; ab nigricantibus Mahumetanis: commodissimum habet tamen portum: cultores autem sunt fermè rerum omnium egentes: illicq; summa est annonæ caritas: quando certe illò fermè omnia è remotiore continenti comportantur. Nam quandoq; animi causa continentem proximum, ut regiones exploraremus, uisimus, ubi incultum hominum genus nacti sumus: nigricantis enim sunt coloris, libris arborum obscœna uelati, cętera sunt nudi. Mulieres uero frondibus auersæ ac diuersæ pudenda uelant: capillum non promittunt, sed calamistro crispant: labra uero gemini digiti crassitudine habent: latissima sunt fronte, prægrandibusq; dentibus, eisdemq; instar niuis albicantibus. Id hominum genus pauet ad omnem conspectum, uisis præsertim loricatis hominibus. Quare ubi intelleximus gentem inermem esse, plusq; iusto pauidiorem, seni simul loricati cum nonnullis tormentis, capto cultore eius regionis gnaro, perambulare memoratam insulam cœpimus. Quumq; itinere unius diei progressi essemus, complura elephantorum armenta offendimus: monuerat enim nos itineris dux, ut flagrantibus facibus belluis huiusmodi occurreremus, pauentibus suapte natura ignes elephantis: uerùm quandoque usu euenit, ut ternas elephantes, nuperrime pullos enixas, ignibus minime
B perterrefacere potuerimus: interritæ enim nos cõsectatæ sunt tã diu, donec montẽ quempiã inuenimus, ubi à feris sæuientibus nos tutati sumus. Itaq; itinere decem mille passuũ ab aduerso latere montẽ mensi specus quosdam cõperimus, ubi delitescebãt nigricantes uiri, qui adeò inepte incõpteq; loquebantur, ut difficulter eorum linguæ uos certiores facere queam. Conabor tamen uel exemplo quopiam melius quàm quibo, ut id uobis innotescat, si forte uobis succurrit, quonam modo muliones in Sicilia agãt mulos: nam abdita lingua subtus oris labrum imum, edunt informẽ uocem agasones: qua edita, mox muli citatius incedunt. In hũc fermè modum balbutientes populi inter se colloquũtur. At dux nostri itineris nos percunctabatur, uellemus'ne boues ac uaccas mercari, addens se operam daturum ut perquam uili pretio pecudes huiusmodi assequeremur. Nos uero rati itineris ducẽ auxilio cultorum nobis impositurũ, traditurumq; eis direptioni fortunas nostras, respondimus pecunias nobis esse nullas. Ad hæc itineris dux: Ii, inquit nihil minus quàm nummos exoptant, quippe qui affatim auri longe nobis locupletiores habent: quando certe haud procul hinc aurum eruitur. Nos autem ad illum conuersi: Quid igitur, dicimus, cupiunt isti? Quibus ille: Amant res despicabiles, nulliusq; momenti, ut paruum forcipem, uel panni nonnihil, quo aurum inuoluant, uel id genus æris, quo tympana instar bullæ exornant (sonalia appellant) quibus apprime oblectantur infantes: cupiunt item mirum in modum nouaculam quampiam. Nos uero ad hæc respondimus, daturos ea quæ exoptabant, modo ea armenta, quæ empturi eramus, usque in proximum montem agerent. Tunc dux itineris infit: Ibunt quidem nobiscum usque in summum montem: ultra tamen nullis conditionibus progressuri: superest tamen ut ingenue dicatis, quid sitis pro armentis huiusmodi expositu ri. Tunc unus è nostris comitibus, qui fabricandis tormentis operari consue uerat, respondit se nouaculam ac bullam ex ære sonalij, ut aiunt, instar daturum. Ego uero ne mercimoniorum huiusmodi expers essem, carnibusq; ue

sci quirem, exuta interula dixi me eam pro bobus daturũ. Ad hæc ille: Quis A tot armenta, inquit, usq; ad proximum pelagus aget? Cui nos: Faxint superi, ut tot boues elargiantur, quot sumus acturi. Et rursum dux itineris: Sinite me agere. Captisq; eis rebus quas pro armentis exponebamus, illas quinis aut senis hominibus impartitus est, petens pro erogatis tricenas boues fœminas. At cultores, qui parum aberant à belluis, innuerunt se quindenas tantũ daturos. Huic rei assensi sumus: uerebamur tamen ne subesset impostura quæpiam, uerum conuentis fides seruata est: nam continuo nigricantes uiri duo quindenas uaccas, ut inter nos conuenerat, egerunt: quum tamen uix ab antris eorum digressi essemus, qui in specubus remanserant tumultuari cœperunt. Qua de re pauere cœpimus, arbitrantes Troglodytas nos consectaturos. Dimissis propterea bobus arma expedire cœpimus. Quibus uisis, nos hortari cœperunt nutibus, ne formidaremus. Subdidit dux itineris, eos non alia de causa tumultuari, quàm ut quisque eorum bullam memoratam prior sibi uendicaret. Nos igitur apprehensis rursum bobus in summum montem euasimus. Quò ubi peruentũ est, nigricantes uiros missos fecimus, uaccasq; agentes perquam mediocre nemus præterijmus, indeq; ad quintum lapidem obuios habuimus eosdem elephantes, qui paulò antè eòdem iter agentibus nobis occurrerant. His uisis ingens formido nos peruasit, eoq; pauoris deducti sumus, ut dimissis bobus diffugere cœperimus, dilabentibus ad nigricantes uiros uaccis: nos uero ad nostram insulam reuertimus, sumptisq; pro itinere nauando uberrimis commeatibus, uersus Caput bonæ spei uelificauimus, prætereuntes diui Laurentij insulam, quæ octuagenis leucis à proximo continente abest. Eius insulæ reor regem Lusitaniæ breui futurum dominum: quoniam subiectis iam incendio oppidis compluribus, genti factus est admodum formidolosus. Propterea ut ex certissima peragrati orbis, Indiæ præsertim ac Aethiopiæ coniectura assequi licet, existimo regem Lusitaniæ, ubi uincere perrexit, euasurum cunctis orbis regibus longe ditiorem: B idq; sanè pro meritis, proq; tanti uiri dignatione: quoniam eius opera ac studio, mirisq; auspicijs orthodoxæ fidei accedit plurimum. Nam clarius Phœbo constat, in India, & comprimis in urbe Cucin singulis festis diebus denos ac duodenos idolorum cultores, aut certe Mahumetanos fidei nostræ sacris initiari. Fit propterea ut maiore in pretio nostra fides habita, incrementa maiora indies suscipiat. Estq; uero haud absimile, defuturũ nunquam his cœptis deum optimum maximum, regiq; daturum ampliorem contra fidei hostes uictoriam, faustissimeq; eius pientissimis uotis affuturum semper.

De Bonæ spei capite. CAPVT IIII.

REdijmus itaque ad iter nostrum, Caputq; cognomento Bonæ spei præterijmus: digressiq; illinc ad ducentos circiter mille passus oborta in mari tempestate aduersis flatibus agi cœpimus. Id effecit, quod læuorsum diui Laurentij, necnon complusculæ aliæ insulæ uisuntur, unde plerunq; maxima uis uentorum erumpit. Verùm postquam spatio senum dierum à fortuna nouercante, pelago nimio plus quàm satis spumas efferuescente, agitati sumus, tandem aliquando deorum munere discrimen euasimus. Illinc abeuntes ad ducentas fermè leucas rursum fluctuante salo eò discriminis perducti sumus, ut grassante tempestate ad sacram ancoram peruentum sit, alijs alio dilabentibus liburnicis: spatio item senũ dierum, quibus transactis, nunquam deinceps coiuimus, alijs alio proficiscentibus, donec Vlisbonam appulimus. Ego enim liburnica Bartholomæi ex Florentia Tusciæ oriundi, Vlisbonæ tamen cultoris uehebar: liburnicæ diui Vincentij nomen inditũ erat, enormiumq; ponderum capax, quippe quæ supra septena millia omnifariam aromatum dolia conuectabat. Iter propterea agentes aliam insulam præterijmus, cui diuæ Helenæ nomen est, ubi enormes pisces conspicati sumus, tantæ quidem uastitatis, ut singuli singulis magnis ædibus conferri possint: ij enim supra aquas tolluntur, hianti ore eminent, uidenturq;

A quum supernatant frontem retegere instar loricati militis, dum à congressu temperat lumen admissurus. Rursum memorati pisces dum urinant, frontem condunt latam ternos passus. Quum enim innatant pelago, adeò deturbant aquas, ut nos agitatione huiusmodi præsertim ut belluas submoueremus, omnia tormenta exonerauerimus. Haud multo post offendimus insulã quandam, quam de nomine ascensionis appellant, ubi uisimus complura auitia anatum nostrarum magnitudine: uerùm adeò simplices alites doliq; expertes, ut cominus manibus ipsis ea corripere liceret nauim circũuectas. Sed ubi eas corripueris, ferociam præ se ferunt incredibilem: tamen prius q̃ caperentur, ueluti stupidi ad omnem conspectum nos instar miraculi cuiuspiam contuebantur. Nos uero rebamur aues huiusmodi alios nusquam præter Christianos uidisse homines, ad humanum conspectum alite stupente nimium: quando certe constat, in ea insula præter undabundum æquor ac pisces innumeros, auesq; memoratas, nihil nos conspicatos esse. Præterita hac insula post complurium dierum uelificationem, quasi orbi nostro iam appulsi essemus, Septentrio nostrorum nautarum sydus conspicuum mox apparuit. Verùm hic peropportunum uidetur, ut eorum refellam opiniones, sensaq; diluam, qui autumant circiter polum antarcticum æquora sulcari duce septentrione non posse, ob id uelificantes canopo uti sydere: ij profecto minime sunt audiendi: quandoquidem colliquescit clarius, ut aiunt, Phœbo, Lusitanos septentrionibus astris uti: etsi ea sydera eleuato polo quandoque conduntur. Vtuntur tamen Lusitani eius ducatu, succedente astro magnete, qui solito semper munere fungitur, polum arcticum suapte natura usquequaque intuens. Transactis non multis diebus, appulimus elegantissimæ regioni, ubi complures insulæ conspiciuntur ditionis regis Lusitaniæ: quæq; id genus aquilas, quas astures uocamus, abunde mittunt: nam hæ insulæ uarijs censentur nominibus: Aliæ de nomine Pici Martij, de coruo a-

Magnes septentrionis amans

B liæ, de floribus aliæ denominãtur. Est & diui Georgij insula, & alia quę Gratiosa dicitur, & rursum quæ Feial nominatur: inde discedentes ad eam insulam quæ Tertiera dicitur deuenimus, ubi bidui moram insumpsimus. Sunt memoratæ insulæ in uniuersum feraces admodum, quippe quæ omnium ferme rerum fœcunditate pollent. Illinc igitur abeuntes septem dierum itinere ad Vlisbonam Lusitaniæ urbem clarissimam deuenimus: qua quidem urbe uix uidi nobiliorem. Cogitet itaq; quisque lector, qua lætitia, quóue immenso gaudio, uiso continente sim affectus. Adpulsus illico ad regem ducor: is tunc aberat ab urbe Vlisbona, adq; oppidum, quod Almadam uocant, è regione urbis memoratæ se contulerat. Quò ut perueni, uenerabundus regem consalutaui, deosculatisq; eius manibus ceu numen quodpiam uenerabar. Is me humanissime excepit, usus q; sum eius contubernio tantisper, donec doctus est ea omnia, quæ apud Indos nactus eram. Transactis uero complusculis diebus, ostendi suæ eminentiæ id diploma, quo à prorege, qui in India eius uicaria opera fungitur, in numerum aureatorum militum ascitus eram, precibusq; contendi, ut robur regium adderet signaretq; manu regia diploma. Quare uiso diplomate, protinus postulatis assensus est, iussitq; nouum diploma expediri: quo expedito, abeundi prius à rege impetrato commeatu, ad urbem Romam, solum patrium, diu desideratam, summis exantlatis laboribus, superatisq; erumnis innumeris, tandem aliquando deorum munere me recepi.

Vlisbona

F I N I S.

AD

AD STVDIOSVM LECTOREM.


Ne te lateat lector ordo, quē Brocardus monachus, huius libelli cōscriptor, & terræ sanctæ studiosus explorator, tenuit, libuit à principio breuibus id tibi aperire, potissimum quum ad lectionis synceriorem intelligentiam id non ambigamus conducere. Igitur nō est sequutus Ptolomęi & reliquorū cosmographorū subtile illud metiēdi artificium, qui cuiuslibet loci longitudinem & latitudinem iuxta cœli sitū expendentes, locorū distantias certiore addiscunt uia, quàm si per milliaria, leucas, aut stadia, terrestri itinere id efficere molirentur. Sic enim licebit inuētis semel radicibus uti ad quorumlibet locorū quantumlibet longe dissitorum inuestigāda interualla. At Brocardus iste uulgari dimensione cōtentus, Aconem maritimam ciuitatē, & in occidentali plaga sitam, loco centri cōstituit, & hinc quatuor lineas ad quatuor mūdi præcipuas plagas imaginatione sua traxit, atq; rursus quamlibet quartam in tria diducens, iuxta duodecim cœli uentos duodecim itineraria per memoratā terram sanctam descripsit, atq; singula loca in his imaginarijs lineis sita, iuxta priscam & modernā appellationem annotauit: præsertim ea quæ scripturæ cōmendatione aut cōmemoratione celebriora sunt uel insigniora. Per leucam accipe spatium terræ, quod quis commode una hora mediocri gressu conficere potest.

LOCORVM TERRAE SANCTAE
EXACTISSIMA DESCRIPTIO, AVTORE F. BROCARDO MONACHO.


ISTA terra, quam sanctam uocamus, duodecim tribubus Israel funiculo distributionis in possessionem tradita, post tempus Salomonis in duo regna excreuit: unum regnum Iudæ dicebatur, duas complectens tribus, nempe Iudæ & Beniamin: alterum uero regnum Samariæ uocabatur, à metropoli Samariæ, quæ nunc Sebaste nomen habet, reliquas decem continens tribus: utrunq; tamen regnum unà cum Palæstina pars erat Syriæ, non secus quàm Tuscia aut Lombardia pars est Italiæ: nam Syria, ut reliquæ magnę nationes, in multas scinditur particulares prouincias. Et quidem ea regio, quæ est à Tigride fluuio usque ad Aegyptum generali uocabulo Syria nuncupatur. At ea pars & tractus, qui est inter duos illos insignes fluuios, Euphraten & Tigrim, uocatur apud Hebræos ארם נהרות id est, Syria fluuiorum, quæ Græco uocabulo Mesopotamia appellatur, quod media inter aquas contineatur: habetq; ciuitatem insignem & celebrem Edessam, quæ olim Rages, nunc autem Rase nuncupatur. Deinde est alia pars Syriæ, quę Cœle uocatur, incipiens ab Euphrate flumine & desinens in riuum Valaniæ, qui fluit sub castro Valat, exoneraturq; in mare magnū, seu mediterraneū, in uilla Balaniæ, una leuca à dicto castro distante. In hac Cœlesyria est nobilis ciuitas Antiochena, cum alijs urbibus, Laodicea, Apamia, & similibus. Rursus est Syria Phœnicis, quæ ab Aquilone initium sumit à riuo Valanię, & extenditur usq; ad montem Carmeli, ubi locus est qui hodie Castrum peregrinorum uocatur. In hac multę sunt ciuitates, nempe Tripolis, Berytus, Sidon, Tyrus, Acon, Capernaum & aliæ quędam. Habet quoq; Libanum montem secundum aliquos, in quo thura leguntur. Porrò uocatur Syria Phœnicis à filio Agenoris, qui Tyrum instaurauit, & metropolim in ea prouincia constituit. Est & alia pars Syriæ, quæ Syria Damasci appellatur, in qua Damascus est metropolis, quæ & Syria Libanica à Libano monte uocatur. Post Syriam Phœnicis sequitur Palæstina, etiam pars Syriæ in tres scissa regiones. Vna uocatur Palæstina sine ullo additamento, habens Hierusalem metropolim, extenditurq; usque ad mare mortuum, & ad desertum Cadesbarne. Alia est Palæstina Cæsareæ, habens scilicet

Syriæ latitudo — *Phœnicia* — *Palæstina*

A licet Cæsaream maritimam urbem metropolim, incipiens à castro Peregrinorum, & excurrens contra austrum usq; ad Gazam ciuitatem. Tertia uocatur Palæstina Galilææ. Vendicat quoq; sibi nonnihil Syria de partibus Arabiæ. Nam una est Arabia, quæ Bastrum habet metropolim, quæ nunc Bussrit appellatur: olim autem Orsa fuit, cui ab occidente iungitur Traconitidis regio atque Ituræa, & ab Aquilone Damascus, unde & Syria Damasci olim non raro Arabia uocabatur. Alia est Arabia Petrea, habens Petram metropolim, quæ olim Rabbath dicebatur, sita super torrentem Arnon. Hanc regionem olim inhabitarunt Ammonitæ, tametsi Ar ciuitas fuerit Moabitarum: fuitq; in ea regnum Seon, & regnum Og regis Basan. Tertia est Arabia, quæ habet metropolim Montem regalem, qui olim erat Petra deserti, sita supra mare mortuum, cõtinens sub se montem Moab, & uocatur proprie Syria Sobal, intra cuius terminos continetur Idumæa, siue mons Seir. Proinde tota terra citra mare mortuum usq; ad Cadesbarne, & Aquas contradictionis uersus mare rubrum, & per squalidas solitudines usq; ad Euphratem, est Arabia magna, comprehendens Mecham ciuitatem, in qua Mahumetẽ sepultum ferunt. Hæc de terminis & extremitatibus terræ sanctæ dicta sufficiant: nunc de particularibus eiusdem locis nonnihil dicemus, initium sumpturi ab Aconensi ciuitate maritima. *Arabia multiplex*

DESCRIPTIO ACONENSIS CIVITATIS.

ACon apud ueteres Ptolomaïs dicta est, & nunq; fuit terræ sanctæ connumerata, nec à filiis Israël unquam possessa: tametsi tribui Aser in sortẽ ceciderit. Est in prouincia Phœnicis, habens ad austrũ montẽ Carmelum quatuor leucis distantẽ, ubi ultra torrentẽ Cison Elias propheta sacerdotes Baal interfecit. Est hæc ciuitas Acon optime munita, cincta muris & antemuralibus, turribus, fossis, triangulare in modũ clypei habẽs formã, cuius duo latera iũgunt mari: tertiũ uero planiciẽ terræ respicit. Habet agrũ fertilẽ, optima B pascua, uineas elegãtes, & amœnissimos hortos, in quib[9] diuersi generis fructus colliguntur. Ornatur hæc urbs hospitali insigni domus Teutonicæ unà cum munitissimis castris: sed & nõ parũ cõmodi habet ab optimo portu maris, capaci ab Austro multarum nauium. Hinc uersus Aquilonem est Casale Lamberti, quatuor leucis ab Aconensi urbe distans, sub monte Saron iuxta mare locatũ, uineis, aquis, & fluminibus abundãs. Ab hoc monte si perrexeris in litore maris ad tres leucas, occurret castrũ Sandalido, locus scilicet ubi olim Alexander Magnus Tyrũ oppugnauit. Hoc castrũ collapsum Balduinus rex Hierosolymitanus instaurans, quibusdam nobilibus possidendũ tradidit: nã est locus amœnus, abundãs pascuis, ficetis, oliuetis, & riuulis. Hinc ad unum miliare Germanicũ est puteus ille admirabilis aquarum uiuentiũ, haud longe à uia quæ Tyrũ ducit, de quo in cãtico Salomonis dicitur: Aquę quæ fluunt cum impetu de Libano. Sunt autem quatuor fontes, quorũ unus est præcipuus, habẽs tam in longũ quàm latũ XL. cubitos, ut ego ipse utrũq; latus dimensus sum. Alii uero tres habẽt circiter XXV. cubitos in unoquoq; quadrati latere: & sunt omnes durissimis inclusi lapidibus, atq; opere insolubili obfirmati. Hinc uarii deducũtur riui & aquęductus, unde fere tota planicies Tyri irrigatur & adaquatur, & non parũ incrementi in fructibus percipit. Cæterum distant hi fontes à mari paulo amplius q̃ sit iactus arcus, & in hoc tam angusto spatio sex molares impellit rotas. Ab hoc fonte spatio dimidii miliaris Germanici distat Tyrus urbs nedum in prophanis, uerũ & in sacris literis celebratissima, in qua ueteris suæ maiestatis adhuc plurima uisuntur uestigia. Hanc primũ aiunt conditam à Tigra filio Iaphet, sed à Phœnice institutam. Magnum habet murorũ ambitum, & ut mihi probabile est, amplior & maior est ciuitate Aconensi: formã habet rotundam, rupi durissimæ insidẽs, & undiq; mari circũdatur, nisi quod à fronte ciuitatis, hoc est, ab oriẽte patet aditus, quẽ primo Nabuchodonosor, & deinde Alexander magnus fecerunt, urbẽ continenti contiguam reddentes: uerũ is introitus hodie mu- *Tyri celebritas*

nitus

nitus est quadruplici muro fortissimo, spisso & alto, XII. turribus & propugnaculis intra eos collatis. Huic tam forti ædificio adhæret Arx castrum munitissimum, in rupe & corde maris situm, septum turribus, & ornatū palatijs egregijs: crederes, si illud uidisses, nulla potentia facile expugnabile. Est sedes archiepiscopalis in hac urbe, habens sub se ecclesias Sidoniensem, Aconensem, Paneensem, & Berytensem. Ante portam eius orientalem ad iactū duarum sagittarū ostenditur locus in quo Christus prędicauit, & ubi mulier extulit uocem de turba, dicēs: Beatus uenter qui te portauit. A' Tyro tribus ferè leucis aquilonē uersus, miscetur Eleutherus fluuius mari magno, ab Ituræa seu Galilæa gentiū prorumpens, de quo mentio fit in libro Machabæorum. Hinc ad tres leucas est Sarepta Sidoniorum, ubi Elias propheta olim suscitauit à mortuis filium mulieris Sareptanę. Habet hodie locus ille uix octo domos, at ruinæ adhuc cernuntur, antiquæ suæ magnificētiæ indices. Ab eo loco sunt tres leucæ ad Sidonē magnam Phœnicis urbē: licet & ipsa pro magna parte in ruinis hodie iaceat. Situs eius est ferè sub Antilibano: habens hinc & hinc castra natura & arte munita: nam unū ad aquilonē urbis extructum est in rupe maris, idq; à peregrinis, qui ex Teutonia illuc uenerunt. Aliud uersus Austrum in colle est collocatū, quod milites templi unà cum alio castro & ciuitate inhabitant. Adiacens terra fertilis est, producitq; cannas mellis. Mons Antilibanus distat à Sidone una leuca ad orientē, initium sumens à fluuio Eleuthero, & uergens usq; ad Tripolim, quinq; scilicet leucarum spatio, nec recedit à mari ultra tres leucas, licet in quibusdam locis mare ipsum cōtingat. Abundat optimis uineis. Vltra Sidonem ad nouē leucas est Berytus ciuitas Episcopalis. Hinc per sex leucas supra mare est Bibliū ciuitas, Patriarchatui Antiocheno subiecta, de qua in Ezechiele fit mētio: uocatur autē hodie Giblec, & est admodum parua. Hinc sunt sex leucæ ad ciuitatem Botrum, quæ anteq; per magistrū templi destrueretur ualde opulenta fuit, in uino optimo reliqua loca excellēs. Hinc ad tres leucas est castrū Nephrus, quod ferè totū mari alluitur, & habet triginta fortes turres, principi Antiocheno subiectum. Hinc est iter trium leucarū ad Tripolim, urbem insignem, quæ ut Tyrus ferè tota mari circundatur. Habitant in ea Græci, Latini, Iudæi, Armeni, Maronitæ, Saraceni, Nestoriani, & aliæ multæ & uariæ gentes. Paratur in ea urbe annuatim magna copia sericeorū pannorum, habetq; incredibilem numerū hominum, qui soli serico texendo uacant. Terra quoq; adiacens prorsus dici posset paradisus domini, adeò amœna est & fertilis in uineis, oliuetis, ficetis, & reliquis arboribus. Distat ab hac urbe Libanus tribus leucis, ad cuius pedem oritur fons hortorū, fluens impetu de Libano, ut in Cantico Salomonis dicitur, habens quidem scatebram humilē, sed illico tumescens fit fluuius magnus, irrigans & fœcundans omnes hortos, & totam regionē quæ est inter Libanū & Tripolim. A' Tripoli per duas leucas est mons Leopardorū, rotundus & altus, una leuca à Libano distans. Habet hic mons in pede Aquilonari speluncā, in qua monimentū cernitur XXVI. pedum longitudinis, frequentaturq; deuote à Saracenis, qui putant illic Iosue sepultū. Hinc uenitur ad castrum Arachas & Sycon oppidum, & deinde ad Aradium, quod & Antheradum appellatur, undiq; mari cinctum, quinq; diętis à Tyro distans. Condidisse dicitur hanc ciuitatem Aradius filius Chanaan post diluuium, sicut & Sidon filius Cham ædificauit Sidonem, & Aratheus Arathan, & Syneus Synochin, qui in hac terra manserunt, & pyramides atq; mirabile sepulchrum post se reliquerunt stupendæ magnitudinis, habens XX. cubitos in longitudine. Cernuntur autē istæ pyramides una leuca ab Antherado, & sunt compactæ ex maximis lapidibus, quorū multi excedunt staturā hominis. A' latere Antheradi orientē uersus sunt parua quædā montana, uocaturq; terra illa terra Asinorū. Scribit Clemens diuum Petrū Antheradi aliquandiu euangeliū prædicasse, quū Antiochiam petere uellet. Ab Antherado per septē leucas est castrū Margath, una leuca à mari distans, munitum

Margin notes (printed in the left margin beside the lines where these places are named): *Sarepta*, *Berytus*, *Botrum*, *Libanus*, *Antheradum*. Section letters in the right margin: A (beside the first line), B (beside "fuit, in uino optimo reliqua loca excellēs").

A munitum & in altissimo monte situm, habens è uicino ciuitatem Valaniam, quod fratres de hospitali sancti Ioannis inhabitant. Cæterū episcopatus qui fuit in Valania, propter Saracenorū insultus translatus est in hoc castrum. Hucusq; extenditur regnum Hierosolymitanū, & incipit principatus Antiochenus, quē fluuius quidam Valania nomine, à montibus haud longinquis prorumpens, disterminat à regno terræ sanctæ. Et hoc est itinerarium primū quod feci in terra sancta, ab Aconensi scilicet ciuitate, usq; ad fluuium Valaniam, quod in octo diebus mediocri gressu confici potest. Porrò à Valania usq; ad Antiochiam sunt quatuor diætæ.

Iter ab Acone uersus Boream.

NVnc iterum ad Aconensem ciuitatē redeuntes, iter aliud describemus, quod scilicet uersus Boream uergit. Igitur ab Acone soluentes, uenimus ad castrum Monsferet nominatū, distās ab illa ciuitate quatuor leucis, quod fratres Teutonici aliquando inhabitarunt, sed nūc desolatū iacet. Inde si per quatuor leucas cœptū iter prosequaris, occurret Thoron castrum munitissimū, distans à Tyro septē leucis, quod dominus Tyberiadis cōtra Tyrios extruxit. Ab hoc loco sunt quatuor leucę usq; ad Antiopiam, quę ciuitas olim Assor uocata fuit, quam rex Iabni olim inhabitauit, contra quem & alios uigintiquatuor reges Iosue iussu diuino admonitus pugnauit. De hac ciuitate dicitur Iosue septimo, quod solam Assor munitissimā uorax flamma consumpserit. Porrò ruinæ eius usq; in hodiernū diem attestantur priscā magnificentiam. Distat aūt à Tyro octo leucis orientē uersus. Hinc sex leucis contra Aquilonem est Bellena ciuitas, in pede montis Libani sita, quæ ut ex libro Iudicū colligitur, olim Lachis dicebatur. Quumq; eam filij Dan cepissent, uocauerunt eam Lesedam, quæ tamen aliquando Dan simpliciter nominatur, secundum illud: Congregatus est Israël à Dan usq; Bersabee. Est enim Dan illa terminus terræ sanctæ uersus Septentrionē, Bersabee uero est limes contra Austrū. Cæterùm quū Philippus esset tetrarcha Iturææ & Traconitidis regionis, uoluit ciuitatē istam Bellenam suo nomine Cæsaream Philippi nominari, quæ prius à Græcis Panneas appellata fuit. Non longe supra hanc ciuitatem oriuntur duo fontes, nempe Ior & Dan, qui in pede montis Libani ante portam ciuitatis conuenientes, Iordanē fluuium efficiunt. Sunt tamen qui alium ortum Iordanem habere asserunt. Nam aiūt ab oriente per subterraneū meatū riuū quendam deferri, cuius fons ab isto loco centū & uigintiquinq; stadijs distat, qui Syala uocatur, & est semper plenus nunq; effluens, sed quantū aquæ per scatebram suscipit, tantum per abditam uoraginem in Dan transmittit, id quod per paleas immissas probatum affirmant. Saraceni tamen fontem illum primum non Syalam sed Medan uocant, hoc est, aquas Dan: nam מי id est me, lingua illorum, quę Hebraicæ affinis est, aquas significat. Porrò Matthæus locum istum uocat Magedan, & Marcus Dalmanuta, & est in Traconitidis regione. Iordanis itaq; fluuius, ut iam diximus, ante portam ciuitatis Bellenæ, ex duobus memoratis fontibus nascēs, post longos circuitus quos facit, inter Capernaum & Corozaim in mare Galilææ labitur. Et quidem inter Bellenam & mare Galilææ in quandam uallem receptus, stagnum quoddam efficit, præsertim tempore resolutionis niuiū à Libano defluentium, quod hodie aquas Maron uocant, ubi scilicet olim Iosue cum Iabin rege Assor dimicauit. Hoc stagnū tempore æstiuo pro maiori parte exiccatur, & crescunt ibi arbusta & herbæ diuersæ, in quibus latitant leones, ursi, & aliæ bestiæ. Porro ultra Iordanē sunt uarij montes, nempe mons Seir, mons Hermon, mons Libani, & mons Galaad, qui tamen omnes sunt unus mons continuus, nisi quod in diuersis locis diuersa sortitur nomina. Mons Galaad est altissimus, & uidetur reliquorū caput esse ob sui eminentiam, & huic cōiungitur mons Seir, quem Esau inhabitauit, ceciditq; in sortem dimidiæ tribus Manasses. Huic iterum iungitur mons Hermon qui circuit Traconitidem regionē, & perueniens usq; Damascū copulat se Libano

Thoron

B

Iordanis origo

Mare Galilææ & Tyberiadis idem

Montes Galaad, Seir & Hermon

inter Bellenam & Damascũ. Nec est Libanus ullo in loco eminentior quàm sit supra hanc ciuitatẽ, ut etiam iuxta Tyrũ uideri possit XL. leucarũ spatio, siue quinq; diætarum itinere. Sub Libano est Antilibanus. Præterea ualles quæ circa Libanũ inueniuntur, sunt supra modũ fertiles & cultæ, abundantes pascuis, uineis, hortis & pomerijs. Habitatores uero illorũ locorum sunt Maronitæ, Græci, Armeni, Nestoriani, Iacobini & Georgiani. Hæc de itinere quod ab Aconensi urbe uersus Boream tendit, dicta sufficiant. Nunc aliud iter prosequamur, quod scilicet ab Acone uersus Vulturnum ducit. A

Iter ab Acone uersus Vulturnum.

IGitur ab Acone quatuor leucarũ spatio est castellum Indi, dictum Saron, in montanis situm, quod fuit domus fratrum Teutonicorum, sed modo in ruinis iacet. Hinc ad leucã unam est castrũ regium, omnibus abundans bonis, sed à Saracenis modo occupatur. Ab hoc loco si destinatum iter prosequaris, exactis quatuor leucis, uenies contra aquas Maron, ubi est uallis in qua Eber Cineus tetenderat tabernaculũ haud longe à ciuitate Assor, cuius uxor, nempe Iahel, Sissaram principẽ militiæ Iabin regis Assor, clauo in tabernaculo per tempora fixo interfecit. Ab ista ualle usq; ad castrum Sabul, quod Saraceni Zabul uocãt, à quo terra illa Zabul uocatur, sunt leucæ tres. *Sabul*

A quo si uersus Austrũ per tres leucas perrexeris, occurret castrũ & ciuitas Sephet, quæ aliquando fuerunt de dominio militiæ templi. Castrum est firmissimũ & elegans, in altissimo monte situm, sed per Soldanum captum, & hodie in magnam Christianorũ iacturam ab illo possidetur, unde totam Galilæam, hoc est tribum Zabulon, Neptalim, Aser, Isachar, Manasse, & omnẽ terram usq; ad Tyrum & Sidonem subactam tenet. Inde contra Aquilonem ad quatuor leucas est Cedes Neptalim, quę fuit ciuitas fugitiuorum in tribu Neptalim, & abundat omnibus bonis. Monstrantur illic magnæ ruinæ, & sepulchra pulcherrima antiquorum. De castro Sephet per tres leucas in descensu montis contra orientem ad iactum lapidis à mari Galilææ, est mons ille quem toties seruator noster Christus ascendit, in quo fecit sermonẽ illum salutarem, quem diuus Matthæus describit, & in quo de quinq; panibus & duobus piscibus satiauit quinq; millia hominum. In hunc quoq; montẽ fugit, quũ populus eum uellet facere regem: ibi docuit discipulos orare, ubi & ipse sæpe pernox fuit in oratione. Ibi à Cẽturione fuit interpellatus pro puero paralytico curãdo. Hic quoq; uenit ad eum multitudo languentiũ, & suo tactu mundauit leprosum. Ab hoc monte uideri potest totũ mare Galilææ, Ituræa & Traconitidis regio usque ad montẽ Libanum. Continet longitudo eius duos iactus arcus, latitudo uero habet solum iactum lapidis: totus est herbosus & amœnus. In pede huius montis paululum à mari oritur fons uiuus, quem quidam somniant uenam esse Nili: Iosephus uero appellat eum Capharnaum, à quo etiam tota illa regio usq; ad Iordanem per tres leucas Capharnaum nominatur. Ab hoc fonte si ieris per uiginti passus supra mare Galilææ, est locus ubi Christus post resurrectionẽ suam stetit in litore, dicẽs discipulis piscantibus: Pueri nunquid pulmentariũ habetis? Ab eo loco orientem uersus per unam leucam est Capharnaum ciuitas quondam gloriosa, sed nunc uicus humilis, uix septem habens casas piscatorũ, ut adimpleretur uerbum Christi ita loquentis: Et tu Capharnaum, si in cœlum ascendes, usq; ad infernum demergeris. Ab hoc loco sunt tres leucæ ad ascensum montis Sanir, ubi scilicet est introitus Idumææ. Et superatis iterum tribus leucis, occurret Cedar ciuitas gloriosa iuxta montẽ Sanir infimo loco cõtra orientem sita. Per hanc ciuitatem & per litus maris Galilææ transit uia ducens ad occidentem, quam Isaias uocat uiam maris: quòd trans Iordanem in Galilæa gentium iuxta litus maris procedat. Ab hoc loco, ubi Iordanis mare influit, usque in Cedes Neptalim sunt quatuor leucæ, & in meditullio itineris est Maron aquarum, uallis quædã sic uocata, per quam transiens Iordanis cursum suum uersus orientem flectit. Proinde à ciuitate Corozaim, & ostio fluuij Ior-

Castrum Sephet — *Mons Christi* B — *Mõtis Sanir* — *Cedar*

A uij Iordanis cõtra Aquilonem sunt quatuor leucæ ad Suetam ciuitatẽ, unde fuit Baldad Suites. Monstratur ibi pyramis beati Iob. Ad huius loci campestria cõueniũt Saraceni ex diuersis regionibꝰ, à Syria, Mesopotamia, Moab & Ammon, toto æstatis tempore illic nundinas facientes, regionis amœnitate illecti. A' ciuitate Corozaim uersus orientem quatuor sunt leucæ ad ciuitatem Cedar, in alto monte sitam, quam Iosephus Camelam uocat, eo quòd mons ille Cameli formam præ se fert. Hic notabis, totam illam terrã quæ est ultra Iordanem, in litore eius orientali, uocari Traconitidis regionem, & planiciem Libani & Bosram, usq; ad montem Libani: litus uero occidentale appellatur Galilæa gentium, Ituræa, Zabul, Decapolis, & Via maris. In Traconitide est terra Huss, quæ beati Iob principatus olim fuit. *Sueta* *Huß*

Iter ab Acone uersus orientem.

AB Acone quinq; sunt leucæ ad Vallem fortem Aser, quę tenditur usq; ad mare Galilææ. Hinc tres sunt leucæ ad Nason uillam Neptalim, de qua in Tobia. Hinc tres sunt leucę ad Dotaim castrum sub monte Bethuliæ, ubi Ioseph errauit quũ quæreret fratres suos. Hinc tres sunt leucæ ad ciuitatẽ Neptalim, quæ nunc Suziz uocatur, unde Tobias fuit. Hinc tres leucæ sunt ad Bethsaidam, patriam Andreæ & Petri. Hinc iterũ tres leucæ numerantur ad Magdalum castrũ Mariæ Magdalenæ. Inde uenitur ad terram Gerasenorũ, in qua multę sunt ciuitates & oppidula, ubi etiam mons Hermon in dimidia tribu Manasse in altũ erigitur. Castrum seu oppidum Dotaim sitũ sub monte Bethulię, est admodum amœnũ: nam habet circumiacentes uineas, oliueta & ficeta, abundatq; pascuis pinguibus: ubi & usq; in hodiernum diem ostenditur cisterna (si incolis fides sit habenda) in quam Ioseph missus fuit. Per hunc locum transit iter à Syria in Aegyptum iuxta montes Bethulię per campum Esdrelon, procedens sub monte Thabor ad sinistram, & inde per campum Magedo ascendit in montem Ephraim, transiens per Ramatha Sophim, & tandem ducens in Aegyptum. *Dotaim* *Neptalim* *Bethsaida* *Magdalum*

B A' Nason tribus leucis ad orientem, & à Dotaim tribus leucis ad Aquilonẽ est ciuitas Neptalim, de qua fuit Tobias, quæ tempore excidij Hierosolymitani Ionapa creditur uocata. A' Neptalim tres sunt leucæ ad Bethsaidam in angulo maris Galilææ, habetq; hodie uix sex domos. Hinc ad tres leucas contra meridiem est Magdalum castrum, situm in litore maris, distans à Bethania tribus leucis contra Vulturnum. Sunt in hac plaga ultra mare Galilææ plurima castella & ciuitates, nẽpe Suetha, Theman, à qua Eliphaz Themanites, Geresa, à qua terra Gerasenorum, quæ in litore maris Galilææ sub monte Seir contra Tyberiadem est sita, licet paululum declinet ad Aquilonem. Est autem tota illa terra ultra mare Galilææ montuosa, eratq; olim de regno regis Basan, continens montem Seir: nam & Seir & Hermon inter illa montana comprehenduntur, cessitq; hæc terra dimidiæ tribui Manasse. Hodie uero Saraceni eam inhabitãt. Est & alius mons Seir iuxta desertũ maris rubri Pharan, ubi Codorlaomor & alij reges cum eo percusserunt Choræos, qui habitabant in monte Seir, quem Esau & posteri eius inhabitauerunt. Sunt tamẽ qui dicunt Esau utrunque inhabitasse montẽ, & utriq; nomen dedisse. Nam quum Iacob proficisceretur in Mesopotamiã, Esau habitabat cum patre suo in Bersabee, & assumptis omnibus suis secessit ultra Iordanem, quod hinc patet, quia dicitur Gen. *Mons Seir*

C XXXIII. Quum Iacob transisset Phanuel, ortus est ei sol, & eleuans oculos uidit uenientẽ Esau. Ostenditur autem hodie locus Phanuel ultra Iordanem ad orientalem plagam. Quòd si Esau tunc alterũ montem Seir inhabitasset, non tam subito occurrere potuisset fratri suo Iacob, quum mons ille à loco Phanuel plurimũ distet, quippe qui tribus diætis à mari mortuo in ulterioribus locis abest. Proinde hæc locorum mutatio uidetur illum cõsequuta propter diuersas uxores, quas passim ex alienigenis gentibus duxit. Nam quũ filiam Ismaël sororẽ Nabaioth accepisset, cœpit habitare in monte Seir, qui est iuxta desertũ Pharan, in confinio illo, ubi socer eius Ismaël habitauit, de *Phanuel*

quo in Genesi dicitur: Factus est uir gnarus sagittandi, moratusq; est in solitudine Pharã. Deinde duxit & alias uxores de filijs Euæi Chananæi, qui habitabant iuxta montes Gelboë non longe à mari Galilææ, ubi mons quidam ab eius inhabitatione denominatus est Seir, quem scilicet tunc possedit quũ Iacob è Mesopotamia rediret: id quod & hinc probari potest, quia quum Iacob timeret occursum fratris sui, occurrerunt illi angeli dei, ut trepidum corroborarent, quos appellauit Mahanim, hoc est castra: unde & locus ille Mahanim cœpit uocari: constat autem locum illum esse in monte Galaad, qui tribui Gad cessit in sortem. Mons itaque Seir qui est in tribu Gad, non longe abest à montibus Gelboë atque ciuitate Bethsan, ubi scilicet Iordanis ingreditur mare Galilææ, à quo loco litus Iordanis orientale est duarum tribuum & dimidiæ usque ad campestria Moab sub monte Abarim. A' quo si ulterius in eiusdem fluuij litore contra Austrum procedas, transibis terram Moab usque ad Petram deserti, quæ nunc Krac dicitur, cui pars quædam terræ Ammon succedit, pertingens ad Mare mortuum, & hinc usque ad montem Seir qui coniungitur deserto Pharan iuxta Cadesbarne, habens à latere desertum Sinai.

Mons Galaad — *Petra deserti*

Iter ab Acone uersus Eurum.

NVnc aliam prosequamur lineam, ab Acone scilicet consueto more exordium facientes, & contra Eurũ iter dirigentes. Igitur si ad hanc plagam gressum moueris, primo occurret Cana Galilæę, IIII. distans leucis ab Acone. Hinc sunt duæ leucæ uersus meridiẽ ad uillam Ramam nomine, quæ sita est sub monte qui Nazaret usq; pertingit. A' Rama est una leuca & dimidia ad uillam quandam quæ olim grandis fuit uocata Abelina, distans à Dotaim media leuca uersus orientẽ, de qua in libro Iudith fit mentio. De Abelina est una leuca ad montẽ Bethuliæ, ubi Iudith occidit Holofernẽ, qui mõs per totam ferè cernitur Galilæam, habẽs adhuc pulchra quædam ædificia, sed plures ruinas. A' Bethulia est una leuca ad ciuitatẽ Tyberiadis, eundo, scilicet, inter orientẽ & Austrum supra mare Galilææ, à qua mare Galilææ dictũ est mare Tyberiadis. Hæc olim uocata est Cinereth, & ab ea mare Cinereth, sed ab Herode instaurata in honorẽ Tyberij Cæsaris, Tyberias est uocata. Habet solũ fertile & pingue, terminaturq; ad eam regio Decapoleos, de qua Iacobus patriarcha Hierosolymitanus sic ait in libro quem de terra sancta composuit: Regionis Decapoleos fines sunt mare Galilææ ab oriente, & Sidon magna ab occidente, & hæc est latitudo eius. In longitudine uero incipit à ciuitate Tyberiadis, & uergit per litus maris Aquilonare usq; in Damascũ. Dicitur autẽ Decapolis à decẽ principalibus eius ciuitatibus, quarũ nomina sunt hæc: Tyberias, Sephet, Cedes Neptalim, Assor, Cæsarea Philippi, Capharnaum, Ionitera, Bethsaida, Corozaim & Bethsan, quæ etiam Sitopolis est appellata. A' Tyberiade contra occidentem sunt sex leucæ, & à Cana Galilææ tres contra Austrum ad Sephorũ oppidum & castrum, unde Ioachim pater beatæ Virginis oriundus putatur: & est in tribu Aser iuxta uallẽ Carmelon. A' Sephor sunt tres leucæ contra Austrum ad Nazareth ciuitatẽ Galilææ, ubi Christus conceptus & educatus fuit. Distat ab Acone septem leucis. Extra eam ciuitatẽ ad spatium unius stadij est locus, quem appellant saltum domini, ubi Iudæi uolebant Iesum præcipitare, sed subito elapsus manibus eorũ, in latere montis opposito inuẽtus est. Ab isto monte uidetur mons Thabor & Hermon, uilla Endor, Naim & Iezrael, atque ferè tota planicies campi Esdrelon. A' Nazareth duabus leucis uersus orientem est mons Thabor, in quo dominus transfiguratus fuit. Sunt in eo adhuc ruinæ uariæ palatiorũ, & turriũ quæ hodie sunt latibula leonũ & aliarũ bestiarũ. In pede Australi huius montis contra uillã Endor prope uiã quæ ducit à Syria in Aegyptũ, est locus ubi Melchizedec dicitur occurrisse cũ pane & uino Abrahæ redeunti à cæde IIII regũ. In pede uero eius oriẽtali descendit torrẽs Cison, iuxta quẽ Barac pugnauit contra Sisarã & in fugã uertit. Colligitur aũt torrens

Bethulia — *Decapolis* — *Nazareth*

A rens iste de aquis pluuialibus quæ defluũt à montibus Thabor & Hermon,
& præcipitatur in mare Galilææ. A monte Thabor cõtra Eurum est una leu
ca ad uillam Endor, quæ situ habet iuxta montẽ Hermonim: qui tamen non Endor
est mons proprius & distinctus, sed iugũ quoddam humile seu tumor quidã
à monte Hermon contra montem Thabor procedens. Est & alius mons Her Mons Hermõ
mon minor, qui distat à Nazareth duabus leucis, à monte uero Thabor uer-
sus Austrũ paulo plus una leuca, in cuius latere Aquilonari est ciuitas Naim, Naim
ubi dominus filium uiduę unicum à mortuis suscitauit. Extenditur aũt mons
ille in longum fere quatuor leucis contra mare Galilææ, desinens non longe
ab eo loco ubi Iordanis ex mari Galilææ egreditur.

Iter ab Acone uersus Notum.

DEscribemus hunc iter aliud in quarta orientali, procedendo, scilicet, ab
Acone contra Notum. Igitur ab Acone quatuor sunt leucæ ad torrentẽ
Cison, ubi Elias occidit sacerdotes Baal, & is torrens paruo exacto terræ spa
tio intrat mare magnum, tribus scilicet ferè leucis ab Acone. Et licet iam di-
xerimus hunc torrentẽ in mare Galilææ deferri, tamen quum locus eius ori-
ginis sit aliquanto eminentior, fluit in diuersas plagas, partim scilicet contra
orientem in mare Galilæę, & partim contra occidentẽ in mare magnũ: & ita Duplex tor-
duo sunt torrentes seu riui, sed ab uno loco originem ducentes. Ille tamẽ Ci rens Cison
son qui fluit ad occidentẽ, colligit plures aquas, quia à monte Ephraim & à
locis Samariæ propinquioribus atq; à toto campo Esdrelon, confluunt pluri
mæ aquæ & recipiuntur in hunc unum torrentẽ. A loco interfectionis sacer
dotum Baal sunt tres leucæ contra Austrum ad castrum Cain: à quo rursum
uersus Austrum ad Magedo sunt sex leucæ, quod hodie Subimbre uocatur, Magedo
ubi rex Iosias occisus fuit à Pharaone rege Aegypti. Et aduerte quòd cãpus
iste Magedo, Esdrelon & planicies Galilææ sunt fere unus & idem campus:
sed nomina illa hodie omnia in obliuionem abierunt, uocaturq; campus Sa-
B bæ, à quodam castello quod Saba nũcupatur, distans à ciuitate Aphec quan Campus
tus est iactus arcus. Cingitur campus ille ab oriente mari Galilææ & Iorda- Sabæ
ne, ab Austro monte Ephraim & Samaria, ab occidente partim monte E-
phraim & partim monte Carmelo, ab Aquilone montibus planiciei & Liba
no, uideturq; iuxta longitudinem habere x. leucas, & iuxta latitudinem sex.
De monte Cain contra orientem sunt duæ leucæ ad Casal Mesra, & una leu
ca contra Austrũ ad castellum quod Saba uocatur, ad cuius occidentale la-
tus extra uiam quæ ducit in Iezrael ad dexteram, ostenduntur ruinæ ciuita-
tis Aphec, ubi Syri pugnauerunt contra regẽ Achab, quando dixerunt: Dĳ Aphec
montium dĳ deorũ, pugnemus contra eos in uallibus. De Aphec ad unã leu
cam contra orientẽ sinistram uersus, extra uiam quæ ducit Iezraël, in latere
Australi montis Hermon, est ciuitas Suna, celebris miraculo quod per Eli-
sæum dominus in suscitatione pueri mortui fecit. A Suna XI. sunt leucæ ad Suna
ciuitatem Bethsan, eundo contra orientem, & parũ declinando ad Austrum,
inter montẽ Gelboë & Iordanem. Distat autem media leuca à Iordane. In hu
ius murũ suspenderunt Philistĳm cadauera Saulis & filiorum eius, quos oc-
ciderunt in monte Gelboë. Hæc Bethsan secundum Iosephum alio nomine
uocatur Sitopolis. Iuxta hanc ciuitatẽ est mons Gelboë, extendens se uersus
occidentem usq; in Iezraël ad duas leucas. A Bethsan sunt duæ leucæ uersus
occidentẽ ad Iezraël, quę olim erat una ex ciuitatibus regalibus in Israël: sed Iezrael
hodie uix habet XX. domos, uocaturq; Zaracin, in pede montis Gelboë ad
occidentẽ sita. Ante cuius introitũ est ager Nabot. Et nota quod hi duo mon Mons Gelboë
tes, Hermon & Gelboë, iacent in una linea meridionali, Gelboë quidem ad
Austrum, & Hermon ad Aquilonem, intercepto duarũ leucarum spatio in-
ter eos. Longitudo uero eorũ est ab oriente in occidentẽ, terminanturq; am-
bo ab oriente in Iordanem. Porrò longitudo eorũ describitur esse undecim
leucarũ. In ualle uero seu planitie intermedia describũtur multi cõmissi con
flictus. Ibi enim pugnauit Gedeon contra Madian, & Saul cõtra Philisteos,

Achab contra Syros, & modernis temporibus Tartari ibi conflixerunt cum Saracenis. Notandum quoque hic, supra regionem Traconitidis esse alium montem Hermon iuxta montem Sanir, de quo scriptura in multis locis mentionem facit, & est multo maior & altior illo de quo hic scripsimus. Cæterum in planitie quæ est inter istos montes, incipit conuallis, quæ ob sui amœnitatem dicitur illustris, extenditurq; in longum per totum descensum Iordanis usque ad mare mortuum: & priusquam dominus subuerteret Sodomam & Gomorrham erat uallis illustrissima, aquis irrigata ut paradisus Dei. Habet Iezraël pulchrum prospectum per totam Galilæam, usque ad Carmelum & montes Phœnicis, montemq; Thabor & Galaad. Ante montem Galaad uersus Iezraël, quæ est in latere Australi montis Gelboë, transit uia plana de Iordane in Salim, ubi erat Ioannes baptizans. Nec est uerum, ut quidam putant, neque rorem neque pluuiam descendere super montes Gelboë, quum in memetipso anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo tertio, & pluuiam & rorem in illo monte sim expertus. De Iezraël sunt quatuor leucæ contra Austrum ad oppidum † Ginum, situm in pede montis Ephraim, ubi incipit Samaria. Sunt autem à Gino ad Iordanem septem ferè leucæ eundo uersus orientem, & loco illi coniungitur ab Austro terra Taphue. A' Gino contra Austrum sunt quatuor leucæ ad ciuitatem Sebasten, quæ olim Samaria fuit dicta, caput regni decem tribuum, quod regnum Israel dicebatur. Nunc uero peccatis hominum exigentibus paucul as habet domos unà cum ecclesia in honorem diui Ioannis baptistæ extructa, sed quam Saraceni sibi usurpauerunt. Est & alia ecclesia in supercilio montis, ubi palatium regis fuit sita, quam Græci monachi Christiani inhabitant, à quibus humaniter fui susceptus. Non facile dixero quales & quãtas ruinas in hoc loco uiderim, ut etiam longe excedant ruinas quæ Hierosolymis cernuntur. In monte uidentur adhuc columnæ marmoreæ, quæ sustentabant regia illa ædificia, palatia & deambulatoria, quin & per totum montis circuitũ huiuscemodi inueniuntur stantes columnæ, quæ platearum sustinebãt testudines. Situs huius deuastatæ ciuitatis est pulcherrimus, nam inde liber patet aspectus usq; ad mare Ioppe, & ad Cæsaream Palæstinæ, ad montem Ephraim, & ad Carmelũ maris: abundat quoq; hortis, fontibus, oliuetis, & omnibus bonis necessarijs. A' Samaria contra orientem sunt tres leucæ ad Thersam ciuitatẽ, sitam in alto monte, in qua reges Israel ante extructionem Samariæ aliquanto tempore regnauerunt, eratq; in sorte Manasse. A' Thersa ad orientem, in uia quæ ducit ad Iordanẽ, est terra Taphue, sex distans à Thersa leucis, & est quoq; de sorte Manasse. A' Samaria contra Austrũ iuxta uiam quæ ducit Sichẽ sunt duæ leucæ ad Bethel in alto monte sitam, in quo Ieroboam filius Nabat posuit unum de uitulis aureis, quibus peccare fecit Israel. Inde ad mediam leucam uersus sinistram, est mons alius nomine Dan, supra ciuitatem Sichem, in quo secundũ quosdam alius uitulus aureus positus fuit. Diuus uero Hieronymus putat eum constitutũ fuisse in ciuitate Dan, quæ nunc Belenas & Cæsarea Philippi uocatur. Inter istos duos montes sita est ciuitas Sichem, quæ hodie Neapolis uocatur, amœnitate & delitijs nullo loco inferior. Haud longe à porta eius Australi est fons Iacob in uia quæ ducit Ierusalem, ubi dominus sedens super puteum, potum postulauit à muliere Samaritana. Supra fontem istũ ad dexteram est mons excelsus habẽs duo capita, quorũ unus est mons Garizim, alius mons Ebal, de quibus in Deuteronom. legimus. Ad sinistrã uero fontis huius sunt ruinę magni oppidi, ubi cernuntur lapides marmorei, & integræ quædã columnę, aliaq; magnorũ & collapsorũ palatiorũ indicia. Locus quoq; ipse mirum in modũ est fertilis, & solum fœcundũ. Distat ab his ruinis Neapolis uno stadio, putoq; fuisse oppidũ Thebes. Huic fonti adiacet prædiũ quod dedit Iacob filio suo Ioseph, uallis scilicet quædã longa & fertilis. A' Sichem numerantur quatuor leucæ cõtra Austrũ ad Lemnam, casale ualde pulchrũ, situm

Marginalia: Vallis illustris (beside "sui amœnitatem dicitur illustris"); Alij Gelim (beside "Iezraël sunt quatuor leucæ … Ginum"); Thersa (beside "leucæ ad Thersam ciuitatẽ"); Sichem (beside "duos montes sita est ciuitas Sichem"); section letters A (top right) and B (beside "sustentabant regia illa ædificia").

A iuxta uiam ad dexteram, quæ ducit Ierusalẽ. Est & alia Lemna ciuitas in tribu Iuda, hæc aũt est in tribu Ephraim. A Lemna eundo cõtra Austrum sunt IIII leucæ ad oppidũ Magnas nomine, quod fuit terminus Australis tribus Ephraim, hodie uero dicitur Bira, & est de dominio militiæ templi. A Magnis uersus Austrũ est una leuca ad Gabaa Saulis, ubi oppressa fuit uxor Leuitæ, & ob facinus illud fere tota tribus Beniamin deleta, ubi & Saul filius Kisch primus rex Israël natus fuit. A Gabaa euntibus una leuca cõtra Austrũ occurrit Rama ciuitas, sed quæ hodie est uilla, sita in monte ad sinistrã itineris ducentis in Ierusalem. Hinc tres sunt leucæ eundo contra Austrum ad ciuitatem Ierosolymitanã, de qua infra. Hic uero reuertar ad Sichẽ, & describam iter quod ab ea ducit uersus orientem. Itaq; à Sichem, uersus orientem ad Iordanem procedendo, quatuor sunt leucæ ad Ennon oppidum bene munitum atq; optimis abundans terræ nascentibus, fuit autem de sorte Ephraim. Ab Ennon contra orientem quatuor sunt leucæ ad Phasellum casale, situm in descensu montis Ephraim, tribus leucis à Iordane in campestribus, ubi torrens Charith descendit de monte, in quo loco mãsit Elias, quando corui ei deferebãt cibum mane & uespere. Sunt & aliæ uillæ in terra sancta, quæ Rama uocantur, una iuxta Thecuam in uia qua itur in Hebron, alia in tribu Neptalim nõ longe à casali Sephet, tertia in Silo. Et omnes istæ uillæ iacent in collibus excelsis: nam Rama excelsum interpretatur. A Phasello ad sinistram una leuca uersus terram Taphue, est castrum Dooch, ubi Tholomus filius Abochi insidiose cepit Simonem Machabæũ. In loco isto cõspicitur terra Galaad, & duarũ tribuũ atq; dimidiæ, terra Esebon & montana Moab, mons Abarim & Phasga atq; Nebo: & descenditur hinc in campestria Iordanis quæ loca sunt plana usq; in Iericho, & ultra per totũ descensum Iordanis usq; ad mare Salinarum. Sciendum etiam quòd ab ortu Iordanis sub mõte Libano usq; ad desertum Pharan per centum fere milliaria,
B Iordanis ipse in utraq; ripa campos habet latos, & amœnos atq; prata uirentia positis hinc inde altissimis montibus, in quos hæc arua desinunt, qui & usq; ad mare mortuũ iuxta Iordanis riuum protenduntur. De Phasello contra Austrum quinq; sunt leucæ usq; ad Galgalam, ubi filij Israël transito Iordane longo tempore sunt castrametati. A Galgalis si uersus Iericho uadas, habes ad dextram montem Quarentanam dictum, distantem media leuca à Galgalis, ubi, scilicet, dominus quadraginta diebus & noctibus ieiunauit, Est mons ille altus, & ascẽsu difficilis, habens ab uno latere fontem, cuius aquas amaras sanauit & dulcorauit Elisæus, cuius aquæ fluũt iuxta locũ Galgalæ à parte Australi, & illico in tantum succrescunt, ut impellant totas moles, sed postea in riuos secretæ, hortos & prata irrigant. A Galgala dimidia leuca contra Austrum est uallis Achor, ubi lapidatus fuit Achan ob furtũ anathematis. Item à Galgala per unam leucam contra orientem est sita Iericho, ciuitas olim famosa, nunc autem habet octo domos, uix nomen uillæ sortita. A Iericho per duas leucas uersus Iordanem est sacellum extructũ in honorem sancti Ioannis baptistæ, ubi putatur dominus ab eo baptizatus: alij uerò id factũ putant in Salim. A Iericho sunt duæ leucę uersus mare mortuum ad Bethagla, ubi filij Israël planxerunt patrem suum Iacob defunctũ, quando eum tulerunt de Aegypto, & distat una leuca à Iordane. A Iericho tres numerantur leucæ ad mare mortuum, quod est locus asphalti seu bituminis, quod etiam mare salis nominatur, diuiditq; Arabiam à Iudæa & terminatur ad eius litora terra Moab & Ammon, item'que mons Seir, de quibus supra mentionem fecimus. Circa medium eius, in litore orientali ostenditur castrum Mozera, quod olim Petra deserti uocabatur, nunc uero Crack dicitur, munitum apprime, quod Balduinus rex Ierosolamitanus restaurauit, ut regnum illud ampliaret, sed à Soldano nunc tenetur, qui in eo reponit thesaurum totius Aegypti & Arabiæ. A Crack duę numerantur leucæ (secundũ aliud exemplar, duæ dietæ) ad Areopolim eũdo uersus Vulturnum

Magnas
Gabaa
Dooch
Achor

turnũ, quæ nũc Petra dicitur, & est metropolis totius Arabiæ secũdæ. Olim uero Ar uocata est, sita in torrente Arnõ, in confinio Moabitarũ, Ammoni tarum & Amorreorum. In eodem litore est locus ubi Balaam ductus fuit in montana Moab, ut malediceret filijs Israel. A' Iericho quinq; sunt leucæ con tra Austrũ ad oppidũ Segor, sub monte Engaddi positũ, inter quem mon- tem & mare mortuũ est statua salis, in quam uxor Lot fuit conuersa: pro qua uidenda, multum subij laboris, sed incassum: nam auerterunt me Saraceni, dicentes locũ non carere periculo propter serpentes, uermes, & feroces be- stias ibi habitantes: sed postea comperi rem nõ ita se habere. Et nota quòd mare mortuum ab oriente in occidentẽ, quæ est latitudo eius, habet quinq; leucas, in longitudine uero, quæ est ab Aquilone ad Austrũ, habet quinque diætas: ut mihi Saraceni retulerunt. Alij tamen aliã assignauerunt longitudi nem. Scribit patriarcha Ierosolymitanus, qui sæpe locum illum inuisit, ma- re illud semper fumum reddere & nebulam in modum camini infernalis: un de tota illa uallis quę aliquando ob sui fœcunditatem & amœnitatẽ illustris dicta fuit, ad spatium dimidiæ diætæ sterilis & inutilis reddita est, ita ut nec ullum germen proferat fere per spatium quinq; leucarum, nisi iuxta ciuitatẽ Iericho, ubi horti irrigantur à fonte Elisæi. A dextris & sinistris huius maris, montes steriles & aridi cernuntur, nam quocunq; uapor à mari illo ascen- dens impellitur, ibi terræ nascentia non secus quàm si à pruina fuissent tacta emoriuntur. In quo districtum dei iudicium nobis ob oculos ponitur, qui tã seuere grandia illa Sodomorũ peccata usq; in hodiernũ diem non desinit pu nire. Nec nisi uisa hic scribo. Dixerunt mihi Saraceni, Iordanem ingredi ma re mortuũ; & rursum egredi, sed post exiguum interuallũ à terra absorberi. Excrescit interdum mare illud ex resolutione niuium de Libano & pluuijs cadentibus in Galilæa, in monte Galaad, terra Moab, Ammon & Seir, quæ aquæ omnes in Iordane confluunt, & in mare mortuum emittuntur. Inueni tur in eo bitumen, collectum de fundo eius, quod agitante uento sibijpsi co- hæret, & litori appulsum in magna legitur quãtitate. Est autem medicinale & durũ, nec resolui potest, nisi in sanguine menstruo, appellaturq; gluten Iu daicum, & ab eo lacus asphalti, id est, bituminis appellatur. De quo in Gene si ita legimus: Vallis syluestris, quæ nunc est mare salis, habebat puteos mul tos bituminis. Hi putei usq; in hodiernum diem cernuntur in litore eius, ha- bentes singuli pyramides erectas, id quod oculis meis uidi. Et tantum de isto mari. A' Galgala tres numerantur leucæ similiter à fonte Elisæi cõtra Aqui lonem à latere Septentrionali montis Quarentanæ ad ciuitatẽ Hai, quã ex- pugnauit Iosue. Ab Hai, ferè una leuca contra Aquilonem est Bethel ciui- tas, quæ olim Luza dicebatur in tribu Beniamin, ubi Iacob in orientem à fa cie fratris sui Esau fugiens dormiuit, & supposito capiti suo lapide, uidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumine suo cœlos tãgentem: ubi & erexit lapidem in titulum, uocauitq; nomen loci illius Bethel. Et hic erãt hi qui dicunt hęc Ierosolymis facta. Ostenditur aũt adhuc iuxta Bethel lapis ille in titulũ erectus, unà cũ sepulchro Deboræ nutricis Rebeccæ. A' Bethel una est leuca eundo contra Aquilonem uersus Rama, quæ Silo dicitur, ad palmam Deboræ uxoris Lapidoth, quæ iudicauit Israel, & misit Barach ad pugnandum contra Sisaram in monte Thabor. A' Bethel per duas leucas non longe à Rama Beniamin, est Anatoth uiculus sacerdotum, de quo Iere- mias propheta fuit oriundus. Iuxta Anathot inter orientẽ & Austrum inci- pit desertum illud quod est inter Ierusalem & Iericho, quod nunc desertum Quarentanæ dicitur, & extenditur usq; ad mare Galilææ, & usq; ad desertũ Thecuæ & Engaddi iuxta mare mortuum. A' Segor supra mare mortuum ad unam leucam est ascensus montis Engaddi; ubi Dauid aliquando latita- uit, quum à Saul hostili animo quæreretur. Ibi quoq; in circuitu montis fuit hortus Balsami, sed tempore Herodis magni Cleopatra regina Aegypti, in odium ipsius Herodis annuẽte Antonio, transtulit illũ in Babylonem Aegi- pti

Marginalia: A — Segor — Mare mortuum — Iordanis exinanitio — B — Asphaltum — Bethel — Silo

A pti. Sub Engaddi iuxta mare mortuũ sunt arbores pulcherrimæ, sed fructus earum quando decerpuntur, intus fauilla & cinere pleni inueniuntur. Montes Engaddi sunt ualde alti, mirabilem præ se ferẽtes dispositionem: nam habent tam præruptas rupes casum minantes in ualles subiectas, ut uidentibus & transeuntibus timorem & terrorem incutiant. A` Iericho quatuor sunt leucæ contra occidentem, uia quæ ducit Hierosolymam ad sinistram Quarentanæ, ad castrum Adumim, ubi scilicet ille qui descendebat de Hierusalem in Iericho, incidit in latrones: id quod his temporibus adhuc multis contingit, & ob id ab effusione sanguinis frequenti nomen accepit. Est locus ipse uisu horribilis, & periculosus ualde, nec quisquam eum audet pertransire sine cõductu. Ab Adumim una leuca contra occidentem est Bahurim de tribu Beniamin, de quo fuit Semei filius Iemini qui maledixit Dauid, & est castrum pulchrum in monte alto situm. De Bahurim contra occidentem ad duos iactus arcus est Bethania, castellum Marthæ & Mariæ, ubi peregrinis adhuc ostenditur domus Simonis leprosi, & sepulchrum Lazari, in quo resuscitatus fuit à domino, tectum lapide marmoreo, in quod ego ut reliqui descendi. Recedendo à Bethania non uideri potest Ierusalem ob interpositum montẽ Oliueti, sed conscenso quodam terræ tumore, uidetur pars quædam ciuitatis unà cum monte Sion.

Adumim

Bethania

Descriptio ciuitatis Hierosolymitanæ.

IErusalem itaq; ciuitas dei summi, de qua dicta sunt gloriosa, posita est in terra montosa: montes enim sunt in circuitu eius, habetq; in circuitu terram fertilem & bonam, præterquam ad orientem & uersus Iordanem. Distat ab Acone triginta sex leucis, quæ scilicet est contra Aquilonem: à Sebaste uero siue Samaria distat sedecim leucis: à Sichem octo; & à Nazareth uiginti septem. Et hæc loca omnia sunt uersus Aquilonem. A` Ioppe uero distat octo leucis inter occidentẽ & Aquilonem, à Iericho septem uersus orientẽ, à Beth B leem duabus, ab Hebron octo, & hæ ciuitates sunt ad Austrum. Posita est itaq; hæc urbs ab Austro in latere montis Sion, & ab occidente habet montẽ Gion, nec est hodie situs eius mutatus ut aliqui fabulantur, quum ob locorũ munitionem transferri non possit à pristino situ. Est quidem nonnihil ampliata in latum, sed non in longum, quum à parte arcis & montis Sion extendi non possit, siquidem mons ille supereminet, intra muros tamen ciuitatis conclusus, amplissimus, qui per se ferè ciuitati fundum præstare posset: nam initium sumit à porta aquarũ siue fontis Silohæ uersus orientẽ, & suo tractu per meridiem usq; ad occidẽtem ferè semicirculum describit, rupe prærupta semicirculũ hunc cingẽte & cõsolidante. Concauitas uero huius semicirculi quum uersus ciuitatem exinanita esset, ut non cõmodum fundamentũ castro esse potuerit, plurimũ negocij priscis regibus fecit, quousq; oppleretur. Porrò à parte occidentis ubi iugũ montis initium sumere diximus, sita est turris Dauid in quodam colle ipsius prærupte rupis, habebatq; à tergo uoraginem quandam quæ uenit à parte Australi montis Sion, & in huius turris angulo se reflectens gyrabat uersus orientẽ, diuidebaturq; in duas ualles profundas, quarum una uergit ad Aquilona, altera ad orientẽ, alium scilicet constituentes angulum, oppositũ illi angulo, cui innititur turris Dauid. Proinde uallis quæ à turri Dauid descendebat contra latus Aquilonare montis Sion usque ad montem Moria, & reflectitur in orientem, separabat montẽ Moria in quo fuit templum, à monte Sion, & totam inferiorẽ ciuitatẽ, extẽdebaturq; usq; ad torrentem Cedron, per locum ubi nunc est porta aquarum inter montem Sion & palatium Salomonis, quod ædificatum fuit in parte Australi montis Moria, & hoc pacto cingebat uorago illa ex omni parte montẽ Sion, & hæc erat ciuitas Dauid. Verũ nunc uorago ipsa tota repleta est, relictis tamen uestigijs prioris cõcauitatis. Altera uero uorago seu uallis quę ab ista iuxta turrim Dauid diuidebatur, procedebat uersus Aquilonem, faciebatq; fossam ciuitatis iuxta longitudinem eius usq; ad plagam Aquilonis: & super eam e-

Turris Dauid

rat intrinsecus rupes eminens, quam Iosephus Arram appellat, quæ sustine A
bat murum ciuitatis superpositum, cingentem ab occidente ciuitatem usq; ad portam Ephraim, ubi curuatur cõtra orientẽ, usq; ad portam Anguli, quę in angulo ciuitatis constituta erat contra angulũ Aquilonis & orientis: & ibi rursus curuabatur ab Aquilone per orientem contra Austrũ extra aream templi, includens illã & domũ regis atq; portam fontis siue aquarum iuxta montem Sion. Et iste totius ciuitatis erat ambitus. Rupes autem illa super quam ex parte occidẽtis erat extructus murus ciuitatis, erat ualde eminens, præsertim in angulo, ubi occidentalis muri pars connectebatur Aquilonari ubi & turris, Neblosa dicta, erecta erat, & propugnaculũ ualde firmum, cuius ruinæ adhuc uisuntur, unde tota Arabia, Iordanis, mare mortuũ, & alia plurima loca sereno cœlo uideri possunt. Ab hac rupe ex parte occidẽtis de cliuis pendebat ciuitas, nũc paulatim sese inclinans. & rursum sensim erigẽs usq; ad murum orientalem qui erat super torrentem Cedron, ubi ciuitas ipsa contingebat litus fluminis, habens illic portam, quæ dicebatur porta Sterquilinij, eo quòd per eam sordes ciuitatis defluebant in memoratum torrentem. Extra uallẽ quæ est à parte occidentis, fuit dominus crucifixus: & post passionem suã uorago illa fuit terra repleta, & longo post tẽpore ciuitas muro alio fuit cincta à turri Dauid usq; ad portã Ephraim, quæ nunc Beati Stephani nominatur. Ab occidente uero rupes illa quę erat pars montis Gion, qui in altum contra occidentẽ surgebat, supereminebat urbi, sicq; tota ciuitas ab istis duobus montibus quasi in decliui pẽdebat. Mons Moria, in quo

Mons Moria

templũ domini & palatiũ regis ædificata erant, aliquãtulum altior erat ciuitate, sed per Romanos complanatus fuit mons ille, & missus in torrentẽ Cedron cũ omnibus ruinis templi & atriorum, id quod hodie aperte uideri potest. Area aũt templi quadrata est, habens in longitudine & latitudine iactũ arcus, & aliquid plus spatij, & templum in ea nũc ędificatũ adhęret ferè muro ciuitatis, quum uetus templum longe ab eo dissitum fuerit, quippe quatu B
or atrijs interpositis, nec modo distat à murro torrẽtis Cedron ultra triginta pedes. Ab area templi contra Aquilonẽ, quãtus scilicet est iactus lapidis, est porta uallis quæ ducit in uallem Iosaphat: & hæc etiã uocatur porta gregis, quòd per eam introducebantur greges immolandi in tẽplo: Proinde intrantibus portam ualllis seu gregis, ad sinistrã occurrit piscina probatica, in qua

Piscina probatica

Nathinnei lauabant hostias, quas tradebant sacerdotibus in templo offerendas, & hæc duas porticus habuisse ostenditur, in quibus secundum Ioannẽ iacebant infirmi, aquæ motum expectantes. Ad dextram uero ostẽditur alia piscina grandis, quæ dicebatur piscina interior, facta ab Ezechia: nã obturans superiorẽ fontem aquarum Gion, auertit aquas eius, direxitq; uersus occidentem urbis Dauid, incidens ferro petram per uallem quã paulo superius commemorauimus, introduxit aquas per medium ciuitatisin piscinam istam, ne populus in obsidione positus aquę penuria laboraret: fontem uero aquarum Gion, qui non longe distabat ab agro fullonis, duxit in superiorẽ piscinam, quæ est super natatoria Silohæ. Et hæc quidẽ Achaz incepit, sed nõ perfecit. De hac piscina & hoc fonte atq; eius situ loquitur Isaias: Egredere ad extremũ aquæductus piscinę superioris in uia agri fullonis. Dicitur autem piscina superior respectu natatoriæ Silohæ, quæ tanquam inferior recipit aquas de fonte Silohæ. Et ne erres in his piscinis, aduerte quòd prima & pręcipua piscina in Ierusalem erat piscina probatica, duas habens porticus, quam Solomon fecit pro ministerio templi. Secunda fuit iuxta illã contra Aquilonẽ, dicta interior, quam fecit Ezechias, ut dictum est. Tertia natatoria Silohæ, quæ erat sub monte Oliueti, & sub monte Sion, prope agrũ Hakeldemach, habebatq; aquam de fonte Silohæ, quam Ezechias quoq; fecit. Quarta erat superior piscina, de qua dictũ est, quam Ezechias etiã fecit: Et hæc non fuit in ciuitate, ut quidam sentire uidentur, cum ciuitas ipsa altior fuerit origine eius, de qua hæc piscina suas hauriebat aquas, nempe de fonte

Silohæ,

A Silohæ, & de fonte inferiori aquarum Gion. Vallis Iosaphat cingebat ciuitatem ex parte orientis, sub mõte oliueti descendens: & quamuis adhuc sit profunda, multum tamen est impleta. Romani enim, ut dicit Iosephus, ab illa parte ciuitatem oppugnantes, incisis oliuis & alijs arboribus atq; aggeribus inde factis, eam impleuerũt. Sed & postea capta ciuitate, Aelius Adrianus iussit ruinas atriorũ & tẽpli proijci in torrentẽ Cedron atq; complanari montem Moria, & ciuitatẽ aspergi sale, quæ usq; in hunc diem oculariter uidentur iacta. Sepulchrum Virginis gloriosę ostenditur in ualle Iosaphat, nõ in ima eius profunditate, sed in pede mõtis Oliueti, & in editiori loco quàm sit ipsa uallis, quod ante subuersionem ciuitas extra terram eminebat: nunc uero est sub terra, unà cum ecclesia circum sepulchrum extructa. Non longe ab hoc ostenditur alia ecclesia, ubi fuit hortus Gethsemani, quem dominus oraturus ante passionem suam intrauit iuxta montem Oliueti cuidam rupi concauæ adhærens, sub qua discipuli sedisse memorantur, quum ipse oraret ad patrem. Sub monte Sion contra regiam Salomonis in occidentali latere uallis Iosaphat est fons Silohæ, à quo per aquæductũ deriuatur aqua in piscinam superiorem & in natatoriam Silohæ, nõ semper, sed quando inundat aquis. Porrò ambæ piscinæ sunt in pede montis Sion. Suscipiunt quoq; hæ piscinę aquas de fonte Gion inferiore, qui oritur sub agro fullonis. Iuxta has piscinas ad iactum lapidis ultera uallem ad plagam Australem est ager Hakeldemach, emptus triginta argenteis illis, quibus Iudas dominum uendidit, deputatus in sepulturam peregrinorũ. Infra piscinas istas & agrũ Hakeldemach contra orientem; fluit torrens Cedron, colligunturq; in ipsum omnes aquæ, quæ tempore pluuiarum in altiora quæq; loca circumadiacentia ab aëre descendũt. Nõ lõge à sepulchro Virginis benedictæ auditur strepitus eius sub terra ad locũ istũ properãtis: augescit quoq; ex aquis quę perfluũt ex memoratis piscinis, & defert in uallẽ Gehennon, quę etiã locus Tophet uocatur, ubi est fons Rogel, lapis Zoeleth, & ubi Adonias fecit conuiuium, quum regnare instituisset, Ibi quoq; Isaias sepultus dicitur, serra prius iuxta fontẽ Silohæ sectus. Sunt hæc loca amœnissima, delitijs plena, uiridarijs & hortis consita, irrigante ea torrente Cedron. Sub hunc locũ est mons offensionis, ubi fuit locus ille detestabilis, in quo insani homines traijciebãt filios suos per ignem, offerentes eos dæmonijs. Et hæc de forinsecis locis ciuitatis Ierosolymitanæ dicta sufficiant. Nunc etiam quędam perstringemus breui sermone, quæ intra mœnia eiusdem urbis continentur. Et quidem ecclesiæ sepulchri dominici principatũ concedimus: hæc rotunda est, habetq; in medio aperturã rotundam, sub qua sepulchrũ dominicum sub diuo consistit nullo tectum imbricamento. Spelunca sepulchrum domini continens; habet in longum aliquot pedes, foris quidem marmore tecta, intus uero adhuc nuda conspicitur, sicut tempore passionis fuit, Ostiũ quod ducit in hãc speluncam, sepulchrũ ponitur ad dextrã, hoc est, ad parietẽ spelũcæ Septentrionalem, factum de marmore grisei coloris, habens in lõgitudine octo pedes, sicut & spelunca ipsa: nec est in crypta illa lumen aliquod cœleste, sed lampades aliquæ accensæ reddunt eam illustrem. Et nota quòd ante speluncam dominici sepulchri est alia crypta eiusdem magnitudinis & figuræ, solo parieti intermedio à priori segregata, & ad hanc primo descenditur, deinde per ostium intermedij parietis uenitur in speluncam dominici sepulchri: & ostiũ illud fuit clausum, quando mulieres tempore resurrectionis dominicæ dicebãt: Quis nobis reuoluet lapidem ab ostio monumenti? Mons caluariæ, in quo dominus crucifixus est, distat à loco sepulchri centum & octo pedib9, & est ascensus à superficiæ pauimẽti ecclesiæ ad locũ ubi crux rupi infixa fuit, uiginti octo pedũ. In ea rupe adhuc apparet scissura, in morte domini facta. A Caluaria per decẽ pedes ostẽditur pars columnæ, in qua Christus fuit flagellatus, illuc ex domo Pilati trãslata. Nõ longe ab hoc loco descẽditur per xlviij. grad9 ad locũ, ubi Helena inuenit crucẽ domini defossã.

Vallis Iosaphat

Gethsemani

B

Cedron

Caluariæ locus

Ierusalem descriptio

De magnitudine huius urbis scribit dominus Iacobus patriarcha Ierosolymitanus in libro quem de terra sancta composuit in hunc modum: Est sępe nominata & sępius nominanda ciuitas secundum omnes eius partes in monte sublimi sita, muro ualido undiq; cincta, nec nimia paruitate angusta, nec magnitudine cuiquam fastidiosa. A' muro nanq; usq; ad murum habet distantitiam, quantum iacere potest arcus, habens insuper à parte occidentali munitionem ex lapidibus quadris, ferro & plumbo indissolubiliter compaginatam, quæ ab uno latere ciuitati est pro muro, appellaturq; turris Dauid. Ipsa tamē eadem est, quæ à quibusdā Antonina dicitur, habetq; mōtem Sion ab Austro, in quo Dauid sibi habitaculum fecit, in quo etiam cum alijs regibus Iuda sepultus est, & eam appellauit ciuitatem Dauid. Mōs aūt Caluariæ, in quo dominus crucifixus est, à parte occidentis erat extra murum ciuitatis: sed Aelius Adrianus ipsam per Titum & Vespasianum omnino destructam reparauit, & adeò ampliauit, ut locum crucifixionis & sepulturæ dominicę intra murorum ambitum comprehenderit. Hactenus ille.

Octo portæ

Nunc de portis eius. Prima erat porta Dauid, quæ erat in latere montis Sion contra occidentem, ubi erat angulus ciuitatis inferioris, oppositus turri Dauid, in loco scilicet ubi duæ uoragines ab una nascebantur, una ad Aquilonem, et altera ad orientem uergente: ubi & testudo facta est ultra uallem unam, per quam à porta illa erat exitus & introitus. Ad dextram huius testudinis Iudas in sycomoro quadam laqueo se suspendit.

Porta pisciū

Ista quoq; porta dicebatur porta piscium, quia per eā erat uia ap Ioppen & ad alia loca maritima unde pisces inferebantur. Dicebatur quoq; porta negotiatorū, quia per eā erat uia in Bethleem, Hebron, Gazā, Aegyptum & Aethiopiam. Nam ducebat ad agrū Fullonis iuxta montē Gion, ubi à sinistris ibatur in Hebron, à dextra uero uersus Ioppen. Et hæc eadē uia post modicū interuallum iterum diuidebatur: nam ad sinistrā ducebat in uallem Raphaim sub castro Bethsura uersus Philistijm & Gazā, & inde in Aegyptū atq; Aethiopiā, unde negotiatores merces uarias adducebant. Et ad dextrā ducebat in Emaus, Ramatha & Ioppen contra occidentē ad mare mediterraneum. Secunda porta ab ista fuit in eadem parte muri, respiciēs etiam ad occidentem, & partim ad Aquilonē, uocabaturq; Iebus à Iebusæis, & Iudiciaria, quia extra eam fiebat iudiciorum exequutio. Vnde & extra eā fuit dominus crucifixus. Huius portæ uestigia adhuc apparent in muro ueteri ciuitatis. In nouo uero muro, qui includit sepulchrū domini, respondet ei porta eodē nomine appellata, ducēs in Silo & Gabaō. Tertia porta ab ista, est cōtra aquilonē, uocaturq; porta Ephraim & & porta sancti Stephani, qui extra eam lapidatus fuit: & hæc ducit in Sichē, Samariam, & Galilæam. Quarta ab ista est contra orientem in angulo ciuitatis iuxta torrentem Cedron, dicta porta Anguli, quia in angulo ciuitatis sita erat. Dicta quoque est porta Beniamin, quia per eam fuit in uia in Anathoch, Bethel, in desertum & ad ciuitates alias tribus Beniamin. Quinta porta erat contra Austrū ab ista, dicta porta Sterquilinij, quia per eam deferebāt aquæ pluuiales sordes ciuitatis in torrentem Cedron. Sexta porta similiter respiciebat Austrum, & posita erat iuxta torrentem Cedron, dicta porta Gregis, quia per eam introducebantur greges immolandi in templum, eratq; Probatica piscina haud lōge ab ea. Dicta quoq; fuit porta Vallis, quia per eā ducebat uia in uallē Iosaphat: & porta fontis draconis, à fonte illo sic denominata. Septima erat porta aurea super torrentē quoq; Cedron posita, & Austrū respiciens, quæ magis erat porta templi q̄ ciuitatis, quia ducebat per compendiū ad montē Oliueti. Octaua quoq; posita fuit super torrentem Cedron uersus Austrū, sita inter montē Sion & montē tēpli, dicebaturq; porta Aquarum, quia ducebat ad fōtem & natatoria Silohę in uallē Gehennon

Montes circa Hierusalem

Mons Oliueti

AB orientali parte ciuitatis est mons Oliueti, altior cæteris circumiacentibus montibus. In eius summitate est ecclesia constructa, in loco ubi do-

minus

A minus ascendit in cœlū. Ad austrum est mons offensionis, ubi scilicet Solomon templum posuit idolo Moloch. Subter eum est locus Tophet siue Gehennon. Inter orientem & Austrum est ager Hakeldemach, habens à tergo montem mediocriter sublimem: qui eodem appellatur nomine. Porro ab occidente adhæret ei ager Fullonis, qui ab occidente terminatur in montem Gion. Et hic mons ab occidente imminet ciuitati, sed sensim decrescit uersus portam iudiciariam. Vltra torrentem Cedron in latere Aquilonari montis Oliueti est mons alius altus, quatuor stadijs à Ierusalem distās, ubi Salomon idolo Moabitarum nomine Chamos templum construxit, & ubi tempore Machabæorum ædificatum fuit castrum, cuius indicia adhuc hodie ibi cernuntur. Duabus leucis à Ierusalem, in angulo qui est inter occidentē & Septentrionem, est mons Silo, qui nunc ad sanctum Samuelem dicitur, ubi fuit arca domini longo tempore, tabernaculum fœderis, quod fecerat Moses in deserto. Hinc per unam leucam est Gabaon ciuitas in tribu Beniamin, & in eodem monte sita: unde erant Gabaonitæ, qui funibus in collum missis, uenerunt ad Iosue, fraudulenter cum eo fœdus ineuntes. À Ierusalē decem numerantur leucæ contra occidentem ad castellum Emaus, ubi dominus in fractione panis cognitus est à discipulis. Is locus hodie Nicopolis dicitur. À Ierusalem duæ sunt leucæ contra occidentem ad Bethoron inferiorem, de qua fit mentio in libro Iosuæ. À Ierusalem contra occidentem quatuor sunt leucæ & dimidia ad Cariath Iarim, quę una fuit de urbibus Gabaonitarum, ubi arca domini uiginti annis māsit, postquam à Philisteorum terra fuit reducta. À Cariath Iarim fere ad occidentem est Lachis, etiā una ex urbibus Gabaonitarum, quam obsedit Sennacherib. tempore Ezechiæ. De Cariath Iarim si duabus leucis contra Austrum procedas, occurrit Bethsames oppidum, ad quod uaccæ duxerunt arcam dei tēpore messis triticeæ,

Mon Scādali

Mons Silo

Bethoron

Lachis

B ubi plurimi mortui sunt qui arcam dei nudam uiderunt À Ierusalem decem leucis uersus occidentem est Ramatha Sophim, quæ partim erat de tribu Beniamin, & partim de tribu Iuda, sita tamen in monte Ephraim. Dicta quoque fuit Aramathia, de qua fuit Ioseph nobilis decurio, qui sepulturæ domini interfuit. Hinc quoque Samuel propheta oriundus fuit, ibiq; sepultus, & uocatur hodie Ramula, À Ramula uersus occidentem tres sunt leucæ ad Ioppen ciuitatem, ubi Ionas nauim intrauit, cupiens fugere à facie domini in Tharsis, hoc est, ad insulas maris. Porrò ad Bethleem ciuitatem Dauid ad Austrum sitam, tres sunt leucæ, in cuius sinistra parte est uia quę ducit in Hebron, in qua uiatori quoque occurrit si parum ad dextram declinet, sepulchrum Rachelis, cui pyramis pulchra imminet à Iacob in titulū monumenti extructa: est Bethleem sita in colle arto & oblongo, habens in occidente & in decliui loco collis ingressum, ubi etiam est cisterna iuxta portam, de qua Dauid bibere desiderauit, quū esset in præsidio. In extremitate uero orientali sub rupe quadam, quæ erat iuxta murum ciuitatis, fuit secundum morem illius terrę locus pro stabulo, habens pręsepe in rupe excisum, ubi mundi saluator de Virgine natus & reclinatus fuit, quum locus alius commodior in diuersorio non esset quàm præsepe, in quod mundi creator & redemptor reponeretur. Hic hodie sacellum est extructum nobilissimum, stratum marmore, & marmoreis erectum columnis, ut uix hodie inueniri possit locus sacer illo pulchrior, ut etiam Sultanus tentarit hinc asportare columnas & alia crusta marmorea quibus parietes nitent, ad decorandum palatium suum Babylonicum: sed serpente subito apparēte, & terrorem incutiente, desistere coactus est à concepto proposito. Videntur quoq; iuxta hanc ecclesiam indicia quædam monasterij, in quo lectus & sepulchrum diui Hieronymi peregrinis ostenditur. Item ostenditur locus occisionis innocentium puerorum, & sepulchra Paulæ & Eustochij, haud longe ab hac ecclesia. À Bethleem per dimidiam leucam ad occidentem est uilla Bezec, ubi captus fuit Adonibezec, & truncatus summitates manuum atq; pedum. Crescit ibi

Ioppe

Bethleem

ptimum uinum, quo melius in terra illa non inuenitur. A' Bethlẽ duabus leucis contra collem Achillæ est ciuitas Thecua in monte sita, de qua fuit A
Thecua Amos propheta, ibidem Ochozia rege Israel, occisus & sepultus. Inter Thecuam & Engaddi ad sinistram contra desertum Quarentanę est castrum Herodium alto loco situm ab Herode extructum. A' Theuca duabus leucis inter orientẽ & Austrũ, est Zoph oppidũ iuxta desertũ, Zipheorum patria, ubi Dauid uagabundus latuit. Huic cõtra Austrum adiacet desertũ Maon, in quo est mons Carmelus, iuxta quem Nabal repulit nuntios Dauid. Nota est historia. Ab hoc deserto Maon inter Austrũ & orientẽ parũ distat mõs
Idumea Seir siue Idumea, quã terrã filij Israel longo tẽpore iussi sunt circuire. Quod si à memorato deserto contra Austrũ uadas, occurrit terra Amalech, quam iussus est Saul subuertere interfectis habitatoribus eius. Ante terram Ama-
Amalech lech cõtra mare mortuũ est Cadesbarne, locus unde Moses XII. emisit exploratores. A' Bethlẽ tres sunt leucæ uersus Austrũ ad collẽ Rama, in qua
Cades barne uidetur tota Arabia usq; ad montem Seir, & omnia loca circa mare mortu-
Rama um, itemq; litus maris magni à Ioppe usq; ad Gazam. A' Rama duabus leu-
Mamre cis prope uiam quæ ducit in Hebron est prædium Mamre, ubi habitabat longo tempore Abram iuxta ilicem. Ab hac ilice per dimidiam leucam uersus dexteram, est Hebron ciuitas illa uetus, olim Cariath Arbe dicta, in qua regnauit Dauid VII. annis: sitaq; fuit in monte: hodie præter magnas ruinas nihil ibi cernitur, sed ad tres iactus arcus Austrũ uersus, declinando tamen
Hebron paululum ad orientem, est Hebron noua extructa in loco scilicet ubi spelunca duplex, ubi sepulti sunt Adam & Eua, Abraham & Sara, Isaac & Rebecca, Iacob & Lia. Saraceni circa speluncam duplicem, quæ erat in ecclesia cathedrali, ædificauerunt munitionem. A' spelunca duplici ad occidentem, ad iactum arcus unum, est ager Damascenus, ubi plasmatus dicitur Adam, habetq; argillam rubeam, flexibilem in modum ceræ, quæ per camelos in magna quantitate in Aegyptum, Aethiopiam, Indiam, & alia loca deporta B
tur. Nam abutuntur ea in uarias superstitiones. Iuxta hunc agrum Damascenum, ostenditur etiam ubi locus Cain fratrem suum Abel occidit. Fabulantur quoque illic Adam & Euam multo tempore luxisse Abel filium suum in spelunca rupis cuiusdam, quæ ad Austrum patet. Ab Hebron tribus leu-
Dabir cis contra Austrum est Dabir, quæ & Cariat Sepher, id est ciuitas libri seu literarum, de qua Iosue. Ab Hebron tres numerantur leucæ contra Aquilonem, declinando paululum ad occidentem, ad Nehel Escol, id est, torrentẽ Botri, unde exploratores portauerunt palmitem uuæ. Ad læuam huius uallis per dimidiam leucam descendit riuus, in quo Philippus baptizauit eunuchum Candacis reginæ, haud longe à Sicelech. A' Nehel Escol octo numerantur leucæ uersus Ierusalem, ad domum Zachariæ, quam intrauit pregnans uirgo Maria, salutatura Elisabeth. A' domo Zachariæ tres sunt leucæ uersus Aquilonem, & itidem tres leucæ à Nicopoli contra Vulturnum,
Nobe ad Nobe ciuitatem sacerdotum, quę nunc Bochonopolis dicitur, in uia quę Diospolim ducit atq; Ramatha, ubi Dauid ab Abimelech accepit gladium Goliat Gethæi. Hæc de Ierusalem & locis circumiacentibus dicta sufficiãt.

Ab Acone uersus Austrum iter.

QVatuor sunt leucæ ab Aconensi ciuitate ad oppidũ Caiaphæ, in pede montis Carmeli ad Aquilonem situm. A' Caipha tres numerantur leu-
Castrum peregrinorum cæ ad castrum peregrinorum fratrũ militiæ templi, munitissimum quidẽ, & in corde maris situm, talibus muris & antemuralibus cinctum, ut ferè inexpugnabile sit. A' Caipha ad leucam unam & dimidiam in monte Carmeli
Fratres Carmelitæ est spelunca Elisei & mansio Elisei: ubi hodie habitant fratres Carmelitæ. A' castro peregrinorum quatuor sunt leucæ ad Cæsaream Palæstinæ metropolim, in qua fuit sedes archiepiscopalis, quamq; Herodes magnus instaurauit, & in honorem Cæsaris Cæsaream appellauit, & in ea Petrus baptizauit Cornelium centurionem. A' Cæsarea nouem leucis contra Austrum est mu

nitio

A nitio Arsur,quondã Antipatrida ab Antipatride Herodis magni dicta.Hęc
aliquãdo fuit fratrum de hospitali sancti Ioannis. Ab Arsur quatuor sunt leu
cæ contra orientem ad Manathat,nunc Kato dicta, & sub monte Ephraim
sita non longe à monte Saron. In hac Saraceni posuerunt præsidium mili-
tum contra castrum peregrinorum. A' Kato quatuor leucis cõtra Austrum
est mons Saron & oppidum Sarona, de quo fit mentio in Actibus apostolo
rum.De Arsur octo sunt leucæ usque ad Ioppen, & hinc quatuor numeran-
tur usque in Geth, quæ olim una fuit de principalioribus ciuitatibus Phili-
stinorum: sed nunc paruum est casale, uocaturq; Ybilim in colle situm. A' *Geth*
Geth duæ sunt leucæ contra Austrum ad Bethsames Iuda. Hinc si ad orien- *Bethsames*
tem procedas,post sex leucas occurrit mons Modin,de quo oriundi fuerunt *Mons Modin*
Machabei, & ostenditur illic sepulchrum eorum. A' Bethsames cõtra occi-
dentem,ferè per quatuor leucas haud longe à mari est Accaron, etiam, una
de principalioribus ciuitatibus Philistinorum. Verum hodie exiguum est
casale,antiquo retento uocabulo. Ab Accaron quatuor sunt leucæ uersus
Austrum ad Azotum,quæ etiam una fuit ex potioribus Philistinorum ciui
tatibus,una leuca à mari distans,sed hodie parua est uilla. A' Ioppę duę sunt
leucæ ad Lidam seu Diospolim. Hinc quatuor leucæ contra orientem ferè,
paululum ad Aquilonem declinando, est Lobna, non longe à Lachis quàm
cepit Iosue, & quam obsedit Sennacherib. Inde per tres leucas, in uia quæ
ducit ad Gabaon, est Aceda oppidum, & Maceda,ubi quinq; reges se ab-
sconderant in spelunca,de quo in Iosue. Hinc si progrediaris tribus leucis
contra orientem, non longe à Nobe,est Sochoth Iudæ,iuxta uallem Tere-
bynthi,ubi puer Dauid in funda & lapide interfecit Goliath Gethæum. A'
Nobe,quæ hodie Bethnopolis uocatur,sunt tres leucę usque in Emaus,quę
hodie Nicopolis appellatur. Ab Emaus, spatio unius leucæ & dimidiæ a-
B scenditur per uallem Raphaim, à latere domus Zachariæ, quæ relinquitur
ad dextram euntibus in Ierusalem. Ab hac Zachariæ domo numerãtur tres
leucæ & dimidia dextrorsum ad castrum munitissimum Bethsura nomine,
situm in latere montis contra Bezeck & Bethleem, quod ædificatum fuit
tempore Machabæorum, & paulo post fraudulenter captũ ab Antiocho a-
dolescente. Distat aũt fere per unam leucã à Ierusalem. Ab Azoto quatuor
leucis contra Austrum est Ascalon,quarta Philistinorum ciuitas,sita in lito
re maris, & habens formam semicircularem, unicum ferè robur & propu-
gnaculum Saracenorum in terra illa. Ab Ascalone duabus leucis cõtra Au-
strum est Gaza, in litore quoque maris sita, quæ nunc communiter Gazara *Gaza*
appellatur, & transit per eam uia in Aegyptum. A' Gaza quatuor numeran
tur leucæ usq; ad Bersabee,quæ nunc Giblin dicitur, & est terminus Iudææ
atque terræ promissionis contra Austrum. In hac manserũt multo tempore
Abrahã & Isaac, ut patet in Genesi. Distat ab Hebron sicut & Gaza paulo
amplius una diæta. Vltra hãc extremitatẽ terre sanctę est desertum illud ma
gnum,quod ad Aegyptum usq; ferè extenditur, in quo aberrauerũt filij Isra-
el quadraginta annis. Itaque longitudo terræ sanctæ ab Aquilone incipit à
monte Libano iuxta Cæsaream Philippi, extenditurq; contra Austrum usq;
in Bersabee Iuda, quę est cõtra desertum, cõplectens plus minus'ue LXVII.
leucas. Latitudinem uero eius non adeò exacte obseruaui. Porro memorata
lõgitudo decẽ tãtum complectitur Tribus. Trib. Iuda superiorẽ obtinuit re *Iuda*
gionem,quæ in longitudine quidem extenditur ab Aegypto usque in Ieru
salem, diciturq; interuallum illud occupare septem diætas. In latitudine ue-
ro incipit à lacu Asphalti, hoc est, à mari mortuo, & desinit usq; ad mare ma
gnum in occidente. Tribui Simeonis obuenit pars in ipsa tribu Iudæ, nem *Simeon*
pe quæ est iuxta Aegyptum circa montana Arabiæ. Beniamitæ sortiti sunt
possessionem suam à Iordane usq; ad mare magnum in longitudine, latitudo
uero eius est ab Ierusalem usq; in Bethel quatuor ferè complectens leucas.
Tribus Ephraim sortem suam accepit à Iordane fluuio usq; ad Gaderam,

quæ est iuxta Ioppen, & transuerso usq; ad campum magnum ubi incipit Galilæa. Tribus Manasse una medietas incipit à Iordane, & terminatur ad mare magnum, & in transuerso quæ est latitudo eius, desinit in Bethsan. Tribus Isachar secundum longum incipit à Iordane & terminatur ad Carmelũ iuxta Magedo: in latitudine uero habet Bethsan & montem Thaborinum extremitates. Tribus Zabulon habet Carmelum & lacum Genezareth extremitates longitudinis, & in latitudine à monte Thabor uersus Nazareth, quinq; occupat leucas. Tribus Aser occupat totam terram à Carmelo maris usq; ad Sidonem magnam, in longitudine scilicet uiginti leucarum continens spatium: in latitudine uero extenditur à mari magno usque Nason & Assor per spatium nouem leucarum. Tribus autem Neptalim accepit partes orientales usq; ad Damascũ, Galilæam superiorem à mari Galilęæ usq; ad montem Libani, fontesq; Iordanis includens, & hęc in longitudine: iuxta latitudinem uero trãsit ab Assor usq; ad regionem Traconitidis. Trib⁹ Dan occupat loca conuallis iuxta mare magnum, ab Austro terminata ad Azotum: ab Aquilone ad Doram, habens scilicet à tribu Iuda Azotũ, Accaron & Geth: & à Beniamin Iamniã & Ramatha usq; ad Ioppẽ. Et ut in summa dicam, tota terra sancta à Iordane usq; ad mare magnum, quæ est latitudo eius ab oriente scilicet in occidentem, nõ uidetur excedere sedecim leucas. In longitudine uero, quæ ab Aquilone in Austrum computatur, à Dan scilicet, quæ nũc Belenas siue Cæsarea Philippi dicit̃, usq; ad Bersabee, quę nũc Giblim appellatur, habet circiter sexaginta quatuor aut sex leucas. Et hęc de magnitudine, urbib⁹, fluminib. & cęteris locis terrę sanctę dicta sufficiant.

Manasse

Dan

De fertilitate terræ sanctæ & uarijs eius habitatoribus,

HAbet terra sancta id in sacris literis præconij, ut reliquas terras in bonitate & fœcunditate excellat, atque longe post se relinquat, quippe quæ melle & lacte exuberare dicitur, per quæ intelligunt̃ omnia ea quibus opus habet mortalis hęc uita. Est solum ipsum frumenti feracissimũ, quippe quod in cultura sua minimum laborẽ exigit, & multum reddit fructum. Nam id sæpe oculis meis uidi, duobus tantum bobus aratrum inuerti: nec agros stercore opus habere quum suapte natura terra ipsa pinguis sit, & in plerisq; locis hoc externo minime egeat condimento: rosas, rutã, fœniculum, saluiã & alias herbas humus ipsa sponte producit. Lana quoq; succida ibi crescit in fruticetis quibusdam, quorum semina singulis annis in terrã sparguntur, & ex his consurgit caudex quidam, in cuius folliculis lana illa colligitur. Crescunt quoq; ibi cannæ molles, ex quibus colligitur saccarum. Habẽt hæ cannæ medullam quandã humidã in modum sambuci, quæ in peluim expressa atq; in æneis caldarijs decocta, optimum efficitur saccarũ. Id tamẽ ingenue fateor, raro illic inueniri poma, pira, cerasa, nuces, & alios similes fructus arboreos, sed è Damasco illuc deferũtur, qui tamen adeò solis ardore decocti sunt, ut diu conseruari nequeant: At loco illorũ habent alios fructus qui etiam per totũ annũ in arboribus cõseruantur, ut sępe uideas unã arborẽ simul flores & fructus maturos gestare. Ex his faciunt incolæ uaria cõdimenta quibus pultes, carnes, pisces, & alios cibos sapidiores reddũt. Habẽt poma cetrina magna, ex quib. optima cõficiũt electuaria. Habẽt et alia optima poma & mirabilia, quæ poma paradysi ab eis uocãtur. Hæc crescunt in modũ maximi botri, quantitatẽ habẽt mediocris cophini, cuius grana sunt ipsa poma, ita ut nõ raro centũ poma, & aliquãdo plura simul cõglobata in modũ uuarũ reperias, quarũ quodq; oui habet magnitudinem, obductũ folliculo spisso crocei coloris, qui decorticatus dulcẽ & delicatũ relinquit fructum. Hæc arbor ultra bienniũ nõ durat, sed arefacta, ex radicibus alios surrogat surculos. Folia eius adeò longa sunt, ut staturã hominis erecti ferè excedãt. Latitudo uero tãta est ut duo folia hominis corpus cõmode tegere possint. Vineæ multæ sunt in terra sancta, & plures essent, si Saracenis uini usus in uniuersum nõ esset interdictus. Hi aũt terrã illã hodie pro maiori parte sub-

B

Poma paradisi

A iectam tenēt: & ubi uineas inueniūt eradicāt. Optimū uinū quod in ea inuenitur, crescit circa Bethleē in ualle Raphaim, & in Neheleschol, unde exploratores portauerūt palmitē uuarū ut in Numeris legim⁹. Circa Sidonē quoque & Anteradū, itēq; sub Libano monte bonū crescit uinū, & ut mihi retulerunt indigenæ Anteradi, colligūt uno anno ab eadē uite triplex uinū, hoc est: habēt uno anno tres uindemias. Nāquū uitis tēpore Martij cōsuetos produxerit botros, id ligni q͏ꝫ uacuū est à fructu, resecat, et tūc ex relicto palmite in Aprili alius & nouus repullulat surculus, suos quoq; secum ferens fœtus. Qui & ipse truncatus, in Maio nouū ꝑducit ramusculū, serotinis oneratū uuis. Et hac arte fit, ut primi botri in Augusto ad maturitatē perducti, suā uindemiā requirāt. Secūdi uero q̄ in Aprili floruerūt, in Septēbri racemātur: & tertij in octobri. Hinc etiā est ut in terra sancta botros uenales inuenias à die Ioānis baptistæ usq; in diē diui Martini. Habētur quoq; in ea terra ficus, malogranata, mel, oleū, pepones, cucumeres, melōes, citrulli, cucumeres Babylonici, & alij multi fructus his similes. Frumentū quoq; ipsum est delicatissimū, ut nō uideatur mihi q͏ꝫ unquā meliorē comederim panē q̄ Ierosolymis. Porci syluestres, capreoli, lepores, perdices et coturnices abūdāt in terra sancta, sicut & leones atq; ursi. Sed & cameli ibi in maximo habentur numero. *Tres uno anno uindemiæ*

Qui homines terram sanctam inhabitent.

SVnt in terra promissionis homines ex omni natione quę sub cœlo est, & uiuit quælibet gens iuxta ritū suum. Et ut uerū loquar, in nostrā magnam confusionem, nulli in ea peiores & moribus corruptiores inueniūtur quàm Christiani, cuius hāc esse rationē arbitror. Quando aliquis in Hispania, Gallia, Germania, Italia, aut alijs Christianitatis nationib⁹ malefactor deprehēsus fuerit, utpote homicida, latro, fur, incestuosus, adulter, fornicator, proditor, & timet propterea à iudice cōdignam sibi irrogari pœnā, fugit & transfretat in terram sanctam, quasi hoc contractum aboliturus malum, & quum
B illuc uenerit, non animum sed locum mutauit, & euenit sibi id quod scriptū est: Nunquid Aethiops potest mutare pellem suam? Tales sunt hodie in terra sancta non pauci, qui spoliant peregrinos & conterraneos suos, ad se bona fiducia diuertentes, & nihil mali de eis suspicantes: detestabilesq; illi patres detestabiliores post se relinquunt filios, qui pollutis pedibus calcant loca sancta, & sua pessima uita id efficiunt, ut sancta dei in magnum ueniant contemptum. Sunt autem præter Christianos in terra promissionis & aliæ uariæ gentes, præsertim Saraceni, qui Mahumetum prædicant, & legem eius obseruant, agnoscentes etiam Christum ueluti magnum prophetam, de spiritu sancto conceptum, & natum ex uirgine Maria, sed negant eum passum & mortuum, uerum quum illi placuit, aiunt, ascendit in cœlum, sedetq; ad dextram patris ut filius. Mahumetum uero dicūt sedere ad sinistram dei, & eum ut dei nuntium ad se tantum missum. Sunt homines illi Mahumetani immundiciæ addictissimi, ducuntq; tot quot pascere possunt uxores, præter id quod Gomorrhaico fœdati uitio. Sunt tamen hospitales, & satis humani, id quod non semel tantum in meipso sum expertus. Pro modico ministerio illis exhibito, copiosam reddunt mercedem. Sunt præterea in hac terra Syriani, qui quidem Christiani sunt, uerum Latinis nullam seruant fidem misere & pauperrime uiuunt: auaritiæ studentes, nemini eleemosynam largiuntur. Ditissimus inter eos nō delicatius uiuit quàm pauperior. Inter Saracenos habitant, & ut plurimum officijs eorū mancipātur. In habitu à Saracenis ferò nihil differunt, nisi quòd per cingulum laneum ab eis aliquid discriminis habent. Gręci similiter Christiani sunt, sed schismatici, & à Romanæ ecclesiæ obedientia alieni: sunt & alijs multis implicati erroribus, faxit deus ne & Latinis multæ irrepserint stultitiæ. Apud Græcos omnes ferè prę lati sunt monachi, magnæq; abstinentiæ, & habentur à plebeis hominibus in magna reuerentia & honore. Sunt quoque in hac terra Armeni, Georgiani, Nestoriani, Nubiani, Iabeani, Chaldęi, Maronitæ, Aethiopes, Aegyptij, *Syriani* *Græci*

 & multæ

& multæ aliæ gentes, quæ quidem omnes confitẽtur Chriſtũ & habẽt ſuos A
patriarchas. Quidam ſunt hæretici, & à ſuo hæreſiarcha nomen ſunt ſorti-
ti, ut ſunt Neſtoriani, Iacobitæ & ſimiles. Sunt tamen multi in his ſectis ad-
modũ ſimplices, neſcientes quicquã de hæreſibus: Chriſto deuoti, carnẽ ie-
iunijs macerantes, atq; ſimpliciſſimas ueſtes induti, ut etiam longe ſuperẽt
religioſos Romanæ eccleſię. Nubiani & Iabeani dicũt ſe ſcire maiores ſuos
fidem ſuſcepiſſe à ſancto Matthęo, ab eoq; baptizatos, & baptiſmi modum
ab illo recepiſſe, quem hodie inuiolabiliter ſeruare contendunt, innitentes
huic authoritati: Ipſe uos baptizabit in ſpiritu ſancto & igne. Nam quũ ba-
ptizantur, cum calido ferro crucem inurunt faciei & alteri; corporis parti. Et
hi deuoti[illegible]es inter orientales habentur. Eſt & gens Madianitarum, qui nũc
Beduin[illegible]ꝗ Turoniani dicuntur, qui magnam partem terræ ſanctæ imple
uerunt. [illegible] hi tantũ operam dant alendis pecoribus & camelis, quibus ſupra
modum abundant: Certam manſionem nõ habẽt, ſed ubi bona inuenerint
paſcua, ibi cum tabernaculis ſuis tantiſper ſubſiſtũt, donec herbis depaſtis,
alium locũ pro gregibus quærere cogãtur. Sunt homines pugnaciſſimi, &
repleuerũt ferè totã Syriam: potiſſimũ occuparunt ripas Iordanis à Libano
uſq; ad deſertum Pharan, quum montes qui ultra Iordanẽ ſunt, optima ſup-
peditent pabula ouibus, capris, & reliquis iumentis. Habent arietes & uer-
ueces tã craſſos & pingues, ut una cauda pro tribus aut quatuor hominibus
Neſtoriani ſufficiat ad eſum. Neſtoriani habitant circa Berut & Bibliũ in planicie Li-
bani contra Iturẹam: Maronitæ uero occuparunt regionẽ quæ eſt circa fon
tem hortorũ à Libano deſcendentem contra Triopolim, dicunturq; habere
quadraginta millia pugnatorum. Porrò circa caſtrum Arachas poſt Tripo-
lim habitãt Saraceni, qui Vanni dicuntur. His ſociantur Saraceni quos Aſi
ſinos uocant, habitantes in mõtanis uſq; ad caſtrum Antheradum, plurima
habentes caſtra & oppida, atq; fertiliſſimam occupantes terram. Hi de Per-
ſide dicuntur duxiſſe originem, & in tantum numero ſunt aucti, ut & ipſi B
quadraginta millia armatorum aſſerantur poſſe producere. Voluerũt ante
paucos annos ſeſe Romanæ ſubijcere obedientiæ, ſed per Templarios im-
pediti à ſuo reſilierunt propoſito. Hos Aſiſinos nullus hactenus Sultanus
potuit in ordinem redigere, ſed ipſi ſibi leges & iura condunt, utẽtes illis ut
libet: ſuntq; omnibus adiacentibus nationibus formidini ob ſuam feritatẽ.
Et quum hic orientales attigerim nationes, non inutile uiſum fuit de ijs am-
pliorem facere mentionem: quandoquidem hodie multi ſunt, qui quũ nihil
ſciant, ſcire omnia uelint, aſſerẽtes nullos in his maximis regionibus uſq; ad
Indiam inueniri Chriſtianos, ſed perfidum Mahumetũ omnia loca cõſpur-
caſſe. Id quod uerum non eſt, ſed ubiq; Chriſtus in mundo ſuos habet culto-
Chriſti cultus ubique res, præterquam in Arabia & Aegypto, ubi rari inueniuntur Chriſtiani, ſed
omnes ferè nomen dederunt Mahumeto. Id quidem uerũ eſt, omnes Chri-
ſtianos tranſmarinos, puta Armenos, Cappadoces, Græcos, Chaldæos, Me
dos, Parthos, Indos, Nubeanos, Iabeanos, Aſianos, Georgianos, & reliquos
orientales populos, non eſſe homines bello aſſuetos: ſed quum à Saracenis,
Turchis aut Tartaris bello petũtur, illis tributarij fiunt, atq; omne permittũt
dominium: exactores ferentes, modo pacem & concordiã quantũ ex ſe eſt
cõſeruent: & hinc fit ut regiones illę quas Chriſtiani inhabitant, Saraceno-
rum eſſe putentur, atq; perfidiæ illorum ſubiacere: quum tamen ibi ferè om
nes ſint Chriſtiani, id q̃d ego expertus ſum in Cilicia & Armenia minori
quæ parent Tartarorum principi: & tamen ſunt meri Chriſtiani, qui eas in-
habitãt regiones, eccleſias frequentantes, miſſas audientes, genua flectẽtes,
atq; deuote orantes: religioſis etiam perſonis magnum exhibentes honorẽ,
id quod in meipſo ſum expertus, quum illic aliquantiſper morarer. Pręterea
eos quos nos damnatos iudicamus eſſe hęreticos, ut ſunt Neſtoriani, Iaco-
bitæ, Maronitæ, Georgiani, & ſimiles, ego plerunq; inueni bonos & ſimpli
ces eſſe homines, ſyncereq; erga deũ & homines uiuentes: ſunt magnę abſti
nentiæ,

A nentiæ, & in quadragesima nec pisces, nec uelum comedunt. Attenti audiũt uerbũ dei: id quod ego uidi in uespera Ramispalmarum, quantis cateruis ad concionẽ cõfluxerint Habẽt præterea suos Archiepiscopos, Episcopos Abbates, & alios prælatos præter Nestorianos, qui loco Papæ habent prælatũ, quẽ Iacelichum uocant, cui magna pars oriẽtis paret. Armeni uero & Georgiani habent prælatos, quos Catholicos uocant, qui sub se habent Archiepiscopos, Episcopos, & alios prælatos, qui optima cõuersatione plebi præeuntes, uerbo pariter & exemplo illos docent: & quãuis munitissima inhabitẽt castra, atq; magnis polleant diuitijs, induuntur tamen uilibus & sordidis uestibus, amplissimas habẽtibus manicas: exterior enim uestis est pellicea arietina, grossa & rubea, & sub ea deferunt tunicam griseam atq; detritã. Suprema uero uestis est scapulare nigrum, uile & asperũ, quasi ciliciũ. Interfui etiã semel in die annũtiationis sacris eorũ, & aduerti eos eisdem ferè uti cærimonijs & precationib. quibus nos in missa, nisi quod suo, & nõ Romano utunt̃ idiomate. Nota quoq; quod Catholicus ipse, et omnes alij prẹlati sunt monachi, nec quisquam nisi monachi ad hęc ecclesiastica admittuntur officia. Clerici uero seculares & sacerdotes ferè nullã habent autoritatẽ, nec aliud agũt nisi quod diuina celebrant officia. Ad omnes horas signũ faciũt cum tabula lignea: non enim campanas habent: & tunc nocte surgunt ad matutinas preces, excitantq; se mutuo, ut omnes cõueniant: nec iterum dormitũ eunt post illas absolutas preculas, sed sedent in ecclesia docentes populum usque ad auroram. Sacerdotes omnes sunt uxorati: nec aliquis permittitur exequi sacerdotis officium, nisi legitimam habeat uxorem. Sabbato duntaxat & die dominico missas celebrant: reliquis diebus per hebdomadam amplexibus uacant. Mortua uero uxore sacerdos continebit, nec aliam poterit ducere uxorem. Et si fornicatus aut adulteratus fuerit, sine spe ulla amittit officium & ecclesiam. Quòd si uxor eius adulteriũ perpetrauerit, sacerdos maritus eius

Nestoriani · *Catholicus* · *Matrimoniũ sacerdotum*

B aut continebit, aut officium & ecclesiam perdet. Vxor uero adulterans nasum perdet: & uir qui cum ea concubuerit castrabitur, etiamsi legitimam habuerit uxorem. Id ego semel fieri oculis meis uidi. Mortuo uero sacerdote, uxor eius relicta continebit: & si aliud præsumpserit inire matrimoniũ, comburetur: sin meretricari libuerit, nil mali patietur, & id sæpe apud illos euenire solet. Et hæc mihi uidetur potissima causa esse, quod tot in illis terris inueniuntur meretrices: nam uxores talium continere nolentes, meretrices efficiuntur. Fures committentes furta non admodum nociua, & alij malefactores qui mortem non cõmeruerunt, castrantur, ne filios generent paternorũ morum imitatores. Id scio, quum essem apud regẽ Armeniæ, habuit regina plures quàm sexaginta eunuchos. Rex cum omnibus principibus & nobilibus suis libenter audit uerbum dei: quibus etiam singulis diebus hora tertia illud à monachis, quos Vetrapethe uocant, deuote ex sacris libris proponitur, utentibus expositione Ioannis Chrysostomi, Gregorij Nazianzeni, atq; Cyrilli, quem ipsi Kyrillum proferũt. Deuoti & morigerati sunt in ecclesia, nec facile ullum ibi uideas dissolutũ aut indisciplinatum. Quum Episcopus sacrum facit, habet astantes suos ministros, puta diaconum, subdiaconum & acoluthum, & cum magna grauitate cærimonias solitas celebrat.

Descriptio Aegypti.

LVstrata itaq; Armenia secessi in Cappadociã, & hinc perrexi ad Seleuciam, à qua traieci in Cyprum, à Cypro nauigio ueni Tyrum, & rursum à Tyro soluẽs per litus Palæstinæ descendi usq; ad ostia Nili. Ibi uidi Pharmam ciuitatẽ munitã quidem & egregie extructam, sed hominibus uacuã: nam serpentibus cedere coacti sunt. Ab hoc loco uiginti numerant̃ leucę ad Taphium: hæc est Thapnis, de qua in Psalmo: Fecit prodigia sua in campo Thaphneos: Hæc posita est in terra Gessen, de qua in Genesi multa scribuntur. Fuit olim urbs insignis, sed nostro æuo destructa est. à Taphni usque ad Memphim, quam nunc Damiatam esse putant, quindecim sunt leucæ, di-

Pharma

statq; duabus à mari leucis, in ruinis penitus iacens, nisi quod non longe à A
situ suo uilla est extructa propter naues in ea collocandas atque merces col-
ligendas. Abundat is locus æque ut Taphnis frumento, fructibus, & omni-
Diuisio Nili bus fere bonis, quibus homo uesci potest. Deriuatur à Nilo riuus unus uer-
sus Taphnim, & hinc uersus Pharmam fluens primum uersus terram san-
ctam constituens portum. Alterum uero portum efficit alius Nili riuus prio-
re maior, tribus leucis à Damiata mare ingrediens. Tertius portus est in A-
lexandria, ubi, scilicet, maior pars Nili labitur in mare, distatq; à Pharma,
ubi primus Nili riuus mare intrat, centum uiginti milliaribus: & hæc est
longitudo Aegypti iuxta mare. Ab Alexandria uero usque in Babyloniam
numerantur etiam centum uiginti milliaria, ascendendo contra Nili cur-
sum. Porrò à Pharma eundo per Taphnim & Damiatam centum compu-
tantur milliaria usque ad Babyloniam, siue Cayrum, etiam aduersus fluui-
Syene um nauigando. à Babylonia uero usque ad Syenem, quæ uersus Austrum
ultima est pars Aegypti, sunt milliaria circiter ducenta quadraginta: & ibi
incipit Aethiopia, quæ hodie Nubia dicitur: & est tota Christiana, ubi bea-
tus Matthæus prædicasse dicitur. Huius Aethiopiæ regem captiuum uidi
in Babylonia. Ascendens autem à Damiata per Nili fluuium ueni in Abde-
lam, ac deinde in Mausotam, ubi Nilus scinditur in duo, soluiturq; riuus
minor ad fretum quod est iuxta Pharmam, & ex illo intrat mare. Rursus iu-
xta uillam Semmath est alia Nili scissio, labiturq; is abscisus riuus iuxta uil-
lam quæ Phatures dicitur, in mare: sed non est nauigabilis, ut alij iam me-
morati riui sunt. Item à Semmath ascendendo, priusquam uenias ad Phy-
ton & Ramassen, separatur à Nilo quartus riuus, intrans mare iuxta uillam
quæ Stermon appellatur: & ea Nili diuisione usque ad uillas Phyton & Ra
massen sunt quinque leucæ, ponuntur hę uillæ altrinsecus in ripa Nili. Hinc
uiginti numerantur milliaria ad locum qui Delta nominatur, ubi, scilicet
Nilus in duos riuos diuisus totam fere Aegyptum facit insulam in modum B
Δ literæ triangulariter figuratum, procedit que maior aquarum uis ad Ale-
xandriam, & minor ad Damiatam. à Delta usque Heliopolim tria nume-
rantur milliaria, ubi & alius riuus à Nilo segregatur, & defertur ad ciuita-
tem Pelusij, & inde fluens per desertum uersus terram sanctam iuxta ciui-
tatem Iaris intrat mare: & hinc fere duæ sunt diætæ usque ad Ragazam:
uel Gazaram & Bersabee. Hic riuus uocatur proprie in scriptura riuus Ae-
gypti, terminaturq; ad ipsam sors tribus Iudæ. Quidam uocant eum Bino-
Heliopolis corulam, alij Syron Aegypti: & non est nauigabilis. Heliopolis est uilla o-
pulenta, sed non munita, sicut nec alius quispiam locus per totam Aegy-
ptum est munitus, præter Alexandriam & Babyloniam. Hinc septem nume
rantur leucæ usque ad Babyloniam. Hæc ciuitas est supra modum magna, in
litore Nili sita, transitq; per medium eius riuus aquarum à Nilo excurrens,
& rursum in eum ruens. A Babylonia duabus leucis distant pyramides quæ-
dam triangulares & insigniter magnæ. Et hinc duæ sunt leucæ ad Thebas,
Thebais unde fuit legio Thebeorum. Huic quoque adiacet desertum Thebaidos,
in quo olim fuit magnus numerus monachorum. Et nota quod à Baby-
lonia usque ad Syenen per milliaria CCXXX. Nilus in nullos diuiditur
riuos, uno contentus in quo fluit alueo. Terra Aegypti fere est inaccessi-
bilis: nam ab occidente habet mare magnum, contra Aphricam est deser-
tum Libyæ & Philenorum: ab Austro est desertum Aethiopiæ, & ab orien-
te desertum Thebaidos usque ad mare Rubrum. Transitus illius deserti est
trium dierum, donec ueniatur ad locum qui Beronice uocatur: & est portus
Aegypti in littore maris Rubri ad Indiam ducens. Porrò contra Vulturnū
& septentrionem habet Aegyptus desertum magnum usque ad terram san-
Christus olim ctam, in quo filij Israel ab Aegypto fugientes XL. annis morati sunt. Floruit
in Aegypto ante tempora nostra Aegyptus mirū in modum Christiana religione, mul-
cultus ta millia habens monachorū, multa cœnobia, & plures ecclesias. Vnde dixe
runt

A runt mihi Saraceni, quod in sola Babylonia & Cayro (sunt enim duæ urbes sed in unã coniunctæ) plures quàm quadraginta reperiantur ecclesiæ. Habet uillas fermè infinitas, & populum sine numero. Dominantur hodie in ea Saraceni. Inter Heliopolim & Babyloniam ostenduntur loca, in quibus beata uirgo mansit cum puero Iesu & marito Ioseph, quum à facie Herodis fugisset è Iudæa. Est etiam ibi hortus balsami, qui irrigatur à fonte paruo, uberrimè tamen fluente, in quo aiunt beatam Virginem puerum Iesum lauisse, ob id habetur fons ille in ueneratione nedum à Christianis uerum & à Saracenis. Modum colligendi balsamum hunc mihi Saraceni ostenderunt. Carpebant folium unum à stipite (adhærent enim folia stipiti) & contra radium solis illud discerpentes, guttam lucidissimam, & supra modum odoriferam elicuerunt: & is est uerus liquor balsami: qui in phialas uitreas colligitur, & ad diuersas mũdi partes mittitur: tametsi raro sine mixtura ad regiones nostras perueniat. Aiunt etiam, si folium illud contra radium solis non frangeretur, minime succum illum stillaret. Foderũt proinde Saraceni & alium fontem, quum fons prior non sufficiat ad irrigationem totius horti, ex quo quatuor boues aquam trahunt, quæ sufficere possit ad illius humectationem.

FINIS.

AD LECTOREM PRAEFATIO.



PRæter Quintum Curtium, qui gesta conscripsit Alexandri Magni, & passagia quædam terræ sanctę, pauci hactenus fuere, qui de rebus & de uarijs illis atque multis prouincijs, quas habet oriens, præsertim Indicus, nos certiores redderent: & tamen interim semper fuerunt uiri quidam studiosi, qui Asiani orbis uisen-
B di gratia haud cunctanter pericula corporis atq; rerum iacturas subire contenderunt: & proculdubio plurimarum orientalium rerum certa hodie extarent experimenta, si saluus illis in patriam contigisset reditus. Nunc autem quum tam multa peregrinantibus in illis regionibus sint subeunda exitialia pericula: occurrunt enim nedum prædones, & alij ferocissimi homines, uerum & bestiæ immanes, deserta amplissima, squalentia & arentia, quæq; neque hominibus, neque iumentis quicquam pabuli afferre poterũt, maria illa sabulosa, ut uocant, quæ interdum peragranda sunt, aquæ mortiferæ, mare tempestuosum, calores intolerabiles, frigora acerba, & alia innumera pericula: quot putas Asia nobis incolumes restituit, quos in eam Europa ueluti exploratores misit? & si quosdam restituit, hi uel itineris labore atque periculorum sufferentia adeò exanimati sunt, ut non curarint explorata stylo excipere: aut si annotarunt ea quæ uiderunt & experti sunt, uernaculo usi sunt idiomate, id quod fecit Vartomannus, Benedetto Bordone, ut uulgaris libri uulgari utar titulo, Marcus Paulus Venetus, & alij quidã Itali atque Hispani, quorum scripta adhuc in tenebris essent, sicut & aliqua sunt, nisi boni quidam uiri ea in Latinum uertissent, atq; omnibus legenda exhibuissent. Et utinam Marcus iste Venetus commodiorem nactus fuisset interpretem, aut ipse librum suũ Latine scripsisset, qui latine sciuit id quod in loco quodam subindicat: sed multis conciuibus suis Venetis gratificari maluit, quàm paucis latine doctis. Natus est hic Marcus ex patre Nicolao Paulo uiro clarissimo, qui quum per tres aut quatuor annos lustrasset partes orientales, comitem habens fratrem genuinum, Matthęum, scilicet Paulum domum rediens filium Marcum secum ducẽs, denuo in Indiam concessit, mansitq; multis annis apud magnum Cham Cublai, aulicus illius factus. Historia illius profectionis atque reditus describitur in primis decem primi libri capitibus: & hæc tibi lector causam reddent, quomodo Marcus huius libri conscriptor, tot potuerit perlustrare prouincias.

MARCI

MARCI PAVLI VENETI, DE REGIONIBVS ORIENTALIBVS LIB. I.

Quomodo Nicolaus Paulus, & Matthæus Paulus fratres in orientem concesserint. CAP. I.



BALDVINO principe inclyto regni Constantinopolitani sceptra tenente, anno, scilicet ab incarnatione domini M. CCLXIX. duo uiri nobiles & prudentes è clarissima Paulina familia nati, ciues Veneti, nauem uarijs onerantes mercibus, communi consensu Venetijs soluentes, prospero uento, & deo ducatum felicem præstante, sulcarunt mare mediterraneum, & per angustias Bosphori fauces contendentes, Constantinopolim peruenerunt: ubi quum paucis quieuissent diebus, iterum uelis uentum dantes traiecerũt pontum Euxinum, appuleruntq; ad portum ciuitatis Armeniæ, quæ Soldadia appellatur, & præparantes iocalia pretiosa, curiam cuiusdam regis magni Tartarorum, Barka dicti, ingressi, illi obtulerunt quicquid optimum habebant. Ille uero gratissima & libere oblata munera non aspernans uicissim placido illos suscipiens uultu, multo maiora tribuit quàm illi contulerunt. Per annum autẽ cum illo commorantes rege, Venetias redire satagerunt. Et quum id molirentur, subito inter regem Barka, & alium quempiam Tartaricum regem Allau nomine, lis oboritur cruenta: & aliquandiu inter se confligentes, exercitu Barkæ deuicto, sors regi Allau uictoriam concessit: sicq; memorati fratres bellorum sæuiente tumultu præpediti, uaria captant consilia, quam eligant uiam, per quam uitæ sublato discrimine, in patriam reuertantur: tandemq; iudicãt per uarias itinerum ambages circuire regnum Barka, & furentium euadere manus: & id tentantes peruenerunt ad ciuitatem quandam Guthacam nomine, à qua ultra progressi Tigrim traijciunt, & XVII. dietas facientes in deserto quodam magno, in quo neq; habitatores, neq; oppida inueniuntur, ad Bocharam ciuitatem Persidis insignem profecti sunt, præsidente illi Barach rege: ibiq; annis tribus manserunt. B

Qualiter adierunt curiam regis magni Tartarorum. CAP. II.

EO tempore uir quidam grauis & insignis à rege Allau ad maximũ Tartarorum regem destinatus, Bocharam pernoctaturus uenit, & illic præfatos uiros inueniens, qui iam linguam Tartaricam erant edocti, supra modum hilaris efficitur, cogitatq; quomodo persuadeat, ut secum ducat hos occidentales uiros, inter Latinos natos, ad præsentiam maximi Tartarorum imperatoris, sciens se illi in hoc gratificaturum, & nihilominus uiros debito suscipiendos honore, & largis donandos muneribus, potissimum quum iam ex multiplici colloquio gratissimos ipsorum explorasset mores. Viri igitur illi aduertentes se non facile & absq; periculo posse domum reuerti, inito consilio memorato adhærent ambasiatori, iterq; cum illo suscipiunt ad Tartarorum imperatorem, comites habentes quosdam alios Christianos, quos secum è Venetijs duxerant, & soluentes à loco Bochara, post multos transactos menses perueniunt ad maximum omnium Tartarorum regem Cublai uocatum, quem etiam magnum Cham appellant, hoc est, magnum regem regũm. Porrò quod tam prolixum tempus insumpserunt, donec ad magnum uenirent Cham, aliud in causa non fuit, quàm quod in frigidissimis regionibus Aquilonem uersus niues plurimas, & aquarum inundationes inuenerunt, quæ uiam illis præcluserunt.

Quanta humanitate à magno Cham suscepti sint. CAP. III.

ADducti igitur ante conspectum magni imperatoris Cham, perbenigne ab eo suscepti sunt. Interrogauit autem eos de multis, utpote de regionibus occidentalibus, de imperatore Ro. atq; alijs regibus & principibus, qualiter sese gererẽt in regimine & rebus bellicis, quo pacto pax, iustitia & con

A cordia inter eos constaret, item quales mores & uiuendi ritus essent apud Latinos, & præsertim qualis esset nostra christiana religio, qualisq; Papa summus illius moderator. Et ad hæc memorati uiri singillatim respondentes, eò imperatorem suis deduxerunt uerbis, ut libenter illis auscultaret, & sæpe ad se introduci iuberet.

Mittuntur à magno Cham dicti uiri ad Pontificem Ro. CAP. IIII.

QVadam itaq; die magnus Cham cum regni sui principibus inito consilio, rogat Latinos, ut nomine suo ad Papam proficiscentes, unà cum barone quodam Gogaca nomine, uiro aulico & optimo, atque apud illum agant, ut centum uiros sapientes, & in lege Christiana doctos ad se dirigat, qui sapientibus suis ostendere possint Christianorum fidem cæteris omnibus sectis præferendam, atque unicam salutis esse uiam, quodq; dij Tartarorum essent dæmones, qui orientalibus in sui cultura imposuissent: nam quũ is imperator multa audisset de fide catholica, & interim aduerteret, quàm mordicus sui sapientes conarentur suam defendere fidem, in ambiguo positus nesciebat cui tutò animum suum inclinaret, quamq; ut ueram amplexaretur uiam. Illi itaq; debitam regiæ maiestati exhibentes reuerentiam, pollicentur se commissa fideliter executuros, & literas quas ab eo Ro. Pont. offerendas acceperint, præsentaturos. Ipse uero tabulã auream signo regali sculptam & insignitam, iuxta imperij sui consuetudinem illis tradi iubet, quam commeatus loco secum per totum eius imperium deferentes ubiq; à prouinciarum & ciuitatum rectoribus per loca discriminosa salui deducerẽtur atq; expensas ab eisdem reciperent, et quacunq; tandẽ re opus in itinere haberẽt, illis imperatoris nomine suppeditaretur. Rogabat quoq; eos imperator, ut nonnihil de oleo lampadis, quæ iuxta dominicũ sepulchrũ Ierosolymis ardebat, sibi in reditu deferrent, credens sibi illud nõ parum profuturum, si Christus mundi esset saluator. Illi igitur imperatori ualedicentes arripiunt iter, li-
B teras & auream tabulam secum deferentes. Quumq; XX. diætas equitando peregissent, Gogacal, qui illis ab imperatore associatus erat, grauiter ægrotare cœpit. Vnde consilio inito eo illic relicto, ipsi cœptum prosequuntur iter, ubiq; ob imperatoris signum humaniter suscepti. Pluribus tamen in locis ob fluminum inundationes pedem sistere coacti sunt, ut etiam tres annos citro ultroq; absumpserint, priusquam ad portum ciuitatis Armeniorum, Galza nomine, peruenerint. À Galza rectà ad Anconem tendunt anno, scilicet domini, M.CCLXXII. mense Aprili.

Quomodo summi Pontificis expectarint creationem. CAP. V.

INgressi autem urbem Anconam audierunt dominum Clemẽtem Papam quartum nuper defunctũ, aliumq; neminem in locum eius surrogatum: de quo non parũ contristati sunt. Erat tunc Anconæ legatus quidam sedis apostolicę, dominus scilicet, Thedaldus Comes de Placentia, cui cuncta quę in commissis habuerunt, exponentes, indicabant quomodo à magno Cham missi fuissent. Ille uero consulebat, ut noui Pontificis expectarent creationem. Abeuntes itaq; interim Venetias suos inuisuri, et illic quousq; alius institueretur Pontifex mansuri, inuenit Nicolaus Paulus uxorem suam extremum clausisse diem, quippe quam in recessu suo prægnantem reliquerat, filium uero Marcum nomine, qui iam annos ætatis XV. habebat, atq; postea hunc librum conscripsit, sanum & incolumen inuenit. Porrò electio Rom. Pontificis ad duos usq; annos est protracta.

Qualiter regressi sint ad regem Tartarorum. CAP. VI.

ANnis duobus postq; redierunt in patriã elapsis, memorati duo fratres timentes imperatoris Tartarorũ turbationẽ, quem ipsorum reditũ sciebãt expectare, reuertuntur Anconam ad legatum, secum ducentes Marcum filium, longi itineris futurum comitẽ. Acceptisq; à legato literis, quas Tartarorum imperatori deferrent, in quibus plenius imperator edocebatur ea quę fidem concernunt catholicam, abire iterum in oriẽtem disponunt: illisq; paululum

Iulum ab Ancona digressis, nuntij ueniunt à Cardinalibus ad legatum, indicantes illi se in summum electum Pontificem, postea Gregorium dictũ. Quo audito illi comissis nuntijs Venetus reuocat, & ne abeant monet, parans alias illis literas, quas Tartarorũ offerrent summo principi, quibus & duos adiunxit fratres prædicatores, uiros probitate & literatura conspicuos, quorũ unus Nicolaus, alius uero Guilhelmus Tripolitanus uocabatur, qui tũc Anconæ moram trahebant. Abeuntes itaque unà uenerunt ad Glaciam portũ maris in Armenia. Et quoniam Sultanus Babyloniæ tunc magno coacto exercitu Armenos inuaserat, cœperunt memorati fratres sibi timere, atque uiarum uolẽtes uitare discrimina & guerrarum pericula, cum magistro templi in Armenia manserunt: nam non semel in mortis periculum inciderunt. Nuntij uero Veneti omni sese periculo exponentes cum multis laboribus & magna difficultate ad Tartarorum imperatorem in ciuitatem quæ Clemenisu appellatur, peruenerunt: nam iter eorum hyemali tempore propter niues & frigora atque aquarum inundationes sæpe ad longum tempus impediebatur. Porrò rex Cublai audiens eos aduentantes qui adhuc longissime aberant, per quadraginta diætas nuntios illis obuiam misit, qui eos conducerent, & necessaria quæq; pro itinere suppeditarent.

Quomodo Veneti à Tartarorum imperatore suscepi sunt. CAP. VII.

REgis itaq; curiam adeuntes, & ante conspectum eius ducti, prociderunt coram eo in faciem, reuerentiam consuetam exhibentes. A quo humaniter suscepti iubentur surgere, & qualiter uaria uiarum penetrarint discrimina, quidq; cum Romano egerint Põtifice iubet enarrare. Illi uero cuncta ordine exponunt, & allatas Pontificis literas imperatori exhibent. Qua de re rex mirum in modum lętatus fidelem illorum comendauit solicitudinem. Oleum quoque de lampade dominici sepulchri allatum & oblatum accepit ab illis, & cum honore reponi iussit. Et quum intellexisset Marcum Nicolai esse filium, blanda facie illum suscepit, omnesq; tres illos, patrem & filium, atque patruum tali dignatione prosecutus est, ut ab omnibus aulicis deinceps suspicerentur, & in honore haberentur.

M. Paulus quàm gratus factus sit Tartarorum imperatori. CAP. VIII.

MArcus itaq; breui tempore in aula magni Cham Tartarorum addiscens mores, atq; quatuor uarias gentis illius linguas edoctus, quas nedum legere, uerum & scribere didicit, omnibus charus effectus est, & in primis imperatori: qui ut hominis prudentiam magis conspicuam redderet, negotiũ illi commisit in longinqua expediendum regione, ad quam sex mensium spatio uix peruenire poterat. Ille uero prudenter in omnibus se gerens, non sine laude & principis gratia, quæ in mandatis acceperat transegit. Et sciens imperatorem oblectari nouitatibus, diligenter scrutatus est in regionibus quas pertransiuit consuetudines & mores hominum, conditiones & naturas animalium, atq; harum rerum ueridica relatione mirum in modum sibi deuinxit regem, ut etiam rex in magnis obeundis regni negotijs hoc uteretur per XVII. annos uiro, mittens illum ad diuersas latissimi imperij sui terras. Is uero prẹter id quòd regis exequebatur causas, etiam terrarum obseruabat proprietates, prouinciarum & ciuitatum considerabat situs, & quæ mira in locis uel contigerunt, uel inueniuntur calamo excipiens, tandem nobis occidentalibus patefecit, id quod secundus liber explicat.

Quomodo Veneti post aliquot annos obtenta licentia redire disposuerint.

CAPVT IX.

MOrantes autem aliquanto tempore Veneti apud magnum Cham, patriæ uisendæ accensi desiderio, à rege abeundi licentiam petunt. Is uero eorum oblectatus præsentia, difficile ad id inclinari potuit. Accidit tamen interea ut rex Indorum Argon nomine, tres insignes uiros mitteret ad curiam magni Cublai, quorum nomina fuerunt Culatai, Ribusca & Coila, qui agerent cum eo, ut aliquam ex prosapia sua ei traderet in uxorem: nam uxor

eius

A eius Balgana nomine nuper mortua, in testamento reliquerat, & maritum adiurauerat, ne ab alia quàm à sua familia aliam duceret uxorem. Rex itaq; Cublai illorum obsequutus petitioni, puellam quãdam XVII. annorum nomine Gogatim, è stemmate suo prognatã illis associat, inq; uxorẽ Argonis consecrat. Nuntij uero quum reginam abducturi essent, & aduertissent Venetos patriam suam sitire, rogabãt Cublai regem, ut pro honore regis Argonis hos secum abire permitteret, qui nouam reginam in Indiam conducerent, & inde ad loca sua reuerterentur. Ille procerum instantia & petitione deuictus, etiam inuitus Venetos abire permisit.

Quomodo Venetias redierint. CAP. X.

SOluentes itaq; à Cublai aula, quatuordecim paratas naues, & sufficienti commeatu oneratas, quarum quælibet quatuor malos atq; totidem uela habebat, intrantes acceperunt à rege duas tabulas aureas regali charactere insignitas, quas per omne imperiũ suum, & per tam multas prouincias præfectis ostenderent, à quibus securum conductum, uictualia, & alia necessaria perciperent. Adiunxit quoq; illis ambasiatores aliquos ad summũ Pontificem, & ad reliquos quosdam Christianos reges. Et nauigio hinc discedentes, post tres menses uenerũt ad insulam quandam Iana nomine, & inde per Indicum uagantes mare post multũ temporis ueniunt ad regis Argonis palatium, allatam'que illi præsentant puellam. At ille filio suo hanc tradidit uxorem. Plurimi autem desiderati sunt ex his sexcentis uiris, quos pro adducenda puella rex ad Tartarum misit, qui in itinere eundo & redeundo spiritũ exhalarunt. Porrò Veneti cũ ambasiatoribus hinc recedentes, ab alio uicerege, qui regno pueri loco præerat, Acata nomine, alias duas aureas & commendatitias tabulas more gentis illius acceperunt, atq; salui cum honore ex regno illo deducti sunt, & post multum temporis multis exantlatis la-
B boribus protegente domino Constantinopolim perueniunt, atq; inde cum diuitijs & honorifico comitatu incolumes Venetias redierunt, anno scilicet, domini millesimo ducẽtesimo nonagesimo quinto, gratias agẽtes deo, qui eos de periculis multis liberatos saluos domum reduxit. Hæc à principio huius libri breuiter & summate annotare libuit, ut lectori cõstet, quomodo, & qua occasione Marcus Paulus Venetus huius libri compilator, hæc quæ sequuntur omnia inuestigare potuerit.

De Armenia minori. CAP. XI.

PRæmissa generali itinerum nostrorum descriptione, nunc ad particularia descendẽtes, singulas regiones quas perambulando lustrauimus, de nuo reuisentes, quid in eis uiderimus & experti simus annotaturi. Igitur Armenia minor quam primo intrauimus, iustitiæ cõseruatione, & bona gubernatione consistit. Habet regnum ipsum ciuitates multas, plurima oppida: solum quoq; ipsum fœcundum est, & terra nullius rei necessariæ indiga: ue nationes bestiarũ & auiũ illi non desunt: aër quoq; ipse nulla corruptione infectus, omnibus gratum præstat spiraculum. Incolæ uero regionis illius, qui olim strenui fuere bellatores, nunc otio torpentes molles & effœminati effecti, potationibus & luxui uacant. Est ciuitas quædam in hoc regno, iuxta mare sita, Glacia nomine, optimum habens portum, quò plurimi conueniunt mercatores ex uarijs regionibus, etiam à Venetijs & Ianua propter uarias merces quæ illuc deferuntur, præsertim aromata diuersarum specierum, aliasq; pretiosas quasdam opes ex orientalibus regionibus illuc nundinationis gratia delatas: nã est is locus ueluti porta quędã oriẽtaliũ regionũ. *Glacia*

De prouincia Turchiæ. CAP. XII.

TVrchia prouincia collectę gentis, cõtinet populos ex Gręcis, Armenis, & Turchis. Habent Turchæ linguam propriã, sub lege detestabilis Mahumeti uiuẽtes. Sunt homines indocti, rudes & agrestes, in mõtibus & uallibus habitantes, atq; pascuosa loca cæteris præeligentes: nam habent greges magnos iumentorum atq; porcorũ: habent & mulos, sed illi in magno

sunt ualore. Græci uero & Armeni qui inter illos habitant, ciuitates & oppida possident, operamq; sua m in sericum collocãt. Habent autem ciuitates multas, inter quas præcipuæ sunt Gomo, Cæsarea & Sebaste, ubi beatus Basilius martyrium pro Christo suscepit, unumq; ex Tartarorum regibus dominum agnoscunt. A

De Armenia maiori, CAP. XIII.

ARmenia maior prouincia maxima, Tartaris tributaria, ciuitates multas habet atq; oppida. Metropolis eius Arzinga uocatur, fitq; ibi buchirãus optimus. Scaturiunt quoq; ibi aquæ feruentes, corporibus humanis abluendis & medendis sanissimæ. Aliæ uero insigniores post metropolim ciuitates sunt Argyron & Darzirim. Aestiuis diebus plurimi Tartari illùc diuertunt cum gregibus & armentis, uberioris pascuæ gratia illecti. Et rursum hyemali tempore ob niuium inundantiam ad tempus secedunt. In montibus huius Armeniæ remansit arca Noæ. Habet hæc regio ab oriente confinem prouinciam Zorzaniorum. Ab Aquilone uero fons quidam magnus inuenitur, de quo liquor oleo similis scaturit, ad condimentum quidem cibi inutilis, lampadibus uero concinnandis & nutriẽdis, alijsq; rebus inungendis commodissimus: unde uicinæ quæq; nationes concurrunt, & de fonte illo omnes pro lucernis alendis haurire contẽdunt: tã enim indesinẽter hi fons fluit, ut etiã multę naues oleo eius oneratę, in alias abducãtur regiones.

Fons olei

De prouincia Zorzania. CAP. XIIII.

ZOrzania prouincia Tartarorum regi tributa offert, eumq; dominum suum agnoscit. Sũt autem Zorzanij homines pulchri, in armis strenui, atq; in arte sagittaria periti. Sunt etiam Christiani Græcorum obseruantes ritum. Capillos nutriunt breues, ut clerici occidẽtales. Est prouincia eorum aditu difficilis, præsertim ab oriente: illic enim arctissima est uia, ab uno latere habens mare, & ab altero montes, per quam quatuor leucarum spatio eundum est, donec in prouinciam ueniatur. Vnde pauci homines ibi magnum exercitũ ab ingressu arcere possunt. Habent incolæ multas ciuitates B & castra, abundantq; serico, de quo pulcherrimos holosericos parant pannos. Quidam eorum labori manuali operam impendunt, alij uero mercimonijs distrahendis. Terra ipsa satis fertilis est: id mirabile aiunt in hac terra reperiri. Est lacus quidã magnus in ea, ab aquis montiũ collectus, uocatus mare† Chelucelã, in gyro habens circiter sexcenta milliaria, qui per totũ anni spatium nullos mittit pisces præterquam per quadragesimam usq; ad sabbatum sanctum. Distat is lacus à reliquis æquoribus duodecim diætis. Aiunt quoq; Euphratem fluuium, & alia quædam flumina in hunc ruere lacum.

forte Caspium

De regno Mosul. CAP. XV.

REgnum Mosul ad orientem situm, partim confine est Armeniæ maiori, habitãtq; in eo Arabes Mahumetũ colentes, & multi Christiani, Nestoriani atq; Iacobini, quibus pręest patriarcha magnus, quem ipsi Iacelich uocant. Fiunt ibi panni pulcherrimi ex serico & auro. Cæterùm in montibus huius regni habitant homines Cardi appellati, quorũ quidam Nestoriani sunt, alij Iacobini, & quidam Mahumeti sunt sectatores, atq; magni prædones.

De ciuitate Baldachi. CAP. XVI.

EST in partibus illis ciuitas quædam insignis Baldachum nomine, quæ in scripturis sacris Susis appellatur, in qua manet prælatus magnus Saracenorum, quem ipsi Caliphũ uocant. Non inuenitur in partibus illis nobilior quàm illa sit ciuitas. Parãtur ibi ex auro & serico pulcherrimi panni, ijq; sub uaria habitudine. Anno ab incarnatione domini M. CCL. magnus Tartarorum rex Allau obsedit, atque tam acriter oppugnauit hanc urbem, donec caperet eam. Erant tunc plura quàm centum millia armatorum in ciuitate, sed Allau longe fortior illis erat. Cæterum Caliphus urbis dominus turrim habebat plenam auro, argẽto, & lapidibus pretiosis, atq; reliquis iocalibus, sed auaritiæ stimulis sauciatus noluit collectum thesaurum in milites spargere,

Haolonus

gere,

A gere, illisque munera largiri, ideoque ipse cum ciuitate periclitatus est: nam Allau rex obtenta ciuitate Caliphum cepit, & in turrim illam, in qua thesaurũ suum reposuit coniecit, negatoque omni cibo & potu ait illi: Si thesaurum hunc non tam auare & tenaciter seruasses, teipsum & ciuitatem liberasses: nunc igitur fruere thesauro tuo & ex eo comede atque bibe, quem tantopere dilexisti. In hunc itaque modũ miser ille thesauro suo incumbens fame perijt. Transit per hanc urbem fluuius quidam magnus, atque in oceanum Indicum se effundens, à cuius ostio urbs ipsa decem & octo distat diætis, ut citra magnum incommodum innumeræ merces ab India ad eam adduci possint. Porrò fluuius ipse originem sumit à ciuitate Chisi. Est quoque ciuitas alia inter Baldachum & Chisi, Bascia nomine, quæ magno palmarum nemore circundatur, de quo maxima dactylorum colligitur copia.

De ciuitate Taurisij CAP. XVII.

IN illis quoque partibus est Taurisium nobilissima ciuitas, in qua multiplices exercẽtur mercantiæ: nam sunt ibi gemmæ pretiosæ, panni auro texti atque holoserici cum alijs uarijs mercibus. Et quoniam ciuitas in optimo sita est loco, conueniunt ibi plurimi negotiatores ex uarijs mundi partibus ab India, à Baldacho, Mosulo & Cremosor: ex Latinorum quoque terris nonnulli nundinandi gratia illuc cõcedunt: nam mercatores plurimum hinc ditantur. Ciues Mahumetum uenerantur, licet quidam Nestoriani atque Iacobini etiam ibi inueniãtur. Sũt in circuitu ciuitatis horti pulcherrimi & amœni, unde incolæ plurimos & optimos colligunt fructus.

Quomodo miraculose mons quidam in alium locum fuerit trãslatus.
CAP. XVIII.

EST mons quidam in regione illa haud longe à ciuitate Taurisij, qui olim uirtute diuina à loco suo hac occasione dimotus est. Accidit semel ut Sa-
B racени Euangelium Christi blasphemare uolentes, & ueluti uanam doctrinam Christianis improperantes dicerent: Est scriptum in Euangelio uestro: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, & dixeritis mõti huic, transi hinc, & transibit, & nihil impossibile erit uobis. Nunc igitur si fides uestra caret *Miraculum* errore, amouete montem hunc, & probate Euangelij uirtutem. Et quoniam *fidei* Christiani sub perfidorum illorum dominio erant, cogebantur uel montem illum transferre, uel Mahumeticam subire legem: & si neutrum facerent, gladio ferirentur. Tunc uir quidam in Christi feruens amore & fide, confortauit pusillanimes, & fusa oratione ad dominum cum tota fiducia dixit mõti: Abi hinc: quod uidẽte multitudine illico factum est. De quo miraculo multi Saracenorum conuersi, Christum confiteri cœperunt.

De regione Persarum. CAP. XIX.

PErsia maxima & latissima est prouincia, fuitque olim nobilis & magni nominis: nunc uero à Tartaris dissipata obscurior est quàm unquam fuerit: abijt tamen nomen eius in uiciniores quasque prouincias, ut etiam hodie Persidis prouincia octo complectatur regna: quorum primũ uocatur Chasum, secũdum Churdistam, tertium Lor, quartum Cielstam, quintum Instanich, sextum Zerazi, septimum Socham, octauum Timochaim, & est in finibus Persarum: suntque ibi equi magni & pulchri, ut etiam quandoque unus ueneat pro ducentis libris Turonensibus. Ducunt autem eos negotiatores ad ciuitates Chisi & Curmosa, in litore maris sitas, unde in Indiam uenduntur. Asini quoque ibi sunt pulcherrmi & optimi, ut etiam unus uendatur pro triginta argenti ponderibus. Homines uero in regionibus illis pessimi sunt, rixosi, prædones & homicidæ, fidem Mahumeti profitentes. Mercatores passim occiduntur ab illis prædonibus, nisi cateruatim per itinera incedant. In ciuitatibus tamen sunt optimi artifices, qui in auro, serico, & opere acupictorio mira faciunt. Abundant bombice, tritico, hordeo, milio, alijsque frumenti speciebus. Vini quoque & fructuum habent ubertatem.

De ciuitate Iasdi. CAP. XX.

IAsdi est ciuitas magna in eadem regione, in qua multæ fiunt mercantiæ. Habet quoq; & ipsa subtiles artifices, qui in serico laborant. Colunt etiam Mahumetum. Vltra Iasdi per septem diætas non est ulla hominum habitatio usque ad ciuitatem Crermam: sed sunt loca campestria atque nemorosa, in quibus multæ sunt uenationes. Inueniuntur quoq; ibi magni conatices, & hi in magna multitudine.

De ciuitate Crermam. CAP. XXI.

CRermam est ciuitas insignis, ubi in montibus plurimi reperiuntur lapides, Turchici uulgo appellati. Sunt quoq; ibi mineræ chalybis & andanici. Item habent falcones nobiles, uolatum pernicissimum habentes, minores tamen falconibus peregrinis. Habet Cremã artifices diuersorum armorum, qui fabricant frena, calcaria, sellas, spatas, arcus, pharetras, & alia instrumenta iuxta usum patriæ illius. Mulieres uero distinẽtur opere plumario, facientes culcitras & ceruicalia speciosa. A' Crermam ultra progrediendo itur per magnam planiciem, exactoq; septem dierum itinere peruenitur ad descensum quendam, qui duorum dierum spatio uix tandem perficitur, uestigio semper in decliuum inclinato. In planicie multi inueniuntur perdices, itemq; castra & oppida. In decliui uero descensu sunt arbores multæ & frugiferæ, sed non est ibi habitatio nisi pastorum. Habet hęc regio hyemali tempore intolerabile frigus.

De ciuitate Camandu, & regione Reobarle. CAP. XXII.

VEnitur post hæc ad planiciem quandam magnam, ubi ciuitas quædam sita est Camandu nomine, quæ olim magna fuit, sed nunc à Tartaris diruta est, retinuitq; regio ab ea uocabulum. Inueniuntur ibi in magna copia dactyli, pistachi, poma paradisi, atq; alij uarij fructus, qui in regionibus nostris non crescunt. Habet quoq; regio illa aues quæ francolinæ dicuntur, permisti coloris albi, scilicet & nigri, quarum pedes & rostra rubescunt. Habet item boues maximos, & in uniuersum candidos, cornua breuia & minime acuta in capite gestantes, camelino gibbo dorso eorum imminente, unde tam fortes redduntur: ut ad magna onera gestanda facile assuefiant. Et quum clitellæ gibbo imponuntur, ut cameli genuflectunt, & rursum suscepto onere surgunt, sic ab hominib. edocti. Arietes illius regionis nõ minores sunt asinis, caudam ferentes tam longam & latam, ut triginta librarũ pondus habeant. Sũt pulcherrimi & pingues, atq; ad esum optimi. Sunt prȩterea in huius regionis planiciæ multæ ciuitates & oppida, sed quæ muros habent luteos atq; incompositos, fortes tamen. Nam sunt in ea regione multi prædones, quos Caraonas uocant, habentq; regem. Vtuntur hi prædones incantationibus: & quando ad prædam excurrunt, arte illa diabolica id efficiunt, ut aër interdiu per magnum temporis spatium adeò obscuretur, ut à nemine uideri & caueri possint, prorogantq; huiusmodi caliginẽ interdum quinq;, & aliquando septem diebus, & interim campos peruagantes in maximo numero, ut etiam quandoq; turma eorum decem millia grassatorum complectatur, in aciem bellatorum more se redigunt, & in latum diffusi sic procedunt, & quicquid obuiam illis uenit, homines, & iumenta capiunt, iuuenes uęnum exponunt, senes uero occidunt. Ego Marcus qui hæc scribo, semel in hanc incidi caliginem: & quoniam parum aberam à castro, quod Canosalim dicitur, facile periculum euadere potui ad castrum fugiendo. Plures tamen è comitiua mea in retiaculum illud dæmoniacum incidentes, partim uenditi, & partim interfecti fuerunt.

Boues gibbosi

Arietes maximi

De campestribus formosis, & ciuitate Cormos. CAP. XXIII.

PLanicies illa de qua iam dictum est, meridiem uersus extenditur ad spatium quinq; diætarũ. In extremitate uero eius incipit uia sensim descendere, ut per uiginti milliaria semper in præceps cogaris ire: & est uia ipsa pessima, atque ob prædatores periculis non carens. Tandem uenitur ad campestria

A pestria pulcherrima, quæ in longum ad duas diætas se extendunt, uocaturq; locus ipse Formosa. Abundat terra illa riuis aquarum, & arboribus palmarum. Est quoque ibi copia diuersarum auium, præsertim papagaiorum, quæ citra mare non habentur. Hinc peruenitur ad mare Creanum, in cuius litore sita est ciuitas Cormosa, optimum habens portum, ad quam multi conueniunt negotiatores, ab India aromata, margaritas, lapides, pretiosos pannos aureos & holosericos, dentesq; elephantorum, & alia pretiosa quæq; adferentes. Est ciuitas illa regalis, habens sub se ciuitates & castra Regio uero ipsa calida est & infirma. Si extraneus quispiã mercator in ea moriatur, rex terræ omnia eius confiscat bona. Vinum faciunt in illa terra ex dactylis, atq; aliis optimis speciebus: tamen qui eo nõ sunt assueti, & primum bibere cœperint, uentris fluxum cient: qui uero assueti fuerint, mirum in modum pinguescunt. Incolæ loci non uescuntur pane triticeo & carnibus, sed comedunt dactylos, pisces salitos, & cepas. Naues habent non admodum tutas: nam non consolidãt eas clauis ferreis, sed ligneis cum filis quibusdam, quæ fiunt ex corticibus nucum Indicarum. Hi cortices in modum corij parãtur, unde fila scindũtur, & ex filis funes fiunt fortissimi, qui aquarum impetũ & assultum ferre possunt, nec ab aquis facile corrumpuntur. Habent naues illę unas arbores, una uela, unosq; temones, nec nisi uno teguntur opertorio. Pice non liniuntur, sed piscium sumine. Et quum in Indiam transfretant, equos & alia onera secum deferentes, multas amittunt naues, quòd mare illud admodum tempestuosum sit, & naues ferro non sint communitæ. Incolæ illius regionis nigri sunt, Mahumeticq; legi addicti. Aestatis tempore, quando æstus intolerabiles sunt, non morantur in ciuitatibus, sed extra mœnia habent uiridaria aquis irrigata, & per canalia huc illucq; aquam trahunt, illicq; habitantes solis calorem aliquantulum subterfugiunt. Fit etiam non raro, ut à regione cuiusdam deserti, ubi nihil est pręter sabulum, uentus B quidam urens & uehemens spiret: & nisi homines ilico fugam caperent, nimio calore oppressi suffocarentur. Sentientes enim prima illius uenti spiracula, mox ad aquas confugiunt delitescuntq; in eis, donec flatus expirauerit: atq; in hunc modum ardorem illum ab arena allatum effugiunt. Fit quoq; in hac regione, ut semẽtem non nisi in Nouembri in terrã spargant, & in initio Martij segetem demetant, quo tempore etiam alij fructus maturescunt & colliguntur. Nam post Martium arborũ folia & herbæ nimio calore percussæ exarescunt, ut per totam æstatem nec unum uirens folium, nisi iuxta aquas inuenias. Mos est huius patrię, quum quispiam paterfamiliâs mortuus fuerit: ut uxor eius relicta quatuor annis continuis eum lugeat, singulis diebus semel fletui uacans. Conueniunt etiam ad defuncti domum consanguinei eius & uicini quiq;, magno rugitu illius mortem deplorantes, atque acerbas facientes querelas.

De regione quæ est inter ciuitates Cremos & Crermam. CAP. XXIIII.

VT etiam ad alias stylum uertam regiones, relicta iam India redeundum est mihi ad Crermam, ut hinc recto ordine progrediar ad eas quas uidi & lustraui terras. Igitur si gressum à Cremos uersus Crermam moueris, inuenies magnam & pulcherrimam quãdam planiciem, nulla re quæ ad uictum pertinet carentem: præsertim tritico abundat: uerum panis ex eo confectus, ab ijs qui eo non sunt assueti, comedi non potest, adeò amarus est, ab amara aqua illi impasta. Abundant etiam incolæ dactylis, & alijs suauibus fructibus. Habent insuper thermas contra scabiem, & alias multas ægritudines efficaces.

De regione inter Crermam & Cobinam sita, CAP. XXV.

EVndo à Crerma uersus ciuitatem Cobinam, occurrit iter tædiosissimũ, quippe quod in longum ad septem extenditur diætas, nullas ferè habẽs aquas, nisi perpaucas, & has quidem salsas & amaras, uiridem præ se ferentes colorem, perinde ac si herbarum esset succus: & qui uel paululum ex eis

delibauerit, uentris profluuium euadere non potest. Idem fieri solet si quis/ piam gustet sal ex ea aqua confectum. Necesse igitur est, ut uiatores aquam aliam secum portent, si modo non uelint siti periclitari. Iumenta quoq; ipsa horrent, quum aquam illam bibere coguntur, nec uenturis fluxum ubi bibe rint subterfugiunt. Nulla propterea est in illo deserto habitatio hominũ ne que ferrarũ, exceptis onagris, quòd nec cibũ, nec potũ illic habere possint. A

De ciuitate Cobinam. CAP. XXVI.

COBINAM est ciuitas magna, copiam habens ferri, chalybis, & audanici, Fiunt ibi specula de chalybe pulcherrima & magna. Fit quoq; ibi tucia quæ oculis medetur, & espondium, idq; in hunc modum: Habet regio illa mineras, ex quibus terram fodiunt, & in fornacem ignitam proiectam deco quunt, desuper crate ferrea uaporem ascendentẽ intercipiente, in qua uapor conglutinatus, tucia efficitur. Materia uero grossior, quæ in igne remanet. espondium uocatur, Sunt huius terræ incolæ Mahumeti sectatores.

De regno Timochaim, & arbore solis, quæ à Latinis arbor sicca uocatur.

CAP. XXVII.

RELICTA ad tergum ciuitate Cobina, occurrit desertum aliud, habens in lõgitudine iter octo dierum, estq; in eo ariditas magna. caret arboribus atq; fructibus: & aquæ quas habet amarissimæ sunt, ut etiam iumenta eas bibere recusent: & nisi uiatores aquam secum deferrent, siti periclitarentur. Superato uero hoc deserto uenitur ad regnum Timochaim, in quo multæ sunt ciuitates & castra. Est regnum illud confine Persidi à parte Aquilonis, crescitq; in eius planicie arbor magna, arbor solis dicta, quæ apud Latinos arbor sicca uocatur. Hæc grossa est ualde, habetq; folia quæ ex uno latere sunt candida, ex opposito uero latere sunt uiridis coloris. Fructus nullos præter entios producit, eosq; in modum castaneę buxini coloris. Patet cam pus ille circumquaq; ad multa milliaria, ut nec unam in eo inuenias arbo/ rem. Aiunt Alexandrum Magnum ibi cum Dario conflixisse. Est autem tota terri regni Timochaim, saltem quæ inhabitatur, fertilis, & multarum rerum ferax, bonoq; aëre temperata. Habet etiam uiros pulchros, sed pul/ chriores mulieres. Mahumeti perfidiam sequuntur. B

De tyranno quodam insigni & siccarijs eius. CAP. XXVIII.

EST in terris illis regio quædam Mulete dicta, ubi dominabatur princeps quidam pessimus, Senex de montanis dictus, de quo multa audiui: & quæ relaturus sum, ab alijs multis regionis illius incolis didici, qui ita mihi dixerunt. Fuit princeps ille cum uniuerso populo suo, cui præerat, legi Ma/ humeti addictus. Is inauditam excogitauit malitiam: Nam homines quos/ dam sicarios seu gladiatores, quos uulgo assasinos uocant, sibi adiunxit, & per illorum effrenem audaciam quoscunq; uoluit occidit, ut breui omnibus terrori esset. Porrò id hac impostura effecit. Erat in terra illa uallis quædam amœnissima altissimis septa montibus, intra quam uiridarium plantauit maximum & pulcherrimum floribus odoriferis & fructibus suauibus, atq; alijs delectabilibus refertum herbis. Extruxerat etiam in illo horto palatia quædam egregia mira decorata pictura, & quicquid illis ornamento esse potuit, adhibuit. Porro quæ ad totius corporis uoluptatem faciunt, non est opus ut multã de illis faciam mentionem, quum horto illi & palatijs non de fuerint riuuli uarij, aqua, melle, uino & lacte fluentes, uaria musicæ artis in/ strumenta melodiæ, choreæ, tripudia, palestræ, uestes pretiosæ, & mirus ap/ paratus omnium delectabilium rerum, quibus pro uoto fruebantur iuue/ nes quidam intra uiridarium positi, qui aliud nihil faciebant, quàm quod uitam beatam uiuebant, tristitiæ nullum dantes locum. Erat proinde in in/ troitu horti castrum fortissimum, diligenti munitum custodia, per quod so/ lum, & per nullum alium locum patebat ingressus & exitus in hortum. Ex/ tra locum illum habebat senex ille, cui nomen erat Alaodim, iuuenes quos/ dam & uiros fortes, audacis atque infracti animi, quos ad hoc ipsum insti/

Aqua fluentes riuulos concedo: uerum de riuulis melle vino et lacte fluentibus fabula est

tuebat

A tuebat, ut animi sui detestabile exequerentur propositum. Curabat illos informari in nepharia lege Mahumetica, quæ obseruatoribus suis in uita futura carnales promittit uoluptates. Et ut eos obsequentiores sibi redderet, & ad omne uitę periculum intrepidos, quum illi uideretur, faciebat eis, uel quibusdam eorum, dari potum quendam, quo inescati dementes fiebãt, & graui opprimebantur sopore, interimq́; in uiridarium ducebantur: & quum sopore soluto euigilarent, & uiderent se tantis interesse delitijs, putabant se in paradisum dei raptos, uiuereq́; cum Mahumeto legislatore ipsorum, et illis quæ promisit perfrui gaudijs. Quid plura? Gaudebant se ex seculi miserijs ereptos, & iam aliam atq; felicem uiuere uitam. Sed quum paucis diebus his gaudijs interfuissent, senex quibus uolebat iterum memoratum potum bibendum exhibuit, & dementatos extra paradisum illam reduxit. Tũc illi ad se redeuntes, & reminiscentes quibus & quantis ad modicum tempus potiti fuissent gaudijs, supra modum dolebant, & tristes efficiebantur quòd delitijs illis perpetuo frui non concessum sit, mortem libẽter subituri, modo hac uita tam modice degustata, semper uiuant. Tunc tyrannus ille, qui dei prophetam se esse mentiebatur, aiebat illis: Audite me, & nolite cõtristari: si parati estis, ut pro mea obedientia mortem intrepide, ubi illata fuerit, subeatis, participes uos pronuntio futuros illorum gaudiorum, quæ ad horam uidistis. At miseri illi mortem lucrum putantes, nihil tam difficile aiunt iniungendum, quod pro illa beata uita consequenda non libenter subeant. Abutitur igitur tyrãnus ille his prefactis hominibus ad innumera homicidia, quippe qui corporalem uitam prostituentes, cõtemnebant etiam mortem ipsam & passim ad tyranni iussus in regione illa sic grassabantur, ut omnibus hominibus essent formidini, & nemo insaniæ illorum resistere auderet: sicq́; fiebat, ut multæ regiones, & potentes uiri tyranno illi tributarij fierent.

De interfectione memorati tyranni. CAP. XXIX.

B ANno domini millesimo ducentesimo sexagesimo secũdo Allau rex Tartarorum, potenti exercitu tyranni illius castrum obsedit, cupiens tãtum periculum è suis eliminare partibus. Et elapsis tribus annis cepit illum cum omnibus Assasinis suis: defecerant enim illis uictualia: & funditus aboleuit locum, & homines interfecit.

De ciuitate Sopurgam & terminis eius. CAP. XXX.

REcedendo à præfato loco uenitur ad regionem quandam satis amœnã, quæ habet colles, planicies, & optima pascua, uberrimos denique fructus: est enim solum eius feracissimum: neque ullam habet penuriam præterquam aquæ: nam eundum est per quinquaginta aut sexaginta milliaria, donec aliquid aquæ inuenias: unde nisi uiatores aquam secum deferrent, sæpe siti periclitarentur, id quod etiam iumentis accidere solet. Festinanter igitur regio ipsa percurrenda est, præsertim ubi tanta est terræ ariditas. Extra illam siccitatem habet regio illa multas ciuitates & oppida. Incolæ Mahumetum agnoscunt. Post hæc uenitur ad ciuitatem Sopurgã, ubi omniũ uictualium reperitur copia: præsertim abundant ibi pepones, quos filis diuidunt nõ secus quàm cucurbitæ dissecantur, & desiccatos ad proximas terras uendendas portant, à quibus auide comeduntur, quum mellis ferè habeant dulcedinem. Sunt etiam in regione illa plurimæ uenationes bestiarum & auium.

De ciuitate Balac. CAP. XXXI.

PRætereuntes inde uenimus in ciuitatem quandam Balac nomine, quæ olim magna & nobilis fuit, sumptuosa habens marmorea palatia: nunc uero à Tartaris diruta est. In hac ciuitate ferunt Alexandrum Darij regis filiam in uxorem accepisse. Hæc ab Aquilone terminatur ad Persidis prouinciam. Quòd si hinc soluas & procedas inter orientem & Aquilonem, non inuenies ad duas dietas ullam habitationem: quia habitatores loci tot molestias à latronibus & prædonibus passi, coacti sunt fugere ad montana, loca, scilicet tutiora. Inueniuntur ibi aquæ multæ, atq; uenationes bestiarũ pluri-

mæ: sunt quoque illic leones. Viatores quoniam nihil alimenti in itinere inueniunt, uictualia secum deferunt, quæ pro duobus diebus illis sufficiant. A

De regno Taicam & terminis eius. CAP. XXXII.

EXacto itinere duorum dierum quos memorauimus, occurrit castrum quoddam Taicam uocatum, ubi frumenti magna est copia, ager'que ipse pulcherrimus. Sunt ibi quoque montes salis ad meridiem extensi, tam magni, ut totus mūdus hinc sal sufficiens habere posset. Est autem sal ipsum tam durum, ut non nisi cum ferreis malleis è montibus erui possit. Quòd si ultra ab isto loco procedas, inter plagam, scilicet, orientalem & aquilonarem eundo, post tres consummatas diætas uenies ad ciuitatem Scassem, licet alia quoque oppida in itinere occurrant. Huius regionis incolæ omnes Mahumetum colunt: bibunt tamen uinum, cuius terra illa sicut & frumenti atque fructuum maxime est ferax: imò tota die nihil agunt, quàm quòd calicibus euacuandis incumbunt. Est uinum illud coctum & optimum. Homines uero sunt pessimi, sed optimi uenatores: nam abundat terra eorum bestijs syluestribus. Nudi caput incedunt, nisi quòd uiri chordula quadam longitudinis decem palmorum caput ligant. E bestiarum uero syluestriū, quas capiunt, pellibus indumenta sibi parant, sicut & caligas & calceamenta, nec alijs utuntur uestibus.

Montes salis

De ciuitate Scassem. CAP. XXXIII.

CIuitas autem Scassem in planicie est sita, habet'que in circumiacentibus montibus multa castra. Fluit etiā per medium eius magnus quidam fluuius. Sunt in regione illa multi sues spinosi, qui quum capiuntur, spinis suis sæpe homines & canes lædunt: nam canes à uenatoribus in porcos prouocati, adeò iritant & commouent feras illas, ut simul concurrentes terga sua, quibus spinæ innituntur, uehementer commoueant, atq; stimulos ipsos uehementia quadam excutiāt, atq; in uiciniores homines & canes uibrent. Habet gens illa linguam propriam: pastores eius morantur in montibus, fodientes sibi cauernas pro habitaculis. Itur hinc per tres diętas ad prouinciam Balasciæ, atq; intermedio itinere nulla humana occurrit habitatio. Necesse igitur est ut uiatores cibum & potum secum portent. B

Sues spinosi

De prouincia Balasciæ. CAP. XXXIIII.

BAlascia est prouincia magna, habetq; linguam propriam, cultui Mahumeti dicata. Reges eius, qui iure hæreditario sibi inuicem succedunt, ab Alexandro Magno originem duxisse feruntur. Producit hæc eadem prouincia lapides pretiosos atque magni ualoris, qui à nomine regionis balasci uocantur. Nemo citra capitis pœnam audet huiusmodi lapides uel fodere, uel extra regionem asportare, nisi cum licentia & consensu regis: omnes enim illi lapides regis sunt, & is mittit eos quibus uult uel pro dono, uel pro solutione tributi: multos etiam commutat pro auro & argento. Vsqueadeo autem terra illis turgescit lapidibus, ut ad regem parum hinc rediret emolumenti, si passim omnibus permitteret eos fodere & distrahere: nam sic lapis ipse uilior redderetur. Suppeditat quoque mons alius in hac prouincia lazulum, de quo fit azurum optimum, quale etiam in mundo non inuenitur. Elicitur autē ex mineris non secus ac ferrum: præbent quoque minerę argentum. Regio ipsa ualde frigida est. Equos habet multos & optimos, magnos & ueloces, qui tam duras & fortes in pedibus habent plantas & ungulas, ut ferramento opus non habeant, etiam quantumlibet per saxa & montes currant. Abundat preterea regio ipsa uenatione bestiarum & auium. Habet quoque herodios, seu optimos falcones. Fert ager eius triticum optimum, hordeum & milium in magna copia. Oliuis caret, sed ex nucibus et sosima oleum conficiunt. Incolæ extraneas gentes minime metuunt, eo quòd introitus in prouinciam sunt multum arcti, nec possunt hostes facile irrumpere. Ciuitates eorum & castra arte & natura munita sunt, Sagittarios habent certos, & uenatores optimos. Induuntur ut plurimum corio: nam uestes laneæ & lineæ

A ibi haberi nequeunt, nisi pro magno pretio. Mulieres tamen nobiles utuntur pannis lineis & bombicinis.

De prouincia Basciæ. CAP. XXXV.

PRouincia Basciæ distat à regione Balasciæ decem diætis. Et est regio ipsa ualde calida: unde fit ut homines nigri sint, sed astuti atque mali. Linguam habent propriam: & in auribus gestant inaures aureas & argenteas, atq; margaritas. Vescuntur carnibus & riso: idololatræ sunt, incantationibus & dæmonum inuocationibus uacantes.

De prouincia Chesimur. CAP. XXXVI.

PRouincia Chesimur distat à Bascia per diætas septem. Incolæ eius linguã propriam habent, & idololatræ sunt, idola consulentes, atque responsa à dæmonibus recipientes. Faciunt quoque arte diabolica, ut aër in caliginem condensetur Bruni coloris sunt, hoc est, nigricantis: nam regio temperata est. Carnibus uescuntur & riso, & tamen macilentissimi sunt. Ciuitates ibi multæ sunt & oppida. Rex eorum nulli tributarius est, quia neminem timent, desertis undique uallati, quo fit ut difficilis ad eos sit accessus. Sunt in hac prouincia quidam eremitę, qui in monasterijs & cellis idolis seruiunt, cum magna cibi & potus abstinentia deos suos honorantes, quos etiam plurimum reuerentur, & cauent ne eos offendant, nepharia illorum mandata transgrediendo. Vnde & uulgo in magno honore ij habentur eremitæ.

De prouincia Vocam, & montibus in ea altissimis.
CAP. XXXVII.

HIc iam iterum occurreret India, si iuxta priorem tramitem progrederer, sed quia illam in tertio libro descripturus sum, iam aliam uiam pergere statui, ad Balasciam, scilicet, redeuntes, & hinc inter plagam Aquilonarem atq; orientalem iter facientes. Igitur spatio duorum dierum uenitur ad
B flumen quoddam, ubi multa sunt castra & uillæ: & homines illorum locorũ probi sunt, & in armis strenui, sed Mahumetum colunt. Rursus spatio aliorum duorum dierum uenitur ad prouinciam Vocam, quæ subiecta est regi Balasciæ, habens in longum & latum spatium trium diætarum. Incolæ eius habent linguam propriam, & colunt Mahumetum. Sunt etiam strenui bellatores atque boni uenatores: nam abundat regio illa syluestribus animalibus. Hinc si discedas ad orientalem plagam, ascendendum tibi erit per tres continuos dies, quousque peruenias ad montem altissimum, & quo altior non est in mundo. Ibi etiam inuenitur inter duos montes planicies quędam amœna, & in ea fluuius pulcherrimus, iuxta quem optima sunt pascua, ita ut in illis equus aut bos macilentus decem dierum spatio pinguescat. Est ibi copia animalium syluestrium: præsertim inueniuntur ibi arietes syluestres maximi, longa habentes cornua, ex quibus uaria uasorum genera effinguntur. Continet planicies illa in longitudine spatium quod duodecim diebus peragrari potest, uocatur'que Pamer. Sed si longius progrediare, deserti speciem præ se fert: nec est ibi ulla habitatio humana, aut ulla herba uirens. Cogũtur itaq; uiatores secum ferre ea quæ illis sunt necessaria, pro corporis sustentatione. Nulla quoque ibi apparet auis, propter frigus, & nimiam terræ eleuationem, quæ pabulum nullum administrare potest animalibus. Ignis si quandoque ibi accendatur, obstante nimia regionis frigiditate, non est ita lucidus, nec adeò efficax in sua actione, ut in locis demissioribus. Hinc uia ulterius ducit inter orientem & Aquilonem per montes, colles atque ualles, in quibus multa inueniuntur flumina, nulla autem habitatio humana, nec ulla herba: uocatur' que regio ipsa Belor, omni tempore hyemis effigiem præ se ferens, eaq; facies perseuerat, donec uiator quadraginta diætas absoluat. Pro tot etiam diebus necesse est ut uictum secum deferat. In montibus tamen altissimis hinc inde hominum habitationes conspiciuntur, sed qui pessimi & crudeles sunt, idololatriæ dediti, qui ex uenatione uiuunt & corio uestiuntur.

De prouincia Cassar. CAP. XXXVIII.

POst hæc peruenitur ad prouinciam Cassar, quæ magno Cham tributaria est. In ea sunt uineæ, uiridaria, arbores fructiferæ, bombix, & aliæ agrorũ possessiones. Incolæ uero habent linguam propriam, & sunt negotiatores et artifices, atq; lucri gratia per prouinciam discurrentes, adeoq; auare diuitijs inhiant, ut uix satis de partis edere audeant. Mahumeti quoque legi parent: tametsi quidam Christiani Nestoriani ibi inueniantur, qui suas quoque habent ecclesias. Regio patet quinque diætarum spatio.

De ciuitate Samarcham, & miraculo columnæ in ecclesia facto.
CAPVT XXXIX.

SAmarcham ciuitas magna & egregia est in regione illa, tributaria nepoti magni Cham. In hac habitant Christiani cum Saracenis, hoc est, Mahumetanis. Accidit uero his temporibus in ea diuina uirtute tale miraculũ. Frater magni Cham, nomine Cigatai, qui regioni illi præfuit, persuasus à Christianis baptismi suscepit sacramentum. De quo Christiani gaudentes, fauore illius ædificauerunt basilicam magnam in illa urbe, in honore diui Ioannis Baptistæ. Porro architecti ecclesiam illam tali fabricauerunt ingenio, ut tota eius testudo uni niteretur marmoreæ columnæ, quæ medium ecclesiæ tenuit locum. Habebant tunc Saraceni insignem lapidem qui omnibus modis ad hoc quadrabat, ut basis loco præfatam sustineret columnam. Raptus igitur à Christianis, in fundamento columnæ locatus est. De quo Saraceni dolentes hiscere nõ audebant, quum princeps ad hoc ipsum annuisset. Factum est autem, ut aliquanto post tempore princeps ille moreretur, & illi filius eius succederet in regno, non autem in fide. Tunc Saraceni ab eo obtinuerunt, ut Christiani lapidem illum, quem columnæ supposuerant, reddere cogerentur. Et quum illi pretium satis dignum offerrent, recusarunt Saraceni quicquam aliud accipere quàm lapidem. Quod hac impostura faciebant, ut Christianorum ecclesia funditus destrueretur. Christiani itaque uidentes durum esse contra stimulum calcitrare, aliò confugere nequiuerunt, quàm ad deum, & ad sanctum suum Ioannem Baptistam, quem lachrymosis oculis inuocare cœperunt. Adueniente itaque die quando lapis sub columna auferendus erat, ne ecclesia diutius maneret, nutu diuino longe aliud accidit, quàm perfidi sperauerant Saraceni. Siquidem columna ipsa adeò subleuata est ab ipsa basi, ut trium palmorum spatium inter utriusq; lapidis superficiem intercesserit, & columna ipsa iam testudinem ecclesiæ non ferret, sed uiceuersa testudo columnã portaret, id quod in hunc usq; diẽ perseuerat.

De prouincia Carcham. CAP. XL.

RVrsum ab hac urbe digressi uenimus in prouinciam Carcham, quinq; quasi dierum itinere in longum procedentes. Hæc omnium uictualium habet copiam, subiecta dominio nepotis magni Cham. Incolæ Mahumetum colunt. Habitant tamen inter eos quidam Christiani Nestoriani.

De prouincia Cotam. CAP. XLI.

PRouincia Cotam sequitur prouinciam Carcham, sita inter plagam orientalem & aquilonarem. Subiecta est dominio nepotis magni Cham, habetq; ciuitates & oppida multa. Metropolis eius uocatur Cotam. Extenditur prouincia in longum itinere octo dierum. Nullius rei quæ ad uictũ pertinet in ea est defectus. Habet copiam bombicis, atq; uineas multas & optimas. Homines uero sunt imbelles, sed boni artifices & negotiatores. Mahumetum agnoscunt.

De Prouincia Peim. CAP. XLII.

PRogredientibus ultra per eandem plagã occurrit prouincia Peim, extensa in longum quinque dierum itinere. Subiecta est magno Cham, habetq; multas ciuitates & castra. Metropolis eius uocatur Peim iuxta quam currit fluuius, in quo pretiosi inueniuntur lapides, nempe iaspides & chalcedonij.

donij.

A donij. Incolæ regionis reuerentur Mahumetum, & sunt eximij artifices atque negotiatores. Abundant bombice, & uictualium habent copiam. Est consuetudo in hac prouincia, quando maritus quispiam ob certam causam in alium locum commigrat, & infra uigesimam diem domum non redit, licebit uxori alium ducere maritum priore relicto, Id idem licitum est uiro, posteaquam domum reuersus fuerit, ut, scilicet, impune matrimonium cum alia contrahat uxore.

De prouincia Ciartiam. CAP. XLIII.

POst hæc uenitur ad prouinciam Ciartiam, quæ est sub dominio magni Cham, habetque ciuitates & astra multa. Metropolis eius, unde etiam ipsa denominata est, uocatur Ciartiam. Reperiuntur ibi in fluminibus multi lapides pretiosi, præsertim iaspides & chalcedonij, quos negotiatores deferũt ad prouinciam Cathai. Est prouincia Ciartiam multum sabulosa, plurimas habens aquas amaras, unde sterile solum redditur. Quando extraneus aliquis exercitus hanc transit prouinciam, incolæ eius omnes cum uxoribus, filijs, animalibus, & cuncta suppellectile fugiunt in aliam regionem uiciniorem, ubi pascua & aquam bonam inueniunt, ibique morantur donec hostium exercitus transierit: & quum hostium effugiunt conspectum, uentus adeò delet uestigia eorum arenæ impressa, ut superuenientes hostes illorum iter nequaquam explorare possint. Si uero Tartarorum exercitus, quibus subiecti sunt, eorum pertransierit terram, ipsi non fugiunt, sed animalia duntaxat in alium abigũt locum, quod Tartari pro acceptis uictualibus nihil rependãt. Recedendo ab hac prouincia, sabulum quinque dierum spatio terendum est, ubi nulla ferè alia aqua, quàm amara inuenitur, donec perueniatur ad ciuitatem Lop nomine. Et nota quòd omnes iam memoratæ prouinciæ, nempe Cascar, Carcham, Cotam, Peim, & Ciartiam usque ad ciuitatem Lop, ponuntur intra magnæ Turchiæ terminos.

De ciuitate Lop & deserto maximo. CAP. XLIIII.

B LOp est ciuitas magna, ad introitũ deserti magni, inter orientem & Aquilonem sita. Incolæ eius Mahumetum colunt. In ea faciunt sibi mercatores, qui desertum transire cupiunt, parare cuncta necessaria. Quiescunt etiã in ea aliquantisper, prouidẽtes sibi de fortibus asinis & camelis, quos uictualibus onerant. Et quando in deserto uictualia deficere incipiunt, interficiũt asinos, uel in deserto relinquunt, quia non poterunt amplius illis de pabulo prouidere quousque desertum superauerint. Camelos tamen libentius seruãt, quod pauco sustententur cibo, & grauia onera ferant. Offert desertum illud magnum uiatoribus, aliquando aquas amaras, sed frequentius aquas dulces, ut ferè singulis diebus per illos triginta dies, quibus desertum ipsum uix pertransiri potest, aquam recentem inueniant, sed quæ interdum adeò modica est, ut non omnibus mercatoribus simul euntibus sufficiat. Est desertum illud multum montuosum: & ubi ad planiciẽ peruenitur, illic per sabulũ eundum est. Est in uniuersum sterile & squalidum, nullumque propter pabuli penuriam animalibus præstat habitaculum. Cernuntur & audiuntur in eo interdiu, & sæpius noctu, dæmonũ uariæ illusiones. Vnde uiatoribus summe cauendum est, ne multũ ab inuicem seipsos dissociẽt, aut aliquis à tergo sese diutius impediat: alioquin quamprimũ propter montes & colles quispiam comitũ suorum aspectum perdiderit, ut non facile ad eos perueniat: nam audiuntur ibi uoces dæmonum, qui solitarie incedentes proprijs compellãt nominibus, uoces fingentes illorũ quos comitari se putant, et à recto itinere abductos in perniciem deducunt. Audiuntur interdum in aëre cõcentus musicorum instrumentorum, sed frequentius sonitus tympanorum. Est igitur huius deserti transitus periculis plenus. *Dæmonum præstigia*

De ciuitate Sachion, & combustione corporũ mortuorũ. CAP. XLV.

SVperato deserto peruenitur ad ciuitatem Sachion, quæ sita est in ingressu prouinciæ magnæ Taguth ubi inter Mahumeti cultores pauci inueniuntur

niuntur Christiani Nestoriani. Sunt quoq; ibi plurimi idololatræ, qui etiam linguam propriam habent. Vrbis huius incolæ negotiationibus non uacãt, sed de fructibus terræ uiuunt. Habet denique urbs ipsa multa monasteria diuersis idolis consecrata, in quibus multa offeruntur sacrificia, & dæmonibus magna à populo exhibetur reuerentia. Et quando homini filius aliquis nascitur, statim commendat eum idolo alicui, atque in honorem eius anno illo in domo sua nutrit arietem, quem anno à natiuitate filij reuoluto, proximo illius idoli festo unà cum filio offert cum multis cærimonijs & magna reuerentia. Postea coquuntur carnes arietis, & idolo denuo offeruntur, dimittunturq; ante idolum tam diu suspensæ, donec completæ fuerint nephandæ orationes, quas ante ipsum iuxta consuetudinem suam murmurare solent. Et in primis rogat pater idolum cum magna instantia, ut filium sibi commendatũ conseruet. Officio finito, immolatas carnes ad locum alium deferũt, & consanguinei illius omnes pariter congregati, carnes illas cum magna religione comedunt, ossa uero decenter in uasculo quodam conseruant. Cæterùm in mortuorum parentatione his utuntur cærimonijs, Curant proximi quiq; ut corpora exanimata comburantur in hunc modum. Primo interrogant astrologos, quando mortuus in ignem sit conijciendus. Tum illi quærũt quo mense, die & hora is qui in fata concessit, sit natus: constellationeq; perspecta, indicant diem quando sit comburendus. Alij uero mortuum corpus aliquot diebus reseruant, aliquando septem diebus, quandoque per mensem, nonnunquam per sex menses, domi capsam illi parantes, & tali ingenio latera compaginantes, ut nullus fœtor ex ea exhalare possit. Corpus etiam ipsum aromatibus condiunt, & capsam pulchre depictam panno pretioso operiunt: & singulis diebus quibus cadauer domi tenetur, hora prandij mensa iuxta capsam præparatur, uino & cibo per integræ horæ spatium desuper positis, putantes defuncti animam de appositis manducare. Et quãdo defuncti corpus est offerendum, astrologi consuluntur qua ex porta id sit faciendum. Nam si porta aliqua dum cõstrueretur caruit bonis fatis, illam indicãt fugiendã atq; incongruã per quã mortuorum cadauera efferantur, indicãtq; aliam quæ huic rei accõmoda sit, aut nouam iubent in pariete fieri aperturã. Dum uero funus per ciuitatem portatur, lignea tuguria in uia construuntur, atque sericis & aureis pannis cooperiuntur: & quum defuncti cadauer ante ea portatur, effundunt in terram uina & delicata cibaria, putantes defunctũ in alia uita his recreari rebus. Antecedunt etiam funus ipsum uaria instrumenta musices, in quorum concentu maxima est iucunditas. Et quum ad locum combustionis uentum fuerit, scribunt & pingunt super chartas imagines uirorum ac mulierum, itemq; multorum denariorum, quæ omnia simul cum cadauere comburuntur. Aiunt enim defunctum illum tot seruos & ancillas, animalia & denarios in alia uita habiturum, quot cum eo fuerint imagines combustæ, uicturusq; sit perpetuo in diuitijs illis & honore. Hanc superstitionem seruat ferè ubique cæcitas paganorum in partibus orientis, quum cadauera defunctorum comburunt.

Dæmonum cultus

Funerandi mos

B

De prouincia Camul. CAP. XLVI.

CAmul prouincia est intra magnam prouinciam Tanguth, subiecta imperio magni Cham, habens ciuitates multas & oppida. Attingit autem terra Camul duo deserta, magnũ scilicet, de quo iam supra diximus, & aliud quoddam minus. Abundat hæc prouincia his quę pro uitę sustentatione homo opus habet. Habent incolæ huius regionis linguã propriam, & ad aliud non uidentur nati, quàm uacare ludis & tripudijs. Idololatræ sunt & cultores dæmonum, ad hoc ab ipsis persuasi, quando uiator quispiam pertransiẽs ad domum alicuius hospitij gratia diuertit, suscipit eum paterfamiliâs cum magno gaudio, atq; præcipit uxori & toti familiæ, ut quamdiu ille apud eos manere uoluerit non excludatur, sed illi in omnibus obediant. Ipse uero interim discedit, non reuersurus quamdiu hospes in ędibus suis manserit. Et u-

Hospitalitas mira

A xor interim paret hoſpiti ut marito ſuo. Sũt mulieres illius regiõis formoſæ: & uiri à dijs ſuis hac demẽtati ſunt ſtultitia, ut putẽt ſibi glorioſum eſſe ſi eas uiatoribus proſtituãt. Tempore uero quo regnauit Moguth magnus Cham & rex omnium Tartarorum, audita hac populi Camul ſtultitia, mãdauit ipſis ne amplius ſeruarent hanc deteſtabilem cõſuetudinem, ſed potius uxorũ ſuarum cuſtodientes pudicitiam, communia pararent hoſpitia, in quæ aduenę & ſuperuenientes diuerterent uiatores, & prouinciam tanta nõ fœdarent turpitudine. Viri uero Camul audito hoc regis mandato, plurimũ ſunt contriſtati, miſſiſq; nuntijs & muneribus, inſtantiſſime rogarũt, ut tam graue reuocaret edictum, & traditionem illam, quam à ſuis ſenioribus ueluti per manus acceperunt, non aboleret, maxime quum compertum haberent ſe propter illud hoſpitalitatis beneficium deorum ſuorum cõſequutos gratiam, & terram nunquam deorum munere ſua deſtitutam fœcũditate. Rex uero Moguth audita querela, acquieuit petitioni illorum, & reuocans mandatum dicebat, Quod ad me attinet, uobis mandaui ut deteſtabilem illam & toto orbe inauditam aboleretis conſuetudinem: ſed quia opprobriũ honorem ducitis, habete opprobrium ut optaſtis. Nuntij itaq; alias portantes literas, quæ priores caſſauerunt, uniuerſo populo magnum attulerunt gaudium. Et is mos uſq; in hodiernum diem à populo illo cuſtoditur.

De prouincia Chinchinthalas. CAP. XLVII.

POſt prouinciam Camul ſequitur prouincia Chinchinthalas, quę ab Aquilone confinis eſt deſerto, habetq; in lõgitudine iter ſexdecim dierum, ſubiecta dominio magni Chã. Habet ciuitates & caſtra multa. Populus eius in tres diuiſus eſt ſectas. Pauci quidam confitentur Chriſtum, & hi ſunt Neſtoriani: alij Mahumetum colunt, tertij idola adorant. Eſt in hac prouincia mons, in quo inueniuntur mineræ chalybis & audanici: itemq; ſalamandrę,
B de quibus fit pannus, qui ſi in ignem proiectus fuerit, non comburi poteſt. Fit autem pannus ille de terra in hunc modum, ut quidam è ſocijs meis, uir ſingulari præditus induſtria, Curficar nomine, Turchus me edocuit, qui in prouincia illa mineralium operi pręfuit. Inuenitur in monte illo minera quędam terræ, quæ fila producit lanæ haud diſſimilia: & hæc ad ſolem deſiccata in mortario æneo teruntur, deinde lauantur, & quicquid terrenum illis adhęret ſubmouetur: demum fila illa ſic purgata & attenuata, ut alia lana nentur, atq; in pannum contexuntur. Et quando pannos illos uolunt dealbare, proijciunt eos ad horam in ignem, & tunc ex flammis illæſi educuntur niue candidiores. Haud ſecus purgant eos, quando maculas aliquas contraxerint: nam lotura alia præter ignem illis non adhibetur. De ſalamandra uero ſerpente, qui in igne uiuere dicitur, nihil explorare potui in orientalibus regionibus. Aiunt Romæ mappam quandam haberi, ex ſalamandra contextam, in qua ſudarium domini inuolutum retinetur, quam rex quidem Tartarorum Romano miſit pontifici.

De prouincia Suchur, CAP. XLVIII.

A Tergo relicta prouincia Chinchintalas, ducit iter ad oriẽtem, & per decem continuas diætas nulla reperitur habitatio, niſi in paucis locis, quibus ſuperatis, uenitur ad prouinciam Suchur, quæ plures habet habitationes & oppida. Metropolis eius uocatur Suchur. In hac prouincia inter multos idololatras pauci inueniuntur Chriſtiani. Sunt autem omnes magno ſubiecti Cham. Negotiationibus non uacant, ſed de fructibus terræ uiuunt. In cunctis huius prouinciæ montibus inuenitur reubarbarum, quod inde per mercatores ad diuerſas mundi portatur terras.

De ciuitate Campition CAP. XLIX.

ESt Campition ciuitas magna & inſignis, principatum habens in regione Tãguth. Sũt in ea Chriſtiani, Mahumetani, & idololatræ. Habẽt idololatræ multa monaſteria, in quibus idola ſua colunt. Porro idola illa ſunt formata uel ex lapide, uel ex ligno, uel ex luto deſuper deaurata. Inter hæc quæ-

dam sunt tam magna, ut decem passus contineant longitudine, terræ ac si supini iacerent affixa, iuxta quæ parua sunt posita idola, quæ maioribus reuerentiam exhibere uidentur. Habent hæc idolorum portenta etiam suos sacrificulos & religiosos, qui cæteris honestius uiuere uidentur: nam quidam seruāt castitatē, multumq; cauent ne deorū suorū legem præuaricentur. Totum anni circulum per lunationes computant, nec alios habent menses, aut hebdomadas præter lunares. In his lunationibus obseruant quinq; cōtinuos dies, in quibus nullam bestiam uel auem occidunt, nec carnem comedūt: uiuunt etiam honestius quàm in reliquis diebus. Habent idololatrę in hac ciuitate hunc morē, ut quis triginta aut plures ducat uxores, iuxta quòd multas nutrire potest: prima tamen cæteris dignior habetur, & magis legitima censetur. Non recipit uir ab uxore dotem, sed ipse in animalibus, uel seruis aut pecunia iuxta possibilitatem suam conuenietem assignat dotem. Si uxor uiro fiat odiosa, licitum est illi eam à se repudiare iuxta quod ei libuerit. Accipiunt etiam uxores in secundo gradu sibi attinentes, similiter nouercas. Et multa peccata quæ apud nos grandia censentur, apud illos licita reputantur. Viuunt in multis non secus quàm bestiæ, ut satis mihi mores eorum sunt perspecti, qui unà cum patre meo atque patruo per anni spatium ob quędam negotia in hac ciuitate mansi.

De ciuitate Ezina, & alio deserto magno, CAP. L.

A Ciuitate Campition itur per duodecim diætas usque ad Ezinam ciuitatem, quæ affinis est arenoso deserto Aquilonem uersus. Sunt ibi cameli multi, & alia animalia multa, atque aues diuersi generis. Incolæ uero idololatræ sunt, de terræ fructibus uiuentes, & negotiationibus abstinentes. Præparant quoque sibi uiatores in hac ciuitate commeatum, qui uoluunt transire per desertum illud magnum, quod uergit ad Aquilonem, & non nisi quadraginta dierum spatio pertransiri potest. Nulla inuenitur in hoc deserto uirens herba, sicut nec ulla habitatio, nisi perrara in montibus quibusdam & uallibus, ubi aliqui homines ęstatis tempore morantur. In quibusdam etiam locis inueniuntur fere syluestres, præsertim onagri, qui ibi in magna discurrunt multitudine. Omnes autem iam memoratæ prouincię pertinent ad prouinciam magnam Tanguth.

De ciuitate Tarocoram, & origine dominij Tartarorum.

CAPVT LI.

SVperato memorato deserto, peruenitur ad ciuitatem Tarocoram, quę est ad Aquilonarem plagam, unde originem duxit Tartarorum dominium. Nam habitarunt primum in campestribus regionis illius, carentes ciuitatibus & oppidis, solum pascua quærentes, & aquas pro pecoribus nutriendis, nec habebant de gente sua principem, sed tributa pendebant magno cuidā regi Vncham nomine, quem hodie uulgo presbyterum Ioannem uocant. *Vncham* Sed indies incrementa sumentes, & seipsis fortiores euadentes, cœpit rex Vncham timere, ne aliquando ab ipsis offenderetur, atq; in rebellionem prorumperent. Vt igitur potentia eorum minueretur, cogitabat operæpretium se facturum, si illos ab inuicē in partes secerneret, atq; in diuersas regiões collocaret. At illi nolentes à se inuicem disgregari, transierunt omnes pariter in desertum uersus plagam Aquilonarem, magnam occupantes regionem, in qua tuti esse possent, nec regem suum timerent, negato etiam illi tributo.

Tartari regem ex seipsis eligunt, & discordia inter eum & regem Vncham nascitur.

CAPVT LII.

PAucis transactis annis, Tartari omnium consensu eligunt ex seipsis uirum probum & sapientem regem, Cinchis nomine, anno scilicet domini M. C L X X X V I I. cui coronam imponentes, & omnes circumquaq; qui de gente illa erant concurrentes, uoluntario animo illi obedientiam & subiectionem pollicentur. Ille igitur ut erat uir prudens, subiectos optime gubernabat, atq; breui tēpore octo prouincias cepit, & regno suo adiecit. Et quan-

do ci-

A do ciuitatem aliquam aut castrum cepit, neminem sinebat occidi, aut rebus suis spoliari, qui saltem imperio suo sponte se submittebat, atque secum ad alias proficiscens ciuitates, illi operam suam libens impendebat. Hac itaque humanitate usus effecit ut mirum in modum ab omnibus amaretur. Itaque uidens se in tanta sublimari gloria & potentia, destinatis nuntijs ad regem Vncham, cui quondam tributa pendebat, rogabat ut illi filiam suam in uxorem collocaret. Quod ille ægerrime ferens, cum indignatione respondit: Malo filiam meam Vulcano consecrare, quàm seruo meo dare in uxorem. Et eiectis Chinchis nuntijs aiebat, Dicite domino uestro: Quia ad tantam creuisti superbiam, ut præsumas petere filiam domini tui in uxorem, en ne potiaris uoto tuo, faciam eam amara interire morte.

Vincitur rex Vncham à Tartaris. CAP. LIII.

AVdiens uero rex Chinchis molestam regis Vncham responsionem congregato magno exercitu, profectus est hostili animo contra regem Vncham, castra'que posuit in planicie quadam magna Tanduc nomine, & mittens ad regem, denuntiat illi ut se defenderet. At ille ueniens cum maximo exercitu, descendit ad campestria, & castra sua posuit iuxta castra Tartarorum. Tunc Chinchis Tartarorum rex præcepit incantatoribus & astrologis suis, ut illi indicarent qualem euentum prælium futurum esset habiturum. Tunc astrologi scindentes arundinem per longum in duas partes, posuerunt diuisiones ipsas in terram, unamque uocauerunt Cinchis & alteram Vncham, dixeruntque regi: Interim quo nos inuocationes legerimus deorum, nutu ipsorum fiet, ut hæ duæ partes arundinis adinuicem pugnent. Et cuius pars super alteram ascenderit, ille rex uictoriam in prelio obtinebit. Multitudine itaque ad spectaculum illud concurrente, cœperunt astrologi murmurare precationes suas & legere incantationes, & mox commotæ sunt partes B arundinis contra se pugnantes, donec tandem pars Chinchis ascenderet super partem Vncham. Quo uiso, Tartari de futura certiores facti uictoria confortati sunt. Tertia igitur die prælium commissum est, & multis utrinque cadentibus, uictoria tandem penes Chinchin remansit. sicque factum est, ut Tartari regnum Vncham penitus sibi subiugarint. Regnauit autem Chinchis post mortem Vncham sex annis, in quibus multas acquisiuit prouincias: & quum ultimo castrum quoddam expugnare moliretur, accessitque propius, sagitta in genu percussus, interijt, sepultus in monte Alchai, ubi & reliqui Tartarorum principes huius successores, & qui de eius sunt progenie omnes sepeliuntur, etiam si centum dierum spatio funus fuerit adducēdum.

Catalogus regum Tartarorum, & de sepultura eorum in monte Alchai.

CAP. LIIII.

PRimus Tartarorum rex uocatus est Chinchis, secundus Cui, tertius Barchim, quartus Allau, quintus Mongu, sextus Cublai, qui modo rerum potitur, cuius potentia maior est quàm omnium suorum prædecessorum: imò omnia Christianorum regna atque Saracenorum si unum essent regnum, uix adæquarent regnum Tartarorum, id quod suo loco manifestius fiet, ubi potentiam eius & dominium descripsero. Porrò quando corpus magni Cham tumulandum defertur ad montem Alchai, hi qui ipsum ad sepulturam comitantur, perimunt passim eos quos in uia obuios habent, dicentes: Ite & domino nostro regi seruite in alia uita. Tāta enim insania percussi sunt à satan, ut credant taliter occisos, in futura uita regis obsequio mancipandos. Nec modo sic contra homines insaniunt, uerum & in equos sæuiunt, quos obuiam uenientes iugulant unà cum defuncti regis optimis equis, putantes illos regi usui futuros. Quādo corpus magni Cham Mongu huius prædecessoris ad montem Alchai sepeliendum ductum fuit, milites funus concomitantes, feruntur circiter uiginti millia hominum prædicta occasione interfecisse. *Crudelis superstitio*

De generalibus moribus & consuetudinibus Tartarorum, CAPVT LV. A

MVlieres Tartaræ uiris suis fidelissimæ sunt. Absurdum est apud eos & intolerabile uitium, si quispiam ad proximi sui uxorem præsumat accedere: & hoc unico studio apud eos cauetur, ne alter alteri in hac re iniuriam inferat. Id tamen apud eos honestum & licitum ducitur, ut quisque tot ducat uxores quot nutrire potest, licet prima cæteris principalior & honorabilior iudicetur: Præter sorores, omnes cõsanguineas quæ in lateralibus lineis comprehenduntur ducunt uxores, etiam nouercam, si pater mortuus fuerit. Sic fratre defuncto licebit superstiti fratri fratris relictam ducere uxorẽ. Viri ab uxoribus non recipiunt dotes, sed ipsi uxoribus atq; earum matribus dotes assignant. Propter uxorum multitudinem, Tartari plurimos habent filios. Nec est uxorum multitudo Tartarie admodum onerosa, quum illæ suis laboribus multa lucrentur. Sunt præterea ad familiæ gubernationem, & ad ciborum præparationem multum solicitæ. Non minori cura reliqua domus exequuntur officia. Viri uerò uenationi, aucupijs atque armorum exercitiis sunt intẽti. Nutriũt Tartari multos greges boum, ouium, & aliorũ iumentorum atq; pecorum, & cum illis morantur in locis pascuosis, æstate quidem in montibus & frigidioribus locis ubi pascua & ligna inueniunt, hyeme uero ad calidiores regiones se trãsferunt, ubi pabulũ pro animalibus inueniũt. Domunculas habent in modum tabernaculorum filtro opertas, quas secum deferunt quocunque migrant. Nam possunt eas plicare & extendere, leuare & deponere. Ostia earum semper Austro obuertunt. Habent quoque quadrigas filtro coopertas, quæ à camelis trahuntur, in quibus uxores, filios, & utensilia necessaria secum uehunt, atque à pluuiarum iniuria defendunt.

De armis & uestibus Tartarorum. CAP. LVI. B

ARma quibus Tartari prælij tempore induuntur, non sunt ex ferro fabrefacta, sed ex corio forti atque solido parata, quale est corium bubalorum & aliorum animalium quæ habent duriora tergora. Sunt sagittarij optimi, à pueritia ad arcuum exercitia assueti. Vtuntur etiam clauis & gladijs, sed rarius. Illi qui cæteris ditiores sunt, utuntur indumentis sericis & aureis, & sub his deferunt pelles delicatas uulpium, aut armelinorum, aut aliorum animalium præsertim quæ uulgo Zebellinæ uocantur, quæq; reliquis pellibus pretiosiores iudicantur.

De cibis Tartarorum. CAP. LVII.

VEscuntur Tartari cibis grossioribus, præsertim carne, lacte & caseo. Inhiant quoque uenationibus tam mundorum quàm immundorum animalium. Nam equos & carnes comedunt, atq; reptilia quædam quæ in magna copia apud illos inueniuntur. Bibunt lac equarum, quod taliter præparant, ut uideatur esse uinum album, non admodum insipidus potus. Vocatur ab ipsis Chuinis.

De Idololatria & erroribus Tartarorum. CAP. LVIII.

COlunt Tartari pro deo numen quoddam ab illis confictum, quod Natagai uocant, putantq; illud deum esse terræ, qui curam de ipsis ac filijs eorum, de fructus terræ atq; gregibus pecorũ gerat. Hoc numen in maximo habent honore, nec est aliquis qui in domo sua illi non imaginem dedicauerit. Et quoniam credunt numini Natagai esse uxorem & liberos, collocant etiam ipsi iuxta penates suos imagunculas quasdam uxoris ac filiorũ loco: uxoris quidem simulachrum ad sinistram, & filiorum imagines ante faciem idoli collocantes. His idolis magnam exhibent reuerẽtiam, præsertim quando uadunt ad prandiũ & cœnam: tunc enim antequam ipsi comedunt, perungunt ora imaginum pinguedine carnis coctę, & partem prandij aut cœnę extra domum in honorem illorum ponentes, credunt deos hinc cibari. Quo facto, ipsi ad mensam euntes comedunt. Si Tartari alicuius moriatur filius, qui nondum duxit uxorem, & item alterius moriatur filia innupta, conueni

unt

A unt utriusq; defuncti parentes, & inter defunctos connubium faciunt: conscriptisq; contractus illius literis, iuuenem & puellam in charta pingunt, & hanc cum pecunia contributa atq; utensilibus & supellectile Vulcano deuouent, credentes defunctos in alia uita matrimonialiter coniunctos. Faciunt quoq; pro hac re solennes nuptias & de pręparatis cibis nōnihil hinc & hinc diffundunt, ut sponsus & sponsa ijs quoq; uescantur. Quo facto, parentes & consanguinei defunctorum tali putant se affinitatis uinculo coniunctos, ac si nuptiæ illæ sponsis adhuc uiuentibus fuissent celebratæ.

De strenuitate & industria Tartarorum CAP. LIX.

SVnt Tartari homines bellicosi, strenui in armis, & ad subeundos labores intrepidi. Non sunt effœminati, molles, & delitijs assueti, imò tolerantissimi laborum & inediæ. Fit non raro ut per integrum mensem nihil aliud comedant præter lac iumentorum & carnes animalium quæ in uenationibus capiunt. Equi quoque eorum dum belligeratum uadunt, sola herba quam in pascuis inueniunt nutriuntur. Insident armati equis suis tota nocte, & equi interim nihilomnius pascuntur ubicunque bona inuenerint pascua. Ipsi quoq; exiguo contenti sunt cibo, quantumlibet magnos subeant & perficiāt labores. Ad capiendum ciuitates & fortalicia, singulari et magna utuntur astutia. Quum bellandi causa in remotas partes expeditionem parant, nihil secum præter arma portant atq; parua tentoria, sub quibus pluuiæ tempore latitant. Portat etiam quilibet secum duo uascula, quę uulgo flascones uocant, in quibus lac quod bibant ferunt, & ollam coquēdis carnibus adaptandam. Quum uero sine mora ad remotissimas partes concedere uolunt, accipiunt secum lac in modum solidæ pastæ siccatum, quod in aquam tritum, potum illis & cibum præbet.

De iudicijs & iustitia Tartarorum, CAP. LX.

MAlefactores hoc modo puniunt. Si quis furatus fuerit rem parui ualoris, & uita priuari non commeruit, cæditur fuste septem uicibus, aut de
B cem & septem, aut uiginti & septem, aut quadraginta & septem, pro mensura peccati ictus inferendo, idq; usque ad centum, addendo semper decem. Aliqui tamen nonnunquam ex his percussionibus moriuntur. Quòd si quis furatus fuerit equum uel rem aliam, pro qua occidi meruit, merso mucrone in uentrem eius occiditur. Quod si uitam suam liberare uoluerit, restituet furtū in noncuplo. Qui equos, boues, & camelos habent, signa sua pilis eorum inurunt, atq; sine custode ad pascua emittunt. Minutis tamen animalibus adhibent pastorum custodiam. Hæ primę Tartarorum fuerunt consuetudines: uerum quum iam inter uarios mixti sint populos, nonnihil à prioribus degenerauerunt moribus, & populis quibus coniuncti sunt, conformes se fecerunt.

De Campestribus Bargu, & extremis insulis Aquilonis.

CAP. LXI.

REtardati sumus nonnihil in Tartarorum moribus & cōsuetudinibus describendis, nunc uero alias orientalis regionis lustrabimus prouincias, eo incedentes ordine, quo reliquas hactenus descripsimus. Relicta ciuitate Carocaram, à monte Alchai Aquilonem uersus uenitur ad campestria Bargu, quæ in longitudine quadraginta habent diætas. Incolæ illorum locorum uocantur Meditæ, parentq; magno Cham, Tartarorum habentes mores. Sunt homines syluestres, & uescuntur carnibus animalium, quæ uenatione capiunt, maxime ceruorum, quorum magnam habent copiam, & adeò cicures faciunt, ut illis atq; equis uel asinis insideant. Carent blado & uino. In æstate maximas exercent auium & syluestrium animalium uenationes, quorum carnibus per hyemem uiuant, nam hyeme tam uolatilia quàm alia animalia propter immensum illius regionis frigus aufugiunt. Post terminum dictarum quadraginta diætarum, peruenitur ad oceanum, ubi in montibus nidificare solent herodij siue falcones peregrini, qui inde ad magni Cham curiam perferuntur. Nec inueniuntur ullæ aliæ aues in his montibus pręter he

rodios & aliam auiculæ speciem, qua pascuntur herodij. In insulis maris illius nascuntur, grifalchi in magna copia, qui inde ad magnum Cham deferuntur. Grifalchi uero qui de Christianorum terris ad Tartaros portantur, non perferuntur ad magnum Cham, quum ille ijs abundet auibus, sed perueniunt ad eos Tartaros, qui Armenis & Cumanis confines sunt. In illis Septentrionalibus partibus insulæ sunt quædam, quæ tantum uergunt ad Aquilonem, ut polus arcticus illis uideatur ad meridiem deflectere. A

De regione Erigimul, & ciuitate Singui. CAP. LXII.

HIc redeundum erit nobis ad ciuitatem Campition, de qua paulò superius mentionem fecimus, ut inde ad alias digrediamur prouincias, quas nondum descripsimus. Igitur si à ciuitate Campition uersus oriētem itinere quinq; dierum procedatur, audiuntur in locis intermedijs nocturno tempore horribiles uoces dæmonum, donec ueniatur ad regnum Erigimul, & ad regnum Cerguth, quæ sunt regna magna, magno Cham subiecta. Ibi inueniūtur Christiani Nestoriani, idololatræ & Mahumetani. Sunt ibi multæ ciuitates & castra. Hinc si inter orientē & meridiē procedatur, uenitur ad prouinciam Cathai. Est tamen inter Cathai & regnum Cerguth ciuitas quædā Singui nomine, magno Cham tributaria: ubi etiā triplex illa memorata inuenitur hominum secta. Inueniuntur etiam ibi boues syluestres pulcherrimi & grandes ueluti elephantes, pilos habentes albos & nigros, longitudine triū palmorum. Multi etiam ex his bobus domestici facti, ad onera ferenda instituuntur: alij ad aratrum ligati, breui tempore magna inuertunt arua. Inuenitur in hac prouincia muschum optimum, & quo melius in mundo nō inuenitur. Est enim animal quoddā pulchrum in hac prouincia, catti habens magnitudinem, & pilos grossos ut ceruus, pedes quoque habens ungulatos, & dentes quatuor, duos suprà & duos infra longitudine trium digitorum: iuxta umbilicum uero inter cutem & carnem uesicam habet sanguine plenam, & sanguis is est muschum. à quo tam suauissimus exhalat odor. Incolæ huius regionis idololatræ sunt, & libidinis sectatores, corpore pingues & naso paruo, pilis labia obsidentibus. Mulieres pulchræ sunt & albæ. Et uiri quando uxores ducere uolunt, quęrunt magis pulchras quàm nobiles aut diuites. Vnde sæpe fit ut uir nobilis & magnus pauperem ducat uxorem, sed formosam, matri illius dotem assignans. Negotiatores & artifices plurimi ibi inueniuntur. Patet hęc prouincia longitudine uiginti quinque diętarum, & est admodum fertilis. Sunt in ea maximi fasiani, caudas habentes longitudinis decem palmorum aut octo. Inueniuntur etiam ibi alia multa auium genera, quæ pulcherrimas habent pennas, diuersis & elegantibus distinctas coloribus. B

De prouincia Egrigaia, CAP. LXIII.

PRocedendo ulterius uersus oriētem, septemq; exactis diætis, occurrit prouincia Egrigaia, in qua plurimæ sunt ciuitates & castra, Est enim de prouincia magna Tanguth, cuius principalis ciuitas uocat̃ Calacia. Incolę eius idololatræ sunt, præter aliquot Christianos Nestorianos, qui ibi tres habent ecclesias. Subiecti sunt omnes magno Cham. Inueniūtur in ciuitate Calacia panni, quos Zambiloti uocant, de lana alba & camelorum pilis contexti, quibus uix pulchriores in mundo inueniuntur. Deferuntur autem per negotiatores ad diuersas mundi regiones.

De prouincia Teuduch, Gog & Magog, & ciuitate Cianiganiorum.

CAPVT LXIIII.

AB Egrigaia prouincia eundo ad orientem, ducit iter ad prouinciam Teuduch, in qua sunt ciuitates & castra multa, ubi etiam manere consueuit rex ille magnus, & toto orbe terrarum nominatissimus, uulgo presbyter Ioannes dictus. Modo autem prouincia illa tributa pendet magno Cham, habens regē qui est de progenie presbyteri Ioannes. Cæterum omnes magni Cham post mortem illius qui à Cinchis in prælio fuit occisus, tradiderūt filias suas

A as suas illis regibus in uxores. Et licet ibi sint aliqui idololatræ, & item aliqui Mahumetani, tamē maior pars prouinciæ fidem obseruat Christianam: & hi Christiani primas tenent in hac prouincia: præsertim ubi est gens quędam, Argon uocata, quæ reliquis populis sagacior est & elegantior. Sunt etiam ibi regiones Gog & Magog, quos illi nominant Lug & Mungug. In his locis reperitur lapis Lazuli, de quo fit azurum optimum. Fiunt quoque ibi Zambiloti optimi de pilis camelorum: & item panni de auro & serico diuersarum habitudinum. Est ibi ciuitas Sindacui nomine, in qua fiunt arma pulcherrima & optima, diuersorum generum, pro exercitibus necessaria. In montibus huius prouinciæ sunt magnæ mineræ argenti, & multiplices uenationes syluestrium bestiarum, uocaturque regio montium Ydifa. Distat tribus diætis à memorata ciuitate alia ciuitas Cianiganiorum, in qua est palatium maximum, magni Cham habitatio, quādo ad illam diuertit ciuitatem. Proficiscitur autem sæpius illuc, quia iuxta ciuitatem sunt lacunæ, in quibus diuersorum generum aues inueniuntur, præsertim grues, fasiani, perdices, & his similes aues. Hæ aues capiuntur grifalchis, herodijs seu falconibus, habetq; rex ipse in hoc summam delectationem. Sunt ibi quintuplices grues: quædam habent alas nigras ut corui, aliæ sunt albæ & candidæ, habentes pennas plenas oculis aurei coloris, ut sunt apud nos caudæ pauonum: rursum aliæ inueniuntur ibi nostris haud dissimiles: sunt deindæ aliæ quæ sunt paruæ, sed habentes pennas longas & pulcherrimas, rubro nigroq; permixtas colore. Quinto sunt ibi grues grisei coloris, oculos habentes rubeos ac nigros, & hæ sunt ualde magnæ. Est iuxta hanc ciuitatem uallis quædam, in qua multæ sunt casæ, in quibus maximus numerus nutritur perdicum, qui seruantur pro rege illuc pro tempore diuertente.

De ciuitate Ciandu & nemore eius, itemq; de festiuitatibus quibusdam Tartarorum.

B

CAPVT LXV.

A Ciuitate Cianiganiorum tres sunt diætæ contra Aquilonem ad ciuitatē Ciandu, quam ædificauit magnus Cham Cublai, extruens in ea maximum ac pulcherrimum palatium, marmore constans, & auro adornatum. Iuxta palatium istud est nemus regale, muris undiq; cinctum, quorum circuitus patet milliarijs XV. In nemore uero sunt fontes & flumina, atq; prata, & uariæ bestiarū species, ut cerui, damulæ, capreoli cū falconib. qui regi in uoluptatem & cibum seruantur pro tēpore, quando illuc diuertit. Diuertit aūt sæpe uenationi operam daturus equo insidens, ducitq; secum leopardum domesticum, quem in ceruos & damulas prouocat, captamq; bestiam grifalchis tradit, atq; in hac re spectāda miram capit uoluptatem. In medio nemoris domus quędam de arundinibus constructa pulcherrima consistit intus & foris deaurata, & uarijs picturis adornata, atq; tali artificio communita, ut à pluuia nequaquam illi iniuria fieri possit. Potest quoque domus ipsa in modum tabernaculi dissolui atq; deponi, & rursum erigi. Nam sustinetur quando erecta fuerit circiter ducentis funibus sericis. Porrò arundines ex quibus cōstat, habent singulę quindecim passus in lōgitudine, et in spissitudine tres palmos: ex quibus fiunt columnæ, tabulę & cōpagines, sed & imbricamenta. Nam diuiduntur arūdines iuxta nodos, & pars illa per mediū scissa duas præbet tegulas, quæ domo superpositæ eam à pluuiarum defendunt stillicidijs. Solet magnus Cham tribus mensibus per annum illic habitare, scilicet in Iunio, Iulio atque Augusto, nam est ibi aëris conueniens temperies, caretq; locus ipse solis ardoribus. His igitur mensibus domus erecta manet, cęteris uero temporibus deposita & conuoluta seruatur. Proinde die uigesimo octauo Augusti rex à ciuitate Ciandu discedens, proficiscitur ad locum aliū dijs suis sollenne facturus sacrificiū. à quibus sperat sibi, uxoribus, filijs, & animalibus quæ possidet uitam & sanitatem concedi. Nam habet armēta magna equorum alborum & equarum albarum, quę putātur excedere numerū decem millium. In hac aūt festiuitate præparatur lac equinum in uasis decē

tibus, & rex ipse manib. suis proprijs diffundit hinc inde lac illud pro honore deorum suorum, arbitrans & à magis suis sic edoctus, quòd dij lac bibant effusum, & soliciti sint conseruatores omnium eorum quæ possidet. Post sacrificium illud nephãdum, bibit rex de lacte equarum albarum, nec ulli alteri licet illa die bibere de lacte illo, nisi fuerit de progenie regis, præter populum quendã regionis illius Horiach uocatũ, qui hoc etiã gaudet priuilegio, propter uictoriam quandam magnam, quã pro magno Cham Chinchis obtinuit. Hic igitur ritus die uigesimo octauo Augusti solenniter in perpetuũ à Tartaris obseruatur. Hinc etiam fit ut equi albi atq; equæ in magno à populo illo habeãtur honore. Comeduntur etiam in hac prouintia carnes hominum, qui publico iudicio ad mortem condemnati sunt. Qui uero ex ęgritudine moriuntur, horum carnes non comeduntur. Habet magnus Cham magos, qui dæmonum arte obtenebrant & in caliginem conuertunt aërem, luce super palatiũ regis clara permanente. Agunt etiã hi magi, ut rege iuxta mensam sedente, scyphi eius aurei dæmonum arte ab alia mensa quæ in medio aulæ consistit, regia portans uasa, super mensam regis exiliant, dicuntq; se id secreta quadam efficere arte. Et quãdo festa idolorum suorum celebrãt, dantur illis à rege arietes, quos cum lignis aloës & thure ceu odoriferũ sacrificium dijs offerũt, coctasq; arietis carnes cum cantu & maxima lætitia idolis deuorandas exhibent: ius uero carnium ante idola effundunt, asserentes sic deorum suorum promereri clemẽtiam, qui terris fertilitatem largiantur.

De monachis quibusdam idololatris. CAP. LXVII.

INueniuntur in regione illa plurimi monachi, idolorũ cultui deputati. Habent hi monasterium quoddam magnum, oppiduli habẽs magnitudinem in quo sunt circiter duo millia monachorũ, qui idolis seruiũt, rasura & ueste à laicis sequestrati. Nã radunt caput & barbã, uestemq; induunt religiosam. Hi in idolorum solennitatibus magnis clamoribus cantant, luminaria multa in templo accẽdunt, alijsq; cõpluribus distinẽtur stultis cærimonijs. Sunt & alijs locis monachi & uarij idololatræ, quorũ quidam multas habẽt uxores, alij uero pro honore deorũ suorũ caste uiuunt, uitam austerã ducentes, nam nihil comedunt præter farinæ purgamenta aquis diluta. Vestiuntur quoque pannis rudibus & asperis, coloris abiecti, & lecti mollitiem uitantes, dormiunt super rigẽtia stramina. Alij tamẽ monachi qui laxioris sunt uitæ, iudicãt hos tã austere uiuẽtes hæreticos, quòd non debito uiuẽdi modo deos colãt.

M. PAVLI VENETI DE REGIONIBVS ET PROVINCIIS ORIENTALIBVS, LIB. II.

De potentia & magnificentia Cublai regis maximi Tartarorum. CAP. I.



IN hoc secũdo libro scribere institui de magnificentia, põpa, sumptuositate, potẽtia, diuitijs, & imperij administratione Cublai Tartarorum summi Imperatoris, qui nostro æuo regni sceptra gubernat. Is enim in sua magnificentia & dominio longe superat omnes prędecessores suos, adeò ampliauit imperij sui limites, ut ferè totum orientem suæ habeat subiectum potestati. Is ex prosapia Chinchis primi Tartarorũ principis satus, sextus Imperator illius terræ fuit, anno scilicet domini M. CCLVI. regnare incipiens, & populo magna sapientia atq; grauitate pręsidens. Est uir strenuus, in armis exercitatus, corpore robustus, atq; animo ad res gerendas promptus, consilio pollens, & in populi gubernatione prouidus atq; circunspectus. Nam priusquam imperij consequeretur fasces, sæpe strenuum in bellis egit militem, atq; in cunctis ut prudentem uirum se gerebat. Interim tamen quo regno præfuit, non nisi semel ad pugnam processit, sed filios suos & alios aulicos loco sui illuc destinauit.

Qualiter

A *Qualiter Cublai rex à patruo suo Naiam rebellionem sustinuit.* CAP. II.

DIximus Cublai regem semel ad pugnam egressum, sed modo causam explicabimus. Anno domini M. CCLXXXVI. patruus eius Naiam nomine quum triginta esset annorum, & multis populis atq; regionibus esset præfectus, iuuenili elatus uanitate, motus est cōtra dominum suum Cublai, maximum contra eum ducens exercitum, & ut felicius pugnaret, asciuit in auxilium alium quendam regem Caydu nomine, qui nepos erat Cublai Imperatoris, sed odio habebat eum. Rebellioni igitur assensum præbens, promisit se in propria uenturum persona, conductis centum millibus militum. Hi igitur ut condixerunt, conuenire decreuerunt cum suis copijs in planicie quadā, pariter Imperatoris terras inuasuri. Porrò Naiam in exercitu suo habuit circiter quadraginta millia militum.

Qualiter Cublai se contra hostes muniuit. CAP. III.

NOn autem latuit Cublai Imperatorem, quid consanguinei sui molirentur contra eum, & quàm acerbo animo cōtra ipsum concitati essent, publica facta conspiratione. Quapropter per caput suum & Imperialem coronam iurauit, quòd se defenderet ab illis, & uindicaret hostium suorum audaciam. Vnde in uiginti duobus diebus comparauit exercitum maximum, nempe trecenta sexaginta millia equitum, & peditum centum millia, id que ex his qui uicini erant ciuitati Cambalu. Et quanquam longe maiorem potuisset congregare exercitum, tamen quia subito & quasi ex improuiso uoluit irruere in hostes, noluit diutius moram trahere in aggregando maiori exercitu, ne institutum eius Naiam hosti pateferet & fugam meditaretur, aut ad tutiora loca exercitum suum perduceret. Habuit quidem Imperator tunc & alios exercitus in armis, sed quos contra diuersas miserat prouincias expugnandas, & hos quoque reuocare noluit, quo minus hosti consilium suum aperiretur. Interim autem mandauit omnes uias maxima custodiri diligentia, ne expeditio sua ullo pacto Naiam hosti innotesceret, atq; præsentire posset aduentum suum. Vnde cuncti euntes & redeuntes à regis custodibus tenebātur, ne uel aliquid rumoris ad Naiam perueniret. Rebus itaque sic se habentibus, consulit rex Cublai astrologos, quando fata felicem sibi indicarent profectionem, et qua hora itineri se accingere debeat. Qui omnes paribus uotis regi cuncta felicia prædicunt, adesseq; aiunt tempus quo de hostibus triumphet.

B

Quomodo Cublai deuicerit Naiam. CAP. IIII.

IGitur Cublai Imperator cum exercitu suo soluēs, profectus est usq; ad planiciem ubi Naiam adhuc præstolabatur aduentū Caydu regis, qui illi suppetias erat laturus. Et Cublai ad collem quendam castrametatus, quieuit illa nocte cum exercitu suo. Populus uero Naiam nihil sibi metuens nec periculi aliquid adesse sciens, inermis per planitiem uagabatur, genio largius uacans. Et transacta nocte, ut dies terris reddi cœpit, Cublai imperator in collem ascendens, exercitum suum in duodecim distinxit acies, tria millia militum una habente acie. Pedites uero iuxta milites tali collocati sunt ordine, ut in quibusdā aciebus duo pedites lanceas tenentes, duo militū stiparent latera. Rex uero ipse sedebat in castro quodā mirabili super quatuor constructo elephantos, in quo etiam regale erat uexillum. At exercitus Naiam ubi uidisset insignia, & acies Cublai uehementer expauit, quippe qui adhuc expectabant subsidium regis Caydu. Et continuo currentes ad tentoriū Naiā qui cum concubina quam adduxerat dormiebat, excitauerunt illum. At ille quantocyus potuit, exercitum suū in acies disposuit. Est autem consuetudo omnium Tartarorum, ut tubis primum clangorem edant, et tangant cuncta exercitus instrumenta, atq; altis uocibus cantēt, & tandē signo à rege dato, arma contra hostem corripiant. Sic quum uterq; exercitus suas absoluissent cantilenas, iubet Cublai buccinis signum dare, & hostem aggredi. Illico aūt manus conserere cœperunt, & tam atrox præliū inierunt, ut putares imbrē sagit-

A

sagittarum & iaculorum per aërem descendere. Balistis laxatis, mutuo gladijs & lanceis se interficiunt. Erat quidem Naiam professione & nomine Christianus, sed non operum fidei sectator, signaueratq; principale uexillum suum crucis signo, habens secum non paucos Christianos. Commissum est itaque prelium ab initio diei usque ad meridiem, & ceciderunt multi ex utroque exercitu, donec tandem Cublai superior euaderet, & hostem in fugam uerteret. Mox autem ut populus fugere cœpit, Naiam captus est, & ingens multitudo in fuga ipsa occisa.

Quomodo Naiam suffocatus fuerit. CAP. V.

REx itaq; Cublai captum habens hostem suum, iussit ut confestim occideretur, qui ausus fuerat contra dominum suum arma mouere, & rebellionem excitare. Sed quoniam erat de prosapia sua, noluit ut sanguis regius de stirpe sua funderetur, ne terra regium biberet sanguinē, aut sol uel aër uiderent mala morte quenquam de regali progenie natum interire. Iussit igitur ut tapeto inuolutus atq; ligatus, tamdiu hinc inde duceretur, agitaretur, traheretur & impelleretur, donec contracto anhelitu suffocaretur. Hoc autē mortuo, optimates sui & cunctus populus qui euadere potuerūt, inter quos multi fueruut Christiani, sponte se submiserunt dominio & obedientiæ Cublai imperatoris. Et tunc quidem quatuor prouinciæ accesserunt ditioni eius, quarum nomina sunt, Funotia, Cauli, Barscol & Sinchintingui.

Compescit Cublai Iudæos & Saracenos crucis Christi contemptores.
CAPVT VI.

POrrò Iudæi & Saraceni qui in exercitu Cublai fuerunt, cœperunt Christianis, qui cum Naiam uenerant exprobrare, & dicere quod Christus, cuius signū Naiam in uexillo habuerat, non potuerit suis auxilio esse: hasq; contumelias cotidie Christianis obiecerunt, Christi potentiam ut inanem irridentes. Christiani uero qui ad regis Cublai obedientiam uenerant, indignum rati ut talia ferrent cōuicia, quæ gloriam Christi minuerēt, conquesti sunt Imperatori quales illis inferrentur iniuriæ. At ille cōuocans Iudæos & Saracenos, ad Christianos cōuersus ait, Deus uester & crux eius noluit quidem Naiam præsidium ullum ferre, uerum uos propterea nolite erubescere, quoniam deus bonus & iustus, iniustitiæ & iniquitati patrocinari minime debuit. Naia domini sui proditor extitit, atq; contra omnem æquitatem rebellionem excitauit, & quidem dei uestri auxilium in sua malicia implorauit. Sed ille ut deus bon⁹ & rectus, noluit fauere illius criminib. Vnde mandans Iudæis & Saracenis, cæterisq; Christiani nominis blasphematorib. interdicebat, ne ullus eorū Christianorū deum aut crucē eius amplius blasphemare præsumeret. Sic illis silentium impositum est. Cublai uero tumultu sedato, cum uictoria & gaudio ad ciuitatem suam Cambalu est reuersus. B

Qualiter magnus Cham remuneret milites suos parta uictoria. CAP. VII.

POrrò præfectos, exercituum duces, atque alios antesignanos milites, rex Cublai quum uictor è bello redit, honorat hoc modo. Eum qui ante præerat centum militibus, in gradum sublimiorem collocat, atque mille præficit militibus, & sic gradatim reliquos belli duces in digniorem ponit statum, donatq; illis aurea & argentea uasa, tabulas, priuilegia atq; immunitatem. Et hæc quidem priuilegia tabulis uel bracteis per sculpturas imprimuntur. Ex uno latere scriptura huius tenoris continetur: Propter dei magni uirtutem, & propter gratiam magnam quam Imperatori contulit, nomen magni Cham benedictum sit. In alio uero latere sculpta est imago leonis cum sole uel luna, uel imago grifalchi, aut reliquorum animalium. Quicunq; aūt habet tabulā cum leone & sole atq; luna, quando procedit in publicum, defertur palliū supra eum in signū magnę autoritatis. Qui aūt grifalchi habet imaginem, potest secū de loco uno ad alium ducere uniuersam cuiuscunq; principis uel regis militiam. Sicq; omnia in suum distributa sunt ordinem, tabulis indicantib. quibus obediri oporteat. Et si quis iuxta tabularum

A expreſſionem obedire noluerit, contempſeritq́ præſcriptam autoritatem, ut rebellis Imperatori, interficitur.

De forma Cublai atq; uxoribus, filijs & ancillis eius. CAP. VIII.

REx Cublai eſt homo admodũ pulcher, ſtatura mediocri, non nimis pinguis, nec nimis macilẽtus, faciem habet rubicundã atq; candidã, oculos magnos, naſum pulchrũ, & omnia corporis lineamenta debita proportione conſiſtẽtia. Habet uxores IIII. quas legitimas cenſet, & ſuccedit ei in regno primæ primogenitus. Et quælibet harũ quatuor, peculiarẽ curiam, eamq́; regalem in proprio palatio tenet, habẽs circiter trecentas electas pediſſequas et famulas, multosq́; miniſtros eunuchos, & aliam familiam plurimã. Habet præterea rex ipſe cõcubinas multas. Nã eſt inter Tartaros natio quædã, quæ dicitur Vngrac, quæ mulieres habet admodum formoſas, & moribus conſpicuas, de quibus nutrit in palatio ſuo circiter centũ, quæ ſcilicet elegantiores ſunt formæ & ſuper has conſtituit matronas quaſdam, quarum officium eſt, ut illarum curam gerant, & diligenter cõſiderent, quando in infirmitatẽ ceciderint, aut maculam aliquam contraxerint: alioquin regis complexibus frui nõ poterunt. Ex his concubinis ſex deputantur tribus diebus ac noctibꝰ pro cuſtodia regiæ cameræ: & dum rex uadit dormitũ, aut è lecto mane proſilit, aſſiſtunt ei ut miniſtræ, atq; in cubiculo eius dormiunt. Quarta uero die ſex aliæ prioribus in dicto miniſterio ſuccedunt, tribus diebus & totidẽ noctibus regi obſequentes. Et his rurſum aliæ ſex ſuccedunt, cõtinuaturq́; hæc permutatio, donec omnes centum miniſterio regis fuerint adhibitæ. Porrò de quatuor legitimis uxoribus habet rex Cublai XXII. filios, uocatus'que fuit primæ uxoris primogenitus Chinchis, qui illi ſucceſſurus erat in imperio, niſi ante patrem in fata conceſſiſſet. Is itaq; reliquit filium, nomine Temur, qui eſt homo ſtrenuus, prudẽs, & in militia exercitatus, ſuccedetq́; auo in imperio loco patris ſui defuncti. Cæterũ de ancillis & famulabus ſuis habet rex Cublai XXVII. filios, qui omnes in aula ſua ſunt magni barones.

B

De palatio eius quod eſt in Cambalu, & loci amœnitate. CAP. IX.

TRibus anni menſibus, nempe Decembri, Ianuario & Februario Cublai rex in regia ciuitate Cambalu moratur, ubi palatium habet miro artificio extructum. Ambitus enim eius continet milliaria IIII. quadratura qualibet unum milliare complectente. Et eſt murus is ſpiſſus ualde, decem paſsibus in altum conſurgens. Superficies eius extrinſeca colore albo & rubeo nitet. In ſingulis quatuor muri angulis palatium pulchrum & magnum, fortalitij loco conditum eſt. Sic in medio cuiuslibet quatuor murorum, palatium egregium extructum eſt: eaq; in uniuerſum octo ſunt. In his conſeruantur arma, inſtrumenta, tormenta & uaſa bellica, nempe arcus, ſagittę, pharetræ, calcaria, frena, lanceæ, clauæ, funiculi arcuum, & reliqua quæ in bello neceſſaria ſunt, ſingulaq́; armorũ genera in ſingulis poſita ſunt palatijs. Porrò facies palatij quæ meridiem reſpicit quinq; habet portas, quarum media maior eſt omnibus, nec unquam aperitur, niſi pro regis introitu. Nam nulli per eam patet ingreſſus niſi ſoli regi. Sed hæc habet duas minores collaterales portas, per quas ingrediuntur reliqui qui regem comitantur. Quælibet uero reliquarum trium facierum, unicam duntaxat in medio habet portam, per quam quiſque ingredi poteſt. Cæterùm intra iam memoratum murum, alius murus cingit hoc regium caſtrum, habens ut prior murus, in angulis & meditullijs eorum octo palatia, in quibus continentur alia uaſa & pretioſa iocalia regis. In ſpatio uero medio interiori eſt regium palatium, habitaculum ſcilicet in quo rex moratur. Hoc palatium caret ſolario, pauimentum uero eius exteriori fundo præeminet decem palmis. Tectum eius altum eſt ualde, pictura decoratum. Parietes aularum & conclauium auro & argento fulgent. Vbique picturæ pulcherrimæ & bellicarum rerum hiſtoriæ ſeſe ingredientium oculis offerunt, uiuaci colore & rutilanti auro coruſcantes. In aula maiori ad menſam ſimul recumbunt circiter ſex hominũ millia. Intra di

ctos

ctos muros totũ castrum ambientes, sunt plurima uiridaria atq; prata lignis pomiferis atq; uarijs cõsita arboribus. Discurrũt etiam per hæc uiridaria, animalia syluestria, ut cerui & animãtia, ex quibus muscum colligitur, capreæ, damulæ, & aliarum specierum animalia. Versus Aquilonem uero sunt uiuaria, in quibus meliores quiq; pisces, qui haberi possunt, nutriuntur. In lacum illum ingreditur fluuius quidam, & rursus egreditur, cratibus ferreis loco introitus & exitus communito, ne pisces elabi queant. Extra palatium spatio unius leucæ, est monticulus quidam centum passibus in altum erectus, cuius circumferentia miliaris continet spatium, arboribus semper uirentibus consitus. In hunc montem iubet rex arbores quasq; optimas à remotis partibus adduci, onerans illis elephantos: extrahuntur enim cum radicibus & transplantantur in hunc montem. Et quoniam is mons perpetuo uiret, uocatur Mons uiridis. In cacumine eius est palatium egregium: uiridi disterminatum colore, in quo magnus Cham sæpe genio uacat. Est & aliud magnificum palatium seu castrum iuxta magni Cham extructũ castrum, in quo Temur primogenitus eius illi in imperio successurus, cum aulicis suis magnifice & regaliter uiuit. Nam amplissimam habet autoritatem & sigillum imperiale, uerum magno Cham ut domino subiectus.

Descriptio ciuitatis Cambalu. CAP. X.

Ciuitas Cambalu in prouincia Cathai iuxta magnum sita flumen, ab antiquis temporibus insignis fuit & regalis. Sonat autem Cambalu ciuitas domini. Hanc magnus Cham transtulit in aliam fluminis partem: nam didicerat ab astrologis, quòd imperio rebellis futura esset. Ciuitas in quadrum constructa, in gyro complectitur uigintiquatuor milliaria, quolibet quadrati latere sex habente milliaria. Muros habet dealbatos, altitudinis XX. passuum, latitudinis decem, spissitudo tamẽ illa sensim ascendendo tenuior fit. B
Habet quælibet muri quadratura tres portas principales, quæ in uniuersum duodecim sunt, constitutis iuxta singulas magnificis palatijs. In angulis quoque murorum sunt egregia palatia, ubi ciuitatis conseruantur arma. Transeunt per hanc ciuitatem uici & plateę rectissimæ, ut ab una porta liber aspectus pateat per ciuitatem ad portam oppositam, domibus elegantissimis palatiorum instar utrinque constructis. Porrò in medio ciuitatis, ædes quædam magnifica est extructa, in qua campana pendet prægrandis, cum qua uesperi tria fiunt signa, post quæ nemini licet domum egredi usque ad initium sequentis diei, nisi infirmorum aut parentum causa. Et qui noctu per ciuitatem ire necessitate cogente uolunt, lumen secum deferre coguntur. Singulæ ciuitatis portæ à mille custodiuntur hominibus, non quidem propter hostium timorem, sed latronum & prædonum. Cauet enim rex summo studio, ut fures & prædatores arceantur.

De suburbijs & mercatoribus ciuitatis Cambalu. CAP. XI.

Extra ciuitatem Cambalu duodecim sunt magna suburbia, singulis duodecim portis contigua, in quibus iugiter mercatores inueniuntur, & aduenæ homines. Nam propter curiam regis & multiplices mercantias innumerus indies confluit populus, qui in suburbijs illis rerum negotia tractat. Nec habent suburbia, ut aliàs fieri solet, domos, quæ à splendore & magnificentia domorum ciuitatis degenerent, solo regali excepto palatio. Intra hãc urbem nullum hominis cadauer sepelitur, sed extra suburbia, idololatrarum corpora cõburuntur, & reliquarum sectarũ funera sepeliuntur. Et quoniã ingens multitudo exterorum hominũ semper illic uersatur, habẽtur in suburbijs circiter XX. millia meretricũ: intra uero mœnia ciuitatis nulla sustinet. Dici nõ potest quanta uis mercimoniorũ & opũ in hanc urbem cõuehatur, pu ares toti orbi illa sufficere posse. Aduehũtur aũt lapides pretiosi, uniões, sericum, & diuersarũ specierum aromata ex india, Mangi, Cham & alijs regionibus. Nam urbs hæc quodammodo omnium circumiacentium prouinciarum est centrum. Nec transit dies ulla per integrum annum, in qua non circi-

A circiter mille quadrigæ serico oneratæ ab exteris negotiatoribus conuehantur, ex quo per ingeniosos urbis artifices mira parantur indumenta.

Magnus Cham satellitio maximo stipatur & custoditur,

CAP. XII.

HAbet magnus Cham in curia sua xij. millia equitum, quos uocãt Quæsitam, idest, fideles domini milites, qui corpus suum custodiunt. Et istis quatuor præfecti sunt duces, quorum quilibet tribus præest millibus. Horum officium est, ut diximus, die noctuq; regem obseruare, & eius custodiæ mancipatos esse. Vnde etiam à curia regis recipiunt impensas. Custodias autem suas tali distribuunt ordine, ut quum per triduum dux unus cum tribus milibus militum intra palatium regem stipauerit, tribus sequentibus diebus dux alius cum alijs tribus militum millibus, qui interim quieuerunt, obit hoc custodiæ munus, cui iterum dux alius cum militibus suis succedit: sicq; per totum annum hæc custodiæ obseruatur uicissitudo: non quòd regẽ tanta maneant pericula, sed ut magnificentia sua maior appareat.

De magnifico apparatu conuiuiorum eius. CAP. XIII.

POmpa quæ in conuiuijs regis obseruatur, tali celebratur ordine. Quum propter festum aliquod, aut aliam rationabilem causam, Imperator uoluerit in maiori aula conuiuium instituere, mensa eius cæteris mensis sublimior ad Aquilonarem aulæ partem ponitur, & rex iuxta eam sedens uertit faciẽ ad meridiem, habens ad sinistram reginam maiorem, principalem scilicet uxorem, & ad dextram filios atq; nepotes, & qui de regali sunt prosapia. Ipsorum tamẽ mensa est in demissiori loco, ut uix attingãt pedes capitibus suis. Reliqui uero barones & milites sedent adhuc in demissiori loco, habentes singuli uxores suas ad sinistram collocatas, tenetq; quilibet dux & nobilis gradum & ordinem suum, sicut & uxores eorum. Nam omnes nobiles in curia Imperatoris tempore solennitatis pransuri, ducunt secum uxores suas. Et

B Imperator ipse dum in mensa sua recumbit, poterit ad omnes deflectere oculos suos, qui in aula illa conuiuantur. Porrò extra aulam illam regiam sunt etiam aliæ aulæ collaterales, in quibus solennitatum tempore nonunquam quadraginta millia hominum cibantur, quorum multi sunt aulici, alij uero feuda ab Imperatore renouantes: ioculatorum quoq; & mimorum concurrentium non est numerus. Proinde in medio aulæ regiæ, uas quoddam aureum erigitur, ex quo uinum aut alius quispiam optimus potus in modum fontis scaturit, iiij. alijs dolijs aureis hinc inde sitis, quæ uini illius fluenta suscipiunt. Et ex dolijs hauritur uinum quod discumbentibus largiter apponatur. Nemo autem in hac discumbens aula, alio quàm aureo utitur poculo. Dici non potest quantus sit apparatus, & quanta magnificentia in uasis & omnibus utensilibus, quando magnus Chã in aula sua regia publice discumbit. Porrò principes qui regi discumbenti ministrant, omnes delicatissimo serico panno ora sua cooperiunt, ne ipsorum flatus seu halitus quoquo modo regium cibum aut potum contingere queat. Et quum Imperator scyphũ leuat ut bibat, omnes circumstantes citharœdi & musicorum instrumentorum lusores, instrumentorum suorum chordas tangunt, & suauissimam edũt melodiã: atq; cæteri aulæ ministri interim genuflectunt. De cibis qui ad mensam deferuntur, non est ut quicquam scribam quàm opipari sint & delicati & quàm magnifice atq; pompatice inferantur. Prandio finito, accedunt citharœdi & harmoniaci quiq; concentores, ioculatores, & nigromantici, qui miras melodias & miros gestus ante regis mensam edunt, quibus illius animum iucundum reddunt, & in hilaritatem soluunt.

Qualis magnificentia seruetur in natali regis. CAP. XIIII.

SEruant omnes Tartari hunc morem, ut diẽ natalem domini sui honorificentissime celebrent. Festum uero natale magni Cham Cublai, est uigesimo octauo die Septẽbris, & hunc diem celebriorem ducit quàm ullum totius anni diem, excepta festiuitate kalendarum Februarij, qua annum suum

 incipiunt.

incipiunt. In natali itaq; suo rex induitur ueste aurea pretiosissima, & omnes aulici similiter optimis & melioribus quæ habent uestiuntur indumentis, quibus singulis rex donat aureas zonas magni ualoris, & calceamenta de camuco parata, filo consuta argenteo, adeoq; singuli ad honorem regis ornare se student, ut nullus non regiam præseferat formam. Hæc autem pompa nedum in regis natali fit, uerũ & in aliis festiuitatibus, quas tartari per annum habent, numero tredecim, pro quibus rex annuatim aulicis suis pretiosissimas largitur uestes, ornatas auro, margaritis, & lapidibus aliis pretiosis, unà cum zonis & calceamentis, ut iam præmisimus. Nec sunt aulicorum uestes discolores à regia ueste. Seruatur etiam hæc consuetudo apud Tartaros, ut in natali magni Cham omnes reges, principes & nobiles, qui ditioni illius subiecti sunt, mittant illi ut Imperatori suo donaria. Et qui conditionem aliquam aut officium ab eo impetrare cupiunt, postulationes suas duodecim baronibus, qui ad hoc ipsum constituti sunt, offerunt, & quod illi decernunt perinde est ac si Imperator ipse respondisset. Astringuntur etiam omnes populi, cuiuscunq; sint fidei aut sectæ, siue Christiani, siue Iudæi, siue Saraceni, siue Tartari, cæteriq; pagani, ut deos suos solenniter inuocent pro uita, incolumitate & prosperitate magni Cham. A

De initio anni quod solenniter celebrant Tartari,

CAPVT XV.

IN die kalendarum Februarii, qui initium est anni Tartarici, magnus Chã & omnes Tartari ubicunq; sunt, maximum & solẽne celebrant festum, omnesq; unanimiter tã uiri quàm mulieres student albis indui uestibus uocantes diẽ illũ, festiuitatẽ alborũ. Nã credũt uestem albã bonũ habere fatũ: ideo ut toto anno fortuna illis sit propritia, in anni initio albis induũtur. Porrò ciuitatũ rectores & prouinciarum præfecti, memores officii sui, mittunt Imperatori hoc die munera aurea & argentea, uniones & gemmas, pannos pretiosissimos, & equos candidi coloris: unde nonnunquam fieri solet, ut regi in hoc festo offerantur centum millia alborum equorũ. Sic cæteri Tartari sibi inuicẽ munera mittunt ab initio anni, idq; ominis gratia, credẽtes omnia per annũ felicius successura. In hoc deniq; festo, omnes elephãti quos habet Imperator, numero quinq; millia, ducũtur ad curiã, uestiti tapetis, in quibus pictæ sunt imagines uariæ animaliũ & auiũ, portantes in humeris suis capsas plenas aureis & argẽteis uasis, quibus opus habetur pro festo Alborum magnifice celebrando. Multi quoq; cameli pulcherrimis cooperti pannis adducuntur, qui alia apportant, quæ pro tãto conuiuio sunt necessaria. Illucescente autem die Alborum, omnes, reges, duces, barones, milites, medici, astrologi, præfecti prouinciarum atq; exercituum, & alii Imperatoris officiales, ad aulam regis conueniunt, & quibus locus in ea contingere nequit ob hominum multitudinem, hi collaterales ingrediuntur aulas. Cunctis itaq; in suo ordine & gradu sedentibus iuxta cuiuslibet officii dignitatem, surgit unus in medio, & alta uoce clamat, Inclinate & adorate. Hac uoce facta, consurgunt omnes celeriter & genu flectunt, fronteq; ad terram demissa quasi deũ adorant, & id quatuor faciunt uicibus. Adoratione completa, uadunt omnes suo ordine ad altare, quod in aula positum consistit super unam tabulam depictam rubeo colore, in qua scriptum est nomen magni Cham, arreptoq; thuribulo pulcherrimo, & redolentibus speciebus illi impositis, ad honorem magni Cham cum multa reuerentia tabulam ipsam & altare suffumigant, & ad sua redeunt loca. Thurificatione ista nepharia completa, quilibet in conspectu Imperatoris offert munera illa, de quibus supra diximus. His omnibus rite peractis, parantur mensæ, & fit solennissimum prandium, edentes & bibentes cum lætitia magna. Quo finito, modulatores & ioculatores accedunt, & suis concentibus atq; gestibus omnium mentes exhilarant. In huiusmodi deniq; festis, ducitur ad regem leo unus domesticus, qui ad pedes illius ut catulus mansuetus iacens dominum suum agnoscit.

De

De feris quæ magno Cham undequaq; mittuntur. CAP. XVI.

A TRibus illis mensibus, quibus, ut supra diximus, Imperator moratur in ciuitate Cambalu, scilicet Decembri, Ianuario & Februario, omnes uenatores quos Imperator habet in singulis prouicijs prouinciam Cathai circumiacentibus, uenationi intendunt, omnesq; bestias grandiores, puta ceruos, ursos, capreas, apros, damulas, & huiuscemodi feras offerunt præfectis suis: qui si minori spatio quàm in triginta diebus peragrari potest distant à curia Imperatoris, mittũt huiusmodi captas bestias per quadrigas & naues ad Imperatorem, exententeratis tamen prius illis. Qui uero pluribus quàm triginta diætis ab eius curia distant, solum pelles mittunt, quæ pro armis parandis sunt necessariæ.

Quomodo magnus Cham cum feris mansuefactis feras syluestres capit.

CAP. XVII.

NVtrit domi magnus Cham uarias bestias, domesticasq; factas secum ad uenationes ducit, & mira afficitur uoluptate, quoties uidet domesticam feram cum syluestri pugnare. In primis autem habet cicuratos leopardos, qui mirum in modum uenationi inseruiunt, multasq; capiunt bestias. Habet & lynces non minus ad uenandum industrios, & item leones maximos atq; pulcherrimos maiores illis qui sunt in Babylonia, in quorum pilis radioli quidam uarij coloris apparent, scilicet albi, nigri, atq; rubei, & illi quoque docti sunt artem uenatoriam. Nam plurimum prosunt uenatoribus ad capiendum apros, ursos, ceruos, capreas, onagros, atq; boues syluestres. Duci autem solent duo leones in uehiculo quodam, dum uenatum itur, sequente utrunq; eorum caniculo paruo. Habet quoq; imperator multas aquilas cicuratas, quæ adeò efferatæ sunt, ut lepores, capreas, damulas & uulpes capiant: inter quas aliquæ tam præfractæ sunt audaciæ, ut non uereantur cum magno impetu in lupos insilire, eosq; in tantum diuexare, ut ab hominibus sine

B labore & periculo capi possint.

De spectaculo quod magnus Cham in uenatione facere solet.

CAP. XVIII.

HAbet magnus Cham in curia sua duos barones, qui regiæ præfecti sunt uenationi, quorum uterque decem præest millibus hominum, qui ea curant quæ ad uenationem sunt necessaria. Nam nutriunt canes magnos, & ad uenationem assuefaciunt. Et quando magnus Cham cupit se uenatione oblectari, & singulare ostentare spectaculum, duo memorati barones ducunt secum illa uiginti millia hominũ, atq; canũ magnã turbã, qui cõmuniter circiter quinq; millia sunt, & cum rege in campum proficiscentes ubi feras uenari uolunt, hoc pacto rem ipsam aggrediuntur. Rex cum nobilibus suis in medio planiciei locum tenet, & duo uenatorij præfecti cum populis suis stant ad dextram & sinistram regis: unius populus induitur uestibus rubeis, & alterius uestibus aërei seu cœlestis coloris. Stant autem singuli in una acie seu linea, unus scilicet alterius assistens lateri, & tantam campi occupant longitudinem, ut uix itinere unius diei perueniri possit ab una extremitate ad aliam. Habent autem canes memoratos secum. Et postquam sic in unum ordinem digesti sunt, laxant canes suos in uenatione, & ipsi procedentes in illo ordine, maximum capiunt ferarum numerum: nam & terra illa animalibus syluestribus plena est, nec ullum facile ipsorum effugere poterit laqueos & canes.

De aucupio magni Cham. CAP. XIX

MEnse Martio ingrediente, discedit Cham magnus à ciuitate Cambalu, proceditq; ad campestria quæ uersus oceanum sita sunt, ducens secum magnum aucupum numerum, circiter decem millia, qui habent falcones, accipitres, grifalchos, & alia rapacium auium genera aucupio idonea, numero circiter quingentas aues. Hi igitur aucupes per regionem illam se diffundētes, falcones & accipitres suos in capturam laxant auium, quibus regio il-

la plena est: & aues quæ capiuntur, deferuntur pro maiori parte ad regem. Rex uero sedet in ligneo habitaculo, quòd gestant quatuor elephanti, leonum coopertum exuuijs, & intus deauratum, habens secum pro sua recreatione aliquos duces, & XII. accipitres electos. Porrò iuxta elephantes qui regium portant habitaculum, obequitant multi nobiles & milites, regis latera stipantes. Qui quum uiderint fasianos aut grues, aut alias aues in aëre uolitantes, indicant id aucupibus qui iuxta regem sunt. Et hi id ipsum regi significantes, discooperiūt habitaculum regium, laxantq; falcones uel accipitres, & rex in lecto sedens auium intuetur ludum. Migrant quoq; cum rege & alia decem millia hominum, qui in illo aucupio bini & bini per campos discurrunt, & aduertunt quò emissi uolitēt falcones atq; accipitres, & si opus fuerit illis subsidium ferant. Et hi lingua Tartarica uocantur Toscaor, id est, custodes, certum scientes edere sibilum quo emissas uocant aues. Nec opus est ut auceps qui emittit auem, sequatur illam, quum hi de quibus iam diximus, intenti sint auibus capiendis, & soliciti sint ne aliquo modo lædantur, aut perdantur. Qui enim aui periclitanti uiciniores sunt, hi tenentur illi subuenire. Quælibet autem emissaria auis tabellam paruam argenteam signo domini aut aucupis sui cōsignatam in pede gestat, ut si amissa fuerit, domino suo restitui possit. Quòd si signum non cognosci possit, traditur auis baroni cuidam, qui ob hoc ipsum uocatur Bularguci, id est, custos auium perditarum. Nam conseruat omnes aues sibi oblatas, donec à dominis suis fuerint repetitæ. Idem fit de equis & alijs rebus in uenatione amissis. Et qui rem quampiam in uenatione repertam huic præfecto non illico tradit, sed ea aliquandiu utitur, hic pro fure censetur. Vnde is perditarum rerum præfectus in uenationibus locum tenet eminentiorem uexillo suo signatum, ut in tanta populi frequentia cognosci possit, & amissa facile illi uel offerri uel ab eo repeti possint.

De magnificis tentorijs magni Cham. CAP. XX.

INterim autem cum sic ludendo cum auibus aucupio intenditur, peruenitur ad planiciem quandam Caciamordim, ubi sunt regis & omniū aulicorum præparata tentoria, numero circiter decem millia. Hæc autem tali ordine sunt disposita. Primum est ingens tentorium, sub quo commode manere possunt mille homines, ingressum habens ad meridiem, & sub hoc morantur barones, nobiles & milites. Iuxta hoc ad occidentem aliud est erectum tentorium, in quo regis est aula & consistorium, quod intrat quando cum aliquibus uult loqui. Et huic in altera parte adiūctum est cubile, in quo rex dormire solet, & his mansionibus rursum aliæ aulæ & cameræ adhærent. Regiæ uero aulæ, hoc est, cubile regis, consistorium & habitaculum militum, sic disposita sunt. Sustentantur singulæ tribus columnis de lignis aromaticis cum uarijs & elegantibus sculpturis fabricatis, & cooperiuntur exuuijs leonum nigri & rubei coloris. Nam discolores leones in partibus illis inueniuntur. Nec possunt tentoria illa à uentis uel pluuijs iniuriam ullam recipere, quum coria illa quibus teguntur solidiora sint quam quæ facile lædi possint. Intus uero parietes tentoriorū pellibus nobilissimis armelinorum & zebellinorum sunt operti, etiam si in regionibus illis hæ pelles prætiosissimæ habeantur, ut quandoque uix pro duobus millibus Bysantiorum aureorum pelles pro una tunica sufficiant. Porrò funes quibus hæc tria sustentanť tētoria, de serico sunt. Sunt præterea & alia erecta tētoria iuxta illa tria, in quibus uxores, filij & ancillæ regis morantur. Deinde habent etiā falcones, accipitres, bubones, grifalchi, & reliquæ aues, quæ aucupio inseruiunt, sua tentoria, in quibus continentur. Tanta enim est tentoriorum multitudo, ut à longe aduentantibus appareat illic insignem conditam urbem. Confluit etiam undiq; maxima multitudo hominum otiosorum ad spectaculum illud contuendum, præter eos qui in regis ministerio sunt, qui sua loca in tentorijs non secus habent quàm in ciuitate Cambalu, ut sunt

regis

A regis medici, astrologi, & cæteri uates. Manet uero rex in planicie illa per totum Martium, & capit innumera animalia atq; infinitas aues. Nemini enim alioquin licet uenationi intendere in omnibus regni illius prouincijs, saltem quæ in uiginti diebus & citra pedestri itinere attingi possunt: nec ulli permittitur canis aut uolucris uenaticus: & presertim à principio Martij usq; ad mensem Octobrem nemini permittitur, quocunq; etiã utatur ingenio, capere ceruos, damulas, capreas, lepores, & huiusmodi syluestres feras. Hinc igitur est quod terra illa talib. abũdat animalib., & plerũq; adeò familiaria fiunt hominibus, ut transeuntia prope eos minime horreant aut paueant aspectum illorũ. Aucupio expleto, rex domũ redit, & per tres dies celebratis conuiuijs, omnes quos ad hoc uocauit spectaculum, ad propria reuerti concedit.

De moneta & oppulentia magni Cham. CAP. XXI.

MOneta magni Cham non fit de auro uel argento, aut alio metallo, sed corticem accipiunt medium ab arbore mori, & hunc consolidant, atq; in particulas uarias & rotundas, magnas & paruas scindunt, atq; regale imprimunt signum. Minimi denarij ualent pretium parui Turonensis: & maiusculi dimidium grossum Venetum: qui uero maiores sunt, habent ualorem duorum Venetorum, aut quinq; aut decem. Sunt qui Bysantium aureum ualent, aut duos aut quinq; Bysantios. De hac itaq; materia facit Imperator in ciuitate Cambalu cudi immensam uim pecuniæ, quæ pro toto sufficit imperio: nullíq; sub pœna mortis in omnibus regnis & terris suis licet aliam cudere uel etiam expendere monetam, aut illam recusare. Nec aliquis ex alio ueniens regno, quod magno Cham non est subiectum, audet aliam expendere pecuniam in imperio magni Cham. Vnde fit, ut non raro negotiatores ex longinquis terris & regionibus ad ciuitatẽ Cambalu uenientes, secum portent aurum, argentum, margaritas & gemmas, ut pro illis accipiant monetam regiam. Et quoniam hæc in terris suis non recipitur, commutant rursus
B eam in imperio magni Cham pro mercimonijs quæ secum abducant. Mandat quoq; nonnunquam Imperator his qui in Cambalu morantur, ut qui aurum uel argentum, aut lapides prætiosos habent, ea quantocyus officialibus suis tradant, & consuetam ab illis monetam iuxta illorum ualorem recipiant. Hoc itaq; modo fit ut mercatores & ciues indennes seruentur, & nihilominus rex omne aurum & argentum corradens maximum congreget thesaurum. De memorata factitia moneta, soluit etiam officialibus & exercitibus suis stipendia, & quacunque tandem re in curia sua opus habet, hac emit pecunia. Vnde quum tantam uim pecunię ex re nihili conflet, & tamen per eam aurum & argentum plurimum consequatur, ea quæ curiæ necessaria sunt emat, ministris suis stipendia soluat, cuilibet facile constabit nullum in mundo reperiri regem, qui diuitijs illum superet.

De duodecim præfectis prouinciarum, & eorum officio.

CAP. XXII.

HAbet magnus Cham duodecim barones aulicos, qui triginta quatuor præfecti sunt prouincijs: & horum officium est, ut singulis prouincijs duos præficiant rectores, atq; regijs exercitibus in locis ubi morantur de his quibus opus habent prouideant: & quicquid ordinant, regi indicant, qui sua autoritate id confirmat quod illi statuendum duxerint. Hi multa beneficia & priuilegia passim concedunt, & propterea plurimum à populo obseruantur & ambitur fauor eorum. Habitant in quodam palatio magno in ciuitate Cambalu pro eorum officio deputato, in quo uarias habent aulas & cameras pro se & ministris suis. Habent etiam assessores & notarios, qui à consilijs sunt, quiq; ea quæ agunt diligenter annotant.

De cursoribus & nuntijs magni Cham, atq; multiplici mansione eorum.

CAP. XXIII.

EXtra ciuitatem Cambalu multæ patent publicæ uiæ ad uiciniores ducentes prouincias, & singulis castra seu diuersoria sunt extructa cum pul

cherrimis palatijs, uiginti quinque distantia milliaribus ab urbe Cambalu, A
ubi diuertunt emissarij & nuntij regis. Vocantur autem mansiones illæ Ianli, id est, mansiones equorum: nam expectant ibi trecenti, aut quadringenti equi regis nuntios. Qui hinc soluētes post uiginti quinq; milliaria alia inueniunt diuersoria, prioribus haud dissimilia: & ea hoc ordine & distātia continuantur usq; ad extemos imperij limites: ita ut per uniuersum imperium in publicis uijs circiter decem millia inueniantur regia hospitia. Equorum uero numerus, qui in illis diuersorijs nuntiorum officijs sunt deputati, est circiter ducenta millia. In locis quoque desertis & syluestribus, ubi alioquin nulla est humana habitatio, huiusmodi regia inueniūtur diuersoria, triginta aut quadraginta milliarijs à seinuicem distātia. Ministratur aūt pabulum equis, & uictus custodibus eorum, ab his ciuitatibus & incolis, qui diuersorijs uiciniores sunt, aut intra quorum terminos illa consistūt hospitia. Diuersoria aūt quæ in desertis posita sunt, recipiunt necessaria à regis curia. Igitur quando rex noua ex remotis partibus cito audire cupit, destinat equites dicto suo quantocyus parentes, qui uno die ducenta aut trecenta conficiunt milliaria, & paucis diebus immensum terrę peragrant spatium: quod in hunc modum fit. Emittuntur duo cum equis, qui concitatissimo cursu sine ulla mora ad proximum declinant diuersorium: ubi demissis fessis equis duos alios ascendunt, & ad sequens citissime se transferunt diuersorium, sicq; fit ut continue cursum suum eundo & redeundo continuent, & mandata regis ad remotissima loca pauculis diebus perferāt, & rursum ex remotissimis partibus noua ad regem portent. Sunt etiam inter iam dicta diuersoria alia habitacula spatio trium aut quatuor milliariū ab inuicem distantia, ubi paucę sunt domus, in quibus habitant cursores pedestres, habētes singuli cinctoria plena sonoris tintinnabulis. Hi semper pręparati sunt, ut quoties literę regię ad eos destinantur, citissime illas ad proximum perferant habitaculum. Et priusq; ad B
illud ueniant, à longe audientes cursoris uenientis sonitum, præparati illum expectāt, & susceptis literis e uestigio illas ad sequentem deferunt custodiā: sicq; literæ per uarias transeuntes manus, sine ulla impediente mora ad locū illum deferūtur, quò peruenire debēt. Et sępe fit ut rex in triduo noua perdiscat, aut nouos fructus recipiat à loco, qui decē dierū itinere à sua habitatione distat. Omnes aūt memorati cursores liberi sunt ab omni tributi exactione, & præterea à regis quæstoribus bonam laboris sui accipiunt mercedem.

De prouidentia imperatoris tempore caristiæ.

CAP. XXIIII.

SOlet magnus Cham singulis annis nuntios suos mittere ad diuersas prouincias imperio suo subiectas, ad inquirendum num damnū aliquod à locustis aut alijs uermibus frumēto sit illatum, aut alia pestis sterilitatē in prouinciam aliquam inuexerit. Et quum sibi innotuerit prouinciā aliquam aut ciuitatem detrimētum passam, remittit illi populo tributa pro illo anno, mittitq; de horreis suis blada pro uictu & semente. Nam tempore magnæ ubertatis emit rex copiosam uim frumēti, & per annos tres uel quatuor in thecis conseruat, ut quum in una regione frumenti penuria præualuerit, defectus ille ex regijs horreis sarciri possit. Vēdit autem bladum suum minimo pretio, ut pro uno modio in quadruplo plus pecunię exponēdū esset, si ab alio quopiam emeretur. Similiter quando pestis aliqua animalia inuaserit, remittit anno illo consuetum tributū, uenditis illis alijs pecoribus & armentis. Præterea ne uiatores & cursores in prouincijs Cathai errarēt, prospexit illis prudens imperator hoc consilio: Plantari fecit plurimas arbores, una ab alia modico distante interuallo, easq; iuxta uias sic constituit, ut iter agentibus seu digito ostendant ueram semitæ lineam. Quantum uero numerum pauperū hominum per totum annum nutriat, & de horreis suis frumentum & panes illis elargiatur, incredibile putabis si narrare perrexero: id tamen pro uero asserere possum, eum quotidie per totum annum circiter triginta millia pauperum

A perum pane pascere: nec ulli sinit frumentum negari panis. Quapropter à pauperibus quasi deus reputatur.

Qualis potus uini loco in prouincia Cathai fiat. CAP. XXV.

COnficiunt in prouincia Cathai potum optimum ex riso & uarijs aromatibus, qui suo sapore etiam uini excellit suauitatem. Et qui eo auidius potiuntur, quàm ratio equum esse iudicet, aut bibentis natura egeat, citius inebriantur quàm si uinum bibissent.

De lapidibus qui ut ligna ardent. CAP. XXVI.

PEr totam prouinciam Cathai ex montibus eruuntur lapides quidam nigri, qui in ignem missi ut ligna ardent & accensi aliquandiu ignem conseruant, ut si uesperi accendantur, per totam noctem uiuum ignem retineãt, Vtuntur aũt multi ijs lapidibus, quod lignorũ in quibusdã locis sit penuria.

De fluuio Pulisachniz & egregio ponte eius.

CAP. XXVII.

INdicauimus hactenus in hoc secundo libro situm, magnitudinem, & negociationẽ ciuitatis Cambalu, itemq; obiter scripsimus de magnificẽtia, pompa & opulentia magni Cham: nunc rerum ordo exposcit, ut finitimas quoq; regiones lustremus, & quid in illis uel fiat, uel inueniatur, breui sermone aperiamus. Igitur quum Cham magnus me Marcum ad remotas partes pro quodam regni suo negotio destinasset, quod quatuor mensium spatio me in itinere retinuit, omnia diligentius consideraui, quæ uel eundo, uel redeundo obtutibus meis occurrerunt: nam quum à ciuitate Cambalu itinere decem milliarium recessissem, inueni fluuium quendam magnum Pulisachniz nomine, in oceanum sese exonerantem, per quem naues multæ cum plurimis, mercibus ascendunt. Est autem in eo loco pons marmoreus pulcherrimus, B trecentos in longitudine continens passus, & in latitudine octo: arcubus uero seu fornicibus uiginti quatuor innitens, sculptis leonibus utrunque eius priorem marginem adorantibus.

De locis ultra fluuium Pulisachniz sitis. CAP. XXVIII.

TRansito fluuio & ponte, procedendo per milliaria triginta, continuo occurrunt castra, aliaq; elegantes domus: item uineæ electę, & agri fertiles. Sed finito itinere triginta milliarium peruenitur ad ciuitatem Geogui, quæ quidem magna est & pulchra, plurima habens monasteria idolorum. Fiunt ibi panni optimi, aurei & serici, itẽq; sindones mundissimæ. Habẽtur & multa communia hospitia pro aduenis & uiatoribus in illa ciuitate. Ciues autẽ sunt artifices & negotiatores. Extra hanc ciuitatẽ peruenitur ad biuiũ quoddam, cuius una uia ducit per prouinciam Cathai, altera uero uersus regionẽ Mangi ad mare. Ea quæ transit per prouinciã Cathai, habet ciuitates, castra, uiridaria, & optimos agros, in quibus multi quoq; sunt negotiatores & ingeniosi artifices: & homines illi multum sunt affabiles, & omnibus familiares.

De regno Tainfu. CAP. XXIX.

ITinere dierum decem à ciuitate Geogui confecto, peruenitur ad regnum Tainfu, quod quidem magnum est atq; cultissimum: nam sunt in eo uineæ multæ. In prouincia uero Cathai nullum crescit uinum, sed ab hac regione illuc defertur. Exercentur in hoc regno mercationes multæ, abundatq; artificibus, & omnia arma, quibus utitur Cham pro exercitibus suis, fabricantur in eo. Hinc uero progrediendo ad occidentalem plagam, uenitur ad regionẽ amœnissimam, castris multis & ciuitatibus cultam, in qua etiam mercimonia fiunt magna. Emenso hinc itinere septẽ dierum, peruenitur ad ciuitatem quandam prægrandem Pianfu nomine, in qua serici maxima est copia.

De castro Chincui, & rege eius ab hoste capto. CAP. XXX.

AB urbe Pianfu duæ sunt diætæ ad castrum quoddam elegantissimum, Chincui nomine, quod quidã Darius nomine extruxit, hostis magni illius regis, quẽ presbyterum Ioanem uocat. Est castrum illud adeò arte & natura munitum, ut præses eius Darius neminem metueret etiam potentissi-

mum regem: de quo plurimum circumiacentiũ prouinciarum præsides dolebant, ut hominem illum nemo unquam superare potuerit. Porrò habuit presbyter Ioannnes in aula sua septẽ iuuenes præfracti animi, qui iureiurando promiserunt illi, se Darium regẽ tradituros in manus illius. Qui uicissim illis multa bona pollicetur, si effectu id compleuerint. Illi igitur abeuntes ad curiam Darij ueniunt, obsequijsq́ illius se offerunt, dissimulata mentis malitia. Qui eorum minime timens aut obseruans calliditatem & uersutum animum, ut fideles ministros suo mancipauit obsequio. Factum autem est, ut illi per totum biennium id efficere nequiuerint, quod iam diu animo cõceperãt. Rex uero illis per omnia ut iam biennio probatis ministris confidens animi recreãdi gratia cũ illis & alijs paucis militibus quodam tempore extra castrũ per milliare unũ equitauit. Tunc proditores illi horã adesseputãtes, qua ex cogitatã malitiã publicarent, euaginatis super eũ gladijs captum duxerũt ad presbyterũ Ioannem, sponsioni suæ satisfacturi. Qui mirum in modum lætus effectus, deputauit eum ad custodiam animalium, optimeq́ custodiri iussit. Et elapso biennio, quo cum pastoribus rex captus uixerat, iussit eum presbyter Ioannes coram se regio apparatu decoratum adduci & alloquens dixit: Experimento nimirum nunc didicisti, quàm nihili fuerit potentia tua quãdo te in tuo regno capi feci, & per duos annos cum pecoribus deputaui: possem iam te, si uellem, occidere, nullus mortalium te eripere posset è manibus meis. Cui ille respondens ait: Verum ais, est ita. Tum rex Ioannes: Quia te adeo humiliasti, ut te nihil esse duxeris respectu mei, en uolo te deinceps agnoscere pro amico: & pro uictoria abũde satis mihi est, quòd potuissem, si uoluissem te occidere: traditisq́ illi equis & deputatis ministris cum honore fecit eum reduci ad castrum suum. Et ille quoad uixit, presbytero Ioanni honorem exhibuit, & iussis quibusq́ obediuit.

De fluuio quodam magno Caromoran nomine & adiacente regione.

CAP. XXXI.

TRansito itinere ultra castrum Chincui uiginti milliarium, peruenitur ad flumen Caromoram, quod ob nimiam latitudinem & profunditatem nullum habet põtem: fluit uero ad oceanum. Sunt in littore eius multę extructę ciuitates & castra, in quibus multę exercentur nundinationes. Abundat hæc regio zinzibere, serico & auibus, præsertim phasianis. Traiecto fluuio post duorũ dierum iter peruenitur ad nobilem ciuitatẽ Cianfu nomine, ubi de auro & serico pulcherrimi fiunt panni. Omnes incolæ huius ciuitatis & ferè totius prouinciæ Cathai idololatræ sunt.

De ciuitate Quenquinafu. CAP. XXXII.

VLtra uero procedendo per iter dierum octo, inueniuntur passim ciuitates & oppida multa, agri pulcherrimi et uiridaria. Abundat terra serico & uenationibus bestiarum atq; auium. Quod si ulterius alijs octo diętis progrediaris, perueniens ad ciuitatem grãdem Quenquinafu nomine, quę est regni Quenquinafu metropolis. Et regnum istud fuit olim opulẽtum & magni nominis. Hodie præest illi filius magni Cham Mangala nomine. Producit ea regio magnam copiam serici, & omnia ea quę ad hominis uitam cõseruandam sunt necessaria. Exercentur etiam in ea plurimæ nundinationes. Incolę idola colunt. Extra ciuitatem est regale palatium in planitie sitũ, in quo Mangala cũ aulicis suis uersatur. Est quoq; in medio ciuitatis palatiũ quoddam elegantissimum, ab intra parietes habens deauratos. Vacat rex cum aulicis suis uenationi animalium & capturę auium, quibus illa regio abundat.

De prouincia Chunchi. CAP. XXXIII.

REcedendo à dicta urbe & palatio itinere trium dierum itur per planitiẽ quandã pulchram, in qua ciuitates plures sunt & castra, & ubi abundantia est serici, usq; dum ueniatur ad regionem montuosam, ubi nedum in mõtibus, uerũ & in mõtium conuallibus inueniuntur ciuitates & castra, & sunt de prouincia Cunchi. Incolæ sunt idololatræ & terræ cultores. Sunt etiã in

ea regio-

A ea regione uenationes leonum, ursorum, ceruorum, capreolorum, damularum, & id genus animalium. Patet regio illa itinere uiginti dierum, habens montes, & ualles, atque nemora multa, sed ubique pro uiatoribus conuenientia inueniuntur diuersoria.

De prouincia Achalechmangi. CAP. XXXIIII.

IAm dictæ prouinciæ contigua est prouincia alia, nomine Achalechmangi, quæ est ad occidentalem plagam: & sunt in ea multæ ciuitates & castra: sed principalior regionis ciuitas uocatur Achalechmangi, & est cõfinis prouinciæ Mangi. Hæc prouincia itinere trium dierum planiciẽ habet, deinde sequuntur montes & ualles atque nemora, patetque itinere uiginti dierum, habens ciuitates multas & oppida. In cæteris rebus non differt à priori prouincia: nã habet negotiatores, artifices & cultores terrę: itemque uenatores multarũ syluestriũ animaliũ. Habet quoque animantia quæ muschũ producunt. Crescit in hac prouincia zinziber in magna copia, sicut & triticum atque risum.

De prouincia Sindinfu. CAP. XXXV.

PRiori prouinciæ cõtermina est alia prouincia Sindinfu nomine, quæ etiam cõtingit prouinciam Mangi. Huius principalior ciuitas est Sindinfu, quæ olim fuit magna & locupletissima, habẽs in circuitu uiginti milliaria. Habuit etiam regem ditissimum & potẽtem: qui quum tres reliquisset filios regni successores, trifariã diuiserunt ciuitatẽ, partes singulas proprijs cingentes muris, quæ tamen omnes intra priorẽ continebantur murũ. Magnus uero Cham ciuitatẽ illam & regnũ suæ subiecit ditioni. Per mediũ huius ciuitatis transit fluuius qui dicitur Quianfu, habẽs in latitudine dimidiũ milliare, & est profundus ualde atque piscosus. Positę sunt in ripis eius multæ ciuitates & castra. Ostia eius distãt ab hac urbe nonaginta dierũ itinere. Naues & merces per ipsum ascẽdunt in maxima multitudine & copia. Transit etiam pons lapideus per ipsum in ciuitate Sindinfu, habẽs longitudinẽ unius milliaris, & latitudinẽ octo passuũ. Et supra ipsum cõstruuntur mane uariæ do-
B munculæ, quę artificũ sunt officinæ, & sero iterũ deponunt. Est & alia super eum cõstructa domus, in qua manẽt regis ministri, qui à transeuntib. pedagia & uectigalia ẽxigunt. Vlterius uero procedendo per iter quinque dierum transitur per planiciem quandã, in qua sunt ciuitates, castra, et uillę multę, in quibus sunt syndones in magna copia. Reperiuntur etiã ibi animalia syluestria multa.

De prouincia Tebeth. CAP. XXXVI.

POst planiciem, de qua iam diximus, uenitur ad prouinciam Tebeth, quã magnus Cham expugnauit atque deuastauit: nam multæ in ea sunt ciuitates destructæ, & castra diruta. Patet autem in lõgum itinere uiginti dierum. Et quoniam omnino in solitudinem est redacta, habitatoribus carẽs, necesse est ut uiatores uictualia secũ ferant, quæ illis sufficiant per iter uiginti dierũ. Et postquam hominum habitatione cœpit destitui, feræ syluestres totam eã occupantes periculosum iter transeuntibus fecerunt, pręsertim noctu. Verũ contra hoc periculũ mercatores & alij uiatores tale excogitauerunt cõmentum. Nascuntur in regione illa maximæ arundines, quę habent in longitudine passus quindecim: crassitudo uero in gyro tribus mensuratis palmis. Porrò inter duos uiciniores nodos distantia est trium palmorum. Itaque quando uiatores noctu uolunt quiescere, accipiunt fasces magnos de illis arundinibus, & in unam ponunt congeriem, subiectoque igne succendunt. Quæ igne correptæ incipiunt crepitare, tantusque in eis excitatur stridor & fragor, ut eminus ad aliquot milliaria audiri possit. Quem terribilem sonitum animalia audientes, obstupescentes fugiunt tamdiu, donec crepitus ab auribus eorũ euanescat, illisque sic elusis mercatores & uiatores tuti pertranseunt prouinciam illam. Porro equi & alia iumenta, quibus mercatores pro itinere utuntur, hoc audito strepitu plurimum inhorrescunt, & multa in fugam conuersa dominis suis elapsa sunt: sed prudentiores uiatores pedes eorum compedibus ligantes, ui quadam ea secum retinent, ne territa aufugiant.

De regione alia Tebeth, & turpi eius consuetudine CAP. XXXVII. A

PEracto itinere uiginti dierum, transitaq; prouincia Tebeth, occurrunt ciuitates & uillę plurimę, in quibus idololatriæ occasione pessima inoleuit cõsuetudo: nam nullus uir ibi ducit uxorem uirginem, sed si quam ducere instituit, necesse est ut prius à multis uiris sit cognita: aiũt enim mulierem non esse coniugio aptam, nisi prius fuerit stuprata. Vnde quando uiatores & aduenę aliunde uenientes hãc transeunt regionem, & quietis gratia tabernacula sua ponunt, mulieres eius loci habentes filias nubiles, ducunt illas ad peregrinos, aliquando uiginti, quandoq; triginta aut plures iuxta numerum mercatorum seu aduenarum, rogantes eos, ut quilibet unã è uirginibus sibi associet, atq; concubitu eius fruatur quàm diu illuc manserint. Illi igitur matronarum precibus uicti, deligũt sibi ex puellis quas uolunt, & matrimonio aptiores reddunt. Et quum recedere uolunt, nullam secum abducere permittũtur, sed parentibus fideliter restituunt. Exigit etiam puella ab eo qui eam deflorauit, iocale aliquod, seu munusculum, quod ostendere possit ceu argumẽtum suæ deflorationis. Et quæ à pluribus uiris fuit amata atq; corrupta, & multa habuerit talia iocalia quæ ostendat procis, hæc nobilior habetur, faciliusq; & honorificentius maritari potest. Et quãdo honorifice uult incedere, suspẽdit ad collum omnium amatorum insignia: quantoq; pluribus fuit grata, tanto maiori honore digna iudicatur. Sed quãdo cum maritis nuptias inierint, iam non permittũtur amplius extraneis uiris copulari, sed mariti suis fidem seruare coguntur. Et plurimum cauent huius regionis uiri, ne in hac re alterutrum se offẽdant. Idololatræ sunt atq; crudeles homines, pro nullo reputantes peccato, si prædentur & latrocinia exerceant. Viuũt de uenationibus atq; fructibus terræ. Inueniuntur etiam apud eos multa animantia quæ muschũ producunt, quæ Gadderi uocantur. Venantur incolæ huiusmodi animalia canibus, abundantq; muscho. Linguam habent propriam atq; peculiarem monetam, & pellibus induuntur bestiarum, aut canabeo rudi. Pertinet hæc regio ad prouinciã Tebeth: nam est Tebeth latissima prouincia, diuiditurq; in octo regna, habens ciuitates & oppida multa. Terra montuosa est, suntq; in ea loca quædam, atq; quidam fluuij in quibus aurum inuenitur. Vtuntur quoq; ibi corallio pro moneta: nam est is lapis apud eos in magno pretio, & omnes fœminæ deferunt eum ad collum, appenduntq; ipsum quasi rem speciosam ad colla idolorum. Sunt in hac regione canes maximi, asinis æquales, qui syluestres capiunt bestias. Habent etiam falcones, & alias aues uenaticas. Crescunt apud eos in magna copia cinamomum & alię species aromaticæ. Subiecta est prouincia ipsa magno Cham. B

De prouincia Caniclu. CAP. XXXVIII.

PRouinciæ Tebeth, adiacet ab occidente prouincia Caniclu, quę regẽ habet, sed qui tributarius est magno Cham. Est ibi lacus in quo tãta est margaritarũ copia, ut pretiũ earũ omnino uilesceret, si pro hominũ libito asportari permitterentur. Vnde sub capitis pœna cautũ est, ne ullus in hoc lacu piscari margaritas absq; magni Cham indulto præsumat. Sũt quoq; in hac prouincia animãtia Gadderi, qui muschũ ferunt in magna abũdantia. Scatet etiam lacus ille, qui margaritas in tanta copia nutrit, piscibus: & tota terra plena est syluestribus bestijs, puta leonibus, ursis, ceruis, damulis, lyncibus, capreolis, & diuersis auiũ speciebus. Vinũ nõ crescit in ea, sed loco eius potũ optimũ cõficiũt ex tritico, riso, & alijs uarijs speciebus. Inueniũtur ibi gariophylli in magna copia qui colligũtur ab arborib. quæ habẽt ramusculos paruos, atq; albũ florem, ex quo natũ pirũ loco grandi habet gariophyllũ. Crescit deniq; ibi zinziber in magna copia, cinamomũ & alię uarię aromaticę species, quæ ad regiones nostras non deferuntur. Inueniuntur etiam in montibus huius regionis lapides qui Turchisi nominãtur, pulchri ualde, sed qui hinc absq; licentia magni Cham auferri non possunt. Incolæ huius terræ idola colunt, à quibus adeò sunt dementati, ut putẽt eorum promereri gratiam, si uxores

A si uxores suas & filias uiatoribus abutendas prostituant. Nam quum peregrinus quispiam ad eos hospitij gratia diuertit, confestim paterfamilias uxorē filias, & reliquas mulieres quæ in domo eius sunt conuocat, mandatq; ut hospiti & socijs eius per omnia obediant: & ipse recedens peregrinum et comites eius in domo sua relinquit, nec redit donec illic abierint. Et peregrin⁹ interim quo illo fruitur hospitio, suspendit pallium suum, aut aliud signum ante fores illius domus: & quādo paterfamilias redit, atq; per signū illud animaduertit hospitē nondum discessisse, non intrat domum suā, sed iterū abit, foris expectaturus donec ille emigrauerit. Et in hūc modū potest peregrinus duobus aut tribus diebus illo uti hospitio. Et obseruatur consuetudo ista per totam illam prouinciam Ganiclu, nec quisquā putat sibi illud esse dedecori, si peregrino uxoris suæ aut filiæ copiam fecerit, quod in deorum facit gloriā sperās illos sibi magis propitios futuros. Moneta eorum sunt uirgulę quędā aureæ, certum habentes pondus, & iuxta pondus uirgulæ est ualor monetę. Et hæc quidem est moneta maior. Habent etiam minorem, quam hoc modo faciunt. Coquunt sal in caldario, & postea faciūt ex eo in formellis massulas paruas, quas consolidatas pro moneta exponunt. Relicta hac prouincia proceditur itinere decem dierum, & interim occurrūt castra & pagi multi, quorum incolæ easdem habent consuetudines quas prouincia Caniclu, tandemq; peruenitur ad flumen quod Brius uocatur, ad quod prouincia Caniclu terminatur. Inuenitur autem in hoc flumine aurum in magna copia, quod Paglola dicitur: & in ripis eius crescit cinamomum in maxima abundantia.

De prouincia Caraiam. CAP. XXXIX.

TRaiecto flumine Brio peruenitur ad prouinciam Caraiam, quæ septem continet regna. Subiecta est autem magno regi Cham, cuius filius Esentemur nomine, meo tempore regno illi præfuit. Incolæ eius sunt idololatrę.
B Nutrit regio equos optimos: habet etiam linguā propriā & difficilem. Metropolis eius uocatur Iaci, & est ciuitas magna & insignis, in qua multę fiūt nundinationes. Habitant ibi etiam pauci Christiani, Nestoriani, & plurimi Mahumetani. Habent triticum & risum multum, licet triticeo nō uescantur pane, quum hunc digerere sine stomachi afflictione nequeant, sed ex riso panem conficiunt. Faciūt quoq; potum ex uarijs speciebus, sed qui eos facilius quàm uinum inebriat. Vtuntur pro moneta lapillis quibusdam aureis & albis, qui in mari reperiuntur. Fit in hac ciuitate sal plurimum ex aqua puteorum, de quo rex magnum habet emolumētum. Sunt uiri in hac regione adeò stupidi & stolidi, ut non curent si quispiam accedat ad uxores suas, modo illæ assensum præbuerint. Est etiam illic lacus ualde piscosus, centum in gyro complectens milliaria. Edunt homines illi carnes crudas, sed hoc modo paratas. Primo terunt illas minutatim, deinde condiunt eas oleis odoriferis atq; optimis speciebus, & sic deuorant.

De regione quadam in prouincia Caraiam sita, in qua sunt maximi serpentes. CAPVT XL.

DIscedendo à ciuitate Iaci peruenitur ad regnum aliud, emenso scilicet decem dierum itinere, cuius metropolis dicitur Caraiam, cui præsidet Cogracam filius Cublai imperatoris. Et ab hac urbe tota illa regio denominationem hebet. Suppeditāt ibi flumina plurimum auri, quod Paglola nominatur. Inuenitur quoq; in lacunis & montibus aurum, sed quod alterius est speciei. Incolæ sunt idololatræ. Nascuntur in hac regione serpētes maximi, quorum quidam in longitudine cōtinent decem passus, & in complexu grossiciei decem palmos. Aliqui ipsorum prioribus carēt pedibus, quorum loco ungulas habent in modum ungularum leonis aut falconis. Caput ipsorum est magnum, & oculi prægrandes, ut duorum panum adæquent quātitatem. Os & rictum habent tam amplum, ut hominem deglutire ualeant. Dentes quoque magni & acerrimi rictui illi tam horrendo non desunt. Nec est homo aliquis, aut aliud animal, quod sine terrore serpētes illos aspicere, ne dicā adire possit.

possit. Capiuntur uero in hunc modum: Solet is serpens interdiu latitare in cauernis subterraneis, aut alijs specubus in montibus uel petris repertis: nocte uero egreditur, circumiens terram, & potissimum aliorum animalium lustrat latibula, quærens cibum quem deuoret: nec formidat ullius bestiæ genus: deuorat enim bestias magnas & paruas, leones & ursos: & ubi uentrem exaturauerit, redit ad speluncam suam. Et quum terra illa admodum sit sabulosa, mirum est quantam foueam corporis sui pondere in arenam imprimat: putares dolium aliquod uino plenum per sabulum uolutatum. Venatores itaque beluæ insidiantes, interdiu figunt multos palos in sabulum, fortes & acuto ferro in superiore extremitate dentatos, & hos sabulo tegũt, ne à serpẽte uideri possint: multosq; passim terræ infigunt, præsertim ubi in uicino norunt beluam latitare. Et quando nocte solito more progreditur, ut escam sibi quærat, & molem corporis sui per cedẽtem arenam reptando & trahẽdo mouet, fit aliquando, ut pectus in latentem sudem ferro acuminatam uiolenter immergat, & seipsum interficiat, aut graui læsione sauciet: & tunc latentes uenatores accurrentes beluam interficiunt, si adhuc uiuit, & fel extrahunt. quod magno uendunt pretio: nam est medicinale: unde qui à rabido cane læsus fuerit, si uel modicum, quantum est pondus unius denarij, de illo biberit, statim sanatur. Et mulier in partu laborans si uel tantillum de hoc felle gustauerit, acceleratur partus eius. Sic qui hęmorrhoidam aut ficum anus sustinuerit, & locum illum secretum hoc perunxerit felle, post paucos dies à morbo liberatur. Carnes uero illius serpentis uẽdunt in cibum. nam libenter uescuntur ea homines. Abũdant quoq; in hac prouincia equis optimis, & qui à negotiatoribus in Indiam mercatus gratia ducuntur. Incolæ uero solent illis equis auferre de osse caudæ nodos duos uel tres, ne equus currẽs sessorẽ cauda feriat, & ne caudam nunc huc, nunc illuc flectere possit: nã turpe hoc iudicant. Vtuntur in bello scutis & armamentis de corio bubalorum factis, & sagittas atque lanceas omnes intoxicãt. Et priusquam magnus Cham Cublai hanc prouinciam suæ subiecisset ditioni, præualuerat apud eos ista detestanda cõsuetudo, ut quum uir aliquis exteræ nationis bonis adornatus moribus, prudens in uerbis & factis, & omni honestate cõspicuus apud eos hospitaretur, occidebant eum nocte, putãtes quòd mores, prudentia, honestas, gratia, imò anima uiri illius in domo illa deinceps manerent. Et hæc perfidia seu discredulitas, effecit ut plures uiatores illo loco occisi fuerint, Verũ magnus Cham ut regnum illud suo subiugauit dominio, eliminauit impietatem illam, & summam illam stultitiam.

Crudelitas in hospites.

De prouincia Arcladam. CAP. XLI.

EVntibus nobis de prouincia Caraiam, post quinq; diætas occurrit prouincia Arcladam, quæ etiam paret magno Cham. Metropolis eius uocatur Vnchiam. Vtuntur incolæ eius pondere auri pro moneta: nam argentum in regione illa & multis alijs circumiacẽtibus regionibus minime inuenitur. Qui autem argentum aliunde important, hi commutant illud pro auro, & multum lucrantur. Potu factitio utuntur, ex riso & aromatibus confecto. Viri & mulieres regionis illius dentes cooperiunt subtilibus laminis aureis, quas sic illis adaptant, ut dentes ipsi in laminis quadammodo sedere uideantur. Viri omnes militarem edocti sunt artem, quippe qui soli militiæ & uenationi bestiarum atq; uolucrum intenti sunt. Mulieres uero domus curã gerunt, habentes seruos emptitios, qui eorum mancipati sunt obsequijs. Est quoq; in hac prouincia cõsuetudo, ut quum mulier pepererit, quàm cito poterit, lectum deserit, surgensq; gubernationi domus intendit: & tũc maritus eius decumbit lecto quadraginta diebus, nati infantis curam gerens. Mater uero aliud nihil circa infantem agit, nisi quòd lac illi sugẽdum præbet. Et amici atque consanguinei interim uisitant uirum illum decumbentem non secus quàm hic puerperæ uisitantur. Aiunt enim mulierem, quum uterum gestaret atque euacuaret, longo tempore grauiter afflictam, & nunc conue-

Vir puerperus

niens

A niens esse, ut diebus quadraginta ab infantis cura & labore quiescat, affert tamen uiro cibum ad lectum. In hac prouincia idola alia non sunt, nisi quòd quælibet familia progenitorem suum adorat. Habitant plerunque in locis syluestribus atque montanis. Ad montes autem illos extranei non accedũt, quia aërem qui ibi corruptus esse censetur, ferre non possent. Literas non habent, sed contractus suos & obligationes faciunt per tesseras, quarum medietatem seruat unus, & aliam alius: quæ postea in unum collatæ, signis cõuenientibus adhibitis, rei causam exponunt. Non sunt in hac prouincia medici, sicut nec in Canidu & Caraiam: sed quum quis infirmatur, conuocat magos seu idolorum ministros, & illis exponit ægrotus morbum suum: tunc magi choream agunt, instrumenta quædam sonant, & in honorem deorum suorũ magnos reboant cantus, donec tandem unus ex eis in chorea saltantibus & ludentibus à dæmone corripiatur. Tunc chorea relicta, arreptitiũ in terra iacentẽ cõsulunt, ex qua causa id morbi illi acciderit, quidq; pro ipsius liberatione sit agendũ. At dæmon per arreptitium respõdet: Quia id uel illud fecit: aut, quia hunc uel illum offendit deum, ideo in hunc incidit morbũ. Tũc magi orant ut deus illi noxam illam remittat, promittentes ægrotum illũ si conualuerit, de sanguine suo proprio sacrificium oblaturũ. Quòd si dæmoni uideatur infirmum tali laborare morbo, ut hinc liberari non possit, respondere solet: Iste tam grauiter deum illũ offendit, ut per nulla sacrificia placari possit. Et si à morbo conualiturus sit, iubet ut tot arietes, nigra habentes capita offerat, tot etiã & tales paret potiones, tot ad se conuocet magos, totidemq; magas, per quorum manus sacrificiũ offeratur, & tũ placetur illi deus. Quo audito, consanguinei eius cito curant illa fieri quę demon iussit: occidũt arietes & sanguinem ipsorum in cœlũ spargũt, conuocatiq; magi cum sagis suis, accendunt luminaria magna, & domum totam thurificando suffumigãt, sed & fumum de lignis aloës faciunt, atq; ius carnium in aëra spargunt unà
B cum potione de aromatibus confecta: quibus omnibus rite peractis, in chorea rursum saltant in honorem illius idoli, quo infirmo putatur propitiũ factum, cantant & horribiliter uocibus suis strident. His factis, interrogant rursum arreptitium, num per hæc idolum sit placatum. Si respondet nõ, confestim parant se ad implendum aliud eius mandatum. Si autem respondet sibi satis factum, phanatici & incantatores sedent ad mensam, & carnes idolo immolatas comedunt cum magna lætitia, & bibunt confectiones quas in dæmonum sacrificio libauerunt. Et finito prandio quisq; ad sua redit. Et quum æger ex diuina prouidentia sic morbum euaserit, & incolumitati restitutus fuerit, id cæci homines non uero deo, sed dæmoni gratum ferunt.

De prælio magno quod fuit inter Tartaros, & regem Mien

CAP. XLII.

ANno domini M.CCLXXXII. magnũ est ortum bellum propter regnũ Caraiam, cuius præcedẽti capite meminimus, & regnum Botiã: nã misit magnus Cham unum de principibus suis Nescordim nomine cum duodecim equitum millibus, qui prouinciã Caraiam à qualibet tutarentur infestatione. Erat autem dictus Nescordim uir prudens & strenuus, habebatq; sibi adiunctos milites probos & bellicis rebus assuetos. Horum aduentum ut audierunt rex Mien & rex Bangala, perterriti sunt plurimum, putantes quòd ad regna eorum expugnanda uenissent. Et conuocantes militias suas coadunauerunt equites & pedites circiter sexaginta millia, elephãtos aũt duo millia, castra gestantes, & in quolibet castro erant positi duodecim uiri armati, aut quindecim, aut sedecim. Cũ hoc exercitu properauit rex Mien uersus ciuitatẽ Vociã, ubi quiescebat Tartarorum exercitus, & per tres dies in campestribus illis quietus mansit. Audiens uero Nescordim tantum contra se uenisse exercitũ, plurimũ timuit: tametsi metũ illum omnino dissimularet. Roboratus est nõnihil animo, quòd sciret se in suo exercitu habere uiros fortes & strenuos bellatores. Egressus itaq; uirili animo ut pugnaret contra hostẽ,

castra posuit contra nemus quoddam magnum, quod proceras & maximas habebat arbores, non nescius quod elephanti cum turribus seu castris illis portatilibus nemus ingredi minime ualerēt. Tunc Mien rex audiens adesse Tartaros, contendit occurrere illis. Tartarorum uero equi elephātos adesse sentientes, quippe qui in prima acie cōstituti erant, tanto terrentur pauore, ut nulla ui, aut ullo ingenio potuerint à suis sessoribus contra elephantos excitari. Coguntur igitur Tartari ab equis descendere, illisq; ad nemoris arbores ligatis, pedestres contra elephantos pugnaturi ueniunt. Et quoniam in prima acie omnes milites balistas habebant, & sagittis iaciendis assueti erant, tantam sagittarum uim in hostem torquent, ut elephanti uulnerati, & sagittarum ictus minime ferre ualentes, fugā arriperent, omnesq; rapido cursu uersus nemus proximum contenderent. Rectores uero eorum quum summa ui illos in hostem arcere mollirentur, incassum laborauerunt: nam dispersi sunt huc atq; illuc, & ingressi nemus portatilia castra ruperunt, & armatos uiros in illis sedentes deiecerunt: Quod uidentes Tartari currunt ad equos suos, illisq; conscensis cum magno impetu irruunt in acies regis. Hostis uero territus, quòd elephantorum dissipata esset acies, quantum potuit manu se defendit. Et quum utrinque atrociter pugnarent, atq; multi de utroq; caderent exercitu, rex Mien cum suis tādem in fugam uersus, Tartaris insequentibus & plurimos adhuc interficientibus uictoriam reliquit. Quibus superatis Tartari in nemus properant, atq; elephantos capere conantur: uerum illis fugientibus nullum cepissent, nisi inter captiuos quidā illis auxilio fuissent. Ceperunt autem circiter ducentos. Ab hoc prælio & deinceps cœpit magnus Cham uti elephantis in exercitu, quos prius ad hoc assuetos officiū non habuit. Paulò pòst deuicit idem magnus Cham terras regis Mien, suoq; subiugauit imperio.

De regione quadam syluestri, & prouincia CAP. XLIII.

RECEDENDO à prouincia Caraiam peruenitur ad descensum quendam, in quo ferè per tres dies itur in præceps, nec est ibi ulla habitatio, etiamsi sit latissima quædam planicies, in quam tribus diebus per hebdomadam multi conueniunt homines mercandi gratia. Descendunt multi de magnis regionis illius montibus, aurum secum deferentes quod pro argento commutāt, nempe unam auri unciam pro quinq; argenti uncijs dantes: unde de exteris nationibus multi illuc ueniunt negotiatores, qui argentum afferentes aurū asportant. Ad montes uero illos excelsos, in quibus illi cum magna securitate habitant qui aurum in regione illa colligunt, nemo extraneorum uenire poterit, quum iter illud inuium sit, & adeò perplexum, ut potius teipsum perderes, quàm abscōditos inuenires homines. Post hæc uenitur ad prouinciam Mien, quæ à meridie confinis est Indiæ, & hęc maxima habet loca syluestria & nemorosa, in quibus innumeri discurrunt elephanti, unicornes, atq; aliæ feræ agrestes, sed nulla ibi est habitatio humana. B

De ciuitate Mien & sepulchro regis, CAP. XLIIII.

ITINERE peracto quindecim dierum peruenitur ad ciuitatem quæ uocatur Mien, & hæc magna est atq; nobilis, quippe quæ caput est regni, magno subiecta Cham. Habitatores eius linguam propriam habent, & sunt idololatræ. Fuit in hac ciuitate rex prædiues, qui moriturus iussit sibi parare sepulchrum in hunc modum: In quolibet capite seu angulo monumenti fieri iussit turrim unam marmoream altitudinis decem passuum, spissitudinis iuxta proportionem altitudinis seruata. In cacumine uero turres illæ rotundæ fieri iubebantur, atq; una earum undiq; auro cooperiri. Super cacumen uero turris multæ suspendi debebant aureæ campanellę quæ ad flatum uenti sonum quendam redderent. Alia aūt turris argento debebat operiri, habens in sua sumitate campanellas argenteas, quæ similiter tinnitum ederent flante uento. Hoc sepulchrum fieri iussit pro honore nominis sui, & ut memoria sua apud homines nunquam interiret. Et quum magnus Cham sibi subijceret hāc

prouin-

A prouinciam Mien, noluit ut exercitus uiolaret sepulchrum illud, quod rex ille fecerat ad honorem, nominis sui: nam est mos Tartarorum, ut non præsumant uiolare ea quæ spectant ad pietatem defunctorum. Sunt in hac prouincia multi elephantes, boues syluestres magni & pulchri, cerui et damulę, aliaq; diuersarum specierum animalia syluestria.

De prouincia Bangala, CAP. XLV.

BAngala prouincia à meridie confinis est Indiæ, quam magnus Chã nõdum subegerat, quum ego in curia illius uersarer, sed adexpugnandum exercitum miserat. Habet regio regem proprium atq; propriam linguam. Incolę eius sunt omnes idololatrę: uescuntur carne, riso & lacte: habent bombicem in magna copia, & gratia illius multæ & magnæ fiunt ibi nundinationes. Abundant etiam spico, galãga, zinzibere, saccaro, & alijs diuersis aromatibus. Sunt quoq; ibi maximi boues, qui crassitudine, sed non altitudine elephantos æquant. Fiunt in hac prouincia multi eunuchi, qui postea negotiatoribus uenduntur, distrahendi in diuersas prouincias.

De prouincia Cangigu, CAP. XLVI.

POst memoratam prouinciam orientem uersus sequitur prouincia Cangigu, quæ proprium habet regem, atq; propriam linguam. Incolæ eius idola colunt, & sunt tributarij magno Cham. Rex eorum habet circiter trecentas uxores, Inuenitur in ista prouincia aurum multum, & multa aromata, sed quæ nõ facile distrahi possunt, quum regio ipsa longe dissita sit à mari. Sunt quoq; in ea elephanti multi, & uenationes multarum ferarum. Incolæ eius uiuunt de carnibus, lacte & riso. Vino carent, sed de riso & aromatibus potum conficiunt bonum. Solent tam uiri quàm mulieres pingere acubus facies suas, colla, manus, uentres & crura, facientes imagines leonũ, draconũ, & auium, adeoq; eas impressas firmant, ut non facile aboleri possint: & quo quis plures huiusmodi habuerit imagines, eo pulchrior æstimatur.

B De prouincia Amu, CAP. XLVII.

AMu prouincia ad orientalem sita plagam, magno subiecta est Cham, cuius incolæ idola incolunt, habentq; linguam propriam. Abundant gregibus animalium, habentq; copiam uictualium, & equos multos, eosq; optimos, quos negotiatores in Indiam ducunt. Habent quoq; bubalos multos & boues, quia sunt illic pascua delicata. Tam uiri quàm mulieres gestant in brachijs monilia aurea & argentea magni ualoris.

De prouincia Tholoman. CAP. XLVIII.

PRouincia Tholoman distat ad orientem ab Amu itinere dierum octo subiecta magno Cham, habens linguam propriam, & idola colens. Viri & mulieres eius sunt elegantis formæ: tametsi bruno sint colore. Terra cultissima est, castra & ciuitates habens multas & fortes. Viri in armis sunt exercitati, & ad bella assueti. Mortuorum suorum corpora comburunt, & ossium reliquias capsæ includentes, in cauernas montium recondunt, ne uel ab homine, uel à bestia tangi possint. Aurum est ibi in magna copia, & loco monetæ utuntur auri glebis in mari repertis.

De prouincia Gingui. CAP. XLIX.

A Prouincia Tholoman ducit iter uersus oriẽtem ad prouinciam Gingui, iturq; duodecim diebus iuxta fluuium quendam, donec perueniatur ad ciuitatem grandem Sinuglu. Subiecta est regio magno Cham, & sunt incolæ eius idololatrię addicti. Parantur in hac prouincia panni elegantes de corticibus arborum, quibus æstate induuntur. Sunt in ea plurimi leones, ut etiã præ timore eorũ nullus audeat noctu extra domos dormire: nam quoscunq; inueniunt lacerant atq; deuorant. Naues quæ ascendunt & descendunt per flumen, propter leonum metum ad ripam non ligantur, sed in medio fluminis ancoris eiectis retinentur, alioquin leones noctu naues ingrederentur, & quicquid uiuum in eis reperirent deuorarẽt Et licet leones illi sint magni & feroces, sunt tamen in eadem regione canes tam audaces & fortes, ut non ue

reantur leones inuadere. Et sæpe fit ut duo canes & uir sagittarius equo insidens leonem sternant: nam quum canes leonem adesse sentiunt, magno latratu eum inuadunt: præsertim quando sciunt se hominis auxilio fultos, nō desinunt mordere leonem in partibus posterioribus atq; cauda: & licet leo sæpe rictum illis minetur, huc illucq; se uertens, ut illos dilaceret, tamen canibus magna cautela sibi prouidentibus, non facile ab eo læduntur, præsertim quū insequens eques tunc leoni iaculum infigere studeat, quādo canes trucidare conatur. Fugit tamen leo, metuens ne propter canum latratum alij quoq; canes & homines prouocentur in eum: & quum arborē apprehendere potest, illico confugit ad eam, & ceu tuto fortalitio ea fruitur à tergo, uersoq; rictu contra canes, tota ui se tutatur contra illos. Vir autem eques appropians nō cessat iaculari leonem, donec interficiat: nec aduertit leo iaculantis ictus, donec ruat: usqueadeò faciunt canes illi negotium. Abundat regio ista serico, quod per mercatores ad diuersas portatur prouincias.

De ciuitatibus Cacausu, Canglu & Ciangli. CAPVT L.

RECedendo à prouincia Gingui, plures passim occurrunt ciuitates & castra: & ubi absolueris iter quatuor dierum, offert sese Cacausu nobilissima ciuitas, quæ prouinciæ Cathai annumeratur, sita ad meridiem, & serico abundans, unde pretiosi fiunt panni atq; sindones, auro illis intertexto. Ab hac ciuitate tres numerantur diætæ uersus meridiem ad ciuitatem aliam magnam, Canglu nomine, quæ sale abundat: nam est terra illa salsissima, & ex ea eliciunt sal hoc pacto: Congerūt terram in modum collis, & superfundentes aquam, quæ salsuginem terræ attrahat, eam iterū sub congesto colle hauriunt, & tam diu iuxta ignem coquūt, donec in salis coaguletur densitatem. Vltra ciuitatem Canglu itinere quinq; dierum est ciuitas alia Ciangli nomine, per cuius mediū transit fluuius magnus, nauibus mercibus oneratis commodissimus: nam est illic emporium insigne.

De ciuitatibus Tadinfu & Singuimatu. CAPVT LI.

VLterius procedendo post diætas sex uersus meridiem peruenitur ad ciuitatē magnam Tadinfu, quæ regem propriū habuit, priusquam subijceretur magno Cham: & habet quadraginta ciuitates iurisdictioni suæ subditas, quæ omnes elegantissima habent uiridaria. Rursum eundo uersus meridiem, absolutis tribus diætis, peruenitur ad aliam insignem ciuitatē Singuimatu nomine, ad quam à meridie magnus quidam currit fluuius, qui à loci incolis in duos diuisus riuos, partim ad orientē uersus Mangi, & partim ad occidentē uersus Cathai fluit. Per hos riuos innumeræ nauiculæ cum mercibus adducuntur. À Singuimatu si uersus meridiem duodecim diætis contendas, continue occurrunt ciuitates & oppida, in quibus nundinationes multę fiunt. Incolæ harum regionum sunt idololatræ, magno Cham subiecti.

De fluuio magno Caromoran, & ciuitatibus Corgangui & Caigui.

CAPVT LII.

PRiore continuato itinere peruenitur ad flumen magnum Caromoran nomine, quod ex regno presbyteri Ioannis fluere dicitur. Occupat in latitudine spatium unius miliaris: profunditas uero eius est tanta, ut oneratæ naues per ipsum ascendere & descendere queant: abundat etiā piscibus. Haud longe ab ostio huius fluminis, ubi scilicet ruit in oceanum, sunt circiter quindecim millia nauium, quas illic instructas habet magnus Cham, ut si necessitate ingruente nauigandum sit ad insulas maris, exercitus per paratas naues facile adduci possit. Harum nauium plurimæ sunt tam magnæ, ut quindecim ferre possint equos, ac eorum sessores, cum uictu & pabulo illis & istis necessario. Nautæ uero circiter uiginti sunt in qualibet naui. Porrò iuxta stationē illarum nauium duæ sunt ciuitates iuxta fluminis sitæ ripam, quarum una dicitur Corgangui & alia Caigui. Traiecto uero illo flumine, mox uenitur in nobilissimam prouinciam Mangi, cuius præconiū explicabitur in sequentibus capitibus.

A

De prouincia Mangi, & pietate atq; iustitia regis, CAP. LIII.

HAbuit prouincia Mangi, regem quendam Facfur nomine, diuitẽ & potentem, quo præter magnum Cham nullus in regionibus illis maior inueniebatur. Regnũ eius fortissimũ erat, & inexpugnabile putabatur, ut nemo ipsum inuadere præsumpserit. Vnde factum est, ut tam rex quàm populus bellorum & armorum usum & exercitium amitterent. Erãt singulę ciuitates foueis atq; fossatis latissimis aqua redundantibus cinctæ. Carebant equis, quia neminem timebant. Hincq; factum est, ut rex genio plus æquo indulgens, delicijs frueretur cõtinuis. Alebat domi circiter mille domicellos, & aliud satellitium magnum & honorificum habuit. Fouebat tamen iustitiam, conseruabat pacem, & diligebat misericordiam. Nemo audebat proximum offendere, & fraternam pacem interturbare, alioquin pœnam luisset. Tanta erat in regno illo concordia, ut artifices sæpe noctu dimitterent officinas suas apertas, & tamen nemo præsumeret intrare. Viatores & peregrini tutissimi per totum illud regnum ambulabant die ac nocte, nullum metuentes hominem. Erat quoq; rex ipse pius & misericors in pauperes, & non deserebat eos qui necessitate premebantur, aut penuria laborabant. Colligebat præterea singulis annis pueros & infantes à matribus suis abiectos, aliquando circiter uiginti millia, & eos sumptibus suis nutriri faciebat: nam in regione illa pauperes mulieres communiter à se abdicant atq; abijciunt proprios natos, ut ab alijs collecti ęnutriantur. Rex tamen infantes, quos sic colligi iubet, tradit diuitib. quibusq;, quos in regno suo habet: pręsertim illis q liberis carent & ut in adoptionis suscipiãt filios mãdat. Eos uero quos ipse nutrit, matrimonio tradit puellis eiusdem cõditionis, quas scilicet, in pueritia à parentib. reiectas colligi fecit, & cõmodũ suppeditat uictum unde uiuant.

Quomodo Baian princeps exercitus magni Cham expugnauit prouinciam Mangi. CAP. LIIII.

B

ANno ab incarnatione domini M.CCLXVIII. magnus Cham Cublai inhians prouinciæ Mangi, hoc modo eam expugnauit, atq; suo subiecit imperio. Misit exercitum maximum ex equitibus & peditibus conflatum, illiq; ducem præfecit Baian Chinsan, quod sonat, lumina centum oculorũ, quasi Baian centum habens oculos. Hic itaq; cum exercitu suo ad prouinciam Mangi perueniens, primo obsedit ciuitatẽ Conigangui, & ut imperatori suo obedientiam polliceretur postulauit. Quibus id recusantibus, recessit, nulla ciuitati illata iniuria: atque idem requisiuit à secunda ciuitate. Qua similiter recusante, processit ad tertiam, & deinde ad quartam & quintam, & ab omnibus simile accepit responsum. Sextam uero aggressus est ciuitatem cum audacia multa: & hac ui expugnata contra alias processit, breuiq; tempore duodecim obtinuit ciuitates: nam habuit in exercitu uiros strenuos & fortes, optimosq; bellatores. Ad hoc misit magnus Cham post illum exercitum, alium grandem priore non infirmiorem: sicq; factum est ut contremuerint corda uirorum Mangi, atq; dissoluerentur. Baian uero mouit exercitum contra Metropolim Quinsai, ubi curia erat regis Mangi. Rex itaque Mangi uidens Tartarorum audaciam & fortitudinem, uehementer expauit, conscensaq; naui cum maximo comitatu ad insulas quasdam inexpugnabiles se recepit habens secum circiter mille naues, commitens reginæ custodiam ciuitatis Quinsai, atq; magnum in eam collocans præsidium. Regina uero uirilem induens animũ prudenter se gessit, atq; nihil eorum omisit, quę ad ciuitatis defensionem necessaria uidebantur. Et quum audiret ducem exercitus Tartarorum uocari Baian Chinsan, id est, centum oculi plurimum territa est elanguitq; uirtus eius: præsertim quum audisset ab astrologis suis atq; magis, ciuitatem Quinsai à nullo expugnandam, quàm ab eo qui centum haberet oculos. Et quoniam cõtra naturam esse uidebatur, ut quispiam hominum centum haberet oculos, & ducis illius nomen præsagio quadraret, fato nolens repugnare, uocato duce exercitus Tartarorum, tradit illi li-

bere ciuitatem & regnum. Quo audito, totius regni ciues & incolæ ad magni Cham defecerunt obedientiam, excepta ciuitate una Sanifu nomine, quæ per triennium ad deditionem cogi nō potuit. Regina uero migrauit ad curiam magni Cham, maximoque ab illo suscepta est honore. Vir autem eius rex Mangi in insulis perseuerans, residuum uitæ in illis consumpsit.

De ciuitate Conigangui. CAP. LV.

CIuitas prima, quæ prouinciã Mangi ingredientib. occurrit, uocatur Conigangui, & est magna, insignis, atque opibus pollens, iuxta flumen Caromoram sita. Sunt ibi naues in maxima multitudine. Fit etiam ibi sal in magna copia, ut quadraginta ciuitatibus sufficiat, de quo magnus Cham magnum habet emolumentum. Incolæ huius ciuitatis, & omnium circumiacentium locorum idololatræ sunt & comburunt corpora mortuorum.

De ciuitatibus Panchi, & Chain. CAP. LVI.

VLtra ciuitatē Conigangui uersus Sirochum uentum itinere unius diei est ciuitas Panchi grandis & insignis, in qua mercatura magna exercetur: & est in ea serici atque uictualium magna copia. Recipitur per eam regionem moneta magni Cham. Porrò uia quæ ducit à ciuitate Conigangui, ad ciuitatem Panchi, pulchris constrata est lapidibus, ad dextram & ad sinistrã fluentis decurrētibus: nec aliunde patet accessus in prouinciam Mangi, nisi per uiam istam. Ab ista ciuitate Panchi ad ciuitatē Chain est iter unius diei: & hęc quoque insignis est ciuitas, abundans piscibus & uenatione bestiarum atque auium: præsertim phasiani in maxima ibi inueniuntur copia.

De ciuitate Tingui. CAP. LVII.

PRocedendo hinc per iter unius diei peruenitur ad ciuitatē Tingui, quæ tametsi magna non sit, habet tamen uictualium maximam copiam. Sunt etiam ibi plurimæ naues: nam haud longe ab oceano est sita: & intermedio spatio salinæ sunt plurimæ, positaque est iuxta illas memorata ciuitas Tingui. Recedēdo uero ab hac ciuitate itinere unius diei uersus Sirochum occurrit pulchra ciuitas in pulcherrima sita regione, sub cuius præfectura sunt aliç ciuitates multæ, numero uiginti septem. Et ego Marcus iussione magni Chã tribus annis in hac ciuitate egi præfectum.

Quomodo ciuitas Sianfu cum machinis fuit capta. CAP. LVIII.

AD occidentalem plagam est regio quædam Nauigui nomine, opulenta & amœna, in qua multi fiunt panni ex auro & serico, & ubi magna frumenti est copia. Ciuitas præcipua illius regionis Sianfu uocatur, habetque duodecim alias ciuitates sibi subiectas. Hæc ciuitas tribus annis obsessa expugnari nō potuit ab exercitu Tartarorũ, quũ subiugaretur prouincia Mangi: nam undique cingitur aquis & lacubus, ut nulla ex parte adiri potuerit, quàm ab Aquilone. Interea uero quo à Tartaris obsidebat, continue accedebãt & recedebant naues uictualium copiam adducentes: quod non parum affligebat magnum Cham. Illo enim tempore ego & pater meus atque patruus fuimus in imperatoris aula: unde accedentes eum, cōsuluimus & indicauimus illi, si nobis obtemperaret, quo pacto urbs breui capi atque expugnari posset, machinis, scilicet quibusdam, quarũ usus in regione illa non fuit. Quo assentiente, parari fecimus per fabros lignarios Christianos, quos nobiscũ habuimus, tres machinas seu catapultas tantæ magnitudinis, ut quælibet earũ excuteret lapidem trecentarũ librarũ: quas nauibus impositas misit rex ad exercitum suum. Erigētes igitur eas ante ciuitatē Sianfu, proijcere cœperũt lapides grandes in ciuitatem: & primus cadens super domum quandam, impetu suo illam pro maiori parte confregit. Quod uidentes Tartari ciuitatem obsidentes plurimũ obstupuerunt. Hi uero qui intra ciuitatē erant uidentes tantum illis ab hoste imminere periculum, ut etiam intra mœnia & in domibus suis tuti non essent, magno concussi sunt terrore: & ne ciuitas tota lapidum iactu destrueretur, & homines quoque opprimerentur, deditionem fecerunt, magnique Cham se subdiderunt obedientiæ.

De

De ciuitate Singui, & flumine quodam magno. CAPVT LIX.

A Ciuitate Sianfu quindecim numerantur milliaria ad ciuitatẽ quandam Singui nomine, quæ tametsi magna non sit, habet tamen maximam nauium multitudinẽ, ad ripam sita maximi fluuij, quo maior in orbe non putatur, nomine Quiam: nam latitudo eius in quibusdã locis habet milliaria decem, in alijs octo, & in quibusdam sex. Longitudo uero eius patet itinere centum dierum. Fluitant in hoc amne naues sine numero. Putares in toto mundo tot naues non reperiri. Est autẽ in hac urbe emporium celebratissimum, & magna uis mercium per fluuium adducitur. Sunt & aliç ciuitates plurimę numero circiter ducentæ ad ripam huius fluuij extructæ: nam fluit per terminos sedecim prouinciarum: nec est ulla earum quæ non quinq; millia nauiũ habeat. Maiores uero harum regionum naues sunt singulæ uno coopertæ solario: nec habet ulla nauis plures quàm unum malum pro uelo expandendo. Canabeis funibus non utuntur, nisi pro malo & uelo: sed pilorchas, seu chordas faciunt de arundinibus magnis, quibus naues quandoq; per flumen trahuntur. Scindunt autẽ arundines illas magnas quæ quindecim in longitudine continent passus, & scissuras colligantes & contorquentes, funes longissimos faciunt, ut quidam longitudinem contineant trecentorum passuum. Et sunt pilorchæ illæ fortiores funibus canabeis.

De ciuitate Caigui. CAPVT LX.

CAigui ciuitas quædam parua est, supra memoratũ fluuium uersus Sirochum sita, & crescit in agro eius tanta uis bladi & risi, ut inde ad curiam magni Cham deuehatur: nam sunt inter utrunq; locum multi lacus & fluuij qui industria magni Cham in unum ferè contracti riuũ, nauibus ituris & redituris congruam præbent semitam: tametsi aliquando naues sint exonerandæ, & frumenta per terram portanda, donec ad alium perueniatur lacum, ubi rursum in naues recipiantur & ulterius deducantur. Iuxta ciuitatem Caigui insula quædam est in medio fluminis sita, in qua monasterium est monachis plenum, qui idolis seruiunt: & est monasterium illud caput omnium monasteriorum quæ idolorum seruitio sunt consecrata.

De ciuitate Cingiansu. CAP. LXI.

CIngiansu ciuitas est in prouincia Mangi sita, in qua opera multa fiunt ex auro & serico. Sunt in ea ecclesiæ Christianorum Nestorianorum, quas ædificauit Marsarcis Nestorianus, qui à magno Cham in ciuitate illa præsulatum obtinuit, anno scilicet domini M.CCLXXXVIII.

De ciuitate Cingingui, & interfectione ciuium eius.

CAPVT LXII.

POst recessum à ciuitate Cingiansu itinere trium dierum peruenitur ad ciuitatẽ Cingingui, occurrentibus in itinere multis ciuitatibus & oppidis, in quibus mercantiæ fiunt, & artificia multa exercentur. Est autẽ Cingingui ciuitas magna & opulenta, omnibus abundãs uictualibus. Quũ Baiam dux militiæ Tartarorũ expugnaret prouinciã Mangi, misit multos Christianos qui dicebantur Alani cõtra hanc ciuitatem, qui tam acriter eam impugnare cœperunt, donec ciues eius deditionem liberam fecerũt. Ingressi igitur ciuitatem, neminem læserunt, quum sponte magni Cham dominio se subiecissent. Inuenientes autem in ea ciuitate uinum optimũ, idq; in magna copia, bibere cœperũt tam largiter, donec omnes inebriati sunt: & nocte mox insequenti omnes sopore pressi, nullam constituerũt custodiam. Quod uidentes ciues, qui prius illos in pace susceperũt, subito irruẽtes in dormiẽtes, omnes interfecerunt nullo euadente. Baiam uero hoc audiens, misit alium exercitũ magnum contra ciues illos, qui breui ciuitatẽ expugnans, in uindictam proditionis & infidelitatis omnes interfecit, nullo superstite relicto.

De ciuitate Singui. CAPVT LXIII.

SIngui ciuitas magna & egregia, cõtinet in circuitu milliaria circiter sexaginta. Est in ea magna populi multitudo, sicut & tota prouincia Mãgi po-

pulosissima est, sed non bellicosa: uerũ habet mercatores & artifices multos: habet quoq; medicos cõplures atq; philosophos. In ciuitate Singui sunt põtes lapidei circiter sex millia, tam altos habẽtes fornices, ut magnæ naues sine mali inclinatione transire possint. Crescit in montibus huius ciuitatis reu barbarum & zinziber in maxima copia. Habet hæc ciuitas sub sua iurisdictione sedecim ciuitates, in quibus multæ fiunt mercantiæ, atq; plurima exercentur artificia. Ciues eius indumentis sericis utũtur, necnon plurimi panni ex serico ibi parantur. Porrò uocabulum Singui lingua eorum sonat ciuitatem terræ, sicut etiam aliam habent urbem, quam uocant Quinsai, id est ciuitas cœli, quòd hæ duæ urbes nobilissimæ sint in partibus orientis.

De nobili ciuitate Quinsai. CAP. LXIIII.

DIstat ab urbe Singui quinque dierum spatio alia urbs insignis nomine Quinsai, quod sonat ciuitatẽ cœli, & est tam magna, ut maior in orbe nõ putetur. Et ego Marcus fui in hac ciuitate, & omnia diligẽter lustraui, aduertens cõsuetudines eius & mores populi: & quæ illic uiderim breuiter & fideliter referam. Cõtinet circuitus huius urbis in gyro milliaria circiter centũ: pontes uero lapideos habet duodecim millia, eosq; tam altos, ut naues magnæ erecto malo pertransire possint. Fundus autem ciuitatis est in loco paludinoso ferè ut Venetiæ: unde si careret pontibus, de uico ad uicum perueniri non posset. Habet artifices innumeros, atque plurimos mercatores, ut incredibile putaretur, si numerum illorum recenserem. Magistri artifices non operantur, sed habent ministros quos ad hoc instituunt. Homines ciuitatis in magnis uiuunt delicijs, & præsertim mulieres, unde & cæteris formosiores apparent. Versus meridiem est lacus magnus intra mœnia urbis, qui triginta milliaria in circuitu suo continet, habens in litore plurimas domos nobilium, foris & intus ornatas. Sunt quoque ibi delubra idolorum. In medio uero lacus sunt duæ paruæ insulæ, & in qualibet est elegantissimum castrum seu palatium, in quibus continentur præparamenta & uasa quæq; necessaria pro nuptijs & solennibus conuiuijs. Nam quicũq; ciues insignia uolunt celebrare conuiuia, illuc inuitatos ducunt, & cum honore suscipiunt. In hac ciuitate Quinsai sunt pulcherrimæ & elegantissimæ domus. Sunt quoq; per uicos plurimæ publicæ turres, in quas tẽpore cõflagrationis uicini quique res suas portant atq; ab incendio saluant: nam habet urbs plurimas ligneas domos, & nõ raro fit ut ignis aliquas earum absumat. Ciues eius adorant idola: comedunt carnes equorum, canum, & aliorũ immundorum animalium: moneta utuntur magni Cham. Collocauit magnus Cham in hanc urbẽ maximam custodiam, quò rebellio caueatur, atq; furta & homicidia arceantur: in quolibet enim ponte interdiu & noctu decẽ habentur custodes. Est mons quidã intra mœnia huius urbis, qui sustinet turrim, in cuius cacumine sunt tabulæ ligneæ, quæ in hunc usum illic seruantur, ut quamprimum ignis in urbe cõflagrauerit, custodes malleo percutiant eas tabulas, cuius sonitu, qui per totam auditur urbem, excitati ciues concurrũt, & ignem restinguunt. Pulsantur etiam hæ tabulæ, quãdo in urbe tumultus aliquis & populi commotio nascitur. Omnes plateę ciuitatis lapidibus sunt constratę, unde fit ut mundissima sit. Inueniuntur etiã in ea circiter tria millia thermarũ, quibus homines pro abluendis corporibus utuntur: nam hoc unũ gens illa studet, ut sit munda corpore. Distat hæc urbs orientem uersus ab oceano uigintiquinq; milliaribus, ubi in litore maris sita est ciuitas Cansu, portus commodissimus, ad quem locum infinitæ conueniunt naues ex India & alijs regionibus. A' Quinsai uero transit fluuius ad portum illum, per quem magna uis merciũ adducitur. Prouincia Mangi quum sit latissima, diuisit eam magnus Cham in nouem regna, cuilibet proprium assignando regem. Et hi reges omnes sunt potentes, sed magno Cham subiecti, cui etiam singulis annis de omnibus regnorũ prouentibus aliquid soluunt & rationẽ reddunt. Et unus illorum moratur in urbe Quinsai, habetq; sub ditione sua centum & quadraginta

A ginta ciuitates. Habet autem uniuersa prouincia Mangi mille & ducentas ciuitates, & in singulis posita sunt à magno Cham præsidia, ne rebellare audeant. Sunt uero custodes illi colluuies quædam multarum gentium, & stipendiarij undecunq; conducti, ex diuersis exercitibus magni Cham delecti. Est in regione illa, & præsertim in prouincia Mangi, diligens obseruatio motuum cœlestium, ut etiam cuiuslibet nascentis pueri horoscopum accuratissime obseruent, aduertentes diem & horam natiuitatis, & quis planetarũ tunc dominium principale habuerit: his enim reguntur astrologorum indicijs in cunctis factis & itineribus suis. Est etiam cõsuetudo in hac prouincia, quum quis moritur, cõsanguinei eius canabeis induti saccis, extinctum corpus cum magno cantu efferunt, & pingunt in chartis imagines seruorum, ancillarum, equorum, & denariorum, & ea omnia comburunt cum cadauere, credentes quòd defunctus his omnibus in alia uita fruiturus sit, atq; tale habiturus satellitium, quod illi obsequatur. Postea pulsant uaria instrumenta musica, dicentes quòd dij sui cum tali honore & pompa eos suscipiunt, qualis illis in combustura ab amicis & propinquis exhibetur. In hac ciuitate Quinsai est palatium quoddam magnificum, in quo Facfur prouinciæ Mangi olim rex, curiam suam habuit. Extremus murus qui castrũ illud per quadrum cingit, continet in suo ambitu milliaria decem, habetq; competentem altitudinem. Intra hunc murum sunt uiridaria pulcherrima cum fructibus delicatissimis. Sunt quoq; ibi fontes & uiuaria piscibus redundantia. In medio uero est palatium illud regium amplissimum quidem & pulcherrimum, quale uix in toto orbe inuenitur, habens uiginti aulas æqualis magnitudinis, in quibus singulis decẽ millia hominum simul discumbere possunt. Sũt etiam omnes istæ aulæ regio more pictæ & ornatæ. Cæterùm familiæ, qualem pater cum filijs, uxore & reliqua familia constituit, putantur esse in urbe Quinsai sexcenta millia. Vna solum in ea est ecclesia Christianorum Nestorianorũ.
B Est etiam consuetudo in hac urbe & tota prouincia Mangi, ut quilibet paterfamilias scribat super ostium domus suæ nomen suum, & nomina uxoris atq; totius familiæ suæ, sed & numerum equorum suorum. Et quum aliquis moritur ex familia sua, aut quum domiciliũ mutat, delet nomen mortui aut discedentis, & adscribit nomen recenter nati, aut in familiam suã cooptati: & per hunc modum absq; magna difficultate sciri potest numerus hominum totius ciuitatis. Similiter hospites & tabernarij scribũt in tabulis ante ostium expositis, nomina uiatorum & hospitum, qui ad diuersoria ipsorũ declinauerint, & quo mense atq; die ingressi sint.

De prouentibus qui magno Cham in urbe Quinsai, & prouincia Mangi penduntur.

CAPVT LXV.

EXigit Cham magnus singulis annis de sale quod paratur in urbe Quinsai & terminis eius myriades octoginta aureorum. De rebus etiam alijs, præsertim mercibus, tantam recipit uim pecuniæ, ut uix numerati possit. Habet prouincia maximam copiam saccari, & aliarum multarũ specierum aromaticarum. Recipit autem magnus Cham de centum mensuris aromatum, tres & dimidiam. Idem facit de reliquis mercatorum bonis. De uino quoq; quod ex riso & aromatibus conficiunt, non paruum habet emolumentum. Similiter ab artificibus, præsertim duodecim generum habet commodum suum. De serico autem, cuius in prouincia Mangi maxima est copia, de centum ulnis decem exigit. Ego Marcus semel audiui computum fieri singulorum reddituum, qui magno Cham penduntur annuatim in regno Quinsai, quod est nona pars prouinciæ Mangi, ascenditq; summa omnium, sale tamẽ excepto, ad quindecim millia millium aureorum, atq; sexcenta millia.

De ciuitate Tampingui. CAPVT LXVI.

PRogrediendo à ciuitate Quinsai, & eundo uersus Sirochum, cõtinue inueniuntur uiridaria pulchra & optime culta, donec unius diei itinere expleto perueniatur ad ciuitatem Tampingui, insignem & pulcherrimam. Vltra

tra hanc ciuitatem tribus diebus uersus Sirochum eundo, inueniũtur ciuitates & castra in maximo numero, ut à longinquo cõspecta uiatori quasi una urbs magna esse uideatur, tanta uicinitate sunt coniuncta. Est ibi uictualium magna copia. Crescunt quoq; ibi maximæ arundines longitudinis quindecim passuum: in circumferentia uero continent quatuor palmos. Procedendo ultra, triduiq; confecto itinere, occurrit Gengui, ciuitas grandis & pulchra, ultra quam per Sirochum eundo plurimæ aliæ uiatori sese offerunt ciuitates & castra. Sunt etiam in ea regione multi leones, magni & feroces. At uerueces nulli reperiuntur in ea, sicut nec in prouincia Mangi, sed boum, caprearum, hircorum & porcorum ibi magna est copia. Itinere quatuor dierũ consummato, occurrit alia insignis ciuitas Ciangiam nomine, in monte sita, qui mons fluuium quendam in duas secat partes, quæ paulò pòst in oppositas tendunt plagas. Vlterius procedendo itinere trium dierum inuenitur ciuitas Cugui, quæ ultima est in regno ciuitatis Quinsai. A

De regno Fugui. CAPVT LXVII.

RElicta à tergo ciuitate Cugui, patet ingressus in regnum Fugui, in quod si pedem moueris itinere sex dierum, eundum est per montes & ualles, multis tamẽ occurrentibus ciuitatibus & castris. Habet regio illa copiam uictualium: habet etiam uenationes plurimas bestiarum & uolucrum: habet deniq; plurimos leones. Crescit ibi zinziber in magna copia: crescit quoq; flos quidam haud dissimilis croco, alterius tamen speciei, sed qui croci præstat usum. Comeduntur in hac regione humanæ carnes cum magna uoluptate, dummodo homines illi non morbo aliquo occubuerint. Quando ad bellum procedunt, quilibet ferro calido inurit sibi in fronte signũ, nec ullus eorum equum ducit ad bellum, præter ducem exercitus. Vtũtur lanceis & spatis: & quos in bello perimunt, eorum bibunt sanguinem, & comedunt carnes, nam sunt homines crudelissimi.

De ciuitatibus Quelinfu, & Vnquen. CAP. LXVIII. B

ITinere sex illorum dierum completo, de quo iam diximus, peruenitur ad ciuitatẽ Quelinfu nomine, quę magna est & celebris, sita super fluuiũ quendam qui iuxta ciuitatis mœnia labens tres habet lapideos põtes, marmoreis superne ornatos columnis. Hi pontes in latitudine continent octo passus, & in longitudine mille. Abundat in illa ciuitate sericum, zinziber, & galanga. Viros & mulieres habet eximiæ pulchritudinis. Inueniuntur ibi gallinæ, quæ loco pennarum pilos habent ut catti, nigri scilicet coloris, sed oua edũt optima. Et quoniã regio illa plena est leonibus, periculosum est per eam ambulare. Ab hac ciuitate spatio quindecim milliarium est alia ciuitas Vnquen nomine, ubi saccarum in maxima crescit copia, & hinc portatur ad curiam magni Cham, quæ scilicet est in ciuitate Cambalu.

De ciuitate Fugui. CAPVT LXIX.

PRocedẽdo ultra per milliaria quindecim, occurrit ciuitas Fugui, quę metropolis & caput est in regno Concha, quod unum è nouẽ illis est regnis in quæ prouincia Mangi est taxata. Moratur magnus exercitus magni Chã in hac urbe, ad tuendum prouinciam & ciuitates eius, & ad reprimendum factiosos homines, qui parati sunt rebellionem mouere contra imperatorẽ. Transit per medium huius ciuitatis ingens quidam fluuius, cuius riuus in latitudine unum occupat miliare. Et quoniam urbs ista parum distat à mari oceano, est ibi insigne emporium, ad quod ex India portantur plurimæ margaritæ, & alij lapides pretiosi. Est quoq; in ea urbe maxima saccari copia, & uictualium sufficientia.

De ciuitatibus Zarten & Figui. CAP. LXX.

TRaiecto memorato fluuio, itur quinque dierum itinere uersus ciuitatem Zarten, & nullibi non occurrunt uel ciuitates, uel castra. Abundat regio illa uictualibus, habet'que montes & nemora: ex nemorum arboribus colligitur pix. Ciuitas uero Zarten grandis est ualde, habet'que portum optimum

A optimum, ad quem naues Indianæ mercibus onustæ ueniunt sine numero: est enim illic unum de maioribus emporijs quæ in mundo inueniuntur: nam piper & aromata, quæ Alexandria ad partes mittit Christianorum, hæc ab illo emporio Alexandriam deferũtur. Penditur magno Cham in hac urbe uectigal immensum: nam nulla aduehitur nauis, à qua non habeat maximum commodum: parũ enim abest quin cuiuslibet speciei aromaticæ media pars sit illi soluenda. Est etiam in hac regione ciuitas quædam Figui nomine, quę celebris habetur in partibus illis, ob pulchras scutellas quæ in ea fiunt. Habet quoq; ipsa prouincia linguam propriam. Hæc tãdem de prouincia Mangi dicta sufficiant: & licet de nouem eius regnis duo duntaxat explicuerimus, consulto tamen alia præterimus, stylum ad Indiam torquẽtes, in qua aliquanto fuimus tempore, & plurima quæ in ea inueniuntur mirabilia, coràm positi uidimus, atq; ut ita dicam, manibus contrectauimus.

M. PAVLI VENETI DE ORIENTALIBVS REGIONIBVS, LIBER III.

Quales naues in India sint. CAPVT I.



IN hoc tertio libro Indiæ regionem descripturi, à nauibus eius exordium faciemus. Maiores naues quibus Indi per mare utuntur, ut plurimum de abiegnis factæ sunt lignis, habentq; solarium unum, quod nostrates nautæ operimentum uocant, supra quod circiter quadraginta sunt mansiunculæ pro mercatoribus paratæ. Habet nauis una unum gubernaculum, quatuor malos & totidem uela. Tabulæ clauis ferreis firmissime compactæ sunt, & fissuræ quæque stupa obfirmatæ. Et quoniam pice in his regionibus carent, linunt naues suas oleo cuiusdam B arboris calce mixto. Sunt in magnis nauibus circiter ducenti uiri, qui eam remis per mare ducant. Capit uero nauis una quasi sex millia sportarum piperis. Adhærent quoq; his magnis nauibus aliæ nauiculæ, quæ piscationi & ancoris iaciendis inseruiunt.

De insula Zipangri. CAPVT II.

ZIpangri insula in alto mari sita, distat à litore Mangi per mille milliaria atq; quingenta, & est magna ualde. Habitatores eius albi sunt, & decentis staturæ, idola colentes, & proprium habentes regem, nulli tributarij. Est ibi aurum in maxima copia, sed rex non sinit illud extra insulam facile portari: & hæc causa est quod pauci mercatores ad illam concedunt prouinciam. Rex insulæ palatium habet magnificum, cuius tectum aureis operitur bracteis, non secus quàm apud nos magnæ domus plumbo uel cupro operiuntur. Superficies quoq; superior aularum & conclauium aureis laminis dicitur tecta. Inueniuntur illic margaritæ in magna copia, rotundæ & crassæ rubei coloris, quæ albas in pretio & ualore longe præcellunt. Sunt quoq; ibi alij lapides pretiosi, qui unà cum auro insulam ditissimam reddunt.

Qualiter magnus Cham misso exercitu contendit pro insula Zipangri expugnanda. CAPVT III.

MAgnus Cham Cublai quum audisset insulam Zipangri tantis pollere diuitijs, cogitare cœpit quomodo eam suo subiugaret dominio. Missis igitur duobus ducibus, quorũ unus Abatan, & alter Nonsachũ uocabatur, duos magnos exercitus destinauit, qui eam expugnarent. Hi itaque à portu Zarten & Quinsui soluentes cum multis nauibus & magno equitum atque peditum apparatu, nauigauerũt uersus insulam Zipangri, & ingressi in eam multa damna intulerunt uillis & castris in planitie sitis. Et antequam subiugarent insulam, ortum est inter eos perniciosum dissidium, ut neuter alterius obtemperaret uoluntati & consilio: quo factum est ut in nulla re prosperum haberent successum. Nam nec urbẽ aliquam, aut ullum castrũ præter unum

expugnare

expugnare potuerunt. Expugnato autem illo unico castro, omnes qui ad custodiam eius à rege Zipangri deputati erant, iussi sunt à duce exercitus gladio feriri: inter quos octo fuerũt, qui lapides quosdam pretiosos in brachijs ligatos gestabant, tam efficacibus diabolicis inauguratos incantationibus, ut nullo modo uulnerari aut occidi ferro potuerint, quamdiu illos lapides secũ portarent. Et consilio adinuento, ligneo fuste percussi, interierunt.

Franguntur naues Tartarorum, & multi submerguntur.

CAPVT IIII.

ACcidit uero quadam die, ut magna in mari oborta tempestate, Tartarorum naues graui collisione ad terram & ripam maris quassarẽtur. Et consulentibus nautis, elongantur naues à terra, in quibus uterq; Tartarorum erat exercitus, sed procellis maris uehementius sæuientibus, franguntur plurimæ naues & quidam submerguntur, sed plures correptis tabulis & lignis ad insulam quandam paruam, à qua haud longe aberant, quæq; non multum distabat ab insula Zipangri, natando peruenerunt. Alij uero quorum naues integræ manserunt, ad propria redierunt. Porrò eorum qui fractis nauibus incolumes ad insulam peruenerunt, fuerunt circiter triginta millia. Et quoniam naues non habebant quibus hinc discederent, nec uictualia illis insula suppeditaret, quippe quæ ab hominibus non habitabatur, nihil præter mortem expectabant.

Qualiter Tartari mortis euadunt periculum, & in Zipangri insulam redeunt.

CAPVT V.

MAris uero tempestate sedata, habitatores insulæ Zipangri cum multis nauibus & grandi exercitu uenerunt contra inermes Tartaros in insula ad quam natando appulerunt, uagantes, eosq; in uniuersum trucidare moliuntur, quippe qui omni auxilio destituti erant. Relictis itaq; in litore nauibus, terram ingrediuntur hostem quæsituri. At illi prudenter aspectum Zipangriorum fugientes, delitescunt haud longe à litore maris, tantisper expectantes, donec illi in terram effusi à nauibus sese elongauerunt: & subito prorumpentes naues apprehendunt, & ingressi eas ab insula salui recedunt, dimissis Zipangrijs in insula. Et rectà contendentes ad insulam Zipangri, acceptis hostium uexillis, quæ in nauibus inuenerunt, processerunt ad principaliorem insulæ ciuitatem. Cuius habitatores ut uiderunt suæ gentis uexilla, existimabant suos cum uictoria reuerti, & egressi illis obuiam, hostem incaute in ciuitatem intromittunt. Qua potiti, omnes qui in ea fuerunt, præter paucas mulieres, expulerunt.

Stratagema

Quomodo Tartari ab obtenta ciuitate iterum excluduntur.

CAPVT VI.

REx uero Zipangri his auditis, mox alias conducit naues, & exercitum in insula conclusum reducit, atq; obsidet ciuitatẽ quam occuparunt Tartari, tantaq; diligentia omnes ciuitatis introitus & exitus custodit, ut nullus ad hostem ingredi nec ullus egredi ualuerit. Id enim in primis cauendum ducebat, ne inclusi Tartari magno Cham principi suo quod acciderat indicare possent, alioquin de insula actum fuisset. Manet itaq; hostis inclusus & obsessus septem mensibus: & uidentes se omni auxilio destitutos, restituũt regi Zipangri ciuitatem, liberiq; & salui ad propria redierunt. Et hæc gesta sunt anno domini M.CCLXXXIX.

De idololatria & crudelitatæ uirorum Zipangri. CAPVT VII.

COlunt uiri Zipangrij uaria idola, quorum quædam habent caput bouis, quædam caput porci, & quædam caput canis atq; aliorum diuersorũ animalium. Sunt etiam quædam quæ habent quatuor facies in uno capite: alia tria capita, unum super collum, & duo alia super utrunq; humerum. Sunt rursus quædam quæ quatuor habẽt manus, alia uiginti, & alia centum. Et quod plures habuerit manus, maioris putatur ueritatis. Et quũ incolæ interrogantur, unde hanc habeant traditionem, respondere solent, se patres suos in hoc imitari

A imitari, nec aliud credere debere quàm quod ab illis acceperunt. Eſt etiã hęc conſuetudo apud Zipangrios, quando hominem extraneum capiunt, ſi ille poteſt ſe pecunia redimere, dimittunt eum: ſi autem pretium non habet quo ſe liberet, occidunt illum & coctum deuorant, conuocantes ad conuiuium illud conſanguineos & amicos quoſq;.

De uarijs inſulis regionis illius, atque fructibus earum.

CAPVT VIII.

IN litore maris Oceani, in quod deſinit ab oriente prouincia Mangi, circa inſulam Zipangri plurimæ inueniuntur paruæ inſulæ, quæ à nautis numeratæ putantur eſſe ſeptem millia quadringentæ & quadraginta octo, quarũ maior pars ab hominibus habitatur. Nec eſt ulla in qua non creſcant arbores odoriferæ atq; uirgulta ſuauem ſpirantia odorem. Inueniuntur ibi aromata in maxima copia. Verùm negociatores extranei illuc non ueniunt, niſi habitatores Mangi, qui hyeme ad inſulas nauigant, & æſtate iterum redeunt. Nam flant in regione illa duo tantum uenti oppoſiti, unus hyeme, & alter æſtate. Et quoniam in inſulis illis non fui, nihil de illis ſcribere ſtatui, ſed ſtilũ reducam ad portum Zarten, ut inde ad alias tranſeam regiones.

De prouincia Ciamba. CAPVT IX.

SOluentes à portu Zarten, & nauigantes uerſus Garbinium, peruenerunt ad prouinciam Ciamba, quæ mille & quinquaginta milliaribus diſtat ab eo portu: & eſt magna ualde, abundans opibus, idola colens, atq; propriam habens linguam. Anno incarnationis dominicæ M.CCLXVIII. miſit magnus Cham ducem quendam Sogatu nomine cum ualido exercitu, ut prouinciam illam ſibi ſubiugaret. Sed quum in prouinciam ueniſſet, uidit ciuitates adeo munitas & caſtra tam fortia eſſe, ut nulla ui illa poſſet expugnare. Combuſſit tamen uillas, & incidebat arbores, tantaq; prouinciæ intulit damna, ut rex eius libens magno Cham tributarius fieret, modo dux ille ex prouincia recederet. Inierũt autem fœdus tale, ut rex Ciamba annuatim uiginti
B pulcherrimos elephantos pro tributo magno penderet Cham. Et ego Marcus fui in hac prouincia, cuius rex tunc tantam habuit uxorũ multitudinẽ, ut illi eſſent nati trecenti & uiginti ſex filij atq; filiæ, quorum centũ quinquaginta iam arma ferre poterant. In hac regionę plurimi ſunt elephanti, & lignum aloes in eo abundat. Inueniuntur etiam ibi nemora de lignis ebani.

De inſula Iaua. CAPVT X.

RElicta prouincia Ciamba, nauigatur uerſus meridiem mille & quingentis milliaribus uſque ad inſulam magnam Iaua nomine, quæ in circuitu ſuo patet tribus millibus milliariũ. Habet regem qui nemini eſt tributarius. Ibi eſt maxima copia piperis, nucum muſcatarum, ſpici, galangæ, & cæterorum aromatum. Conueniunt illuc multi negotiatores: nam multa lucrantur ex allatis ſpeciebus. Incolæ inſulæ idololatræ ſunt: nec potuit magnus Chã hactenus eam ſuæ ſubijcere ditioni.

De prouincia Boeach. CAPVT XI.

NAuigando ab inſula Iaua, numerantur ſeptingenta milliaria ad duas inſulas, Sondur & Condur dictas, à quibus ultra procedendo inter meridiem & Garbinium, ſunt quingenta milliaria ad prouinciam Boëach quæ amplisſima & ditisſima eſt. Regem habet proprium, & propriam linguam. Adorant idola. Producit hæc prouincia urſos domeſticos, magnos ut leones, itemq; elephantos habet multos, & aurũ copioſum. Vtuntur incolæ pro moneta glebis quibuſdam aureis. Pauci ſunt qui ex alienis regionibus prouinciam hanc adeant, adeò inhumani ſunt habitatores eius.

De inſula Petan. CAPVT XII.

REcedendo à prouincia Boëach, nauigatur per milliaria quingenta uerſus meridiem ad inſulam Petan, quę maiorem in partem ſylueſtris & nemoroſa eſt. Arbores eius odoriferæ ſunt, & magnam præſtant utilitatem. Inter prouinciam Boëach & Petan per milliaria ſexaginta, mare adeò eſt un-

 doſum,

dosum, ut nautæ cogãtur leuare gubernacula. Nam profunditas eius uix est quatuor passuũ. Hinc uenitur ad regnum Maletur, ubi maxima est copia aromatum, & habent incolæ eius propriam linguam.

De insula quæ Iaua minor uocatur. CAPVT XIII.

VLtra insulam Petan, per Sirochum nauigando, est Iaua minor, centũ distans milliaribus à Petan: & hæc in circuitu cõtinere dicitur circiter duo millia milliarium. Diuiditur insula in octo regna, habetq; linguam propriã. Producit etiam uaria aromata, qualia in his nostris partibus nunquam uisa sunt. Incolæ eius idola colũt. Protenditur hæc insula intantum ad Austrum, ut polus arcticus, & stellę eius minime uideri possent. Ego Marcus fui in hac insula, lustrauiq; sex eius regna, nempe regnum Ferlech, Basman, Samara, Dragoiam, Lambri & Fansur. In alijs uero duobus non fui.

De regno Ferlech. CAPVT XIIII.

HAbitatores regni Ferlech qui montana occupant, nullam habent legẽ, sed bestialiter uiuentes, quicquid illis mane primo occurrit, adorant, comeduntq; carnes omnium animalium, mundorum & immundorum, atque carnes humanas. Qui uero in maritimis habitant locis, Mahumeti sunt addicti legi, quam ex Saracenis negociatoribus illuc diuertentibus didicerũt.

De regno Basman. CAPVT XV.

HAbet regnum Basman linguam propriam, uiuuntq; incolæ eius bestialiter. Agnoscunt magnum Cham pro domino, sed tributa ei non soluunt, nisi quod interdum illi mittunt munera de feris syluestribus. Inueniuntur apud eos elephãti & unicornes in magna multitudine. Et sunt unicornes paulo minores elephantis, pilum habentes bubali, & elephanti pedem. Habent caput ut aper, & more porcorum libenter morantur in luto, & alijs immundicijs. In medio frontis gestant cornu unum, grossum & nigrum. Linguã habent spinosam, & hac lædunt homines & animalia. Abundat quoque regio ipsa diuersis simijs magnis & paruis, hominibus simillimis. Hos capiunt uenatores, & totos depilant, nisi quod in barba & in loco secreto pilos relinquũt, & occisos speciebus aromaticis condiũt, & postea desiccant, uendũtq; negociatoribus, qui per diuersas orbis partes corpora illa deferentes, homines persuadent tales homunciones in maris insulis reperiri.

Vnicornium forma

B

De regno Samara. CAPVT XVI.

IN regno Samara fui ego Marcus cum socijs meis quinq; mensibus, non sine magno tædio tempus expectans nauigationi aptũ. Nam incolæ eius bestialiter uiuẽtes, carnibus humanis edendis sunt assueti. Quapropter consortium eorum spernentes, castra lignea nobis haud longe à mari extruximus cum propugnaculis, in quibus tuti essemus contra incolas. In hoc regno nec ursa minor nec maior, quam uulgo currum magnum uocant, apparet, usque adeò insula illa uergit in Austrum. Incolæ idola colunt. Sunt ibi optimi pisces, & in magna copia. Triticum uero illic non crescit, sed de riso panes conficiunt. Vineas quoq; non habent, sed potum ex arboribus hoc modo eliciunt. Sunt in ea insula arbores multæ & paruæ, habentes singulæ ramos quatuor, quos certo anni tempore incidentes, colligũt stillantem liquorem, qui tam largiter ex incisura profluit, ut per diem & noctem urceum plenum colligant ex uno ramo. Quo euacuato, rursum adhibent ramo urceũ, & id tamdiu frequentãt, donec stillicidium illud desierit. Et hæc est uindemia eorum. Prouocant quoq; arborẽ ad largiora fluenta per aquarum rigationes, quas fundunt ad arboris radices, quando tardius cœperit emittere lachrymã. Sed is liquor non est tam sapidus, ut ille qui suapte fluit natura. Mittit quoq; hæc regio nuces Indicas in magna copia.

De regno Dragoiam. CAPVT XVII.

HAbet quoq; regnum Dragoiam homines syluestres, qui idola colunt, & linguam atque regem proprium habent. Apud hos talis est consuetudo, quando quis grauiter infirmatur, propinqui & consanguinei eius cõuocant

magos

A magos & incantatores, illosq; interrogant, an ægrotus sit sanitatem recuperaturus. Et illi respondent id quod dæmonum suggestione didicerint. Si dixerint infirmũ non posse liberari, quin illa ægritudine intereat, adsunt qui infirmo os concludunt, ne respirare possit, atq; sic occidunt priusquam ab infirmitate extinguatur, & carnes eius incidunt, coquunt atq; deuorant, & id potissimum faciunt propinqui & consanguinei infirmi simul cõgregati. Aiunt enim: Si carnes illius putrescerent, conuerterentur in uermes, & illi tandem fame morerent, de quo defuncti anima grauissimas passura esset pœnas. Porrò ossa in cauernis montium sepeliunt, ne ab homine uel bestia contingantur. Et quando hominem extraneæ nationis capiunt, si ille se pecunia non potest redimere, occidunt eum & comedunt.

De regno Lambri. CAPVT XVIII.

EST aliud regnum in memorata insula, quod Lambri uocatur, in quo multa crescunt aromata, præsertim habentur ibi birci in maxima copia, quos posteaquam creuerunt transplantant, & tribus annis in terra dimittentes, iterum cum radicibus euellunt. De illis bircis ego Marcus quosdam mecum in Italiam portaui, curauiq; seminandos, sed destituti calidiori regione, non creuerunt: regni huius incolæ idololatræ sunt. Inueniuntur etiam quidam in hoc regno, qui caudas habent ut canes, longitudinis unius palmi; & hi in ciuitatibus non habitant, sed in montibus. Habet quoq; hęc terra unicornes & alia multa atq; diuersa animalia.

De regno Fansur. CAPVT XIX.

IN regno Fansur nascitur optima Camphora, quæ auro adæquatur. Incolæ huius regni panem de riso faciunt: nam tritico carent. Potum ex arboribus eliciunt, ut iam suprà diximus. Sunt in regione ista arbores quædam crassæ, quæ habent corticẽ subtilem, sub quo inuenitur farina quædam optima, ex qua delicata præparant cibaria, quæ aliquoties non sine uoluptate comedi.

B

De insula Necuram. CAP. XX.

AB insula Iaua numerantur per mare centum quinquaginta milliaria, ad duas insulas Necuram & Anganiam. Populus autem insulæ Necuram ualde bestialiter uiuit. Regem non habet. Tam uiri quàm fœminæ nudi incedunt, nulla corporis parte tecta. Habent nemora plena arboribus sandalorum rubeorum, nucum Indicarum & gariophyllorum. Habẽt quoq; copiam bircorum & diuersorum aromatum.

De insula Angania. CAPVT XXI.

INsula Angania magna est, & incolæ eius bestialiter uiuentes crudelissimi sunt & syluestres. Idola colunt: riso, lacte, & carnibus uiuunt. Carnẽ quoq; humanam non abominantur. Sunt homines deformes: nam habent caput quasi caninũ, & dentes atq; oculos canibus similes. Est in ea insula omnium aromatum mira copia. Sunt etiam ibi uarij & diuersi arborum fructus.

De insula magna Seilam. CAP. XXII.

A Memorata insula uersus Garbinium, mille numerantur milliaria ad insulam Seilam, quæ una putatur de melioribus mundi insulis, habens in gyro milliaria duo millia & quadraginta. Fuit tamen aliquando maior: nam ut fama in illis partibus est, comprehendit olim in circuitu tria millia & sexcenta milliaria: sed uento impetuoso ab Aquilone multis annis irruente, mare tam importune illisit ad litora: ut etiam temporis successu montes ruerent in mare, & plurima terra indies ab eo absorberetur. Habet insula ditissimum regem, qui nulli tributarius est. Incolæ idololatræ sunt, & omnes nudi incedunt, nisi quod obscœna loca panno quodam operiunt. Nullum habent bladum præter risum, de quo uiuunt & de lacte. Habent copiam seminum sosimæ, de quibus oleum faciunt. Potum ex arboribus eliciunt iuxta modum paulo superius expressum. Mittit hæc insula multos lapides pretiosos, præsertim rubinos, sapphiros, topasios, amethystos, & alios nobiles lapides. Habet rex insulæ rubinos, quo preciosior in orbe non putatur esse. Nam habet

longitudinem unius palmi, & crassitudinem trium digitorum. Rutilat ut i- A
gnis ardens, omni carens macula. Obtulit magnus Cham insignem ciuitatem quandam illi regi pro hoc lapide: uerùm recusauit rex, saltem ex eo nomine, quod à prædecessoribus suis illum habuerit. Homines huius insulæ bello non sunt assueti: sed quum belligerandum est, conducunt stipendiarios, præsertim Saracenos.

De regno Maabar, quod est in India maiori. CAPVT XXIII.

VLtra insulam Seilam spatio sexaginta milliarium, est prouincia Maabar, quæ & India maior appellatur, terra continens, non insula. Sunt in ea quinque reges, & est ditissima. In primo eius regno nomine Var, regnat Senderba, inueniunturq; ibi margaritæ in maxima multitudine. Nam est ibi inter continentem & insulam quandam sinus maris fermè uadosus, quippe qui in aliquibus locis profunditatem habet decem passuum, in quibusdam trium, & duorum, ubi leguntur margaritæ. Conueniunt illic multi mercatores, adducentes multas naues, magnas & paruas, & conducunt homines qui in profundum maris se demittant, piscenturq; marinas conchas, ex quibus uniones colligantur. Porrò piscatores illi, quando aquam amplius ferre nequeunt enatant, & rursus se præcipites dant in mare, quod per diem multis replicant uicibus. Sunt etiam in sinu illo grandes pisces, qui homines facile occiderent, nisi huic periculo succurreretur in hunc modum. Conducuntur à negociatoribus magi quidam, qui Abraiamim dicuntur, & hi incantationibus suis & diabolica arte coniurant pisces illos, ut neminem lædere possint. Nocte uero quando à negociatoribus margaritarum piscatio intermittitur, relaxant magi coniurationem suam, ne fures noctu sine periculo sese in mare demittant & sustollant conchas cum margaritis. Porrò præter incantatores Abraiamim, nemo est qui illius coniurationis sciat uerba. Et fit hæc unionum piscatio non per totum annum, sed duntaxat per Aprilem & Maium: uerùm in tantillo tempore colligitur immensa margaritarum mul- B
titudo. Soluunt autem mercatores ex eis regi decimam partem, magis uero tribuunt uigesimam partem, & piscatoribus quoque commodam præbent mercedem. Cæterùm à medio Maij margaritæ non inueniuntur amplius in illo loco, sed in alio quodam qui trecentis milliaribus ab isto distat, & ibi colliguntur per Septembrem & Octobrem. Incedunt incolæ huius prouinciæ semper nudi, nisi quod panniculo uerenda contegunt. Rex quoq; ipse ut alij nudus incedit, deferens in collo torquem auream, sapphiris, smaragdis, rubinis, & alijs pretiosis lapidibus oneratã. Pendet quoque in collo eius chorda quædam serica, cui innectuntur centum & quatuor pretiosi lapides, margaritæ scilicet grandiusculæ, quæ eum admoneant centum & quatuor orationum, quas quotidie in honorem deorum suorum mane & uesperi obmurmurat. Gestat quoque in utroque brachio & utroque crure tres aureos circulos, quibus pretiosi inclusi sunt lapides. Ornantur deniq; digiti manuum & pedum eius lapillis quibusdam pretiosissimis, auro etiam inclusis. Habet circiter quingentas uxores, & iam nouissime uni ex fratribus suis abstulit uxorem, fratre iniuriam dissimulante.

De regno Var, & uarijs erroribus incolarum eius. CAP. XXIIII.

SVnt habitatores regni Var omnes idololatræ, multiq; eorum adorant bouem, ut rem sanctam, nec ullum occidunt. Quũ autẽ bos aliquis moritur, perungunt domos suas adipe eius. Sunt tamẽ quidam inter eos, qui licet boues nõ occidant, tamẽ ab alijs occisos comedant. Aiunt in hac prouincia diuum occisum Thomã apostolum, corpusq; illius adhuc in quadã conseruari ecclesia. Sunt in ea prouincia multi magi, augurijs & diuinationibus uacantes. Sunt etiam ibi multa monasteria, in quibus idola coluntur: & his aliqui consecrant filias suas, quas tamen domi conseruant, nisi quando idolorũ sacerdotes uolunt sua sacra facere, tunc uocant puellas cõsecratas, & cum illis in cõspectu idolorũ choreas ducũt, atq; magnos & incõditos reboãt cantus.

Portant

A Portant etiam hæ puellæ cibos secum quos in mensa ante idolum ponunt, & interim quo cantant & tripudiant, putant deos comedere de apposito cibo, & præsertim ius carnium profundunt illis, quo potissimum delectari ab illis putantur. His cærimonijs peractis, puellæ domum redeunt. Seruiunt autem idolis in hunc modum, donec maritatæ fuerint. Seruatur etiam in hac regione hæc consuetudo, ut quando rex mortuus ad comburendum ducitur, multi ex militibus eius qui cum eo uiui uersati sunt, sponte ad cadauer eius in ignem se cōijciunt, putantes in alia uita se ab eo nūquam dissociandos. Idem faciunt uxores quū mariti eorū defuncti comburuntur, sperantes se uxores illorum futuras in alia uita. Et quæ id non faciunt, nullius pensi apud illos homines habētur. Est etiam alia detestabilis consuetudo in hac regione, ut quū quis commerente iniquitate sua, publico iudicio condemnari debet, is pro magna gratia ducit, si impetret à rege ut ad honorem alicuius idoli seipsum iugulet. Nam ubi id sibi à rege concessum fuerit, congregantur ad eum omnes consanguinei eius, & ad collum eius decem aut duodecim acutos ponūt cultellos, ipsumq; in cathedra collocatum circunducunt per ciuitatem, alta uoce clamantes: Iste homo pro illius aut illius dei honore seipsum occisurus est. Et quum ad locum ubi malefactores puniūtur peruentū fuerit, arripiens manu sua unum è cultellis, alta uoce exclamat: Ego meipsum occido pro illius dei honore: quo dicto, uulnus sibijpsi infligit: & accipiens aliud ferrum, confodit se etiam cum illo. Et tot quidem uulneribus consauciat corpus suū, donec tandem moriatur, pro quolibet uulnere aliud & aliud sumendo ferrum. Consanguinei uero eius, corpus illius cum magna lætitia comburūt. Sunt etiam huius regionis homines tam immundi, ut nullam luxuriæ speciem putent esse peccatum.

De multis & uarijs consuetudinibus regni Var. CAPVT XXV.

B Est consuetudo in hac terra, ut tam rex quàm cæteri homines in terra sedere soleant. Et quum ob hoc ab alijs redarguuntur, respondere solent: De terra nati sumus, & in terram conuertendi, ideo terram honorare uolumus. Non sunt assueti ad arma: & quando ad bella procedunt, non induuntur uestibus & armamentis, sed ferunt secum scuta & lanceas. Nullū occidunt animal, sed quando uolunt comedere carnes, satagunt ut per homines alterius nationis animalia mactētur. Tam uiri quàm mulieres corpora sua bis in die lauant. Et si quis id intermitteret, pro hæretico iudicaretur. Homicidia & furta districte iudicant. Vini usus apud eos interdictus est. Et si quis uinum bibisse deprehensus fuerit, pro infami habetur, nec potest in iudicio testimonium dicere. Similiter hi in iudicio pro testimonio ferendo repelluntur, qui in mari nauibus se committere ausi fuerint: nam aiunt homines illos desperati esse animi.

De alijs quibusdam conditionibus huius terræ. CAPVT XXVI.

Non producuntur in hoc regno equi, sed rex Var alijq; quatuor reges prouinciæ Maabar annuatim ingentem uim pecunię expendunt pro equis. Nam emunt singulis annis circiter decem millia equorū, qui ex regionibus Curmos, Chisi, Durfar, Ser & Eden à negociatoribus adducuntur, unde maximum habent emolumentū. Emuntur autem singulis annis alij & alij equi, quia equi in ea regione diu uiuere non possunt: nec custodes eorum sciunt qualiter illis ægrotantibus mederi debeant. Et si quando equæ apud eos pariant, habet fœtus aut retortos pedes, aut alium defectum, ut ad equitandum idoneus esse non possit. Non crescit ullū bladum in hac prouincia præter risum, unde equis cōueniens pabulum dari nō potest, nisi quod carnes coctæ cum riso illis edendæ proponuntur. Est in hac terra maximus calor, ideo incolæ eius nudi incedunt. Nec pluuia ibi descendit, nisi in Iunio, Iulio & Augusto. Et si in his mensibus nō plueret, unde aër refrigerari solet, nemo mortalium illic uiuere posset ob intēsissimum calorem. Habet regio multiplices & uarij generis aues, quæ in partibus nostris minime inueniuntur.

De ciuitate in qua corpus diui Thomæ apostoli sepultum est. A

CAPVT XXVII.

IN prouincia Maabar, quæ est India maior, seruatur corpus beati Thomæ apostoli, qui in illa prouincia pro Christo passus est. Quiescit autẽ corpus eius in ciuitate quadam parua, ubi multi sunt Christiani & Saraceni, debito honore sancti uenerantes corpus. Pauci uero illuc contendunt mercatores, quum merces ferè nullæ ad eum perueniant locum. Incolæ regionis illius dicũt apostolum prophetam magnum fuisse, uocantq; eum Auarijam, hoc est, sanctum uirum. Et Christiani à longe uenientes, & sancti corpus uisitantes, asportant secum de terra illa in qua uir sanctus occisus dicitur, & de ea in potum missa faciunt infirmos bibere, & credunt illos hinc melius habere, atq; à diuersis liberari infirmitatibus. Aiunt anno domini M. CCLXXVII. tale apud eius tumbam factum miraculum. Quum princeps terræ illius messem risi haberet multam, & locus illi sufficiens non esset ad recondendum risum, usurpauit sibi domos & ecclesiam diui Thomæ, & in eas inuitis custodibus reposuit risum. Factum autem est ut paruo post tempore nocte quadam sanctus illi appareret, & manu fuscinulam ferream tenens, & ad guttur eius applicans, minaretur illi exitium, dicens: Nisi domos meas quas temere occupasti, citius euacuaueris, mala peribis morte. Et ille euigilans, statim ut edoctus fuerat, ecclesiam apostoli euacuauit. De qua uisione Christiani lætificati, deo & sancto suo gratias egerunt.

De idololatria paganorum illius regni. CAPVT XXVIII.

OMnes habitatores prouinciæ Maabar tã uiri q̃ mulieres nigri sunt, sed arte quadam nigredinẽ illam corporibus illinũt, putantes eximiã nigredinem illis decori esse. Vngunt enim paruulos ter in hebdomada oleo de sosima expresso, & ex hoc fiunt nigerrimi. Et quo quis nigrior inter eos fuerit, hoc pulchrior æstimatur. Idololatræ etiam qui inter eos sunt deorum suorũ imagines nigerrimas faciũt, dicentes deos nigros esse, & omnes sanctos. Dæmonem uero album pingunt, asserentes dæmones candidi esse coloris. Et quum hi qui boues adorant, ad bella procedunt, deferunt secum pilos bouis syluestris, eosq; ligant ad crines equorum suorum quibus insident: pedites uero ad scuta & crines suos pilos illos ligant, credentes se in bello tutos esse ab omni periculo, nam bouem syluestrem magnæ sanctitatis esse affirmant. B

De regno Murfili, in quo adamantes inueniuntur.

CAPVT XXIX.

VLtra regnum Maabar per mille milliaria est regnum Murfili, quod nemini est tributarium. Habitatores eius lacte, carnibus & riso uescuntur, atq; idola colunt. In quibusdam huius regni montibus inueniuntur adamantes. Nam quum pluit egrediuntur homines ad riuos aquarum, qui de montibus descendunt, & in arena multos legunt adamantes. Aestatis quoq; tempore ascendunt montes cum magna difficultate propter feruentem calorem undiq; æstuantem, periculo etiam magno sese exponentes, propter magnos serpentes qui ibi in maxima uersantur multitudine, & quærũt in uallibus montium atq; alijs decliuis & retrusis locis adamantes, & quidem fit, ut illos nonnunquam in magna reperiant copia: idq; in hunc modum. Morantur in montibus illis aquilæ albæ, quæ memoratis uescuntur serpentibus: & homines qui per montes discurrunt, & sæpe ob prærupta saxa, & præcipitia montiũ ad cõualles peruenire nõ possunt, projciunt in illas frustra recẽtium carniũ uidentibus aquilis, & hæc deinde ab aquilis sublata, nõnullos habent adhærentes adamantes, quos homines hoc ingenio uenantur. Aduertunt quò auis sublatã portet carnis portionẽ, & accurrentes abigũt aquilam, & lapillos carni adhærentes colligunt. Quòd si aquilæ in ualle proiectã comederint carnem, aduertunt lapidum scrutatores locũ ubi aquila noctu dormit, & egesta stercora discutientes eliciunt adamãtes, si quos cum carne deuorauit. Reges & nobiles harum regionum emunt pulchriores adamantes pro se, reliquos

sinunt

sinunt in orbē per mercatores dispergi. Abundat prouincia ipsa uictualibus & præsertim tanti sunt in ea arietes, ut maiores in mundo non inueniantur.

De regno Lae. CAPVT XXX.

RΕcedendo à prouincia Maabar occidentem uersus, occurrit prouincia Laë, in qua habitant Abraiamim, qui supra modum horrent mendaciū: non ducunt nisi unam uxorem: raptum & furtum execrantur: uino & carnibus non utuntur, nullumq; occidunt animal. Idololatræ sunt, & auguria sectantur. Quando quippiam emere uolunt, umbram suam prius in sole considerant, & tunc iuxta errorē suum mercatū absoluunt. Cibo modico utuntur, & magnas faciunt abstinentias. Vtuntur in cibo herba quadam, quæ plurimum digestionē iuuat. Nunquam per phlebotomiam sanguinem minuunt. Sunt inter eos idololatræ quidam, qui pro honore idolorū suorum religiosissime uiuunt. Nudi incedunt, nullam corporis tegentes partem, dicētes se minime erubescere, quòd sine peccato sint. Boues adorant, & cum magna reuerentia perungunt se unguento, quod de ossibus bouinis contritis faciūt. Scutellis dum comedunt nō utuntur, sed cibos super arida ponūt folia, decerpta ab arboribus quæ poma paradisi proferunt, aut super alia folia arida. Super folia recentia non comedunt, nec uirides herbas aut fructus comedunt: nam dicunt ista omnia quum uirent uiuere & animam habere, ideo nolunt ea occidere, ne scilicet grande committant peccatum, si ullam creaturam priuarēt uita sua. Super nudam terrā dormiunt, & cadauera defunctorū comburunt.

De regno Coilum. CAPVT XXXI.

DVm disceditur à regno Maabar, ad aliam mundi plagam per milliaria quingenta, occurrit regnum Coilum, in quo sunt Christiani multi & Iudæi atq; pagani. Rex eius nulli tributa pendit. Est quoque in ea regione lingua propria: & crescit ibi piper in magna copia. Nam nemora & campestria arbustis eius plena sunt. Colligitur uero in Maio, Iunio & Iulio. Crescit etiā
B ibi herba quædam, unde fit color quo tinctores utūtur, uulgo Endici dictus: quæ primum in uasis aqua repletis humectatur, & deinde in sole torrefacta, in minutas diuiditur partes, qualis ad nos deferri solet. Sunt in illa regione tanti calores, ut molestissimum sit illic uiuere. Flumina etiam adeò calescūt, ut ouum ad aquam eorum positum, citra magnam moram decoqui possit. Fiunt mercimonia multa in hac regione, propter ingens lucrum quod negotiatores hinc consequuntur. Inueniuntur quoq; ibi animalia multa, cunctis aliarum regionum animalibus dissimilia. Nam inueniūtur illic leones nigri, psitaci seu papagalli albi cum pedibus & rostris rubeis, & gallinæ nostris omnino dissimiles. Hanc diuersitatē putant accidere propter nimium calorē, qui ibi existit. Frumentum nullum ibi præter risum crescit. Potum loco uini faciunt ex saccaro. Habet plurimos astrologos & medicos. Nudi omnes incedunt, uiri & mulieres, obscœnis locis panniculo opertis. Vacant supra modum rebus uenereis. Adustione solaris caloris nigri fiunt & deformes, sed quod illis elegans esse uidetur. Ducunt consanguineas in tertio gradu uxores, similiter nouercam defuncto patre, & ianitricem fratre defuncto: quod etiam per totam Indiam obseruatur.

De prouincia Comari. CAP. XXXII.

COmari regio est in India, ubi polus arcticus uideri potest: ab insula uero Iaua usq; ad regionem istam uideri non potest: quum omnes intermediæ regiones ultra æquinoctialem sint circulum. Est regio ista ualde syluestris, habetq; animalia multa & dissimilia animalibus aliarum regionum, præsertim simias hominis effigiem exprimentes. Discurrunt quoque illic leones & leopardi in magna copia.

De regno Eli. CAPVT XXXIII.

EVndo à prouincia Comari uersus plagam occidentalem per trecenta milliaria, peruenitur ad regnum Eli, quod proprium habet regem & propriam linguam. Incolæ eius idola colunt. Rex ditissimus est, habetq; thesauros

multos, sed non est potens in populo: licet regio ipsa natura munita sit. Est in ea magna copia piperis, zinziberis & aliorum nobilium aromatum. Si quando nauis aliqua onerata præter rectorum eius intentionem ad illam prouinciam appulerit, puta tempestate aut alia necessitate id cogente, habitatores eius rapiunt quicquid in naui inuenerint, gubernatoribusq; eius aiunt: Instituebatis ad aliam diuertere prouinciam cum mercibus uestris, sed deus noster & fortuna uos ad nos direxit, & idcirco accipimus quod deus & fortuna nobis miserunt. Sunt in hac regione multi leones & feræ agrestes. A

De regno Melibar. CAPVT XXXIIII.

POst regnũ Eli peruenitur ad regnũ Melibar, quod in India maiori est ad occidentalem plagam, & habet regem propriũ nulli tributarium, atq; linguam propriam. Incolæ eius idola colunt. Inueniuntur in hoc regno sicut & in regno Gozurath illi propinquo piratæ multi, qui singulis annis cum centũ nauibus uagantur in mari, & capiũt transeuntes mercatores, atq; bona eorũ prædantur. Ducunt secũ uxores & filios, & tota æstate uersantur in mari, præcludentes mercatoribus semitã, ut nõ facile euadere possint laqueos eorũ. Nam cum uiginti nauibus occupant in transuersum centũ milliariũ spatium, quinq; milliarium spatio uni assignato naui. Et quum uident aduẽtare nauem aliquam mercatorũ bonis oneratam, signũ faciunt cum fumo, proximiori id indicantes naui, & hæc rursum naui tertiæ sibi collaterali id significat, unde fit ut fere in momento temporis omnium nauium gubernatores sciant adesse nauim quam diripiant. Concurrunt igitur tot naues quot necessariæ sunt ad prædandum nauem aduentitiam, & hominibus quidem captis nihil mali inferunt, sed exponunt eos in litus maris, & rogant eos, ut eant & alias adducant merces, transeantq; per terminos eorum. Est in hac regione mira abundantia piperis, zinziberis, & Indicarum nucum.

De regno Gozurath. CAP. XXXV.

ESt regno Melibar uicinum aliud regnum, quod Gozurath uocatur, habetq; regem & idioma proprium. Et est hoc regnum in India minori ad plagam occidentalẽ. Apparet in hoc regno polus arcticus super horizontẽ sex brachiorum altitudine, hoc est, septem uel octo gradibus cœlestibus. Sũt in hoc regno plurimi piratæ, qui quum mercatores ceperint, cogũt eos bibere tamarindos cum aqua maris, & illico fluxum patiuntur uentris. Quod ideo faciunt, quia mercatores quando à longe uident aduentare piratas, solẽt deglutire margaritas & lapides pretiosiores, ne illis per piratas eripiantur: sed illi horum astutiam non ignorantes, cogunt eos illico egerere glutitos lapides. Est in hac regione copia endici, piperis, & zinziberis. Sunt etiam ibi arbores, de quibus bombix in magna colligitur copia. Hæc arbor crescit sex passibus in altum, & fructum producit per uiginti annos, deinde ad nihilum ualet ultra. Paratur etiam in hoc regno corium quoddam nobilissimum, & quo uix melius inueniri potest. B

De regnis Tana, Cambaeth, & alijs quibusdam. CAP. XXXVI.

A Prædicto regno itur per mare ad regna Tana, Cambaẽth, Semenath, & Resmacoram, ad occidentalem scilicet sita plagam in quibus mercimonia multa fiunt. Vnumquodq; autem illorum regnorum habet regem & idioma proprium. De his scribere multa non præualeo, quia sunt in India maiori, quam intactam fere relinquam, nisi ubi maris litus contingit.

De duabus insulis, in quibus uiri & mulieres separatim habitant.

CAPVT XXXVII.

VLtra regnum Resmacoram per quingenta milliaria uersus meridiem, in alto mari sunt duæ insulæ triginta milliaribus à seinuicem distantes, in quarum una morantur uiri sine mulieribus, uocaturq; insula masculina: & in alia fœminæ sine uiris, & hæc quoq; uocatur insula fœminina. Sunt autem Christiani, & habent inter se matrimonia. Mulieres nunquam ueniũt ad insulam uirorum, sed uiri uisitant mulieres, moranturq; cum illis tribus continuis

A nuis mensibus, unusquisque scilicet cum uxore sua in domo propria. Post hæc reuertuntur ad insulam suam ubi per residuum anni tempus manent. Et retinent mulieres filios masculos secum usque ad decimumquartum annum, postea mittunt eos ad patres. Mulieres aliud nihil agunt, nisi quod curam habēt filiorū, & fructus quosdam legunt. Viri uero laborant & curam habent quomodo uxores & filios nutriant. Vacant piscationibus, & infinitos capiunt pisces, quos recentes & desiccatos uendunt negociatoribus, & hinc multum habent lucri. Vescūtur lacte, carnibus, piscibus & riso. Abundat mare illud cetis & magnis piscibus. Viri regem non habent, sed episcopū suum dominum agnoscunt, subiecti archiepiscopo de Scoira.

De insula Scoira. CAPVT XXXVIII.

PRocedendo ulterius uersus meridiē per quingenta milliaria, occurrit alia insula Scoira nomine, cuius incolæ Christiani sunt, & habent archiepiscopum. Exercentur in ea insula multa mercimonia, nam abundat bombice & piscibus. Præter risum aliud non habent frumentum. Omnes nudi incedunt, & uiuunt lacte, carnibus & piscibus. Deferūtur à piratis multa bona ad hanc insulam, quæ rapta illic uendunt. Illi autem scientes nō Christianis, sed Saracenis & idololatris illa ablata, libēter ea emunt. Sunt in hac insula inter Christianos multi incantatores, qui pro libito suo naues in mari reuocare possunt ut uolunt: etiam si prospero nauis uehatur uento, illi arte sua diabolica possunt contrarium excitare uentum, qui nauem etiam inuitam reducat.

De magna insula Madaigascar. CAPVT XXXIX.

REcedendo ab insula Scoira, & uersus meridiem per mille nauigando milliaria, peruenitur ad Madaigascar, quæ inter maiores & ditiores mundi computatur insulas. Continere dicitur in gyro quatuor millia milliariū. Habitatores eius Mahumetani sunt, nullum habentes regem, sed quatuor senioribus per totam insulam parent. Producit hæc insula plurimos elephātos, ut
B nulla in orbe sit regio quę plures illa habeat. Est in ea & alia insula quæ Cuzibet uocatur, magna eboris nundinatio. Nam in toto orbe non putatur maior esse elephantinorum dentium copia, quàm in his duabus insulis. Non comeduntur in hac insula aliæ quàm camelorum carnes, quum illæ saniores incolis sint. Est autē illorum animalium maxima & penè infinita multitudo in hac insula. Sunt præterea in hac insula multa nemora sandalorum rubeorū, quorum gratia multę ibi fiunt mercantiæ. In mari uero cete grandia capiuntur, ex quibus ambrum colligitur. Sunt ibi leones, leopardi, cerui, damulę, & capreæ multæ, aliarumque bestiarum & auium multiplex uenatio. Inueniuntur denique ibi uariæ species auium, quæ in terris nostris nunquam uisæ sunt. Confluunt passim ad hanc insulam multi mercatores, facillimeque illuc nauigare possunt propter maris fluxū: nam à prouincia Maabar uenitur in uiginti diebus ad hanc insulam Madaigascar, iuuante nauem fluxu maris: sed difficillime reuerti possunt, quum uix in tribus mensibus aduersum fluxum superare possint. Nam tota ui mare in meridiem fertur.

De maxima aue Ruc. CAPVT XL.

SVnt & aliæ insulæ ultra Madaigascar uersus meridiem, sed quæ difficillime adiri possunt, propter uelocissimū maris cursum. Et in illis certo anni tempore apparet mirabilis species auis, quæ Ruc appellatur, aquilæ quidem habens effigiē, sed immensæ est magnitudinis. Aiunt qui illas uiderūt aues, plerasque alarū pennas in longitudine continere duodecim passus, spissitudinē uero eius proportionē tenere longitudinis: & totū auis corpus pennis in proportione respondere: auis uero ipsa tantæ fortitudinis, ut sola sine aliquo adminiculo elephantē capiat, & in sublime sustollat, atque rursum ad terrā cadere sinat, quo carnibus eius uesci possit. Ego Marcus quum primum hęc de illa aue audissem, putabam esse gryphonem, qui inter quadrupedia dicitur esse pennatus, leoni ex omni parte similis, nisi quòd faciem habet aquilæ similem: sed hi qui aues illas uiderant, constanter asserebant, nihil illis commune

esse cum ulla bestia, & quod duobus ut reliquæ aues incederēt pedibus. Habebat meo tempore magnus Cham Cublai nuncium quendam, qui in insulis illis tamdiu captus tenebatur, donec incolis earū satisfactum esset: & hic postliminio domum reuertens mira retulit de conditione illarum regionū, & de uarijs animalium speciebus quæ illic inueniuntur.

De insula Zanzibar. CAPVT XLI.

INuenitur etiam illic alia quædam insula, quæ in gyro continet duo millia milliarium, habens regem proprium & linguam singularem. Incolæ uero eius idola colūt. Sunt homines illi corpore grosso, sed breui. Et si staturę longitudo corpulentiæ responderet, gigantes uideri possent. Sunt fortissimi, ut etiam unus tantum ferre posset onus, quantum alij uix quatuor. Comedit etiam unus tantū cibum, qui quinq; nostratibus sufficere posset. Sunt omnes nigri, & nudi incedunt, uerenda duntaxat tegētes. Capillorum tam densam habent crispitudinem, ut cum aqua deliniti uix extendi in longum queant. Os est illis magnum, & nares sursum patentes. Aures quoq; habēt grandes, & oculos horribiles. Mulieres etiam ob oculos prominētes, os magnum, & nares grossas admodum deformes sunt. Viuunt lacte, carnibus, riso & dactylis. Carent uino, sed conficiunt potum optimum ex riso, saccaro, & alijs speciebus. Veniunt illuc multi mercatores propter ebur & ambrum. Nam sunt ibi plurimi elephanti & cete grandia. Viri huius insulæ fortes & bellicosi sunt. Et licet non habeant equos, tamen cum elephantis & camelis ad bella procedunt, extruētes castella lignea super elephātos, quæ tanta sunt ut quindecim uel uiginti uiri muniti ex uno pugnent portatili castro. Pugnant autē cum lanceis, gladijs & lapidibus: & sunt huiusmodi castra asseribus cooperta. Porrò quando ad bellum procedere uolunt, exhibent potum elephantis, quem ipsi pro uino in terram bibunt, quo audaciores sint in bello. Abundat ista insula leonibus, leopardis, & alijs uarijs bestijs syluestribus, quæ in alijs regionibus non inueniuntur. Habet præterea speciem animalis quod graffa uocatur, habent collum longissimum, passuum scilicet trium, cuius anteriora crura multo longiora sunt posterioribus. Caput eius est paruum, & color uarius, albus scilicet & rubeus cum roseis punctis per corpus dispersis. Est autem animal mansuetum, neminem lædens.

De multitudine insularum Indiæ. CAP. XLII.

SVnt præter memoratas insulas etiam plurimæ aliæ insulæ in partibus Indiæ, prioribus quidem ut principalioribus subiectę: quarum numerus ob multitudinem earum certo haberi nequit. Et quidem si nautis credimus & his qui diu sulcauerunt maria, est numerus earum duodecim millia & septingentæ, computando tam habitatas quàm non habitatas.

De prouincia Abasiæ. CAPVT XLIII.

DEscripsimus hactenus obiter insulas & regiones Indiæ utriusq;, maioris scilicet & minoris: maior incipit à prouincia Maabar, & terminatur ad regnū Rescomorā: minor uero incipit à regno Ciamba, & terminatur ad regnū Mursili. Nunc breuiter attingemus Indiā intermediā, quæ proprie Abasia appellatur. Igitur Abasia est regio maxima in septem diuisa regna, quibus singulis singuli præsunt reges. Et hi omnes sunt Christiani, præter tres Saracenos. Christiani crucē auream in fronte gestāt, quod eis in baptismo imprimitur. Saraceni uero habent signū à fronte usq; ad medium nasi. Sunt etiam illic multi Iudæi, qui ignito ferro in utraque maxilla signati sunt. Contingit hanc regionem alia quædam prouincia, Aden dicta, in qua beatus Thomas Christi fidem docuisse dicitur, & multos ad eandem conuertisse. Postea transtulit se ad regnum Maabar, in quo pro Christo mortem obijt.

De quodam episcopo Christiano, uiolenter à Sultano circunciso. CAPVT XLIIII.

ANno à CHRISTO nato M.CC.LVIII. rex unus & qui principalior erat in regnis Abasiæ, deuotione motus uoluit Hierosolymam uisitare atque

sepul-

A sepulchrum domini. Et quum id consiliarijs atque aulicis suis indicasset, illi omnino dissuadent propositum arripere iter, scientes plurima in itinere esse discrimina, præsertim quum illi per multas Saracenorum terras ambulandũ esset, sed ut episcopum aliquem sui loco mitteret consulunt, qui adeundo terram sanctam munus perferret in Hierusalem. Acquiescit rex sano consilio, mittitq; episcopum cum regia oblatione. Veniens autem episcopus in regionem Aden, quam Saraceni inhabitabant, & Christianos implacabili persequebantur odio, comprehensus à Saracenis, ad regem Aden ducitur. Rex uero quum ex eo didicisset quòd nuncius esset regis Abasiæ, missus ad terram sanctam, minis nititur cogere hominem, ut abnegato Christi nomine, Mahumeti suscipiat legem. Episcopus uero constanti animo in Christi perseuerãs fide, respondet se potius mortem subiturum, quàm deserto Christo, Mahumeto nomen dare. Tunc Sultanus ille iubet Episcopum in iniuriam Christi & despectum regis Abasiæ circuncidi, & circuncisum iterum mittit ad regẽ Abasiæ. Quo cognito rex Abasiæ, uolens Christi ulcisci iniuriam, coacto in unum magno exercitu cum peditibus, equitibus & elephantis castella gestantibus, mouet expeditionem contra regem Aden. At Sultanus conuocatis alijs duobus regibus, cũ ualido exercitu properat in occursum regis Abasiæ, commissoq; prælio, plurimi de exercitu Aden interficiuntur, & euadit rex Abasiæ uictor. Et intrans cum exercitu suo in interiora regni Aden, cœpit deuastare regionem, & occidere Saracenos, qui conglobati illi resistere conabantur, sed incassum, mansitq; per integrum mensem in regno illo, & illatis plurimis damnis, uictor cum magno honore domum redijt, gaudens impij Sultani ultam perfidiam.

Quàm diuersæ bestiæ inueniantur in prouincia Abasiæ. CAP. XLV.

VIuunt habitatores Abasiæ carne, lacte & riso: oleo uero utuntur de sosima facto. Habet regio ipsa multas ciuitates & oppida, in quibus plurimæ fiunt negociationes. Inuenitur ibi buchiranus optimus, & bombicini
B panni in magna copia. Habent quoq; Abasini plurimos elephantes, sed qui ibi non nascuntur, uerùm ab alijs regionibus & insulis importantur. Giraffæ autem, leones, leopardi, onagri, & diuersæ auium species quæ alibi non uisuntur, in magna ibi nascuntur abundantia. Habet præterea regio illa gallinas pulcherrimas, & struthiones grandes, asinis haud minores, aliarumq; bestiarum & auium multiplicem uenationem. Habet psitacos, & epimachos pulcherrimos: habet deniq; cattos diuersarum specierum, quorum aliqui humanam in facie exprimunt effigiem.

De prouincia Aden. CAPVT XLVI.

HAbet prouincia Aden regem proprium, quem Sultanum uocant, habẽs sub se Saracenos, qui supra modum exosos habent Christianos. Habet autem regio ipsa multas ciuitates & castra, & præsertim habet portum optimum, ad quem ex India plurimæ appellunt naues aromata deferentes. Et negociatores quidem Alexandrini illic ementes aromata, ponunt ea in naues paruas, atque septem diebus per flumen quoddam ducentes, postea humeris camelorum imponunt, & triginta dierum itinere per terram usque ad fluuiũ Aegypti deportant, & rursus in naues exonerantes, tandem usq; ad Alexandriam perducunt. Nec potest compendiósior haberi uia ab orientis partibus usq; Alexandriam. Negociatores uero illi ducunt secũ plurimos equos, quãdo nundinandi gratia in Indiam concedunt. Exigit autem rex Aden ab illis mercatoribus qui per regionem suam aromata & alias merces ducunt, uectigal maximum, unde plurimum ditescit. Quum Sultanus Babyloniæ obsideret ciuitatem Aconensem, & eam expugnaret, anno scilicet Domini M. CC. misit Sultanus Aden in auxilium eius triginta millia equitum, & quadraginta millia camelorum, nõ quòd usqueadeò illius cuperet augeri felicitatẽ, sed quòd omnes maluit extinctos Christianos. A portu Aden eundo uersus Septentrionem sita est ciuitas Escier, quadraginta distans milliaribus ab illo

portu

portu, & habet sub se multas alias ciuitates & castra, sed quæ omnia sunt de dominio regis Aden. Est quoq; iuxta hanc ciuitatem optimus portus à quo innumeri equi ducuntur in Indiam. Abundat hæc regio thure albo atq; optimo, quod de paruis arboribus, abietibus tamen similibus, stillat. Incolæ crebris incisionibus perforant harum arborum cortices, ut thus extrahant, tametsi calor quoq;, qui ibi maximus est, plurimum eliciat liquoris. Habet quoque regio ipsa palmas cum dactylis: sed præter modicum risum nullum producit frumẽtum, uerum aliunde importandum est. Abundat autem piscibus optimis, præsertim tunnis, qui ibi optimi habentur. Vinum non habent, sed ex dactylis, riso & saccaro optimum faciunt potum. Verueces qui in hac regione inueniuntur, sunt statura parui, auribus omnino carentes, sed loco earum cornua parua habent. Equi, boues, cameli atq; oues uescuntur piscibus, qui quotidianus illorum sunt cibus, quum illic ob immensum calorem herbæ & frumenta ex terra haberi non possint. Fit autem tribus anni mensibus piscium captura, scilicet Martio, Aprili & Maio, tantusq; illorũ capitur numerus, ut non facile explicari possit. Hos pisces siccant & seruant, atq; per totum annum animalibus edendos pabuli loco proponunt. Vescuntur autem animalia libentius desiccatis piscibus quàm recentibus. Fiunt etiam ab incolis panes bis cocti ex piscibus, idq; in hunc modum. Concidunt pisces minutatim, atq; contundunt in modum farinæ, & postea commiscent & subagitãt quasi pastum panis, atq; ad solem desiccari faciunt, & uiuunt ipsi & iumenta ipsorum de illis panibus factitijs per totum annum.

De regione quadam in qua Tartari habitant. CAPVT XLVII.

SCripsi hactenus de regionibus orientalibus ad meridiem expositis, nunc quasdam in Septentrionali plaga positas, quæ suprà in primo libro sunt omissæ, breuiter attingam, & quæ de illis didici annotabo. Igitur in interioribus Aquilonis partibus multi habitant Tartari, quorum rex est de progenie Imperatoris Tartarorum: & seruant ritus & mores antiquorum Tartarorũ. B
Sunt omnes idololatræ, coluntq; unum deum, quem Natigai appellant, putantes illum terræ habere dominium, & omnium eorũ quæ ex ea producuntur. Sonat enim Natigai in lingua eorum deum terræ. In honorem illius dei multa faciunt simulachra & imagines. Non habitant in ciuitatibus uel oppidis, sed in montibus & campestribus regionis illius: suntq; in maximo numero, frumento carentes, & lacte atq; carnibus uiuentes. Est magna pax & concordia inter illos, pariq; uoto suo obediunt regi. Habent equorum, camelorum, boum, ouium, & aliorum pecorum ferè infinitum numerum. Sunt etiam apud eos ursi maximi atq; uulpes insignes. Sed & onagri in magna illic inueniũtur multitudine. Inter parua uero animalia est quædam species apud illos, quæ delicatissimas suppeditat pelles, quas uulgo zebellinas uocant. Sunt quoq; alia quamplurima syluestria animalia ibi, de quibus multam percipiunt carnem ad comedendum.

De regione alia, ad quam propter lutum & glaciem difficilis patet accessus.
CAPVT XLVIII.

SVnt etiam regiones alię in hac Septentrionali plaga, sed priore adhuc interiores, quarũ una est montosa, uaria producens animantia, ut sunt rhondes, armelini, erculini uarij, uulpes nigræ & alia quædam, quæ hominibus illis lenissimas prębent pelles, & ad nostras per mercatores deferuntur regiones. Equi uero, boues, asini, cameli, & alia quæcunq; corpulẽta animalia, ad illa loca accedere nequeunt, usqueadeò est regio illa paludinosa & stagnis plena, nisi in medio hyemis quando omnia frigore rigent & constricta sunt dura glacie. Cæteris uero temporibus tametsi multa illic sit glacies, & magnum frigus, non est tamen glacies illa tam solida, ut currus & iumenta ponderosa ferre possit, quinimmo homines ipsi cum magna difficultate possunt pertransire terram illam, usqueadeò stagnantur omnia loca aquis & paludibus. Patet regio hæc uersus Septentrionem itinere tredecim dierum, in qua

supra

A supra modum abundant animantia ea quæ memoratas pretiosas suppeditāt pelles, unde incolæ multa assequuntur lucra. Nam accedunt eos mercatores & abducunt pelles illas in magna copia. Introducuntur autem in regionem ipsam hoc modo. Habent canes maximos asinorum instar, qui rhedis trahendis sunt assueti. Carēt autem uehicula illa rotis, facta de lignis leuibus & planis, ut duo homines in uno sedere & uehi possint, nec facile in luto merganтur propter latitudinem eius. Igitur quando mercator aliquis uenit, imponitur uehiculo, & ligantur ordine quodam sex canes ad uehiculum illud trahēdum, & quocunq; à ductore qui cum mercatore in rheda sedet diriguntur, illuc trahunt rhedam, transeuntes per lutum & aquam. Nec possunt ultra unius diei spatium laborem illum sustinere: sed transacto die, alij ad rhedam ligantur canes, quum pagi multi passim in regione illa inueniantur, & illic canes in hoc officio nutriantur. Per hūc itaq; modū potest mercator ad interiora illius peruenire regionis. Non autem ponuntur magna onera supra rhedas, quum canes præter mercatorem, aurigam & pellium fascem nihil ferè aliud trahere possint. Fit igitur ut negotiator quolibet die mutet uehiculum, canes & aurigam, donec perueniat ad montes ubi emat pelles.

De regione tenebrarum. CAP. XLIX.

ESt adhuc alia regio, prioribus regionibus multo uersus Aquilonem interior, quippe quæ extremum Septētrionis occupat locum, quam obscuritatem appellant, eo quòd multo per annum tempore ibi sol non appareat, & tunc nedum noctu ibi tenebræ sint, uerum & interdiu aër in modum crepusculi caliginosus sit: cuius regionis homines pulchri sunt, magni & corpulēti, sed pallidi. Regem non habent nec principem cui pareant, sed in morē bestiarum uiuentes, quod libet faciunt, nec mores nec ciuilitatem ullam curantes. Tartari uero qui illis hominibus sunt confines, sæpe regionem illam obscuram ingredientes, rapiunt animalia illorum, & quicquid inueniūt, aliaq; B multa inferunt damna. Et quoniam propter subito irruituram noctem periculum direptoribus imminet, ut illud euadant, hac utuntur cautela. Quando regionem ipsam prædam abducturi intrare disponunt, accipiunt secum equas pullos habentes, illosq; in ingressu regionis custodibus committunt, ut illic expectēt donec ipsi cum præda reuertantur, ut quum illis noctu sit regrediendum, æquæ nocturni itineris obseruatrices recta ad pullos suos contendant, omni uitato discrimine. Laxant enim noctu equabus habenas, illasq; libere quò suo instinctu feruntur, ire permittunt: & hę naturali ad filios tracti affectu, ducunt sessores suos ad pristinum locum, quem ipsi in tenebris minime inuenire potuissent. Habent etiam huius regionis incolæ uaria animantia, de quibus pretiosas abstrahūt pelles, & ad alias deferentes regiones magna hinc reportant lucra.

De prouincia Ruchenorum. CAP. L.

INhabitant Rucheni prouinciam maximam, quæ ferè usque ad polum arcticum excurrit: & sunt Christiani, Græcorum ritum in ecclesiasticis seruantes officijs. Sunt albi & pulchri, tam uiri quàm mulieres, flauos habentes capillos. Tributa pendunt Tartarorum regi, cui ad orientalem plagam confines sunt. Est etiam apud eos ingens copia pretiosarum pellium. Habēt quoque mineras multas argenti. Regio uero ipsa est frigidissima, quippe quæ ad mare protenditur congelatum. Sunt tamen in eo mari insulæ quædam, in quibus grifalchi, herodij seu falcones in maxima inueniuntur copia, & inde ad diuersas mundi partes deferuntur.

FINIS.

PRAEFATIO



IDEM accidit Haithono quod Marco Paulo Veneto: uterque enim primo librũ suũ uernacula scripsit lingua, ille in Italica, iste uero in Gallica, deinde ut seculum illud nihil præter barbariem coluit, uterq; infelicẽ & incultum nactus interpretem, rudiori stilo Latinis legendi traditi sunt, quàm ut tenerioribus auribus simplicitas illa arridere possit. Sed ueritatis simplex est oratio. Etiam inelegãter scribẽtibus suus debetur honor, quod alios ad ueritatis excitẽt inquisitionẽ. Fuit Haithonus iste Armenus, è regio natus stemmate, sed nobilitatẽ suam in Christo nihil esse arbitratus, seculum & ea quæ in illo sunt contemnens, monasticam elegit uitam, quò à seculi sequestratus tumultibus, Christo liberius uacaret. Scribit aũt hęc de seipso. Porrò interpres eius fuit Nicolaus Salcani, qui ex mandato summi põtificis Clemẽtis quinti in ciuitate Pictauiensi, primo hunc librum Gallice scripsit, prout illi ab Haithono dictabatur, ac deinde in Latinum ut potuit uertit, anno scilicet domini M. CCCVII.

HAITHONI ARMENI ORDINIS PRAEMONSTRATENSIS DE Tartaris Liber.

De regno Cathay. CAP. I.



REGNUM Cathay est maximum quod in orbe ualeat inueniri, & est repletum gentibus & diuitijs infinitis, & in oceani litore habet situm. Tot etiam sunt ibidem maris insulæ, quod numerus nullatenus potest sciri. Nam nullus penitus inuenitur, qui omnes illas insulas asserat se uidisse. Illæ uero quæ calcari possunt, reperiuntur innumeralibus abundare diuitijs & thesauris. Et illud fere quod in illis partibus carius emittitur, & habetur, est oleum oliuarum: & reges & magnates illud quasi medicamen pręcipuum, cum magna diligentia faciunt custodiri. In ipso etiam regno Cathay plura sunt mirabilia monstrosa quæ dicere prætermitto. Homines illarum partium sunt sagacissimi, & omni calliditate repleti, & ideo in omni arte & scientia uilipendunt omnes alias nationes: & dicũt, quòd ipsi sunt soli qui duobus luminibus respiciunt, Latini uero uno lumine tantum uideant: sed omnes alias nationes asserunt esse cęcas. Et per hoc certissime demonstratur, quòd omnes alios reputant esse rudes. Et uere tot res mirabiles & diuersæ, ac ineffabilis subtilitatis & laboris manuum ex illis partibus deferuntur, quod non uidetur esse aliquis qui in talibus illis se ualeat comparare. Omnes illi de illo regno Cathayni uocantur, & iuxta nationes suas multi tam uiri quàm fœminæ pulcherrimæ reperiuntur: tamen omnes cõmuniter paruos habent oculos & naturaliter barba carent. Isti uero Cathayni ualde pulchras habent literas quæ Latinis literis in pulchritudine quodammodo similes sunt. Secta uero illius regni gentium, uix posset aliquo modo enarrari. Quoniam aliqui sunt qui colunt idola de metallo, alij uero boues adorant, quia terram laborant, ex qua crescunt frumenta & alia nutritiua. Alij colunt magnas arbores, alij naturalia, alij astronomiam, alij solem colunt, alij uero lunam, alij uero nullam habẽt fidem uel legem, sed sicut bruta animalia, ducunt bestialiter uitam suam. Et licet sint perspicacissimi ingenij ad omnia opera corporalia exercẽda, nulla tamẽ inter eos spiritualium notitia inuenitur. Homines illius patriæ non sunt audaces, sed sunt mortis timidi plus satis quàm armigeros esse deceat, multum tamen sunt ingeniosi, & magis per mare quàm per terram de inimicis suis uictoriam reportarunt. Multa habent armorum genera, quæ non inueniuntur inter alias nationes. Moneta uero quæ in illis partibus expenditur, fit de papyro in forma quadrata, & est regali signo signata, & secũdum illud signum

illa

A illa moneta est maioris pretij uel minoris: et si forte illa moneta, propter uetustatem incipiat deuastari, ille uero qui illam habuerit, ad regalẽ curiã deportabit, tunc pro illa dabitur sibi noua. De auro uero & alijs metallis faciunt uasa & alia ornamenta. De isto regno Cathay, dicitur quod in principio mũdi, quia est in oriente ab uno capite, & in illa parte nulla est aliarũ habitatio gẽtium, ut refertur. Ex parte occidentis suos habet confines cum regno Tarsæ. Ex parte Septentrionis cum deserto de Belgiam. Ex parte uero meridiei, sunt insulæ maris oceani, de quibus superius est expressum.

De regno Varsæ, CAP. II.

IN regno Varsæ sunt tres prouinciæ, quarum dominatores se reges faciunt appellari. Homines illius patriæ nominãtur Iogour, semper idola coluerũt & adhuc colunt omnes, præter decem cognationes illorũ regũ, qui per demonstrationem stellæ uenerunt adorare natiuitatem in Bethlehẽ Iudæ. Et adhuc multi magni et nobiles inueniũtur inter Tartaros de cognatiõe illa, qui tenent firmiter fidem Christi. Alij uero idololatræ de partibus illis, sunt homines nullius ualoris in facto armorũ. Perspicacissimi tamen sunt ingenij ad omnes artes et sciẽtias addiscẽdas. Literas habẽt proprias, et fere omnes illarum partium habitatores abstinẽt à carnibus & uino, nec aliqua ratione occiderent quicquam uiuens. Illorum ciuitates ualde sunt amœnę, & tẽpla magna habent, in quibus idola uenerantur: frumẽta ibi crescũt abundanter, & alia bona grana, uino uero carẽt, & bibere uinũ reputant esse peccatũ, sicut faciunt Agareni. Istud regnũ Tarsæ ex parte orientis suos habet confines cũ regno Cathay supradicto, ex parte ocidentis, cũ regno Turquestan, ex parte septentrionis cum quodam deserto: ex parte uero meridiei, cum quadam ditissima prouincia, quæ uocatur Sym, quæ inter regnũ Indiæ & regnum Cathay habet situm: & in illa prouincia inueniuntur lapides adamantis.

B *De regno Turquestan,* CAP. III.

REgnum Turquestan, ex parte orientis suos habet confines cum regno Tarsæ, ex parte occidentis cum regno Persarum, ex parte septentrionis cũ regno Corasminæ, ex parte uerò meridiei, protenditur usq; ad desertũ Indiæ. In isto regno paucæ sunt bonæ ciuitates: planicies habet latas & bona pabula pro armentis, & ideo habitatores illius patriæ, ut plurimum sunt pastores, habitantes in tẽtorijs, & in talibus domibus, quæ de loco ad locũ possunt faciliter deportari. Maior ciuitas illius regni uocatur Ocerra. Parũ ibi colligitur de ordeo uel frumento. uino totaliter carent. Bibunt ceruisiam, & alia poculenta quę congerunt & lac. Risum & milium comedũt atq; carnes, & uocantur Turchę, & fere omnes tenent dogma pessimi Mahumeti: aliqui uero sunt inter eos, qui nullam penitus fidem habent uel legem. Literas non habent proprias, sed utuntur literis Arabicis in ciuitatibus siue castris.

De regno Corasminorum, CAP. IIII.

REgnum Corasminorum est bene munitum bonis ciuitatibus atq; uillis, & multi sunt ibidẽ habitatores, quia terra illa est fertilis & amœna, frumenta & alia bona grana colliguntur ibi in maxima quantitate, tamẽ modicum habent uini. Istud regnum suos habet confines cum quodã deserto, cuius per cẽtum diætas extenditur longitudo. Ex parte occidẽtis usq; ad mare Caspium protenditur: ex parte septẽtrionis confines habet cũ regno Cumaniæ: ex parte meridiei cũ regno Turquestã, superius nominato. Maior ciuitas illius regni uocat̃ Corasme, et Corasmi homines nominãtur. Pagani sunt, nõ habẽtes literas siue legẽ. In armis sunt ferocissimi qui uocãtur Soldini, & habent propriam linguam, literas atq; ritum Græcorum, & modo Græcorũ conficiunt corpus Christi, & sunt obedientes patriarchæ Antiocheno.

De regno Cumaniæ, CAP. V.

REgnum Cumanię est ualde magnum, sed propter aeris intemperiem male ab hominibus habitatur. Fit enim in locis aliquib. hyemali tempore tantum frigus, quod homines siue animalia non possunt uiuere ullo modo: in ali-

in aliquibus uero locis fit tantus calor in æstate, quòd nemo potest ibi esse per æstum, & etiam propter muscas. Regnum istud Cumaniæ est quasi totũ planum, & in illa planicie non reperiũtur arbores siue ligna, nisi forte iuxta aliquas ciuitates, quæ pomeria quædam habent. In campis & tentorijs habitant illæ gentes: stercora comburunt animalium loco ligni. Regnum Cumaniæ ex parte confines habet cum regno Corasme, & cum quodam deserto. Ex parte occidẽtis est mare maius, & mare detenue: ex parte septẽtrionis cõfines cum regno Cassiæ: ex parte meridiei protenditur usq; ad quoddam flumen magnum, quod reperitur in urbe quæ uocatur Etil. Anno quolibet congelatur, & quãdoq; per totum annum permanet ita firmiter congelatũ, quod glacies calcatur ab hominibus & animalibus sicut terra. In litore illius fluminis inueniuntur quædam arbores satis paruę: ultra uero & ex alia parte illius fluminis sunt gentes habitãtes uariæ & diuersæ, quæ non computãtur de regno Cumaniæ, obediunt tamen regi. Et quidam sunt qui habitant circa montem Cocas, qui mirabiliter est magnus & altus. Astures & aliæ aues rapaces albę sunt, quę in illis montibus oriũtur. Et iste mõs residet inter duo maria: quia ex parte occidentis est mons, ex parte orientis mare Caspium: & istud mare Caspium nullum habet introitum cum mari oceano, sed est sicut lacus: mare tamen propter ipsius magnitudinem appellatur: est enim maior lacus quàm reperiatur in orbe: quia protenditur à dicto mõte Caspio usq; ad caput regni Persarum, & diuidit totam terram Asiæ in duas partes: & illa pars quę est in parte orientis dicitur Asia profunda: & illa quæ est in occidẽte dicitur Asia maior, & multos retinet bonos pisces. Circa illum montẽ Caspium inueniuntur bubali, & alia multa animalia syluestria. Sunt etiam in illis partibus multæ insulæ, in quibus aues nidificant, & præcipue falcones, quæ Pegrim uulgariter appellantur, & Esmetliones, & Bosacci, & multę aliæ aues nascũtur ibidem, quarũ nusquam origo nisi in illis insulis inuenitur. Maior ciuitas regni Cumaniæ uocatur Sara, quæ fuit antiquitus nobilis & famosa: fuit tamen postrata, & quasi totaliter destructa per Tartaros, qui illam uiolenter ceperunt, sicut inferius exprimetur.

De regno Indiæ, CAP. VI.

Regnum Indię est ualde longum, est sitũ super mare oceani, quod in illis partibus dicitur mare Indiæ. Istud regnũ incipit à confinibus regni Persarum, & extenditur per orientem usq; ad unam prouinciã quę uocatur Balarem: & in illa prouincia reperiũtur lapides pretiosi, qui Balais appellãtur. Ex parte septẽtrionis perlongum est & magnum desertum Indiæ, ubi tot serpentes, & animalium diuersitates habitantes imperator Alexander dicitur inuenisse. In ipso regno prædicauit beatus Thomas Apostolus fidem Christi, & multas conuertit prouincias atque gentes: sed quia distãt multum ab illis terris & locis, in quibus fides colitur Christiana, ibi fides nostra est mulum diminuta, nec est ibi nisi quædam ciuitas, in qua habitant Christiani: omnes uero alij fidem Christi totaliter reliquerunt. Ex parte uero meridiei perlongum est mare oceanum, in quo sunt multæ insulę, sed homines degentes in illis sunt nigri, & nudi incedunt totaliter propter æstum, & colunt idola uelut stulti. In illis insulis inueniuntur lapides pretiosi, margaritæ, & aurũ, & multa genera specierum & rerum medicinalium, quę conferunt sępe hominibus huius mundi. Ibi etiam est quædam insula quæ uocatur Celan, & in illa reperiuntur lapides qui uocantur rubini & sapphiri, & rex illius insulæ habet maiorẽ rubinum & meliorem quàm ualeat reperiri. Et quando rex illius insulæ debet coronari, lapidem illũ manibus suis tenet, & sedens super equo circuit ciuitatem, & ex tũc omnes sibi obediũt tanquã regi. Terra Indiæ est quasi insula à deserto superius nominato, & mari oceano circũdata, ita quod uix posset aliquis introire illam terram, nisi ab uno latere tantum, uidelicet ex parte regni Persarũ. Et mercatores qui ad illam terram uolunt accedere, primo uadunt ad quandam ciuitatem quæ uocatur Hermes, quam Hermes philoso-

phus

A phus fundauit artificialiter, ut præfertur, & exinde transeunt per quoddã brachium maris, quousq; ueniunt ad quandam ciuitatem quæ Combaech nominatur: & ibi inueniuntur aues quæ uocantur papagai, quæ sunt uiridi colore: & tanta est in illis partibus illarum auium multitudo, quanta passerũ in hac terra. In illo portu inueniunt quęcunq; uolunt uenalia mercatores. Et si ultra uellent procedere, absq; molestia possent ire. In illa prouincia nõ habẽt abundantiam hordei uel frumenti: comedunt tamen illarum partium habitatores risum, milium, lac, butyrum, & fructus qui multi crescunt ibidem.

De regno Persarum, CAP. VII.

REgnum Persarum diuiditur in duas partes, quæ dicuntur solũmodo unũ regnũ, eo præcipue quod unus solus dominus illarũ terrarũ semper obtinuit principatũ. Prima pars Persarũ incipit in oriẽte à confinibus regni Turquestan, & protenditur per occidentẽ usq; ad magnũ flumẽ Phison, quod est primum inter quatuor flumina quæ fluunt de paradiso terrestri. Et ex parte septentrionis extenditur usq; ad mare Caspium: ex parte meridiei usq; ad desertum Indię. Prouincia illa est quodammodo tota plana: in medio illius duę sunt sitæ magnæ & opulentissimę ciuitates: quarum altera uocatur Boctara, altera Seonorgant. Habitatores illarum partium dicuntur Persæ, & habent propriam linguam: de mercationibus & terrarum laboribus uiuũt, uerum de armis se non ingerunt, nec de guerra. Antiquitus colebant idola, & ignẽ tanquã deũ præcipuum adorabant. Postq; uero secta Mahumeti illarũ partium dominium occupauit, effecti sunt uniuersaliter Saraceni, Mahumeti credentes falsissimis documẽtis. Alia uero pars incipit à Phison flumine supradicto, & extenditur per occidentẽ usq; ad cõfines regni Mediæ, & partim maioris Armenię. Ex parte uero septentrionis extenditur usq; ad mare Caspium. Ex parte uero meridiei habet confines cum quadam prouincia regni Medię. In illa prouincia sunt duæ maximæ ciuitates: quarum una uocatur Nesabor, & B alia Sachen: & tamen in secta moribusq; sunt similes alijs supradictis.

Videtur esse Ganges

De regno Medorum, CAP. VIII.

REgnum Mediæ est ualde longum & strictum: ex parte enim orientis incipit à regno Persarum, & partim cum regno Indiæ maioris, & extenditur per occidentem usq; ad regnum Chaldæorum. Ex parte septentrionis incipit à regno Armenię maioris, & extenditur per meridiem usq; ad ciuitatẽ Aquissam, quæ est sita supra mare oceanũ: & ibi reperiũtur margaritę grossiores, quæ portantur per orbem. In regno Mediæ sunt montes magni & par uæ planicies: & duæ sunt ibi regiones: & gentes quę in una ipsarum habitãt, dicuntur Saraceni, & alij uocantur Corduis. Duas habẽt etiam ciuitates magnas: una uocat᷑ Soracet, alia Queremon: legẽ & sectã tenẽt perfidi Mahumeti: literas habẽt Arabicas, & ad arma sunt boni sagittarij, pedites & ualẽtes.

De regno Armeniæ, CAP. IX.

IN terra Armeniæ sunt quatuor regna: tamẽ unus solus rex dominium semper occupauit. Longitudo terræ Armeniæ incipit à regno Persarũ, & extẽditur per occidentem usque ad regnum Turquiæ. Latitudo terrę Armenię incipit à Mirali ciuitate, quę dicitur porta ferri, quã rex Alexãder firmauit, propter nationes gẽtium uarias & diuersas, in profundo Asię habitãtes, quas nolebat posse habere ingressum in Asiã maiorẽ absq; suo mandato: & est illa ciuitas sita in quodam districto maris Caspij, & tangit magnum montẽ Cocas. Latitudo Armeniæ extenditur usq; ad regnũ Mediæ. In regno Armenię sunt plures magnæ & ditissimæ ciuitates: & ciuitas Taurisij est famosior, & plus alijs opulenta. In Armenia sunt magni mõtes, latæ planicies, & flumina magna, & lacus aquarũ dulcium & salsarum, in quibus piscium magna copia inuenitur. Gentes in terra Armeniæ habitantes, diuersis nominibus nuncupantur, secundum terras & regiones, in quibus degũt, & sunt equites & pedites strenui bellatores: in armis, equis & uestibus mores sequũtur & habitũ Tartarorum, qui sub eorum dominio longo tempore sunt detenti. Literas habẽt

Taurisium

אררט Armenicas,& alias etiam quæ dicuntur Haloën. In Armenia est altior mons A
Gen. 8. quàm sit in toto orbe terrarum qui Arath uulgariter nuncupatur, & in cacumine illius montis Arca Noë post diluuium primo sedit. Et licet propter abundantiam niuium, quæ semper in illo monte reperiũtur, tam hyeme quàm æstate nemo ualeat ascendere montem illum, semper tamen apparet in eius cacumine quoddam nigrum, quod ab hominibus dicitur esse Arca.

De regno Georgiæ, CAP. X.

REgnum Georgiæ ex parte orientis incipit à quodam magno monte qui uocatur Alboris: ibi multæ habitãt gentium nationes, & ideo uocatur illa prouincia Alania: exinde extenditur regnũ Georgię per occidentẽ uersus septentrionem usq; ad aliquas terras regni Turquiæ. Longitudo ipsius regni Georgiæ extenditur supra mare maius. Ex parte meridiei cõfines habet cum regno Armenię maioris: & istud regnum diuiditur in duo regna: unum uocatur Georgia, alterum uero Abcas nominatur: & semper ibi duo reges fuerunt: quorum alter est subiectus imperatori Asiæ, scilicet rex Georgiæ: sed rex Abcas est potens gentibus, & fortissimus munimẽtis: nec per imperatorem Asiæ, nec per Tartaros potuit subiugari. In isto regno Georgiæ apparet quoddam stupendum miraculum & monstrosum, quod dicere non auderem, neque credidissem, nisi proprijs oculis perspexissem: sed quia personaliter ibi fui, & uidi, dico, quod in illis partibus est quædam prouincia quæ uocatur Hamsem, quæ in circuitu bene habet tres diætas: & quantum extenditur illa prouincia tota, quadam caliginosa & tenebricosa caligine locus ille taliter obfuscatur, quod nullus est qui aspicere posit quicquã: nec est aliquis qui audiat ingredi terram illam: quoniam ad redeundũ tramitem ignorat. Habitatores illarum partium asserunt se sæpius audiuisse uoces hominũ uociferantium, cantum galli, hinnitus equorũ in sylua. Et per meatus cuiusdam fluminis, quod de loco illo egreditur, apparent signa certa quod sit gentiũ habi- B
tatio in eodẽ. Verum est quod legẽdo inuenitur in historijs regni Armeniæ & Georgię, quod quidã pessimus fuit imperator & dominator Persarum, nũcupabatur proprio nomine Sauoreus: idola colebat iste, & persequebatꝛ crudelissime Christianos. Quadam uero die præcepit, ut omnes habitatores Asiæ uenirent, & sua idola adorarent: & quicunq; eius dictis imperialibus contrairet, pœnam succendij pateretur. Vnde accidit quod quidam fideles Christiani potius quàm idola colerent, martyrium elegerunt: aliqui uero adorauerũt idola præ timore, & ne bonis temporalibus priuarentur: alij uero petierunt montes & monumenta, & in illis tutarunt se uiriliter contra permulti. Quidam uero boni Christiani tunc temporis in quadam planicie habitabãt, quæ Mogon dicebatur, & dum nollent modo aliquo idolis immolare, cogitauerunt de fuga, bonis temporalibus derelictis omnibus. Et dum ad partes Græciæ crederent se transferre, ipse pessimus imperator obuiauit, fugientibus Christianis in illa uidelicet planicie Hamsem, superius nominata. Quũque iussu Imperatoris deberent Christiani frustatim omnes uniuersaliter detruncari, clamauerunt ad dominum Iesum Christum, & continuo tenebrositas illa per syderum lumina obfuscauit, & Christiani pergentes recto tramite euaserunt: iniqui uero in illa tenebrositatis ualle usq; nunc resident, & residere debent usq; ad finem seculi, ut ab omnibus creditur & enarratur.

De regno Chaldæorum, CAP. XI.

REgnum Chaldæorum ex parte oriẽtis, à montibus Medię incipit, & protenditur usq; ad Niniue, maximã & uetustissimã ciuitatem prope flumẽ Tigris, & illa est ciuitas Niniue, de qua sancta scriptura loquitur. Ista ciuitas ad præsens est totaliter deuastata: sed per ea quæ adhuc sunt apparentia in eadem, firmiter credi potest, quod fuerit una ex maioribus ciuitatibus huius mundi. Latitudo regni Chaldæorum ex parte Septentrionis incipit à quadã ciuitate, quę uocatur Maraga, & extẽditur per meridiẽ usq; ad mare oceanũ. Maior ciuitas Chaldęorũ uulgariter nominatur Babylonia, & sic antiquitus dicta

A dicta fuit, in quam Nabuchodonosor filios Israël captiuos abduxit de Hierusalem sanctissima ciuitate. In regno Chaldæorum multæ sunt planicies, pauci montes, & modicæ aquæ, quæ per regnum discurrunt. Illi qui in Chaldea habitant, Nestoriani uocãtur aliqui in errore Nestorij, & literas habent Chaldeas: Alij uero sunt ibi, qui literis utuntur Arabicis, & sectam tenent falsissimam Mahumeti.

De regno Mesopotamiæ. CAP. XII.

Regnum Mesopotamiæ ex parte orientis habet initium à magna ciuitate Mosel, quæ sita est prope flumẽ Tigris, & per occidentem dilatatur usque ad flumẽ Euphratis, & ciuitatem Rohais, quę fuit ciuitas regni Abagari, ad quam fuit transmissa Veronica, quæ hodie Romę inuenitur. Et prope Rohais est terra Haran, in qua Abraham antiquitus habitabat, quam terram dominus præcepit relinquere, & se ad terram promissionis ultra flumen Euphratis transferre, secũdum quod in Biblia plenius cõtinetur. Istud regnum Mesopotamiæ Græco idiomate nominatur, eo quod inter ista duo paradisi flumina Tigris & Euphratis habeat sitũ. Latitudo istius regni habet initiũ ab uno monte Armeniæ qui uocatur Sanson, & dilatatur per meridiem usque ad desertum Arabiæ minoris. Istud regnũ multas habet planicies fertiles & amœnas, duos habet montes ualde longos, & fructus copiosos. Mons ille qui ex parte orientis, uocatur Siniar. Alius mons uocatur Lisson. Modicæ labuntur aquę per illam terram. Sed habitatores bibunt aquam de puteis & cisternis, & ipsorũ aliqui sunt Christiani, Syriani uidelicet & Armeni: Alij uero sunt Saraceni, & illorum tenentes legem & sectam. Christiani Armeni, sunt in facto equites & pedites ualde boni. Saraceni uero et Syriani nõ ingerunt se de armis, sed sunt artifices & cultores agrorum, & aliqui sunt pastores ouium, uerũtamen in loco quodam, qui dicitur Merdin: sunt aliqui Saraceni sagittarij ualde boni, eorum idiomate Cordinis appellantur.

Gen. 11
שנער

B

De regno Turquiæ. CAP. XIII.

Regnum Turquiæ est ualde magnum, & diuitijs opulẽtum. Venas habet argenti, ferri, æris & aluminis in maxima quantitate. Ibi etiam omnium frugum & fructuum atque uini copia inuenitur, & multa sunt ibi animalia, & præcipue boni equi. Confines habet ex parte oriẽtis cum Armenia maiori, & partim cum regno Georgiæ. Ex parte occidentis dilatatur usque ad ciuitatem Nataliæ, quæ supra mare Græciæ situm habet. Ex parte Septentrionis nullos habet cum aliqua terra confines, sed de longo in longum extenditur, supra litora maris maioris. Ex parte meridiei partim habet confines cum secunda Armenia, & partim cum Cilicia, & partim usque ad mare Græci dilatatur, & respicit insulam Cypri. Istud regnum à diuersis nationibus partium orientis Græcia appellatur, quia antiquitus Imperator Græcorum, terrã istam Turqui quasi pro suo proprio seruabãt, & per duces atque officiales Imperatoris tũc tẽporis regebatur. Postque uero Turchi occupauerũt terrã illã, & habitauerũt ibidem, elegerũt dominũ super eos, & illũ uocauerũt Soldã, quod idẽ est quod rex in idiomate Latinorum, & ex tũc terra illa fuit uocata Turquia, pręcipue à Latinis. In regno Turquię sunt plures prouincię, quę magnas & principales obtinẽt ciuitatęs. In prouincia Ligoniæ famosa ciuitas Comi inuenitur, quæ est maior ciuitas totius regni Turquiæ. In secunda prouincia, quæ dicitur Cappadocia, est ciuitas Cæsareæ Græciæ. Tertia prouincia dicitur Sauria, & est ibi ciuitas antiqua Seleucia. Quarta est Briquia nominata, & est ibi ciuitas Zichiæ Græciæ. Quinta dicitur Quisitan, & ibi est ciuitas Epheson. Sexta Bythynia, & ibi est ciuitas Nichor. Septima Paphlagonia, & ibi est ciuitas Gynapolis. Octaua dicitur Genech, & in ista est ciuitas Trapezonda. Et ista sola prouincia à paucis tẽporibus effecta est regnum per hunc modum. Quando Turchi occupauerunt dominium regni Turquiæ, non potuerunt ciuitatem Trapezondæ, nec eius pertinentias occupare propter castra fortiss. & alia munimenta, & sic permãsit in potẽtia

שולטן
Hebraice & Chaldaice sonat præfectũ

Imperatoris Constantinopolitani ad terram illam regendam. Vnum uero gubernatorem annuatim consueuerat transmittere Imperator, qui Dux dicebatur, unde accidit, quod quidam ex illis rectoribus seu ducibus rebellis effectus, tenuit terræ dominium pro seipso, & fecit se regem, & ille qui nunc tenet terram Trapezontis, fecit se Imperatorem uocari. Habitatores illarum partium sunt Græci, & ritum Græcorum sequuntur, & literas Græcas habent: nos uero posuimus Trapezondam, in numero prouinciarum, & non in numero regnorum, secundum quod nos instruunt historiæ partium orientis. In regno Turquiæ habitant quatuor gentium nationes, uidelicet Græci, Armeni, & Iacobini, isti Christiani sunt, & uiuunt de mercationibus & laboribus terræ: & Turqui, qui sunt Saraceni, & illius terræ dominium de Græcorum manibus abstulerunt, & aliqui sunt qui uiuunt de mercationibus & laboribus terræ, & habitant in ciuitatibus & in uillis: alij uero semper petunt nemora, & stant in campis hyeme & ęstate, qui ouium sunt pastores, & sunt sagittarij ualde boni.

De regno Syriæ. CAP. XIIII.

REgnum Syriæ ex parte orientis incipit à flumine Euphratis, & extenditur per occidentem, usq; ad ciuitatē Samaræ, quę est sita supra mare Gręciæ, in capite deserti Aegypti. Latitudo regni Syriæ ex parte Septentrionis, incipit à ciuitate Berytensi, & dilatatur usq; ad Craccum montis regalis. Ex parte orientis confines habet cum Mesopotamia, ex parte Septentrionis cū secunda Armenia: & in parte cum regno Turquiæ. Ex parte meridiei uersus occidentē nullos habet cū aliquo regno confines, quia mare Græciæ, & desertum Arabiæ sunt sibi à duabus partibus circumcirca. Regnum Syriæ diuiditur in IIII. partes siue prouincias, quæ propter ipsarum magnitudinem consueuerunt regna appellari antiquitus, & reges fuerunt retroactis temporibus in eisdem. Sed in historijs partium orientis prouincię non regna dicuntur. Prima prouincia, quæ est caput regni Syriæ, uocatur Sem, & in medio istius prouinciæ est sita nobilis ciuitas Damascena. Secunda prouincia dicitur Palæstina, in qua sancta Hierosolymitana ciuitas habet situm. Tertia dicitur Antiochia, & in illa sunt duę maxime ciuitates, uidelicet Halay, & Antiochia maior. Quarta prouincia Cilicia appellatur, ibiq; est sita inexpugnabilis ciuitas Tarsensis, in qua beatus apost. Paulus fuit natus, & ista Cilicia hodie Armenia nuncupatur. Nā postq; Christianę fidei inimici terrā illā de Grecorum manibus abstulerunt, & illā lōgo tēpore tenuerūt, Armeni conati sunt tātū quod terrā illā Ciliciæ eruerūt de populo paganorū, cuius quidem dominiū rex Armeniæ per gratiā dei tenet. In regno Syriæ habitant diuersæ gentium nationes, uidelicet Græci, Armeni, Iacobini, Nestoriani & Saraceni: ibi sunt etiam aliæ Christianorum nationes, uidelicet Syriani & Maronini. Syriani ritū tenent Græcorum, & fuerunt longo tempore obedientes sacrosanctæ Ro. ecclesiæ. Linguam loquuntur Arabicā: sed officiū ecclesiæ dicūt in literis Græcis. Maronini uero tenēt ritū Iacobitarū, & linguā & literas Arabicas habēt. Circa mōtē Libani, & in partib. Hierosolymitanis habitāt istę gētes, & sunt sagittarij boni: de culturis uiuūt. Syriani sunt multi, Maronini uero in modica quantitate. Lōgitudo regni Syriæ xx. dierū spatio terminatur: latitudo uero dierū quinq;, & in aliquo loco minus, secundum quod desertū Arabiæ, & mare Gręcię lōgius uel propinquius adhęret.

De imperio Saracenorum. CAP. XV.

SIcut in euangelio inuenit, tēpore natiuitatis domini nostri Iesu Christi, quū Imperator Ro. Augustus Cęsar totius orbis monarchię imperiū obtinebat: postmodū uero quidā Rex Persarū, nomine Cossorassath, fuit primus ausus Romano imperio rebellare, qui fecit se imperatorē Asię nominari, iste occupauit dominiū Persarū, Medorū, Armenię & Chaldęorū, & ipsius potētia tantū creuit, quod uiolēter terras illas gētibus Imperatoris Romani totaliter uacuauit. Et durauit dominiū regni Persarū cccxxix. annis. Postea uero

Saraceni

A Saraceni ab eis Asię imperium abstulerūt, sicut inferius clarius exprimetur. Anno domini DCXXXII. maledictum semen perfidi Mahumeti regnū Syriæ introiuit, & Saraceni expugnantes Damasci opulentissimam ciuitatem, de manibus Græcorum, qui illam longo tempore tenuerant abstulerunt, & postea in breui tempore totum regnum Syriæ occupauerunt. Postea uero obsederunt magnam Antiochiæ ciuitatem, in qua Græci illo tempore morabantur. Imperator Eraclius Augustus, Romanum administrans imperiū, hoc audiens, misit subsidium magnum Græcis, ut ciuitatem tuerentur à perfidis Saracenis, & dum gentes Imperatoris Eraclij ad quandam planiciem peruenissent, quam Possene nomināt, Saraceni ex opposito uenientes, cum eis bellum crudelissimum inierunt: magna quidem fuit altercatio inter eos, sed obtinuerunt finaliter Agareni, & in illo conflictu bellatorum innumerabilis cecidit multitudo, & usq; nunc apparent ibi ossa cadauerū in maxima quantitate. Vnde accidit, quod Græci qui in ciuitate degebant, nimio pauore perterriti, ipsam ciuitatem Anthiochiæ Saracenis cū certis pactis & conuentionibus dediderunt. Exinde præfati perfidiæ filij ingressi fuerunt Ciliciam, Capadociam, Licaoniam opulentissimas regiones, quas in paucis diebus eorum dominio subdiderunt: non enim erat qui eorum potentiæ posset contraire, & ideo in magnam fuerunt superbiam elati: unde parauerunt galeas, & alia nauigia multa, & uersus Constantinopolim carbasa direxerunt: sed primo descenderunt in Cyprum, & ceperunt maiorem ciuitatem illius regni, quæ Constantia uocabatur, ubi erat B. Barnabæ apostoli sepultura. Expoliata igitur infinitis diuitijs ciuitate, & innumerabilibus populis captis, funditus ipsam totaliter diruerunt, quòd nunquam fuit ulterius habitata. Exinde pergentes quoque fuerunt insulam Rhodi, & plures alias Romanas insulas deprædati, & multos inde abduxerunt captiuos: finaliter uero
B Constantinopolim applicuerunt, tam per terram quàm per mare illam ciuitatem magnificam obsederunt. Christiani quidem tantam inimicorum copiam intuentes, terrore ualido sunt perculsi, & dei misericordiam humiliter implorarunt: unde accidit nutu dei, quod licet tunc tempus esset ęstiuum, & mare à fluctibus quasi immobile permaneret, subito surrexit tempestas ualida, quæ perfidorum galeas & alia ligna ferè omnia submersit in mari, & inimicorū qui erant in illis nemo euasit. Alij uero hoc uidētes, continuo recesserunt. Christiani quidem uidentes per Christi misericordiam se ereptos, cū magna exultatione ordinauerunt diem annuum ad honorem saluatoris perpetuo solenniter celebrandum, & usque hodie ab omnibus Christianis illarum partium deuotissime obseruatur. Præfati uero iniquitatis filij Agareni per aliquod tempus dederunt se quieti: postea uero copioso exercitu congregato, regnum Persarum inuadere cogitarunt. Et primo fuerunt ingressi regnum Mesopotamiæ, deinde perrexerunt ad regnum Chaldæorum, quod erat sub dominio Persarum regis, qui non poterat resistere Saracenis, unde de terra illa fecerūt omnia uota sua. Rex uero Persarum Ascaiorth nomine, timens Saracenorum potesti subiugari, nūtios suos misit ad terras & regna, quæ erant circa flumen Phison, & ab eis subsidium implorauit, promittendo uenientibus magna stipēdia & honores. De regno igitur Turquestan, quod propinquius erat regno Persarū, congregauerūt se circa sex millia uirorum qui nominabantur nunc temporis Turquiniani, & iter arripientes regi Persarum dare subsidium intendebant. Transierunt quoq; flumen Phison, ex eo quod eorum consuetudo est talis, quod quocunq; uadant, secum ducāt filias & uxores, non poterant ire celeriter, sed per diætas paruulas incedebant. Saraceni uero, qui erant in regno Chaldæorum, quod subiugauerant, ut est dictum, timentes quod si exercitus Turquorum & Persarum congregarentur in unum, non possent eorum uota de facili adimplere, accepto cōsilio saniore, regē Persarū inuadere properāt, anteq; ei subsidium præberet. Rex uero Persarum dum non posset prælium euitare, cum gente sua se opposuit Saracenis,

cenis, & inito bello iuxta quandã ciuitatẽ quę Marga appellatur, magna fuit A
altercatio inter eos, & ab utraq; parte bellatores innumerabiles ceciderunt. Demũ uero Persæ terga uerterunt, & Saraceni uiriliter persequẽtes regẽ Persarũ inter alios occiderũt, & uictoriã reportarũt. Actũ anno DCXXXII. Persarum itaq; rege taliter interempto, & tam regno Persarũ, quàm pluribus alijs subiugatis, pręfati iniquitatis filij Agareni sibi imperatorẽ elegerũt, quendã uidelicet de progenie Mahumeti, & ipsum uocauerũt Caliph, & ordinauerunt quòd sedẽ teneret in † Baldac opulẽtissima ciuitate. In quolibet uero aliorum regnorum, quæ subiugauerant Agareni, constituerunt unum dominum, quem uocauerunt Soldan, deinde ceperunt ciuitates & uillas, & totã maiorẽ Asiã tenuerunt, pręter regnũ Abcar, quod est in Georgia, & pręter quandã aliã regionẽ regni Armeniæ, quæ Haloën uulgariter appellatur. Istę duæ regiones tenuerunt se contra Saracenos, nec uoluerũt eis modo aliquo obedire: & sic sumpserũt refugium & tutelam omnibus Christianis, quos Saraceni persequebantur, illos compellentes obedire Mahumeti falsissimis documentis. De Turquinianis uero superius nominatis, qui regi Persarum dare subsidiũ intendebant, breuiter sumus aliqua loquuturi, ut eorum historia, quæ inferius exprimetur, clariorem habeat intellectum. Isti uero Turquiniani, superius nominati, peruenerunt usq; ad quandã terram quę Corasen nuncupatur, ibiq; intellexerũt qualiter rex Persarum in conflictu fuerat interemptus: & ideo ulterius procedere noluerunt, sed ad detentionem illius terræ Corasen potius aspirantes, ipsam contra Saracenos crediderunt defendere & tenere. Hoc quoq; Saraceni uidentes, copiosum exercitũ congregauerũt, ut Turquinianos prædictos modis omnibus subiugarent. Sed Turquiniani uidentes Saracenorũ innumerabilem quantitatẽ, de prælio dubitantes, suos ad Caliphum nuntios destinauerũt, offerẽtes se obedire suis beneplacitis & mandatis, & rogauerunt ut eos sub suo dominio conseruarẽt. Hoc quidẽ gratum extitit Saracenis, & sic receperunt eosdem, & in alia terra illos habitare fecerũt, ubi rebellionis audaciam non timerent. Et imposuerunt eis certũ annuum censum domino persoluendũ, & plures alias seruitutes: & sic Turquiniani sub iugo Saracenorũ longo tempore extiterũt, quousq; regna Persarũ, Medorum, & Chaldæorũ redacta fuerũt ad falsam fidem pessimi Mahumeti. Et post hæc Caliphus seniores Turquinianorũ fecit ante suam præsentiã conuocari, & suasit eisdem, ut legem & sectã acciperẽt Mahumeti, & procurarent quod idem illud facerent omnes alij Turquiniani, promittens eis facere gratias & honores, si in hoc casu suis beneplacitis obedirẽt. Turquiniani aũt, qui nullã legẽ penitus sequebantur, mandatis Caliphi faciliter consenserũt, & effecti omnes perfidi Saraceni. Et tantum in processu temporis procurarunt, quod sectæ Mahumeti adhæserunt Turquinianorum sexaginta quatuor nationes, & fuerunt omnes Turquiniani conuersi ad fidem Saracenorum, præter duas tantummodo nationes, quæ fuerunt omnes ipsi ab alijs segregati illi qui noluerũt se conuertere. Ex tunc Saraceni cœperunt diligere Turquinianos, & eis gratia & beneficia inpẽdebant: unde multiplicati fuerunt in diuitijs & personis: sciuerũt enim sub dominio Saracenorũ sagaciter pertrãsire, quousq; rebellionis locũ & materiã inuenerũt, quibus captatis dominiũ abstulerũt à Saracenis, sicut insequẽti describetur. Annis uero CXC. VIII. regnauerunt in Asia Saraceni antequã dominiũ amiserũt. Sed exorta fuit quædã magna discordia inter eos, ita quod Soldani & alij principes terrarũ, qui tenebãtur obedire Calipho, cœperũt rebelles fieri cõtra ipsum. Ob hanc causam Saracenorum potestas fuit plurimum diminuta. In Constantinopoli uero erat tunc temporis quidam ualentissimus imperator, qui Dioges nes uocabatur: iste uiriliter & potẽter cœpit inuadere Saracenos: & recuperauit plures ciuitates & castra, quæ redacta fuerant sub potentiam inimicorũ tẽpore imperatoris Eraclij: & inter alias liberauit Antiochiæ ciuitatẽ, & fortes ciuitates Cilicię, quę hodie Armenia appellat̃, & partẽ regni Mesopotamiæ.

† Olim Babylon

B

A tamiæ. Idem dominium Christianorũ reduxit. Alia uero regna Asiæ sub Saracenorum dominio remanserunt, & illa tenuerũt quousq; Turquiniani eisdem terris et dominio prevaluerunt, sicut inferius clarius exprimetur. Anno M.LI. Turquiniani cœperunt primo in Asia dominari, hoc modo uidelicet, quod quando Turquiniani fuerunt repleti diuitijs, & multiplicati plurimũ, in personis, uidentes discordiam quæ inter Saracenos uigebat, cogitauerũt de facili posse imperium occupare: unde super eos regem & dominum elegerunt, nec unquam prius de natione eorum habuerunt dominum generalem. Primus quidem eorum dominus uocatus fuit Sadoc. Assumpto domino, Saracenos uiriliter inuaserunt, & in breui tempore acquisiuerunt maioris Asię totam terram. Calipho uero nullam intulerunt molestiam uel grauamen. Et Turquiniani postquam dominium terræ Asię occuparũt. Caliphus timore potius quàm amore uolens eis in omnibus complacere, prædictum Sadoc eorum dominum, Imperatorem totius Asiæ ordinauit. Sed post modicum temporis spatium Sadoc sæpe dictus diem clausit extremum: huic uero successit quidam eius filius, qui uocatus fuit Dogrissa: & iste cœpit pugnare contra imperatorem Græcorũ, & plures ipsorum occupauit terras & castra: & misit quendam suum consanguineum, qui uocabatur Artot, ad inuadendum regnum Mesopotamię, & concessit sibi quicquid posset acquirere contra Græcos. Vnde idem Artot iuit cum magna gentium comitiua, & obsedit ciuitatem Rohais, quam sine moræ dispendio occupauit: deinde inuasit alias terras & loca, & totum regnum Mesopotamię dominio suo subdidit. In ciuitate uero Merdin tenuit sedem suam, & fecit se Soldanum ab omnibus appellari. Eo uero tempore obijt Dogrissa imperator Asię, & quidã eius filius Aspasalem nomine, sibi successit. Iste Aspasalem quendam nepotem habebat, qui uocabatur Solimã, qui erat perstrenuus in armis, & diu seruierat patri suo, & istum cũ magno exercitu in Cappadociam misit, concessit sibi omnia quæ posset acquirere contra Græcos. Solimã itaq; pergens cepit

B quamplures ciuitates regni Turquiæ, & dominiũ ipsius regni totũ suo subiugauit dominio, & fecit se nominari Soldanũ, & mutato suo proprio nomine, uocari se fecit Solimansa: & de isto Solimansa faciũt mentionẽ historiæ Passagij Godefridi de Bulliono: quia ille fuit primus qui se belliger opposuit Christianis. Postea uero obijt Aspasalẽ imperator Turquorũ, et successit sibi quidam eius filius, uocatus Melecla. Iste misit Soldanũ Mesopotamiæ Artot, & Solimansa Soldanũ Turquię ad obsidẽdã ciuitatẽ Antiochiæ qui post paucos dies ceperũt eandẽ: erat enim illa ciuitas ualde magna, & pauci erant in ea defensores, qui se opponerent Saracenis & hoc modo fuerũt Gręci de tota terra Asiæ pulsi per potentiam inimicorum fidei Christianæ. Post hæc uero Melecla imperator Turquorum decessit, & duos filios reliquit: primogenitus uero successit in imperio patri suo, qui uocatus fuit Belchiaroc: sed frater suus qui audacior eo erat, occupauit imperij magnam partem: & eo tempore quo Passagium Godefridi de Bulliono transiuit per Turquiam, Belchiaroc erat imperator Persarum, & Solimansa erat Soldanus Turquiæ qui multas inuasiones intulit Christianis antequã trãsiret ad regnũ Turquię. Postquã uero Christiani regnũ Turquiæ transiuerunt, ciuitatẽ Antiochiæ obsederũt: quo audito imperator Turquorũ misit ad subsidium ipsius ciuitatis quendam suũ ducem nomine Cerbagat, cum innumerabili multitudine bellatorum. Sed anteq̃ illud subsidiũ ueniret, Christiani iã occupauerunt ciuitatem, unde obsederunt illã undiq;: & sic Christiani, qui prius obsederũt, sunt obsessi. Demum uero Christiani egressi fuerũt de ciuitate per turmas & acies ordinati, & contra infideles præliũ iniuerunt, & ipsos cõtriuerunt omnes uelut stipulam, nutu diei. Illi uero qui euaserunt per fugæ remedium, ad regnum Persarum fuerunt reuersi, & inuenerũt quod Belchiaroc eorũ dominus, finẽ clauserat uitæ suæ. Frater uero suus uoluit succedere sibi, & imperium occupare: sed certi eius aduersarij irruerunt in eũ, & ipsum in frustra dissecuerunt:

secuerunt: quia nec postea potuerunt esse concordes ad eligendum imperatorem, uel generalem dominum super eos, imò diuisi inter se inuicem præliantes. Georgiani uero & Armeni maioris Armeniæ, hoc uidentes inuaserũt prædictos Turquos uiriliter & potenter, & ipsos de toto Persarum imperio fugauerunt: unde iuerunt cum uxoribus & filiis habitare in regno Turquiæ. & per hoc multum creuit potentia Soldani Turquiæ, ita quòd potentior omnibus est effectus, & usq; ad Tartarorũ aduentum tenuit pacifice regnũ suum, à quibus post modum fuit debellatus, sicut inferius exprimeretur. In regno Corasminorum erant quidam populi ad arma strenui, qui semper habitabant in tentoriis & campis, armentorum greges pascentes: isti audientes de regno Persarum, quòd esset absq; rectore & domino derelictum, ac defensoribus uacuatum, cogitauerunt illud posse faciliter occupari. Accepto itaque consilio, inter eos sibi ducem & dominum elegerunt quendam, qui uocabatur Ialaladinus, & in facto unanimiter pergentes, ingressi fuerunt regnum Persarum, & iuerunt usq; ad ciuitatem Corosij absq; contradictione cuiusquam: & ibidem residentiam facientes, præfatum eorum dominum Ialaladinum, Imperatorem Asiæ coronauerunt: crediderunt enim alia regna Asiæ ita faciliter subiugare, sicut fecerãt in regno Persarum, quod inierũt regnum, totum defensoribus uacuatum. Dicti Corasmini itaq; dederũt se solatio & quieti: & diuitiis regni Persarum repleti, in magna sunt superbia eleuati: unde procedentes iuerunt ad regnum Turquiæ, illud inuadere cogitantes. Sed Soldanus Turquiæ nomine Aladinus suum exercitum cõgregauit, & obuiauit Corasminis in introitu regni sui. Inter eos quidẽ fuit ingens prælium inchoatum: demum uero Corasmini terga uerterunt, & amiserũt eorũ imperatorem & dominum, qui fuit in prælio interfectus. Illi uero qui potuerunt fugere, congregrauerunt se in planiciebus Rohais, quid facturi essent de cætero cogitantes. Vnde ingressi fuerunt regnum Syriæ quod per unã dominam tunc temporis regebatur: & crediderunt illud regnum faciliter occupare. Sed illa nobilis domina in ciuitate Halap fecit suum exercitum congregari, & se opposuit Corasminis, & iuxta flumen Euphratem præliũ inierũt, ibiq; fusi fuerũt iterũ Corasmini, & fugam arripuerunt uersus desertum Arabiæ. Postmodum uero transiuerunt flumen Euphratem prope castrum Cacabæ: & ingressi fuerunt terras Assyriorum, & iuerunt usq; ad prouinciam Palæstinæ, uidelicet in regno Hierosolymitanorum: ibi quædam damna intulerunt non modica Christianis, sicut in historiis Godefridi Passagij plenius inuenitur. Finaliter uero ista Corasminorum progenies ad nihilum est redacta, & tempore satis breui. Quia dum prædicti Corasmini nollent suis maioribus obedire, separabant se per societates & turmas, & ibant alij ad Soldanum Damasci, alij ad Soldanum Ames, alij ad Soldanum Haman, alij uero ad alios Soldanos regni Assyriorum, qui tunc temporis erant quinque, & sicut stipendiarij seruiebant. Dux uero Corasminorum, qui uocabatur Bartat: præuidens se à gente sua taliter derelinqui, iuit ad Soldanum Babyloniæ, & obtulit se & suos ad eius beneplacita & mandata. Vnde Soldanus benigne suscepit Corasminos, & eos per exercitum suum diuisit, quoniam nolebat quod in simul morarentur, & ducem Corasminorum plurimum honorauit, & eidem dedit magnos reditus & prouentus, & usq; hodie heredes illius ducis in Babylonia honorantur. Per prædictos uero Corasminos potentia soldani Babyloniæ multum creuit, quæ ante ipsorum aduentum erat modica & exilis. Corasmini quoque modo prælibato diuisi demum ad nihilum redierunt. Et sic Corasminorum destructa natione, post modicum temporis spatium cœperunt postea Tartari in Asia nominari, sicut inferius plenius exprimetur.

De regione ubi prius Tartari habitabant. CAP. XVI.

REgio illa, in qua Tartari primitus habitabant, est sita ultra magnũ montem de Belgian, de quo monte fit mentio in historiis Alexandri. In illa uero

A uero regione habitabant Tartari tanꝗ homines bestiales, non habentes literas neq; fidem: greges pascebant animaliū, & de loco ad locum incedebant, quærentes pascua armentis. Ad armorū exercitium nō ualebant, sed erāt ab omnibus uilipensi, reddentes uectigal uniuersis. Plures Tartarorum fuerunt antiquitus nationes, quæ Moglos cōmuni nomine dicebantur: & creuerunt tantum, quod in septem principales nationes sunt diuisi: & illæ nationes magis nobiles fuerunt habitæ inter eos. Prima istarum nationum Tartarorum nominatur Tatar, quæ à prouincia in qua degebant primitus, nomen sumpsit: secunda appellatur Tangot, tertia Cunat, quarta Ialair, quinta Sonich, sexta Monghi, septima Tebeth. Quumq; istæ septē Tartarorū nationes starent sub obedientia uicinorū, ut superius est expressum, accidit quòd quidā homo senex, pauper, faber ferrarius, uisionem uidit in somno, militem uidelicet totū album, armatum, & super albo equo sedentem, qui ipsum nomine proprio appellauit, & dixit: Changie, uoluntas dei immortalis est, quod tu Tartarorū sis rector, & dominus super istas nationes Moglorū, & quod per te à seruitute uicinorum, in qua steterunt diutius, liberentur: & dominabuntur uicinis eorum, & uectigalia quæ præstare consueuerant, recipient ab eisdem. Changius fuit magna iocunditate repletus, audiens uerbum dei: & narrauit uisionem quam uiderat uniuersis. Sed duces & maiores istorum noluerunt credere uisioni, imò senē quodammodo deridebant. Nocte uero sequenti prædicti duces uiderunt militem album, & uisionem, sicut senex Changius omnibus reserauerat: & præceptum fuit eis ex parte dei immortalis, quod obedirent Changio, & sua mandata facerent ab omnibus obseruari: unde prædicti duces & maiores septem nationum Tartarorum congregatis populis fecerunt fieri obedientiam & reuerentiam Changio superius nominato, tanquam eorum domino naturali. Post hæc uero sedem suam statuerunt in medio ipsorum, & extendentes quoddam filtrum nigerrimum super terram, desuper sedere fecerunt Changium, & septem duces maiores eleuantes illū

Tartari olim Mogli

B posuerunt in sedē cum magno tripudio & clamore, & uocauerūt eum Cham primum imperatorem, solennem reuerentiam cum genuflexionibus eidem tanquam imperatori & domino facientes. De tali uero solennitate quā Tartari fecerunt, qui eorum primum imperatorem & dominū posuerunt, & de filtro nemo debeat admirari, quoniam forte pulchriorē pannum super quō ipsum ponerent non habebant: aut erant forsitan ita rudes, quod melius uel pulchrius facere ignorabant. Sed de hoc an nō posset aliquis admirari, quòd quum prædicti Tartari acquisiuerunt multa regna, & diuitias infinitas (quoniam dominium Asiæ tenent & opes, & usq; ad confines Hungariæ dominantur) nec propter hoc uoluerunt antiquam consuetudinem relinquere, siue modum: imò oportet quod confirmatione imperatoris Tartarorū ille modus totaliter teneatur, quem eorum ueteres ab initio tenuerunt. Et ego in cōfirmatione imperatoris Tartarorū bis personaliter fui præsens. Sed ad propositum redeamus. Changius Cham, qui factus fuit imperator de communi uoluntate & consensu omnium Tartarorū, antequam procederet ad alia, tentare uoluit an Tartari omnes sibi fideliter obedirēt: unde præcepta fecit quæ iussit ab omnibus obseruari. Primum præceptum fuit, quod Tartari omnes crederent & obedirent deo immortali, cuius nutu adeptus fuerat imperatoriam dignitatem: & hoc mandatum Tartari tenuerunt, & ex tunc cœperunt nomen dei immortalis inuocare: & usq; hodie in omnibus eorum operibus Tartari inuocant nomen domini. Secundo præcepit, quod computarentur omnes uiri, qui poterant arma ferre: & facta computatione præcepit, quod sub quolibet denariorum præponeretur unus, & super decem millia præponeretur unus, & super mille præponeretur unus: & uocauit aciem decē millia armatorum, turmam. Præcepit etiam septem ducibus, qui præerant septē nationibus Tartarorum, quod priores omnes dimitterent dignitates: & continuo hoc fecerūt. Aliud uero præceptum quod fecit fuit ualde stupendum:

Cham imperatoris cognomē apud Tartaros

præcepit enim ſeptem maioribus ducibus prælibatis, quod unuſquiſq; primogenitum ſuum adduceret, & ſibi caput manu propria amputaret. Et licet tale mandatum uideretur eſſe crudeliſſimum & iniquum, nullus tamen fuit auſus in aliquo contraire, eo quod ſciebant eum eſſe dominum prouiſione diuina, imò ſicut præceperat Imperator, continuo adimplerent. Poſtquã uero Changius † Can uota ſuorum nouit, & uidit quod uſq; ad mortem erant obedire parati, certum diem omnibus aſſignauit, in quo eſſent parati ad pugnã. Equitauerunt itaq; Tartari contra illos, qui magis erant uicini, & ſubiugauerunt eoſdem, & redacti fuerunt, qui prius erant eorum domini, in maximam ſeruitutẽ. Et inde proceſſit Changius Can contra plures alias nationes, quas ſuo ſubdidit imperio abſq; nimia tarditate. Nam omnia Changius Can faciebat cum modica quantitate, & proſpere ſuccedebat ei. Quadam uero die accidit, quòd Changius Can equitabat cum modica quantitate ſuorum, & obuiauit inimicis, qui erant numero ſatis plures. Inito quoq; bello, dum imperator Changius Can ſe uiriliter tueretur, accidit quod equus ſuper quo ſedebat cecidit, interfectus in pugna. Tartari uero quum uiderent eorum dominum proſtratũ inter acies bellatorũ, nulla fuit ſpes ulterius ſalutis, unde terga uertentes, inimicos per fugæ remediũ euaſerũt. Quumq; omnes ſimul intenderẽt ad perſequendum celeriter fugitiuos, & de rege proſtrato notitiam non haberent, Changius Can cucurrit, & ſe intra quædam arbuſtula occultauit, ut mortis periculum euitaret. Quumq; de pugna redeuntes campũ expoliarent, & quærerent occultatos, accidit quod quædam auis, quæ bubo à pluribus nominatur, ueniens ſuper arbuſtula illa ſedit, quibus maieſtas imperatoria tegebatur. Quærentes uero uiderunt autem illam ſedentem ſuper illis arbuſtulis, & propterea crediderunt neminem ibi eſſe, & abſq; eo quòd quærerent receſſerũt, dicentes intra ſe: Si eſſet hic aliquis occultatus, auis illa nullatenus hic ſederet. In ſilentio uero noctis Changius Can propter metum inimicorũ per deuia incedendo peruenit ad ſuos, & narrauit eis omnia quæ ſibi acciderant ſeriatim. Tartari quidem immortali deo gratias reddiderunt, & auis illa, per quam poſt deum Changius Can creditur euaſiſſe, in tanta reuerentia poſtmodum fuit habita inter eos, quòd quicunq; poteſt habere de pluma illius auis, reputat ſe felicem, & portant illam plumam Tartari in maiorem reuerentiam ſuper capitibus reuerenter. Ego uero feci mentionem de iſta materia in hoc libro, ut ſciatur cauſa, quare Tartari ſuper capitibus plumas portant. Changius Can imperator Tartarorum de eo quod à tanto diſcrimine euaſerat, gratias egit deo, & poſt hæc ſuos exercitus cõgregauit, & præfatos inimicos ſtrenue inuadendo omnes ſub iugo ſuo poſuit ſeruitutis, & ſic fuit Changius Can Imperator omnium regionũ, quæ erant citra montem Belgian, & illas poſſedit abſq; inquietatione cuiuſquam, quouſq; aliam uidit iterum uiſionẽ, ſicut in ſequentibus deſcribetur: & non eſt mirandum, ſi in iſtis hiſtorijs non poſui tempus certũ, quoniam licet à multis ſcire quæſiuerim ueritatẽ, non tamen potui inuenire qui ſuper talibus plenarie me doceret: & credo quòd talis ſit ratio, quare tempus certum iſtarum hiſtoriarum penitus ignoratur, quia ab initio Tartari literas nõ habebant, & ſic tempora & rerum geſta tranſibant abſq; eo, quod ab aliquo notaretur, & per hũc modum obliuioni poſtea tradebantur.

† alias, Cham

A … B (marginal section letters)

De Changio Can primo Imperatore Tartarorum. CAP. XVII.

POſtquam uero Changius Can omnia regna & terras quæ citra montem Belgian erant, ſuo dominio ſubiugauit, quadam nocte uidit aliam uiſionem. Vidit enim iterum militem album, qui ait, Changi Chan, uoluntas immortalis dei eſt, quod tu tranſeas montem Belgian, & uerſus occidentem dirigas greſſus tuos, & occupabis regna, regiones & terras, & imperio tuo ſubijcies multas gentes: & ut certus ſis, quoniã ea quæ tibi dico, ſunt ex parte immortalis dei, ſurge & uade cum gente tua ad montem de Belgian, ad locum ubi mare iungitur cum eodem, ibiq; deſcendens, & uerſus orientem cum nouem

uem

A uem genuflexionibus nouies immortalē deū adorabis, & ipse qui est omnipotens, tibi uiam ostendet, per quē montē poteris cōmode pertransire. Visa itaq; uisione Changius Can, gaudens surrexit, nec in aliquo hæsitauit. Nam prima uisio uelut uera, de alijs certitudinem sibi dabat: unde festinanter suos undiq; cōgregauit, & præcepit, quod sequerētur eum cum uxoribus & filijs & omnibus quæ habebant. Perrexerunt itaq; quousq; peruenerunt ad locū, ubi mare magnum & profundum montibus adhærebat, nec ibi uia siue transitus aliquis apparebat. Statim uero Changius Can, sicut præceptū sibi fuerat ab immortali deo, de equo descēdit: illud idem omnes sui uniuersaliter facientes, uersus orientem flexis genibus nouies adorabant, ab omnipotēti & immortali deo misericordiam & gratiam implorantes, ut transitum & uiam eis ostenderet abeundi. Steterunt quidem in orationibus nocte illa. Mane uero surgentes, uiderunt quod mare per nouem pedes retrocesserat à montibus, & dimiserat uiam latam. Stupefacti fuerunt omnes Tartari, hoc uidentes, & deo immortali gratias deuotissime reddentes, per uiam quam patentē uiderant transierunt, & uersus occidentem eorum uestigia direxerunt. Sed sicut inuenitur in historijs Tartarorum, postquam Changius Can & Tartari montes transiuerunt prædictos, passi fuerunt famis & sitis penuriam aliquibus diebus, quoniam terram inuenerūt desertam, & aquas amaras & salsas, quæ gustari nō poterant quoquo modo, quousq; peruenerunt eis omnia necessaria affluenter. Per plures uero dies traxit moram Changius Can in illa fertili regione. Sed accidit nutu dei, quod quædā uehemēs infirmitas inuasit eundem, de cuius conualescentia medici desperabant. Vnde Changius Can Imperator Tartarorum conuocauit ante se duodecim filios suos quos habebat, & monuit eos ut semper essent unanimes & concordes, & dedit eis tale exemplum. Præcipit enim, quod unusquisque filiorum portaret unam sagittam, & quum simul adessent omnes, præcepit maiori, ut omnes simul frangeret si ualeret. Ipse uero accipiens sagittas duodecim, conatus est illas fran-
B gere, sed non potuit ullo modo: deinde tradidit sagittas secundo filio & tertio, & sic de singulis, sed nullus fuit qui frangere posset illas. Hoc facto, præcepit quod diuiderentur sagittæ, & iussit minori filio, quod diuisim sagittas acciperet & frangeret unamquamq;, & ille faciliter omnes fregit. Tunc Changius Can uertit se ad filios suos, & ait: Quare filij mei non potuistis frangere sagittas, quas uobis dedi frangendas? At illi dixerūt: Domine, quia erāt plures simul. Et quare fregit illas iste minimus frater uester? Domine, quia singulariter & diuisim. Ita erit de uobis, ait Changius Can, quamdiu eritis unanimes & cōcordes, durabit imperium uestrum semper. Sed quàm cito eritis diuisi, dominia uestra ad nihilum reducentur. Multa alia bona exempla dedit Changius Can, quæ fuerunt à Tartaris obseruata: & dicuntur in lingua eorum Iasack Changij Can, id est, constitutiones Changij Can. Post hæc antequam decederet, sapientiorem & meliorem filium quem habebat, fecit recipi in dominum & imperij successorem, & uocabatur ille filius suus Hoccota Can. His finitis, Changius Can requieuit in pace, & filius suus Hoccota Can fuit positus in sede imperatoria patris sui. Sed antequam finem huic historiæ imponamus, dicemus qualiter nonus numerus inter Tartaros plurimum ueneratur. In memoriam enim nouem genuflexionum, quas fecerunt in monte Belgian immortali deo, sicut eis præceperat miles albus, & latitudinis uiæ nouem pedum, per quam transierunt, numerum reputāt esse felicem. Vnde, quicunq; uult domino Tartarorum aliqua præsentare, oportet quod offerat nouem res, si uult quod donum suum recipiatur gratiose: & dummodo sint nouem res quę pręsentantur, sic donū illud reputatur pro felici & bono, & talis consuetudo usq; hodie inter Tartaros obseruatur. *Nonarius numerus Tartaris sacer.*

De Hoccota Can secundo imperatore Tartarorum. CAPVT XVIII.

HOccota Can, qui in imperio patri suo successit, fuit homo strenuus atq; prudens, dilexerunt eum Tartari, & fidem & obedientiam erga ipsum fideli-

fideliter seruauerunt. Cogitauit itaq; Hoccota Can, qualiter posset totam Asiam subiugare, & primo uoluit experiri potentiam regis Asiæ, quàm personaliter se moueret, & uoluit cognoscere principem fortiorem. Decem itaq; millia equitum bellatorum transmisit, & dedit eis capitaneum strenuum & sagacem, qui uocabatur * Iste uero procedens cum Turcis ad pugnam, debellatus fuit ab eisdem, unde Tartari per fugæ subsidium se defendebant. His itaq; peractis, Hoccota Can elegit quendam ducem strenuũ & prudentem, qui uocabatur Baydo, & dedit sibi triginta millia militum Tartarorum, qui dicebantur Tamachi, uel conquisitores, & præcepit eis, quod per illam uiam recte incederent, quam iuerant decem millia Tartarorum, superius nominatorum, nec deberent in loco aliquo diutius commorari, quousq; peruenissent ad regnum Turquiæ, & tentarent si possent Soldano Turquiæ resistere, qui inter omnes principes Asiæ potentior dicebatur: & si forte tantæ esset potentiæ, quod eidẽ resistere non ualerent, non properarent ad pugnã, sed in aliqua terra bona darent se quieti, & significarent alicui ex filijs suis, qui propinquior esset eis, ut ipsis subsidium delegaret, & postmodum bellũ possent securius inchoare. Baydo igitur cum comitiua triginta millium Tartarorum per dietas suas incedens, peruenit ad regnum Turquiæ, ibiq; audiuit, quod Soldanus ille, qui priores fugauerat Tartaros, decesserat, & sibi successerat quidam eius filius, nomine Guiatadin. Iste uero de aduentu Tartarorum rumoribus intellectis, timuit ualde sibi, unde ad sua stipendia conuocauit quoscunq; habere potuit, tam Barbaros quàm Latinos, & inter alios habuit ad sua seruitia duo millia Latinorum, qui duos duces siue capitaneos habuerunt, alter quoq; habebat nomen Iohannes de Liminata, qui fuit in insula Cypri: alius uero uocabatur Bonifacius de Castro, qui fuit de Ianua oriundus. Misit etiam ad uicinos Soldanus, promittens uenientibus gratias atque dona: unde congregata magna multitudine bellatorum, gressus suos direxit ad locum, in quo Tartari morabantur. Tartari uero non fuerunt ullatenus stupefacti, imò prælium uiriliter susceperunt, in quodam loco uocato Consedrack. Demum uero obtinuerunt Tartari, & Turqui fuerunt uiriliter debellati, & sic occupauerunt Tartari regnum Turquiæ, anno domini millesimo ducentesimo quadragesimo quarto.

De Gino Can tertio imperatore Tartarorum. CAPVT XIX.

POst modicum uero temporis spatium, Hoccota Can diem clausit extremum: successit aũt sibi in imperio quidam eius filius, qui uocatus fuit Gino Can, cuius uita breuis fuit, & sibi successit quidam consanguineus suus, qui uocabatur Mango Can, qui fuit ualentissimus, atque multas prouincias suo imperio subiugauit. Demum uero tanquam magnanimus, per mare Cathay se transtulit ad quandam insulam capiendam: & dũ in obsidione illius insulæ permaneret, homines illarum partium qui sunt ualde sagaces & ingeniosi, miserunt homines qui se occulte immerserunt in aquam, & sub naui, in qua erat Mango, constiterunt tam diu, quoad nauem illam in locis pluribus perforarunt. Aqua quidem diu noctuq; paulatim per foramina ingrediebatur in nauem, nec aliquis perpendebat, quousque lignum funditus est demersum, & Mango Can fuit continuo suffocatus. Tartari uero qui cum eo uenerant, redeuntes fratrem suum Cobila Can in dominum elegerunt: & iste † Cobila Can XLII. annis tenuit imperium Tartarorum. Christianus fuit, & fundauit quandam ciuitatẽ quæ uocatur Ions, in regno Cathay, quæ maior est Roma, ut dicitur. Et in illa ciuitate moram traxit Cobila Can Imperator Tartarorum, usq; ad ultimum diem uitæ suæ. Sed dimisso imperatore Tartarorum, de tribus filijs Hoccota Can, & de Haolono, & suis hæredibus sumus aliqua narraturi.

† Cublai suprà in M. Paulo

De Iochi primogenito Hoccota Can. CAP. XX.

IOchi primogenitus Hoccota Can, equitauit uersus occidentem cum tota gente illa, quam sibi dederat pater suus: inuenit quasdam regiones illas, & terras

A terras fertiles & amœnas, & in omnibus diuitijs opulentas, unde ibi tentoria sua fixit. Acquisiuit igitur regnum Turquestan, & minorem Persiam, usque ad flumen Phison suum dominiū se extendit: cum gente sua traxit ibi morã semper, quæ multiplicatæ sunt in diuitijs & personis, & hæredes ipsius Iochi usq; nunc successiue illarum partium dominium tenuerunt. Et illi qui nunc tenent terras illas, sunt duo fratres, quorum unus uocatur Capar, alter Doax, & illi inter se diuiserunt terras & gentes, & illas possident pacifice & quiete.

De Baydo secundo filio Hoccota Can. CAPVT XXI.

BAydo secundus filius Hoccota Can, cum Tartaris quos sibi dederat pater suus, equitauit uersus partes Septentrionales, quousq; peruenit ad regnum Cumaniæ. Cumani uero, qui magnam habebant copiam armatorū, opposuerunt se Tartaris, credentes posse defendere terram suam. Sed demū fuerunt debellati, & fugerunt usq; ad regnum Vngariæ, & adhuc sunt multi Cumani ibidem habitantes. Postquam uero Baydo extra regnum Cumaniæ omnes fugauit Cumanos, ad regnum Cassiæ se transtulit, & illud etiam subiugauit, & occupauit terram † Gaczariæ, & regnum Bulgariæ, & per uiam qua Cumani fugerant, peruenit usque ad regnum Vngariæ. Post hæc iuerunt Tartari uersus partes Alamaniæ, quousq; peruenerunt ad quoddam flumen quod labitur per ducatum Austriacum. Tartari uero cogitauerunt transire per quendam pontem ibi factum. Sed dux Austriæ, & alij conuicini munierunt pontem, unde Tartaris fuit transitus denegatus. Baydo quidem furore accensus, præcepit quod omnes transirent, & ipse fuit primus ingressus, exponens mortis periculo se & suos. Nam antequam possent ad aliam ripam fluminis peruenire, equi fuerant fessi propter latitudinem fluminis & fortitudinem aquæ, unde Baydo submersus & suffocatus fuit cum magna quantitate suorum. Illi uero qui nondum ingressi fuerant aquas, hoc uidentes, magno dolore confusi, redierūt ad regnum Cassiæ & Cumaniæ, quæ occupauerant, ut est dictum. Deinde uero Tartari Alemaniam minime petierunt. Hæredes quidam prædicti Baydo successiue terras quas acquisiuerat, postmodum tenuerunt. Et ille qui dominium nunc tenet, uocatur Tochay, & uiuit pacifice & quiete.

† *alias Rasciæ*

B

De Gohagaday, tertio filio Hoccota. CAP. XXII.

GOhagaday tertius filius Hoccota Can, cum Tartaris quos sibi pater suus concesserat, equitauit uersus meridiem usque ad partes Indiæ minoris. Multa quidem inuenit deserta, mõtes & terras aridas, & totaliter derelictas, quod illas regiones non potuit pertransire, imò amisit gentium & animaliū maximam quantitatem. Tunc uero uertit se ad partes occidentis, & post multos labores peruenit ad fratrem suum Iochi, & quæ sibi in uia acciderãt, enarrauit. Iochi uero compatiens fratri suo, de terris quas acquisierat, sibi & genti suæ partem benignè concessit, & illi duo fratres semper simul postea habitauerunt, & usq; nunc eorum hęredes in illis partibus commorantur: ita tamen, quod hæredes minoris fratris reuerentiam portant hæredibus maioris, & contenti portionibus suis, simul uiuunt pacifice & quiete: & successor Iochi qui nunc uiuit, uocatur Barachi.

De Mango Can quarto imperatore Tartarorum. CAPVT XXIII.

ANno Domini M.CC.LIII. rex Armeniæ dominus Aytonus, uidens quod Tartari ferè subiugauerant omnia regna, regiones & terras usque ad regnum Turquię, accepto consilio sapientum, cogitauit ad Imperatorem Tartarorum personaliter se transferre, ut facilius captare posset eius beneuolentiam & amorem, & secum inire pacis fœdus. Sed primo transmisit dominum Sinibaldum Conestabulum regni Armeniæ fidelem suum, ut accepta ab Imperatore Tartarorum licentia, securius posset ire. Vnde prædictus frater regis dominus Sinibaldus cum xenijs multis, & pulchra gentium comitiua, iuit ad dominū Tartarorum, & negocia pro quibus transmissus fuerat, optime adimpleuit. Veruntamen per spatium annorum quatuor traxit

moram, antequam Armeniam remearet. Postquam uero rediit, regi ea quæ uiderat & fecerat seriosius enarrauit. Absq; igitur tarditate rex Armeniæ recessit occulte, dubitabat enim cognosci in terra Turquiæ, per quam ipsum transire modis omnibus oportebat: & sicut deo placuit, Soldanus Turquiæ tunc fuit uiriliter debellatus per quendam ducem Tartarorum, quem rex Armeniæ inuenit, & sui notitiam sibi dedit. Quumq; capitaneus ille intellexit de rege Armeniæ, quod ad Imperatorem iret, suscepit illum honorifice & benigne, & fecit illum secure conduci usq; ad regnum Cumaniæ, & ultra etiam Portam ferri. Postea uero inuenit rex alios duces Tartarorum, qui fecerunt illum conduci per omnes terras & loca, quousq; peruenit ad Almalech, ubi Mango Can Tartarorum Imperator & dominus residebat. Gauisus fuit Mango Can de aduentu regis Armeniæ, eo præcipue, quod postquã Changius Can montem Belgiam transiuit, nullus magnus princeps ei uenerat in occursum, & ideo cum magna beneuolentia & honore suscepit eundem, deditq; sibi de maioribus domus suæ, qui eum associarent, & in omnibus honorarent. Et ipse imperator multas gratias fecit regi Armeniæ. Rex autem Armeniæ postquam per dies aliquos requieuit, supplicauit Imperatori, quatenus super expeditione negociorum pro quibus ad eum uenerat, intendere dignaretur, & daret sibi licentiam redeundi. Imperator uero benigne respondit, quod omnia uota sua libentissime adimpleret, & quod ualde gratũ erat sibi, quod ad imperiũ suum uenerat sua spontanea uoluntate. Rex itaq; septẽ petitiones cum deliberatione formauit. Primo enim rogauit, ut Imperator cum gente sua cõuerteretur ad fidem Christi, sectis aliis omnibus derelictis, & se facerent baptizari. Secundo petiit, quod pax & amicitia perpetua inter Christianos & Tartaros firmaretur. Tertio requisiuit, quod in omnibus terris quas Tartari acquisiuerant, & quæ acquirerent, omnes ecclesiæ Christianorũ & clerici illarũ, siue laici, siue religiosi, ab omni seruitute & datia essent liberi & exempti. Quarto requisiuit, ut terram sanctam & sanctũ sepulchrum domini de manibus Saracenorũ auferret, & restitueret Christianis. Quinto ut intenderent ad destructionem Caliphi de Baldack, qui erat caput & doctor sectæ perfidi Mahumeti. Sexto requisiuit, ut sibi concederetur priuilegium speciale, quod à quibuscunq; Tartaris, præcipue regni Armeniæ propinquioribus auxilium imploraret, sibi dare omni mora postposita tenerentur. Septimo requisiuit, quod omnes terræ iurisdictionis regni Armeniæ, quas Saraceni occupauerant, & in manus Tartarorũ postmodum redierant, regi Armeniæ restituerentur: illas omnes quas rex acquirere posset contra Saracenos illos, haberet & teneret pacifice & quiete. Mango Can ergo petitionibus regis Armeniæ intellectis, suos fecit proceres & consiliarios conuocari, & regi Armeniæ in sua præsentia constituto, corã omnibus adstantibus sic respondit: Quoniam rex Armeniæ de longinquis partibus ad imperium nostrũ uenit nõ compulsus, sed sua propria uoluntate, decet imperatoriam maiestatem suis supplicationibus annuere, in his præcipue, quæ sunt licita & honesta. Vobis itaq; regi Armeniæ taliter responsurus sum, quod preces uestras acceptamus, & omnes faciemus cum dei beneplacito adimpleri. Primo quidẽ ego Imperator & dominus Tartarorũ me faciam baptizari, tenebo fidem quã tenẽt hodie Christiani, & omnibus aliis sub meo imperio constitutis consulam quod faciant illud idem, non tamen intendo uiolentiam facere alicui. Ad secundam requisitionẽ uestram taliter respondemus: Qua uolumus quod pax perpetua uigeat inter Tartaros & Christianos, ita tamẽ, quod uos principalem fideiussorẽ constituere debeatis, quod Christiani pacem & concordiam erga nos, sicut nos erga ipsos inuiolabiliter obseruent. Volumus etiam, quod omnes Christianorũ ecclesiæ, & clerici Christiani, cuiuscunq; conditionis existant, seculares siue religiosi, gaudeant in omnibus terris nostri imperii priuilegio libertatis, nec libeat alicui ex eis inferre molestiam quoquo modo. Super facto terræ sanctæ dicimus, quoniam si possemus

com-

A commode, perſonaliter ueniremus, ob reuerentiam domini noſtri Ieſu Chriſti. Sed quia multum habemus in iſtis partibus expedire, fratri noſtro Haolono dabimus in mandatis, quod negocium iſtud ſicut decet, ducat per omnia ad effectum. Eruet enim ciuitatem Hieruſalem, & totam terram ſanctam de manibus paganorum, & illam reſtituet Chriſtianis. Super facto Caliphi de Baldak nos dabimus in mandatis Baydo capitaneo Tartarorum, qui ſunt in regno Turquiæ, & alijs, quæ circa illas regiones inueniũtur, quod omnes obedire debeant fratri noſtro, & uolumus quod ipſe deſtruat Caliphum tanquam noſtrum capitalem & peſſimum inimicum. De priuilegio uero illo, quòd quærit habere rex Armeniæ ſuper habendo ſubſidio Tartarorum, uolumus quod illud dictetur iuxta ſuam plenariam uoluntatem, & illud faciemus libentiſſime confirmari. Vltimo uero de eo, quòd rex Armeniæ requirit, quatenus terras regni ſui per Saracenos ablatas, & poſtmodum per Tartaros occupatas, ſibi reſtitui faciamus, hoc etiam concedimus liberaliter & libenter, & uolumus quòd frater noſter Haolonus omnes dictas terras reſtituat ſine mora: & ulterius uolumus & mandamus, quod de terris quas acquiſiuimus, plana caſtra dicto regi in augmentum & tutelam regni ſui de ſpeciali gratia concedantur.

De Mango Chan, qualiter baptizatur in Chriſto. CAPVT XXIIII.

POſtquam igitur Mango Can petitiones regis Armeniæ liberaliter adimpleuit, & confirmauit per priuilegia mihi facta, continuo uoluit baptiſmatis recipere ſacramentum, unde baptiſatus fuit per manus cuiuſdam epiſcopi, qui erat cancellarius regni Armeniæ, & omnes illi de domo ſua fuerunt etiam baptiſati, & multi alij utriuſq; ſexus nobiles & magnates, & ordinauit de illis qui ſequi debebant Haolonum fratrem ſuum, pro ſubſidio terræ ſanctæ. Equitauerunt ergo Haolonus & rex Armeniæ ambo ſimul, quouſque tranſiuerũt magnũ flumen Phiſon. Haolonus quidem cum ſuo exercitu copioſo inuaſit regiones & terras undiq;, & antequam ſex menſium ſpatiũ
B laberetur, totũ regnum Perſarum, quia carebat domino & rectore, fuit faciliter ſubiugatum, cepitq; Haolonus abſq; reſiſtentia omnes terras, uſq; ad terram Aſſaſſinorum. Iſti uero Aſſaſſiani, ſunt homines infideles, nullam habẽtes legem, uel fidem, niſi ſicut eorũ princeps & dominus inſtruebat, qui Sex montium uulgariter dicebatur, ad cuius beneplacitũ & mandatũ, morti ſe ſponte & faciliter offerebant. Habebant enim præfati Aſſaſſini, quoddam inepugnabile caſtrum, quod Tigado dicebatur. Erat autem illud caſtrum omnibus neceſſarijs præmunitum, & ita forte, quod à nulla parte timebat inſultum. Pręcepit itaq; Haolonus cuidam duci, ut aſſumeret decem millia Tartarorum, quæ dimiſit in cuſtodia regni Perſarum, quod ſubiugauerat, ut eſt dictum, quibus caſtrum illud obſideret, & quouſq; illud caperet, non diſcederet ullo modo. Vnde prædicti Tartari in obſidione illius caſtri ſteterunt per uigintiſeptem annorum ſpatium tam hyeme quàm æſtate: finaliter uero Aſſaſſini dediderunt caſtrum propter defectum ueſtium, & non propter penuriam uictualium, uel in alia ratione. Eo uero tempore, quo Haolonus uacabat circa cuſtodiam regni Perſarum, & obſidionem caſtri Aſſaſſinorum, rex Armeniæ ab eo accepit licentiam redeundi, quia longo tempore ſteterat extra regnum. Haolonus itaque licentiam dedit regi, & eidem contulit magna dona, & inſuper mandauit præcipiendo Baydo, qui in regno Turquiæ, quod occupauerat reſidebat, ut regem Armeniæ conduci faceret ſecure uſq; ad introitum regni ſui. Cuius mandatum fuit per omnia adimpletum, & ſic poſt ſpatium trium annorum & dimidium reuerſus fuit rex Armeniæ ſoſpes & hilaris per gratiam Ieſu Chriſti.

De Haolono fratre Mango, qui deſtruxit Aſſyrios, & introiuit in regnum Perſarum pro fide Chriſti. CAPVT XXV.

POſtquam uero Haolonus de cuſtodia regni Perſarum, ſicut erat decens & rectum, ordinauit, tranſtulit ſe ad quandam Armeniæ prouinciam,

quæ uocabatur Sorloch: ibi tota æstate dedit se solatio & quieti: & ipse quoque hyeme ueniente obsedit ciuitatē Baldach, in qua erat Caliphus, qui magister erat & doctor sectæ perfidi Mahumeti, fecitq; Haolonus ad exercitum conuocari triginta millia Tartarorum, qui erant in regno Turquiæ: postq; congregauit undiq; gentem suam, insultari fecit ante litus ciuitatis, quæ uelociter absq; nimio moræ dispendio fuit capta. Caliphus quidem captus uiuus adductus fuit ante præsentiam Haoloni: & inuentæ fuerunt in Baldach tantæ diuitiæ, quod uix credendum esset, esse totidem in residuo huius mundi. Capta autem fuit ciuitas Baldach anno domini M.CCLVIII.

De Haolono, qualiter cepit ciuitatem Baldach, & destruxit Caliphum summum Pontificem Saracenorum. CAPVT XXVI.

POstquam uero Haolonus de ciuitate Baldach fecit omnia quæ uolebat, iussitq; Caliphum ante se adduci, & præcepit quòd ante se totum eius thesaurum poneret. Tunc uero Haolonus interrogauit Caliphum, dicens: Cognoscis'ne totum fuisse tuum quod uides? Vtique ait ille. Haolonus dixit: Quare tu tanto thesauro non conuocabas stipendiarios & uicinos, ut te & terram tuam tuerentur à potentia Tartarorum? At ille respondit: Quoniam credebam satis sufficere gentē meam. Tunc dixit Haolonus Calipho: Tu diceris doctor omnium credentium in falsa secta Mahumeti, & à tuis munerabaris: talis ergo magister & tantus alijs cibis cibari non debet, unde tibi damus in cibum ista omnia pretiosa, quæ tantum dilexisti & cum magna auiditate custodisti: & pręcepit ponere Caliphum in una camera, & ante ipsum proijci margaritas & aurum, ut de illis comederet quantum uellet: & præcepit, ne aliquis cibus daretur, aut potus alius propinaretur eidem: & sic morte pessima miser ille & auarus miserabilem uitam finiuit: nec unquam Caliphus postea extitit in Baldach.

De morte Caliphi. CAPVT XXVII.

POstquam uero Haolonus subiugauit Baldach, & terras alias circumcirca: prouincias diuisit per duces & rectores, sicut suæ placuit uoluntati, & præcepit, quòd ubiq; Christiani tractarētur benigne, & quòd eis castrorum et ciuitatū custodiæ traderētur. Saracenos quidē iussit ponere in maxima seruitute. Haolono quidē erat uxor Christiana, nomine Doucoscaron, & fuit de progenie illorum regum qui uenerūt ab oriente uisa stella natiuitatis domini, & ista domina deuotissima Christiana in perpetuam licentiam diruendi templa Saracenorum petiebat, & inhibendi, ne solennitas fieret in nomine Mahumeti, & fecit Saracenorum templa funditus deuastari, & in tantam seruitutem posuit Saracenos, quod non erant ausi ulterius apparere.

De persecutione sacerdotum in lege Mahumeti. CAPVT XXVIII.

POstquam uero Haolonus requieuit per spatium unius anni, tunc misit ad regem Armeniæ, quod ueniret cum gente sua ad ciuitatem Rohais in regno Mesopotamiæ: quoniam intendebat ire ad terram sanctam, ut illam redderet Christianis. Vnde rex Haithonus bonæ memoriæ, iter suum arripuit cum magna proborum armatorum uirorum, equitum & peditum comitiua: quia tunc temporis regnum Armeniæ in tam prospero statu erat, quod facere poterat duodecim millia equitum, & quadraginta millia peditum armatorum, & ego qui hoc tempore meo uidi, possum perhibere testimonium ueritati. Quumq; rex Armeniæ uenisset, sicut mandauerat Haolonus, & super negotio terræ sanctæ simul colloquium habuisset, ait rex Armeniæ Haolono: Domine, Soldanus Halappi tenet totius regni Syriæ principatū, in quo quidem regno sancta Hierosolymitana ciuitas inuenitur: & postquam intenditis terram sanctam acquirere, sicut mihi uidetur, primitus est Halappi ciuitas obsidenda, quæ totius regni Syriæ est caput & magistra, nam si ciuitas Halappi uestro subditur dominio, alias terras omnes poteritis faciliter obtinere. Consilium itaq; regis Armenię placuit Haolono: unde fecit obsidere ciuitatem Halappi, quæ erat fortissima ciuitas, muris circummunita, habitata, plena

Halappi Syriæ metropolis

A plena populis, & diuitijs opulenta. Haolonus quoque cum meatibus subterraneis, cum onagris, arcubus & balistis, & alijs generibus armorũ uarijs & diuersis, inuadi fecit undique sic uiriliter ciuitatẽ, quod licet inexpugnabilis uideretur, ipsam tamen uiolenter nouem dierũ termino occupauit. In ipsa quidem ciuitate, Halappi tantam diuitiarum incredibilẽ multitudinem inuenerunt, quod uix esset credendum. Erat autem quoddam castrum in medio ciuitatis, quod se tenuit per undecim dies postquã ciuitas iam extiterat occupata, demũ uero per meatus subterraneos fuit captũ: & capta fuit ciuitas Halappi, & deinde regnum Syriæ per Haolonum anno domini MCCLX.

De Haolono qualiter cepit ciuitatem Halappi & Damascum & acquisiuit terram sanctam usque ad desertum Aegypti. CAP. XXIX.

QVando uero Soldanus Halappi, qui uocabatur Melecnaser, qui tunc erat in ciuitate Damasci, intellexit quod ciuitas Damasci capta fuerat cum filijs & uxore, qui erant ibidẽ, nesciuit ad consiliũ ponere seipsum, nisi quod ad pedes Haoloni uenit, misericordiã implorando: sperabat enim per hoc, quod sibi uxor & filij redderentur, & pars aliqua ad suũ dominium tenendum: sed Soldanus fuit in sua opinione deceptus, quoniã Haolonus ad regnum Persarum destinauit ipsum cum filijs & uxore, ut absque inquietatione dominium Syriæ obtineret. His itaque sic peractis, de spolijs acquisitis in captione ciuitatis Halappi, regi Armeniæ, Haolonus contulit magnam partẽ, & de terris etiam quas occupauerat, regi quamplures concessit. Vnde rex Armeniæ accepit plura castra regno suo uicina, & illa fecit muniri ad suam liberam uoluntatem. Post hæc Haolonus misit per principem Antiochiæ, qui regis Armeniæ gener erat, dona, & ipsum principem plurimum honorauit, & dedit sibi priuilegia gratiosa, & omnes terras suę iurisdictionis, quas occupauerant Saraceni, & quæ ad suum dominium redierant, iussit quod principi redderentur libere & quiete. Et postquam Haolonus ordinauit ea

B quæ fuerant ordinanda, circa negocia ciuitatum & terrarum quas occupauerat, dum intenderet se transferre ad regnum Hierosolymitanum, ut terram sanctam liberaret de manibus Saracenorũ, & illam restitueret Christianis. Et ecce nuncius uenit tertia die, noua ferens de obitu fratris sui, & narrauit qualiter post obitum Mango Can uacauerat imperium Tartarorum, quod eius quotidie præstolabatur aduentus, ut ipsum in sede ponerent fratris sui. Haolonus quidem intellectis rumoribus de obitu fratris sui, fuit ineffabili tristitia circumuentus, unde ulterius non processit, sed ordinauit quendam suum ducem, nomine Guiboga, & dimisit ipsum cum decem millibus Tartarorum in custodiam regni Syriæ, & præcepit quod terram sanctam acquireret & restitueret Christianis. Quo facto, Haolonus festinanter recessit, uersus partes orientis dirigens suos gressus, & dimittens in Thaunisio natum suũ, per diætas suas processit.

De Cobila Can quinto imperatore Tartarorum. CAPVT XXX.

SEd antequam ad regnum Persarum peruenisset, ecce sibi nuncij quidam occurrerunt, qui narrauerunt qualiter omnes proceres & maiores fratrẽ suum Cobila Can posuerant in sede imperatoria Tartarorum: quo audito Haolonus dum in Thaunisio moraretur, ecce nuncij uenerunt ad eum, qui retulerunt sibi, quod Barcat cum maximo apparatu incedens, intenderet hæreditare si posset. His quoque rumoribus intellectis Haolonus, continuo gentem suam congregauit, & obuiauit inimicis suis super quodam flumine congelato, ibique fuit ingens prælium inchoatum. Propter multitudinem gentiũ & equorum glacies rupta est, & submersi fuerunt tam ab una parte quàm ab alia triginta millia Tartarorum. Exercitus uero utriusque partis absque alio processu redierunt tristes propter amissionem suorum. Guiboga uero, quẽ Haolonus dimiserat in regno Syriæ, & in prouincia Palæstinæ, terras illas tenuit pacifice, & diligebat multum Christianos. Nam ipse fuerat de progenie triũ regum, qui uenerunt natiuitatem domini adorare. Quumque dictus Guiboga solicite

solicite laboraret, ut terram sanctam reduceret in potentiam Christianorum, ecce diabolus inter ipsum & Christianos illarum partium semen scandali & discordiæ seminauit, & hoc accidit tali modo: in terra enim de Belfortis, quæ est de dominio ciuitatis Sidonensis, erant plures uillæ, in quibus Saraceni certum censum Tartaris exhibebant, unde accidit, quod certi homines Sidonis & de Belfortis congregati, in unum iuerunt ad uillas Saracenorum & casalia, & deprædauerunt eos, plures interfecerunt Saracenos, alios uero cũ magna multitudine bestiarum ducebant cum præda. Quidam uero nepos Guibogæ, qui ibi prope morabatur, cum parua equitum comitiua sequutus fuit celeriter Christianos, qui talia fuerant operati, ut diceret, ex parte auũculi sui, quod dimitterent prædam. Quidam ex ipsis Christianis irruerunt in eum & occiderunt eum, & quosdam alios Tartaros cum eodem, & noluerũt restituere prædã. Quando Cuiboga intellexit, quod Christiani interfecerãt nepotem suum tali modo, confestim equitauit & cepit ciuitatem Sidoniensem, & destruxit magnam partem murorum, paucos perdidit Christianos, qui ad insulam fugerant, nunquam tamen postea de Christianis Syriæ Tartari fiduciam habuerunt, neque Christiani Tartaris sunt confisi: postea uero Tartari pulsi fuerunt de regno Syriæ per potentiam Saracenorum, sicut inferius exprimetur.

De morte Haoloni, & qualiter Soldanus recuperauit terram Syriæ Aegypti.

CAPVT XXXI.

A INterea quoq; dum Haolonus haberet guerram cum Bartat, sicut superius est expressum, Soldanus Aegypti suo exercitu congregato, egressus est de Aegypto, & uenit ad prouinciã Palæstinæ, & in quodam loco uocato Henyaleck, prælium cum Guiboga capitaneo Tartarorum cõmisit, & idem Guiboga fuit debellatus & occisus in bello. Tartari uero, qui de prælio illo euadere potuerunt, iuerunt in Armeniam, & ex tunc regnũ Syriæ sub potestate Saracenorum fuit totum redactum, præter aliquas ciuitates Christianorum B positas prope mare. Quãdo uero Haolonus intellexit de Soldano Aegypti, qui regnum Syriæ inuaserat, & fugauerat gentem suam, cõtinuo suum exercitum congregauit, & misit ad regem Armeniæ, & ad regem Georgiæ, & ad alios Christianos partiũ orientis, ut uenirent parati contra Soldanum Aegypti & alios Saracenos. Quumq; Haolonus iam suum exercitũ congregasset, inuasit eum quædã infirmitas, quę eum detinuit per spatiũ quindecim dierũ, & ex illa infirmitate obijt Haolonus: cuius rei causa terræ sanctæ negocium iam incœptũ, fuit totaliter perturbatum post obitum Haoloni. Abaga filius eius tenuit dominium patris sui, & rogauit Cobila Can Imperatorem auunculum suum, ut ipsum in dominio suo cõfirmaret, & hoc fecit libenter: unde uocatus fuit Abaga, & cœpit dominari anno domini M.CC.LXIIII.

De Abaga filio Haoloni, qui patri in imperio successit. CAP. XXXII.

ABaga fuit prudens, & dominium suum prospere gubernauit, & fuit in omnibus fortunatus, præter in duobus, unum uidelicet, quia noluit effici Christianus, sicut extiterat pater suus, imò colebat idola, & fidẽ dabat presbyteris idololatriæ. Aliud, quia semper guerrã habuit cũ uicinis: & propter hoc Soldanus fuit longo tempore in quiete, & ex hoc Saracenorum potẽtia multum creuit. Tartari uero qui euadere poterant, de terris Tartarorum fugiebant ad Soldanũ, ut euitarent grauia onera quæ eis Tartari imponebant: propterea Soldanus fecit quandam magnam sagacitatẽ, quia misit nuncios suos per mare ad Tartaros, in regno Cumanię, & regno Russiæ, & fecit cum illis Tartaris compositionẽ & pactum, uidelicet quod quandocunq; Abaga moueret guerram cõtra terram Aegypti, quod ipsi inuaderent terram suam, & promisit dare magna dona eis: & hoc modo Abaga non poterat inuadere terram Aegypti: & Soldanus sine cõtradictione cuiusquam potuit inuadere Christianos, & terras Syriæ faciliter occupare: unde Christiani amiserunt ciuitatem Antiochiæ, & alia plura castra quæ in regno Syriæ possidebant.

De Sol-

A De Soldano Aegypti, qualiter debellauit regem Armeniæ, & unum de filijs eius cepit, alterum occidit. CAPVT XXXIII.

PRæterea Benedeclar Soldanus Aegypti ita extitit fortunatus, quod postea regnũ Armeniæ conquassauit. Nam accidit, quod rex Armeniæ cum magna gente iuerat ad Tartaros, & Soldanus hoc sciens, cogitauit inuadere regnum Armeniæ, unde misit quendam capitaneum suum loco sui cui tradidit gentem suam. Filij autem regis Armeniæ scientes Saracenorum aduentum, congregatis omnibus qui poterant arma ferre in confinibus regni, obuiauerunt Aegyptijs, cum quibus uiriliter pugnam inierunt: finaliter tamen fuit Armeniorũ exercitus debellatus: ex duobus filijs regis, alter fuit captus, alter uero occisus in bello. Saraceni itaque per regnum Armeniæ discurrẽtes, ferro totam planiciẽ deuastarunt, & bona infinita inde asportarunt in Christianorum maximum detrimentum. Exinde uero inimicorum potentia multum creuit, & regis Armeniæ posse fuit mirabiliter diminutum. Rex uero Armeniæ, qui semper solicite conabatur ad destructionem infidelium toto posse, intellectis infelicissimis rumoribus regni sui, fuit animo mirabiliter perturbatus, & die noctuque cogitabat qualiter Saracenis posset inferre grauamen, unde multoties inducebat Abagan & Tartaros ad destructionẽ sectę perfidi Mahumeti, & Christianorũ subsidium & iuuamen: sed Abaga propter guerram quam habebat quotidie cum uicinis, se sæpius excusabat. Rex Armeniæ uero perpendens, quod non poterat ad præsens habere subsidium Tartarorum, misit suos nuncios ad Soldanum Aegypti, & treugas cum ipso iniuit & firmauit, hoc faciens, ut de Saracenorũ carceribus posset redimere natum suum. Vnde Soldanus promisit regi, quod si sibi redderet quendam suum socium nomine Sangolascar, qui captiuus penes Tartaros tenebatur, & sibi restitueret castra ciuitatis Halappi, quæ occupauerat tempore Haoloni, ipse filium restitueret pristinæ libertati. Soldanus itaque restituit filium
B regis, & recepit socium suum, & rex restituit Soldano castrũ de Tempesack, & alia duo castra fecit dirui, ad requisitionẽ Soldani, & hoc modo filius Armeniæ regis fuit de carceribus liberatus. Post hæc uero rex Haithonus, bonæ memoriæ, qui XLV. annis regnum tenuerat, & multa bona fecerat Christianis, regnum & dominium suum contulit, & concessit filio suo Dn. Tiuono, de Aegypti carceribus liberato: & ipse renuncians pompis huius seculi, est religionem ingressus, & uocatus fuit Macarius, mutato proprio nomine, secundum consuetudinem Armeniorum, qui quando ingrediuntur religionem, mutari faciũt sibi nomen. Et post modicum temporis spatium rex Haithonus requieuit in pace, anno domini M.CCLXX.

De Abaga, qualiter introiuit Aegyptum, & destruxit Turquiam.
CAPVT XXXIIII.

ILle autẽ rex Armeniæ supernominatus fuit sapiens atque prudens, & suum regnum prouide gubernauit, dilectus fuit ualde tam à sua gente quàm à Tartaris, & ex toto animo studuit destruere Saracenos, unde suo tempore accidit, quod Abaga pacem composuit cum uicinis suis, qui longo tempore sibi fuerãt inimici. Tunc uero temporis Soldanus Aegypti ingressus fuit regnum Turquiæ, & ibi multos Tartaros interfecit, & de pluribus uillis fugauit eosdem. Nam quidam Saracenus, qui Paruana uocabatur, erat in regno Turquiæ capitaneus Tartarorum, & iste rebellis effectus contra Abagan, conabatur Tartaros omnes perdere & fugare. Abaga uero hoc audiẽs, equitauit ita propere, quod quadraginta diætas in quindecim dierũ spatio peregerit. Soldanus Aegypti audiens aduentum Tartarorum, subito de regno Turquiæ recessit, nec fuit ausus ulterius expectare, non tamen potuit ita celeriter arripere iter suum, quin Tartari qui uelociter sequebantur, attingerẽt exercitus sui finem, in introitu regni Aegypti in quodam loco, uocato Pasblanck. Irruentes itaque Tartari in posteriori custodia exercitus, ceperũt duo millia equitum Saracenorum, & diuitias multas acquisiuerunt, & ceperunt etiam

etiam quinque millia domos Cordinorum, qui in illa regione degebant. Perueniente uero Abaga usque ad confines terrę Aegypti, consultum erat sibi, ne ultra progrederetur propter æstum: terra enim illa est calida ultra modum, & Tartari, & eorum animalia, quæ à longe uenerant festinanter, non potuissent pondus ferre laboris & æstus: unde Abaga rediit in Turquiam, & fecit dissipari & destrui omnes terras, quæ rebelles extiterant & reddiderant se Soldano, Paruanam uero proditorem cum suis sequacibus iuxta morẽ Tartarorum per medium fecit scindi, & iussit quod in omnibus cibis quos erat comesturus, poneretur de carne illa Paruanæ proditoris, de qua comedit Abaga, & dedit suis proceribus comedendum, & talem ultionem sumpsit de Paruana proditore rex Abaga.

De Soldano Aegypti mortuo per uenenum. CAPUT XXXV.

POstquam ergo Abaga de regno Turquiæ sua uota compleuit, & Tartari fuerunt repleti prædis & diuitiis, quas acquisiuerant contra rebelles Saracenos, uocauit ad se regem Armeniæ, & sibi obtulit regnum Turquiæ, eo quod pater suus & ipse semper se gesserant fideliter erga dominium Tartarorum. Rex uero Armeniæ tanquam sapiens & discretus, de tanto dono obtulit Abaga multas grates, & à retentione regni Turquiæ se curialiter excusauit, asserens se nõ posse sufficere ad duo regna commode gubernanda. Nam Soldanus Aegypti erat in integro posse suo, & ad grauamen regni Armenię toto conamine intendebat: quare satis sibi facere uidebatur, si ad defensionẽ regni Armeniæ poterat consilium adhibere. Consuluit tamen rex Armenię, ut Abaga de regno Turquiæ taliter ordinaret antequam recederet, quod de rebellione nullatenus dubitaret, & nulli Saraceno daret dominium in Turquia. Abaga quidem acceptauit regis consilium, & nunquam postea uoluit quod Saraceni in illis terris dominium obtinerent. His itaque completis, rex Armeniæ requisiuit & rogauit, quod Abaga uellet intendere ad liberationẽ terræ sanctæ, & ipsam eruendam de manibus paganorum. Hoc Abaga promisit facere toto posse, & consuluit, quod rex nuncios suos mitteret ad Papam, & ad alios dominos & principes Christianorum, pro subsidio terrę sanctæ: Abaga uero in regno Turquiæ ordinatis quæ fuerant ordinanda ad regnum Corosten, ubi familiam suam dimiserat, est reuersus. Benedeclar uero Soldanus Aegypti, quum Tartari damnum sibi intulerunt, fuit ueneno potatus, & subito obiit in Damasco: de quo Christiani partium orientis fuerunt ualde gauisi, & Saraceni cœperunt multipliciter contristari. Nam post mortem Soldani non habuerunt tam bonum Soldanum, ut Saraceni communiter asserebant. Quidam uero filius suus Melecksait nomine successit in dominio: sed post modicum temporis spatium de dominio fuit expulsus per quendam qui uocatus fuit Ersi, qui uiolenter dominiũ usurpauit, & constituit se Soldanum.

De Mangodanior duce Tartarorum, qualiter aufugit de pugna propter timorem.

CAPUT XXXVI.

TErmino itaque ueniente, in quo Abaga debuit & potuit guerram mouere cõtra Soldanum Aegypti, ordinauit quod Mangodanior frater suus ad regnum Syriæ, cum triginta millibus Tartarorũ se transferret, & si forte Soldanus ueniret belliger cõtra eum, ipsum uiolenter debellaret, & si Soldanus uitaret prælium, occuparet terras & castra, & custodiendas traderet Christianis. Quando Mangodanior itaque per dietas suas processisset, quousque Armeniæ appropinquauit, tunc misit pro rege Armeniæ, qui continuo uenit cum pulchra equitum comitiua, & ingressi fuerunt regnum Syriæ, & iuerunt totam prouinciam deuastando usque ad ciuitatem Hames, quæ Camella hodie appellatur à pluribus, & est sita in medio regni Syriæ, ut fertur. In facie uero illius ciuitatis est quædam planicies ualde pulchra, ibique Soldanus Aegypti congregabat posse suum, intendens cum Tartaris præliari. Saraceni itaque ex una parte, & Christiani cum Tartaris ex aduerso ingens prælium iniuerũt.

Rex

A Rex itaq; Armeniæ cum Christianis ducebat & regebat exercitus dextrum cornu, unde ipse inuasit sinistrum cornu exercitus Soldani, & fugauit inimicos usq; ad ciuitatē Hames per tres diætas longas & ultra uiriliter. Almach etiam quidam Tartarorum, aliam partem exercitus Soldani uiriliter debellauit, & per tres diætas Saracenos fugauit, quousq; peruenit ad quandam ciuitatem quæ uocatur Tara. Quumq; crederent Soldani potētiam fuisse contritam, & ecce Mangodanior, qui nunquam uiderat discrimina præliorū, de quibusdam Saracenis, Bedinnis lingua Arabica nominatis, absq; rationali causa timens retrocessit, campum uictoriæ derelinquens, dimisitq; regem Armeniæ, & alium ducem suum qui inimicos fuerant persequuti. Quando uero Soldanus, qui omnia crediderat amisisse, uidit campum belli uacuum & totaliter derelictum, ascendit quendam monticulū cum quatuor armatis firmiter ibi stando. Rex uero Armeniæ rediens de conflictu, quum non inuenisset in campo Mangodanior, fuit plurimū stupefactus, cogitans uiam quā gradiebatur, post ipsum tenuit gressus suos. Almach uero prædictus, qui persequutus fuerat Saracenos quos fugauerat, per biduum expectauit, sperans dominū suum Mangodanior post ipsum, sicut debuit, equitasse, ut inimicos & prouinciam subiugaret, de quibus fuerant uictoriam consequuti. Cognita uero ueritate, de recessu Mangodanior, post ipsum ire festinauit, uictoriā derelinquens, & inuenerunt Mangodanior super litore fluminis Euphratis expectantem. Post hæc Tartari ad eorum prouinciam sunt reuersi. Rex uero Armeniæ cum gente sua in illo itinere passus fuit multa incommoda & labores. Nam propter uiarum longitudinem, & penuriam pabulorum equi Christianorum regni Armeniæ fuerunt totaliter fatigati, quod incedere non ualebant: & sic separatim Christiani per deuia incedentes, à Saracenis qui degebant in illis partibus, sæpius inueniebantur, & absq; misericordia cædebantur, unde maior pars totius exercitus regni Armeniæ amissa fuerat, &
B proceres quasi omnes. Et hoc infortunium Mangodanior accidit anno M. CCLXXXII. Postquam uero Abaga Can hæc omnia intellexit, congregauit undiq; gentem suam, & quum iam esset paratus contra Saracenos procedere toto posse: & ecce quidam filius diaboli Saracenus uenit ad regem Persarum, & quibusdam qui Abaga familiariter seruiebant, contulit multa dona, & cum eis taliter ordinauit, quod una die Abaga & fratri suo Mangodanior uenenum mortiferum propinaretur, ex quo ambo, proh dolor, excesserunt è uita in octo dierum spatio: per illos eosdem, qui scelus istud perpetrauerant, fuit primo comperta ueritas huius rei, & sic obijt Abaga Can anno domini M. CCLXXXII.

De Tangodor secundo filio Haoloni, qui succeßit Abaga in regno.

CAPVT XXXVII.

POst obitum Abaga Can congregauerunt se Tartari, & constituerunt dominum super eos, quendam fratrem Abaga, qui Tangodor uocatur, & alios fratres suos præcesserat. In diebus quidem iuuentutis suæ datū fuit sibi baptismatis sacramentū, & uocatus fuit in baptismate Nicolaus. Sed postq; fuit ætate perfectus, propter societatem Saracenorum quam dilexerat, effectus fuit pessimus Saracenus, & renūcians fidei Christianæ Mahumet Can uoluit se appellari, & toto conamine studuit facere quod omnes Tartari conuerterentur ad sectam iniquitatis filij Mahumeti, & quibus uiolentiam inferre forsitan non audebat, dona, gratias, honores conferebat. Tempore istius igitur Mahumeti Can, conuersi fuerunt ad fidem Saracenorū Tartari infiniti, sicut hodie euidenter apparet. Præcepit itaq; iste filius diaboli Mahumeti, omnes ecclesias Christianorū dirui, & ne Christiani auderent amplius celebrare legem & dogmata Christi, faciebat publice prædicari Mahumeten, & Christianos exules fecit. Iterū in ciuitate Taurisij fecit Christianorum ecclesias totaliter deuastari. Misit etiam suos nuncios ad Soldanū Aegypti, & firmauit pacis & concordię secum fœdus, & promisit quod omnes Christia-

nos qui in terris dominij sui erãt, compellerẽtur ad Saracenos, aut capitibus priuarentur: unde Saraceni fuerũt magna exultatione repleti: Christiani uero tristes & timidi incedebant, nec eis aliud residebat, nisi dei misericordiam inuocare: uidebant enim persequutionem Christianorum maiorẽ quàm unquam fuerat tẽporibus retroactis. Transmisit etiam prædictus diabolus Mahumetes ad regem Armeniæ, & ad regem Georgiæ, & ad alios Christianos, ut ad ipsum accederent sine mora: sed Christiani cogitauerunt potius mori in prælio, ꝙ̃ suis placere mandatis, quia nesciebant aliud remediũ inuenire. Quumq́ fideles Christiani in tãta essent cordis amaritudine positi, quod mori potius ꝙ̃ uiuere affectabant: ecce deus, qui sperantes in se nullatenus derelinquit, cõsolamen transmisit Christianis omnibus. Nam quidã frater istius Mahumeti, & quidam eius nepos, nomine Argonus, fuerunt isti Mahumeto propter mala opera sua contrarij & rebelles, & significauerũt Cobila Can maiori imperatori Tartarorũ, qualiter iste Mahumetes antecessorũ suorum uestigijs derelictis, effectus fuerat pessimus Saracenus Tartaros omnes quos poterat inducendo, ut efficerentur etiam Saraceni. Quo audito Cobila Can imperator, fuit plurimũ perturbatus, unde Mahumeto præcipiendo mandauit, quatenus corrigere se deberet, & à malis operibus abstinere, alioquin procederet cõtra ipsum. Ipse quidem Mahumetes mandato imperatoris intellecto, ira & indignatione fuit repletus: & quia nullus erat qui auderet suis uoluntatibus contraire, præter fratrẽ suum & prædictũ nepotem suũ Argonum, laborauit tantũ diabolicus ille Mahumetus, quod fecit interfici fratrẽ suum, & de nepote suo Argono intendens facere illud idem, iuit cum exercitu copioso, ut ipsum caperet & teneret. Argonus uero qui contra potentiã inimici nõ poterat belliger apparere, montes petijt, & in quoddam castrum fortissimũ introiuit. Idem uero iniquitatis filius Mahumetus dictũ castrum obsedit, stans circumcirca cum suo exercitu infelici. Finaliter uero Argonus se reddidit Mahumeto cum pacis interiectis conditionibus, uidelicet, quod sibi & suum dominiũ seruaret. Postquã Mahumetus Can tenuit Argonũ, tradidit eum conestabulo suo, & pluribus alijs magnatibus sub custodia cõcludendum. Et dum reuerteretur ad ciuitatẽ Taurisij, ubi dimiserat filios & uxores, dedit omnibus in mandatis, quod post ipsum incederẽt paulatim: conestabulo uero & quibusdã alijs, in quibus præcipue confidebat, iussit quatenus nepotẽ suũ occiderent, & occulte sibi caput afferrẽt. His itaq; taliter ordinatis, festinanter præcepit eis Mahumetus. Inter illos uero qui mandatũ susceperant tanti sceleris adimplendi, inuentus fuit quidam potens uir, quem Abaga nutriuerat, pater ipsius Argoni, qui pietate motus, armis susceptis, conestabulũ Mahumeti, & omnes suos sequaces nocte gladio iugulauit, & Argonũ à mortis periculo liberauit, & constituit Argonum rectorem & dominum super omnes. Vnde alij timore, alij uero amore obedientes fuerunt suis beneplacitis & mandatis. His itaq; sic peractis, Argonus cum comitiua suorũ fidelium, fuit persequutus celeriter Mahumetũ, & antequam Taurisiũ perueniret, personaliter cepit illum, quem captũ iussit per medium detruncari, & sic fuit interfectus canis ille pessimus Mahumetus, inimicus fidei Christianæ, antequam duorum annorum spatium in suo solio compleret.

De Argono filio Abaga, qualiter fuit dominus Tartarorum post mortem Tangodor pessimi Saraceni. CAPVT XXXVIII.

ANno domini M.CCLXXXV. post necem pessimi Mahumeti, Argonus filius Abaga Can, primi imperatoris, noluit se uocari Can, quousq; haberet à maiori domino in mandatis: & super eo misit Argonus ad magnũ Can nuncios speciales, quos magnus Can Tartarorum benigne suscepit, & honorifice tractauit, & de morte pessimi Mahumeti fuit plurimum consolatus, & transmisit de maioribus domus suæ, & Argonum in dominio confirmauit. Et ex tunc Argonus fuit ab omnibus Can uocatus, & fuit ab omnibus honoratus. Iste uero Argonus fuit aspectu pulcherrimus, & dominium suum

A suum tenuit uiriliter & prudenter. Christianos dilexit, & ipsos plurimum honorauit. Ecclesias quas Mahumetus dirui fecerat reparauit, unde accesserũt ad eum rex Armeniæ, & rex Georgiæ, & alij Christiani partium orientis, & supplicauerunt ei, quod consilium apponeret, & iuuamen, ut terra sancta liberaretur de manibus paganorum. Argonus quoq; benigne respondit, quod libenter faceret quicquid posset ad honorem dei & fidei Christianę, unde intendebat fœdus pacis componere cum uicinis, ut securius posset ire ad subsidium terræ sanctæ. Quumq; Argonus in hoc bono proposito perseueraret, pacem quærens cum uicinis, ecce quarto anno sui dominij transmigrauit. Quidam uero frater eius nomine Regayto, sibi successit, sed fuit homo nullius ualoris, sicut inferius exprimetur.

De Regayto successore Argoni. CAPVT XXXIX.

ANno domini M.CCLXXXVIII. post obitum Argoni Can, frater eius Regayto nullam habebat legem uel fidem, ad arma erat penitus nihil ualens, totus erat deditus luxuriæ & peccato, & in omnibus ducebat tanquã brutum animal uitam suam, uentris ingluuiem satiando superfluis potibus atq; cibis, per spatium sex annorum uixit in dominio: nihil aliud faciebat, unde per suam miseriam suis fuit exosus, & ab extraneis extitit uilipensus: finaliter fuit à suis proceribus suffocatus. Et post obitum suum, factus fuit dominus quidam eius consanguineus, nomine Baydo: iste Baydo fuit in fide Christi fidelis, rectus, & multas fecit gratias Christianis: sed dies uitæ suæ subito defecerunt, sicut inferius exprimetur.

De Baydo domino Tartarorum, & qualiter obierit. CAPVT XL.

ANno domini M.CCXC. post mortem Regayto, Baydo tenuit dominiũ Tartarorum. Iste Baydo tanquam bonus Christianus reædificauit ecclesias Christianorũ, & præcepit, quod nullus auderet dogmata Mahumeti inter Tartaros prædicare. Et quia multiplicati erant ualde illi, qui sectam tenebant perfidi Mahumeti, moleste tulerunt mandatum Baydo, & ideo occulte

B miserunt nuncios ad Casanum, qui fuit filius Argoni, & promiserunt sibi dare dominium, quod Baydo tenebat, & ipsum constituere dominũ super eos, si uellet renunciare fidei Christianæ. Casanus uero, qui parum curabat de fide, & qui dominium plurimum affectabat, promisit facere quicquid uellent, & propter hoc Casanus fuit rebellis effectus. Baydo uero congregauit gentẽ suam, intendens Casanum capere & tenere: proditionem enim quam gens sua sibi fecerat, ignorabat. Quumq; ad campum belli uenissent, ecce omnes illi qui sectæ adhæserant Mahumeti, relinquentes Baydo, fugerunt ad Casanum. Baydo quoq; uidens se ab omnibus derelictum, fugam arripuit, credẽs euadere, sed persequentibus inimicis fugiendo interijt.

De Casano filio Argoni, qualiter dominium usurpauerit, & gestis eius.
CAPVT XLI.

POst mortem Baydo Casanus fuit factus dominus Tartarorum, initio sui dominij non audebat contraire his quæ promiserat illis, qui eum in dominio posuerunt, qui Mahumeti sequebantur legem & sectam, & ideo austerũ se ostendit nimium Christianis. Sed postquam in sede dominij firmus fuit, cœpit honorare & diligere Christianos, multa fecit in uita sua ad cõmodum Christianorum, sicut in sequentibus audietis. Et primo destruxit quamplures magnates, qui suadebant ei, ut Saracenorũ fidei adhæreret, & persequeretur undiq; Christianos. Post præcepit omnibus Tartaris, qui in dominio suo erant, quod essent armis & omnibus necessarijs præmuniti, quoniam intendebant ingredi regnum Aegypti, & Soldanum destruere si ualerent, & hoc mandauit regi Armeniæ, & regi Georgiæ, & alijs Christianis partium orientis. Verum uerno tempore adueniente, Casanus suum exercitum congregauit, & direxit gressus suos per uiam de Baldach cum exercitu copioso. Quando uero Casanus peruenit ad terras Aegypti, cõgregauit in simul gentem suam. Soldanus qui uocabatur Melecnaser, iamdudũ de aduentu Tar-

tarorum rumoribus intellectis, cōgregauit posse suum, & uenit ante ciuitatē Mames cum maximo apparatu, quæ ciuitas est sita in medio regni Syriæ, ut refertur. Quumq; Casanus intellexisset, quod Soldanus contra ipsum intenderet præliari, ad obsidionem ciuitatis uel castri noluit perdere tempus suū, sed recto tramite celeriter uenit ad locum ubi erat Soldanus, & se posuit ex aduersa parte per unam diętam in quibusdam pratis, in quibus erat abundantia pabulorum. Vnde præcepit Casanus omnibus suis, quod in illo campo essent, quousq; equi requiescerent à labore quem passi fuerant in uia celeriter ueniendo. In societate uero Casani erat quidam Saracenus nomine Calphack, qui fuerat seruus Soldani, & fugerat ad Casanum propter metū Soldani, qui propter excessus intendebat illum carceribus mancipare. Iste Calphack à Casano receperat gratias & honores, & Casanus de eo plurimum cōfidebat, sed tanquam proditor maledictus per literas notificauit Soldano & Saracenis consilium & intentionem Casani, & misit qualiter Casanus morari intendebat in pratis illis, ut daretur requies equis suis, qui erant mirabiliter fatigati, & consuluit Soldano quod properaret ad pugnā quādiu aduersariorū equi erant fessi, quia faciliter posset de Tartaris uictoriam reportare. Soldanus Aegypti, qui apud ciuitatem Hames Tartaros proposuerat expectare, acquieuit tamen cōsilio proditoris, & cū electa multitudine suorū equitauit festinanter, ut ex improuiso insultū faceret in Casanum. Speculatores quidem exercitus Casani notū fecerunt aduentū Soldani. Casanus uero fecit edictū, ut omnes sui equitarent per acies ordinati, ut uiriliter reciperēt inimicos. Casanus ergo leone audacior, cū illis quos circa se inuenit, equitauit obuiam Saracenis, qui iam tantū appropinquauerant, quod præliū nō poterat euitari. Et cæteri qui per campum erant dilatati, ut requiem darent equis, nō poterant ad ipsum accedere festināter, unde Casanus præcepit militibus qui secum erant de equis descendere, & de illis in circuitum facere uelut murū, & cum arcubus & sagittis impeterent inimicos, qui laxatis habenis ad prælium properabant. Tartari uero descenderūt, & in circuitu ipsorū posuerunt equos suos, & acceptis in manibus arcubus & sagittis, expectauerūt quousque sagittæ possent ad inimicos cōmode peruenire. Et sic omnes simul Tartari sagittātes, qui in arte sagittandi mirabiliter sunt periti, equos inimicorū præcedentes taliter percusserunt, quod ante alios ceciderūt: unde illi qui sequebantur, qui cursu uelocissimo properabāt, inuenientes præcedentes prostratos, præcipitabantur super illos: unde de multis Saracenis euaserunt pauci, qui nō erant prostrati, aut sagittis Tartarorū letaliter uulnerati. Soldanus Aegypti: qui in acie illa erat, quàm ocius potuit retrocessit. Casanus hoc uidens, statim præcipit equos ascendere gentem suam, & inuadere uiriliter inimicos, & ipse fuit primus, qui Soldani aciē est ingressus, & tamdiu Soldanus cum modica societate suorū bellum sustinuit, prostrando & occidendo strenue inimicos, quoad Tartari muniti, & per acies ordinati uenerūt ad pugnā: tunc inceperunt omnes acies undiq; præliari, & durauit altercatio inter eos ab ortu solis usq; ad nonam. Finaliter uero Soldanus non potuit resistere audacię Casani, qui manu sua mirabilia fecit, & sic uertitur in fugam Soldanus cum omnibus Saracenis. Casanus itaq; cum gente sua persequutus fuit usq; ad noctis caliginem inimicos diuersimode occidendo, unde tanta fuit ibi Saracenorum strages, quod tota terra dispersa extitit corporibus mortuorum. Post conflictum nocte illa requieuit Casanus in quodam loco qui uocatur Cametum, gaudens & exultans ineffabiliter de triumpho quem contra Saracenos obtinuerat nutu dei. Actum hoc anno domini M.CCCX. die mercurij ante festum natiuitatis domini.

De uictoria quam habuit Casanus contra Soldanum Aegypti, & qualiter spolia diuisit inter socios. CAP. XLII.

HIs itaq; sic peractis, Casanus præcepit regi Armeniæ, & cuidā duci Tartarorum, qui uocabatur Molay, quod cum XL. millibus equitum Tartarorum

A rorum persequerentur Soldanum usq; ad desertum Aegypti, quod distabat à campo belli per duodecim diætas & ultra. Et præcepit quod apud ciuitatem Gacceræ ipsum expectarent aut eius mandatũ. Rex igitur Armeniæ & Molay prædictus cum XL. millibus Tartarorum ante solis ortum recedẽtes, Soldanum fuerunt celeriter persequuti. Post triduum uero Casanus misit ad regem Armeniæ quod rediret, eo quòd intendebat obsidere ciuitatem Damasci, & præcepit qaòd Molay procederet, sicut habuerat in mandatis, Saracenos omnes quos capere poterat perimendo. Soldanus uero quoq; fugit uelociter diu noctuq; dromedarios equitando, & in societate quorundam Beduinorum, qui eum conducebãt, Babyloniam mirabiliter est ingressus. Alij uero Saraceni diuersimode fugerunt, quò quilibet opinabatur se posse melius receptare: quorum magna quantitas perrexit per uiam Tripolis, qui per Christianos habitantes in monte Libani fuerunt interfecti crudeliter. Redeunte ergo rege Armeniæ ad Casanum, inuenit quod ciuitas Casana dediderat se Casano, & totum ærarium Soldani & exercitus sui quod ibi erat, fuit ante Casani præsentiam deportatũ, cuius multitudo extitit infinita: mirati fuerunt omnes super eo, quòd Soldanus tantas diuitias secum tulerat, dum intenderet præliari. Casanus ergo congregatis omnibus illis diuitijs, & omnibus spolijs quas lucrati fuerant Tartari, post triumphum diuisit omnia liberaliter inter suos, ex quibus omnes locupletes sunt effecti. Ego uero Fr. Haithonus, qui hanc historiam cõpilaui, interfui omnibus negocijs & prælijs quæ Tartari habuerunt cum Soldano à tempore Haoloni, sed nunquam uidi uel audiui dici de aliquo domino Tartarorum, qui plura fecerat in duobus diebus, quàm fecit Casanus. Nam prima die belli cum parua societate suorum contra Soldanum & magnam copiam inimicorũ prælium sustinuit, & de persona sua taliter se probauit, quòd inter omnes alios bellatores famã & laudem merito est adeptus. Et de sua probitate inter Tartaros narrabitur
B in secula seculorum. Secunda uero die tanta erat libertas & liberalitas cordis sui, quòd de omnibus diuitijs & infinitis thesauris quos acquisiuerat, sic inter suos distribuit & diuisit, quod in sua sorte non retinuit nisi unum ensem, & quoddam marsupiũ, in quo erant scripturæ terræ Aegypti, & innumerus exercitus Soldani, & similia. Et omnia alia distribuit liberaliter, ut est dictũ, Et hoc præcipue erat admirandum, qualiter in tantillo corpusculo tanta uirtutum copia inueniri poterat. Nam inter XX. mille milites, uix potuisset staturæ minoris aliquis reperiri, neq; turpioris aspectus, omnes tamen alios in probitate & uirtutibus excedebat. Et quia iste Casanus tempore nostro fuit, dignum est quod de suis gestis plenius enarremus: & ille Soldanus, qui per Casanum extitit debellatus, adhuc uiuit. Præterea illi qui ad Saracenorum intendunt præcipitium, & grauamen inferre uolunt, multa poterunt sumere documenta, his historijs plenius intellectis.

Postquam uero Casanus per quinque dierum spatium requieuit, & inter suos diuisit spolia innumerabilia, ut superius est expressum, per diætas suas iter suum direxit rectà ad ciuitatẽ Damasci. Quumq; ciues Damasci cognouerunt aduentum, timuerunt ualde, ne si Casanus eos caperet uiolenter, absque misericordia perderentur. Vnde de consilio sapientum, & concordi omnium uoluntate, suos ad Casanum nuncios transmiserunt, qui dederunt sibi multa dona, & ei claues ciuitatis etiam obtulerunt, ab eo misericordiam implorãtes. Receptis ergo xenijs & clauibus ciuitatis Damasci, pręcepit Casanus nuncijs quod redirent, & uictualia sufficientia exercitui præpararent, & nullatenus dubitarent, quia nolebat destruere ciuitatem, sed eam intendebat pro camera sua reseruare. Recedentibus itaq; nuncijs cum exultatione ingenti, Casanus post modicum equitauit ad flumen Damasci, in cuius litore tentoria sua fixit, & inhibuit, ne inferrentur damna aliqua ciuitati. Ciues uero Damasci miserunt plurima dona Casano, & de uictualibus dederunt exercitui affluenter, mansitq; ibi Casanus per XLV. dies cum omnibus suis,

præter XL. millia Tartarorum, quos miserat cum Molay, qui apud ciuitatē Gaccaræ morabantur, Casani expectantes aduentum uel mandatum.

De Capchik qualiter fuerit proditor erga Casanum, & restituerit terras Soldano.

CAPVT XLIII.

CVmq; Casanus taliter moraretur, & daret se solatio & quieti, ecce rumores uenerunt de quodam suo consanguineo, nomine Baydo, qui ingressus fuerat regnum Persarum, damna Casano plurima inferendo: & quia dubitabatur ne deterius faceret, consultum fuit Casano, quod ad propria remearet His itaq; rumoribus intellectis, Casanus præcepit maiori duci sui exercitus, qui uocabatur Cotulossa, quod cum parte exercitus ad custodiam regni Syriæ remaneret, & Molay ac alijs Tartaris, qui erant in terra Gaccaræ mandauit, quod obedirent Cotulossæ, quē dimiserat loco sui. Post hæc ordinauit Casanus Baliuos, & rectores super qualibet ciuitate, & tradidit ciuitatem Damasci Capchick proditori superius nominato, nondum enim Casanus cognouerat uelle suum. Postea uocari fecit ad se regem Armeniæ, & suum sibi reserauit recessum, dicens: Libenter tradidissemus terras, quas acquisiuimus, custodiendas Christianis, si uenissent: & si uenerint, Cotulossæ dabimus in mandatis, quod eis restituat omnes terras, quas hactenus tenuerunt, & ad reparationem castrorum det eis subsidium opportunum. His omnibus sic completis, Casanus arripuit iter suum, tendens uersus Mesopotamiam: quumq; ad flumē Eufraten peruenisset, mandauit Cotulossę, ut dimissis Molay XX. millibus Tartaris, ad eum cum residuo exercitu accedere festinaret. Cotulossa quidem fecit, sicut receperat in mādatis, unde Molay stetit in custodia regni Syriæ pro Casano, & suadēte Capchick proditore, Molay se transtulit uersus partes Hierosolymitanas, in quodam loco nominato Gaur, ut ibi pabula pro equis, & alia necessaria inueniret. Aestiuo uero tēpore ueniente, Capchick prædictus, qui erga Casanum iamdudū cōceperat falsitatem, occulte misit ad Soldanum, quod redderet sibi Damascum & alias terras, quas Casanus & Tartari occupauerant in regno Syriæ. Et Soldanus promisit Capchick, quod si ea quæ promiserat adimpleret, sibi daret perpetuo dominium ciuitatis Damasci, & de thesauro suo etiam magnam partem, & sororem suam sibi traderet in uxorem: & ita post modicum temporis spacium, Capchick rebellis effectus, fecit omnia castra Tartaris rebellare: spes enim illorum erat æstus æstiui temporis, in quo Tartari non poterant equitare, neq; suis subsidium impertire. Quando Molay uidit, quod omnes terræ rebelles factæ fuerunt, non fuit ausus stare cum tam modica gentium quantitate, unde per uiam breuiorem se transtulit ad regnum Mesopotamiæ, & notificauit Casano omnia quæ in regno Syriæ euenerant seriatim. Casanus uero tunc nō potuit aliud facere per æstum temporis. Sed ueniente tempore hyemali, super litora fluminis Eufratis suum fecit maximum apparatum, & trāsmisit Cotulossam cū XXX. millibus equitib9 Tartaris, & pręcepit quod quando ad partes Antiochiæ perueniret, regē Armeniæ conuocaret, & alios Christianos partium orientis & Cypri, & adiungeret eos sibi. Et dum Casanus cum robore sui exercitus sequeretur, in regnum Syriæ introiret. Prædictus itaq; Cotulossa fecit sicut habuit in mandatis. Acceptis itaq; XXX. millibus Tartarorū, per diætas suas perrexit, quousq; Antiochiam applicuit, & deinde misit ad regem Armeniæ quod ueniret, unde rex Armeniæ cum suo exercitu equitauit. Christiani etiam qui erant in regno Cypri, de aduētu Cotulossę rumoribus intellectis, absq; moræ dispendio cum galeis & alijs lignis peruenerunt ad insulam Anteradensem, & ibi fuerunt dominus Tyrenē. frater regis Cypri, qui erat militiæ dux & rector, & magistri domorum hospitalis & templi, cum conuentibus fratrum suorum: & dum parati essent uoluntaria Christi seruitia adimplere, ecce rumor uenit de quadam infirmitate Casani, à qua taliter uexabatur, quod de conualescentia medici desperabāt, unde Cotulossa cum suis Tartaris redijt ad Casanum: rex etiam reuersus fuit

Arme-

A Armeniam & alij Christiani, qui uenerant ad insulam Anteradensem, redierunt in Cyprum. Et ob hanc causam inceptum terræ sanctæ negocium fuit totaliter derelictum: hoc accidit anno domini M. C C C L.

De maximo damno quod habuerunt Tartari in planicie Damasci propter aquarum abundantiam. CAPUT XLIIII.

ANno domini M. C C C L I. Casanus congregato iterum exercitu copioso cum magno apparatu, peruenit usq; ad flumen Eufraten, intendens regnum Syriæ introire, & sectam Mahumeti totaliter destruendo, terram sanctam libere restituere Christianis. Saraceni uero Casani timentes aduentũ, & quum in bello non confiderent se esse pares, totam terram eorũ combusserunt ante faciem Tartarorũ, ita quod collectis frugibus, & alijs in terra crescentibus, ac animalibus in castris & in munitionibus congregatis, residuũ totũ ignibus deuastarunt, ut quũ Tartari uenirent, non inuenirent uictualia, neq; pabula pro iumentis. Quando Casanus intellexit ea quæ fecerãt Agareni, & qualiter dissipauerãt totam terrã, cogitans quod equi illis in terris taliter deuastatis nõ possent sustentari, accepit consiliũ remanendi super litora fluminis Eufratis illa hyeme, & ueris tempore ueniẽte, dum herbæ inciperent pullulare, perficere iter suum. Maiorem enim curam habebant Tartari de equis suis quàm de seipsis, quia dum modico & uili cibo sciant esse contenti, de seipsis quodammodo non curabant. Tunc Casanus misit pro rege Armeniç, qui sine tarditate ueniens, super flumine se locauit. Et tanta fuit ibi gentis multitudo, quod exercitus Casani per tres diætas extendebatur in lõgum, à quodam uidelicet castro quod uocatur Caccabe, usque ad aliud castrum nominatũ Labire: quæ quidem castra erant Saracenorum, sed absque insultu aliquo reddiderunt se Casano. Quumq; Casanus taliter moraretur tempus congruum expectando, ut posset de Saracenis perficere uota sua, & terram sanctam de ipsorum manibus liberare. Et ecce, diabolus obstaculum

B interiecit. Nam Baydo superius nominatus, terras Casani iterum introiuit, & intulit damna multa, sicut Casano extitit enarratum. Vnde consultũ fuit Casano quod ad propria remearet. Casanus quidem plurimum perturbatus, pro eo quod tamdiu differebatur negocium terræ sanctæ, iussit Cotulossç duci suo, quod cum X L. millibus Tartaris regnum Syriæ introiret, & ciuitatẽ Damasci caperet, & omnes perderet Saracenos. Rex quoq; Armeniæ cum gente sua præfato duci Cotulossæ est associatus. Casano itaq; ad propria redeunte, Cotulossa cum X L. millibus Tartaris, & rex Armeniæ cũ suo posse regnum Syriæ introiuerunt, & omnia deuastantes, quousq; peruenerunt ad ciuitatem Hames, ibiq; crediderunt, sicut aliàs fecerant Aegyptij, exercitum inuenire, sed certos intelligentes rumores de Soldano, quod esset in ciuitate Gaccaræ, inde nullatenus egressurus. Obsederunt ergo uiriliter ciuitatem Hames, quam post paucos dies uiolenter ceperunt, & indifferenter omnes Saracenos gladio peremerunt, ibiq; inuenerunt diuitiarum copiam, & magnam multitudinem armatorum. Deinde uerò se transtulerunt ad ciuitatem Damasci, ut eandem quoq; obsiderent, & ecce ciues suos miserunt nuncios, supplicando quod eis cõcederẽtur induciæ triduanæ, quas inducias habuerunt. Præcursores uero Tartarorum, qui ferè per unam diætam transiuerant iam Damascum, ceperunt quosdam Saracenos, quos transmiserunt ad Cotulossam, ut per eos inquireret certa noua. Cotulossa ergo per illos Saracenos rumoribus intellectis, quod ibi prope circa duas diætas erant mille ducenti equites Saracenorũ, qui aduentũ Soldani quotidie expectabant: cum festinatione equitauit, ut ex improuiso illos caperet & teneret. Et quãdo Cotulossa & rex Armeniæ peruenerũt ad locũ, ubi erant mille ducenti equites Saracenorum, erat quasi hora uespertina, & paulo ante applicuerat is Soldanus. Cotulossa ergo & rex Armeniæ, qui credebant occupare solos illos mille ducentos Saracenos, uidentes se in sua opinione deceptos, steterũt ut consilium caperent. Consultũ itaq; fuit Cotulossæ, quod requiesceret nocte illa

illa, & inimicos in craſtinum impugnaret, quum dies iam ad ueſperam declinaſſet. Cotuloſſa uero qui uilipendebat Soldanum, & etiam gentẽ ſuam, noluit in hoc caſu quieſcere conſilio alicuius, imò præcepit feſtinanter acies ordinari. Saraceni uero hoc uidentes, ſteterunt, quia à quodam lacu & quodam monte erant à duabus partibus præmuniti. Et ſcientes quòd Tartari abſque eorũ diſcrimine ad eos accedere non ualebant, noluerunt exire ad pugnam, ſed ibi firmiter expectauerunt. Quumq; Tartari crederent abſq; obſtaculo inuadendos Saracenos, & ecce quendam ante ſe riuulum inuenerunt, qui in certis locis tranſitum non habebat, unde tardauerunt Tartari multum, antequam poſſent tranſire riuulum ſupradictum. Sed poſtquam Cotuloſſa & rex Armeniæ cũ maiori parte ſuorũ riuulũ tranſiuerũt, in inimicos uiriliter inſultarunt. Soldanus ſtetit, nec de loco quidem ubi erat inter lacum & montem, uoluit ſe mouere. Noctis uero caligine appropinquante, dum uideret Cotuloſſa Soldanum ſtantem, & nolentẽ ad pugnam egredi, ut ſperabat, congregatis ſuis iuxta montẽ, nocte illa quieuit: ueruntamen circa mille Tartarorũ, qui non potuerũt eo die riuulum pertranſire, nõ fuerunt cum alijs nocte illa. Veniẽte uero die, ad pugnandũ ſe Tartari parauerũt, & in Soldanum uiriliter inſultarũt: ſed Soldanus noluit in campũ uenire more bellatorũ, ſed ſtetit in illo tutiori loco, cũ gente ſe quantũ poterat defendẽdo. Tartari uero conabãtur extrahere Saracenos, ſed nullo modo potuerũt. Durãte uero inſultu à mane uſq; ad nonam, propter defectũ aquæ, quam nõ inuenerant nocte illa nec die, tædio & ſiti nimiũ fatigati retroceſſerũt, & dimiſſo Soldano receſſerũt unus poſt aliũ paulatim per turmas & acies ordinati, quouſq; peruenerũt ad planiciẽ Damaſci, ibiq; inuenerũt abundantiam magnã aquæ, & paſcua ualde bona, & ordinatũ fuit ibi ſtare, quouſq; hominibus & equis daretur requies opportuna, ut poſtmodum melius poſſent redire ad prælιũ cum Soldano. Habitatores uero Damaſci ſcientes quod exercitus Tartarorum erat in illa planicie collocatus, quadam nocte aquas fluminis per quoſdam meatus & riuulos diſcurrere permiſerũt, & antequã octo horæ noctis illius pertranſiſſent, aquæ in tantum creuerũt ubiq;, quod Tartari coacti ſunt ſurgere & recedere feſtinãter. Quumq; nox illa eſſet multum tenebroſa, & foſſata forent omnia plena aquis, & nulli tramites apparerẽt, omnes fuerũt quaſi confuſi, & multa animalia, arma, & arneſia amiſſa fuerunt in illa planicie propter aquas, & etiam plures homines ſuffocati, & inter cæteros rex Armeniæ plura dicitur amiſiſſe. Veniente uero die, per gratiam dei aquarũ pericula euaſerunt. Sed quũ arcus & pharetræ Tartarorum: cum quibus præcipue præliantur, ac alia arma ipſorũ eſſent totaliter madefacta, quod illa nõ poterant exercere, unde fuerũt totaliter ſtupefacti: quod ſi inimici eos perſequuti fuiſſent, nullus penitus euaſiſſet, imò illos uelut aues capere potuiſſent. Poſt hæc uero paulatim Tartari propter illos qui equos ſuos amiſerant, incedentes ad litora fluminis Eufratis ſunt reuerſi, nec aliquis inimicorum auſus fuit illos ſequi, ſiue inuadere quoquo modo, quandoquidẽ peruenerũt ad flumen, quod tranſire oportuit natando, & ſicut melius fieri poterat ſuper equis, dum flumen illud eſſet turbidum & inflatum propter abundantiam pluuiarũ, multi Armeni perierunt in illo, etiam Tartari & Georgiani, & multi equi fuerũt in flumine ſuffocati: & ſic accidit, quod nõ per potẽtiam inimicorũ, ſed caſu & malo conſilio tanquam confuſi ad propria redierunt. Hoc quidẽ dicitur eueniſſe, eo quod Cotuloſſa nolebat acquieſcere cõſilio alicuius. Nam ſi ſapientibus credidiſſet, illa potuiſſet pericula faciliter euitaſſe. Ego enim Fr. Haithonus huius hiſtoriæ cõpilator, præmiſſis omnibus præſens fui, & ſi forte ſuper hac materia loquor prolixius quàm decet, mihi quæſo uenia tribuatur. Nam hoc facio, ut in caſu ſimili ſimilia diſcrimina ualeam reminiſci. Rebus enim conſulte actis, conſueuerunt fines laudabiles obtineri, & econtra, quæ improuide fiunt, optatis ſucceſſibus ſæpius carent. Poſtquam itaq; rex Armeniæ flumen Eufraten pertranſiuit nõ ſine damno ſuorum, decreuit ire ad Caſanum

ſanum

A sanum antequam ad regnum Armeniæ remearet, unde recto tramite perrexit ad ciuitatem Niniue, in qua Casanus tūc residebat. & Casanus regem suscepit honorifice & benigne, & super amissionibus atq; damnis regi plurimum est compassus, unde eidem fecit gratiam specialem. Nam sibi concessit mille Tartaros, qui suis expensis semper essent stantes in custodia regni sui. Et de regno Turquiæ præcepit Casanus certam quantitatem pecuniæ regi dare, de qua posset alios mille equites stipendiarios ad suum placitū retinere. Rex igitur accepta licentia, ad regnum Armenię est reuersus, & Casanus ei iniunxit, quod prudenter uigilaret circa custodiam regni sui, quousque ad subsidium terræ sanctæ personaliter, dante domino, posset ire.

Qualiter Casanus ante mortem suam Carbagandam suum fratrem successorem in regno constituerit. CAP. XLV.

REx itaq; Armeniæ ad terram suam rediit, sed postquā ibi applicuit, parū habuit de quiete. Post hæc uero, sicut deo placuit, Casanus fuit quadam graui infirmitate detentus. Et quia sapienter in uita sua egerat, uoluit etiam ultimo commendari, unde suum sapienter condidit testamentum, & sibi instituit hæredem & successorem Carbagandan fratrem suum. Postquam ordinauit prudenter ea quæ erant ordinanda circa negocium regni sui & domus suæ, fecit pulchras constitutiones & leges, quas suis dimisit in memoriā, quę quidem à Tartaris firmiter obseruantur. Post hæc Casanus diem clausit extremum, & successit sibi in regno Carbaganda frater suus. Iste Carbaganda, fuit filius cuiusdam bonæ memoriæ dominæ, quæ fuit uocata Erockcaton, quæ fuit in fide Christi deuotissima & fidelis, & quamdiu uixit, faciebat sibi diuina officia quotidie celebrari, & tenebat Christianum presbyterum, & sacellum, unde iste Carbaganda fuit baptisatus, & nominatus in suo baptismate Nicolaus, & quamdiu mater eius uixit, in fide Christianorum permansit.
B Sed post obitum dominæ matris suæ, dilexit societatem Saracenorum, unde fide Christianorum relicta, adhæsit sectæ perfidi Mahumeti. Rex uero Armeniæ de obitu Casani fuit plurimū perturbatus. Nam per hoc inimici fuerunt in magna superbia eleuati. Vnde accidit, quod Soldanus regem habebat ualde exosum, & etiam gentem suam. Nam per totum illum annum ferè mense quolibet, Soldanus Babyloniæ misit magnam copiam armatorum, qui totum regnum Armeniæ deprædabantur, & præcipue planiciem circundabant, damna multa sæpius inferendo, & sic nunquam scitur regnum Armeniæ tantam habuisse molestiam temporibus retroactis: sed deus omnipotens & misericors, qui sperantes in se nullatenus derelinquit, compassus est miserabilibus Christianis. Vnde accidit mense Iulij, ut septem millia Saracenorum de melioribus domibus Soldani, regnum Armeniæ fuerint ingressi & iuerint omnia deuastando usq; ad ciuitatem Tarsensem, in qua B. Paulus apostolus natus fuit. Et quum multa damna intulissent prouinciæ, & redirent, ecce rex Armeniæ suis undiq; congregatis, Saracenis deprædatoribus obuiauit, & prope ciuitatem Ayatij bellū iniit cum eisdem: sed nutu Dei potius quàm bonitate nostra, prædicti Saraceni fuerūt totaliter debellati, quod de illis septem millibus Saracenorum non euaserunt trecenti qui non essent capti, aut diro gladio interempti, licet ferocitate sua crederent inuadere totū regnū, & Christianos regni Armeniæ in uno hiatu gutturis absorbere posse: & hoc actum fuit quadam die dominica XVIII. mensis Iulij. Post illum conflictum Saraceni non fuerunt ausi regnum Armeniæ introire, & misit Soldanus Aegypti, & treugas cum rege Armeniæ iniit & firmauit.

De distinctionibus huius operis, & qualiter habuit originem.

CAPVT XLVI.

EGo uero Fr. Haithonus interfui omnibus prælibatis, qui dudum proposueram habitū sumere regularem, sed propter inconuenientia discrimina & ardua negocia regni Armeniæ, cum honore meo nō poteram in tantis necessitatibus derelinquere consanguineos & amicos. Vnde postquā deus sua pie-

pietate mihi cõcessit gratiam dimittendi regnũ Armeniæ, & populum Christianum, post multos labores meos in statu pacifico & quieto, cõfestim uotũ quod diu uouerã, uolui adimplere. Accepta itaq; licentia à domino meo rege, & ab alijs cõsanguineis & amicis in campo illo, ubi deus de inimicis triũphum concesserat Christianis, arripui iter meum, & perueniens in Cyprũ, in monasterio episcopæ Præmonstratensis ordinis suscepi habitũ regularẽ, ut qui in iuuentute mea militauerã mundo, in seruitijs dei residuũ uitæ meæ pompis huius seculi relictis, consumerem. Anno domini M.CCCV. Gratias igitur ago deo, quoniã regnũ Armeniæ hodie est in statu æquo, bono & pacifico reformatum: præcipue per modernũ regem dominũ Liuonum, filium quondã domini Theodori, qui tanq; indolis gloriosæ uirtutibus illustratus, omnibus regẽtibus est speculum gratiosum. Et firmiter creditur & speratur, quod in diebus istius regis iuuenis, qui bonitate suos antecessores præcellit, cum auxilio dei regnũ Armeniæ ad statũ pristinũ reducetur. Præterea huius operis compilator, ea quæ narrat & scribit in isto libro, tribus modis asserit se sciuisse. Nam ab initio Changij Can, qui fuit primus Imperator Tartarorum, usq; ad Mango Can, qui fuit quartus imperator, narrat ea fideliter, quæ in Tartarorum historijs cõtinentur. A Mango Can uero usq; ad mortẽ Haoloni, ea quæ narrat & scribit, sciuit & audiuit per dominũ auunculum suum, quod dominũ Haithonum regẽ Armeniæ rescribere fecit, qui præsens fuit illis tẽporibus, omnibus prænotatis, & cum magna diligentia narrabat hæc filijs & nepotibus, & faciebat redigi in scriptis, ut melius memoriter tenerẽt. Ab initio quidem Abaga Can usq; ad finem tertiæ partis huius libri, ubi finem capiunt historiæ Tartarorum, sciuit ipse tanquam ille qui præsens fuit, unde de his quæ suo tempore euenerunt, perhibet testimonium ueritati. Et licet hucusq; narrauerimus de historijs & gestis Tartarorum, adhuc restat de ipsorum dominio & potentia, præcipue qui nunc uiuunt aliquid referandũ, ut melius cognoscantur. B

Haithonus monachus fit

De Tamor Can sexto imperatore Tartarorum, & de potentia sua, & subiectorum suorum. CAP. XLVII.

MAgnus itaq; imperator Tartarorum, qui nunc tenet imperium, uocatur Tamor Can, & est sextus Tartarorum imperator: sedem imperij sui tenet in regno Cathay, in quadam maxima ciuitate, quæ uocatur Ions, quam ædificari fecit pater suus, sicut superius est expressum. Potentia quidem eius est ualde magna, plus enim posset Imperator solus ille, quàm omnes simul alij principes Tartarorum. Gentes istius imperatoris reputantur nobiliores & ditiores, & sunt melius munitæ necessarijs: quoniam in regno Cathay, in quo nunc degunt, diuitiarũ multarũ abundantia maxima inuenitur. Præter magnum imperatorem, sunt alij tres magni reges & principes Tartarorum, quorum unusquisq; dominium magnum tenet, obediunt tamen imperatori tanq; eorũ domino naturali. Et quæstiones quas inter se habent, ad imperatoris curiam deferũtur, & per eius iudiciũ deciduntur. Primus quidem istorũ regum uocatur Chapar, alter uocatur Hochtay, & alius Carbanda appellatur. Iste Chapar dominium suum tenet in regno Turquestan, & magis appropinquat genti imperatoris, quàm alij. Potest etiam, ut dicitur, ad pugnam cõgregare quatuor centum millia equitum armatorum. Homines illi sunt audaces & strenui bellatores, non tamen habent equorum siue armorum abundantiam, sicut necessarium esset eis. Multoties gens imperatoris mouet istis guerram, & isti quandoq; mouent guerram cõtra Carbanda & gentẽ suam. Dominium istius Chapar antiquitus fuit unius domini per magnam partem, qui Doay nomine appellabatur. Hochtay rex Tartarorum, dominium suum tenet in regno Cumaniæ in quadam ciuitate quæ uocatur Sara. Potest etiam, sicut dicitur, congregare ad pugnam sexcentum millia equitũ bellatorum: isti nõ tantum commendantur in facto armorum, sicut gentes Chapar, licet equos habeant meliores. Quandoq; mouẽt guerram cõtra gentem

Carban-

A Carbanda, quandoq; contra Vngaros, quandoq; inter se rixantur. Præsens uero Hochtay dominiũ suum tenet pacifice & quiete. Carbanda suũ habet dominium in regno Asiæ maioris, & moratur in ciuitate Taurisij: ducere potest ad pugnam tercentũ millia equitum bellatorum. Isti sunt à diuersis partibus congregati, diuites sunt, & omnibus necessarijs bene muniti. Chapar & Hochtay quandoq; mouent guerram contra prædictũ Carbanda. Carbanda uero nulli guerram mouet, nisi Soldano Aegypti cõtra quẽ sui antecessores sæpius pugnauerunt. Chapar & Hochtay libẽter auferrent terram & dominium Carbandæ, si ualerent, sed nõ possunt, licet potentiores sint eo terris & gentibus, ut dictũ est. Et hæc est ratio, qualiter Carbanda potest resistere tantæ potentiæ inimicorum, & defendere terram suam. Asia enim tota in duas partes est diuisa, una enim pars dicitur Asia profunda, & in illa parte habitat Imperator, & duo reges superius nominati, Chapar uidelicet & Hochtay. Alia uero pars uocatur Asia maior, & in illa moratur Carbanda sæpe dictus. Tres uiæ sunt solummodo, per quas itur de profunda Asia ad Asiam maiorem: una uidelicet uia, per quam itur de regno Turquestan ad regnũ Persarũ. Alia uia est quæ dicitur Ledorbent, quæ uia est prope mare, ubi Alexander construxit ciuitatẽ uocatam Portam ferri, sicut in historijs regni Cumaniæ plenius continetur. Alia uia est per mare maius, quæ transit per regnum Abcas: per primam uiam non possunt habere ingressum gentes Chapar ad terram Carbanda absq; magno discrimine & labore, quia nulla pabula inuenirentur pro equis usq; ad plures diætas, quia terra illa est arida & deserta, & antequam possent peruenire ad terras cultas & habitatas, equi totaliter deficerent propter famẽ: aut ita fessi, & uiribus uacuati, quod à parua quantitate inimicorum possent faciliter debellari, & sic nolũt capere illud iter. Ex parte uero de Ledorbent possent gẽtes Hochtay habere ingressum ad terras Carbandæ sex mensibus anni solummodo: uidelicet tẽpore hyemali. Sed Abaga

Asia profunda & maior.

B fecit fieri magna fossata, & alia munimenta in quodam loco uocato Ciba, & ibi stat semper, præcipue tempore hyemali, custodia armatorum, qui defendunt transitum ab inimicis. Gentes uero Hochtay toties tentauerũt occulte transire per uiã, sed non potuerunt, uel possent aliqua ratione. Nam in quadã planicie, quæ uocatur Monga, stant in hyeme quædam aues magnitudinis fasianorum, quæ pulcherrimas habent plumas, & uocantur Seyserach, unde quando aliquæ gentes ingrediuntur illam planiciẽ, statim fugiunt illæ aues, & transeunt per illas custodias & fossata, & illi qui sunt deputati ad custodiã illius loci, per illas aues manifeste cognoscunt inimicorum aduentum, & ad defensionem continuo sunt parati. Per uiam uero maioris maris nunquam attentauerunt ire, quia ibi est regnum Abcas, quod est gentibus & terris bene munitum, & nullam possunt habere fiduciã in eisdem, & hoc modo Carbanda, & sui antecessores usq; modo defenderunt se à tanta potentia uicinorum. Insuper aliqua dicemus breuiter de modis & moribus Tartarorum.

Seyserach aues

De fide, uita, moribus, conditionibus Tartarorum. CAP. XLVIII.

TArtari sunt ab alijs nationibus gentium, modis & moribus sic diuersi, quod uix posset absq; tædio ipsorum diuersitas explicari. Confitentur enim unum deum esse immortalem, & inuocant nomen dei, aliter uero parũ faciũt, quia nõ ieiunant, uel orationes siue afflictiones faciũt ob dei reuerentiã, siue alia bona opera. Nec dei timore mala perpetrare prętermittunt Tartari. Homines interficere non reputant esse peccatum: & si dimitterent frenũ in equorum suorum ore, quando pascere se deberent, deum crederent mortaliter offendisse. Fornicationem & luxuriam non reputant esse peccatũ. Plures uxores ducũt: & oportet secundum consuetudinẽ, quod filius nouercam suam ducat post obitum patris sui, & frater relictam fratris, & thorum faciũt cum eisdem. Tartari in facto armorum sunt strenui bellatores, & sunt obedientes eorum superiori plus quàm aliæ nationes: & in pugna omnes cito cognoscunt per signa & documenta uoluntatem ducis eorum, unde absq; ma-

gno

gno labore Tartarorum exercitus ab illis qui præſident gubernantur. Domi nus Tartarorum nulla ſtipendia dat eis, imò oportet quod uiuant de prædis & uenationibus quas acquirunt: & ſi uellet dominus, poſſet ab eis auferre quicquid haberent. Quando Tartari equitant, ſecũ ducunt magnam copiam armẽtorum, & de lacte equorum pocula ſumunt, & carnibus ueſcuntur, & il las reputãt ualde bonas. Tartari in equis ſunt agiles, & ſagittarij ualde boni: pedites neſciunt incedere niſi pigre. Tartari ſunt ſagaces & ingenioſi ad ex pugnandas ciuitates & caſtra, & ſemper uolunt habere prærogatiuam con tra ſuos inimicos, in pugna nec uerentur fugere, ſi fuga proſit. Hanc habent Tartari prærogatiuam in campo belli exiſtentes, quia ſi eis placuerit, prælia buntur: & ſi uoluerint prælium euitare, aduerſarij cum eis nõ poterunt dimi care. Pugna Tartarorum eſt ualde periculoſa, quia in uno conflictu Tartaro rum moriuntur plures & uulnerantur, quàm in uno magno prælio alterius nationis, & hoc accidit propter ſagittas, quas iactant cum arcubus fortiter & directe: & ſunt in arte ſagittandi ita periti, quod ſagittæ eorum ferè armo rum penetrant omne genus. Quando debellantur, fugiunt omnes ſimul tur mas & acies ordinati, & ualde periculoſum eſt illos ſequi, quoniam retrogra de ſagittas iaciunt fugiendo, & homines & equos uulnerant & occidunt. Exercitus Tartarorum non eſt magnæ apparentiæ, quia omnes ſimul con gregati incedunt, ita quod acies mille Tartarorum, quingentorum apparen tiam uix habeat. Tartari curialiter hoſpites ſuſcipiunt, & cibum libenter di uidunt cum eiſdem, & uolunt ſibi per uiam ſimilem reſponderi, alioquin ac cipiunt uiolenter. Tartari ſciunt occupare alienas terras, ſed ipſas neſciũt cu ſtodire. Tartari quãdo ſunt debiliores, efficiũtur humiles & benigni: & quã do ſunt fortiores, ſunt peſſimi & ſuperbi. Tartari nolunt quod coram eis ali quis mentiatur, & ipſi libentiſſime mentiuntur: in duobus tamen mentiri ne ſciunt, in facto armorum uidelicet, quia nullus erit auſus de probitate quam non fecerit, ſe iactare, aut negare ſi fecerit utilitatem. Aliud eſt, quod qui ſce lus aliquod fecerit, de quo etiam debeat condemnari ad mortem, interroga tus à domino, ueritatem continuo confitetur. Et hæc de Tartaris dicta ſuffi ciant, quia longum eſſet mores ipſorum per omnia enarrare.

De conditione quam habere debet bellum incœpturus.

CAPVT XLIX.

RAtio poſtulat & requirit, quod quicunq; contra ſuos inimicos guerram mouere intendit, debeat quatuor præuidere. Primo, quod iuſtã cauſam habeat guerram cum ſuis aduerſarijs inchoandi. Secundo, conſiderare de bet poſſe ſuum, utrum ſufficiat in expenſis & alijs neceſſarijs ad guerram ma nu tenendam, & ipſam ſine debito terminandam. Tertio, inueſtigare debet ſapienter, inimicos, intentionem & ſtatum. Quarto, guerram debet inchoa re tempore cõpetenti. Ego uero Fr. Haithonus, qui ex mandato ſummi pon tificis ſum de hac materia loquuturus, dicere poſſum, quod Chriſtiani iu ſtam habent cauſam guerram mouendi cum filijs Iſmaëlis, quoniam hæredi tatem eorum obtinent occupatam, uidelicet terram ſanctam, & ſanctum ſe pulchrum domini noſtri Ieſu Chriſti, in quo fuit origo fidei Chriſtianæ, & alia ſancta loca Chriſtianis plurimum reuerenda. Inſuper propter atroces in iurias, & nimium horrenda opprobria, quæ cum multa noſtri ſanguinis ef fuſione Agareni intulerunt Chriſtianis, temporibus retroactis, & etiam pro pter alias rationes & cauſas uarias & diuerſas. De potentia uero dico, quo niam nemo debet penitus ignorare, quin ſacroſancta Romana eccleſia, quæ totius orbis eſt domina & magiſtra, potentiam habet cum congregatione re gum & principum Chriſtianorum, & fidelium crucisſignatorum, terram ſan ctam eruendi de ſeruitute inimicorum fidei Chriſtianæ, qui peccatis noſtris exigentibus illam detinent occupatam. De cognoſcendo uero ſtatu inimico rum, hocq; de tempore competenti, in quo guerra debeat inchoari, oportet prolixius aliqua enarrare. Nam ſicut bonus medicus, ut ad conualeſcentiam

A ægrum perducat, causam debet ægritudinis perscrutari: ita decet prouidum bellatorem, inimicorum inuestigare conditionem & statum, ut guerram possit incipere prouide & audacter, & illi finem laudabilem imponere. Sapienti enim & strenuo duci, nihil debet esse occultatum de potentia inimici, quoniam præuisa non lædunt, & improuisa consueuerunt sæpius animos perturbare, præcipue in discrimine, ubi loci uel temporis spatium non habetur periculis occurrere tam paratis. In omni enim opere potest correctionis medela facilius adhiberi, quàm in pugna, in qua pœna errorem cõtinuo sequitur. Vt igitur de his quæ dicturi sumus, super passagio terræ sanctæ clarior intelligentia adhibeatur, aliqua narrabimus de statu & conditione terræ Aegypti, de exercitu Babyloniæ, & potentia inimici.

De conditione regni Aegypti, & Soldani potentia. CAPVT L.

SOldanus ille, qui regnorum Aegypti & Syriæ hodie obtinet principatũ, uocatur Melomaser, & de natione Cumanorũ extitit oriundus. Milites sui exercitus sunt de diuersis partibus & nationibus congregati, quia habitatores illarum partium in facto armorũ nihil penitus sunt ualentes, unde oportet, quod de alienis gentibus eius potentia roboretur. Potentia quidem Soldani peditũ armatorum est modica: equitum uero est plurimum copiosa. Maior pars exercitus Aegypti, sunt serui emptio pretio, quos mali Christiani sæpe portãt cupiditate lucrandi, aut in prælijs acquisiti, quos cõpellunt eorum sectæ & fidei adhærere. Et illi qui empti pretio pecuniæ extiterunt, chariores sunt & habentur, & plus alijs honorantur. Soldanus Aegypti semper est timidus & suspectus, ne gens sua in eius præcipitium aliqua machinetur. Sunt enim illi serui talis naturæ, quod semper aspirant ad dominium occupandum, & ob hanc causam plures Soldani gladio perierunt. Potentia exercitus Babyloniæ circa uiginti millia potest esse equitum, ex quibus sunt aliqui in arte armorum periti & strenui bellatores, maior tamen pars illorum B magni pretij non habetur. Quando Soldanus equitat, & gens sua magna & multa arnesia secum trahunt, & onera camelorum, equos pro armis habent satis bonos, & equas satis agiles ad currendũ: non tamen possent ad magnos sufficere labores, & mularum & ronimorum copiam non habent. Exercitus Soldani est promptus ad seruitia & paratus, quia milites habitant omnes simul in ciuitate Chayri. Conditio uero ipsorum est talis, quia unusquisq; habet stipendia sua de quibus uiuit, quæ summa centũ & uiginti florenos annuatim uix excedũt, & oportet tenere tres equos, & unũ camelum. Et si forte Soldanus Aegypti extra regnum duceret gentem suam, aliquid daret sibi si uellet de gratia speciali. Milites uero istos dat Soldanus regendos proceribus suis, quos nominat Amurates, & dat alteri centum, alij ducentos; plus uel minus, sicut ei placebit, & quantum ascendunt in summa stipendia militum, quos concesserit Amurato, tantundem dabit Soldanus Amurato pro sua persona, & soluit sibi etiam stipendia militum quos tenebit: unde illi, quem Soldanus uoluerit ad magna promouere & honorare, dat plures milites ad tenendum. Secundum uero ordinem prætaxatum, magna fit Soldano derogatio seruitiorum & defectus, quia Amurates emunt seruos pretio pecuniæ, & ponunt illos ad stipendia, & in numero militum armatorũ, aut ponunt ad seruitia gentem parui pretij quibus cõcedunt equos & arma, & pro suis stipendijs dant eis aliquid, & residuum totum conseruant, unde in multis talibus pauci inueniuntur qui sint ad arma ualentes.

De potentia Soldani in regno Syriæ. CAPVT LI.

POtentia uero Soldani in regno Syriæ circa quinq; millia militum potest esse qui de terris & reditibus uiuunt. Habet etiam Soldanus magnam copiam Beduinorum & Turquorum, qui sunt aduenæ & forenses, de quibus magnum habet iuuamen, præcipue ad obsidendum ciuitates & castra, quia secum uadunt sola intentione aliquid acquirendi. Ad alia uero seruitia non posset Soldanus illos trahere absque stipendijs, & si forte uellet illis uiolen-

tiam inferre, ipsi recederent sine mora, Turquiniani uidelicet ascenderẽt magnos montes, & desertum Arabiæ peterent Beduini. Aliquos etiam habet Soldanus pedites sagittarios in terra de Malbeck & circa montẽ Libani, & in terra Assasinorũ, qui etiam ad castra & ciuitates obsidendas, seruitia magna præstant, sunt enim Christianæ fidei inimici, ualde ingeniosi ad ciuitates capiendas & castra, quas capere sciũt per machinas, arcus, balistas, ignes inextinguibiles, meatus subterraneos, & alia diuersa genera insultandi. A

De regno Aegyptiorum, qualiter de gente in gentem translatum est.

CAPVT LII.

IMperator Græcorum cõsueuit terræ Aegypti dominium obtinere, & per duces & rectores terram illam gerebat, qui reditus colligebant, & Imperatori Constantinopolim transmittebant, & durauit dominium Græcorum usque ad annos domini D. C C I I I. Aegyptij uero nequeuntes pati dominium Græcorum, à quibus mirabiliter grauabantur, reddiderunt se Saracenis, & elegerunt dominum super eos, quendam de progenie Mahumeti, quẽ uocauerunt Caliph, & tenuerũt isti dominiũ Aegypti, annis C C C X L V I I. Postea uero amiserunt dominiũ, & Medi, qui Cordinis uulgariter appellantur, dominiũ occupauerũt, sicut clarius inferius exprimetur. Anno domini M. L I I I bonæ memoriæ Amanricus rex Hierosolymitanus cum omnibus Christianis quos potuit congregare, ingressus fuit terram Aegypti, & plures acquisiuit ciuitates & uillas. Caliphus uero uidens, quod nõ poterat resistere Christianis, misit nuncios ad Soldanum Halappi, implorans subsidiũ ab eodem, unde Soldanus Halappi, qui sectam sequebatur Caliphi, misit ad subsidium Caliphi quendam suum ducem, qui uocabatur Xaracon cum magna copia armatorum, qui tantum fecerunt, quod de regno Aegypti fugauerunt Christianos, & recuperauerũt terras quas occupauerant Christiani. Post hęc quidem accidit, ut uideret terram Aegypti diuitijs opulentam, & Caliphi potentiam quasi nullam, ad illius terræ dominium aspirauit: unde cepit Caliphum B personaliter, & illum carceri mancipauit, & regnũ Aegypti inuasit uiriliter, & ipsum dominio suo subdidit, & constituit se dominũ & Soldanũ. Iste Xaracon fuit de regno Medorũ, de natione Corasminorum, & fuit de natione sua primus dominus in Aegypto. Post obitum uero Xaracon, successit sibi in dominio quidam filius suus nomine Soladinus, & tantum creuit potentia istius Soladini, ut ipse regem Hierosolymitarum & Christianorum potentiam debellarit, & ceperit uiolenter sanctam ciuitatẽ Hierosolymitanam, & alias plures terras. Et post obitum istius Soladini fratres sui & nepotes successiue Aegypti dominium tenuerũt usque ad tempus cuiusdam Soldani, qui uocatus fuit Melecsala. Iste Melecsala dominabatur in Aegypto tempore illo, quo Tartari subiugauerunt regnum Cumanorum. Et audiens qualiter Tartari pro modico pretio uendebant Cumanos quos ceperant, misit cum magna summa pecuniæ per mare mercatores, & fecit emi de iunioribus Cumanis in maxima quantitate, qui fuerũt deportati in Aegyptum. Melecsala multum dilexit Cumanos quos emerat, & ipsos fecit cum magna diligentia enutriri, & in arte equitandi, sagittandi, & arma tractandi illos instruxit, & magnam gerẽs fiduciam penes seipsos detinuit, quodammodo omnes alios elongando. Et eo tempore quo B. Ludouicus Rex Francorum bonæ memoriæ trãsfretauit, & Christiani nominis amore fuit carceribus mãcipatus, prænominati serui emptitij Cumani interfecerunt Melecsala eorum dominũ & Soldanum, & constituerunt eorũ dominum quendam ex ipsis nomine Turquinianum. Et ob hanc causam rex Franciæ & frater suus qui Saracenorum carceribus trudebantur, fuerunt redempti & facilius liberati, & hoc modo cœperunt prædicti Cumani in Aegypto primitus dominari, & uocatur ista progenies Cumanorũ in partibus oriẽtis Caphac. Post paucos uero dies quidam alius ex prædictis Cumanis nomine Cathos, prædictum Turquinianũ gladio iugulauit, & fecit se dominũ & Soldanũ, & uocatus fuit Melecmees,

Rex Francorum in carcerem conjectus

& iste

A & iste Melecmees debellauit Guiboga capitaneum Tartarorum, quos in custodia regni Syriæ dimiserat Haolonus. Quumq; Melecmees ad Aegyptum rediret quidam alius Cumanus nomine Bendecar, & ipsum interfecit in uia, & se constituit dominũ & Soldanum, & fecit se uocare Melecdaer. Iste fuit sagacissimus, & in facto armorum strenuus atq; audax, suo tempore multum creuit Saracenorum potentia in Aegypto, & in regno Syriæ, & multas occupauit ciuitates & castra, quas Christiani tenebant, & iste cepit nobilissimam ciuitatem Antiochiæ, anno domini M.CCLXVIII. Et postmodum regno Armeniæ intulit multa damna. Tempore uero istius Soldani Melecdaer, transtulit se ad partes Siriæ rex Angliæ bonæ memoriæ, dominus * quem Soldanus interficere cogitauit, per quendam assasinum, qui ipsum regem uulnerauit gladio uenenato, sed per dei misericordiam, & per multos labores ad conualescentiam est deductus. Post hæc fuit idem Soldanus Melekdaer ueneno potatus, obijtq; in Damasco. Post obitum uero Melecdaer factus fuit Soldanus filius suus Melecsayt, sed confestim quidam alius Cumanus nomine Elsi, deiecit ipsum de sede, & constituens seipsum dominum & Soldanum, illum fugauit extra regnum Aegypti. Prædictus Soldanus Elsi ciuiatem Tripolitanam obsedit, anno domini M.CCLXXXIX. & uiolenter occupauit eandem.

De ciuitate Acon, qualiter à Christianis sit amissa. CAPVT LIII.

ANno uero sequenti prædictus Soldanus Elsi congregauit undique posse suum, & egressus fuit de Aegypto, intendens obsidere ciuitatem Acon, & dum in quodam amœno loco requiesceret quadam die, per quendã seruũ suum, quem totius exercitus sui constituerat ducem & rectorem, fuit ueneno potatus: qui dum crederet dominium usurpare, fuit continuo per alios frustatim cæsus, & factus fuit Soldanus filius Elsi, qui uocatus fuit Melatasseraff, & ille fuit qui cepit nobilem ciuitatem Acon, Anno domini M.CCXCI.

B Postquam uero prædictus Soldanus Melatasseraff redijt in Aegyptũ, & quadam die iuisset uenatũ, per quendam seruũ suum fuit in nemore interfectus, qui dum crederet se futurũ Soldanũ, fuit statim ab alijs detruncatus. Postea uero fecerũt dominũ ac Soldanũ illum, qui hodie est Soldanus, qui uocatur Melecnaser, qui fuit frater Melatasseraff superius nominati. Et quia iste Melecnaser erat ualde iuuenis, datus fuit sibi baiulus & tutor quidẽ nomine Guiboga, qui fuit Tartarus natiõe, & fuerat seruus emptitius patris sui. Iste Guiboga usurpauit dominiũ, & Soldanum iuuenẽ posuit in quodã castro Crac de Monreal, eidem faciens necessaria ministrari. Iste Guiboga fecit se appellari Melecchadel. *Mons regalis uulgo Crac* Tempore uero istius Guiboga, fuit in regno Aegypti tanta rerũ uictualium caritudo, quod omnes Saraceni fame defecissent & penuria, sicut canes, nisi forte aliqui fuissent Christiani, qui eisdẽ multa uictualia detulerant cupiditate lucrandi. Post hæc aũt Guiboga prædictus, qui fecerat se Soldanũ, intellectis rumoribus de aduentu Tartarorũ, congregauit exercitum suum, & uenit ad regnum Syriæ, ut terras à Tartaris tueretur. Iste Guiboga honorabat & diligebat multum homines suæ nationis, unde Cumani per inuidiam sibi dominiũ abstulerũt, & fecerunt Soldanũ quendam ex ipsis nomine Lachim, & iste fecit se nominare Melecnaser. Iste Lachim noluit destruere Guiboga, qui eius extiterat socius & amicus, imò dedit sibi dominiũ cuiusdam terræ, quæ uocatur Sarsac, & ciuitatẽ Hamac: inhibuit tamen sibi, ne staret in regno Aegypti. Præfatus uero Soldanus Lachim stetit in castro Cayri per triennium, nec fuit ausus inde exire præ timore suorum, nisi forte quadam die quo descendit ad planiciem causa ludendi, & tunc equus cecidit sub eo, & fractũ fuit crus eius. Finaliter cum luderet ad ludum Scachorũ, quidam ex seruis illius arripuit ensem Soldani, & percussit eũ in capite & occidit, sed interfector fuit ab alijs continuo detruncatus. Post hęc fuerũt in magna discordia Saraceni de Soldano & domino eligendo. Demũ uero posuerunt in sede dominij Melecnaser iuuenem superius nominatum, quem Gui-

boga posuerat in castro Montis regalis, ut superius est expressum. Et iste Me lecnaser est ille Soldanus, quem Casanus debellauit in campo, & qui regnat hodie in Aegypto. Parcatur mihi, si prolixius quàm deceret, uerbũ tenui de Cumanis, qui sunt serui empti & uenditi, & de Soldanorum eorum natione, qui sæpius inter se occiduntur. Nam hoc feci, ut clarius demonstrarẽ, qualiter nõ possunt stare longo tempore, qui talem aduersitatem incurrant, quod non possent egredi de Aegypto, nec ad partes alias cũ exercitu se transferre. A

De situ & conditione regni Aegypti. CAP. LIIII.

REgnũ Aegypti est ualde locuples & amœnũ, longitudo eius per quindecim dietas extenditur, & per tres solummodo latitudo. Istud regnum est quasi insula à tribus partibus deserto & sabulo circundatum, & ex alia parte habet mare Græciæ. Ex parte orientis uicinum est regno Syriæ magis quàm alteri terræ: ueruntamen inter unum regnũ & aliud est iter octo dierum, semper per sabulum incedendo. Ex parte occidentis habet quandam prouinciã Barbariæ, quæ uocatur Bartat, sed inter unam terram & aliam, est desertum quindecim diætarum. Ex parte uero meridiei est regnum Nubianorum, qui sunt Christiani, & sunt nigri sicut pix propter solis æstum, & inter unam terram & aliam est desertum Aranæ duodecim diætarum. In regno Aegypti sunt quinq; prouinciæ, prima & maior nominatur Sayt, alia Demesor, tertia Alexandria, quarta Resint, & ista quidem est insula, & fluminibus circundata. Quinta uero dicitur Damiata. Maior ciuitas regni Aegypti uocatur Chayre, & est ualde magna ciuitas & diuitijs repleta, & ibi prope est quædã alia antiqua ciuitas, quæ uocatur Meser, & illæ duæ ciuitates sitũ habent supra litora fluminis, quod labitur per medium Aegypti, quod uocatur Nilus, & in Biblia Geon nominatur. Istud flumen est utilius flumen quod ualeat reperiri: irrigat enim omnes terras per quas labitur, & illas facit fertiles & amœnas: per istud flumẽ potest uenire nauigiũ, quod ualde est profundũ, abundantiam habet bonorum piscium, & posset per omnia commendari, nisi esset quod quædam animalia resident in eodem, quæ ad similitudinem sunt draconis, & deuorant equos & homines, & alia quæcunq; animalia in flumine si illa inueniant, & etiam super ripam, & ista animalia Cocatrix uulgariter appellantur. Istud flumen semel crescit in anno, & incipit crescere à medietate mensis Augusti, usq; ad festum B. Michaëlis, quotidie augmentando: & quando est in perfecto augmento, tunc homines primo dimittunt aquas discurrere per meatus & riuulos ordinatos, & omnes terræ fructiferæ irrigantur, & XL. diebus stat aqua supra faciẽ terræ: deinde incipit decrescere & siccari, postea semina seminantur, & crescunt solummodo per irrigationẽ fluminis, quia in partibus illis non pluit, ita quod uix hyems cognoscitur ab æstate. Insuper habitatores terræ Aegypti posuerunt quandam columnam marmoream in medio fluminis ante ciuitatem Meser, & in illa columna fecerunt signa, & quando flumen crescit usq; ad perfectum augmentum, respiciunt illa signa columnæ, & si aqua creuerit usq; ad summũ signũ, tunc sciunt se habere fructuum ubertatẽ, si uero minus creuerit, sciũt per illa signa, quod contrarium debeat euenire, & secundum hoc pretia rerum imponunt. Aqua ipsius fluminis est sanissima ad bibendum. In regno Aegypti sunt duo portus maris, uidelicet Alexandria & Damiata: ciuitas Alexãdriæ est bene munita, & circundata muris fortissimis. Aquam uero quã bibunt ciues Alexandriæ, uenire faciunt de flumine Nili, per quendam meatum subterraneum & occultum, & implent multas cisternas quas habent in ciuitate ordinatas. Aliam uero aquam non habent, de qua possent bibere præter illam, unde si auferretur ciuibus illa aqua fluminis, non possent diutius permanere. Altera uero ciuitas Alexandriæ esset difficilis ad expugnandum uiolenter: ciuitas Damiatæ sita est super flumine Nili, & antiquitus fuit circunuallata ambitu murorum, sed capta fuit bis per Christianos, semel uidelicet per regem Hierosolymitanum, & alios Christianos partium orientis, & alia uice per B. Ludouicum

Nubiani

גיחון
Nili descriptio Hebraice
B

Crocodili

A cum regem Franciæ, pro cuius redẽptione Saracenis fuit postmodum resti- tuta, unde diruerunt illam Saraceni, & transposuerunt illã longe à flumine & à mari, nec ibi fecerunt muros, siue alia munimenta: & uocant terram illã nouam Damiatam: uetus uero Damiata, est sine habitatione totaliter derelicta. De portubus uero Alexandriæ et Damiatę, Soldanus recipit magnos reditus à mercatoribus, & alijs multis modis. Terra Aegypti dat omniũ frugũ & fructuum ubertatẽ, & optimam chacharam in maxima quantitate: uinum modicum, tamen bonum, & odoriferum ualde. Saraceni non audent uinum bibere, quia eis inhibitum est lege. Carnes crastinas, hœdinas, gallinaceas, et uolatilia satis habent, modicum de bouinis, tamen camelos comedunt loco boum. In regno Aegypti degunt simul cum Saracenis quidam Christiani, qui uocantur Rapti. Ritum tenẽt Iacobitarum, & multas habent in illis partibus Abbatias, quas libere tenent, & sine censu, & illi sunt antiquiores habitatores terrę Aegypti. Nam Saraceni ibi habitare cœperunt postquam illius terræ dominium occupauerunt. Res uero quæ deficiunt in Aegypto, quibus maxime indigent Saraceni, nec alias habere possunt, nisi ab extraneis partibus deferantur, sunt ligna, pix, ferrum, sclaui, & serui empti, de quibus corũ exercitus roboratur, & oportet quod prædictæ res deportentur per mare, & sine ipsis stare non possunt. In toto regno Aegypti non est ciuitas siue castrũ, seu alia terra munita murorum ambitu, præter ciuitatẽ Alexandriæ, quæ fortis est, & præter castrum Chayre, quod posset absq; difficultate maxima expugnari, & in illo castro Chayre cõmoratur Soldanus. Tota terra Aegypti per exercitum militum defenditur & tuetur. Prima igitur die qua exercitus Aegypti debellatus, & equitum potentia conquassata, tota illa terra subiugaretur absq; resistentia alicuius.

De tempore competenti, mouendi bellum contra filios Ismael.

CAPVT LV.

B POstquam rationabiliter ostendimus iustam causam quam Christiani habent mouendi guerram contra perfidos Saracenos, & sufficiẽter diximus de potentia sacræ Romanæ ecclesiæ, tractauimus etiam de conditione & statu regnorum Aegypti & Syriæ, ac de posse Soldani & gentis suæ: ultimo restat aliquid dicere de tẽpore competenti: breuiter dico ergo, quoniam merito possumus dicere uerbũ istud: Ecce nunc tẽpus acceptabile, ecce nũc tempus salutis: nam nunc est uere acceptabile tempus impertiendi subsidium terræ sanctæ, quæ diutius iacuit à perfidis canibus lacerata. Nunc est acceptabile tempus, quo corda fidelium debent succendi ad passagium terræ sanctæ, ut de manibus inimicorum eruatur sanctum sepulchrũ domini, origo & fundamenta spei nostræ: nec recolimus habuisse tempus tam acceptabile, tamq; salubre, temporibus retroactis, sicut deus omnipotens nunc per suam misericordiam multis indicijs demonstrauit. Primo enim concessit nobis omnipotens & misericors deus pastores, & patrem sanctissimum, qui postquam sedit in sede pontificatus, prouisione diuina, toto mentis affectu, diu noctuq; anxie cogitauit, qualiter terræ sanctæ subsidium ualeat impertiri, qualiter sepulchrum domini debeat liberari à seruitute inimicorum blasphemantium nomen Christi: unde firmiter est credendum, quod deus suos misericordes oculos conuertendo, sibi in terris constituit summum uidelicet pontificem sanctissimũ patrem nostrum, cuius tempore acceptabili, diuina fauente clementia, sancta ciuitas Hierusalem sub iugo seruitutis Mahumeti diutius iam detenta, proculdubio erepta, reducetur ad pristinam libertatem. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, quo adeo firmiter demonstratur, quod terra sancta debeat liberari de potentia inimicorum. Nam per gratiam Iesu Christi omnes reges & principes Christiani, & respublicæ inter se sunt in statu pacifico & quieto, nec aliqua procella odij uel scandali perturbantur, sicut olim fieri consueuit. Vnde deus omnipotens hoc nobis demonstrat, uolens terræ sanctæ misericorditer opitulari. Præterea omnes Christiani

ni diuersarum partium & regnorum, fide ac deuotione accensi, parati sunt, A
tam humeris quàm cordibus figere crucis signum, & ad terrę sanctæ subsidi-
um transfretare, non parcendo laboribus, nec expensis, & pro nomine Iesu
Christi exponere se & sua uiriliter & feruenter. Ecce nũc tempus acceptabi-
le, quod Christianis à domino demonstratur. Nam potentia inimicorum fi-
dei Christianæ, est ad præsens mirabiliter diminuta: tũ propter guerras Tar-
tarorum, cum quibus nuper bellando passi fuerunt conflictum, in quo Sara-
cenorum innumerabilis cecidit multitudo, quæ nondum potuit restaurari.
Tum propterea, quod ille Soldanus, qui regnat hodie in Aegypto, est ho-
mo nullius ualoris, & nullius penitus bonitatis. Est etiam alius, quia omnes
principes & Soldani Saracenorum, qui consueuerunt impertiri subsidiũ &
iuuamen Soldano Aegypti tempore opportuno, totaliter defecerunt per po
tentiam Tartarorum, quod non remansit nisi unus, qui dicebatur Soldanus
Meredini, cuius etiam posse & dominia redacta sunt sub seruitute & potẽtia
Tartarorum, & ipse personaliter est detentus: unde his temporibus absque
magno discrimine & labore poterit recuperari terra sancta, & acquiri regnũ
Syriæ & Aegypti, ac totaliter destrui ac confundi potentia inimicorum im-
piorum, facilius per gratiam Iesu Christi, quàm fieri potuisset multis tempo-
ribus iam elapsis. Ecce nunc tempus acceptabile Christicolis à domino de-
monstratum. Nam Tartari offerrent se paratos, Christianis dare subsidium
& iuuamen toto posse contra perfidos Saracenos: & ob hanc causam rex
Tartarorum Carbanda speciales nuncios destinauit, qui fratris sui Casani
uestigijs inhærendo, offert se exponere libentissime posse suum ad subuersio
nem, & totalem destructionem inimicorum nominis Iesu Christi. Et tempo-
re quidem isto, præcipue cum auxilio Tartarorũ terra sancta recuperari pos
set, & regnum Aegypti absq; magno discrimine faciliter subiugari. Deceret
igitur Christianos dare subsidium terræ sanctæ, & absq; tarditate. Nam mora B
ad se trahit magnum periculum & discrimen, uidelicet, ne forte, quod absit,
Carbanda Christianorum amicus deficiat, & loco eius resurgat pessimus ini
micus, & qui forte adhæreret sectæ & fidei Mahumeti, & per consequens cũ
Saracenis unanimis deueniret, & hoc posset Christianis ad maximum gra-
uamen & periculum redundare.

De prosperitatibus & aduersitatibus inimicorum fidei Christianæ.

CAPVT LVI.

AD honorem igitur dei & domini nostri Iesu Christi, de cuius misericor-
dia meum spero supplere defectum: Dico quod ad acquirendam terram
sanctam cum minore periculo & labore, oportet quod Christiani terram san
ctam ingrediantur, & posse inimicorum inuadant, eo tempore, quo inimi-
ci uexari aduersitate aliqua dinoscantur. Nam si prosperitatis inimicorum
tempore Christiani hoc facere attentarent, non sine labore maximo & peri-
culis possent perficere uota sua. Quæ uero sit inimicorũ fidei Christianæ ad-
uersitas, quæ uero sit prosperitas, breuiter enarrabo. In his quidem consistit
prosperitas eorundem, quando uidelicet inimici habent dominum & Solda
num strenuum & sagacem, talem qui cauere sciat & possit à fraudibus suæ
gentis, & absq; pauore rebellionis & perditionis suum possit dominium re-
gere & tenere. Item quando inimici in requie, absq; guerrarũ uexatione Tar
tarorum, uel aliorum longo tempore perstiterunt. Item, quando in regnis Sy
riæ & Aegypti frugum fertilitas est abundãs. Item, quando per mare, & per
terram uiæ secure patent, & in eis absq; contradictione cuiusquã res necessa
riæ abundanter ab extraneis partibus deferuntur. Item, quando treugas ha-
bent cum Nubianis & Beduinis deserti Aegypti, nec ab eis modo aliquo in-
festantur. Insuper quando Turquiniani & Beduini, qui degunt in regnis Sy
riæ & Aegypti, fideliter obediunt Saracenis. Ex his enim prosperitatibus
in tantum inimicorum potentia roboratur, quod non possent de facili sub-
iugari. Sed econuerso, aduersitates possent inimicis accedere multis modis,
quando

A quando uidelicet infideles suum perimunt dominum & Soldanum, & hoc saepe & saepius faciunt & fecerunt. Nam postquam illa Cumanorum progenies coepit dominari in Aegypto, sicut superius enarratur, nouem fuerũt Soldani, & domini ordinati: & de nouem eorum dominis & Soldanis, qui fuerunt in Aegypto, usq; ad praesens tempus, quatuor fuerunt diro gladio interempti Turquiniani, Cothos, Melec, Afferat & Lachinus, & duo potati ueneno mortifero, Benedeclar uidelicet & Elsinus. Alij, Meleksayt & Guiboga, uiriliter exultauerunt: & iste Soldanus Melecnaser, qui regnat hodie in Aegypto, extitit semel pulsus, & adhuc stat in suspendio uita sua, finem sui pessimum expectando. Itẽ, alia inimicis potest aduersitas euenire, uidelicet quando flumen Nili non crescit, ita quod terras Aegypti posset, ut conuenit, irrigare, quoniam tunc famem & penuriam patiuntur: & hoc eis quod accidit, nō est diu: fame enim & inopia tunc perijssent Christianae fidei inimici, & regnum Aegypti totaliter dereliquissent, nisi forent cupidi Christiani, qui eis portauerũt uictualia abundanter. Tunc etiam propter defectum uictualium milites Aegypti efficiuntur pauperes & mendici, & ipsos oporteret equos & arma uendere, & familias minuere propter famem, & sic non possent per consequens recedere de Aegypto. Milites enim Aegypti talis conditionis existunt, quod quando uolunt egredi de regno Aegypti, & ad partes alias se transferre, oportet quod pro octo diaetis omnia necessaria secum ferant, quia in itinere octo dierũ nihil penitus inuenirent, quum sit totum sabulum, quod incedunt: unde si militi deficiat unus equus uel camelus, non posset se à prouincia elõgare, & ob hãc causam Soldanus Aegypti taliter impeditur, quod non posset ad regnum Syriae se transferre. Item, quando inimici diutius guerra aliqua uexarentur. Item, magna aduersitas esset inimicis, & multipliciter taediosa, si per mare eis uiae taliter artarentur, quod res quibus carent, & quibus magis indigent ad sustentationem, eorum exercitus non haberent, sicut

B ligna, pix, ferrum, seruos emptos, de quibus reficiunt eorum exercitũ & augmentant, & alias res quamplures, quas habere nō possent, nisi ab extraneis partibus portarentur, & sine illis stare diutius nō ualerent. Item, quando Nubiani mouerent inimicis guerram, uel etiam Beduini: per hanc enim guerrã potẽtia inimicorum posset taliter impediri, quod ad defendendum regnum Syriae de Aegypto egredi non ualerent. Item, quando terra Syriae deficeret in reditibus per temperiem temporis, uel propter guerras Tartarorum, uel alio quoquo modo. Nam si in regno Syriae deficerẽt uictualia, ita quod exercitus Soldani copiam non haberet, non posset in regno Syriae commorari. Nam ab Aegypto siue alia regione nullum potest ad regnum Syriae deportari, unde inimici non possent recedere de Aegypto. Quandocunq; ergo inimici ab una quauis aduersitatum praedictarum uexantur, sine dubio essent taliter impediti, quod ad defendendum regnum Syriae, de Aegypto recedere non ualerent: unde Christiani regnum Hierosolymitanum faciliter occuparent, & possent ciuitates & castra diruta reaedificare absq; contradictione cuiuspiam, & interea se taliter praemunirẽt, quod potentiam inimicorum postmodum non timerent.

De primo passagio terrae sanctae. CAPVT LVII.

PRosperitatibus & aduersitatibus inimicorũ nō sine causa rationali superius enarratis, de initio passagij effudi, iuxta meae paruitatis notitiã deuote & fideliter aliqua explicabo, ad correctionem tamẽ uestrae sanctiss. sanctitatis. Mihi ergo uideretur pro maiori securitate & cõmodo passagij generalis, quod prius praemitterentur aliquae copiae militum & peditũ armatorũ, ad praetendendam & cognoscendam potẽtiam inimici, cuius copiae quantitatẽ sufficiẽtem esse iudico in praesenti mille equitum, decem galearum, & trium millium militum peditum armatorum: super his etiam legatus à se de passagio mitteretur, & capitaneus strenuus & fidelis, qui ipsos omnes regerent & fouerẽt, & feliciter cum eis, dante domino, transfretarẽt iuxta eorũ discretio

nem & prouidentiam, in inſulam Cypri, aut ad regnũ Armeniæ applicarẽt, A
deinde abſq; moræ diſpendio ex parte legati, & capitanei ipſius armamenti, per conſilium & iuuamen regis Armeniæ, nuncij mitterentur ad Carbanda dominum Tartarorum: duo inter cætera requirendo, unum uidelicet, quod per totam terram ſui dominij faceret inhiberi, ne mercationes ſeu uictualia ſiue animalia ad inimicos portarentur. Aliud, quod mittere uellet ſuorũ militum quantitatem in confines Meleti, qui prope terras inimicorum figerẽt caſtra ſua, & terras Halappi ſæpius prædarentur, circumcirca quotidie deuaſtando. Noſtri quoq; peregrini cum fidelibus regis Armeniæ atq; Cypri, Saracenis guerram mouerent, & tam per terram quàm per mare, impugnarent uiriliter inimicos, & præcipue conarentur taliter maritima cuſtodire, quod inimicis nihil penitus portaretur. Poſſent inſuper noſtri Chriſtiani à noſtra inſula præmuniri, quæ quidem inſula in loco competenti & utili noſcitur eſſe ſita, pro cõmodo galearum. Exinde poſſent Chriſtiani inimicis inferre non modica detrimenta. Veruntamen modum incipiendi guerram, & terras inimicorũ inuadendi, ad præſens dicere prætermitto, quoniam iuxta inimicorũ conditionem & ſtatum oportet conſilium mutari, & operari conſilio ſapientum, qui præſentes his negocijs intererunt. Commoda uero, quæ de iſto primo ſcilicet paruo paſſagio conſequi poterũt, dante domino, Chriſtiani, inferius breuiter deſcribentur.

De commodis primi paſſagij. CAP. LVIII.

PRimum igitur cõmodum eſſet iſtud, primũ paſſagium poterit taliter ordinari, cum auxilio aliorũ fidelium partium orientis, uel etiam Tartarorũ, quod nulla dabitur requies inimicis, & incurrere poterunt damna plurima, & etiã detrimẽta. Nam ſi per Chriſtianos & Tartaros guerra moueatur Soldano Aegypti, per terram & per mare, ut ſuperius eſt expreſſum, ad defenſionem terrarũ ſuarum, Soldanus compelleretur tranſmittere gentem ſuam, ut tã terras illas quæ mari ſunt propinquæ, quàm alias quæ poſſent inuadi, faciat cuſtodiri. Si ergo moueatur guerra per Tartaros & Chriſtianos in prædictis partibus Meleti, inde Babyloniæ uſq; ad ciuitatem Halappi, quæ diſtat per XXV. diætas, oportebit inimicos uenire ut terras tueãtur, & Chriſtianis & Tartaris ſe opponãt. Et illi qui pro iſto ſeruitio tranſmittẽtur poſt modicũ temporis ſpatium erunt taliter fatigati, affecti tædio, equis & expenſis etiam denudati, quod nullatenus ibidem poterũt diutius commorari, multis rationibus atq; cauſis, quas exprimere ſeriatim eſſet forſitan tædioſum: unde redeuntibus primis ad propria, alij ad terræ cuſtodiam mitterentur: & in tribus uel quatuor mutationibus ſic peractis, inimici prædarentur, uacuarentur expenſis, & damna incurrerẽt infinita. Per primũ paſſagiũ inimici poſſunt plurimum infeſtari, uidelicet quod ſi cum armamento decem galearum paſſagij, & alias quæ armari poterunt in regnis Armeniæ atq; Cypri, terræ Saracenorum poſitæ, prope mare uiriliter inuadantur, de facili poterunt deuaſtari, & bonis omnibus ſpoliari, & Chriſtiani cum galeis ad inſulam Anteradenſem poſſent ſoſpites remeare. Vnde oportet Soldanũ de Babylonia cum toto ſuo poſſe ad regnum Syriæ ſe transferre, ut ſufficientem habere poſſet copiam armatorum, per quos daret ſubſidium omnibus terris, quæ prope maris litora ſitum habent. Egreſſio quidem Soldani de Aegypto, cauſa ueniendi ad regnum Syriæ, eidem eſſet periculoſa, & plurimum damnoſa. Periculoſa, propter dolum & proditionem ſuæ gentis. Tædioſa, quia ſæpius poſſet à fidelibus Chriſticolis infeſtari. Damnoſa, quia ſuum ærarium conſumeret & uaſtaret. Vix enim crederetur, ſi dicerem ſummam theſauri quam Soldanum & gentem ſuam oportet expendere, quotieſcunq; egreditur de Aegypto. Itẽ per prędictas galeas portus inimicorum & omnes uiæ maris poterunt taliter coartari, quod inimici non poterunt habere quicquã de rebus illis, præcipue quibus magis indigent, & ſine quibus diutius ſtare non poſſent, ſicut ferrũ, ligna, pix, & ſerui empti & alia, ſine quibus non poſſent eorum exercitũ ſuſten-

A ſtentare, nec iſta habere poſſunt, niſi per mare ab extraneis partibus deferantur. Præterea inimici amitterent redditus portuum maris, qui excedũt pecuniæ magnam ſummam. Item, ſi inimici aduerſitate aliqua turbarentur, per quam impedirentur taliter, quod de regno Aegypti egredi non ualerent, nec terris Syriæ præſtare iuuamen, tunc enim Chriſtianis primi paſſagij cum auxilio aliarum partium orientis ſufficientes eſſent ad reædificandam ciuitatẽ Tripolis. Sunt enim in monte Libani Chriſtiani degentes ſagittarij, pedites ualde boni circa XL. millia uirorũ, qui libenter ſubſidium & iuuamẽ impenderent peregrinis, qui multoties fuerunt Soldano rebelles, & Saracenis damna plurima intulerunt. Et poſtq̃ ciuitas Tripolis eſſet reædificata, Chriſtiani poſſent illam defendere & tenere uſq; ad aduentum paſſagij generalis, & per conſequens poſſent totum comitatum Tripolis occupare, & hoc cederet ad magnum commodum Chriſtianorum generalis paſſagij, quia inuenirẽt ibi portum paratum, ubi poſſent commode applicare. Item, ſi Tartari acquirerent regnum Syriæ, & per conſequens terram ſanctam, Chriſtiani primi paſſagij inuenirentur parati recipere ciuitates & caſtra, ut Tartaris eas munirent & tenerent. Nam ego qui ſatis bene noui Tartarorum modum, credo firmiter quod Tartari libenter terras quas acquirerent, cuſtodiendas & tenendas traderent Chriſtianis libere & quiete, & abſq; cenſu, ſeu aliqua ſeruitute. Nam propter æſtum in illis regionibus Tartari nullatenus habitarẽt, unde gratũ eſſet eis plurimum & acceptũ, quòd Chriſtiani illas terras caperent & tenerent: non enim præliantur Tartari cum Soldano Aegypti, ut terras occupent & acquirant, quum tota Aſia eorum dominio ſit ſubiecta: ſed ideo quòd Soldanus ſemper eorum extitit inimicus, & plura eis intulit grauamina, præcipue quando habuerunt guerram cum Tartaris conuicinis, unde ad omnia prædicta negocia inchoanda ſatis credo ſufficere quantitatem ſuperius nominatam, uidelicet millia militum, decem galearum, & trium milliũ

B peditum bellatorum. Et uidetur mihi quod in his principijs plura non operarentur plures, etiamſi totidem adderentur, & expenſas plurimum augmentarent. Præterea de iſto primo paſſagio, alia duo commoda ſequi poſſunt. Nam poſtquam peregrini primi paſſagij per ſpatium temporis ſtetiſſent in partibus Syrianis, & uidiſſent conditionẽ prouinciæ, & nouiſſent potentiã inimici, & modũ etiam præliandi, inſtruere poſſent conſocios, uenientes paſſagio generali. Itẽ, poſito quòd Tartari propter guerras, quas forſitan haberent cum Tartaris conuicinis, non poſſent aut uellent Chriſtianis ſubſidium impertiri, & quod Soldanus in ſua proſperitate perſiſteret, & ita quod laborioſum eſſet nimiũ eruere terram ſanctã de manibus paganorũ. Reuerenda S. V. cõditione terræ ſanctæ plenius intellecta, uiſa etiam & cognita potẽtia paſſagij generalis, poſſet melius diſcernere quid ſuper his fieri expediret, utrũ uidelicet transfretare deberet paſſagiũ generale, an deceret tẽpus magis congruũ expectare, & ſic poſſent multa incumbentia diſcrimina euitari. Inſuper ſi mihi uenia tribuatur, audeo dicere duo uerba, unum uidelicet, quod S. P. V. ſcribere dignaretur regi Georgianorum qui ſunt Chriſtiani, & terræ ſanctæ peregrinationibus deuotiores quàm aliæ nationes, mandantes quod peregrinis darent ſubſidiũ & iuuamen, credo firmiter, quod ob reuerentiam domini noſtri Ieſu Chriſti, & ueſtræ etiã ſanctitatis, libenter & deuote ueſtrũ ſtuderẽt adimplere mandatũ. Sunt enim, ut diximus, deuotiſſimi Chriſtiani, & ſunt potentes, & multi atque ſtrenui bellatores, & regno Armeniæ quodammodo ſunt uicini. Aliud, quod S. P. V. dignaretur etiã ſcribere regi Nubianorũ, qui per B. Thomam apoſtolum ad fidem Chriſti in Aethiopia ſunt conuerſi, mandantes quod Soldano Aegyptij guerram mouere debeant, & poſſe ſuum impediant & infeſtent. Credo etiam firmiter quod illi Nubiani ob amorem domini noſtri Ieſu Chriſti, & ob reuerentiam V. S. terram Aegypti Soldani inuadere conabuntur, Soldano & genti ſuæ damna & impedimenta plurima inferendo. Et iſtæ literæ de mandato V. S. procedentes,

manda-

mandari poterunt regi Armeniæ, qui ipsas faceret transferri corū idiomate, & per bonos nūcios destinabit. Hucusq; deuotissime & fideliter referaui ea, quæ parua mea notitia sentiebat, super initio passagij & subsidij terre sanctę. Nunc uero S. V. obediendo mandatis, ad generale passagium me conuerto, de his quæ expediunt aliqua loquuturus ad correctionem semper S. P. V.

De passagio generali. CAP. LIX.

GEnerale passagium per tres uias potest arripere iter suum, per uiam uidelicet Barbariæ. Sed de ista uia consulendum relinquo illis, qui statum & conditionem nouerunt illius regionis. Item per uiam Constantinopolitanā, per illam uidelicet, quā tenuit dux Godefredus de Boliono, & alij illius terræ peregrini. Et per hanc uiam passagium generale usq; ad ciuitatē Constantinopolitanam secure, ut credimus, posset ire. Vlterius uero itur per Turquiam usq; ad regnū Armeniæ procedendo: uia illa non est libera, nec absq; discrimine peregrinis, propter Turquos qui in partibus illis degunt: posset tamē per Tartaros uia illa securari, & totaliter expediri. Possent insuper Tartari ordinare, ut peregrini de terra Turquiæ haberent uictualium copiam & equorū, etiam pretij cōpetentis. Alia uero uia est per mare, quæ est omnibus manifesta: unde si per mare uoluerint incedere peregrini, oportebit quod in omnibus portubus eis marinæ naues parentur, & alia bona ligna sufficientia ad passagium transportandum: & oportet quod in termino prætaxato, & tempore cōpetenti omnes peregrini congregentur ad litora maris, parati naues inscendere, & cum dei adiutorio faciliter transfretare: in Cyprū enim poterūt applicare peregrini, ut tam ipsis quàm eorum equis in itinere plurimū fatigatis, requies tribuatur. Postquam uero in Cyprum passagium incolume applicasset per dei gratiam, & per dies aliquos quieuisset, si primi passagij peregrini ciuitatē aliquam firmauissent in partibus Syrianis per breuem uiam, ad illam posset passagiū se transferre. Et si forte primi passagij peregrini non firmassent ibi aliquod munimentū, oportebit passagiū per regnū Armeniæ arripere iter suū, hoc modo uidelicet, quod peregrini in regno Cypri cum equis suis pacifice requiem sibi darent usq; ad festum B. Michaëlis, ut infirmitas planiciei regni Armeniæ æstiuo tempore euitetur. Post uero festum prędictum ad regnū Armeniæ secure poterunt se transferre, & ibi inuenirent omnia necessaria affluenter. Veruntamen in ciuitate Tarsensi poterunt cōmodius permanere, quia ibi est abundantia aquarū & pabulorum, & tamen de regno Turquiæ, cui uicina est, quàm de regno Armeniæ, equos, uictualia, & omnia necessaria habere poterunt abundanter. Post hæc autē ueris tempore ueniente, passagium poterit per terram dirigere gressus suos, ad nobilem ciuitatem Antiochiæ, quæ distat à regno Armeniæ solummodo per dietam, & nauigium poterit per mare ad portum Antiochiæ applicare, ita quod exercitus terrestris maris nauigio appropinquabit. Obsessa igitur ciuitate Antiochiæ, quæ captiuabitur faciliter, deo dante, peregrini poterunt diebus pluribus requiescere in eadē, & inimicorū terras undiq; deprædari, ac interea scire & cognoscere in eadē. Sunt præterea in illa regione Christiani sagittarij ualde boni, qui sine dubio ad exercitū Christianorū uenirent, & multa possent passagio impertiri. Post hæc uero de Antiochia recedētes, peregrini poterūt incedere per litora maris uersus ciuitatē Lyciæ, & illa uia esset breuior & melior, & semper nauigiū exercitui appropinquaret. Veruntamen prope castrū Margati in maris litore, est quidā transitus magnæ genti plurimū tædiosus, quē quidem transitū si nō haberent, possent absq; discrimine Antiochiā remeare, & incedere per uiā Fenich uersus Cæsareā, per litora cuiusdā fluminis ascendendo, quod flumē Kenel uulgariter appellatur, & per illā uiā inuenirent aquas & pascua, & terras inimicorū abundantes frugibus, uictualibus, & alijs bonis, ex quibus Christiani prædas caperēt, & exercitui necessaria ministrarēt, & sic possent per uiam illam ire de Antiochia usq; ad ciuitatē Hamam, quæ est ciuitas opulenta, & per potentiam passagij cum auxilio dei facili-

A faciliter caperetur. Et si forte Soldanus se opponeret Christianis resistẽdo ne caperent ciuitatem, tunc Christiani in illo loco magnam haberẽt prærogatiuam si prælium iniretur. Et si per dei gratiam peregrini possent debellare Soldanum, nullam postmodum resistẽtiam inuenirent, unde recto tramite possent ire ad ciuitatem Damasci, quæ in cæteris conditionibus libenter se redderet Christianis. Nam postq̃ ciues Damasci scirẽt debellationem Soldani, resistendi audaciam non haberent, imò fauerent in omnibus Christianis, sicut fecerunt Haolono & Casano, qui Damasci dominium habuerunt absq; labore aliquo post debellationem Soldani. Et postquã Christiani occupassent Damascum, residuum regni faciliter obtinerẽt. Et si forte Soldanus prælium euitando nõ ausus contra Christianorum potẽtiam bellíger apparere, Christiani recedẽtes inde ad Tripolim possint ire, & ibidem in quatuor dierum spatio peruenirent, ibiq; etiã posset nauigiũ applicare, unde posset Tripolitana ciuitas reparari, & magnũ possent peregrini habere subsidiũ & iuuamẽ, per Christianos qui in mõte Libano sunt degẽtes, & per hũc modum ciuitatem Tripolitanam acquirerent & tenerent, deinde possent regnum Hierosolymitanum occupare, cum auxilio domini nostri Iesu Christi.

De societate Christianorum & Tartarorum. CAP. LX.

DE societate uero Christianorum & Tartarorum, uidetur mihi, quod aliqua quantitas Tartarorum, uidelicet circa decẽ millia, possent multa cõferre cõmoda Christianis per uias & itinera incedendo. Nã propter timorẽ Tartarorũ Beduini, neq; Turquiniani essent ausi Christianorũ exercitui appropinquare. Præterea uictualia & alia necessaria exercitui procurarent, & uendenda de longinquis partibus deferrent, & inde aliquid lucrarentur. Itẽ per Tartaros posset inuestigari intẽtio & cõditio inimicorum, quia Tartari sunt agiles ad currẽdum itinera, bene sciunt unde possunt ingredi & egredi ad eorum liberam uoluntatẽ: insuper ad inuadendum inimicos in campo, et
B ad insultandum ciuitates, castra, seu alia munimẽta Tartari necessarij & utiles esse possent, quia ad talia sunt ualde ingeniosi. Si uero Carbãda uel alius loco sui, ingrederetur Aegyptum cum magna multitudine Tartarorũ, tunc eorum esset societas euitanda. Nam dominus Tartarorum nõ dignaretur se qui uoluntatem Christianorum, imò uellet quod Christiani suis parerent mandatis. Præterea Tartari sunt omnes equites, & ualde festinãter incedũt, unde Christianus exercitus eos sequi nõ posset propter peditum comitiua. Insuper Tartari habent talem modum, quia quando sunt debiliores, mirabiliter se reddunt obsequiosos, humiles, & deuotos. Quando uero sunt fortiores, ualde sunt austeri, tumidi & superbi, & non possent stare, quoniam debilioribus iniurias irrogarẽt, quod quidem Christiani nullatenus paterentur, unde posset per hoc materia scandali pullulare. Sed super his posset tale remedium adhiberi, uidelicet quod Tartari per uiam Damasci, sicut consueuerunt, incederent, & per partes illas occuparẽt, & Christiani ad regnum Hierosolymitanum dirigerent gressus suos. Et hoc modo inter Christianos & Tartaros concors amicitia per utrorunq; distantiam seruaretur, & facilius per duos quàm per unum totaliter destrueretur potentia inimicorum fidei Christianæ. Vnum insuper reducere audeo ad memoriam. P. V. reuerendissimæ, uidelicet quod omnib. modis sagaciter occultetur intentio & consiliũ Christianorum, ita quod inimici ignorẽt Christianorũ propositũ atq; uelle. Nam quod Christiani noluerũt sua consilia præteritis temporibus occultare, multa dinoscuntur incommoda incurrisse: & econtra inimici propterea multa sibi incumbentia pericula euitarent, auferẽdo Christianis materiam adimplendi eorum uota diutius affectata. Et licet non ualeat occultari fama passagij generalis, quæ longe lateq; diffundetur per orbem, ad nullũ tamen potest cedere commodũ inimicis, quia eis ab aliquo dominio Saracenorum non potest præstari subsidium quoquo modo. Et multis modis poterit euitari, ne Christianorum uoluntas uel propositum ad inimicorum notitiam deferatur,

feratur, aliqua uidelicet uelle facere simulando. Illud uero quod Tartari nequeunt sua consilia occultare, ad magnum incõmodum eius cessit. Nã Tartari talem modũ obseruant, prima quidẽ luna Ianuarij consiliũ capiũt super his quæ intendunt facere anno futuro: unde si intendãt mouere guerras Soldano Aegypti, scitur ab omnibus Saracenis, qui continuo Soldano significãt ea quæ Tartari ordinant, & ipse circa hoc conatur apponere remedia opportuna. Saraceni uero ualde benefaciunt, suum propositum occultando & hoc sæpius confert eis. Et hæc dicta sufficiant de passagio terræ sanctæ. A

FINIS.

MATHIAE AMICHOV MEDICINAE DOCTORIS, & canonici Cracouiensis Præfatio.



LICET multi fuerint qui orbem & partes eius descripserint, tamen utramq; Sarmatiã transilientes, nihil ferè de ea scripserũt, nisi quod quidam in genere de hac & illa mentionem fecerũt, sed adeò obscure, ut nihil certi hinc colligere possis, quibus figmenta multa & meras nugas immiscuerunt, dum ultra Sarmatiam ad oceanum Septentrionalem campos ponunt Elysios, ubi, scilicet, aura sit temperatissima, uita placidissima & perpetua, omni referta iucunditate: homines uero multorum seculorum confecti ætate & tædioso grauati senio, sponte sese in oceanum præcipitent, quo miseræ senectutis euadant molestias. Scripserunt quoque illic reperiri terrænascentia ambrosia, succo prædulci & odore suaui, quibus homines quasi paradisi fructibus diu in uita conseruentur: itemq; terram producere aurum in magna copia, & nutrire griphones, aues horribiles raptu uiuentes, quæ equum cum sessore in altum leuare queant, atq; aurum effodi & exportari prohibeant. Aiunt prę terea illic solem & lunam, cæterasq; stellas perpetuo gyrantes & lucentes, dies temperatissimas & iucundissimas constituere. Verum hæc omnia conficta sunt, carentq; ueritate. B Ponunt etiam moderni scriptores Tartarorum terribilem gentem indigenam esse Asianæ Sarmatiæ, & à seculo Scythiam inhabitantem, quum tamen constet eam esse gentem nouam & aduenticiam, à partibus orientis mutatis sedibus, paulo plus ab hinc trecentis annis Asiæ Sarmatiam ingressam, antehac uero incognitam, quemadmodum ab initio huius libri indicabo. Sed & montes, Alanos, Hyperboreos & Riphæos in orbe terrarum uulgatissimos in illis Septentrionalibus regionibus affirmauerũt, ex quibus nominatissima flumina originem trahere dixerunt, nempe Tanaim, Boristhenem maiorem & minorem, atq; Volham ingentem fluuium: sed quum id à uero alienum sit, hodierna docente experientia, non sine causa reijcimus quidquid ueteres somniarunt de his montibus & fluminum originibus. Nam scimus & experientia didicimus prædicta tria flumina Volham, Tanaim & Boristhenem maiorem ex Moschouia originem ducere: minorẽ uero Boristhenẽ, quẽ Aristoteles Diaboristhenidẽ uocat, ex Russia superiori erumpere, & in maiorẽ Boristhenẽ transire. Montes aũt Hiperboreos, Ripheos & Alanos scimus & uidimus illic nõ esse, nec dicta flumina ex eis, sed ex planicie terræ scaturire, id quod sequẽti libro clarissime indicabimus, nihil nisi quod uerum scimus & experti sumus scripturi. Immutata quidem sunt prisca regionum illarum uocabula, id quod alijs quoque accidit terris & habitationibus: sed nos ea intacta non præteribimus, indicaturi quid ueteres senserint, quibusq; usi sint uocabulis, & in quæ hodie migrarint. Aperuit nobis rex Portugalliæ nauigationibus suis regiones Indicas & Aphricanas ad meridiem expositas, & rex Poloniæ, qui Tartaris & Moscuitis confinis est, indies patefacit nobis per militiam suam plagam Septentrionalem cum gentibus quæ ad oceanum Aquilonis sunt expositæ, & extenduntur in orientem.

MATHIAE



A MATHIAE A MICHOV DE SARMATIA ASIANA ATQVE EVROPEA, LIBRI DVO.

De duabus Sarmatijs in genere. CAP. I.



NTIQVIORES duas Sarmatias posuerunt, unam in Europa, alteram in Asia, sibijnuicem cohærentes & contiguas. In Europiana sunt regiones Russorum seu Rutenorum, Lithuanorum, Moscorum & eis adiacentes, ab occidente flumine Vissæ, & ab oriente Tanai inclusæ: harum regionum gentes olim Getæ nuncupabantur. In Asiatica uero Sarmatia, nunc commorantur & degũt plura genera Tartarorum, à flumine Don seu Tanai ab occidente usq; ad mare Caspium ab oriente contenta. Horum imperia, genealogiæ, ritus & mores, latitudoq; terrarum, flumina & circumcirca adiacentia in subscribendis explanabuntur.

De ortu & aduentu Tartarorum. CAP. II.

ANno domini M.CCXI. apparuit grandis cometes in diebus mẽsis Maij, octodecim diebus durãs, & supra Poloucos, Tanaim ac Rusiã gyrans, caudamq; in occasum porrigens, & aduentum Tartarorum significans: unde sequenti anno gens Tartarorum in illam diẽ ignota, occiso ut fertur proprio rege Dauid, de submontibus Indię, confluxisq; pluribus nationibus Septentrionis ad Poloucos uenit. Polouci siquidem fuerunt gentes secundum latus Septentrionale Euxini maris commanentes, ultra paludes Mæotidis, quos alij Gothos appellant. Polouci autem lingua Rutenorum sonant & interpretantur uenatici seu rapaces, quia sæpenumero inuadentes eos spoliabant, & bona ipsorum rapiebant atq; abducebant, quemadmodum & Tartari hisce temporibus faciunt. Itaq; Tartaris ingredientibus, terras Poloucorum, postularunt per ambasiatam, ipsos principes Rutenorum, ut uniuersis copijs & potentijs se adiuuarent, quoniam par exitium & discrimen eos sicut & Poloucos expectaret. Superuenerunt autem & Tartarorum nuntij denuntiantes ducibus Russiæ, ne immiscerent sese bello & adiutorio Poloucorum, sed potius exterminium eorum tanquam aduersariorum procurarent. Russiæ uero immaturo usi consilio, nuntijs Tartarorum comprehensis & occisis, perrexerunt exercitualiter Poloucis in adiutorium, terra mariq; uidelicet Mscislaus Romanouic cũ militia Kiouieñ. Mscilaus Mscilauic cũ militia Halicieñ. Itẽ cæteri duces Russiæ Vladimir, Rurikouicz: duces Cirneouieñ. & duces Smolnenses. Iunctiq; exercitui omnium Poloucorum peruenerunt in Protolce, & abinde singuli ascensis equis, uenerunt duodecim statiuis ad fluuium Kalcza, ubi iam Tartari castra metati fuerunt, & illico respirandi spatio non dato, Tartari in eos irruerunt, & contritis ac diffugientibus Poloucis acies Rutenorum disijciuntur, plurimaq; cæde peracta bini duces Mscilaus Kiouieñ. & Cirneouieñ. captiuãtur. Reliqui fugientes (abominabile dictu) à Poloucis socijs, per quorum terram fugam maturabant trucidabãtur. Equites quoq; propter equos, pedites propter uestes occidebantur, & in aquis suffocabantur. In illa ergo die Ruteni in pessimum horrendumq; inciderunt periculum, quale in terris Russiæ nunquam auditum est. Eaq; prima clades extitit quam Ruteni à Tartaris pertulerunt. Mscilaus autem Mscilauic Halicieñ. dux dum ad naues fugiendo peruenisset, superatis fluuijs persequutionem Tartarorũ ueritus naues abrumpi præcepit, abindeq; fugax in Halic pauore & trepidatione plenus peruenit. Vladimirus autem Rurikouicz fuga & ipse saluatus in Kiou perueniens, sedem accepit Kiouieñ. Alia uero omnis multitudo Rutenorũ dum ad naues fugiendo peruenisset, & eas abruptas offendisset, in mœrorem uersa, dum undas tranare non posset, fame contabescens illic consumpta est præter paucos duces & aliquos eorum milites, qui in lembis fluuios traiecerunt. Præterea anno do-

no domini millesimo ducentesimo uigesimo octauo, in maxima multitudine Tartari Russiam ingredientes, uniuersam terram Renesanska uastauerunt, ducem occiderunt, senes & impuberes necauerunt, reliquam multitudinem in captiuitatem abduxerunt, castra incenderunt. Iterum hyeme eiusdem anni uenerunt Tartari in terram Susdalorum & ea uniuersa uastata, ducem Georgium & filios eius, pluresq; alios Susdalorum principes interfecerunt, castrum Rostou incenderunt, captiuos & prædam pro libito abduxerunt. Sequenti quoq; anno in Smolnensem & Cirnyeouien. regiones uenientes, eas crudelissima cæde, nulli ætati parcentes peruastauerunt, castra & fortalitia ex quibus duces & milites pre timore fugerant, incenderunt, & onusti captiuorum multitudine in terras suas redierunt.

De crudeli uastatione Poloniæ & Hungariæ per Tartaros.

CAP. III.

Kiou metropolis Russiæ.

POst prædicta, Tartarorum horrenda uastatio ex ordine narrationis subnectenda est. Anno domini millesimo ducẽtesimo quadragesimo primo, Tartari in Russiam uenerunt, & Kiou amplissimam urbem & metropolim Rutenorum magnifice constructam funditus deleuerunt. Habuit siquidem præfata urbs portas & turres firmiter ædificatas, & aliquarum portarum tecta deaurata & splendentia, habuit & usq; nũc habet Metropolitanũ de ritu Rutenorum seu Græcorum, plurimis Vladicis & episcopis à Danubio per Moldauiam, Valachiam, Russiam, & Moskouiam præsidentem, in Kiouia iam post destructionem non residentem. Habuit insuper ecclesias supra trecentas ornatissimas, quarum aliquæ in campis inter uepres & arbusta in hãc diem permanent, & stant desolatæ pro latibulis ferarum: ex quibus binæ ecclesiæ, uidelicet sanctæ Mariæ & sancti Michaelis aliquas laminas tecti adhuc tenẽt deauratas, quas Tartari prædatum uenientes, & inspicientes altim bassina uocant: altim bassina, id est, aureum caput habentes, quia partem tecti deaurati habent. Hac uero tempestate in monte ubi olim castrum Kiouien. stabat, Lithuani domini illius loci, fortalitiũ amplum de roboribus & lignis extruxerunt & tenẽt. Itaque tota Russia cum sua metropoli & Podolia omniquaque pessundata, Bathus Tartarorum Imperator uolens Hungariam ingredi, misit ducem Petam nomine cum magno exercitu uastatum Poloniam. Aiunt Poloni Bathum regem Tartarorum Poloniam, Slesiam, Morauiam uastasse: uerior tamen historia eorũ, sicut & chronica Hungarorum referunt, Bathum non fuisse in Polonia, sed duces ipsius, qui trucidatis tyrannis & principibus Rutenorum, receptaq; præda, in oppidum Lublin & Zauichost, uicinijsq; eorum, reduxerunt eam in Russiam, festinanterq; redeuntes, expugnauerunt Sandomiriam cum castro. Illicq; occiderunt abbatem Pokrziunicen cum fratribus eius, & magnum numerum utriusque sexus nobilium & ignobilium uirorum ac matronarum ad conseruandum uitam Sandomiriæ collectorum. Inde exeuntes per Vissicam, in Skarbimiriam uenerunt, & reuertebantur prædam deducturi in Russiam. Dumq; statiua tenerent ad fluuium Zarna, apud uillam quæ maior Thursko uocatur, irruit in eos Vlodimirus Cracouien. palatinus cum militibus Cracouiensibus. Vbi inter pugnandum omnis captiuorum multitudo diffugiens, in propinquas syluas se recepit: superati tamen sunt pauci à multis, Vlodimirus palatinus Cracouien, cum suis à Tartaris. Verum strage suorum perculsi, Tartari, per syluam Stremech in Russiam recesserunt, & in supplementum accersitis plurimis Tartaris cum fremitu & ira in Poloniam redierunt, & quia maximum exercitum habuerunt, ad Sandomiriam peruenientes, bifariam diuiserunt eum, minoremq; exercitum in Lancitiam, Siradiam & Kuiauiam destinarunt cum principe Cadano, quem Poloni Caydanum nuncupant, qui nullo obice apparente uastauerunt crudelissime illos tractus cædibus atq; igne. Maior aũt exercitus Tartarorũ, cuius ductor fuit Peta Tartarorum princeps uersus Cracouiam iuit, omnem oram transitui propin-

A propinquã,cęde & incẽdio peruaſtans. Occurrunt ergo ei in uilla Chmelik
prope oppidum Sidlou, Vlodimirus palatinus, Clemens Caſtellanus Cra-
couień.Pacoslaus palatinus,Iacobus Racibrouic Caſtellanus, Sandomiri-
eń.cum nobilibus & militibus Cracouień. & Sandomirień.Et facto confli-
ctu cum una turma Tartarorum, ipſaq; attrita pedem referente,& ad alterã
præſtantiorem turmam ſe diuertente, Poloni certamine priori feſſi, paucis
plurimis aduerſo pectore confoſſi ciciderunt : reliqui uero in fugam con-
uerſi,per itinera nota euaſerunt. Ceciderunt in eo conflictu deſiderati Chri-
ſtinus Sulkouic de Nyedued, Nicolaus Vitouic,Albertus Stanpotic,Ze-
menta,Grampina,Sulislaus,milites ſtrenui,& alij plures ualidi.Ex quorum
ſtrage tantus pauor irrepſit,ut alij in alias regiones fugerent: agreſtes uero
cum pignoribus & pecoribus in paludes & ſyluas,& inuia ſe conderẽt.Sed
& Boleslaus Pudicus dux Cracouiæ & Sandomiriæ cum Grzimislaua ma-
tre, & Kinga cõiuge ſua primum uerſus Hungariam in caſtrum Pieninide
prope oppidum Sandecz, poſtea uero in Morauiam ad monaſterium Ci-
ſtercień. effugit. Tartari autem poſt cladem apud Chmelik peractam, Cra-
couiam in die cinerũ peruenerunt, & eam uacuam hominibus inuenientes
(omnes ſiquidem in abdita diffugerant) in eccleſias & domus incendio ſæ-
uierunt. Eccleſiam uero ſancti Andreæ tunc extra muros Cracouień. extan-
tẽ,uallãtes oppugnabant,expugnare tamẽ nõ ualuerũt,quoniã pluribus Po
lonis magna ui & fortitudine ſe & ſua illic defendentibus, irrito cœpto re-
ceſſerunt,& in Vratiſlauiam perrexerunt,eam ſimiliter ut Cracouiam deſer
tam habitatoribus, ſed & conflagratã habitationibus reperientes. Ciues e-
enim Vratiſlauień.pauore conſternati,ferè omnibus relictis,pretioſioribus
duntaxat feſtine raptis, fugam inierunt: quod gentes ducis Henrici de arce
uidentes deſcenderunt,& opes cum uictualibus in arcem inducentes, urbẽ
B cum tectis eius flammis exuſſerunt.Et Tartari in urbe nil reperientes,caſtrũ
uallarunt,& poſt aliquot dies obſidionẽ ſoluentes (ut aiunt) orationibus &
lachrymis Ceſlai prioris ordinis Prædicatorum & fratrum eius in caſtrum
admiſſorum depulſi,receſſerunt. Interimq; feria ſecunda paſcæ Tartaris qui
Kuiauiam uaſtauerunt,ſuperuenientibus ſimul iuncti in Leguiczam profe-
cti ſunt.Dux etenim Henricus ſecundus ſanctæ Heduuijs filius per illud tem
pus ibi collegerat gentes & armigeros, tam nobiles quàm agreſtes maioris
Poloniæ & Sleſiæ. Aduenerant & principes cum ſuis militibus Myecz-
laus Kazimirides dux Opolienſis, Boleslaus filius Depoldi marchionis
Morauiæ expulſi,qui Syepiolka cognominatus eſt, & Pompo de Hoſterno
magiſter cruciferorum de Pruſſia cum fratribus ſui ordinis,inſuper & cruci
ſignati plures. Quũq; ex oppido Legnicień, duceret agmina, & ea obequita-
ret,lapis de ſummitate eccleſię beatę Marię decidit,parumq; abfuit,quin ca
put ducis Henrici diripuerit,quod reuera infauſtum omen fuit. Suburbana
itaque oppidi Legnicenſis prætergreſſus,quatuor acies inſtruxit & ordina-
uit. Primam de cruceſignatis uoluntarijs,& de auri foſſoribus oppidi Golt-
berck,alijſq; peregrinis militibus: hanc Boleſlaus Syepiolka filius marchio
nis Morauiæ ducebat. Altera acies fuit militum Cracouienſium & maioris
Poloniæ, hanc Sulillaus frater Vlodimiri olim palatini Cracouienſis circa
Chmyelik occiſi ductitauit. Tertiã aciem gubernauit Myeczlaus dux Opo
lienſis,in qua erant milites Opolienſes,& Pompo magiſter Pruſſiæ cum fra
tribus & militia ſua. Quartã aciẽ ipſemet dux Henricus ex præſtantioribus
militibus Sleſiæ, & maioris Poloniæ, ac pretio conductis militibus rexit.
Totidem erant Tartarorum agmina, ſed robore & frequentia pugnatorum
præſtantiora, ita ut unum agmen eorum omnia Polonorum agmina excede
ret. In campo igitur qui Bonus cãpus dicitur, porrecto,& in omnes partes
lato uterque exercitus quinto idus Aprilis, alias feria ſecunda poſt octauas
paſcæ conuenit . Primumq; cruceſignatorum & aurifoſſorum exercitus
cum Tartaris magno impetu congreſſus,uelut teneræ ariſtę à grandine per-

Polonorum clades

cussæ, à sagittis Tartaricis obtritus est. Deinde duo agmina sub gubernatio A
ne Sulislai militis, & Myeczlai ducis Opoliensis consistentia, pugnare cum
tribus Tartarorum agminibus ingressi, ualidam in Tartaris stragem edide-
runt, ita ut pedem referrent, & fugam inirent. Quidam autem celerrimo cur
su circa utrūq; exercitum discurrens, terribili uoce clamauit. Byegayce bye-
gayce, quod sonat, fugite fugite, Polonis terrorem incutiens. Quam uocem
Myeczlaus dux Opoliensis audiens, deserto prælio fugit, & secum magnā
partem militum traxit. Quod uidens dux Henricus, ingemiscens dixit, Gor
ze se nam stalo, id est, peius & moleste nobis accidit: inducensq; suam quar
tam aciem fortissimorum militum, tres acies Tartarorum à duabus aciebus
Polonorum disiectas prostrauit, & in fugam conuertit. Quarta autem acies
Tartarorum, & maior omnium cum suo duce Peta superueniens, horribili
impetu bellum intulit, & bellum acerrimum inter utrosq; durauit, magnaq;
ex parte Tartaris cæsis, & in fugam spectātibus, quidam Tartarorum uexil-
lifer ualde magnum ferens uexillum, in quo chi litera Græca depicta erat, ta
lis X, & in summitate hastilis imago teterrimi & nigerrimi coloris cū bar
ba prolixa, cœpit incantando fortiter caput imaginis quatere, ex quo illico
fumus & nebula horrendi & intolerabilis fœtoris in Polonos diffusa est, ut
pene exanimati, & inualidi ad bellum redderentur. Clamore itaq; horrendo
eleuato, in Polonos Tartaricus exercitus conuersus, acies eorum quæ in-
terim integræ erant, dirupit, & eas magna strage affecit. In qua dux Bole-
slaus filius marchionis Morauiæ dictus Syepiolka, & Pompo magister cru
cisignatorum de Prussia cum multis insignibus militibus necati sunt. Dux
uero Henricus corona à Tartaris circumfusus est, ut à tergo & fronte cæde-
retur, iamq; suis omnibus unà pugnantibus prostratis, ad extremum circa
eū nō nisi quatuor milites uersabātur. Sulislaus frater olim Vlodimiri palati
ni Cracouiensis, Clemens palatinus Glogouiensis, Cōradus konrathouicz, B
& Ioannes Iuanouicz, qui quanta potuerunt ui & conatu principem Hen-
ricum ex prælio educentes, ad fugiendum disponebant: sed ducis equus sau
ciatus subsistebat. Tartari igitur ne Heinricus euaderet, ueloci cursu conse-
quutum cum tribus præfatis militibus, quarto Ioanne Iuanouicz ab eis se-
gregato uallauerunt, cum quibus aliquāto tempore decertabat. Ioannes ue-
ro Iuanouicz equū recentem à Rocislao aulico ducali receptum, penetra-
tis hostium cuneis duci administrauit. Quo ascenso dux sequebatur Ioan-
nem Iuanouicz, uiam per medios hostes ei parantem. Ipsoq; in cursu uul-
nerato, & euadente, dux Henricus intercipitur, & tertio circumuallatur:
dumq; audacissime contra Tartaros dimicaret, & manu sinistra eleuata,
Tartarum sibi obuium feriret, ab altero Tartaro lancea sub ascella transfi-
xus, ex equo demisso brachio moribundus defluxit: quem Tartari ingenti
strepitu inconditarū uocum facto capiunt, & extra locum certaminis quan-
tum esset geminus Balistæ iactus pertractum, framea caput absciderunt, cor
pusq; insignibus omnibus despoliatum nudum reliquerunt. Occisa est in eo
Nobilium Polonorum strages prælio multitudo nobilium Poloniæ, inter quos clari & insignes fuerunt
Sulislaus frater Vlodimiri palatini Cracouiensis, Clemens palatinus Glo-
gouiensis, Conradus Konrathouic, Stephanus de Virbna, & Andreas filius
eius, Clemens filius Andreæ de Peltznica, Thomas Pyortkouic, Petrus
Kussa & cęteri. Corpus ducis Henrici post cladem in sexto digito sinistri pe
dis uix cognitum, & repertum per Annam cōiugem eius in medio chori ec
clesiæ sancti Iacobi apud fratres minores Vratislauiæ sepultum est. Pompo-
nis uero magistri Prussiæ, & militum insigniorum supra expressorum, in eo-
dem monasterio sancti Iacobi Vratislauiæ corpora tumulata sunt. Boleslai
autem filij Marchionis Morauiæ funus in Lubens in choro conuersorum
humatum est, super cætera corpora fidelium in loco prælij sepulta, Ecclesia
in hanc diem durans constructa est. Maxima uictoria de duce Henrico &
Polonis Tartari potiti, lectis spolijs unicuique interemptorum unam auri-
cula m

A culam absciderunt, & nouem saccos grandes ad sciendum numerum occisorum repleuerunt. Ducis autem Henrici capite in longiori hasta erecto ad castrum Legnicz (oppidum enim metu Tartarorum exustum fuerat) applicuerunt, mãdantes ut duce eorum occiso, castrum eis aperirent. Castrensibus conuenienter respondentibus, quod pro uno duce occiso plures duces filios occisi haberent. Illi uero circa Legnicz uastatis & incensis uillis in Othmuchou se receperunt, ubi quindecim diebus statiua continuando, omnem regionem per circuitum uallauerunt. Exinde Ratiborien. oram adeuntes, in Bolesisko octo diebus cõmorati, in Morauiam secesserunt, & Venceslao rege Bohemiæ in castris se continente, eam plus quàm uno mense in cendijs & cędibus uastauerunt: ab Olomunc septimis castris in Hungariam peruenerunt, & maiori hordæ ipsius Bathi quæ Hungariam intrauerat sese consociauerunt.

De cruenta uastatione Hungariæ per Bathi Imperatorem Tartarorum.

CAP. IIII.

Bathi uastata & ad nihilum redacta Russia, Hungariam cum quinquies centum millibus ingredi contendebat. Resistentẽ ergo inter montes Sarmaticos, & in clausa dicta Russiæ introitum prohibentem, comitem palatinum Hungariæ à Bela quarto rege Hungariæ cum gentibus missum præfatus Bathi obruit & expugnauit, festinanterq; exurendo oppida & uillas ad Titiam fluuium qui uulgariter Cisa appellatur, ex montibus Sarmaticis uersus meridiem in Danubium fluentem peruenit. Et exinde gentes Tartarorum excurrentes, Vatiam cum sua cathedrali ecclesia uastauerunt & incenderunt. Ad Pest quoq; ubi rex Bela quartus exercitum contra Tartaros colligebat, ibant & redibant, aliquando appropinquando, nonnunquam ue B ro fugiendo, prout est mos pugnandi Tartaris. Quumq; copiosum exercitũ, tam ex nobilibus quàm spiritualibus rex Bela coadunauerat, aduersus Tartaros procedens ad fluuium Titiam applicuit, & castra metatus est, adhibitaq; custodia mille armatorum ad pontem, putabat Tartaros non transire fluuium, quoniam altus est, limosus multum, & impermeabilis. Tartari aũt qui multo maiores fluuios transierant, inuento uado Titiam noctu transnatarunt, & in aurora exercitum Hungarorum cum Bela rege eorum undique circundederunt, missisq; densis, & quasi infinitis sagittis, uelut quum grando nebulosus ac densus cum fragore descendit, Hungaros perturbarunt, multos occidẽdo, plurimos uero uulnerãdo. Hungari ergo ueluti impræparati, & absq; ordine contrauenientes cadebant. Quod alij uidentes, meticulosi clàm discedebant & fugiebant. Tartari uero tanquã astuti, sinebant eos per medium sui transire. Vnde Colomannus frater regis sic, & rex Bela quartus tanquam ignoti euaserunt. Reliquos uero cõclusos Tartari crudelissime ad unum necauerunt. Inter quos spirituales maiores ciderunt, Mathias Strigoniensis archiepiscopus, Vgolinus Colocẽ. archiepiscopus, Georgius episcopus Iauriẽ. Reynaldus episcopus Transsyluanieñ. & ecclesiæ Nitriensis episcopus, Nicolaus Scibinieñ. præpositus uicecãcellarius regis, Eradius archidiaconus Bachiensis, magister Albertus Strigonieñ. archidiaconus. De alijs autem secularibus nobilibus & ignobilibus ferè infiniti occisi sunt: & qui fugerãt consequuti in uijs necati iacuerunt. In Pest etiam multi plebani collecti in ore gladij superuenientibus Tartaris perierunt. Rex autẽ Bela quartus properè fugit ad metas Austriæ, ubi captus & detẽtus fuit per ducem Austriæ: tandem dimissus ad reginam coniugem suam perueniens, secessit in Sclauoniam, illic usq; ad persequutionem Cadan cõmoratus. Vastata itaq; Hungaria ex una parte Danubij, in hyeme proxima gelato Danubio in partem alteram penetrauerunt, & sedes inter Iaurinum & Strigonium fixerunt, ubi in hanc diem fossæ & tumuli habitationis eorum cernuntur.

 tur.

tur. Ex quo loco præfatam trans Danubium regionem spolijs, incendijs & occisionibus crudelissime afflixerũt. Quumq; in Tartariam secedere proponerent, diuiso exercitu, princeps Cadan aduersus regem Belam in Sclauoniam diuertit. A cuius facie territus rex, ad mare, tandem ad Polam ciuitatem fugit. Cadan autem quemadmodum cum Bathi constituerat, pertransitis & uastatis Bosna, Seruia & Bulgaria substitit circa Danubium, donec horda Imperatoris Bathi superueniret. At Bathi post discessum Cadan uallauit & expugnauit Strigonium urbem, illa tempestate nobilem, cuius incolæ erant uarij mercatores, Almani, Gallici & Italici: & quia thesauros quos Tartari expetebant in terra suffoderant & occuluerant, idcirco omnes necauerunt, nulli sexui, nulliq; ætati parcentes: destructaq; Strigonio, secus Danubium transeuntes ad exercitum principis Cadan operientem & expectantem peruenerũt. Tandem iuxta paludes Mæotidis uia priori in Tartariam abierunt. Tempus autem quo Tartari Hungariam afflixerunt, & multimode uastauerunt, erat fere biennium.

Quomodo Innocentius papa quartus misit ad Cham Tartarorum, ne Christianos persequeretur: & quomodo fidem Mahumeti susceperit.

CAP. V.

DIscedentibus Tartaris tota Europa contremuit, & principes Christianorum timore perculsi, ne redirent consulebant inuicem. Innocentius quoq; papa quartus ex consilio Lugdunẽ, fratrem Ascelinum ordinis prædicatorum cum pluribus fratribus eiusdem & aliorum ordinũ ad eos misit, anno domini M. C C X L V I. qui per Almaniam & Bohemiam in Vratislauiam uenit, exceptusq; & ueneratus est à Boleslao Slesiæ & Vratislauiæ duce. Exinde transiens ad Lancitiã peruenit, à Conrado duce Mazouię cũ suis recollectus & hospitatus. Dehinc ad Crocauiam deductus, à Boleslao pudico, genitriceq; eius Grimislaua, & à Prãdotha ordinario loci benigne suscepti & habiti sunt, pluribus pellib. subtilibus prouisi, supra id quod proprio ęre potuerunt emere, quoniã principes Tartarorũ sine munere adire nephas est. Tulit autem fortuna, ut esset apud Boleslaum pudicum principem Crocauiæ atq; Sandomiriæ, Vasilko princeps Russiæ, nepos matris suæ: huic itaq; commendati, in Russiam per ipsum deducti sunt: ad Kiouiam uero uenientes, equos acquisiuerunt pro conditione terrarum Tartarorum ualentes, qui pedibus aquam & pabulum sub niuibus sibi quærerent. Tandem ex Kiou procedentes, plures duces Tartarorũ pertransierunt donec ad Cham seu Imperatorem Tartarorum applicuerunt. Cui legatione domini Papæ Innocentij quarti exposita, postulauerunt ut deum uniuersorum agnosceret atq; coleret, & eum quem misit Iesum Christum: utq; gentem Christianam crudeli nece, quemadmodum fecit in Polonia, Hungaria & Morauia non perderet. Et accepto responso, quod Cham per quinquennium gẽtem Christianam non inuaderet, per eandem uiam ad dominum apostolicum cum literis Imperatoris Tartarorum redierunt. Habes in speculo historiali Vincentij libro X X X I I. hanc historiam, quam caute legas necesse est, quoniã in aliquibus superstitiosa est. Post discessum legatorum Christianorum superuenerunt legati Saracenorum, persuadẽtes Tartaris, ut sectam & fidem Mahumeti acceptarent, tanquã faciliorẽ & tolerabiliorẽ, uoluptatibus plenam, uirisq; belligeris competentiorem, Christianorum autem religionem confutando dicebant esse otiosorum, imbecillium, & idololatrarum imagines colentiũ: Saracenorum uero legem multis utilitatibus atq; uoluptatibus refertam, & cæterarum religionum ui & armis expugnatricem, ut superbos debellaret, humiliatis uero tributũ constitueret. Placuit barbaris & ipsi primum Imperatori Bathi & omnibus Tartaris, tanquam uiris cordatis audacibus & sensualibus persuasio Saracenorum, ideo illam & non alteram susceperunt.

Vincentij historia fabulosa

A sceperunt. Et quum dicant Eissa Rocholla, id est, Iesus est spiritus domini: Mahumet uero Rossolai, id est, Mahumet est iustitia dei, noluerunt spiritum dei Iesum benedictum spiritualiter uiuere docentem acceptare: sed iustitiam dei, hoc est Mahumet carnaliter & tanquam bestiam sensualem in spurcitijs uolutantem, ab omnipotenti deo iuste in lacu pœnarum die ac nocte cruciandam amplexati sunt. Itaq; ex tunc uelut & nunc Mahumetum uenerantes sequuntur. Pentateucho Moysi obediunt, circunciduntur, & legalia obseruant, campanis carent: se quotidie lahi illo illoloh, quod in Latino sonat: Non est deus nisi unus deus, clamant. Ingenue se profitentur Ismaëlitas, quia de Ismaël ortos: Christianos uero dzintis, id est, paganos, & gaur, id est infideles, & sine religione appellant. Celebrant uelut alij Saraceni, tria in anno festa, primũ kuiram, id est oblationis pasca in memoriam oblationis Isaac, quando Abraam multarum gentium pater præcepto dei ipsum necare & offerre proposuerat. In isto festo offerunt arietes, aues, alites &c. Aliud festum colunt pro animabus, tunc uisitant sepulchra suorum maiorum, operibus misericordiæ insistunt, & alunt pauperes. Tertium festum agunt pro se suaq; salute. Pro primo festo rite paragendo triginta diebus ieiunant, pro altero uno mense, pro tertio duodecim diebus.

De moribus Tartarorum, & de contentis in terra eorum

CAP. VI.

TArtari sunt homines ut frequenter staturæ mediæ, pectore, & scapulis ampli, facie lati, naso simi, colore tetri & deformes, robusti uiribus & fortes, famem, frigus & æstum facile patientes: equitatu ab ineunte ætate & arte sagittandi gaudentes. Omnia sua secum ducunt, uagi & instabiles loco, cũ
B uxoribus, pueris atq; pecoribus in campis degũt. Ciuitates, uillas & domos non habent. Pro hyeme ad releuandum à frigore, ad mare Caspiũ diuertũt, quoniã illic ratione maris temperiẽ aëris inueniunt. Ad æstatem in suam regionẽ redeunt. Aliqui eorũ unam porcam, duas, tres ue in longũ per iugera tria, quatuor & ultra sulcant, arãt, & milio seminant, inde cibos & bairã, id est pastas faciunt. Non habẽt frumentum, nec aliquod aliud legumen, pecora & pecudes plurimas tenent, præcipue caballos & caballas pro equitatu & uictu ualentes. Incidunt & uulnerant equos, cruoremq; & per se & cum milio uorant: carnes pecudum, pecorum & equorum comedunt etiam semi crudas. Caballos pridie tum sponte tum morbo mortuos exciso loco apostemato perlibenter comedunt. Bibunt aquam, lac, & ceruisiam ex milio coctam. Aquam Turchi & Tartari uocant Su: interdum Tartari dicunt Suha, id est aqua. Ceruisiam aũt miliarem seu ex milio factam, buzam nominãt, eandem Ruteni Bracha uocant. Laudant lac, præsertim komiz, id est acetosum, eo quod stomachum eorum confortet, & medicinam purgatiuã faciat. In conuiuijs & cum hospitibus aduenisq; bibunt Araka, quod est lac sublimatum, quod mirabiliter & cito inebriat. Nõ furantur, neq; fures inter se patiuntur, rapto tamen uiuere uicinos spoliando periucundum & deificum est apud eos. Nõ sunt artificia inter eos, nec pecuniæ, sed res pro rebus commutant. Verum in horda Zauolhensi, inceperunt aspros, id est, argenteos obolos Turcorũ accipere & tenere. In horda uero Prekopeñ. ducatos acceptãt. In horda Nohaiska res pro rebus dant, uafri & perfidi sunt exteris, sibijnuicem uero & suis omnibus fidelissimi. Indumenta sæpenumero ex filtro & lana alba grosse & plane facta gerunt. Oponce plurimum diligunt, in expressione huius nominis præponũt literam, i, ioponce, & nõ oponce nuncupantes, & est pallium album spissum inconsutile pro imbribus & fluuijs bene utile. Terra eorum terra plana & absq; montibus, absq; lignis & arboribus, graminibus duntaxat abundans. Vias non habent, neq; nauigia, sed per dies iter suum computant, ut terra Zauolhensium Tartarorũ citissimæ equitatio

nis, à flumine Volha ad mare Caſpium eſt quaſi triginta dierũ: equitant una A
die uiginti milliaria magna Germanica, pedibus nõ gradiuntur nec itinerãt. Feræ apud eos reperiũtur, cerui, damę, dorcæ, & ſnak, quod eſt animal quãti tatis ouis, in terris alijs non uiſum, lana griſeum, duo parua cornua habens, curſu uelociſſimum, & eſus carnium eius ſuauiſſimus. Et dum grex ſnak in aliquo campo inter gramina conſpicitur, Cham ſeu Imperator Tartarorum cum ſuorum multitudine equeſtres uadunt, & omniquaꝗ circundãt in altiſ- ſimis graminibus deliteſcentes. Dumꝗ tympanis incipiunt ſonare, tunc ſnak tanquam metu perculſæ, rapidiſſime hinc atꝗ illinc ab una parte circũ- ſtantium ad alteram procurrunt, & iterum atque iterum decur- ſando uadunt, uſquequo fatigati deficiant, tunc irruentibus Tartaris cum clamore occiduntur.

De finibus & metis Tartarorum Zauolhenſium,

CAPVT VII.

CLauditur terra Cham & Tartarorum Zauolhenſium ab ortu ſolis mari Caſpio ſeu Hircano. A' Septentrione campis longiſſime latiſſimeꝗ pro- tenſis. Ab occaſu fluminibus Tanai & Volha. A' meridie partim mari Euxi- no ſeu Ponto, partim altiſſimis montibus Iberiæ & Albanię. Mare Caſpium uocant Ruteni Chualens ke more: & eſt mare non ab oceano, ſed à flumini- bus illic defluentibus congeſtum. Fluunt multa ac magna flumina in alueari- um illius maris, de ripis altis impetuoſe & quaſi per ſaltum ex alto in mediũ decidentibus, & iuxta ripas ſub ipſas tranſeuntibus iter præbentibus. Vnde fit ut ibi in æſtate à Perſis & Medis refrigerium quæratur: & in hyeme ratiõe euaparationum temperies conflatur. Iuxta illud mare & poſt ad orientem, ut

Tartari criniti Ruteni proferũt, ſunt Tartari criniti, quos Tartari Calmuchi & paganos nũ- cupant, quoniam ritum Mahumeticum non colunt, nec crinis capitis abra- B
dunt, quemadmodum Tartari omnes radunt, præter adoleſcentes, qui raſa coma binos radios crinium ab aure dextra, & alium à ſiniſtra uſꝗ in brachia prominentes, in ſignum innubilitatis aut uirginitatis relinquunt. Ab occaſu

Don flu. ſunt flumina Tanais & Volha. Tannaim Tartari Don appellãt, qui ſecundũ fontes ſuos ex ducatu Reſenſco à duce Moſcouiæ occupato, uerſus ſeptẽtrio nem fluit. Poſt flectitur in meridiem, & tribus oſtijs paludes Meotidas ingre ditur: imò ipſe paludes Meotidas cauſat. Sunt iam circa Tanaim arbores po maꝗ & alij fructus: ſunt & mellificia quercina nonnulla, & pauciora de pi- no. Inde eſt quod Tartari ſanctum Don dicunt: quia iuxta illum, uictum ex fructibus, melle & piſcibus reperiunt. Volha fluuius Tartarice Edel nuncu-

Edel flu. patus, ex Moſcouia profluit, ex fontibus ſeptentrionalibus & occidentalio- ribus quàm Tanais: qui quum ad ſeptentrionem flueret, longo Tanaim cir- cuiens interuallo, deflectitur in oriẽtem & meridiem, & uiginti quinꝗ oſtijs ſeu fluminibus in mare Euxinum delabitur. Diſtat Tanais à Volha quinque hebdomadarum itinere, ad minus ueloci curſu trium hebdomadarum equi tatione, uel plus. Et eſt Volha triplo maior quàm Don. Viginti quinꝗ autẽ partitiones, ſeu particularia flumina ipſius Volhę ſunt magna: minora autẽ ex eis ſunt tanta, quantus Tyberis Romæ, aut Viſſa poſt Cracouiam. Sunt multum piſcoſi præfati fluuij, ita quod framea Tartari cæteriꝗ tranſeuntes in ripa ſtãdo piſces cum aqua decurrentes ſecent & tollant. Eſt iuxta hos flu- uios Tanaim & Volha air, id eſt, calamus aromaticus, qui & broſtuorſe dici tur, in maxima copia. Ibidem reuponticum, quod Tartari nominant cinire uent, creſcit: & cinireuent nomẽ eſt Perſicum. Item cucilabuca, uel ut alij ex primũt hilcabucha: & in Latino ſonat oculus cornicis: & eſt multę calefactio nis. De ortu horum fluminum Don & Edel, quum de Moſcouia tractauero clarius dicam. Quoties autem Tartari Zauolhenſes in terras noſtras ſpolia- tũ ire uadunt, & per hæc & alia flumina abſꝗ nauigio, alligatis ſarcinis deſu

per

per coniugibusq; & pueris in dorsis equorum sedentibus, ipsimet caudas caballorum tenentes transnatant, & rapinas crudelitatesq; plurimas inferunt. Ad meridiem uersus mare Caspium sunt mõtes Iberiæ & Albaniæ, quos Rutenia gẽte Piasihorsci Circaci, quasi quinquemontani Circaci uocant. Inter illos siquidem montes sunt Gazarorum gentes, quas ut Morauica Legenda depromit, sanctus Cirullus & Metudius fratres, per Michaëlem imperatorem Constantinopolitanum missi, ad fidem Christi conuerterunt, & usque nunc fidem & ritum Græcorum profitentur: sunt homines bellicosi, in tota Asia & Aegypto acceptabiles. Apud hos Tartari Zauolhenses tela comparant. Verum hac ætate Græci illas gentes Abgazari & Abgazeli nominãt, et uicinę iuxta illos sunt gẽtes Circassi et Mẽgrelli, omnes de ritu Gręco per beatum Cirullum in fidem Christi reductæ. Inde sanctus Cirullus rediens ex mari Euxino seu Põtico (in quo omnipotens deus mirabilis & gloriosus in sanctis suis, dederat habitaculum & ecclesiam marmoream per manus angelorum sancto Clementi structam, quam singulis annis in festo sancti Clementis & septẽ diebus, mari recedente & siccato, secure circumsiti incolę aggrediebantur, sanctũ dei uenerando, collendo & extollendo) sustulit corpus sancti Clementis, & in Morauiam prædicaturus Christum dominum secum tulit & asportauit. Deinde Romam euocatus, & per papam Nicolaum citatus, prædictum corpus sancti Clementis Romam detulit, & in ecclesia sancti Clementis honorifice deposuit. Ipse Cirullus cum Metudio fratre in eadem basilica beati Clementis Romæ sepulti: sed non reperta ossa illorum, quantumlibet summe desiderata in eadem basilica quæsita. Ex montibus Circassorum piacihorski, seu quinque montium fluit magnus fluuius Tirck in Tartarico nũcupatus, rapidissimo cursu lapides secum uoluens, & multos pisces, in ma-
B re Caspium defluit. Post hunc ex eisdem montibus fluuius Cohan, minor quàm Tirck, in prænominatum mare Caspium descendit.

De genealogia imperatorum trans Volham incolentium,

CAPVT VIII.

QVatuor sunt hordæ Tartarorum, totidem imperatores eorundem, scilicet horda Zauolhensium, horda Precopensium, horda Cosanensium. Horda & quarta horda Nohacensium, quintamq; addunt quæ imperatorem non tenet, & nuncupant eam Cazacca: de his inferius dicetur. Horda in Tartarico multitudinem significat. Principalis ergo horda est Czahadaiorum siue Zauolhensium, quæ Tak Xi, id est, capitalem hordam, uel homines principales & liberos sese nominat, tum quia nulli subijcitur, tum quia ab ipsa cæteræ hordæ propagatæ sunt. Ob hoc & Moscouitæ magnam hordam Zauolhensium hordam appellant. Inde etiam imperator eorum Ir Tli Xi lingua ipsorum, hoc est, liber homo dicitur. Dicitur & Vlu cham, quod sonat magnus dominus, siue magnus imperator: ulu enim magnus, cham uero dominus & imperator est. Eundem aliqui magnum canem dixerunt, & male interpretati sunt: quia Vlu cham non significat magnum canem: cham etenim cum aspiratione dominum & imperatorem: & cam sine aspiratione cruorem & nunquam canem sermone Tartarorum designat. Produnt itaq; & referunt Tartari, quod quædam uidua concepit & peperit filium nomine Cinkis, & quum filij ipsius tanquam adulteram necare uoluerunt, finxit & excusauit se non ab homine, sed à radijs solis concepisse. Cui figmento filij credentes matrem liberam dimiserunt. Natus ergo eius Cingos uel Cinkis, homo sortis humilis, creuit in uirum magnum & fortem: & is fuit primus propagator & sator imperatorum Czahadaiorum seu Zauolhensium. Huius filius fuit Iocucham gentilis & paganus. Iocucham genuit Zaincham tertium imperatorem, qui in orbe terrarum, & maxime in Polonia, Hungaria & Russia dicitur Bathi. Iste destruxit Gothiam & Russiam, & uastauit Poloniam, Slesiam, Morauiam & Hungariam, prout à principio dictum est. Idem Bathi fuit gentilis primum: tandem sectam Mahumeti persuasus cum Tartaris susce-

pit,

Vlu cham

Tartarorum Catalogus imperatorrm

pit, quam in hanc diem tenent & sequuntur. Quartus imperator ex Bathi genitus fuit Temir Cutlu; & interpretatur ex Tartarico felix ferrum: temir felix, & cutlu ferrum: erat siquidem felix & bellicosus. Iste est ille Tamerlanes in historijs celebratus, qui totam Asiam uastauit, & usque ad Aegyptum pertransijt. Iste imperatorem Turcorum Pesaitem primum conflixit, & captiuatum catenis aureis alligauit, & post in breui dimisit. Iste habuit exercitum duodecies centena millia. Fuit & alius princeps Tartarorum eo tẽpore Acsac Cutlu, quod in Latino sonat claudus, uel claudum ferrum: quoniam claudus erat, sed ferox. Is multa bella feliciter gessit, & ciuitatem magnam in terra Czahaidi, id est, Tartarorum Zauolhensium, nomine Cumumedezar expugnando desertauit, & in solitudinem redegit. Stant domus illius ciuitatis muratæ uacuę, & ecclesiæ olim Gothorum trecentę in ritum Mahumeticum & Mesquitas absq; habitatoribus redactæ. In castro illius ciuitatis fit sepultura imperatorum Zauolhensium. Quintus imperator ex Temir Cutlu progenitus fuit Temir Czar. Iste dicitur, per Vitoldum ducem Lithuaniæ & Vladislaum regem Poloniæ in auxilium contra cruciferos Prussiæ euocatus fortiter pugnãs ferro occubuisse. Sextus imperator ex Temirczar genitus fuit Macmetczar. Ex isto genitus est Achmetczar septimus imperator: & achmet sermone Tartarorũ exponit cõponibilis. Achmet genuit Sziachmet octauum imperatorem. Sziachmet sonat quasi religiosus achmet: & Tartari cognominant ipsum Siachmet, quod est martyrizatus Achmet: quia per Lithuanos captus detinetur, in Couno incarceratus, iste euocatus per Albertum regem Poloniæ, & per Alexandrum magnum ducem Lithuaniæ in solatiũ contra Mendligeri imperatorem Procopensium Tartarorum anno domini millesimo qingentesimo uenit sub hyemem cum sexaginta millibus pugnatorum: mulieres uero & pueri fuerunt supra cẽtum millia: & quia hyems fuit horrida intensiq; frigoris, coniunx eius per imperatorem Precopensem clàm uocata, frigus & inediam non ferens, in Precopa Siachmet marito suo cum magna parte exercitus fugit. Itaq; Siachmet militibus diminutus, & intensissimo frigore pressus, per Mendligeri Precopensem oppugnatus, disiecto eius exercitu cõflictus est, & cum trecentis equis uersus Baiazetem Turchorum imperatorẽ fugit. Quumq; in Bialigrod, quod sonat album castrum iuxta mare ponticum peruenisset, intellexit se captiuandum mandato imperatoris Baiazet: idcirco præpeti cursu retro cum quinquaginta equis fugit, & in campos prope Kiou euasit. Capitaneus uero Kiouiẽsis per exploratores de ipso certior redditus, circundedit eum cum suis & captiuauit, in Vilnamq; Lithuanis misit, unde aliquoties fugerat, & consequutus, comprehensus & reductus est. Alexandro autem rege Poloniæ & magno duce Lithuanię conuentionem generalem in Brescе Rutenorũ agente, aduenit mandato eius Sziachmet ex Vilna, & magnifice per regem Alexandrum ad unũ milliare obuiam sibi eunti susceptus est: deinceps in Radom per Polonos, ut reduceretur in Tartariam trans Volham, conductus aliquot millibus armatorum leuis armaturæ, decretum est: & ut cõpetentior reductio, & à suis laudabilior susceptio fieret, premiserũt Cazac Soltan fratrem germanũ Sziachmet: qui trans Volham peruenit, & cum Albugerim czar patruo Sziachmet in Czahadai terra eorum cognata moratur. Siachmet uero pro expeditione armatorum in Lithuaniam transiens, ad suggestionem Mendligeri Precopẽsis imperatoris captiuatus est denuo per Lithuanos, & in Couno, quod est castrum iuxta mare Balteum, detrusus ac incarceratus est, uere Siachmet, id est martyrizatus, à suis nuncupatus.

Quod gentes Scythiæ inquiete sunt & semper rapaces, CAP. XI.

NOn possunt Tartari in quiete uiuere, quin semper uicinos impetant ac inuadant, prædam'que ex spolijs hominum ac pecorum abigant & reportent, & hoc commune est omnibus hordis Tartarorum, ab exordio & ingressu eorum in hanc diem: unde pauca pro multis exemplificando, Anno domini

A domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto ingens Tartarorum exercitus ex multis legionibus cõflatus, & per gentes Rutenorũ atq; Lithuanorum adauctus, cum ducibus Tartarorum Nogay & Thelebuga post festum sancti Andreæ in terram Sandomiriensem aduenit, transiensq; per glacies induratas fluuiæ Vislæ, tam ciuitatem quàm ecclesias eius incendit, castrumq; in quod uniuersa Sandomiriensium regio cũ uxoribus, pignoribus, ac fortunis cõfugerat cinxit, & illud nocte ac interdiu expugnauit: sed quum non præualuisset, duces Russiæ Vasilco & Leo filij Danielis regis Russię dolose suaserunt omagium & subiectionem præstituros propter securitatem, quod Sandomiriensi fecerunt. Tartari autem fide uiolata clamore ualido & concursu inuecti in castrum, omnes crudelibus supplicijs truculẽtissime enecauerunt, fluxitq; sanguis occisorum de colle arcis tanquam quidam riuus in Vislam. Alios uero homines occidere fastidientes, tanquam gregem cumulatos in Vislam impulerunt & submerserunt, effusiq; e Sandomiria Tartari ducatum præbentibus Rutenis, in Cracouiam uenientes, & eam uacuam habitatoribus reperientes, in tecta & ualetudinarios sæuierunt, tribusq; mensibus grassati, nullam resistentiã passi, onusti præda in Tartariam reuersi sunt. Præterea apud Cracouiam puer natus uix semestris (mirabile dictu) articulata uoce Tartaros uenturos & Polonorum capita præcisuros prædixit. Cunctis trementibus interrogatus, an ipse etiam Tartarorum aduentum timeret, respondit plurimum sese timere, quum inter alios suum caput essent præcisuri. Et ecce sub intensissimis frigoribus & densissimis niuibus ferocissima gẽs Tartarorum famem sedatura, ducibus Nogay & Thelebuga primum in Lublienses & Mazouiæ, & post in Sandomiriensium, Siradiensium & Cracouiensium oras in numero locustarum uenit. A' castro & ciuitate Sandomiriẽsium, cum ignominia & strage, militibus qui in præsidio erant, strenui tutantibus repulsi pluras ecclesias, monasteria & munitiones obtinuerũt & incẽderunt. Ad Cracouiam autem in uigilia natiuitatis Christi applicantes, & eam
B expugnari adorsi, aliquot insignes eorum amiserunt, ululatuq; edito ab ea discesserunt, & depopulationem cum spolijs lõgius extẽderunt, Dux Lesco niger de uiribus suorum militum diffidens, in Hungariam cum Griffina sua cõiuge secessit. Et Tartari grassantes ad alpes Pãnonias & ad Slesiam peruenerunt. Terris itaq; prædictis spoliatis, sacerdotibus, lactãtibus, & senibus trucidatis, cum ingenti præda hominum ac pecorum abcesserunt, quum apud Vladimiriam Russiæ parentes uiginti unum millia de uirginibus duntaxat nondum nuptis computauerunt: ex quo multitudo cæterorum uirorum & fœminarum poterit æstimari. Eodem fere tempore Tartari per Cumanos inducti, Hungariam cædibus & spolijs usq; ad Pest uastauerunt, & in ea ab octaua epiphaniarum usque ad festum paschæ commorati sunt. Item eodem anno Tartari imperium Constantinopolitanum inuaserunt, & pluribus hominibus trucidatis, multa loca desertauerunt. Vnde ex his liquet, quod Tartari nunquam sine spolijs uiuunt, & quod uicinas gentes turbãt & inuadunt, ueluti istis annis Tartari Precopenses sępenumero Valachiam, Russiam, Lithuaniam & Moscouiam affligunt. Tartari uero Nohaienses & Cosanenses Moscouiam inuadunt, & spolijs atq; cædibus implent.

Tartarorum perfida sæuitia

Prodigium.

Quæ gens, quæ natio habitet in Scythia,

CAP. X.

QVum sint trecenti & sex anni, quod Tartari ingressi occupauerunt Sarmatiam Asiaticam seu Scythiam, pulsaret forsan quempiam dubitatio, quænam gentes inhabitarint præfatam Sarmatiã Asiaticam & nunc & priscis temporibus Scythiam appellatam. Ad hoc ex præcedentibus facile est secundum historias respondere, quoniam Gothi illas terras tempore aduentus & ingressionis Tartarorũ incoluerunt, à uicinis Polouci nũcupati, quod sermone Sclauorum, Rutenorum & Moscouitarum rapaces & spoliatores sonat: quia tunc Gothi quemadmodum nunc Tartari tanquam canes uenatici

tici uicinas inuadentes nationes molestabant ac spoliabant. Sed altius exordiendo dicamus quod secundum Ptolomæum Pheludianum in secũdo Quadripartiti, angulus Aquilonis septentrionalis, ubi nunc resident Tartari, est de partitione trianguli signorum septentrionalium aureorum: dominaturq; in eo Saturnus cum signo aquarij, qui reddit præfatum angulum ferocem & horrendum secundum incolas eius: sic enim inquit idem Ptolomæus: Qui in confinibus terrarum Sarmatiæ & terræ Ascardæ conuersantur, Aquario & Saturno assimilãtur: unde maioris sunt crudelitatis, qualitatesq; animarum suarum ferocissimæ. Hæc ille. Malignæ siquidem est influentiæ ille falcifer Saturnus, & humano generi infestissimus, suis contrarijs qualitatibus frigiditatis & siccitatis semper contrarius. Ex illo ergo angulo consurrexerunt & usque in hanc diem insurgunt nationes rigidæ & crudeles, humanum genus perturbantes, secũdum quod Hieremias primo capitulo dixit: Ab Aquilone pandetur omne malum, super omnes habitatores terrę. Quod si cui placeret examinare, manifestissimum & uerum, quia diuinum oraculum, apparebit. Ibi enim historiæ, & Ptolomæus in loco præallegato tradunt mulieres quæ Amazones dicuntur, habitasse, illis temporibus terror mundi: nam fragilitate sexus abiecta, pluras terras uexauerunt, Asiamq; minorem occupauerunt, & Ephesum famosam urbem construxerunt. His deletis & exterminatis successerunt alię nationes Schythæ communiter nuncupatę, orbi terrarum utplurimum molesti. Tandem superuenerunt Gothi, qui & Gethæ uocantur, quorum captiui à Gręcis & comicis eorũ Geta, & à Dacia Dauus & Dacus, tanquam sclaui & serui tẽti & nuncupati fuerunt. Hi longo tempore possederunt illas terras, ciuitatesq; & castra mutauerunt: præda ut semper uixerunt, donec ex Iuhra à finibus septentrionalis Scythiæ superuenerunt Iuhri, qui postea Hugui, deinde Hungari sunt dicti. Hi Gothos sui multitudine presserunt & expulerunt. Ciuitates tamen & quædam castra non obtinuerunt. Gothi pulsi alienas sedes intrauerunt: primumq; Alanos, Roxolanos, Rutenos & Vandalos eiecerunt: tandem iuxta mare Ponti commorati, Bulgariam, Thraciam, & imperium Constantinopolitanum inuaserunt, quos Zeno imperator perhorrescens & suspectos habens, ad Italiam liberandam de manibus Odoacri Eruli misit, prout infra dicetur. Vãdali uero & Alani uagi, à Constantino magno sedem petierunt, & pro mansione Pannonias acceperunt. De his specialiter inferius tangetur. Iuhri autem multiplicati per flumina magna transeuntes, ut fertur, per uenatores ceruam sequentes ducti & animati, terras Russorum intrauerunt, & Pannoniam propere aggressi sunt: præficientesq; eis Attilam in ducem, ferè toti Europę molesti fuerunt. Deinceps Gothi qui super remanserant, pace oblata multiplicati sunt, & Tartaros inuasores, imò & exterminatores, prout in principio huius operis diximus, acceperũt. Hæc summarie de habitatoribus Sarmatiæ Asiaticæ dicta sunt. In sequentibus autem amplius & particularius dicetur.

Marginalia: Amazones; Getæ; Hungari; Iuhri

De Gothis, CAP. XI.

Gothi de Scythia pulsi partim in Taurica insula, & iuxta eam, iuxtaque mare Ponti commorati sunt: partim uero cum Ragaso rege eorum plus quàm ducenta millia Italiam inuaserunt: & quum Roma tremeret, & tãtam potentiam expauesceret, multitudo eorum in aspero montis Fesulani iugo inedia consumpta est: captusque & in uincula coniectus est Ragasus rex: exercitus uero eius tanquam pecudes disiectus, trucidatus, & uenundatus est. Hi autem qui circa Tauricam & Pontum sederunt, bifariam diuisi sunt, & qui cum duce Alarico ad occasum in Italiam & Galliam profecti sunt, Visigothi, id est occidentales Gothi uocati sunt. Qui uero cum principe Frigiderno in locis suis ad mareponti permanserunt, Ostrogothi, hoc est orientales Gothi sunt appellati. Exinde apertum & manifestum est, unde ostrogothi & Visigothi dicti sunt. Patet, etiam, quod Gothi sub rege Daciæ in Gothia degentes, friuole & inepte eis nomina Ostrogotorum & Visigothorum

A thorum appropriant, quum non de ipsis, sed de his quos diximus circa Pontum & Mysiam commorantibus, & illis ad Gallias transeuntibus, orientales & occidentales Gothi primum & uere dictum sit. Illi autem in Gothia, in septentrione ad oceanum in terra algidissima, haud in oriente degunt: maleq́ & absurde aliena nomina eis usurpant. De hoc uide Paulū Diaconum libro decimo sexto, capite secundo. Oriētales quoq́ Gothi Mysiam & Thraciam, cæterasq́ Constantinopolitani imperij prouincias ingressi sunt, quos imperator expauescens, & ab Imperio Constantinopolitano semouere cupiens, cum Theoderico rege eorum ad liberandam Italiam contra Odoacrū misit. Hi per Seremium & Pannoniam gradientes, quum prope Aquileiam circa fluuium Sontium se suaq́ iumenta reficerent & pabularent, Odoacrū cum grandi exercitu uenientem, & eis oppugnationem inferentem fuderunt. Qui fugiens Romam peruenit: & quia clausas ei portas reperit, retro cedendo ad Rauennam cucurrit: quem Theodericus obsidione cinxit, & post triennium cum eo compositione facta, dolo occidit, totiq́ Italiæ dominatus est. Qui autem reges Gothorum in Italia, Gallia, & Hispania fuerunt, de facili ex historicis colliges: quoniam de his non est mihi intentio principalis scribendi. Iuhris autem, siue Hungaris, de Sarmatia Asiana in Pannoniam abeuntibus, reliquiæ Gothorum auctę & multiplicatæ sunt, quas Tartari ab oriēte superueniētes in toto deleuerūt: sed & ciuitates castraq́ demoliti sunt, ut solum in Taurica insula residui reperirentur. Verum Ianuenses ex Italia Theodosiam seu Caffam urbem famosam in Taurica insula sub ipsis obtinuerunt, & coloniam fecerunt. Tandem Tartari de familia Vlanorum, de quibus infra dicetur, per portum septentrionalem insulam ingressi, totam cum oppidis, pagis & campis occupauerunt, ducibus de Mancup, qui generis & linguæ Gothorum fuerunt, duntaxat castrum Mancup retinentibus. Postremo Mahumet octauus imperator Turcorum, auus moderni B Selambeci imperatoris, Tauricam insulam comprehendit, Caffam expugnauit, Tartaros Precopēses seu Vlanos cū toto Cheroneso homagiales sibi fecit, & ultra insulam ad septentrionem, castrum Azau in ripa Tanais incastellauit, & in hūc diem Turci tenent. Binos quoq́ duces & fratres de Mancup unicos Gothici generis linguagij superstites, ad spem gregis Gothorum prolificandorum, gladio percussit & castrum Mancup possedit, Sicq́ Gothi penitus tam circa Sarmatias, quàm in Italia, Hispania, & Gallia extincti sunt, nec eorum genealogia amplius comparet.

De Alanis, Vandalis & Sueuis. CAP. XII.

ALani fuere gentes in Alania regione Sarmatiæ Europianæ, flumini Tanai contiguæ & conterminæ: & est regio plana, sine montibus, paucas simositates & colles habens: caret colonis & habitatoribus, quoniā ab inuasoribus eiecti & dispersi, in alienis prouincijs consumpti & extincti sunt. Stāt campi Alaniæ late profusi, tam Alanis quàm aduenis possessoribus orbati ac deserti: duntaxat interdum Cazaci eam pertranseunt, quærentes, ut moris eorum est, quem deuorent. Cazac Tartaricum nomen est, Cozac uero Rutenicum, ualens in lingua Latina seruilem stipēdiarium, grassatorem seu reyteronem: spolijs enim uiuunt, nulli subiecti, gregatim latissimos & uacuos cāpos tres, sex decem, uiginti, sexaginta, &c. numero percurrētes. Crescit in illa terra calamus aromaticus uberrime, tartarskiezele à Polonis nomine à Tartaris mutuato nuncupatus: quoniā nō longe à Tartarorum regione crescit & multiplicatur. Ast Vandali sunt & fuerunt populi Germanię, ut suis traditionibus celebrāt Plinius, Suetonius Tranquillus, & Cornelius Tacitus, secus flumen Vandalum à regina eorum in libamen & sacrificium dijs suis pro uictoria ex inimicis adepta, sponte in ipso submersa appellatū. Hoc flumē Istula & Visla uocatur. Vt autem de Vandalis completior historia referatur, accipiendum est quod Sclaui ex Iauan filio Iaphet per Helisam procreati sunt. Noë siquidem genuit Sem, Cham, & Iaphet. Iaphet uero Iauan

uan quartogenitum & fratres eius. Iauan iuxta mare Ionium & Aegæum Grçcos edidit & multiplicauit, simul & Helladicos & Aeolios Sclauos'que per filium suum Helisam propagauit: à Iauan enim Ionium mare dictum est: Hebræi quoque Ionios & Græcos lingua eorum Iauan uocitant. Hæc est sententia Iosephi de filijs Noë. Sclaui itaqꝫ mox post Græcos ad occidentem terras possederunt, Seruiam, Rusciam, Dalmatiam, Mysiam, Bulgariam, Bosniam, Croaciam, Pannoniam & Sclauoniam. Fuerunt autem principes Lech & Czech bini fratres, Iauan nepotes, de femore Helisæ descendentes, Croaciam ac Sclauoniam per Crupam fluuium rapidum & uelocem disterminatas, forte cum cognatione & familijs eorum inhabitantes, regiam locumqꝫ principalem suæ residentiæ in Psari castro ac uillagio eius nominis tenentes: uilla usqꝫ in hodiernum diem cum suo nomine Psari permanet ad fluenta Crupæ, plures inhabitatores & colonos, nostro æuo etiam linguagij Sclauonici habens. Castrum uero demolitum solas ruinas & fundamenta arcis demonstrat. Quum autem ex multiplicatione hominum & genealogiarum Dalmatia, Croacia & Sclauonia eas non comprehenderet, sepenumero iurgia & cædes inter fratres, principes & cognatos pullabant. Quapropter præfati duces Lech & Czech uitando pessima facinora, parricidia & mortes hominum animo concordi & consilio salubri, collectis rebus & gentibus eorum, per familias & colonias cum tota supellectile, quantulacunque tunc habebatur, relictis sedibus natiuis, ad occidentales diuerterunt regiones exploratum ire & percontari nouas sedes. Sciebant nanque orientales meridionalesqꝫ regiones colonis & habitatoribus occupatas atqꝫ refertas: et idcirco frustra eas aggrediẽdas & querẽdas. Profecti itaqꝫ peruenere in Morauiam & Bohemiam, & lustrata uniuersa illa regione, uasta quidẽ & nondum culta perspecta & aura eius salubri, & gleba fertili, fixerant tentoria in mõte qui Rzip dicitur: cœpitqꝫ Czech frater minor, loci amœnitate delectatus, à maiori natu germano suo Lech plurimis instãtijs petere terras Morauię & Bohemiæ in hæreditatem suam posterorumqꝫ suorum perpetuendas & populandas, Lech autem ad obeundam & nutriendam beneuolentiam fraternam, consensit uotis petitionibusqꝫ Czech, & ualedicẽs processit cum suis uersus orientem & septentrionem, deueniensqꝫ in terras incultas, à nemine unquam habitatas, Slesiæ & maioris Poloniæ, suos suaqꝫ omnia exposuit & firmauit: multiplicatiqꝫ Lechitæ, qui & Poloni, in his locis maioris Poloniæ & Slesiæ, creuerũt deo uolente in maximo numero, & impleuerũt Vandaliam, id est Poloniam, iuxta flumen Vandalum, qui nunc Visla nominatur. Impleuerunt Pomeraniam, Cassubiam, & totam regionem secus mare Germanicum, ubi nunc est Marchia, Lubec & Rostoc usqꝫ ad Vestualiam, sortitiqꝫ sunt uarias nominationes secundum uarietatem locorum, quæ inhabitarunt: & hi qui penes fluuium Sueuum, nunc in Teutonico Spre seu Spreua dictum commorati sunt, Sueui nuncupati: & alij iuxta eos Burgundi, à casis & aceruis, quos lingua sua Polonica brogi uocant, appellati sunt: sicqꝫ de reliquis, Dreuianię & Trauianæ à copia lignorum & graminum nomina perceperunt. Tempore autem imperatoris Augusti, ut refert Bergomensis in supplemento Burgundorum, octuaginta millia ex semptentrione uenientes, ripas Rheni insederunt, quos Drusus & Tiberius nepotes Octauiani, ut refert Paulus Orosius, expulerũt, & repedare in cognatas sedes cõpulerunt. Tandem Drusus Rhenum & Albim fluuios transeundo pugnauit. Albis fluuius est per Bohemiam & Misniam usqꝫ in mare Germanicum decurrens, Labya in Bohemico nuncupatus, & in Sueuos & Burgundos incidit, quibus cum cruentissimam pugnam egit cum uictoria. Sed uictor Drusus in eodem prçlio per ferocissimam Sueuorum gentem necatus occubuit, & in Manguntiam relatus sepultus quieuit. Exinde Cæsar Octauianus, ut mitescerent sub mitiori cœlo, Sueuos, ut inquit Suetonius Tranquillus traduxit in Galliam, atqꝫ in proximis Rheno agris collocauit: ubi urbs Augu-

Bohemi & Poloni ex Sclauis

gusta

A honorem imperatoris Augusti structa est: qui translati in hanc diem Sueui à priori patria, & Vindelici à linguagio Vindelicorum atq; Sclauorum, nominantur, ipsaq; urbs Augusta, Vindelicorum Augusta dicitur. Hæc referunt præfatus Suetonius Tranquillus, & Martinus in sua Martiniana parte secunda, sub descriptione Cæsaris Augusti: tametsi Sueui de prouincia eorum cis mare Germanicum sita educti fuerunt: alij tamen Poloni, Vindelici & Sclaui subintrauerunt, & illam regionem repleuerunt. Vnde tempore Valentiniani imperatoris, ut dicit Orosius & Bergomēsis in Supplemento, Burgundi iterum ex septentrione de terra Vindelicorum surgentes, ad Rhodanum fluuium pertransierunt. & quia pacifice illas terras coluerunt, à uicinis eorum intacti, Burgundiam ex suo nomine uocatam constituerunt. Sed Vindelicos circa Lubec, Rostoc, Mekelsburg, & fluuium Sueuum imperatores Henrici, tanquam gentiles Christum colere nolentes expugnauerunt, sicq; ad extremum Henricus tertius deuictis prędictis gentibus Teutonicos in eorum loca induxit & locauit. Refert quoq; historia Henrici tertij, quod quatuor reges Vindelicorū capti, diebus festis & diebus coronationis suæ, lebetes & caldaria in ignominiam eorum ad coquinam eius ferebant. Et uerum quidem est, quod usque in hodiernam diem perdurant Vindelici seu Sclaui in illis locis circa Lubec, Rostoc, Misnam & Marchiam, non in urbibus, sed in pagis & uillagijs, præcipue hi qui Sarbi & Vindæ uocantur. permanent & nomina Polonorum atque Vindelicorum prisca in nominatione locorum, castrorum & ciuitatum. Nam Lubec, Rostoc, Mekelsburg, &c. nomina sunt Polonica.

Continua narratio de Vandalis, Alanis & Sueuis.

CAP. XIII.

B EXpulsi Alani è suis sedibus ad Vandalos declinauerunt, & simul Pannoniam intrauerunt, ipsamq; quasi sexaginta annis inhabitarunt: post ea rempublicam Romanorum inuadentes Gallias afflixerunt: & exinde, ut referunt historici, ad Vandaliam seu Poloniam redierunt, & usque ad tempora Stiliconis commorati sunt: intuleruntq;, ut ex quibusdam signis conijcio, immensam multitudinem argenteorum, cum figura & effigie Adriani imperatoris, prout titulus & superscriptio ostendit. Quam monetam in hanc diē est reperire apud Polonos secus decursus aquarum, & illuuia pluuiarum, & in campis in cultura agrorum, uocantq; eam ruricolæ denarios sancti Ioannis Baptistæ, propter expressam imaginem capitis & colli ad similitudinē capitis sancti Ioannis in disco. Tempore autem Honorij imperatoris Stilicon comes Romanus cupiens filio suo Eucherio apicem & culmen imperij cōquirere, Vandalos, Sueuos, Alanos & Quados concitauit ad arma, & ad perturbandum dominium Romanorum. Qui in Gallijs debacchantes, diuina & humana pessundarunt atq; destruxerunt. Deinde Gothis cedentes Hispanias penetrauerunt, & nunc has, nunc illas terribili mente afflixerunt. Deinceps ad Aphricam occupādam per Bonifacium principem Rom. euocati transierunt, & illam ferro & igni uastantes conquisiuerunt. Primo itaq; anno Gratiani, puta anno domini tricentesimo octuagesimo primo, & deinceps super Vandalos de regno Poloniæ exeuntes regnauit Modigisilus annis triginta. Post hūc filius eius Gundericus in Hispanijs annis sedecim: hic capta Hispali quum manus in ecclesiam ipsius ciuitatis extendisset, à dæmone correptus interijt: cui Gensericus frater successit, ut refert Paulus Diaconus, ab Hispanijs ad Aphricam transiens, cunctam penè Aphricam ferro, flamma, rapinis crudelissime deuastauit, fidem catholicam impietate Ariana infectus subuertit, episcopos profligauit. Sub hoc turbine, teste eodem Paulo diacono & Possidonio beatus Augustinus episcopus Hipponensis, ne suæ ciuitatis ruinam cerneret, expletis annis uitæ suæ septuaginta sex, migrauit ad Christum. Deinde Gensericus Carthaginem inuadit, atque capit

cum ualidissimo exercitu: ex Aphrica aduectus Romam spoliat, multa millia captiuorum cum regina Eudoxia & duabus filiabus in Carthaginem duxit, quam Trasamundo filio suo in matrimonium copulauit, Campaniam & Appuliam flammis cõsumpsit, Capuam & Nolam pari ruina strauit. Inter has procellas uir pꝛ̃ssimus Paulinus Nolanæ urbis episcopus, pro cuiusdam uiduæ filio sese in seruitutẽ tradidit. Regnauit Gensericus annis quadraginta octo. Eo mortuo successit Honoricus filius eius, qui effugatis amplius quàm CCCXXXIIII catholicis episcopis, & ecclesiis eorum clausis, plebem uariis suppliciis affecit, & quidẽ innumeris manus & linguas abscidit: illis tamen expeditissime loquentibus, ut refert beatus Gregorius in tertio libro Dialogorum, & Paulus Diaconus in gestis Romanorum. Tandem iudicio dei percussus, scatens uermibus miserabiliter expirauit. Post hunc Guntamũdus nouẽ annis regnauit. Post quem Trasamundus, qui ducentos & uiginti episcopos in Sardinia exilio relegauit. Deinde anno domini quingentesimo uigesimo regnanit Hildericus filius eius ex Eudoxia filia Valentiniani imperatoris à Gẽserico captiuata genitus. Hũc pater Trasamũdus ad mortem ueniens, sacramenti nodis astrinxit, ne unquam in regno suo catholicis consuleret. Qui mox patre mortuo antequam regnum susciperet, omnes catholicos ab exiliis iussit reuocare, & episcopis ecclesias reformare. Regnauit annis octo: Hunc Gilimer perimens, annis quinqꝫ post eum regnauit, qui tantæ crudelitatis fuit, ut nec parẽtibus parceret. Tandem Belisarius patritius à Iustiniano imperatore missus est ad Aphricã, qui magnas copias Vandalorum fudit, regemqꝫ eorum Gilimerum uiuum capiens catena argentea uinctum Iustiniano Cõstantinopolim misit. Sic Vandalorum regnum in Aphrica destructum est. Habes ex prædictis, quod Vandali, Sueui & Burgundi fuerunt de regno Poloniæ, à locis Poloniæ, quæ inhabitarunt, appellationem & nomina sortiti, linguam & sermonem Polonicum profitentes & loquentes. B Habes secundò, quod præfati populi Vandali, Sueui & Burgundi, Germani & non Sarmatæ neqꝫ Scythæ fuerunt. Ideo Sigisbertus, Vincentius in speculo historiali, et cęteri antiquiores, inconcinne & iniuste Scythas fuisse scripserunt. Collige tertiò, quod prædictæ gentes non de Scandia insula, sed de Polonia oriundi, partem Europæ occidentalem & Aphricam perturbauerunt. Vnde non recte antiquiores dixerunt eos Scythas ex Scandinauia insula, quum Scythia propriè sit post Tanaim in Asia ad orientem: Scandia uero, siue Scandinauia fuit & est ad occasum solis post mare Germanicũ in septentrione, Daciæ cohærens, quam rex Daciæ possidet multis millibus passuum à Scythia distans. Valde ergo indistincte ac impertinenter iam dictæ gentes Alaniqꝫ, Gothi & Huni ab inexpertis de Scandia dicuntur exiisse, quum in ea nunquam fuerint, nec eam penetrauerunt aut contigerunt. Collige quartò, quod Poloni & Bohemi, Sueui, & omnia genera Sclauorum post diluuium in hanc ætatem in suis sedibus & cognatis regnis permanẽt, & nõ aliunde superuenerunt. Nec est uerum quod fassus est Blondus (salua uenia tanti historici, in aliis doctissime scribentis, & modernorũ sequaciumqꝫ eorum) quod Sclaui à Tanai & Bosphoro ascenderunt in Illyricum, Dalmatiam & Croaciam. Lech quoque & Czech principes Polonorũ & Bohemorum ad occidentem diuerterunt, & terras Vandalorum post egressum ipsorum in Gallias intrauerunt, quum Sclaui in ipsorum prouinciis, & in principes Lech & Czhech in Polonia & Bohemia à diluuio in nostram ætatem permanserunt, permanent & deo fauente permanebunt. Veruntamen Ruteni cum suis principibus ascenderunt eo tempore & aliis de Russia & Bosphoro in Illyricum & Croaciam, & spolia referebãt pinguia, nec illic permanserunt. Etiam exeunt de Vandalia seu Polonia armigeri sexaginta millia, nonnunqꝫ centum millia ad oppugnandũ hostes: nec per hoc desertatur regnum Polonorũ, quũ ciues, mercatores & coloni agrorum in oppidis & uillagiis intacti permanent absqꝫ desolatione, & sic quod non sint

A loca ingrediendi & occupandi exteris: sicut fuit & tempore Honorij Cæsaris, quando Vandali pugnatores duntaxat exiuerant in Gallias. Et adhuc inquiunt historici, quod regressi Vandali, qui primum Gallias affligebant, sedes eorum in Vandalia inhabitauerunt: ergo alij ipsas non occupauerũt. Collige quintò, quod linguagium Sclauorum amplissimum est & diffusum, plurimas terras & prouincias possidens, ueluti sunt Seruij, Mysij, Rasci seu Bulgari, Bosnenses, Turco hac tempestate subiugati, uelut sunt Dalmatæ, Croatę, Pannonij, Sclaui, Carni, Bohemi, Morauí, Slesitę, Poloni maiores et minores, Mazouitæ, Pomerani, Cassubitæ, Sarbi, Ruteni, Moscouitæ: hi omnes Sclaui & Vindelici sunt, per ampla regna inhabitãtes. Sed et Lithuaniam sclauonizant: Nugardi quoq; Plescouienses, Smolnenses & Ohulici. Vide chronicas eorum & cosmographias. Collige sextò, quod cis mare Germanicum Poloni, Sueui, & Burgundi, consumpti & exterminati sunt per Henricos imperatores, duntaxat Sarbis, & Vindis seu Vindelicis adhuc manentibus, ut expressum est suprà. *Lingua Sclauorum latiss.*

De Ihuris. CAP. XIIII.

IHuri de Iuhra terra Scythię septentrionalissima & frigidissima, iuxta oceanum septentrionis, à Moscouia ciuitate Moscorum ad orientem & septentrionem quingentis milliaribus magnis germanicis distante, ascenderũt & uenerunt per terram planam ad meridiem in regionẽ Gothorũ in Scythia, ubi nunc Tartari Zahadaienses seu Zauolhenses degunt, presseruntq; sui multitudine, & eiecerunt Gothos de Gothia in Sarmatiam. Quumq; coaluissent, & penè in infinitũ multiplicati fuissent, audiẽtes à uenatoribus, qui ceruam sequẽtes transierant flumina Volhæ & Tanais, quod esset terra Sarmatarũ Europæ fertilior & auræ mitioris, coaceruatim prefata flumina trãsnatantes, Sarmatas & Rutenos cõflixerunt, Gothosq; insequentes cum eis in Mysia & Thracia bellarunt, & eos superarunt: intrantesq; Pannoniam solo uino & regionis ubertate delectati, mansionem in ea fixerunt: Maternum
B & Tetricum capitaneos Romanorum cum eorum gentibus aggressi conflixerunt, & Materno occiso Tetricum in fugam uerterunt: prçterea regem elegerunt, & supra se constituerunt uirum uafrum, animosum & strenuum, Attilam nuncupatum, quem Hungari suo idiomate Ethele uocant. Is aduocatis & recẽsitis multis regibus & gẽtibus, Gallias ingressus, eas tyrãniter et crudeliter uastauit. Et quum ad campos Cathalaunicos longe lateq; patentes deuenisset, Aetius patritius cũ Romanorũ cohortibus, cum Theodorico rege Gothorum, multisq; alijs gentibus aduersus eum accelerabat. Quo cõperto Attila aruspices de uictoria cõsuluit, qui inspectis extis superatum iri inferioremq; ipsum in illo bello fore dixerunt, adijcientes quod maior de inimicis occideretur: putabatq; Attila quod Aetius supremus dux partis aduersæ caderet, aliquo modo de morte ipsius gaudens (terribilis enim uisa est ei potentia Aetij) acies ordinauit & instruxit, cauteq; ad uesperum, non in meridie tubas canere iussit & congredi. Vbi numerosissimus populus cæsus est, & Theodoricus rex Gothorum, nõ Aetius, quod Attila optabat, cecidit & occubuit. Attila uidẽs se uictum, se & suos inter currus in mediũ castrorũ recepit: nox enim aderat: præcepitq; è sellis equitum in struem congestis focum accendere, ut si impeteretur præcipitaret sese in ignẽ, & arderet potius quàm in manus hostium deueniret. Altera autem die Thorismundus filius Theodorici regis Gothorum, ultum iri cupiens necem genitoris cõtra Attilam acies instruebat. Aetius uero suspectam habens potentiam Gothorum tanquã & Hunorũ, persuasit Thorismundo, ut omissa pugna ad possidendum solium paternũ properaret, ne frater eius regnum præoccuparet: quo permotus discessit, Aetiusq; & omnis exercitus ipsius solutus recessit. Tunc Attila exhilaratus, spes iniquas ultionis coquebat, & è loco secedens urbem Remensem obsedit & expugnauit, sanctũq; Nicasiũ eiusdẽ urbis præsulem cum sorore eius Eutropia & omnibus ciuibus trucidauit. Ad Trecas autem

quum accessisset, occurrit ei põtifex sanctus Lupus, & percõtando dixit: Tu quis es? Cui ille: Attila sum, inquit, flagellum iræ dei. Et Lupus arrepto freno equi eius introduxit eũ cum suo exercitu in ciuitatem dicens: Bene ueneris flagellum iræ dei. Ille aũt cum suis cæcitate percussus, ut aiunt, pertransijt urbem in partem alteram pacificus. Mulier autẽ pauperrima habẽs decem filias, timore perculsa de suburbio fugiebat, filiam postremo editam, & in bimatu natam, in sindone ad collum ligatã gestabat, duasq; minorennes puellulas in iumẽto, quod ante se pellebat, portabat: reliquæ filiæ circũcirca matrẽ gradiebantur, & ambulabant. Hanc quum bellatores Attilæ consequuti sunt, filiæ eius territæ ad matrem concurrerunt. Mater autem stupida & sui incompos, uiso fluuio properanter currebat, uolens se præcipitare, & in fluuio submergere. Sed milites eam insequuti in ripa fluuij rapuerunt, & cum filiabus ad Attilam perduxerunt. Quæ supplex ad terram procidens gratiam precabatur. Cui Attila misertus, datis pluribus nummis & uestibus, liberam cum prole sua dimisit. Sed & alijs qui cum ea adducti fuerunt propter ipsam pepercit. Deinceps Attila in Germaniam descendit, castraq;, oppida & uillas eius uastabat, donec audiret quod Aetius & Gothi denuo nouum militem contra eum pararent: quo permotus ad Pannoniã abscessit, & renouato exercitu uir ultiuus in Italiam per Steirã & Carintiam properabat. Ab exploratoribus autem certior redditus, quod Aetius & innumeræ gentes in radicibus alpium opperirẽtur eum, declinauit & diuertit ad Dalmatiam & Histriam, euersisq; notabilibus urbibus, iuxta mare Adriaticum ad Aquileiam uenit, & eam per triennium obsedit. Et quum uictualia obsessoribus etiam in longinquo defecissent, milites q; præ inedia contra eum murmurarent, cœpit iterum obequitare urbem, prospiciens qua parte impeteret eam & dirumperet: uiditq; auem quæ ciconia uocatur, pullũ suum è summitate arcis rostro in propinquum arũdinetum portare, sic consequenter & alium: & exclamans dixit, auem præsciam futurorum, nosse urbem perditam iri, ideo fugere: & inualescens contra ciuitatem cepit eam, & more tyrannico omnes quos in ea reperit, in ore gladij trucidauit. Eo tempore urbs magnifica & præpotens Venetiarum ob metũ Attilæ extructa est. Progrediens autem ad Lombardiã Attila, crudeliter afflixit et uastauit eam. Quumq; ad Rauennam uenisset, aduolauit Leo papa, obnixe & humiliter supplicans, ut à uastatione urbis Romæ & totius Italiæ supersederet & cessaret, quod fecit. Et dum pugnatores eius admirantes ad inuicem replicarent, quod Attila neminem timeret, nisi bina animalia, lupum & leonem, de pontificibus propter quos genti eorum pepercit, parabolam sumentes. Respondit Attila, Maturum uirum clericali habitu indutum iuxta Leonẽ cum gladio bisacuto stetisse, & uibrato gladio mortem ei comminasse, nisi pacem redderet, petitorem exaudiẽdo. Abscessit itaq;, & in Pannoniam redijt. Celebransq; nuptias cum una pulcherrima uirgine, multum uini hausit, & in nocte inter cubandum apoplexia suffocatus, centum & uiginti quatuor annis ætatis expletis interijt, & sanguis per nares & os ipsius fluxit. Illa nocte Marcianus Imperator in Constantinopoli per somnium uidit Attilæ arcum fractum, arcubus enim gens Iuhrorum potissime utebatur. Defuncto autem Attila, insurrexerunt inter Hungaros dissensiones, digladiationes & strages, ita ut plures eorum occisi perirent, reliquos cum Chaba filio Attilæ rex Gepedarum, & alij olim Attilæ subiecti de Pannonia expulerunt, qui Gothiam per paludes Mæotidas transierunt, tria uero millia ex eis inter eundum de Pannonia segregauerunt se ab eis, & in Transsyluania manserunt, & ne à uicinis impeterentur, Siculos in uulgari eorum Czakle se nominauerunt. Qui autem trans Mæotidas & mare Euxinum penetrauerunt, sæpenumero reminiscentes fertilitatis abundantiæq; panis & uini ipsius Pannoniæ, suis posteris dissererbãt & narrabant, utq; in Pannoniam redirent hortabantur. Factumq; est, ut post mortem Attilæ anno tricentesimoprimo, recensitis pugnatoribus ducentis & sedecim millibus, uiam

Attilæ mors

A uiam patrum eorum ingreſſi, iuxta paludes Mæotidis per Sarmatiã, in Pannoniam peruenerint, temporibus Conſtantini Imperatoris quinti, & Zachariæ papæ, uidelicet anno domini ſeptingenteſimo quadrageſimoquarto. Primumq́ in Iazyges aſcenderunt, & illic ſeptem capitaneos elegerunt unicuiq́ eorum propter inſultum inimicorum triginta millia pugnatorum conſignantes: & ut melius ab hoſtibus tuerentur, ſeptem caſtra, cuiq́ capitaneo unum aſſignando, rude & groſſe de terra fecerunt & erexerunt, à quibus ſeptem caſtris in hanc diem Septem caſtrenſis dicitur. Præterea miſerunt exploratum ire Pannoniam quendam è ſuis militibus Cuſid appellatum. Is offenſo & reperto rege Pannoniæ Suyatoplug nomine: Sclauus hic erat, nam & tota Pannonia terra Sclauorum fuit, licet Romani eis capitaneos & armigeros extraneos præficiebant, ipſum nomine Iuhrorum aduenarum præſalutando, equum album cum ſella & freno deauratis obtulit, & parum terræ, aquæ & herbæ ab eo poſtulauit: quod rex Suyatoplug cõceſſit, æſtimabat enim agricolas fore tanq́ hoſpites aliquidpiam terræ pro cultura expoſcere: ideo ſubridens ait, Habeant, quantum uolunt. Cuſid ergo lagenam terræ, alteram aquæ Danubij, tertiam graminis reportauit, & quę egit ſuis expoſuit. Iuhri cognoſcentes Pannoniam terram feracem & optimam eſſe, nomine primi præfecti Arpad nuncupati, Suyatoplug intimarunt, ut peramplius in terra eorum, pro equo albo, ſella & freno deauratis empto non maneret. Is ſero intelligens bellum ei imminere, exercitum coadunabat. Iuhri aũt feſtine accelerantes ad regem prope Danubium uenerunt, & facta pugna Pannonios cum rege eorum profligauerunt. Rex quoq́ Suyatoplug à facie eorum fugiens in Danubium incidit, & aquis uehementibus abſorptus perijt. At Iuhri Sclauos incolas Pannoniæ trucidarunt, terramq́ eorum in hanc horam poſſiderũt, Sclauis undiq́ in finibus Pãnonię remanẽtibus et inhabitãtibus.

B Accipe primò, quod Iuhri à Iuhra regione Scythię, de qua oriundi exiuerũt: uocati ſunt, & uſq́ in noſtra tẽpora à Bohemis, Polonis & Sclauis † Hugari appelantur, ab alijs aũt Hugui, tandẽ & Hungari dicti ſunt. Accipe ſecundò quòd idem linguagium & loquela pronuntiatioq́ acuta ſunt Iuhrorum in Hungaria, & illorum qui in Scythia in Iuhra degunt. Verum Hungari in Pannonia Chriſticolæ ſunt & politiores abundantioresq́ in omnibus. Iuhri autẽ in Scythia uſq́ adhuc idololatræ ſunt & agreſtes. Accipe tertiò, quod Iuhra Septentrionaliſſima eſt abſq́ altiſſimis & inacceſſibilibus montibus, nec tantis ut ſunt alpes iuxta Italiam, neq́ ſicut montes Sarmatici. Nõ rectè ergo quidam hiſtorici tradiderunt, dicentes Huguos exiſſe de prouincia eorum de montibus maximis & inacceſſibilibus. Enimuero ſunt montes in Iuhra cum denſis ſyluis patentes & bene permeabiles, quantitatis mediæ & altitudinis, petroſi & ſaxoſi quales ſunt per totum Septentrionem in fine terræ iuxta oceanum ſeptentrionis. Et ſcias quod ex oceano Septentrionis quidam piſces idiomate Moſcouitarum morſſ nuncupati, in ſummitatem montis mari adiacentis ſcandunt, & dentẽ fricando ſe in aſcendendo appendũt, de culmine montis deorſum in partem alteram prolabuntur & cadunt, quos Iuhri & cæteri incolæ Septentrionis capiunt, dentes eorum qui ponderoſiſſimæ ſunt grauitatis, in Moſcouiam mittunt, & poſt ad Turcos & Tartaros. De quibus manubria & tenacula enſium, framearũ & cultellorum faciũt, ut impetuoſiores ictus grauitate adiuuãte impellãt. Accipe quartò, quod montes Riphæi & Hyperborei non ſunt in rerum natura, non in Scythia, non in Moſcouia, nec uſquã locorũ: & quũ ferè omnes coſmographi aſſerant Tanaim, Edel ſeu Volham, Dzuina, & magnos fluuios ex prædictis montibus effluere, conficta confícti, & potius fabuloſa inexperti ſcripſere. Fluit Tanais, Volha & maxima flumina ex Moſcouia, de terra plana, cœnoſa & nemoroſa, nullis mõtibus obſita, prout de Moſcouia, quum peruentũ fuerit dicã, ſi deus annuerit. Bone lector hic eſt barathrũ profundiſſimũ propter clariſſimos ſcriptores montes Riphæos & Hyperboreos ponentes. À quorum con

Huni aliàs

Morſſ piſcis

traditione ueritas ipsa me tueatur & defendat, pro omnibus argutis rationibus, experientiã rerũ opponẽdo, ut qui nõ credit, uideat & experiatur quod ita est quemadmodũ dixi. Accipe quintò, quod Iuhri in Iuhra Scythiæ non colunt agros, nõ seminãt, non habẽt panẽ, uinũ aut ceruisiã, degunt miserrime in syluis & foueis subterratis, piscibus uescendo & carnibus ferarum, quarum copiam habent, & aquam bibunt, pellibus induuntur ex diuersis animalibus in unũ cõsuendo, pellẽ lupi, cerui, uulpis, marduris &c. Misera ergo regio est sub polo arctico, ut dixit Hippocrates in lib. de Regionib., aẽre & aqua. Subiecti sunt duci Moscouiæ, & pendunt pro tributo pelles sabellorum, schismorum, & similium, quoniã alijs donatiuis carent. Accipe sextò, quod aliqui famosi cosmographi & historici in illo angulo ad mare Septentrionis temperatissimas regiones confinxerũt, in quibus propter temperiem & auram placidissimam beate & diutissime uiuant, donec tædio affecti, de montibus sese in oceanum precipitent. Hoc totum fabulosum est; qualis etenim beatitudo sit non habere panem, merũ, & cetera delectabilia; qualis temperies est, cõtinuum frigus quod illic est pati; In solstitio hyemali perpetuam & continuam noctem sentire; In solstitio uero æstiuo permanentes, & parum tepentes soles uidere; sed hæc omitto. Accipe septimò, quod in Iuhra et locis Septentrionis nõ effoditur aurum, argentum, nec aliæ mineræ. Nec correspondent fabulæ, quod illic essent griffi & magnæ aues prohibentes fodere & efferre aurum. Vnde secundum hoc dico, cõtrarium autoribus antiquis, quod griffi non sunt in rei ueritate in illa parte Septentrionis, nec in alijs partibus orbis. Affertur autem ad nos auis quædam rapina uiuens, quantitatis aquilæ, sed alis & cauda prolixioribus quàm aquila, in similitudinem accipitris, & uocant eam Moscouitæ Kiczoth, nostri uero homines uocant ipsam Byalozor, quasi albicans splendor, quia subalba est secundum uentrem. Hãc omnes rapaces aues, accipitres, falcones, & cæteræ rapto uiuentes in tantum metuunt, quod inspecta ea tremunt & cadũt, & extinguuntur. Accipe octauò, quod in septentrione post Gothiam, Sueciã, Filandiam, Iuhram, & post mare Caspium non sunt monstrosi homines, scilicet monoculi, bicipites, canina capita habentes &c. sunt nobis similes, rare sparsim, et ab inuicem distantes, pauci numero habitantes, colore ut frequenter liuidi, propter frigus liuiditatem corporis eorum imprimens. Hæc uera sunt, & qui scripsit uerum scripsit, & scimus quia uerum est testimonium eius.

Error cosmographorum (margin, beside "sextò")

A (right margin, line 1); B (right margin, beside "extinguuntur")

De Turcis. CAP XV.

HActenus diximus de quibusdam nationibus ante aduentum Tartarorum, Sarmatiam Asianam seu Scythiam per tempora & tempora inhabitantibus, si de Amazonibus, de Scythis, de Gothis & Iuhris seu Huguis. Consequenter dicemus de ualidis gentibus ex Tartaris Czahadaieñ. originaliter disseminatis, quales sunt Turci, Vlani seu Tartari Prezecopenses, & Tartari Cosanenses: item Tartari Nohaieñ. Et primo de Turcis pauca dicamus. Post aduentum Tartarorum ex oriente, in terram Gothorum quam ipsi Czahadaieñ. uocant, anno quasi nonagesimo. Quidam miles magni Cham nomine Otumanna, fortis humilis & fortuna tunc obscurus, uiribus tamen corporis robustus & audax, propter certas ut ei uidebatur iniurias, è Tartaris in quadraginta equis secedens, cœpit occulte in Cappadocia montes, & aditus opportunos occupare, & ex oportunitate loci & temporis prędas agere: ad quem plurimi grassatores, ut fit in huiuscemodi genere hominum, confluxerunt, & coaluerunt uehementer, ita ut quod prius occultis insidijs egit, palam & pari marte tunc cœperit oppida, ciuitates & gentes inuadere & occupare. Et quia non reperit resistentes, ipse celer, manu audax, & dexteritate fortunatus per terrores, comminationes, & per aliquarum ciuitatum direptiones, occupauit & possedit Cappadociam, Pontum, Bithyniam, Asiam minorem, Pamphiliam & Ciliciam. Itaq; ex ipsa familia Otumanorum siue Turcorum originem duxit, quia ab Aquilone pandetur

Otumanus à quo Turc. Imperat. Otumani (margin)

pandetur

pandetur omne malum super uniuersam terram. Quod autem Turci propago soboles sit Tartarorum, identitas morum, loquelæ & pugnandi demonstrat. Nam habitum modumq; equitandi & curte insedendi, sagittis quoq; & arcubus pugnandi eundem habuerunt, & nunc ut plures habent cũ Tartaris. Sermonem etiam & linguagium Tartarorum connatum habent: non differt loquela Tartarus & Turcus, nisi modice, uelut exemplariter diceretur, sicut Italus & Hispanus, uel Polonus & Bohemus. Otumano ex humanis rapto, filius eius Archanes secũdus rex Turcorum successit, audacia & ambitione patri haud absimilis, sed disciplina rei familiaris longe peritior: quo factum est ut dominium & imperium à patre cœptum, suapte industria auxerit & conseruauerit. Deinde tertius rex subsecutus est filius Archanis nomine Ammurates, hic Græcis dissentientibus & Imperatore Trapesuntino & Constantino de imperio certantibus, in adiutorium per Trapesuntinum Imperatorem pretio euocatus, & in Thraciam per Hellespontum traiectus, uafer & astutus euentum belli prorogauit atq; protraxit, donec Græcis uiribus & diuitijs fractis & eneruatis, occasione habita, in eos arma uertit, & Thraciam occupauit. Eo defuncto Pesaites quartus rex filius surrexit, qui rerũ maximarũ cupidus, Macedoniam, Thessaliam, Phocidẽ, Bœotiã, Atticam sui iuris effecit. Bulgarosq; & Illyricos assiduis excursionibus debilitauit, & suburbia egregiæ urbis Constantinopolitanæ spoliauit, & ciuitatem obsidione atq; fame intantum excruciauit, ut Imperator Constantinopolitanus ad Italiã & Galliam auxilia mẽdicaturus profectus sit. Sed deo disponẽte, Temir cutlu magnus Cham Tartarorũ, quẽ historici Tamerlanem dixerunt, affligendo & tanquam fulgur Asiam pertranseundo, incidit in Pesaitẽ præparatũ & occurrentẽ ei, quem profligauit, & captiuatum catenis aureis alligauit & abduxit, breuiq; dimisit, qui paulo post obijt. Post hunc

B quintus rex Alpinus appellatus regnauit. Aduersus istum Sigismũdus Hungariæ & Bohemiæ rex ac Romanorũ Imperator copiosum duxit exercitum. Collatisq; signis, tumultuose fusus castra reliquit, et paruo nauigio uix per Danubium turpem sibi inuenit salutem. Amplius sextus in ordine rex Turcorũ Mahumetes tributa grauia imposuit, excursionibusq; fines sui imperij dilatauit: præterea sublato Mahumete morte, filius eius Ammurates secundus regnauit, hic Thessalonicã urbẽ illustrẽ euertit, Cyprũ & Aetholiã subegit, Tribulos, Illyricos & Hũgaros, uastauit: Vladislaũ Poloniæ & Hungariæ regẽ in primis feliciter pugnantẽ, ultimo cõgressu ad lacũ Varnensem, Ioanne Hunyad cũ Hungaris è prælio secedentibus superauit, & misere cũ suis occidit, elatusq; uictoria, Peloponnesum ui cepit, & muros Isthmi Corinthiaci funditus deiecit: uita deniq; functus, Mahumetẽ filiũ octauũ regẽ reliquit, qui Cõstantinopolim anno Christi M.CCCCLIII. die ultimo Maij, post obsidionis quartũ & quinquagesimũ diẽ, summa ui & extrema oppugnatione cepit: Perã subinde opulentissimũ oppidũ per deditionẽ demolitis muris accepit, Bulgariaq; et Rascia potitus, Smyderou magnificũ castrũ Rasciæ supra Danubiũ sitũ adeptus est, & ex eo Dalmatiã & Croaciã in solitudinem redegit, Stiriã quoq; & Austriã penetrauit. Deinde Nigropontũ sub Venetis expugnauit, Theodosiã, nunc Caffam nuncupatã in Taurica insula, Ianuensiũ coloniã unà cũ præfata insula expugnauit & comprehendit, binosq; principes de castro, Mancup, ut fertur postremas Gothorum reliquias gladio percussit, & Mendligeri Imperatorem Tartarorum in prædicta Chersonneso Taurica, ui iuris fecit: Moldauiam & Valachiam uastauit, & cum Venetis sedecim annis continuis pugnauit, cum Husacasan rege Persarum similiter continuum bellum gessit, sæpe uictus, nonnunquam & ipse uictor fuit. Obijt prima die Maij, anno domini millesimo quadringentesimo octuagesimo primo, in Constantinopoli sepultus: pro ipso Turci † Baissetum filium eius ad imperium assumpserunt. Zeliabus uero minor natu filius Mahumeti indignatus ad Soldanum Aegypti recurrẽs, & exercitũ comparans

alias Baiazet.

parans, cum Baiſſeto infeliciter pugnauit: & ad Rhodien. fugit, quē magiſter ordinis Rhodienſis captiuū in Franciam miſit & poſtea Alexandro papæ ſexto obtulit. Ludouicus autem rex Galliarum ad Apuliam conſequendam per Romam traſiens Zeliabum à domino papa per contractum accepit, & inter eundum ueneno, an fatigatione itineris, incertum eſt, extinxit. Expugnauit autem Baiſſetus nonus rex Turcorum Ciliam & Album caſtrū in Moldouia. Modon quoq; inſulam & urbem eiuſdem nominis, ſub Venetis ui & obſidione conquiſiuit. Cum Sophi rege Perſarū ſæpe pugnauit, & quaſi ſemper ſuccubuit. Dum autem ſenuiſſet filius ipſius Selimizabeg, quē noſtri homines Selēbeg, uocant, imperiū ſub eo arripuit, & Baiſſetus ad inſulam in qua nutritus erat, deductus breui occubuit. Decimus rex Turcorum Zelembeg modernus ſurrepto imperio, fratres ſuos necauit & extinxit, deinde minax Chriſtianis, præcipue Pannoniæ bellum inferre propoſuit. Deus autem omnipotens excelſo ſuo iudicio aduerſus eum Sophi regem Perſarū concitauit, & aliquot prælijs conflictum ſuperare conceſſit. Tribus autem Imperatoribus poſtremo dictis Conſtantinopolis ſedes imperij, quondam ſecunda Roma dicta, domicilium aſſiduum factum eſt, ita ut à circumciſitis incolis, præſertim à Sclauis, non Byſantium nec Conſtantinopolis, ſed Czarou dom, id eſt, domus Cæſaris diceretur, & eſt Conſtantinopolis triquetræ figuræ, duobus angulis mari adiacens, tertio campos proſpectans, eius ambitus decem & octo milliaria Italica continet, non habet grādia palatia, niſi thermas & ſcolas philoſophantiū magnifice nouiter ſtructas: templū uero ſanctæ Sophiæ, hoc eſt, ſapientiæ dei, qui eſt Chriſtus uera ſophia patris, egregie olim ædificatum, per Mahumetem imperatorem ſecūdum Turcorū deiectum eſt, & ſtabulum ferarum factum. Roma uero Italiæ rotundæ figuræ, ambitu murorum triginta duo milliaria continet, ferè duplo ambitu B Conſtantinopolis excedens, & habet ſeptem colles & palatia pretioſa.

De familia Tartarorum Vlanorum ſiue Precopenſium. CAP. XVI.

ALtera ſoboles & genealogia ex Tartaris Zauolhēſibus deriuata eſt Tartarorum Vlanorum, ab Vlano inuaſore inſulæ Taurice cognominata. Vlana puella eſt & uirgo, & quia Vlanus de uirgine & puella genitus eſt ſine legitimo thoro, Vlanus nuncupatus eſt, ſuisq; poſteris in Cherſoneſo Tauricano nomen indidit. Etiam uirgines impregnari & concipere abſque uiro apud Mahumetiſtas nullum miraculum eſt, quum apud ipſos hoc ſæpius contingat & prædicetur. Eſt autem Tauricana inſula inter paludes Mæotidas, longitudinis uiginti quatuor milliarium, latitudinis uero quindecim milliariū, habet tres ciuitates, Solat, Kirkel, Caffam: & duo caſtra, Mankup & Azau. Solat Tartari appellant Chrim, & Cæſarem Precopenſem, exinde Chrimenſem Imperatorem uocant: & ciuitas illa domus exiles habet, & eſt deſerta pro maiori parte. Alia ciuitas minor eſt Kirkel, & ſupra eam in rupe alta eſt caſtrum ex lignis & argilla factum. In hac rupe ut fertur draco commorabatur, & trucidabat homines & iumenta, propter quem incolæ fugientes, habitationes propinquas uacuas reliquerunt, & quia Græci & Italici inſulam inhabitantes glorioſam dei genitricem Mariam precati ſunt, ut eos à dracone liberaret, uiderunt ſucceſſu temporis candelam ardentem intra rupem: inciderunt ergo & ſecuerunt gradus aſcendendi in rupe: & peruenientes ad candelam ardentem, imaginem ſanctiſſimæ genitricis Marię conſpexerunt, coram quam lumen arſit, draconemq; deſubtus per medium ruptum iacentem. Egerunt itaque gratias de tam miranda liberatione, & draconem in fruſta ſectum, proiecerunt extra rupem, & quia incolæ glorificantes beatam uirginem ad imaginem eius aſcendebant ueneratum, Acigeri Cæſar Precopenſis contra fratres ſuos pugnans, exemplo eorum motus, ſupplicauit beatæ uirgini Marię, ut eum adiuuaret, uotum uouens quod uirginem benedictam remuneraret. Nam Mahumetici uenerantur beatam Mariam, profitentes eam uirginem abſq; thoro uirili, magnum prophetam

prophetam Iesum benedictum concepisse & peperisse. Quumque adiutus superaret suos æmulos, binos equos quos habuit meliores uendidit & exinde cera empta, maxima duo lumina siue candelas fecit, & ante imaginem coram ardere quotannis iussit, quod in hanc usque diem per subsequentes Imperatores continuatur. Tertia ciuitas est urbs Theodosia, nunc Caffa dicta, quam expugnauit sub Ianuensibus Mahumetes secundus Imperator Turcorum: castrum uero Mankup, quod est uersus occasum à Caffa, præfatus Turcus Mahumetes ui accipiēs, binos fratres principes & dominos castri Mankup, ut dicitur, reliquias ultimas Gothorum gladio occidit. Azou quoque castrum circa ostia fluuij Tanais situm incastellauit, & Turci usque nunc tenent. Tartari uero Vlani ab ingressu insulæ in campestribus eius, ut est innata consuetudo Tartarorum, degunt, & extra insulam ijdem campestria Sarmatiæ Europianæ iuxta plaudes Mæotidas ad mare Ponti usque ad Album castrum occupando possident. Ingressumque in insulam seu introitum ad occasum solis fecerunt aggerem de terra longitudinis unius miliaris, in modum pontis sternentes, rude tamen & semiplene, ita ut aquæ maris in aliquibus locis aggerem pertranseant. Insula ergo antiquitus Taurica dicebatur: nūc uero Prezekop, quod sonat fossatum, quoniam aquæ circumdederunt & eam protegunt, tanquam fossata aquis plena ciuitates: sed hæc hactenus. Videamus deinceps genealogiam. Post Vlanum in Taurica regnauit Tachtamis Czar, qui unà cum Vitoldo duce Lithuaniæ contra fratrem suum Temir Cutlu Czar Imperatorē Zauolheñ. pugnauit, & superatus est. Ex Tachtamis Czar filius eius Szidachmet Czar regnare uoluit: sed Acikerei Czar expulit eum, & ipsemet pro eo regnauit. Szidachmet autem pro auxilio in Lithuaniam perrexit, & captiuatus per Lithuanos cum uxore & filijs in castro Couno incarceratus est, ibi cum coniuge & filijs mortuus in diebus Cazimiri tertij regis Poloniæ & magni ducis Lithuaniæ, defuncto Adzigeri Czar: quia septem filios reliquerat, senior filius Haider nominatus obtinuit imperium. Mendligeri uero unius ex præfatis filijs ad Imperatorem Turcorum confugit, & accepto subsidio & uxore à Turco, dispersit et eiecit Haider & Iamurci cum alijs fratribus. Hi ad Iuam Vasilouicz Moscouiæ ducem fugerunt, qui suscepit eos, & ducatū Cosanēsem eis donauit. Ex Mendligeri Czar nouē filij nati sunt, primus Mahumet Cerei, alter Achmet Cerei, tertius Machmut Cerei, quartus Berhi Cerei & est submersus dum prædam ageret per fluuium in Valachia, anno domini M.D X. Quintus Burnas Cerei, sextus Mubarec Cerei, septimus Sadech Cerei, octaui & noni nomina nō teneo. Nūc pro patre suo regnat Mahumet Cerei Czar. Et scias quod licet Tartari Prezecopenses magis ciuiles mitioresque ratione auræ sexti climatis quod inhabitant deberent esse, tamen non deseruerunt priscam suam lupinā rapacitatē & ferinā crudelitatē, sicut bestiales qui cāpos & syluas inhabitāt, & nō ciuitates nec uillas. Inuadūt enim singulis annis, uastāt & deprædātur Russiam, Lithuaniā, Valachiā, Poloniam, & quādoque Moscouiā.

De Tartaris Kosanensibus, & Tartaris Nahaiensibus CAP. XVII.

TErtia horda Tartarorum Kosanensium nuncupata est sic à castro Kosan supra flumen Volha circa metas Moscouię sito, penes quod commorantur. Et exiuerunt de principali horda omnium Tartarorum uidelicet de Tartaris Czahadaieñ. siue Zauolheñ. sicut & cæteri Tartari omnes. Habet autem prædicta Cosanensis horda quasi duodecim millia pugnatorum, in necessitate autem, quando aduocant alios Tartaros, ad triginta millia bellatorum constituunt. Istorum principes, & facta eorū, genealogiaque non scribuntur, quoniam homagiales sunt ducis Moscouiæ, & pēdent ex arbitrio eius in uiuendo, in bellando, & duces sibi eligendo: idcirco quod de Moscorum principe dicetur, de ipsis poterit accipi & adaptari. Quarta horda recens & noua, ultimo ex Tartaris Zauolhensibus orta est Occassorum siue Tartarorum Nahaieñ. Nam postquam Occass insignis seruus & miles magni

Cham, habens triginta filios, occisus est: filij secesserunt à capitali horda Za A
uolheñ. & iuxta castrum Sarai degere cœperunt ante hunc annum Christi, millesimum quingentesimum decimum septimum, circiter septuaginta annos, uel paulo minus, subitoq; in immensum creuerunt, intantum, ut hac tempestate numerosissima & maxima surrexerit horda ipsorum. Isti sunt septentrionales & frigidiores omnium Tartarorũ, Moscouiæ à parte orientali adiacentes, & sepenumero eã inuadentes atq; spoliantes. Dominantur inter eos filij & nepotes Occaff. Non habent pecuniam nec monetam, sed res pro rebus uendunt, puta pro seruis, pro filijs, pro pecoribus & iumentis.

MATHIAE A' MICHOV DE SARMATIA EVROPEA LIBER SECVNDVS.

De Russia, de tractibus eius, & abundantia, & contentis in ea. CAP. I.



POSTQVAM diximus de Sarmatia Asiæ, quæ Scythia uocitatur, restat dicere de Sarmatia Europea, & in ea primũ occurrit Russia, olim Roxolania dicta. Latus eius orientale adiacet flumini Tanai, et paludib. Mȩotidis, secernentibus Asiam & Europam. Priscis autem seculis Alani habitarunt ad flumen Tanais: deinde iuxta illos ad meridiẽ Roxolani. Hæ autem gentes in toto deletæ perierũt, campiq; latissime patentes spectantur deserti, solis feris & cosacis seu prædonibus peruij, prout supra dictum est. Post hos supersunt reliquiæ Circassorum uersus meridiem, & sunt gentes ferocissimæ & bellicosissimæ, genere & lingua Ruteni. Deinde est castrum Oczarcou nuncupatum, quod Imperator Tartarorum Prezecopensium extruxit, in dominio Lithuanorum, & post B
quasi duobus milliarijs ab Oczarcou in meridiem sequitur Dzassou, & fuit castrum quod ante tempora nostra demolitum est: à Dzassou, in Byaligrod quod Turci occuparunt, sunt sex milliaria. Sequitur Podolia ad occasum, Moldauiæ & Valachiæ contermina ad meridiem, ad orientem uero campis Tartarorum & Tauricæ insulæ: hæc est terrarum fertilissima, cererisq; & mellis feracissima. Nam agro rude culto & parum inuerso atq; exarato, frumentoq; superseminato, tribus annis sponte frumentum germinat, ita tamẽ, quod colligendo tempore messis segetem, aliquidpiam granorum permittatur in terram decidere, ad surgendum ex eis frumentum in anno sequenti, sine cultura & sine agri aratura. Gramen quoq; & pascua tam cito ac uberrime fundit & prodit, ut perticam in tribus diebus supercrescendo contegat, & aratrum in locis graminosis derelictum in paulo pluribus diebus, graminibus sepiat & cooperiat. Examina uero apum nõ solum in mellificijs & arboribus cauatis mellificant, uerum in ripis & terra sponte mella reponunt. Contingitq; sepenumero, ut examina apum superuenientia, & priores apes exterminantia, ruricolæ aduolantia agmina apum trucidãt aut in aquis mergant, ut quæ præfuerunt, hæreditarie millificarent & manerent. Postea ad montes Sarmaticos habitat genus Rutenorum, quibus præsident nobiles Polonorum. In Kolomya, in Zidazou, in Sniatin, in Aoatin, in Busco &c. Sub eisdem montibus sunt tractus Halicienses, olim Gallicia dictus, & Premissieñ. & inter montes Sarmaticos tractus Sanocensis. In medium Russiȩ tenendo est Leopoliensis terra, & urbs in ea bene munita eodem nomine nuncupata: habens duo castra, superum & inferum, & est metropolis Russiȩ. In Septentrionem sunt tractus Chelmensis & Belzensis, terraq; in medio iacens. Clauditur autem Russia à meridie Sarmaticis montibus, & flumine Tyras, quem incolæ Niestr appellant. Ab oriente finitur Tanai, & Mȩotidibus Tauricaq; insula. A' Septentrione Lithuania, ab occasu uero Polonia. Ex Moscouia autem aduenit Borysthenes, ab incolis Dienpr nuncupatus famosus

A famosus fluuius, per Lithuaniam & Russiam currens, & sub Smolensco & sub Kiou labens, in hunc ab occasu circa Chmyelnick oppidum consurgēs, Boh non exiguus fluuius illabitur: & quum mensus esset Borysthenes, quasi trecenta milliaria Germanica, in mare Ponti cadit. Amplius terra Russiæ quum sit fertilis, abundat melle & medone, potu ex melle facto, adducitur & uinum ex Pannonia, & uinum ex Moldauia atq; Valachia, quibus adiacet: sed & uinum Græcum ex Græcia, & est forte: etiam ceruisiam ad nutum habet. Abundat equis, bobus, & ouium gregibus, abundat cera in maxima copia, abundat pellibus mardarum, scismorū, uulpium & boum. Abundat fluminibus quibus irrigatur, & aquis pisculentis, ita ut ubi aqua inuenitur, & pisces in ipsa reperiantur: non impiscantur stagna & piscinæ Russorum, sed ubicunq; aquæ reperiuntur, illic & pisces de rore cœli, ut aiunt, demittūtur, absq; hominum cura & impiscatione: suntq; in tractu Leopoliensi lucei magni & laudabiles, & in partes tanquam in laminas diuisibiles. Abundat Russia calamo aromatico in terris uersus Tanaim & paludes Mæotidas. Itē reū pontico in eisdem terris & in Lithuania, sic & pluribus herbis ac radicibus alibi non uisis. Abundat tota terra Russiæ granis tinctorum quæ copiosissime excrescunt: & quum priscis temporibus ad Ianuam & Florentiam urbes Italicas importarentur, nunc uix aliquid de eisdem colligitur, fereq; in toto frustrata & non collecta pereunt. In tractu Chelmensi rami pini arboris desecti, & in terra iacētes, in anno aut in duobus in saxa & silices uertuntur: estq; ibi creta seu terra alba in copia, quæ ad nos ducitur. Est & sal quod in lacu Kaczibeio temporibus siccis colligitur, & quia prope est Oczarkou castrū Tartarorū, intercipiuntur & capiuntur interdum per Tartaros ductores salis unà cum plaustris ducentis quandoq; & trecentis. In terra quoq; Præmissiensi & in Drohobiz sal coctum & in bolos ac portiones collectum reponitur. Preterea in Russia sunt plures sectæ, est enim religio Christiana Romano pontifici subiecta, & illa regit, & præualet; quanquam sit exigua numero. Est altera secta Rutenorum amplior, quæ ritum Grecorum insectatur; totam Russiam adimplens. Est tertia secta Iudæorum non usurariorum uelut fit in terris Christianorum, sed laboratorum agricolarum & mercatorū magnorum, præsidentq; ut sæpe teloneis & exactionibus publicis. Est quarta secta Armenorum, præcipue in ciuitate Kamyenyecensi & Leopoliensi. Hi sunt mercatores peritissimi, ad Caffam, Constantinopolim, ad Alexandriam Aegypti, ad Alkairum & partes Indię penetrantes, & merces afferentes. Ruteni habitu & ecclesiasticis officijs Græcos insequuntur, habentq; proprias literas, & abecedarium instar & proximum Græcis. Hebræi similiter Hebræorum literis utuntur & disciplinis, uerumetiam artes liberales, astronomiam & medicinam perscrutantur, Armeni suo ritu gaudent & literis. Inter sanctos colunt plus Taddæum apostolum, asserentes quod eos conuerterit, & fidem Christi docuerit. Deinde & Bartholomæum sanctum Dei apostolū uenerantur, per quem multos articulos, ut asserunt de fide acceperunt: habent magnifica & plurimū decora ecclesiastica apparamenta, planetas & ornatus non scissos, sed omniquaque rotundos, libros, calices, & ceteram Christianorum ueteranorum splendidam supellectilem. Quo autem ad spirituales præsides & pastores, Christianorum archipræsul est Leopolieñ. Metropolitanus Russorum & Lithuanorum, habens sub sua ditione Kiouieñ. Kamyenyeceñ. Præmemilieñ. Chelmeñ. Lucerieñ. & Mednieñ. episcopos. Rutenorum uero metropolitanus est Kiouieñ. quæ olim metropolis Russiæ fuit: habet subiectos Vladicas, & episcopos de ritu Græco in Moldauia & Valachia usq; ad flumen Histri seu Danubij, unum in Russia Chelmensem, alterum in dominio Lithuanorum Vladimiriensem siue Brestensem, tertiū Pinsci seu Murouusci, quartū Polocensem, quintum Lucensem, sextum Smolensem, & passim omnes alios Vladicas ac episcopos in terris Moscorum, & in Septentrionem de iurisditione Moscorum protensorum. Isidorus metropolitanus

Russitarum religio

B

I

litanus olim Kiouieñ. lingua & doctrina Græcus peritissimus, tempore Eugenij papæ quarti ad conciliũ Florentinũ in centũ equis iuerat, & unione ecclesiæ Romanæ percepta in Russiam redierat: hũc Moscouitæ obedientiam Romanã eis prædicantẽ spoliauerunt, & in necẽ extremam impulerunt. Sequuntur Ruteni doctores & theologos Græcorũ, præcipue Basiliũ magnũ, Gregorium Nazanzenũ, & Ioannẽ Chrysostomũ. Gregoriũ Nazanzenum eorum sermone Bogoslou nuncupant, quod in latino sonat, laudans deum. Acceptant & nostrum sanctum Gregorium papam Romanũ, præcipue in libris Moralium, quem translatũ legũt, & lingua eorum Byessednic, quod ualet concionantẽ, persuadentem uel prædicantẽ, uocant. In ecclesijs Rutenorum lingua Seruiorũ quæ est Sclauonica, diuina celebrant, legũt & cantãt. in ecclesijs Armenorum sermone Armeno, in synagogis Iudæorum lingua Hebræa orant. Christiani autẽ ritu Romano latino sermone cantant, orant & legũt. Et scias quod in fluminibus Russiæ & Lithuaniæ, præcipue in Boristhene & Boh, tempore æstatis multiplicantur ephimeræ, & sunt uermes & uolatilia alata, quaternis, interdum senis alis oriuntur & generantur, mane currunt super aquas, & uolant super ripas circa meridiem: in occasu autẽ solis extinguuntur. De his loquitur Aristoteles primo de Historijs animaliũ & in Problematibus, & medici de febre ephimera.

De Lithuania & Samagithia. CAPVT II.

MAgnus ducatus Lithuaniæ est regio latissima, in ea sunt plures duces Lithuaniæ & Russiæ: unus autem præses & monarcha, cui cæteri omnes subsunt, magnus dux Lithuaniæ uulgo nuncupatus. Aiunt autẽ uetustiores & antiquitatum relatores, quod quidam Italici propter Romanorum dissensiones deserentes Italiam ingressi sunt terras Lithuaniæ, & nomen patriæ Italia, genti uero Itali indiderunt: quæ per pastores terra Litalia & gens Litali, litera præposita cœpit nuncupari. Ruteni autem & Poloni eorum uicini maiorem immutationẽ facientes, usq; in hodiernam diem terram Lithuaniam, gentes uero Lithuanos appellant. Hi primum condiderũt oppidum Vilno, eleuationis poli quinquaginta septem graduũ, & ex nomine ducis Vilij, quo cum illas regiones ingressi sunt, Vilno uocauerunt, fluminibus quoq; circa ipsum fluentibus Vilia & Vilna ex eiusdem ducis nomine indidierũt nomina. Samagithiam autẽ de suo sermone sic nominarunt, quod lingua eorum, terra inferior sonat. Aliqui aũt ignari historię, à lituo quod est cornu, & tuba uenatorũ, eo quod regio illa plures uenationes exerceat, Lithuaniam appellari uoluerunt, quod ad effectũ, non ad historiæ originem spectat. Hæc gens Lithuanorũ annis superioribus adeo obscura, contempta, & uilis apud Rutenos fuit, ut principes Ciouieñ. ab ea sola perizomata & subera ob egestatem & soli natiui sterilitatẽ in signum tantummodo subiectionis exigerent: donec Vithenen dux Lithuanorum rebellionem primum contra Rutenos inducens, & seipsum ducem inter populares constitues, astu principes Russiæ aggressus cõflixit, sensimq; adeo creuit uiribus, ut iugo principibus Russiæ iniecto, etiam in tributa eos redigeret sibi pendenda, quæ per plures ætates Rutenis ipse penderat. Posteriq; duci Vithenen succedentes furtiuis lupinis & subitis incursionibus finitimas gẽtes Russię, Prussiæ, Mazouiæ & Poloniæ inuadebant & diripiebant: donec fratres cruciferi Theutonici ordinis beatæ Mariæ per Conradũ ducem Mazouiæ aduocati, & in auxiliũ assumpti, Prussia ui & cõtinuis armis cõquisita, Samagitas & Lithuanos aggressi, debellare, captiuare, & opprimere pluribus oppugnationibus cœperũt, tam diu donec ad Olgerdũ & Ceystutũ duces Lithuaniæ successiue peruenerũt. Fuit autem Olgerdus magnus dux Lithuaniæ, cuius filius erat Iagello, postea baptizatus, & Vladislaus nominatus, in regẽ Poloniæ coronatus. Frater autem ipsius Olgerdi fuit Ceysthut, maximus expugnator & persequutor Christianorũ, qui inter pugnandũ cum cruciferis Theutonicis in Prussia ter captus, terq; astu & mira euasione contra uoluntatem cruciferorum liberatus

Litalia

Vilno

Lithuaniæ etymologia

A beratus è uinculis fugerat. Huius Ceystuth filius fuerat Vitaudus seu Vitoldus macte uirtutis princeps, Iagello autẽ qui postea & Vladislaus, sub treugis pacis captiuando Ceystuth, & filiũ eius Vitaudum, Ceystuth in carcere occidit, Vitaudũ uero in uincula coniecit. Tandem à cruciferis & Christianorum exercitibus sæpenumero Iagello pressus, deo miserante ad Polonos declinauit, fideq́ Christiana cũ fratribus suis, quos octo in numero habuit, unda baptismatis ablutus, & in regẽ Poloniæ coronatus, Heduigim filiam Ludouici Hungariæ & Poloniæ regis illustrissimam ac speciosissimã in consortem accepit, anno Christi millesimo tricentesimo octuagesimo sexto, die Iouis, quartodecima mensis Februarij, quæ fuit sancti Valentini. Cœpitq́ præfatus rex Vladislaus secundum promissa uigilare & instare, ut gentem Lithuanicam à tenebris erroris ac idololatria expurgaret, assumptis quoque secũ Bodzanta archiepiscopo Gneznensi, & pluribus uiris ecclesiasticis atque religiosis. Item regina Heduigi, Semouito & Ioanna Mazouiæ, Conrado Olesnicensi ducibus, & complurimis baronibus, anno domini millesimo tricentesimo octuagesimo septimo, in Lithuaniam intrauit, & baptisma suscipere Lithuanos procurauit. Colebant autem ab origine Lithuani numina, ignẽ, syluas, aspides & serpentes: ignẽ qui per sacerdotẽ lingua eorũ zinzc nuncupatum, subiectis lignis adolebatur: syluas aũt & lucos sacrosanctos & habitacula deorum putabant: aspides uero atq; serpentes in singulis domibus uelut deos penates nutriebant & uenerabantur. Rex itaq; Vladislaus ignem sacrũ putatũ in ciuitate Vilnensi, barbaris inspectantibus, extingui, templum & aram in quibus fiebat hostiarũ immolatio dirumpi, syluas uero succidi & confringi, serpẽtes quoq; necari pręcepit, barbaris flentibus deorũ suorum falsorũ exterminium, contra regem autẽ nec mussitare audentibus, mirantibus quoq; quod Poloni sacrorum uiolatores ignis syluarũ & serpentium intacti illæsiq; à dijs eorum, secus quàm ipsimet quoties uiolabant, fue-
B runt. Exterminatis itaq; idolis, gens Lithuanorum per aliquot dies de articulis fidei & oratione dominica per sacerdotes Polonos, magis tamen per regẽ Vladislaum, qui linguam gentis nouerat edocebatur, & sacra baptismatis unda renascebatur: largiente pio rege Vladislao singulis ex popularium numero post susceptum baptisma, ex panno de Polonia adducto nouas uestes: qua prouida liberalitate effecit, ut natio illa rudis & pannosa, lineis in eã diẽ contenta, fama huiusmodi liberalitatis uulgata, pro consequendis laneis cateruatim ad suscipiendum baptisma ex omni regione accurreret: & quoniã labor erat immensus unumquemq; credentium baptizare singillatim, mandante rege multitudo sequestrabat in turmas & cuneos, & uniuersis de qualibet turmarum benedicta aqua sufficienter conspersis, cuilibet turmę & uniuersis qui in ea constiterant, nomen usitatum Petrus, secundæ Paulus, tertiæ Ioannes, &c. fœminis per turmas diuisis, Catherina, Margareta, &c. iuxta numerum turmarum imponebatur. Militaribus tamen spiritualis impendebatur baptismus. Fundauit insuper rex Vladislaus in Vilna ecclesiam cathedralem sub titulo sancti Stanislai patroni Polonorum, principalemq; aram in loco ubi ignis, qui falso perpetuus credebatur, constituit, ut error gentilis fieret cunctis patentior. Constituit etiam in eadẽ ecclesia Vilnensi episcopũ uirum spectatæ uirtutis Andream Vazilo, natione Polonũ, genere nobilẽ, de domo accipitrum, professione fratrum ordinis minorũ, olim Elizabet reginæ Hungariæ confessorem & prædicatorẽ insignem episcopum Creteñ. Eodem quoq; Vladislao rege instante, Samagithia fidem Christi & baptisma suscepit. Ad cognoscendam autẽ naturam prouinciæ & gentis illius, animaduerte quod regio Samagithia est Septentrionalis & gelida, Lithuaniæ, Liuoniæ & Prussiæ contermina, syluis, collibus & fluminibus circumsepta, in hos tractus distincta, scilicet, Iragola, Myednici, Chrossæ, Rosena, Viduki, Vyelunya, Celthini, Czethra, gentes regionis proceræ & altæ staturæ, agrestes & incultę, pauco & castigato uictu uiuentes, sitim aqua sedare solitę,

raro ceruiſia aut Medone: auri, argenti, æris, ferri, uini illa tempeſtate expertes & ignaræ: apud quos licitum erat uni uiro plures habere uxores, & patre mortuo nouercam, fratreq; glotem in uxorẽ accipere: nullus illic ſtubarum, nullus ædificiorum nobilium, ſed tantummodo tugurij unius uſus, uentrem diſtentũ & porrectum, extrema uero habens coarta, ex ligno & culmo ſtructura largius ab imo ſenſim operis incremento ædificium in arctius cogitur, in carinæ ſeu galeæ maximæ ſimilitudinem elaborata, in cacumine feneſtra una ſuperne lumen reddens, ſubter quam focus & cibos parabiles coquens, & frigus quo regio pro maiori anni parte conſtricta eſt repellens, in ea domo ſe, uxores, pignora, ſeruos, ancillas, pecus, armentum, frumentum, & omnem ſupellectilem condunt, gens ad diuinationes & auguria procliuis. Præcipuum numen Samagitticum erat ignis, quem ſacroſanctum & perpetuũ putabant, qui in montis altiſſimi iugo ſuper fluuium Neuyaſza ſito aſſidua lignorum appoſitione à ſacrorum ſacerdote alebatur. Accedens itaque Vladiſlaus rex turrim in qua conſiſtebat incendit, & ignem diſiecit & extinxit. Succidit deinde per milites ſuos Polonicos ſyluas, quas non ſecus quàm ſanctas & deorum habitacula Samagittæ, iuxta illud poëticum: Habitarunt dij quoq; ſyluas, uenerabãtur, in eam caliginem mentis prolapſi, quod & ſyluæ præfatæ & aues, feræq; in illis cõſiſtentes ſanctæ forent, & quicquid in illas ingrederetur, ut ſanctum deberet cenſeri, uiolanti quoq; nemus, feras uel alites, manus aut pedes dæmonum arte curuabantur. Maxima itaque Barbaros tenebat admiratio, quod Polonorum milites nemus ritu eorum excidentes, nulla læſio qualem ipſi in ſe frequentius experti erant ſequeretur. Habebant præterea in ſyluis præfatis focos, in familias & domos diſtinctos, in quibus omnibus charorum & familiarium cadauera cum equis, ſellis & ueſtimentis potioribus incendebant: locabant etiam ad focos huiuſmodi ex ſubere facta ſedilia, in quibus eſcas ex paſta in caſei modum præparatas deponebant, medonemq; focis infundebant, ea credulitate illuſi, quod mortuorũ ſuorum animæ, quorum illic combuſta fuerant corpora nocte uenirent, eſcaq; ſe exſatiarent. Inſuper prima Octobris die, maxima per Samagittas in ſyluis præfatis celebritas agebatur, & ex omni regione uniuerſus utriuſque ſexus conueniens illuc populus, cibos & potus quilibet iuxta ſuæ conditionis qualificationem deferebat, quibus aliquot diebus epulati dijs ſuis falſis præcipue deo lingua eorum appellato Perkuno, id eſt tonitru, ad focos quiſque ſuos offerebat libamina. Rex itaque Vladiſlaus primum eos pater noſter, deinde ſymbolum docuit, quoniam nullus ſacerdotum linguam Samagitticam nouerat, & unda baptiſmatis ablui iuſſit. Vnus autẽ ex maioribus Samagittarum pro omnibus reſpondit: Ex quo, inquit, ſereniſſime rex, dij noſtri ueluti inertes & languidi à deo Polonorum deleti ſunt, deos noſtros & ſacra eorum deſerimus, & deo tuo atq; Polonorum fortiori adhæremus, ſicq; baptizati ſunt. Rex autem in Myedniki cathedralem eccleſiam ſub honore & titulo ſanctorum martyrum Alexandri Theodori & Euancij, in alijs autem locis eccleſias parochiales fundauit, & illis dotem ſufficientem conſignauit & inſcripſit. Mednicẽſis eccleſiæ primus epiſcopus Mathias origine Almanus, in Vilna tamen natus, eo quod linguam Lithuanicam & Samagitticam norat præfectus eſt & conſecratus. Contigit autem in prima plantatione, dum Samagittæ per magiſtrum Nicolaum Vazic, fratrem ordinis prędicatorum regium prædicatorem per interpretem inſtruerentur de fide, creatione mundi, & lapſu primi hominis Adæ, unus Samagittarum ſufferre ſermonẽ prædicantis nõ ualens in hæc uerba prorumpit: Mentitur, inquit, illuſtriſſime rex iſte ſacerdos, aſſerit mundum creatũ eſſe, quũ ſit homo non longæuæ ætatis, ſunt etenim inter nos plures annorum numero ſeniores eo, centenarium numerum ſupergreſſi, qui creationẽ nullam recordãtur: ſed ſolem & lunam, cæteraq; ſydera ſemper eiſdem motibus luxiſſe referunt. Rex autẽ Vladiſlaus iubens eũ ſilere, declarauit magiſtrũ Vazik creationẽ mundi nõ

Mortuorũ parentationes

aſſeruiſſe

asseruisse in diebus suis incepisse, sed lõge ante, puta ante sex millia annorũ, & paulo plus, ordinatione diuina prouenisse. Contulit autẽ rex Vladislaus magnũ ducatum Lithuaniæ & Samagitthiæ Alexandro Vitoldo fratri suo patrueli: is quia acer & animosus erat pugnando, adiecit Lithuaniæ ducatũ Pskou, quem Plescouiam appellant. Deinde alterũ ducatum Nouogrodieñ. qui Nugardia agnominatur. Tertium ducatum Smolnensem suo dominio apposuit. Factaq́ in circuitu pace, in orientẽ penetrauit, & incidens in Hordam Tartarorũ multitudinem eorũ, in Lithuaniam appulit, ac in certo territorio Lithuaniæ locauit, usq; in hanc diem permanentem. Congestoq́ fortiori exercitu, iterum in Tartariam perrexit, & superatis fluminibus, in planiciem diffuse porrectam circa flumen Vorzscla, quartadecima die Augusti peruenit. Ibi occurrente ei Imperatore Zauolhensi Temir kutlu, quem scriptores Tamerlanem nuncupant, cum infinita ac innumerabili Tartarorum multitudine, de treugis & pace utrinq; tractabant, concordia tamen nequaquam à Tartaris acceptabatur. Vitoldus igitur à suis persuasus cum custodibus corporis sui retrorsum abijt, & in Lithuaniam fugitiue redijt: exercitus uero ipsius ab infinita multitudine Tartarorum obrutus, in toto deletus est. Præterea Sigismundus rex Romanorũ iaciendo inter Vitoldum & Vladislaum fratrem eius regem Poloniæ fomitem discordiarũ, coronam Vitoldo promisit, & in regem Lithuanorũ sublimari persuasit: uerũ quum afferretur corona per loca tutiora Marchiæ & Prussiæ, nobiles maioris Poloniæ sese opposuerunt, & cum exploratoribus in custodia permanendo, in loco qui Turzagora uocatur, legatos Imperatoris Romanorũ opperiebãtur & expectarunt. Illi uero rem infectam cognoscentes, terrore perculsi retrocesserunt, Vitoldus autem de hoc certior factus præ tristitia ab anthrace inter scapulas orto, uitã cum principatu finiuit, anno domini millesimo quadringentesimo trigesimo. Post mortẽ Vitoldi Vladislaus Iagello rex Poloniæ Suitrigellum

B fratrem suum in ducem Lithuaniæ anulo suo inuestiuit & substituit: qui immemor beneficij, cõtra Vladislaum Iagellonem tumultuauit & bella gessit, propter quod rex Vladislaus principi Sigismundo de Starodup suggessit, cõmisitq́, ut ducatum Lithuaniæ sub Suitrigello surriperet. Apparẽte igitur comete exili supra illum ducatũ, dux Sigismundus de Starodup Suitrigellũ expulit, & ducatum magnum Lithuaniæ possedit. Hunc Sigismundus Iuan dux Czarthoriensis, genere & secta Rutenus post aliquot dies occidit. Ingrediebatur siquidem ex consuetudine ursa ad tabernaculum ducis Sigismũdi. Ruteni itaq; more ursæ ostium tabernaculi fricabant & mouebant: quo audito dux Sigismundus ursam aduenisse putando, ostia aperuit, & à Rutenis uulneribus concisus occubuit. Aeneas de Picolominibus scripsit, non hunc Sigismundũ, sed Vitoldum sicut præmissum est, per suos in forma ursæ delusum interfectum. Sed inscijs relatoribus credidit, & erronee scripsit, quemadmodũ simili errore ductus, plurima de Lithuanis, plurima & de Polonis conficta literis tradidit. Posteriq; historiographi errantem erronee sequentes, ipsius Aeneæ absurditates & loca atq; mores illarum nationũ nunquam uisa, aliter quàm fuerunt, & quàm sunt, tanq̃ uera literis demandare nõ erubuerunt: quum experientia præteritorum atque præsentium ipsum & ipsos inexpertos & aliter quàm res habeat scribentes redarguat. Successit duci Sigismundo de Starodup, Kazimirus Vladislai Iagellonis tertius natus in magno ducatu Lithuaniæ, quẽ ferè quinquaginta annis gubernauit, sub cuius extremis & ultimis annis Iuan dux Moscorum auulsit, & sibi appropriauit ducatum Nouogrodiensem, aliàs Nugardiam seu Nouogrodiam nuncupatum. Post Kazimirũ in Lithuania dominatus est Alexander filius eius quartogenitus, cuius temporibus præfatus Iuan dux Moscorum principatũ Mozaisensem, longitudinis septuaginta, latitudinis totidem milliariũ, & castra quadraginta subripuit. Alexandro uita functo, Sigismundus modernus in magno ducatu Lithuaniæ suffectus est, sub cuius dominio Vassilo Mosco-

uiæ dux & principatum Pleskou, quem Pleskouiam appellant, & ducatum Smolnenſem expugnauit & poſſedit. A

De amplitudine & contentis magni ducatus Lithuaniæ.

CAPVT III.

AMplitudo magni ducatus Lithuaniæ eſt talis. A' mari Balteo ſeu Prutenico ad Vilnam capitalem ciuitatem Lithuaniæ ſexaginta milliaria, à Riga uero ad Vilnam recto itinere ſeptuaginta milliaria: eundo uero ſuper Poloczko ut cõmuniter uadunt, erunt à Riga in Vilnam centum milliaria. Deinde à Vilna in Kiou ſunt centum milliaria. A' Kiou uſq; ad confluentiã, ubi iunguntur fluuij Dinepr & Boh, quos Græci Boryſthenem, maiorem & minorem appellant, ſunt decem diætæ, quę faciunt ſeptuaginta milliaria, ibi ſteterat caſtrum Dzaſſou, quod deſtructum eſt, & ibi eſt finis dominij Lithuanorum, quum prius protendebatur ad Byaligrod, quod Latini Album caſtrum nuncupant, & ipſum Turci expugnarunt & poſſident: circumcirca uero Tartari in campis degũt: Iſta eſt cõputatio uerſus meridiem, quinimo uerius dicam inter orientẽ & meridiem. Iterum ex tranſuerſo computando, à Patzou & metis Lithuaniæ in Vilnam ſunt octuaginta milliaria: ſed à Craouia per eandẽ uiam uſq; in Vilnã ſunt centũ & uiginti milliaria. A' Vilna in Smolenſco centũ milliaria, à Smolenſco in Moſcuuam ciuitatẽ Moſcorũ centũ milliaria, & ſunt milliaria Germanica magna. Prima autẽ & capitalis ciuitas in Lithuania eſt Vilna, eſt tanta quanta Cracouia cum Kazimiria Clepardia, & omnibus ſuburbijs: uerũ domus non ſunt cohærentes ſicut in noſtris ciuitatibus, ſed ut ſæpe mediant horti & pomaria: habet Vilna bina caſtra murata, ſuperũ in monte & inferum in baſſo. Nouigrod uero, quam Latini Nugardiã uel Nouogardiam uocant, fuit de poſſeſſione magni ducatus Lithuaniæ, per ducem Vitoldum armis conquiſita, & eſt Nouigrod in amplitudine paulo maior quàm Roma, quia Roma in ambitu continet triginta duo milliaria Italica, quæ faciunt ſex milliaria Germanica, & duo milliaria Italica ſuperſunt. Nouigrod aũt cõtinet integra ſeptem milliaria, aliàs trigintaquinq; milliaria Italica. Itẽ Nouigrod lignea habet ædificia, Roma uero murata. Diſtat Nouigrod à mari Balteo duobus uel quaſi tribus milliarijs. Et fuerunt, adhucq; ſunt in ea ditiſſimi mercatores: intantũ quod apud quemlibet mercatorem iuxta refectorium eſt Crancz, id eſt reſeruaculum loco teſtudinis, in quod argentum, aurum & res pretioſæ conquiſitæ projciebantur abſq; numero. Vnde Iuan, quod ſonat Ioannes princeps Moſcorum anno domini milleſimo quadringenteſimo ſeptuageſimonono, ſurripiendo Nouigrod de manibus Kazimiri magni ducis Lithuaniæ, huiuſcemodi theſauros Nouogrodieñ. exhauſit, & trecentos currus ad ſummum implendo, duntaxat de auro, argẽto & unionibus pretioſis, in Moſcouiam abduxit. Et quia in eadem Nouigrod pernicioſa conſuetudo inoleuerat ſicariorum & raptorũ, ſæpeq; aliquo reo inuento uel deſignato pulſabatur campana prætorij, ubi centum ſenatores tanquam iudices ſedebant, omnes more illius patriæ barbam protenſam nutrientes: uulgus autem audito ſono campanæ, cõcurrebat de tota ciuittate, ita quod quilibet hoſpes duos acciperet lapides in brachio, & filij hoſpitum ſimiliter. Quumq; reus per ſenatores condemnaretur, lapidibus adſtantes obruebant & interficiebant eum, tumultuoſeq; ad domum condemnati currẽtes diripiebant omnia bona occiſi, & area domus poſtea uendebatur, & pecunia exinde pro Republica confiſcabatur. Idcirco Iuan dux Moſcorum præfatus apprehenſa & poſſeſſa Nouigrod in quinque famoſioribus plateis quinq; capitaneos cum armigeris conſtituit ad ſedandum & prohibendum ſolitos tumultus, inuaſiones & ſpolia. Eſt in Nouigrod caſtrum Deczen nuncupatum, in eo principalis eccleſia eſt ſancti Sophiæ, id eſt, ſaluatoris, & eſt tecta aureis laminis ſplendeſcentibus, ſuntq; in eadem Nouigrod ſeptem monaſteria Zirnkorũ, id eſt, nigrorũ monachorũ de regula ſancti Baſilij, & diſtant à ſeinuicem fere uel prope per medium milliare.

liare. In primo monasterio B. Mariæ uirginis sunt mille monachi, in altero sancti Georgij septingenti, in tertio sexingenti, in quarto quadringenti: sic consequenter in alijs monasterijs. Sunt & ecclesiæ sanctorum plurimæ, & solius sancti Nicolai, quem Ruteni inter alios sanctos plus colunt: ecclesię sunt tot, quot sunt dies in anno. Habet eleuationē poli Nouigrod sexaginta sex graduū, & in æstate circa solstitium æstiuale post occasum solis apparet lux cœli usq; in ortum solis, ut artifices, sartores, sutores, & cæteri mechanici suere & laborare possint. Post Nugardiam ad Septentrionē est Suetia & Filandia usq; in oceanum Septentrionis. Pskou urbs nobilis murata & magna, minor tamen quàm Nouigrod, adiacet Moscouiæ & Lithuaniæ, hanc Latini Plescouiam appellant, inhabitatores ipsius omnes sunt lingua & ritu Ruteni, barbam non radunt, & crines capitis non tondunt, habitum uero in toto deferunt Almannicum. Habet terra Plescouiæ triginta castra murata, & sunt uersus Liuoniam, & non sunt tam bona castra in Moscouia, neque in Lithuania. Tota autem terra Plescouiæ sexaginta milliaria in longitudine, & quadraginta in latitudine cōtinet. Vassilo modernus princeps Moscouię per compositionē & tradimentum seniorum adeptus est, & possidet Pskou, deposuitq; campanam, ad cuius pulsum tota ciuitas confluebat, & iniuriantes opprimebat. Contra pactum quoq; & promissa sua abegit Vladicam, id est, episcopum loci, & plures nobiles ac ciues Plescouiæ, & locauit in ciuitate Moscua, & alijs locis Moscouiæ. Deinde uersus orientē est Poloczko castrum & ciuitas magna, & pertinet ad ducatum Smoleñ. possidet eam magnus dux Lithuaniæ. Post hanc ad orientem est Smolensco castrum & ciuitas ex roboribus structa, & fossis profundis munita, ipsa autem terra seu ducatus Smolensco cōtinet in longum sexaginta aut septuaginta milliaria Germanica. Preterea linguagium Lithuanicum est quadripartitum, primum linguagium est Iaczuingorum, ut horum qui circa castrum Drohicin inhabitarunt, & pauci supersunt. Alterum est Lithuanorum & Samagittharū. Tertiū Prutenicum. Quartum in Lothua seu Lothihola, id est, Liuonia, circa fluuiū Dzuina, & Rigam ciuitatem. Et horum quanquam eadem sit lingua, unus tamen non plene alterum intelligit, nisi cursiuus & qui uagatus est per illas terras. Habuit hoc linguagium quadripartitum tempore idololatriæ pontificem maximū unum, quem Criue appellabant, morantem in ciuitate Romoue à Roma dicta, quoniā hoc linguagiū de Italia iactat sese aduenisse, & habet nōnulla uocabula Italica in suo sermone. De isto Criue & ciuitate Romoue in legenda sancti Adelberti pontificis & martyris legit̃. Et scias quod in Prussia iam pauci proferunt Prutenicum, subintrauit siquidem lingua Polonorum & Almannorum: sic & in Lothua pauci uillani profitentur hanc linguam, quia subintrauit Almannicum. In Samagitthia autem, quæ est longitudinis quinquaginta milliariorū, & in Lithuania, quæ in longum triginta milliaria continet, in uillis Lithuanicum loquuntur, & in magna parte Polonicum profitentur: nam & sermone Polonico sacerdotes eis prædicant in ecclesijs. Insuper scito quod hoc linguagium quadripartitū totum est de obedientia & fide Romanæ ecclesiæ, in alijs autē prouincijs circumiacentibus, ut in Nouigrod, in Plescouia, in Poloczko, in Smolensco, & in meridiē usq; post Kiou Ruteni sunt omnes, & Rutenicum seu Sclauonicum loquuntur, ritumq; Græcorum obseruant, & obedientiā Constantinopolitano patriarchæ præstant. Amplius sunt in ducatu Lithuaniæ Tartari circum Vilnam, & habent proprias uillas: colunt agros more nostro, laborant & uehunt merces, ad mandatumq; magni ducis Lithuaniæ omnes ad bellū assurgunt, loquuntur Tartaricū & colunt Mahumetē, quia Saracenorū sectā profitentur. Insuper sunt Hebræi in Lithuania, præsertim in ciuitate Troki, hi laborāt & mercantur thelonea & officia publica tenent, de usurisq; nō uiuūt. post hoc de fluminibus dicamus. A' parte orientali dominium Lithuanorū terminant fluuij, Oscol, Iugra, Donyecz, id est paruus Don, & est paruus Tanais, hi & pluri-

plurimi alij in Tanaim decurrũt. Item ex dominio Lithuanorũ poſt caſtrum A
Veſnya, quod dux Moſcouiæ Modernus Vaſſilo occupauit, ortus eſt Dinepr, ſeu Boryſthenes ex terra plana lutoſa, ex ſtagnis in denſis ſyluis, & fluit ſub Smolenſco & ſub Kiou, tandẽ emenſis quaſi trecentis milliarijs Germanicis, in mare Ponti incidit. Item Vilia alius fluuius triginta milliarijs ad orientẽ Vilnæ ciuitatis ortũ cepit, & ſub caſtro Vilnenſi cum alio fluuio minori Vilna dicto, & initiũ eius duobus milliarijs à præfata ciuitate Vilna cõputatur, cõmiſcetur, unaq; ad magnũ fluuium Niemen influunt. Niemen autem fluuius ualde flexuoſe decurrit, naues defert & merces: & poſt caſtrum Couno in mare Prutenicũ cadit. Item Dzuina magnus fluuius fontes habet in Moſcouia, & in dominio Lithuanorum, fluit ſub caſtro Vitepsk, deinde ſub Poloczko: hoſtia eius circa Rigam ciuitatẽ Liuoniæ, ubi in mare cadit. & ſcias quod quẽadmodũ in ſuperioribus pr(e)miſi tria magna flumina prope ſe inuicẽ oriũtur, ſcilicet, Dinepr, Dzuina, & Volha: oriũtur, inquã, in locis planis, nemoroſis, paluſtribus, non ex montibus Hyperboreis, nõ Riphæis, nec aliquibus montibus qui in natura minime ſunt, duntaxat figmẽto olim Græcorũ tanquam in rei ueritate exiſterent glorioſe & ampulloſe prædicati ſunt, & quod præfata flumina ex ipſis erũperent ac orirentur per ſequaces hiſtoricos coſmographos & poẽtas inexperte deſcripti decantatiq; ſunt, quum nuſquam compareant: plana ſiquidẽ eſt terra per totum, unde illa ortum ducunt. Et Dinepr qui eſt Boriſthenes ad meridiẽ fluit uſq; in mare Ponti incidens. Dzuina grande flumen ex Moſcouia erumpens, ad occaſum ſolis per dominia Lithuanorũ, & per Liuoniam labens iuxta ciuitatẽ Rigam, in mare Balteũ deſcendit. Volha maximus fluminũ etiam ex Moſcouia oriens, in Septentrionẽ tendit, reuerſusq; in orientẽ, longinque circuit Tanaim: tandẽ conuerſus in meridiẽ per Scythiam ſeu Sarmatiã Aſianã & campos planiſſimos Tartarorum peruagatus, in uiginti quinque flumina magna partitus, mare Euxinũ ingreditur. Diſtat Tanais à Volha in Tartaria itinere ſex hebdomadarum, ad minus trium aut quatuor uelociſſime currentibus. Sunt & B
alia in Lithuania & Moſcouia multa flumina & ſtagna magna: parua uero flumina & riui ſine numero in maiora defluunt. Omnia piſcoſa abundanter, ita quod in illis terris ubi aqua, ibi & piſces: & ſunt piſces ſapidiores & delectabilioris guſtus quàm in regionibus noſtris, piſcinæ & fodinæ pro aquis & impiſcationibus tanquam inutiles illic non fiunt. Amplius in ducatu Lithuaniæ panis ruſticorum nigerrimus eſt nõ cribratus, ex ſiligine aut ordeo unà cum furfuribus: dominorũ uero & potentum panis delectabilis de pura ſimilagine tritici albiſſimus pinſitur & habetur: uino carent, niſi quod aliunde ducitur, præcipue uinum Rhenenſe, & ex occidentalibus regionibus per mare Germanicũ & Balteum, adductũ alicubi reperitur, medone & ſpiſſo, et tenui & uario modo cocto abundant, & illo reficiuntur & inebriantur. Ceruiſias coquunt diuerſimode & ex uarijs granis, puta frumẽto, ſiligine, ordeo, auena, milio, &c. & nõ ſunt ſapidæ: uulguus autem ut ſemper aquam bibit: oliuæ & fructus dulces ac delicati illic non creſcunt, algida etenim & frigida eſt prouincia. Armenta habent omnis generis & feras ſyluarum, plus quàm in orbe Chriſtianorum reperiantur: ſaltus, deſerta, & ſyluæ ſunt magnæ, decem, aliquando quindecim milliariorum, nõnunquam & uiginti quinq; milliariorum: ad latera deſertorum & ſyluarũ uillæ & habitatores inueniuntur, & idcirco quia magna nemora ſunt, magnæ feræ & multæ abundantiſſimæ uiſuntur & capiuntur, uri & boues ſylueſtres, quos lingua ipſorum thuri & zumbrones uocant, onagri, & equi ſylueſtres, cerui, damæ, dorcæ, capreæ, apri, urſi, mardures, ſciſmi, & cætera genera ferarum. Inſuper aues abundant & ficedulæ, q̃uis illic uineæ non ſunt, aduolant & impinguantur, atq; cum ſuauitate eduntur. Eſtq; in Lithuania & Moſcouia animal uoraciſſimum & inutile, quod alibi non comparet, roſſomaka nominatũ. quantitatis canis, faciei catti, corporis & caudæ ut uulpis, colore nigrũ, cadaueribus ueſcitur, inuen-

inuentoq; cadauere, intantum uorat, ut extendatur & infletur tanquam tympanum, repertaq; angustia, stricta inter arbores intrat & intrudit se cum uiolentia premendo, ut uiolenter comesta uiolentius egerat, sicq; extenuatū denuo cadaueri accurrit, & ad summū impletur, cū uicissitudine expressionis, & ad morticinium reuersionis, donec totū absumat & deuoret. Et forsan natura tam insatiabile animal in illis regionibus producit, ut homines simili uoracitate laborãtes redarguat. Quoniā potentes quū conuiuari cœperint, sedent à meridie in medium noctis continuo cibo & potu sese opplendo, & à mensa quoties natura propellit assurgendo & egerendo iterum & iterum uorant usq; ad uomitū & amissionem discretionis & sensus, tuncq; inguinis & capitis quæ sunt discrimina nesciunt: estq; illa consuetudo perniciosa in Lithuania & Moscouia, magis uero & absq; rubore in Tartaria. Est etiam in illis terris Lithuaniæ, Moscouiæ & Tartariæ ab origine consuetudo uenditionis hominum: serui natura uenduntur à dominis suis tanquam pecora, pueriq; eorū & uxores: quinimo pauperes homines, libero uentre nati, uictu carentes, uendũt filios & filias suas, interdum & semetipsos, ut apud patronos siliquis & grossis cibis saturentur.

De Moscouia. CAPVT IIII.

MOscouia est regio longissima latissimaq;: nam à Smolensco usq; ad Moscuuam ciuitatem sunt centum milliaria, à Moscuua ad Volochda centum milliaria. Et Volochda est prouincia, & fluuius per ipsam labens eodẽ nomine uocatur: à Volochda ad Vsczuga centum milliaria, ab Vsczuga ad Viathka centum milliaria: & ista quadringenta milliaria sunt de regione Moscouiæ, & sermo per totum est Rutenicus seu Sclauonicus. Vltra prædicta à Viathca ad regionem Permsca centum milliaria, inde ad terram Vahulczka triginta milliaria, & hæc Scythiæ confinis est. Et istæ prouinciæ subiectæ sunt duci Moscouiæ, additisq; terris ad Septentrionem & orientem ab eodem duce Moscouiæ possessis, Iuhra & Corela quæ sunt in Scythia, erunt quingenta milliaria Germanica magna. Verum Moscouitæ non per milliaria nostra computant, sed per uerst: & uerst est quinta pars milliaris Germanici. Numerant itaque à ciuitate Moscuua ad Vlodomiriam ciuitatem decem & septem milliaria Germanica: abinde ad Vsczuch quingenta uerst: iterum ab Vsczuch ad Iuhram quingenta uerst. Intra Moscouiam aũt sunt multi ducatus. Est ducatus seu terra Moscouiæ, de qua triginta millia pugnatorum nobilium ad bellum egrediuntur, agrestiū uero sexaginta millia. Est & ducatus seu terra Tuczka, de qua quadraginta millia armatorum nobilium duntaxat ad bellum prodeunt. In hoc ducatu capitalis ciuitas Tuerd nūcupatur, & est ciuitas grãdis lignea de lignis ædificata: in ea sunt ecclesiæ ligneæ centum & sexaginta: castrum etiam ligneum est, & sunt in ipso nouẽ oracula seu ecclesiæ: principalis est sancti saluatoris, & illa duntaxat est murata: sub hac ciuitate & castro amplissimus fluuius Volha labitur. Ducatus Chelmsci, de quo septem millia pugnatorū exeunt. Ducatus Zubsczouski, de quo quatuor millia armatorū. Ducatus Klinski, de quo duo millia bellatorum prodeunt, ad terram Tuerdeñ. annumerantur. Item ducatus Kubensis triginta milliaria in longum continens. Ducatus Iacoslauieñ. quadraginta milliaria de terra habens. Ducatus Szuhersieñ. uiginti milliaria terræ habẽs. Ducatus Szachouensis triginta milliaria in longum continens: omnes sunt in milliarijs Moscouiæ in longum computatis. Insuper ducatus Rzezensis, de quo quindecim millia baronum seu nobilium armatorum euadunt, & fluuius nominatissimus Tanais de ipso oritur. Item ducatus Susdalorum, & plures ei adiacentes desolati & destructi sunt per Tartaros. Est & terra Tartarorum Cozanska, Horda nominata, triginta millia pugnatorum producens, principi Moscorum subiecta, in campis iuxta castrum Cozan, quod dux Moscouiæ possidet: & alluitur magno flumini Volha, degens. Moscuua est ciuitas principalis satis magna, bis maior quàm Florentia Thusciæ,

aut bis maior quàm Praga Bohemiæ urbs. Praga dico quæ extat & quam tu A
uidisti: non Praga, quam quidam nouus historicus ficte astruit longissimam
trium dierum itinere ciuitatẽ, quod fabula est: uerũ Moscuua lignea est, non
murata, plurimas habens plateas, & ubi una platea finitur, altera non statim
incipit, sed campus mediat. Inter domos quoq; sepes mediant, ita ut domus
sibijnuicem non cohæreant. Nobilium domus sunt maiores, plebeiorũ uero
humiles. Fluit per medium ciuitatis, & sub castro ipsius fluuius eiusdem no-
minis cũ ciuitate, Moscuua appellatus, & est tantus, quãtus Multaua in Pra-
ga, aut Arnus in Florentia. Castrum autẽ quod est in medio ciuitatis in pla-
no, est castrum bonum muratum tantæ amplitudinis, ut Buda in Hungaria,
habet tria propugnacula: & cum his turres magnę simul computatæ sunt de-
cem & septem, tegulis latericijs tectæ, sed unus murus: in eo castro ecclesiæ
sunt sedecim, tres muratæ, scilicet, sanctæ Mariæ, sancti Michaëlis, & sancti
Nicolai, reliquæ sunt de ligno. Palatium ducis in præfato castro est muratũ
ad instar Italicũ nouum, non amplum, nec magnũ: tres curiæ nobilium sunt
muratæ, aliæ domus ligno constructæ, stubæ omnes nigræ. Aliæ ciuitates
Moscorũ sunt minores, & castra minora omnia de lignis fabrefacta. Præte-
rea terra Moscouiæ plena est boscis ac syluis, aquis quoq;, fluminibus, pisci-
bus & feris, quemadmodum Lithuania referta, sed frigidior & Septentrio-
nalior, unde pecudes & pecora parua sunt & mutila absque cornibus, quasi
semper propter frigus: homines uero proceræ, altæ, & robustæ staturæ sunt,
bibunt aquam, medonem, & quassecz, id est, fermentatos liquores. Arant &
sulcãt ligno sine ferramẽto, & arpicant frondibus arborũ supra seminata ab
equis tractis, raroq; propter intensa & longa gelua segetes maturescũt, ideo
messes sectis frugibus in stubis desiccant, maturant & triturant. Sæpenume-
ro autem utuntur calefacientibus aromatibus, sæpe & sublimatis, de aroma-
tibus, de melle, uel alio calefactorio, ita ut & de auena aquam ardentem siue
sublimatum faciant & bibant ad effugandum & repellendum algorem & fri- B
gus, alioquin ex frigore congelarent. Carent uino & oleo, & ne inebrientur,
princeps terræ prohibet ne medo aut liquor inebrians in aliqua domo repe-
riatur sub priuatione uitæ, nisi bis aut ter in anno ex admissione principis.
Monetam habent argenteam puri argenti, dzingis nominatam, maiorem &
minorem, formæ oblongæ, quadrangularem, non orbicularem, nõ politam,
nec bene planatam. Estq; terra diues argẽto, & custodia undiq; clausa, ut ne-
dũ serui & captiui, sed & liberi, indigenæ & aduenæ exire absq; literis ducis
nequeant, & hæc hactenus. Flumina in Moscouia sunt plurima, aliqua autẽ
maiora scitu digna enumerabo. Tanais nominatissimus fluuius à Tartaris
& Moscouitis Don nuncupatus, fontes & originem habet in Moscouia pro
pè in ducatu Rezensi. Consurgit de terra plana, sterili, limosa, paludinosa &
nemorosa. Quumq; ad orientem solis processisset usq; ad metas Scythiæ &
Tartariæ, declinat ad meridiem, & perueniens ad paludes Mæotidas, illic
ostia tenet & ingreditur. Est tantus Tanais, quantum dicerem triplatum Ty-
berim post Romam in mare Tyrrhenum decurrentem, aut quantum Danu-
bium in duplo circa Budam. Et doctrina astrologorũ tenet, quod Tanais sit
eius longitudinis cuius & Nilus fluuius Aegypti, puta circa sexaginta gra-
dus longitudinis. Et sicut Nilus à meridie ad mare Alexandriæ descendit, sic
Tanais à septentrione in Mæotidas & mare Ponti defluit. Nec piget repete-
re quod suprà dixi, alia magna flumina ex Moscouia esse orta, uidelicet Ezui
na, Volha, & Dinepr seu Borysthenem. Et quum Moscouia sit regio plana,
non montosa, prædicta flumina in distantia non ualde longinqua à se inui-
cem ex terra plana, nemorosa & paludinosa oriuntur, maximusq; fluminum
ille Volha, in Tartarico dictus Edel, tendens in septentrionem, procedit du-
centis milliarijs usq; ad Nisni nouigrod, quod sonat inferius nouũ castrum,
& est in terra Moscouiæ: & illic accurrit & ei cõiungitur magnus fluuius ex
media Moscouia procedẽs, Occa cognominatus. Deinde octuaginta millia

E rijs germanicis Volha sub castrũ Cosan, quod dux Moscouiæ possidet, tandem sub castrum Sardi, quod Tartari tenent, fluit deinceps uersus meridiem uigintiquinq; fluminibus tantis ut est Tyberis Romæ, & alijs multo maioribus influit in mare Euxinum. Accipiat itaq; lector tua humanitas, & contra omnes aduersantes tueatur, & dicat quod prælibata flumina non de montibus, nec de radicibus montium, quoniam ibi montes sunt nulli, oriuntur & fluunt. Accipiat secundo, quod montes Hyperborei & Ryphæi, de quibus emanasse illa flumina ab aliquibus fabulose scriptum est, nec in Moscouia, neq; in alijs partibus septentrionis sunt: recteq; dicetur confictos esse, & nusquam existere, nisi forte in libro scripti aut picti, & non in terra reperiri affirmarentur. Accipiat tertio, quod in dominio Moscorum, quemadmodum & in terris Turcorum, homines de loco in locum, & de territorio in territoriũ ad incolendum transferuntur, & alij pro his commutati mittuntur & locantur. Accipiat quarto, in Moscouia unam linguam & unum sermonem esse, scilicet Rutenicum seu Sclauonicum in omnibus satrapijs & principatibus, sic quod etiam Ohulici, & qui in Viathca degunt Ruteni sunt, & Rutenicũ loquuntur, unamq; sectam & religionem instar Græcorum tenent, omnesq; Vladicæ, id est episcopi, qui plurimi sunt, patriarchæ Constantinopolitano subsunt, & confirmationẽ ab ipso postulantes obedientiam promittũt, præter Tartaros Cosanenses, qui ducem Moscorum recognoscentes, Mahumetum unà cum Saracenis uenerantur, & linguagium Tartarorum loquuntur, etiam præter alienigenas ad septentrionem in Scythia cõmorantes, qui sermone & linguis proprijs loquũtur, & idola colunt, prout in sequenti capitulo dicetur. Accipiat quarto, quod post terram Viathca nuncupatam in Scythiam penetrando, iacet magnum idolum Zlotababa, quod interpretatum sonat, aurea anus seu uetula, quod gentes uicinę colunt & uenerant, nec aliquis in proximo gradiens aut feras agitando & in uenatione sectando uacuus & sine oblatione pertransit: quinimo si munus nobile deest, pellem aut
I saltem de ueste extractum pilum in offertorium idolo proijcit, & inclinando se cum reuerentia pertransit.

De regionibus Scythiæ Perm, Baskird, Iuhra & Corela, per ducem Moscouiæ subiugatis. CAPVT V.

POst Moscouiam sunt gentes & regiones inter septentrionem & orientem in fine Asiæ septentrionalis, quæ proprie Scythia dicitur, principi Moscouiæ subiectæ, per Iuan ducem Moscouiæ principaliter subiugatæ, scilicet Perm, Baskird, Cziremissa, Iuhra, Corela. Perm monosyllabum est, inde terra Permsce, bissyllabe Permsca pronunciando: & fuit regio idola colens, quam Iuan dux Moscorũ citra annos uiginti baptisma percipere coëgit, more Rutenorum seu Græcorum: & posuit eis Vladicam, id est episcopum, nomine Stephanum, quem barbari post discessum ducis uiuum excoriauerunt & necauerunt, reuersusq; dux afflixit eos, & alium denuo præsulem constituit, sub quo tanquam noui Christicolæ, Rutenorum schisma & ritum profitentes permanent. Aliæ uero regiones præexpressæ in infidelitate & idolatria persistunt. Colunt solem, lunam, stellas, bestias syluarum, & quod eis occurrit: habent propria linguagia & idiomata. In terra Permsca propriũ idioma, in terra Paskirdorum proprium, in Iuhra proprium, & in Corela etiam proprium. In his regionibus non arant, non seminant, panes nõ habent nec pecunias: feris syluarum, quæ apud eos abundant, uescuntur, & nõ nisi aquã bibunt: morantur in densis syluis, in tugurijs ex uirgultis factis. Et quia syluæ illas terras contexerunt, homines syluestres & ferinos effecerunt. Sunt uelut bestiæ ratione non utentes, uestimenta de lana non habent: pellibus teguntur rude & grosse, consuentes uarias pelles in simul, ex lupo, ceruo, urso, sabellis & scismis & cæteris, prout sors obtulerit. Et quia ipsorũ terræ mineras non nouerunt, pro omagio duci Moscouiæ mineras non pendunt, sed pelles animaliũ syluestrium quibus abundant. Proximiores oceano septentrionis,

Homines sine pane uiuunt

A trionis, ut Iuctri & Coreli, piscātur & capiūt balenas seu uitulos & canes marinos, quos ipsi uor uol appellant, & ex cute eorum parāt redas, bursas & caletas, axungiam autem pro imaginatione seruant & uendunt. In Ihura & Corela: sunt aliqui montes mediocris tumoris, non altissimæ elationis, prout quidam putauerunt & scripserunt. Supra montes autem oceani qui mediocres sunt, per totum septentrionē oceano adiacētes, scandunt ex mari pisces morss nuncupati, dente se supra montē continendo, fricando, & ascensum promouendo: dumq; ad summitatem montis peruenerint, ad ulteriora gressum promouendo, ad alteram partē montiū uolitando decidunt. Hos illæ gentes colligendo dentes eorū satis magnos, latos & albos pondere grauissimos capiunt, & Moscouitis pendunt atq; uendunt: Moscouitæ uero his ututur: ad Tartariam quoq; & Turciam mittunt, ad parandū manubria gladiorum, framearū & cultrorū, quoniam grauitate sui maiorē ac fortiorē impressionem impingunt, & præbent impellentibus, laborantibus, præliantibus, & occidentibus. Et memineris quod suprà dixi, hanc esse illam Iuhram regionem Scythiæ, de qua egressi sunt Iuhri, à posterioribus Huni & Hungari dicti, qui ad Gothiam ascendentes uehementer multiplicati transierūt maxima flumina circa paludes Mæotidas, intraueruntq; Pannoniam, & secundo regressu eam occupauerunt, possederunt, & in hanc diem tenuerūt, suntq; eiusdem sermonis & loquelæ præcisæ, nisi quod addiderunt nostri Hungari aliqua uocabula ex Sclauonico idiomate, earū rerū quæ in Scythia & Iuhra non reperiuntur. Verùm in Pannonia Iuhri sunt Christicolæ: in Iuhra uero patres eorū idololatræ, politioresq; & cultiores sunt Hungari in Pannonia, omnibus delitijs pleni, quamuis in toto syluestres sunt, bestiales, & in frigidissima regione miserrime degentes. Insuper memineris in his regionibus Scythiæ ad oceanum septentrionis nō esse magna flumina, sed esse quasdam rupes & montes mediocris molis, & non excellentissimæ celsitudinis inaccessibilesq;, uelut aliqui historici antiquiores protulerunt & scripserunt. Potius itaque secundum experientiam dixissent, de nemoribus & densis syluis eos exiuisse, quàm de inaccessibilibus montibus. B

FINIS.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS DE LEGATIONE MOSCHOVITARVM LIBELLVS,

ad Ioannem Rufum archiepiscopum Consentinum.



Efflagitasti amplissime antistes Rufe, ut ea quę de Moschouitarū moribus à Demetrio eius gentis legato, qui ad Clementem VII. Pontificē nuper uenit, quotidianis propè sermonibus didicissem, Latinarū literarum memoriæ cōmendarē, quū pro uetere tua pietate atq; uirtute ad amplissimā Rom. Pontificis dignitatē pertinere arbitrareris, si homines intelligerēt, nō fabulosi, aut omnino obscuri nominis regem, sed qui numerosissimis extremi Aquilonis populis imperet, in causa religionis omnibus nobiscū sensibus cōiungi, fœdereq; perpetuo colligari, opportunissimo tēpore cupiuisse quando nuper aliquę germaniæ gētes, quę pietate cæteris omnibus pręstare uideri uolebāt, insana atq; scelesta defectione nō modò à nobis, sed ab ipsis etiā superis exitiabili errore desciuerint. Cęterū id munus impositū quod certe grauioribus studijs occupatus iure optimo poterā recusare, egregia uolūtate celeritateq; perfeci, ne nimia mora uel accuratiori castigatione gratiā nouitatis exueret: qua uel una re meæ erga te ueteris obseruantiæ studiū, præstandiq; officij uolūtas manifeste declaratur, quū honoris iacturā facere, si quis ex hac ingenij tenuitate sperandus est, q̄ desiderium tuum longè honestissimum diutius frustrari maluerim. Vale.

REGIO-

REGIONIS primo situs, quem Plinio Straboniq; & Ptolemæo parum notum fuisse perspicimus, pressa breuitate describetur, & in tabula typis excusa figurabitur. Inde gentis mores, opes, religionem, militieq; instituta, Tacitum imitati, qui à perpetuis historijs libellum de Germanorum moribus seiunxit, perstrictiore stylo narrabimus, eadem ferè sermonis simplicitate utẽtes, qua nobis ab ipso Demetrio curiosa ac leni uestigatione lacessito, per otium exposita fuere. Demetrius enim haud inepte Latina utitur lingua, utpote qui in Liuonia à teneris annis in ludo prima literarum rudimenta didicerit, & insigni uariarũ legationum munere functus, plures prouincias Christianorum adierit. Nam quum antea ob spectatã fidem ac industriam apud Suetiæ Daciæq; reges, & magnum Prussiæ magistrum, oratorem egisset, nouissime apud Maximilianum Cæsarem, dum in eius aula omnis generis hominum refertissima uersaretur, si quid barbarum quieto dociliq; ingenio inerat, elegantium morum obseruatione detersit. Causam uero huiusce suscipiendæ legationis præbuit Paulus Centurio Genuensis, qui quum acceptis à Leone decimo Pontifice commendatitijs literis, mercaturæ causa in Moschouiam peruenisset, cum Basilij principis familiaribus ultro de consociandis utriusq; ecclesiæ ritibus agitauit. Quærebat enim Paulus insano uastoq; animo, nouum & incredibile iter petendis ab India aromatibus: fama nanq; cognouerat, quum in Syria Aegyptoq; & Ponto negotiaretur, aromata ex ulteriore India aduerso amne Indo subuehi posse, atq; inde modico terrestri itinere super atis Paropanisidis mõtium iugis, traduci in Oxum Bactrianorum amnem, qui ijsdem ferè montibus, quibus Indus oritur, aduerso fonte in Hyrcanum mare raptis secum multis amnibus ad Strauam portum effunditur. Porro ad ipsa Straua tutam facilemq; nauigationem uideri usq; ad emporium Citracham ostiumq; Volgæ amnis, inde uero aduersis semper amnibus, Volga scilicet & Occha & Moscho, in urbem Moscham: ab Moscha autem terrestri itinere Rigam, & in ipsum mare Sarmaticum, omnesq; occiduas regiones facile peruenire posse contendebat. Vehementer enim & supra æquum Lusitanorum iniurijs erat accensus, qui India magna ex parte armis domita, occupatisq; omnibus emporijs, cuncta aromata coëmerent, & in Hispaniam auerterent, atque ea grauiore quàm antea pretio, ac impotenti quæstu omnibus Europę populis uenditare consueuissent: quin & diligenti adeo cura Indici maris & litora perpetuis classibus custodirent, ut eę negotiationes penitus intermissæ atque desertæ uideantur, quibus per sinum Persicum, ac aduersum Euphratem, & per Arabici maris angustias, secundoq; demum Nilo per mare nostrum Asia omnis atque Europa abunde & uiliore quidem pretio complebantur, deteriore etiam Lusitanorum mercimonio, quum remotissimæ nauigationis incommodo, sentinæq; uitijs aromata corrumpi, eorumq; uis & sapor, odoratusq; ille spiritus multa demum mora in Olysipponensibus conditorijs promercalibus euanescere atque expirare uideatur, quum asseruatis semper recentioribus, uetera tantum, & multo quidem situ mucida uenundari quereretur. Cæterum Paulus quanquam de ijs rebus acerbissime apud omnes disserendo, & Lusitanis ingentem conflando inuidiam, multo auctiora fore uectigalia regia, si id iter aperiretur, & aromata ab ipsis Moschouitis, qui tantam eorum uim omnibus ferculis absumerent, uilius emi posse perdoceret, nihil tamen quod ad eam negotiationem pertineret, impetrare potuit: quoniam Basilius homini externo ac ignoto, eas regiones quæ ad Caspium mare & Persarum regna aditum præberent, minime aperiendas esse existimabat. Itaq; Paulus omnibus exclusus uotis, ex mercatore legatus factus, Basilij literas Leone iam uita functo ad Hadrianum Pontificem retulit, quibus ille cum multo uerborum honore egregiam uoluntatem erga Romanum Pontificem ostẽdebat. Paucis enim ante annis Basilius ardente cum Polonis bello, quum Lateranensis conuentus haberetur, per Ioannem Dacię regem, huius Christierni qui nuper regno expulsus,

Demetrij laus

Aromatum caritas unde

A

est, patrem postularat, ut iter tutum legatis Moschouitis ad urbem Romam præberetur. Verum quum eodem forte die & Ioannes rex & Iulius pontifex ab humanis excessissent, sublato ad id sequestro, consilium mittendæ legationis omisit. Exarsit subinde bellum inter ipsum & Sigismundum Poloniæ regem, quod quum insigni ad Borysthenem parta uictoria, à Polono feliciter confectum esset, Romæ supplicationes sunt decretæ, ueluti deuictis cęsisq; Christiani nominis hostibus: quę res & regem ipsum Basilium, & uniuersam gentem ab Romano pontifice haud mediocriter abalienauit. At quum Hadrianus sextus fato extinctus Paulum iam secundo itinere accinctum destituisset, suffectus ei Clemens septimus illum etiam tum orientis iter insano animo uolutatem cum literis in Moschouiam transmisit, quibus Basilium propensissimis adhortationibus inuitabat ad agnoscendā Romanæ ecclesiæ maiestatem, feriendumq; communibus in religione sensibus perpetuum fœdus: quod illi maxime salutare atq; honorificum fore testabatur, ita ut pōtifex polliceri uideretur, se ex sacrosancta autoritate pontificia eum regem collatis regalibus ornamentis appellaturum, si reiectis Græcorū dogmatibus ad autoritatem Romanæ ecclesię conferret. Cupiebat enim Basilius regij nominis titulum concessione pontificia promereri, quum id dare sacrosancti iuris esse, & pontificiæ maiestatis iudicaret, quādo & ipsos quoque Cæsares à pontificibus maximis diadema aureum & sceptrum Romani imperij insignia accipere, inueterata consuetudine cognouisset: quanquā & id pluribus à Cæsare Maximiliano legationibus postulasse ferebatur. Igitur Paulus, qui feliciore aliquanto cursu quàm multo cum quæstu percurrere terrarum orbem ab ineunte ætate didicerat: quanquam senex & antiqua stranguria tentatus, prospero celeriq; itinere Moscham peruenit, ubi à Basilio humaniter est susceptus. Fuit interea in eius aula menses duos, diffisusq; uiribus, & eius immensi itineris difficultate deterritus, quum Indicæ negotiationis spes omnes ac inexplicabiles cogitationes penitus abiecisset, cum

B

Demetrio legato, priusquam eum in Moschouiam peruenisse putaremus, Romam redijt. At pontifex magnificentissima Vaticanarum ædium parte, ubi laquearia aurata, lecti serici, auleaq; eximij operis uisebantur, Demetriū suscipi, & togis sericis uestiri iussit, attribuitq; ei comitem, ac rerum diuinarum pariter & urbanarum monstratorem Franciscum Cheregatum episcopum Aprutinum, longinquis sæpe ac dignissimis legationibus functum, qui ipsi Demetrio uel in Moschouia Pauli sermonib. erat notissimus. Porrò Demetrius ubi aliquot dierū quiete recreatus est, detersis elotisq; sordibus, quas longo ac laborioso itinere contraxerat, assumptoq; insigni patrio habitu ad pontificem deductus: eū de more supplex adorauit, munusq; Zebellinarum pellium suo regisq; nomine obtulit: tum uero Basilij literæ datæ: quas ipsi antea, & demum Illyricus interpres Nicolaus Siccensis in hanc sentētiam Latinis uerbis transtulerunt.

Fr. Cheregati laus

Clementi papę, pastori ac doctori Romanæ ecclesiæ, magnus dominus Basilius, dei gratia imperator ac dominator totius Russię, necnō magnus dux Volodemariæ, Moschouiæ, Nouogrodiæ, Pleschouiæ, Smoleniæ, Isseriæ, Iugoriæ, Permniæ, Vetchæ, Bolgariæ &c. dominator & magnus princeps Nouogrodiæ inferioris terræ, Cernigouiæ, Razaniæ, Volotchiæ, Rezeuiæ, Belchiæ, Rostouiæ, Iaroslauiæ, Belozeriæ, Vdoriæ, Obdoriæ, Condiniæq; &c. Misistis ad nos Paulum Centurionem ciuem Genuensem cum literis, quibus nos adhortati estis, ut uobiscum cæterisq; Christianorum principibus consilio ac uiribus cōiuncti esse uellemus, aduersus Christiani nominis hostes, ac nostris uestrisq; legatis ultro citroq; commeandi tutum ac expeditum iter pateret, ut mutuo amicitiæ officio de amborum salute & statu rerum cognosci posсit. Nos autem deo bene ac feliciter adiuuante, sicut hactenus, aduersus impios Christianæ religionis hostes impigre cōstanterq; stetimus, ita & in posterū stare decreuimus. Itemq; cum cæteris Christianis principibus consentire, & pacata itinera præstare

Basilij literæ

parati

parati ſumus. Quas ob res mittimus ad uos Demetriũ Eraſmium noſtrũ hominem cum hac noſtra epiſtola, Paulumq; centurionem remittimus. Demetrium autẽ celeriter remittetis, eumq; incolumẽ & inuiolatũ uſq; ad fines noſtros eſſe iubebitis. Idem nos quoq; præſtabimus, ſi cum Demetrio legatum ueſtrum mittetis, ut ſermone ac literis certiores de rebus adminiſtrandis reddamur, ſic ut perſpectis Chriſtianorum omnium uoluntatibus, nos etiam optima cõſilia capere ualeamus. Datum in domino noſtro in ciuitate noſtra Moſchouia, anno ab initio mundi ſeptimo milleſimo triceſimo, tertio Aprilis. Cæterum Demetrius, uti eſt humanarum rerum, & ſacrarum præſertim literarum ualde peritus, occultiora de magnis negotijs mandata habere uidetur, quæ mox eum priuatis cõgreſſibus expoſiturum ſperamus: nam à febre, in quam ex cœli mutatione inciderat, priſtinas uires, & natiuũ uultus ruborem recuperauit, ita ut pontificijs ſacris, quæ in honorem diuorum Coſmæ & Damiani ſolenni apparatu, muſicisq; concentibus confecta ſunt, ſexagenarius ſenex & cum uoluptate quidem aſtiterit, & in ſenatum uenerit, quum Campegius Cardinalis à Pannonica legatione tum primum rediens, à pontifice omnibusq; aulæ ordinibus exciperetur: quin & ſacroſancta Vrbis templa, & Romanæ magnitudinis ruinas, priſcorumq; operum deploranda cadauera mirabundus inuiſerit, ita ut credamus eum propediem explicatis mandatis, cum legato pontificio epiſcopo Scarenſe, dignisq; acceptis à pontifice muneribus in Moſchouiam eſſe rediturum. *Demetrij laus*

Moſchouitarum nomen recens eſt, quanquam de Moſchis Sarmatarum affinibus Lucanus poëta in Pharſal. meminerit, & Plinius Moſchos ad Phaſidis fontes ſupra Euxinum ad orientem conſtituat. Eorum regio latiſſimos habet fines, & ab aris Alexandri magni circa Tanais fontes ad extrema terrarum. Borealemq; oceanum ſub ipſis fere ſeptentrionibus extenditur, campeſtris magna ex parte, & pabuli quidem ferax, ſed æſtate pluribus in locis
B admodum paluſtris: nam ea omnis terra magnis frequentibusq; amnibus irrigatur, qui ubi niuibus hybernis multo ſolis uapore colliquatis, & reſoluta ubiq; glacie contumeſcunt, campi paſſim in paludes abeunt, cunctaq; itinera continentibus aquis & cœnoſa illuuiæ defœdantur, donec nouæ hyemis beneficio reſtagnantia flumina, ipſæq; paludes iterum cogantur, & uias ſoli diſſimo conſtratas gelu, uel tranſituris curribus præbeant. Hercynia ſylua quotam Moſchouiæ partem occupat, ipſaq; paſſim poſitis ubiq; ædificijs incolitur, iamq; longo labore hominum rarior facta, non eam ſicuti plerig; exiſtimant, horridam denſiſſimorum nemorum impenetrabiliumq; ſaltuum faciem oſtendit. Cęterum ea immanibus feris pleniſſima per Moſchouiam perpetuo tractu inter ortũ ſolis & Boreã ad Scythicum oceanum excurrere traditur ita ut ſpes hominum eius finem curioſe ſcrutantium, infinita magnitudine ſua ſemper eluſerit. Ea in parte quæ uergit ad Pruſſiam uri ingentes & ferociſſimi taurorum ſpecie reperiuntur, quos biſontes uocant, itemq; alces ceruina effigie, & cum carnea proboſcide altisq; cruribus, & nullo ſuffraginum flexu, lozzi à Moſchouitis, à Germanis uero helenes appellati, quæ animalia C. Cæſari nota fuiſſe uidemus. Præterea urſi inuſitatæ magnitudinis, & prægrandes lupi atro colore formidabiles. Ab ortu Moſchouia finitimos habet Schythas, qui Tartari hodie nũcupantur, gentem uagam & bello omnibus ſeculis, illuſtrem. Tartaris pro domibus ſunt carri cẽtonibus corijsq; contecti: ab quo uitæ genere Hamazobios antiquitas eos appellauit. Pro urbibus uero ac oppidis immenſa caſtra, non foſſis aut materiæ clauſtris, ſed infinita ſagittariorum equitum multitudine uallata. Diuiduntur Tartari per hordas: ea eſt eorum lingua conſentientis in unum populi congregatio, ad effigiem ciuitatis. Hordis ſinguli præſunt imperatores, quos genus aut bellica uirtus dedit: ſæpe enim cum finitimis bella gerunt, ac ambitioſe admodum & atrociter de imperio decertãt. Hordarum infinitum prope numerum eſſe conſtat: quippe Tartari ad Cathaium uſque celeberrimam

Hercinia ſylua

Horda quid

in extremo ad orientem oceano ciuitatem: latissimas solitudines tenent. Porro qui proximi sunt Moschouitis, mercaturæ cõmercio, & frequẽtibus eorũ irruptionibus sunt noti. In Europa ad Dromon Achillis Taurica in Chersoneso sunt Præcopitæ, quorum principis filiam Selymus Turcarum imperator uxorem duxit. Ii Polonis maxime sunt infesti, lateq; inter Borysthenem & Tanaim cuncta populantur, & cum Turcis sicuti religione, ita & cæteris in rebus mirifice consentiunt, qui in eadem Taurica Caffam Ligurum coloniam obtinent, Theodosiam antiquitus appellatam. Ii uero Tartari, qui inter Tanaim & Volgam amnem in Asia latos campos inhabitant, Basilio Moschouitarum regi parent, & imperatorem aliquando eius iudicio deligunt. Inter eos Cremij intestinis seditionibus laborantes, quum antea opibus & belli gloria maxime ualuissent, paucis ante annis uires simul ac omnem dignitatem amiserũt. Trans Volgam Casanij Moschouitarum amicitiam religiose colunt, ac eorum se clientes esse profitentur. Vltra Casanios ad Boream sunt Sciaban multitudine armentorum ac hominum potentes. Post

Nogai eos sunt Nogai qui summam hodie opum & bellicæ laudis obtinent autoritatem. Eorum horda quam amplissima nullum habet imperatorem, sed reipublicæ Venetæ more multa seniorum prudentia, strenuorumq; uirtute gubernatur. Vltra Nogaios haud magno ad meridiem deflexu uersus Hyrca-

Zagathai num mare, Zagathai Tartarorum nobilissimi opppida lapide constructa in

Sarmacanda colunt, regiamq; habent Sarmacandam urbem eximię magnitudinis & claritatis, quam Iaxartes maximus Sogdianæ amnis interfluit, atq; inde ad centum milliaria in mare Caspium effunditur. Cum ijs populis ætate nostra Hysmaël Sophus rex Persarum dubio sæpe euentu bella gessit, timoreq; eorum adductus, dum uires omnes imminentibus opponuntur, Selymo una acie uictori Armeniam Taurisiumq; regni caput prędę reliquit. Sarmacanda urbe ortus est Tamburlanes, siue ut Demetrius dicẽdum monet, Themircuthlu, B qui Baiazetem Ottomanum, huius Solymani tritauum, apud Ancyram Galatiæ urbem ingenti prælio superatum cepit, & per omnem Asiam ab se terribili maximi exercitus impetu deuictã, ferrea inclusum cauea in triumphi põpa circumduxit. Ab hac regione ad Moschouitas plurima uestis serica adducitur. Cæterum mediterranei Tartari nihil præter equorum pernicium greges, & nobiles nulla filorum textura, sed coactis ex lanis candidos centones præbent, è quibus Feltriæ uestes penulæ ad perferendam omnem imbrium iniuriam idoneæ atq; pulcherrimæ conficiuntur. À moschouitis autem laneas tunicas & argenteam monetam petunt, quum ab ijs omnis corporis cultus superfluęq; supellectilis apparatus cõtemnatur: solo etenim centone ad irati cœli contumeliam fortiter sustinendam contenti sunt, & solis confisi sagittis hostem arcent: quanquam dum in Europam excurrẽdum esse decreuissent, principes eorum ferreas galeas & loricas gladiosq; falcatos à Persis nostra tempestate coëmerint. À meridie Moschouitarum fines ijsdem ab Tartaris clauduntur, qui suprà Mæotim paludem in Asia, & circa fluuios Borysthenem & Tanaim in parte Europæ planiciem ad Hercyniam uergentem tenent. Roxolani, Getæ & Bastarnæ, antiquitus eam plagam in-

Roxolani coluere, unde Russiæ nomen effluxisse crediderim: nam Lithuaniæ partem

Russiæ Russiam appellant inferiorem, quum ipsa Moschouia Russia alba nuncupetur. Lithuania itaque ab Cori uenti flatibus Moschouiam spectat: ab occasu uero mediterranea Prussiæ atque Liuoniæ ipsis Moschouiæ finibus inseruntur, ubi mare Sarmaticum ab Cimbricæ Chersonesi angustijs irrumpens, lunato situ ad Aquilonem inflectitur. In extremo uero eius oceani litore, ubi Norbegia atq; Suetia amplissima regna, Isthmo ueluti quõdam continenti adhærent, Lapones existunt, gens supra quàm credibile sit agrestis, suspiciosa, & ad omne externi hominis uestigium, nauigijq; conspectum maxime fugax. Ea neque fruges, neque poma, neq; ullam omnino uel terræ uel cœli benignitatem nouit: sola sagittandi peritia cibum parat, uarijsq; ferarum ter-

goribus

A goribus uestitur: gentis cubilia, cauernulę siccatis repletæ folijs, cauiq; arborum stipites, quos uel intromissa flamma, uel ipsa uetustas inducta carie fabricarit. Atqui ad mare, ubi ingens est captura piscium, ineptis sed felicibus artificijs piscantur, duratosq; fumo pisces tanquam suas fruges recondunt. Laponibus exigua corporum statura, luridi contusiq; uultus, pedes uero uelocissimi. Ingenia eorum ne ipsi quidem proximi Moschouitæ nouerunt, quum eos parua manu aggredi, exitialis insaniæ esse dicant: magis uero copijs inopem rerum omnium uitam ducentes lacessisse, neq; utile, neq; omnino gloriosum unquam existimarint. Ii cādidissimas pelles, quas Armelianas uocamus, cum uarij generis mercimonijs permutant, sic tamen ut omne mercatorum colloquium conspectumq; defugiant, adeo ut mutua rerum uenalium collatione facta, & reliquis medio in loco pellibus cum absentibus & ignotis syncerissima fide permutationes transigantur.

Pygmæorum statura

Vltra Lapones in regione inter Corum & Aquilonem perpetua oppressa caligine, Pygmæos reperiri, aliqui eximiæ fidei testes retulerunt, qui postquam ad summum adoleuerint, nostratis pueri denum annorum mensuram uix excedāt: meticulosum genus hominum, & garritu sermonem exprimens, adeo ut tam simiæ propinqui, quàm statura ac sensibus ab iustæ proceritatis homine remoti uideantur. Ab Aquilone uero innumerabiles populi Moschouitarum imperio parent, qui ad oceanum Scythicum itinere trium ferè mensium extenduntur. Proxima Moschouiæ regio est Colmogora, frugibus abundans, quam interluit Diuidna, fluuiorum totius septentrionis longe amplissimus, qui alteri fluuio minori in mare Baltheum erumpenti, nomen dedit.

Diuidna fluuius ingens

Is statis & Niloticis similibus incrementis, nec incertis anni temporibus circumiectos inundat campos, pinguiq; aluuie algentis cœli iniurijs, sæuisq; Aquilonis flatibus mirifice resistit, quum niuibus imbribusq; auctus inflaB tur, adeo lato alueo in oceanum per incognitas gentes in speciem ingentis pelagi defertur, ut expedito nauigio unius diei remigatione transire neque at: ubi uero aquæ mox resederunt, uastæ passim insulæ fertilitate nobiles relinquuntur. Frumentū nāq; terræ traditū nullo aratri beneficio prouenit, ad mirabiliq; celeritate naturæ festinātis, ac nouam superbi amnis iniuriam timentis, oritur simul & adolescit, atque in aristas deducitur. In Diuidnam influit Iuga amnis, in ipsoq; confluentium angulo celebre est emporium, nomine Vstiuga, à Moscha regia urbe, sexcentis milliaribus distans. In Vstiugam à Permijs, Pecerris, Inugris, Vgulicis, Pinuagisq; ulterioribus populis pretiosæ pelles Martarum Zebellinorumq;, Luporum, Ceruariorum, & nigrarum albarumq; uulpium comportantur, & ab ijs uario mercimonij genere permutantur,

Zebellinæ pelles præstantiores

Zebellinos uero lenium pilorum tenui canicie probatissimos, quibus nunc principum uestis fulcitur, & delicata matronarum colla, expressa uiuæ animantis effigie conteguntur, Permij & Pecerri prębent, sed quos ipsi ab remotioribus etiam gentibus, quę ad oceanum pertinēt, per manus traditos accipiant. Permij & Pecerri paulo ante ætatem nostram more gentilium idolis sacrificabant, nunc uero Christum colunt. Ad Inugros, Vgolicosq; per asperos mōtes peruenitur, qui fortasse Hyperborei antiquitus fuerūt. In eorum iugis nobilissimi falcones capiuntur: ex ijs genus unum est candidum guttatis pennis, quod herodium dicunt. Sunt & hierofalchi ardearū hostes & sacri & peregrini, quos antiquorū principum luxus in aucupijs non agnouit. Vltra eos quos modo nominaui populos, Moschouitis regibus tributa pendentes, aliæ sunt nationes extremæ hominum, nulla certa Moscouitarum peregrinatione cognitæ, quando nemo ad oceanum peruenerit, sed fama tantum, ac ipsis plerunq; fabulosis mercatorum narrationibus auditę, satis tamen constat, Diuidnam innumerabiles trahentem amnes ingenti cursu ad Aquilonem deferri, mareq; ibi esse longe uastissimū, ita ut illinc ad Cathayum legēdo orā dextri litoris, nisi terra intersit, manibus perueniri posse certissima coniectura credendum sit. Pertinent enim Cathayni

A ad extremam orientis plagam ad Thraciæ fermè parallelum, Lusitanis in India cogniti, quum proxime ad coëmenda aromata per regionem Sinarum Melacham usq; ad auream Chersonesum nauigarint, uestesq; ex Zebellinis pellibus attulerint: quo uel uno argumento non longe ab Scythicis litoribus Cathaium urbem abesse putamus. Cæterum quum à Demetrio quæreremus, an apud ipsos ulla de Gothis populis uel fama per manus à maioribus tradita, uel ex ipsis literarum monumentis memoria superesset, qui ante mille annos & Cæsarum imperium & urbem Romam omnibus iniurijs deformatum euertissent, respondebat, & Gothicæ gentis, & Totilæ regis nomen clarum esse atq; illustre, in eamq; expeditionem coiuisse plures populos & ante alios Moschouitas, creuisseq; eum exercitum ex colluuie Liuoniorum & Circumuolganorum Tartarorum, sed propterea omnes Gothos fuisse appellatos, quoniam Gothi qui insulam Islandiam siue Scandauiã incolerent, autores eius expeditionis extitissent. Iis maxime finibus Moschouitæ ex omni parte claudũtur, quos Modocas Ptolemęo fuisse credimus, hodie aũt à Moscho amne haud dubie sic dicti, qui & regiæ urbi, quam interfluit, suũ quoq; nomen indiderit. Ea est omnium Moschouiæ urbium longe clarissima, tum situ suo, qui regionis medius esse existimatur, tum insigni fluminum opportunitate, domorumq; frequentia, & munitissimæ arcis celebritate. Oblõgo etenim ædificiorũ tractatu, secundum Moschi fluminis ripã ad spatium quinq; milliarium extenditur, domus in uniuersum sunt ligneę distinctæ in triclinia, coquinas & cubilia, capacitate amplæ, nec structuris enormes, aut nimiũ depressæ: trabes enim ingentis magnitudinis ab Hercynia sylua supportantur, quibus ad rubricæ lineam delibratis, & contrario ordine inter se ad rectos angulos coniunctis & consibulatis, exteriora domorũ septa singulari firmitate, nec multa impensa, & summa celeritate constituuntur. Domus fermè omnes & ad usum olerum, & ad uoluptatẽ priuatos habent hortos, unde raræ urbis circuitus longe maximus apparet. Singulæ

B regiones singula habent sacella, sed conspicuo in loco templum est Deiparę uirgini dicatum celebri structura atq; amplitudine, quod Aristoteles Bononiensis mirabilium rerum artifex & machinator insignis, ante sexaginta annos extruxit. Ad ipsum urbis caput Neglina fluuiolus, qui frumentarias agit molas, Moschum amnẽ ingreditur, peninsulamq; efficit, in cuius extremitate arx ipsa cũ turribus ac propugnaculis admirabili pulchritudine Italorum architectorũ ingenio constructa est. In subiectis urbi cãpis capreolorũ & leporũ incredibilis multitudo reperitur, quos nemini plagis & canibus sectari licet, nisi princeps id ad uoluptatem intimis familiaribus uel peregrinis legatis indulserit. Tres fermè urbis partes duobus alluuntur fluminibus, reliqua uero latissima fossa, atq; ea multa aqua ex ipsis amnibus corriuata, pręcingitur. Vrbs etiã ab aduerso latere alio flumine, quod Lausa dicitur, munita est, id pariter in Moschum paulo infra urbẽ euoluitur. Porrò Moschus ad meridiem excurrens in Ochã amnem multo maiorem apud oppidũ Columnã sese effundit, nec magno inde itineris spatio Ocha ipse & suis & alienis undis magnus & tumens exoneratur in Volgã, ubi ad cõfluentes situm est oppidũ Nouogrodia minor, de nomine maioris urbis, ex qua deducta est ea colonia, nuncupatũ. Oritur Volga, qui antiquitus Rha fuit, è magnis uastisq; paludibus, qui candidi lacus appellãtur. Sunt eę supra Moschã inter Aquilonem & Corum, emittuntq; cunctos fermè amnes, qui diuersas in regiones diffundũtur, uti de Alpibus uidemus, è quorũ iugis ac fontibus Rhenum, Padum ac Rhodanum, innumerabilesq; minores fluuios manare compertum est. Siquidem eæ paludes pro montibus perenni scaturigine humorem affatim præbent, quũ nulli omnino mõtes ea in regione multa etiã hominum peregrinatione reperiantur, ita ut Ryphęos mõtes & Hyperboreos, toties ab antiquis celebratos, pleriq; cosmagraphiæ ueteris studiosi penitus fabulosos esse arbitrentur. Ex ijs itaq; paludibus Diuidna, Ocha, Moschus,

Cathaium. Gothi. Moschus amnis. Moscha. Aristoteles architectus. Ocha flu. Rha qui & Volga flu.

ſchus, Volga, Tanais atq; Boryſthenes oriuntur. Volgam Tartari Edilum, Tanaim uero Don appellant, ipſe Boryſthenes Neper hodie nuncupatur. Hic paulo infra Tauricam in pontũ Euxinũ decurrit. Tanais autẽ à Mæoti palude, ubi Azoum eſt nobile emporium, excipitur. Volga uero ad meridiem Moſcham urbẽ relinquens, uaſto circuitu ingentibusq; mæandris primo ad orientem, mox in occaſum, ac demum ad Auſtrum magna aquarum mole præcipitatus in Hyrcanũ mare deuoluitur. Supra eius oſtium urbs eſt Tartarorum nomine Cytracham, ubi à Medis, Armenisq; & Perſis mercatoribus nundinæ celebrantur. In ulteriore Volgæ ripa Tartarorũ oppidum eſt Caſanum, à quo Caſaniorum horda nomen ducit, diſtat à Volgæ oſtio Caſpioq; mari quingentis millibus paſſuum. Supra Caſanum autem centeſimo & quinquageſimo milliari ad ingreſſum amnis Suræ, Baſilius qui nũc regnat, Surcicum oppidum condidit, ut in ea ſolitudine mercatoribus ac uiatoribus, qui de rebus Tartaricis ac eius inquietæ gentis moribus proximos finium præfectos certiores reddunt, certa & tuta manſio cum tabernis hoſpitalibus ſtatueretur. Moſchouitarũ Imperatores uarijs temporibus, uti ex uſu præſentiũ rerũ fuit uel libido, noua ac obſcura loca nobilitandi longius pertraxit, apud diuerſas urbes imperij atque aulæ ſedem habuere: ſiquidem Nouogrodia quæ taurum & Solem, & fere Occidentem ſpectat uerſus Liuonium mare non multis ante annis totius Moſchouiæ caput fuit, ſummãq; ſemper obtinuit dignitatem, propter incredibilem ædificiorum numerum, latiſſimiq; & piſcoſi lacus opportunitatẽ & uetuſtiſſimi ac uenerabilis templi famam, quod ante quadringentos annos Byzantiorum Cæſarum æmulatione, ſanctæ Sophiæ dei filio Chriſto dicatum fuit. Nouogrodia perpetua quaſi hyeme & tenebris longiſſimarum noctium premitur: nam polum arcticũ ab horizonte ſexaginta quatuor gradus eleuatum uidet, ſex fere gradibus ipſa Moſcha ab ęquatore remotior, qua cœli ratione ſolſtitij tempore propter exiguas noctes, continuatis fere ſolis ardoribus ęſtuare perhibetur, Vrbs quoque Volodemaria regiæ nomen adepta eſt, quæ ad ortum ſolis ducentis amplius milliaribus à Moſcha diſtat, eoq; ſedem imperij ab ſtrenuis Imperatoribus neceſſaria ratione translatum ferunt, ut ex propinquo, quum tum bella continenter cum finitimis gererentur, paratiora pręſidia aduerſus Scytharum irruptiones opponerent: eſt enim citra Volgam in ripis Cleſmę amnis ſita, qui in Volgam euoluitur. Cæterum Moſcha, uel ob eas, quas diximus dotes, regiæ nomine digniſſima iudicatur, quoniam medio quodã totius frequentioris regionis ac imperij loco ſapientiſſime conſtituta, munitaq; arce & fluminibus, conſenſu omnium, præcellentiæ meritam laudem honoremq; nulla ætate defuturum ſibi uendicaſſe cæterarum urbium collatione uideatur. Diſtat Moſcha ab urbe Nouogrodia quingentis millibus paſſuum, medioq; ferme itinere Ottoferia Volgę amni impoſita occurrit. Is amnis ut fonti proximus, nondum receptis tot amnibus exiguus leniſq; permeat. Inde per nemora & cãpeſtres ſolitudines Nouogrodiam peruenitur. Porrò à Nouogrodia ad Rigam proximum Sarmatici litoris portum paulo minus quingentorum milliarium iter eſt, isq; tractus ſuperiore commodior putatur, quum frequentes habeat uicos, urbemq; Pleſchouiam uiæ impoſitam, quam duo amnes complectuntur. Ab Riga autem quæ magni magiſtri militiæ Liuoniorum ditionis eſt, ad Lubeccam Germaniæ portum in ſinu Cimbricæ Cherſoneſi milliaria paulo plus mille periculoſæ nauigationis numerantur. Ab urbe Roma uero Moſcham duobus millibus & ſexcentis milliaribus diſtare compertum eſt, breuiſſimo, ſcilicet, itinere euntibus per Rauennam, Taruiſium, Carnicas alpes, Villacumq; Noricum, & Viennam Pannonicam: atq; inde ſuperato Danubio, per Olmuttum Morauorum uſque ad Cracouiam Poloniæ regiam, mille & centum milliaria exiſtunt. Ab ipſa uero Cracouia ad Vilnam Lithuaniæ caput quingenta: & totidem ab ea urbe ad Smolenchum ultra Boryſthenem ſitum: & à Smolencho ad Moſcham

Citrachã emporium

Nouogrodiæ laus

Volodemaria urbs

Opportunitas & nobilitas Moſchæ urbis

Vilna Lithuaniæ caput

A scham sexcenta computantur. Verum id iter quod est à Vilna per Smolenchum ad Moscham, hyeme per niues longo concretas gelu, lubricamq; sed multo attritu solidatam glaciem expeditis in curribus incredibili celeritate conficitur. Aestate uero nisi difficili laboriosoq; itinere campestria superari nequeunt: nam ubi niues perpetuis solibus dissolui eleuariq; cœperint, in paludes cœnosasq; uoragines abeunt, uiris pariter & equis inextricabiles, nisi ligneis pontibus infinito propè labore consternātur. Terra Moschouia in uniuersum neque uitem, neq; oleam, neque paulo suauioris pomi frugiferam arborē prĕter melopepones & cerasa producit, quum teneriora quæque gelidissimis Boreæ flatibus exurantur: campi tamen tritici, siliginis, milij, paniciq;, & omnis generis leguminum segetes ferūt, sed certissima messis in cera & melle consistit. Regio enim tota fœcundissimis apibus plena est: quæ non in manufactis agrestium aluearibus, sed in ipsis arborum cauis probatissima mella conficiūt. Hinc per syluas opacissimos saltus, frequētia ac nobilia apum examina ramis arborum pendentia uidere est, quæ nullo æris crepitu colligere sit necesse. Reperiuntur sępe fauorū ingentes massę arboribus cōditæ, ueteraq; mella deserta ab apibus, quum singulas arbores in uastis nemoribus rari agrestes minime perscrutentur, ita ut in admirandę crassitudinis arborum stipitibus, permagnos mellis lacus aliquando reperiant. Retulit & cum multo omnium risu Demetrius legatus, ut est ingenio comi & faceto, proximis annis uicinæ suæ agricolam, quærendi mellis causa in prægrandem cauam arborem supernè desilijsse, eumq; profundo mellis gurgite pectore tenus fuisse haustum, ac biduo uitam solo melle sustinuisse: quum uox opem implorantis in ea syluarū solitudine, ad uiatorū aures penetrare nequiuisset, ad extremum uero desperata salute mirabili casu, ingentis ursæ beneficio inde extractum euasisse, quū forte eius beluæ ad edenda mella more humano, se demittentis auersos renes manibus comprehendisset, & B eam subito timore exterritam ad exiliendum tum tractatu ipso, tum multo clamore concitasset. Nobile quoque linum, & canabum in restes, multaq; item boum tergora & massas ceræ ingentes, Moschouitæ in omnem Europæ partem mittunt. Nulla auri argenti'ue uel ignobilioris mittalli, ferro excepto, apud eos uena, sectura'ue reperitur, nullumq; est tota regione, uel gēmarum, uel pretiosi lapilli uestigium. Ea omnia ab externis populis petunt: naturæ tamen iniuria, quæ tot bona prorsus inuiderit, uno pellium nobilissimarū mercimonio resarcitur, quarum pretium incredibili hominum cupiditate & luxu adeo creuit, ut in singulas uestes suffulturę millenis aureis nūmis ueneant. Fuit autem tempus quo hæc uilius emebantur, quum remotissime Septentrionis nationes politioris cultus, nostræq; adeo anhelātis luxuriæ penitus ignaræ, summa simplicitate, eas uilibus ac ridiculis sæpe rebus permutarent, ita ut uulgo Permij atq; Pecerri, tantum pellium zebellinarum pro ferrea securi rependerent, quantum earum simul connexarum ipso securis foramine, quo manubrium inducitur, Moschouię mercatores extrahere poterāt. Ante quingentos annos Moschouitæ gentilium deos coluēre, Iouē scilicet, Martem & Saturnum, & plerosq; alios quos sibi insano errore hominibus ex industrijs, aut regibus antiquitas finxit. Tunc uero primum Christianis sacris initiati, quum Græci antistites haud satis cōstantibus ingenijs, à Latinorum ecclesia dissentire cœperunt, factumq; est, ut Moschouitæ eos religionis ritus quos à Gręcis doctoribus accepissent, ijsdem sensibus, & syncerissima quidem fide sequerentur. Spiritum enim sanctū tertiam in diuina trinitate personam, à patre deo solum produci persuasum habent, quum rectissima ueritate à patre simul Christoq; filio proficisci credendū sit. Verum ea controuersia apud conuentum Florentinum, præsidente Eugenio quarto pontifice, magna partium contentione agitata, eum exitum habuit, ut pertinacia Græcorum in sermone potius quàm in sensu castigāda uideretur, quū Græci antistites euidentissimis conuicti rationibus, spiritum sanctum à patre per

Itinera difficilia

Mella nobilia

Casus facete relatus

Vrsæ miraculum

Metallo caret Moschouia

Simplicitas mercatorum

Moschouitæ olim gentiles

Dogmata Moschouitarum in religione

A tre per filium produci faterentur. ſacramentum quoque non ex azymo, uti
iure debemus, ſed ex fermentato pane conficiũt, idq; ſub utraq; ſpecie, ſicuti
ſoli apud nos ſacerdotes, panis, ſcilicet, diuiniq; ſanguinis, ab eorum presby
teris uniuerſo populo communicatur: quo maxime errore imbuti Bohemi,
paulo ante patrum noſtrorum memoriam à Latinorum eccleſia deſciuerũt.
Cæterum quod ualde alienũ à Chriſtiana religione eſſe uidemus, nullis ſa/
cerdotum ſuffragijs, nullaq; propinquorũ aut amicorum pietate iuuari mor/
tuorum manes arbitrantur, fabuloſumq; eſſe purgatorij locum putant, è quo
tandem piorum animæ, quum diuturna ignis pœna, tum multis parentatio
nibus, indulgentiaq; ſummorum ponficum expiatæ, immortalium felicita/
tem beata in cœli ſede conſequantur. Cæteris in rebus eaſdem ferè cærimo=
nias tenent, quæ à Græcis uſurpatæ ſunt, Romanamq; eccleſiam cæterarum
omnium principatũ obtinere, ſuperbè & pertinaciter negãt, ſed ante alia, Iu
dæorum genus, uel memoria quidem horrent, nec eos intra fines admittunt
ueluti peſſimos, atq; maleficos homines, qui etiam nouiſſime Turcas ænea
tormenta conflare docuerint. Chriſti uitæ miraculorumq; omnium hiſtoria
ab Euãgeliſti s quatuor conſcripta, itemq; Pauli epiſtolæ, dum ſacra fiunt, è
ſuggeſtu clariore uoce recitantur. probateq; uitæ ſacerdotes homilias eccle=
ſię doctorum publicè legunt, etiam ijs horis quibus ſacra minime conficiun
tur, non enim oratores cucullatos qui aduocato populo cõcionari, & ambi/
tioſe nimis atq; ſubtiliter de diuinis diſſerere ſoliti ſunt, admittere fas putãt,
quoniã rudes imperitorum animos ſimplici potius doctrina, quàm altiſſimis
arcanorum interpretationibus ad ſanctiorem morum frugem euadere, uiri
ſolidæ religionis arbitrantur. Hos quos modo diximus, ſacros libros, itemq;
noui ac ueteris Inſtrumẽti enarratores, præterea Ambroſium, Auguſtinum,
Hieronymum atq; Gregorium in linguam Illyricam traductos habent, reli=
B gioſeq; cuſtodiunt, Antiſtites, principesq; minorum ſacerdotum ſingulis ur
bibus, pagisq; præfecti ſacra curant, controuerſias dirimunt, & moribus de
prauatos ſumma quadam uindicandi poteſtate perſequuntur. Regem ſacro
rum quem ipſi metropolitam uocant, à Conſtantinopolim patriarcha petũt.
Archimandritæ autem & epiſcopi, coniectis in urnam meliorum nomini/
bus, ſorte ducuntur. Eorum uero hominum qui humanis cupiditatibus ul/
tro renuntiarunt, diuinarumq; rerum contemplationi & ſacrorum miniſte/
rio ſeſe dedicarunt, duplex eſt genus: utrunq; cœnobia incolit: ſed alterum
eſt uagum & paulo ſolutioris uitæ, ſicuti apud nos diuorum Franciſci atque
Dominici ſectam profitentes: alterũ conſtat ex ſanctioribus monachis, quo/
rum ordinem diuus Baſilius inſtituit, ijs ne limine quidem uel in ſuprema
uitæ neceſſitate, pedem efferre fas eſt. Procul enim ab oculis prophanorum
ſingulari duritie uitam in occultioribus adytis degunt, ſummamq; ſubactæ
carnis & confirmati in religione animi opinionem præbent. Vniuerſus po/
pulus quater in anno & pluribus ſepe diebus, ieiunare cõſueuit, abſtinetq;
ab eſu carnium, ouorum, & lactis. In uere primum, more Latino poſt diẽ ci=
nerum: mox adulta æſtate in honorem diuorum Petri & Pauli, & initio au
tumni demum, quum aſſumptæ in cœlum Mariæ uirginis memoriam cele/
bramus: poſtremo ſub ipſam hyemem, quum aduentus domini pronuntia-
tur. Per hebdomadam uero, diem Mercurij ſine carnibus, diem autem Vene
neris ſine ouis lacteq; traducunt, ſed Saturni dies menſa omnibus obſonijs
opipare referta hilariter excolitur. Cæterum ſecus ac nos ſolemus, nullas fe
ſtorum dierum uigilias obſeruant. Religioſiſſimè templa uenerantur, adeo
ut ea neq; uiros neq; fœminas uenereis pollutos complexibus intrare fas ſit,
niſi prius priuatis balneis abluantur. Sæpeq; accidit, ut complures utriuſque
ſexus ſacra audiẽtes extra limen conſiſtãt, & propterea à petulcis iuuenibus
recentis incontinẽtię notati, facetis aliquando nutibus ſalutentur. In ipſo na
tali die Ioannis baptiſtę, & in paſchate, trium magorum, presbyteri ſacratos
panes paruos toti populi largiuntur, quorum eſu febribus conflictatos alle/
nari

Purgatorium nõ admittunt

Euangelia.

Pauli epiſtolæ

Homeliæ doctorum

Concionatores non admittunt

Libri ſacri tranſlati

Metropolita

Archimandritæ

Epiſcopi

Sanctioris uitæ profeſſores

Ieiunia gentis quatuor

Mercurij dies ſine carnibus

Veneris ſine ouis & lacte

Saturni dies genialis

Sacra apud flumina

uari existimant. Alia quoq; sacra, certo anni tempore apud flumina gelu concreta celebrantur. In ripa tabernaculum constituũt, & aduocata nobilitate, hymnos numeroso concentu pronuntiant, sacræq; lymphæ multa aspergine profluentem purificant, & solenni cærimonia stratum & cõsecratum circuncisa & reuulsa glacie protinus aperiunt. His rebus rite cõfectis, si qui adsunt languentes uel morbosi, in flumen desiliunt, & sacris aquis abluuntur, quum ob id elui morborum sordes persuasum habeant. A

Funera

Defuncti uti apud nos, mediocri funeris pompa comitantibus presbyteris efferuntur, capite mappa uelato. Cæterum non in templis, uti apud nos impia propè, uel abominabili certe corruptela usurpatum est, sed in septis ac exterioribus templorum uestibulis sepulturæ traduntur:

Sepulturæ

ijs quoq; more nostro quadragenis diebus parentãt: quod certe mirum uidetur, quum in purgatorio loco expiari animas & criminum pœnam ullis amicorum supplicijs, ulloq; pietatis officio mitigari penitus negent. In cæteris eadem quæ à nobis de religione sentiuntur, constantissime credunt.

Illyrica lingua omnium latissima

Moschouitæ Illyrica lingua, Illyricisq; literis utuntur, sicuti & Sclaui, Dalmatæ, Bohemi, Poloni, & Lithuani. Ea lingua omnium longè latissima esse perhibetur, nam Constantinopoli Ottomanorum in aula familiaris est, & nuper in Aegypto apud Memphiticum Sultanum & equites Mamaluchos haud ingratis auribus audiebatur. In hanc linguam ingens multitudo sacrorum librorum, industria maximè diui Hieronymi & Cyrilli translata est.

Historias callent

Præter quoq; patrios annales, Alexandri etiam Magni, Romanorumq; Cæsarum, itemq; M. Antonij & Cleopatræ memoriam ijsdẽ literis commendatam tenent. Philosophiam uero & syderalem scientiam, cęterasq; disciplinas, & rationalem medicinam nunquam attigère, ijq; pro medicis se gerũt, qui alicuius paulo ignotioris herbę uires, se pluries obseruasse profitentur. Anni apud eos non à natali Christi, sed ab ipso mundi initio numerantur, qui non à mense Ianuario, sed à Septembri incipiunt.

Leges simplices

Leges toto regno habent simplices, summa principum & iustissimorum hominum ęquitate conditas, & propterea populis ualde salutares, quoniam eas ullis causidicorũ cauillationibus interpretari atq; peruertere non licet. B

Supplicia

De furibus, sicarijs & latronibus supplicium sumunt: quum de maleficijs quæstionem habent, reos multa gelida aqua superne demissa profundunt, quod intolerandum tormenti genus esse perhibent. Nonnunquam obduratis & contumacibus, ut confessio criminis exprimatur, ligneis cuneolis digitorum ungues conuelluntur.

Exercitatio gentis

Iuuentus omnis uarijs ludis, sed militiæ proximis, sese exercet: in stadio cursu cõtendit, in palęstra colluctatur, pernicitati equorum studet, omnibusq; præmia, & præsertim sagittariorum peritissimis præponuntur. In uniuersum Moschouitæ statura sunt mediocri, sed quadrata & ualde torosa, cæsij omnibus oculi, prolixæ barbæ, crura breuia, & uentres extenti:

Victus qualis

equitant contractis admodum cauribus, & peritissime uel auersi & fugientes sagittas emittunt: domi opipare potius quàm laute uiuũt, nãq; omniũ fermè cibariorum quæ uel à luxuriosissimis desiderari possunt, mensæ eorũ & paruo quidem pretio passim instruuntur. Gallinæ siquidem, & anates singulis sæpe argenteolis tenuibus nummis ueneũt: maioris minorisq; pecoris incredibilis est copia,

Mira de carnibus asseruatis

& occisæ media hyeme iuuencæ, cõcretis gelu carnib. duorum ferè mensiũ spatio non putrescunt. Venatione & aucupio uti apud nos, nobiliora obsonia parantur, nam uenaticis canibus & plagis omnis generis feras capiunt, & asturibus atq; falconibus, quos mirificos regio Pecerra præbet, non modo phasianos, & anates, sed cygnos & grues consectantur. Astures ex genere infimo aquilarum uel miluorum, falcones uero accipitrum nobile genus antiquis fuisse putamus.

Tetrao auis lingua Moschouitica, Plinio Erythratao.

Capitur quoq;, auis supra nigra, puniceis superciljs, magnitudine anseris, quæ pulparum sapore phasianorũ superat dignitatẽ, Moschouita lingua Tetrao nuncupata, quæ Plinio Erythratao uocat̃, Alpinis populis cognita, & maxime Rhetis, qui saltus ad Abduę amnis fontes incolunt. Ingentes etiã sapidissimosq; pisces, & ante alios sturiones,

A riones, quos Siluros antiquitus fuisse putamus, Volga præbet, & hi quidem hyeme multa inclusi glacie, recentes pluribus diebus asseruantur. Aliorum uero piscium multitudinem ferme incredibilem, ex cādidis, quos diximus, lacubus expiscantur. Vino natiuo quū penitus careant, aduectitio uti solēt, *Vino carent* sed in festis conuiuijs tātum, & sacrificijs. Ante alia Creticū subdulce, maximo in honore habetur, sed in usum medicinæ tantū, uel principalis luxuriæ ostentationē: quum miraculi loco sit, eductum Creta per Gaditanas fauces, & tantis conclusi maris oceaniq; fluctibus agitatum, incorrupta suauitatis *Medonem,* ac odoris dignitate, inter Scythicas niues ebibisse. Populus uero medonem *birram et cer* bibit ex melle lupulisq; decoctum, quod picatis in cadis ueterascit, & ex an- *uisiam bibunt* tiquitate nobilitatem adsequitur. In usu quoq; sunt birra atq; ceruisia, sicuti apud Germanos Polonosq; uidemus, quæ ex tritico zeaq;, uel ordeo decoctis, omni conuiuio circumferuntur. Hanc quadam cognata cum uino potestate, largius compotantibus ebrietatem inducere adfirmant. Medonem ac birram per æstatem infrigidare infusa poculis glacie, uoluptatis gratia solēt: nam ingentia glaciei frusta nobilium in cellis subterraneis singulari studio reconduntur. Sunt & qui in delicijs habeant succum ex subausteris cerasis *Succus ex* expressum, qui perspicui & purpurissantis uini colorem, & saporem iucun- *cerasis* dissimum refert. Vxores & fœminas non in eo honore sunt apud eos uti apud cæteras gentes, nam prope ancillarum loco habentur. Viri insignes ea *Pudicitiam* rum uestigia mirum in modum obseruant, & pudicitię diligentissime cauēt: *fœminarum* nō enim adhibentur conuiuijs, neq; sacrorum causa remotiora templa pete- *obseruarunt.* re, aut temere in publicum egredi permituntur. Cæterum uel ab externis hominibus, & exiguo quidem pretio ad Venerem omne uulgus fœminarum facile pellicitur, adeo ut parum earum amoribus studere uiri nobiles existimentur. Basilius ante uiginti annos Iohannem patrem amisit. Is Sophiam *Sophia uxor* Thomæ Palæologi, qui late in Peloponeso imperabat, Constantinopolita- *Ioannis*
B niq; Imperatoris erat frater, uxorem duxit. Ea tum Romæ erat, Thoma patre Turcarum armis Græcia pulso. Ex hac quinque liberi felici fœcunditate suscepti, ipse Basilius, Georgius, Demetrius, Simon & Andreas. Demetrio & Simone iampridem morbo absumptis, Basilius Salomoniā Ge *Salomonia* orgij Soborouij, eximiæ fidei atq; prudentiæ cōsiliarij filiam, in matrimoni *Vxor Basilij* um sibi collocauit, cuius fœminæ singulares uirtutes una sterilitas obscurat. Solent autem Moschouitæ quum de uxore ducenda deliberant, omnium to *Delectus* to regno puellarum uirginum delectum habere, ac forma, uirtuteq; animi *uirginum* præstantiores ad se perduci iubere, quas demum per idoneos homines, fideles q; matronas inspiciunt ita diligenter, ut secretiora quoq; ab ijs contrectari explorariq; fas sit. Ex ijs uero magna atque solicita parentum expectatione, quæ ad principis animum respōderit, regijs nuptijs digna pronuntiatur. Cæteræ uero, quæ de formæ pudicitiæq;, & morum dignitate contenderāt, sæpe eadem die in gratiam principum, proceribus atq; militibus nubunt: sic ut mediocri loco natæ plerunq;, dum principes regiæ stirpis clara stemmata contemnunt, ad summum regalis thori fastigium, uti & Turcas Ottamanos solitos esse uidemus, pulchritudinis auspicijs euehantur. Basilius quadra *Basilij ætas* gesimum septimum ætatis annum non attingit, specie corporis eximia, animi uirtute singulari, suorumq; studio ac beneuolentia, & rebus gestis, progenitoribus suis anteferendus. Nam quum per sex annos cum Liuonijs, qui septuaginta duas urbes fœderatas in eius belli causam trahebant, armis contendisset, paucis legibus datis potius quàm acceptis, uictor discessit. Polonos quoq; initio statim ipsius imperij, acie profligauit, Constantinum'que Ruthenum copiarum ducem captum & catenis uinctum Moscham perduxit. Sed ipse aliquando post ad Borysthenem supra Orsam urbem, ab eodem Constantino quem dimiserat, magno prælio est superatus: ita tamen ut Smolenchum oppidum, quod antea Moschouitæ occuparant, post tantam etiam uictoriam à Polonis partam, in ditione Basilij relinqueretur.

retur. Sed aduersus Tartaros, & maxime Europeos Præcopitas, sæpius secundo prælio à Moschouitis est dimicatum, ulciscēdis fortiter iniurijs, quas illi repentinis incursionibus intulissent.

Incredibilis equitatus

Supra enim centum & quinquaginta millia equitum Basilius ad bellum ducere consueuit, distinctis per uexilla turmis, quæ suos duces sequuntur.

Insigne regij uexilli

Regiæ alæ uexillo inscripta est Iosue Hæbræi imago illius, qui, ut sacræ referunt historię, à deo maximo longissimum diem, retardato solis cursu pijs precibus impetrauit. Pedestres copiæ nullo propè usui sunt in illis uastis solitudinibus, tum ex ipsa ueste quæ fluxa talarisq; est, tum ex hostiū consuetudine, qui cursu potius & equitandi celeritate, quàm ui statariæ pugnæ, uel ipso congressu militiam exercent. Equi eorum statura infra mediam existunt, sed robusti & uelocissimi habentur.

Arma gentis

Equites præpilatis hastis, clauisq; ferreis & sagittis rem gerunt. Paucis falcati sunt gladij: corpora uero clypeis rotundis, ut Asiatici Turcæ, uel inflexis & angularibus parmis, more Græcorum, itemq; lorica & galea pyramidali proteguntur. Basilius etiam Sclopettariorum equitum manum instituit, multaq; ęnea tormenta Italorum fabrorum artificio conflata, suisq; imposita curribus in arce Moschæ uisuntur. Ipse insigni apparatu & singulari comitate, qua tamen regia maiestas nulla ex parte corrumpitur, publice cum proceribus atq; legatis epulari solet, magnumq; inaurati argenti pondus duobus abacis expositum eodem triclinio conspicitur.

Apparatus regiæ mensæ

Nullam prætoriani militis cohortem, præter ipsam familiam, corporis custodiæ causa circum se habere uel alibi alere consueuit: ab urbana enim fideli multitudine stationes habentur, nam unaquæq; urbis regio foribus, cancellisq; sepitur, nec temere per noctem, aut sine lumine in urbe uagari licet. Aula omnis constat ex regulis & ex ipso militum delectu, qui per statos mensium circuitus, frequentandę nobilitandæq; regiæ causa, per uices ad implenda comitatus officia, è singulis regionib. accersuntur. B

Exercitus regius

Porro exercitus omnis quū bellū ingruit, uel hostibus indicitur, ex uocatis ueteranis, nouisq; prouinciarū delectibus cogitur: nam cunctis in urbibus præfecti militiæ iuuentutem inspiciunt, idoneosq; in ordines militum transcribunt, quibus ex ærario prouinciarum, certa pacis tempore, sed ea quidem exigua stipendia persoluuntur.

Immunitas militaris

Verum qui militant, immunitate uectigalium gaudent, & cæteris paganis præstant, regiaq; gratia omnibus in rebus potentes existunt: patescit nanq; ueræ uirtuti nobilis locus, quum bellum geritur, siquidem egregio & in omni rerum administratione salutari instituto, ad suum quisque spectatum facinus, uel perpetui præmij uel ignominiæ sempiternæ fortunam adsequitur.

Optimum institutum

F I N I S.

BENEDICTI LAMPRIDII.

Hos dono Iouius mittit tibi Rufe labores
Anfractus longos, & spatia ampla maris.
Hæc quoniam nemo melius te iudicet, unum
Vllæ nec terræ, nec maria ulla latent.
Magna quidem Iouius donat tibi Rufe, sed ipse
Longe maiori munere dignus eras.



PETRVS MARTYR DE INSVLIS NVPER REPERTIS, ET DE MORIBVS incolarum earundem.



EX mearum decadum libellis in uulgus emissis collige-
re licet, fugitiuos quosdam ad uicina Darienis appul- *Darienes flu.*
sos nostrorum libellos admirantes dixisse, terras se ali-
quando incoluisse, quarum habitatores instrumentis
uterentur eiuscemodi, ac politice legibus parentes ui-
uerent, atriaq; ac templa lapidibus constructa magni-
fice, plateas etiam, stratasq; uias ordine composito, ubi
negotientur, haberent. Eas nunc terras nostri reperere:
qui autores fuerint, quomodo res processerit, attente audiat quisquis pere-
grinarum regionum conditiones & populi mores scire desiderat. De insula
Cuba, quam Fernandinam placuit appellari, Hispaniolæ occidentali proxi-
ma. Septentrionalis tamen adeo, ut Cancri tropicus mediam secet Cubam,
Hispaniola uero à tropico distet ad æquatorem gradus aliquot, pauca tetigi
mus hactenus. In hac insula sex iam sunt oppida erecta: primarium à diuo Ia-
cobo Hispaniarum patrono nomen sumit. Natiuum est ibi aurum, & mon-
tanum, & fluuiale: auro suffodiẽdo inuigilatur. Quo anno libelli mei portas
clauserunt, tres Hispani ex antiquioribus Cubæ ciuibus, Franciscus Fernan
des Cordubẽsis: Lupus Ocho, Caicedus & Christophorus Morantes, nouas
quærere terras instituunt. Est inquietus & semper magna moliens Hispano-
rum animus: tria instruunt eius generis nauigia, quæ appellat Hispanus Ca
rauellas, proprijs impensis, habita à gubernatore Dieco Velasquem naui- *In Cuba op-*
gandi potestate ex angulo Cubæ occidentali, qui sancti Antonij nomen a- *pida exerci-*
deptus est, altum capiunt cum centum & decem uiris. Est hic angulus ad *tata*
reficiendas naues, ac aquationi, ac lignationi aptissimus: cœlo tantum & a-
B qua contenti sex adnauigant inter Zephyrum & Austrum dies ac dimidi-
um, quo tempore sex tantum & sexaginta se milliaria percurrisse arbitran-
tur. Stabant autem in ancoris ubicunq; sol cadens illos deprehendebat, ne
per ignotum pelagus errantes, scopulis illiderentur, aut arenosis uadis im-
pliciti mergerentur. In insulam incidunt ingentem, nomine Iucatanam, cu-
ius initium incolæ Eccampi uocant. Oppidum in litore situm adeunt, ma-
gnum adeo, ut Cayrum illud nostri dixerint, hospitaliter ab incolis nostri su
scipiuntur: ingressi summa sunt repleti admiratione, turritas domos, templa
magnifica, uias ordine stratas ac plateas, ac nũdinaria ibi agi commercia re- *Iucatana ins.*
periunt: lapideæ sunt domus, aut ex lateribus & calce, arte & industria con
fectæ: ad prima domorum impluuia, & primas habitationes per duodecim
aut decem gradus ascenditur, non tegulis tantum, sed culmis aut herbarum
fruticibus coopertę sunt. Mutuis se munerbus afficiunt, bullas aureas & ex
auro fabrefacta monilia pepulchre formata barbari nostris, nostri autem il-
lis sericeas ac laneas uestes, uitreos etiã calculos, & auricalchea tintinnabu
la, munera illis grata, quia peregrina, sunt impartiti. Specula floccifaciebant
nostra, quia illi lucidiora ex quibusdam lapillis assequuntur. Vestita est hæc
gens non lana, quia pecudes non habent, gonsapio mille modis & uarijs fu-
cato coloribus. Fœminæ à cingulo ad talum induuntur, uelaminibusq; di-
uersis caput & pectora tegunt, & pudice cauent, ne pes aut crus illis uisatur.
Templa frequentant, ad quæ primarij uias ex proprijs domus sternunt: ido-
lorum culturæ indulgẽt, sunt recutiti: summa fide negotiantur, permutando
tamen sine pecunijs: crines ornant. Vnde id habuerint interrogati per inter-
pretes, dicunt aliqui, transijsse aliquando uirum quendam formosissimum
per eos tractus, qui eis id insigne in sui memoriam reliquerit. Alij, obijsse lu
cidiorem sole hominẽ in eo opificio, certi nil habetur. Aliquot ibi dies com
morati, iam uidebantur incolis esse molesti: nullius enim hospitis est grata

mora longa: commeatum capiunt, recta tendunt ad occidentem per prouinciam Comi & Maiam dictas ab accolis: præterlapsi sunt, aquam tantum & ligna ex itinere capientes: barbari litorales nostras admirabantur naues mari innatantes, ad quas uisendas & fœminæ permixtæ uiris cum infantibus passim prodibant. Nam ex mari non sine stupore illorum ædificia, sed præcipue templa litoribus proxima, in modũ arciũ erecta prospectabant. Iacere tandẽ ancoras placuit ad milliaria centũ, decẽ in prouincia, cui nomen Cãpechiũ, cuius oppidũ est domorũ triũ milliũ, amice seinuicẽ cõplectuntur, nauticam nostrorũ artẽ, nauigiorũ magnitudinẽ, uela, amplustra, resq; cæteras barbari attoniti admirabãtur. Vbi excussorũ tormentorũ tonitrua, fumosum ac sulphureũ odoremq; ignitum senserunt, à deo mitti fulmina arbitrabantur. In atrio regulus nostros benigne magnificeq; hospitatus est. Post sumptas more illorum epulas in quibus pauones habent & altilia, uolucres etiam montanas & nemorales, ac aquatiles, perdices, coturnices, turtures, anates, & anseres, cuniculos: ultra hæc lupos, leones, tigres uulpes, & quadrupedes agrestes, ut apros, ceruos & lepores. Ducti sunt nostri cum regio comitatu ad latum compitũ in oppidi latere sitũ, ostendũt nostris quadratũ quatuor graduum erectũ marmoreũ, partim ex tenaci bitumine, partim ex lapillis pulpiũ, cui hominis inhærebat simulacrum supersculptũ, adhærentibus illi duobus quadrupedibus ignotis, qui marmorei hominis uterũ, uti canes rabidi uidebantur uelle dilacerare. Serpẽs bitumine ac lapillis cõpacta, pedũ longa septẽ & xl. uti bos magnus marmoreũ leonẽ uorans, recẽti crurore irrorata simulacro astabat: proximi solo affixi erant tres tigni, quos tres alij lapidibus suffulti transuersabant. In eo loco reos puniunt, in cuius rei argumentũ, stratas uiderũt innumeras cruore illitas & confractas sagittas, & mortuorũ ossa in uicinũ cortem proiecta. Domus & hic sunt ex calce & lapidibus ædificatæ. Regulo Lazari nomẽ indiderũt, quia Lazari die terrã ceperũt. Abeũt ad millia inde, ad occidentem semper, quindecim. Prouinciam captant nomine Aquanil, cuius oppidũ Mosco dicitur, regulus Capoton, ultima acuta. Hostiliter inspectat nostros hic regulus, insidias nostris struit, petentibus aquam, trans collem proximum fontes esse innuunt, quà iter erat per angustas semitas. Ex mutatis in fronte coloribus, & arcuum & telorũ gestamine, fraudẽ sensere, tendere ulterius nostri recusant. Palantes & imparatos adoriuntur nostros barbari, mille amplius, sternũt fugientes nostros, cœnoso in littore (erat enim ibi mare cœnosum) implicãtur, duos & uiginti sagittis transuerberatos perimũt, reliquos maiori ex parte uulnerant. Tribus & triginta, inquiunt, classis ipsum prętorẽ Franciscũ Fernandẽ uulneribus percussum, Ferè nullus euasit incolumis. Si ad mõstratos colles processissent, perempti fuissent ad unum. Mœsti ergo redeunt qui superfuere ad Fernandinam insulam unde uenerant, ac cum fletu & gemitibus ob relictos & præsentes uulneratos à socijs recipiuntur. His intellectis Cubæ Fernandinæ gubernator Diecus Velasquem, quatuor Carauellarum classem instruit cum hominibus circiter trecentis. Huic classiculæ præfecit nepotem suum Ioannem Grisaluam, additis subprætoribus Alfonso Auila, Francisco Montegio, & commendatario Petro Aluarado, nauclero autem eodẽ Antonio Alamino prioris classiculæ rectore. Idẽ iter capiũt, sed australius aliquanto ad millia forte septuaginta, turrim ex alto uident, terram minime. Ea turri duce, insulam apprehendunt nomine Cozumellam, qua suaues se olfecisse odores spatio triũ milliarium uento inde perflante, inquiunt. Ambitu reperiunt esse milliariorum quinq; ac quadraginta: plana est, gleba fortunatissima: aurum habet, sed peregrinum aliunde allatum: melle abundat & fruticibus ac hortensibus, uolucribus etiam & quadrupedibus. Est horum incolarum, ut breuibus absoluam, ea œconomia & politia, quæ de Iucatana: domus, templa, uię, commercia, uirorum ac fœminarum gestamina ex gosipino, non laneo uel serico: domus lapideæ, culmo contectæ, ubi sit lapidum penuria: sed ubi sit lapicidina-

Campechium

B

rum

A rum copia, laminis lapideis conteguntur, marmoreos postes in plerisque, ueluti apud nos pleræque domus habent. Turres ibi uetustas dirutarum uestigia redolentes repererunt, unam præ cæteris graduum octodecim, ut ad illustria tẽpla cõscenditur. Nostras sunt admirati naues, & nauticã artẽ, noluerũt hospites primo impetu, benigne eos tandẽ admiserũt: turrim conscendũt duce primario, quẽ sacerdotẽ credunt: uexillũ in cacumine sistũt, regi Castellæ imperiũ adiudicant, Sanctæ crucis nomen insulæ assignãt, quia ad nonas Maij Sanctę crucis festo sunt insulã ingressi. Cozumellã uero, inquiunt, appellari à regulo Cozumellao, cuius maiores ipse iactat fuisse huius insulæ habitatores. Cameras in turri reperere, statuis tũ marmoreis, tum fictilibus ursorũ simulacris instructas, quos unisono cantu elato inuocant, suauibus adolens odoribus, uti penates eos colũt: res ibi diuina celebrata est, sunt recutiti. Regulus hic eleganter ex gosipino uelamine indutus, pedis unius digitos abscissos habebat: natanti piscis uorax, qui Tuberon dicitur, uno morsu digitos raptauerat, laute copioseque nostros aluit. Post triduum abeunt ad occidentem semper, uident procul montes, Iucatana erat insula quæ à Cozumella quinque tantum millibus passuum distat. Iucatanæ latus meridionale capiunt, putato continenti proximum circumeunt, illam nequeũt uniuersam, ob frequentes scopulos, & ob arenosa uada. Ad iam notum latus boreale Alaminus nauclerus naues reducit. Ad idem oppidum Campechium & Lazarum regulum, ad quem priores superiori anno proficiscuntur, placide suscepti ad oppidum inuitantur: inuitasse pœnituit: ad lapidis iactum ab oppido nostros sistere iubent: accolę abire imperant, aquandi petunt copiam pri usquam discedant nostri, puteum à tergo relictum monstrant, licere inde aquam haurire, aliunde minime inquiũt: pernoctatũ est in uicino putei campo diffidunt barbari, armatorum tria circiter millia castra locant nõ longe à nostris: pars utraque noctem duxit insomnem: illi nostrorum eruptionem in pagum, nostri barbarorum impetum repentinum ueriti, tubarũ clangori-
B bus, & tympanorum boatu somnolentos excitabãt: ubi illuxit, accedũt barbari, appellant interpretes Cubenses nostros, quorum idioma, si non idem, consanguineum tamen: face thurea inter utrunque agmen accensa, minantur internecionem, ni prius abire properauerint quàm fax extinguatur: nolle se hospites protestantur, fax consumitur, deuenitur ad manus, perimunt è nostris unum, quem sagitta male scutatum reperit, multi feriuntur: ad tormenta quæ apud puteum erant locata, se reducunt nostri, ut inde globos iaculentur in barbaros: retrocedunt ad oppidum barbari, milites feruenti animo cupiebant illos persequi, uetuit Grisalua prætor. Inde procedunt ad Iucatanæ calcem ultimum, ducentorum reperiunt esse milliarium, amplius productã ab oriente in occidentem: portum petunt egregium, cui nomen dedere Portus desideratus. Ad terras deinde transfretant alias, & terram prehendunt Iucatanæ uicinam ab occidente: dubitant sit insula nec'ne, continenti esse annexam arbitrantur. Est ibi sinus quem suspicantur ambitũ utraque terra, nil certi, Caluacã, aliàs Oloan ab accolis hæc tellus appellatur. Flumen ingens ibi repertũ, dat suo furore in pelagus potabiles aquas, duorum millium spatio à prætore Grisalua appellarunt flumen. Admirati nostras moles mari natantes barbari accolæ utranque fluminis ripam ad sex millia armatorũ, scutis aureis, arcubus & sagittis, ensibus etiam latis, & hastis adustis armati obsident, prohibituri descensum & litus tutaturi. Stat ea nocte pars utraque in alis, prima luce ecce Canoas circiter centum armatis plenas: diximus aliàs, Canoas esse lembos uniligneos: & hic se Cubenses interpretes, & hi sat cõmodo conueniebant in lingua: pax oblata per interpretes admittitur, accedit una Canoa, reliquæ sistunt. Canoę rector quid nostri quærităt per alienas terras percontatur: aurum cupere respondetur, permutatione tamen, non gratuito aut uiolẽter. Redit Canoa, quid actum sit regulo referunt nautæ: accersitus regulus uenit libens: narratu dignum: cubicularium ad se uocat regulus, cubicu-

laria iubet afferre ornamenta, ut prætorem nostrũ Grisaluã ornet imperat, à calceo incipit aureo illum induere, ocreas, thoracem, & quicquid armorum ex ferro aut calybe solet cataphractus noster aliquis proditurus ad pugnam sibi sumere, uniuersum id ex auro miris modis formato regulus Grisaluæ impartitur. Compensat Grisalua sericeis, laneis ac lineis uestibus, rebusq; alijs nostratibus. In huius Iucatanæ initio, quando in Cozumellam traiecerũt, in Canoã piscatoriã inciderũt: nouem inerant hamis aureis piscantes incolæ inermes, capiunt omnes nil timẽtes. Ex illis unum agnouit hic regulus, se tantundẽ auri missurũ in crastinũ pollicetur ad Grisaluam, quanti ponderis uir ille reperiretur: negauit redemptionẽ socijs inuitis prętor, illũ retinuit ac discessit, quid ultra faciat recognitur⁹. ad millia centũ circiter, ad zephyrũ semper, sinum ingentem reperiunt, in quo tres paruæ insulæ sitę erãt, adeũt grandiorem: proh crudele facinus, proh truculentas hominũ mentes, stomacho claudat portas quisq; pius ne perturbetur, pueros puellasq; suis dijs immolãt passim, sunt recutiti, simulacra quæ colunt, partim sunt marmorea quædam, alia fictilia: marmoreas inter imagines extat leo pertusa ceruice, in quam miserorum sanguinẽ projciũt, ut inde fluat in lacunam marmoream. Quibus cærimonijs miserorum sanguinem litent referamus. non iungulis, sed pectoribus appertis ex infausta uictima cor eruunt, ex cuius calido crurore idolorũ labia illiniunt, reliquum fluere patiuntur in lacunã: inde in apertũ, cor & exta cõburunt, gratum fumum dijs fore arbitrantur. Ex idolis unum est uirile quod inflexo capite lacunã sanguinariã super inspectat, tanquã acceptans sacrificium hostiarum. Torulos brachiorum & fœmorum, ac surarum pulpas edunt, præcipue si hostem bello uictum sacrificauerint. Riuum concreti sanguinis, ueluti ex carnificina exeuntem repererunt. Ex insulis uicinis ad id facinoris miseros transportant, capita cadaueraq; ibi truncata uiderunt innumera, integra etiam pleraq; uelaminibus contecta. Vniuersi tractus illi auro gemmisq; abundant. Pererrans insulam unus è nostris in duos semisuffusos urceos alabastrinos perpulchre laboratos lapillis incidit, diuersorum colorum plenos. Aiunt lapillum se reperisse, qui missus est ad gubernatorem, ualoris duorũ milliũ Castellanorũ auri. Sacrificij hanc insulã appellarũt. Extãt & in huius Colluacanæ lateribus aliæ sitæ insulæ, in quibus soli mulieres habitant sine uirorum commercio. Putãt aliqui Amazonico uiuere more, qui prudentius rem ponderant, cœnobitas esse uirgines, secessu gaudentes, uti apud nos, & multis in locis apud ueteres Vestales, aut Bonæ deę sacrę. Certis anni temporibus trajciunt ad eas uiri, non coitus causa, sed moti pietate, campos & hortos illis compositurj, quo cultu queant uitam ducere. Fama tamen uiget, esse alias insulas fœminarum sedes, sed corruptarum, quæ mammillam à teneris scindunt, quo facilius queant sagittariam artem exercere: ad easq; trajcere coitus causa uiros, nec retinere mares: Fabulã puto. Ad litus ergo Colluacanæ terræ se applicant nostri, placide negotiantur, aureum regulus cacabum, armillas, torques, bullas, multaq; præterea diuersorum generum monilia nostris impartitus est: nostri contrà nostratibus illum alacrem reddunt. Figere hic pedem, & coloniam deducere cupiebant: prohibuit Grisalua prætor, desperatis animis uixerunt eo tempore commilitones in prętorem. Turritis constat ædificijs hæc prouincia, oppidis amplissimis quindecim, & alicubi uiginti millium domorũ se aliqui uidisse attestantur. Sunt nõ ubiq; connexæ domus, hortis & cortibus intersecantibus, multæ distant à se ipsis, plateas habẽt mœnibus circumseptas, in quibus fora nundinasq; exercẽt, uias ordine stratas, furnos, fornacesq;, calcẽ ac lateres coctos habent, figulos, lignariosq; fabros, & artifices, mechanicarumq; artiũ omnium opifices assequuntur egregios. Potanchanus hic regulus dicitur, regio Palmaria, eius oppidũ regiũ aiunt esse domorum quindecim millium. Quando nouos hospites suscipiunt, qui pacẽ in illis terris admittunt, in amicitiæ fœdus sibi ipsis cũ nouacula uel gladio lapideo sanguinis parumper ex lingua uel ma-

nu, aut

A nu,aut lacerto,uel alia quauis corporis parte, hospite inspectante eruunt. Sa
cerdotes uiuũt cœlibes & incorrupti. Quid sit coire nemo intelligit, donec
nubat. Nephas & morte piandum est aliter accidere. In fœminis mira casti/
tas. Licet unicuiq; potenti, postquam unam duxerit uxorem, habere pellices
quotquot uoluerit: sed nupta adulterio comprehensa uenditur à marito, pri/
mario tamen principi, à quo licet mulieris propinquis illam redimere. Ne/
mini non coniugato phas est iungi in mensa, uel eadem lance uesci, aut pocu
lo bibere, paremq; coniugato se prębere. Augusto Septembriq; mense quin-
que ac triginta dies abstinent, non à carnibus modo, quas assequuntur opti/
mas, sed neq; piscibus uescuntur, aut re aliqua, quæ sanguinem nutriat: hor/
tensibus ac leguminibus illos dies peragunt. Menses uiginti dierum nume/
ro claudunt: annũ uero mẽsibus uiginti: aliquot ibi dies lautos egere. Abeũt,
litus idem sequuti, regulum cõueniunt alium, cui nomen dedere Ouandus:
regulus ubi nostros aurum cupere intellexit, laminas conflatas attulit aure/
as, se copiam eius metalli desiderare prætor significauit per interpretes. Po/
stero die aureum hominis simulacrum, pigmeum, flabellumq; aureum, & ar/
tificio uario laruã iubet afferri, calculorumq; serta, pectoraliũ, & bullarũ co/
piam, & diuersorum generum ornamenta & uariorũ colorũ lapillos nostris
est impertitus, dapib⁹ quoq; lautissimis persapide cõditis saturauit. In litore
inuitatos properanti cursu, frondentibus ramis ex reguli mãdato erectis, ili/
co scenis contegebant, inertes in ramis ferendis familiares, regulus percutie
bat sceptro, quod manu gestabat: serui demisso uultu quæcunq; uerbera pa/
tienter sustinebant. Interrogatus, ubinam auri tanta colligeretur copia, pro/
ximos digito monstrauit montes, & flumina ab illis decurrẽtia. Sunt hi flu/
minibus ac lacubus adeo assueti, ut idem illis sit natare, quod terra incedere
B Merguntur flumine quando aurum placet colligere, manusq; arenis efferũt
plenas, demũ de manu in manum cribrantes arenã, aurũ deligũt. Spatio dua
rum horarũ dicũt auro implere cannulam digitalem. De suffumijs & harum
terrarum odoribus dulcia molliaq; dici queũt, quę prætermittimus, quia ma
gis ad effœminandos animos faciunt, quàm ad bonos mores. Puerũ annorũ
duodecim oblatum à regulo recusauit prætor, puellam admisit pulchre orna
tam, socijs inuitis puerum abiecit. Ex lapillis ab hoc regulo habitis, unũ scri-
bunt esse ualoris duorum millium castellanorum auri. Discedũt tandem ab
hoc regulo auro & gemmis onusti. Grisalua prætor unã è Carauellis ad pa/
truum gubernatorẽ destinat ad Fernandinam cum nuntijs & habitibus, au/
ro & gemmis. Litus interea secant reliqui occidentẽ uersus, una uero propi/
us ferè litus abradebat, qua Frãciscus Montegius subprætor uehebatur: duę
per altũ tendebant in prospectu: admirati accolæ, rem nouam miraculo ascri
bunt. Duodecim ad Montegium ueniunt Canoę, per interpretes colloquun
tur, benigne se inuicem salutant, supplices orãt incolæ ut descendãt, magna
pollicentur si regulum patriæ adierint: precibus eorum negat Montegius se
posse annuere, quia socij nimis à se distarent, contentos tamen dimisit, datis
quibusdam nostratibus muneribus illis gratis, quia ignota sunt. Celebre op
pidum aliud adeunt, ad litus se applicant unà tres Carauellæ, prohibentur
ab accolis descẽdere, scutis, arcubus, plenis pharetris, & ligneis latis ensibus
atq; hastis adustis armati, ad nostros prodeũt, sagittas iaculãtur eminus illi,
tormentorũ globulos in barbaros nostri. Machinarũ strepitũ admirati, ac fu
rore perterriti aufugiũt, pacem optant. Iam commeatus nostris deficiebant,
iam quassatę longis itineribus naues erant. Ad insulam igitur Fernandinam
factis & repertis antedictis, contentus Grisalua, socij haudquaquam reuer/
tuntur. Nunc diuertendum est parumper, & alia nauigatio pertractanda.
Hinc ad has regrediemur terras, quas nostri reperierunt. Diecus idem Ve-
lasquen gubernator eodem ferè tempore, quo classem eam quatuor Carauel
larum parauerat, aliam destinauit unius Carauellæ tantum, & uno Bergan/
tino comite, cũ uiris quinq; ac quadraginta. Violentas hi manus in accolas

exercuerũt. Idolorum sectatores sunt & recutiti, propterea licere illos trahere ad aurum suffodiendũ putauerunt. Sunt litori continentis in modum proximæ paruæ insulæ multę, ubertate soli, & fortunatissima gleba beatę, Guanapan, Guanguan, Quitilla: ex una istarum tercẽtum rapiunt utriusq; sexus accolas (huic insulæ posuere nomen Sanctæ Marinæ) in Carauellam hos inculcant, & ad Fernandinam tendunt, Bergantinum cum socijs quinq; ac uiginti relinquũt, qui dent operam uenationi hominum ulteriori. Portus quẽ prehendit Carauella, Carenas dicitur: distat is ab angulo Cubæ primario diui Iacobi millia ducenta quinquaginta. Hæc insula est longissima, porrecta ab oriente in occidentem, quam cancri tropicus intersecat. Miserorum uindictã querente fortuna, è custodibus in terram descendunt quidam, pauci remanent. Nacti occasionem recuperandæ libertatis insulares, raptis nostrorũ telis ruunt in custodes: perimunt sex, desiliunt in mare reliqui: Carauella potiuntur insulares, regere illam didicerant, redeunt in patriam: sed primo in eandem insulam uicinam descendunt, Carauellã exurunt, tela secũ asportãt, lembis traijciunt ad suos, relictos nostros cum Bergantino adoriuntur, prosternũt, perimunt: qui euasere, infelices ad Bergantinũ profugiũt. Arbor est litori proxima, crucem in eius arboris cacumine locant, & superiorẽ arboris corticem his uerbis inscribunt. Vannuis Aldarieci. Est Darien fluuius, in cuius ripa situm est oppidum putati continẽtis primarium. Re intellecta gubernator, in relictorũ auxilium propere mittit naues duas bellatoribus onustas, sero sapiunt: res iam acta erat, crucem sequuti litus adeunt: literas legũt arbori insculptas, non ausi sunt fortunam tentare, cum desperatis egregie armatis præcipue recedunt: ex insula proxima isti tanquam lepores abducunt utriusq; sexus quingẽtos, eadẽ causa arbitrati iure merito posse id efficere, quia recutiti. Idem his euenit ad Fernandinam applicatis, unam è nauibus ferociter aggrediuntur, acriter dimicando, custodes Hispanos perimũt quosdã, cæteri sese in mare proijciunt, & ad sociam, quæ proxima erat, Carauellã adnatant, unà omnes cum superstite Carauella raptatam adoriuntur. Dubia fuit quatuor horarum spatio uictoria, pro libertate recuperanda tam uiri quàm fœminæ rabide pugnabant, ne adeptam ammitterent prædam, Hispani acrius dimicabant: uicerunt Hispani tandem: quia pertractãdis essent agiliores: in mare sese proijciunt uicti barbari, cum lintribus recolliguntur, tum ferro perempti in certamine, tum aquis suffocati circiter centũ: defuere ex Hispanis pauci, ad Diui Iacobi oppidum & aurifodinas trahuntur. Ad aliã dehinc tendũt è uicinis insulis, quæ sunt ibi frequẽtiores, quàm in nostro Ionio symplegades, quarum congeriem Archipelagus uulgus appellat: hostiliter suscipiuntur, quotquot è nauibus descenderũt, perempti aut percussi sunt. Putãt hanc esse insulam. Ioannes quidã Pontius, unius classiculæ pręfectus adiuit, et perturbatos reliquit: fugatur ab accolis, Floridamq; appellauerũt, quia resurrectionis die eam insulam reperirent, uocat Hispanus pascha floridum resurrectionis diẽ. Sex & uiginti, inquiunt, se uidisse insulas, sed à colono prius præterlapsas, tanq; Hispaniæ Cubæq; custodes, in quibus uenientes oceani procellæ illiduntur. Natiuum in plerisq; granatum aurum reperiunt, monilia & isti uaria gestant: & laruis utuntur, tum ligneis deauratis, tum aureis perpulchre ornatis. Opifices sunt ubiq; argutissimi. Ex laruis unam secũ attulit Franciscus Chieregattus, ex ea colligere licebit, quali polleãt ingenio. Nouacularum structuram mirum est uidere, ex lapidibus flauis quibusdam diaphonis uti crystallinis eas formant, & cum eis radunt haud secus ac si ex egregio chalybe factæ essent: sed quod spectatu dignum est, quãdo obtusam iam habent ex exercitatione aciem, nõ cote, nõ lapide, neq; puluere illas acuunt, sed tantum aqua imposita temperantur. Sunt & apud hos instrumentorum & elegantium rerum mille genera, quæ longũ esset narrare. Redeamus ergo unde sumus digressi, ad Cozumellam, Iucatanam, ac Colluacanam siue Olloam, terras dites ac elysias recenter repertas, à quibus diuerteram reuertor:

A tor: ubi quanti sint momenti tractus illi cognitum est. Cubæ insulæ habitatores Hispani, gubernatore Annuncte, nouam classem instruunt Carauellarum decem, cum uiris quingentis, additis, uti leuis armaturæ, equis duobus bergantinis, quorum opera utuntur ad uadosa litora, frequentium scopulorum discrimina tentanda. Equos nauibus imponunt, quinq; mares, fœmellas uero sedecim bello aptas. Fernandum Corthesium, qui tunc erat prætor urbanus, generalem eligunt classem gubernatorem & prætorem, subprætores, uero Alfonsum Fernandē Portucareriū, Franciscum Montegiū, Alfonsum Auilam, Alueradum commendatarium Spatensem, Ioannē Velasquē, Diecum Ordassum: uentum sequuntur eundem, ab angulo Cubæ ultimo ad occidentem. Quamprimum Franscíscus Fernandes Cordubensis, mox Ioannes Grisalua, ad prospectum insulæ sacrificiorum, de qua mentionem fecimus, deueniunt, insperatus acer turbo captare terram uetuit, uersis illos uestigijs ad Cozumellam Iucatanæ orientalem fera tempestas transportauit. Portum habet unicum hæc insula, cui nomen Sancti Ioannis porta, latine indiderunt, sex oppidis tantum contenta est, & aqua puteali, aut cisternali, fluminibus caret et fontibus, quia plana, quinq; tantū ac quadraginta mille passuum spatio ambitur. Aufugiunt incolæ ad syluas nemorosas, oppida deserunt pre timore: uacuas domos ingrediuntur nostri, patrijs fruuntur cibis, domorum ornatus uariorum colorum, aulæa, uestesq;, ac lodices, amaccas appellant, ex gonsapio natiuo reperiunt. Habent etiam innumeros libros. De his cum cæteris ad nouum Cæsarem nostrum aduectis late dicemus. Perlustrant uniuersam nostri milites, compositis tamen agminibus, ne qua uis ingrueret: paucos repererunt accolas, una fœmina comite, per interpretem Cubensem, Iucatanos tres alios abductos à primis Hispanis, fœminam hortantur, ut absentes accersat regulos. Fœminæ familiares erant accolæ cū ea ducti, à fœmina uocati per nuntios ueniunt reguli, fidem amicitiæ præstant, domos patrias alacres repetunt, multa ex raptis supellectilibus restituūtur,
B idololatras & recutitos esse reperiunt: pueros puellasq; Cemibus immolant. Sunt Cemes nocturnorum lemurum simulacra quæ colunt. Interrogatus à me Alaminus Nauclerus, Franciscus Montegius, & Portucarerius nuntij, qui regi munera attulerūt unde immolandos habeant, pueros puellasq;: Ab insulis collateralibus, inquiunt uenum ducuntur permutatione auri aut aliarum merciū. Nusquā enim feralis monetæ dira solicitudo in tam uasto terrarum spatio habitatores premit. Idē aiunt de reliquis nuper inuentis insulis, è quibus duas nominant, Destā & Sestā, ubi nudi degūt, puerorū puellarumq; inopia canibus litāt. Canes alunt comedēdos, uti cuniculos alit gens nostra, non sunt latrabiles, rostro uulpino, quos ad esum destināt, pullos castrāt, ad sobolē procreandā fœminarum copiā, mariū numerū exiguū seruant, ut de ouibus pastores nostri: pinguescunt castrat usq; ad quadrimestre mirum in modū. Ab his sacris nostri illos deterrēt, nephas esse ostēdunt, legē petūt quā sequantur, esse deū unicum qui cœlum creauit ac terras, bonorū omniū datorē, sub triplici persona unitum in substātia, facile persuadent: Cemes perfringi patiuntur. Beatæ uirginis imaginē depictam à nostris præbitā in sacro sui templi loco sistunt, templum ac eius pauimenta uerrunt & abradūt, crucem ob ipsius dei atq; hominis laudem, ob salutem humani generis super impositam recordatione adorandam receperunt, in templi cacumine unam ingentem ligneam locant. Conueniunt omnes deiparæ Virginis cum tremore reuerenti figuram suppliciter ueneraturi. Per interpretes significarunt hi accolæ esse in Iucatana uicina insula Christianos captiuos septem, qui ad eam, tempestatibus raptati, appulerant: quinq; tantū milliorum spatio dirimitur à Iucatana hæc insula. Quinquaginta uiros cum duabus carauellis prætor Cortesius ad id negotij destinat perquisitores, Cozumellanos tres secum aduehunt cum literis ad Christianos, si qui reperiantur: quàm egregium facinus sint acturi, si aliquem adduxerint, ostendit, rem ardenter commendat,

ab illis nanq; ſperat lucidiorem ſole ſe tractuum illorũ omniũ notitiam habiturum. Abeunt bonis auibus, ſex dies eis aſſignantur ad reditum, octo expectarunt: demiſſos in terram Cozumellanos nuntios trucidatos aut detentos ſuſpicati ſunt: illis relictis, redeunt ad Cozumellã noſtri. De diſceſſu ex Cozumella cogitabat iam uniuerſa claſſis, oppoſita illam uis maris detinuit. Ecce ab occidente Canoam inſpectant uenientem ab Iucatana, Chriſtianum unum è captiuis aduehit, ſeptennio is uitam degerat apud Iucatanos, Hieronymum Aquillarem nomine, uirum Aſtigetanum Vandalum: quo gaudio ſeinuicem fuerint complexi, caſus loquatur: infelicem ſortem ſuam, & ſociorum unà amiſſorum enarrat, auditur attentis mentibus: nec diſſonum fore arbitror, nec tuæ beatitudini moleſtum, ſi rem, ut accidit, recenſuero. In meis decadibus mentio facta eſt de nobili quodam Aldiuia ab Darienſibus miſſo. Sinus Vrabæ in putato continenti habitatoribus, ad Hiſpaniolam. Admiranti Colono, proregi & ſenatui regis (ad quos pertinet putati continentis remedium) ſignatum qua rerum omnium penuria urgerentur: ſiniſtris auibus miſer Aldiuia prouinciam ſuſcepit: in Iamaicę inſulæ Hiſpaniolæ Cubæq; laterali à meridie proſpectu repentinus uortex in arenoſas detulit ſyrtes. Ea uoracia cæcaq; uada Hiſpani uocant uiperas, & quadranter uiperas, quia ibi multæ naues implicantur, uti uiperina cauda lacerti: diſcinditur Carauella, uix Aldiuiæ & è ſocijs triginta licuit in Carauellæ ſchapham deſcendere: ſine remis, ſine uelis miſere raptantur à pelago defluenti: diximus nanq; in Decadibus, eſſe ibi maria perpetuo fluxu labentia in occidentem: tredecim errarunt dies inſcij quò tenderent, nil eſui aptum repererunt unquam, ſeptem ex eis conſumpſit fames, fuerunt ipſi marinis piſcibus eſca, in Iucatanam transportantur. Superſtites iam inedia deficientes in crudelis reguli poteſtatem inciderunt. Valdiuiam prætorem unà & ſocios quoſdam trucidauit, mox immolauit Cemibus, demum cum unitatis amicis comedit. Hoſtes autem, aut appulſos hoſpites hi depaſcunt, de reliquo, à carne humana abſtinẽt. Hic Hieronymus Aquillaris, & ſocij ſex in tertium diem immolandi ſeruabantur, nocte ruptis uinculis truculenti manus tyranni euaſere: ad regulum huic infenſum, ſupplices confugiunt: admittuntur, ſed in ſeruitutẽ. Admirandum auditu eſt de huius Aquillaris genitrice: ubi rem intellexit, illico inſaniuit prę dolore, licet in urbe tantum filium audiuerit, in poteſtatem carnes humanas edentium incidiſſe. Hæc ſi quando carnes aſſatas inſpectat, aut uerubus affixas, clamoribus domum replet, inquiens: En matrem omniũ miſerrimã, en filij mei fruſta. Habita igitur epiſtola prætoris Aquillaris per Cozumellanos nuntios, corã regulo Hero, qui Taxmarus dicitur, quid Cozumellani afferant enarrat, de potentia regis eorum, qui ad eas partes appulerunt, deq; uirorum fortitudine, de illorum beneficentia in amicos, de ſæuitia in detrectantes, uel eorum poſtulata reſpuentes, multa ediſſerit: trementẽ reddidit Taxmarum. Det operam, ne hoſtes ſuam ditionem ingrediãtur, ſeruũ rogat, ſed pacato ueniant animo. Pollicetur Aquillaris pacem, &, ſi opus fuerit, contra hoſtes auxilium et fauorem. Aquillarem demittit, tresq; illi dat familiares comites: ita iunctim traijciunt ex Cozumella in Iucatanam, ad flumen, Alamino nauclero regente, alias repertum tendunt: fauces eius arenis erant concluſæ, uti de Nylo Ægyptio legitur, flantibus Eteſijs, propterea maioribus non licuit nauibus aduerſo flumine procedere, quamuis ſit alias huiuſmodi nauibus aptum ſuſcipiendis. In Bergantinos & nauium lintres ducentos uiros in littus exponit pretor. Per Aquillarem pax offertur. Quid ſibi uelint percontantur accolæ: Dapes inquit Hieronymus Aquillaris. Spatium erat ingens arenoſum ad latus oppidi, illuc tendant, inſinuant accole. Eunt, Poſtero die afferunt gallinas octo, earum more, quæ ſunt pauonibus neq; minores, neq; inſipidiores, ſuffuſci coloris, & tantum Maijcij, quantum uix ſufficeret decem famelicis. Eſt autẽ Maijcium frumẽti granum quo ipſi panem conficiunt, noſtro panico non multũ diſſimile. Pro-

testantur unà ut inde discedant, propere ingens armatorum ad nostros discedere renuentes multitudo cōcurrit iterum, quid sibi uelint per alienas terras uagantes interrogāt: pacem se cupere, per Aquillarem respondent nostri, & rerum permutatione dapes, aurumque, si aurum possident: nolle se pacem aut bellum cum eis, respondent: abeant iterum, ni malint usque ad unum trucidari: nolle abire, nostri inquiunt, non habita ciborum copia, quæ alendis militibus præsentibus sufficiat: crastinum adferēda cibaria signant. mentiti sunt: mane sequenti nostris, qui castra locarant in arena, & fuerāt pernoctati, tantundem afferunt epularum, & sui reguli nomine iubent abire. Cupere se oppidum uidere, & potiores dapes, nostri dicunt. Recusant illi, & terga uertunt submurmurantes: inedia nostri urgebantur, uictum quærere coguntur. In terram mittit subprætores prætor cum uiris centum quinquaginta. Per diuersa tendunt ad oppidana rura: è turmis unam, obuij barbari male tractabant: non longe aberant socij, audito strepitu, laborantibus socijs opem ferunt. Alia ex parte prætor tormenta in Bergantinos & schaphas locat, ad litus se applicat cū reliquis militibus, litus tutaturi, & prohibituri descensum properanti cursu ad pugnam parati, occurrunt Barbari, sagittis & iaculis eminus nostros impetunt, feriunt imparatos: uiginti circiter tormenta in hostes prætor exonerat: strage globorum & stridore, ac flammarum eruptione perculsi, perturbantur palantes crurum tenus, in aquas se proijciūt: & nostri hostes insequuntur fugientes, unà cum perterritis oppidum ingrediuntur: continuo cursu barbari trajciunt oppidum, et domos deserunt. Ad fluminis ripam protentum dicunt esse oppidum, quantū non ausim dicere, mille quingentorum passuum, ait Alaminus nauclerus, & domorum quinque ac uiginti millium: stringunt alij, ingens tamen fatentur & celebre: hortis intersecantur domus. quę sunt egregie lapidibus & calce fabrefactę, maxima industria & architectorum arte. Ad quarum sedes habitabiles per decē & duodecim alicubi gradus ascenditur, & spatijs interiectis secantur. Nemini quidem licet uicini murum trabibus onerare, sunt domus omnes trium domorum intercapedine separatæ, culmis tamen & paleis coopertæ maiori ex parte, lapideis laminis pleræque. Quadraginta hominum millia barbari professi sunt eo die pugnæ interfuisse, uictos tamen à paucis ob nouum pugnandi genus cū tormentis: & quia prætor in terram equites sexdecim exposuerat, qui pugnę interfuerunt: à tergo barbaros adorti, turmas findebant celeri cursu, non aliter quàm si greges ouium interficerent, perimendo, feriendo à dextris & à sinistris: miraculo perculsi miseri hæsitabant, neque exercendi tela locus dabat, idem animal arbitrabantur hominem equo annexū, uti de centauris nata est fabula. Duos & XX. dies sunt potiti oppido, laute sub tecto nostri, subdio barbari esuriētes degūt: neque sunt ausi nostros adoriri: munitiorē oppidi partē, ueluti arce tuti elegerunt, nocturnisque freti custodijs, suspecti semper eruptionem timentes, somno uacabāt. Potanchanū dicitur ab accolis oppidū, & à uictoria ibi adepta, Victoriā nostri appellarūt. Mira etiā de atriorū ruralium ad delicias in prædijs ædificiorum magnificentia, magnitudine atque elegantia, cum solarijs, impluuijs, & tabulatis egregijs more nostro: ut quatuor Hispani rurale quoddā ingressi, per horas quatuor in eo uagati fuerint, antequam ipsius exitum ob magnitudinem comperire potuerint. Per interpretes tandē & captos in prælio, regulū et eius primarios accersunt, ut inermes et supplices ueniant: datur opera, parent dicto, domus quisque suas repetit, pacem illis præstant lege proposita, ut ab horrentibus humanorum corporum cærimonijs erga manes & perniciosos dæmones, quorū simulacra uenerantur, abstinerēt, nostroque deo Christo cœli terrarumque satori, ex Virgine munda præstito, & ad humani generis leuamen crucifixo, dirigant mentis oculos, ut'que regi Hispaniæ se subditos fore profiteantur. Pollicentur utrunque. quantum breuitas temporis passa est instruuntur, restitutos nostratibus muneribus cōtentos reddunt. E' cœlo missos arbitrantur uiros, qui adeò pauci nume-

numero ausi sint contra ingentem multitudinem manum conserere: nostros A
et illi quibusdam aureis donis affecerunt, seruas etiam uiginti donarunt. His ita relictis, alias eorundem litorum terras quæsituri abeunt, sinum repetunt sub Grisalua repertum ab Alamino, cui nomen dedere Bian sancti Ioannis: Bian uocat Hispanus sinum, pacatis animis ueniunt accolæ. Ab litore oppidum erat distans milliare, domorum aiunt mille quingentarum, super tumulo erectum: ad oppidi hospitia inuitant nostros, dimidiam oppidi partem offerunt, si perpetui uelint esse habitatores secum: putant, uel Potanchamensium exemplo perterritos, ad quos iam forte fama peruenerat, uel sub talium uirorum umbra sperasse in uicinos hostes fauorem & auxilium habituros. Perpetuis nanque mutuis se bellis cōficiunt imperij cupiditate. Recusant æternam sedem, annuunt temporaneā. Redeuntes ad litus, nostros sequitur populus, scenas illis & ramata mapalia summa cum diligentia erigunt, & tutissimis tegminibus à pluuia cooperiunt: castra ibi locāt, ne marcescāt socij. Prætor Alamino nauclero & Francisco Montegio dat negotiū, ut illius terræ occidentem uestigare intendant, fessos interim ipse recreaturus, & curaturus saucios. In Potanchano manet ergo prætor cum reliquis, Bergantinos præbet ituris duos, homines quinquaginta. Ad hunc usque sinum lenis erat decursus aquarum: ubi paulo inferius ad occidentem ad nauigarunt, ac si ex montibus altis à torrente raperentur, ita impetus illos æquoris breui spatio ad quinquaginta à socijs transportauit milliaria: in aquarum cōcursum incidunt. A' læua uasta maris planicies sese ostendit, quæ descendentibus ad occidentem undis obuiabat, uti duo ingentia flumina, quando conueniunt ex aduerso, ita uidebantur à meridie uenientes aquæ, tanquam hostibus in ius alienum pedem inferentibus, primis possessoribus uelle obsistere. Ex opposito terram uiderunt longè à læua & à dextra, minime fluctuabant, inter eos conflictus uorticibus agitabantur in diuersa, qui ferè illos deglutierant, sine spe uitæ diu hæsitarunt, flectunt proras, aduerso torrente unde uenerant, B
luctantur remis uelisque innixi, superare uix poterant impetum, quando secessisse putarūt ad minus passuum duo millia, una nocte quatuor se fuisse retractos inuenerunt. Vicerunt tandē illud graue certamen deo fauente. Duos & uiginti dies in eo paruo maris spatio consumpserunt, ad socios tandem redeunt, rem aperiunt, finem eum esse terram Colluacanæ, putatique continētis adiudicarunt. Terram uero procul uisam à fronte, uel continenti nostro annexam, uel Septentrionalibus coniungi plagis ad Bachalaos, de quibus late in decadibus. Restat adhuc res hæc in dubio, detegetur aliquādo. Dum Alaminus & Franciscus Montegius hęc secreta inuestigarent à rege prouincię, qui Multoxumam dicitur, per unum ex eius proceribus prædicto imperantem oppido, nomine Quintalbitor, multis pretiosis mirisque modis laboratis muneribus aureis argēteisque, & lapillis ornatis nostri donantur: statuunt ad nouum Cęsarem nostrum mittere de colonia deducēda, gubernatore Dieco Velasquen inconsulto, qui eos cum mandatis miserat, ut prouincijs peragratis, & redempto auro, regrederentur. Consilium ineunt, in diuersa tendunt, errorem fore proponunt aliqui: pars maior suffragatur, non esse de gubernatore curandum, quandoquidem res ad maius tribunal, ad regem scilicet deduceretur: uicit populus. A' Benigno rege commeatum capiūt. Ad millia inde duodecim in gleba fortunatissima cōdendæ coloniæ locum assignant, generalem eligunt gubernatorem, prætorem ipsum Corthesium: non desunt qui putent eo inuito. Is magistratus alios creat, ad condendę urbis regimen, Portucarerium & Montegium, de quibus satis. nuntios ad regem mittēdos eligunt eodem Alamino nauclero duce, quatuor sponte sua primarij nostras uisum terras ueniunt, regemque adeo potentem, ut eius autoritas iam in infinitum protendatur: ducuntur & fœminę duæ, quæ nostris more patrio pareant & obsequantur. Suffusca gens est, auricularum torulos uterque sexus perforat, gemmatosque aureos perpendiculos circūferunt. Sed uiri quicquid

est

est inter inferioris labij marginem extremum, & dentium inferiorum radi-ces perturant (uti nos auro digitos gestādo circumligamus) in eo labiorum foramine ampliori, lamina subtili retinente interius prodeuntem, argenteū Carolenum æquat eius morulis rotunditas, crassitudo digitum. Fœdius me uidisse nunquam recordor. Putant tamen illi elegantius nihil esse sub orbe lunæ. Quo exemplo quàm uane ruat gens humana in sui cæcitatem, quàm-que fallamur omnes edocemur. Existimat Aethiops nigrum colorem can-dido pulchriorē, putat & candidus aliter: detonsus capillato, barbatus im-berbi se credit esse spectabiliorem. Appetitu ergo urgente, non ratione sua-dente tendit gens humana ad ineptias huiusmodi, regiturq; suo sensu quæq; prouincia, ut inquit diuus Hieronymus, uana eligimus, à certis & commo-dis abhorremus. Vnde habeant aurum satis dictum est, sed unde argentum nostri sunt admirati. Montes altos ostendunt, horum cacumina perpetuis canescunt niuibus, & paucis anni temporibus uerticem ostēdunt, ob nubiū aut nebularum densitatem. Plana ergo uel mitia montana, aurum procrea-re uidentur, asperi uero montes & gelidæ eorum ualles argentum: aurichal-cum etiam assequūtur. Secures bellicas nanq; ac ligones fossorios apud hos inueniunt, ferrū aut chalybem minime. Ad munera ergo regi allata deuenia-mus, & à libris ordiamur. Diximus libros habere gentes has: libros attule-runt unà cum cęteris muneribus, hi Colluacanæ noui coloni, procuratores, nuntij multos. Scriptibilia sunt eorum folia ex interiore arborum tenui cor-tice, sub libro superiore creato. Rarum aiunt esse, uti uidemus, nō in saliceo aut ulmeo, sed uti cernere fas est in palmularum esui aptarum tela dura folia exteriora intersecāte, ueluti retia foraminibus & maculis angustis cōtexta, bitumine tenaci retiacula compingunt. Ad optatam hinc formam mollefa-cta conuertunt, & extendunt ad libitum, dureq; facta liniunt gipso. Putan-dum est autem eos aliqua gipso consanguinea materia tabellas uidisse. Cre-dendum est gipso in farinam cribrato superfultas, in quibus quicquid uenit in mentē, scribi potest, deinde spongia uel panniculo deleri, ut denuo reite-retur. Ex ficuum tabellis fiunt libelli, quos magnarum domorum dispensato-res per fora secum ferunt, stiloq; metallico merces emptas coaptant, delen-das quando iam in computatorios codices traduxerint. Non foliatim libros concinnant, sed in longū distendūt, ad plures cubitos: materias in quadratas reducunt partes, non solutas, sed tenaci bitumine flexibili adeo coniunctas, ut ligneis compactæ tabellis, arguti librarij uideantur manus subijsse. Qua-cunque pateat liber apertus, duæ sese facies inscriptæ offerunt, duæ paginæ apparent, totidem sub illis latent, nisi protendatur in longum. Sub uno nanque folio multa coniuncta folia consistunt. Sunt characteres à nostris ualde dissimiles, taxillis, hamis, laqueis, limis, stellisq; ac formis eiusmodi, lineatim exarati nostro more, Aegyptias ferè formas æmulantur: interlinea-tim hominum, animaliumq; species, regum præcipue ac procerum depin-gunt, quare credendum est gesta esse ibi maiorum cuiusque regis conscri-pta, quemadmodum nostra fit tempestate. Videmus sæpenumero eos ge-neralibus historijs, fabulosis etiam codicibus, ipsius rei, quæ narratur, ad alliciendos emere cupientium animos autorum, figuras interserere, arte quoque grata superiores tabulas compingunt, nil differre à nostris clausi ui-dentur: legum quoq; & sacrificiorū, cærimoniarumq; ritus, astronomicasq; annotationes, & computationes quasdā, seminandiq; rationes & tempora, libris commendant. Annū ab occasu heliaco Vergiliarum incipiunt, & mē-sibus claudunt lunaribus. Mensem autem à luna nominant tona: quum men-ses signare intendunt, tonas inquiunt: lunam eorum lingua tona dicūt. Dies autem à sole, unde tot soles quot dies: eorū idiomate sol tonaticus dicitur, ali-cubi tamē aliter: sed nulla ratione moti, annū distribuunt in menses uiginti, menses autem etiam diebus uiginti concludunt. Templa quæ frequentant, aureis ornant auleis, & supellectilibus gēmeis admixtis, die illucescente thu-

Tona

rificans

rificant templa, piasq; spargunt preces ante rerum initia. Horrēdum facinus
in sacrificijs, et istorum tractuum habitatores omnes pro uictimis pueros pu A
ellasq; sacrificant, eo modo quo supra dictum est. Quo tempore semina iacit
in terram, & quando iam spicat segetes, populos seruos pretio emptos, laute
depastos, & pretiosis uestibus ornatos suis Cemibus destinat sacrificandos:
per dies uiginti immolandos circumducunt, transeuntes per uicos oppida-
ni suppliciter salutant, ueluti inter cœlites propediem annumerandos. Acri
alia pietate Cemes uenerantur, suum proprium sanguinem offerunt, è lin-
gua, hic è labijs, ille ex auribus, aliqui à pectore uel femore, aut cruribus,
multi acutis nouaculis uulneratim emungunt sanguinem, quem manu rece
ptum roratim proiectum cœlum uersus, per templi pauimēta conspergunt,
ita placatos reddi deos arbitrātur. A' uilla Ricca, id est, noua colonia, distat
milliaria nouem oppidum domorum quindecim millium, ueteri incolarum
nomine Cemobal, noua Sibylia: regulum reperiunt clausos habentem im-
molandos seruos quinque: abductos regulus supplex repetit, inquiens per-
niciem mihi regnoq; huic meo uniuerso astruitis, si seruos immolandos mi-
hi auferetis. Irati nostri Cemes sata omnia à gurgulionibus corrodi, uel grā
dinibus deturbari, aut siccitate consumi, uel torrentibus imbribus uastari
permittent cessantibus sacrificijs. Ne desperati desciscerent Cempoalani, mi
nus malum elegerunt, in præsentia rati non esse tempus eis inuitis prohibe-
re, quin ueteres ritus exerceant, seruos restituerunt. Licet illis sacerdotes glo
riam æternam, & perpetuas delitias polliceantur, deorumq; familiaritatem
post huius seculi procellosos dies: mœsti tamen hæc promissa auscultabant,
maluissentq; liberari. Sacerdotes Quines appellāt, singulari numero Quin,
cœlibes uiuunt & incorrupti. Cum timore reuerenti sacerdotes ueneran-
tur: hostium & in bello captorum ossa carnibus exesis in fasciculos liga-
ta, ad Cemium pedes suspendunt, ueluti uictoriæ trophæa, luctorum titulis
superpositis. Notandum aliud: Referunt, anniculos iam pueros puellasq; cū
pijs cærimonijs, sacerdotes in templis aqua in crucem cum urceolo capiti B
superiniecta baptizare uidentur, uerba non recipiunt, actus & murmura li-
cet animaduertere. Neq; illi, uti Mahumetici aut Iudæi, putant eorum tem-
pla uiolari, si alienigenæ legis quisquam eorum sacris intersit. De libris, tem
plis, ac sacrorum ritibus satis dictum putamus, ad alia regi allata munera de
ueniamus. Duas attulerunt molas, uti trusatiles, unam auream, argenteam
alterā, solidas, tenues tamē: circumferentia ferè pari spitanarū octo & uigin-
ti ponderis Castellanorum, est aurea trium millium octingentorum. Dixi-
mus castellanum esse monetam auream, quæ ducatum triente superat. Eius
cētrum occupat ueluti regis in throno sedentis cubitalis imago dimidia, ad
genu usq; uestita, Genij similis, eo uultu quo nocturnos lemures pictores no
stri pingere sunt soliti, campus ramis, floribus effigiatus: eadem est argenteę
facies. Ferè idem pondus utrunq;, metallum purum. Aurea etiam grana ru-
dia, non conflata, in argumentum auri natiui, ut ciceres aut lentes attulerūt.
Torques quoque aureos duos, quorum alter constat catenullis octo, quibus
inserti sunt rubri lapilli, non pyropi tamen, duo & triginta supra ducentum:
uirides autem tres & octoaginta supra cētum, non smaragdi tamē. Eiusdem
sunt existimationis illi, qua hi apud nostros nobiles. Ab eius torquis fim-
bria tintinnabula pēdent aures septem & uiginti, figuris quatuor gemmeis
auro ligatis intersecta. Dependent à singulis aurei perpendiculi. Torquis al-
ter est quatuor catenularum aurearum, per gyros rubris ornatarum lapillis
centum duobus, uiridibus autem centum septuaginta duobus, sex & uigin-
ti aureorum tintinnabulorum eleganter comptorum. In ipsius torquis me-
dio decem sunt insertæ magnæ gemmæ auro circumligatę, à quibus centum
perpēdiculi suspensi egregiè laborati. Coriaceos cothurnos diuersorum co
lorum afferunt, forte duodecim, hos auro, argēto illos, gemmis alios fultos,
coloribus tum glaucis, tum uiridibus, à singulis tintinnabula pēdent aurea.

Tiaras

A Tiaras mitras,uarijs gemmis insutas,glaucis sapphyros æmulantibus refertas portant. De cristis,zonis, & flabellis plumeis quid referre queam nõ sentio. Si quid unquam honoris humana ingenia in huiusmodi artibus sunt adepta,principatum iure merito ista consequentur. Aurum gemmasq; non admiror quidem:qua industria, quo ue studio superet opus, materiam stupeo: mille figuras,et facies mille perspexi,quas scribere nequeo. Quid oculos hominum sua pulchritudine æque possit allicere, meo iudicio uidi nunquam. Notarum nobis uolucrum sunt pennæ lucidissimæ,uti pauonum aut phasianorum caudas uisas admirarentur: ita & nos illorum pennas, quibus & flabella & cristas conficiunt,& elegantia ornant cuncta. Glaucos,uirides, flauosq; ac rubros,ac candidos, suffuscos etiam colores pennis inesse natiuos inspeximus:auro cuncta illa instrumenta confingunt. Galeas attulere duas gemmis glaucis coopertas:unam tintinnabulis aureis fimbriatam, & aureis pluribus laminis,duobus aureis calculis tintinnabula sustinẽtibus: altera gemmis eisdem, sed quinque ac uiginti fimbriata est tintinnabulis aureis, cristata uiridi uolucre conum occupante, cuius pedes, rostrum, & oculi, aurea. Singula uero tintinnabula singuli sustinent aurei calculi, fuscinas quatuor tridentes pennatas uarijs coloribus intextas, quarum dentes sunt gemmei, filis aureis colligati. Eodem ordine sceptrum ingens gemmatum cum duobus aureis tintinnabulis. Aureum etiam brachiale, calceos ex corio ceruino,aureo filo consutos, solea candida subiecta:ex lucido lapillo semiglauco,unà & candido circumseptum auro speculum,sphingem,forte lapidem diaphonium auro circumligatum: magni lacerti caput, & cochleas ingentes duas, anates aureas duas, & uariarum uolucrum species aureas. Quatuor & pisces cephalos aureos & ex aurichalco uirgam: pennis miris
B modis insuta omnia. Portarunt bellicas peltas, & ancylia. Scuta quatuor & uiginti aurea, & argentea quinq;. Mitram plumis uarijs contextam,in cuius fronte media lamina insculpta est aurea,effigiata Cemi idolo. Figuram quatuor aliæ sepiunt in modum crucis aureæ laminæ,uariorum animalium,leonum puta,tigrium, & luporum capita,uirgis & tabellis formata animalia,ipsorum corijs superinsutis,aurichalceis tintinnabulis ornata,et diuersorum animalium corijs integra,& egregie cõfecta. Lodices uarias gossapinas,candido,nigro & flauo coloribus intextas,duas auro & gemmis dites,tresq; alias pennis & gossapino intextas scacorum ludo,quod argumẽtum est & scacorum fritillos habere eos in usu. Aliam à fronte nigro,candido, rubroq; coloribus intrinsecus rasam sine uarietate. Aliam eodem modo intextam,aliorum colorum, rota nigra medium tenente, radiata pennis lucentibus intermixtis: candidas & alias lodices duas peristromata, aulæa, & sagulum patrio more uiri gestamẽ,& textas interiores,& capitis uelamina uaria tenuissima,& pleraq; alia pulchra uisu magis quàm pretiosa,quæ arbitror iam plurimorum lectorum ingenijs, quod harum rerum cognitio parum sit fructifera,tædiosa potius fore, quàm delectabilia narratu. Prætermitto & innumeras nauigantium particulas,de laboribus,egestate, & periculis, & de monstris,& aduersis multis, quibus interdum non absq; uitæ discrimine exerciti fuerunt,quæ in suis annotationibus quisq; edisserit,in nostroq; regio rerum Indicarum senatu leguntur, ex uarijs & multis eorum indicibus & priuatis literis hæc pauca collegi. Munerum tamen latores & Ferdinandus Cortesius,classis ipsius præfectus, & cõdendæ Coloniæ nouæ in extremis terris autor, à regio Indico senatu contra rectum iustumq; fecisse iudicantur, qui inconsulto Cubæ gubernatore, qui eos autoritate regia miserat, prouinciam susceperint ab eius mandato alienam,quiq; uenerint,licet ad regem, se insalutato. Per procuratorem fugitiuos latrones, & læsæ maiestatis reos Cubæ gubernator appellat,ac in ius uocat. Illi autem se maius multo præstitisse regi obsequium, uenisseq; ad maius tribunal arguunt. Petit capite puniantur gubernator. Petunt magistratus isti, & sumptorum tot laborum & periculo

rum præmium. Præmiũ & mulcta differtur: ut pars utraq; audiatur, statutum & sancitum est. Iam ad Darienenses Vrabæ sinus in putato cõtinenti habitatores ueniamus. Darienem diximus esse fluuiũ in occidentale Vrabæ sinus cadentem latus. In huius ripa Hispani coloniã, regulo Cemato ui armorum pulso, posuerunt. Coloniæ nomẽ ex uoto pugnæ tempore promisso dixere, Sancta Maria antiqua. Ad hos diximus in calce Decadũ fuisse missos eo anno quo scribere desijmus, duce Petro Aria Abulensi, uiros mille ducentos, id petente Vasco Mugnoe Balboa, qui primus australe pelagus latens adhuc detexerat, & Darienensibus præerat. Appulso ad Darienem Petro Aria gubernatore, cũ ampla regia potestate, diximus fuisse destinatos per diuersa cũ uarijs peditũ turmis diuersos cẽturiones. Breuibus absoluã, quia horrida omnia, suauia nulla: ex quo nostrę Decades desierunt, nil aliud actum est, nisi perimere ac perimi, trucidare ac trucidari. Ad uoluntatem creauerat rex Vascum: nequiuit diu ferre Petri Ariæ imperium: dissiderunt animis: confuderunt omnia: intercessit tẽpus, Ioannes Caicedus Franciscanæ religionis pulpitarius Vasco promisit filiam in uxorem Petri Ariæ. Ars inter rerũ duces, qua conueniãt, nulla reperitur. Dissident multo acrius, & res ad talẽ casum deducta est, ut occasionẽ nactus in Vascum Petrus Aries, processu per prętores urbanos formato, iugulari Vascum mandauerit, & unà primarios quinq; alios: inquiens Vascum sociosq; defectioni studuisse in mari australi, ubi classiculam nauigiorum quatuor Vascus ipse construxerat, ad australia putati continentis litora inuestiganda, dixisse Vascum commilitonibus trecentis, quos secum habet: En quid uiri tot laborum & periculorum mecum participes alieno semper subiecti imperio erimus? Quis ferre possit iam huius gubernatoris insolentiam? litora hæc sequamur quò sors dederit, & inter tot Elysias prouincias tam uastæ telluris unam eligamus, in qua nobis ipsis quod uitæ superest, liberi iam tandem uiuere possimus. Quis hominum nos reperire poterit, aut repertis uim inferre? Res ad gubernatorem delata est: Vascum ab Austro accersit Petrus Aries: paret dicto Vascus: in catenas conijcitur, negat Vascus tale consilium cogitasset: testes quæruntur male factorum quæ patrauerat: ab initio dicta colliguntur: morte dignus censetur: perimitur. Ita laboribus & periculis, quæ subiuit innumera miser Vascus, quãdo maiores se titulos adepturum sperabat, finem imposuit. Classiculam Petrus Aries ipse, uxore in Dariene relicta, conscendit, scrutaturus litora: nondum an redierit intelligimus: neque ipsi deest fortuna. Iam alius est designatus gubernator, dictus Lupus Sosa, ex fortunatis insulis, ubi extitit pro rex, reuocatus ab Dariene, quid stomachi sit habiturus si redierit Petrus Aries, boni iudicent: nil unquam gloria dignum sub eo actum est: nimiũ remissum ab initio fuisse hinc arguitur: illinc autem nimis indulgentem, & parum seuerum in corrigendis erroribus. De hoc satis. Omissa quædam repetamus de flumine ingenti Dabaida profundissimo, quem nostri ob latitudinem ac magnitudinem eius immensam Grandem uocitarunt: qui labitur in ultimũ Vrabæ sinus angulum, per portas (uti Nilus in Aegyptium mare) septem. Cuius copiosam descriptionẽ reperies in Decadib. nostris. Quod eius mõtana sint auro ditissima, ex accolarum quos super ijs rebus accurate interrogauimus relatu, dixi. Dabaidæ arcana scrutaturi Vascus & prætores alij cõpositis agminibus aduerso flumine cum nauibus diuersarum specierũ, quater conscenderunt, quadraginta millia passuum primo, mox quinquaginta, demum octuaginta, ex transuerso alias. O' ingens facinus, ô nostrã detestandam ignauiam, gens nuda uestitam, inermis armatam in omni ferè conflictu profligauit semper, trucidauit ad unum, aliquando uulneribus confecit omnes. Sagittis bella gerentes uenenatis hostem lacessentem impetunt: & quà uisu hostium carnes assequuntur detectas, ictum figunt certissimum. Habent & iacula, quæ pugnæ tempore tam crebra iaculantur eminus, ut more nubis solem hostibus eripiant. Habent & ligneos durefactos enses latos, qui bus



A bus cominus certant ferociter, si ad manus deueniatur, & Vascũ ipsum multis uulneribus confecerunt aliquando. Ita flumen Dabaida propulsantium accolarum rabie exploratum relinquitur. Restat ut de Hispaniola reliquarum insularum genitrice ac ceu primaria earum, de quibus narrare instituimus, pauca dicamus. Resarcitus est in ea senatus, quinq; sunt additi iudices, qui uniuersis illis tractibus leges præbeant. Sed propediem in ea colligere aurum, licet sit auro prægnans, desinent, quia fossores deerunt: ad exiguum miseri accolæ redacti sunt numerum, quorum opera auro legendo usi sunt. Absumpti sunt ab initio bellis acribus, fame multo plures: quo anno radicẽ, qua panem nobilium conficiebant, eruerunt, & à maijcio grano seminando pane populari abstinuerunt: reliquos uarij morbi, ignoti hactenus, anno millesimo quingentesimo decimo octauo, qui tanquam morbosas pecudes contagioso halitu eos inuaserant, & unà, ne mẽtiamur, auri cupiditas: in quo effodiendo, cribrando ac legendo miseros post iacta semina, otiosis ludis ac tripudijs, & piscationi, aut parui cuniculi uenationi assuetos, inhumane nimis exagitarunt. Iam per regium uniuersum senatum sancitum est, ut liberi reducantur in populos & agriculturæ generationiq; indulgeant, Serui autem & aliunde empti, ad id aurifodinarum opificium trahantur. De auri mortifera fame satis dictum. Auditu est mirandum, quantum in hac insula coalescant omnia. Octo & uiginti in ea sunt torcularia erecta, quibus magna saccari copia extorquetur. Saccareas aiunt cannas altiores crassioresq; in hac insula creari quàm alibi usquam reperiantur, ad crassitudinem lacertalem aiunt & uirilis staturæ, ac semis altitudinem nutriri, & quod maius, Valentiæ Hispanæ, ubi ingens saccari copia quotannis elicitur, ubicunq; saccareis cannis inuigilatur, quinque uel sex, aut quando copiosius, septem phialas cannas quæque radix parturit: in Hispaniola uiginti aut triginta interdum. Quadrupedum est in ea copia immensa. Auri rabida sitis à cultura Hispanos hactenus diuertit. Triticum augetur in immensum, ita ut centesimum aliquando
B reddidisse dicatur: ubi cura sit, in collibus aut montanis iugis, ad Boreã præcipue uersis, tritico serendo intendere. Coalescunt & uites in eisdem partibus. De arboribus uero cassiam fistulam gignentibus, ex insulis putato continenti uicinis asportatis (de quibus mentionem fecimus in Decadum libellis) quid dicemus? Tãta est iam copia, ut post paucos annos librã simus unciæ loco à pharmacopolis habituri. De syluis coccineis, deq; reliquis huius beatæ insulæ prærogatiuis, & naturæ in illam porrecta beneficentia, satis multa in Decadibus. Placuit tamen pleraque repetere, quia à grandium negotiorum mole arbitror ad huiuscemodi rerum recordationem multorum lectorum ingenia diuertisse: nec labia detorquent, quæ sunt sapida, modo materia pretiosa pretiosis uestibus induatur.

FINIS.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM FEDERICVM SACROsanctæ militiæ ordinis diuæ uirginis Teutonicorum protomagistrum, Saxoniæ ducem, Thuringiæ Lantgrauium, ac Marchionem Misniæ, Erasmi Stellæ Libanothani in antiquitates Borussiæ præfatio.


ET si uereor Federice princeps, res Borussicas altius & à prima origine repetiturus, antiquitatem in his quæ usque eo latuit, ue lut ex cauea in scenam theatrumq; producturus, multorum risus, ronchos & cachinnos, demumq; explosionem magis quàm applausum legentis turbæ me incursurum, tum quod id secum ferat antiquitas, ceu Aristoteles in Problematis perhibet, ut res anilibus

fabulis simillimas narrare uideatur, tum quod res Borussiæ diuturna barbarie, sine ullis literarum monumentis quasi perpetuis tenebris mancipatæ, & in ipso lethæo demersæ penè obriguisse extimantur, adeoq; concretæ, ut etiam phœbeo calore agitatæ uix incalescere possint, quo iterum lucem solemq; admittant. Verum dum hi blaterones tuam celsitudinem istius ludi agonothetam in orchestra conspexerint, sub cuius umbraculis me in hanc scenam prodijsse pernoscant, forte ne lingulaces infreniq; ore à te sapientissimo principe iudicentur, maledictis temperabunt, simul & nasum continebunt. Quod si nec reueriti tuam maiestatem, effrenataq; lingua uerbis non æquis defluant, malignitatis quoque aculeos haud recondere uelint, imò blaterare malint, nihil est quo perhorrescere oppidò possim, ut cœptam scenam interturbem. Ronchisent hi nasutuli, obstrepent, clament, arguant, criminētur, exibilēt deniq;, dummodo tibi plausibilis, lepida ac iucunda nostra actitatio uisa fuerit. Antigonidas olim musicæ artis peritissimus, cum discipulo in arte probe instituto, populo tamen non admodum grato, in scenam progressus cunctis audientibus dixisse fertur: Mihi cane & Musis, quia uide licet ars bene cœpta, quanquam populi lenocinio destituatur, iusta tamen comprobatione non exuitur. Sed ut tandem his respondeam, qui longe petitas historias calumniantur, ceu minus fidei illis insit, cæcutientibus id forsan euenit & nocturnis oculis, sed penes clare cernentes plus dignitatis antiquitati inesse, nemo sanæ mentis ambigit. Ne quoq; res Borussicas ceu sempiternis tenebris obnoxias, & minime ad solem lucemq; ex caliginoso uetustatis recessu redituras, possint argumentari, meminerint saltem quæ de Hercule feruntur, qui cerberum tricipitem ab inferis, solemq; hunc nostrum ac calorem ferre coēgisse dicitur, Threicium & uatem raptam sibi Eurydicē ex tartareis sedibus diuina sua suauiloquentia eduxisse. Ob id nec inficias eant locutulei, res Borussicas quantumcunque umbra uetustatis contectas ac rubigine obductas, imò in abditissimos recessus actas, curiosa indagatio ne non posse non restitui, ex noctisq; caliganti nebula eximi, ac claritate diei illustrari ornariq;: quum hæc ipsa indagatio, puta industria, unica ab omnibus esse afferitur, cui nihil inaccessum, nihil occlusum relictum sit. Hæc res quomodolibet obstrusas, & in penetrabilibus reconditas elici, exprimit & promit. Hac cœlum petit, & subterranea regna subintrat, maria scrutatur, oculis subijcit quicquid usquam latet sepultumq; est. Illa ipsa Homerum cæcum plus Argo mille oculos habente uidere dedit. Hæc Zeusim Helenam nunquam à se uisam tanta uenustate depingere, docuit ut eius forma digna iudicaretur, propter quam tantum laboris subijsset Græcia, & alta Pergama ruerent. Hæc Phidiam statuarium dignissimum, simulachrum Iouis exprimentem eò usque euexit, ut diuinitatis effigiem è cœlo mutuatus diceretur. Hæc eadem fores antiquitatum Borussiæ uectibus è cardine semotis, ut paterent effecit, extraq; latebras quicquid de his obuallatum fuerat produxit. Hac adminiculatrice ex imo lethæi fluminis cœno hæ ipsæ conquisitæ erutæq; sunt, & utcunque à sordibus detersæ, sese ceu postliminio reuersæ, tuis luminibus conspectuiq; illustrissime princeps, primum ostentantes, te ut felicem moderatorem suum salutant, ut patrem patriæ uenerantur: & quicquid usquam in secundiorem sortem, faciemq; splendidiorem commutatum, ceu ferme singula aspexerint, id totum tibi sacræq; sanctæ militiæ, cuius tu magister, imò dictator perpetuus extas, tribuūt. Quod si sunt qui te circumstant, & has ineffigiatas rudesq; Borussiæ imagines toruis luminibus respexerint, abigendasq; duxerint, quod sine cultu ornatiori, & penè inuestes in hunc augustissimum consessum productæ sunt, his responsum sit: Fœminam probam pigmenta fucumq; non decere, nec orationem fidem habiturā unguenta usqueadeo redolere. Logographis id tribuimus, ut quodcunque suauius quàm uerius narent. Nos in his commentariolis sine fraude, omni apparatu orationis seposito, Borussiæ antiquitates exposuimus: ut si qui futuri sint, cultiori

Industriæ uis

cultiori sermone res Borussicas describere uolentes; hinc sumere possint, quod ornatũ iri tantopere uelint. Nuda nanq; hęc oratio facile quẽ quis imponet cultum perferet. Vt autẽ, fidem sine scoria habituri sint hi nostri commentarioli uetustate & carie oppleti, ipsos ex præclarissimis rerum scriptoribus elucubratos esse fidem facio, Plinio scilicet, Solino, Pomponio Mela, Cornelio Tacito, Strabone, Ptolemæo: ex neotericis Gordano, qui primus res Gothorum literis mandauit, nostro Alberto Magno, qui has inuisit & peragrauit, Othone Freisingensi episcopo, qui quinque imperatorum Ro. res gestas luculenter scripsit, Helmodo Lubecensi presbytero, qui res Sclauorum haud ineleganter prosequutus est, Borussicasq; simul attigit, Blondo Foroliuiensi, Aenea Syluio, & præter hos quicquid annales Borussiæ usquam uetustatis habuere, pleraque etiam per acceptionem. Nam apud Val. Maximum locus est, quo res suo seculo cognitas, & absque literarum monumentis conseruatas manare ad posteros indicantur, sola scilicet traditione patrum. Id genus disciplinæ Hebræis etiam usitatissimum est. Huiuscemodi innixis fulcimentis, commentariolos nostros non temere edi posse arbitratus. Ne autem manus nostras excedentes absque patrocinio uagabundi errent, ipsos nomini tuo illustrissimo dedicãdos duxi, tum quod neminem magis rerum Borussiæ cognitio deceat, quàm Borussiæ principem, tum quod pari tutela hac nostra ętate ac prisca Borussia fruatur. Quum igitur princeps illustrissime simul & inuictissime à curis publicis feriatus fueris, frequenti quoq; ueterum, quibus inhias, lectitatione satiatus magis quàm lassatus, etiam domestica peculiariaq; inuisas legasq;: subinde agnosces in his Borussiæ præter ueteres eius limites, uarios ipsius cultores: crebro enim illinc migratum est, aliquorum maiore numero cogente: moresq; uetustiores: quos si ad præsentes accommodabis, non obscure lucebit quanta sunt quæ sacrosancta militia Teutonicorum in Borussia egerit. Optimo enim iure gloriari poteris, eam quam patres regionem barbaram, incultam, asperam, idololatram, fœdam ac rerum omnium inopem acceperant, illam ipsam splendidam, cultam, ciuilem, opulentam, humanam, & quod maximum est, Christianam reddiderunt & reliquerunt. O felix nimium Borussia, si sua norit bona illo principatu. Facile demum illustrissime princeps deprehendes, quàm iusto dei iudicio Borussia ad Germanorum redierit incolatum: quũ Germaniæ & pars sit, & Germanis à rerum exordio debita, inhabitata, luculentissimorum scriptorum testimonio. Cur, me iudice, indigne iterum à quibuscunq; alijs gentibus inhabitatur administratur'ue? Ego autem hanc scribendi prouinciam non tam mea sponte quàm iussu uenerandi antistitis Iobi Pomesamiensis, à nullo antea tentatam accepi, ut meo Marte aduersus quoscunq; aliter de Borussiæ finibus & populo sentientibus, ceu pro aris & focis dimicaturus sim, ultima potius perpeti certus, quàm ignauiter cessurus. Te igitur principem inuictissimum, & ad arma progenitum, pro tua uirtute rogo, ne desistas auxilia ferre tam pio ac iusto bello, ut iunctis uiribus omnem colluuiem barbarorum ex his tuis finibus eliminemus. Nullum enim apud me dubium uertitur, si tuo Marte agendum erit, facile hanc oram ex manibus iniuste occupantium uindicabimus. Quod breui futurum, modo fata sinant, tuæ auitæq; uirtutes, ac genitoris tui præclara facinora admonent. Nunc ad institutum pergamus.

ERASMI STELLAE LIBANOTHANI DE BORVSSIAE ANTIQVITATIBVS LIBER PRIMVS. A



BOrussia ultimæ Germaniæ ora, à Vistula amne, quem ad occidētem terminum habet, incipiens, sinusq́ Baltici maris, qui septentrionale latus eius ambiunt, percurrens, orientalem solem ab Alanis excipiens, montibus Hamaxobijs australe latus eius obtegentibus, à quibus continuis syluarum iugis disterminatur. Fuit hæc terra diuersis habitata cultoribus. Nam ut Gordianus Gothus scribit, nuper Hulmigerij Germani eam tenuere, à quibus aliquandiu Hulmigeria dicta: hodieq́ ea pars quæ Vistulę accolit Culmigeria pro Hulmigeria uocitatur. Sed hi per Gothos quamprimū ex Scandauia in continentē descendissent, inde pulsi eam, ut is ait, occupauere. Ptolemęus aūt uetustiores incolas recensens, Gothones, Venedos, Stagnanos, & Sargatios Sudinosq́ his locis insedisse scribit, quibus Gelidanos simulq́ Gillones. Vacinos & Charinos, quos ipse Charionas nominat, addit, finesq́ ad Hamaxobios usq́ protendisse indicat. Ad Vistulam uero pauciores sedisse commonstrat: nam Finnos cum Venedis & Sulones duntaxat hanc oram habitasse ait. Hos autem populos nullo alio quodam communi nomine dignatur: forte quia non nus populus, nec in unum concessit nomen. Verum Cornelius Tacitus diligentius hæc loca conquirens ipsa Germaniæ prorsus adscribit: quanquam promiscue Sarmatis Germanisq́ populis habitata asseueret. Venedos enim Germanis connumerandos censet, quod & domos fingunt & scuta gestant, peditum usu ac pernicitate gaudent. Quæ omnia diuersa Sarmatis existere, in plaustris solum modo ac equis uiuētibus: quanquam & ipsi ex Sarmatarum moribus traxerant, quod uicinos latrocinio infestarent. Quicquid enim inter Peucinos, quos quidam Basternas dixere, syluarum ac montium erigitur, latrocinio pererrauere. Erant autem Peucini & Basternæ, ut Plinius testatur, contermini Dacis, sermone, cultu, sede ac domicilio Germanos referentes, multa tamen fœditate Sarmatarū contacti: nam et connubijs promiscuis utebantur, & proceres eorum pari sorde ac plebs torpebat. In dubium Tacitus uertit, Sarmatis ne an Germanis ascribantur: uerum hæc loca hodie Polonię ascribuntur. Plinius tamen ipsos Germanis connumerat: cui & Varini & Gothones Germani sunt, ex Vindelicorum genere. Vltimò autem regionem Borussij intrauerunt, populi qui Ptolemæo teste ad Riphæos montes, ubi in septentrionem fusius excurrunt, nec longe quà Tanais ex eis erumpit, sedes habuere, qui infelicitate sua conciti (perpetuis nanq́ niuibus algoribusq́ illic terra riget, ad omneq́ naturæ ministerium damnata est) ad nouas sedes capessendas patriam egressi in hęc loca delapsi sunt: quæ tum soli fertilitate, tum pascuorum lacuumq́ amœnitate ipsis quum primum placuere, nec non ultra progressi sunt, hic sedes unanimi consensu sibi desumentes, utq́ sibi ac posteris perpetuò essent duraturæ, terram uocabulo gentilitio Borussiam appellauere, quæ usq́ hodie unius literę suppressione Brussia uulgo dicitur. Hæc est uera huius gētis origo. Et cæterùm quicquid dicitur, perinde ac anilem fabulam habendum esse censeo. Facit istius rei fidem permaximam, quod usq́ hodie populi ad Riphæos habitantes, eodem pariq́ sermone quo hi utuntur. Borussij uero sedibus formatis, terram cultoribus uacuam (Gothi enim populariter eam excessere) nullo repugnante facile occupauerunt, circa eam portionem quæ ad Vistulam est. Hæc adhuc à paucissimis Germanis tenebatur. Propagantes igitur sese à Chrono flumine usq́ in cōtingentiam Hulmigerorum: quæ nuncupatio post pulsos per Gothos ueteres colonos è medio orę huic regioni accommodari cœperat, nomine suo breui cæterorum hic habitantium nomina obfuscauere: quod forte euenit, quia

Marginal notes: Hulmigerij; Borussia

A quia Borussij conterminis gentibus, puta Germanis, notiores extitere, uel quod multitudine suorum, amplaq; ac spatiosa oræ occupatione, ipsos etiã indigenas superarunt. Terrarum nanq; limites pro nutu potentiorum sæpenumero nomina sortiuntur, duratq; hodie ea nuncupatio, quod qui ex Germanis uel Vistulam, uel illic maris tractum accolunt, Borussij uocentur, qui tamen cum illis ipsis præter cœlum commune habeãt nihil, iustiusq; Borussienses nuncupandi forent. Terram hanc Borussij undiquaq; fœcundam longe lateq; incolentes, ipsam tamen minime excoluere, uel ob ignorationẽ rei rusticæ, uel ne bonitate soli deprehensa, & ipsi finitimorũ metui obnoxij fierent, indeq; eliminarentur, uel quod uictum è terræ nascentibus nondum nouere: carnibus nanq; ferinis, & quidem crudis pro cibo, lacteq; pro potu uescebantur: quandoq; etiam sanguine equino mixto, et eo usq; ad ebrietatem. Domos non fingebant, sed specubus & arborũ subere (unde etiam Subaria dicta comperitur) ab imbribus & algoribus sese ac infantes protexere. Nulla eis sacra aliquandiu fuere: tandem in eam deducti insaniã, ut serpentes ferasq; & arbores religiose colerẽt, ceu de his in subsequentibus dicemus. Nõ leges, non magistratus nouere: tantum cuiq; licuit, quantum audebat: nihil à feris uita illorum distabat. *Anarchia* Erga tamen naufragos, & maris tempestate iactatos, humaniores & illis ipsis undiquaq; auxilio fuere: in reliquis mira fœditas ac fœda paupertas: nam eis nec arma, nec ferrum fuerant. Si quando ad prælia inter se concurrerent, sudibus præustis & perticis utebantur. Non autem multi effluxere anni, quum Germani Hulmigeriam incolentes resumptis uiribus (nam per Gothos multum attriti fuerant) accitisq; trans Vistulam socijs, qui amne lintribus transmisso eis consedentes, & iunctis uiribus contra Borussios bella parant: penitiora quoq; regionis ingressi, quotquot Borussiorum offenderant, aut in seruitutem acceperant, aut retrocedere coẽgerant, breuiq; sese suosq; à metu barbarorum asseruere. Borussij uero quo à
B Germanis finitimis tutiores forent, se cum Sudinis, qui ultra Chroni fluenta sedes habent, eiusq; regionis aborigines creduntur, societatem iniere, qui tum uirtute & potentia plurimum pollebãt. Est autem Chronus fluuius qui *Chronus fl.* hodie Pergulus dicitur, quem in finibus Borussiæ ortum brumalem uersus, multi lacus eodem ferme loco se mutuo influentes efficiunt: qui Borussios à Samijs primum, ut Strabonis nomine utar, deinde à Sudinis disterminat, populis etiam Ro. armis tentatis magis quàm uictis. à Druso enim Germani, testante Plinio, classibus oppugnati sunt: qui primus Ro. ducum septentrionalem oceanum ingressus est, & post eum, Domitianum Cęsarem in expeditione quam contra Sarmatas, quod legionem cum legato necarent, instituit, ob succinum quod abundantius barbari illic inter maris eiectitia, soli omnium gentium excepere, bello petiti sunt, sed se magna eius rei propter quã peti se senserant copia, succini scilicet, redimentes, illacessiti remansere. Sed hic de succino obiter dicamus: abundat enim eo hæc ora, quæ quasi peninsula est ob sinuosos flexus maris, terramq; spatiose in freta excurrentẽ, in quã ui tempestatũ idipsum aduehitur: id olim à Germanis glessum dictũ est, ut eruditi scriptum reliquere. Inde glessaria regio ipsa à Ro. militia nuncupata, & ab alijs Subaria à subere, quum patrio nomine Sudinia uocetur: ab eruditis uero Austrasia. Succinum etiam sualternicum Scythico uocabulo barbari appellant. Vbiuis autem loci succinum gignatur, scriptores non conueniunt. Præter enim ea quæ fabulose de ipso in Phaëthontis fabula prodita sunt, Pitheas Gothonibus Germaniæ gentis accolis ęstuariũ Mentonomon nomine esse ait, ab oceano stadiorum sex millium, ab hoc diei nauigatione insulam abesse Abalum, ex illa uernis fluctibus succinum aduehi, & esse cõcreti maris purgamentum: incolasq; pro lignis eo uti dicit, proximisq; Teuthonis uẽdere: huic et Timęus assentit: sed insulam Basiliam uocauit. Nicias aũt solis radiorum succũ esse uoluit, hosq; circa occasum, ut ipse credit, uehementiores in terram actos, sudorem pinguẽ in eam partẽ oceani relinquere:

deinde æstuante mari in Germaniæ litora eijci. Mithridates in Germaniæ A litoribus insulã esse asserit, uocariq; eã Cedron, cedri genere syluosam, inde & in petras defluere, Cornelius Tacitus Effluorum gentem, qui dextro Suionici maris alluũtur, nuncq; Lissom uulgo nominantur, ipsum legere inter uada, ac cætera maris eiectitia ipso litore asserit: quod & hodie fieri cernimus. Quidam nostri temporis experti, ipsum è limo quorundam montium sole excalescente fluitare existimant, in herbidoq; solo atq; algido, quod his montibus subest, indurari: oceano illic efferuescente inde rapi, in proximaq; litora expelli. Indicium istius esse, quod ipsum aliquando ex solido eruitur, quod & ipsi uidimus: quanquam cerea mollitie, & pene lentum sit, ob id ipsum mari denuo immergunt, cuius rigore lapidescit. Hanc uero opinionẽ neq; omnino adstruere, neque refellere in animo est. Quod autem hos montes nominatim non ædunt, mihi suspitionem incertitudinis facit. Plinius uero naturæ fidissimus interpres, Germanici Cæsaris classibus bellum, ut dictum est, in septentrionali oceano, gerentis experientia innixus, tradit succinum gigni in insulis septentrionalis oceani, ipsumq; nasci defluente medulla ex pinei generis arboribus (ceu enim resina in cerasis, ita & in pinis humoris abundantia erumpit) densariq; rigore maris, eo intumescente ex insulis rapi, certoq; litore expelli: ita inuolutum herbis, ut ex his pendere uideatur, salo expui: succum uero arboris esse, ipsumq; primum liquidum distillare, argumento sunt quædam intus lucentia, ut formicæ, aut apes, etiam lacertæ, cæteraq; id genus, quæ adhæsisse musteo non est dubium, indurescente uero humore inclusas remanere. Pineæ autem arboris indicium est pineus in attritu odor, & quod accensum tædæ modo fragrat. Rude est informeq; ac glebæ simillimum, dum ex aquis excipitur, corticibus ac alijs rebus sibi inhærentibus: ob id diu incognitum barbaris, inter maris quisquilias iacebat. Germani idipsum primum nouisse traduntur, in Pannoniamq; ad Carnuntum oppidum aduexisse, inde Veneti ipsum accipientes, primum rei B fœminam fecere, mox proximi Pannoniæ circa Adriaticum mare Transpadaniq;, quorum agrestes fœminæ monilium uice, & decoris gratia succinũ gestauere. Hinc natam fabulam de Pado omnibus notam credimus. Eius esse genera quamplurima constat: candida, sed odoris præstantissimi sunt, quibus diu minus pretium erat: hac uero tempestate & fulua & cerea merce de præstant: ex fuluis etiam translucentibus amplior erat autoritas, præterquam si nimio ardore flagrent: imaginem enim igneam, non ignem inesse placet. Summa laus Phalernis tum fuit, à uini colore dictis, molli fulgore conspicuis: id ab aliquibus Chrysolectrum dici comperimus, quasi coloris aurei: rapacissimum id est igneum, & si iuxta fuerit celerrimè ardescẽs. Sunt in quibus decocti mellis lenitas placet. Domitius Nero Romanus imperator, capillos coniugis suæ Poppeæ in hoc nomen adoptauerat, ipsos quodam carmine succinos appellando. Ex eo tertius hic colos à matronis expeti cœpit in capillis. Dum quoque is gladiatorum munus Po. Ro. exhibiturus esset, Iuliano quodam equite Ro. id curante, ad ipsum comparandum misso, qui hæc littora peragrauit, uidit, ac commercia tentauit, tantam copiam Romam inuexit, ut retia in uenatione publice ædita eo nodarentur, armaq; & librilla, totusq; simul diei unius apparatus è succino esset: uisa tunc fuit gleba tredecim librarum. Solinus tamen refert id succinum à rege Germaniæ Neroni dono datum: cui sententiæ magis accedo. Tanta fuit eius, ut eruditi scriptum reliquere, in delitijs taxatio, ut hominis quamuis parua effigies uiuorum hominum uigentiumq; pretia superaret. Quumq; in alijs ad luxuriam quæsitis ostentatio & usus placeret, ceu in Corinthijs, æs, auro argentoq; mixtũ, in cælatis ars & ingeniũ: uniones quod capite, gemmę quod digitis circumferuntur. In succino, ut Plinius inquit, tantum delitiarum conscientia luxuriaq; expetita est. Est usus eius multiplex in medicina: nam ab infantibus pro amuleto gestatur: contra lymphationes & noctis metus, cui-

Succini pharmaca

cunq;

A cunq; ætati prodest: urinæ difficultatibus potum alligatumq;, quod Chrysolectrum uocāt, collo alligatum mederi febribus Callistratus prodidit. Tritum cum melle ac rosaceo aurium uitijs, & si cum Attico teratur, oculorū caliginem remouet. Stomachi etiam uitijs uel per se farina eius sumpta, uel cū mastice ex aqua pota, quod de candidis maxime crediderim. Tonsillis quoque resistere creditur, & fauciū uitijs: ob id mulieres Padanę ipsum circa colla longo seculo gestauere, uario genere aquarum iuxta illos infestāte guttura ac carnes uicinas: quod hodie Turcarū equestres copiæ in equis suis obseruant. Neotericorum pariter experientia ad citandos partus candida operari depromit: notissimum id Germaniæ mulieribus. Calculos quoq; uesicę & renum eo poto elidi euocariq; quamplurimi testantur. Venena pestilentemq; aërem eius nidore fugari compertū est. Distillationes quoq; sisti, ulneratis, si in potu sumpserint, prodest: malagmatis ob id etiam assumuntur. Verum & hoc notum fieri oportet. Succinum quocunq; libeat colore tingi hœdorum seuo & anchusæ radice: quippe etiam ipsum conchylio infici tradunt. Quæ uero translucida sunt, ad gemmas adulterandas magnā habent uicinitatem, & maxime ad amethystos. Politur succinū adipe suis lactantis incoctum. Ramenta eius oleo addito dilucidius ac diutius flagrant quàm lini medulla. Notissimum cuiq; est quod attritu digitorum caloris ui accepta, attrahunt ad se paleas & folia arida, ut magnes ferrum. Visum esse quidam retulere, quod æris etiam ferri laminas attraxerit. Ego glebam uidi cui ferrū quasi adnatum inhæserat, quod ui sua forte attraxerat. Multi tentauerūt succinum flexile ac ductile reddere, sed nequicquam cessit, mirum, quum nimia humida & succulēta prodeāt, uti indicauimus. Hęc tumultuarie de succino, Sudinorū opibus dicta sint, propter quas sæpenumero ab exteris gentibus bello petiti. Sensere nanq; præter Ro. arma & Saxonum Angliam occupantium oppugnationem, à quibus se terra & mari impigre defensarūt.

B Habuere enimuero hi populi, ut de moribus eorum aliquid transeūter dicam, regulos suos, quorum legibus obtemperabant: agrosq; coluere & commercia nouere. *Sudinorum mores* Vestium cultus apud eos fuit, ut mares lanea, fœminæ linea tunica uterentur, circulosq; ex ære uel orichalco colla circundabant. Auribus etiā crotalia suspenderunt, rem friuolam, quod tamen neq; hodie desitum. Domos in uillarum modum extructas inhabitauere uicosq;, ac sine muro & uallo omnia, quod forte ab externis, ipsos cōmercij gratia adeuntibus didicere: alioquin alienum à Sarmatis. Sed ut ad Borussios repedemus, societatem cum Sudinis eos inijsse diximus ob Germanorum finitimorū metum. Nec à Sudinis aspernati sunt: uerum eorum potentia adiuti, & contra quosuis conterminos populos tutiores facti, aliquandiu in sua fœditate degerunt: de qua posthac. Nunc de cæteris Borussię rebus editis prosequamur. Generat & terra hæc feras multijugas, eas etiam nec alibi cognitas. Præter enim ursos, apros, ceruos, quibus abundat, Vros excellēti ui & uelocitate profert, qui uastitate corporis parum infra elephantū sunt, eaq; ferocitate, ut neq; homini neq; feræ si quam cōspicati fuerint, parcant. Cornutumq; id animal est: eius cornuum magnitudo tanta uisa est, ut urnas binas unius capitis cornua, ut Plinius testatur, impleuerint. Barbari ex his potant, argenteo circulo parte qua labris admouetur circumducto. Sunt enim caua & in mucronem demū concreta. Alij pila his præfixa cuspidant. Romani in laminas ea secabant, ut lumen quod his includebant latius funderent, ipsisq; pro lichnuchis ac laternis usi sunt. Qui sese uenatione eorum exercent, si plurimos interfecere, relatis in publicum cornibus, quæ testimonio sunt, magnā laudem adipiscūtur. Soliti erant antiquitus caueis ad hoc ex opera factis eos capere, captosq; iugulare, forte quod ea tempestate ferro caruere: sed eo mortis genere, feram tam insignem posteriores ætatis iuuenes præcipuæ uirtutis & audaciæ, interire indignū cēsentes, ob id canibus ipsos insequi placuit, uenabulisq; cominus ac eminus petere, arboribus sese robustioribus semper condentes, ne &

ipsi

ipsi à fera rursus impeterentur, quæ cornibus arbori insertis, uindictæ auida, A
inhæret, donec insequentium telis saucia concidat: tali morte feram dignantur atrocissimam. Fera hæc sub mento uillos lõgiusculos habet in arunci specie, cæteris tauro persimilis existit. C. Caligula Romanus Imperator primus Romæ Vros in arena ostendit, quos tum imperitum uulgus bubalos falso credidit. Gignit hęc terra & bizontes iubatos, qui è boum syluestrium genere sunt, sed nostra ætate admodum infrequentes. Aiunt hos solipedes, maribusq; ac fœminis iuxta iubas cornua, eadẽ utriq; forma & magnitudo, colore quoq; & specie haud dissimiles tauro sunt. Aliqui ex horum genere unicornes perhibentur: quod uerum sit, nec ne, incompertum habeo. Plinius tamẽ Indicos boues syluestres unicornes, tricornesq; esse scripsit, ob id nõ incongruens uidetur eos & alio loco nasci, uerum esse alterius generis à bizonte suspicandum est. Tale forte est cornu quod hodie in Archiuo protomagistri integrum custoditur, ac Monocerotis asseritur, quum nigrum illud sit, hoc uero luteum conspicitur. Sunt & in ea regione greges ferorum equorum, quos Græcia non uidit, nec Romanus, quapropter alio uocabulo nominari non possunt. Hi cicuribus equis omnino similes extant, præterquam quod dorso molliori sunt, ob id nec usui apti. Dicuntq; ipsos nequaquã mansuescere posse. Carnibus eius incolæ etiam hodie uescuntur, quas non insuaues asserunt. Gignit & alces (quos falso syluestres asinos quidam autumant, quum hos Asia tãtum ac Africa procreet) specie media inter ceruinam & iumenti, nisi quantum aurium proceritas, ipsaq; ceruix distinguit, magnitudine inter camelum & ceruum: maribus in supercilijs cornua nascuntur, quæ quotannis amittunt, latiora quàm ceruis, ramosa tamen & per totũ concreta ac solida: ungulę bifidæ, coloreq; ceruum imitatur: uenatorem è longinquo sentit: animal certe simplex, & quod plus latebris quàm fugæ fidat. Si ui canum urgetur, magis in canes se calce quàm cornibus tueatur: in locis palustribus sese plurimum condit, illic & partus ædit suos: formidinis eius argumentum esse aiũt, quod rarenter solitarius, in armento multũ appareat. Vn- B
gulis eius comitialẽ morbum, & iam spumantem abigi creditũ est, si cute attingitur. Hallucinati sunt qui alcem nullo suffraginum flexu dixerunt, neq; quietis causa procumbentẽ, uerum accliuem arbori somnum capere, quę ad insidias à uenatore incisa feram unà affligit ac cõcidit. Quod & pascendo retrograditur ob superius labrũ prægrande, quasi progrediẽdo pasci nequeat: quæ singula non de alce, sed de machlin fera, illi haud dissimili, quam Scandaniam mittere aliqui prodidere, dicta sunt. Habet & syluas incæduas, unde uis ingens lignorum & ad naualem usum & domesticum conuehitur: teretumq; arborum ad malos nauium accommodã, quæ inde in remotissimas oras deferuntur: habent & syluæ præter id suas diuitias, unde quasi sponte compendium nõ modicum incolis prouenit, apum, scilicet, ingẽtem multitudinem, quarum alueos ceu natiuos intra arbores ad hoc cauas cernere est: ex quibus tanta mellis & ceræ copia prouenit, ut Germanię Britanniæq;, ac cæteris adiacentibus insulis, commode harum rerum usum suppeditet. Nec apiarij arte uel industria examina illic curant: nullis enim satorum floribus, aut herbis ipsa inuitant, nec si longius euolent reuocant: è frondibus & syluestribus floribus succum contrahunt, quo opera conficiũt sua, quæ cõpendij ingentis argumento sunt. Præter illa & pelles quasdam nõ ignobiles mittunt hæ syluæ, quæ uestium ambitu principum hominum subduntur. Lectorum etiam stragula ex his consuunt, pretioq; ingenti uendunt: has olim pelles ouini uelleris commutatione mercatores ab incolis receperunt. Gaynos barbari uocant ea animalia, Germani martes, è mustellarum syluestrium genere, ab aliquibus historiam naturalem commentantibus, esse scribuntur. Piscationes quoq; diuersis in locis non incommodas exhibet: nam pisces omnis generis tum ex lacubus, tum ex æstuante mari illic prendunt, ceu psittas, soleas, lingulas, rumbos, trossullas, mullos, asellos, salmones, marinos canes,

& id



A & id genus alios, anguillas præter cæteros numerosiores: nec de his incolæ uescuntur, nisi quod sole aëreq; siccatum tostumq; sit. Sed ad alia pergamus. Hęc ad loci situm, ac terrarum prouentū, uti antiquitas possedit, tradita sint.

LIBRI PRIMI FINIS.

ERASMI STELLAE LIBANOTHANI DE VETVSTATIB. BORVSSIAE LIB. II.



Empore quo Valentinianus Romanis imperauit, Alani populi septentrionales Borussijs contermini, cōtra Rom. imperium arma sumentes, post diutinas in imperij fines excursiones à Sicambris compresi sunt, quo bello Sicambri sibi & posteris libertatem peperērūt. Alani qui cędi superērāt, pars per imperij terminos delapsa Hispanias usq; peruenit, ubi se Gothis illic belligerantibus iunxerāt, qui tandē sedibus ibidē sumptis, se cōfusaneo duarū gentiū uocabulo Gothialanias appellauere, quasi Gothorū & Alanorum sedes. Pars uero imbecillior, quæ domi remanserat, ac cæde patrata patriam repedauerat, exuta pręcipue iuuentutis manu, sibi non satis in sedibus proprijs fidens, cum uxoribus et filijs, omniq; seruitiorum multitudine, ad Borussios conterminos secessit: supellectilem tum omnem secum in carris ac plaustris trahēs, tum etiam pecora, quorū prouentu hæc gens plurimū uictitat, uniuersa ac sese Borussiorum fidei & tutelæ cōmiserant. Nec ipsi à Borussijs repulsi, quod eorū multitudine adaucti, facilius quibusuis populis resistere posse crederent, etiā tum magis Germanos formidabāt, qui penitiorem Vistulæ ripā accolebant, ipsosq;
B sæpiuscule à suis quæ possederant locis, disturbarunt. Cōcesserunt itaq; Alanis cohabitādi ius, qui rursus Borussijs mulierum suarum coitus permiscuere: connubia enim nulla habuere, sed ut quisq; in mulierem incidit, ea ad Venerē uti licebat: quare breui in eam multitudinē coaluere, ut quoscunq; contingentes populos superarent. Ex ea tandem multitudine cœperunt inter se se angustia finiū premi: utcunq; enim placuerat, ac cōmodum quisq; ratus, tantū terræ sibi equisq; desumpserat: unde rixis uarijs inter se dissidere cœperant, quæ plerunq; cædibus transigebantur: id populum hūc agrestē intra se discordē, in eo concordē fecit, ut de rege sibi cōstituendo cōuentus agere cœperint: ubi pro ruditate populi uaria undiquaque ea de re dicta agitataq; sunt. Viduutus Alanus, qui cæteris & dignitate & uigore animi præstabat (magna enim seruitiorum classe abundabat, unde etiam sibi in alienis terris autoritatem nō modicam acquisiuit) inquit, Ni ô Borussij apibus uestris hebetiores essetis, de hoc quod inter uos agitatis, dissidium nullum esset: has enim regem habere uidetis, cuius imperatis obtemperāt, qui opera eorum dirigit, singulas ad labores idoneos deputando, qui & inobedientes castigat, inertesq; foris aluearia propelli iubet, cuius hortatu omnes in labore perdurant, operaq; sua perficiūt: uos qui hæc indies uidetis, illas sequamini duces, & regem uobis cōstituite, eiusq; uoluntati obsequimini. Ille rixas inter uos dirimat, cędes ulciscatur, furta puniat, innocentiā tueatur: is solus in omnes sine ulla exceptione ius dicendi potestatemq; habeat. Eius dictis cuncti ingenti sublato clamore assensere. An ergo nobis eris Biotterus? quod ipsorū lingua apum regem significat. Is nec uocem aspernatus, omnium ore rex salutatus est. Miranda mortalibus gloriæ cupiditas, qua humilis quisque se dignum fastigio regio existimat. Is usque in eum diem pari fœditate qua cæteri humi uitam trahens, unica populi exclamatione tam rudis & inculti, regē agere cœpit. Nec ei regius animus defuit. Nam quamprimum à plebe maiestate regia secretus fuerat, non alio animum applicuit, quàm ut apum ducē imitaretur. Quare in primis palantem populum certis finibus instar exami- *Primus Borussiorum rex*

num

num inclusit, quæ peculiaribus aluearijs labores suos perficiunt. Operaq; agrestia exercenda monuit, & prout loci situs admittebat peragenda, puta ut hi terram colerent, sementaq; spargerent, ac arbores consererent, illi uero apum compendio insisterent: alios pecori, alios piscationi deputans: legesq; condidit, quibus futuris finium angustijs prouidere se credidit. In primis, ne quispiam paterfamiliâs plures partus aleret, nec etiam seruitia quàm pro laboribus suis explendis sibi sufficerent, cæteros aut uenundaret, aut necaret: ne quis paterfamiliâs partus inutiles mancosq;, ceu ad labores inefficaces educaret, utq; filio parentem senecta oppressum, uel imbecillitate uirium labores non ferentem, impune strangulare fas esset: utq; pueri non adeo incerto patre nascerentur, coitum promiscuum prohibuit, & sub connubij specie instituit, ut quotquot & quãcunq; paterfamiliâs puellam suscipiendam prolis gratia iniret, siue ex seruitijs peculiaribus uel alienis foret, siue ex liberis, eam secum suo detineret tugurio, aleretq;. Alieni tamen iuris puellam non nisi pretio, quasi ære emptam, à quocunq; deduci pro prole procreanda inhibuit. Adulteria tamen non usqueadeo prohibuit, sed abigendos mœchos potestate castigauit. Quo aũt populum hunc ferocem ad uitã produceret mansuetiorem, comessationes frequẽtes & publicas instituit, quibus feros hominũ animos demulctos iri credidit: nec in eo hallucinatus est. Nam breui ad eam deuenere mollitiem, ut eos quocunq; uellet perduceret: hinc hospitalitatem maxime colendã esse statuit, quia ipsa amicitiæ firmissime glutinarentur. Potũ ex aqua & melle cõcinnare docuit, qui latine mulsum dici potest, quo in comessationibus & publicis & priuatis uti cõcessit: cuius dulcore mirum in modum barbari delectati facile ad eneruationem peruenere. Ad religionem autem se uertens, sacerdotes à Sudinis socijs populis accersiuit, qui insana superstitione contaminati, eos immunda quæq; animalia, ut serpẽtes colubros perinde ac deorum famulos nuntiosq; religiose colere docuerunt, quos intra domos nutriebant, eisq; ut dijs penatibus litabant. Deos in syluis ac lucis habitare dixerunt, illis uictimis ibidem ut placarentur, immolandũ esse: ab his solem pluuiasq; expetendas fore. Sacra eorum aditu aduenarum pollui, nec aliter quàm humana uictima expiari constanter crediderunt. Feras omnes, alcem præcipue, has syluas incolẽtes, ut deorum seruos uenerandas esse monuerunt, ideoq; ab eis abstinendum. Solem & Lunam deos omnium primos crediderunt, Tonitrua fulgetrasq; ex consensu gentium adorabant, tempestates aduertendas citandasq; precationibus dixerunt. Hirco in sacrificijs usi sunt, ob fœcundam animalis istius naturam: nam ad coniunctionem sexuum maxime defertur, sine qua generatio est nulla in animantibus. Præcellẽtes arbores, ut robora, quercus, deos inhabitare dixerũt ex quibus sciscitantibus responsa reddi audiebantur: ob id nec huiuscemodi arbores cædebant: sed religiose ut numinũ domos colebant. In eo numero et sambucum, & plerasq; alias habuere. Statuit & dies natalitios & funera pari modo celebrãda, mutuis, scilicet, comessationibus & cõpotationibus, tum lusu & cãtu, absq; mœrore cũ summa hilaritate & gaudio, utq; alterius uitæ spẽ præ se ferrent. illo saltem ostenderũt. quod exutos spiritu, armatos uestitosq; ac magna supellectilis parte circumposita humarunt. Quo more usque nunc sepeliuntur, addito etiam potu melleo, aut ex frumentis facto in testaceis uasis. In funebri epulo partẽ obsonij potusq; uita defuncti manibus libarunt, hodieq; libant, pudendo illic Christianorum præsulum dedecore. His & cæteris populo illo instituto, religioneq; firmata, Viduutus hãc oram prudenter & quietissime rexit, nullis excursionibus in uicinos populos permissis, nec aliqua rursus ab eis perpessus incommoda. Eo uita defuncto filios quatuor sibi superstites reliquit, qui inter se de imperio dissidentes, gentem iam paci diutinæ assuetam, ad prælia mutua suscitabant. Concurrebant ergo inter se multis prælijs: sed senior natu quia ex matre Ala progenitus, solus Alanorũ suffultus auxilijs, Borussijsq; exosus, fratribus qui multitudine abun-

dabant,

A dabant, cedere cogitur. Post multas igitur cædes ex utraq; parte cōmissas, eū statuere dissensionis finē, ut senior natu Viduuti filius, ex matre Alana prognatus, cum suis Alanis retrogrederetur, auitaq; loca repeteret, his ut posset dominaretur. Serram uero Borussiæ fratribus tribus ex matre Borussica, ac in solo Borussico natis relinqueret. Accepit conditionem hanc Litalalanus, ita enim senior natu iuuenis nuncupabatur, Borussiam egressus magno suorum numero. Et quū supra modum aucti essent, pristinas sedes quas uacuas inuenerunt, facile implerūt. Ab hoc quoq; eorū duce in posterum, qui prius Alani dicebantur, Litalalani dicti sunt, nunc hodie uulgo Litfani nuncupantur. Qui in Borussia remansere, terram secundum capita diuiserunt, Pomesamus, qui ex his ætate præcellebat, sorte eam occupauit oræ portionem, quæ Hulmigeriæ propinquior est, tum à Germanis habitata, à quibus Borussij magis formidabant. Sed quoniam Pomesamus strenuus manu uideretur ac animo feroci, multitudinisq; admodum studiosus, hanc magis tutari eū posse confidebāt, & ex ipso hæc portio posthac Pomesamia dicta. Alter Viduuti filius Galingus nominatus: huic terra quæ nūc Galingilia nuncupatur obuenit, à quo & terra nomen sortita est. Tertius uero Natangius, Natangiam terram à se nominauit & obtinuit. Hæ sunt tres primæuę terræ Borussiæ portiones. Nati uero eorum & nati natorū, iterū paternas diuidentes possessiones aliam atq; aliam uarietatem nominum induxere, ut hi Barti, alij Naoderitæ dicerentur: & qui hodie uetustatis uestigū retinentes Varnienses à Varintis dicuntur. Eo pacto Viduuti filij inter se imperio diuiso, pro sua quisq; libidine deposito regio nomine, quam tenuit portionem administrauit, subinde inter se dissidentes: in hoc tamen concordes fuere, ut aduersus quosque suos uicinos, pręcipue Polonos & Germanos excursiones facerent, ac eos latrocinijs infestarent. Sæpe prædam ingentem hominū pecudumq; ab eis

B agentes: & dum ipsi rursus insequerentur, sese & prædam in intimis syluarū latibulis occuluerunt, quod insequentes, ne insidijs circumuenirētur retinuit. Ex huiuscemodi depredatione, quia ducibus non tenuis quæstus, plebi etiā uictus obtigit, agriculturā & alia agrestia opera, quæ sub Viduuto exercēda sumpserant, breui intermisere, aut eatenus exercebāt, quatenus necessum uisum est. Ducti lucri cupiditate ad pristinos mores latrociniaq; quàm breui reuertētes, Germani tandē consulētes in mediū, uocatis in auxiliū Suetiæ regulis: ij in oceano Germanico siti sunt, à Latinis Sitiones dicti, qui Ganipoti cognominabātur, quod & ipsi Germani essent, & re bellica tum terra tum mari plurimum pollerent: qui eis auxiliares copias classibus traduxere, pluribus annis cū Borussijs belligerātes: quo multis trucidatis atq; cæsis, eos ad deditionē cōpulere. Est usq; hodie oppidulū ad Vistulā cū arce situ, quod Suetza uocatur, ubi hi qui ex Suetza uenerāt, castra sua posuerūt, quod postea in eā munitionē quā uidemus, per Teutonicos fratres extructum est, ex quo Borussios rebellantes identidē impugnarūt. Nouē regulos id cōfecisse bellū annales habēt: sed qua tēpestate, aut quādiu durauerit, nec an simul, an sibi inuicē succedētes id bellū gessere, an etiā Borussios ad tributū pendendū coēgere, nihil reliqui est, donec ad tēpora Henrici primi patris magni Othonis uentū est. Ea tēpestate barbara gēs iterū latronicio finitimos impetēs per Hugonē cognomine Botyrū, aliàs Bructerū, ex Saxonia natum: tū principē Germanorū, Vistulā ex utraq; ripa accolentiū, quos aliqui Bructeros fuisse autumāt, seditionibus ex natali solo pulsos, in hæc loca deuenisse: ab eius gētis principe, qui illic, ut dictū est, imperitabat, Borussij cōpressi sunt, adeoq; uiribus exuti, ut pacē longissimam seruarint: permansere namq; quieti ad tempus Othonis tertij imperatoris Rom. Sub id tempus Borussiorum ferocia recusa est, uiribusq; adeo contrita, ut omnino ab incursionibus cessarent. S. Adelbertus natione Bohemus, sed in Saxonia enutritus, ac episcopus Pragensis, in Borussiam comigrauit, ac gentem hanc à suis erroribus reuocare conatus est: sed à Sudinis dum sacra perageret interficitur, corpusq; disse-

ctum ante uolatilia proijcitur: quod eius hospes colligens, mox redintegrauit, & ipsum cophino trans amnem ad Polonos detulit, ac pro auro tāti ponderis (sed quoniā exiguum diuina ordinatione pendebat) uēdidit. Boleslaus Poloniæ princeps ipsum in insigni loco ac tumulo conseruauit. Qui multis clarens miraculis, à Datho pontifice maximo consecratur. Dies eius Martyrij octauo Calendas Maias ab ecclesia celebratur. Tempore quo Conradus secundus Romano pręfuit imperio, Borussij cum Polonis conspirarunt, qui tunc ab imperio Romano, cui iam diu subiecti erant, desciuerant, ducemq; eorum Boleslaū cum coniuge sua Gertrude Leopoldi Austriæ Marchionis filia pepulere. Tributum quoque quingentarum librarum argenti ærario publico quotannis debito inferre recusantes, rati Borussij Polonorum auxilio facilius Germanos finitimos ad internecionem cæsuros. Durante autem hac Polonorum rebellione, usq; ad Federici, cognomento Barbarossi tempora, qui copijs per Oderum fluuium traiectis, Poloniam ingressus, urbes quas repugnātes inuenit, expugnat & diripit: arcem Glogam eum subuertisse annales habent: singula igne ferroq; deuastans: copias quas obuiam habuit ex Borussijs, Bossallanis, Tartaris ac Polonis ingentis multitudinis, minimo negotio fudit. Poloni in sola deditione præsidium esse arbitrati, Borussij in fuga salutem quæsierunt, quos imperator insequutus, multis cęsis, multis captis, ultra Vistulam compulit. Coacti tum fuissent Cęsaris ferre iugum, ni aliotenus imperij negotijs auocatus fuisset. Huic expeditioni Ludouicus Thuringorum princeps, Ferrei cognomentum sortitus non solum interfuit, sed & pręfuit: quippe qui duobus millibus equitū, & magno peditum numero sese Cęsari iunxerat. Polonis siquidem ad deditionem coactis, Boleslaoq; restituto, ac tributo duorū millium librarum argēti fisco imperiali, & quatuor ab ærario publice pendendum imposito, Germanos qui ultra citraq; Vistulam habitabant, ut tuti ab incursionibus Barbarorum permanerent, Massobiorum ducem, qui Cęsari consanguinitate iunctus fuerat, in tutelam contulit, quod fidelis Romano imperio semper fuisset, & ex antiquissima Germanorum Saxonum domo duceret originem. Nō multum temporis effluxit, ubi Borussij infesto agmine finitimos petiere. Primum Massobios, sic quoq; hac ętate uocitantur, qui sese pecunia uestibusq; multoties redemerant, subinde Germanos uicinos, qui se diu armis, quamuis ægre defenderant. Tandem inuocantes fidem Conradi ducis, qui à Cęsare commissi erant, Conradus quoties Borussijs acie occurrit, fugatur, cæditur, ac castris exuitur. Ob id de domestica potentia desperans, auxilium Celestini Pont. Ro. (quod imperator Henricus, qui Federico successerat, cum magnis copijs in Asiam profectus fuerat) implorat. Celestinus ergo Pont. ut rebus afflictis succurreret, Christianum ordinis Cisterciensis monachum in episcopum Borussiæ designat. Qui ad Conradum primum ueniens, communicato cum eo consilio, quo gentem tam ferocem ab incursionibus in Christianos prohibere, simulq; ad fidei ueritatem inducere posset. Acciti tum fuere ex Litfonia fratres, milites Christi cognominati, qui unà cum Christiano præsule Borussios aggressi sunt: is in uirtute uerbi domini: hi bello & armis, sed omnia nequicquam: nam semen sacratissimum, quod præsul spargeret, cecidit in terram sterilem, & absq; fructu exaruit. Fratres, si quos ad deditionem receperant, cum primum opportunitate habita rebellarunt, quos in præsidijs collocarant obtruncantes, & quàm breui spatio sese à seruitute quam imposuerant & præsul & fratres, uindicarunt. Tandem Christiano præsule nihil proficiente, fratribus partim occisis, partim fugatis, quū & Barbari longo tēpore inquietissimi fuissent, è re fore arbitrati sunt, pacem quàm perpetuum bellū amplecti. Fit itaq; pax ex utraq; parte necessaria magis quàm honesta. Interea catholici suasu præsulis, per Poloniam ac Hulmigeriam ædes sacras uicatim restituūt, cœnobia utriusq; sexus extruunt, quæ pro sua pietate calicibus, libris, & alijs apparatibus ecclesiasticis ornant atq; ditant: antistites undequaq;, ut possunt, eccle-

siis præficiũt. Fuit summum Christianis à barbarorũ populationibus otium.
A Id populum fidelem in meliorem spem erexit: quare magis atq; magis rẽ diuinam ampliandam duxit. Sed cuncta barbari rupto fœdere turbarunt: fœda enim populatione in fines Christianorũ effundũtur, longe lateq; per Poloniam & Massobiam grassantes, omnia prædari cœperant. Deinde incensis uillis, agrisq; uastatis, sacrariis omnibus spoliatis atq; dirutis: amplius enim ducentis ædibus sacris periisse igne legimus: oppida insuper & cœnobia: quibus singulis euersis & direptis, ingentem uim prædæ tum hominũ tũ pecudum, ac tantã omnis generis supellectilẽ, quantã nunq; ante abegerunt. Conradus quũ se imparẽ contra hostẽ tã ferocẽ, ac multitudine superiorem uidisset, se ultra amnẽ in terram Coianorũ, qui olim Onomani, hodie Cumani dicti, recepit: dum interim in Asiana expeditione Ptolemaida, uel ut alii dicũt, Acona oppugnat, ordo militaris Teutonicorũ fratrũ domus hospitalis, beatę Mariæ in Hierusalẽ humilibus initiis ortũ sumpsit. Per cuius fortissima pectora demum omnis hæc pestis ex Christianorũ finibus explosa est, Borussiaq; ad fidei præcepta colla rigida submittere Christiano iugo coacta est.

AD INVICTISSIMVM PRINCIPEM FEDERICVM
Erasmi Stellæ Libanothani distichon.

Da Federice tuo genio foueatur & aura
Hic liber, & rabido qui uolet ore latret.

AD EVNDEM FEDERICVM PRINCIPEM
inuictissimum Erasmi Stellæ elegiacum.

Diuitias Federice tuas hic collige princeps,
B Quas habet arctoi Brussica terra poli:
Scilicet Heliadum lachrimas Phaethonta querentũ,
Audax quod patrios flectere tentat equos,
Par nec erat loris, placuit tamen ire sub axe
Aetherea, atq; genus testificare deum,
Nescius ipse uiæ perdit conamine uires,
Mox ruit è curru lapsus in alta freti.
Hunc iuuat æternis lachrymis fleuisse sorores,
Sed pius in lenta succina fletus abit.
Has fert undisonis Tethys tibi fluctibus, illum
Testantes casum, ruptaq; lora ducis.
Munera clara deûm uariis quæ uultibus ornat,
Mille gerens formas Proteus ille senex.
Hinc quædam radiant auroq; simillima fuluo,
Et lunæ niueam sunt imitata bigam.
Lacteus est aliis candor, croceo igne Coruscus,
Hyblæi retinent mellis & illa decus.
Indiæ opes superant hęc, & Gangetica dona,
Et quod mollis Arabs, Scytis habet'ue rapax.
Terra nutrit syluas, sunt hæc stabula alta ferarum,
Siue uelis uros, siue bisonta magis.
Hic nusquam notus, bene tornus nascitur alces,
Atq; feri armenta conspiciuntur, equi.
Quiq; sua pelle est gratus uestire gainus
Membra uirûm, rigidum pellit & inde gelu.
Hæc ubi legisti, Stellæ Federice memento,
Brussica qui cunctis gesta legenda dedit.

DE MOLVCCIS INSVLIS ATQVE ALIIS PLVRIBVS MIRANDIS, QVAE NOVISSIMA Caſtellanorum nauigatio Sereniſs. Imperatoris Caroli. V. auſpicio ſuſcepta, nuper inuenit: Maximiliani Tranſſyluani ad Reuerendiſs. Cardinalem Saltzburgenſem epiſtola lectu perquam iucunda.

A

REVERENDISSIME ac Illuſtriſs. Domine, domine mi unice humili. commẽ. Rediјt his diebus una ex quinq; illis nauibus, quas Cæſar ſuperioribus annis dũ Cæſareę Auguſtę eſſet, in alienum & tot iam ſeculis incognitum orbem miſerat, ad inquirendum inſulas, in quibus aromata, proueniunt. Nam licet Luſitani Portugallenſes ex aurea Cherſoneſo, quam nunc Malacchen putamus, magnam uim eorum ad nos deferant, nihil tamen Indiæ illæ ſuæ præter piper gignunt. Reliqua enim ut cynamomum, gariophilum & myriſticam nucem quam muſcatam, & operimentum eius, quem florem muſcatæ uocamus, ad ſuos Indos ex longinquis atq; adeo nomine tantum cognitis inſulis aduehi certum eſt, nauibus nullo ferramento, ſed palmarum folijs dũtaxat compactis, quarum uela rotũda ſunt, & hæc quoq; ex uimine palmarum contexta. Hoc genus nauium iuncas appellant, unico tantum uento ſecundo aut aduerſo agi ſolitas. Nec mirum, quum hæc omnibus ferè ſeculis noſtris mortalibus incognitæ fuerint. Nam quæcunq; hactenus de aromatum huiuſmodi natiuo ſolo à priſcis autoribus prodita legimus, partim prorſus fabuloſa ſunt, partim à ueritate tã aliena, ut etiã regiones illæ ubi ipſi aromata gigni prodidere, ab ijs oris ubi nunc ea naſci compertum eſt, paulo minus diſtẽt quàm nos ab eis ſeiungimur. Nam ut reliqua omittam tradidit Herodotus alioqui clariſſimus autor, cynamomum in auiũ nidis reperiri, in quos uolucres illud ex longiſſimis regionibus, & pręſertim Phœnix (cuius nidum neſcio quis unquam uiderit) detuliſſent. Plinius uero qui certius aliquid afferre poſſe ſibi uidebatur, quod iam ante ætatem ſuam, tum Alexandri Magni tum aliorum claſſibus multa illuſtrata fuiſſent, tradit cynamomum gigni in Aethiopia Troglodytis connubio commixta, quum nunc compertum ſit cynamomum longiſſime ab omni Aethiopia gigni, & maxime Troglodytarum, hoc eſt, in ſpeluncis ſubterraneis habitãtium. Noſtris autem qui nunc rediere, quibus nihil tam cognitum erat quàm Aethiopia, neceſſarium fuerat, prius quàm has inſulas repererint & huc redierint, uniuerſum orbem idq; ſub ampliſſimo pierunq; parallelo circuire: quæ nauigatio cum & admirabilis habeatur, & noſtra ſuperiorum ue ætate ulla, non modo non inuenta, ſed nec unquam tentata fuerit: ſtatui & curſum eius & totius rei ſeriem R. D. T. quam ueriſſime ſcribere. Curaui enim mihi & à duce claſſis & à ſingulis nautis qui cum eo rediere, referri omnia diligentiſſime. Retulerũt autẽ & Cæſari, & alijs multis ſingula quidẽ ea fide & ſynceritate ut nõ modo nihil fabuloſi afferre, ſed fabuloſa omnia alia, ueteribus autoribus prodita refellere & reprobare narratione ſua uiderentur. Nam quis Monoſcelos ſeu Scyopodas, Scyritas, Spitameos, Pigmæos & multa huiuſmodi monſtra potius quàm homines eſſe crediderit? Cũ & à Caſtellanis in occidente per meridiem & à Portugallenſibus in orientem uelificãtibus tot loca ultra tropicum Capricornum queſita, inuenta, luſtrataq; fuerint: ab his autẽ noſtris, reliquus uniuerſus orbis nauigatione nũc peragratus ſit, neq; tamẽ unquam de huiuſmodi monſtruoſis hominibus certi quicquam audiri potuerit, credi debet ea omnia fabuloſa & mendacia eſſe anilia, nullo certo autore per manus quodammodo tradita. Sed ne ego cui totus nunc orbis peragrandus eſt, in orationis meæ exordio nimiũ digrediar, ad rem uenio. Cum hinc ante annos ferè triginta Caſtellani in occidẽte, Portugallenſes autem in oriente

B

ente nouas atq; incognitas terras perquirere cœpissent, ne alter alteri impe dimẽto essent, partiti sunt duo hi reges inter se terrarũ orbẽ summi põtificis, puta Alexandri sexti auctoritate, hac ratione, ut ab insulis Hesperidũ, quas nunc promontorij seu capitis uiridis appellant, recta in occidentem tercentum sexaginta milliaria, quas leucas uocant, linea uersus Arcticum, & altera uersus australem polũ protẽderetur, quoad rursus coirent, orbemq; in duas partes equales diuiderent. Et quicquid incognitæ terræ in parte orientali de tegeretur, hoc Portugallensibus cederet: quicquid in occidentali, Castellanis. Hinc factum est, ut Castellani per meridiem in occidentem semper nauigauerint, & ibi continentem terram amplissimam, insulas uero maximas & innumeras auri & margaritarum aliarumq; opum diuitias, & nunc postremo ingentem urbem mediterraneam Tenosticam in lacu quodam Venetiarum more sitã inuenerint. De qua multa & magna, uera tamẽ, Petrus Martyr memoriæ prodidit, auctor circa rerum fidem quàm elegantiam sermonis accuratior. Portugallenses uero, per meridiẽ & litora Hesperidum Ichthyophagorum Aethiopum æquinoctialem & Tropicũ Capricorni prætereuntes, in orientem nauigauerunt: & multas maximasq; prius, incognitas insulas, atq; adeo Nili fontes & Troglodytas inuenerunt. Illinc per Arabicum & Persicum sinus in Indiæ litora intra Gangem, ubi nunc maximum emporium idem & regnum est Calicuticũ, delati sunt. Hinc ad Taprobanem quã nunc Zamaram uocant nauigarunt. Nam ubi Ptolomæus, Plinius, & reliqui Cosmographi, Taprobanem posuere, nulla nunc est insula, quæ ulla ratione ea esse aut credi possit. Inde ad auream Chersonnesum ubi nunc Malaccha celeberrima urbs & maximum orientis emporium situm est peruenerunt. Ex hac Sinum magnum ingressi sunt, ad Sinarum usq; populos, quos nunc Schinas uocant, ubi candidã gentem & ciuilem satis repererunt, Germanis nostris similem: Credunt Seres & Scytas Asiaticos eo usque protendi. Et licet incertus quidam rumor peruagaretur Portugallenses in Orientẽ eousque progressos, ut limitibus suis transcensis in Castellanorum terminos uenerint, Malaccham & sinum magnum intra nostros fines contineri, omnia tamen dicta potius quàm credita fuere, donec ante quadriennium Ferdinandus Magellanus Portugallen. uir clarus, & qui multis annis Portugallen. nauiũ præfectus, oras totius orientis peragrarat. in odium regis sui, quẽ in se ingratissimum querebatur, & Christophorus Haro frater soceri mei, qui ex Vlyssipone, quam uulgo Lisbonam uocant, per suos multos annos in oriente illo & tãdem cum Sinarũ populis mercaturam fecerat, ita ut earũ rerum magnum usum haberet. Is quoque iniuria à Portugallen. rege acceptà, se in Castellam patriam recepit: Cæsari ostenderent, nondum quidem satis compertum utrum Malaccha Castellanorum finibus aut Portugallen. contineretur. Propterea quod hactenus nulla certa longitudinum ratio inueniri potuisset, satis tamen cõstare, Sinum magnum & Sinarũ populos ad Castellanorum nauigationem pertinere. Hoc item haberi longe certissimum, insulas quas Moluccas uocant, in quibus aromata omnia gignerentur, & unde in Malaccham ueherentur, in occidentem Castellanorum contineri, posseq; ad illas nauigari, & inde aromata facilius minoreq; impensa & pretio tanquam ex natiuo solo in Castellam deportari. Ratio nauigationis erat, ut ex occidente subter inferius hemisphærium in orientem usq; nauigarent. Res penè ardua & uana uisa est. Non quod graue existimabatur, recta ex occidente in orientem subter hemisphærium uehi, sed quod incertum esset, utrum ingeniosa natura, quæ nihil non summa prouidentia constituit, ita orientem ab occidente partim mari, partim terra distinxisset, ut hoc itinere & nauigationis cursu ad orientem perueniri posset. Non enim compertum erat, utrum illa ingens regio, quam terram firmam uocant, occidentale mare ab orientali disterminaret, liquebat continentem illam ab austro in meridiem & inde in ocidentem uergere, Repertas etiam ad septentrionem regio

nes duas, quarum alteram Baccalearum à nouo genere piscium, alteram terram floridam uocant. Quæ si terræ huic firmæ coniungerentur, nequaquam ex occidente in orientem posse deferri: cum nihil de freto aliquo huius terræ quod transiri posset, licet diligentissime magnisque laboribus perquisitum, nunquam tamen inuentum esset. Per Portugallensium autem limites & orientem, rem incertam & longe periculosissimam iudicabant. Qua de re Cæsari & suis uisum est, eos quidem rem ut magnæ spei, sic maioris difficultatis polliceri. Cumque uterque in diem duceretur, obtulit Magellanus sese iturum, Christophorus autem impensis suis & suorum classem instructurum dummodo autoritate & auspicijs Cæsaris nauigare liceret. In quo dum obstinatius persisterent, parauit Cæsar ipse classem quinque nauium, & huic Magellanus dux præficitur. Mandata erant ut ad littora terræ firmę uersus Austrum nauigarēt, donec illius regionis aut finem, aut fretum aliquod inuenirent, per quod ad odoriferas illas Moluccas peruenire posset. Soluit itaque Magellanus die decimo Augusti, Anno M. D. XIX. quinque nauibus ex Hispali. Vnde paucis diebus ad insulas Fortunatas, quæ nunc Canariæ passim appellantur uentum est. Ad Hesperidum inde insulas peruenere à quibus cursum suum inter occidentem & meridiem uersus continentem illam, quam supra memorauimus cepere, ac intra certos dies felici nauigatione promontorium detexere, cui sanctæ Marię nomen inditum est. Vbi Ioannes Ruydias Solius nauium pręfectus, dum iussu regis Ferdinandi catholici litora huius continentis classe peruagaretur: ab Antrophagis quos Indi Canibales uocant, cum aliquot socijs suis comestus fuerat. Hinc nostri perpetuo cursu huius continentis littora legere, quę longissimo tractu in Austrum, quam nunc plagam sub australi polo appellandam duco, & paululum ad occidentem uergentia protenduntur, ita ut Tropicum capricorni ad multos gradus transcenderint. Sed non tam facile quàm dixi. Sunt enim ultimo Martij sequentis anni delati ad sinum cui sancto Iuliano nomen imposuere. Hic polum antarcticum 46. gradus, & ½ super horizontem suum illis eleuatum, tam ex altitudine & declinatione solis ab æquinoctiali, qua iam plurimum & plus quàm altero quouis sydere nautæ nostri utuntur, quàm ex ipsius Antarctici altitudine dependerint. Longitudinem uero à Fortunatis insulis in occidētem 56 gradus tradidere. Nam cum prisci Cosmographi, & præsertim Ptolemæus, longitudines locorum à Fortunatis insulis in orientem usque ad Cattigaram centum & octoginta gradibus metiretur, et nostri quàm longissime in occidente nauigauerint, cœpere à Fortunatis insulis per occidentem ut debuere, usque in Cattigaram alios 180. gradus designare. Tamen nostri nautæ propterea quod in tam longinqua adeoque à terra distante nauigatione, longitudini certa signa terminosque sibi pręfigere designareque possunt: potius mihi in longitudinum ratione hallucinari, quàm quicquam certi attulisse uidentur. Attamen ea interim qualiacunque fuerint, donec certiora reperiantur, non prorsus reijcienda sed admittenda existimo. Sinus hic uastus uidebatur, & speciem freti referre. Quamobrem Magellanus præfectus duabus nauibus sinus situm explorare iubet. Ipse reliquas in alto anchoris firmat. Post biduum relatum est sinum uadosum nec longius in terram prætendi. Nostri in reditu aliquot Indos, ad litora conchilya legentes conspexere. Indos uocant omnium incognitarum terrarum indigenas. Erāt proceræ longitudinis, palmorum scilicet decem, ferinis pellibus tecti, fusciores quàm regionis situs postularet, ad quos dum aliquot ex nostris in terram egrederentur, atque illis tintinnabula & chartas papyraceas depictas ostenderent, cœpere nostros ad rude murmur & inconditum carmen circumsaltantes, utque nostris sui admirationem facerent, demisere absque nausea sesquicubitales sagittas per guttur ad stomachi usque fundum. Quas protinus rursus extrahentes quasi ea re fortitudinem suam ostētassent, gaudere uisi sunt. Venere tandem tres tanquam legati, & nostros signis quibusdam orarunt, ut se

cum

cum longius in terram progrederentur, quaſi eſſent eos omni hoſpitalitate
A excepturi. Mittit Magellanus cum his uiros ſeptem bene inſtructos, ut re-
gionem & gentem diligenter quoad poſſent indagarent. Hi cum eis ad me-
diterranea regionis 7 milliaria profecti ſunt, uentũ eſt in deſertum & inuium
nemus. Hic erat tugurium humile admodum & ferarum pellibus coopertũ.
Duæ erant in eo manſiones, in altera mulieres cum prole ſua, in altera uiri
uerſabantur. Mulieres & infantuli tredecim & uiri quinqꝫ erant. Hi hoſpites
ſuos ferali apparatu, qui tamen illis regius uidebatur excepere. Occiſum eſt
animal quod haud multum ab onagris differre uidebatur, huius carnes ſemi
toſtas noſtris appoſuere, nullo alio cibo neqꝫ potu appoſito. Noſtris noctu
præter morẽ ſub pellibus cubare neceſſarium erat, ob ingentẽ uim niuium
& uentorum. Quare priuſquã dormirent excubias diſponunt. Idem & Indi
faciunt, qui ad focum horribile quid ſtertẽtes, prope noſtros ſtrati erãt. Quũ
illuxiſſet, noſtri poſtulant, ut cum familia unà ſecum ad naues reuerterẽtur.
Quod cum Indi illi diu negaſſent, & noſtri hoc imperioſius exigere cœpiſ-
ſent, ingrediuntur uiri ferale illud gynecium. Hiſpani arbitrati ſunt eos cum
uxoribus hanc tranſmigrationem conſultare. Cum interim alijs quibuſdam
horribilibus pellibus, à planta pedis ad ſummum uerticem tecti, facie uarijs
coloribus infecta, arcubus & ſagittis ad prælium terribili & ſtupendo hoc
accinctu ornati, & longe maioris quàm antea ſtaturę in aciem prodeunt. Hi-
ſpani qui ad manus deueniendum putabant, pixidem emitti iubent. Qui i-
ctus & ſi irritus fuiſſet, egregij tamen gigantes, qui paulo ante Iouem debel-
laturi uidebantur, hoc ſonitu adeò ſunt deterriti ut protinus de pace loqui
cœptum ſit. Summa erat ut tres uiri reliqua familia dimiſſa, cum noſtris ad
naues redirent. Itur itaque ad naues. Sed quum noſtri non modo gigantulo-
rum curſum, ſed nec paſſus curſu æquare poſſent, duo ex ijs ex itinere ad cõ-
ſpectum onagri procul in monte paſcentis quaſi hunc inſecuturi eſſent, fuga
euaſere. Tertius ad naues perductus, ſed inedia, quam ſibi Indorum more
B ex tædio indixerat, intra paucos dies extinctus eſt. Et licet præfectus naui-
um ad tugurium illud reuiſiſſet, ut denuo unum aliquem gigantum eorum
caperet, quem pro rei nouitate Cęſari afferret, nemo tamen inuentus eſt, ſed
omnes unà cum tugurio aliò ſeſe tranſtulerunt. Vnde liquet gentem illam
quoque uagam eſſe, nec poſtea noſtri, licet ad ſinum illum per multos dies ut
infra memorabimus permanſiſſent, Indum amplius in litore illo conſpexe-
re: ſed nec tanti etiam quicquam in ea regione eſſe arbitrati, quo & medi-
terranea illius longius ſcrutari deberent. Et quanquam Magellanus animad
uerteret longiorem manſionem illic inutilem eſſe, tamen quia mare aliquot
dies fluctuoſum, cœlumqꝫ turbidum eſſent, & terra illa continue ad Au-
ſtrum uergeret, ut quo magis progrederentur, eo regionem frigidiorem in-
uenturi eſſent, diſceſſus neceſſario de die in diem dilatus eſt; donec iam men
ſis Maius aderat, à quo illic aſperrima hyems ſæuire incipit, atque adeò, ut
iam in noſtra æſtate ibidem hyemandum eſſet. Proſpiciens autem Magella-
nus nauigationem diuturnam fore, commeatum inter ſuos, quo longius co-
pia eius ſuppeteret, parcius iubet diſtribui. Hiſpani ubi per aliquot dies rem
æquanimiter tuliſſent, hyemis quoque magnitudinem ac terræ rigorem ue-
riti, orarunt tandem pręfectum ſuum Magellanum, ut quoniam animaduer-
teret regionem illam perpetuo tractu in auſtrum protendi, nec ſpem finis il-
lius aut freti ſupereſſe, hyemem quoqꝫ ſęuam imminentem, & multos inedia
rerumqꝫ incommoditate extinctos, ſeſe quoqꝫ legem illam ſumptuariam quã
tuliſſet, diutius non poſſe ſuſtinere: Cæſarem aut nunquam eius animi fuiſ-
ſe, ut quicquam obſtinatius tentari deberet, cui natura cæterǽqꝫ difficulta
tes obſtarẽt, labores ſuos iam ſatis perſpectos probatosqꝫ fore. Quum eouſ-
que prouecti iam eſſent, quo nulla unquã mortalium uel audacia uel teme-
ritas progredi auſa fuiſſet. Poſſe autem facile, flante ab auſtro uento intra ali
quot dies, ſi meridiem uerſus uelificarent, in mitiorem aliquã plagam defer-

ri. At contra Magellanus, cui iam decretũ erat aut mori aut cœpta perficere, reſpondet ſibi à Cæſare curſum nauigationis præſcriptũ, à quo neque poſſet neq; uellet ulla ratione diſcedere, & propterea eouſq; nauigaturũ, quoad terræ huius aut finem aut fretũ inueniret. Quod etſi hyeme obſtante in præſentia præſtare non poſſet, in æſtate tamẽ regionis illius rem facilem fore. Siquidem ipſos tunc uerſus Antarcticũ terræ huius tractũ ſecuturos, quoad illius tota ea æſtas unicus & perpetuus foret dies. Eſſe quoquo modo uellent, unde inediam & hyemis incõmoditatem leuare poſſent. Siquidem lignorũ magnam eſſe copiam, mare, conchylia & pleraq; genera piſciũ optimorum prębere: Fontes ibi ſalubres, aucupium quoq; & uenationem ſubuenire multis. Panem uero & uinũ neq; hactenus defuiſſe neq; deinceps defutura, dũmodo ea ad neceſſitatem, & tuendam ſalutem, non ad uoluptatẽ & luxũ diſpenſari patiãtur. Nihil aũt hactenus actũ, quod aut admiratione dignũ, aut quo reditui neceſſitatẽ prætexerent. Siquidem Portugallenſes nõ modo quotannis, ſed quotidie ferè tropicum capricorni, cũ in orientem penetrarent, nullo negotio ad duodecim uſq; gradus tranſcendere. Se autem quantula laude dignos exiſtimandos, qui quatuor non amplius gradibus lõgius in auſtrum proceſſiſſent? Sibi certe hoc ſtatutum, antea ſe extrema paſſurum quàm Hiſpaniam cum ignominia repetiturũ: credereq; ſocios omnes, aut ſaltem eos in quibus generoſus ille Hiſpanorum ſpiritus nondum prorſus eſſet extinctus, eiuſdem quoque animi eſſe. Illud itaque duntaxat hortari, ut reliquum hyemis æquo animo ſuſtinerent: tanto fore uberiora præmia, quanto maioribus laboribus & periculis Cæſari nouum & incognitum aromatum atque auri diuitem orbem aperuiſſent. Hac concione Magellanus ſuorum animos mitigatos erectosq; eſſe exiſtimãs, intra paucos dies nefaria fœdaq; ſeditione afflictus eſt. Nam uulgo inter nauales ſocios cœpere ſermones de uetere atque æterno Portugallenſium Caſtellanorumq; odio, Magellanum Portugallenſem eſſe. Nihil ab eo glorioſius patriæ ſuæ geri poſſe, quàm hanc claſſem cum tot uiris perdere. Neque credendum, etiam ſi poſſet, Moluccas inſulas reperire cupere, ſed ſatis habiturum ſi Cęſarem aliquot annos uana ſpe poſſit circumducere, interim noui aliquid euenturum, unde Caſtellani ab aromatum inquiſitione prorſus auertantur. Neq; item cœptum iter ad Moluccas illas beatas pertendere, ſed ad externas aliquas niues ac glaciẽ & cœli perpetuam intemperiem. Magellanus his dictis mirifice iritatus corrigit ſocios, ſed aſperius aliquanto, quàm homini peregrino, idq; in regione longinqua præfecturam gerenti conueniret. Itaq; facta conſpiratione nauem occupant, regreſſum in Hiſpaniã apparentes, ille cum reliquis quos adhuc dicto audientes habebat nauigium illud inuadit. ducemq; eius ac alios præcipuos ſupremo ſupplicio afficit, ijs etiam in quos quos iure id fieri non poterat eam ſortem ſubeuntibus. Erãt enim regij quidam miniſtri, in quos nemo præter Cæſarem ipſum eius'ue ſenatum, capitali pœna animaduertere iure poteſt. Nemo tamen pro tempore regni imperium detrectare auſus fuit. Licet non defuere qui adinuicẽ ſuſurrarent, Magellanum eo modo in reliquos ad unum omnes Caſtellanos ſæuitia graſſaturum, donec ſublatis uniuerſis è medio ipſe cum paucis Portugallenſibus ſuis eadem claſſe in patriam reuerti poſſet. Altius itaq; hoc odium pectori Caſtellanorum inſedit. Magellanus tamen cum primum maris procellas & hyemis aſperitatem miteſcere animaduerterit, ſoluit ex ſinu diui Iuliani 24 Auguſti. Vtq; antea multos dies terræ tractum in auſtrum uergentem fuerat ſecutus, conſpectum eſt tandem promontorium, quod ſanctæ crucis appellauere. Vbi dum eos ſæuior tempeſtas ab oriente exorta deprenderet, una ex quinque nauibus ad litora eliſa eſt, hominibus cum mercibus & armamentis ſaluis, præter ſeruum unum Aethiopem, qui fluctibus obrutus & demerſus fuit. Hinc tellus paulo inter orientem & Auſtrum protendi uiſa eſt, quam dum ſuo more luſtrare incipiunt, 26 Nouembris, fauces quædam quæ ſpeciem fræti præ

ſe fer-

A se ferrent detectæ sunt, ingreditur eas Magellanus, protinus cum uniuersa
classe, dum alios atq; iterum alios sinus cõspicit, iubet eos omnes diligenter
nauibus collustrare, si uspiã transitus pateret, quas se ad quintũ diẽ quæcun-
que acciderent, in freti faucibus expectaturum recepit: una ex his cui ipsius
Magellani ex fratre nepos Aluarus Meschita præfuit, per sinus ipsius refle-
xus iterũ in mare unde sinũ ingressa fuerat defertur. Hispani aũt cum se lõge
à reliquis nauibus distare cõsiderarent, facta cõspiratione de reditu, Aluarũ
præfectũ nauis suæ in uincula cõijciunt, ac iter suum septentrionem uersus
capiunt suntq; tandem ad littora Aethiopiæ delati, inde parato commeatu,
octauo mẽse postquam à reliquis discesserant, in Hispaniam uenere. ubi Al-
uarum causam ex uinculis dicere faciunt, quasi ipsius maximo consilio atq;
suasu patruus Magellanus tanta sæuitia in Castellanos usus fuisset: At Ma-
gellanus ubi aliquot dies ultra statutum tempus, nauim hanc expectasset, &
altera rediјsset, quæ nihil præter sinum uadosum, scopulosq; & rupes altissi-
mas in litore comperisset; tertia uero nauis nuntiaret sinum hunc maximum
freti similitudinem habere, quum triduo nauigãtes exitum quidem nullum,
sed quo latius progressi fuissent, angustius maris spatium inuenissent, & eã
altitudinem cuius multis in locis nulla lõgitudine fundum attingere potue-
re: animaduertisse etiam ex æstu maris, fluxũ aliquando quàm refluxum ue-
hementiorem, inde illis quoq; persuasum esset illac trãsitum in aliud aliquod
pelagus patere: statuit per hunc uela uentis dare. Erat fretum hoc, quod qui-
dem tunc fretum esse ignorabatur, latitudinis aliquando trium, aliquando
duorum, nonnunquam decem, aut quinq; milliariorum Italicorũ, uergebatq;
paululum in occidentem. Altitudo autem poli australis duos supra quinqua
ginta gradus inuenta est: longitudo uero eadem quam ad sinum sancti Iulia-
B ni comperissent. Aderat iam mensis Nouembris, noctem habebãt paulo am-
plius horarum quinq;, et nullos unquam mortales in litore conspexere. Visa
fuit tamẽ nocte quadam ignium maxime à sinistro latere multitudo, ex quo
coniecturam faciunt se ab incolis regionis illius fuisse conspectos. Magella
nus autem quod terram illã fragosam atq; insuper æternis frigoribus rigen-
tem uideret, indignum iudicabat in ea indagãda plures dies perdere, quam-
obrem tribus tantummodo nauibus continuo cursu in interiora freti uectus
est, donec uicesimo secundo die postquam in eo nauigare cœperat, in aliud
mare amplum atq; uastum defertur: longitudinem freti milliarium Hispano-
rum fere centum esse attestantur: Terram quam ad dextram habuissent: con
tinentem esse quã diximus haud dubiũ est. Ad sinistram aũt non emporiũ,
sed insulas esse existimant, quod aliquãdo ex latere illo, in ulteriori litore ma
ris repercussum & fremitum audiuissent. Videt Magellanus, continentẽ rur
sus recta ad septentrionem dirigi, quamobrem iubet dimissa terra illa ingẽti
ad dextram nauigationis cursum per uastũ & ingens hoc pelagus, quod ne-
scio an unquã nostras aut alienas naues conspexerit, rectã eam oram dirige-
re, ex qua Corus flare consueuit, hoc est inter occidentem et septentrionẽ, ea
quidẽ ratione ut tandẽ per occidentẽ in orientem ac rursus sub zonam torri
dam perueniret, satis enim exploratũ habuit Moluccas in remotissimo esse
oriẽte & haud multum à linea æquinoctiali posse distare. Hic perpetuus cur
sus fuit: neq; ab eo unquã discessere, nisi quantũ tempestatum & uentorum
uis eos aliquando aliorsum declinare coëgit, ubi quadraginta dies hoc mo-
do uehementi & ut plerunq; secundo uento per altũ delati fuissent, ac nihil
unquã nisi pontum & undiq; pontũ conspexissent, iamq; rursus ferè sub tro-
pico capricorni nauigarent, uenere in conspectũ insulæ duę, exiguæ tamen
& steriles, ad quas dũ naues appellere conarentur, eas inhabitatas inuenerũt
ad eas tamen curationi corporũ (nam piscatio habebatur satis cõmoda) bi-
duum consumptũ est. Iusulas tamen has infortunatas communi decreto ap-
pellant. Tum rursus inde soluerunt, pristino illo cursu & nauigationis insti-
tuto. Dumq; iã trimestre supra dies uiginti feliciter per altũ hoc ueherentur,
ac in-

ac ingens maris spatium mensi essent, uastiusq; quàm ullum humanum ingenium caperet, quod assidue ferre magna ui uẽtorum acti essent, consisterẽtq; iam denuo citra æquinoctialem lineam, conspecta est eis tandem insula quædam ab indigenis, ut postea cognouerunt, Inuagana nominata. Qui dũ propius accederent, compererunt altitudinem poli Arctici undecim graduum. Longitudinem uero à Gradibus per occidẽtem 158 arbitrabantur. Protinus alias atq; iterum alias insulas prospexere, ita ut se in archipelagum quendã ingentem delatos uiderent, ad Inuaganam uentum est, attamen insula inhabitata inuenta est. Accedunt aliam exilem licet, ubi duas Canoas Indorum conspiciunt, sic enim hoc genus nauigij quod peregrinum est ab Indis nuncupari solet, est enim excissum cauatumq; ex unico arboris trunco, capitq; unum uel ad summum alterum hominẽ, indicijs ac signis sicut muti cum mutis loqui solent. Ab Indis scrutantur nomina insularum, & unde nam eis cõmeatus copia subministrari posset, cuius magna penuria premebantur, intelligunt illam in qua fuerant Inuaganam: ubi tũc essent, Acacã nuncupari, sed utranq; inhospitam. Ceterum haud longe distare insulam, cui Selani nomen esset, quam & ferè digito ostendebant. Eam habitatam, & copiam omnium rerum quæ ad uitæ necessitatem spectarent in ea reperiri. Nostri aquatione in Acacan facta, ad Selani tendunt, deprehendit hic eos aduersa tempestas ut ad insulam illam naues appellere nequiuerint, quin ad Massanam aliam insulam deiecti sunt, ubi trium insularum agit rex, inde ad Subuth peruenere, ampla hæc est & ingens insula, ubi inito cum regulo fœdere, protinus in terram descendunt, ut sacra de more Christianorum facerent. Aderat enim festum resurrectionis illius qui nos saluos fecit. Quare in litore ex nauium uelis & ramis sacellum atque in eo altare Christianorum ritu construunt, patrioq; more sacra faciunt. Accurrit regulus cum magna Indorum multitudine, qui omnibus peractis uisi sunt hoc deorum cultu delectari. Præfectumq; atq; aliquot ex præcipuis in tugurium reguli deducunt & ea quæ habebant cibaria apponunt. Panis quem sagum uocant, erat ex trunco seu ligno arboris haud multũ à palmis dissimilis. Hæc frustratim dissecta, ac in sartagine oleo frixa panem hunc præbet, cuius particulam Reuerẽdiss. D. T. mitto: potus erat humor qui ex conscisis palmarũ ramis defluere & manare solet. Aucupia quoq; conuiuium ornabant. Reliqui fructus illius erant regionis. Cõspicit Magellanus in domo reguli quendam ægrum & iam prorsum extenuatum, scrutatur quisnam hic esset, & quo morbi genere torqueatur. Intelligit nepotem illius reguli, & iam biennio uehementi febri laborasse: iubet eum bono animo esse: si modo Christo se deuoueret, protinus salutẽ & pristinam ualetudinem recuperaturum. Indus conditionẽ accipit. Cruceq; adorata baptismum capit, postridie se incolumẽ affirmat, surgit ex lectulo, ambulat, cibum sumit ut reliqui. Nescio quæ insomnia Indis suis narrat. Quid multa? Regulus ipse cum Indorum duobus millibus supra ducentos baptizatur, Christiq; nomen & religionem profitentur. Magellanus autem hanc insulam diuitem auri & gingiberis esse considerans, præterea omnibus circumuicinis insulis situ suo adeò opportunam, ut inde facile earum opes & terræ munera posset explorare. Quapropter regulum Subuth adit, illiq; persuadet, cum ipse dimisso uano atq; impio deorum cultu, se ad Christi religionem conuertisset, æquum esse ut reguli proximarum insularum eius iussui imperioq; parerent, statuisse se itaq; hac de re legatos mittere, & eos qui minus dicto audientes forent, ad hoc armis cogere. Placet barbaro conditio, legati mittuntur. Venit idem atq; alter regulus, & Subuthicum patrio more adorãt. Erat proxima insula Mauthan, cuius rex cæteris milite & armis præstabat, ille recusat se eum adoraturum cui imperare iamdiu solitus fuisset. Magellanus, qui quod cœpisset conficere cuperet, armari iubet quadraginta ex suis, quorũ uirtutẽ & in bello robur perspectum habuit, inq; Mauthan cymbis transuehitur, quæ proxima insula erat. Subuthicus regulus aliquot ex suis,

A ex suis ei adiunxit, qui insulæ situm & naturam locorum doceant, & si in rem esset acie etiam decertent. Rex Mauthan nostros aduentare prospiciens, ad tria milliaria suos in campum educit, Magellanus suos cum tormentis machinisq; bellicis, licet paucis, in litore exponit, quanquam se longe hostibus inferiorem numero animaduerteret, gentem præterea bellicosam, quæ lanceis & alijs longioribus armis uteretur, satius tamen duxit cum eis acie decernere, quàm aut regredi aut Subuthico milite uti. Iubet itaq; suos bono ac constanti esse animo, neq; terreri hostium multitudine: cũ sæpe uisum esset, cum aliàs tum proximis diebus, in insula Iuacatan Hispanos ducentos, aliquando ducentena & nonnunquam trecentena hominum millia acie fudisse. Subuthicis uero ostendit, se non eos ad pugnandum, sed ad suorum fortitudinem & in bello robur spectandum adduxisse. Itaq; impetu in hostes facto pugnatur acriter utrinque, sed cum hostes numero nostros superarent & longioribus armis uterentur, quibus nostris multa incommoda inferrent, confossus est tandem ipse Magellanus. Reliqui autem & si nondum planè uicti uiderentur, amisso tamen duce pedem referunt. Quos hostes, quod in ordine retrocederent, insequi non audent. Reuertuntur itaq; Hispani amissis classis præfecto Magellano & alijs socijs septem in Subuth, ubi nouum classis præfectum eligunt Ioannem Serranum, uirum haud spernendum, is protinus inita fœdera cum Subuthico rege, nouis muneribus renouat, ac Mauthan regem se deuicturum spondet. Habuerat seruum Magellanus ex insulis Moluccarum ortum, quem aliàs in Malaccha emerat. Hic Hispanam linguam absolute callebat, & eo alio adhibito interprete Subuthico, qui Moluccensis sermonis gnarus erat, nostri negotiabantur: hic prælio Mauthensi interfuerat, & exilia quędam uulnera in eo acceperat. Qua de re cubabat toto die intentus ualetudini. Serranus qui nihil sine eo pertractare potuit, corripit hominem durioribus uerbis, eum scilicet non desijsse seruum

B atque mancipium esse occiso Magellano, sed grauius seruitutis iugum subiturum & asperrimis loris cæsum iri, nisi officiosus demandata ministeria exequeretur. Seruus hic ex his uerbis ingens odium in nostros concipit. Dissimulata tamen ira post aliquot dies regulum Subuthicum adit, docet insatiabilem esse Hispanorum auaritiam. Illisq; hoc statutum & decretum, ut deuicto Mauthano rege, in ipsum postea sæuiant & captiuum abducant, neque aliud rebus suis remedium adhiberi posse, quàm fraudem fraude præuenire. Barbarus omnia credit. Clàm pacem cum rege Mauthan & reliquis facit, & in nostrorum exitium conspirant. Vocatur ad solenne conuiuium prefectus Serranus cum reliquis omnibus præcipuis, qui numero 27 fuere. Hi nihil mali suspicati quod Barbari omnia astute dissimulauerant, secure & incaute in terram tanquam ij qui cum regulo cibum sumpturi essent, descendunt. Inter epulandum ab ijs qui in insidijs collocati fuerant opprimuntur. Fit clamor, undique nuntiatur protinus in nauibus nostros occisos, & in tota insula hostilia esse omnia: prospiciunt ex nauibus nostris, pulchram crucem quam in arbore posuerant: à barbaris magno furore in terram præcipitari & in frusta secari. At Hispani reliqui qui in nauibus manserant, de sociorum clade edocti, maiores insidias uerentur. Quapropter anchoris sublatis uela uentis ocyus committunt. Adducitur paulo pòst ad litora uinctus misere Serranus, obsecrat, ut à tam dira captiuitate redimatur se impetrasse ut redimi liceret, modo de suis hoc fieri cõcedatur. Nostri & si ducem turpe hoc modo relinquere existimabant, tamẽ fraudem & insidias ueriti in altum tendunt, relicto Sarrano misere ad litora lachrymante, opem que atque auxilio suorum planctu ingenti lugubriq; implorante. Hispani duce socijs que amissis tristes anxijq; nauigabant, non modo calamitate & sociorum clade perturbati, sed quod iam ad eam paucitatem & numerum essent redacti, qui ad tres naues gubernandas impar haberetur. Qua de re consilium ineunt, & continuo communibus suffragijs nihil magis in rem esse

decer-

decernunt, quàm una aliqua trium nauium igni absumpta, duas duntaxat asseruare. Accedunt itaq; proximam insulam cui Cohol nomen erat, & armamentis in alias duas naues translatis, tertiam hanc concremant. Inde ad insulam Gibeth deferuntur. Quam & si auro ac gingibere multisq; alijs rebus felicẽ cognoscerent, diutius tamen ad eam nõ morandum censent quod Indos illos nulla beneuolentia ad se allicere potuerint. Armis autem decernere paucitas prohibebat. Illinc ad Porne insulam tendunt. Duæ in hoc archipelago insulæ erant ingentes amplæq;, quarum altera Siloli dicta est, cuius rex sexcentos liberos habebat. Altera quam diximus Porne Siloli maior est. Quippe quæ nauigatione sex mensium ambiri uix possit, Porne autem trium. Sed quemadmodum illa uastior, ita hæc & terræ felicitate beatior, & urbis eiusdem nominis magnitudine clarior est. Sed cum Porne insulis cæteris quas hactenus collustrassent nobilior haberetur, unde & cæteros bonos mores uitęq; cultum accipere uidebantur, statui horum populorum mores et instituta paucis attingere. Sunt omnes hi insulani Caphrę, hoc est gentiles, solem & lunam deos colunt: soli diei, lunæ uero noctis imperium ascribunt, illum marem, hanc fœminam dicunt, atq; hos cæterarum stellarum parentes uocant, quas omnes deos esse, minutos tamen, arbitrantur. Solem orientem certis carminibus salutant potius quàm adorant. Item lunam noctu fulgentem, à quibus liberos, fœcundam pecoris fœturam, terre uberes fruttices, aliaq; id genus deposcunt. Cæterùm pietatem ac iustitiam colunt, & præcipue pacem atq; otium amant, bellum uero maxime detestantur, regem suum dum paci studet, ut deum colunt. Cum belli cupidior sit, non quiescũt donec hostium manu in acie ceciderit. Qui ubi bellum gerere statuit, quod raro fit, primus à suis in acie collocatur, ubi omnem hostium impetum sustinere cogitur. Neq; strenue in hostem inferunt sese, nisi donec regem suum occisum intelligunt, tunc enim primum pro libertate & futuro rege pugnare incipiunt. neq; unquam apud eos uisus est rex belli autor quin in acie ceciderit. Qua de re raro bella gerunt, fines protendere iniquum putant. Omnibus autem præcipuum est studium ne finitimos populos aut peregrinos iniuria lacessant. Verùm si quando ipsi lacessiti fuerint, par pari referunt. Et ne latius serpat, protinus ad concordiam spectant. Neq; quicquam apud eos gloriosius esse poterit, quàm si quis prior pacem petierit: neq; item magis indecorum quàm in pace petenda præuentum esse, fœdum autem atq; detestabile censent pacẽ petẽti negare, etiamsi quis iniuria lacessitus fuerit. Nanque in huius exitium finitimi omnes tanquam dirum atque impium protinus conspirant. Quo fit, ut omni ferè tempore tranquillitate & otio fruantur. Nulla apud eos latrocinia, cædes etiam nulla. Nemini regem præterquã uxoribus eius & liberis alloqui fas est, non nisi eminus per cannas quas auri illius apponunt, & quicquid uolunt per eas insusurrant. Post mortem homini nullum esse sensum dicunt, quod nec ullus ante natalem fuisset. Aedes habent exiles ex lignis & terra constructas, partim rudere, partim palmatis frondibus coopertas. In urbe Porne uiginti millia domorum esse certum habetur. Vxores ducunt quot alere possunt, cibo utuntur, quem aut aucupium aut piscatio præbet. Panem ex oryza conficiunt. Potum ex liquore qui de cõscissis palmarum, ut diximus, ramis, stillat. Alij mercaturam in propinquis insulis faciunt, ad quas iuncis deferuntur: alij uenationi, alij piscationi, alij agriculturæ student. Vestes habent ex gossampino, animalia etiam fere omnia quæ apud nos sunt pręter oues, bouem & asinum. Equi tamen perexigui & exiles sunt. Camphoræ, gingiberis & cynamomi magnus apud eos prouentus. Inde nostri rege illo salutato & muneribus cõdonato ad Moluccas tendunt: quę illis ab eodem rege commonstratę fuere. Veniunt ad litora insulæ Solo, ubi margaritas magnitudine ouorum turturum aut aliquãdo gallinarum intelligunt, quæ tamen non nisi in altissimo æquore expiscari possunt. Nostri huiusmodi unionem non attulere, quod anni tempus illorum pisca-

A ſcationem non præbebat. Cepiſſe tamen ea in regione oſtreum atteſtan/
tur, cuius caro ſeptem ſupra quadraginta librarum eſſet. Hinc facile credide-
rim tantæ magnitudinis margaritas illic reperiri. Cum ſatis conſtet uniones
concharum partum eſſe. Et ne quicquam pretermittam, conſtanter noſtri aſ/
ſerũt narrauiſſe inſulanos Porne, regem geſtare in diademate uniones duos
oui anſerini magnitudine. Hinc ad inſulam Gilonam uentum eſt ubi homi/
nes conſpexere auriculis longis atq; adeò pendulis ut humeros attingerent,
quæ cum admodum admirarentur noſtri, intelligunt ab indigenis, haud lon-
ge diſtare aliam inſulam, ubi homines eſſent non ſolum pendulis, ſed adeò la
tis amplisq; auriculis, ut cum ex uſu eſſet, altera earum uniuerſum caput cō-
tegeret. Noſtri autem qui non monſtra, ſed aromata quærerent omiſſis nu/
gis recta ad Moluccas tendunt, octauo menſe poſtquam præfectus eorum
Magellanus in Mauthan occubuerat, ab eis repertæ ſunt. Inſulæ ſunt nume-
ro quinque, Tarante, Muthil, Thedori, Mare, & Matthien nuncupatæ: tum
citra, tum ultra, tum etiam ſub ipſo æquinoctiali ſitæ. Alia Gariophilum, alia
Myriſticam nucem, alia cynamomum gignit. Vicinę ſunt omnes, ſed paruę
atque anguſtæ admodum. Reges Marmin paucis ante annis immortales ani
mas eſſe credere cœpere. Haud alio argumento ducti, quàm quod auiculam
quandam pulcherrimam nunquam terræ aut cuiquam alij rei quæ in terra
eſſet, inſidere animaduerterent. Sed aliquando ex ſummo æthere exanimem
in humum decidere. Et cum Mahumetani qui ad eos commercij cauſa com/
mearent, hanc auiculam in paradiſo ortam, paradiſum uero locum anima/
rum quæ uita functæ eſſent, atteſtarentur, induerunt hi reguli Mahumeti ſe
ctam, quod hæc de hoc animarum loco mira polliceretur. Auiculam uero
Mamuco Diata appellarunt. Quam adeò ſancte religioſeq; habent, ut ſe
ea reges tutos in bello exiſtiment, etiamſi ſuo more in prima acie collocati
fuerint, Plebei autem Caphræ ſunt, & eiſdem fere moribus & inſtitutis, qui/
B bus inſulanos Porne oſtendimus. ſunt egentes admodum utpote apud quos
nihil præterquam aromata proueniant, quæ cum uenenis arſenico & Mer/
curio ſublimato uulgo appellato, ac linteis quibus ut plurimum ueſtiuntur,
libenter commutant: in quem uero uſum his uenenis utantur nondum ſatis
compertum eſt. Viuunt pane ſagu & piſcibus, nonnunquam pſittacis. La/
tent tuguriolis demiſſis admodum. Quid multa? Omnia apud hos humilia
& ſordida præter pacem, otium & aromata. Quorum alterum & quidem pul
cherrimum ſummumq; bonum ingens mortalium iniquitas ex hoc noſtro
orbe ad eos relegaſſe uidetur. Aromata uero tum auaritia tum inſatiabilis
gulæ auiditas, nos in ignoto etiam orbe illorum quærere cogit. Adeò homi/
num proteruia ſalubria quæque haud longius ſatis nequit protrudere, neq;
quæ luxus & libidinis appetere. Noſtri uero Moluccarum ſitu diligenter in-
ſpecto, & cuiuſque inſulæ, præterea regulorum moribus exploratis, ad The-
dori accedunt, & quod hanc copia Gariophili cæteris antecellere, regem ue
ro prudentia & humanitate reliquis regibus præſtare intelligebant. Paratis
itaque muneribus in terram deſcendunt ac regem ſalutant, præbentq; mune
ra tanquam à Cæſare miſſa. Ille muneribus benigne acceptis, in cœlum ſu/
ſpiciens, iam inquit biennium agitur, cum uos à maximo rege regum ad in/
quirendas has terras demiſſos è ſiderum ratione cognoui. Quare aduentus
ueſter tanto mihi gratior iucundiorq; eſt, quanto aſtrorum ſignificatione di-
utius mihi præſcitus fuit. Et cum nihil huiuſmodi euenire ſcio quod nō tam/
diu fatorum & ſiderum decreto ſtatutum ſit, non is ero qui aut facile aut ſi/
derum ſignificationi aduerſari moliar, ſed uolens libensq; poſthac depoſito
regio faſtigio me tantummodo regis ueſtri nomine huius inſulæ procuratio
nem gerere exiſtimabo. Quare naues in portum ſubducite, & reliquos ſo/
cios in terram tuto deſcendere iubetote, ut nunc tandem poſt tam longam
maris iactationem, totq; rerum pericula ſecure terræ benignitate frui, & cor/
pora curare poſſitis. Neque aliud exiſtimate quàm uos in regis ueſtri regnũ
O uenire.

uenire. His dictis rex deposito diademate singulos amplectitur, & quæ terra illa alimenta habebat afferri iubet. Nostri hac re lætati, ad socios redeunt, ac quæ acta sunt renunciant. Hi hac regis comitate & beneuolentia lætati insula potiuntur. Vbi cum aliquot diebus regia munificentia fuissent recreati, inde ad reliquos regis legatos mittunt ad insularum copias explorandas, & regulorum animos conciliandos. Tarante proxima erat, & hæc quoque minima est insula. Quippe quæ paulò ultra sex milliarium Italicorum ambitum habet. Est huic proxima Matthien & ea exilis. Hæ tres Gariophili magnam copiam gignunt, sed longe uberiorem. In quartum annum arbores hæ non nisi in abruptis rupibus prouenire solent, & ita densantur, ut plerunque lucum faciant. Arbor hæc tum folijs, tum crassitudine, tum ipsa etiam altitudine lauro simillima est. Gariophilum quem uulgo à similitudine clauum nominant, nascitur ex summis singulis ramusculis. Corolla primum, tum in ea flos haud alius quàm mali aurei prodit. Aciesq; seu cuspis ipsa Gariophili summo stipiti insidet, donec paulatim in longum exurgens mucronem efficit. Rubescit primum, mox sole tostum nigrescit. Huius arboris syluas inter se, quemadmodum nos uineas, indigenæ partitas habent. Gariophilon siris condũt, donec aliò à mercatoribus transferatur. Quarta insula Muthil haud cæteris maior. Hæc cynamomum gignit. Arbor hæc surculosa & alioqui sterilis siccitate gaudens, simillima est arbori quæ malum fert punicum. Huius cortex ad solis calorem dehiscẽs à ligno auellitur, & paululum ad solem de tostus fit cinamomum. Huic propinqua est alia insula, quæ Badam appellatur, Moluccensibus insulis maior ampliorq;. In ea Myristica nux nascitur. Cuius arbor procera amplaq; est. Arbori quæ nucem iuglandem fert admodum similis. Neq; hæc nux aliter quàm iuglans producitur, gemino protecta operimento, puluinati primum calycis, sub hoc tenuis membrana, quæ reticulatim nucem amplectitur. Hæc apud nos Muscatæ flos, ab Hispanis macis uocatur, nobile atq; salubre aroma. Alterum opperimentum ligneum est putamen, ut auellanæ cui quam diximus ipsa nux inest muscata. Gingiber uero passim in singulis insulis huius archipelagi nascitur. Aliud seminatim, aliud sponte prouenit. Sed quod seminatur nobilius est. Herba similis illi quæ crocum fert, & eo modo eius radix fere nascitur, quæ Gingiber est. Nostri ab regulis singulis benigne suscepti fuere, & exemplo regis Theodori sese Cæsaris imperio ultro submisere. At Hispani qui non nisi unam atque alteram haberent nauim, statuere de singulis quidem aliquid afferre, sed naues Gariophilo onerare, quod huius & anno illo uberior prouentus fuisset, & huius generis aromatis maiorem copiam naues capere possent. Impletis itaque Gariophilo nauibus, & literis muneribusq; à regibus ad Cæsarem acceptis, discessum parant, literæ plenæ erant fidei atque obseruantiæ. Munera erant enses Indici, aliaq; id genus. Sed præcipuum Mamuco Diata hoc est auicula dei, qua se in prælio tutos inuictosq; putant. Harum quinque missæ fuere, unam impetraui à præfecto nauis, quam reuerendiss. D. T. mitto. Non quod se ea ab insidijs & ferro tutam putet, ut isti perhibent, sed quod eius raritate & pulchritudine delectetur. Mitto quoque & cynamomi & muscatæ & Gariophili aliquid, ut cognoscat nostra aromata ijs quæ Veneti & Portugallenses afferunt, non modo non deteriora, sed nobiliora quod recentiora sunt. Nostri dum ex Thedori soluissent, ecce altera nauis & maior quidẽ, uitio facto aquam hausit, ita ut ad Thedori regredi necessum fuerit. Hispani dum hoc incommodum non nisi magno negocio & in multorum dierum spatio posse tollere animaduerterent, conuenere ut altera nauis ad promontorium Cattigara, inde per altum quàm longe posset à litoribus Indiæ ueheretur, ne à Portugallensibus conspici posset, donec promontorium Africæ, quod ultra capricorni tropicum protenditur, & cui Bonæ spei Portugallenses nomen indidere, in conspectum ueniret, quod inde haud difficilis in Hispaniam esset nauigatio. Altera uero nauis cum primum refecta esset, rursus per

A per archipelagum uastumq; illum oceanum ad litora illius cōtinentis quam suprà memorauimus cursum caperet, donec eam oram reperiret, quæ è regione Dariensis esset, ubi angusto admodum terræ spatio australe illud mare ab occidentali, in quo Castellanorum sunt insulæ, disiungitur. Soluit itaque denuo ex Thedori nauis altera, & citra æquinoctialem ad duodecim gradus uecta, promontorium Cattigaræ, quod Ptolemæus longe etiam ultra æquinoctialem protensum arbitratus est, non inuenere. Sed postquam ingens maris spatium demensi essent, ad promontorium Bonæ spei, inde ad insulas Hesperidum delati sunt. Et cum hæc nauis longa hac nauigatione concussa aquam admitteret, non potuere nautæ, quorum iam multi etiam rerum & nauigationis incommoditate perierant, exhauriendæ sentinæ satagere. Quapropter in unam insularum quæ sancti Iacobi nuncupatur, descenderunt, ut seruos emerent. Nostri autem dum pecuniam nautarum more nō haberent, Gariophilum pro seruis offerunt. Qua re per Portugallenses qui in illa insula magistratum gerunt intellecta, tredecim ex nostris in uincula coniecti sunt. Reliqui in numero decem & octo erant. Hac rei nouitate territi, dimissis socijs continuo in Hispaniam tendunt. Quo decimosexto mense postquam ex Thedori discessere, salui atque incolumes sexto Septembris ad portum Hispali propinquum peruenere. Digniores profecto nautæ, qui æterna memoria celebrentur, quàm qui cum Iasone ad Colchidem nauigarunt Argonautæ. Nauis autem ipsa multo dignior, ut inter sydera collocetur, quàm uetus illa Argo. Hæc nanque ex Græcia duntaxat per pontum uecta est, nostra uero ex Hispali austrum uersus. Indeq; per uniuersum occidentem, perq; inferius hemisphærium, in orientem penetrans, rursum in occidentem remeauit. Reuerendissimæ D.T. me humillime commendo. Datum Vallisoleti, die XXIIII. Octobris M.D.XXII. B

E. Reuerendiss. ac Illustriss. D.T.

Humillimus & perpetuus seruitor

Maximilianus
Transsyluanus.

ARGVMENTVM.



ERDINANDVS Cortesius natione Hispanus, Sacræ Cæsareæ & Catholicæ maiestatis in Iuchutan generalis pręfectus, ut magnanimi uiri mos est, à ciuitate Cempoal quindecim leuis armaturæ equitibus, & peditibus quingentis Hispanis ad dominum Muteezuma primatem illarum regionum dominū subigendum proficiscitur. In itinere milites quidam Didaco Velazquez suadente deficere studēt, in eos de more animaduertit, iter prosequenti hostiliter obuij fiunt incolæ è Tascaltecal, quos fundit, uincit, & Vasallos Sacræ Catholicæ Maiestati facit una cum alia prouincia Guaxacingo nomine, illis comitantibus ciuitatē Churrultecal capit, diripit, imperataqꝫ faciunt. Nunciat Dominus Muteezuma, ne ad eius regionem proficiscatur. Constituit Cortesius proficisci. Transcendit montes asperrimos, niuibus altissimis refertos: ex quibus ingens fumeus globus ascendit uisu mirabile. Hispanis modis uarijs obesse studet, & delere Dominus Muteezuma. Tandem annuēte Muteezuma ad celebrem ciuitatem Temixtitan illius regiam proficiscitur in lacu mirabiliter constitutam, uisis prius uarijs, & egregijs ciuitatibus. Obuius fit Muteezuma omnibus prouinciarum proceribus assistentibus, uaria pompa, & ceremonijs introducitur Cortesius: quo introducto Dominus Muteezuma se in uasallum subdit Sacræ Catholicę Maiestati, & obedientiam exhibet Cortesio, & suæ nationis originem refert. Bergantinos construendos curat quatuor pręfectus Cortesius: quibus, si ciuitas defectioni studeret, litori milites posset exponere. In ciuitate Temixtitan existenti Cortesio nunciatur, Dominū Muteezuma Qualpopoca cum alijs in Hispanos in ciuitate Veræ Crucis relictos, concitasse. Dominum Muteezuma leui carceris genere mancipat, & Qualpopoca cum coniuratis adduci committit, quem adductū publice comburi iubet. Narrantur à Cortesio miranda Domini Muteezuma palatia ad eius habitationes, narrat præterea uarias domos uoluptatis causa extructas, in quibus uaria animalium uolantium, & quadrupedum genera continētur. Narrat Domini Muteezuma obsequium nullo Christiano principi comparandum, narrat religiosorum mores, & habitum, religionemqꝫ, & quibus ex rebus idolorum imagines conflent. Sacrificij modum in pueris, aut alijs maioribus sacrificandis, describit Meschitarum, & religiosarum domuum modum. Conuocat Muteezuma proceres omnes eidem Vasallos, ut Sacræ Catholicæ Maiestati se subdant iubet, quod exequuntur, & Cortesius auri plurimum, & uaria alia emblemata ab eis petit, & obtinet, portum in ea ad naues suscipiendas inuestigat, & inuenit in fluuio nomine Panuco. Aurifodinas inuestigat, & inuenit plures, & dites. Domos Sa. Catho. Maiesta. extruendas iubet à Domino Muteezuma, quæ mira arte & celeritate conficiuntur. Narrat aurum, argentum, uestes, uasa, aliasqꝫ ex plumis mira arte contexta munera à Domino Muteezuma Cortesio data, Sacræ Catholicæ Maiestati transmittenda. Dum ipse Cortesius Sacræ Catholicæ Maiestatis res dirigit, æmulus Didacus Velazquez Pamphilum Naruaez octingentis peditibus, octuaginta equitibus, & tormentis plurimis ad ea loca decem & octo nauibus malo animo destinat, hoc Cortesio nunciato, relictis pręsidio Hispanis in celebri ciuitate Temixtitan, trecentis peditibus ei obuiā proficiscit̄, ut quid uelit cognoscat. Multa hinc inde eueniunt, ut cōcordia intercedat: quæ cum nō succederet, magnanimus Cortesius Naruaez aggreditur, & capit, et eius milites sibi socios reddit. In ciuitate Verę Crucis existēti Cortesio nūciatur, ab incolis è Culua Hispanos præsidio ciuitatis Temixtitā impositos oppugnari. Præfectos cū Hispanis ad uaria loca transmissos magna celeritate conuenire iubet, & nullo repugnante celebrem ciuitatē ingreditur: quē una cum Hispanis in fortilitio aggreditur innumera Indorum multitudo, pluries

fortili-



A fortilitio exeunt, domos comburunt, turrim expugnant, multi ex Hispanis interimuntur, & uulnerantur, & ipse Cortesius uulneratur, à suis Dominus Muteezuma fortuito casu interficitur. Pluries Cortesium colloquijs decipere student Indi. Vafer Cortesius intrepidus permanet, annonæ, & commeatuum caritate cum premeretur, ciuitate egredi cum socijs & auro constituit: & mira difficultate, & periculo egreditur, amissis Hispanis plurimis, & auro. Illum insequũtur Indi per leucas uiginti, & die noctuq; assidue eos oppugnant. Deueniunt ad prouinciam Tascaltecal, benigne excipitur à Dominis illius: uulneribus medicamina adhibent, ex Hispanis moriuntur plures, alij, qui manci permansere, & ipse præfectus Cortesius sinistrę manus digitis duobus mutilis, sanitati pristinæ nondum restitutus bellum hostibus è Culua, & fœdere iunctis mouere constituit Cortesius: & incolis è Tascaltecal, & Churultecal opem ferentibus castra mouet contra prouinciã Tepeaca, quã uiginti dierum spatio potitur, ex ea quosdam, quia humanis uescuntur carnibus, seruituti ascribit, potitur prouincia Guacachula, & alijs quibusdã. Bergantinos duodecim construendos curat, quibus ciuitatibus in lacu constitutis obesse possit, naues duas ad equos, & arma adducenda cum pecunijs ad insulam Hispanam mittit. Videbis prælia innumera, & belli euentum ancipitem, & tandem Hispana uirtus quanta sit, & quo ingenio polleat Cortesius, lector optime cernes.

ARGVMENTI FINIS.

FERDINANDI CORTESII IN SECVNDAM DE NOVA MARIS OCEANI HISPANIA NARRATIONEM AD CAROLUM V. ROMANORŨ IMPERATOREM, PRÆFATIO.

B



EA naui quam sextadecima mensis Iulij, Anno Millesimo, quingentesimo decimonono, ex hac noua Maiestatis uestræ Hispania expediui, celsitudini uestræ latam, & particularem de omnibus, quæ in his locis post meum aduentum gesta sunt, & successere, informationem transmisi, quam Alphunso Fernandez, Puerto Carrero, & Francisco de Monteio procuratoribus ciuitatis Veræ Crucis, à me nomine Maiestatis uestræ à fundamentis constructæ, perferendam tradidi. Et postea quia occasionem non sum nactus, partim defectu nauium, & etiam quia in acquirendis & conciliandis his regionibus & prouincijs maxime eram anxius & occupatus, & quoniam de prædicta naui, & dictis procuratoribus nil ad nos allatum fuerat, ulterius Maiestatem uestram certiorem non reddideram de his quæ huic patriæ insunt & gesta fuere, quæ tanta & talia sunt, ut quemadmodum aliàs primis informationibus Maiestati uestræ transmissis demonstraueram, merito noui orbis Imperator appellari possit. Et hic fortassis Imperialis titulus non minor est censendus, quàm ille Germanorum, quem Dei Optimi Maximi auxilio, & claris suis uirtutibus Catholica Maiestas uestra impræsentiarum obtinet. Et si sigillatim res quę in illis habentur exprimere aggrederer, nunquam finem imponerem. Ideo si forte plenam (prout celsitudo uestra desiderat, & ipse teneor) notitiam nõ exhibuero: illa mihi clementer ueniam dare dignabitur: quum ad hoc scribendi munus inhabilis sim, nec temporis opportunitas adsit. Omnibus tamen ingenij mei uiribus operam dabo omnimodam rei ueritatẽ exprimere. Et illud prætera, quod Maiestatem uestram scire oportere cognouero. Et similiter mihi indulgeat celsitudini uestræ supplico, si ad unguem quomodo & quando res gestæ sint non recensuero. Et si aliqua ciuitatum, uillarum & ipsorum domi-

norum nomina prætermisero, qui audito Maiestatis uestræ nomine sese illius seruitio sponte obtulerunt, & in subditos & uasallos subdidere. Quandoquidem graui quodam infortunio, quod nobis nuper euenit, ut in huius nostri operis progressu celsitudini uestræ latius innotescet, scripta & monumenta omnia quæ cum harum regionum incolis in unum congesseram, uarijs cum rebus amisi.

FERDINANDI CORTESII DE NOVA MARIS OCEANI HISPANIA,

Narratio secunda.



PRIMA relatione, serenissime ac inuictissime Imperator, ciuitates & uillas, quæ regali Maiestatis uestrę seruitio se obtulerant, quasq; acquisitas retinebam, exposueram. Innuebam præterea mihi relatum esse de quodam potēti domino, qui Mōte Zuma appellabatur, quem istius prouinciæ incolæ secundum eorum computationem per nonaginta aut centum leucas ab ipso maris litore & portu, ad quem applicueram abesse putabant. Diuino fretus auxilio, ac celsitudinis uestræ nominis celebritate ad quęcunq; loca quæ inhabitaret penetrare constitueram. Et præterea recolo, me quo ad istius magni domini acquisitionem ultra proprias uires obtulisse. fueram enim celsitudini uestræ ingenue pollicitus, quod illum aut captiuum haberem, aut interimerem, aut omnino suæ regali coronæ subijcerem. Et hac sententia à ciuitate Cinpual (quā Hispalim appellari placuit) sextadecima Augusti profectus sum quindecim leuis armaturæ equitibus, & peditibus quingētis melius ad bellū accinctis & aptioribus quos inuenire potui. Et præsidio ciuitatis Veræ Crucis dimisi pedites centum & quinquaginta & equites duos, qui fortilitium seu arcem ibi construendam modis omnibus curarent, quæ pene iam confecta est, & reliqui illam prouinciā Cinpual, & montana contermina dictæ ciuitati pacifica, quibus in locis arbitror esse ad quinquaginta millia hominum ad pugnam aptorum, & quinquaginta uillas, ac castra Maiestati uestrę fidelia & syncere subiecta, quemadmodum hactenus extitere et in pręsentiarum existunt, quoniā ad meum aduentū subijciebātur domino Mōte Zuma, & ut mihi retulerāt, non diu fuere illi subditi. Et quamprimum maximæ, & regalis potentiæ Mastatis uestrę fama ad illorum aures deuenit, ilico acclamarunt uelle esse subditi Maiestatis uestræ, & amicitiā meam desiderare. Rogantes insuper, eos à prælibato domino Monte Zuma defenderē, qui eos ui, & tyrānide subditos detinuerat, qui liberos ab eis accipiebat, ut illos dijs suis sacrificaret. Sunt equidem fideles celsitudinis uestræ subditi, eosq; in fide permansuros arbitror, ut à prefati domini tirannide liberentur, tum etiam quoniam à me hactenus bene tuti fuere, & maximis sum eos prosecutus fauoribus. Et pro maiori munimine eorum, qui in ciuitate remanebant, aliquos ex primatibus cū quibusdam alijs, qui mihi in itinere non parum profuere mecum eduxi. Et quoniam, ut opinor, in prima relatione Maiestati Vestrę significaueram, aliquos, qui mecum transfretauerant fuisse alumnos, familiares, & amicos Didaci Velazquez, illi moleste ferebant, quod talia ad Maiestatis Vestræ nomen, & incrementum, forti animo & feliciter exequerer, & ex ipsis quidam uoluere à me deficere, & ab ea patria recedere, & precipue Hispani quatuor quorum nomina sunt Ioāes scutifer, Didacus Armeno, Condisaluus Dumbria naucleri, quos pilotos nominant, & Alphōsus Pennato, qui (ut ipsi sua sponte professi sunt) constituerant paruam triremem abducere, quam bergātinum appellant: in ipso portu existentem cum pane & carne suilla. Et interfecto nauclero cum eadem proficisci ad insulam Fernandinam: ut Didaco Velazquez significarent me nauem ad Maiestatem uestram transmittere, et admonere eum de omnibus quæ ea importarētur, & quà dicta nauis iter esset fa-

A set factura: ut dictus Didacus Velazquez naues in insidijs collocaret, quo dictam nauem capere posset, quemadmodum re ipsa postea executus est. Etenim quamprimũ cognouit nauem meã transiuisse, iussit nauem (quam carauelam appellant) ut nauem meam apprehenderet, subsequi: quod tamẽ exequi non potuit. Quoniã nimium nauis nostra fuerat progressa. Confessi sunt præterea alios eiusdem esse sententiæ, ut dictum Didacum Velazquez certiorem facerent de antedicta naui. Visis confessionibus dictorũ delinquentium, secundum iustitiam, & prout temporis necessitas, & Maiestatis uestræ seruitium postulabat, puniui: quia præter familiares alumnos & amicos Didaci Velazquez, alij quoq; prouinciam exire admodum desiderabãt, cum uiderent dictam patriam tam latam & tot hominibus refertam, paucitatẽ Hispanorum considerantes, idem sentiebant: ratus si ibi naues remanerent, illi qui desiderio defectionis flagrarent, & qui patriam exire cuperent, facillime eisdem exire possent, & ipse pene solus remanerem. Et propterea ea quæ gesseram in Dei Optimi Maximi, & Maiestatis uestræ seruitio in his partibus impediri possent. Simulaui naues eas adnauigandum non fore idoneas, illasq; in littus subducendas curaui. Quapropter spem omnem abiecere mi grandi ab illis locis. Et ego iter meum securius peregi, & absq; aliquo timore, quoniam postquam discessissem à ciuitate, gens custodiæ à me constituta nullo pacto mihi deesse poterat.

Transactis decem diebus, postquam naues subduxeram: cum exissem ciuitatem Veræ Crucis, & peruenissem ad ciuitatem Cinpual, quæ abest à ciuitate Veræ Crucis per quatuor leucas, ut inde cœptũ iter prosequerer (continet autem leuca quatuor milliaria Italica) significauerũt mihi habitatores ciuitatis Veræ Crucis, quatuor naues per ea littora uagari, & præfectũ, quẽ in ciuitate Verę crucis dimiserã ad eas scapha transuectũ, & ipsos eidem in-
B dicasse, qualiter erant naues Francisci de Garay locum tenentis, & præfecti in insula de Xamaycan, & ueniebãt ad nouas detegẽdas prouintias. Et eundem meũ præfectũ eisdẽ in nauib. cõmorantibus aperuisse, qualiter ego nomine Maiestatis uestræ habitandam susceperam illam prouintiam, & ædificaueram ciuitatem distantem per unam leucam ab eo loco ubi naues constiterant, & quod eo secum proficisci poterant, meq; certiorẽ reddendũ de eorum aduentu curaret, & si aliquibus indigerẽt, possent in ea releuari. Subiunxit idem præfectus, quod eos scapha sua in portũ anteiret, quem actu demonstrauit. Et in nauibus existentes respõderunt, dictum portũ uidisse, quoniam ante eundẽ progressi fuerãt, & quod consiliũ eius exequerẽtur. Cumq; ipse præfectus scapha ad portũ iter uertisset, naues eã nõ sunt subsecutæ, nec demonstratum portũ petiere, & ulterius per ea litora uagabantur, & quod ipsi incolæ, posteaq; in portũ non uenerant, qualis esset eorũ animus, penitus ignorabant, & ilico ad eam uillã, ubi naues ancoras iecisse cognouerã, profecturus discessi, quæ est ad tres leucas infra ciuitatẽ Verę Crucis, & cũ nullus ex Hispanis prænominatis terrã cepisset, ut eorum uoluntatẽ, & intentionem exploratam haberem, per eadem litora progressus sum. Iamq; per leucam aberam ab eisdem nauibus, cum mihi tres ex prędictis nauibus socij obuij facti sunt. Primus tanquã publicus notarius, & duo alij tãquam testes, ut sui præfecti nomine mihi monitionem facerent, profecti fuerãt, quam in scriptis attulerant in qua continebatur, quod ipse me certiorẽ per eos faciebat, eum ad eam regionẽ primò aduentasse, & quod in ea habitare constituerat, propterea me commonefaciebat, ut inter me & eundem præfectum terminos ponerem, quoniã ipse coloniam suam collocare uolebat per quinque leucas infra uillam Nautel, quæ abest per duodecim leucas à ciuitate, quę in præsentiarũ Almeria nũcupatur. Quibus auditis respõsum dedi, quod eorũ præfectus personaliter ad me ueniret, proficisceretur q; suis nauibus ad portũ Verę Crucis, ibi colloqueremur, & ex eo tũc cognoscerẽ quali esset intẽtione, & si forte naues suæ aut ipsius milites necessitate aliqua premerentur,

modis omnibus eisdem opem ferendam curarem, eo maxime postquam seruitijs Maiestatis uestræ innitebātur, & ego nil aliud mēte & animo agitarē, nisi ut se offerret occasio, quo celsitudini uestræ possem rē gratā efficere quā euenisse putabam, si præfecto suo, & illius militibus in Maiestatis uestræ seruitijs existētibus opem tulissem. Et illi mihi responsum dedere, quod nullo pacto eorum præfectus, aut aliquis comitum terram attingere uolebat, aut eo ubi essem conuenire. Ipse dubitans eosdem damna aliqua, posteaquā ad me uenire recusabant loco, ubi constiterāt intulisse, secuta nocte secreto me collocaui ad littus maris contra locum ubi naues ancoras iecerant, ibiq; delitui usq; ad horam duodecimam diei subsequentis, animo uoluens præfectū, aut aliquem ex naucleris terram capturum, ut ab eis sciscitari possem, quid nam agerent, quas regiones peragrassent (& si quid damni locis intulissent) certiorem Maiestatem uestram facere possem. Nunquam tamen ipse, aut comitum aliquis descendit, & posteaquam nullus descendebat, mandaui tribus illis, qui ad me cum monitione antedicta aduenerant, ut ornamenta sua exuerent, illisq; tres ex meis commilitonibus induendos curaui, qui propere ad proximum littus profecti existentibus in nauibus acclamarūt, quibus uisis ilico scapha duodecim qui in nauibus erat uiri balistis & pixidibus sulciti (Sunt autem pixides paruæ manuales bombardæ, quas uulgus sclopetos uocat) litori applicuere. Hispani uero, qui ad eos acclamauerant, à littore secessere, & non aliter quam si umbra indigerent ad dumeta ibi proxima ex industria profecti sunt, & hoc pacto è scapha quatuor prosiliere, duo balistis, & reliqui pixidibus armati, qui circumsepti à commilitonibus, quos in litore insidijs collocaueram capti omnes fuerunt. Vnus ex captiuis nauclerus præfectum, quem præposueram ciuitati Veræ Crucis, interemisset adiecto pixidi suo igni, nisi ignis fomento defuisset, qui in scapha remanserant ad naues retrocessere, quæ antequam scapha ad eas aduentasset, iam uentis uela dederant antequam ab illis qui in schapha erāt, aliquid cognoscerent, ab eisdē quatuor qui captiui apud me remanserunt intellexi, qualiter peruenerāt ad fluuium quendā infra per triginta leucas infra Almeriam, & incolæ placide, & libenti animo eos susceperant, & duce pecunia omnia necessaria eisdem fuerant elargiti, & uiderant aliquid auri, quod incolæ ad eos attulere in modica tamen quantitate, nam tantum aliarum rerum permutatione ad tria pondera auri receperant & ad littus non peruenerant, sed penes conspexerant quasdam colonias in ripa fluminis cōstitutas, erāt enim tam prope, ut facillime è nauibus conspici possent. Nullum ibi lapideū extat ædificiū, sed domus omnes ex palea & limo habent alta manu fabricata, quę omnia postea clarius & latius accepi ab illo magno domino Monte Zuma, & quibusdā alijs, quos ipse secum retinebat ex dicta patria, & ab Indo, qui uehebatur eisdem nauibus, dicti fluminis accola, quem etiam ipse captiuum detinueram, & eundem Indum cum nuncijs dicti domini magni Monte Zuma ad dominū illius fluminis, qui Panuco nuncupatur, destinaui ut eum alloquerentur, & ad seruitium & deuotionem Maiestatis uestræ allicerent. Et ipse Panuco oratorem ad me destinauit unum ex suis proceribus. & (prout dicunt) dominum unius coloniæ, qui me suo nomine donauit uestibus quibusdam emblematibus & pennis uarijs. Nunciauitq; præterea illum cum uniuersa ipsius patria admodū desiderare subesse uestrę Maiestati, & meā cupere amicitiam, ego quoq; bona quæ ex Hispanijs attuleram, eidem sum impartitus, ex quibus plurimum uoluptatis accepit, & adeo quod quando naues Francisci de Garai, quarū superius memini, reuersæ sunt ad illa loca, mihi illico nunciandum curauit, dictas naues à prælibato flumine quinq; dierum spacio abesse, & quod eidem indicarem an illi, qui uehebantur illis nauibus, essent à mea patria, quoniam ipse omnia necessaria impartiretur, & nauibus iam fœminas quasdam, & gallinas importari fecerat.

Per prouinciam Cinpual tribus continuis diebus progressus sum serenissime

A niſſime ac potentiſſime domine, omnibus in locis bene acceptus. Quarta uero luce prouinciam aliam ingreſſus fui Sienchimalen nũcupatam, in qua eſt oppidum munitiſſimum tuto, & arduo loco ſitum, eſt enim ad latus aſperrimi montis, & ad illud ingreſſus non patet niſi per locum in graduum ſimilitudinem: quem ſoli pedites & ipſi difficillime, ſi incolæ locum tueri uelint, tranſire poſſunt. In planicie ſunt plurimæ uillæ, & pagi uſq; ad quingentas, trecentas, ducentas, & centum habitationes, & loca hæc ſubſunt Domino Monte Zuma. Illi me grato exceperunt animo, & neceſſaria ad proſequendum cœptum iter contribuere: indicaruntq; eos optime ſcire, quòd ad eorũ dominum Monte Zuma inuiſendum proficiſcebamur, & pro comperto haberem illum ſyncere mihi amicũ, ipſumq; eiſdem mandaſſe, ut me quàm gratiſſime reciperent: ego autem eiſdem de omnibus nobis conceſſis ſatisfeci, gratiasq; immortales egi de eorum grato in nos animo, & impenſis officijs. Expoſui præterea eiſdem, quòd ad aures Maieſtatis ueſtræ illius fama peruenerat, & propterea Maieſtas ueſtra mihi ſerioſe iniunxerat, ut illum Maieſtatis ueſtræ nomine inuiſerem: illucq; illius uidendi gratia tantum proficiſcebar, & ſic montis cacumẽ tranſgreſſus ſum, quod eſt in fine iſtius prouinciæ: & illud uocamus cacumen dei nominis, illud enim primo in iſtis partibus tranſiuimus, quod eſt tam arduum & excelſum ut par ſibi in Hiſpanijs, quo ad difficultatem tranſeundi, inueniri poſſe minime cogitem, illud tamen tuto tranſiui, & in ipſius cacuminis deſcenſu ſunt aliæ uillæ caſtro cuidã, quod Teyxnacan appellatur ſubiectæ, quarũ incolæ nos quoq; benigne excepere non minus, quàm illi ex Sienchimalen, declararuntq; bonũ domini ſui Monte Zuma in nos animũ, & alia eadem multa, quæ nobis alij ſuperius aperuerant, ipſe pariformiter omnibus integre ſatisfeci.

Frigore homines aliqui moriuntur

Et inde digreſſus trium dierum ſpacio loca ſine domibus, & inculta emenſi fuimus, & propter ſterilitatem defectum, aquarum & intenſa frigora, deus B cordium ſcrutator teſtis eſt, quæ, quanta, & qualia, & præſertim ſiti, fameq; perpeſſi fuerimus, & præcipue ex maximo grandinis, & aquarum turbine, qui in illa inhabitata regione nos intercepit, quo urgente ratus ſum multos ex noſtris frigore perituros. Mortui tamen ſunt plures Indi, quos nobiſcũ ex inſula Fernandina duxeramus pannis, & ueſtibus obſiti, poſt eos in ſolitudine peractos dies aliud excelſum montis cacumen, non adeò tamen arduũ, ut primum extiterat, pertranſiuimus, in cuius uertice turris modicæ magnitudinis erat pene columnis lapideis ſimilis, quibus apud nos in triuijs, & locis alijs ſacroſanctæ imagines uenerandæ imponuntur, in qua deos ſuos collocarant. Circundabant turrim prędictam plurima inciſa ligna in ſtrue congeſta, & forte ultra mille currus, & ab euentu appellauimus lignorum uerticem. In deſcenſu autẽ ipſius uerticis eſt uallis multũ habitata inter duos aſperrimos montes conſtituta, & prout conijcere potuimus, habitatores ſatis pauperes erant: & per duas leucas per loca ſemper habitata progreſſus deueni in planiorem regionẽ: in qua nobis uiſum eſt dominum illius prouinciæ reſidere debere, ibi enim melius ædificatæ domus exiſtebant, quàm aliquo in loco ubi fueramus, omnes erant ex quadratis lapidibus & nouiter conſtructæ, illis enim decoræ multæ magnæ, & ſumptuoſę aulæ & optime fabrefactæ, beneq; ordinatæ inerant habitationes. Vallis hæc, & colonię nominãtur Cartaney, earum dominus & habitatores læto uultu me recepere, & cõmode ſunt hoſpitati. Poſteaquam illum allocutus ſum ueſtrę Maieſtatis nomine, & ei mei aduẽtus ad has regiones cauſas expoſui, ab eo petij an ſubeſſet domino Mõte Zuma, aut ſi alterius cuiuslibet factionis exiſteret. Illi maximã attulit admirationem perſcrutatio mea, & reſpondendo dixit: Quis non eſt ſubditus, & ſubiectus domino Monte Zuma, innuens quòd fere uniuerſo terrarum orbi dominaretur. Tunc eidem uires potentiam, & etiam in uarias gentes & nationes ampla Maieſtatis ueſtræ imperia abunde recenſui, & plurimos potentiores Dominos Monte Zuma, Celſitudinis ueſtræ imperio parere,

parere, quod sibi gratum fuit auditu, & similiter Dominum Monte Zuma, A & reliquos incolas illarum prouinciarum facere oportere, eumq; ilico, ut se in uasallum uestræ Maiestatis subderet requisiui, addendo, quod si se in uestræ Celsitudinis uasallum subderet, esset inde plurimum fauoris, & honoris consecuturus. Et ut Maiestas uestra dignaretur illum benigne suscipere, petij in signum subiectionis ab eo aliquid auri Celsitudini uestræ transmittendum. Et replicauit se quidem aurum tenere, aliquid tamen ex eo se mihi daturum negauit, si dominus suus Monte Zuma eidem non commisisset, & si ipse Dominus eidem mandaret corpus proprium, aurum, et quicquid possidebat, impendere paratus existebat, & ne illum exacerbarem, & ne ab incœpto, & inita sententia desistere cogerer, melius quàm fieri potuit omnia dissimulaui, & ipsi responsum dedi, me sperare dominum Monte Zuma prope diem eidem mandaturum, quod aurum & alia quæ obtinebat, & commode dare posset nobis impartiri deberet. Huc mei uidendi causa uenere & duo alij proceres, qui eadem in ualle dominia sua obtinebant, alter per quatuor leucas in descensu, alter uero per duas in ascensu eiusdem uallis, obtulere torques quosdam aureos modici tamen ualoris, & momenti, & octo seruos, ibi fuimus spacio quinq; dierum. Illis contentis relictis peruenimus ad residentiam unius ex Dominis superius nominatis per duas leucas in ascensu uallis Yztalmastitan, eius dominium & colonia continuabatur assiduis coniunctis, & adhærentibus domibus & ædificijs per quatuor leucas in ripa cuiusdam fluminis, quod ea ualle præterlabitur. In proximo colle residet Dominus in optima & tuta arce, cui similem non esset inuenire in media parte Hispaniarũ. Arx est muris ualidis circumdata antemuralibus, & fossis profundissimis, et in collis uertice est colonia habitationum ad quinquies mille, domus apte constructę, aliquantulum ibi homines ditiores, quam inferius cernebantur, hic bene fuimus, & ipse loci dominus se domini Monte Zuma uasallum professus est, hic dies tres consumpsi, partim ut milites reficerem à la- B boribus, quos in transeunda inhabitata supradicta prouincia perpessi fuerant, partim ut expectarẽ quatuor ex incolis è Cinpual, qui mecũ proficiscebantur, & eos nuncios iam miserã ex Catamian ad eam magnã regionẽ, quã Tascaltecal appellant, quã non multũ abesse affirmabant, quod etiam postea apparuit, & significarũt mihi, quod incolæ dictæ regionis erant maxima secum iuncti amicitia, & acerrimi hostes domino Monte Zuma, & omnis illa regio erat contermina regioni domini Mõte Zuma, & assidue duæ illæ prouinciæ bella inter se nutriebant & putabant, quod ipsi maxime lætarentur meo aduentu, & omnem possibilem fauorem mihi esse præstituros, si dominus Monte Zuma aliquid uellet contra me aut machinari, aut obstare. Illis tamen diebus, quibus fuimus in prælibata ualle qui fuerunt octo, nunquam dicti nuncij rediere, quęsiui tunc ab illis primatibus è Cinpual, qui aderant, cur dicti nuncij non redijssent. Illi responderunt, quod forte regio multũ aberat, & tam breui tempore reuerti nõ poterant. Ipse prospiciens illorum aduentum differri, & incolas è Cinpual mihi omnimodam & tutam dictæ prouinciæ amicitiã proponere, illuc profectur⁹ discessi, & in ipsius uallis egressu, murus sectis lapidibus fabricatus existebat, in altitudinem hominis cũ dimidio, qui incipiebat ab uno montiũ & ad aliũ protendebatur, & erat latitudinis uiginti pedũ, in cuius muri summitate gradum constituerant ad pedẽ cum dimidio, in quo dimicantes & lapides eijcientes consistere possent, & illius ingressus non erat amplior decem passuum spacio, & hoc ingressu murus duplicabatur ad formam antemuralis, & ingressus non rectus, sed in obliquum ductus, à quibus sciscitatus sum, in quẽ usum murus ille ibi foret constitutus, retulere ea de causa fabricatum, quoniam in confinibus illius prouinciæ Tascaltecal constituti erant, quæ Domino Monte Zuma aduersabatur, & illi hostes esse consueuerant, & incolæ eiusdem uallis assidue illis bellum inferebãt, & me hortati sunt, postquam ad uidendũ Monte Zuma eorũ

domi-

A dominum proficiſcebar, nullo pacto inimicorum ſuorum regionem attin-
gerem, quoniam peſſimi exiſtebant, & forte aliquid mali, & incommodi mi
hi, & meis inferre poſſent, & illi me ſemper per regionem domini Monte
Zuma deducendum curarent, & in ea ſemper optime reciperer, & commo-
de hoſpitarentur. Illi uero è Cinpual, quod nullo pacto eorum conſilijs pare-
rem admonuere, ſed per regionem Taſcaltecal proſequi deberem, quoniam
quicquid illi mihi ſuggeſſerant, eo animo factitabant, ut ab illius prouinciæ
amicitia ſegregarer, omnesq; illi è Monte Zuma erant iniqui, & proditores;
& ſi eorum uerbis fidem adhiberem, eò me deducerent, unde poſtea exire
non poſſem. Et quoniam ego plus fidei adhibebam hominibus è Cinpual,
quam è Monte Zuma, eorum conſilio adhæſi ſecutus incœptum iter per ter
ritorium Taſcaltecal. Commilitones meos maiori cura & induſtria, quibus
fieri potuit conducebam. Et forte fortuna ſeptem comitatus equitibus an-
tecedebam quaſi mediæ leucę ſpatio, illud animo uoluens quod mihi poſtea
occurrit, ut regionem perluſtrarem, quod ſi quid eueniret mihi tempus ad
colligendos, & ad pugnam ordinandos milites ſuppeditaretur. Poſtquam
fueram per leucas quatuor progreſſus, in cuiuſdam parui collis aſcenſu duo
ex meis equitibus conſpexere Indos aliquos uenientes pinnas capitibus ſuis
gerentes (quibus maxime in bello ad ornatum utuntur) enſibus & breuibus
parmis fulcitos, qui quamprimum equites uiderunt, dederunt terga fugæ,
tunc temporis ad eos aduolaui, eosq; reuocandos commiſi, & quod minime
timerent ſignificaui, eo pacto ad eos profecti fuimus, erant numero quinde-
cim, qui ſe ilico conſtipauere, ut nobiſcum certarent, & uociferare cœperũt
innuentes, quod ili qui in ualle quadam latebant eiſdem ſubueniret, & adeo
nobiſcum uiriliter decertauere, quod duos equos perimerunt & tres uulne-
rarũt, & duos equites. Iſto interim prodiere ad quinq; millia hominũ, & hoc
inſtanti aduenerant octo ex meis equitibus, prælium iniuimus, & aliquan-
B do eos retrocedere coegimus, donec aduentarent Hiſpani, quibus nunciatũ
miſeram equitem ex meis ut properarent, & in eo certamine aliquid damni
illis intulimus, quoniam ipſorum interfecimus ad ſexaginta ſine aliqua no-
ſtri iactura aut incommodo, quamuis uiriliter & audacter pugnarent, tamen
cum eſſemus equites, poteramus in eos irruere, & tuto retrocedere, audito
noſtrorũ aduentu abiere, erant enim pauci numero. Poſt eorũ diſceſſum ue-
nerunt ad nos nuncij, qui ſe miſſos à Dominis illarum prouinciarum aſſere-
bant, & cum illis duo ex nuncijs, quos iam cõmemoraui ad prouinciam Ta-
ſcaltecal deſtinaſſe, aſſeuerantes, quod Domini prouinciarũ eorum quæ ſuc-
ceſſerant, erant penitus inſontes: quoniam erant communitates, & illud ſine
illorum conſilio perpetrauerant, & maxime contriſtabãtur, offerentes ſe ad
equos occiſos perſoluendum, & mei amicitiam admodum cupiebant, & ad
eos abſq; metu fraudis proficiſcerer, quoniã læto & grato animo me ſuſcipe-
rent. Reſpondi, quòd illis gratias maximas agebam, uolebamq; eorum mo-
rem gerere uolũtati: ea nocte mihi & ſocijs neceſſe fuit in campis degere per
leucæ ſpatium, ubi ea euenerant apud torrentem quendam, tum quoniã tar-
da erat hora, tum quoniam milites itineris labore premebãtur, ibi diſpoſitis
uigilibus & excubijs tam equitum quàm peditum, donec illuceſceret conſti
timus, & inde agmine compoſito (ante & retro, qui agmen tutarentur collo
catis militibus, & præeuntibus præcurſoribus) diſceſſi, & orto iam ſole cum
ad paruũ oppidulum perueniſſem, alij ſupradicti duo nuncij ex Taſcaltecal
mihi flentes obuij facti ſunt, & indicarunt gentes illas ut eos interimerent, il-
lis uincula inieciſſe, & ea nocte furtim aufugerãt, nõ per binos lapidis iactus
apparuit multitudo Indorũ optime armatorũ, & elato clamore præliari no-
biſcũ cœpere, ſagittas & iacula in nos proijciendo: ego adhibitis interpreti-
bus quos mecũ adducebã, aſſiſtente notario eos monere cœpi, me ſecum pa
cem deſiderare: quãto plus monebam, tanto plus armata manu cõtra nos in
ſtabant: & uiſo quod monitiones non proderant, cœpimus nos defendere,

&

A & eosdem offendere, quantum uires suggerebant: & sic certando, nos deuenimus intra forte centum millia armatorum bellatorum, qui nos undiq; circundederant. Certauimus acriter ea die usq; ad horam ante solis occasum, quia eo tunc hostes se recepere, & sex bombardis, sex pixidibus, quadraginta balistis, tredecim equitibus, qui supererant, & supranominatis peditibus multum hostibus damni, & terroris inieci absq; meorum iactura, & detrimento præter laborem pugnandi, sitim, & famem. Et uere apparet, ea die Deum Optimum Maximum pro nobis contra hostes nostros pugnasse: cum in tanta hominum multitudine tam ardenti animo, & dexteritate ad bellum concitata, & tot generibus armorum fulcita illæsi permanserimus, & liberi. Ea nocte castra posui ad quandam paruam turrim in proximi collis uertice constitutam, quæ dijs suis erat dicata. Die illucescente (quoniam ipse eis bellũ inferebam) tormenta cum ducentis uiris in castris reliqui, & tredecim equitibus, & Hispanis centum unà cum quadragintis Indis, quos è prouincia Cinpual eduxeram, ad eorum damna profectus sum. Antequam hostes sui colligendi copiam haberent, sex pagos igne consumpsi usq; ad centum habitationes pro quolibet continentes, & captis forte trecentis utriusq; sexus personis meos sospites in castra reduxi, quamuis usq; ad ea nobiscum certando insecuti fuerint. Postero autem die summo mane forte centum, & quinquaginta millia hominum castra nostra adorti sunt, & tanta erat hostium multitudo, ut illis loca omnia operirentur, & tam audacter & strenue adoriebantur castra, ut illorum aliqui eadem ingressi fuerint, & in eis cum Hispanis cõgrediebantur. In eos irruimus, & ita Deo Optimo Maximo opem ferente effecimus, & quatuor horarum spatio castra nostra ita munita reddidimus, ut nobis in eis consistentibus nullo pacto damnum inferre possent, quamuis sæpius in nos irruerint, & sic nos pugnantes in noctem fere detinuere, qua appropinquante retrocessere. Secundo die postquam ad turrim castrametatus fueram, ante lucem magno omnium silentio, adeò quod nullus hostium resciuerit cum equitibus, centum peditibus, & Indis amicis meis castris egressus sum, & discurrens ad decem colonias igne consumpsi, quarum una ascendebat ad ter mille domos, & cum habitatoribus illius coloniæ tunc nobis pugnandum fuit, quoniam præter eos nullus nobis erat molestus, cum reliqui abessent: & quia Sanctæ Crucis insignia præcedebant, & pro catholica fide, & pro Celsitudinis uestræ regali seruitio pugnauimus, omnipotens tot uires feliciter subministrauit, quod absq; nostro incommodo ex eis multos neci dedimus, & ante meridiem maxima hostium multitudine undiq; affluente adepta iam uictoria in castra nos receperamus. Tertia autem luce legati ab eisdem prouinciarum dominis ad nos conuenere, asserentes uelle Maiestati uestræ subijci, & mihi esse amici, rogantes insuper, ut illorum commissis erroribus indulgerem, cibariaq; & alia ex plumis, quibus illi utuntur, & pennis fabrefacta, quæ apud eos maximi æstimantur, nobis attulere, illis responsum benignum reddidi, commemorans eos minus belle fecisse, tamen eos in amicos suscipiebam, indulgebamq; omnibus, quæ contra me perpetrauerant. Quarto die in castra nostra introiuere quinquaginta Indi, & prout elicere potui inter incolas omnes maximæ autoritatis, qui afferendorum cibariorum gratia aduentasse simulabant, circumspiciebantq; curiose nostrorum castrorũ ingressum, egressumq; & casulas quasdam quibus inhabitabamus. Illi uero è Cempual me secreto monuerunt, ut animaduerterem, quoniam illi erant animo iniquo, & nulla alia de causa in castra nostra peruenerant, nisi exploratum, quibus modis nobis maxime obesse possent, & pro comperto haberem eos nulla de alia causa eo aduentasse. Ego unum ex ipsis secreto capiendum curaui, & adeò secreto, quod nullus sociorum præsensit, & adhibitis interpretibus illi timorem inieci, ut de his quæ ab eodem peterem uera referret, qui mihi fassus est, quod Sintegal prouinciæ illius supremus dux, et præfectus maximis hominum copijs post collem cõtra castra nostra latebat,

ut fu-

A ut futura nocte nos incautos adoriretur, afferebat enim quod iam tribus diebus nobiscum periculum certando fecerat, nil tamen proficere potuerat, & admodum optabat nobiscum noctu congredi, ne equites nostri tormenta & enses commilitonibus suis terrorem inferrent, & ipsos castra nostra exploratum destinauerat, & loca per quæ ad nos facilis esset ingressus, & quo pacto eas casulas comburere possent. Et ilico alium capiendum curaui ex eisdem quinquaginta, & eadem quę à primo audiueram secundus quoque narrauit & eisdem uerbis, & post quam illi duo erant conformes, alios quinque & postremo reliquos omnes quinquaginta capiendos commisi, & eisdem manus amputandas curaui, eosq; ut Domino suo significarent, dimisi, quod die noctuq; & quandocunq; ad nos proficisceretur, experiretur quales essemus futuri. Tutiora castra nostra reddidimus, & milites in locis necessarijs collocaui, & hac sentētia fuimus, donec nox superueniret, qua secuta hostes iam binis uallibus, ad quas se secreto peruenturos putabāt, ut nos circundarent & propius accederent, ut illud quod animo proposuerant, executioni mandarent, collem descendere cœperunt. Cū iam ad omnia accinctus & paratus existerem, mihi uisum est, si eos castris nostris appropinquare permitterem, aliquid incōmodi nobis facillime euenire posset, quoniam nocte non cernentes milites, qui mecum essent, deposito timore in nos irruerent, & etiam, quia nostri milites Hispani plus timoris haberēt eos non uidendo, et prę terea timui, ne modo aliquo casulis nostris ignē inijcerent, quod si euenisset, tanto incommodo nobis fuisset, quod nullus nostrū euadere ualuisset, constitui equitibus ut eos deterrerē, turbaremq;, in hostes impetū facere, quod ex sententia successit. Nam quam primum nos contra eos equitibus sine timore aut clamore audacter irruentes audiuere, depositis armis per montes sese deiecere, & tanta multitudo se deijcientium fuit, ut illis plena essent omnia cir
B cumuicina loca, dimiserunt etiam cibaria, quæ secum attulerant, quibus uti uolebant, si nocte ea nos non debellassent, aut penitus eradicassent, & eo pacto tuti remansimus. His confectis aliquot diebus castris nos continuimus, & ea egressi nō sumus nisi circum circa, ut quorundam Indorum ingressum tueremur, qui nobis prælia leuia maximis clamoribus inferebāt, & aliquam diu fuimus in castris non sine mœrore. Postea uero una noctiū acceptis centum peditibus, equestribus omnibus, & Indis mihi amicis post custodiam primæ uigiliæ castris exiui, & postquam aberam per spacium unius leucę à nostris castris, quinq; equites cum equabus, quibus insidebant, corruêre, quę nullo pacto ulterius progredi potuerunt, & eos in castra remisi cohortantibus socijs, ut ipse cum eisdem reuerti deberem, quia illud malo omini ascribebant, ego uero animo uoluens deum præesse naturę, iter incœptum prosecutus sum, & antequam illucesceret, inuasi duas colonias, in quibus multos interemi, eas tamen igne concremari non sum passus, ne uiso incendio me adesse reliquę coloniæ, quæ proximæ erant præsagirent. Et postquā dies aduenerat aliam coloniam adortus sum adeo latam, quod ut ex inuestigatione postea per me diligenter facta cognitum est, in ea erant uiginti millia domorum, illi incauti & ad talia imparati, inermes exibant domibus, & fœminæ pueris mixtæ nudæ pasśim per uicos cernebātur, quibus damnū inferre cœperam, uidentes quod nullo pacto obsistere poterāt, aliqui ex primatibus dictæ coloniæ ad me supplices uenere, rogātes ut ulterius eisdem damna inferri non paterer, quia uolebant Maiestati uestræ subijci, & esse mei amici, & quod optime considerabant eos sui damni fuisse autores, quoniā uerbis meis fidem non adhibuissent. Sed posthac optime cognoscerem, eos præceptis meis obtemperatum iri, & essent fideles, & uere Maiestatis uestræ subditi, & depositis armis ad quatuor millia hominum mihi præsto fuere, & optima ad quendam fontem cibaria nobis attulere, & sic eis pacificis relictis in castra sum reuersus. In castris existentes maximo timore perculsos offendi, suspicantes aliquid mali nobis euenisse, propter dictorū equitū lapsum, qui in

castra cum equabus suis redierant, qui audita uictoria, quam Dei clementia A
nobis concesserat, & quod nostræ amicitiæ fuerant coniunctæ coloniæ, ma-
ximo gaudio repleti sunt. Et sciat Maiestas uestra, quod nullus nostrum erat,
qui non maxime sibi timeret, cum tantum in eorum prouinciam penetrasse
nos uideremus, & in tanta & tali hominũ multitudine, & sine aliqua spe sub
sidij, & adeo ut proprijs auribus audiuerim, & dicebant in suis colloquijs, &
publice Petrus Carbonero, quod ego eos illuc deduxeram, unde nunquam
exirent, & plus dum colloquerentur milites in casula quadam, nec me cerne
rent, ausi sunt dicere, quod si parũ prudens existerẽ, & eos unde exire nõ pos-
sent, collocare uellem, illuc subsequi non deberent, sed ad naues reuerti,
& si se cum ire uellem, possem, sin minus, me ibi desererent, & pluries, ut huic
illorum opinioni acquiescerem institere. Ego eos iubebã bono esse animo,
& quod recordarentur se uestræ Maiestatis subditos, & quod nunq; Hispani
alibi animis defecerãt, & eramus in ea felicitate, ut acquirere possemus Ma.
V. maiora regna & imperia, quam in uniuerso terrarũ orbe cõperiantur, &
quod tales nos præstare oporteret, quales decet optimos, & Christicolas con
tra infideles pugnantes, & quod in alio seculo summã felicitatem acquirere-
mus, & in hoc maiori potiremur honore et gloria, quam aliqua unquam na-
tio fuerit hactenus consecuta, considerarentq; Deum Opt. Max. cui nil im-
possibile nobis adesse, quod luce clarius considerare poterant ex uictorijs,
quas eius auxilio obtinuerant, quibus tot hostium periere, & ex nostris nul
lus penitus. Dixi præterea multa in hanc sententiam, & certe regali Maiesta-
tis uestræ fauore animis maxime resipiscere cœperunt, eosdem in meam sen
tentiam traxi, mihiq; obedientes reddidi, & ad finem incœptis nostris impo
nendũ paratos disposui. Postera uero die hora decima ad me profectus Sicu
tengal totius illius prouinciæ dux, & præfectus, cũ quinquaginta ex prima
tibus eorum & Magiscacin, quæ primaria dignitas est totius illius prouin- B
ciæ, & aliorũ plurimorũ principũ & dominorũ in ea nomine deprecati sunt
ut eos in celsitudinis uestrę regale seruitium reciperem, et meam amicitiam,
suisq; præteritis erroribus parcerem, quoniam illi nullam nostri notitiam,
aut consuetudinem prius habuerant, nec qui essemus cognouerant, modis ta
men omnibus tam die quã noctu periculum fecerant, ne alicui subijcerentur,
nullo enim unquã tempore dicta prouincia alicui inseruierat, nec alium ex-
ternum habuerat, aut habebat in dominum, sed ab hominum memoria sem-
per liberi uixerant, & semper se defenderant ab illo potenti domino Mute-
ezuma & illius patre & auo, & quamuis illa prouincia tota esset illi subiecta
eosdem tamen subiectos nunquam facere poterat, quamuis undiq; circum-
darentur, & nullum à patria exitum obtinerent, & nullum salis usum habe-
bant, quia in sua prouincia non conficiebatur, nec permittebãt extra prouin
ciam eos emptum proficisci, nec utebantur uestibus bombicinis, eo namq;
loci non nascitur ob intensa frigora & alijs plurimis rebus ad usum humanũ
necessarijs carebant, quia undiq; claudebantur, quæ omnia placide & ex ani
mo patiebãtur, ne alicui subijcerentur, & idẽ mecum agere omnibus uiribus
fuerant experti, & aperte uidebãt, quod omnia quæ experti erant, nec illorũ
uires eisdem prodesse potuerant, & malebant uestræ Maiestati subijci, quã
crudeliter trucidari, & domos suas destrui, uastariq; & cõiuges liberosq; ab-
duci. Ego respondi, quod ipsi cognoscere poterant, ipsosmet eorum damnis
fomenta præstitisse, & ad eorum prouinciã ueluti amicam, propitiam & fa-
uorabilem uenire cogitabam. Quemadmodum illi è Cempoal multoties re-
tulere eos esse, & esse desiderare, & propterea præmiseram nuncios meos,
ut eos de meo aduẽtu certiores facerent, & amicũ meũ animũ in eos demon
strarent, quemadmodum ex illis è Cempoal gratum esse perceperam, me si-
ne aliqua responsione, & sine metu procedentem fuissent aggressi, & duos
ex equis interemissent, & alios uulnerassent, & postquam mecum pugnaue
rant legatos suos ad me destinauerant, gesta illa omnia illis inscijs non fui

A uoluntate,aut consilio processisse asseuerantes,& quod communitates quædam illis inconsultis motæ fuerant, & illi eas iam redarguerant, & meam amicitiam desiderabāt,& ipse credideram eā ex uero animo profecta,responderam per eos proposita mihi cordi esse, & libere sequenti die tanquam ad amicos hospitatum ueni apud eosdem,& qualiter tota sequenti die me in itinere quoq; oppugnauerant,donec nox superuenisset,aliaq; omnia per eosdem contra me gesta & perpetrata,recensebam. Quæ ne Ma. uestræ sacras aures obtundam,prætermitto, & conclusiue, illi remansere subditi Maiest. uestrę,& se & bona eorū eidē Maiest. uestræ obtulere: & tales hactenus inueni,& in futurum me inuenturum spero,prout in progressu latius Maiest. uestræ patebit. Ea turri & castris eisdem me continui diebus sex,cum adhuc illis non confiderem, nec recedere uolui,quamuis pluries ipsi enixis precibus efflagitassent, ut accederem ad quandam magnam ciuitatem ubi uniuersi illius prouinciæ proceres & domini residebant,donec omnes illi domini ad castra me rogatum uenerint,ut ciuitatem ingrederer,& melius necessaria in ciuitate,quàm in castris suppeditarent. Et moleste ferre dicebant postquam eorum eram amicus,tam malum fuissem sortitus hospitum. Ideo eorum precibus uictus,ciuitatem sum ingressus, quæ leucis sex aberat à dictis castris, & turri,quibus consederā. quæ ciuitas est adeo ampla,& admirabilis, quod quamuis plurima, quæ recensere possem prætermittam, tamen illud adhuc incredibile uideatur,quoniam eam arbitror esse ambitu latiorem Granatensi ciuitate munitioremq;,& tam conspicuis,& forte opulētioribus ædificijs, & maiori populo, quàm erat Granata,eo tēpore,quo à nostris è Maurorum faucibus erepta est,& multo abūdantior rebus patrijs, ut pane,auibus,piscibus,tā ex fluminibus quàm lacubus,& his quę in uenationibus capiūtur,rebusq; alijs,quibus pro ipsorum uictu fruuntur optimis. Hac in ciuitate est forum, in quo quotidie cernuntur ultra triginta millia hominum ementium,
B & uendentium, ultra alia plurima parua fora, quæ in ciuitate reperiuntur. Hoc in foro habentur omnia indumentorum genera uenalia, quibus illi uti consueuerunt, sunt ibi loca disposita ad uendendum aurum, argentum,lapillos, aliaq; genera emblematum, & plumarum tam bene comptarum, ut in nullis foris aut plateis uniuersi terrarum orbis ornatiores cōperiri possent, sunt ibi uenationes adeo aptæ, ut nullis optimis ex Hispanijs cedere debeant, uenduntur holera & herbæ medicinales,ligna carbonesq; in bona quantitate, habentur balnea, & deniq; inter eos uiget aspectus cuiuslibet boni ordinis & regulæ,& est natio multæ rationis,& talis,quod melior sibi in Africa non esset comparanda. Ista prouincia habet ualles, planiciem, ornatas,laboratas & seminatas,adeo quod nil à cultura uacat,& ut colligere potui gēs ista sequitur Venetorum,Ianuensium,Pisanorumq; regimen. Quoniam nullum habent dominum, plurimi sunt domini, omnes in eadem ciuitate moram trahentes. Incolæ patriæ sunt coloni, & istis dominis subiacent, & quilibet proprias habet ciuitates, sed unus plus alio & pro negocijs emergentibus,& bellis in unum conueniunt omnes,& suis rebus consulunt & constituunt. Arbitramur eosdem ordinem aliquem in administranda iusticia, & ut mali castigentur obtinere,quoniam quidam ex suis incolis,uni ex nostris subtraxerat aliquid auri,illud nunciaui eorum Magiscacin, qui est maior inter eos,illi diligentiam omnem adhibuerunt,& eundem insequendum curarunt, usque ad quandam ciuitatem quæ adiacet prouinciæ illi Churrultecal nominatam,illumq; reduxere, & ad manus meas redigēre una cum auro, & dixerunt,ut illum punirem,ego gratias egi,quod eam adhibuissent diligentiam, & respondi, quod postquam illi erant in sua prouincia illum corrigerent secundum eorum morem, nollebamq; me ingerere ad puniendos suos existens in sua prouincia. Illum recepere, & precone preuio,qui delictum eius alta uoce recensebat,præfatum magnum forum cogebatur circumire, & eo pacto illum sistere iussere ad molem quandam ad instar theatri, quæ stabat in

bat in medio dicti fori. Præco uero dictam molem aſcendens, reiterato illius delictum, & crimen alta uoce receſebat, & illius caput ligno in modum mallei in ſumitate rotunde fabrefacto, percuſſere, donec animam omnibus uidentibus redderet. Vidimus præterea plurimos carcere tentos, quos aiebant ob furta, & alia per eos commiſſa crimina detineri. In hac prouincia ſecundum computationem, quam diligenter fieri curaui, ſunt centum & quinquaginta millia domorum, una cum alia parua prouincia eidem adhærenti Gnaſincango nuncupata, qui eiſdem legibus & conſuetudine uiuunt, ſine domino. Qui & non minus ſubditi ſunt regali Maieſtatis ueſtræ coronæ, quàm illi prouincia Taſcaltecal.

Nuncij Muteezuma ad Cortesium

Cum eſſem sereniſſime & potentiſſime domine in caſtris bella gerens cum incolis iſtius patriæ e Taſcaltecal, quatuor ex potentioribus ſubditis Domini Muteezuma ad me profecti ſunt cum ducentis eis familiaribus, & dixerũt ea de cauſa aduentaſſe ut mihi nunciarent, qualiter eorum dominus Maieſtati ueſtræ ſubijci deſiderabat, & mecum inire amicitiam, & quid ſibi conſtituere pro annuo cenſu Maieſtati ueſtræ perſoluendo deſiderabam, tam in auro, argento, ueſtimentis ſericis, & bombicinis, quàm alijs rebus, quibus prouincia abundaret, quæ omnia impartiretur, dummodo eius prouinciam non ingrederer, & illud tantummodo deſiderabat, quoniam ſua prouincia erat ſterilis, & commeatibus non affluebat, & moleſte ferret, ſi aliquid incommodi aut penuriæ ſuſtinerem una cum commilitonibus meis. Et eiſdem ad me dedit ad mille pondera auri & totidem ueſtes ex bombice quibus illi maxime uti ſolent. Hi mecum degere pro maiori parte illius belli, & perbelle uidere potuerunt, quãtum Hiſpani ualeant, & interfuere, dum pacem & fœdus cum illis dominis Taſcaltecal iniuimus, & ad quæ domini & uniuerſi incolæ ſeſe obtulerant ueſtræ Maieſt. ſeruitia. Et, prout uidebatur, eis huiuſmodi maxime diſplicebant, quia uarijs modis me ſecum abducere tentarunt, aſſerentes promiſſa & oblationes, quas illi domini & incolæ fecerant, non fore ex animo, nec ſyncere amicitiam contraxiſſe, & illud, ut libere ipſis confiderem, oſtendebant ut poſtea tuto mihi incauto inſidiarentur. Incolę uero Taſcaltecal pluries me admonuerant, ne ſubditis domini Muteezuma aliquo pacto confiderem, quoniam erant uere proditores & omnia fraudulenter agebant, & dominus illorum fraudibus uniuerſam illam prouinciam ditioni ſuæ ſubegerat, & me admonere uoluerant, ſicut facere tenentur ueri amici, & qui diu cognouerunt Muteezuma. Viſa diſſenſione, & ſimultatibus ambarum partium inde nõ parum uoluptatis ſum conſecutus, quoniam multum ad rem meam ea pertinere cognoſcebam, & facillime haberem aditum ad illos ſubigendos, iuxta id commune adagium: Ex monte procedit, quod montem comburit. Etiam mente reuoluebam illud ſacri Euangelici uerbi dictum: Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur, modo tamen hos, modo illos ſecreto alloquebar, & gratias unicuiq; agebam de illorum optimo, animo, conſilio, & admonitione, & plus me amare præſentes, & quos alloquebar profitebar, quàm alios qui aberant & de quibus maledicebant. Fuimus in hac celebri ciuitate dies uiginti, & nuncij Muteezuma, quos apud me fuiſſe ſuperius retuli, me hortati ſunt, quod proficiſci deberem ad ciuitatem Churultecal, quæ aberat per leucas ſex, & ciues & incolæ illius erant maxima amicitia coniuncti domino eorum Muteezuma, & ibi ipſius animum facilius comprehendere poſſem, utrum deſideraret, proficiſcerer ad ſuam prouinciam, & quod aliquis ipſorum ex ea ciuitate poſſet ire allocutum eorum dominum, ſignificatum ea, quæ ego iniunxiſſem, & reuerti cum reſponſo, & compertum habebant alios nuncios me in ea præſtolari, ut colloqueremur. Eis reſponſum dedi, mihi placere illuc proficiſci, & quadam die, quam eiſdem indixi recederemus. Poſtquam uero domini e Taſcaltecal reſciuere ea, quæ cum prędictis nuncijs egeram, & conſtitueram diſcedere ad illam ciuitatem, me mœſtitia pleni conuenere rogantes, nullo pacto illuc

Parœmia

A ćto illuc proficiſci deberem, quoniam iam mihi inſidias præparauerant, ut me unà cum commilitonibus neci darēt, & ad hoc negotium ipſe Muteezuma, ex prouincia dictæ ciuitati contermina, deſtinauerat ad quinquaginta millia hominum, & conſtiterant per duas leucas à præfata ciuitate, & ipſi obſidebant iter conſuetum quà proficiſci deberem & nouum conſtruxerāt, altis foſſis refertum, in quibus præacutæ ſudes fixæ ſolo contegebantur, ut equi in eas præcipitarentur, & eo modo confoderentur, & ex induſtria multos uicos obſtruxerant, & in ſupremis & ſubdialibus domorum pauimentis lapides undiq; congeſſerant, ut nos ciuitatem ingreſſos capere poſſent, & deinde de nobis ad libitum diſponere. Et ad detegendam ueritatem eo uterer argumento, quod nunquam domini illius ciuitatis me uiſum aut allocutum uenerant, cum iam diu ueniſſent illi de Guaſancigo, qui plus aberant quàm ipſi: & mitterem eos euocatum, & uiderem an uenirent. Illis gratias ingentes egi, & ab eis petij mihi aliquos concederent, qui eoſdem meo nomine rogatos haberent, ut ad me proficiſcerentur, habebam enim quædam, quę cum illis communicare deſiderabam, commodum Maieſtatis ueſtrę concernentia, eiſdem nuncijs cauſam mei aduentus explanaui, ut eam illis enarrarent. Qui nuncij eò ſunt profecti, & mandata mea expoſuere dominis illius ciuitatis, & ſecum aduenerunt tres perſonę, haud magnę exiſtimationis, & retulere, nomine dominorum illius ciuitatis aduentaſſe, et eos nō potuiſſe ad me proficiſci aſſerebant, quia aduerſa detinebātur ualetudine: illiſq; intentionem meam ad illos perferendam exponerem. Illi autem ex Taſcaltecal mihi ſignificarunt, eos eſſe inter ciues nullius autoritatis, & prædicti ciues me irridere uidebantur, & eis fidem non adhiberem, niſi domini ciuitatis ad me perſonaliter proficiſcerentur. Eoſdem nuncios audiui & reſpondi, quod tam alti & potētis principis (qualis eſt Maieſtas ueſtra) legatio humilibus perſonis exponi non debebat, & nedum ipſi nuncij, ſed & ipſorū domi-

B ni uix erāt tātę dignitatis, quibus dicta legatio à me explicari deberet, & propterea iubebam, quod triū dierū ſpacio coram me cōparerent ueſtræ Maieſtati obedientiam præſtituri, & in ſubditos ſe ſubiecturi, præuia proteſtatione, quod ſi eis aſſignato termino non comparerēt, caſtra mea in eos mouerē, tanquam contra Maieſtatis ueſtræ rebelles, & ſubijci recuſantes ditioni Maieſtatis ueſtræ, & ad hanc cauſam miſi mandatum manu propria, & notarij ſubſcriptum, cum lata commiſſione ueſtrę Maieſtatis, in eodem cauſam mei aduentus commemorando, & quod iſtæ prouinciæ, & multæ aliæ erant ueſtræ Maieſtati ſubiectæ, & illi qui libenti animo uellent ſubijci ueſtræ Maieſtati, bene à me haberētur, & eos maximis eram proſecuturus honoribus & fauore & econtra rebelles. Sequenti uero die uenerunt ad me fere omnes domini dictæ ciuitatis ſe excuſantes, quod prius non uenerant, hoc eueniſſe inde affirmabant, quia illi ex prouincia in qua morabar, erant eorum hoſtes, & non auſi fuerant eò accedere, quia ſe fore tutos nō arbitrabantur, & quod aliquid mihi detuliſſent contra eos, animo arbitrabantur, ſed illis fidem adhibere non deberem, tanquam ab hoſtibus eorum nominis prolata, & quod non ita erat, & ſi ſecum ad eorum ciuitatē accederem, ibi cognoſcerem prolata per eorum hoſtes eſſe falſa & uera eſſe quæ ipſi proponebant. Et exinde Maieſtati ueſtræ ſe ſubijciebant & permāſuri erant, & quod parerent & omnia quæ Maieſtatis Veſtræ nomine impoſuiſſem, parati erant contribuere, & omnia hæc notarius, interpretibus adhibitis, ſcriptis demandauit, & tunc cum eiſdem proficiſci conſtitui, partim ne animo defeciſſe uiderer, partim quoniam ibi ſperabam poſſe omnia felicius quę mihi incumbebant, componere cum Muteezuma, quoniam illa ciuitas eſt contermina illi prouintiæ (ut relatum eſt) ſubiecti enim Muteezuma illic tuto proficiſcebantur, & econtra cum in eorum itinere nullum obſtet impedimentum, qua re cognita domini è Taſcaltecal maxime indoluere, & multoties me multum errare affirmarunt, & poſtquam iam ſe Maieſtati Veſtræ dediderant, & meam ami-

citiam iniuerant mecum ire uolebant, & omnibus in rebus quæ euenirent A
opem ferre, & non obstante quod multum reluctatus fuerim, & precibus ab
eis contenderim ne uenirent, quoniam necessitas non impedebat, tamen ad
centum millia hominum ad pugnam aptorũ me subsecuta sunt & me comita
ta sunt per leucas duas à ciuitate, & ab eo loco maximo rogatu meo, præter
sex millia hominum omnes recessere & ea nocte castra posui ad quẽdam flu-
uium, qui duabus leucis aberat ab ipsa ciuitate, partim ut expedirem dictos
homines è Tascaltecal qui mecum uenerant, ne aliquid scandali tanta multi
tudo ciuitati inferret, partim quia nox appropinquabat, & ea hora nolebam
ciuitatẽ ingredi. Postero die omnes ciues mihi obuiam uenere, tubis & tim-
panis ut me exciperent cum multis alijs personis, quæ apud eos religiosæ ha
bentur, uestibus suis solitis indutis canendo & psallendo, ut facere solent in
suis Meschitis, quas pro ecclesijs tenent, & ea solennitate usq; ad ingressum
ciuitatis nos perduxere, & in optima domo collocarunt, in qua ego cum u-
niuersis meis socijs fui commode hospitatus, & ad uota nobis cibaria attu-
lere, leuia tamen. Et dum iter faceremus ad ciuitatem, multa eorum signo-
rum quæ nobis aperuerant incolæ ex Tascaltecal, offendimus, quoniam
iter obstrusum inuenimus, & aliud nouiter fabrefactum & scrobes altas ali-
quas in quas homines decidebant, & uias aliquas in ciuitate obstrusas, & la-
pides congestos in pauimentis subdialibus, & ista nos uegetiores & uigilan
tiores reddidere. Ibi inueni nuncios aliquos à Muteezuma missos, ut nun-
cios illius qui apud me erant alloquerentur, nil tamen ad me se in commissis
habere dixerũt, sed tantum uenisse, ut ab illis nuncijs intelligerent quid me-
cum egissent aut constituissent, ut ea domino suo possent nunciare, & sic
me allocuti discessere. Et unus ex primatibus nuncijs Muteezuma qui me-
cum erat, cum his profectus est. Et his tribus diebus quibus ibi moram tra-
xi, mihi minimum alimentorum contribuerunt, & indies peius, & raro me
uisum, & allocutum ueniebant Domini & primates ciuitatis. Et dum ex B
hoc aliquid timoris haberemus, interpreti meo quotidiano (quæ est fœmi-
na ex illis Indis, quam accepi in Putuncham, qui est fluuius Grizalue, de
qua etiam in prima relatione Maiestati Vestræ transmissa mentionem feci)
incola quædam ex Tascaltecal aperuit, non longe maximam multitudinem
hominum subiectorum Muteezuma in unum conuenisse. Et quod omnes
habitatores ciuitates eduxerant uxores, filios, & bona cupiebant nos aggre
di, omnes interimere, etsi secum uellet abire illam sospitem cõseruaret, quæ
omnia retulit illi Hieronymo Agillari, quem habui in Iucatan, & de quo a-
lias Maiestati Vestræ mentionem feci, qui postea hæc mihi exposuit, & illi-
co incolam quendam illac prætereuntem capiendum curaui, & ab illo secre
to in loco collocato diligenter percunctatus sum, & ea mihi aperuit quæ fœ
mina ex Churultecal interpreti meo retulerat, & propterea ex præmissis &
etiam præcedentibus indicijs quæ prius uideramus in itinere, constitui me-
lius esse illos præuenire, quàm præueniri, & dominos omnes illius ciuita-
tis alloquendi gratia conuenire curaui, quos posteaquam conuenere in
magna quadam aula collocaui, & interim iussi milites esse in armis, & ad
omnia paratos, quo illico in eam multitudinem Indorum, qui habitationi
meæ inerant & proximiori loco irruerent. Et sic euenit, quoniam post-
quam conuenerant domini in ea aula, eos uinctos ibidem reliqui, equum
ascendi, & emisso pixidis sono taliter egimus, quod duarum horarum spa-
cio ad tria milia hominum neci dedimus. Et ultra Maiestas Vestra cogno-
scat, qualiter contra nos se accinxerant. Antequam exirem hospitio, omnes
fere uicos obstruxerant, & erant ordinati: & tamen quoniam illos incautos
aggressi fuimus, facile fuit eos dissipare, maxime, deficientibus eorum duci-
bus, quos in aula in uincula coniectos detinebam. Ignem quibusdã turribus
& munitis domibus, in quibus se tuebantur inijci mandaui, & decertando
ciuitatem totam peragraui: in hospitio tamen optimo relicto præsidio. Et
eo

A eo pacto quinque horarum ſpacio populum omnem è ciuitate migrare coegi: opem ferentibus quater mille uiris ex Taſcaltecal, & quadringenti, è Cempoal. Poſt meum reditum ad hoſpitium eos dominos ciuitatis, quos in uinculis detinebam, allocutus ſum, & ab illis quærebam, cur me ea proditione interimere curaſſent: reſponderunt cauſam ab eis non proueniſſe, ſed ab incolis è Culua ſubditis domini Muteezuma, qui eos ad tale facinus ſuaſionibus ſuis impulerant, & dominus Muteezuma per leucam cum dimidia collocauerat ab ea ciuitate (ut ipſi cogitare poterant) ad quinquaginta millia armatorum, ut illud exequeretur: ſed tamen eos iam cognoſcere ſe fore deceptos, & me rogabant unum, aut duos ex illis ſolutos dimitterem, quoniam illi pollicebantur reducere populum quem eieceram, & fœminas, liberos, & bona quæ eduxerant, & ut illis parcerem ſupplices rogabant, promittentes, quod in poſterum an nullis ſe decipi permitterent, & uolebant eſſe ueri & fideles Maieſtatis Veſtræ ſubditi. Et poſtquam fui eorum errores & crimina maxime deteſtatus, & reprehendi, duos ex eis dimiſi. Sequenti uero die ciuitas adeo habitata uidebatur, & fœminabus, & pueris referta, & pacificus populus, non aliter, quàm ſi nil eueniſſet: ſolui'que omnes reliquos ciuitatis dominos, quoniam ſunt polliciti ſe Maieſtati Veſtræ perpetuo inſeruituros. Et eo uiginti dierum ſpacio, quibus ibi moram traximus, fuit ciuitas tam pacifica, & uidebatur non aliter, quàm ſi nullus fuiſſet interemptus, aut defuiſſet: & fora, & commertia ſua habebant, & exercebant per ciuitatem, quemadmodum prius facere conſueuerant, effeci'que, quod incolæ è Churultecal & Taſcaltecal fœdere, & amicitia iungerentur, & amici ex inimicis efficerentur, quos à paucis annis muneribus ſibi conciliauerat Muteezuma, & hoſtes reddiderat incolis è Taſcaltecal. Ciuitas hæc Churultecal ſita eſt in loco plano, & intra mœnia habet uiginti mil-

B lia domorum, & totidem in ſuburbijs, ſunt ſoli domini, & habent confinia ſeparata, nec alicui parent, nec aliquem cognoſcunt in dominum aut ſuperiorem, & habent regimen ſimile incolis è Taſcaltecal, gens iſta melioribus utitur ornamentis quàm è Taſcaltecal. Omnes poſt hanc cladem ſunt, & fuerunt fideles ſubiecti Regali Maieſtati Veſtræ, & ſpero eos in futurum permanſuros. Iſta regio eſt fœcundiſſima, quoniam latam habet prouintiam & confinia, & loca pro maiori parte irrigua, & ciuitas hæc ab extra eſt uiſu pulcherrima quia eſt plena, & turribus maxime referta, & Maieſtati Veſtræ uera refero, quod ex alta turri cuiuſdam Meſchitæ proſpectans, recenſui ad quadringentas turritas Meſchitas in dicta ciuitate. Et ex omnibus prouintijs, quas hactenus in his regionibus uideram, hæc aptior eſt ad Hiſpanorum habitationem, quia in ea habentur paſcua, & aquæ habiles ad alendas pecudes, quæ alia loca, quæ hactenus peragrauimus, non habent, quoniam cæteris in prouintijs tanta eſt hominum copia, quod nulla ſit prouintiarum portio, etiam minima, quæ cultura uacet, & tamen multis in locis panis defectum patiuntur, ſunt etiam pauperes multi, & mendicant ad domos & templa, quemadmodum fieri ſolet in Hiſpanijs, & alibi.

Allocutus ſum illos nuncios Muteezuma circa proditionem, quam mihi parauerant domini è Churultecal, & qualiter prædicti domini aſſerebant eueniſſe, & primordia habuiſſe à perſuaſione Muteezuma, & quod hæc proditio non uidebatur mihi digna tanto uiro, qualis ipſorum dominus erat: & hinc mittebat honoratos nuncios ſuam mihi ingerens amicitiam, illinc uero quærebat mihi proditorie inſidiari uiribus alienis, ut ſe à crimine protegere poſſet, & excuſare, ſi res ad uota non ſuccederet, & poſteaquam ipſe promiſſam fidem fregerat, nec pollicitis ſteterat, nec in ore illius ueritas comperiebatur, ego quoque ſententiam mutaueram, & ſi prius ad eius prouinciam ipſius uidendi & alloquendi tantum gratia, & ut ſecum

amicitia & consuetudine iungerer, nunc eam ut hostis ingredi propera- A
rem, eius prouinciæ damna omnia, et incommoda, quę hostis afferre potest,
inferre desiderans, quo ego maxime dolebam: cupiebam enim libẽtius eum
amicum habere, & illum omnibus in rebus, quas in his partibus gesturus e-
ram, consulere, & datum mihi ab illo consilium exequi. Illi uero respõderunt
mecum diu fuisse, nec ad aures suas peruenisse talem proditionem, & nullo
pacto adduci poterant, ea quæ facta fuerant, fuisse sententia et consilio domi
ni Muteezuma commissa, & à me exposcebant, ut antequam constituerem
eius amicitiæ renuntiare, & bellum contra eum suscipere, prout asserebam,
optime prius omnia cognoscerem, & ad ueritatem eruendam cuncta expe-
rirer, & unum ex eis dimitterem, qui proficisceretur ad dominum suum allo
quendum, & propediem reuerteretur. Sunt ab ista ciuitate ad locũ ubi Mu-
teezuma residebat, uiginti leucæ. Respondi mihi placere & aliquot ex eis di
misi, & ipsi unà cũ alio qui prius discesserat, post dies sex reuersi sunt, mihiq;
attulere dono decem puro auro paropsides, & mille & quingentas uestes, &
commeatum gallinarum, & Panicacap (quod genus est potus, quo utuntur)
& retulerunt dominum suum Muteezuma moleste tulisse paratas mihi insi-
dias per illos è Churultecal, & me certo persuasum, quod ille huic negotio
præstitisset consilium & fauorem, quia ipse mihi fidem astringebat, ita non
procedere, & gentem illam esse suam, quæ ubi supra constiterat, motu ta-
men proprio non eius mandato conuenisse, suasione illorum è Churultecal,
quia erant ex duabus prouintijs, quarum altera uocatur Accancigo, altera
uero Yzuchan, quæ sunt conterminæ regioni Tascaltecal, & propter pro-
pinquitatem quoddam fœdus inter se iniuerant, ut alter alteri opem ferat, et
ea de causa conuenerant, non autem eius mandato, & in futurum uiderem
ipsius operibus, si illa quæ ei nuncianda miseram, forent uera uel non. Et de-
nuo me enixe rogabat, ut ad suam prouintiam proficisci non deberem, quia
erat sterilis, & multa pati possem & ubicunque permanerem, mitterem illuc B
quæsitum quæ uellem, ea enim perficeret & adimpleret. Respondi iter me-
um ad illius prouinciam non posse euitari, quoniam de ipso Muteezuma &
& illius prouintia tenebar Maiestati Vestræ sigillatim omnia referre. Et me
credere ea quæ retulerant nuncij, simulabam, & propterea quia aliter fieri
non poterat, nisi ut illum inuiserem, quod moleste non ferret, & si aliud ani-
mo uolueret male sibi euenire posset, & ægre ferrem illatum sibi damnum
& incommodum. Ille uero postquam cognouit me constituisse ire illum ui-
sum, respondit, quod felix illuc progrederer, meq; expectaret in illa ciuita-
te, in qua impræsentiarum se continebat, & ad me destinauit multos è suis,
ut me illuc comitarentur, quia iam ingressus eram eius prouinciam, cupie-
bant me deducere per ea loca & itinera, in quibus insidias mihi parasse puta
ui, ut nos male mulctarent per ea quę postea euenere, quoniam Hispani mul
ti, quos ad uaria negotia per eam prouinciam destinaueram, uidere plures
pontes & angusta itinera, per quæ si fuissemus progressi, facillime executio-
ni intentionem suam mittere potuissent. Sed deus Optimus Maximus qui
Maiestatem Vestram à teneris annis tutatus est, prospectãs nos Regali Ma-
iestatis Vestræ seruitio intentos, aliud iter demonstrauit, & quamuis esset
asperius, tamen non erat tot periculis subiectum, ut illud, quo nos deducere
nitebantur, quod nobis hoc pacto monstratum est. Ab ista ciuitate Churul-
tecal sunt gemini excelsi montes, & frigiditatis maximæ, & in fine mensis
Augusti habetur in illis tantum niuium, ut in eorum uertice non sit aliud
cernere præter niues: & ab eorum altero qui excelsior habetur, multoties
tam die quàm nocte egreditur ingens fumeus globus ad instar magnæ do-
mus, & supra illius uerticem tollitur usque ad nubes tam recto tramite & ue
lociter, ut sagitta globum illum uelocitate non æquaret, & quamuis maxi-
mi, & uehementes in illorum montium cacuminibus uagentur uenti, ta-
men globum illum fumeum dissipare aut obliquare non possunt. Sed quia
semper

A semper optaui de omnibus his in locis existentibus uera sigillatim Maiestati uestræ referre, quoniam illud prospiciens uisus sum uidere miraculum, ut secretum perscrutarer, decem ex commilitõibus meis Hispanis, & eos quos arbitrabar perscrutationi huiusmodi idoneos fore, cum aliquibus incolis eius prouinciæ illuc perscrutatum ire iussi, & illis seriose iniunxi, ut modis omnibus dictum montem ascenderent & secretum illius fumi, & unde & qualiter exiret perscrutarentur, & quantum eis possibile fuit, ut dictum montem ascenderent, laborabant, nunquam tamen illum scandere ualuerunt, obstantibus crebris cinerum turbinibus qui à dicto monte egrediuntur, magnis niuibus, & intenso frigore quod in illis montibus uagabatur: appropinquauerunt tamen cacumini, & adeo quod cum essent ibi, incœpit exire ille fumeus globus tanto cum impetu & strepitu, ut mons uideretur corruere, et infecto negotio reuersi sunt, portantes multum niuis & glaciei, uidebatur enim eis rem nouam in his partibus tam calidis constitutos nos esse uisuros, secundum sententiam nauclerorum, quoniam affirmant istam prouinciam sitam in uigesimo gradu, qui est in paralello insulæ Hispanæ, ubi assidue uersantur maximi calores: & dum irent quæsitum hoc secretum, offenderunt quoddam iter, & ab incolis quos secum miseram percunctati sunt, quorsum illud iter tenderet, ipsi retulere illac iri ad Culua, & illud esse optimum iter ad Culua, & non illud, per quod nos illi de Culua deducere uolebant, & Hispani progressi sunt per illud ad fines mõtium usq;, iter enim est in medio dictorum montium: tandem patere cœpit planities è Culua, & magna ciuitas Temixtitan, & lacus qui continentur in ea prouincia, quos inferius celsitudini uestræ referam, & Hispani illi quos miseram ad perscrutandum secretum, cum socijs reuersi sunt exultantes inuento bono itinere, & cum ab illis

B & ab incolis prouinciæ factus fuissem certior de nouo bono adinuento itinere, nuncios ipsius Muteezuma sum allocutus, eos monendo, quod deducerent me ad eam prouinciam per adinuentum iter, & non per illud quo ipsi constituerant: Responderunt, quod erat magis planum & breuius, & cur me per illud non deducerent, dixere causam hanc subesse, quia debebamus transire per prouinciam Guasacingo, cuius incolæ erant hostes Domino suo Muteezuma, & in ea non poteramus inuenire commeatum & necessaria, prout per loca domini sui, sed postquam constitueram ire illac, ipsi commeatum aliunde afferri curarent, & maxima anxietate transiuimus timentes, ne illi in sua malitia uellent perseuerare, nobis'que denuo insidiari, & quia iam omnibus innotuerat quod illuc progredi uolebam, non uidebatur ad rem pertinere retrocedere, ne illud timori & pusillanimitati ascriberetur. Et ea die, qua à Churultecal discessimus, emensi quatuor leucas, deuenimus ad pagos quosdam sub ditione ciuitatis Guasacingo, ibi ab incolis bene uisus, mé que donarunt quibusdam seruis, uestibus, & paruis frustulis auri, quæ omnia parui erant momenti, quoniam in prouincia sua talia non habentur, qui sunt factionis illorum è Tascaltecal, & circundantur undique prouincijs Domini Muteezuma, & adeo, quod nullum est illis commercium, nisi cum incolis propriæ patriæ, & ideo misere degunt. Sequenti die ascendi faucem inter duos montes sitam, de quibus Maiestati Vestræ retuli, & in ipsius descensu postquam oculis nostris patebat prouincia domini Muteezuma, uenimus per quandam illius prouinciam, quæ appellatur Chalco, per duas leucas antequam perueniremus ad loca habitata, inuenimus optimum hospitium nouiter extructum ex tignis & palea, in eo me cum socijs omnibus commode collocaui cum omnibus Indis, quos mecum eduxeram ad quatuor milia hominum ex istis prouincijs, uidelicet ex Tascaltecal, Guasacingo, Churultecal, & Cempoal, nobis necessaria uictui concessere, & habuimus in omnibus habitationibus ignes multis iniectis lignis, quia frigora & algores maximi uigebant, duobus enim altissimis montibus circundabamur, quibus maxima niuium multitudo inerat.

Eo

Eo quidam Muteezuma nomine ad me profecti sunt, qui uidebantur proceres, & inter eos aiebant uenisse fratrē ipsius Muteezuma, & quater mihi attulere mille auri pondera sui domini Muteezuma nomine, & me rogatum uolebant, ad illius ciuitatem ulterius proficiscēdi animum exuerem, quia illius prouincia annonæ caritate premebatur, & iter erat ad illam difficile, tota enim erat aquis circumuallata & ad eam non nisi canois inuehi poteram. est autē canoa lembus unilígneus concauus, quibus ad aquas transferendas utuntur (illas incolæ Accaler nominant) aliaq; multa difficilia esse in itinere commentabantur, et illi significarem quid ab eo postularem. Quoniā lubens omnia mihi ubicunq; locorum existerem ab eodem petita proculdubio in signum tributi mittenda curaret, & usq; ad mare & quocunque animo meo libuisset. Ipsos blande & amice excepi, eosq; aliquibus quæ ex Hispanijs attuleram donaui, quæ maximo in precio apud eos habebantur, apud illum præsertim quem fratrem Muteezuma esse aiebant, & nomine domini sui expositæ legationi in hæc uerba respōdi: Ego, si in manu & potestate mea esset ab hac prouincia recessus, libentiori animo quàm ipse desiderat, ab his regionibus ut magnanimo Domino uestro morem gererem, recederē, sed sacræ Catholicæ Maiestatis domini & regis mei præcepta & mandata id me exequi non permittunt. Illius iussu hanc regionem petij, & inter alia quæ à Catholica Maiestate magnoq; Imperatore mihi in commissis data sunt, illud fuit imprimis, ut de magnanimo domino uestro Muteezuma, & illius tam celebri ciuitate Maiestatem suam certiorem facerem, cuius celebritas diu ad eius sacras aures peruenit, illudq; uos oratos uelim, ut meo nomine domino uestro nuncietis, meum illuc iter æquo gratoq; animo ferat, quandoquidem aduentus iste meus domino uestro, aut illius prouinciæ damnū aliquod, aut incommodum afferre non potest, sed plurimum utilitatis, honoris, & incrementi. Et postquam dominum uestrum allocutus fuero, si mea consuetudine uti noluerit, ilico pedem referam, satis enim mihi est illum alloqui, ut inter nos quibus modis sacratissimi mei potentissimiq; regis negocia in his partibus gubernari queant, constituamus, quæ non possent per interpositas personas quamuis idoneas, & quibus maxima fides sit adhibēda, constitui. Et hoc habito responso recessere. In hoc hospitio, de quo superius mentionem habui, cogitarant (prout ex indicijs & præparationibus conijcere potui) ea nocte nobis obesse, & aliquod damnum inferre, hoc percepto remedium adinueni. Propterea postquam cognouerant, me mutasse sententiam, secreto iussere illos uiros, qui in montibus erant absconditi, proficisci ad hospitium prædictum, & conspecti à meis uigilibus, & excubijs discessere. Postero die inde profectus perueni ad coloniam quandam, quam Amaqueruca appellant, quæ subiacet prouinciæ Chalco, quæ habet in colonia principali, & uillis per duas leucas circumcirca plus quam tria millia habitationum, & in hac colonia fuimus optime hospitati in pulchra domo ipsius Domini. Multi, qui ex primatibus uidebantur, me uisum & salutatum uenere, asserentes eorum Dominum eos ad me destinasse, ut me ibi expectarent, & de omnibus quibus indigerem, & mihi & meis prouidere curarent. Huius prouinciæ dominus mihi largitus est mille pondera auri, & quadraginta seruos, & duos dies fuimus ibi, commode & uberrime nobis omnia quibus indigebamus, suppeditauerunt. Postero die cum ad me uenissent quidam principales, significarunt, quod dominus Muteezuma me expectabat, discessi & ea nocte fuimus in quadam parua colonia abinde per leucas quatuor, quæ adhæret maximo lacui, & ferme illius media pars in aquas protenditur, à continente uero habet asperrimum montem cum rupibus & lapidibus ingentibus, & ibi modis omnibus conabantur nobis obesse, aliter autem quàm quærebant, euenit: constituerant enim nos noctu incautos offendere, & cum tam diligens, & uigilantissimus diu noctuque essem, cogitationes eorum irritas feci: & ea nocte uigiles ubique collocaui, & tales, quod

tam

A tam ab exploratoribus illis, qui aqua canonis uehebantur, quàm ab eis, qui monte descendebãt conspici & uideri potuit, an eorum opinionem exequi potuissent: mane inuenti sunt ad uiginti exploratores illorum à nostris interfecti, adeo ut pauci ad dominos qui eos miserunt, reuersi sint. Et cum nos semper ad quæcunque paratos & promptos cernerent, constituerunt mutare sententiam, & nos tanquam amicos deducere. Sequenti die summo mane cum discedere constituissem, præsto fuere duodecim uiri ex primatibus, ut postea percepi, inter quos maiori fulgebat dignitate iuuenis annorum uiginti quinque, quem omnes maxime uenerabantur, & adeo quod quando lectica qua uehebatur descendit, reliqui omnes anteibant saxa & paleas qua ille progressurus erat è medio itineris auferentes. Et postquam me conuenere, se Domini Muteezuma nomine uenisse commemorarunt, ea de causa ut mihi in itinere adessent: & domino suo condonarem, quod ipse obuiam eousque non uenerat, quoniam aduersa ualetudine detinebatur, & eiusdem celebris ciuitas non multum distabat, & postquam constitueram ad illum proficisci, ut corã colloqui possemus, ut cognoscerem quali esset in Maiestatem Vestram animo. Nihilominus enixis precibus contendebat, ne illuc progrederer, quia ibi multum penuriæ & laboris essem perpessurus, multum comminabatur, ibi mihi de necessarijs prouisum iri non posse curare, quemadmodum animo conceperat: & in multum instite re præfati legati, & tantum ut nil aliud superesset, nisi aperte dicerent, si illuc proficisci perseuerarem, obstare uelle. Ego uero illis benigne respondi, & mitioribus uerbis quibus fieri potuit: asserens, quod ex isto meo aduentu nil sibi incommodi euenire poterat, sed plurimum utilitatis, & eos quibusdam quæ mecum adduxeram ex Hispanijs, donatos dimisi, & ilico discessi magna comitante caterua. Nam comitabantur me uiri, qui maximæ uidebantur autoritatis, ut postea apparuit, & semper progrediebamur
B prope ripam illius magni lacus, & à domo in qua hospitatus fueram, uix per leucam profectus, uidi in ipso lacu paruam ciuitatem, quæ tantum à nobis aberat quantum continent duo iactus balistæ, habentem usque ad bis mille habitationes in ipso lacu sitam, ad quam nullum terra patebat iter & etiam multum turritam quantum uidere potuimus, & progressus leucæ spacio ingressus fui uiam stratam manu, & arte fabricatam in ipso lacu latam quantum equestris Hispana hasta extenditur, & eadem ferme per leucam profecti ad ciuitatem quandam deuenimus, qua elegantiorem hactenus non uideramus, quamuis esset ambitu non amplo. hac exigua in ciuitate erant domus ornatissimæ, & non tantum admirationem afferebant domus bene edificatæ, quantum domorum fundamenta, quæ miro artificio in aquis erant constituta, cum (ut relatum est) in lacu ipso sit sita ciuitas, hac in ciuitate, quæ ascendit ad duo millia domorum, belle fuimus & laute nos excepere, & primates, & dominus illius ciuitatis summopere expetebant, ut ea nocte ibi quiescerem, nuncij uero domini Muteezuma admonuerunt, ne illic uellem pernoctare, sed per tres leucas progrederer ad ciuitatem nomine Iztapalapa, quæ subiacet uni ex fratribus domini Muteezuma. Egressus uero illius ciuitatis, ubi pransi fueramus, cuius nomen in præsentiarum non occurrit, est per similem uiam stratam manu fabricatam, quæ ducit per unam leucam ad continentem usque, & mihi ciuitati appropinquanti obuius factus est dominus illius cum uno alio magno Domino alterius ciuitatis, quæ ab illa abest per tres leucas, quam Canaalcan appellant, & plurimi alij proceres & domini qui me ibi expectabant, mihiq; obtulere quater mille auri pondera, & quasdam sericas uestes, & per humane me suscepere, habet Iztapalapa, quæ est ad latus unius magni lacus aquæ salsæ, usque ad quindecim millia domorum, quarum maior pars est in aquis, reliquæ in continenti. Habet Dominus illius quædam alta palatia, non tamen adhuc perfecta, quæ sunt tam magna & pulchra sicuti quælibet, quę in uniuersis Hispanijs

spanijs inueniri possent, & dico de magnis & bene constructis, tam ex lapidibus quàm ex tignis, pauimentis, & omnibus quibuslibet generibus in palatijs construendis necessarijs, et reliquis domus supellectilibus, preterquam ligneis liniamentis, & figuris ditibusque alijs parietibus & solaribus apud nos adhiberi solitis, quibus ibi in superioribus à terrra habitationibus uti non solent. Inferius uero habent uiridaria uoluptuosa, arboribus, floribusque odoriferis referta. Piscinas præterea siue uiuaria optime fabrefacta, habentia lapideos gradus à summo ad imum, habet amplum uiridarium prope dictum palatium, cui impositum est prospectaculum uarijs decoris aulis, & deambulationibus. In uiridario continetur stagnum aquæ dulcis, in quadrangulum ductum eleganterque lapidibus expolitis constructum, & in ipsius stagni ambitu stat latum deambulatorium pauimento lateribus stratum elegantissimo, adeo latum, quod quatuor homines iuncti facillime & commode deambulare possent, & quælibet ipsius pars continet quadringentos passus, & totum in circuitu continet mille, & sexcentos passus, pars uero illa deambulatorij proxima uiridario est arundinibus fabrefacta, post illas uero sunt arbores & uariæ odoriferæ herbæ. in ipso stagno plurimi natare uidentur cuiuslibet generis pisces & uolucres, ut annates, fulicæ, & aliæ plurimæ, ut aliquando ipsum operiant stagnum. Sequenti die ab ea ciuitate decedens mediæ leucæ iter emensus uiam aliam stratam medium lacus secantem ingressus sum, eademque duarum leucarum itinere ad illam celebrem ciuitatem Temixtitan in ipso medio lacu constitutam peruenitur, illa uia tantum patet, quantum geminæ Hispanæ equestres hastæ extenduntur, qua octo iuncti equestres transire commode possunt. Ab utroque dictæ stratæ uiæ latere sunt tres ciuitates, quarum unam Mesicalcingo appellant, quæ ex maiori parte iacet in ipso lacu, & aliæ duæ, quarum altera uocatur Hyciaca, alia uero Huchilohuhico lateri ipsius lacus hærent, & multæ domus dictarum ciuitatum aquis abluuntur. Prima ad tria millia, secunda sex millia, & ultima quinque millia domorum ascendere dicuntur, in quibus optimæ sunt domus, & turres, & maxime quibus ipsi domini inhabitant, & sacræ ædes eorum, quas Meschitas appellant, ubi suas fundunt orationes, & deos suos collocant. Ibi maxima sunt salis commertia, quod ex dicto lacu conficere consueuerunt, & superficie terræ, quam lacus inundat, & cum illud ebuluerit, redigunt in massas ad panis formam, & illud tam incolis, quàm alienigenis uendūt. Et per mediū leucæ priusquā quis perueniat ad ipsam celebrem ciuitatem Temixtitan (ubi dictam uiam alia similiter strata subintrat, quæ à continenti progreditur) est murus munitissimus geminis turribus circumdatus muro in latitudinem geminę hominis staturæ cum antemurali, & pinnis per totum ambitum, qui murus ambas pręfatas stratas uias apprehendit, & dicta celebris ciuitas Temixtitan geminas tantum habet portas, una est qua ingrediuntur, altera qua egrediuntur. Huc processere mei salutandi gratia ad mille proceres ciuitatis prædictæ omnes habitu consimili & decreto, secundum eorum morem & consuetudinem, & cum appropinquabant quilibet eorum patria utebatur ceremonia, quę talis est: Eorum quilibet prout erat in ordine dum me salutatum accedebat, manu terram tangebat, & illam postea deosculabatur in signum maximæ reuerentiæ, & horam ibi consumpsimus antequam quilibet ceremoniam perfecisset, & non longe à ciuitate erat ligneus pons, qui in latitudine patebat per passus decem, ibi intercipitur uia strata, & hic pons est ad aquarum fluxum & refluxum, quoniam aquæ paludis illius in modum maritimarū aquarum augentur & imminuuntur, & etiam ad ciuitatis tutelam, quia trabes illas longas ad libitum imponunt, & abducunt, ex quibus pons ille construitur. Et in huius pontis similitudinem sunt multi per uniuersam illam celebrem ciuitatem, ut post in progressu meæ narrationis latius referam, & postquam pontem illum transiui, mihi obuiam uenit ille potens dominus Muteezuma ut me susciperet, & cū

eo du-

A eo ducenti proceres nudis pedibus, & alio ditiori decreto habitu, quàm primi, & bini procedebant in modum processionis, et admodum parietibus domorum hærentes, & uia erat ampla, & delectationem afferens, quia recto tramite per fere leucam procedebat, & adeo recta quod poteramus conspicere ab initio dictæ uiæ usq; ad extremũ illius, & ab utroq; illius latere sunt optimæ, & magnæ domus partim ad usum meschitarum partim ad habitãdum. Et dominus Muteezuma medius progrediebatur inter duos magnos proceres, quorum alter erat ille magnus Dominus de quo superius memini, qui me allocutum uenerat lectica inuectus. Alter uero ipsius Domini Muteezuma frater, qui dominabatur ciuitati à qua eodem die discesseram. et hi tres erant eodem decreto habitu, hoc dempto quod Dominus Muteezuma habebat calciamenta, reliqui uero erant nudis pedibus, quamuis omnes incolæ calciamẽtis utantur. Alter à dextris. alter à sinistris domini Muteezuma brachia sustinebant. Et appropinquans equo descendi, ut eũ amplecterer, quod ne facerem duo illi proceres, & ne illum attingerem manibus innuenerunt, & primo Dominus Muteezuma, & deinde illi duo proceres ante dictam patriam cerimoniam confecere, qua perfecta iussit fratrem, qui prius eum comitabatur, ut in posterũm mihi assisteret, & ipse altero procere comitatus paululum anteibat. Et ubi fuerat me allocutus, uenere alij quoq; ducenti Domini (de quibus superius) me salutatum suo ordine, & cerimonia facta quilibet ad locum unde digrediebatur reuersus est. Et quando allocutus sum dominum Muteezuma, torquem humeris meis impendentem margaritis, & adamantibus uitreis extraxi, illumq; domino Muteezuma inieci, & emensa aliqua parte itineris, aduenit familiaris eius afferẽs torques duos in modum parui marini cancri elaboratos, panno rubeis limacis contexto inuolutos, quas ipsi maximi æstimant, & à quolibet torque pendebant octo aurei cancri miræ perfectionis ad latitudinem unius palmi, & illico illos collo meo in
B iecit, & secutus iter unde fuerat digressus abijt, ordine & habitu ante dictis, donec ad palatium quoddam amplum, & elegans in nostrum hospitiũ præparatum deuenimus, & illico me in magnam aulam iunctis manibus deduxit, quæ erat ante atrium, quod ingressi fueramus, meq; collocauit in ornato diuiti solio, quod mei collocandi gratia parari iusserat, meq; illum ibi præstolari iussit, & post pusillum meis optimis habitis hospitijs ad me uarijs, & pluribus rebus & ornamentis aureis, argenteis, & rebus ex pennis plumisq; eleganter confectis, & quinq; millibus uestium ex bombice preciose, uarijsq; modis laboratis, & contextis profectus est, quæ omnia postquam mihi impartitus est, consedit altero solio non longo interuallo à meo distanti, quod sibi curauerat parari, & in hæc uerba locutus est: Diu est quod ex maiorum nostrorum annalibus, & scripturis compertum habemus, quod ipse, & omnes qui in hac prouincia degimus, hinc oriundi non sumus, sed alienigenæ, qui ex remotis orbis prouincijs huc aduenimus. Scimusq; nos magno quodam domino Duce cui subiecti eramus ad hãc prouinciã peruenisse, qui nobis relictis patriam reuisit, et multo post tempore ad nos redijt, inuenitq; nos omnes incolas huius prouinciæ in uxores duxisse, colonias habitandas suscepisse, & liberos præterea procreasse, qui enitebatur nos hac prouincia abducere, illud recusauimus, nec eundem in dominum ulterius, & ducem recipere uoluimus, & ipse dominus discessit, & hactenus certe credidimus, quod illius successores uenturi essent ad subigendas has prouincias, & nos tãquam proprios & ueros subditos suos asserturos. Et considerantes locũ unde uos uenisse dicitis, & ea quæ prædicatis de magno & potenti Domino & Rege, qui uos huc destinauit, uere credimus, quod ille sit noster uerus Dominus, & eo maxime, quia dicitis, quod diu nos hæc loca habitasse cognouit. Ideo uobis proponite, nos uobis omnino parituros, & uos in Dominum illius uice & nomine, quem uos huc misisse asseritis suscepturos, & in hoc uobis non deerimus, nec fraudem committemus, & uniuersæ prouinciæ quæ

meæ subiacet ditioni ad libitum imperare potestis, quoniam omnes iussa capescent, & potestis omnibus quæ possidemus pro uolūtate uti, estis enim in propria prouincia, & domo, animo læto estote, & quieti uos date, scio enim uos labores uarios passos, tam itinere quā assiduis bellis, quæ hactenus uobis se obtulere. Non me latet profecto quæ ex Punachanaca hucusq; uobis euenere. Nec dubito quin incolæ ex Churultecal, & Cempoal uobis de me male dixerint, obsecro uos ne ultra ea quæ experientia & proprijs oculis uidebitis credatis, præsertim ab hostibus meis dicta, ex quibus aliqui mihi subijciebantur, & aduentu uestro à me defecere, et ut à uobis fauorem captēt illa proferūt. Scio equidē, quod ipsi uobis asseruerāt quod domos aureis parietibus, & aureum solium possidebam, & mea omnia supellectilia erant aurea, & pariformiter eram deus, & me deum fingebam, & alia multa huiusmodi, domos iam cernitis ipsimet esse ex saxis, calce & terra. Et his dictis uestes extulit corpus ostentans, & ait, nonne me uidetis ex carne & ossibus compactum, mortalem & palpabilem, uidetis eos iam fuisse mētitos. Habeo equidem aliqua suppellectilia, quæ maiores mei mihi reliquerunt, omnia quæ habebo uestra sint, & de his ad libitum disponite, procedam ad alias domos ubi habitare soleo, curabo uobis prouisum iri omnibus in rebus, uobis & socijs uestris conuenientibus, & nulla adducamini mœstitia, imo lætamini, quia estis in uestra patria, & domo: Ego paucis respōdi, & maxime tetigi ea, quæ ad rem pertinere putaui, & potissimum ut in animum eorum insunderem, quod Maiestas Vestra illa uere esset, quem uenturum arbitrabantur, & his peractis discessit & post eius discessum nobis attulere panem, gallinas, fructus uarios, & alia ad usum domesticū, & hospitij facientia, fuimusq; ibi sex dierum spacio bene hospitati, & multoties Domini prouinciæ illius me allocutum, & salutatum ueniebant.

Iam Catholice Rex initio huius meæ narrationis exposui, quod ego tempore quo à uilla ueræ Crucis discessi, ut diligenter perquirerem de hoc potenti Domino Muteezuma, ibi dimiseram centum & quinquaginta Hispanos, ut inchoatam à me arcem perficerent, & etiam dimiseram multas uillas, & castra circumuicina eidem ciuitati ueræ Crucis Sacræ Maiestatis uestræ ditioni subiectas, & incolas ueræ fideles: sed dum essem in ciuitate Churultecal mihi redditæ sunt literæ à præfecto, quem ibi constitueram meo nomine, quibus significabat, quod Qualpopoca dominus ciuitatis, quæ Almeria appellatur, significauerat dicto præfecto per suos nuncios, quod desiderabat esse uasallus uestræ Maiestatis. Et quod eo usque non præstiterat eam obedientiam, quam præstare tenebatur, & ad offerendum se cum uniuersa sua prouincia non uenerat, per hoc stetit, quod illi necesse erat transire prouinciam quæ sibi infensa erat, & quia timebat in transitu lædi, illud mandare executioni non potuerat, & propterea ad eum mittere dignaretur quatuor Hispanos, qui secum ad dictum præfectum per hostiles prouincias proficiscerentur, quoniam illis ducibus confidebat se tuto peruenturum ad eundem, & hoc pacto obedientiam debitam præstare posset. Qui præfectus illius uerbis fidem adhibens, quæ nomine dicti Qualpopoca sibi nunciabantur, & quod ueniret ad præstandum obedientiam, ut alij quoque fecerant, illuc quatuor ex suis Hispanis destinauerat, quos postquam fuere domi dicti Qualpopoca simulans causam necis se nō prēstare interficiendos curauit, & duos interfecerant, reliqui uulnerati per montes aufugerant, quo audito ipse quinquaginta Hispanis peditibus, duobus illis equitibus, & decem millibus Indorum amicorum nostrorum contra ciuitatem Almeriam hostiliter profectus fuerat, & certamen iniuerat cum incolis Almeriæ, & occiderāt septem Hispanos, sed postremo dictam ciuitatem Almeriam expugnauerant, & plures ex incolis neci dederant. Dictos incolas migrare iusserat, & ciuitatē igne consumpserat, destruxeratq;. Et cum indi quos secum adduxerat, essent eorū hostes acerrimi, omni in hoc fuerant usi diligentia. Qualpopoca autem & alij sibi

A lij sibi fœdere iuncti, & qui ad id fauorem præstiterãt, sibi fuga salutem comparauerant. Ex quibusdam in prælio captis sciscitatus est, qui essent illi, qui ciuitati & Qualpopoca opem tulissent, & quare id facinus commiserant, & quid eos impulisset ad interficiendũ Hispanos, quos ille miserat dicto Qualpopoca. Illi uero responderunt fuisse illud commissum facinus iussu domini Muteezuma, & quod cæteri quoq; proceres, qui ciuitati opem tulerãt, mandato ipsius Muteezuma eo uenerãt, ut postquam discessissem à ciuitate Veræ crucis contra ibi existentes exirent, & eos qui defecerant ab illo, & Maiestati Vestræ se subiecerant, & quod omnem possibilem adhiberẽt diligentiam, ut Hispanos interimerent ibi relictos, ut Hispani eisdem opem ferre nõ possent, aut fauorem præstare, & quod propterca ea sic euenerant.

Muteezuma in Cortesij redigitur potestatem

Peractis diebus sex post meum ingressum in celebrem ciuitatem Temixtitan, cum aliqua eiusdem uidissem quamuis minima ad multa quæ uideri possunt, præterea consideratis his quæ in prouincia habẽtur, ratus sum ad rem, & incrementum status Maiestatis Vestræ, & nostram tutelam, & munimen admodum pertinere, si dictus dominus Muteezuma in meam redigeretur potestatem & quod sua penitus non potiretur libertate, ne gratum in Maiestati Vestræ seruiendo animum eidem mutare contingeret, & eo magis, quia nos Hispani sumus aliquantulum difficiles & importuni, etsi nobis succenserent, possent damni aliquid & incommodi inferre, & tantum, quod nullus nostrum tanti nuncius mali esset futurus superstes, partim quia maxime sunt potentiæ, partim quia si illum apud me retinerem reliquę prouinciæ, quæ eidem subijciebãtur, facilius se Maiestati Vestræ dedissent, ut etiam postea accidit. Constitui igitur illum domi, quam inhabitabam retinere, satis enim eam munitam, & tutam cogitabam. Et mihi cogitanti ne dum illum capere contenderem, aliquid scandali aut tumultus suscitaretur, animo succurrit facinus illud de quo præfectus, quem dimiseram in ciuitate ueræ Crucis, per litteras suas me certiorem reddiderat in ciuitate B Almeriæ perpetratum, ut ante dicto capite explanaui, & quemadmodum mihi constabat omnia ibi commissa iussu & mandato euenisse dicti Domini Muteexuma, itaque collocato præsidio in angustijs uiarum ad palatium Domini Muteexuma profectus sum ut alias facere solebam, & aliquamdiu cum eo nugatus sum, & aliqua uoluptatem afferentia in medium protulimus, & post mihi data aliqua munera aurea & filiam suam filias'que aliorum procerum quibusdam commilitonibus meis, exposui eidem ex ordine, quæ in ciuitate Nautecal siue Almeria euenerant, & quod Hispanos interfecerant. Subiunxi præterea quod Qualpopoca, & reliqui ista machinati fuerãt mandato eius, non sua sponte (ut ipsi affirmabant) sed quod Domino suo non ausi fuerint non obtemperare. Sed quia nullo pacto persuaderi possem ea fuisse eius mandato atque consilio gesta, prout Qualpopoca & alij asserebant, sed quod illa potius proferebant, ut se excusarent, ideo mihi consultum esse uideri, ut mitteret euocatum dictum Qualpopoca cum sibi adiunctis proceribus, ut ueritas appareret, & prædicti meritas luerent pœnas, & Maiestas Vestra eius bonum animum in eandem cognosceret, ne qua fieret, ut pro gratiarum actione quam Maiestas Vestra eidẽ agendã cõmittere deberet, è contrario cogeretur aliquid damni & incommodi eidem inferendum committere, postquam à ueritate esset alienum, quod dictus Qualpopoca & coniuncti proferebant. Et ilico quosdam ex suis præsto esse iussit, quibus sigillum tradidit, quod in brachio ex gemmis gestabat, iussitq; ut ad ciuitatem Almeriam (quæ septuaginta leucis abest à celebri ciuitate Temixtitan) proficiscerentur, & dictum Qualpopoca cum alijs, qui dictos Hispanos interfecerant adducerent, & si spõte uenire nollent, eosdem uinctos adducerent, & si eisdem obstarent, quasdam communitates in sui auxilium, quas demonstrauit conterminas dictæ ciuitati Almeriæ euocarent, eosq; ui capiendos curarent, & nullo pacto sine prælibatis ad eum reuerterentur. Qui manda-

tis parituri recessere, quibus uiam ingressis Domino Muteczuma gratias egi de exacta per eum adhibita diligentia in prælibatis capiendis, ea de causa, quia cogerer reddere rationem Maiestati uestræ de omnibus Hispanis, qui mecum transfretauerant. Ad hoc ergo ut possem reddere ueram rationē Vestræ Maiestati, necesse erat ut ueniret & moraretur in hospitio meo, donec ueritas elucesceret, & donec ille omni culpa uacuus appareret, petebamq; ab eo ne illud ægre aut moleste ferret, quia domi meæ non esset futurus captiuus, sed omni parte liber, & me nec in in ipsius obsequijs nec dominio quo quo pacto interponere constitueram, & in sua optione erat, quā partem uellet Palatij, in quo moram tunc temporis trahebam, & eidem fidem meā pollicebar, quod hac detentione nil tædij, aut molestię sibi contingere posse dabatur, & ultra suum seruitium, meorum quoq; adhiberetur, & omnibus ad libitum imperare proculdubio posset. Circa hoc diu fuimus altercati, & quæ hinc inde prolata fuerint, longum esset enumerare. Tandem placere sibi domum meam mecum accedere professus est, mandauitq; locum in meo Palatio sibi parandum, & exstruendum, quo præparato plurimi magni proceres affuere, & deductis uestibus & brachijs eorum subductis nudis pedibus illius lecticā cōducebant, nō multū ornatam, & maximo cum silentio eum flentes lecticæ imposuerunt, & progressi fuimus ad nostrum palatium sine aliquo tumultu, quamuis postea tumultuari uulgus cœpisset: tamen quamprimum ad aures Muteezuma illa peruenere, illico omnes iussit quiescere, & sic omnis populus eo die & semper, dum dominus Muteezuma apud me detentus fuit, quiete uixit, quia optime hospitabatur, & idem seruitium habebat, quod prius domi suæ retinebat, quod fuit magnum & admiratione dignum, ut in futurum referam, & socij mei quoque eum, quibus poterant commodis, & obsequijs prosequebantur.

A

Dum Dominus Muteezuma à me detineretur, qui ad adducendū Qualpopoca, & alios adhærentes, qui Hispanos morti dederāt, profecti fuerāt, rediere adducentes ipsum Qualpopoca cū uno ex eiusdem filijs, & alios præterea uiros, qui dicebantur interfuisse neci dictorum Hispanorum. Ipsumq; Qualpopoca lectica in modum magni domini conduxere, quem potestati meæ concessere una cum reliquis quem in carcerem cum alijs intrudendum commisi, & manicis, & compedibus alligari, aquibus, postquā se Hispanos interimisse, confessi sunt, sciscitatus sum an subessent domino Muteezuma præfatus uero Qualpopoca respondendo à me petijt, an esset alius dominus cui deberet suijci, quasi innuens quod nullus alius erat dominus, cui subijci deberet, & erat uasallus domini Muteezuma, & postea ab eisdem quæsiui, an ea quæ fecissent, fecissent sua sponte, aut mandato, & consilio Domini sui Muteezuma, omnes dixerunt sua sponte non mandato sui domini, quāuis postea dum sententia in eos prolata executioni mandabatur, & comburi debebant, clamauerint unanimes cōmisisse mandato Domini sui tale facinus, & suo iussu commiserant, & hoc modo fuerunt publice in platea sine aliquo tumultu aut seditione combusti. Et eodem die quo combusti fuere, quia iam confessi fuerant dominum Muteezuma fuisse autorem prælibati homicidij in Hispanos perpetrati, eundem in compedes collocari iussi, quo spectaculo maxime animo consternatus est, quamuis eodem die postqnam multa secū fueram collocutus eidem compedes eximendos ordinauerim, quo facto fuit maxime recreatus, & plurimum uoluptatis est consecutus, & deinde assidue illi morem gerere quātum in me erat omnibus in rebus summopere studui, & præcipue quia publice ubiq; locorum profitebar tam ipsis incolis, quam Dominis prouinciarum, qui ad me confluebant, Maiestati Vestræ summopere placere quod Dominus Muteezuma regnaret, ut prius regnare solebat, hac tamen conditione, ut recognosceret Maiestatem Vestram in superiorem, & Dominum, ut Maiestas Vestra recognoscitur ab alijs omnibus, & quod illi subditi rem gratam Maiestati Vestræ facerent, si in posterum te-

B

nuissent

A nuissent illum in dominum, & superiorem quemadmodum faciebant ante aduentum meum, & tam bene me secum gessi, & satisfeci, quod pluries illũ rogans commisi, ut domum suam proficisceretur, tamẽ mihi responsum sem per dederat se optime ibi in ea domo apud me commorari, cum nil sibi omnino deesset, non aliter quam si domi suæ fuisset. Nam si domi suæ esset facillime euenire posset, quod domini prouinciarum capta occasione possent illũ sollicitare, & inducere ad perpetrandum aliquid contra me contra uoluntatem suam, quod redundaret in Vestræ Maiestatis damnum, cui iam constituerat quantum in eo poterat semper inseruire, & donec redderet certiores suos, quid nam haberet in animo, optime erat ibi, & quamuis aliquid super hac re eidem proponerent, illis respondere facillime poterat, quod ipse non erat in sua potestate, & hoc pacto se excusare poterat, & pluries à me petijt ut posset ire spaciatũ quod eidem nunquam recusaui, ut ire posset spaciatũ ad alias domos, quæ uoluptatis causa ibi constructæ erant, & aliquando exiuit spaciatum ciuitatem quatuor, aut quinque Hispanis comitantibus per duas leucas, & quotienscunq; reuertebatur, uidebatur lętus & uultu hilari, & cũ exibat donabat uarias gemmas, & uestes tam Hispanis quàm incolis, quem maxima caterua semper comitabatur, & ad minus ad tria millia hominum, & eorum maior pars erat procerum, & Dominorum illius prouinciæ, & assidue conuiuia opipare parata, & tripudia celebrare delectabatur, quæ profecto maximis postea laudibus ab omnibus merito extolli debebant.

Postquam cognoui illum ex corde desiderare esse in regali Vestrę Maiestatis seruitio, rogaui, quo ampliorem relationem Maiestati Vestræ transmittere possem de his, quæ in istis locis & prouincijs continentur, ut mihi aurifodinas ostendendas curaret, quæ sibi placere hilari uultu & uerbis demonstrauit, & eo instanti quosdam familiares eius accersiri iussit, & ad *Aurifodinæ*
B quamlibet prouintiam in qua aurum extrahebatur, misit duos ex eis, rogauitq; ut totidem Hispanos sibi in comites illuc transmitterem, qui quo ingenio aurum eliciebatur conspicerent, quod facile executus sum, & ad quam libet prouinciam destinaui Hispanos duos, qui comitarentur Indos. Erant autem prouintiæ quatuor, quidam ex illis deuenere ad prouintiam quandam, quam Cuzula appellant, quæ abest per leucas octuaginta à celebri ciuitate Temixtitan, cuius prouintiæ incolæ subsunt Domino Muteezuma, & ipsi ostenderunt eisdem tria lata flumina, & ex omnibus adduxere inditia auri purissimi, quanquam modicum adduxerint, non enim habebant alia instrumenta, sed ea tantum, quibus ipsi Indi aurum extrahere solebant, & ut Hispani retulere, transgressi sunt tres prouintias multis pagis, uillis, & ædificijs refertas, ita ut in Hispania non reperiantur meliores. Sunt in illis prouintijs multæ ciuitates, & coloniæ in magna quantitate, & asseruere uidisse habitationem quandam cum arce quæ est amplior, & magis munita castro Burgensis ciuitatis Hispaniarum, & incolæ unius ex his prouincijs, quæ Tamazulapa nuncupat̃, ornatiori habitu & ditiori incedunt incolis prouintiarum, quas hactenus uiderimus, & sunt maximæ prudentiæ. Secundi uero profecti sunt ad Prouintiam, quæ dicitur Malinaltebẽ que, quæ etiam abest à dicta magna ciuitate Temixtitan per leucas septuaginta, & plus uergit ad littora maris, & illi quoque attulere inditia auri ex magno flumine, qui illac præterlabitur. Tertij uero aliam prouinciam adiere, ubi sunt gentes, quæ differunt idiomate ab incolis proxime prouinciæ Culua, quam Tenis appellant, & illius prouinciæ Dominus nomine Coatelicamat, quia prouintiam obtinet in excelsis montibus dicto Domino Muteezuma non paret, & etiam, quia illius prouinciæ incolæ sunt martiales, & certamen ineunt hastis uigintiquinq;, aut aliquando triginta palmos in longitudinẽ continentib. Et quoniam isti nõ erant subiecti Domino Muteezuma, Indi, qui profecti erant cum Hispanis, eam prouintiam ingredi nõ sunt ausi, si prius Dominũ illius de eorũ aduentu certiorem non facerent, ab

A eoque saluum conductum obtinerent, asserentes eos eam ob causam aduenisse, ut suas aurifodinas uidendi copia eisdem concederetur, & quod meo & Domini Muteezuma nomine dignaretur illis eas ostendere. Coatelicamat responsum dedit. Hispani eo tuto & libere accederent, & aurifodinas inspicerent, & ea omnia quæ uidere cuperent: sed eos è Culua quos sciebat missos nomine Muteezuma admonebat, ne prouinciam suam ingrederentur, quia hostium loco eius habebat. Ancipiti animo fuere aliquamdiu Hispani irent soli an non: maxime, quia Indi, quos secum adduxerant, eos admonebant, ne irent: quoniam ideo eos solos intromittebat, ut eos facilius interficere posset: Inuicti tamen animo Hispani ulterius progredi constituerunt. Fuerunt bene, & placide ab incolis & eorum Domino suscepti, & eis ostenderunt septem aut octo flumina, ex quibus se aurum extrahere dicebant. Hispani una cum Indis ex omnibus illis fluminibus aurum extraxere, & inditia prædictorum fluminum attulere, & cum eisdem Hispanis dictus Coatelicamat misit ad me nuncios suos, quibus se ac prouinciam suam Regali Maiestatis uestræ seruitio offerebat, & eisdem ad me misit quædam aurea emblemata, & uestes, quibus incolæ illius prouinciæ maxime utuntur. Vltimi uero accessere ad aliam prouinciam Tuchitebeque nominatam, quæ eodem directo uergit ad mare per duodecim leucas à prouincia Malinaltebeque, in qua iam superius dixi inuentum fuisse aurum, & incolæ eiusdem ostenderunt duo flumina, ex quibus pariformiter adduxere auri inditia. Et prout ex Hispanis, qui ibi fuerant percipere potui, prouincia illa est admodum apta ad constituendas ibidem habitationes, & ad aurum extrahēdum, petij à Domino Muteezuma, quod in illa prouincia Malinaltebeque, quia illa ad prædicta magis apta uidebatur, construi faceret unam habitationem pro Maiestate uestra & in ea construenda omnem possibilem adhibuit diligentiam, & talem, quod duorum mensium spacio eo in loco iam seminauerant sexaginta mensuras (quas anegas Hispani uocant) ex quodam semine ab eis mayz, nuncupato, ex quo panem conficiunt, & decem mensuras cicerum et cacap, qui est fructus amygdolæ similis, quo fructu in puluerem redacto uini loco utuntur, & tantæ in ea prouincia est æstimationis, ut pecuniarum loco omnia in foris et ubique necessaria, eodem acquirāt. Ibique binas habitationes amplas ædificari curauit, & in altera ultra habitationem apposuerunt stagnum, in quo erant quingenti anseres ex industria ibi collocati, qui ibi sunt in maximo præcio, quia eos quotannis deplumant, & illorum plumis, & pennis utuntur, & in dicta habitatione collocarunt ultra mille & quingentas, gallinas, & alia plurima ad domesticum usum facientia, & multotiens Hispani, qui eam uiderunt, & ornamenta diligenter perpenderunt, putarunt ascendere dictas habitationes ad uiginti millia Castellanorum auri. Similiter petij ab eodem domino Muteezuma, ut mihi aperiret, si in littore illius maris esset fluuius aliquis, uel sinus, quos naues illuc applicantes facile ingredi possent, & tuto in eisdem sistere, qui retulit se penitus eius rei ignarum. Quo audito, hoc saltem petij, ut mihi maris illius panno depingi curaret littora, & sinus, & flumina in mare confluentia, quo postea possem mittere meos Hispanos ad perscrutandum, & diligenter inspiciendum, & ipse Muteezuma eligeret in eorum duces incolas dictę prouincię. Quod postea re effecit, quoniam sequenti die mihi attulere lineo panno picta omnia maris littora, sinus & flumina in illud confluentia. Ibi conspiciebatur flumen quoddam cæteris magis amplum, prout ex ea figura colligi poterat, in mare profluens, & uidebatur fluere inter geminos montes, qui appellantur Sanmyn in sinu quodam, ubi naucleri hactenus putabant, quod diuideretur prouincia Mazamalco nuncupata. Dixitque quos uellem destinarem. Et eo pacto misi decem Hispanos, inter quos aliqui Maritima disciplina plurimum pollebant, & cum ducibus, quos dederat Muteezuma, progressi perlustrarunt omnia illa littora à portu Chalchilmeca, quem sanctiuan appellant,

lant,ubi meis nauibus applicueram, quæ per luſtratio aſcendit ad ſeptuagin
ta leucas & ultra, & nullum fluuium, aut ſinum adinuenere, in quẽ naues
poſſent ingredi, quamuis dicta littora habeant plura & maxima, & in omni-
bus illis fluminibus periculum faciebant canois inſidentes emiſſa in profun
dum bolide, & ſic deuenere ad prouinciam Quacalcalco, qua ſupradictus
fluuius præterlabitur, & illius prouinciæ dominus qui Tuchintecla nuncu-
patur, illos benigne ſuſcepit, & eiſdem canoas conſignari iuſſit, quibus flu-
men ingredi poſſent, & in illius fauce aquæ profunditatem ad duos cum di-
midio hominum ſtatus inuenere etiam eo tempore, quo aquæ maxime de-
fluxere, & dicto fluuio delati ſunt per leucas duodecim, & minor profundi-
tas, quæ dicto ſpacio continebatur, accedit ad ſextum hominis ſtatum: &
quatenus coniectura conſequi potuerunt, aſcendit ulterius per leucas trigin
ta in tali profunditate. In ipſius fluuij ripa ſunt magnæ & plurimæ coloniæ,
& uniuerſa illa prouincia eſt in plano ſita, fertilis, & rebus omnibus quæ tel
lus ferre conſueuit, exuberans, & gens quaſi innumerabilis. Huius autem
prouinciæ incolæ non ſubijciuntur domino Muteezuma, imo eius hoſtes
ſunt acerrimi. Quamobrem cum Hiſpani ad illum uenere, illis ſignificatum
uoluit, ut illi è Culua nullo modo ad ſuam prouinciam proficiſcerentur,
quia erant eius hoſtes. Cũ illi Hiſpani ad me iſta relatũ reuerſi ſunt, ſuos cum
illis mihi nuncios quoſdam deſtinauit: quibus ad me quędam aurea dedit, &
plura tygridum coria, & plura ex plumis contexta, & ueſtimenta: & mihi
aſſeruere, quo dominus eorum Tuchintecla diu nomen meum audierat: quo
niam illi ex Puchuncan, qui eſt fluuius Griſaluæ, ſunt eidem maxima iuncti
amicitia. eundemq; certiorem reddiderant, quod illac tranſiueram, & cum
eiſdem fueram congreſſus, quia me arenæ hoſpitio prohibebãt, & eorũ colo
niæ: & quemadmodũ poſtea nos amicitiã iniueramus, & illi ſe ſubdiderant
imperio ueſtrę Maieſtatis. Ideo ille quoq; ſe regali Maieſtatis ueſtrę ſeruitio
cum uniuerſa ſua prouincia offerebat, rogabatq;, ut illum in amicum recipe-
rem: hac tamen conditione, quod incolæ prouinciæ è Culua regionem ſuam
nullo pacto ingrederẽtur, & peterẽ è rebus, quę in prouincia illa continẽtur,
quoniã ea omnia quæ ab eo expeterẽ, impartiri & exequi paratus exiſtebat.

Poſtquam mihi renunciatum eſt ab eis Hiſpanis, qui ab illa prouincia ex-
ploratũ uenerant, illam ad coloniam ibi conſtituendam aptam & commo-
dam, & ab eiſdem portum adinuentum, animo admodum læto fui, quoni-
am ab eo tempore, quo ad regionem hanc applicui, ſollicitus fui de porto
inueſtigando in littoribus iſtis, & etiam ut prope eundem inuenire poſſem
locum aptum ad habitationes faciendas, tamen euſq; inuenire non potue-
ram à littore incipiente à flumine Sancti Antonij, qui eſt proximus fluuio
Griſaluæ, uſque ad fluuium Panuco, qui eſt in littore inferiori, ubi qui-
dam Hiſpani mandato Franciſci de Garay coloniam ſuam conſtituerant,
de quibus poſthac mentionem faciam, & ut melius exploratas haberem res
illius prouinciæ & portum antedictum, & incolarum in eis degentium in
nos animos, reſq́ue alias ad ibi habitandum conducentes, alios quoque ex
meis commilitonibus ad ſimilia idoneos cum eiſdem nuncijs, quos Tuchin
tecla dominus illius pronunciæ ad me cum muneribus deſtinauerat, pro-
ficiſci iuſſi, deferentes ad eum aliqua munuſcula, & ab dicto Domino
læto uultu recepti portum denuo explorarunt, & periculum fecere, ut
alij fecerant, & inuenere locum idoneum ad conſtituendas habitationes, &
coloniam deducendam in ea, & de omnibus uera mihi retulere, & dixere
omnia utenſilia ad coloniam conſtituendam adeſſe. Et dominum illius pro-
uinciæ maxime gaudere, & magno teneri deſiderio inſeruiendi ueſtræ Maie
ſtati. Quibus reuerſis cum ea relatione, ilico prefectum cum centum & quin
quaginta militibus eo deſtinaui ad fortilitium ibi conſtruendum, ad quod
conſtruendum Dominus prouinciæ ſe obtulerat, & pariformiter domos
omnes, quibus pro noſtri habitatione egeremus, & quas eidem imponerẽ.

Et ilico ubi coloniam locandam constitueram, sex domos ædificandas cu/rauit, eisdem indicauit esse sibi gratum, quod in sua sisterent prouincia, & quod eam inhabitandam suscipiebant. A

Superioribus narrationis capitulis Potentissime Domine exposui, quod eo tempore, quo ad celebrem ciuitatem Temixtitan proficiscebar, mihi ob/uiam uenerat quidam magnus & potens dominus, qui se missum à domino Muteezuma profitebatur, et ut postea perceperam, erat eidem sanguine iun/ctus, & prouincia, cui dominabatur erat contermina prouinciæ Muteezu/ma, & eius prouincia nuncupatur Aculuacan, & caput prouinciç est ciuitas lacui salso proxima, & ex ea per lacum ad magnam ciuitatem Temixtitan canois sunt sex leucæ, si quis autem pedibus proficisceretur, habet decē leu/cas, hanc ciuitatem Tescucu appellant, habet in se ultra triginta millia do/morum. Illius dominus habet ibi miranda palatia & habitationes. Meschi/tas præterea & oratoria magna & optime constructa, dominatur etiam dua/bus aliis ciuitatibus, altera abest à ciuitate Tescucu spacio leucarum trium Acuruma, altera uero spacio leucarum quatuor quam Orumpa appellant. I/starum quælibet habet ad quater mille habitationes. Habet præterea dicta prouincia Aculuacan pagos & uillas plurimas, est solum fœcūdissimum ad culturam, & tota regio, cui præest, ab uno latere est contermina prouinciæ Churultecal, de qua diu meminimus. Hic dominus nomine Cacamin post detentionem personæ domini Muteezuma à me factam tam à Maiestate ue/stra, cui se subdiderat, quàm à domino Muteezuma defecerat: & quamuis pluries illum monerem, ut regale seruitium & obediētiam Maiestati Vestrç exhibere uellet, monitus tamen & à me & dicto domino Muteezuma, nun/quam parere uoluit. Imo superbe respondendo aiebat, quod si quis uellet ab eo aliquid, ad prouinciam eius proficisceretur, & ibi experiretur, quanti es/set & quale foret regale seruitium quod exequi tenebatur. Præparauerat ut audiueram iam maximas copias maxime belligeras, & postquam illum mo/nitionibus adducere non potui dominum Muteezuma sum allocutus, & ab eo petii quid nobis agendum in hac re censeret, ne ille rebellionis cōtra nos factç pœnarum expers persisteret: responsum dedit, uelle eum ui expugnare. Quod erat difficile factu, quoniam magnus dominus habebatur & potens, copiis maxime abundans militiæ aptis, & sine maximo discrimine, & milli/tum amissione cum expugnari posse non putabat. Sed quia ipse Muteezu/ma habebat in prouincia illius Cacamacin plurimos ex primatibus qui cum eo morabantur, & eis dabat stipendium, eos constituerat alloqui, ut aliquos ex militibus dicti Cacamacin abducerent, qui postquam eis fidem nostram dedissemus, quod securi & tuti essent partibus nostris fauerent, sicq; illum tu/to expugnare possemus. Quod & ita euenit, quia dictus dominus Muteezu/ma ita egit cū eis, quod illi induxerunt dictum Cacamacin, ut cum illis con/ueniret in dicta ciuitate Tescucu, ipsi quippe tanquam primates darent ope/ram consulere rebus ad commodum sui domini facientibus, & maxime tri/starentur, si ille aliquid faceret unde periclitari, et ad ultimam internitionem dari posset. Sub hoc prætextu in unum conuenere in amplo & eleganti pala/tio dicti Cacamacin, quod est in ipso lacus littore, & eo modo ædificatū ex/titit, quod subtus illud canois patet iter, quo in lacum exeunt. Ibi præpara/tas canoas secreto collocauerant, eodemq; loci plures uiros disposuerant, ut si forte dictus Cacamacin obsisteret, nec se capi permitteret, eundem ui cape/re possent. Et cum omnes conuenissent, illi coniurati primates Cacamacin apprehenderunt, antequam à suis audiretur, & canoæ impositum per lacum ad magnam ciuitatem deduxerunt, quæ (ut superius dixi) distat per leucas sex, quem adductum lecticæ imposuere, ut tātum dominum decebat, illumq; mihi exhibuere, cui ilico compedes iniiciendos, & bene custodiri mandaui, & communicato consilio cum Domino Muteezuma, ipsius detenti fra/trem nomine Celsitudinis uestræ prouinciæ illi præfeci, qui Cocuzcacim nomina/

A nominabatur, cui ab omnibus communitatibus, & dominis dictæ prouinciæ debitam obedientiam exhibendam modis omnibus curaui, tanquam suo domino, donec aliud per Maiestatem Vestram esset constitutum. Et ita executum est, quoniam in posterum omnes eidem paruerunt tanquam Domino, ut prius paruerant dicto Cacamacin, & ille omnia quæ illi Maiestatis uestræ nomine mandaui, libentissime & fideliter fuit exequutus. Post aliquot dies transactos à captiuitate dicti Cacamacin, dictus dominus Muteezuma omnes Dominos prouinciarum suarum, & ciuitatum circumiacentium cõuenire iussit, & mihi postquam conuenere nuntiauit, ut eo proficisci deberem, & post meum aduentum talia fatus est. Charissimi fratres et amici, diu optime nostis uos omnes, patres uestros & maiores, mihi & antecessoribus meis subditos extitisse, & à me & ab eisdem optime tentos, & omnibus honoribus condecoratos fuisse, & uos quoque mihi & maioribus meis ea exhibuistis, quæ boni & fideles uasalli dominis suis præstare tenentur. Etiã arbitror uos illud ab antecessoribus memoria tenere, nostrum genus ex his prouincijs originem non ducere, sed è longinquis prouincijs huc aduectum. Nam maiores nostros huc adduxit quidam eorum dominus, qui eos in ea dimisit atq; discessit, & longo post tempore redijt, & maiores nostros colonias his in regionibus posuisse, & ex incolis uxores duxisse, & ex eis liberos procreasse inuenit, adeo quod ulterius secum progredi noluerunt, nec in dominum suscipere. At ille discedens promisit, quod aut personaliter rediret, aut alios suo nomine huc destinaret tot copijs, & tali potentia & potestate, ut posset eos ad illius seruitia constringere, Scitisq;, quod eum hactenus indies expectauimus. Nunc autem per ea, quæ præsens eius præfectus nobis retulit de rege eo & potenti domino, quem se huc destinasse ait, & à loco unde huc aduentasse profitetur, pro comperto habeo, & uos similiter tenere debetis, quod hic uere est ille dominus quẽ expectabamus,
B eo maxime argumento, quia præfectus eis affirmat diu nostri notitiam illum habuisse. Sed posteaquam nostri maiores ea, quæ tenebantur Dominis suis præstare, non præstitere, nos id oportet facere: & Dijs nostris agamus gratias, quod illud, quod tam diu expectauimus nostris temporibus euenerit. Idcirco uos omnes obtestatos uelim, postquam illud quod exposui, diu uobis omnibus notum est, quemadmodum me hactenus in Dominum tenuistis, & mihi paruistis, post hac maximo & potenti huic regi pareatis, & illum in omnibus dominum habeatis. Postquam ille uester dominus naturalis existit. Et illius uice hunc eius præfectum in dominum habete, colite, & obseruate, & omnia tributa & obsequia quæ mihi hactenus impendere soliti estis, huic eius præfecto exhibete, quoniam ego pariformiter contribuere, & omnibus eius mandatis parere astringor, & ulterius omnia exequi & præstare, quæ de iure domino præstare tenemini, in quo rem mihi gratissimam facietis. Hæc omnia pluribus lachrymis & maiora imo trahens suspiria corde, quam quilibet fari posset, protulit. Comitabantur reliqui omnes proceres lachrymas Muteezuma suis assiduis lachrymis, adeo ut paulullum immorati sint antequam respondere possent. Et profecto, serenissime domine, nullus affuit ex Hispanis, qui eidem non plurimum compateretur. Tandem sedatis lachrymis responsum dedere, quod illi se in subditos dediderant, & eum in Dominum habebant & tenebant. Idcirco pollicebantur se omnia executuros quæ ipse constituisset, & ea de causa, & etiam rationibus per eum deductis læto animo uellent illius iussa exequi: & deinceps se perpetuo subdebant Maiestati Vestræ, & se in uasallos offerebant, & ibidem eorum quilibet pollicitus est exequi ea, quæ regali Maiestatis Vestræ nomine fuissent imposita, & exhibere omnes contributiones & obsequia, quæ antea dicto domino Muteezuma præstare soliti fuerunt, & reliqua omnia, quæ regali Maiestatis Vestræ nomine eisdem præciperentur. Quæ omnia per aliquos publicos notarios conscripta sunt, & de præmissis publicum confe-

Oratio Muteezuma ad suos uasallos

Muteezuma uasallus fit Cæsar. Ma.

confecit instrumentum, cuius copiã petij præsentibus Hispanis multis. Post A
quam omnes præfati domini se Maiestati Vestrę subdiderant, allocutus sum dictũ Dominũ Muteezuma, & ei significaui Maiestati Vestræ aliquanta auri portione pro quibusdam operibus suis perficiendis opus esse. Rogabamq; aliquos è suis, & ego similiter aliquos è meis Hispanis destinarem per prouincias & habitationes illorum Dominorum, qui se eo die obtulerant, ad hortandum eos & rogandum quo de ea auri & argenti quantitate quam ipsi possidebant, ultra eorum exigentiam Maiestati uestræ inseruirent, & eo pacto appareret, quod illi iam inseruire cœpissent, & Maiestas uestra latius egregium eorum animum in seruiendo perspectum haberet. Et similiter Dominus Muteezuma de eo, quod possidebat, mihi ipse impartiretur, quoniam ea omnia Maiestati Vestræ mittere constitueram per nuncios, quos primo cum rebus alijs Maiestati Vestræ eam transmissurus. At ille nihil moratus eodem instanti petijt à me sibi Hispanos consignari binos, quos in uarias prouincias ad negocium hoc exequendum destinaret. Quarum nomina, quoniam monumenta omnia amisi, non subueniunt. Illæ enim prouinciæ sunt plurimæ & diuersæ, quarum aliquæ per octuaginta & aliquæ per centum leucas aberant à dicta ciuitate Temixtitan, cum prędictis autem Hispanis ire iussit quosdam ex suis, quibus præcepit, ut ad dictarum prouinciarum & ciuitatum dominos proficiscerentur & exponerent, quod ego unicuiq; quandam auri summam quam ipse constituit imperarem, & hoc executum est, nam illi omnes domini, ad quos profecti sunt, contribuerunt imperatam summam tam emblematum, quam auri in massis & folijs, & aliorum quæ ipsi possidebant, & fuso eo quod fundi potuit, ex quinta illorum portione, quæ Maiestati uestræ debetur. Fuerunt triginta duo millia. & quadringenta pondera auri absq; suppellectilibus ex auro, argento, rebus ex plumis factis, parmis, gemmis & alijs pluribus rebus maximi ualoris, quæ omnia Maiestati Vestræ consignaui & seposui, quæ transcendunt ualorem centum millium ducatorum. Erant præterea talia & tam mira quod uarietate B
eorum & nouitate erant inęstimabilia: Nec putandum arbitror, quod omnes ex principibus tam Christicolis quam infidelibus, de quibus apud mortales in præsentiarum mentio habeatur, talia haberi possint. Et certe Maiest. Vestræ illa, quæ expono, nimia uideri non debent, postquam sic se habet ueritas, quod eorum quæ terra mariq; haberi possunt, & de quibus ipse cognitionem aliquam habebat, simulacra ad ueram formam tam aurea quam argẽtea & ex gẽmis, et ex plumis obtinebat, et in tali excellẽtia et perfectione, quod pene uiua spectantibus uidebantur, quorum mihi non modica impertitus est pro Maiestate Vestra absq; alijs quę sibi picta exhibui, quę omnia ex auro fingi curauit, ut sunt imagines saluatoris crucifixi, emblemata, torques, numismata, & alia plura è nostris, ad quorum imaginem similia fieri curauit. Accessit etiam portioni Maiestatis Vestræ argenti recepti ultra centum marcas, quod in uarias tam paruas, quam maiores fiendas paropsides distribui & scutellas, pateras, coclearea, quantum illis dicere potui. Vltra hæc dictus Muteezuma mihi donauit plura ornamenta ex suis quæ talia erant, ut perspecto quod ex omni parte erant ex bombice, & absque serico in toto terrarum orbe talia fieri & texi non possent, nec tot diuersis proprijs coloribus & laboribus: & inter ea erant aliqua uestium genera, ad usum mulierum, & uirorum mirabilia. Erant præterea apparatus pro lectisternijs. quibus ex serico facti, merito, comparari non possent, erant alij apparatus quibus in ecclesijs & aulis uti possumus, erant culcitræ lectisterniorum cooperimenta, tam ex plumis, quam ex bombice uariorum colorum, similiter & mirabilium, & alia multa, quæ cum talia & tanta sint, ea Maiestati Vestræ exprimere nescio. Obtulit etiam duodecim zerbatanas Est aũt zerbatana lignum longũ concauũ, qua aues paruas insectamur, ex illis spicula seu globulos exiguos in modum fabarum excreta compactos flatu emittẽdo, quarum excel-

excellentiã etiam exprimere nequeo, quia illæ elegantibus picturis, & coloribus perfectissimis constabant, in eius extremitatibus & medio extabat aurum ad palmi altitudinem mira arte elaboratum, & peram aureis filis contextam, & globulos supradictos imponendos, quos aureos se mihi daturum pollicitus est, impertitus est modulum ad eosdem effingendos aureum, & alia multa, quorum infinitus est numerus.

Si Maiestatem uestram potentissime domine de uarijs & mirandis rebus istius ciuitatis Temixtitan dominio, et istius domini Muteezuma obsequio certiorem reddere deberem, ac de ritu & consuetudine quam obtinent incolæ, ordine, & regimine tam ciuitatis quam aliarum quę subijciebantur dicto domino Muteezuma, longo tẽpore immorari oporteret, & multos qui eas exponere scirent, habere necesse esset in tali genere exercitatos. Ego nõ possem de mille portionibus minimam recensere, sed ut melius potero aliquã ex illis quæ uidi exprimam, quæ quamuis inculte promantur, tamen erunt tantæ admirationi, quod uix credi poterunt, nos enim præsentes proprijs oculis intuendo eas uix intellectu percipimus. Sciat tamen Maiestas Vestra, quod si in aliquo deficiam in prædictarum rerum relatione, plus peccabo minuendo, quam augendo, tam in his quam in alijs, quæ recensebo Celsitudini uestræ, quoniam æquum mihi uidetur & apparet ea quæ regi meo & domino recensere duxi, præuia ueritate nil augendo aut minuendo aut interponendo exponere.

Prius tamẽ quam res istius celebris ciuitatis Temixtitan, & reliqua quæ in proximo præcedenti capite asserui recensere aggrediar, uisum est ut omnia melius percipi possint, situm prouinciæ de Messico, ubi dicta magna ciuitas est collocata, & ubi illius domini Muteezuma regia consistit, explicare. Prouincia hęc excelsis & asperrimis mõtibus circumsepta est, & in ea planicies est in circuitu ad septuaginta leucas, cui planiciei insunt gemini lacus, qui fere uniuersam occupant, quia duo illi lacus ambiũt spacium quinquaginta leucarum, & in altero ex lacubus est aqua dulcis, altero uero qui maior est aqua salsa. Illa uero planicies ab uno latere segregatur colliculis quibusdam, qui in medio planiciei consistunt. Dicti autem lacus in fine iunguntur in quadam angusta planicie, quæ inter dictos colles & excelsos montes consistit, qua angustiæ extenduntur per balistæ iactum, & per ea alter lacuum ingreditur alium, & ad ciuitates & colonias quæ in dictis lacubus existunt homines canois inuehũtur, absq; eo quod aliquis terram attingat. Sed quia est magnus lacus salsus, habet fluxũ & refluxũ ad instar maris: quotiescunq; aqua dicti lacus excrescit, aqua salsa ingreditur lacum dulcis aquæ, & adeo uiolẽter, ac si ingẽs & rapidus fluuius ingrederetur: & econtrario, quãdo decrescit lacus alius, dulcis salsam ingredit. Et opulẽta illa ciuitas Temixtitan est fundata in illa magno salso lacu & à continenti ad dictam ciuitatem, qua est iter duarum leucarum, quatuor habet ingressus stratis manu fabricatis uijs latis quantum extenditur lata Hispana equestris lancea. Ciuitas est tam ampla quantum est Hispalis aut Corduba. Illius præcipui uici amplissimi & recto tramite procedentes cernuntur, & omnes alij quorundam media pars in aquis, media in terris est, per quos canois inuehuntur. Vici quoque omnes habent suos exitus, ut ab uno ad alium aqua permeare possint. Omnes isti exitus quorum aliqui sunt latissimi, habent magnas trabes optime dolatas, & tales quod quibusdam in locis possunt per eas transire decem iuncti equites. Porro cum considerarem, si incolæ uellent in me conspirare quod cõmode id facere possent (cum eo in sinu constituta sit ciuitas) ut supra dixi, & amouendo pontes egressum & ingressum dictæ ciuitatis facillime nobis eripere possent, sicq; nos fame enecare, priusquam ad continentem uenire possemus. ciuitatem ingressus propere Bergantinos quatuor erigendos curaui, & tam celeriter perfecti sunt & tales, ut eisdem ducentos uiros cum equis littori exponere possem, quotiescunque nobis uideretur.

Habet

Habet ista præclara ciuitas plurimas plateas, ubi assidue sua habent fora & A
commertia ad uendendum & emendum. Est in eadem ciuitate platea, quæ
est in duplo maior platea Salamaticæ ciuitatis undiq; porticibus circumda
ta, ubi quotidie ultra sexaginta millia hominũ uendentium, ementiumq; cer
nuntur, ubi est inuenire omnia genera mercium, quæ in prouincijs illis inue
niri possint, tam ad esum quàm ad uestitum facientia. Venduntur res ex au-
ro argentoq;, plumbo, cupro, aurichalco, lapidibus, ossibus, conchilibus, co
rallis, & ex plumis. Venditur calx, politi lapides & non politi, lateres crudi
& cocti, ligna dolata uarijs modis, & non dolata. Est uicus in quo uendun-
tur omnia genera auium ad aucupium, ut gallinæ, perdices, coturnices, a-
nates, turdi, fulicæ, turtures, palumbes, passeres, arundinibus collo astricti,
psitaci, milui parui, asciones, tinunculi, accipitres, falcones & aquilæ, & a-
liquæ ex istis auibus rapina uiuentibus cum plumis capite, rostro & ungui
bus. Vendunt cuniculos, lepores, ceruos, canes castratos paruos, quos ad co
medendum educant. Sunt uici ad herbas uendendas, sunt ibi omnes herbæ
& radices medicinales quæ nascuntur in tota prouincia. Sunt domus phar-
maca uendentium tam potabilia quàm ex unguentis & emplastris, sunt bar-
bitonsorum domus, in quibus capita lauantur hominibus & raduntur. Sunt
etiam ibi habitationes ubi conueniunt ad bibendum & comedendum pro
pecunia. Sunt ibi plurimi baiuli, ut in Hispanijs, qui portant onera de domo
eorum qui uendiderunt, ad domum eorum qui emerunt. Sunt plura ligna,
carbones, focularia, storæ uariæ ad lectisternia, aliæ subtiliores ad sedilia or
nanda, cameras, aulasq;. Sunt omnia olera & præsertim cepe, porri, allia, na-
sturtiũ tam terrestre quàm aquaticum, caules, acetosa, carduus. Sunt ibi fru-
ctus uarij, inter quos sunt cerasa, pruna, quæ sunt simillima Hispanis. Sunt po
ma, uua, & alij fructus plurimi, quos producit illa prouincia multum singu-
lares. Vendunt mel apum, ceram, & mel arundinũ ex Mayz, quæ arundines
habent tantum mellis & sunt adeo dulces, ut sunt illæ ex quibus zaccarum B
conficitur. Vendunt mella ex arboribus quibusdam, quas uocãt in reliquis
insulis Magnei, & sunt dulciora musto decocto. Vendunt etiam uinum in-
de confectum. Vendunt uaria genera fili omnium colorum in suis corollis,
& est similis uico, ubi Grannatæ uenduntur res ex serico, sed in maiori quan
titate. Venduntur ibi colores pro pictoribus & omnia genera, sicut in Hispa
nijs, & adeo illustria, ut meliora fieri non possent. Venduntur coria ceruina
optime aptata cum pilo & sine, alba & tincta coloribus uarijs. Venduntur
fictilia multa, & optima uernice suffulta. Venduntur dolia maxima & par-
ua œnophora, ollæ & alia uasa fictilia, & alia infinita genera uasculorum, &
maiori ex parte uernice suffultorum. Vendunt multum Mayz tam solidum
quàm coctum in panem conuersum, & de eo habent magna commertia, &
in solido & in pane, quod eundem retinet saporem, quem in reliquis insulis
retinere solet. Vendunt Artocreas ex auibus & piscibus recentibus, & sal-
sis, crudis, & coctis. Vendunt oua gallinarum, & anserum aliarumq; auium
maxima in copia. Vendunt placentas ex ouis. Et deniq; uendunt in dictis fo-
ris quicquid gignitur & crescit in illis prouincijs, quæ ultra ea quæ exposui
sunt talia & tam diuersa, quod propter prolixitatem, & quia eorum nomina
non teneo, non recensebo: & genus quodlibet mercium habet uicum pro-
prium nulla data alia mercium commixtione, & in hoc optimum habent or
dinem, & omnia uenduntur bene computata uel mensurata, non tamen ha-
ctenus uisum est, quod aliquid pondere uendant. In huiusmodi magna pla-
tea est domus ampla in modum iudicij, ubi semper morãtur decem, aut duo-
decim personę quæ iudicãt & constituunt omnia quæ in dicta platea eueni-
unt, & dubia quæ insurgunt malosq; & delinquentes puniri iubent. Versan
tur in dictis plateis aliæ personæ, quæ assidue diligenter explorant, quid uen
datur, & mensuras quibus uenduntur bona, inspectant. In hac ciuitate sunt
plurimę Meschitę, & domus idolorum pulcherrimis ædificijs, pro parochijs
& uicis

& uicis eorum, & in dignioribus uersantur homines qui pro religiosis more suo habentur & continue resident, pro quibus præter loca ubi idola collocantur, comperiuntur optimæ habitationes. Omnes illi sui religiosi nigris uestibus utuntur, nec capillos minuunt, aut pectunt à die ingressus religionis, donec exierint. Filij omnes fere primatum ciuitatis & dominorum prouinciæ eo habitu in religionibus uersantur à sexto & septimo anno, donec eos parentes matrimonio copulare constituerint: & hoc frequentius accidit in primogenitis, & eis qui in hæreditate succedunt, quam in cęteris. Morantes in illis locis accessum ad mulieres non habent, nec ad eas domos mulieri patet accessus, abstinent à cibis quibusdam, sed uno tempore plus alio. Et inter Meschitas est una suprema, cuius magnitudinem & illius particulas & res humana lingua exprimere non posset, quoniam eius amplitudo tantum protenditur, ut intra ipsam (quæ altissimo & ualido muro circundata est) possit locari ciuitas quingentarum domuum. Continentur intus in circuitu circumcirca pulcherrimæ habitationes, quibus insunt magnæ aulę, & deambulatoria, quibus resident religiosi ibi collocati: sunt eo in circuitu quadraginta turres altissimæ, & bene constructæ, ad quarũ penetralia itur per quinquaginta gradus, & minor inter eas est tantæ proceritatis, quantæ est turris Cathedralis Ecclesiæ Hispalensis, & tam bene constructæ uidentur, tam ex politis lapidibus quàm ex tignis, ut eis politiores fieri non possent, aut fabricari ubiq; locorum. Omnes enim politi lapides Sacellorum ubi idola collocantur, uarijs imaginibus constant & tecta & tigna omnia quę ibi posita cernuntur, uarijs picturis & liniamentis decorata & elaborata consistunt, & uarijs monstris, figuris, & ornamentis picta. Omnes supradictæ turres sunt sepulturæ dominorum istius prouinciæ. Et capellæ in eisdẽ constructæ quælibet suo idolo est dicata, cui plus deuotionis attribuebant. In hac ampla Meschita sunt tres latissimæ aulæ, in quibus sunt plurima idola miræ magnitudinis & altitudinis, uarijs figuris & artibus sculpta, tam in lapidibus quam in tecto. Et dictis aulis insunt alia parua sacella angustis portis constructa, & sacella similiter nullam continent cœli claritatem, ea sacella non ingrediuntur nisi religiosi, & illi non omnes, & in illis sunt imagines & statuæ idolorum, quamuis etiam extra, ut superius dixi, reponantur. Digniores dictorum idolorum statuas & eorum, quibus plus fidei adhibebant, suis sedibus deturbaui, deiecitq; per gradus. Sacellaq; ubi cõstiterant mundare & lustrare commisi, ea enim omnia sanguine sacrificatorũ mortalium aspersa cernebantur. Ibiq; gloriosæ protectricis Mariæ & reliquorum sanctorum imagines collocaui. Quæ omnia Muteezuma & incolæ moleste tulerunt, & primo mihi significarunt, quod talia committere non deberem, quoniam si res diuulgaretur per reliquas communitates, et loca, eos mihi facillime rebelles reddere possem, quia illis arbitrabantur omnia bona temporalia à dictis idolis sibi exhiberi & concedi, & si incolæ paterentur, quod sibi tales contumeliæ inferrentur, succenserent, nec ulterius quicquam illis exhiberent, & fructus terræ exiccarentur, quare homines fame perire cogerentur. Eos quotidianis adhibitis interpretibus admonui, quod maxime decipiebantur, spem in illis idolis collocare, quos proprijs manibus ex immunditijs conflauerãt, & eos scire oportere, unum esse deum omnium uniuersalem dominum, qui creauerat cœlum & terram, & omnia alia tam uisibilia quam inuisibilia, qui pariformiter illos creauerat, & nos alios omnes, deumq; esse sine principio, & immortalem, & quod illi soli credere, eundemq; solũ adorare, nec aliam creaturam, aut rem aliam præter solum deum deberent, reliquaq; alia explanaui, quæ tali in re exponere sciui, ut illos à sua idololatria abducere possem, & ad cognitionem ueri summi & omnipotentis dei inducere. Omnes & potissimum Muteezuma, responderunt, quod illi iam mihi exposuerant, se non esse oriundos ex hac regione, & longa ante tempora maiores suos ad has prouincias aduentasse, fieri potuisse, ut illi sint aliquo errore ducti in his

Religiosi idololatræ

A

rebus quæ colebant, cum iam diu patriam suam exissent. Cæterum ego qui nouissime ueneram, melius recordari possem quæ ipsi colere & credere deberent, & illis ea impartiri deberem ac eos docere, ipsiq; se paratos offerebant ad ea, quæ ipsis tanquam meliora proponerem. Et dictus Muteezuma & alij plures ex primatibus affuere, dum idola è sacellis deijcerem, & dum illa mundarentur, & nouas imagines imponerem, & omnes hilari fronte ut conijcere potui. Illisq; seriose mandaui, ne imposterum idolis pueros sacrificarent, ut prius soliti erant, quia hoc Deo Opt. Max. admodum displiceret, & Vestra Maiestas suis sacris legibus prohiberet & præciperet, quod quicunq; interficit, interficiatur. Illico ab ea sacrificandi consuetudine abstinuerunt, & eo toto tempore quo moratus sum in ea ciuitate nusquam uisum est, pueros aliquos interfici aut idolis immolari. Imagines quibus isti fidem adhibent, sunt maioris proceritatis statu cuiuslibet maximi hominis. Conficiuntur ex omnibus seminibus & leguminibus, quę ipsi in usu habent tritis & mixtis insimul, illacq; interemptorum pro sacrificijs cordium sanguine incorporant, quæ pectore adhuc uiuentium extrahunt, & illo ex corde effuso sanguine farinam humectant in tanta quantitate, quæ sufficere possit ad perficiendas magnas illas statuas, & eisdem perfectis & in sacellis collocatis plurima mortalium corda offerunt, & similiter eisdem sacrificant & eorum faciem sanguine inde effuso illiniunt. Et pro qualibet necessitate homini incumbenti habent propria idola, more priscorum gentilium, qui sua olim uenerabantur idola. Ita ut pro captando fauore in bello idolum habent, pro suarum segetum cultura aliud, & deinde pro re qualibet quam quærunt, aut exoptant bonos sortiri successus, præcipuum idolum habent, quod uenerentur. Hac celebri in ciuitate sunt multę magnæ & optimę domus, & propterea sunt tot egregiæ domus, quia omnes primarij domini illarum prouinciarum, & uasalli domini Muteezuma in ea suas habent habitationes, & resident in ea quadam anni parte. Sunt ulterius primi incolę ciuitatis ditissimi, qui similiter egregijs potiuntur domibus ultra speciosas habitationes domus, egregios hortulos habent uarijs floribus tam in superioribus quam in inferioribus habitationibus. Per uiam ex quatuor stratis, quibus ciuitatem ingrediuntur, protenduntur gemini aquæ ductus, quorum amplitudo est ad passus duos, altitudo uero ad hominis statum, & uno ex illis inuehitur dulcis aqua saporis optimi ad crassitudinem humani corporis, quæ progreditur in medium ciuitatis, ex qua bibunt, & reliquis in rebus necessarijs utuntur: alter uero alueus uacuus est, & dum ab uno ex illis immunditias deijcere uolunt, in alium aquas ducunt, donec mundetur: & quia transit per pontes propter interualla, quibus aqua salsa ingreditur, & egreditur, conducunt aquas prædictas dulces per cannales quosdam in crassitudinem unius magni bouis, qui extenduntur quantum trabes dictorum pontium, & illa est omnibus incolis communis. Conducunt undique aquam uenalem canois, quam hoc pacto è cannalibus accipiunt, canoas pontibus subijciunt, in quibus stant homines, & aqua canoas implent, & implentibus satis faciunt, & similiter in omnibus ingressibus ciuitatis, & ubi exonerant canoas, qui locus est ad quem maior pars commeatuum, qui apportantur ingrediuntur ciuitatem, sunt paruæ casulæ, quibus resident custodes, qui pro re qualibet ingrediente, aut illata ciuitati, certum quid pro uectigali recipiunt, & nescio an domino Muteezuma proueniat, aut præcipuæ ciuitati, quia hactenus non inuestigaui, credo tamen esse domini, quoniam in nundinis aliarum prouinciarum, illud uectigal uisum est colligi in emolumentum dominorum prouinciarum. Sunt plurimi in omnibus publicis foris istius ciuitatis quotidie operarij, & magistri cuiuscunq; artificij præstolantes, qui operas suas conducant. Huius ciuitatis incolæ meliorem modum habent, & sunt subtiliores circa uictum, & alia domestica cæteris aliarum prouinciarum & ciuitatum, quia dominus Muteezuma semper in ea uersabatur. Et omnes

B

Idolorum confectio

mnes

mnes prouinciarum domini illius uasalli conueniebant in eadem, propterea habebant meliorem ordinem, & politiam in omnibus. Et ne longior sim in rebus istius magnæ ciuitatis recensendis, quia tam cito me non expedirem, ulterius non sequar, nisi hoc unum, quod in obsequijs & uictu habent modum in Hispanijs obseruatum, & similiter in suis ordinationibus & constitutionibus. Et dato, quod hæ gentes sint barbaræ, & tam segregatæ à cognitione summi opificis, & à communione reliquarum nationum, mirabile est uidere modum ab eis in omnibus obseruatum.

Circa obsequia domestica ipsius domini Muteezuma, & res miras, quas ad magnanimitatem status habebat, est aliquid scribendum, & ingenue polliceor Maiestati Vestræ, quod unde incipiam ignoro, nec quomodo finem imponere ualeam, ut eorum minimam portionem finire possim. Quia ut Maiestati Vestræ alias retuli, quæ barbari Domini qualis iste est potentia, aut opulentia maior hac esse potest, qui simulacra aurea & argentea ex plumis & gemmis & omnibus generibus quæ sub cœlo sunt in dominio possidere posset, & simulacra aurea & argentea tam bene effigiata, ut artifex quilibet aptius aptare non posset. Ea uero quæ sunt ex gemmis, humanum iudicium conijcere non posset, quo instrumento tam perfecte conficiantur. Ea uero ex plumis talia erant, quod nec in cera, nec in rebus sericis acu pictis mirabiliora fieri possent. Non ualui cognoscere quantum dominium dicti Domini Muteezuma extẽdebatur: ille enim undiq; à sua magna ciuitate mittit nuncios cum suis mandatis per leucas ducentas, quibus omnes parent, quamuis habuisset quasdam prouincias suis prouincijs circumdatas, quibus cum bella gerebat: & ut comprehendere ualui, eius Dominium erat tam latum quantæ sunt uniuersæ Hispaniæ, quia ad sexaginta leucas ultra Putunchan, qui est riuus Grisaluæ, nuncios suos misit ad ciuitatem nomine Cumatan, ut illi uenirent præstatum obedientiam Maiestati Vestræ, quæ distabat à magna ciuitate per ducentas & uiginti leucas. Sed usque ad centum & quinquaginta nostri Hispani à me uisum ire iussi sunt. Omnes fere Domini istarum prouinciarum, & maxime circumuicini resident in illa ciuitate pro maiori parte anni, ut superius retuli. Et ut plurimum, dicti domini habent suos filios primogenitos ad seruitia dicti Domini Muteezuma, & quilibet eorum dominorum suis in locis habent castra, & in eis milites suos, & suorum redditũum, & obsequiorum collectores & moderatores, quæ ex omnibus prouincijs sibi eueniunt, & computum habent de omnibus, quæ quælibet prouincia contribuere obligatur. Habent characteres & figuras quasdam in papiro quam faciunt, quas ipsi intelligunt. Et quælibet prouincia habebat separatum obsequium, & contributiones secundum qualitatem seruitij, ita quod ad manus dicti domini Muteezuma perueniebant omnia genera rerum, quæ in dictis prouincijs comperiri poterant, & eum tam præsentes quam absentes metuebant, quo nullos mortalium dominos plus timeri crediderim. Habebat tam in ciuitate, quam extra, domos plurimas uoluptatis gratia melius constructas quam dici possit, & quæ uere erant dignæ magno principe, & domino. Habebat in ciuitate ad usum suum palatia tam lata & mirabilia, quod mihi impossibile uidetur magnitudinem, amplitudinem, & bonitatem illorum recensere. Idcirco me non intromittam, ut aliquid de eis enarrem, sed tantum hoc unum, quod in Hispanijs non sunt illis similia. Habet aliud palatium fere non minus bonum, quam illud, in quo erat pulcherrimum uiridarium quibusdam prospectaculis eidem insidentibus, & marmora, reliqua'que ornamenta erant ex iaspide optime elaborato. Illi palatio inerant habitationes, quibus possent hospitari duo magni principes cum eorum obsequio, in hoc palatio erant decem stagna, ubi habebantur omnia genera auium aquatilium istarum prouinciarum, quæ sunt multa & uaria, & omnium altilium, & ad usum uolucrum quæ mari aluntur, erant stagna salsæ a-

Dominium Muteezu.

quæ, & ad usum fluminibus uersantium erant aquæ dulces, quas aquas quodam constituto tempore emittebant, ut stagna emundarent, & postea suis canalibus ea replebant, & cuilibet speciei uolucrum impartiebantur cibum, qui eis erat proprius, ita quod illis quæ piscibus nutriuntur pisces dabant, & quæ uermibus uermes, & quæ Mayz, Mayz, & quæ aliis minoribus seminibus, minora semina concedebant. Et certa refero Maiestati Vestræ, quod uolucribus pisces edentibus ducentæ & quinquaginta libræ quotidie exhibebantur ex illis, qui in dicto salso lacu capiebantur, his alendis uolucribus dabant operam trecenti uiri, nulli negocio ulterius incumbentes. Erant præterea alij ad auibus præstanda medicamina præpositi, cuilibet stagno prospectacula imminebant, & deambulatoria egregia & sumptuosa, quo dictus Muteezuma solatij gratia secedere solebat. In huius palatij particula tenebat homines, pueros, fœminas quę à natiuitate candidos in facie, corpore, capillis, supercilijs, & palpebris. Habebat aliam etiam domum amplissimam & munitissimam, in qua erat latum prærristillum pauimento ex crustis marmoreis egregijs ornatum in modum latrunculariæ tabulæ, & domus erant profundæ, quasi ad statum hominis cum dimidio, & ad magnitudinem sex passuum in quadrangulo, & in medio quarumlibet istarum habitationum, cernebatur uolucris rapina uitam quærens à tinunculo usque ad aquilam, quotquot, comperiuntur in Hispanijs, & plura genera quæ nunquam in Hispanijs uisa sunt, & in quolibet genere magna copia, & in qualibet istarum erat lignum, ubi uolucres residebant, & aliud extra infra rete, & uni insidebant aues nocturno tempore, cum pluuiosum erat tempus, in altero uero poterant esse exeuntes ad solem, & aera, dum aliqua ægritudine laborant. Istis omnibus uolucribus pro eorum cibo gallinas impartiebantur, & non aliud. In eodem palatio inferius quædam aulæ magnæ plenæ sunt magnis caueis & grādibus lignis fabrefactæ & coniunctæ, & in eis, ut plurimum, continebantur leones, tygrides, lupi, uulpes, catti uarij. Et omnium horum animalium tam uolantium quam quadrupedum erat maxima copia, quibus ad saturitatem gallinas apponebant, & ad horum animalium custodiam erant alij trecenti uiri. Erat illi alia domus, ubi plurimos uiros & fœminas monstrosos, pumiliones, gibbosos, & adulterinos, & alios maximæ deformitatis uiros habebat, & genus quodlibet monstri suas obtinebat separatas habitationes, & præerant eorum infirmitatibus electi homines. Reliquas domus uoluptatis causa constructas in dicta ciuitate prætermitto, cum & plures sint & diuersimodæ. Obsequij sui ordo talis erat. Illucescente die, quingēti aut sexcenti uiri principales domum suam petebant, qui sedebant & spaciabantur per aulas, & de ambulatoria, quæ erant in domo, & ibi morabantur, non tamen ingrediebantur ad eius conspectum, & eorum familiares, & illi, qui cum eis associati erant, occupabant duo aut tria palatij impluuia, & uicum maximum, & hi per diem continuum ibi moram trahebant, nec discedebant nisi adueniente nocte, & eodem momento, quo discumbebat dominus Muteezuma, ipsi quoque discumbebant, & non minus lauta conuiuia eisdem apponebantur, quam eorum domino, & familiaribus suis portionem suam impartiebantur. Penuariæ cellæ & uinariæ omnibus uenientibus patebant, omnibusq; esurientibus & sitientibus cibum, potumq; impartiebantur. In afferendo eidem cibo talis obseruabatur consuetudo, trecenti aut plures adolescentes epulas innumeras afferunt, & tam in prandio quam cœna, omnia genera rerum comestibilium tam ex carne quam piscibus, fructibus, & oleribus, quæ ea in regione haberi poterant, & ob frigiditatem regionis cuilibet scutellæ & paropsidi accensis prunis prunarium suberat, ne epulæ frigiditate deteriores fierent, & epulas eas omnes in aula magna, ubi cibum capere solebat, in simul collocabant, & pene omnis aula steris ornata & munda epulis implebatur. Ipse uero Muteezuma paruo puluino coreaceo insidebat egregie elaborato,

Domesticum Muteezuma obsequium

borato, tempore quo discumbebat, ab eo distantes quinque aut sex senes discumbebant, quibus ex appositis sibi epulis porrigebat. Aderat unus familiarium, qui epulas apponebat & amouebat & ab alijs, qui extra erant, cibaria magis domino seruientia expetebat. Lauabat manus ab initio, & in fine prandij aut cœnæ, & ea mappa qua semel manus exiccabat amplius non utebatur. Similiter & paropsidibus aut scutellis, quibus semel fuerant fercula allata, nefas erat epulas imponi, nisi nouiter essent fabricatæ, & de prunarijs similis obseruabatur modus. Quater quotidie uestiebatur, nunquam eadem utebatur ueste, quicunque palatium ingrediebatur, nudis pedibus illum ingredi oportebat, & cum uocati coram eo se exhibebant, capite & oculis inclinatis ibant, & corpore humillimo, & eum alloquentes uultum non inspectabant, quod magnæ uenerationis & reuerentiæ signum erat. Id quod in causa fuisse cognoui, cur quidam illius prouinciæ domini aliquos ex Hispanis increpabant, eo quod dum me alloquerentur, erecti me intuebantur, quod paruæ reuerentiæ & uerecundiæ ascribebant. Cum domo exibat dictus Muteezuma, quod raro eueniebat, omnes eum associantes, & qui sibi obuiam fiebant, eidem uultum auertebant, nec pacto aliquo eum inspiciebant, & omnes donec transiret, immoti permanebant. Illum assidue pręcedebat suorum aliquis tres subtiles & rectas gestans uirgas, quod ideo fieri putaui, ut homines monerentur, eum adesse, quando uero lectica descendebat unam ex illis manu ipse gestabat, eam'que donec ad constitutum locum peruenisset, retinebat. Erant tot & tam uariæ ceremoniæ & modi, quos iste dominus Muteezuma in suo obsequio seruari uolebat, quod multo maiore indigerem ocio, quam impræsentiarum nactus sum, & tenaciori memoria, ut eas omnes possem retinere. Arbitror enim nullũ ex Saladinis aut dominis infidelibus, de quibus cognitionẽ habeamus, tot et tales in eorũ obsequijs retinere ceremonias. Fui in hac celebri ciuitate, ut rebus, quas ad Celsitudinis Vestræ seruitium pertinere cogitabam, prouiderem, consulileremq;, & ut prouinciam pacarem, allicerémq; eidem Maiestati Vestræ regiones, & habitata loca plurimis maximis ciuitatibus, uillis & castris, & inuestigarem aurifodinas, intelligerem'que prouinciarum secreta tam ipsius domini Muteezuma, quàm aliorum, qui sibi contermini erant, quibus cum cognitionem habet. Sunt res tales, & tam admirabiles, quod pene incredibiles uideri debeant, & hæc erant bono animo suo, & incolarum à me facta, non aliter quam si ab initio Celsitudinem Vestram in regem uerum & proprium dominum cognouissent, & non minori animo à me regali Celsitudinis uestræ nomine imperata exequebantur. Et in quibusdam non minus Celsitudinis Vestræ seruitio utilibus fui ibi præpeditus ab octaua mensis Nouemb. Anni M.D.XIX. usque ad ingressum mensis Maij instantis anni. M.D.XX. quo in dicta celebri ciuitate quiete & tranquille agebam, & Hispanos multos fueram partitus uarias & plures regiones pacando, & colonias erigendo in istis prouincijs, maximo detinebar desiderio, expectabamq; nauẽ cum responso relationis, quã ab istis regionibus ab initio Maiestati Vestræ transmiseram, ut eisdem impartirer ad Maiestatem Vestram, quæ in præsentiarum transmitto & omnia illa aurea & emblemata, quæ hic habueram pro Celsitudine Vestra.

Ad me profecti sunt non nulli incolæ prouinciæ istius domini Muteezuma uasalli. ex eis qui erant contermini maris littori, significantes prope montes Sancti Martini, qui sunt in littore ante portum, seu stationem Sancti Iohannis, aduentasse decem & octo naues, & qui forent, dicebant ignorare, quia eis uisis ilico mihi nunciatum properarant. Et post hos uenit alius insulæ Fernandinæ incola, & attulit mihi literas ab uno Hispano (quem in ipso maris littore collocaram, ut si forte naues aliquæ illuc aduentarent, eisdem cognitionem mei dare curaret, & illius ciuitatis quæ prope portum à me habitanda ferat suscepta, ne illis uagari contingeret ignorantibus qui- *Aemulus Cortesij Velazquez classes transmittit*

bus in locis consisterem) qualiter quodam die unica nauis ante portum san- A
cti Iohannis uisa erat, & quantum eius uisus extendi poterat, diligenter per maris littora prospexerat, & nullam aliam in conspectu uiderat, & eam nauim esse cogitabat, quam Maiestati Vestræ transmiseram, cum tempus eius reditus appropinquasset, & ut certior fieret ibi præstolabatur, donec dicta nauis applicaret, uel portum ingrederetur, ut ab ea informationem capere posset, & ilico ad me aduolaret omnia nunciatum. His literis uisis, duos ex Hispanis expediui, ut unus iret una uia, alter uero alia, ne eueniret, quod illi qui forte mitterentur à dicta naui obuij illis non fierent, quibus iniunxi nullibi moram traherent, donec ad dictum portum peruenirent, & cognoscerent quot naues aduenerant, & ex qua patria essent, & quid importaretur nauibus, & reuerterentur mihi nunciatum. Alium etiam destinaui ad ciuitatem ueræ Crucis declaratum ea, quæ audieram de prædictis nauibus, & iubebam, ipsi quoq; inuestigarent & inuenta referrent, & alium præfecto illi, quem cum centum & quinquaginta peditibus (ut Maiestati Vestræ superius declaraui) ire iusseram ad fundandam coloniã in prouincia & portu Quaeucalco, cui per meas literas mãdaui, ubicunq; locorum nuncius eum offenderet, ibi consisteret, nec ulterius progrederetur, donec aliud haberet à me in mandatis, allatum enim mihi fuisse dicebam, naues quasdam portui applicuisse, qui ut deinde apparuit iam eorum aduentum cognouerat, priusquam sibi literæ meæ redderentur. Et post eorum discessum quindecim continui defluxerunt dies, quod nihil penitus auditum est, nec responsum ab eorum aliquo, ex quo non parum accepi admirationis. Quibus transactis uenere alij Indi, uasalli quoq; dicti Domini Muteezuma, qui mihi indicarunt dictas naues in ipso portu ancoras iecisse, & quod homines ex nauibus descẽderant, & eorum numerum secum afferebant, quod erant octuaginta equites, & octingenti pedites, & decem aut duodecim tormenta. Et hæc omnia picta uidebantur in quadam patria papiro, ut ea ostenderent dicto domino Muteezuma. Et nunciarunt, quod Hispanus ille quem littori præposuerã, & nuncij alij quos ego miseram, erant apud homines qui è nauibus descenderant, commiserantq; dictis Indis, ut exponerent mihi, quod eorum prefectus illos reuerti non permittebat. Hoc intellecto, constitui mittere presbyterũ, quem mecum adduxeram, cum meis literis, & literis iudicum, & regentium ciuitatis uerę Crucis, qui mecum erant in præfata ciuitate, quę literæ dirigebantur præfecto, & uiris, qui applicuerant illi portui, nota eis faciendo pluribus omnia, quæ mihi in his partibus euenerant, & quod plurimas ciuitates, uillas, & castra subegeram, acquisieramq; & eas pacifice subditas retinebam regali Celsitudinis Vesttæ seruitio, & captum detinebam primarium Dominum harum prouinciarum, & me esse in illa celebri ciuitate, & de ipsius ciuitatis qualitate & auro et emblematibus quæ pro Maiestate Vestra obtinebam, & me iam misisse Maiestati Vestre relationem istarum prouinciarum, rogabamq; eos, ut mihi indicarent, qui forent, essent ne ex regnis & dominijs Vestræ Celsitudinis oriundi: & scriberent, si ad has prouincias suo regali mandato profecti fuissent, aut ad ponendas colonias, & morari in eis: uel utrum ulterius progressuri. aut an uellent reuerti: & si premerentur necessitate alicuius rei, quod daturus essem omnem operam, ut subleuarentur. Si autem non essent è regnis, similiter mihi nunciandum curarent, si re aliqua premerentur. Offerebam nanq; me, si possem, remedium præstaturum, Sin minus, quod eos Celsitudinis Vestræ nomine iuberem à suis prouincijs discedere, nec in eas descenderent, & si aliter fecissent meis omnibus uiribus tam Hispanorum quam incolarum, eos essem aggressurus, ipsosq; aut capiendos, aut ut interficerentur diligentiam adhibiturus, tanquam alienigenæ audentes ingerere se regnis & dominijs nostri regis et domini. Et post dicti presbyteri cum prælibatis ad eos literis discessum, quinta luce ad me profecti sunt uiginti Hispani in dicta ciuitate Temixtitan commorãtem ex illis,

illis, quos in custodia ciuitatis ueræ Crucis dimiseram, adducentes Presbyterum, & seculares duos in dicta ciuitate ueræ Crucis inuentos, ex quibus cognoui classem & uiros, qui ad dictum portum aduecti erãt, eo Didaci Velazquez mandato peruenisse, qui est gubernator insulæ Fernandinæ, & locumtenens. Et Dux, & præfectus illius classis, erat quidã Pamphilus de Narbaez dictæ insulæ incola, & secum adduxerat equites octuaginta, tormenta plura, & pedites octingentos, inter quos retulere octuaginta esse pixides gestantes, & gestantes balistas centum & uiginti. Et proficiscebatur præfectus generalis, & locumtenens gubernatoris istarum omnium prouinciarum uice, & nomine præfati Didaci Velazquez. & illum habere mandatum à Vestra Maiestate, et illum quem in littore dimiseram, ac nuncios à me missos esse apud præfatum Naruaez, qui eos redire non permittebat, qui cognouerat ab eis me in ea prouincia coloniam posuisse à dicto portu per leucas duodecim, & gentes quæ in ea erant, & pariformiter quos uiros miseram in prouinciam Quacucalco, & ab eo portu abesse per leucas triginta in prouincia Tuchitebeq; nuncupata, & omnia quæ in seruitio Celsitudinis Vestræ in his prouincijs gesseram, uillasq; & ciuitates quas Celsitudini Vestræ acquisiueram & pacatas reddideram, & celebrem ciuitatem Temixtitan, aurumq; & emblemata quæ in dictis prouincijs habueramus, & ab eis certior fieri uoluit de omnibus quæ mihi hactenus euenerant, eos'que destinauerat dictus Narbaez ad ciuitatem Veræ Crucis, ut si fieri posset eos, qui in ea morabantur suo nomine alloquerentur, eisq; suaderent, ut illum sequerentur, & contra me arma sumerent, secum'que adduxere ad centum forte epistolas, quæ mittebantur à dicto Narbaez, & eius socijs commorantibus in dicta ciuitate, in quibus continebatur, quod omnibus exponendis nomine suo per præfatum presbyterum, & alios eius socios fidem indubiam adhiberent, promittens de illis qui eo modo fecissent, eum optimam habiturum rationem, & eos qui non obtemperarent, male mulctare minabatur, multa'que alia quæ in dictis literis continebantur. Hæc prælibatus presbyter, & hi qui secum uenerant exposuere. Et quasi eodem instanti superuenit alius Hispanus ex eis, quos miseram in prouinciam Quacucalco, & attulit ad me literas à Iohanne Velazquez leone eorum præfecto, eisdem significabat, quod gens illa quæ portui applicuerat, erat Pamphilus de Naruaez, qui huc proficiscebatur mandato dicti Didaci Velazquez una cum militibus quos secum conducebat et literas, quas dictus Naruaez cuidam Indo ad eum præfectum dederat tanquam consanguineum dicti Didaci Velazquez, & sororium dicti Naruaez, per eundem ad me deferri curauit, quibus inscribebatur ex meis nuncijs illum cognouisse, dictum præfectum meum ibi cum illis militibus constitisse. Suadebat'que ut illico ille cum commilitonibus ad eundem Naruaez proficisceretur, quod si exequeretur, ea quæ officij sui essent, & ad quæ teneretur præstaret. Seq; optime scire, quod apud me non uolens, sed ui coactus degeret: Qui præfectus tanquam homo deuinctus, & obnoxius Maiestatis Vestræ seruitio, non solum ea, quæ à dicto Naruaez in literis proponebantur, respuit, sed missis ad me literis illico, ut se mecum coniungeret cum omnibus commilitonibus discesserat, & optima habita informatione à dicto Presbytero & à duobus socijs de plurimis, & de his quæ animo conceperant dictus Didacus Velazquez, & à Naruaez, & qualiter classe illa & uiris qui inuehebantur, contra me mouerat, ex eo quia relationem & res istius prouinciæ Catholicæ Maiestati Vestrę, & non dicto Didaco Velazquez transmiserã, quemadmodum malo animo proficiscebantur, ut me una cum multis quos mecum habebam, quos iam proscripserant, neci traderent. Audiueram pręterea licentiatum Rodoricum de Figueroa iudicem præsidentiæ insulæ nouæ, iudices & reliquos Celsitudinis Vestræ officiales qui in ea resident, quamprimum ad aures suas peruenerat dictum Didacum Velazquez eam

classem parare inspecto eius animo quo mittebat, cum eis pateret & consta- A
ret manifestum damnum & incommodũ, quod ex eo euentu Maiestati Ve-
stræ redundare posset, misisse licentiatum Lucam Velasquez Aylon expræ
fatis iudicibus unum cum procuratorio, ad monendum et iubendũ dicto Di
daco Velazquez, quod dictam classem nullo modo mitteret: qui eo profe-
ctus est, & offendit dictum Didacum Velazquez cũ classe & uiris in ingres-
su dictæ insulæ Fernandinæ, qui uentis uela dare parabat: eum, & omnes
cum dicta classe proficiscentes, ne uenirent admonuit, quia ex eo Maiestas
Vestra multum incommodi, & damni perpessura esset, & insuper pœnas ad
didit, quibus non obstantibus & omnibus illis, quæ per dictum licentiatum
mandata fuerant, nec monitione, classem abire iusserat, & dictum licentia-
tum esse in dicto portu affirmabat, & cũ ea intentione eũ classe aduenisse co
gitando damnum quod ex tali itinere resultaret, auertere posse cum eidem
& omnibus malus animus, & mens, quibus dicta classis uentis uela dedisset,
optime innotescerẽt. Iam dictum presbyterum cum meis literis ad Naruaez
destinaui, quibus significabam, me ab eo presbytero, & ab eis, qui secum ue
nerant, certiorem factum illum preesse uiris, qui naui ea conducebantur, qua
re multum lætabar, alioqui mali quid suspicaturus, cum nuncij quos mise-
ram, non reuerterentur, & me mirari, quod postea quam acceperat me in his
prouincijs Maiestatis uestræ seruitijs inniti, nil literarum ad me dedisset, aut
nuncium misisset mihi aduentum suum significatum (cum certo sciret me e-
ius cognito aduentu plurimum lætatum iri, partim quia olim amicitia iun-
cti fueramus, partim quia arbitrabar eosdem ad inseruiendum Ma. V. huc
aduenisse, quo nil iucundius mihi euenire potuisset) sed contra mitteret sub-
ornatores, ut factitabat, & suasorias literas commilitonibus meis in Maie-
statis V. seruitio existentibus, ut contra me arma caperent, & ad eum transfu
gerent, non aliter quam si nostrorum aliqui essent Christicolæ, alij uero infi- B
deles, aut aliqui Maiestatis Vestræ, alij uero minime, rogabamq; ab eo, ut in
posterum ea non uteretur uia, sed sui aduentus causas mihi insinuaret. Præte
rea mihi dixisse illos, se generalem præfectum locum tenentem, gubernato-
remq; pro Didaco Velasquez nominari, & quod tali se publice nomine ap-
pellari mandauerat in uniuersa illa prouincia. Et eum iam constituisse iudi-
ces & regentes, & iusticiam ministrarat, quod erat contra seruitium, et leges
Vestræ Maiestatis, cum istæ prouinciæ eidem Maiestati Vestræ subijceren-
tur & colerentur à suis subditis, & in prouincijs constituti essent ius dicẽtes,
& regimen non debebat uti titulis istis, cum à nullo fuisset admissus, quam-
uis ut ea exerceret haberet mandatum à Vestra Maiestate, quæ si haberet pe
tebam, & monebã, ut ea mihi & regimini ciuitatis Vestræ ueræ Crucis ex-
hiberet, quibus ego & regimen parati eramus obedire tanquam mandatis
nostri Regis, & ueri domini, ut opere complerentur, quantum regali serui-
tio Maiestatis Vestræ conduceret. Eram enim in ea ciuitate, & dominum ca
ptiuum in eadem detinebam, & in ea congesseram maximam auri quantita
tem tam pro Vestra Celsitudine, quam his, qui mecum erant, & me ipso,
quod ego dimittere non audebam, timens quod post meum ab ea ciuitate
discessum, eius habitatores à me deficerent, & talis ciuitas, & tanta auri, &
& emblematum copia amitteretur, qua ciuitate amissa omnes illæ prouin-
ciæ deficerent. Et similiter dicto presbytero dedi literas ad dictum licentia-
tum Aylon, quem ut postea resciui, cum dictus presbyter eo peruenit di-
ctus Naruaez ceperat, & captiuum cum duabus nauibus remiserat. Eodem
die quo dictus presbyter discessit, ad me profectus est nuncius ex illis qui e-
rant in ciuitate ueræ Crucis, quo significarunt omnes incolas prouinciarum
defecisse ad dictum Naruaez, & potissimum illos è Cempoal, & illis fœde-
re iunctos nullum ex incolis dictarũ prouinciatum ulterius uelle accedere
ad dictam ciuitatem prẽstatũ obsequia tam in arce quam in rebus alijs, quas
antea præstare soliti erãt. Asserebãt enim Naruaez illis retulisse, me malũ,
& eum

& eum ea de causa aduenisse, ut me, & commilitones meos omnes caperet, & nos captiuos abduceret, & prouinciam desereret, & quod secum adduxerat gentes plurimas, & meæ erant paruo numero, & adduxerat equos multos, & plura tormenta, quam mea essent. Et illi sequi partes uictoris uolebant, & ulterius dicebant ab Indis eisdem illi innotuisse dictum Naruaez uenturum hospitatum in dicta ciuitate Cempoal, quia optime sciebāt quantum aberat à ciuitate Veræ Crucis, & arbitrabantur considerato malo animo dicti Naruaez in omnes, ab eo loco contra eos castra illum moturum, & præsertim cum sibi indos dictæ ciuitatis coniunctos retineret, & propterea significabant se ciuitatem deserturos, & ascensuros montem ad quendam procerem celsitudinis Vestræ uasallum, & nobis amicum ibique permansuros, donec nunciarem, quid sibi agendum esset. Et illico cōsiderato detrimento magno quod incumbebat, cum dictæ prouinciæ deficere cœpissent ex dicti Naruaez suasione, uidebatur, quod si me conferrem eo, ubi ille extitisset, multum cohiberentur incolæ me præsentem cernentes, nec contra me arma capere auderent, & etiam cogitabam modum inuenire, ut malum quod inceperat, sopiri posset. Inde eadem die discessi, fortilitium Mays plenum relinquens, & in eo centum & quadraginta homines, aquam, & aliqua tormenta: & cum reliquis, quos ibi habebam (qui erant sexaginta) sum meum iter prosecutus, comitantibus quibusdam proceribus domini Muteezuma, quem antequam discederem pluribus sum allocutus, proponendo, quod consideraret se esse Celsitudinis Vestræ uasallum, & nunc erant sibi agēdæ gratiæ à Vestra Maiestate de omnibus, quæ in Maiestatem Vestram contulerat obsequijs. Hispanos eos, qui remanebant, sibi admodum commendaui, cum auro & emblematibus, quæ mihi fuerat elargitus pro Celsitudine Vestra, & ab alijs dari iusserat, proficisci enim uolebam exploratum, qui forent illi, qui ad portum nostrum applicuerant, quia eousque qui fuerant, ignorabam, arbitrabar tamen eos improbos, & minime Celsitudinis Vestræ subditos. Ille pollicitus est prouisum iri eisdem de omnibus, quæ essent eis necessaria, & custodiam habiturum de his, quæ ibi dimittebam, cum illud Sacræ Maiestati Vestræ pertineret, iussit que ut illi, qui mecum proficiscebantur me per ea itinera deducerent, quo ab eius prouincijs non exirem, & de omnibus mihi prouidendum curarent. Me quoque enixe rogabat, si inuenirem homines eos improbos, ut illico nunciarem, collecturum enim illico se maximas copias, quæ eos oppugnatum proficiscerentur, & ad eos à prouincia eijciendum. At ego illi de omnibus gratias egi, & ingenue affirmaui Maiestatem Vestram propterea aliqua gratitudine eum prosecuturam, & multa emblemata, & uestes uni ex filijs suis, & alijs plurimis dominis, qui secum comperiebantur, impartitus fui. In ciuitate Churultecal factus est mihi obuius Iohannes Velazquez, quem alias profectum fuisse recensui, & miseram ad Quacucalco, qui ad me cum omnibus commilitonibus proficiscebatur, & demptis quibusdam aduersa ualetudine detentis, quos in ciuitatem ire iussi, cum eo & eius commilitonibus, & reliquis cœptum iter prosecutus sum, & quindecim leucis ultra istam ciuitatem Churultecal inueni presbyterum, qui unus ex meis socijs erat, quem quæsitum miseram, qui nam essent illi, qui portum classe ingressi fuerant: mihiq; dicti Naruaez literas præsentauit, quibus continebatur, eum habere quædam mandata, ut sibi consignarentur dictæ prouinciæ pro Didaco Velazquez, & illico ad eum irem illis obtemperaturus, & illum iam ædificasse ciuitatem, iudices & regentes constituisse. Et accepi à dicto presbytero, qualiter captiuarat dictum licentiatum Aylon, & scribam suum & executorem, & impositos duabus nauibus dimiserat, illumq; donis solicitauerat, ut aliquibus ex nostris socijs, quo transfugerent ad dictum Naruaez, suaderet, & quo recensuerat quosdam Indos, qui secum uenerant. & tam equites quam pedites, emiserat q; omnia tormenta tam in na-

uibus existentia, quam in littore, ut illis timorem incuteret. Considerate, inquiens, quomodo poteritis uos à nobis protegere, si nobis non morem gesseritis. Retulit etiam se uidisse apud dictum Naruaez unum ex dominis illius prouinciæ uasallum domino Muteezuma, quem præposuerat omnibus suis prouincijs à montibus ad littora ipsius maris, & sciuit eundem allocutum Naruaez nomine dicti domini Muteezuma, & illi fuerat impartitus quædam aurea emblemata. Et è conuerso dictus Naruaez eidem uaria munuscula, & etiam sciuerat eum ab eo loco expediuisse nuncios quosdam ad dominum Muteezuma, promittendo se illum soluturum, & hac de causa huc aduentasse, ut me caperet una cum meis commilitonibus, & illico eum discessurum, dimissurum'que prouincias: nec aurum cupere, sed tantum me capto cum meis commilitonibus uelle reuerti, & prouincias & earum incolas libertate donare. Postremo percepto eius sententiam esse collocare se in his regionibus propria autoritate nemine eum recipiente, me'que & commilitonibus meis illum in ducem, & iudicem recipere nolentibus nos aggredi, & bello expugnare, & ad id fœdus iniuisse cum incolis prouinciarum, & potissimum cum dicto domino Muteezuma per eius nuncios, & cum manifeste prospicerem damnum & incommodum, quod Sacræ Maiestati Vestræ ex præmissis emergere potuisset, quamuis mihi recenserent illum maximam afferre potestatem, & in mandatis habere à dicto Didaco Velazquez, ut me & ex meis quosdam, quos iam proscripserat, si in eius potestatem deueniremus, quamprimum laqueo uitam finire cogeret, non recusaui propius accedere animo uoluens aliquo modo sibi demonstrare maximum incommodum & detrimentum, quod Maiestati Vestræ inferebat, & posse eum auertere à malo animo & cogitatione, incœptum iter secutus sum, & per quindecim leucas antequam ad ciuitatem Cempoal, in qua dictus Naruaez moram trahebat, peruenirem: ad me reuersus est ille presbyter, quem milites ciuitatis ueræ Crucis ad me misisse dixi, & cui literas dederam ad dictum Naruaez, & licentiatum Aylon alio comitante presbytero, & quodam Andrea de Duero incola insulæ Fernandinæ, qui etiam cum dicto Naruaez illuc aduenerat, qui loco & uice responsionis mearum literarum mihi nomine dicti Naruaez imposuerunt, & omnino ad sibi parendum proficisci deberem, & illum in ducem habere, eique prouinciam dimittere, aliter enim mihi maximum damnum euenire posset, asserentes, dictum Naruaez maximam habere potestatem, & nos minimam, & fere nullam, & ultra Hispanos, quos adduxerat, incolæ quoque eidem fauebant. Et si constituerem illi prouincias tradere, mihi naues, & commeatum ad libitum pollicebantur, & me posse cum omnibus qui mecum proficisci cuperent, & cum omnibus quæ exportare uellemus, absque impedimento aliquo discedere. Et alter ex presbyteris retulit ita fuisse constitutum à dicto Didaco Velazquez, ut hoc pactum mecum inirent & ad hoc dederat procuratorium dicto Naruaez, & illis duobus presbyteris coniunctim, & circa hoc parati erant mecum quomodocunque uellem pacisci. Respondi, me à Maiestate Vestra mandatum uelle prospicere, ut deberem dictas prouincias tradere, & si quod haberent, mihi & regimini ciuitatis ueræ Crucis exhiberent, prout est ordo & consuetudo in Hispanijs, eram enim illi pariturus, idque executioni mandaturus, & donec illud non uiderem, nulla conditione illis, quæ dixerant, morem gerere constitueram. Sed potius ego, & omnes commilitones mei pro defensione prouinciarum uitam exponere parati eramus posteaquam illas acquisiueramus pacificas tuto'que detinebamus pro Vestra Maiestate, ne proditores, infidos'que nostro Regi nos exhiberemus. Proposuerunt præterea conditiones plures, ut me in suam sententiam allicerent, nulli tamen earum uolui acquiescere, nisi prius uiso Celsitudinis Vestræ mandato: quod tamen nunquam uoluerunt ostendere, Tandem

Nuncij Naruaez ad Cortes.

dem duo illi presbyteri, Andreas de Duero, & ego concordes fuimus, quod dictus Naruaez cum decem uiris, & ego totidem comitatus, præmisso ambarum partium saluo conductu colloqueremur, ibique mandata, si qua haberet ostenderet, & illi respondere deberem. Ego uero misi saluum conductum subsignatum, & similiter ipse ad me misit suum manu propria subscriptum, qui ut postea apparuit, insidias mihi parauerat, ut illo in colloquio me interimerent: & huic negotio elegerat duos ex illis decem, quos secum ducere constituerat reliqui uero cum eis, quos mecum ego adducere deberem, pugnarent. Asserebant enim me mortuo, se iam negotio finem imposuisse, ut re ipsa fuisset, nisi Deus. Opt. Max. qui in similibus opem ferre solet, remedium attulisset. Factus enim fui certior eodem tempore, quo nobis saluum conductum attulere ab eisdem, qui contra me coniurauerant: quod ubi percepi, dicto Naruaez nunciaui per meas literas, me suum malum in me animum percepisse, nolleque me eo, ut inter nos conuentum fuerat proficisci, & eo instanti ei monitionem, & mandatum meo nomine conficiendum commisi, quo monebam dictum Naruaez, si aliqua mandata obtineret, à Maiestate Vestra, ea mihi exhiberet, & eousque non usurparet sibi nomen ducis, & iudicis, nec se in re aliqua pertinenti dictis officijs sub pœna eidem imposita impediret, & præcipiebam dicto mandato omnibus, qui cum dicto Naruaez aduenerant, quod nullo modo eum in ducem haberent, aut eidem parerent tanquam duci, aut iudici. Imo intra certum spacium in mandato assignatum coram me comparere deberent audituri, quid in Celsitudinis Vestræ seruitio acturi essent, præmissa protestatione, quod si secus agerent contra eosdem tanquam contra rebelles procederem, & proditores, infidos, & malos subditos à suo Rege deficientes, & illius prouincias usurpantes, & dominia, & earum possessionem eis dare cupientes, quibus non spectat ius, nec actio competit. Et si in uim talis mandati non comparerent, nec illud quod in dicto mandato continebatur, exequerentur, contra eos procederem secundum formam iustitiæ. Et responsum, quod mihi dictus Naruaez dedit, illud fuit, quod notarium, & eum, qui cum meo procuratorio profectus erat ad indicandum præceptum meum, carcere mancipauit, una cum quibusdam indis, quos secum habebant, qui detenti sunt, donec eo peruenisset alius nuncius meus, quem miseram sciscitatum ubi se continerent, coram quibus omnes milites denuo recensuerunt, & minati sunt eis, & mihi, si prouincias eisdem non traderemus. Et cum cognoscerem non posse tantum malum, & scandalum euitare, & prospiciens, quod incolæ prouinciarum iam tumultuari cœperant, & indies magis insurgebant, me Deo commendans, & deposito timore damni, quod euenire poterat, animo uoluens mori in seruitio nostri Regis, et ad protegendas eius prouincias, & si eas usurpare nō permitterem, maxima mihi & commilitonibus meis gloria inde nasci poterat, Mandaui Condisaluo de Sandoual meo magno executori, ut dictum Naruaez, & eos qui se iudices et regentes uocari uolebant, capere studeret, & ei tradidi octuaginta ex meis commilitonibus, quibus mandaui, ut illum sequerentur, & eos caperent, ego uero cum reliquis centum septuaginta qui in uniuersum erant ducenti, & quinquaginta sine tormentis, & nullis comitantibus equitibus, sed solum peditibus dictum maiorem executorem subsecutus fui, ut eidem opem ferrem, si dictus Naruez, & alij nollent se capi permittere. Eadem die, qua dictus magnus exequutor, & ego simul peruenimus ad ciuitatem Cempoal, ubi dictus Naruaez cum suis militibus constiterat, ille ut audiuit aduentum nostrum, octuaginta equitibus, & quingentis peditibus præter eos, quos in hospitio dimiserat, e ciuitate egressus est, erat aūt eius hospitiū Meschita maior in illa ciuitate, quæ erat munitissima. Et his comitantibus equitibus, & peditibus aduenit per leucam ab eo loco, ubi eram, & si aduentum meum præsciuerat, quem ex indorum relatione intellexerat: sed cum me non inuenisset, ratus

quod

A quod illum deluderent, reuersus est ad suum hospitium, semper tamen milites suos paratos retinens: & quasi per leucam à dicta ciuitate duos dimisit exploratores. Et quia maxime cupiebã scandalũ euitare, mihi uisum est, quod commodius, & minori scandalo noctu proficiscerer, si fieri posset tam tacite ingressurus, quod me non audirent, iremusq; recto tramite ad hospitium ipsius Naruaez, quod ego, & commilitones mei optime noueramus, ad ipsum capiendum, quo capto putabam ulterius nullum scandalum euenturũ, quia reliquos iustitiæ parituros censebam, & pręcipue quoniam maior eorũ pars coacta huc accesserat, & ui, quam dictus Didacus Velazquez eis intulerat, & timore ne Didacus Velazquez eisdem seruos, quos in insula Fernandina obtinebant, auferret. Et ita successit, quia die Pentecostes parum post medium noctis dictum hospitium aggressus sum, offendi tamen prius exploratores, quos dictus Naruaez in itinere collocauerat, & illi quos præmiseram, alterum cepere, & alter aufugit, ex quo percepi, quem ordinem obtinerent, & ne explorator, qui fuga captiuitatem euitauerat, eo antequam ille perueniret, quantum fieri potuit festinaui: tamen tãtum festinare non eualui, quin ille me per mediæ horę spatium præueniret. Et cum ego aduení, dictus Naruaez & socij omnes arma induerant, equosq; suos præparauerant, & multũ præparati ducenti uiri pro quolibet quadrangulo uigilabãt. Verum tam tacite eo deuenimus, quod cum nos adesse cognouere, & ad arma conclamatũ est, iam ingressus fueram impluuium sui hospitij, in quo omnes hospitabantur, & congregati morabantur, & ceperant tres, aut quatuor turres in eo existentes, & reliquas omnes munitas habitationes. In gradibus uero unius ex dictis turribus, quam dictus Naruaez inhabitabat, decem & nouem tormenta fusilis æris collocata erant, nos autem tam ueloces in eis ascensu fuimus, quod tormentis ignem admouere non potuere, præterquam uni, quod etiam Deo sic uolente globum non emisit, nec damnum alicui intulit, & sic turrim prædictam ascendimus, donec deuentum est ad habitationẽ ipsius Nar- B uaez, quam quinquaginta comitatus commilitonibus optime tuebatur, & cum magno executore decertabant, & socijs suis. Quamuis multoties eos monuisset, ut sese captiuos Maiestati Vestræ dederẽt, nunquam tamen annuere uoluerunt, donec turri ignis apponeretur, & igne præmente, sui deditionem fecere. Dum dictus magnus executor operã dabat ut dictũ Naruaez capere posset, ipse cum reliquis, qui apud me remanserant, turris ascensum tuebar aduersus eos, qui ei suppetias ferebant, & tormenta illa omnia capienda curaui, & me illis adeo munitum reddidi, quod sine cæde hominum, præterquam duorum, qui tormenti ictu perierant, unius horæ interuallo omnes, quos capere uolebam, in mei potestatem deuenere, & armis concessis reliqui omnes mihi, iusticięq; parerere promiserunt, & Maiestati Vestræ: se deceptos hactenus asserentes, quia professi erant eousq; se à Celsitudine Vestra mandatũ obtinere, & quod ego una cum prouincia defecerim, essemq; Celsitudinis Vestræ proditor, plurimaq; alia eisdem exposuerant: & cognita rei ueritate, & malo animo atq; intentione, quibus dictus Didacus Velazquez & Naruaez moti fuerant, maxima affecti sunt uoluptate, quod Deus ita fieri permisisset. Et certiorem reddo Maiestatem Vestram, si deus solita sua misericordia, & pietate huic negocio manum nõ apposuisset, & dictus Naruaez fuisset uictoriam adeptus, maius damnum & incommodum fuisset secutum, quamdiu fuerit secutum inter Hispanos, data comparatione. Mandato enim Didaci Velazquez, ut me una cum socijs meis multis suspenderet, morem gessisset, ne aliquis superesset, qui de gestis per eos notitiam aliquam exhibere posset. Quia, ut ab Indis postea percepi, si forte euenisset, quod dictus Narauaez me caperet (ut ipse eisdem aperuerat) quia non posset res tanta fieri sine damno eius, & suorum quin multi ex suis & meis commilitonibus, perirẽt constituerant ipsi interim interficere eos, quos in ciuitate dimiseram (ut etiam conati sunt) & deinde omnes in unum conuenientes aggredi eos, qui

Capitur Naruaez à Cor=

A hic ſuper eſſent, adeo quod ſuæ prouinciæ remanerent liberæ, & Hiſpanorum memoria non ſuper eſſet. Et Ma. V. dubitare non debet, quod ſi ita feciſſent & eam ſentētiam executi fuiſſent, quod uiginti annorum circulo prouinciæ, quæ ſubactæ & pacatæ erant, non uincerentur & pacarētur. Per tres dies poſt captiuitatem dicti Naruaez cum in dicta ciuitate tanta multitudo ali non poſſet, & iam pene eſſet deſtructa (quia dictus Naruaez & eius ſocij eandem deprædati fuerant, incolæ enim aberant, & domus erant ſolæ) expediui duos præfectos, & cuilibet eorum tradidi trecentos uiros, unum deſtinaui ad cœptam coloniam, de qua iam Ma. V. mentionem feci, in portu perficiendam. Alterum ad fluuium illum, in quo naues Franciſci de Garai uidiſſe dicebant, quia eum locum mihi certum habebam, & ducentos ad ciuitatem ueræ Crucis, quo naues omnes quas dictus Naruaez adduxerat, ancoras firmaſſe audiueram, cum reliquis militibus ire iuſſi, ut ibi conſulerem rebus, quæ ad commodum V.M. pertinere putarem, & nuncium deſtinaui ad ciuitatē Temixtitan, quo omnia, quæ mihi euenerant, ſignificabam Hiſpanis, quos ibi dimiſerā, qui duodecim dierū ſpacio reuerſus eſt, & mihi attulit literas à præfecto ibidē & militibus quibus me certiorem reddebant, Indos fortilitium acriter oppugnaſſe, & multis locis ignem impoſuiſſe, & cuniculos quoſdam ſubterraneos effodiſſe, eosq́ fuiſſe in maximo uitæ diſcrimine & labore, & quod omnes illi fuiſſent interfecti, niſi dominus Muteezuma eis imperaſſet, ut à dicta oppugnatione deſiſterent. Adhuc tamen eos obſideri quamuis non oppugnarentur, affirmabant, nullumq́ ex eis per binos paſſus extra fortilitium Indi exire patiebantur, & dum pugnarent maximam commeatuum portionem quam dimiſeram, ipſis ereptam, fuiſſe, & combuſſerant eos quatuor Bergantinos, quos conſtruendos curaueram in dicta ciuitate Temixtitan, & uerſabantur in maxima rerum omnium egeſtate, rogantes ut illis opem ferre feſtinarem. Et uiſa eorum neceſſitate & conſi-
B derato, quod ultra interfectos Hiſpanos omne aurum, argentum, & emblemata, quæ ex prouincijs habita fuerant amitterentur, amitteretur melior & nobilior ciuitas, quæ ſi in uniuerſo nouiter adinuento orbe, qua amiſſa omnia quę hactenus in his prouincijs acquiſiueram ammitterentur, cum illa eſſet primaria, cui omnes reliquæ parebant, ſtatim nuncios ſubſequi iuſſi qui præfectos ſubſequerentur, qui profecti fuerant cum dictis militibus enumerans eiſdem omnia, quæ ad me ſcripſerant milites Hiſpani ab ea ciuitate, & quod illico ubicunque eos offenderent, pedem referre admonerent breuiori itinere quo fieri poſſet, ad ciuitatem Taſcaltecal, ut cum militibus, qui mecum erant, & tormentis omnibus quibus potui, & cum ſeptuaginta equitibus me illis coniungerem. Et poſtquam eo aduenere, milites omnes perluſtraui, erant autem ſeptuaginta equites, & pedites quingenti, & eiſdem comitantibus maiori celeritate, qua potui diſceſſi Temixtitan uerſus, in eo itinere nullus ex ſubditis domini Muteezuma mihi obuiam ueniebat, ut prius facere conſueuerant, & prouinciæ illæ omnes erant tumultuantes, & domus pene inhabitatæ. Hac re in ſuſpicionem maximam adducebar Hiſpanos, quos in dicta ciuitate Temixtitā dimiſeram, iam interemptos, & quod omnis prouinciarum multitudo in unum conuenerit, expectantes me aliquo in arduo loco, aut anguſtijs quibus mihi facilius obeſſe poſſent, & hac ſuſpitione paratiores meos continui quo fieri potuit, donec perueni ad ciuitatem Teſnacan, quæ (ut ſuperius aperui) eſt in ipſo lacus littore, & ab incolis quibuſdam quæſiui quid eſſet actum de Hiſpanis, quos in Temixtitan reliqueram, qui eos mihi uiuere retulere, eiſq́ iniunxi, ut canoan adducerent, uolebam enim ea Hiſpanum Temixtitan ire uiſum. Et dum eo proficiſceretur unum ex incolis mecum morari oportebat, ex incolis dictæ ciuitatis unus, qui mihi aliquantulum ex primatibus uidebatur, reliqui uero quibus cum conſuetudinem habebam, non apparebant. Hic igitur quemadmodum à me iuſſus fuerat, canoam adducendam curauit, & Hiſpano, quem mitte-

bam adiunxit Indos quosdam, ipse uero mecum remansit. Et dum dictus Hispanus iturus ad ciuitatem Temixtitan canoam ascenderet, aliam canoam eo tendentem conspexit, eamq; ut propius accederet, expectauit, in ea uehebatur ex Hispanis unus quos in dicta ciuitate dimiserã, ex quo cognoui Hispanos omnes uiuere præter quatuor aut sex, quos Indi interemerant, reliqui uero obsidebantur, nec eos exire Indi patiebantur è fortilitio, & nil sibi impartiebantur nisi maxima pecunia, quamuis audito meo aduentu, mitius cum eis egissent, & Muteezuma nihil aliud desiderare nisi meum aduentũ, ut sibi copia daretur spaciandi per ciuitatem, ut antea facere solitus fuerat, & se optime perpendere ea, quæ in dicta ciuitate successerant, me iam præsciuisse, & propterea me iratum, & animo aliquid damni inferendi eo proficisci. Ideo ipsum enixis me precibus rogare iram deponerem, quia ipse non minus ea molesto, & ægro animo tulerat quam egomet, & nil ex suo consensu, aut uoluntate factum, & alia multa mihi exponenda commisit, quo me ab ira quam concepisse cogitabat ex commissis, auerteret, proficiscererq; ad ciuitatem is, qui ante fueram, quia impræsentiarum non minus executioni mandarent mandata mea quam prius, & illis obedirent. Respondi, me in illum nullam iram concepisse, cum optimum eius animum cognoscerem, & esse credebam. Et sequenti die in uigilia Sancti Ioannis Baptistæ discessi, & hospitatus fui per leucas tres à ciuitate Temixtitan. Et alio die postquam diuinis solenniis interfui, iter meũ prosecutus sum, & ferè ante meridiẽ ciuitatem ingressus sum, & uidi homines non multos in ciuitate, et portas aliquas in triuiis, quadriuiis amotas, quod mihi minime placuit, ratus tamen sum ex timore eorum, quæ commiserant fecisse, & ut cum ibi essem illis securitatem impatirer, ego autem recto itinere progressus sum ad fortilitium, in quo, & Meschita illa maiori, quæ fortilitio hærebat, omnes qui mecum proficiscebantur, hospitati sunt. Illi qui in fortilitio oppugnabantur eo gaudio & animorum exultatione nos excepere, tanquam eisdem uitam attulissemus, aut de nouo donauissemus, quam se iam amisisse putabant. Eum diem magno gaudio & exultatione transegimus nos quietem habere sperantes. Altera uero die post missarum solennia miseram nuncium ad ciuitatem ueræ Crucis noua bona nuncians. Christianos adhuc uiuere, & me ciuitatem ingressum, & tuto esse in ea, qui nuncius mediæ horæ interuallo uulneribus plurimis affectus rediit clamans, Indos omnes ciuitatis bello aptos, ut in nos irruerent aduentare, & eos pontes ciuitatis amouisse, & post eum tanta hominum multitudo undique confluens, nos aggressa est, ut nec uici nec subdialia pauimenta præ multitudine apparerent, & proficiscebantur maioribus ululatibus, & terribilioribus uociferationibus quæ unquam excogitari possent. Et tot erant lapides, quos in fortilitium fundis iniecerant, ut cœlũ lapides pluere uideretur, & tantus erat sagittarum & iaculorum numerus, quod illis omnes parietes & impluuia erant referta, & per ea iri fere non poterat. Ego uero domo egressus in eos irrui, & nobiscum acriter pugnauerũt, & ab uno latere ex præfectis meis unus cum ducentis uiris fortilitio exierat, priusquam posset pedem referre quatuor ex suis trucidati sunt, & eundẽ præfectum, & alios plures uulnerarunt, nos uero paucos ex eis interficiebamus, quia illi se ultra pontes recipiebant, & ex subdialiis pauimentis lapidibus nobis maxime oberant, ex quibus expugnauimus & combussimus aliqua, tamẽ erant tam crebra & adeo munita, & tot uiris, & lapidibus, aliisq; uariis armorum generibus referta, ut potentes non essemus ad omnia oppugnanda, & tuendum, quod illi obesse nobis non possent ad libitum. Fortilitium nostrum tam acriter oppugnarunt, ut uariis in locis ignem apposuerint, & in uno combusta est maior pars, antequam opem ferre possemus, donec parietum incisione eum euitauerimus, & ex uiolenta parietum eiectione ignis exitinctus est, & nisi ibi maximum præsidium collocassem, uidelicet homines balistis, & pixidibus utentes, aliaq; tormenta, eorum profecto repentino

Ingreditur ciuitatem Temixtitan Cortesius

A tino aduentu nobis obsistere non ualentibus fortilitium ingressi fuissent.

Eam diem certando usq; in obscuram noctem consumpsimus, nec tamen ea secuta tuti fuimus ab eorum uociferationibus & tumultu, donec dies superuenit. Ea nocte per eos destructa reficienda, & alia multa, quibus fortilitium indigere uidebatur, præparanda curaui, & stationes aptaui, & in eis milites qui eas tuerentur, & sequenti luce essent pugnaturi collocaui, & militum uulneribus medicamenta sunt adhibita, qui erant ultra octuaginta numero. Luce uero accedente hostes nos acrius, quam præcedēti die oppugnare cœperunt, & tanta illorum aduenerat multitudo, ut illi qui tormētis præerant in illis arte dirigendis diligentia uti nō indigerent, sed tantum uiso indorum agmine ignem tormentis admouere. Et quanquā tormenta illis multum damni inferrent, quatuordecim enim in hostes utebamur tormentis nō enumeratis pixidibus & balistis, ea tamen omnia tam leuia damna tātæ multitudini inferebant, ut nil eis obesse uideremur. Emisso enim tormento, decem aut duodecim interfectis, alij succedebant. Relicto in fortilitio condecenti præsidio, & quod dimitti poterat, illico exiui, & pontes aliquos occupaui, & domos quasdam igne consumpsi, & plures illorum interfecimus, qui eas tueri nitebantur. Verum tanta illorum erat multitudo, quod quamuis maximam stragem illis intulissemus, eorum tamē uires parum minui uidebantur. Nos enim continuo integro die certare cogebamur, illi uero per horas, quia uicissitudines habebant, & semper abundabant. Eodem quoq; die uulnera intulerunt quinquaginta aut sexaginta Hispanis, quamuis nullus obierit. In noctem usq; pugnauimus, et lassi retrocessimus ad fortilitium. Considerato maximo damno ab hostibus nobis illato, & quod hostes nos tuto loco consistentes uulnerabant, & interficiebant, & damnum quod illis inferebamus, non uidebatur cum tanta eorum esset multitudo, eam noctem & sequentem diem in machinis tribus ligneis conficiendis, & construendis consumpsimus, quorum quælibet intra se milites uiginti continere

B poterat, ut eos lapidibus, quos à subdialibus pauimentis iaciebant, offendere non possent. Aliqui intus existentes pixidibus aut balistis, reliqui uero acutis ferreis malleis, ligonibus, & massis ferreis ad effodiendas domos, destruendosq; aggeres per eos in uicis positos utebātur. Cum machinis conficiendis operam sedulo impenderemus, hostes nihilominus nos oppugnare non desistebant, adeo ut dum nos fortilitio non exiremus, illi illud ingredi totis uiribus nitebantur, quibus ne ingrederentur maximo cum labore uix restitimus. Dictus autem Muteezuma, qui semper apud nos remanserat una cum filio et multis proceribus, qui à principio detenti fuerant, dixit, ut illum ad subdialia pauimenta fortilitij deduceremus: alloqui enim constituerat duces illius multitudinis & sperabat ita efficere, quod desisterent ab ea oppugnatione. Extrahendum eum commisi, qui cum peruenisset ad fornicem, ut ab eo illos alloqueretur, sui eius caput lapide percussere, & tam uiolenti uulnere est affectus, quod trium dierum spacio ab humanis excessit. Quem extrahendum è fortilitio imposui duobus Indis, quos captiuos detinebam qui illum multitudini apportarunt: quid tamen fuerit actum, ignoro. Proptetea tamen oppugnatio non cessauit, & indies augebatur, & acrior, maiorq; reddebatur. Eo ipso die me ad eundem fornicem, ubi dominum Muteezuma uulnerarant, uocauerunt asserentes eo accederē, quia quidam ex illorum ducibus mecum colloqui desiderabant. Et ita feci, multaq; fuimus colloquuti, & interrogaui, cur me oppugnarent, cum nullam causam haberent, prospicerentq; bona, quæ à me habuerant & quam me secum bene gessissem. Respondebant, si prouincia uellem excedere, illico cessatura esset oppugnatio. Alioqui ratum haberem, aut eos omnes perituros aut nos penitus eradicaturos. Qui, ut postea apparuit, ea proferebant, ut fortilitio excederem, & me in egressu ciuitatis intra pontes pro libito interciperent. Respondi, eos cogitare non oportere, quod ideo pacem ab eis impetrarem,

Muteezuma à suis uulneratus moritur

trarem, quia in aliquo timerem, sed ea tantum causa, quia dolebam, & moleste ferebam à me illis illatum damnum, & quod tam celebrem ciuitatem destruere cogerer, qualis erat illa. Idem præstabant responsum, quod nusquam ab oppugnatione prædicta desistere uellent, nisi ciuitatem exiuissem. Perfectis machinis subito exiui, ut subdialia quædam pauimenta expugnarem, & pōtes, præeuntibus Indis, & post eos quatuor tormentis, multisq; alijs balistis & parmis utentibus, & plus tribus millibus Indis, qui mecum aduenerant ex prouincijs Tascaltecal, & Hispanis inseruiebant. Et postquam peruenimus ad pontem, machinas parietibus applicuimus quorundam pauimentorum, & scalas, quas ad ascensum attuleramus. Sed tanta multitudo hominum dictum pontem tutabatur, & pauimenta, & tam crebri & ponderosi erant lapides, qui ab eis ui iaciebantur, quod machinas nostras dissiparunt, & Hispanum unum interfecerunt, & plures uulnerarunt. Et quamuis acriter pugnatum fuerit, tamen egressum aliquem habere non potuimus, certauimus enim à summo mane ad meridiem, et maxima repleti mœsticia ad fortilitium deuenimus. Quapropter tantum hostes animis creuere, ut ad portas fortilitij irruerent, & Meschitam illam magnam occupauere, & ampliorem, & editiorem illius turrim forte quingenti uiri ex primatibus conscenderunt, & sibi commeatum amplum constituerunt, ut panis, aquæ, & aliorū esculentorum, & maximam lapidum copiam: quorum maior pars habebat latas hastas cuspidibus ex silice nostris amplioribus, & non minus acutis, & ab ea turri multum officiebant nostris in fortilitio uersantibus, quod eidem adhærebat. Ea turris bis aut ter ab Hispanis frustra oppugnata est, & ut eam ascenderent audacter irruerunt. Verum cum esset excelsa, & ascensu ardua (quæ habebat ultra centum gradus) & superius existentes essent lapidibus muniti, multisq; alijs armorum generibus, & animis aucti, quia eisdem subdialia pauimenta occupare nō potueramus, nunquam Hispanorum aliquis ascendere cœpit, qui rotatim non descenderet, & multis uulnera inferebant. B

Tum illi qui hæc ab his geri uidebant, tantum animi accipiebant, ut in fortilitium irruerent sine timore. Prospiciens, si illi diu possiderēt eam turrim, ultra nobis allata ab eis indies damna animis augerentur, ut nobis obessent, fortilitio exiui. Quanquam sinistra manu parum utilis ob illatum mihi ab eis primo die uulnus, brachio parma alligata cum quibusdam Hispanis, qui me subsecuti sunt, turri applicui, & radicem illius diligenter circundandā curaui: & illi, qui eam circundabant, nō quiescebant. Imò undiq; certamen cum hostibus committebāt, & ut fauerent existentibus in turri multi accurrerunt. Nos Hispani gradus cepimus ascendere, & quamuis ipsi ascensum maxime tuerentur, tantum tres aut quatuor Hispanos è gradibus eiecerunt Saluatoris nostri auxilio, & beatissimæ matris suę Mariæ, cui dicta turris dicata fuerat, & in ea illius imago apposita, ascendimus, & in superiori parte turris tam acriter certauimus, quod eos coegimus è turri prosilire in quoddam deambulatorium, quod circundabat dictam turrim in latitudinem unius homnis status. Et erant circa eam turrim tria, eidem similia distantia inter se per hominum status fere tres, aliqui uero eorum cecidere à summitate turris ad radicem ipsius, qui ultra ea, quæ casu patiebantur, ibi ab Hispanis necabantur. Illi uero qui in prælibatis de ambulatorijs constiterant, tam acriter nobiscum decertarunt, ut tres consumpserimus horas, antequam illos omnes neci daremus, ex quibus nullus superfuit, sed omnes trucidati fuere. Et fidem uerbis meis adhibeat Sacra Maiestas Vestra, tam ardua res fuit hanc turrim expugnare, quod si deus eisdem uires, & animum non abstulisset, uiginti ex illis facillime mille Hispanis ascensum prohibere potuissent, & si acriter ad necem usque decertauerint. Turri illi, & reliquis omnibus, quæ in dicta Meschita continebantur, ignem inijciendum curaui, ex quibus iam imagines omnes, quas apposueramus, ademerant. Aliquid animi amisere expugnata hac turri, & adeo quod pluribus in locis se maxime re-

re-

A remisere, & eo instanti redij ad illud subdiale pauimentum, & accersiui eos duces, qui prius fuerant me allocuti, qui uidebantur aliquantulum animo remissiori ob ea, quæ uiderant, qui eodem instanti applicuere. Et eos mihi iam obsistere non posse demonstraui, & quod nos singulo quoque die eisdem plurimum damni inferremus, & ex eis plurimi caderent, & eorum celebrem ciuitatem combureremus, destrueremus'que, nec cessaturi essemus, donec aliquid ex ea & illis aliquid superesset. Responderunt, se optime cernere à nobis damnum ingens pati, & multos ex eis perire, tamen eos decreuisse nos omnino interficere. Et dicebant ut prospicerem uicos, plateas, & subdialia illa pauimenta uiris maxime referta, quia computasse asserebant, si ex eis uiginti millia caderent, & ex nostris unus, quod cito nos in nihilum deducerent, asserentes nos esse paucos numero, illos uero sine numero, & nobis significabant uias omnes stratas esse demolitas, quemadmodum re ipsa euenerat, quia omnes præter unam erant demolitæ, & nulla ex parte nobis patebat iter, nisi aqua & optime scire possent nos commeatu non abundare, & aqua, & nos diu obsistere non posse, quoniam fame periremus, dato quod ipsi nos non interficerent. Et uere uera proferebant quia si aliam oppugnationem non habuissemus præter famem, annonę commeatuum'que caritatem, satis erant, ut mori cogeremur. Diu altercati fuimus, & quilibet causam suam tuebatur. Nocte uero secuta egressus sum quibusdam Hispanis comitantibus, & eos incautos offendens ui uicum occupauimus, & in eo igne consumpsimus ultra trecentas domos: dum ad eum multitudo conflueret, per alium reuersus sum, & eo pacto combussimus plures domos illius uici, & præsertim quædam subdialia pauimenta proxima fortilitio nostro, ex quibus maxime nos offendebant. Et ex gestis

B illius noctis aliquid timoris illis incussimus, & nocte eadem illas ligneas machinas reficiendas curaui, quas alio die nobis dissipauerant, ut uictoriæ incumberemus, quam omnipotens condonabat. Exiui ad eundem uicum, in quo hesterna die nobis machinas destruxerant, ubi non minus acriter, & uiriliter obstiterunt, & tamen cum ageretur de uita, & honore, quia ea erat unica integra strata uia, ex illis quæ ducebāt in continentem, quamuis priusquam ad eam deuenire potuissemus, intercederent duo maximi & profundi pontes, & uicus omnis multis & excelsis parietibus, domibus & turribus munitus, tantum uigoris & animi nobis refulsit sic'que certauimus, ut deo auxilium & opem ferente quatuor ea die ex pontibus occupauerimus, & ea omnia subdialia pauimenta, domus, & turres, usque ad ultimam eorum combustæ sunt, quanquam fecerant nocte antecedenti plures aggeres lateribus crudis & creta fabricatos in dictis pōtibus ob ea quæ sucesserant nocte antecedenti, adeo, ut tormenta, & balistæ sibi obesse nō possent, quos quatuor pontes terra oppleuimus, & crudis illis lateribus & plurimis lapidibus & tignis combustarum domuum: tamen non potuit fieri tantum sine periculo, ut multi Hispani non uulnerarentur. Magnam adhibui diligentiam ea nocte in custodiendis illis pontibus, ne denuo nobis eos occuparent. Alia die summo mane exiui, & deus omnipotens eundem bonum successum concessit, quoniam quamuis multitudo esset innumera, quæ alios pontes tueretur, fossæ'que & maximi aggeres, quos illi nocte ea erexerant, intercederent, nos eosdem cepimus & impleuimus, & equestrium aliqui eos insecuti sunt uictoriæ inhærentes in continentem usque. Dum ego aptandos eos pontes, & replendos curarem, uenerunt me uocatum summa celeritate asserentes indos, qui oppugnauerant fortilitium, concordiam cupere, & pacem, & eos expectare quosdam eorum dominos, & duces. Ibi relictis omnibus commilitonibus, & quibusdam tormentis omni equitatu profectus sum uisum, quid nam illi proceres cuperent: qui asserere, si eis fidem præstarem eos de perpetratis impunes dimittere, ipsi me ulterius non oppugnarent, denuoq; pontes, & demolitas stratas uias reficien-

das curarent, & Maiestati Vestræ, ut antea fecerant, inseruirent, & ut eo adducendum curarem quendam ex religiosis suis apud me captiuum, quem illi ueluti generalem suæ religionis uenerantur. Qui aduenit, & illos allocutus inter illos & me pactũ sanciuit, et illico uisum est (ut ipse asserebat) nunciasse Ducibus multitudinis in stationibus collocatis, ut à dicti fortilitij oppugnatione abstinerent, & ab omni alia offensione, & eo pacto discessimus. Ingressus fortilitium prandere cœperam, maxima festinatione mihi allatum est, Indos denuo pontes occupasse, quos eo die ab eorum manibus acquisiueramus, & quosdam Hispanos occidisse, quo nuncio quantum mihi mœroris accesserit, Deus testis est, ratus enim fueram occupatis pontibus, cum mihi egressus ad continentem pateret, maximum negocium non superesse, maiori, qua fieri potuit celeritate eo equitaui, atque quo potui celerius cum aliquibus equitibus, qui me subsecuti fuerant, totum illud iter emensus sum, & nullo in loco moram trahens denuo in medios Indos irrui, & omnes pontes iam dictos occupaui, & eos usque in continentem insecutus fui. Et cum mei pedites essent ex labore lassati, uulneribus affecti & timore perculsi, & præsens periculum conspicerent, nullus eorum me subsecutus est. Vnde factum est, cum uellem postea pedem referre, pontes iam ab Indis occupatos offendi, exemerantque multum illius materiei, qua prædictos pontes oppleueram, et ubique in ciuitate multitudine omnia referta uidebantur, tam terra quam lacu in canois quæ multitudo tam crebro in nos undique tela & lapides immittebat, quod si omnipotens nos miraculose non seruasset ab eo periculo, euadere non erat possibile. Et iã publice fama uagabatur inter Hispanos qui in ciuitate remanserant, me iam uita functum. Et perueni ad ultimum pontem ciuitati proximum, comperi equites omnes, qui mecum profecti fuerant in eum dilapsos & equum unũ cui nullus insidebat, quem transire non eualui. Itaque coactus sui ipse unus impetum in hostes facere, & eo modo tantum spacij relictum est equitibus, ut pontem superarent. Inueni pontem uacuum & transilij, magno tamen periculo, quia locus ab utraque pontis parte ferme ad hominis statum è quo transiliundus erat, & dum è ponte exirem, me, & equum lapidibus & fustibus percussere tamen quia armis optimis fulciebamur, ultra dolorem in ipso ictu passum, nil mali ulterius intulere. Quare uictores remansere quatuor occupatis pontibus, & reliquis quatuor pontibus bona relicta custodia, ad fortilitium profectus sum, & ligneum pontem construendum curaui, quem quadraginta homines portare commode poterant. Considerato magno periculo, in quo constituti eramus, & maximo damno nobis quotidie ab Indis illato, & timens ne eam quoque stratam uiam, quæ sola supererat demolirentur, quemadmodum alias demoliti fuerant, qua de molita fame mori cogeremur, & etiam quia multoties à commilitonibus meis monitus fueram, ut à ciuitate discederemus, quia eorum maior pars erat uulnerata, & adeo male, quod ulterius cum hostibus congredi non possen, ea nocte me morem gesturum eis constitui, & accepto Maiestatis Vestræ auro, & emblematibus, quæ extrahi poterant, in aula illa quibusdam sarcinulis officialibus Maiestatis uestræ consignaui, quos ego regali Maiestatis uestræ nomine constitueram, iudicibusque & regentibus & alijs, qui aderant, rogauique eos, & monui, ut operam, & fauorem præstarent ad illa extrahenda, & ad id exhibui eisdem unam meam equam, cui imposuere eam portionem, quam ferre poterat, & Hispanos quosdã tam meos, quam alienos familiares, ut dictam equam comitarentur constitui, reliquum uero dicti auri officiales, iudices, regentes, & ego dedimus, & partiti fuimus inter Hispanos, ut illud extraherent, & relicto fortilitio magnis diuitijs tam uestræ Celsitudinis, quam Hispanonorum, & meis exiuimus secretiori modo, quo potuimus, abduximusque nobiscum unum è filijs, & filias dicti Muteezuma, & Cacamacin dominum in Aculuacan, & ipsius fratrem, quem dominum ipsius loco constitueram,

Expellitur ciuitate Temixtitan Cortesius

ram, & aliarum prouinciarum, & ciuitatum dominos, quos captiuos detinebam. Et cum peruenissem ad pontes per Indos occupatos, in primo iecimus pontem, quem nobiscum portari feceram sine magno labore, nullus enim nobis resistebat, præter uigiles quosdam, qui in eo ponte consederant, per eos acclamatum fuit, & antequam peruenire potuissem ad secundum pontem, innumera hostium multitudo conuenerat, & undique nobis obesse studebat aqua, & terra. Ipse confestim transiui cum quinque equitibus, & forte centum peditibus, quibus natando pontes omnes præteriuimus, eosq; usq; in continentem occupaueram, & peditibus in fronte relictis ad secundum pontem redij ad eos, qui extremo in agmine consistebant, ubi comperi tam acriter decertari, ut exprimi non possit damnum, quod Indi nostris inferebant tam Hispanis quam Indis ex Churultecal, qui nobiscum uenerant, quos pene omnes consumpserant, & etiam interfecerant plures mulieres, quæ Hispanis seruiebant, & Hispanos, & equos, iamque amiserant omne aurum, emblemata, uestes, aliaq; multa, quæ nos extra hebamus, ac tormenta omnia. Collegi eos, qui uiui superarant, & eos anteire iussi, ipse uero comitatus forte quinque equitibus, & septuaginta peditibus, qui mecum permanere ausi sunt, post alios remansi, semper cum hostibus certando, donec peruenimus ad ciuitatem quandam nomine Catacuba, quæ continetur ultra omnem stratam uiam, ubi Deus est testis, quantum laboris, & periculi subierim, quia quotiescumque in hostes irruebam, egrediebar plenus sagittis, & fustibus, & saxis undiq; percussus, quia ab utroque latere erat lacus, & nos existentes in canois tuto uulnerabant. Illi uero, qui terram capiebant, quamprimum ferebar in illos, se aquis committebant, & eo modo parum damni patiebantur nisi aliqui, qui, cum plurima esset multitudo, unus in alium cespitabant, cadebant, & interficiebantur. Eo labore & ærumnis eos omnes conduxi usque ad dictã ciuitatem, & non uulnerarunt nisi unum equestrem, qui mecum proficiscebatur à tergo, & non minori uehementia pugnabatur à fronte, & lateribus, sed maior uis erat in extremo agmine, quia multitudo, quæ erat in ciuitate semper recentior succedebat, & cum uenissem ad dictam ciuitatem Catacuba, cum dies appareret, inueni milites nostros in una ex plateis illius in globum redactos, qui dicebant se ignorare quorsum tenderent, quibus iniunxi, ut festinarent exire ciuitatem, antequam hostes augerentur, & subdialia pauimenta occuparent, quia ex illis plurimum nobis obesse possent. Illi, qui erãt in fronte collocati, dixerũt quorsum irent nescire: hos à tergo collocaui, & ipse à fronte constiti donec exiremus ciuitatem, eoq; ibi quibusdã cultis campis expectaui, & cum eo peruenere qui à tergo remanserant, sciui ipsos maximũ damnum accepisse, interfecerantq; aliquos ex Hispanis, & Indis, multumq; auri in itinere remanserat, quod hostes colligebant. Et ibi certaui cum Indis, donec mei præirent quos sustinui, donec nostri collem occuparent, in quo erat turris, & hospitium satis munitum, quod occuparunt sine nostro damno, quia inde non discessi, nec hostes progredi passus sum, donec illi collem ascendissent. Vbi Deus est testis, quem laborem sustinuerimus, quia iam ex equis, qui numero uiginti quatuor superarant, nullus poterat curere, nec eques, qui brachia posset extollere, nec aliquis ex peditibus non infirmus, qui posset se ulterius mouere. Ingressi illud hospitium, nos in eo muniuimus, ibi'que obsidebamur usque in noctem, & adeo quod nec per horam quiescere poteramus. Et ex hac perturbatione inuentum est perscrutatione facta qui obierant, ex Hispanis perijsse homines centum & quinquaginta & equas, equos'que quadraginta sex, & plus quam duo milia Indorum, & mulierum Indarum, quæ Hispanis inseruiebant, inter quos interfecere filium & filias domini Muteezuma, & reliquos, quos nobiscum captiuos ducebamus. Media nocte cogitantes nos à nemine audiri à dicto hospitio discessimus tacite in eo ignes plures relinquẽtes, & nullus inter nos

fuerat, qui sciret ubi essemus, aut quorsum tendere deberemus, nisi unus ex regione Tascaltecal, qui asserebat se nos ducturum in suam regionē, ni iter nobis impediretur. Apud iam dictum hospitium multi collocati erant uigi-les, qui ubi nos audierunt, clamauere ad colonias circumuicinas, & ab illis uocata magna Indorū multitudo, nos usq; ad diē insecuta est, et equites quin que qui præcursorum loco anteibant, irruerunt in quoddam agmen Indo-rum, quod erat in itinere sibi obuium factum, & aliquos ex eis interfecere qui non seruatis ordinibus dispergebantur, arbitrabantur enim plures equi-tes & pedites subsequi. Quia autem undique augebantur hostes, ex om-nibus militibus qui inter nos erant, magis sanos elegi, & in agmina consti-tui, collocauiq́ue eos à fronte, à tergo, & utroque latere, uulneratos uero in medio stare iussi, & equites partitus sum, & eo ordine tota ea die progres-si fuimus undique certando, adeo quod ea nocte, & tota die non emensi fui-mus plus spacij trium leucarum, & deo sic concedente uidimus nocte iam accedente turrim quandam & optimum hospitium, ubi nos muniuimus, & ea nocte ab oppugnatione destitere, nisi quod fere in aurora habuerimus aliquem tumultum. Quamuis nesciremus quid plus nobis esset metuendum quā timebamus ex multitudine, quæ nos insequebatur. Sequenti die prima ora diei ordine iā dicto discessi deducens milites à tergo, & in fronte colloca tos paratos. Ab utroque tamen latere hostes nos insequebant̄ uociferantes, & clamantes per uniuersam illam prouinciam quæ est maxime habitata. E-questres, quamuis essemus pauci numero, in eos irruebamus, parum tamen damni illis inferebamus, quia cum collis ille esset asper sese in collem reci-piebant, & sic iuimus eo die ad latus quorundam lacuum, donec perueni-remus ad quandam coloniam, ubi aliquam controuersiam habere putaba-mus cum incolis illius. At quamprimū ad eam peruenimus, illi relictis do-mibus ad alias colonias profecti sunt circumuicinas, & ibi eo die, & sequēti B
moram traximus, quia tam sani, quam infirmi erant lassati, & labore, fame, & siti maxime confecti, & equi non poterant se substinere, & ibi inuenimus aliquod Maiz, ex quo comedimus, & portauimus nobiscum in itinere eli-xum & torrefactum: & postero die discessi, semper hostibus nos insequenti-bus, qui nos à tergo & fronte continuo inuadebant uociferantes, & secuti fuimus illud iter, per quod incola è Tascaltecal nos deducebat, in quo fui-mus uarios labores, & erumnas passi, quia multoties cogebamur exire, & de-uiare à recto itinere. Et cum iam aduesperasceret, deuenimus ad planiciem quandam, in qua aliquæ paruæ erant habitationes & ea nocte ibi fuimus ho-spitati summa egestate & pænuria cibariorum, & commeatuum, & alio die summo mane cœpimus nos ad iter dirigere, & adhuc iter ingressi non fueramus, cum hostes à tergo nos insequi cœpere, & leuia prælia cum his committendo deuenimus ad magnam coloniam, & ad dextrum latus illius insidebant aliqui Indi paruo collis uertice, nos arbitrantes eos capere pos-se, erant enim proximi itineri, & etiam ut exploratum haberemus, an es-sent plures, quam apparebant, illuc quinque equitibus, & peditibus duo-decim comitatus profectus sum ambiendo collem iam dictum: post quem erat maxima hominum multitudo, in insidijs collocata, quibuscum tan-tum certauimus, quod cum locus, in quo constiterant, esset aliquantulum asper, & saxosus, & gens illa innumera, & nos pauci, necesse fuit nos re-trocedere ad coloniam, ubi nostri existebant, & inde discessi male uulne-ratus geminis lapidum ictibus, & post ligata uulnera Hispanos è colonia migrare iussi, quia hospitium nobis non uidebatur esse tutum, & sic pro-cedendo insequentibus Indis processimus ad aliam coloniam, quæ ab ante dicta per duas leucas distat: & ibi in itinere nos aggressi sunt alij Indi sine nu-mero, qui nobiscum adeo certarunt, ut quatuor aut quinque Hispanos, & totidem equos uulnerarent, & equum unum interficerent, & quamuis eius defectus maximo nobis esset incommodo, & eius mortem ægre tulis-

semus,

semus, quia post Deum nullam tutelam habebamus, nisi equos, nos maxime refecit, eius carnes, & coriũ comedimus, ut ex eo nil superesset, tanta enim opprimebamur fame, quia post nostrum à magna ciuitate discessum, nil præter elixum, & torrefactum Maiz comederamus & non semper utebamur ad saturitatem, herbasq́; quas colligebamus ex campis. Porro cõsiderato, quod indies hostium copiæ augebantur nosq́; indies minuebamur, ea nocte curaui uulneratos, & infirmos quos ducebamus, equis insidere iussi, alijs uero aduncos scipiones brachijs submittendos, & alia auxilij genera ad iter faciundum fabricanda curaui, quo Hispani nulla aduersa ualetudine, aut uulneribus affecti, essent liberi ad pugnam. Equidem arbitror à Deo mihi infusam hanc prouidentiam, ut sequenti die euenit, quia cum eo mane à dicto hospitio discessissem, nos magna & innumera Indorum multitudo aggressa est & tanta à tergo, à frõte, & ab utroq; latere, quod nil ex campis, qui mihi in conspectu erant, uacuum uiderem, qui nobiscum tam acriter undiq; certamen iniuere, ut nos ad inuicem noscere non possemus, tam iuncti, & mixti profiscicebamur, & profecto credidimus illum supremum esse diem uitæ, omnium considerata hostium multitudine, & leuitate, quam ad eis obsistendum in nobis inuenere, cum omnes pene uulnerati essemus, atq; exanimati, tamẽ omnipotens magnam suam misericordiã nobiscum demonstrare dignatus est, quia nostra lassitudine illorũ ferociam confregimus, & superbiam, & ex illis plurimi periere primates, quia tanta eorum erat copia, ut certando, & audiendo impedirẽtur: & hoc labore profecti fuimus magna portione diei, donec omnipotens concesserit eum, qui inter hostes primus esse debebat, interfici, eo enim adempto omnis cessauit oppugnatio, & eo modo aliquantulum fuimus quietiores, quamuis semper mordendo nos insecuti fuerint, usq; ad quandam paruam domum, quæ erat in planicie, ubi ea nocte hospitati fuimus sub dio, unde prospectabamus quosdam montes ex prouincia illorum è Tascaltecal, qua ex re non parum uoluptatis accepimus, quia cognoscebamus prouinciam, & sciebamus quorsum tendere deberemus, quamuis pro comperto non haberemus Incolas illius prouinciæ fidos nobis amicos, credebamus enim quod cum nos adeo debiles cernerent, illi esse deberent, qui uitæ nostræ finem imponerent, ut pristina potirentur libertate, quæ suspitio tantum nobis afflictionis attulit, quantum sustinebamus, quando cum hostibus certauimus. Die sequenti, cum illucesceret, cœpimus ingredi per iter planum, quo recto tramite proficiscebatur ad prouinciã Tascaltecal, per quod pauci ex hostibus nos subsecuti sunt, quamuis ibi uicinæ essent plurimæ & maximæ coloniæ, tamen ex eis paruis colliculis quidam tam à tergo quã longe uociferabant. Et sic exiuimus eo die, qui fuit dominica VIII. Iulij. Anno. M.D.XX. ex omni prouincia Culua, & peruenimus ad loca dictę prouinciæ Tascaltecal ad coloniam Gualipan quæ ascendit ad quatuor millia domorũ, in qua ab Incolis fuimus optime recepti, & refecimus nos aliquantulum à fame & lassitudine quã patiebamur, quanquam multa ex esculentis quæ nobis porrigebant, ea duce pecunia concedebant, aliqui etiam uolebãt nisi aurum, & illud dare cogebamur necessitate impulsi, qua premebamur. Hic fuimus tribus diebus, quo me uisum uenere Magiscacin, Secutengal, & omnes domini illarum prouinciarum, & me solari conati sunt circa ea quæ nobis euenerant, asserentes eos sæpius significasse mihi eos è Culua proditores esse, mihiq́; ab illis cauere deberem: tamen nunquam fidem adhibere uolueram. Sed postquam uita euaseram, deberem lætari, quia mihi opem ferre uellent, dum eis uita superesset, ut reficerent me à damno, quod illi è Culua mihi intulerant, quia ultra uinculum, quod erant Celsitudinis V. subditi, indolebant & tristabantur morte plurimorũ fratrum, et liberorũ suorum, qui ab eis in mea societate fuerãt interempti, uarijsq; alijs iniurijs transactis temporibus ab illis eis illatis, & uere animo conciperem eos futuros fidos mihi, & uere amicos. Et quia ego & reliqui omnes socij mei eramus uulnerati, proficiscere-

ficiſceremur ad ciuitatē, quæ aberat ab ea colonia per leucas quatuor, ibiq; quieſceremus, curarentq; nobis medicamina adhiberi, ut reficeremur à noſtris laboribus & laſſitudine. Eis gratias egi, & rogationi eorū acquieui, & eis impertitus fui emblemata aliqua ex illis quæ attuleramus, quamuis pauca quibus maxime lætati ſunt, & profectus ſum cum eis ad ciuitatem, & ſortiti fuimus bonū hoſpitium, & Magiſcacin afferri curauit lectiſternium ex lignis compactum cum aliquibus ornamentis, quibus illi utuntur, in quo dormiui, quia nullum nobiſcum attuleramus, & omnia quæ habebat & potuit ad noſtri refectionē impertitus eſt. In hac ciuitate quidā familiares mei, & alij ex ſocietate mea cum tranſibam iter faciens ad ciuitatē Temixtitan, quædam dimiſere, quæ fuerunt argentū, ueſtes, & alia ornamenta domeſtica & comeſtibilia aliqua, quæ mecum adducere faciebam, quo expeditiores eſſemus in itinere, ſi aliqua nobis euenirēt, ut nullo præmerentur pondere, niſi ueſtium ſuarum & armorum, & eo loci percepi alium familiarem meum à ciuitate ueræ Crucis profectū commeatum, & alia plura ad me perferentem, & cum eo fuiſſe quinq; equites, & pedites quadraginta quinq; aduerſa ualetudine oppreſſos, qui ſimiliter adduxerant quædam, quæ ibi remanſerant, & iam conualuerant, & omne argentum, & alia tam mea, quam ſociorum meorum, ſepties mille pondera auri fuſi. Continet autem auri pondus ualorem circiter duorum florenorum, quæ ibi reliqueram duabus capſis, & alia emblemata, & ultra alia quatuordecim millia Caſtellanorum aurea in fruſta, quæ habuerat in prouincia Teuchitibeq; illæ præfectus, quem mittebam ad coloniam erigendam in Quacucalco, & ea ibidem dimiſerat, & alia m alta ad ualorem ultra triginta millia pondera auri. Sed dicti Indi e Culua illum, cum dictis Hiſpanis interfecerant in itinere, & eis abſtulerant omnia, quæ adducebant, & aliquas ſcripturas, quas congeſſeram cum iſtarum prouinciarum Incolis. Et ſimiliter percepi illos interfeciſſe Hiſpanos plures in itinere, qui iter faciebant ad ciuitatem Temixtitan, arbitrantes me ibi pacifice degere, & itinera eſſe tuta ut prius habere ſolebam. Quare (uera affero Maieſtati Veſtræ) tantum omnes triſtabamur, & dolebamus, ut plus dolere, & triſtari non poſſemus, quia præter Hiſpanorum amiſſionem, & ea, quæ fuere deperdita, quæ multa fuere, in memoriam ſuggerebat mortem Hiſpanorum, quos interfecerant in magna ciuitate, & pontibus, & quæ poſtea in itinere ſucceſſerant, & maxime quia ſuſpitionem mihi iniecerant, quod eos quoque aggreſſi fuiſſent, qui remanſerant in ciuitate ueræ Crucis, & illi, qui amici noſtri erant audita noſtri profligatione defeciſſent. Mox igitur expediui quoſdam nuncios cum quibuſdam Indis, qui eos conducerent, quibus iniunxi ut per communia itinera non proficiſcerentur uſque ad dictam ciuitatem, & breui mihi indicarent, quæ ibi agebantur. Et altiſſimo placuit, quod Hiſpani incolumes inuenti ſunt, & omnes incolas, quos amicitia iunctos habebamus pacificos & quietos eſſe, quod nuncium attulit maximum leuamen noſtræ amiſſioni, & triſtitiæ. Ipſi quoque noſtrum ſucceſſum, & profligationem moleſte tulere. Fui in iſta prouincia Taſcaltecal uiginti diebus meis uulneribus medicamina adhiberi curando, ſiquidem propter itineris diuturnitatem, & non adhibita medicamina inoleuerant, & præſertim uulnera capiti illata, & ſimiliter uulneribus ſociorum meorum, quorum aliqui mortui ſunt, partim uulneribus, partim nimijs perpeſſis laboribus, & aliqui remanſere manci, & claudi ob illata magna uulnera, & ad medelam comperiebantur pauca medicamina, & apparatus, ipſe autem remanſi mancus duobus digitis in ſiniſtra manu.

Cum ſocij mei uiderent multos iam perijſſe, & eos qui ſupererant debiles, uulneribuſq; confoſſos, timidiores effecti periculis, & laboribus, in quibus conſtituti fuerant, uentura timentes multoties à me petiere, ut ad ciuitatem ueræ Crucis proficiſcerer, & ibi nos munitos redderemus, antequam

A quam incolę prouinciarum amici nostri cernentes profligationem nostram, & exiguas uires, fœdus inirent cum hostibus nostris, & occuparent fauces, & transitus per quos ire debebamus, & nos aggrederētur ab uno latere, & illi è ciuitate ueræ Crucis ab alio: & cum essemus cōiuncti, & ibi essent naues, essemus tutiores, & melius nos defendere possemus, si nos aggredi uellent, donec ad insulas ad euocandum subsidium mitteremus. Ego autem uidens quod si incolis, & potissimum amicis timorem ostēderem, posset esse causa, quod citius nos desererent, & contra nos insurgerent: & memoria tenens, quod semper audentes fortuna iuuat, & nos esse Christicolas, & fretus Diuina bonitate, & misericordia, quod ex toto nō periremus, & amitterētur tot, & tam nobiles prouinciæ, quas Maiestati Vestrę tam pacifice possidebam, & in eo statu, ut eas pacaremus, nec tale seruitium desereretur, quod fiebat, bellum continuando, Cuius belli gratia sequi debebat omnium illarum prouinciarum pacatio, ut prius fuerat. Propterea montes uersus mare nullo pacto transire constitui, omnibus laboribus, qui nobis euenire possent, postpositis, dixiq; me à bello hoc non destiturum, quia in eo ultra ignominiam, & dedecus personæ meæ & socijs meis impingendum, erat res Maiest. Vestræ admodum periculosa, & contra eandem conspirare uidebamur. Imo decreueram, quibuscunq; modis mihi possibilibus in hostes reuerti, eisq; inquantum possem obesse. Et sic consumptis in hac Prouincia uiginti diebus, nondum pristinæ pœnitus à uulneribus restitutus sanitati, socijs debilibus, eam exiui prouinciam ad aliam, quæ Tepeaca appellatur, quæ iuncta erat fœdere & factione cum incolis è Culua hostium nostrorum, in qua perceperam eos decem Hispanos interfecisse, qui ueniebāt à ciuitate ueræ Crucis ad magnam ciuitatem Temixtitan, per eam enim rectum est ad illam iter, quæ prouincia Tepeaca est contermina, & cōfinia habet cum illis è Tascaltecal, quę
B est amplissima prouincia. In ingressu ad dictam prouinciam Tepeaca obuię nobis ad certandum plurimæ gentes factæ sunt, ingressumq; prohibuerunt, quantum illis fuit possibile, insistendo locis difficilibus & munitis, & ne insistam recensendo sigillatim omnia quæ nobis euenere in bello, maxima enim uterer prolixitate et uolumen multum augerem. Facta monitione, ut uenirent ad obediendum mandatis, quæ nomine Maiestatis Vestræ sibi iniungebantur circa pacem, ea cum adimplere nollent, bella gessimus cum eisdem, & multoties prælia nobiscum commisere, auxilio tamen diuino, & regali Maiestatis Vestræ fato damna eisdem semper intulimus, multosq; neci dedimus, & omni eo bello Hispanum nullum uulnerarunt aut interfecere. Et quanquam ista prouincia est latissima, uiginti tamen dierum spacio multas ciuitates, & colonias eisdem mihi subegeram pacifice, & quiete, & domini & primates earum uenerunt oblatum se in uasallos Maiest. Vestræ, & ab illis omnibus multos è Culua expuli, qui uenerant ad eam prouinciam, ut incolarum eiusdem animos ad bellum gerendum inflāmarent, obstandumq; quod ui nec sponte nostra coniungerentur amicitia. Adeo quod hactenus semper impeditus fui in hoc bello, quod adhuc non est cōfectum, quia adhuc quædam uillæ & coloniæ pacandæ supersunt, quas spero breui diuino aspirante fauore, regali Maiestatis Vestræ dominino subijcere, In quadam istius prouinciæ portione, ubi interfecere illos decem Hispanos, quosdam ex incolis seruituti ascripsi, ex quibus quinta portio Maiestatis Vestræ officialibus consignata fuit, quia incolę in ea semper fuerunt Martiales & multum rebelles, & armorum ui capti fuere, & ultra illud facinus commissum interficiendi Hispanos, & deficiendi à Maiestate Vestra omnes carnibus humanis uescuntur, & quia hoc publice & notorie patet, aliquid in signum ueritatis Maiestati Vestræ non transmitto, & etiam mouit me, ut illos seruituti ascriberem, quo timorem aliquem incolis è Culua inijcerem, sunt enim ea in prouincia multi his non dissimiles, & si forte seuere in eos nō animaduerteretur, nunq; à malo discederent. In hoc bello nobis opitulati sunt incolæ è Tascal-

tecal, Churultecal, & Guasucingo qui nobiscum amicitiam confirmarunt, & credimus quod semper inseruient tanquam fideles Maiestatis Vestræ uasalli. Cum degeremus in hac prouincia Tepeaca hoc impliciti bello, mihi literæ à ciuitate Veræ Crucis redditæ sunt, quibus me certiorē reddebāt duas Francisci de Garai ad portū Veræ Crucis naues applicuisse profligatas, & ut apparet iam dictus Franciscus de Garai denuo miserat ad illud flumen, de quo iā superius mentionē feci Maiestati Vestræ, & incolæ illius prouinciæ cū eis certauerāt, & ex illis sedecim aut septemdecim interfecerant & plures uulnerauerant, & septē equos interfecerant & illi qui euaserant natādo, naues ingressi fuerant, & salutem fuga sibi comparauerant, & præfectus & illi erant maxime oppressi, & uulneribus affecti, & locumtenens quem ibi præfeceram, eos benigne exceperat, & medicamina eisdem adhiberi curauerat, & ut melius conualescerent, miserat aliquam partem Hispanorum prædictorum ad quendam dominum illius prouinciæ uicinum dictæ ciuitati, & nobis amicum, ubi optime eis prouidebat. Quod nobis non minus molestum fuit audire, quam nostri perpessi labores. Et forte ea sibi non euenissent, si alias ad me profectus esset ut superius retuli Maiestati Vestræ, quia cum cognoscerem omnia quæ sunt in istis prouincijs, potuissent à me reddi certiores, & ea quæ sibi euenere nō successissent. Illius enim fluuij dominus & prouinciæ qui uocabatur Panuco, sese Maiestati Vestræ subdiderat, & in signū obedientiæ nuncios suos cū muneribus quibusdam transmiserat ad ciuitatē Temixtitan, ut dixi superius Cel. V. scripsi quod si ille præfectus dicti Francisci de Garai uellet abire & illis modis omnibus faueret, opem ferret, ut illi cum suis nauibus possent se expedire. A

Postquam quietam reddideram portionem istius prouinciæ, quæ adhuc quieta est, & subiacet regali seruitio Celsitudinis Vestræ, sui officiales, & ipse multoties consuluimus, quis nam ordo pro istius prouinciæ cōseruatione esset adhibendus. Cum prospicerem incolas dictæ prouinciæ postquā illi sese Celsitudini Vestrę subdiderāt, ab eadem defecisse, & dictos Hispanos neci dedisse, & etiam quia per eam prouinciam est iter, & transitus omnium commertiorum à portubus maritimis ad reliquas prouincias in continenti illo sitas, & si dicta prouincia sola remaneret, sicuti prius, incolæ prouinciæ & Dominium è Culua, quod est illis conterminum, denuo eos inducerent, & persuaderent, ut iterum in nos insurgerent, & à Maiestate Vestra deficerent. Vnde impedimentum, & damnum incredibile insurgeret pro tutela harum prouinciarum, & seruitio Celsitudinis Vestrę, & cessarent commertia, maxime, quia in toto eo littore non habentur nisi duo portus, & hi multum asperi & difficiles qui sunt proximi illi prouinciæ, & facile incolæ ipsius ad eos descendere possunt, Propter ea, & alias multas rationes ad rem facientes nobis uisum est ad supra dicta euitanda, quod loco magis apto illius prouinciæ Tepeaca ciuitas ędificari deberet, ubi concurrerent qualitates, & necessaria pro illius habitatoribus, & ut executioni mandaremus ciuitatem finium securitatem appellauimus, & constitui iudices, regentes, aliosq; officiales sicuti fieri solitum est, & pro maiori munimine incolarum huius ciuitatis in eum locum, ubi cœpta est ædificari ciuitas, necessaria ad arcem construendam apportari curaui, hac enim in prouincia optima inueniuntur, & in hoc maiori quam potero utar diligentia. B

Dum hanc relationem scriptis mandarem, ad me nuncij Domini cuiusdā ciuitatis profecti sunt, quæ abesse dicitur per leucas quindecim ab hac prouincia quæ uocatur Guacachula, & est in fauce unius montis, qua transitur ad prouinciam nominatam Messico, & mihi eorū nomine exposuere, quod à paucis diebus uenerant ad exhibendam obedientiā Sacrę Maiestati Vest. debitam, & se in subditos & Vasallos subdiderant, & eos non arguerem ratus eius consensu fore, quia me certiorem faciebant plures militum præfectos è Culua ea in ciuitate hospitari, & in ea, & per leucam in circuitu erant

A in armis uiginti & quinq;, aut triginta millia hominum custodientes fauces, & transitum, ne illac transire possemus, & etiam, ut prohiberēt incolas dictæ ciuitatis, & aliarum prouinciarum eidem adhærentium, ne Celsitudini Vestræ inseruirent, nec mecum amicitia coniungerentur: & aliqui iam aduenissent ad Regale Maiestatis Vestrę seruitium, nisi illi obstitissent. Et me monebant, ut huic rei remedium afferrem, qui ultra impedimentum præstitum, illis, qui bono erant animo, dictæ ciuitatis incolæ, & circumuicini omnes maximam iacturam patiebantur, cum innumera esset multitudo bello apta, & plurimum grauabantur, & ab eis male habebātur, & eorum bona, & uxores accipiebant, & alia, uiderem quid eis faciundum committerem. Subiunxere, si eis fauorem præstarem, ea ipsi exequerentur, & postquam eis gratias egi de sua monitione, & oblatione, eis consignaui equites tredecim, pedites ducentos, & triginta millia Indorum nobis amicorum, & composuerunt se eos ducturos per locum, ubi ad hostium aures peruenire non posset. Vbi autem peruenerint prope ciuitatem, Dominus & illius incolæ uasalli & fœdere secum iuncti, essent circumdaturi & oppugnaturi hospitia, ubi præfati præfecti hospitabātur, illosq; aut capturi aut interfecturi, antequam sui ipsis opem ferre possent, & cum multitudo compareret, illi Hispani iam ingressi ciuitatem, certaturi essent cum illis, & eo pacto futurū, ut eos debellaremus. Illi igitur discedentes transiuerūt per ciuitatem Churultecal, & per aliquam partem prouinciæ Guasucingo, quæ est contermina prouinciæ huius ciuitatis Guacachula, per quatuor leucas ab illa, & in quadam colonia dictæ prouinciæ Guasucingo fertur relatum fuisse Hispanis, quod incolæ dictæ prouincię essent fœdere iuncti illis è Guacachula, et illis è Culua, et eo pretextu ducerent Hispanos ad eam ciuitatem, ut simul omnes Hispanos aggrederentur, & eos neci traderēt. Et cum iam timor insurgeret, quē illi è Culua in sua prouincia, & ciuitate nobis incussere, ista relatio multum timoris attulit Hi-
B spanis, & inuestigarunt suam'que habuerunt quæstionem, & postquam resciuere, captiuarunt omnes dominos ex Guasucingo, qui secum proficiscebantur unà cum nuntiis ciuitatis Guacachula, & eis captis reuersi sunt ad ciuitatem Churultecal, quæ aberat quatuor leucarum spacio ab eo loco, & inde ad me miserunt omnes captiuos cum quibusdam equitibus & peditibus una cum habita informatione. Et scribebant præfecti, quod nostri milites adeo erant effecti timidi, uidebaturq; eisdē bellum illud periculosum, & postquam aduenere quotidianis interpretibus adhibitis eos sum allocutus, et habita diligētia exacta ad ueritatem eruendā uisum est Hispanos non bene percepisse, eosq; illico solui mandaui, & illis blanditus sum affirmādo me penitus credere eos fideles Ma. V. uasallos, & ipse uolebam proficisci ad debellandos illos è Culua, & ne pusillanimitatem, aut timorem præ me ferre uiderer incolis prouinciarū tā amicis quam hostibus, uisum est, ut postquā bellum eis inferre cœperam, ab eo non desisterem, & ut timorem, quem Hispanis incussum cernebam, eximerem, constitui dimittere negocia & expeditiones, quibus operam dabam pro M. V. & ilico celerius quam potui discessi, & eo die perrexi ad ciuitatem Churultecal, quæ abest per leucas octo ab ea ciuitate, ibiq; Hispanos conueni adhuc asserentes se proditionem pro comperto habere, eodem die hospitatus sum in colonia subiecta prouinciæ Guasacingo, ubi domini illi fuerant captiuati, & sequenti die composito ordine cum nuntiis è Guacachula, & quomodo dictam ciuitatem ingredi debebamus, discessi ab illa per horam ante lucem, & pene hora decima diei peruenimus prope eam, ad quam proficiscebamur, & per leucam obuii mihi facti sunt, ut me exciperent, nuncii quidam Domini dictæ ciuitatis, & nuntiarunt omnem ciuitatem iam negotio esse accinctam, & hostes aduentum meum non percepisse, quoniam exploratores quosdam, quos in itinere collocauerant ex incolis ciuitatis, captiuos fecerant, & pariformiter alios, quos præfecti à Culua turres ascendere iusserant, & mœnia ut inde per planiciem inspe

ſpectarent, & ea propter omnis hoſtium multitudo imparata, & ocioſa exi ſtebat excubijs collocatis confidens, quod ſine earum ſcitu appropinquare non poſſem. Idcirco etiam feſtinaui, ut eo peruenirem antequam aduentare nos perciperent, iter enim in planicie faciebamus, & à ciuitate nos facilime uidere poterant, & ut apparuit fuimus ab incolis ciuitatis uiſi, qui cernentes prope ciuitatem nos eſſe, illico hoſpitia, in quibus erant præfecti hoſtiũ è Culua, circumdedere & cœpere certare cum reliquis, qui hoſpitabantur per ciuitatem, & cum ad iactum baliſtę ab ea abeſſem, mihi obuiam ducebãt quadraginta captiuos, ſemper tamen ciuitatem ingredi feſtinaui. Inerant ciuitati maximæ uociferationes præliantium cum hoſtibus per uicos omnes. Duce incola ciuitatis deueni ad hoſpitiũ, in quo morabantur præfecti, quod erat circumdatum à tribus millibus hominum certantium & ingredi uolentium, qui occupabant omnia loca alta, & ſubdialia pauimenta. Præfecti uero et hi qui cum eis comperti ſunt, acriter & uiriliter decertabant ut ingredi non poſſent, quamuis pauci eſſent numero, quia ultra id quod maxime & ſtrenue pugnabant eorum hoſpitium erat munitum, tamen quamprimum illuc peruenimus, intrauimus, & ſecuta nos eſt tanta incolarum dictæ ciuitatis multitudo, ut nullo modo poſſemus opẽ ferre aliquibus è Culua, quo minus ab eis non interficerẽtur, ex eis enim aliquem uiuum capere uolebam, ut fierem certior de ſtatu magnæ ciuitatis, & qui illius dominio potiretur poſt obitum domini Muteezuma, & alia plura ſcire deſiderabam & non eualui aliquem habere præter unum ſemimortuum, à quo factus fui certior, ut infra exponam. In ciuitate autem plures ex eis qui in illa hoſpitabantur interempti ſunt, ſuperſtites uero cum ingreſſus ſum ciuitatem, audito meo aduentu fugierunt eorſum, ubi conſederant præſidia illorum è Culua, & eos inſecuti multos neci dedimus. Iam autem cito auditus eſt tumultus ab his qui in præ ſidio erant (cum in alto & ædito loco conſiſterent) qui ciuitati, & planiciei imminebat circumcirca & ferè tam celeriter uenere ad ciuitatem, ut opem ferrent ſuis, ſicut illi, qui intus erant, exiuerunt: & proficiſcebantur ad triginta millia hominum in eorũ ſubſidium, quę gens erat ornatior quam aliqua, quam hactenus uiderimus. Portabant multa emblemata ex auro, argento, & plumis. Et cum ciuitas ſit ampla, ignem inijcere cœpere per eum locum, per quem ingrediebantur. Quod mihi ab incolis nuntiatum eſt, & ideo cum equitibus progreſſus ſum (pedites enim iam erant labore affecti) & irruimus in eos, hoſtes uero retroceſſere ad difficilem tranſitum, tamen illum occupauimus, & ſecuti fuimus eos in aſcenſu lanceis feriendo multos montem arduum aſcendendo, & adeo arduum quod cum deuenimus ad montis cacumina, nec nos, nec hoſtium aliquis, ſe mouere poterat, & multi ex illis nimio calore oppreſſi moriebantur, ſine aliquo ſibi illato uulnere, & duo ex equis noſtris ſteterunt, quorum alter mortuus eſt. Opem nobis tulere multi Indi ex amicis noſtris, quorum aduentu hoſtibus maximum damnum intulimus, quia cum hoſtes eſſent laſſitudine oppreſſi, noſtri autem à quiete recentes, parum obſtiterunt hoſtes, & adeo, quod campus qui prius uiuis plenus cernebatur eis eſſet uacuus, mortuis autem refertus. Deuenimus ad caſulas, & hoſpitia ab eis nouiter conſtructa in tribus locis, quorum quilibet magnæ coloniæ ſitum occupabat, qui præter milites familiaribus plurimis utebantur, & apparatus pro caſtris multos congeſſerant ibidem, quia inter eos erant plurimi primates, quæ depopulata, & igne conſumpta fuere per Indos nobis amicos, ex quibus (uera refero Maieſtati Veſtrę) conuenerant ad centum millia hominum & ultra, & hac uictoria expulimus omnes hoſtes à prouincia uſq; ad quoſdam tranſitus pontium, & difficiles egreſſus, quos illi occupabant. Nos uero reuerſi ſumus in ciuitatem, ubi ab incolis benigne fuimus recepti, & ibi quieuimus per dies tres, quiete enim agebamus. Interim unius magnæ coloniæ incolæ acceſſere ad me oblatum ſe ſeruitio Celſitudinis Veſtræ, quæ colonia eſt ſita in cacumine montium illorum per leucas duas à caſtris

ſtris

A stris hostium iam dictis, & etiam in ipsius montis radice, unde alias dixi illũ fumeum globum exire, quæ colonia nuncupatur Occupatuio: & asseruere Dominum, qui prius eisdem dominabatur, secutum illos è Culua eo tempore, quo per ea loca fuimus. Ratus nos non prius moraturos, quam ueniremus ad eius coloniam, & iam per multos dies uoluerant meam amicitiam inire, & accessissent ad præstandum obedientiam Maiestati Vestræ, sed Dominus eorũ noluerat, nec passus fuerat, quamuis multoties ab eo petijssent, nunc autem uelle eos Celsitudinis Vestræ seruitio subijci. Ibi remansisse fratrem dicti eorum Domini qui eius semper fuit opinionis, & sententiæ impręsentiarum ille dicto Dominio potiretur. Pateret æquo animo, & quamuis ille reuerteretur consensum non præstarẽ, ut in Dominũ reciperetur, quia nec illi eum reciperent. Respondi, quod & si hactenus secuti fuissent factiones illorum è Culua, defecissentq; à Vestræ Maiestatis seruitio, tamen condonare uellem tam bonis quàm personis eorum, eo quo se excusatum uenientes dixissent dominum defectionis & elationis suæ fuisse autorem. Quamobrem ego nomine Celsitudinis Vestræ præteritis eorum erroribus indulgebam illosq; recipiebam, & admittebam ad eius Regale seruitium, ea quidem conditione, ut si in futurum in huiusmodi errores inciderent, à me grauiter punirentur, castigarenturq;, si uero fideles Celsitudinis Vestræ uasalli existerent, ego regali nomine Maiestatis uestræ maximo fauore & auxilio eos prosequerer. Et tales quidem futuros se polliciti sunt. Ista ciuitas Guacachula sita est in planicie ab uno latere magnis, & asperrimis uerrucis adhærẽs, ab alio uero latere undiq; planiciem circumdãt duo flumina per iactum balistæ inter se distãtia, & eorum quodlibet altissimos habet anfractus, & profundos adeo quod obstantibus dictis anfractibus ad eam ab eo latere pauci sint ingressus, & qui reperiuntur sunt difficiles in ascensu, ut uix equitando superari possint.

B Ciuitas est circumdata munitissimis mœnijs ex politis lapidibus, & calce fabrefactis ad altitudinem quatuor hominis status extra ciuitatem. Intus autem mœnia ferè solũ æquat, & ubiq; mœnijs supereminet murus altus ad dimidium hominis statum circumquaq;, quo eisdem præliantes se tueri ualeant. Habet quatuor ingressus tam latos quantum eques commode ingredi potest, & quilibet ingressus habet tres, aut quatuor reflexus in ipsis mœnijs, ubi pars muri aliam ingreditur, est semper in mœnijs quantitas lapidum maxima, quibus in certamine utantur. Ciuitas autem continet ad quinque, aut sex millia domorum, & sunt in pagis sibi subiectis totidem, & ultra, est maximi ambitus, quia in ea habentur multi hortuli, & fructus uarij. Postquam per dies tres in ea ciuitate nos quieti dedimus, profecti fuimus ad aliam ciuitatem nomine Izzuacan, quæ abest per leucas quatuor à dicta ciuitate Guacachula. Audieram enim plures ex hostibus è Culua in ea in pręsidio contineri, & incolæ ciuitatis, & aliorum circunuicinorum locorum eis subditorum maxime fauebant illis è Culua, quia Dominus illius erat oriundus è Culua, & affinis Domino Muteezuma. Proficiscebantur mecum tot ex Incolis illarum prouinciarum Maiestatis Vestræ uasallis, quod ferè operiebant campos, quos prospicere poteramus, & in rei ueritate confluxerant ultra cẽtum, & uiginti millia hominum. Et deuenimus ad iam dictam ciuitatem Izzuacã hora fere decima: quæ erat uacua mulieribus, & pueris, & consederant in ea quinq;, aut sex millia militum optime ornatorum, & dum Hispani aliquantulum processissent, ciuitatem tueri incœpere, tamen cito eam deseruere. Et quia locus ille, per quem fuimus ducti ut eam ingrederemur, erat mediocris, & facilis, eos per uniuersam ciuitatem fuimus insecuti, & eos ex mœnijs se deijcere coegimus in fluuium, qui ab alio latere totam dictam ciuitatem circundat, cuius fluuij pontes omnes confregerant & deiecerant, & aliquantulũ more traximus in eo tanseundo & eos per leucam cum dimidia, & ultra insecuti fuimus, & ex eis qui fuga salutẽ non compararunt, paucos superfuisse arbitror. In ciuitatem reuersus misi duos ex incolis dictæ ci-

 uitatis,

uitatis, quos captiuos detinebam, ut primates ciuitatis alloquerentur, nam A
eorum Dominus hostes è Culua fuerat secutus, qui ibi in præsidio collocati fuerant, ut illis quo in ciuitatem reuerterentur, suaderent, & ego Vestræ Maiestatis nomine illis pollicebar, quod si in posterum fideles Maiestatis Vestræ uasalli essent futuri à me optime haberentur, & post eorum discessum ad tres dies affuere aliqui ex primatibus dictæ ciuitatis ueniam petentes commissorum, excusantes se aliter facere non potuisse, quoniam domini sui mandata fuerant executi, pollicebanturque quod postquam ille discesserat & eos deseruerat, post hac Maiestati Vestræ optime & fideliter inseruire uelle. Ego eis fidem meam sum pollicitus, & commisi, ut tuto domum reuerterentur, adducerent'que uxores suas & filios qui erant in aliis locis & pagis eiusdem factionis, iussique ut alios quoque Incolas illius prouinciæ alloquerentur, ut ad me proficiscerentur, quia parcerem commissis per eos, nec expectarent, donec aggrederer eos, quia maximum inde damnum essent perpessuri, quod ego moleste ferrem. Et ita euenit, quoniam post duos dies reuersi sunt Incolæ ad dictam ciuitatem Izzuacan, & omnes circumuicinæ coloniæ uenere oblatum seruitium suum Vestræ Maiest. seque in uasallos. Et prouincia illa remansit maximo iuncta fœdere Incolis de Guacachula. Fuit dissensio cui pertineret dominium illius prouinciæ in absentia domini illius, qui discesserat & iuerat ad Mesico, & quanquam aliquæ intercesserant altercationes, & factiones inter filium quendã spurium dicti domini naturalis illius prouinciæ, qui fuerat interfectus à domino Muteezuma, & imposuerant eum, qui modo dominabatur, & collocauerat ei in matrimonium neptem suam, & nepotem dicti naturalis domini filium cuiusdam filiæ legitimæ, quæ erat iuncta matrimonio domino ciuitatis Guacachula, & procreauerat illum filium nepotem domini naturalis de Izzuacan. Tandem inter eos conuentum est, ut ille filius domini Guacachula hæreditate potiretur, qui descendebat à legitima linea ueri domini illius dominii, & quamuis ille alius esset filius, cum esset spurius non debebat succedere in Dominio. Et in mei præsentia obedientiam præstarunt dicto puero, qui ætatis annorum decem erat. Et quoniam non erat ætatis adultæ, ut regnare posset, constituerũt, quod ille eius patruus spurius, & alii tres primates, unus ex ciuitate Guacachula, & duo ex Izzuacan essent gubernatores prouinciæ, puerũque in sua haberent potestate, donec esset ætatis ad regendum aptę. Ista ciuitas Izzuacan habet ad mille & quingentas habitationes, & est egregie constructa in uicis suis. Habebat centum domos ad Meschitas, & oratoria munitissimas cũ suis turribus, quæ omnes combustæ fuere, est aũt sita in planicie ad radicem unius collis mediocris, ubi est munitum fortilitium ab una parte, à parte uero alia planiciem uersus circundatur profundo fluuio, qui præterlabitur mœniis & fluuius anfractu circumdatur, qui maximæ est profunditatis, & anfractui insidet paruus murus ad dimidii hominis status altitudinem, in quo erant multi congesti lapides. Habet uallem rotundam uberrimam fructibus, & bombice, nam in superioribus montibus non nascitur ob ingentia frigora, ibi autem est callidior tellus, & ea ex causa procedit, quia montibus circumdatur, & omnis hæc uallis irrigatur plurimis riuulis bene compositis & paratis, hac in ciuitate moram traxi, dum suæ restituerentur pristinæ habitationi. Illuc accesserunt, ut offerrent se in uasallos M.V. dominus unius ciuitatis, quæ uocatur Guagucingo, & dominus alterius ciuitatis, & sunt per decem leucas ab ista ciuitate Izzuacan, & sunt conterminæ prouinciæ Messico. Venerunt etiam ab octo coloniis illius prouinciæ Caastoaca, quæ est una ex prouinciis de quibus in antecedentibus capitulis memini, quam Hispani uiderãt, quos ad colligendũ aurũ ad prouinciam Cucula miserã, in qua & illa de Tamacula, quæ est sibi cõtigua, dixi esse maximas colonias & bene constructas, & ex melioribus politis lapidibus, quam in aliqua istarum partiũ uiderimus hactenus, quę prouincia Castaoceaca abest quadraginta leucis

A leucis è ciuitate Izzuacan. Incolæ dictarum coloniarum obtulerunt se similiter in uasallos uestræ Celsitudinis, & affirmauere quatuor quoq; esse colonias in dicta prouincia quæ breui uenturæ essent, & à me petierunt, ut illis indulgerem, quod prius non uenerāt, quia prius non ausi fuerāt uenire timore illorum è Culua, quia illi nunquam cepissent arma contra me, nec aliquorum Hispanorum neci interfuissent, imo post prçstitam obedientiam animo semper fuissent boni & fideles Celsitudinis Vestræ uasalli, tamen non ausi fuissent demonstrare metu eorum è Culua, ut prius dixerant: Adeo quod Sacræ Cæsareæ, & Catholicæ Maiestati Vestrę promitto, quod si Deo optimo Maximo placuerit, & Celsitudinis Vestræ fato, breui acquiremus ea quæ amisimus, aut partem eorum quia indies ueniunt plurimæ prouinciæ, & ciuitates oblatum se seruitio Vestræ Celsitudinis, quæ prius subijciebantur Dominio Domini Muteezuma. Et qui id faciunt, benignè à me recipiuntur, & habentur, & qui renuunt, indies destruuntur. Ab eis, qui in ciuitate Guacachula capti fuerant, & præcipue ab eo, quem uulneribus affectū me cepisse memoraui, res ciuitatis Temixtitan sigillatim cognoui, nempe post Domini Muteezuma obitum fratrem eius Dominio potitum Dominum ciuitatis Iztapalapa uocaturq; Cuetrauacin, de quo iam memini, qui ideo successit, quia in pontibus apud ciuitatem Temixtitan desideratus fuerat filius primogenitus dicti Domini Muteezuma: duo uero alij, qui uiuebant erant dominij incapaces, alterum enim fatuū, alterū paralyticū asserebant: propterea fertur fratrem suū alterū Dominio potitum, & etiā quia nobis bellum intulerat, & habebatur uir strenuus, martialis, pariter, & sapiens, & audiui quod ipsi muniebant tam magnam ciuitatem, quam alia loca Dominij sui, & noua multis in locis mœnia construebant, & fossas, & præparabant multa genera armorum, & præsertim longas lanceas, quas picas appellamus, contra equos, è quibus aliquas uidimus, quæ in ista prouincia Tepeaca repertæ sunt aliquæ, quibus nobiscum pugnabant in illis magnis habitationibus, in quibus hospitabantur in Guacachula, & similiter inuenimus quasdam ex eis in dictis hospitijs. Et alia plurima cognoui, quæ ne tædio sim Celsitudini Vestræ, prætermitto. Mitto ad Insulam Hispanam naues quatuor, ut illico acceptis militibus, & equis in nostrum subsidium reuertantur, & alias quatuor, ut in indicta Insula emant equos, arma balistas, & puluerē ad tormenta, quia istis in partibus magis indigemus, pedites enim tanta multitudine prementе parmis breuibus parum prosunt, habenturq; in his partibus tot munitæ, amplæ, & egregiæ ciuitates, & fortilitia. Scribo præterea Licentiato Rodorico de figueroa, & officialibus Vestræ Celsitudinis, qui resident in dicta Hispana insula, ut huic negotio omnem fauorem & possibilem operam exhibeant, cum illud conducat seruitio Vestræ Celsitudinis & conseruationi eorum quæ acquisiuimus, & tutelæ nostrorum corporum, quia postquam uenerit dictum subsidium, animo insidet uelle reuerti ad illam magnam ciuitatem Temixtitan, & diuino confido auxilio, quod illam breui in meam redigam potestatem, quemadmodum prius habebam, & amissa recuperabimus. Interim do operam, ut fabricentur duodecim bergantini, & aliæ Imphratæ naues ad lacum transeundum, & modo sumus in labore clauorum, tabularum, & reliquorum lignorum, quæ omnia terra aportari curabimus, ut cito coniungi possint, ad quos in promptu sunt uela, pix, stuppa, remi, & omnia necessaria. Et certiorē Maiestatē Vestrā reddo, quod usq; quo hūc finē fuero consecutus, nō arbitror posse quiescere, & cessare, ut perquiram omnes mihi possibiles uias postpositis periculis omnib. & expensis, quæ fieri possunt.

A duobus diebus redditæ mihi sunt literæ à locum tenente meo in ciuitate Veræ Crucis, ex quibus percepi nauim paruam ad portum applicuisse cum triginta hominibus connumeratis nautis, & militibus, quæ aduentasse dicebatur ad perquirendum eos quos Franciscus de Garai ad has prouincias destinauerat, de quibus alias Celsitudini Vestræ retuli, & maximam com

 A

meatuum se passos egestatem asserebant, & talem quod nisi auxilium sibi al latum fuisset, ad unum omnes fame, & siti perijssent, & ab eis cognoui illos peruenisse ad portum Panuco, & cum per dies quadraginta in eo moram traxissent, aliquem in eo fluuio, & prouincia non uidisse. Propterea arbitrabantur ex his, quæ successere, prouinciam illam inhabitatam permansisse. Et pariformiter eis narrauerant ijdem, quod immediate duæ naues dicti Francisci de Garai eos subsequi debebant, cum militibus, & equis, & credebant eos iam ad inferiora littora penetrasse. Idcirco mihi uisum est cōducere Celsitudinis V. seruitio, quod illæ naues, & in ea existentes non amitterentur, eo prius monito de gestis et actis in prouincia, quia incolæ illius plus damni inferre possent. Iussi dictam nauem alias ire quæsitum, illasq; certiores redderet de his, quæ successerant, & uenirent ad portum dictæ ciuitatis Veræ Crucis, ubi præfectus, quem primo dictus Franciscus de Garai destinauerat, eos præstolabatur. Deo Opt. Max. placeat, ut eos antequam in littus descendant, inueniant, quia cum incolæ prouinciæ iam ad hoc animaduertant, Hispani uero non, timeo ne maximam subeant calamitatem, & hoc esset contra seruitium omnipotentis dei, & V. celsitudinis, & esset plus dictorum canum audaciam augere ut reliquos aggrediātur, qui imposterum essent illuc profecturi. In proximo superiori capitulo exposui me percepisse post mortē domini Muteezuma constitutum in dominū fratrem suum nomine Coretacuacin, qui genera uaria armorum congerebat, & magnam ciuitatem, & omnes lacui adhærentes muniebat: nunc à paucis diebus ad me delatum est, Coretacuacin nūcios suos misisse ad omnes prouincias, & ciuitates sibi subiectas, nunciatum suis uasallis, eum eis omnia tributa & obsequia, quæ sibi præstare tenentur, ex gratia remittere & nil eidem dent, aut soluant, dummodo modis omnibus, quibus possent contra Christicolas bella gererent, donec eos aut interficerent, aut à prouincia expellerent, & similiter bella inferrent omnibus istarum prouinciarum Incolis, qui nobis amicitia aut fœdere iuncti essent. Confido tamen in Deo Opt. Max. nil ad eorum uota successurum, uersor tamen maxima in necessitate, ut opem ferā Indis amicis nostris, indies enim confluunt è multis ciuitatibus & colonijs ad auxilia exposcenda contra Incolas è Culua, suos & nostros hostes: qui illis quantū facere possunt bella inferunt, quia nobis amicitia, & fœdere iuncti sunt. Ego autē locis omnibus ut animo concipio, opem ferre non possum, tamen ut dixi, Deo Opt. Max. nostris exiguis uiribus supplere placebit, & propediem mittere auxilium suum, & quod ex insula Hispana accersitum destinaui.

Dominus Temixtitan bello se præparat B

Per ea quæ uidi, & comprehendere ualui circa similitudinem, quam omnes istæ prouinciæ habent cum Hispanijs, tam in fœcunditate, quàm in magnitudine, & frigoribus, quę in illis habentur & multis alijs rebus quibus illi æquiparantur, mihi uisum est conuenientius nomen eisdem imponi non posse, nisi quod appellentur Noua oceani maris Hispania, quod nomē Sacræ &, Catholicæ Maiestatis Vestræ nomine eisdem impositum est. Supplico, Celsitudo Vestra dicto nomini assentire dignetur, & ita eam nominari committat.

Scripsi Maiestati Vestræ (quamuis inculte) omnium quæ in his partibus successere ueritatem, & ea quæ Maiestatem Vestram plus scire oportet, & alijs meis annexam mitto supplicationem, ut illa huc destinet uirum cui maxime per Maiestatem Vestram sit fides adhibenda, qui de omnibus informationem capiat.

Altissime ac Potentissime Princeps, Deus Optimus Maximus uitam, & Regalem personam, & Potentissimum statum Vestræ Catholicæ Maiestatis conseruet, & augeat per longa tempora, cum augmento maiorum Regnorum, & Dominiorum, ut Regale cor suum desiderat. Ex securitate finium Nouæ Hispaniæ maris oceani, tricesima Octobris Millesimo Quingentesimo Vigesimo.

BEATISS.



A BEATISS. AC SANCTISS. CLEMENTI VII. SACROSANCTAE ROMANAE, AC VNIVERSALIS Ecclesiæ Pont. Max. Doctor Petrus Sauorgnanus deditissimus seruus, post beatorum pedum humillima oscula, felicitatem.


TA in rebus humanis compertum esse cernimus Beatiss. ac Sanctiss. pater, ut præsentia quodammodo sordere uideantur, prisca uero tantum, & uetustiora in cœlum usque laudibus ferantur: Hinc Liberi patris, hinc Herculis, hinc Salomonis, hinc antiquorum præcipue Aegypti regum celebrantur gesta, admirationi sunt expeditiones, maxime tam longinquæ. Hinc Alexander ille Macedo Magni sortitus est nomen, quoniam sine uiribus magnis, laboribus magnis, & animo magno talia perfici nequierint. Cæterum si temporum nostrorum æqui iudices esse uelimus, inueniemus nostræ ætatis gesta non inferiora, sed longe etiam admirabiliora esse. Quod uel unus nobis ostendit Ferdinandus Cortesius. Is siquidem non maximis, ut prisci illi, copijs, non classe ingenti, sed nauibus ac militibus perpaucis ea permensus est æquora, ad longinquas profectus est oras, & tam celebrem munitamq; & loci natura, ac defensoribus ciuitatem expugnauit, ut non solum admirationi, sed etiam miraculo esse possit & debeat. Quanta uero industria, qua animi magnitudine, quo demum labore, & periculo tam ingentia peregerit facta, operæprecium haud est recensere, quum id manifesto ex his narrationibus constet. Quapropter Ferdinandus Cortesius æterna non minus, quàm prisci illi dignus est memoria, meritoq; inter magni nominis uiros connumerandus.
B Sed & Sereniss. Carolus v. Rom. Electus Imperator semper Augustus, & Hispaniarum, &c. Rex inuictus merito hanc ob rem maximus habetur, quod eius auspicijs & impendijs alter repertus sit orbis, subactæ tot gentes, deuicti rebellantes, tam potens, tam munita, & celebris tot prouinciarũ & nationum dominatrix ciuitas Temixtitan ui expugnata, soloq; æquata, & tot populi à dæmoniorum cultu, ac nephando sacrificandorum mortalium ritu prohibiti fuerint, & æterni redemptoris domini nostri Iesu Christi nomen in ignotis antea regionibus celebrari, prædicari, annunciariq; contigerit. Equidem quum tanti Imperatoris inuictum nomẽ per uniuersum iam diffusum esset orbem, potentiaq; adeo longe ac late se extendisset, ut iam in hoc nostro continenti minime contineri posset, necesse fuit alias antea ignotas indagare terras, quo tanti Imperatoris honor, potentiaq; latius clarescere. Nec Deus Opt. Max. cœptis tam mirãdis defuit, sed nouas & omnibus sæculis hactenus ignotas patefecit oras. Vt quemadmodum ante ingens illius in omnes fines cognitas se extendisset gloria: ita etiam per ultimum occidentem ad populos Eoos, & per ultimum orientis solis peragraret terminũ. Quod equidem præcipuum indicium est, serenitatem suam deo immortali cordi esse, sine cuius auspicijs & gratia res tam admirandæ uix cogitari, nedum peragi potuissent. Vnde certissima spes est eum à deo Imperatorẽ esse electum, ut eo duce mortalibus hac deprauata ac lutea ætate, mundo cælestes uires suas ostendat. Addidit etiam Deus Opt. Max. labenti Christianæ Reip. religioniq; Beat. V. tutum præsidium & leuamen, ut unanimes immanissimum Turcharum Tyrannum ouium uobis commissarum ceruicibus sæuissime imminentem, ac reliquos uerę Christianę fidei hostes feliciter deuincatis, prosternatisq; & pacem, ac aurea illa sęcula à uobis geminis Christianorum luminibus diu expectata, aliquando miseris mortalibus impartiamini. Quod quidem nõ tam iucundum, quàm admodum esset necessarium, ut à tot cædibus bellis & ærumnis mundus cessare, & in sacrosancta pace quiescere posset. Deus omnipotens Christianæ Reip. Beat. V. diu incolumem seruet. Ex Norimberga die ultima Martij. M. D. XXIIII.

EIVSDEM DOCTORIS PETRI SAVORGNA-
ni ad lectorem, Carmen.

Durior ista phrasis, fateor, stilus undiq; non est
Narranti similis aspera multa ciens.
Sed quisnam Domini monitis obsistere posset,
Mandantis uerbo reddere uerba suo,
At mihi si faueat numen, si uita manebit,
Omnia erunt studio condecoranda nouo,
Interea excipias angusto hæc tempore scripta,
Si non facunda, at fortia gesta leges.

ARGVMENTVM.



ERDINANDVS Cortesius natione Hispanus, sacratissimi ac potentissimi Caroli V. electi Rom. Imp. & Hispaniarum, & cætera regis, innoua maris Oceani Hispania præfectus, illatas sibi ab incolis Temixtitan, & aliarum prouinciarum, ut magnanimi uiri mos est, iniurias ulcisci desiderans, à Finium Securitate quadraginta comitantibus equitibus, & quingentis ac quinquaginta peditibus, nouemq; campestribus tormentis unanimi omnium, aut mori, aut uictoria potiri consensu decimaquinta Decembris discessit ciuitatem Tesaico uersus, post ardua, & difficilia maximo labore superata montium iuga, in hostilis patriæ planiciē descendit. Obuij fiūt hostes, quos fundit, multosq; neci dat. Tesaico ciuitate egregia, & eleganti potitur, et illius incolę, una cū domino, & eorum bonis ad ciuitatem Temixtitan confugiunt. Ciuitatem Iztapalapan capit, diripit, comburit'que. Incolæ ciuitatis Otumba & aliarū quatuor ciuitatum Sacræ Cæsareæ Maiestati deditionē faciunt, & Cortesij mādata capessunt. Potitur & Condisaluus è Sandoual à Cortesio missus prouincia Calco. Fratrē Domini ciuitatis Tesaico, qui baptisma Christi susceperat, & don Ferdinandus nominabatur, unanimi incolarum consensu ciuitati, & uniuersæ prouinciæ Aculuacan prefecit. Applicuit ciuitati Veræ Crucis interim nauis aliquibus equitibus & peditibus in subsidium Cortesio, quorum aduentu plurimum lætatur exercitus. Condisaluo è Sandoual negotium dat ad bergantinos à prouincia Tascaltecal ad ciuitatem Tesaico conducendos, quos miro ingenio, ordine, & celeritate adducendos curauit. Narratur à Cortesio modus, quo Hispani quidam ab Indis fuerint interfecti, & idolis in uictimas dati Comitantibus Hispanis & triginta millibus Indorum plures colonias, & urbes lacu proximas diripit & comburit. Et ad ciuitatem Temixtitan peruenit, colloquium cum hostibus habet, an deditionem facere uelint, tentat. Quibus deditionem facere nolentibus, Tesaico reuertitur. Condisaluum è Sandoual ad prouinciam Calco mittit contra hostes è Culua, eorum castris potitur & colonias ui capit & igne consumit, perlustrat lacus litora Cortesius & ciuitates & colonias iuxta illum sitas, quibus ad cingendam obsidione celebrem ciuitatem prēsidia locari possint, ex quibus aliquas comburit. Ab Hispanis in Chinanta morantibus literas recipit Cortesius, & quid actum sit intelligit. Perfectis bergantinis, incolas è Tascaltecal, Guaxacingo, & Churaltecal in armis esse iubet, ut ciuitas Temixtitan terra lacuq; obsidione prematur. Tres creat præfectos, qui tribus præsint castris seu stationibus. Magnanimus autem Cortesius bergantinos ascendit, partitus tamen prius Indos Hispanis amicos in tres illas stationes. Quibus constitutis Cortesius bergantinos ascendit, innumeram hostium canoarum multitudinem fugat, & aquis mergit, plurima intercedunt inter Hispanos, & Indos certamina, omnes circumuicinas ciuitates, & colonias, aut capit, aut comburit, & maiorem ciuitatis portionem occupat, pontes, & loca ubi

A ca ubi aqua uersari solebat, ut pedites & equites tuto ire, & redire possint, opplet, & semper uictoria potiuntur Hispani. Vna tamen luce fato nescitur quo maligniore, non oppletos uictoria elati Hispani pontes transiliere, quo errore Hispani plures desiderati, plurimi uulnerati, & aliqui in captiuitatem ducti sunt, & ab Indis dijs suis sacrificati. Inuicto tamen animo Cortesius ea profligatione non consternatus acrius obsidioni instat, & Andream de Tapia destinat ad debellandam prouinciam Marinalco. Chichime catecle ducis incolarum è Tascaltecal egregium narrat facinus. Otumiensium precib. uictus ad debellandã prouinciam Matalcingo Condisaluum è Sandoual maiorem executorem ire iubet, qui felicissime pugnans uictoria potitur, & domini illius una cum prouincia Marinalco, & Guyscon sacræ Cæsareæ & Cath. Maiestati se subdunt. Et hostes eruptione facta stationes Petri de Aluarado nocte aggrediuntur, & strenue repelluntur, pluries colloquium habet cum incolis ciuitatis Cortesius, & nunquam modus concordię inueniri potuit. Tandem ferro, ignecꝫ res agitur. Vltra cẽtum millia hostium cęduntur, antequam ciuitate potiatur Cortesius, & capto Domino ciuitatis una cum aliquibus è primatibus, ciuitate (pro maiori parte solo æquata) potitur, prædam ingentem diuidunt Hispani, & quędam ex plumis, mira arte, ingeniocꝫ contexta non partiuntur, sed sacræ Cæsareæ, & Cat. Maiestati donantur. Quorum aliqua uniuersi fere Germaniæ principes, apud Sereniss. Ferdinandum Hispaniarum prin. & Archiducem Austriæ ac Sacri Romani Imperij locum tenentem Generalem, uirtutum omnium, & ingenuitatis uberrimum fontem, non sine admiratione conspexere. Capta ciuitate plures prouinciæ obedientiam præstant, & ad reliquas rebelles subigendas, partim aurifodinis, & gemmis, partim aromatibus affluentibus potitur. Tres in illis regionibus nouas Hispanorum locat colonias. Mare del Sur (quod Australe Indicum pelagus putamus) duobus in locis detegunt, & ad ulteriora perscrutanda naues duas (quas Hispani carauellas uocant) & bergantinos duos,
B conficiendos curat Cortesius. Videbis præterea plura lector optime, quę te mirifice delectabunt. Et demum quanta Hispana sit uirtus intueberis.

IOHANNIS ALEXANDRI BRASSICANI LEG. Doctoris, Poetæ ac Orat. à Cæsa. Laureati, Epigramma.

Iussit Anaxagoras permultos quærere mundos
Pellei quondam Martia corda regis.
Vere equidem, quoniam ignoti sunt undicꝫ mundi.
Atcꝫ orbes claudit plurima terra nouos.
Magnus Alexander mundo est tantum inclytus uno,
Namcꝫ animi attenti lumina nulla habuit.
Carolus insano hoc quantum est felicior, acri
Nempe oculo mentis regna subinde ferens.
Ecce nouum mundum, quem nunc Cortesius heros
Repperit, Hispano nomine præcipuum.
Ecce hominis quantum indefessa industria possit.
Cæsaris innumeris regna iuuare plagis.
Solus Anaxagoram Cortesius intellexit
Illius ignotos quando ita quærit agros.

TERTIA

TERTIA FERDINANDI COR- TESII NARRATIO. A



LPHONSO de Mendoza oriundo è Medelin, quē ab ista Noua Hispania quinta Martij, præteriti Anni Millesimi quingentesimi uigesimi primi expediui, Relationem Maiestati Vestræ perferendam tradidi de omnibus, quæ in ea successerant: quam perfeceram tricesima Octobris Anni Millesimi uigesimi. Et quia tempus non erat secundum, & etiam naues tres naufragium passæ erant (quas habebam, ut una Maiestati uestræ dictam relationem transmitterem, reliquas uero mitterem ad adducendum prȩsidium ab insula Hispana) dicti Alphonsi de Mendoza discessus diu prorogatus est, quemadmodum etiam latius eȩdem Maiestati Vestræ significaui. Et in calce dictæ relationis Maiestatem Vestram certiorem feci, quod postquam Indi incolæ celebris ciuitatis Temixtitan ui nos ab ea expulerant, eiecerantq́ꝫ, castra moueram cōtra prouinciam Tepeaca, quæ illis subijciebatur, & à Maiesta. Vestra defecerat: & Hispanis, qui supererant, comitantibus, & Indis nobis amicis, eis bellū mouerā, et eos seruitio Maiestatis Vestræ submiseram. Ad hæc cum proditio transacta, maximum damnum, & illa Hispanorum tam recens oppressio, nostris cordibus insedissent, constitueram aggredi illos è dicta celebri ciuitate qui fuerant tantæ cladis autores, & ad hoc incipiebam præparare tredecim bergantinos, ut illis per lacum possem dictæ ciuitati omne possibile damnum inferre, si ipsi persisterent in eorum malo animo. Scripsi quoque Maiestati Vestræ, quod dum dicti bergantini fabricarentur, & dum ego & Indi nobis amici præparabamus eos aggredi, mittebam ad insulam Hispanam, ad adducendum in nostrum subsidium uiros, equos, tormenta, & arma: & ad hoc scribebam officialibus Maiestatis Vestræ, qui in ea resident, & transmittebam pecunias pro omni sumptu, & expensis ad dictum præsidium conducentibus. Et etiam significaui Maiestati Vestræ, quod donec consequerer uictoriam contra hostes, non cogitabam quiescere, nec uolebam cessare, & ad hoc adhibere omnem possibilem diligentiam, posthabitis omnibus periculis, laboribus, & sumptibus qui euenire possent, & ea sententia parabam me, ut discederem à dicta prouincia Tepeaca.

Similiter significaui Maiestati Vestrȩ, qualiter portui ciuitatis Veræ Crucis applicuerat nauis Francisci de Garai locum tenentis, & gubernatoris insulæ Iamaica cum maxima rerum pænuria, qua uehebantur forte triginta uiri, & retulerant alias duas naues uentis uela dedisse, ut proficiscerentur ad fluuium Panuco, ubi profligarant præfectum quendam Francisci de Garai, & timebamus si eo peruenirent, essent accepturi aliquid incommodi ab accolis dicti fluuij. Et similiter Maiestati Vestræ, significaueram, me illico subsequi iussisse nauem, ut eas quæreret, & præterea eisdem nunciaret. Et postquam ea scripsi, deo placuit, quod una ex dictis nauibus peruenit ad dictam ciuitatem Veræ Crucis, qua uehebantur forte centum & uiginti milites: & factus fui certior, præfectum illum Francisci de Garai, qui primo aduenerat profligatum fuisse, & allocuti sunt præfectum eundem, qui interfuerat cladi: & illum monui, si illuc irent, non posse id fieri sine magna sui clade, & damno, & dum essent in portu certa sententia eundi ad dictum flumen, cœpit tempestas acri uento comitata, & rudentibus fractis, nauem exire coegit, & portum cepit in superiori littore per leucas duodecim à dicta ciuitate Veræ Crucis ad portum Sancti Iuan, & cum è nauibus descendissent, octo equis, & totidē equabus, quas adducebāt, subduxerunt nauem, quia nimiū imbrem accipiebat, & quamprimū hoc audiui, ad eorū B

præfectum literas dedi, quibus significabam me admodũ moleste tulisse mala, quæ eidem euenerant, & qualiter iam commiseram Locum tenenti meo in ciuitate Veræ Crucis relicto, ut ipsi, & hominibus, quos adduxerat, se benignum exhiberet, & eis impartiretur omnia necessaria, & circumspiceret quid constituere uellet, & si omnes, aut aliqui eorum uellẽt reuerti in naues, que ibi erãt, ut auxilio tutos dimitteret, opibusq; iuuaret. Dictus autem præfectus, et illi, qui secum erant constituerant remanere, & ad me profecti sunt. Et de alia naui nil ad nos allatum est hactenus, & cum hoc tam diu sit, multum dubitamus de illius salute. Deus uelit, ut incolumis euaserit.

Cum constituissem discedere à prouincia Tepeaca mihi allatum est, duas prouincias, quæ appellãtur Cecatami, & Xalacingo, quæ subijciuntur domino è Temixtitan, defecisse. Et cum ad has partes à ciuitate Veræ Crucis sit transitus, in illa aliquos Hispanos neci dederant, & incolæ defecerant, & pessimæ erant intentionis. Et ut tutum esset per eam iter, & eos aliquantulum punirem, nisi uellent mecum pacifice agere, unum ex præfectis, cum uiginti equitibus, & ducentis peditibus expediui, una cum Indis nobis amicis. Cui Maiestatis Vestræ nomine seriose iniunxi, ut moneret dictarum prouinciarum incolas, ut se concorditer in Maiestatis Vestræ uasallos subderent, quemadmodum alias fecerant, et ad hoc omnem possibilem industriam adhiberet. Et si illum pacifice excipere nollent, eis bellum inferret, & eo perfecto, & captis dictis duabus prouincijs, cum uniuersis militibus reuerteretur ad ciuitatem Tascaltecal, ubi ipsum præstolarer, & sic initio mensis Decembris Anno millesimo quingentesimo uigesimo profectus est, secutus iter suum ad iam dictas prouincias, quæ distant ab eo loco per leucas uiginti.

His perfectis, potentissime domine, medio mense Decembris dicti anni, discessi à ciuitate finium Securitatis, quæ continetur in prouincia Tepeaca. In eadem præfectum dimisi cum sexaginta militibus, quoniam ut eos ibi relinquerem, illius habitatores enixis precibus contenderunt. Et pedites omnes ire iussi ad ciuitatem Tascaltecal, ubi bergantini construebantur, quæ abest à prouincia Tepeaca per nouem aut decem leucas. Ego autem, ea nocte profectus sum dormitum ad ciuitatem nomine Chulula, quia eius habitatores aduentũ meum maxime desiderabant, morbo enim Variolarum, qui etiã incolas harum prouinciarũ (quemadmodũ reliquarum insularum) corripit, plures illius domini ab humanis exempti fuerant. Et optabãt, quod per me & suum consilium & meũ, alij in demortuorũ locum sufficerentur. Et cũ eo peruenissemus optime fuimus recepti, & eo quod supra diximus confecto negotio. Et postquam eorum morem gesseram uoluntati, eisdem significaui iter meum esse, ut bellum inferrem prouincijs Mexico & Temixtitan, eos rogatos uolui, cum essent Maiestatis Vestræ Vasalli, ut ipsi modis omnibus studerent amicitiam nobiscum manutenere, & nos alios idem facere deceret, quoad uixerimus. Et quia bellum cum supradictis eram habiturus, petij ut mihi uiris auxilio esse uellent, & cum Hispanis quos mitterẽ in eorũ prouinciam, & qui in ea degerent, ita agerẽt, quemadmodũ amici cum amicis agere tenẽtur. Et promissione ab eis habita, se ita facturos, post biduũ aut triduum ab ea discessi Tascaltecal uersus, quæ sex leucarum spacio abest: & cum eo peruenissem, comperi omnes Hispanos adesse, una cum dictæ ciuitatis incolis, qui meo aduentu maxime lætati sunt. Sequenti uero die, uniuersi domini præfatæ ciuitatis, & prouinciæ, ut me alloquerentur conuenere, et mihi significarunt Magiscacin, qui primus habebatur inter reliquos dictæ prouinciæ Dominos, uitam cum morte commutasse, morbo illo uariolarum, & optime cognoscebant, me mortem illius ægre laturum, cum tãta mecum iunctus esset amicitia, tamen eundem superstitem reliquisse filium suum, ætatis duodecim annorum, & eidem paternum Dominium pertinere, & me enixe rogabant, ut eum, ueluti hæredem, Dominum constituerem, &

ipse Sacræ Maiestat. V. nomine, eorum uotis obtemperaui, qua ex re pluri- A
mum uoluptatis adepti sunt.

Cum peruenissem ad hanc ciuitatem, comperi bergantinorum magistros & fabros lignarios, multum properare in perficiendis compagibus, tabulisq; pro eisdem & opus conueniens peregisse. Et illico à ciuitate Veræ Crucis, ferrum & clauos, quos ibi habebam, uela, rudentes, & alia necessaria ad eos perficiendos adduci curaui. Et quia picem non habebã, eam per Hispanos quosdam, in alto monte ibi propinquo, colligendam curaui, ut omnia præparamenta ad dictos bergantinos perficiendos præsto esse possent. Vt postquã diuino auxilio essem in prouincijs Mexico & Temixtitan, possem curare eos adducendos, quia hæ prouinciæ absunt per decem aut duodecim leucas à ciuitate Tascaltecal. Et illis diebus quindecim quibus ibi fuimus, negocijs alijs non incubui, sed solum diligentiã adhibui circa dictorũ bergantinorum magistros, & paranda arma, & ordinem ponendũ circa iter nostrum.

Duobus continuis diebus ante Natiuitatem domini, reuersus est præfectus, cum peditibus & equitibus, qui profecti fuerant ad prouincias Zatami & Xalacingo, & intellexi aliquos ex dictis incolis, cum eis pugnasse, & denique aliquos ex eis sponte, aliquos uero ui ad cõcordiam uenisse. Et adduxerunt mihi aliquos illarum prouinciarum proceres, quibus (nõ obstante quod maxima essent digni animaduersione, propter eorum defectionem, & Christianorum mortem, quia mihi fidem adstrinxerunt, se post hac futuros, optimos & fideles, Maiestatis Vestræ uasallos) ego sub Regalis Maiestatis Vestræ nomine peperci, & ut in patriam reuerterentur dimisi, & ita conclusimus eo die, quod redundauit in maximum Maiestatis Vestræ seruitium, tam propter pacationem incolarum iam dictarum prouinciarum, quam securitatem Hispanorum, qui erant ituri & reuersuri per dictas prouincias à ciuitate Veræ Crucis.

Secunda die Natiuitatis in dicta ciuitate Tascaltecal, milites omnes re- B
censui, & inueni equites quadraginta, pedites quingentos quinquaginta, ex quibus erant octuaginta balistis, et pixidibus utentes, et habuimus octo, aut nouem tormenta castris commoda, & modicum pulueris. Et partitus equites in quatuor turmas, quarum quælibet decem habebat equites, & peditibus nouem præfectos præposui, & cuilibet illorum sexaginta pedites ascripsi, & omnes insimul sum allocutus, & illis commemoraui, qualiter ego, & ipsi omnes, ut Maiestati Vestræ inseruiremus, has prouincias habitandas susceperamus, & sciebant omnes incolas illarum prouinciarum, se in Maiestatis Vestræ uasallos subiecisse, & uasalli aliquamdiu perseuerarant, uicissim bona opera inter nos exercendo, & qualiter incolæ è Culua, qui sunt habitatores celebris ciuitatis Temixtitan, & omnes incolæ reliquarum prouinciarum eidem subiectarum, sine aliqua causa, non solum defecerant à Maiestate Vestra, sed etiam multos nobis amicos, & consanguineos interemerant, & nos eiecerant ab uniuersa sua prouincia. Recordarenturq; quot pericula & labores perpessi fuissent, & circumspicerent quantum ad rem Dei omnipotentis, & Maiestatis Vestræ faceret, si denuo amissa recuperaremus, maxime cum ad hoc iusta moueremur ratione, quia bella gerebamus ad incrementum Sacrosanctæ fidei nostræ, & in homines Barbaros, & Maiestatis Vestræ commodum, & pro tutela corporum nostrorum. Postremo quia plurimi ex incolis dictarum prouinciarum nobis amici, cœptis nostris fauebant, qui corda nostra ardentiora reddere debebant. Quapropter eos rogatos uolebam, ut mœstum mitterent timorem, & uires reassumerent, & quoniam ipse quosdam ordines Maiestatis Vestræ nomine constitueram, & ad bellum futurum concernentia, ea aperiri, & publicari curaui. Similiter eos rogatos uolebam, ut ea obseruarent & adimplerent, quoniam inde plurimũ seruitij Deo opt. Max. & Maiestati Vestræ emanaret. Et unanimes polliciti sunt

Verba Cortes. ad milites Hispanos

A sunt, se ita facturos, & executioni demandaturos, & lubenti animo pro Sacrosancta nostra fide, & Maiest. Vestræ seruitio mori uolebant, aut amissa recuperare, & ulcisci proditionem ab incolis è Temixtitan, & eorum confœderatis, contra nos perpetratam. Et ego Maiestatis Vestræ nomine, eisdem gratias egi immortales, & eo pacto, maxima exultatione & lætitia ad hospitia nostra reuersi fuimus.

Sequenti uero die, qui fuit dies Sancti Iohannis Euangelistæ, omnes dominos prouinciæ Tascaltecal conuenire iussi: & postquam conuenerant, eisdem aperui qualiter iam optime cognoscebant, me sequenti die castra moturum cõtra hostes, & eorũ prouinciam ingressurum, & optime prospiciebant, ciuitatẽ Temixtitan expugnari non posse sine illis bergãtinis, quos ibi fabricandos curabam, propterea ab eis petebam, quod tam fabris lignarijs, quam Hispanis, quos ibi dimittebã, omnia necessaria impartirẽtur, eoq; modo cum eis agerent, quo nobiscũ eousq; egerant, & essent parati, quando à ciuitate Tesaico (si omnipotens deus nos uictoria potiri concederet) mitterem pro compagibus, tabulis, cæterisq; ornamentis dictis bergantinis pertinentibus. Et ipsi polliciti sunt se ita facturos, & similiter dixere, uelle eo tunc milites destinare mecũ, & quando adducerẽtur bergantini, ipsimet Domini uolebant in castra contra hostes, cum omnibus uiribus suarum prouinciarum proficisci, & mori, ubi me mori contingeret, aut uindictam sumere contra eos è Culua, acerrimos eorum hostes. Et alio die XXVIII. Decembris, qui fuit dies Innocentum, composito agmine discessi, & iuimus dormitum per leucas sex à ciuitate Vascaltecal, ad coloniam quandã Tezmoluca nomine, quæ subiacet Prouinciæ Guaxacingo, cuius incolę semper habuerunt, & habent nobiscum eandem amicitiam, & fœdus, quod habent incolæ è Tascaltecal, & ibi quieti nos dedimus ea nocte.

Alia relatione catholice Rex Maiestati Vest. significaui incolas è Mexi-
B co & Temixtitan, arma plurima congerere, & in omnibus suis prouincijs, innumeras fossas excauabant, & ageres, aliaq; defensionum genera qno nobis obsistere, & obesse possent, præparabant. Quoniam illi iam cognouerant, me contra eos castra moturum. Et cum hoc præscissem, & cognoscerem, quantum acuti & audaces essent ad res bellicas, multoties mente reuolueram, qua prouincia ingredi possemus, ut aliqua ex parte incautos offenderemus: & ipsi optime sciebant, nos triplicem in prouinciam suam ingressum cognoscere, & illorum notitiam habere. Constitui ingredi itinere hoc Tesmolucan, quia cum illius aditus sit asperior, & magis saxis refertus, quã sint aliorum ingressuum cacumina, arbitrabar eos nobis minus obstituros, ut in quo custodiendo non tantum inuigilarent. Sequenti uero die post missarum solennia, nos Deo Opt. Max. commendauimus, & à dicta colonia Tesmoluca discessimus: & ego frontem occupaui, cum decem equitibus, & sexaginta peditibus leuibus, & bello aptis. Et perreximus incœptum tenentes iter proximum montẽ ascendendo, omni ordine & apparatu nobis possibili, & profecti fuimus dormitũ per leucas quatuor à dicta colonia in cacumine montis, ubi sunt confinia eorũ è Chulua, & quamuis maximi essent algores, plurimis lignis (quorũ ibi maxima est copia) ea nocte frigora expulimus. Sequenti die Dominico summo mane cœpimus iter nostrum prosequi per planiciem ipsius faucis, & destinaui quatuor equites, & tres, aut quatuor pedites, ut prouinciam lustrarent, & sequentes iter nostrum, cœpimus descendere montem, & ego iussi equites præire, & post eos immediate pixidibus & balistis fulcitos milites, & reliquos suo ordine subsequi, ut facilius hostes incautos offenderemus. Illos tamen nobiscum congressuros cogitabam, cũ certe hostes nobis insidias aliquas, aut stratemata parauisse cogitaremus, ut nobis obesse possent. Et dũ quatuor equites, & quatuor pedites ulterius procederent, inuenerunt iter obstrusum arboribus, ramisq;, & plures & magnas incisas, atque in eo transuersas pinos, & cupressos offenderunt,

In prouincia Culua exercitum ducit

quæ uidebantur eo instanti incisæ. Et arbitrantes sequens iter non fore impeditum, prosecuti sunt incœptum iter, & quanto plus procedebant, tanto magis pinis, & ramis obstrusum illud comperiebant. Et cum uniuersum cacumē esset arboribus crebris, & sepibus maximis refertum, magna cum difficultate procedebant, & cum uiderent illud iter, multum eis attulit timoris & arbitrabantur post quamlibet arborem hostes latere, & etiam, quia ob incisarum arborum impedimentum equis uti non potuissent, & quanto plus progrediebantur, tanto plus pauor augebatur, & cum eo pacto aliquamdiu processissent, equitum unus reliquos alloquutus est. Fratres, si uobis rectum iustumq; uidetur, ulterius non progrediamur, sed pedem referamus, & nunciemus præfecto nostro impedimentum quod offendimus, & periculū quod subimus, cum equis uti non possimus. Sin minus, progrediamur, quia uita mea est morti obnoxia, quemadmodum cæterorum omnium, donec huic cœpto finem imponamus. Reliqui responderunt, optimum esse eis consilium. Sed illis consultum non uideri, reuerti antequam aliquem ex hostibus conspicerent, aut scirent, quousque iter progrederetur. Et subsequi cœpere. Et cum uiderent dictum iter longius progredi, substitere, & peditem mihi ea quæ inuenerant nunciatum destinarunt. Et cum collocassem me in fronte cum equitibus, commendauimus nos Deo omnipotenti, eo malo itinere ulterius progressi fuimus, & nunciandum commisi illis, qui postremo sequebantur agmine, ut properarent, quoniam cito perueniremus in planiciem. Et quamprimum inueni quatuor illos equites, cœpimus progredi, multo tamen impedimento & difficultate, & per mediæ leucæ spacium, Deo Optimo Maximo placuit, ut descenderemus in planiciem, & eo loci constiti, ut reliquos expectarem, quibus, postquam aduenerant, gratias omnipotenti agerent nunciaui, quod eousque non incolumes peruenire permisisset, unde uidere cœpimus omnem prouinciam Mexico & Temixtitan, quæ sunt in lacubus, & circum ipsos, quamuis maxima exultatione eas aspiceremus, considerantes damnum præteritum, quod die ea perpessi fueramus, aliquid mœstitiæ nobis attulit, & omnes unanimes polliciti sumus, nunquam ab ea sine uictoria exire, aut ibi uitam cum morte commutare. Et hac sententia, omnes adeo læti procedebamus, non aliter, quam si proficisceremur ad rem aliquam uoluptuosam. Et quamprimum hostes nos audiuere, cœpere per omnem prouinciam illico maximos suscitare fumos. Et denuo Hispanos precatus sum, in futurum agerent, quemadmodum prius egerant, & sperabam eos facturos, & nullus ab agmine discederet, & omnia optimo ordine procederent in itinere. Et iam Indi incipiebant clamare ex aliquibus habitationibus, & pagis paruis, significando incolis, ut in unum conuenirent, ut nobis obessent in quibusdam pontibus & angustis itineribus, quæ ibi erant. Tamen nos alij tantum accelerauimus, quod antequam ipsi conuenirent, perueneramus iam ad planiciem. Et cum egrederemur, opposuerunt se nobis aliquæ Indorum turmæ. Ego uero iussi quindecim equites irruere, & re ipsa irruerunt uulnerando, & absque læsione aliqua nonnullos ex eis interfecere, & cœpimus prosequi incœptum iter ciuitatem Thesaico uersus, quæ est ex maioribus & elegantioribus quæ sunt in omnibus istis prouincijs, quamuis omnes aliæ sint pulcherrimæ. Et cum pedites aliquantulum itineris labore premerentur, & nox iam appropinquaret, dormiuimus in colonia nuncupata Coatebeq;, quæ subiacet dictæ ciuitati Thesaico, & abest ab ea trium leucarum spacio, eam uacuam inuenimus. Atque cum hæc ciuitas, & illius prouincia (quæ Aculuacan dicitur) sit maxima, & tot hominibus referta, ut facile creditu sit, quod eo tempore eidem inerant centum & quinquaginta millia hominum, futurum arbitrabamur, ut ea nocte nos aggrederentur. Ipse igitur decem equitibus fui in primis excubijs, & milites omnes paratos esse iussi. Sequenti die Lunæ, ultima Decembris, prosecuti fuimus iter nostrum ordine

dine solito, & per interuallum quartæ leucæ, à dicta colonia Coatebecq;, dum
A perplexi iremus, & colloqueremur, an pacifice nos excepturi, aut bello essent decertaturi, & pro certo eos nobiscum congressuros arbitraremur, nobis obuij facti sunt quatuor Indi ex Primatibus, uexillo aureo in uirga ponderis quatuor marcarum auri: & eo uexillo significabant eos pacem nobis offerre, quam (Deus testis est) quantum desiderabamus, & etiam quantum ea indigebamus, cum essemus adeo pauci numero & penitus diuisi ab omni subsidio, & inter hostes constituti. Conspectis autem illis quatuor Indis (inter quos erat unus, cuius notitiam habebam) iussi milites omnes subsistere, & ad eos sum profectus: & facta salutatione, retulere, se nomine Domini illius ciuitatis, aduentasse, & prouinciæ Guanacacin nuncupati, & suo nomine supplices rogabant, non inferrem, nec inferri paterer damnum aliquod in sua prouincia, quia damna, quæ nos passi eramus, illis è Temixtitan ascribi deberent nō illis. Et ipsi desiderabant esse uasalli Vestrę Maiestatis, & amicitia nostra coniungi, & in futurum semper essent obseruaturi nostram amicitiam, & ciuitatem ingrederemur, & ex eorum operibus cognosceremus, quam mentem haberent. Ego uero adhibitis interpretibus respondi, eorum aduentum mihi cordi fuisse, & maxime lætabar eorum pace, & amicitia, & postquam excusationem fecerant circa oppugnationem contra me in ciuitate Temixtitan factam, tamen dixi, eos optime cognoscere, quod per leucas sex ab eo loco, & ciuitate Tesaico, inquibusdam colonijs eidem subiectis alias mihi interfecerant equos quinque, & quadraginta aut quinquaginta pedites Hispanos, & trecentos Indos è Tascaltecal qui erant onusti, & nobis abstulerant multum argenti, auri, uestium, aliarumq; rerum. Et postquam eatenus se excusare non poterant, quin ea saltem pœna plectendi essent ut nobis nostra restituerent, ea conditione (quamuis morte digni existerēt, cum tot Christicolas interfeeissent) pacem cum illis inire uolebā, cum illi eam exposcebant, alioqui contra eos processurus omni quo possem
B rigore. Illi autem responderunt, quod quicquid ibi nobis ablatumfuerat, Domini & primates è Temixtitan secum exportauerant, tamen se inquisituros omnia, quæ inuenire possent, & cuncta restituturos. Et petiere, ut ea nocte proficiscerer ad ciuitatem, aut in altera è colonijs me collocarem, quæ sunt tanquam suburbia ciuitatis, quæ dicūtur Coatican & Guaxuta, quæ distant per leucam, aut dimidiam à dicta ciuitate, & semper continuantur habitationes. Quod ipsi optabant secundum ea quæ postea successere. Respondi, me nolle quiescere, donec peruenissem ad dictam ciuitatem Tesaico. Ipsi dixerunt, irem bonis auibus, & ipsi uolebant præcedere, ut disponerent hospitia Hispanis & mihi, & sic discessere. Et cum peruenissemus ad has colonias, uenerunt nobis obuiam quidam è primatibus illarum, & benigne nos suceperunt, & necessaria uictui concessere. Et in meridie peruenimus ad ciuitatem, ad domum ubi debebamus hospitari, & erat latissima domus, & ampla, quę fuerat genitoris ipsius Guanacaci, Domini ipsius ciuitatis. Etantequam hospitium intraremus, cum omnes essemus adhuc iuncti, iussi præconia uoce mandari, quod sub pœna capitali nullus me inconsulto ab hospitio discederet, & dicta domo, quæ est adeo lata, ut in ea commode nos Hispani omnes hospitari potuissemus, etiam si in duplo maiori essemus numero. Et hoc ideo commisi, ut dictæ ciuitatis Incolæ confiderent, & domi morarentur, Videbatur enim mihi, tertiam multitudinis hominum partem, in dicta ciuitate contineri solitam, non conspicere. Nec apparebant fœminæ, aut pueri, quod nullius signum erat quietis.

Ea die qua hanc ciuitatem ingressi fuimus, in uesperis noui anni, postquam operam dedimus, ut in prædicto hospitio nos collocaremus, quamuis admiraremur, considerantes dictorum incolarum raritatem, & eos, quos uidebamus inquietos, credidimus pauore perterritos, non audere comparere, & per ciuitatem deambulare, & ea de causa aliquantulum eramus impa-

rati. Et cum sero esset factum, quidam Hispani ascenderunt quædam subdia- A
lia pauimenta, ex quibus poterant totam ciuitatem oculis lustrare. Et con-
spexere omnes incolas illius discedere, & cum rebus suis se lacui committe-
bant, suis canois, quas incolæ acaler nominant. Et aliqui montes ascende-
bant, & quamuis commisissem, ut iter eorum impediretur, cum tamen hora
esset tarda, & nox aduenisset, & ipsi multum festinarent, nil profuit. Et sic
dominus dictæ ciuitatis, quem desiderabam habere pro salute nostra cum
primatibus dictæ ciuitatis, profectus est ad ciuitatem Temixtitan: quæ ab-
est ab eo loco per lacum sex leucis, & omnia bona secum apportarunt: &
propterea, ut ad uota rem perficerent, quam conceperant, obuiam uenere
illi quatuor, de quibus superius dixi, ut me deturbarent, ne illis damnum in-
ferrem, & ea nocte, tam nos quam suam ciuitatem deseruere.

Postquam fuimus spatio trium dierum in hac ciuitate, absque aliqua op-
pugnatione nobis ab Indis illata (quoniam eo tunc ipsi non audebant nos
aggredi, & nos alij non quærebamus à longe illos aggredi quia mea senten-
tia semper extitit, si uellent gratiose mecum agere, uellem eos pacifice exci-
pere, & omni tempore pacem ab eis quærere) allocutum me uenerunt Do-
mini Coatincham, Guaxuta, & Autengo, quæ sunt coloniæ latissimæ, &
sunt (ut retuli) contiguæ, & hærentes dictæ ciuitati, rogantes ut eisdem par
cerem, quod aufugerant à suis colonijs. Et certe non pugnauerant nobi-
scum propria uoluntate, & ipsi constituebant, uelle omnia subire, quæ Ma-
iestatis uestræ nomine eisdem essem mandaturus. Ego autem, adhibitis in-
terpretibus retuli, illos optime nosse, à me semper bene tentos, & quod pa-
triam suam deseruerant, & in reliquis, ipsimet erant qui causam prestite-
rant, Sed postquam pollicebantur uelle esse nostri amici, iussi ut domi suæ
remanerent, & adducerent uxores, & filios: & quemadmodum ipsorum
fuerint opera, ita à me tractandos dixi. Sicque discessere, ut conijcere potui-
mus, non admodum contenti. B

Quamprimum domini è Mexico Temixtitan, ut omnes alij domini è
Culua (appellatione Culua intelliguntur omnes prouinciæ harum regio-
num, subditæ domino ciuitatis Temixtitan) audierunt dominos illarum
coloniarum obtulisse se in uasallos, & subditos V. M. ad eos nuncios de-
stinarunt, quibus significabant, eos minus belle fecisse, quoniam si timore
adducti fecerant, optime scire deberent, eos esse numero infinito, & maxi-
mæ potentiæ ut nos Hispanos omnes cum incolis è Tascaltecal propediem
essent interempturi. Sin autem ideo fecissent ne patriam desererent, eam de
serendam esse, & confugiendum ad ciuitatem Temixtitan. Illi enim maio-
res colonias, & meliores impartiri uellent in quibus uitam ducerent. Isti do
mini Coatinchan & Guaxuta apprehenderunt nuncios & eos uinctos mihi
adduci curarunt, & illico coram me fassi sunt ea, quæ dominorum è Temi-
xtitan nomine nunciatum uenerant. Tamen dixere eo uenisse nunciatum,
ut illuc irent ut mediatores esse possent, postquam nostra iuncti erant amici-
tia, si possent res pacifice componere inter dominos è Culua & me. Illi au-
tem è Guaxuta, & Coatinchan asserebant eo modo non procedere, & quod
illi è Mexico & Temixtitan omnino bello decertare constituerant, tamen
simulaui, quamuis sic procederet ueritas, me credere nuncijs, quia cupie-
bam allicere dominos celebris ciuitatis ad capescendam amicitiam nostrã:
ex ea enim pẽdebat pax, et bellum omnium reliquarum prouinciarum, quæ
à Maiestate Vestra defecerant. Solui mandaui dictos nuncios, & significaui
ne timerent, quia eos ad ciuitatem Temixtitan reuerti uolebam, & rogabã
eos dicerent dominis ciuitatis, me bellum cum illis non desiderare, quam-
uis iustã suscipiendi aduersum eos belli causam haberem, sed pacem & ami-
citiam, ut prius habere solebamus. Et ut magis eos ad Mai. Vestræ seruitiũ
inducerem, eis nunciatum misi, me optime cognoscere, omnes autores bel-

li mi-

A li mihi illati, iam ab humanis decessisse. Vt præterita missa haberemus & nollent præstare causam, ut prouinciæ suæ destruerentur & ciuitates quia hoc moleste ferebam. Et soluti discessere, promittentes ad me cum responso seredituros, Domini Coatincham & Guaxuta & ipse hoc tam bono opere remansimus amici, & fœdere iuncti. Et ego nomine Maiestatis uestræ ueniam dedi erratis suis præteritis, & ipsi maxime lætati sunt.

Post septem aut octo in hac ciuitate Tesaico consumptos dies absq; prælio aliquo, aut controuersia, hospitium nostrum muniendo, & ordinem ponendo rebus necessarijs, & opportunis nostræ tutelæ, & ut hostes nostros offendere possemus, prospiciens hostes cōtra me non moueri, ciuitate egressus sum ducentis Hispanis, inter quos erant XVIII. equestres, & triginta, qui balistis utebantur: & qui pixidibus decem, & tribus aut quatuor millibus Indis amicis nostris. Et profectus per littora lacus, usq; ad ciuitatē quandam nominē Iztapalapa: quæ abest spatio duarum leucarum à celebri ciuitate Temixtitan, & sex ab hac ciuitate Tesaico, quæ ciuitas ascendit ad decem millia habitationū, & eius medietas, & forte è tribus portionibus, duæ sunt in aquis. Et dominus, qui erat frater domini Muteezuma, quem Indi post mortem dicti Muteezuma, dominum constituerant, primus fuerat, qui nobis bellum intulerat, & à ciuitate eiecerat. Et ea propter, & etiam, quia cognoueram incolas dictæ ciuitatis, in nos malo esse animo, illuc ire constitui. Et cum aduentum meum præsensissent, per duas leucas, antequam eo peruenirem, illico affuere aliqui Indi milites in planicie, & aliqui in lacu canois uecti, & sic toto illo spatio duarum leucarum, iuimus mixti, semper certando, tam contra eos, qui erant in continenti, quam eos, qui exibant aquis, donec peruenimus ad dictam ciuitatem & ante, quasi per duas tertias Leucæ, reserabant uiam stratam quæ est inter Lacum aquæ dulcis, & Lacum aquæ salsæ, in obicis similitudinem, quemadmodum ex figura ciuitatis Temixtitan, quam Maiestati Vestræ transmisi, uideri potuit. Qua uia strata,
B aut obice aperto, maximo impetu aqua exire cœpit à Lacu aquæ salsæ, in lacum aquæ dulcis, quamuis distent dicti Lacus ab inuicem maiori dimidiæ leucæ spatio, & non prospitientes eas insidias desiderio uictoriæ, qua potiebamur, optime transiuimus, & eos insequuti fuimus donec ingressi fuimus admixti hostibus, dictam Ciuitatem, & cum iam essent admoniti omnes domos in continenti sitæ erant uacuæ, & omnes personę cum rebus suis se collocauerant in domibus in lacu sitis, & ibi permansere illi, qui fugiebant & acriter nobiscum pugnauere. Tamen omnipotens tot uires suis subministrare dignatus est, quod ingressi fuerimus, usq; quo aquas ingrederentur, aliquādo ad pectus usq;, & aliquādo nando. Et cœpimus plures domos ex illis, quæ in aquis sunt constitutæ, & preterea ex illis ultra sex millia inter uiros, fœminas, & pueros. Quoniā Indi nobis amici, cōspecta uictoria, q̄ omnipotens concesserat, nil aliud negotij habebāt, nisi à dextris & à sinistris interficere. Et quia nox iam aduenerat, milites collegi, & ignē inieci quibusdā domibus & dū comburerētur, uisum est, quod Deus Opt. Max. spiritū meū suscitauerit, & in memoriam reuocaui uiam stratā, aut obicem demolitū, quē uideram in itinere, & occurrit maximum damnum in ea re positum, & properando cum meis, ordine positis, Ciuitatem exiui, Cum nox esset iam obscura, & peruenissem ad eam aquam cum iam hora noctis nona esse posset, iam tantum emanauerat, & labebatur tanto cum impetu, quod eam ueloci passu transiuimus, & aliqui ex Indis nobis amicis submersi sunt, & amisi omnem prædam à dicta Ciuitate ablatam, Et Maiestati Vestræ uera refero. Si ea nocte non transiuissemus, aut per tres horas plus fuissemus morati, nullus nostrū euasisset. Circumdabamur enim aquis, absq; egressu aliquo, quo possemus exire. Et illucescente uidimus Lacum unum esse plenum sicuti alterum, & aqua amplius non fluebat, & omnis lacus Salsæ aquæ erat Canois

Proficiscitur Cortesius ad ciuitatem Iztapalapa

refertus, quibus uehebantur homines ad pugnandũ, qui arbitrabantur nos ibi posse intercipere, et eo die reuersus sum ad ciuitatem Tesaico, aliquando pugnando cum illis, qui è lacu exibant, quamuis parum damni illis possemus inferre, quia illico ad suas canoas pedem referebant, & cum peruenissem ad ciuitatẽ Tesaico, inueni milites ibi relictos bene tutos, nec aliquam controuersiam sustinuerant, & ex nostro aduentu, & adepta uictoria, maximam uoluptatem adepti sunt. Sequenti die, postquam eo peruenimus, perijt ille Hispanus, qui uulneratus aduenerat: & ille fuit primus, quem Indi mihi hactenus interfecerunt.

Sequenti die ad me profecti sunt quidam nuncij è ciuitate Otumba, & alijs quatuor ciuitatibus, eidem contiguis, quæ distant per quatuor, quinq;, & sex leucas à dicta ciuitate Tesaico, & supplices rogarunt, ut illorum præteritis erratis parcerem, præterito bello commissis. Ibi enim in Otumba uniuersæ uires à Mexico, & Temixtitan conuenerant, quando in fugam uersi ab ea discessimus, arbitrantes nos posse penitus delere. Et bene cognoscebãt ipsimet incolæ ex Otumba, quod se excusare non poterant, quamuis eo argumento se excusarent, asserentes, sibi hoc fuisse commissum. Et ut me impellerent, & procliuiorem in sui amicitiam traherent, dixere: Dominos è Temixtitan ad eos nuncios destinasse, ut suam factionem sequerentur & nullo pacto amicitia mea coniungerentur, aliter contra eos mouerent castra. & illos destruerent: sed ipsi mallent esse uasalli Vestræ Maiestatis, & à me imperata exequi. Respondi, eos optime scire, qua animaduersione digni existerent circa præterita, & ut illis parcerem, & crederem esse uero animo dicta, quæ iam mihi exposuerant, prius ad me ducerent nuncios illos captiuos, quos ad eos uenisse dixerant, & omnes incolas è Mexico, & Temixtitan, qui in sua prouincia reperirentur, alias eorum erratis non parcerem. Et reuerterentur domum, & eas inhabitarent, & ita se gererent, ut cognoscerem ex illorum operibus, eos Maiestatis Vestræ fidos esse subditos. Quamuis autem plures alias rationes in medium adduxerint, nunquam tamen à me aliud obtinere potuerunt, & reuersi sunt ad suam prouinciam, pollicentes se præcepta mea & mandata exequi desiderare, & deinde semper extitere & sunt fideles Maiestatis Vestræ subditi. B

Alia Relatione, fortunatissime, & excellẽtissime Domine, Maiestati Vestræ significaui, quod eo tempore, quo me in fugam uerterunt, & à dicta ciuitate Temixtitan expulerunt, deducebam mecum filium unum & duas filias ipsius Domini Muteezuma, & dominum è Tesaico, qui dicebatur Cacamacin, & duos eius fratres, & plures alios Dominos, quos captiuos detinebam, & quemadmodum hostes eos omnes interemerant, quamuis eorum essent nationis, & aliqui ex ipsis Dominis suis, præter fratres duos germanos dicti Cacamacin, qui bono fato uix euadere ualuere, quorum alter nominabatur Ipásuchil, & etiam alio modo Cucascacin, quem antea Maiestatis Vestræ nomine, communicato consilio cum Domino Muteezuma, dictæ ciuitatis Tesaico, & prouincię Aculuacan, Dominũ constitueram. Cum in ciuitate Tascaltecal illum captiuum retinerem, solutis uinculis aufugit, & ad dictam ciuitatem Tesaico reuersus est, & iam creauerant in dominum alium eius fratrẽ nomine Guanacacin, de quo superius memini. Aiunt commisisse interimi dictum Quacuscacin fratrem suum hoc pacto. Quoniã quam primum ingressus est prouinciam Tesaico, custodes illum captiuarunt, & hoc nunciarunt Guanacacin eorum Domino, & ipse etiam significauit domino è Temixtitan, qui ut præsensit dictum Quacuscacin aduentasse, ratus est illum non potuisse uincula fregisse, & fugisse, sed uenisse nostro nomine, ut inde nobis aliquid significaret. Illico cõmisit dicto Guanacacin, ut interimeret dictum Quacuscacin suum fratrem. Qui sine dilatione illud executioni mandauit. Alius uero frater, qui erat minor inter illos, qui apud nos remansit

A mansit, cum esset puer, imbibit nostros mores, & effectus est Christianus, & illi nomen imposuimus. Don Ferdinando, & quando discessi à prouincia Tascaltecal, prouincias Mexico, & Temixtitan uersus, eum ibi cum aliquibus Hispanis dimisi, de quo in posterum, & quae circa eum successerunt, Maiestati Vestrae abunde referam.

Regulus quidam ex Idololatra efficitur Christianus

Sequenti die postquam reuersus fueram à ciuitate Iztapalapa, ad ciuitatem Tesaico, cōstitui destinare Condisaluum de Sandoual executorem maiorem Vest. Maiestatis praefectum cum uiginti equitibus, & ducentis peditibus, balistis pixidibus, & parmis utentibus ad geminos necessarios effectus. Vnum, ut comitarentur extra dictam prouinciam quosdam nuncios, quos mittebam ad ciuitatem Tascaltecal, ut scirem in quo statu essent illi tredecim bergantini, qui ibi parabantur, & ad comparandas alias res oportunas, tam relictis in ciuitate Verae Crucis, quam eorum, qui mecum erant. Ad alium uero, ut eis prouinciae partem tutam, & securam redderem, ut Hispani tuto & securi ire & reuerti possent, quia tunc temporis non poteramus exire hanc prouinciam Aculuacan, nisi transiremus per hostium loca. Nec Hispani, qui morabantur in ciuitate Verae Crucis & alibi, ad nos sine maximo discrimine proficisci poterant. Et commisi dicto executori maiori, postquam conduxisset nuncios ad loca tuta, perueniret ad prouinciam quandam nomine Calco, quae fines habet cum hac prouincia Culuacan. Pro comperto enim habebam, quod incolae illius quamuis essent factionis illorum è Culua, uolebant se Maiestati Vestrae subdere, & non audebant exequi, metu cuiusdam praesidij, per eos è Culua apud illos constituti: & dictus praefectus discessit, quem omnes Indi è Tascaltecal comitati sunt, qui sarcinas nostras eo adduxerant, & aliqui qui aduenerant nobis opem laturi, & aliquid predae fuerant potiti in bello, & quamprimum progressi sunt, B praefectus, ratus, si Hispani extremum agmen occuparent, hostes eos aggredi non auderent. Hostes uero qui erant in colonia lacus & in littore illius aggressi sunt agmen eorum è Tascaltecal & praedam omnem abstulere, & quosdam ex eis interfecere, & cum praefectus cum equitibus eo peruenit, acriter in hostes irruerunt & uulnerauerunt, & interfecerunt multos. Qui superfuere in fugam uersi, retrocessere ad aquas & ad colonias quae lacui adhaerent: & Indi è Tascaltecal profecti sunt cum rebus quae eis superfuerant, in patriam, & pariformiter nuncij quos illuc destinabam: qui postquam loco tuto, & absque omni timore erant constituti, dictus Condisaluus de Sandoual, direxit iter ad dictam prouinciam Calco, quae propinqua erat. Et die sequenti summo mane plurimi ex hostibus in unum conuenere, ut eos pugna exciperent, & cum utraque pars esset in campis, nostri irruerunt in hostes, & equitibus, duo agmina dissiparunt adeo, quod breui nostri uictoria potiti sunt & iuerunt comburendo, & eos interficiendo. Hoc facto, & eo itinere pacato, illi è Calco descenderunt, & benigne Hispanos excepere, & utraque pars maximam laetitiam consecuti sunt. Et primates eorum asseruere, uelle me uisum & allocutum proficisci, & eo pacto discessere, & dormitum uenere ad ciuitatem Tesaico, & cum eo peruenissent, dicti primates cum duobus filijs domini dictae prouinciae Calco, mihi praesto fuere, & donarunt nobis trecenta auri pondera in frusta, & retulere parentem eorum ab humanis excessisse, & tempore quo perijt, eis dixerat, se nullum maiorem moerorem perpeti quam quod moreretur antequā me uidisset, & diu me expectauerat: eisq; mandarat, quod quamprimū ad hanc prouinciam peruenirem, me allocutum & salutatū uenirent, & me loco patris obtinerēt, & cum audiuerant meum aduentum ad ciuitatem Tesaico, illico desiderabant proficisci ad me, tamen non ausi fuerant metu illorum è Culua, & etiam eo tunc ausi non fuissent, nisi ille prefectus quem destinauerā, peruenisset ad suam prouinciā, et quando reuerterētur opus fore, ut eis impartirer totidē Hispanos ut reuerti possent, & asseruerunt me optime scire, eos nec in bello

A

nec extra mihi unquam fuiſſe hoſtes, & etiam me ſcire, quod eo tempore cum incolæ è Culua oppugnabant fortilitium, & domum in ciuitate Temixtitan & Hiſpanos quos ibi dimiſeram, quando Cempoal profectus ſum allocutum Narbaez, & etiam exiſtentes in ſua prouincia duos Hiſpanos ad cuſtodiam certæ quantitatis Mayz, quod colligendum mandaueram in dicta prouincia, extraxerant uſque ad prouinciam Guaxocingo, quoniam cognoſcebant incolas illius nobis eſſe amicos, ne illi è Culua eos interficerēt, ut omnes inuentos extra fortilitium in ciuitate Temixtitan interfecerant. Hæc, & alia multa, flentes protulere. Illis gratias egi circa eorum bonum in nos animum, & bona opera, & pollicitus ſum me omnia facturum, quæ illi cuperent, & à me bene haberentur. Et hactenus oſtenderunt ſemper bonum in nos animum, & obediunt in omnibus, quæ ego nomine Maieſtatis Veſtræ eis præcipio.

Filij dicti Domini de Calco, & illi qui ſecum aduenerant, ibi unius diei moram traxere, & quia cupiebant in patriam reuerti, rogabant, ut illis milites impartirer qui eos tutos conducerent: & Condiſaluus de Sandoual, quibuſdam comitatus equitibus, & peditibus, cum illis profectus eſt, quibus præcepi, poſtquam eos in prouinciam commitati eſſent, perueniret ad prouinciam Taſcaltecal, et adducerent quoſdam Hiſpanos qui ibi morabantur, & Don Ferdinandū fratrē dicti Canamacin, de quo ſuperius memini, et poſt quatuor, aut quinque dies dictus maior Executor reuerſus eſt cum dictis Hiſpanis, & adduxit dictum don Ferdinandum. Et inde ad paucos dies audiui, quod cum eſſet frater dictorum Dominorum, dictæ prouinciæ dominium eidem pertinebat, quamuis haberet alios fratres, & propter hoc, & etiam quia dicta prouincia erat ſine Domino, quia Cacamacin Dominus illius, omnia dimiſerat, & aufugerat ad ciuitatem Temixtitan, & iſtis de cauſis, & etiam quia erat maxime Chriſtianis amicus, nomine Veſtræ Maieſtatis curaui, ut illum in Dominum ſuſciperent, & incolæ illius ciuitatis, quamuis pauci eſſent, illum acceperunt, & poſtea illi paruerunt, & reuerſi ſunt multi ad dictam ciuitatem, & prouinciam Aculuacham, qui abierant. & aufugerant, & ſeruiebant dicto don Ferdinando Et poſtea cœpta eſt reformari, & habitari dicta ciuitas. B

Hinc ad duos dies poſt hæc, uenerunt ad me Domini è Coatinchan, & Guazuta, & aſſeruere, mihi certo proponerem, omnes eorum è Culua uires in me moueri, & contra Hiſpanos, & omnis regio erat hoſtibus referta, ut dicerem illis, an adducerent uxores, & filios ubi ego eram, uel eos in montes deducerent, quoniam ipſi maxime timebant. Ego autem eos forti animo eſſe iuſſi, ut non timerent, & domi ſuæ morarentur, nec mouerent ſe, quoniam nulla re magis oblectabar, quam cum illis è Culua pugnam committere, & eſſent parati, & collocarent, diſponerentq́ ſuos uigiles in uniuerſa prouincia, & uidendo, aut audiendo hoſtes aduentare, illico me monerent, & ſic diſceſſere animo gerentes ea, quæ commiſeram uelle exequi. Ego autem, ea nocte præparaui milites meos, & uigiles diſpoſui omnibus in locis, ubi opus eſſe cognoui, & tota ea nocte nos non dedimus ſomno, nec alijs negotijs incubuimus, & tota ea nocte expectauimus, & die alio, arbitrantes illud quod nobis retulere illi è Guazuta, & Coatinchan euenturum. Sequenti die mihi allatum eſt hoſtes uagari per lacus littora, cogitantes capere poſſe aliquos ex Indis è Taſcaltecal, qui ibant, & reuertebantur ad neceſſaria caſtrorum afferenda, & audiueram illos fœdera iniuiſſe cum duabus colonijs. ſubditis ciuitati Teſaico quæ erant proximæ aquis, ut inde nobis omne poſſibile damnum inferrent, & ad muniendum ſe conſtituebant aggeres, foſſas & alia uaria ad ſui tutelam. Hoc audito, ſequenti die acceptis duodecim equitibus, ducentis peditibus, & duobus paruis campeſtribus tormentis eo, ubi uagabantur hoſtes, profectus ſum, qui locus abeſt à ciuitate per ſpatium unius leucæ cum dimidia. & cum egrederer

A grederer offendi quosdam exploratores ab hostibus missos, & alios qui erant in insidijs collocati, & irruimus in eos, & insecuti aliquos neci dedimus, qui superfuere aquę se credidere, & partem dictarum coloniarum igne consumpsimus, & exultantes adepta uictoria, reuersi fuimus ad ciuitatem. Et die sequenti, tres primates dictarum coloniarum, ad me profecti sunt supplices ueniam petentes, rogantesq́; ne ulterius eos destruerem, & pollicebantur se in posterum nullum ex illis e Temixtitan in eorum colonias susce pturos, & quia istæ non erant personæ magni momenti, & erant subditi don Ferdinando. Maiestatis Vestræ nomine eisdem ueniam dedi. Et alio die, uenerunt alij incolæ dictarum coloniarum uulnerati, & male habiti, & nunciauerunt, quod illi è Mexico, & Temixtitan, reuersi fuerant ad eorum colonias, & quia in eis non fuere adeo gratiose excepti, ut prius excipiebantur, male eos mulctauerant, & aliquos ex eis captiuos abduxerant, & si ego eos non defenderē, omnes abducerent. Et rogabant, ut promptus, paratusq́; existerem opem laturus eisdem, si forte denuo illuc reuerterentur, quoniam ipsi certo credebant eos reuersuros maioribus copijs ad eos ultimæ internitioni dandos. Et solatus eos, commisi ut attenti, & parati existerent taliter, quod cum illi è Temixtitan contra eos mouerent castra, tēpestiue scire possem, ut illis opem ferrē, & hoc habito responso, ad suas colonias reuersi sunt.

Homines, quos dimiseram in ciuitate Tascaltecal, ut bergantinos fabricandos curarent, audiuerant portui ciuitatis Veræ Crucis, applicuisse nauim, ultra nautas cum triginta, aut quadraginta Hispanis, octo equis, aliquibus balistis, pixidibus, & puluere: & cum adhuc ignorarent, quomodo res in bello eo procederet, nec confiderent ad nos posse peruenire, maxime tristabantur. Erant ibi aliqui Hispani, qui non audebant ad me proficisci, quamuis plurimum optarent tale bonum nouum ad me deferre. Quamprimum familiaris meus, quem ibi dimiseram, hoc audiuit, aliquos uolentes
B tentare uenire eo ubi ego eram, præconia uoce nunciari mādauit, graui pręmissa pœna, ne quis ab eo loco discederet, donec à me haberent in mandatis. Et seruus meus prospiciens, me nulla ex re maiori affectum iri lætitia, quam aduentu istius nauis & præsidij, quod nobis adducebat (quamuis iter non esset tutum) noctu discessit, & ad ciuitatem Tesaico peruenit, qua ex re plurimum cepimus admirationis, illum eo uiuum peruenisse, & nouis huiusmodi maxime fuimus lætati, quia subsidio plurimum indigebamus.

Eadem die catholice domine, peruenere ad ciuitatem Tesaico quidam probi uiri nuncij dominorum è Calco, & significauerunt, quoniam se Maiestati Vestræ in uasallos obtulissent, omnes illos è Mexico, & Temixtitan contra eos castra sua mouere, ut eos destruerent, & interimerent. Et ad hoc conuocauerant, & paratos esse iusserant omnes circumuicinos suos, & rogabant, ut illis opem ferrem in tali necessitate, quia cogitabant se maxime passuros, nisi eis opem ferrem. Et ingenue fateor, Maiestati uestræ. quemadmodum alias alia relatione Maiestati Vestræ significaui, ultra nostros labores, & necessitates, maius onus, & dolor erat, non posse opem ferre, & auxiliari amicis nostris: qui, quoniam se subdiderant Maiestati Vestræ, ab hostibus nostris è Culua maxime molestabantur. Et tametsi ego, & omnes cōmilitones mei, omnem in eo adhiberemus diligentiam, quoniam uidebatur nobis in nullo plus Maiestati Vest. complacere, quam si subditis suis opem ferremus, & fauorē pręstaremus: tamē quia tēpus quo illi è Calco ad me profecti sunt, non permittebat me illis elargiri, quæ desiderabant, dixi, quod eo tempore uolebā mittere ad bergantinos adducendos, & ad id se parauerant omnes Incolæ è Tascaltecal, unde dicti bergantini in frustra adduci debebant, & ad hoc cogebar destinare aliquam quantitatem equitum, & peditū, & cognoscebam incolas prouinciarum Guaxocingo, Churultecal & Guacachula, esse Maiest. V. uasallos & nobis amicos, eos adirent, & meo nomine ab eis peterent, cum eis essent contermini, illis opem ferrent, et illuc presi

dia

dia ſua mitterent, ut tuti interim eſſe poſſent, donec ipſemet eis opem ferrē, A quoniam aliter prouidere non poteram. Et quamuis ipſis ea tam grata non eſſent, quam ſi eiſdem aliquos Hiſpanos fuiſſem impartitus, gratias tamen mihi egere, & à me ut fides adhiberetur, literas meas illis decernerem petiere, & etiam ut ſecurius illud expetere poſſent ab eiſdem, quoniam inter incolas è Calco, & alias duas prouincias, cum diuerſæ eſſent factionis, ſemper uiguerat controuerſia. Et forte dum hoc negocium componerem, aduenere nuncij quidam à dictis prouincijs Guaxocingo, & Guacachula, & præſentibus nuncijs è Calco dixere, Dominos dictarnm prouinciarum nulla de me noua habuiſſe, poſtquam diſceſſeram à ciuitate Taſcaltecal, quamuis & uigiles ſuos retinerent in montium cacuminibus, qui uniuerſæ prouinciæ Mexico, & Temixtitan ſupereminent, ut cum uiderent crebos fumos (qui ſunt inditia belli) mihi cum ſuis ſubditis. & militibus opem laturi uenirent. Et quia à paruo tempore plures fumos ſolito uiderant, acceſſerant cogituri, quomodo me haberem, & ſi ſubſidio aliquo mihi opus eſſet, illico comparare poſſent exercitum. Ego autem eiſdem gratias egi, & reſpondi dei optimi maximi auſpicio Hiſpanos omnes, & me recte ualere, & ſemper uictoria potitos eſſe contra Hoſtes noſtros. Et ultra uoluptatem, quam capiebam ex bono eorum animo, & præſentia, plus tamen eorum aduentu lætabar, ut eos fœdere iungerem illis è Calco qui aderant, & eos ad id rogabam cum eſſent. Veſtræ Sacræ Maieſtati uaſalli, ut eſſent boni amici, et alter alteri opem ferret contra incolas è Culua, qui iniqui & peſſimi exiſtebant: & maxime in præſentiarum cum illi è Calco ope eorum indigerent, quoniam incolæ è Culua uolebant eos aggredi. Et eo pacto remanſere amici & fœdere iuncti, & cõſumptis ibi mecum duobus diebus omnes diſceſſere, multũ læti & contenti, & poſtea ſemper alter alteri opem tulit.

Inde ad tres dies cum ſciremus iam tredecim bergantinos eſſe perfectos, & homines qui eos adducere debebant eſſe paratos, miſi Condiſaluum de Sandoual executorem maiorem cum quindecim equitibus & ducentis peditibus, ut eos adducendos curaret. Cui mandaui ut deſtrueret, & ſolo æquaret amplam coloniam ſubditam huic ciuitati Teſaico, quæ contermina eſt ciuitati Taſcaltecal. Incolæ enim illius neci dederant quinque equites, qui proficiſcebantur à ciuitate Veræ Crucis, ad celebrem ciuitatem Temixtitan, quando ego in ea oppugnabar, nullo modo cogitantes talem nobis euenire poſſe proditionem: & eo tempore, cum primo hac uice ingreſſi fuimus hanc ciuitatem Teſaico, inuenimus in oratorijs & Meſchitis dictæ ciuitatis coria dictorum quinque equorum cum pedibus, manibus'que & ferramentis inſuta, et adeo aptata, quod melius in uniuerſo terrarum orbe fieri non poſſet, & in ſignum uictoriæ ipſos, bona multa, & res uarias Hiſpanorum obtulerunt idolis ſuis, & inuenimus ſanguinem commilitonum, & fratrum noſtrorum ſparſum & ſacrificatum in omnibus illis turribus & Meſchitis. Fuit res tantæ mœſtitiæ ut nos reintegrare coegerit omnes noſtros labores & ærumnas. Et proditores illius coloniæ & alij circumuicini, eo tempore cum dicti Chriſticolæ illac tranſiuerunt, eos optime excepere, ut illi ſe tutos crederent, & in eos maiori ſæuitia uti poſſent, qua nunquam mortalium aliquis uſus fuerit, quoniam dum illi deſcenderent à cliuo quodam, & difficile emetirentur iter, & equis deſcendere coacti, freno equos trahentes, & impeditos hoſtes à dextris & ſiniſtris in inſidijs collocati, eo in difficili loco circundederunt. Ex quibus aliquot interfecerunt, & alios captiuos tenuere, ut eos ad ciuitatem Teſaico perducerent, & illos ſacrificarent, & corda eorum è pectoribus extraherent, ante ipſorum idola, & hoc eueniſſe credimus. Quoniam cum dictus maior executor illac tranſiuit, quidam Hiſpani qui ſecum proficiſcebantur, in quadam domo unius coloniæ, quæ conſiſtit inter ciuitatem Teſaico & illam coloniam, ubi interfecti ſunt & capti dicti Chriſticolæ in pariete alba ſcriptum inue-

Hiſpani pedes equorum anteriores, manus appellant

inuenere. Hic fuit captiuus infortunatus Iohannes Iuste, qui erat quidam nobilis ex illis quinque equitibus, quod spectaculum sine dubio uidentibus maximam cordis attulit mœstitiam atque dolorem. Quum maior executor illuc peruenisset, quam primum incolæ illius coloniæ cognouere suum magnum errorem, & facinus, fuga salutem quærere cœperunt. Equites uero, & pedites nostri, & Indi nobis amici eos insequuti sunt, & multos neci dedere, & captiuas habuere plurimas fœminas, & pueros tot quot potuerunt, & in seruitutem abduxere. quamuis pietate motus noluit interficere & destruere quantum potuit, & antequam discederet superstites conuenire, & in sua colonia degere iussit, & in præsentiarum habitatur, & erroris suis eos maxime pœnituit. Et dictus maior executor ulterius progressus est, per quinque aut sex leucas, ad coloniam quandam è prouincia Tascaltecal, quæ est proximior confinibus è Culua, & ibi offendit Hispanos, & homines adducentes bergantinos, & sequenti die discessit cum tabulis & compagibus, quas adducebant optimo ordine, plusquam octo millibus hominum. Quod ut erat uisu mirabile, sic & cogito esse creditu mirabile, portare tredecim bergantinos terra, per decem & octo leucas. Quoniam uera refero Maiestati Vestræ quod ab agmine quod procedebat ad extremum, intercedebat intercapedo duarum leucarum, & cum primum progredi cœperunt, præcedebant octo equites Hispani, & centum pedites. In lateribus uero, ultra decem millia hominum, è prouincia Tascaltecal tuebantur. Quibus præerant Iutecad, & Teutipil, qui sunt duo domini ex primatibus prouinciæ Tascaltecal. Extremum defendebant agmen centum Hispani & ultra, pedites, & octo equites, & forte ad decem millia hominum bello aptorum & bene compositorum, quibus præerat Chichimecatecle, qui est ex primatibus illius prouinciæ cum alijs ducibus, quos secum adducebat, qui eo tempore quo discesserant in primo agmine adducebantur tabulæ. In extremo uero compago. Et ut ingressi sunt prouinciam è Culua, bergantinorum magistri iussere, quod in primo agmine compago locaretur, & tabulæ essent in extremo agmine, quoniam maiori futuræ erant impedimento, si eis aliquid euenisset. Quod si eueniret uerisimiliter esset futurum in primo agmine, & Chichime catecle, qui adducebat tabulas, quemadmodum eousque cum suis militibus fuerat sortitus primum agmen, duræ fuit ceruicis, & obstitit plurimum, & maxime laborarunt, ut extremum locum obtineret, quia ipse uolebat subire discrimen, quod inde euenire posset, & hoc concesso etiam nolebat pati, quod in extremo agmine aliquis Hispanorum moraretur, cum sit uir maximæ fortitudinis, & uigoris, & ipse querebat potiri eo honore. Adducebant dicti duces duo millia hominum onustorum commeatibus, & eo ordine & serie prosecuti sunt iter suum, in quo fuere tribus diebus, Quarta uero luce ingressi sunt hanc ciuitatem maximo gaudio & exultatione, & strepitu tympanorum. Et ego ut eos exciperem, illis obuiam progressus sum. Et ut superius dixi, illa multitudo tantum extendebatur, quod ab eo tempore quo primi ingredi cœperunt, intercederet spacium sex horarum, antequam nouissimi ingrederentur, nunquam cessantibus, qui ordine ingrederentur. Et postquam ad illos perueni & gratias egi illis dominis de beneficijs in nos collatis, illis hospitia consignaui, & necessaria prouideri curaui, quam fieri potuit optime, & ipsi mihi retulere, desiderare cum illis è Culua congredi, & uiderem quid uellem illis iubere, & retulere, eos una cum alijs quos secum adduxerant, eo animo uenisse, & una cum Hispanis, aut mori, aut uindictam sumere uolebant. Ego gratias egi & dixi, ut quieti se darent, & cito eorum morem gererem uoluntati.

Post quã omnes isti è Tascaltecal, in ciuitate Tesaico quieuerãt trib. aut quatuor dieb. qui equidẽ (cõparatione uirorũ, qui in istis regionibus habentur) erant strenuissimi, in armis esse iussi uiginti quinque equites, trecentos

pedites & quinquaginta balistis, & pixidibus utentes, & sex parua tormenta campis conducentia, aptari iussi, & inscijs omnibus quo pergeremus, nona diei ab hac ciuitate discessimus, & mecum uenere Duces prædicti, cum forte triginta millibus hominum, suis agminibus bene compositis, secundum eorum consuetudinem, & per leucas quatuor ab ista ciuitate, cum iam esset hora tarda, offendimus agmen hostile, & nos equites irruimus in eos, & in fugam uertimus. Illi uero è Tascaltecal, cum sint agiles, nos sunt sequuti, & ex hostibus multos interemimus. Ea nocte sub dio semper ad omnia parati noctem duximus maximis uigilijs. Sequenti die, summo mane, incœptũ iter prosequi cœpimus, & eousq; nulli quo progredi uellem significaueram, & hoc ideo feceram, quia cauebam à quibusdam è Tesaico, qui proficiscebantur nobiscũ, ne illud incolis è Mexico, & Temixtitan significarent quia adhuc illis non fidebam, & peruenimus ad coloniam nomine Xaltoca, quæ est sita in medio lacus, & circum eam inuenimus plures, & magnas fossas aquarum, et muniebãt circum circa dictam coloniam, ne equites ingredi possent, & hostes maxime uociferabant, & conijciebant in nos fustes, & spicula. Et pedites, quamuis magno labore, eam ingressi sunt, & illos à colonia expulerunt, & magnam dictæ coloniæ partem igne consumpserunt, & ea nocte iuimus dormitum per leucam, & orta iam luce secuti nostrum iter offendimus hostes, & à longe cœpere uociferare, ut solent in bello facere, quæ uociferationes sunt mirabiles auditu, & nos alij incepimus illos subsequi. Et eos insequendo peruenimus ad magnam & pulchram ciuitatem, quæ dicitur Guanticlan, & eam inuenimus inhabitatam, ea nocte ibi moram traximus.

Sequenti die ulterius progressi, peruenimus ad quandam ciuitatem Tenainca nomine, in qua nullum obstaculum inuenimus, & absq; eo quod nos quieti daremus, progressi fuimus in aliam ciuitatem Acapuzalco nominatam, quæ totaliter est in circuitu lacus, nec in ea quieuimus, admodum enim desiderabam peruenire ad aliam ciuitatẽ, quæ Atacuba dicitur, quæ est proxima ciuitati Temixtitan, & cum essemus illis propinqui, inuenimus circũ circa multas aquarum fossas, & hostes promptos, paratosq;. Et quamprimũ eos uidimus, & Indi nobis amici similiter irruimus in eos & ingressi sumus ciuitatem, & interficiendo eos expulimus à ciuitate, & ea nocte cum hora esset tarda, nil aliud fecimus quã hospitio nos collocauimus, quod erat adeo amplum, ut commode in eo nos collocare potuerimus. Sequenti die illucescente Indi nobis amici, cœpere ciuitatem depopulari, & comburere præter hospitium ubi hospitabamur, & in hoc tali usi sunt diligentia, ut combusta fuerit etiam quarta pars nostri Hospitij, & hoc ideo commissum est, quoniam alias quando profligati discedebamus à celebri ciuitate Temixtitan, incolæ ipsius, una cum illis è Temixtitan, in ea nos maxime oppugnarunt, & interfecere plures Hispanos.

Illis sex diebus, quibus fuimus in hac ciuitate Atacuba, nullus extitit dies, quo non fuerimus cum hostibus congressi, & leuia prælia iniuerimus, & Duces illorum è Tascaltecal, & commilitones sui plurima duella inibant cũ illis è Tascaltecal, & inter se acriter & strenue præliabãtur, & inter eos multa intercedebant, & alter alteri minabatur, & conuitia proferebant adinuicem, quæ sine dubio erant spectatu digna, & omni hoc tempore mortui sunt plurimi ex hostibus, absq; aliqua nostrorũ morte, quia multoties ingressi sumus stratas illas uias & pontes ciuitatis, quamuis cum tot munimina obtinerent, acriter resisterent, & multoties fingebant cedere, ut ciuitatem ingrederemur, asserendo. Ingrediamini ciuitatem, ut in ea uos uoluptati (ut superiori tempore) dare possitis. Aliquando dicebant. Cogitatis adesse aliũ Muteezuma, qui uotis satisfaciat. Et dum sic ista fierent, perueni semel ad quendam pontem, quem expugnaueram. & cum ipsi essent ultra illum pontem, significaui meis, ut quiescerent, & similiter illi cum signum meum conspexere, innuerunt suis, ut silerent, & eis retuli quare essent effecti fatui, & uellent

destrui,

A destrui, & si inter eos comperirietur aliquis ex Primatibus ciuitatis, illuc accederet, quoniam desiderabam illum alloqui. Illi uero responsum dedere, omnem illam hominum multitudinem, quam ibi uidebam esse dominos, & propterea ea, quæ uellem in medium proferrem, & cum ego nullum responsum dedissem, cœpere in conuitia prolabi, & quidam ex nostris eis nunciauit eos fame perituros, non permittentibus nobis ut inde exirent quæsitum cibaria. Responderunt, se non indigere, & si indigerent, manducaturi essent nos Hispanos & Incolas è Tascaltecal. Et quia iter meum ad hanc ciuitatē à Tacuba fuerat potissimum, ut tractarem cum illis è Temixtitan, & cognoscerem, quali essent intētione, & mora mea ibi nil proderat, post sex dies decreui reuerti Tesaico ut properarem ad conficiendos bergantinos, & ut terra mariq; eos obsidione premerem. Eo die, quo discessimus, uenimus dormitum ad ciuitatem Goaotitan de qua superius memini, & hostes nos semper sunt insecuti, & nos equites sæpius in eos irruebamus, & sic aliqui permansere in nostra potestate. Sequenti die cœpimus iter nostrum prosequi, & cum hostes nos discedentes prospicerent, rati sunt nos id timore facere: conuenere multi ex illis. & nos insequi cœpere. Cum ego hoc prospicerem, iussi pedites anteire, & cum sisterent, in extremo eorum agmine essent quinque equites & ipse remansi cum reliquis uiginti: & iussi sex equites se collocare in insidijs in quodam loco, & alios sex in alio, & quinq; in alio, & ipse tribus equitibus in alio. Et quam primum hostes transiuissent, cogitātes nos omnes insimul anteire, audientes uocem (Sancte Iacobe) prosilirent, & eos à tergo aggrederentur. Et cum tempus affuit prosiliuimus, & cœpimus lanceis illos impetere, & insequuti fuimus eos per duas leucas semper in planicie quæ fuit uisu digna, & sic ex illis multi periere, tam à nobis quam ab Indis nostris amicis interempti, & remansere, & ulterius nos non sunt insecuti, Nos uero pedem retulimus, et consequuti fuimus nostros, & ea nocte permansimus in colonia quadam insigni Aculman nomine, quæ abest duabus leucis à ciuitate Tesaico. Vnde discessimus sequenti die. & in meridie peruenimus ad ciuitatem, & fuimus hilari uultu à maiore executore, quem præfeceram, & ab omnibus reliquis recepti, & maxime lętati sunt nostro aduentu, quoniam postquam inde discesseramus, nunquam aliquid de nobis ad eorum aures peruenerat, nec quid euenisset, & maxime desiderabant scire. Sequenti die postquam eo perueneramus, Domini & duces militum è Tascaltecal à me dimitti petierunt, & profecti sunt ad eorum ciuitatem, admodum læti aliqua hostium præda.

B

Per dies duos, postquam ingressi eramus ciuitatem Tesaico, uenerūt ad me aliqui Indi nuncij dominorū è Calco, & significarunt dominos suos iussisse, ut mihi suo nomine nunciarent, quod illi è Mexico & Temixtitan eos aggredi uellent, & inuadere ut eos destruerent, & me rogabant, ut eo subsidium destinarem, quemadmodum alias petierant. Et ego illico curaui mittere Condisaluum de Sandoual cum uiginti equitibus & trecentis peditibus, cui præcepi ut properaret, & cum illuc peruenisset, curaret omnibus modis opem ferre, & fauorem posibilem pręstare illis Maiestatis Vestræ uasallis, & nobis amicis, & cū eo peruenisset, comperit plurimos ex prouincijs Guaxocingo, & Guacachula conuenisse & expectare, & compositis rebus discessere profecturi ad coloniam nomine Guastepeque, ubi incolæ è Culua erant collocati, unde damna inferebant incolis è Calco, & hostium plures exierunt è quadam colonia, quæ erat in itinere, & cum Indi nobis amici essent magno numero, fidentes Hispanis equitibus insimul ingruerunt in eos, & castris potiti sunt, & ea in colonia prope Guastepeque ea nocte morati sunt, & postera luce discessere, & cum peruenissent prope coloniam Guastepeque, incolę è Culua incœpere conserere manus cum Hispanis, tamen breui eos in fugam uerterunt, & eos interficiendo eiecerunt à colonia. Equites uero morati sunt, ut equis cibum subministrarent, & hospitarentur, & dum

eſſent ita imparati, peruenere hoſtes uſque ad plateam ante hoſpitium exiſtentem uociferando, proijciendo lapides, fuſtes, & ſagittas, & Hiſpani ſumptis armis una cum Indis nobis amicis, eos aggreſſi ſunt, & à dicta colonia denuo expulerũt, & inſecuti ſunt eos per leucæ ſpacium, & interfecere multos ex hoſtibus, & ea nocte admodum laſſi, reuerſi ſunt ad dictam coloniam Guaſtepeque, ubi quieuere per dies duos. Eo tempore maior executor audiuit in colonia ulteriori Acapichtla nomine, conueniſſe hoſtium maximam multitudinem, & conſtituit illuc proficiſci uiſum, ſi pacifice ſe dedere uellent & pacẽ uellẽt quærere. Iſta colonia erat admodũ munita, & loco alto ſita, ubi ab equitibus lædi non poterãt, & cum Hiſpani illuc perueniſſent, illico hoſtes manus conſerere cœperũt, & è loco alto lapides proijcere. Et quãuis multi eſſent ex amicis noſtris, cũ dicto maiori executore, conſiderantes loci munimen, non audebãt hoſtes aggredi, & quam primum dictus maior executor, & Hiſpani hoc conſpexere, conſtituerunt, aut mori, aut ui aſcendere in excelſum illius coloniæ, & inuocatione Sancti Iacobi incœperunt aſcendere, & Deo optimo maximo placuit, tantum uirium eiſdem ſubminiſtrare, quod quamuis maxime obſiſterent & offenderent, aſcenderunt tamen quanquam multi fuerint uulnerati, & cum Indi noſtri amici eos eſſent inſecuti, & hoſtes ſe uictos uiderent, fuit tanta eorum cædes ex Hiſpanis manibus & illis qui cadebant ab alto, quod omnes illi qui ibi interfuere, affirmant fluuium paruum, qui coloniam illam circundabat, rubicundum mortuorum ſanguine effluxiſſe, & diu morati ſunt, antequam aquam potabilem extrahere poſſent. Cum enim ingens eſſet æſtus, aqua multum indigebant, & cum modum huic negotio impoſuiſſet, dimittens duas eas colonias quietas, & bene condigna caſtigatione mulctatas, quia pacem primo negaſſent, dictus maior executor reuerſus eſt omnibus comitantibus ad ciuitatem Teſaico. Et credat. V. S. C. M. hanc fuiſſe inſignem uictoriam, in qua Hiſpani optime uires ſuas demonſtrarunt.

Fluuius quidã interfectorum ſanguine rubet.

Cum incolæ è Mexico, & Temixtitan audiuere maximum damnum illatum ſuis ab Hiſpanis & incolis è Calco, conſtituerunt in eos mittere duces quoſdam maximis copijs, quo audito incolæ è Calco mihi ſignificarunt, rogantes, ut illis celerrime præſidium tranſmitterem, & illico expediui dictum maiorem executorem quibuſdam peditibus & equitibus.

Tamen cum eo peruenit, iam hoſtes è Culua & incolæ è Calco, conflixerant acriter hinc inde, ut deo placuit, ut amici noſtri è Calco uictoria fuerint potiti, & neci dedere multos ex hoſtibus, & captiuos obtinuere quadraginta, inter quos erat dux quidã ex Mexico & duo alij ex primatibus quos omnes incolæ è Calco conſignarunt dicto maiori executori, ut ad me eos adduceret. Quorum aliquos ad me deſtinauit, reliquos ſecum retinuit. Voluit enim morari ad præſidium incolarum è Calco, in quadam colonia in finibus hoſtium è Mexico. Et poſtea dum ei uiſum eſt moram ſuam non neceſſariam, redijt Teſaico, et adduxit reliquos captiuos, qui apud eum remanſerant. Interim habuimus alia multa leuia certamina, & occurſus cum incolis è Culua, quæ omnia ad euitandam prolixitatem prætermitto.

Cum iter à ciuitate Veræ Crucis, ad hanc ciuitatem iam eſſet tutum & poſſent ire, & redire tuti illi è ciuitate iam dicta, quotidie aliquid à nobis audiebant, & nos ſimiliter ab illis, quod prius fieri non poterat. Et nuncio quodam miſerunt ad me quaſdam baliſtas, pixides, & puluerem: quibus maximam cepimus uoluptatem. Et inde ad duos dies, miſerunt alium nuncium, quo nunciarunt portui appli cuiſſe naues tres quibus uehebantur multi milites, & equi, & eos illico ad nos erant tranſmiſſuri. Et cum in tanta eſſemus ſubſidij penuria, nobis à deo Opt. Max. ſubſidium tranſmiſſum credidimus.

Omnibus modis poſſibilibus inquirebam in noſtram amicitiam allicere incolas è Temixtitan, partim ne eorum cauſa deſtruerentur, partim ut quieſceremus à laboribus præteritorum bellorum. Et maxime, quia cognoſce-

scebam inde prouenire maximam utilitatem Vestræ Maiestati: & ubicumque poteram habere aliquem ciuitatis incolam, illum remittebam, ut illos monerem, quod pacifice deditionem facerent. Et in die Mercurij Sancti Anni M.CCCCCXXI. coram præsto esse iussi primates incolas è Temixtitan, quos illi è Calco captiuauerant, et nunciaui an aliquis eorum proficisci uellet ad ciuitatem, & meo nomine Dominos illius alloqui, & eos rogare, quod ulterius non quærerent mecum bella gerere, & se subderent in uasallos Vestræ Maiestatis, ut prius fecerant, quoniam ego illos perdere non cupiebam, sed in amicos tenere. Et quamuis non libenti animo irent, quoniam timebant, si nuncium illud afferentes irent, eos interficerent, duo tamen ex illis ire constituerunt, & à me literas petiere. Et quamuis illi non perciperent ea, quæ in eis continebantur, sciebant tamen talem uigere consuetudinem, ut cum eo peruenirent incolæ ciuitatis eisdem fidem adhiberēt. Ideo interpretibus adhibitis eis nota feci, quæ in dictis literis continerentur, scilicet ea, quæ ipsismet imposueram, & eo pacto discessere, & pręcepi quinque equitibus, ut eis assisterent, donec ad loca tuta peruenissent.

Die sabbati sancti, incolæ è Calco, & sui confœderati, et amici mihi nunciandum curarunt, incolas è Mexico, contra eos moueri, & ostenderunt panno quodam albo pictas omnes colonias, quæ aduersus eos proficiscebantur, & itinera, quibus proficisci debebant, & supplicabant, quod omnino subsidium eisdem transmitterem, & dixi eis, quod inde ad dies sex subsidium eisdem destinarem, & si intra hoc tempus necessitate aliqua premerentur, mihi significandum curarent, & ego eisdem opem essem laturus. Tertia die Pascatis reuersi sunt me rogatum, ut celerrime subsidium transmitterem, quia citius quam fieri poterat hostes appropinquabant: & ego eis aperui me uelle ire ad opem eis ferendam, & uoce præconia mandari iussi esse in armis uiginti quinq; equites, & pedites trecentos.

Die Iouis ante hoc, uenere ad ciuitatem Tesaico, quidam nuncij è prouincijs Tazapan, Mascalango, & Neuten, & aliarum prouinciarum, & significarunt aduentasse, ut se dederent in uasallos Vestræ Maiestatis, & ut amicitia nobiscum iungerentur: quoniam ipsi nunquam aliquem ex Hispanis interemerant, & se erexerant contra seruitium Vestræ Maiestatis, & attulere quasdam uestes ex bombice. Eis gratias egi, et pollicitus sum, si essent boni, & fideles, illos bene tractarem, & sic læti reuersi sunt.

Sequenti die Veneris, qui fuit quintus dies Aprilis, dicti Anni Millesimi quingentesimi uigesimi primi, digressus sum ab hac ciuitate Tesaico, comitantibus triginta equitibus, & trecentis peditibus qui erant parati, & in ea dimisi triginta equites & trecentos pedites, quibus præfeci Condisaluum de Sandoual executorem maiorem, & mecum exiuere ad uiginti millia hominum è Tesaico, & agmine composito, iuimus dormitum ad coloniam prouinciæ Calco, Tamanalco nomine, ubi optime fuimus recepti & hospitati, & ibi (quoniam est locus munitissimus) postquam incolæ è Calco amicitiam nostram iniuerant, semper præsidium tenuere, est enim in finibus prouinciæ è Culua. Postera uero die peruenimus ad Calco, nona hora diei, & nullam moram fecimus, nisi in alloquendo dominos illius, & illis sententiam meam aperui, quæ erat semel ambire lacum, cum cogitarem, quod eadem die transacta quæ magni erat momenti tredecim illi bergantini essent perfecti & parati, ut eos lacubus credere possemus. Et cum essem allocutus dominos è Calco, hora uesperarum discessimus, & deuenimus ad eorum coloniam ubi se nobis coniunxere ad quadraginta millia hominum militum nobis amicorum, & ea nocte ibi quieuimus. Et quia incolę dictę coloniæ mihi retulere, incolas è Culua, me in planicie expectare, iussi in aurora gentes omnes esse in armis, & expeditas, & sequenti die post missarum solennia progredi cœpimus, et ego primum agmen occupaui comitantibus uiginti equitibus. In extremo uero agmine, remansere equites de-

decem, & eo pacto transiuimus cacumen arduum. Post meridiem perueni- A
mus ad montem arduum & altum, & in eius cacumine erat magna multitu-
do mulierum & puerorum, & illius latera plena armatis uiris, & illico uoci-
ferare cœperunt, fumos multos faciendo, in nos tum fundis, tum absq; fun-
dis multos lapides, sagittas, iacula & fustes iaciẽdo, ita quod cum peruenis-
sent ad nos, multum incommodi sustinebamus. Et quamuis uidissemus,
quod in planicie non ausi fuerant nos expectare, mihi uisum est (quamuis a-
liud foret iter nostrum) esse pusillanimitatem ulterius progredi, priusquam
eis aliquid damni intulissemus, & ut amici nostri non arbitrarentur nos ex
segnitie illud prætermittere. Circumspexi montem, qui erat in circuitu fere
per leucam, & uere tam natura munitus & arduus, ut uideretur fatuitas uel-
le illum ascendere & occupare, quamuis eos obsidere possem, & eos ad de-
ditionem cogere, non poteram me continere, & dum ita hærerem, constitui
illum ascendere tribus locis, quos conspexeram, & commisi Christophoro
Corral signifero sexaginta peditum (qui semper me comitabatur) ut suo ue-
xillo in eos irrueret, & ascenderet locum magis arduum, & quibusdam mili
tibus pixidibus utentibus, & balistis, ut eum intrepide sequerentur.

Et Iohanni Rodriguez à Villa Forti, & Francisco Verdugo præfectis,
et socijs suis & quibusdam militibus balistis utentibus alio loco ascende-
rent, & Petro Dircio & Andreę à Moniaraz ut alio loco aggrederentur, qui
busdam paucis militibus, pixidibus, & balistis utentibus. Et cum audi-
rent pixidis sonum omnes constituerunt ascendere, & aut mori, aut uicto-
ria potiri. Et cum audissent pixidis sonum illico montem scandere cœpere,
& hostibus cepere duos montis circuitus, & ulterius ascendere non præua-
luere, quia nec pedibus nec manibus se sustinere poterant. Erat enim incre-
dibilis asperitas, & arduitas dicti montis, & tot lapides manibus ab alto de-
ijciebant, qui, quamuis frangerentur maximum damnum inferebant, & fuit
tam strenua hostium defensio, ut duos nobis interfecerint Hispanos, & uul- B
nerarint ultra uiginti, nullo pacto illac transire potuimus. Ego autem, cum
uiderem impossibile esse, plus eo quod feceramus, posse efficere, & multos
hostium conuenire, ut in monte constitutis opem ferrent, ut omnis planici-
es esset hostibus referta, præfectis mandaui, ut pedem referrent, & quum de
scendissemus eos aggressi fuimus, qui erant in planicie eos uulnerando, &
interficiendo, & durauit persecutio plusquam hora cum dimidia, & quum
maxima esset hostium multitudo, equites fuere dispersi, & postquam conue
nere, factus fui ab eis certior, qualiter peruenerant per leucam ab eo loco,
& uiderant alium montem, maxime refertum gentibus, tamen non tam ar-
duum, & in planicie circum circa erant plurimæ coloniæ, & duo non de-
fuisse ibi, quæ hic deerant. Primum erat aqua. Aliud, quod cum mons
non tam arduus esset, non tantum obsisterent, & quia sine periculo gentes
illæ non poterant capi, maxima cum mœstitia (quum ea uictoria potiri non
potuissemus) inde discessimus, & profecti fuimus dormitum in alia colo-
nia apud dictum montem, ubi maxime passi fuimus, quia nec ibi aquam po-
tuimus comperire, & tota ea die nec nos, nec equi eam attigeramus, & sic
mansimus ea nocte, audientes hostiũ tympana, buccinas, & uociferationes.

Quum illuceret quidam præfecti, & ego suspeximus crepidinem, quæ
nobis non minus ardua uidebatur, quam primus mons. Habebat enim ab-
rupta altiora quidem, non tamen ascensu ardua, & in illa erant plures pu-
gnæ apti, ut ascensum prohiberent. Et præfecti, & ego cum alijs nobilibus,
qui aderant, acceptis parmis pedites eousque progressi fuimus (conduxe-
rant enim equos, ut eisdem potum exhiberent per leucam ab eo loco) ut sal-
tem uideremus montis situm, & unde possemus illum oppugnare. Et reli-
qui quamuis nihil eis fuisset commissum, nos subsequi cœpere. Et quam-
primum peruenimus ad montem, illi qui erant in abruptis illius, arbitrati
sunt me medium uelle aggredi, & ea reliquerunt ut suis subuenirent. Ego
uero

A Ego uero quamprimum conspexi eorum malum ordinem & cogitans, si ea duo abrupta occuparem, possem multum eis damni inferre: absque multo strepitu, iussi præfectum cum suis commilitonibus ut alterum ex eis ascenderet, occuparetq; magis arduum, quod uacuum reliquerant. Ego autem reliquis comitantibus montem scandere cœpi, ubi densiores erant hostes: & deo placuit ut illius gyrum unum occupauerim, & collocauimus nos in loco tam elato, ut pene illum ubi manus conserebant æquaret, quem uidebabatur impossibile ui occupare posse. Saltem sine maximo periculo & damno. Iam præfectus unus collocauerat uexillū suum altiori in parte dicti montis, & inde iaculari cœpit in hostes balistis & pixidibus. Illi uiso incommodo, quod sustinebant & animo uoluentes futura annuerunt uelle facere deditionem, & arma deposuere humi, & semper mea extitit sententia, uelle illis ostendere, nos nolle eos offendere, & damnum aliquod inferre, quamuis maxima essent pœna digni. Præsertim cum uellent esse Maiestatis Vestræ uasalli, & est gens tantæ rationis, ut hæc omnia optime percipiat. Iussi ut desisterent à damno eis inferendo, & cum me allocutum uenere, eos læto uultu recepi, & cum conspexissent, quam gratiose se cum agebamus, illis illud in altero monte existentibus nunciarunt. Qui quamuis uictores mansissent, constituerunt tamen se dedere in Maiestatis Vestræ uasallos. Et accessere ueniam petentes errorum præteritorum. In ea colonia apud montem, fuimus per dies duos, & inde uulneratos milites ad ciuitatem Tesaico conducendos curaui.

Et inde discessi, & decima hora diei peruenimus ad ciuitatem Guastepeque, de qua superius memini, & in domo Viridarij Domini ipsius omnes hospitati sumus, quod uiridarium est maius, pulchriusq; omnibus, quæ ullo unquam tempore uisa sunt. Continet enim intra se quatuor leucarum circuitum, & eo præterlabitur conspicuus fluuius, & de loco ad locum ad geminarum balistarum iactum, sunt domus cum uiridarijs suis paruis, uarijs arboribus diuersorum fructuum, & herbis & floribus odoriferis. Et certe est spectatu dignum uidere uiridarij huiumodi elegantiam & amplitudinem. Et eo die in eo hospitati fuimus, & incolæ nos omnibus possibilibus officijs prosecuti fuere. Postera autem die discessimus, & octaua hora diei peruenimus ad coloniam magnam Iantepeque, in qua nos multitudo hostium expectabat, & cum eo deuenimus, uisum est eos nobiscum uelle pacifice agere, siue timore quo premebantur, siue ut nos deciperent, quia illico sine aliqua compositione fugere cœperunt, & coloniam deserere, & ego non curaui in ea moram trahere, & cum illis triginta equitibus eos insecuti fuimus per leucas duas, donec inclusimus eos in alia colonia, quæ Gilutque nuncupatur, ubi multos uulnerauimus, & etiam interfecimus. In ea inuenimus incolas admodum imparatos. Eo enim peruenimus, antequam eorum exploratores aduenissent, & aliqui eorum obiere, & cœpimus plures mulieres, & pueros. Reliqui omnes terga fugæ dedere. Ego moram traxi in ea colonia diebus duobus, ratus dominum illius uenturum, ut se Maiestati Vestræ subderet, & cum non uenisset, in meo discessu ignem coloniæ inijciendum curaui, & antequam ab ea discederem, uenerunt ad me quidam alterius coloniæ ulterioris Iactepeque nomine, & supplices petiere, ut erroribus suis condonarem, quoniam uolebant Maiestatis uestræ esse uasalli, & ego eos benigne excepi, quoniam in eos iam condigne fuerat animaduersum.

Viridarium ampliss. & elegantiss.

B

Eadem die qua discessi, perueni ante coloniam quandam munitissimam Coadinabaced, & in ea erant multi uiri pugnæ apti, & erat colonia tam munita, & circundata, tot monticulis, & anfractibus, ut aliqui eorum decem hominum obtinerent profunditatem, & equites non poterant ingredi, nisi locis duobus, & eos tunc temporis ignorabamus, & ut per ea loca ingredi

possemus cogebar, ambire spatium leucę cum dimidia. Poteramus etiam in- A
gredi per pontes ligneos, tamen eos extulerant, & erant tam arduo loco con stituti, & tuto, ut si fuissemus in decuplum pro nihilo nos habuissent. Et dum appropinquaremus, iaculabantur in nos plurimas sagittas, lapides & fustes. Et dum ita contēderemus, Indus quidam e Tascaltecal ab hostibus non conspectus transilijt loco admodum difficili. Quamprimum Indi eum conspexere, rati sunt Hispanos, illac transiuisse, & hoc pacto tanquam cæci, & admirantes dederunt terga fugæ, & Indus ille, & quatuor familiares mei eos insequebantur, & duo alij præfecti, quamprimum uiderunt Indum transeuntem, illum sequuti sunt, & transiuerunt. Ego autem cum equitibus cœpi ambire ea loca usque ad montem, ut possem inuenire ingressum ad coloniam. Indi hostes uostri semper sagittas & fustes in nos iaculabantur, quia inter nos & eos non intercedebat aliud nisi anfractus in modum fossæ, & cum intenti essent pugnæ nobiscum initæ, & isti adhuc non conspexerant illos quinque equites Hispanos, aggressi sunt eos incautos à tergo, & uulnera illis inferre cœperunt. Et quum eos tam incautos offendissent & non cogitantes, quod à tergo aliquid damni eis inferri posset, (non enim ad aures suas peruenerat, socios transitum deseruisse, quo Indus ille & Hispani transiuerant,) erant admirantes, & non audebant conferere manum, & ex illis interficiebantur aliqui ab Hispanis. Et postquam uidere ueritatem rei, cœpere se dare fugæ. Et iam nostri ingressi erant coloniam, & eam cœperunt comburere, & hostes omnes aufugiebant, & ita fugiendo, confugiunt ad montem, quamuis multi ex illis perierint. Et equites Hispani multos interemerūt. Et postquam inuenimus ingressum in coloniam circa meridiem, in ea constitimus in domo sita in quodam uiridario. Erat enim iam colonia penitus combusta, & hora iam tarda, Dominus colonię, et aliqui primates cogitantes quod in loco tam arduo, & tuto se tueri non potuerant, timentes ne montem ascenderemus ad eos interficiendos, constituerunt uenire se oblatum in uasallos Vestræ Ma- B
iestatis. Et ego eos in tales recepi, & mihi polliciti sunt se in futurū uelle esse nostros amicos. Isti Indi, & alij, qui ueniebant ad se subijciendum in uasallos Vestræ Maiestatis, post combustionem domorum, & depopulationem bonorum, retulere hanc subesse causam, cur tam sero nostram iniuissent amicitiam, quia credebant luere pœnas errorum commissorum, nisi primo paterentur sibi damnum inferri, arbitrantes si damnum fuissent perpessi, nos eos ulterius odio prosequi non deberemus.

Ea nocte dormiuimus ea in colonia, & sequenti die secuti fuimus iter nostrum per prouinciam, & pagos inhabitatos, & sine aqua, quam & unius montis cacumina maximo labore, & ærumnis transiuimus, & absque potu, adeo, quod plurimi ex Indis, qui erāt nobiscum, siti periere. & per sex leucas ab illa colonia, ea nocte quieuimus in quadā habitatione, & die illucescente iter nostrum secuti, peruenimus in conspectum pulcherrimæ ciuitatis Sichimilco nomine, quæ sita est in lacu aquæ dulcis, & cum illius incolæ aduentum nostrum diu cognouissent, aggeres multos, & fossas construxerant, & pontes extulerant omnium ingressuum ad dictam ciuitatem, quæ abest à celebri ciuitate Temixtitan, tribus, aut quatuor leucis: & in ea erant strenui multi, qui, aut ciuitatem tueri, aut mortem subire constituerant. Quum eo peruenissem, & milites suo ordine collocassem, equo descendi, & peditibus quibusdam comitantibus, deueni ad aggerem quendam, quem extruxerant, post quem latebat maxima hostium copia: & cum cœpimus oppugnare aggerem, quia pixidibus & balistis utentes illis damnum maximum inferebant, eum deseruere, & Hispani ingressi sunt aquas, & ulterius progessi terram inuenere, & dimidiæ horæ interuallo, quo cum eis pugnauimus, occupauimus potiorem portionem ciuitatis, & hostes retrocedentes ascenderunt suas canoas, & nobiscum certarunt, donec nox superuenit, & reliqui quærebant

A rebant pacem, & alij propterea à pugna non desistebant, & toties annuerunt paci, nunquam tamen eam executioni, demandarunt, donec fuerimus ab ipsis delusi & ideo id faciebant. Primo, ut interea temporis exportarent, bona & deinde moram interponerent, qua in subsidium illis aduentarent Incolæ à Mesico, & Temixtitan. Eo die interfecerunt duos Hispanos, qui prædæ gratia ab alijs seiuncti proficiscebantur, & fuerunt in tanta angustia, ut nusquam auxilium afferri potuerit. Et sub uesperam cogitarunt hostes, quomodo efficere possent, quod nunquam à sua ciuitate uiui exire possemus, & congregata magna eorum multitudine constituerunt nos aggredi ea parte, qua ingressi eramus, & cum eos uenientes uidimus, admodum admirati fuimus eorum strenuitatem, & uelocitatem, quas præ se ferebant, & sex equites & ego, qui paratiores reliquis eramus, in eos irruimus, illi autem equorum strepitu perculsi, terga uerterunt, & sic eos fuimus insecuti extra ciuitatem plures interficiendo, quamuis fuerimus in maximo periculo quia cum tam acriter pugnarent, multi ex illis ausi sunt equites expectare suis ensibus, & parmis, & cum essemus mixti illis, & diu fueramus eos insecuti, equus quo ego insidebam fessus cecidit, & cum me peditem hostes conspexissent, aliqui contra se mouerunt. Ego auten lancea me tueri cœpi, & Indus è Tascaltecal (quem optime cognoscebam) cum me periculo inclusum, & in eo discrimine uideret, ut opem ferret aduolauit, & ipse cum familiari meo, qui aduenit, ereximus equum, & eo instanti aduenere Hispani, & aufugerunt, & ego una cum equitibus, cum essemus fessi, reuersi fuimus in ciuitatem, & quamuis nox appropinquaret, & quieti nos dare deberemus, iussi quod omnes pontes elati, quibus transibat aqua obstruerentur lapidibus, & cespitibus qui aderant, ut equites possent ciuitatem ingredi & egredi sine labore aut periculo, & inde non discessi donec illa mala itinera optime fuissent refecta, & maximo ordine excubiarũ eam noctẽ consumpsimus.

B Sequenti die cum omnes incolæ è Mexico, & Temixtitan cognoscerent me esse in ciuitate Sichimilco. decreuere nos terra & lacu modo aliquo circundare, cogitabant enim nos non posse euadere. Et ipse ascendi turrim idolis eorum dicatam, ut conspicerem, quo ordine progrederentur & unde nos aggredi possent, ut remedium quantum deceret apponerem, & cum omnia præparassem, aduentauit maxima canoarum copia, quæ ascendebant ad bis mille, quibus uehebantur ultra duodecim millia hominum, terra uero procedebat tanta multitudo hominum, ut planiciem omnem operirent, & duces eorum qui præibant habebant in manibus enses ex nostris, & clamando eorum prouincias, uidelicet Mexico Mexico, Temixtitan Temixtitan, proferentes in nos iurgia multa, & minabantur uelle nos inerficere eisdem ensibus, quos nobis abstulerant in ciuitate Temixtitan, & cum iam declarassem, quem locum quilibet præfectus obtinere deberet, & quia continentem uersus erant maximæ hostium copiæ, eos aggressus sum equitibus uiginti, & Indis quingentis è Tascaltecal, & diuisimus nos in partes tres, & eis iniunxi, quod postquam congressi essent, pedem referrent ad radices unius montis, qui per mediæ leucæ spacium aberat, quia pariformiter ibi constiterant multi ex hostibus. Et ita diuisæ, quælibet turma per se aggressa est hostes, & illis profligatis & uulneratis, & multis interfectis retrocessimus ad radicem montis, & mandaui quibusdam familiaribus meis peditibus qui mihi seruiuerant, & qui erant agiles, ut experirentur scandere montem ab ea parte, ubi asperior uideretur, & ipse cum equitibus circumdarem montem ubi locus erat planior, & eos ita interciperemus, & sic euenit, quoniam cum conspexere Hispanos montem ascendere, rati se tuto posse fugere, terga uerterunt & obuiarunt nobis, qui eramus quindecim equites, & eos aggressi fuimus, & similiter illi è Tascaltecal, ut breui spacio ultra quingentos ex illis fuerint desiderati, & reliqui omnes euasere, & aufugerunt in montes. Reliqui sex equites, forte fortuna ingressi sunt latum &

planum iter hostes uulnerando, & per leucam & dimidiam è Sichimilco offenderunt agmen hominum belligerorum, qui ueniebant hostibus opem laturi, eosque profligarant, quosdam uulnerarunt, iam cum in unum conuenissemus omnes circa decimam diei reuersi sumus in ciuitatem Sichimilco, & ingressus inueni Hispanos multos desiderantes nostrum aduentum, ut scirent quid nobis successerat, & mihi exposuerunt se fuisse in maximo periculo constitutos, & ipsos (ultra etiam uires suas) enixos ut hostes eijcerent, ex quibus maximam interfecerant multitudinem, & mihi elargiti sunt duos enses, quos nostri Indis abstulerant, & dixere milites balistis utentes amplius nullas obtinere sagittas: nec pixidibus utẽtes pulucrem. Et dum sic essemus antequam equis descenderemus, aduenit maximum hostium agmen, per amplam stratam uiam maxima uociferatione, & illico in eos irruimus, & cum ab utroque uiæ stratæ latere esset lacus, se in eum proiecere, & eo pacto eos fudimus, & sic militibus coniunctis admodum lassi ciuitatem fuimus ingressi, & uniuersam incendi iussi præter hospitium ubi moram trahebamus. Et sic fuimus tribus diebus in hac ciuitate & nullo die fuimus sine pugna. Postremo relicta ciuitate igne consumpta, & destructa discessimus, & certe erat spetiosa, in ea enim erant multæ domus & turres suis idolis dicatæ ex lapidibus quadratis. Et ne sim prolixus, prætermitto multa miranda, quæ erant in ista ciuitate.

Ea die qua discessi, exiui extra ciuitatem ad quandam plateam, quæ est in continenti, & est prope ciuitatem, qui locus est ubi incolę habent nundinas suas, & ordinem ponebam, ut decem equites primum obtinerent agmẽ decem medium agmen peditum, & ego una cum alijs decem extremum agmen obtinerem. Incolę uero è Sichimilco ubi nos progredi conspexere, cogitantes nos eorum timore discedere, à tergo aggressi sunt magno clamore, & decem equites una mecum aggressi fuimus eos, donec in aquas prosilire coegimus, adeo ut nos ultra nõ sint insecuti. Et eo pacto incœptũ iter prosecuti fuimus, & hora decima diei peruenimus ad ciuitatem Cuioacan, quæ abest à Sichimilco duabus leucis, & à ciuitatibus Temixtitan, Culuacan, Vchilubuzco, Iztapalapa, Cuitagnaca, & Mizqueque (quæ omnes sunt sitæ in aquis, & ex istis nulla maiori leucæ cum dimidia interuallo ab alia distat) eam habitatoribus uacuam comperimus, & in ea fuimus hospitati in domo domini ipsius, & ibi fuimus eo die, quo eam ingressi fuimus & sequenti: & quia perfectis bergantinis constitueram obsidere ciuitatem Temixtitan, uolui prius uidere situm huius ciuitatis, & ingressum egressum'que & quo in loco Hispani possent offendere, aut offendi. Et sequenti die qua perueneram assumptis quinq; equitibus & ducentis peditibus, sic progressus sum ad lacus littora, qui erat prope per uiam stratam, quæ ingreditur ciuitatem Temixtitan, & uidimus tot canoas militibus refertas, ut pene infinitus earum esset numerus, & deuenimus ad aggerem, quem constituerant in ipsa strata uia, & pedites eum oppugnare cœpere, & quamuis fuerit acris oppugnatio, & multum obstiterint, & uulnerarint decem Hispanos, eum tamen aggerem tandem occuparunt, & multos ex hostibus neci dederunt, quamuis balistis & pixidibus utentes remansissent sine puluere & sagittis. Et ex eo uidimus dictam uiam stratam recto tramite aqua procedere ad ciuitatem Temixtitan per leucam cum dimidia, & eam cum illa quæ tendit ad ciuitatem Iztapalapa, refertas uiris sine numero. Et considerato eo quod uidere desiderabam, quoniam in hac ciuitate esse debebat præsidium ex equitibus & peditibus, collegi nostros, sic reuersi sumus comburendo domos, & turres suorum idolorum, & sequenti die discessimus ab hac ciuitate ad ciuitatem Tacuba, quæ abest duarum leucarum spatio, & peruenimus illuc decima diei hora præliando undequaque.

Hostes enim ex aqua prodibant aggressuri Indos, qui sarcinas nostras afferebant, & inueniebant se delusos, & sic nos pacifice prodire permittebant,

A tebant. Et quia, ut dixi, mea sententia erat circumire omnem lacum, ut perlustrarem & melius cognoscerem situm prouinciæ, & etiam ut opem ferrem Indis amicis nostris, nolui moram trahere in ciuitate Tacuba. Et quum incolæ è Temixtitan quæ est illi propinqua, (extenditur enim tantum ciuitas, ut fere in continentem usq; protendatur ciuitatis Tacuba) conspexere nos ulterius progredi, animis creuere, & maxima alacritate cœpere aggredi sarcinas nostras, & quum nos equites essemus optimo ordine constituti, & in planicie, hostibus damna multa absque nostro incommodo inferebamus, & dum modo huc, modo illuc curreremus, & quum aliquando iuuenes quidam familiares domestici mei me sequerentur, una uice ex illis duo non sunt sequuti, & deuenerunt eum in locum ubi ab hostibus capti fuerunt. Quapropter rati fuimus, hostes in eos maxime animaduersuros ut facere solent, qua ex re deus est testis doloris quem sustinui, tam quoniam erant Christicolæ, quam, quoniam erant uiri strenui, & hoc bello optime Maiestati Vestræ inseruiuerant. Et quum exiuissemus ab hac ciuitate, cœpimus iter nostrum prosequi per alias colonias circumuicinas, & appropinquauimus multitudini, & tunc ibi cognoui Indos captiuos habuisse eos iuuenes. Et ut mortem eorum uindicarem, & quia hostes nos insequebantur maiori uociferatione quam dici potest, ego uiginti equitibus in insidijs me collocaui post domos quasdam. Et quum Indi uiderent reliquos decem equites cum sarcinis, & reliquam multitudinem præire, semper eos sequebantur per iter quod erat latum et planum nil suspicantes, et quum aliquos iam transisse conspicerem, inuocaui nomen Sancti Iacobi, & acriter in eos irruimus, & antequam nos deducerent in fossas, quæ erant proximæ, ex illis interfeceramus ultra centum, & ex primatibus & strenuis, & noluerunt ulterius nos persequi. Et ea die iuimus dormitum ad ciuitatem Coatinchan lassi & madefacti, quoniam multum pluerat, & iam hora erat tarda, & eam habita-
B toribus uacuam comperimus, & sequenti die incœpimus iter nostrum prosequi, semper certando cum aliquo ex Indis, qui nos uociferando aggrediebantur, & iuimus dormitum ad coloniam quandam nomine Gilotepeque, & eam inhabitatam inuenimus. Et alio die hora duodecima diei, deuenimus ad ciuitatem Aculman, quæ subest domino è Tesaico, ubi ea nocte quieuimus, & fuimus optime ab Hispanis recepti, & lætati sunt maxime aduentu nostro, quoniam post meum ab eis discessum, nil à nobis usque ad eum diem, quo illuc deuenimus, acceperant, quum multas suspitiones habuissent in ciuitate, & habitatores eiusdem quotidie eis significabant incolas è Mexico, & Temixtitan contra eos arma moturos, dum ego loca illa perlustrarem, & sic eo die constitutum fuit, quod fuit mirum, in quo Maiestas Vestra maximum adepta est commodum multis rationibus, quas postea referemus.

Eo die potentissime & inuictissime domine, moram trahebam in ciuitate Temixtitan, ab initio quando illuc perueni, ut in prima relatione Maiestati Vestræ significaui, qualiter in duobus aut tribus prouincijs ad hoc constitutis, pro Maiestate Vestra domus quędam conficiebantur ad culturam, in quibus essent laboratores & alia conformia patriæ, & ad unam illarum quæ dicitur Chinanta, misi duos Hispanos, & ista prouincia non subiacet incolis è Culua, & in alijs quæ subijciebantur tempore, quo me oppugnabant in ciuitate Temixtitan, interfecerant eos Hispanos, qui morabantur in illis locis, & deprædati sunt omnia quæ in eis continebantur, quæ erant magni momenti data loci comparatione, & ab illis Hispanis, qui remansere in Chinanta transactus fuit annus, antequam aliquid audiuerim, quia quũ omnes illæ prouinciæ defecissent, ipsi aliquid intelligere à nobis non poterant, nec nos ex illis: & isti incolę è Chinãta significarũt (quũ essent Ma. V. uasalli, & hostes incolis è Culua) dictis Christicolis, ꝙ nullo pacto ab eorũ prouincia proficiscerentur, quia incolę è Culua nos plurimũ oppugnarant,

& ar-

& arbitrabantur paucos aut nullos superesse, & sic moram traxere dicti Hispani in ea prouincia, & alterum ex illis qui erat iuuenis et Martialis, eorum ducem constituerunt, & interea temporis cum eisdem hostes eorum aggrediebatur, & pro maiori parte ipse & incolæ è Chinanta, uictoria potiebantur. Et quum diuino auxilio aliquantulum nos refecissemus, & uictoria aliqua potiri incepissemus contra hostes qui nos profligauerant & eiecerant à ciuitate Temixtitan, incolæ è Chinanta significarunt Hispanis illis, eos audiuisse Hispanos esse in prouincia Tepeaca, & si desiderarent uera cognoscere, & ipsi destinarent duos Indos, quamuis iter essent facturi per multas hostiles prouincias, curarent tamen noctu proficisci, & extra consueta itinera, donec peruenirent ad prouinciam Tepeaca, & unus ex Hispanis, qui erat prudentior ad nos literas destinauit tenoris subsequentis. A

Nobiles Domini, duas, aut tres literas Vestris Nobilitatibus exaraui, & ignarus sum an uobis redditæ fuerint, nullum illarum responsum habui. Pariformiter dubito hanc ad manus uestras peruenire posse. Significo Nobilitatibus uestris, quod omnes Incolæ è Culua defecerunt, & bella gerunt, & pluries nos aggressi sunt, ad laudem tamen omnipotentis dei uictoria fuimus potiti, & cum incolis è Tuxtebeque, & fœdere iunctis illis è Culua assidue bella gerimus, Illi qui subiacent Cæsa. Maiestati, & eius sunt uasalli, sunt septem ciuitates è prouincia Tenez, & ego, & Nicolaus semper morati fuimus in Chinanta, quæ primaria est. Maxime desiderarent scire, ubi locorum comperiatur capitaneus, ut ad illum literas dare possemus & illum certiorem facere de omnibus hic gestis. Et si forte mihi significaueritis ubi se contineat & destinaueritis uiginti aut triginta Hispanos, proficiscerer illuc cum duobus incolis harum prouinciarum, qui similiter exoptant capitaneum uidere & alloqui, & bene conduceret, quia quum iam tempus instet colligendi cacap, illi è Culua bello non permittunt. Dominus custodiat nobiles uestras personas, ut ipsæmet desiderant. E Chinanta, quo die Aprilis, ignoro M.D.XXI. ad Domina. V. seruitium Ferdinandus de Aarruntos. B

Quamprimum dicti Indi peruenere ad dictam prouinciam Tepeaca cum dicta epistola, præfectus, quem cum Hispanis quibusdam ibi dimiseram, illico eam ad ciuitatem Tesaico mihi perferendam curauit, qua accepta, maxima repleti fuimus lætitia. Quia (quamuis fidissimum nossem illorum è Chinanta animum) cogitabamus, quod si fœdere iungerentur incolis è Culua, eos Hispanos neci darent. Quibus illico rescripsi, significando omnia, quæ successerant, & sperare iussi, quod quamuis undique circundarentur, cito Deo anuuente futuri essent liberi, ut tuto possent ingredi, & egredi.

Postquam circuiuimus lacum, ex qua inspectione plures modos ut dictam ciuitatem Temixtitan, tam maritima, quam terrestri obsidione cingeremus, concepimus, moram traxi in ciuitate Tesaico, parando melius, quam fieri potuit uiros, & arma, & diligentiam adhibendo ut perficerentur bergantini, & quædam machina, qua eos conducerem usque ad lacum, quæ machina cœpta est fabricari eo instanti, quo eo peruenere compages, & tabulæ ipsorum bergantinorum in fossato quodam quod erat ante domos ciuitatis, & progrediebatur donec lacum ingrederetur, ab eo loco ubi bergantini colligati sunt, & dicta machina cœpta est, distat ab ipso lacu fere per mediæ leucæ spacium, & huic operi incubuerunt quotidie ad octo millia hominum incolarum ex Aculuacan, & Tesaico. Machina enim illa erat profunditatis gemini hominis status. Ita, quod bergantini poterant conduci ad lacum sine periculo & labore, quod opus fuit maximum & admiratione dignum. Et perfectis bergantinis, & illis machinæ impositis uigesima octaua die Aprilis dicti Anni, recensui nostras copias omnes & comperi octuaginta sex equites, centum & octodecim milites balistis, & pixidibus utentes, & septingētos & ultra pedites ensibus & parmis fulcitos, & tria magna

A magna ferrea tormenta, & quindecim parua tormenta fusilis æris, & decem centipondia pulueris. Qua lustratione facta, commisi Hispanis omnibus ut custodirent, & adimplerent ordines, quos ego inter eos constitueram pro rebus belli, quantum illis esset possibile, & læto animo essent, & uires assumerent, quum cernerent deum optimum maximum nobis modum elargiri, uiderent ut uictoria potiremur contra hostes nostros, & optime cognoscebant nos quum ingressi sumus ciuitatem Tesaico non habuisse ultra quadraginta equites, & deum nobis opem tulisse melius quam excogitaramus, & aduentasse naues equis, uiris, & armis refertas. Quæ omnia ipsi nouerant, & ea etiam imprimis quia quum pugnaremus pro Sanctæ fidei nostræ fauore & augmento, & ut ad seruitium Vestræ Maiestatis compelleremus tot ciuitates & prouincias quæ iam defecerant, ipsi merito constituere deberent, aut eas uincere aut mori. Et ipsi responderunt & demonstrarunt ad hoc esse paratos, & illud desiderare & diem illum quo milites recensui, consumpsimus magna animorũ exultatione, & desiderio nos uidere obsidionẽ & perficere hoc bellum à qua depẽdebat omnis pax aut ruina istarum prouinciarũ.

Hortatur Hispanos ut læto animo cum Hostibus congrediantur

Sequenti die nuncios destinaui ad ciuitatem Tascaltecal, Guaxacingo & Churultecal, eis significatum, bergantinos iam esse perfectos, & me cum omnibus militibus esse accinctum itineri, ut obsidione cingeremus ciuitatem Temixtitan. Quapropter eos rogatos uolebam, quod cum eos iam certiores reddidissem, & gentes suas paratas haberent, ipsi maioribus & ornatioribus ad bellum copijs ad me proficiscerentur ad ciuitatem Tesaico, ubi eos expectarem decem dierum spacio, & nullo pacto hoc præter mitterent, quoniam esset maximum impedimentum rebus omnibus, quas iam paraueram. Quum eo nuncij peruenissent, & incolæ essent parati, optantes congredi cũ incolis è Culua, Incolæ è Guaxacingo, & Churultecal

B facti sunt ad ciuitatem Calco, ita enim eisdem mandaueram, quia illac ingredi debebant, ut ciuitatem obsidione cingerent. Duces uero incolarum è Tascaltecal militibus strenuis, & bello aptis comitantibus ad ciuitatem Tesaico profecti sunt per dies quinque, aut sex ante pasca Spiritus sancti, quod fuit tempore eisdem assignato. Et quum scirem diem, quo appropinquabant, eis obuiam progressus sum magno gaudio, & ipsi ueniebant tam læti, & compositi, ut melius dici non possit, & secundum numerum à Ducibus nobis relatum, erãt ultra quinquaginta millia hominum bello aptorum, qui à nobis optime recepti sunt, & bene hospitati.

Die secunda post pasca, omnes copias tam peditum, quam equitum plateam istius ciuitatis occupare iussi ut eas componerem, & consignarem præfectis eam quantitatem, quam adducere debebant præsidio trium ciuitatum in quibus collocare præsidium conducebat, quæ circumibant ciuitatem Temixtitan. Et uni præsidio præfeci Petrum de Aluarado, & ei constitui triginta equites, decem & octo balistis & pixidibus utentes, & quinquaginta pedites ensibus & parmis fulcitos, & ultra uiginti quinque millia uirorum bello aptorum ex incolis è Tascaltecal, & illi debebant castra ponere in ciuitate Tacuba.

Secundo præsidio præfeci Christophorum Dolid, cui impertitus sum triginta tres equites, & octodecim balistis, & pixidibus utentes milites, & centum & septuaginta pedites parmis & ensibus armatos, & ultra uiginti millia hominum ex Indis nobis amicis, & isti debebant castra sua ponere in ciuitate Cuioacan.

Tertio uero præsidio præfeci Condisaluum de Sandoual executorẽ maiorem & illi concessi uiginti quatuor equites, quatuor pixidibus utentes milites, & tredecim balistis, & centum quinquaginta pedites ensibus & parmis aptos, ex quibus erãt illi quinquaginta electi iuuenes, quos mecũ semper habebam, & omnẽ multitudinẽ è Guaxacingo, Churultecal, & Calco, quæ ascendebat ad triginta millia hominum, & isti proficisci debebant ad ciuitatẽ

Iztapalpa

Iztapalapa, ut eam destruerent, ulterius progredi uia strata in auxilium & opem bergantinorum, & coniungere secum præsidio imposito ciuitati Cuioacan, ut postquam ingrederer lacum bergantinis, dictus maior executor, sua poneret castra loco magis commodo & conuenienti. A

Pro bergantinis, quibus ingredi debebam lacum, dimisi trecentos homines, ut plurimũ mari assuetos & agiles, ita quod quolibet bergantino uehebantur uiginti quinq; Hispani, & quilibet bergantinus habebat præfectum suum, & nauclerum & sex milites balistis, pixidibusq; utentes.

Dato ordine supradicto duo præfecti, qui debebant esse cum militibus in ciuitatibus Tacuba, & Cuioacan, postquam acceperant instructionem omnium agendorum, discessere à ciuitate Tesaico decima Maij, & iuerunt dormitum ad leucas duas cum dimidia ab ea in colonia optima Aculman nominata. Et ea die cognoui inter præfectos fuisse controuersiam circa hospitia, illico ea nocte modum imposui, omnia pacifica reddidi, & eo quendam destinaui qui eos reprehendit, & sequenti die ab eo loco discessere, & profecti sunt ad aliam coloniam Gilotepeque nominatã, quam inhabitatam comperere. Ingressi enim erant hostium prouincias, & sequenti die profecuti sunt iter suo agmine composito, & ea nocte quieti se tradidere in quadam ciuitate nomine Guantican, de qua Maiestati V. antea mentionẽ feci, quam pariformiter inhabitatam inuenere, & eadem die transgressi sunt ciuitates, & colonias, quibus etiam nulli homines inerant, & hora uesperarum ciuitatem Tacuba ingressi sunt, quæ similiter erat inhabitata, & hospitati sunt in domibus Domini ipsius, quæ sunt egregiæ & amplæ, quamuis hora iam esset sera, profecti sunt ad uias stratas, quæ ducunt ad ciuitatem Temixtitan, & decertarunt per tres horas cum incolis ciuitatis, & cum nox eos aggressa est, reuersi sunt absq; aliquo eorum discrimine ad ciuitatem Tacuba.

Seqũti die summo mane duo illi præfecti cõuenere, quib. modis ut illis in iunxeram, auerterent aquã dulcem, quæ cannalibus ingrediebatur ciuitatem Temixtitan, & eorum alter profectus est ad ortum fluminis, comitatus uiginti equitibus, & quibusdam alijs balistis & pixidibus utentibus, qui fluuius aberat quarta portione unius leucæ & ibi incidit fregitq; cannales, qui erant ex ligno et ex lapide quadrato, et acriter pugnam cum hostibus iniuit, qui illum impediebant è lacu & terra, & tãdem eos profligauit, negociumq; expediuit, ad quod perficiendum aduentarat, scilicet ut aquã ciuitate inclusis auferret, quæ ciuitatẽ ingrediebatur, quod facinus fuit audens & ualidũ. B

Eadem die pręfecti aptanda curarunt mala quædã itinera, pontesq; et fossata, quę ibi circa lacum comperiebantur, ut equites huc, & illuc concurrere possent. Ad quam rem perficiẽdam mora fuit trahenda per tres, aut quatuor dies, in quibus pluries concursum est cum incolis ciuitatis Temixtitan, in quibus concursibus aliqui Hispani uulneribus affecti sunt, & plurimi ex hostibus interfecti, & occuparunt plures aggeres & pontes, & intercessere colloquia, & duella inter incolas ciuitatis, & eos è Tascaltecal, quod erat dignum admiratione. Christophorus Dolid præfectus, qui præsidio esse debebat in ciuitate Cuioacan cum commilitonibus suis discessit. Est autẽ Cuioacan per leucas duas à ciuitate Tacuba. Et præfectus Petrus de Aluarado remansit præsidio ciuitatis Tacuba, ubi quotidie pugnam & leuia prælia cõmittebãt cum incolis ciuitatis. Et eo die quo Christophorus Dolid discessit Cuioacã uersus, ipse & socij peruenere decima hora diei, & hospitiũ suũ posuere in domib. Domini ipsius ciuitatis, & habitatoribus uacuã ciuitatẽ inuenere. Et sequenti die profecti sunt ad uiã stratam, qua proficiscitur in ciuitatem Temixtitan, uiginti comitantibus equitibus, & aliquibus balistis utentibus, & forte septem milibus Indis è Tascaltecal, & inuenere hostes maximo apparatu, & uiam stratam demolitam & aggeres multos fabrefactos & cum illis prælium iniuere, & millites balistis utentes aliquos uulneribus confecere, interfecereq;, et eo pacto secutum est per sex dies, in quorum quo

A libet fuit aliqua pugna, & leuia prælia. Nocte quadam hostium uigiles aliqui incolarum ciuitatis peruenere uociferatum prope castra & excubiæ Hispanorum ad arma conclamarunt & milites castris exiere, & nullum ex hostibus inuenere, quia multum longe à castris uociferati fuerant, quę illis aliquid timoris iniecerant, & quum nostri essent diuisi in tot partes, cupiebant illi præfecti duorum præsidiorum meum aduentum cum bergantinis tanquam eorum salutem, & ea spe fuere per aliquos paucos dies, donec peruenι, ut infra dicam, & his sex diebus, milites duorum castrorum quotidie iungebantur, & equites cum essent alter alteri proximi prouincijs uagabantur, & aliquos ex hostibus uulnerabant, & ex montibus conducebant multum Maiz ad usum castrorum, quod est panis quo utuntur in his partibus, & est perfectius illo, quod nascitur in insulis.

In capitibus superioribus retuli me permanere in ciuitate Tesaico trecentis militibus Hispanis & tredecim bergantinis, quia cum scirem præsidia esse in locis, ubi castra sua ponere deberent, ego bergantinos ascenderem, & aliquod canois damnum inferrem, & ciuitatem lustrarem, & quamuis admodum desiderarem terra proficisci, ut castris ordinem imponerem, quum præfecti essent, quibus plurimum fidere possem rebus, quas iniunxeram, & bergantinorum negotium esset multi momenti, & postulabat maximum ordinem & ingenium, decreui eos ascendere, quia maior fortuna, & sors exspectabatur aquis, quamuis à principalioribus commilitonibus meis in forma fuerim monitus, ut proficiscerer cum præsidijs, quum ipsi cogitarent ibi plus periculi esse.

Sequenti die post festum Corporis Christi in aurora iussi exire ciuitate Tesaico Condisaluum de Sandoual maiorem executorem cum suis copijs Iztapalapa uersus, & circa meridiem eo peruenere, quæ aberat sex leucarũ
B spacio, & eam comburere cœpere, & pugnare cum incolis eiusdem, & quũ uiderent potentiam, quam habebat dictus maior executor (illum enim comitabantur ultra quadraginta millia hominum Indorum nobis amicorum) retrocessere ad aquas, & canoas ascenderunt. Et maior executor cum omnibus copijs, quas ducebat, collocauit se in dicta ciuitate, & ea die ibi moram traxit expectans quid mihi eueniret.

Quum dimisissem maiorem executorem, illico bergantinos ascendi, & uelis, remisq; incubuimus, & dum maior executor pugnabat, & comburebat ciuitatem Iztapalapa, deuenimus in conspectum unius collis alti, & muniti, qui est prope ciuitatẽ Iztapalapa, & totus est in aquis, & erat munitissimus, cui insidebat maxima hominum multitudo, tam ex colonijs circumuicinis, quam ex incolis Temixtitan. Iam enim illi optime cognoscebant, me primo congressurum cum incolis è Iztapalapa, & ibi constiterant, ut se à nobis tuerentur, & nobis obessent si possent, & quum conspicerent nos eo applicare, uociferare cœperunt, & fumos emittere, ut omnes ciuitates in lacu constitutæ cognoscerent, & essent paratæ. Et quamuis mea sententia esset proficisci oppugnatum eam partem ciuitatis Iztapalapa, quæ lacui hæret, tamen aggressi sumus existentes in dicto colle, & descendi cum centum & quinquaginta hominibus, & quãuis esset arduus & excelsus, magna difficultate ascendere cœpimus, & ui expugnauimus aggeres, quos extruxerant ad sui tutelam, & ingressi fuimus eo modo, ut nullus ex illis euaserit præter mulieres, & pueros, & hac pugna uulnerarunt uiginti Hispanos, tamen uictoriam consecuti fuimus.

Quum incolæ ex Iztapalapa fumos emisissent à quibusdam turribus idolorum (quæ erant constitutæ in colle quodam excelso, & propinquo suæ ciuitati) incolæ è Temixtitan, & aliarum ciuitatum in lacu constitutarum cognouere, me iam ingredi lacum cum bergantinis, moxq; tanta canoarũ multitudo in unũ conuenerat, ut nos aggrederentur, & tentatum uenirent, quid essent bergantini. Et ut conijcere potui, erant ultra quingentas. Et quum ui-

A

derem eos ad nos recto tramite aduentare, ego & illi qui aſcenderamus collem, bergantinis deſcendimus maxima celeritate, & mandaui bergantinorum præfectis, ut nullo pacto ſe mouerent, ut illi in canois exiſtentes aggredi conſtituerent, & crederent nos timore perculſos, non audere eos aggredi. Et ſic cœpere magno impetu dirigere canoas in nos, ad binos tamen baliſtæ iactus remanſere & quieuere. Et quum animo uoluerem, ut primo congreſſu maxima potiremur uictoria, & ita faceremus, ut hoſtibus timorem maximum incuteremus, quum ſumma totius belli in eis ſita eſſet, & unde ipſi maiora damna pati poterant, & ipſi etiam aqua nobis maius damnum inferre poterant, Deo placuit ut dum alter alterum inſpiceret, terreſtris uentus afflaret admodum nobis fauorabilis & ſecundus, ut in eos inuehi poſſemus, & illico iuſſi præfectos eas aggredi canoas, & eas inſequi, donec intrarent in ciuitatem Temixtitan, quum uentus eſſet ſecundus. Et quamuis illi quantum poterant, aufugerent, irruimus in medios hoſtes, & plures canoas fregimus, & ex hoſtibus multi interfecti & ſubmerſi fuere. Inſecuti fuimus eos per leucas tres, donec eos ingredi coegimus domos ciuitatis. Et ſic omnipotenti deo placuit ut potiremur maiori & meliori uictoria, quam noſmetipſi petieramus, aut optaueramus.

Qui erant in præſidio ciuitatis Cuioacan, qui melius conſpicere poterãt, quo modo bergantinis uehebamur, ut conſpexerunt tredecim bergantinos per aquas, & uento ſecundo potiebamur, & profligabamus omnes hoſtium canoas (ut poſt mihi retulere) fuit res ea maximam eis uoluptatem afferens. Vt eñi ſuperius dixi, ipſi & præſidio exiſtentes in ciuitate Tacuba, maxime deſiderabant aduentum meum, & optima ratione, quoniam utrunq; præſidium tanta hoſtium multitudine circundabatur, ut miraculoſe omnipotens eis animum adderet, & hoſtium animos minueret, ne exirent aggreſſum eorum caſtra. Quod ſi factum fuiſſet, non poterat eſſe ſine Hiſpanorum damno, B quamuis ſemper eſſent parati, & conſtituiſſent aut mori, aut uictoria potiri, ut illi qui erant ſeparati ab omni genere cuiuslibet ſubſidij, præterquam eo, quod à deo ſibi præſtari ſperabant. Quum illi in præſidio Cuioacan, nos conſpexere canoas inſequentes, cœperunt iter ſuum maior pars equitum & peditum quæ aderat, ciuitatem uerſus, & acriter pugnarunt cum Indis, qui ſtratam uiam occuparunt, & aggeres, quos extruxerant, & pedites & equites multos pontes tranſiuere, quos amouerant, & ope bergantinorum, qui proficiſcebantur prope uiam ſtratam, Indi è Taſcaltecal nobis amici, & Hiſpani inſequebantur hoſtes, & eorum aliquos interficiebant & aliqui committebant ſe aquis ab alio latere ubi bergantini non exiſtebant, & eo pacto inſequuti ſunt hoſtes ea uictoria ultra leucam, donec peruenerint ad eundem locum, ubi ego cum bergantinis conſtiteram, ut inferius referam.

Quum bergantinis fuiſſemus inſecuti canoas per leucas tres, illæ quæ euaſere, ingreſſæ ſunt domos ciuitatis, & quum iam aduenifſet hora ueſperarum ultra iuſſi in unũ conuenire bergantinos, & cum eis peruenimus ad uiam ſtratam, & ibi conſtitui proſilire in terram, comitatus triginta Hiſpanis, ut expugnarem duas paruas turres idolis ſuis dicatas, quæ erant circundatæ muro non multum edito ex lapidibus quadratis, & quum deſcenderemus, nobiſcum acriter pugnam iniuere, ut eas tuerentur, & tandem magno periculo, & labore dictas turres cepimus, & illico littori exponenda curaui tria ferrea tormenta quæ bergantinis conducebam, quia reliquum ſtratæ uiæ ab eo loco ad ciuitatem (quod interuallum dimidiæ leucæ ſpacium eſſe poterat) hoſtibus refertum erat, & ab utroque latere ſtratæ uiæ ubi erat lacus, omnia erant, canois operta, quibus inerant homines bello apti. Dirigere iuſſi tormentum unum ex prædictis, per uiam illam ſtratam, & illius emiſſione hoſtibus damni multum illatum eſt, & tormentum dirigentis igna uia puluis igne conſumptus eſt quem ibi habebamus, quamuis illius non magna eſſet quantitas, & ſecuta nocte bergantinum Iztapalapa ire iuſſi, ubi conſti-

A constiterat maior executor, quæ poterat distare per leucas duas ut adduceret omnem pulverem quem habebat. Et quamuis mea ab initio erat sententia, quamprimum lacum bergantinis fuissem ingressus, proficisci ad ciuitatem Cuioacan & prouidere, ut omnia procederent bono ordine, hostibus inferendo maius damnum quod inferre possent: tamen quamprimum eo die descendi in illam stratam uiam, & eas geminas turres occupaui, constitui ibi castra ponere, ut bergantini essent ibi apud eas turres, & dimidia pars præsidij impositi ciuitati Cuioacan, & quinquaginta pedites maioris exequutoris sequenti die eo proficiscerentur. Et hoc aptato, ea nocte mansimus uigilantes, eramus enim in maximo periculo constituti, & omnis ciuitatis multitudo illuc confluebat per illam stratam uiam & lacum, & nocte media aduenit maxima hominum multitudo, & canois, & strata illa uia ut castra nostra adorirentur. Et certe nobis timorem maximum incussere & trepidationem, præsertim quia nocte contingebat, & ipsi nunquam eo tempore congredi solent, nec uisum est eos aliquando noctu prelia iniuisse, preterquam in aperta & manifesta uictoria, & cum nos essemus parati, cum illis pugnare cœpimus, & ex bergantinis (quilibet enim illorum tormentũ paruum habebat) cœpimus emittere in eos torměta illa, & balistis pixidibusq; utentes idem faciebant, & eo pacto non ausi sunt ulterius progredi, & tantum appropinquarunt, ut aliquid damni nobis intulerint, & eo peracto absque ulteriori aggressu reliquum noctis consumpsimus.

Sequenti die quum illucesceret in castra nostra peruenere in ipsa strata uia constituta, in quibus degebam, quindecim balistis, & pixidibus utentes milites, quinquaginta parmis & ensibus, & septem aut octo equites ex præsidio Cuioacan, & quum ipsi aduentarunt, iam hostes inuecti canois, & uia illa strata nobiscum certabant, & tanta erat hominum copia, ut terra & lacu
B nil aliud præter homines cerneremus, & tot uociferationes & clamores emittebant, ut mundus corruere uideretur, & nos cum illis pugnare cœpimus per uiam illam stratam, & occupauimus pontem unum, quem ademerant & aggerem unum, quem in ipsius pontis ingressu fabrefecerant. Et tormentis & equitibus tantum damni intulimus, ut pene illos ingredi coegerimus primas domos ciuitatis, & quia ab alio latere stratæ uiæ, bergantini duci non poterant, multæ erant canoæ, & nobis maxime erant infensi sagittis & fustibus, quas iaculabantur nobis in uia strata existentibus, demoliri curaui dictæ uiæ stratæ partem, transire feci bergantinos quatuor, qui postquam transiuerunt, canoas domos ciuitatis ingredi coegerunt, ut nullo pacto egredi auderent ulterius. Et alio latere stratæ uiæ reliquis octo bergantinis insidentes milites, pugnam inibant cum reliquis canois. & truserunt eas in domos ciuitatis, & in medio earum ingressi sunt, quamuis prius ingredi ausi non fuissent. Erant enim multa loca uadosa, & quæ eos impediebant, et quum inuenere ingressum profundum et tutum pugnabant cum existětibus in canois, & cepere aliquot ex illis, & cōbussere multas domos illius suburbij, & totum diem illum consumpsimus certando modo iã dicto.

Postero die maior executor cum omnibus copijs, quas continebat in ciuitate Iztapalapa, tam Hispanorum, quam nobis amicorum, discessit Cuioacan uersus, & inde usque in continentem est uia strata longitudinis leucæ cum dimidia. Et dictus maior executor progrediens per quartam partem unius leucæ, peruenit ad ciuitatem quandam, quæ similiter sita est in lacu, & per plures illius loca equites ingredi possunt, & illius incolæ cum eo pugnare cœperunt, & ipsos in fugam uertit dictus maior executor, & ex eis multos neci dedit, & destruxit totam ciuitatem ac igne consumpsit. Et quia audiuerã Indos demolitos esse magnã partem dictę stratę uiæ, & gens illa commode transire non poterat, eo ire iussi duos bergãtinos, ut eis in transeundo opem ferrent. Ex quibus pontem confecere, & illac pedites transiuere, & postquam transiuerant iuerunt hospitatum in ciuitate Cuioacan. Et maior

executor decem comitātibus equitibus strata uia peruenit ad castra nostra, A
& quum eo peruenit, nos certantes cum hostibus comperit, & ipse una cum
illis, qui secum aduenerant equis prosiliere, & pugnam iniuere cum homini-
bus, qui erant in illa strata uia, nos reliquis commixti eramus, & cum dictus
maior executor pugnam inire cœpit, hostes fuste sibi transfixere pedem. Et
quamuis ipsum, et plures alios eo die è nostris uulneribus affecerint, tormen-
tis tamen grandioribus, balistis, & pixidibus damnum maximum ipsis intu-
limus, ut nec qui uia strata insidebant, nec qui canois uehebantur, tantum ut
prius appropinquare auderent, & præ se ferebant timorem & minus auda-
ciæ solito. Et eo modo fuimus per dies sex, quibus continuo certauimus cum
illis. Et bergantini circumibant ciuitatem, comburendo omnes domos, quas
inuenire dabatur, & offenderunt altum aquæ ingressum quo ciuitatem cir-
cumdare poterant, & omnia illius suburbia, & peruenire ad interiora ciui-
tatis, quod nobis fuit admodum proficuum, & eo modo impediui aduen-
tum canoarum, quia nulla ex illis audebat appropinquare castris nostris,
per quartam portionem unius leucæ.

Alio die Petrus de Aluarado, qui præerat militibus præsidio ciuitatis
Tacuba relictis me certiorem reddidit, qualiter ab alio latere ciuitatis per
uiam stratam, quæ tendit ad quasdam colonias in continenti sitas, & per
aliam paruam sibi contiguam Incolæ è Temixtitan ingrediebantur, egre-
diebanturq; ad libitum, & credebant quod cum omnes fuerint coacti ex eo
loco exirent. Et quamuis ego potius exoptassem eorum egressum, quam i-
psimet, quum nos melius damnum eis inferre possemus in continenti con-
stitutis, quam in fortilitio, quod in aquis obtinebant, ut tamen undique cir-
cundarentur, & in re nulla possent commodum capere è continenti, maiori
executori (quanquam esset uulneratus) iniunxi, ut castra sua poneret in co-
lonia quadam parua, quo perueniebat altera ex ūis stratis. Qui discessit co-
mitantibus uiginti tribus equitibus centum peditibus, & decem & octo ba- B
listis et pixidibus utentibus, & mihi dimisit quinquaginta illos pedites quos
mecum semper ducere solebam, & sequenti die eo peruenit, & castra sua lo-
cauit eo in loco, ubi eidem iniunxeram, & postea ciuitas Temixtitan obsi-
dione cincta est, ut nullus ea per loca, quibus stratis ūs egrediebatur in con
tinentem, egredi posset.

Habebam potentiss. domine, in castris in illa strata uia constitutis, du-
centos Hispanos pedites, inter quos erant XXV. milites balistis, & pixidi-
bus utentes absque militibus bergantinis custodiendis constitutis, qui erant
ultra ducētos & quinquaginta, & cum aliquantulum clausos hostes tenere-
mus, & haberemus multos bello aptos ex Indis nostris amicis, constitui in-
gredi ciuitatem dicta uia strata, quam maxime possem, & bergātini ab utro-
que latere essent accincti, ut à tergo fauorem præstarent, & iussi aliquos equi
tes, & pedites ex illis, qui moram trahebant in ciuitate Cuioacan, ad nostra
castra proficiscerentur, ut nobiscum ciuitatem aggrederentur, & decem e-
quites obsiderent faucem illius stratæ uiæ, fauorem præstantes à tergo nobis
pugnantibus, & aliquibus remanentibus in ciuitate Cuioacan, quoniam
Incolæ ciuitatum Sichimilco, Culuacan, Iztapalapa, Chilubusco, Mechi-
chalcingo, Guitagnaca, & Mizqueque (quæ erant in lacu sitæ, & defece-
rant) fauebant incolis ciuitatis, uolentes nos aggredi à tergo, à quibus era-
mus tuti defendentibus dictis decem, aut duodecim equitibus, quos iu-
bebam uagari per illam stratam uiam, & totidem semper erant in ciuitate
Cuioacan, & ultra decem millia Indorum nobis amicitia iunctorum. Simi-
liter iniunxi executori Maiori, & Petro de Aluarado, quod ex suis stationi-
bus ea die ciuitatem aggrederentur, quoniam à meo latere occuparem maio
rem ciuitatis partem, quam possem. Et eo modo summo mane castra egressi
fuimus, & pedestres sequuti per illam stratam uiam, & prope illa hostes of-
fendimus, ut ab eis demolitam uię stratæ portionem tuerentur ad latitudinē
Hispanæ

A Hispanę lanceę & ad eandem profunditatē in ea extruxerāt aggerē, & inter nos strenue pugnauimus, tandē eā occupauimus, & ulterius secuti fuimus eos, usq; ad ingressum ciuitatis, ubi erat turris suis idolis dicata, & in radice illius pons magnus elatus, & per eum progrediebatur uia lata, cū alio aggere admodum munito. Quum eo peruenimus, nobiscum certare cœperunt, tamen quum bergantini essent ab utroq; latere, sine periculo occupauimus, quem occupare fuisset impossibile absque eorum ope & fauore, & quum ipsi cœpissent deserere aggerem, existentes in bergantinis terram cepere, & nos alij aquas tranauimus, & similiter incolæ e Tascaltecal, Guaxocingo, Calco, & Tesaico, qui erant ultra octuaginta millia hominum, & dum lapidibus, & lateribus crudis implebamus pontem illum, Hispani occuparunt alium aggerem qui erat in uico, qui est ex principalioribus & latioribus qui sint in uniuersa illa ciuitate, & quum ille non fulciretur aqua, fuit occupare facillimum, & insequuti fuimus hostes per eundem uicum, donec peruenerint ad alium pontem, quem extulerant pręterquam tignum latum, per quod transibant, & ingressi sunt per illud & per aquam tuto, cito eum occuparunt. In alia pontis parte, alium quoq; aggerem magnum construxerant ex cęspitibus & lateribus crudis, & quum eo peruenissemus, non poteramus transire, nisi nos aquis commisissemus, & istud erat maximo nostro periculo, maxime hostib. acriter pugnantibus, & ab utroq; dicti uici latere, innumera erat hostium magno animo expauimentis sub dialibus certātium multitudo, & quum illuc peruenere plurimi milites pixidibus & balistis utentes, & emisimus duo tormenta per uicum illum, illis maximū inferebamus damnum et quum hoc noscerent aliqui ex Hispanis, se aquis commisere, & ad aliam ripam tranarunt, & fuimus certantes, antequam eo aggere potiri possemus, per horas duas, & quum hostes eos tranantes conspexere, aggerem deseruere, & subdialia pauimenta, & tradidere se fugæ per eum uicum, & eo pacto

B omnis transiuit multitudo, & ipse illico dictum pontem opplendum curaui, & aggerem disijciendum, & interim Hispani una cum Indis nobis amicis hostes insecuti sunt per eū uicum spatio duorum balistę iactuum, usq; ad aliū pontem qui est proximus foro ex principalioribus ciuitatis hospitijs, hunc non ademerant, nec aggerem construxerant. non enim arbitrati fuerant nos eo die aliquid ex his, quæ acquisiueramus, occupaturos. Nec nos alij cogitabamus dimidiam posse partem occupare, & in ipsius fori ingressu collocaui tormentum unum, quod maximmum hostibus damnum inferebat, qui erant tot numero, ut eos forum non caperet. Hispani autem quum conspicerent aquam ibi non contineri, in qua uersari solet periculum, constituerunt forum ingredi, & quum incolæ ciuitatis conspexissent decretum executioni demandatum, & uiderent maximam Indorum nobis amicorum multitudinem (quamuis eos sine nostri præsentia nihil penderent) dederunt terga fugæ. Et Hispani Indique nobis amici eos insecuti sunt, donec eos ingredi coegerint suorum ambitum Idolorum: qui est circundatus calce & lapidibus, & ut alia relatione uisum est, habet tam amplum ambitum, ut in eo collocari possit ciuitas quadringentarum domuum, & iste ambitus illico fuit ab eis derelictus, & Hispani ac Indi nobis amici eum occuparunt, & aliquantulum constiterunt in illis turribus. Quum incolæ ciuitatis uidissent equites non adesse irruerunt in Hispanos, & ui ciecerunt eos e turribus & ex ambitu, qua de re uidere se in maximo periculo & discrimine, quū retrocederent, constitere inferius in ipsius ambitus porticibus, et quum hostes eos iam acriter uexarent, retrocessere ad plateam, & inde eos expulerunt, donec eos coegerint ingredi uicum, ita ut tormentum quod ibi erat, abstulerint. Et Hispani quum impetum hostium sustinere non possent maximo discrimine retrocessere, & re ipsa fuissent maximo in discrimine, ni deo placuisset, ut eo instāti aduenissent tres equites, & plateam ingressi sunt. Hostes illis uisis, cogitantes maiorem esse numerum, terga fugæ dare cœperunt, &

nostri occupare impluuium & ambitum de quo supra memini, & in turri e- A minentiori illius, quę habebat ultra centum gradus usq; ad summum, decem aut duodecim ex primatibus ciuitatis se munierunt, & quatuor aut quinque Hispani eam ascenderunt, & quamuis illi acriter se defenderent, occuparũt tamen eam Hispani, & eos omnes neci dedere, & deinde aduenere quinque aut sex alij equites, & nouissimi una cum primis insidias pararunt hostibus, & ex illis ultra triginta interfecerunt. Et quum aduesperasset iussi receptui cani, et dum milites retrocederent, tanta hostium multitudo ingruebat, quod equitibus opem non ferentibus Hispanis, impossibile fuisset non subire maximum incommodum. Quum tamen angustias, uias stratas omnes, ubi uersabatur discrimen tempore, quo retrocedebant, optime aptassem, & equites per eas ingredi & egredi poterant, & quum hostes irruerent in nostrum postremum agmen, nostri equites inuehebantur in eos, & semper aliquos uulnerabant & interficiebant, & quum uicus esset longus, potuere ter aut quater eo modo in hostes inuehi. Et quamuis hostes cernerent sibi damnum maximum inferri, rabidi tamen canes tam acriter in nos irruebant, ut nullo pacto eos sustinere possemus, nec obsistere, quin nos insequerentur & omnem eum diem in hoc consumpsissemus, si ipsi iam non occupassent plura subdialia pauimenta, quæ eminent uico, & ea propter equites maximum subibant discrimen, & eo modo deuenimus eadem uia strata ad nostra castra, absq; alicuius Hispani (quamuis multi fuerint uulnerati) amissione. Et iniectum ignem reliquimus maioribus, & elegantioribus domibus illius uici, ut alias, quum uicum ingrederemur, ex subdialibus pauimentis nobis obesse non possent. Eodem die maior executor, & Petrus de Aluarado cum hostibus ciuitatis acriter certarunt, quilibet è suis stationibus, & dum certabamus, aberamus unus ab altero per leucam cum dimidia, & per leucam. Tantum enim extendebantur loca habitata ciuitatis, quamuis minimum interuallum intercederet, & amici nostri, qui apud eos erant numero infi- B nito acriter certarunt, & retrocessere in castra eo die absque aliquo sibi illato incommodo.

Interea temporis Don Fernãdo dominus ciuitatis Tesaico & prouincię Aculuacan, de quo superius Maiestati Vestrę memini, studebat allicere omnes incolas ciuitatis & prouinciæ sibi subiectos, & pręsertim primates in nostri amicitiam, quia eousque non erant confirmati, ut postremo se confirmarunt, & quotidie confluebant ad dictum Don Fernando uarij domini, & fratres sui, ea intentione ut nobis fauerent, & pugnam inirent cum Incolis è Temixtitan, & Mexico. Et quum Don Fernando esset adolescens & Hispanis maxime affectus, & cognosceret beneficia Maiestatis Vestræ sibi collata, à qua tam latum Dominium sibi condonatum uideret, præsertim quum uideret alios iure sibi præponi debere, inuigilabat quantũ eidem fieri poterat, ut omnes eius subditi uenirent pugnatum cum incolis ciuitatis, & subirent discrimina & labores quos nos patiebamur, & allocutus est fratres suos qui erant sex aut septem numero iuuenes bello apti, & iniunxit, ut cum omnibus incolis sibi subditis uenirent nobis opem laturi, & unum ex eis nomine Istrusuchil (qui est annorum uiginti quatuor) iuuenem strenuum dilectũ ab omnibus in ducem destinauit, & peruenit ad castra uiæ stratæ comitantibus forte triginta millibus hominum, bello aptorum suo more bene dispositorum, & ad alia duo castra peruenere ultra uiginti millia hominum, et ego benigne eos excepi, & gratias egi de suo bono in nos animo, & operibus, Poterit optime nosse Vestra Sacra Ca. Maiestas, si bona fuerit amicitia nostri Don Fernandi, & cuius sententiæ essent illi è Temixtitan, quum prospicerent illos in eos inuehi, quos pro subditis habebant, pro amicis, affinibus & fratribus, & etiam pro patribus & filijs.

Post duos dies dictæ oppugnationis superius memoratæ, quum dicta subsidia aduenissent, incolæ è Sichimilco, qui sunt constituti in aquis, & quædam

A quædam coloniæ ex Otumiensibus, qui sunt montani, & maiori numero illis è Sichimilco, & erant ascripti seruituti dominis è Temixtitan, uenere oblatum se in uasallos Vestræ Maiestatis. Rogantes, ut indulgerem eorum diuturnitati, & eos optime excepi, eorum aduentu maxime lætatus. Quoniam si incommodum aliquod incolæ è Cuioacan perpeti poterant, ab eis pati poterant.

Quum è latere castrorum in uia strata constitutorum ducibus bergantinorum igne consumpsissemus plura subdialia pauimenta in suburbijs ciuitatis, & nulla ex canois comparere auderet, mihi uisum est ad castrorum nostrorum tutelam sufficere septem bergantinos. Ideo constitui destinare in castra maioris executoris tres bergantinos, & Petri de Aluarado tres alios: & commisi seriose præfectis illorum, quum ab amborum castrorum lateribus, hostes sibi maxime prouiderent ex continenti suis canois, & introducerent aquam, fructus uarios, Maiz, et uarios commeatus, & uagarentur modo huc modo illuc, & ulterius prodessent ad auxilium ferendum militibus in castris existentibus quoties uellent aggredi & oppugnare ciuitatem. Et eo profecti sunt dicti sex bergantini ad dicta castra, quæ res fuit proficua & necessaria, quum die noctuq; prælia mirabilia inter eos intercederent, & capiebant innumeras hostium canoas, & etiam ex illis plures.

Cum prædictis ordinem imposuissem, & tot copiæ in nostri subsidium & pacifice aduenissent, ut superius memini: eos sum allocutus, uelle ab hinc ad duos dies oppugnare ciuitatem, propterea tunc comparerent bene præparati, & eo tunc cognoscerem an fidi essent amici, Et ipsi se ita facturos polliciti sunt, & sequenti die iussi milites esse in armis, & significaui hominibus existentibus in castris & bergantinis, quid constituissem, & quid illis agendum esset.

Sequenti die post missarum solennia, & datam prefectis informationem, B quid sibi esset agendum, castris nostris exiui comitantibus equitibus, & trecentis Hispanis, & omnibus Indis nobis amicis, quorum infinitus erat numerus, & quũ uia strata progrederer, ad trinos balistæ iactus, hostes nos iam morabantur maximis clamoribus, et quum tres iam intercessissent dies, quibus secum nõ fuerat certatum, demoliti fuerant omnia, quæ oppleueramus expugnatu difficiliora quam ante fuerant, & bergantini ab utroque uiæ stratæ latere peruenere, & cum eis possemus propius ire tormentis, pixidibus, & balistis multum damni eisdem inferebamus.

Hoc prospicientes in terram prosiliuimus & aggerem occupauimus, una cum ponte, & progredi cœpimus, & hostes insequi. At illi muniebant se in alijs pontibus & aggeribus quos extruxerant. Quos maiori tamen labore & discrimine, quam alias occupauimus, Et eiecimus è uico à platea, & magnis illis domibus ciuitatis. Et tunc iniunxi Hispanis, ne ulterius progrederentur, quoniam ego una cum amicis meis opplebam saxis, et lateribus aquarum meatus, in quibus erat maximus labor. Nam quamuis huic negotio incumberent decem millia Indorum nobis amicorum, aduenit tamen hora uesperarum antequam finis esset operi impositus, & eo tempore semper Hispani & Indi nobis amici decertarunt cum incolis ciuitatis, eisdem insidias instruendo, quibus plurimi periere. Et ego equitibus comitantibus ciuitatem peragraui, & in uicis illis, quibus habebatur aqua, uulneraui mus multos, & ita egimus, ut retrocederent nec ulterius auderent progredi in continentem.

Cum cognoscerem incolas ciuitatis esse rebelles, & talem præ se ferrent animum, ut uellent aut certe occumbere morti, aut se fortiter tueri, duæ sententiæ inde meo insederũt animo. Vna quod modicas aut nullas ex diuitijs, quas nobis incolæ ciuitatis abstulerant, recuperaturi eramus. Altera quod nobis ansam darent, ut eos extremæ internecioni daremus. Et postremã sententiam ueriorem cogitabamus, quę nobis maxime displicebat: & cogitabã

modum, quo eis timorem incutere possem, ut iam resipiscerent à suo errore, A
& cognoscerēt damnum, quod illis inferre possem: & semper comburebam,
destruebamq; turres idolorum & domorum suarum, & ut propius uiderent,
hac die ignem inijciendum curaui illis magnis domibus in platea constitu-
tis, ubi alias, quum nos expulere à ciuitate, ego & Hispani hospitari soleba-
mus, quæ erant adeo amplę, ut quilibet princeps sexcentis hominibus in suo
seruitio existentibus commode hospitari posset, & etiam alijs eisdem adhæ-
rentibus, quæ quamuis non essent tam amplæ, & aliquantulum minores, e-
rant tamen pulchriores & elegantiores, in quibus dominus Muteezuma re-
tinebat omnia genera auium, quæ reperiebantur in his prouincijs. Et quam-
uis illud mihi displiceret, tamen quum cognoscerem hostibus magis displi-
cere, constitui eas igne consumere, qua re hostes maxime sunt contristati, &
similiter reliqui eis fœdere iuncti in lacu constituti, quoniam nunquam rati
sunt nostras uires tantum posse, & nostrum fore tam multos ut eo usque pro-
gredi possemus, & hoc sibi multo plus displicuit.

Igne iniecto dictis domibus receptui cani iussi, & iunctis militibus, quo-
niam hora tarda erat, ad nostra castra deuenimus, & quum hostes nos retro-
cedere uiderent, maxima irruebat multitudo, & extremum agmen nostrum
aggrediebatur, & quum uicus iam esset compositus, & equites possent ad li
bitum ire, & redire, & in eos irruebamus, & semper aliquos ex eis uulnera-
bamus, propterea tamen non desistebant à tergo nos uociferationibus inse-
qui. Eo die demonstrarunt maximũ dolorē, præsertim, quum nos ingressos
eorum ciuitatem, & eam igne uastantes, & contra eos pugnantes, & eos in-
sequentes incolas coloniarum Calco, Tesaico, & Sichimilco, similiter & O-
tumienses (quum quilibet nomen patriæ pugnando clamaret) conspexere,
ab alio uero latere eos è Tascaltecal, qui una cum reliquis ostendebant eis
incolas suæ ciuitatis in frusta concisos, & aiebant ipsos in cibum cœnæ il-
lius seruaturos, & in futurũ prandiũ, quemadmodũ re ipsa faciebāt. Et eo pa B
cto peruenimus in castra, ut nos quieti daremus, ea eñ die multũ laboris pas-
si fueramus. Septē aũt bergātini, quos apud me retinebā eo die ingressi sunt
per æstuarias fossas, ciuitatis, & ex ea multũ igne cōsumpsere. Præfecti uero
aliorũ castrorũ, & sex alij bergātini, strenue certarunt eo die. Et circa ea, quę
eis euenere, possē diffusius enarrare, quæ euitādæ prolixitatis gratia præter-
mitto, nisi qđ in castra sua uictoria potiti recessere absq; aliq̃ eorũ discrimine.

Sequenti die summo mane ordine antedicto, post missarum solennia om
nibus copijs sum in ciuitatem reuersus, ne hostibus tempus daretur euacuan
di pontes, & reficiendi aggeres. Et quamuis summo mane surrexissem, nihil-
ominus ex tribus portionibus aquarum & uicorum, qui intercedunt, duæ
portiones à castris nostris usque ad illas magnas domos & plateam erant ex-
tructæ, ut præcedenti die, in quibus occupandis fuit maxima difficultas,
ut certamen prorogatum fuerit ab octaua, usque ad horam primam post me-
ridiem, quo tēpore consumptæ sunt omnes sagittæ, & globuli, quos milites
balistis, & pixidibus utentes attulerant. Et credat Sacra Vestra Maiestas,
quod maxima subibamus discrimina, quoties illis dictos pontes eripieba-
mus, quoniam ut eos occuparemus necesse erat natando transire, et eomodo
non poterant multum uiribus uti, quoniam ictibus ensium, & lancearum
hostes in ripa obsistebant ne transirent. Tamen quum à lateribus non ha-
berent subdialia pauimenta, ex quibus nobis obesse possent, & ab alio la-
tere in eos spicula iaculabamus (non aberamus enim alter ab altero per la-
pidis iactum) Hispani indies augebantur animis, & constituebant transire,
et etiam quoniam uidebant meo sic animo insidere, et quod aut cadendo, aut
surgendo non erat aliud faciendum. Videbitur fortassis Maiestati Vestræ,
quum tot pericula iam dictis pontibus, et aggeribus occupandis subiremus,
magnæ fuisse negligentiæ, postquam eos occupaueramus, deserere, nec ma-
nutenere, ne singulis diebus talia subiremus discrimina in illis occupan-
dis,

A dis, quæ discrimina sine dubio erant maxima. Et certe sic uidebitur absentibus, tamen sciat Vestra Maiestas, quod nullo pacto fieri poterat, quoniam ut illud executioni mandaretur, è duobus alterum facere cogebamur, quod aut castra ibi locaremus in platea, & ambitu turrium Idolorum, aut quod aliqui custodirent nocturno tempore pontes. In utroque maxima discrimina, nec uires suppeditabãt, quoniam si castra locaremus in ciuitate, singula quaque nocte & hora, cũ illi essent sine numero & nos pauci, millies ad arma cõclamaretur & certarent nobiscum, & labores essent intolerabiles, & undiq; nos poterant aggredi. Vt autem nocte pontes custodirentur, ideo fieri non potuit. Hispani enim sub uesperam erant adeo lassi, & fessi ex pugna diei, ut milites pontium custodiæ nullo pacto locare possemus, & propterea cogebamur quotidie denuo eos occupare, quo ciuitatem ingrediebamur. Eo die cum tempus consumpsissemus in occupandis illis pontibus & opplendis, non fuit tempus alia gerẽdi, nisi quod in uico alio, qui progreditur ad ciuitatem Tacuba, fuerunt occupati duo alij pontes, & oppleti, & plures magnę & egregiæ domus illius uici igne cõsumptę sunt, & eo modo aduenit hora uespertina, & tempus retrocedendi. Et tunc non minori uersabamur in discrimine, quam in occupandis pontibus, quia cum hostes nos retrocedere conspiciebant, tantum animis augebantur, non aliter, quam si uictoria potiti fuissent, & nos terga fugæ dedissemus. Et ad hoc necesse erat, quod põtes essent bene oppleti, & materies æquata solo uicorum, adeo ut equites sine impedimento possent ab utraq; parte currere, & cum hoc pacto recederemus, cum tam procliui nos insequerentur, aliquando fingebamus dare terga fugæ, & nos equites in eos reuertebamur, & semper capiebamus duodecim aut tredecim ex illis ex fortioribus. Eo modo & quibusdam insidijs, quas ipsis semper parabamus, lædebantur. Et certe illud erat pulcherrimum & admiratione dignum, quoniam cum notissimum & notabile esset
B damnum, quod illis inferebamus ex tali insecutione, nos tamen insequi non desinebant, donec uiderent nos ciuitate egressos, & ita reuersi sumus in castra, & præfecti aliorum castrorum, me certum redderũt, qualiter eo die omnia eis prospera euenerant, & multos ex hostibus neci dederant, tam lacu quam terra. Et præfectus Petrus de Aluarado, qui moram trahebat in ciuitate Tacuba, mihi literis significauit occupasse duos aut tres pontes. Quia cum esset in uia strata, quæ exit è foro celebris ciuitatis, & ea itur ad ciuitatẽ Tacuba, tres illi bergantini quos illi dederam, poterant peruenire ab uno latere, & appropinquare eidem uiæ stratæ, non fuerat in tanto periculo, quanto transactis diebus, & ab eo latere Petri de Aluarado erant plures pontes, & plures aquarum meatus in dicta uia strata, quamuis non essent ita crebra subdialia pauimenta, ut in alijs locis.

Omni eo tempore Incolæ ciuitatum Iztapalapa Oichilubuzco, Mechicacingo, Culuacan, Mizqueque & Chuitaguaca (quæ ut superius memini in lacu dulcis aquę constitutę sunt) nunquam uoluerunt mecum pacem, nec etiam eo toto tempore incommodũ aut damnum aliquod ab eis perpessi fueramus, & quum incolæ è Calco essent fideles Maiestatis Vestræ uasalli, & considerarent nos negotium habere cum incolis celebris ciuitatis, cõiunxere se cum quibusdam colonijs, quę lacui hærent, & omne possibile damnum inferebant existentibus in lacu, & quũ cognoscerent nos semper uictoria potiri cõtra incolas è Temixtitan, & considerãtes sibi illatũ Damnum, & quod sibi inferri posset ab amicis nostris, se dedidere, et peruenere in castra nostra, & supplices rogauerunt, ut præteritis eorum erratis indulgerem, & committerem incolis è Calco, & uicinis eorum ne ulterius eis damnum inferrent. Eis mihi placere respondi, & me non moleste ferre hæc ab aliquo, nisi ab incolis ciuitatis Temixtitan, & ut crederem suam amicitiam esse ex corde, rogabam postquam constitueram nunquam obsidionem soluere, donec aut per deditionem, aut per uim ciuitatem caperem, & ipsi haberent

haberent multas canoas, quibus auxilio mihi eſſe poſſent, ut pararent eas omnes, quas poſſent, una cum omni multitudine ſuarum coloniarum, ut impoſterum aquis mihi auxilio eſſent, & etiam rogabam, quum Hiſpani haberent paucas, & malas caſulas, & tempora eſſent pluuioſa, ut in caſtris noſtris fabricandum curarent maiorum caſularum numerum, & adducerent canoas, quibus uehi poſſent tigna & lateres ex domibus ciuitatis proximioribus caſtris, & illi retulere canoas, & uiros bello aptos eſſe accinctos ad quamlibet diem, & in conſtruendis caſulis fuerunt admodum diligentes, quod ab uno & ab alio latere illarum duarum turrium illius ſtratæ uiæ, ubi ego caſtra metatus fueram, tot ædificarunt, quod à proxima ad nouiſſimam eſſet interuallum ad tres aut quatuor baliſtæ iactus, & ultra. Et conſideret Veſtra Maieſtas, latitudinem dictæ ſtratæ uiæ, quæ eſt ſita in profundiori loco dicti lacus, & ab utroque latere dictæ ſtratæ uiæ erant locatæ dictæ domus & remanebat tantum uacui in ea, ut commode equites, & pedites potuiſſent ad libitum ire, & redire, & in caſtris continebantur numeratis Hiſpanis, & Indis qui illis inſeruiebant, ultra duo millia hominum. Reliqui enim Indi nobis amici hoſpitabantur in Cuioacan, quæ abeſt per leucam cum dimidia à dictis caſtris, & etiam incolæ earum coloniarum, multoties nobis impartiebantur aliquos commeatus, quibus maxime indigebamus, & præſertim piſces, & ceraſa, quæ ſunt tanta in copia, ut poſſint ſufficere per menſes quinque, aut ſex (quibus continuantur) hominibus in duplum quam in iſtis partibus comperiantur.

Quum per duos, aut tres dies ſucceſſiue ingreſſi fuiſſemus ciuitatem à latere caſtrorum noſtrorum, demptis illis alijs tribus aut quatuor, quibus ingreſſi eramus & ſemper potiti uictoria contra hoſtes, & tormentis, pixidibus, & baliſtis plures interficiebamus, cogitabamus, quod in horas uenirent oblaturi pacem, quam exoptabamus perinde ac ſalutem propriam, nil tamen nobis prodeſſe poterat, ut ad eam inducerentur. Et ut eos maioribus afficeremus incommodis, cogeremus'que eos, ut pacem nobiſcum inirent, conſtitui quotidie ingredi ciuitatem, & eam oppugnare omnibus copijs, quas mecum habebam, à quatuor locis, & adeſſe iuſſi omnem multitudinem ciuitatum in aquis conſtitutarum, ſuis canois, & eo die mane comperiebantur in noſtris caſtris ultra centum millia Indorum nobis amicorum. Et mandaui tres bergantinos cum dimidia portione canoarum, quæ aſcendebant ad mille & quingentos numero, ire ab uno latere & tres alios cum reliquis canois ab alio proficiſci, ut circundarent ciuitatem & eam comburerent, & maius ſibi poſsibile damnum inferrent. Ego autem progreſſus ſum primaria uia ſtrata, & inuenimus eam ſine impedimento uſque ad magnas domos & nulli ex pontibus erant ſublati, & progreſſus ſum uſque ad uiam ſtratam, quæ aſcendit ad uicum, quo itur ad ciuitatem Tacuba, in quo continebantur ſex aut ſeptem pontes, & ibi curaui præfectum quendam uicum alium occupare ſexaginta aut ſeptuaginta peditibus, & ſeptem equitibus à tergo ut eis præſidio eſſent. Eos comitabantur decem aut duodecim millia Indorum nobis amicorum, & iniunxi alteri præfecto, ut alium ſimiliter uicum occuparet, & ipſe cum militibus qui ſupererant ſequutus ſum uicum, quo itur ad ciuitatem Tacuba, & tres occupauimus pontes, quos oppleuimus & reliquos occupandos reliquimus ad diem ſequentem. Erat enim hora tarda, & melius commodius'que ſequenti die occupari poterant, quoniam admodum deſiderabam omnem uicum illum occupare, ut milites Petri de Aluarado ſe nobiſcum coniungere poſſent, & proficiſci poſſent de caſtris ſuis ad noſtra, & bergantini illud idem facerent. Et ille dies fuit nobis maximæ uictorię, tam aquis, quam continenti, & aliquid prædæ adeptum eſt ab incolis ciuitatis, & in caſtris Petri de Aluarado, & maioris executoris, non modica potiti ſunt uictoria.

Poſtero die reuerſus ſum ad ciuitatem eo ordine, quo die antecedenti, & deus

A deus nobis tandem uictoriam concessit, ut quacunque meis militibus progrediebar, nullam comperiebam repugnantiam, & hostes tanta celeritate pedem referebãt, ut eis uideretur nos è quatuor ciuitatis portionibus tres iam occupasse, & ex castris Petri de Aluarado eos maxime premebant. Et proculdubio eo die, & præcedenti arbitrabar eos nobiscum pacem inituros quam (adepta uictoria & fine) semper mihi proponebam, & tamen nunquam propterea in eisdem uidimus signum aliquod pacificum. Et eo die reuersi sumus maxima exultatione ad castra nostra, quamuis plurimum tristaremur, quum uideremus incolas ciuitatis mori penitus constituisse.

Illis diebus præteritis Petrus de Aluarado occupauerat plures pontes, & ut eos nocte tueretur, peditibus & equitibus utebatur, & reliqui proficiscebantur in castra, quæ aberãt fere per leucam. Et quia labor ille erat intolerabilis, constituit locare castra in fine uiæ stratæ, qua proficiscitur ad ciuitatẽ, quod forum est latius foro Salamantinæ ciuitatis, & porticubus undiq; circumseptum, & ut possent, peruenire ad forum, non supererant occupandi nisi duo aut tres pontes, erant tamen lati & admodum occupatu difficiles, eo modo fuit per aliquot dies, & semper uictoria potitus fuit, & eo die de quo superius memini, quum uideret hostes præ se ferre lassitudinem, & me assidue eos acriter oppugnare, uictoria adeo elatus ob pontes & aggeres occupatos, constituit ulterius progredi & occupare pontem, qui continebat latitudinem sexaginta passuum uiæ stratæ demolitæ, profunditatem hominis status cum dimidio & ultra, & quum audacter incœpissent, eo die bergantini illis maximo fuere adiumento, aquam tranarunt & pontem occuparunt, & hostes fugientes insequebantur, & Petrus de Aluarado properabat locum illũ oppleri, ut equites trãsire possent, & etiam quoniã eum quotidie commonefaciebã, tam scriptis quam uerbo, ne palmũ quidem loci occuparet, nisi esset tutus, & equites tuto possent ingredi & egredi. Illi eñ sunt, qui

B eis bellum inferunt. Et quum incolæ ciuitatis conspicerent, non transiuisse nisi quadraginta, aut quinquaginta Hispanos, & aliquos ex nobis amicis, & nostros equites non posse transire tam tempestiue, in eos conuersi sunt, ut eos cogerẽt uertere terga fugæ, & proijcere se aquis, & tenuere tres, aut quatuor Hispanos captiuos, quos illico profecti sunt ad sacrificandum dijs suis, & interfecere aliquos ex nostris amicis, & tandem Petrus de Aluarado in castra sua est reuersus. Et quum eo die peruenissem in castra nostra, cognoui quæ ei acciderant, maximam inde mœstitiam contraxi, quum illud esset ansam præbere hostibus, ut animis augerentur, & crederent nos nullo pacto imposterum audere eos aggredi. Ratio cur Petrus de Aluarado constituerat expugnare illum difficilem locum, ea fuit ut superius, memini, quia uidebat se pro maiori parte expugnasse difficilia hostium loca, & illi aliquem timorem & lassitudinem præ se ferebant, & præcipue, quoniam existentes in eius castris instabant, ut forum occuparet, illo enim occupato fere uniuersa ciuitas capta uidebatur, & ea omnia euenere spe & uiribus Indorum qui aderant, quum existentes in dictis castris, considerarent assiduas oppugnationes in ciuitatem à me factas, arbitrabantur me citius illis dictum forum occupaturum, & propterea dictus Petrus de Aluarado maxime solicitabatur, & idem mihi eueniebat in nostris castris. Hispani enim omnes acriter solicitabant, ut per unum ex tribus uicis quibus ingrediebatur, quum nullum haberemus obstaculum, quo occupato minor superesset labor, & ipse dissimulabam omnibus modis, quibus poteram, quamuis causam non aperirem, & hoc ideo erat propter discrimina, & perturbationes, quæ mihi sese offerebãt, ante enim ingressum in forum plurima intercedebant subdialia pauimẽta, pontes, & uiæ stratæ demolitæ, ita quod domus omnes, qua transire debebamus, erant tanq̃ insulæ in medio maris.

Equites potissimum Indos debellant

Quum sero peruenissem in castra, & cognouissem profligationem Petri de Aluarado, sequenti die summo mane constitui proficisci in eius castra, ut illum

illum erroris præteriti reprehẽderem, & cognoscerem, quæ ipse occupasset, A
& ubi castrametatus esset, & ut illum monerem de omnibus ad tutelam suã, & ad hostium offensionem facientibus. & quum perueni in illius castra, maxima fui admiratione ductus quomodo potuerint tãtum ciuitatis, & tot malos pontes occupasse, & quum ea uidissem, non tanta dignus reprehensione uisus est, quanta prius uidebatur, & ordine constituto, quid esset agendum, in castra nostra eodem die reuersus sum.

Post hęc multoties ingressus sum ciuitatem locis solitis, & duobus in locis bergantinis, & canois insidentes decertabant, & ego in ciuitate quatuor in locis, & semper uictoria potiebamur, & multi ex hostibus peribant, indices enim multitudo sine numero in nostri subsidium confluebat. Differebam ulterius progredi. Primo, ut uiderem si hostes duritiem & malum animum quem habebant, deponerent. Secundo quia noster ingressus non poterat esse sine maximo discrimine. Illi enim erant admodum coniuncti & alacres, & mori constituerant, & cum Hispani rem hanc tam diu differri uiderent, & intercessérant iam uiginti dies, quibus nunquam destiterant à pugna, ultra quã credi potest, mihi fuerunt importuni, ut superius dixi, ut ingrederemur, & forum occuparemus, quo occupato hostibus minimum spatij relinquebatur, ubi se tueri possent, & si deditionem facere nollent, fame, & siti mori cogerentur, quum potum non haberent, nisi aquæ salsæ illius lacus. Et quum me excusarem, Vestræ Maiestatis thesaurarius mihi significauit, omnes in castris existentes confirmare, ut forum occuparem, & ipsi, & aliquibus alijs probis uiris, qui aderant respondi eorum intentionem esse optimam, & me id plus alijs desiderare, illud tamen non exequebar ob eam causam tantum (quam ipsi sua solicitudine, ut proferrẽ, cogebãt) quę talis erat, quod quamuis alij bono animo illud agerent, quum tamen ea in re maximum uersaretur discrimen, essent multi, qui illud nõ exequerentur, & tandem eorum importunitate coactus annui, me facturum eo in negotio omnia quæ possem, B
communicato prius consilio cum militibus reliquorum castrorum.

Postero die conueni aliquos ex primatibus, & constitui facere certiorẽ maiorem executorem, & Petrum de Aluarado, nos sequenti die ingressuros ciuitatem, & laborare, ut in forum perueniremus, & scriptis demãdaui, quæ per eos essent agenda à latere ciuitatis Tacuba, & ultra literas destinaui illuc duos meos familiares, ut eos certos facerent de omni negotio. Et ordo, quo omnia procedere deberent, talis erat, ut maior executor accederet comitantibus decem equitibus, centum peditibus, & quindecim balistis, & pixidibus utentibus in castra Petri de Aluarado, & in suis castris remanerent reliqui decem equites, & componeret inter illos, ut sequenti die quo certamẽ committi debebat, collocarẽt se in insidijs post domos quasdam, & sarcinas suas abducendas curarent, non aliter quam si abirent, ut incolæ ciuitatis egrederentur ad eos insequendum, & equites in insidijs collocati illos à tergo aggrederẽtur, & dictus maior executor tribus bergantinis quos habebat, & tribus alijs Petri de aluarado illum dificilem transitum, ubi Petrum de Aluarado profligarant, & acceleraret in opplendo dictum transitum, & ulterius progrederentur & occuparet, nullo pacto longius procederent, nec aliquid ulterius occuparent, nisi occupata opplerent & aptarent, & si possent sine magno eorum periculo occupare usq; ad forũ, omnem darent operam, quoniam ego idem eram facturus, & aduerterent quod quamuis ea sibi nuncianda curarem, non obligabam tamen eos ad occupandum passum unum ciuitatis, ex quo aliquid incommodi subire cogerentur. Et hoc nunciaui, quoniam cognoscebam, eos esse tales, qui personas suas eo, ubi iuberem, constituissent, quamuis se morituros cernerent. Illi à me expediti profecti sunt in castra, & cõuenerunt dictos maiorem executorem, & Petrum de Aluarado, quibus aperuere omnia, quemadmodum in nostris castris constitueramus. Et quoniam illi unicum locum erant oppugnaturi, iussi ad me mitterent

rent

A rent ſeptuaginta, aut octuaginta ex militibus peditibus, ut ſequenti die me/ cum ciuitatem ingrederentur, qui ea nocte dormitum peruenere in caſtra noſtra, ut eis iniunxeram.

Ordine iam dicto compoſito ſequenti die poſt miſſarum ſolennia, è caſtris noſtris exiuere illi ſeptem bergantini, quos comitabant̃ ultra tria millia canoarum nobis amicarum, & ipſi uiginti quinque comitatus equitibus & reliquis quos in caſtris habebam, & illis ſeptuaginta qui aduenerant ex caſtris Tacuba, ſecuti fuimus iter noſtrum, & ciuitatem ſumus ingreſſi. Quam poſtquam fueram ingreſſus, milites hoc pacto diuiſi. Erant tres uici in locis occupatis, quibus patebat iter ad forum, quem Indi Tianguizco nominant, totus ille ſitus ubi eſt collocatus Tlatelulco appellatur, & unus ex his tribus uicis erat potior, quo ibatur ad dictum forũ. Et theſaurario, & computatori Veſtræ Maieſtatis ſignificaui, ut ingrederentur ſeptuaginta comitati peditibus & ultra quindecim, aut uiginti millibus Indorum nobis amicorum, & extremum occuparent agmen ſeptem, aut octo equites. & quotquot pontes aut aggeres occuparent, illico eos opplerent & conducerent decem homines ligonibus, & alios Indos nobis amicos, qui erant nobis multum proficui ad opplendos pontes. Reliqui duo uici ex uico à Tacuba ingrediuntur forum, & ſunt anguſtiores, & crebrioribus uijs ſtratis, pontibus, & uicis aquis plenis, & ampliori ex illis ire iuſſi præfectos duos, octuaginta peditibus, & ultra decem millibus Indis nobis amicis, & in fauce illius uici Tacuba dimiſi duo magna tormenta, & illorum cuſtodię impoſui decem equites. Ego autem octo equitibus & cẽtum peditibus, inter quos erant uiginti quinque baliſtis & pixidibus utentes, & infinito numero Indorum nobis amicorum, ſecutus ſum iter meum, ut ingrederer alium anguſtum uicum, quãtum poſſem: & in fauce illius eſſe iuſſi equites, & iuſſi quod nullo pacto ulterius

B progrederentur aut me ſequerentur, niſi prius illis mãdarem & equo deſcendi, & uenimus ad aggerem, quem extruxerant ante põtem quendam, & quodam paruo campeſtri tormento, & militibus baliſtis & pixidibus utentibus eum occupauimus, & ultra progreſſi fuimus per demolitam ſtratam uiam duobus uel tribus illis locis, & ultra, quod tribus illis locis pugnabamus cũ incolis ciuitatis. Tanta erat Indorum nobis amicorum copia, qui aſcendebant ſubdialia pauimẽta, ut uideretur nil nobis damni inferri poſſe, & cum illis occupauimus illos geminos pontes, aggerem, & uicum. Hiſpani & Indi noſtri amici ſecuti ſunt eos eodem uico abſq; mora aliqua & ego remanſi comitantibus forte uiginti Hiſpanis in inſula quadam propinqua. Videbam enim Indos quoſdã nobis amicos implicitos cum hoſtibus, & aliquando eos retrocedere cogebant, donec ſe aquis committerent, & noſtro freti ſubſidio in eos irruebant, et ulterius cuſtodiebamus, ne quibuſdam tranſuerſis uicis incolæ ciuitatis Hiſpanos à tergo aggrederentur, qui eo uico progreſſi fuerant. Qui eo inſtanti mihi nunciandum curarant, ipſos maximam ciuitatis partem occupaſſe, & non longe à platea ipſius fori eos abeſſe, & omnino conſtituerant ulterius progredi, quoniam audiebãt pugnam initam è caſtris maioris executoris, & Petri de Aluarado contra hoſtes ciuitatis, ipſe autem eis denunciandum commiſi, quod nullo pacto pedem mouerent, niſi prius pontes eſſent optime oppleti, ut ſi forte retrocedere cogerentur, aqua eos non impediret, cum ipſi ibi omne diſcrimen uerſari cognoſcerent, ipſi mihi nunciandum commiſere, omnia eſſe optimo ordine, & quod illuc progrederer, & oculata fide proſpicerem ita eſſe. Ego autem ſuſpitione adductus ne aberrarent, & curam non adhiberent in opplendis pontibus, illuc profectus ſum, & comperi illos tranſiuiſſe demolitam portionem unius uici latitudinis decem aut duodecim paſſuum. Aqua autem aſcendebat ad profunditatem geminorum hominis ſtatuum, & eodem tempore, quum tranſiuere, iniecerant ligna, cannaſq;, & cum paulatim tranſirent & cupide, materies in profundum non penetrarat & ipſi uoluptate uictoriæ, qua potieban/

tur erant adeo hilares, ut cogitarent materiam illam fixam diuturnam'que permansuram. Et eo tempore, quo ad pontem perueni, comperi Hispanos, & alios plures ex amicis nostris terga fugæ dedisse, & hostes tanquam rabidos canes illos insequentes. Cumq; incompositũ ordinem uiderem clamare cœpi. Sistite, sistite & quum essem proximus aquę, eã Hispanis, & Indis refertam inueni, ut ne paleam quidem iniecisse uiderent, & hostes tanto impetu ferebantur in Hispanos, ut eos insequendo aquis committerent se, ut ipsos interficerent, & ex uico illo aqueo aduentabant hostium canoæ, & Hispanos uiuos captiuabant, & quũ res fuisset tam repentina, & uiderem ipsos milites meos interficientes, cõstitui ibi consistere, & certando mori, & in eo, plus proficiebamus opem ferendo manibus quibusdam infortunatis Hispanis, qui submergebãtur, ut aquis exirent, & aliqui exibant uulnerati, aliqui uero aquis semisubmersi, & alij sine armis, eosq; anteire iubebam, & iam tanta hostium multitudo ingruebat, quod me, & duodecim, aut quindecim, qui mecum erãt, undiq; circumdederant, & quum essem intentus opem ferendo illis, qui aquis obruebantur, non prospiciebam, nec memor eram damni, quod euenire poterat, & me Indi aliqui ex hostibus ceperãt, & abduxissent, si non affuisset prefectus quidam comitantibus quinquaginta militibus, quẽ mecum semper deducere solebam, & ope iuuenis unius illius societatis, qui post deũ Op. Max. me à morte seruauit, & ut me seruaret acerrime pugnando ibi suam effudit animam. Interim Hispani, qui aufugerant profligati proficiscebantur ea strata uia, & quum esset breuis, & angusta, & aquæ æqualis, quam canes illi ex industria fabricauerant, & ea strata uia progrediebantur profligati multi ex Indis nobis amicis, iter tantum erat impeditum, & ipsi erant adeo tardi, ut hostibus tempus daretur ut ab utroque latere aquam transire possent, & capere, & interficere quotquot eis uidebatur, & ille præfectus qui mecũ erat nomine Antonius equinnones, Discedamus, inquit, & incolumẽ uos seruemus, cũ certi simus, quod si uos amiserimus nullus nostrũ euadere posset, & uix mecũ tantũ agere potuit, ut inde discederem, et cũ hoc uideret brachijs mihi annuit, ut reuerteremur, & quamuis ipse plus exoptassem mori, quã uiuere, prelibati prefecti hortatione, et aliorũ commilitonum, qui aderant cœpimus retrocedere cum hostibus certando ensibus, & parmis nostris, qui nobis uulnera illatum ueniebant. Eo ipso tempore aduenit familiaris meus, & iter aliquantulum aperuit, tamen illico ab humili subdiali pauimento illum gutture percussere, ut cadere coegerint, & dum uersarer in tali profligatione, expectans multitudinem transire, ut se tuto locarent, & nos hostium impetum sustineremus, interea aduenit quidam familiaris meus equo, ut equitare possem, tantum erat luti in ea angusta uia strata, propter ingredientium, egredientiumq; ab aquis multitudinem, ut nullus consistere posset, & ipse equum ascendi non pugnæ gratia, quoniam ibi erat impossibile equitem posse pugnam inire, quoniã si ea angusta strata uia ad insulam progredi potuissem, comperissem eos octo equites, quos ibi dimiseram, & non potuerant aliter operari sed coacti sunt reuerti, & quum reditus esset tã difficilis, duæ equæ quibus insidebant duo familiares mei ex ea angusta strata uia in aquas dilapsæ sunt, & alteram hostes interemere, alteram uero pedites quidam tutati sunt, & tertius iuuenis familiaris meus Christophorus de Guzman nomine ascendit equum quem existentes in insula illa mihi adducendum curarant, ut me in tutũ recipere possem, & hostes eundem una cum equo priusquam ad me peruenire posset, interfecere, cuius mors tanto omnibus existentibus in castris fuit dolori, ut in hanc usque diem recens sit illius mortis mœstitia omnibus, qui secum iuncti erant consuetudine & cognitione. Ex tot & tantis nostris laboribus omnipotenti deo placuit, ut superstites peruenerimus ad uicũ, quo Tacuba peruenitur qui est spaciosus. Quo postquam milites conuenere, extremum agmen nouem comitantibus equitibus occupaui. Hostes autem in nos uictoria elati tanta superbia ferebantur, ut ui

A deretur nullum ab eorum manibus posse euadere, & meliori modo, quo potui retrocedens thesaurario, & computatori nunciandum commisi, ut in plateam multo ordine conuenirent, et illud idem nunciari iussi duobus illis præfectis, qui ingressi erant uicum, quo itur in forum, & quilibet eorum strenue pugnauerat, multos aggeres, & pontes occupauerant, quos optime opplerant, quod effecit ut in reditu damnum nullum fuerint perpessi. Et priusquam thesaurarius, & computator rediret, hostes ciuitatis ex quodam aggere, ubi certabatur, proiecerant duo aut tria Christianorum capita, quamuis tunc nesciuerint an essent ex militibus Petri de Aluarado, uel nostrorũ castrorũ. Quũ conuenissemus ad plateam, tanta hostiũ multitudo undiq; confluebat, ut maximum fuerimus passi laborem, antequam diuertere cogerentur quibusdam locis, ubi ante hanc profligationem expectare non audebãt tres equites, & decem pedites. Et illico in turri quadam excelsa idolis suis dicata, quæ erat contigua plateæ, locarunt aromata, suffumigationes que ex gummi quodam quod nascitur in his regionibus, quod ipsi dijs suis offerunt in signum uictoriæ, & quamuis ipsis impedimento esse uoluerimus, nunquam tamen eos impedire potuimus, quia milites celeri passu castra nostra uersus progrediebantur. Ea profligatione hostes interfecere triginta quinq;, aut quadraginta Hispanos, & ultra mille Indos nobis amicos, & uulnerarũt ultra uiginti Christianos, & ipse uulnus accepi in crure. Amissum est tormentum illud paruum campestre, quod conduxeramus, & plures balistæ, et pixides una cum multis armorum generibus. Illi è ciuitate, illico habita uictoria ut maiorem executorem, & Petrum de Aluarado exanimatos redderent, omnes Hispanos tam uiuos quam mortuos, quos ceperant ad Catebulco, in quo est forum, adduxere, in quibusdam turribus altísimis foro proximis nudos sacrificauerunt, & pectora eorum aperuere, cordaq; exemerunt,

B ut idolis suis offerrent. Quæ omnia Hispani è castris Petri de Aluarado optime conspicere poterant, ab eo loco unde decertabant, & quũ uiderent corpora illa nuda alba, cognouere illos esse Christianos, & quamuis propterea maxime fuerint tristati, & exanimati rediere in castra per dies octo, eo et die sequenti hostes ciuitatis buccinis, & tympanis maximam animorum exultationem præ se ferebant, ut uideretur ciuitas corruere, & aperuere omnes uicos, & pontes in quibus aqua uersatur, ut prius habuerant, & peruenere, ut ignes, & uigiles suos locarent per binos balistæ iactus à nostris castris, & quũ omnes euasissemus profligati, uulnerati, & inermes, indigebamus quiete, & refectione. Hac occasione incolæ ciuitatis spatium habuere transmittendi legatos ad plures prouincias illis subditas nunciatum se maxima potitos esse uictoria, & interfecisse plures Christicolas, & sperabant propediem nos penitus delere, & nullo pacto nobiscum iungerentur, & ut fides sibi adhiberetur, circumferebant duo equorum, & aliqua interfectorum Christianorum capita, quæ ostendebant per ea loca, quibus eisdem conducere uidebatur, quæ res multum operata est ad contumaciores reddendos, qui defecerant, quam erant antea.

Inde ad duos dies post profligationẽ, cuius fama iã innotuerat, & per omnia circũuicina loca uagabatur, incolę colonię nomine Quarnaquacar, qui subijciebantur ciuitati Temixtitan, & subdiderãt se in amicos, profecti sunt in castra nostra, & mihi significarunt incolas coloniæ Marinalco, qui sibi erant contermini, damna plurima illis inferre, & prouinciam suam destruebant, & tunc coniungebant se cum incolis prouinciæ Guisco, quæ maxima est, & constituerant eos aggredi, ut interficerent, quia se Maiestati Vestræ subdiderant, & nobis iuncti fuerant amicitia, & hostes affirmabant illis deletis constituisse nos aggredi. Et quamuis profligatio, quæ nobis euenerat esset recens, & potius subsidio indigeremus, quam alijs subsidium ministraremus, quia maxime instabãt, decreui subsidium illis impartiri, quamuis in ea re plures intercesserint contradictores, asserentes, quod ipsemet me de-

struerem, transmittendo milites extra castra. Expediui cum nuncijs, qui subsidium postulauerant, lxxx. pedites & equites decem, quibus praefeci Andream de Tapia, cui iniunxi ut illa ageret quae seruitio M. V. plurimum conducere prospiceret, & tutelae nostrae, cum cerneret necessitatem, in qua constituti eramus, & eundo, & redeundo non consumeret ultra decem dies. Et sic discessit, & peruenit ad coloniam quandam exiguam, quae est media inter Marinalco, & Coadnoacad, ibi offendit hostes, qui eos praestolabantur, & ipse una cum Incolis è Coadnoacad, & illis militibus, quos secũ adducebat, pugnam inire cœpit, & tam acriter nostri decertarunt, ut hostes in fugam uerterint, & profligarint, prosecutiq; sunt donec eos ingredi coegerint coloniam Marinalco, quae sita est in colle admodum arduo, quem equites scandere non poterant, & hoc uiso destructioni ea omnia subiecere, quae in planicie continebantur, et reuersi sunt in castra nostra hac potiti uictoria eo decem dierum spatio eis assignato. A

Vnus è dominis prouincię Tascaltecal, Chichimecatecle nomine, de quo alias memini, qui tabulas pro construendis bergantinis adduxerat, quę in ea prouincia paratae erãt, ab initio belli semper moram traxit in castris Petri de Aluarado. Quum uideret post dictam profligationem Hispanos, ut prius facere consueuerant, cum hostibus non congredi, constituit ipse comitãtibus suis ciuitatem ingredi, eamq; oppugnare, dimittens quadringentos sagittarios è suis ad pontem quendam ablatum satis discriminosum, quem eripuerat incolis ciuitatis, quod nunquam eueniebat sine ope nostra, progressus est comitatus suis maxima uociferatione, inuocando suam prouinciam, & dominum. Eo die acriter pugnatum est, & undiq; plures uulnerati remanserũt, & perierunt. Et incolae ciuitatis firmiter arbitrabantur, eos in cauea clausos habere, quoniam quum sit natio, quae dum retrocedunt eorum hostes quamuis ipsi uictoria non potiantur, animo obstinato insequuntur, futurum putabant ut in transitu aquarum (ubi certum uersari solet discrimen) suas sibi iniurias ulcisci liceret, & propterea Chichimecatecle dimiserat in aquae transitu dictos quadringentos sagittarios, & quum iam retrocederent, hostes ciuitatis in eos irruerunt maximo furore, & milites è Tascaltecal aquis se commisere, & fauore sagittariorum transiuere, & hostes conspecta obsistentia quieuere, & admodum admirati sunt audaciam Chichimecatecle. B

Post dies duos à reditu Hispanorum, qui bella intulerant incolis è Marinalco, ut Maiestas uestra capitibus praecedentibus uidere potuit, peruenere in castra nostra decẽ Indi ex Otumiensibus, qui erant seruituti ascripti Dominis è Temixtitan, & ut retuli subdiderant se Vestrae Maiestati, quotidie nobis opem ferentes cum hostibus certando, & significarũt, quemadmodũ Domini prouinciae Matalcingo, qui fines habent cum illis, eis bellum inferebant, & coloniam quandam combusserant, abduxerantq; aliquos è suis, & quantum poterant eos destruebant, animo aggrediendi castra nostra, ut hostes ciuitate egrederentur, ac penitus nos delerent, & ultra hoc propterea etiam eisdem fidem adhibuimus, quoniam à paucis diebus, quoties ingrediebamur ciuitatem pugnandi gratia, minabantur nobis ducibus illis è prouincia Matalcingo. Quae quamuis nobis non multum esset nota optime tamen cognoscebamus esse latam, & distabat uiginti leucarum spacio à nostris castris, & ad quaerelam, quam Otumien. proponebant contra hostes suos, petebant, ut illis opem daremus. Et quamuis petierint tempore multum difficili, auxilio fidens diuino, ut audaciae ciuitatis alas confringerem, qui quotidie nobis minabantur ducibus istis, & spem prae se ferebant sperare ab eis auxilium, & subsidium aliunde aduentare non poterat, nisi ab eo latere, illuc Condisaluum è Sandoual maiorem executorem destinare constitui decem & octo equitibus, & centum peditibus, inter quos unus comperiebatur balista utens, qui discessit illis comitantibus, & alijs Otumiensibus nobis amicis. Et deus est testis, quibus periculis subijciebantur, & in quo nos reliqui permane-

A permanebamus. At cum oporteret maius animi nostri robur quam unquam feceramus demonstrare & mori certando, dissimulabamus uirium nostrarum debilitatem tam cum amicis, quam hostibus. Sæpius tamen optabant Hispani ut saltem uiui tandem euaderent, & se uictores conspicerent contra ciuitatis incolas, quamuis in ea, & in omnibus reliquis prouincijs nullū fructum præterea consequi possent. Vnde conijci potest fortuna, & necessitas, in quibus constituti eramus corpore uitaq;. Maior executor ea nocte profectus est dormitum ad coloniam quandam Otumiensium, quæ est opposita Matalcingo, & sequēti die mane discessit, peruenitq; ad stationes Otumiensium, quas derelictas cōperit, & pro maiori parte combustas, & quū peruenisset in planiciem prope fluuium quendam, offendit maximam multitudinem, qui finem combustioni alterius coloniæ imposuerāt. Et quum nostros conspexere, terga fugę dare cœperunt, & itinere, quo progrediebantur, post eos sequebantur multa onera plena Maiz, & infantium lactentiū, quos com meatus causa secum adducebant, quæ dimiserant, quam primum audiuere Hispanos adesse. Et postquam transiuere fluuium, qui ulterius labebatur, in planicie sistere cœpere, & Maior executor equitibus eos aggressus est eosq; profligauit, & quum terga fugæ dedissent, recto tramite progressi sunt ad suam coloniam Matalcingo, quæ trium leucarum spacio aberat, & omnibus tribus leucis cōtinuata est insecutio, donec coacti sunt ingredi coloniam, & ibi præstolati sunt Hispanos, & amicos nostros, qui aduentabant interficiendo eos, quos equites intercludebant, & deserebant, & ea insecutione mortui sunt duo millia hostium. Quum pedites peruenissent ad locum, ubi equites substiterant, & nostri amici (qui erant sexaginta millia hominum) cœpere proficisci ad coloniam, ubi hostes se opposuere, donec mulieres, & filij, et bona sua collocabātur in fortilitio quodam, quod erat situm in altissimo colle ibi prope existenti. Quamprimum tamen eos aggressi sunt, coegerunt i-
B psos quoque arcem ingredi, quam habebant in ea summitate admodum ardua munitaque, & deprædati sunt, & combussere coloniam breuissimo temporis interuallo, confugientibus hostibus ad arcem. Et quum hora esset iam uespertina, maior executor arcem oppugnari non est passus, & etiam quia labore erant admodum fessi, totam enim eam diem certando consumpserant. Et hostes eam noctem duxere maximis uociferationibus, & strepitu tympanorum buccinarum que.

Sequenti die summo mane maior executor milites conducere cœpit, ut ascenderent collem, pugnaturi contra hostes in arce existentes, quamuis aliquo timore arbitrantes hostes obstituros. Quū eo peruenere, neminē ex hostibus offenderunt, & Indi quidā nobis amici colle descendebāt, & retulere nullū ex hostib. adesse, sed in aurora oēs discessisse, & illico in planicie circumquaq; uidere maximā hominum multitudinē, & erāt Otumien. & equites rati esse hostes aduers⁹ eos sunt progressi, & uulnerarūt tres aut quatuor. Et quū idioma Otumien. differat ab idiomate prouincię e Culua, eos nō percipiebant, nisi quod armis proiectis ad Hispanos confugiebant, & nihilominus tres aut quatuor uulnerarant. Attamē ipsi optime cognouere illud euenisse, quoniam qui forent illis non innotuerat. Et quum hostes non expectassent, Hispani statuere reuerti per aliam eorum coloniam, quæ similiter defecerat. Quum tamen tot copias contra eos moueri cognouere eos pacifice excepere. Et maior executor dominum prouincię allocutus est, eidemq; significauit, illum iam optime scire me læto uultu excipere omnes, qui sese oblatū ueniebant in uasallos V.M. quamuis maxime errassent. Rogabatq;, ut alloqueretur incolas e Matalcingo. ut ad me proficiscerentur, & se ita facturum pollicitus est, & inducere incolas e Marinalco ad concordiā. Et maior executor ea adepta uictoria, in castra reuersus est, & eo die aliqui ex Hispanis pugnabant in ciuitate, & ciues eis nunciauerant, ut interpres noster illuc proficisceretur, uolebant colloquium habere de pace ineunda, quam

(ut postea apparuit) nolebāt admittere, nisi recederemus ab uniuersa prouincia quod ideo effecere, ut aliquot dierum spacio eos quiescere pateremur, & munirent se rebus quibusdā, quibus indigebant, quamuis nunquā eos inueniremus, ut pugnā detrectarēt. Et cum per interpretē talia tractarētur, quum nostri essent hostibus propinqui (non enim aliud spacium intercedebat, nisi pons elatus) senex quidam ex hostibus è sinu suo eduxit magno interuallo quædā quæ comedit, ut demōstraret illos nulla adhuc premi necessitate, nos ēm illis nunciabamꝰ, eos ibi fame perituros. Et amici nostri significabant Hispanis, concordiā eā esse simulatā, hortātes ut pugnā cōtinuarent. Ea tamen die pugnatū nō extitit. Primates enim interpreti iniūxere, ut me alloquerēt.

Ad dies quatuor post reditum maioris executoris à prouincia Matalcingo, Domini illius & Marinalco, & Domini prouinciæ Cuiscon (quæ est latissima, & etiam defecerat) in castra nostra profecti sunt, & ut illis parcerem præterita supplices rogarunt, & polliciti sunt se uelle nobis inseruire, & promissa sua executioni demandarunt, & semper hactenus inseruiuerunt.

Dum maior executor aberat in prouincia Matalcingo, hostes ciuitatis constituerunt nocte exire, & aggredi castra Petri de Aluarado, & in aurora ea aggressi sunt, & quum uigiles, & excubiæ eos audiuere, ad arma conclamatum est, & illi, qui aderant eos inuasere. Hostes auditis equitibus aquis se commisere, & interim nostri aduolarunt, tribusq; cōtinuis horis pugnatum est. Nos uero existentes in nostris stationibus, audiuimus tormenti parui bombū, quo ille in hostes utebatur. Et quia nos suspitione adducebamur ne eos profligarent, milites in armis esse iussi, ut ciuitatem ingrederentur, ut hostes animum demitterent in oppugnando Petrum de Aluarado, & quum Indi offenderent hostes tam acriter & strenue pugnantes, decreuere reuerti in ciuitatem. Nos reliqui ad ciuitatem pugnatum profecti eo die fuimus.

Eo tempore nos qui uulnerati euaseramus priori profligatione, pristinæ restituti eramus sanitati, & ciuitati Diuiti applicuerat nauis Io. Ponci è Leone, quem profligauerant in prouincia insulæ Floridæ, & habitatores ciuitatis mihi afferendum curarunt puluerem quendam, una cum aliquibus balistis, quibus maxime egebamus, & iam fauente Deo Optimo Maximo, circumcirca nulla erat prouincia, quæ nobis non maxime faueret, & quum ipse prospicerem incolas ciuitatis tam rebelles, & maiori demonstratione & certitudine moriendi, quam unquam aliqua fuerit natio, nesciebam quo modo me cum eis gerere deberem, quo pacto à tanto discrimine & laboribus euadere possemus, et quomodo illos, & ipsorum ciuitatem extremæ internecioni non traderemus. Erat enim magis egregia, quam sit alia in uniuerso terrarum orbe. Nec nobis prodesse poterat quod illis significabamus, nos ab eo loco non discessuros, & tam è castris quā bergātinis non cessaturos damnum inferre. Nec quod destruxeramus incolas è Matalcingo & Marinalco, & quod neminem in omnibus prouincijs habebant, qui eisdem opem laturus esset. Nec habebant, unde sibi ministrari posset Maiz, caro, fructus, & aqua. Nec deniq; res aliqua ad commeatum faciens, & quanto plus & antedictis nota faciebamus, tanto minus animis deficere uidebantur. Sed pugnam ineundo, & reliquis omnibus in rebus animosiores inueniebamus, quam unquam fuissent. Et ipse prospiciens rem ita agi, & iam præterijsse ultra dies quadraginta quinq;, quibus obsidebamus dictam ciuitatem, constitui ad nostri tutelam remediū adhibere, ut melius lassos hostes reddere possem. Quod fuit huiusmodi, quod quantum ciuitatis occupabamus, tantum ab utroque latere solo æquaremus, ita ut ne passu quidem progrederemur, nisi omnia solo equaremus, & loca ubi aqua uersabatur continentem redderemus, quamuis diu in eo moram trahere cogeremur. Et propterea conuenire iussi omnes dominos & primates nobis amicos, & decretum meum illis aperui, ut ad hoc conuocarent omnem rusticanam multitudinem, cum cois suis, quæ sunt ualli genera, quibus utuntur in illis partibus, ut fossores ligonibus in Hispanijs.

A Hispanijs. Et ipsi responsum dedere, se læto animo perfecturos, & decretum esse sanum, & eo maxime sunt oblectati. Videbatur enim, eum esse modum, quo ciuitas solo æquaretur, quod omnes plurimum appetebant.

Interea dum hæc constituebantur, tres aut quatuor dies præteriere. Incolæ ciuitatis animo concepere nos aliquid magni contra eos machinari: ipsi quoque per ea, quæ postea apparuere, parabant omnia ad sui tutelam possibilia, quemadmodum etiam suspicabamur. Et ordine amicis nostris dato, quod terra, & aquis ciuitatē oppugnatum ire debebamus, sequenti die post missarum solennia proficisci cœpimus ad ciuitatem, & quum peruenissemus ad transitum aquę, & aggerem, qui est in initio magnarum domuum in platea constitutarum, & eum oppugnare uellemus, incolæ ciuitatis ut quiesceremus innuerūt, asserentes pacem inire uelle, & ipse iniunxi nostris ne ulterius pugnam inirent, & significaui ut illuc dominus ciuitatis me allocutum aduentaret, si forte pax componi posset, & cum retulissent aliquos eum euocatum profectos, me ultra horam detinuere. Ipsi enim reuera pacem non exoptabant, & hoc demonstrarunt, quoniam illico nobis quiescentibus in nos sagittas, fustes, & saxa iaculari cœpere. Hoc uiso, aggerem oppugnare cœpimus, eumq; occupauimus, & quum plateam ingressi fuimus, eam magnis saxis refertam inuenimus, ne equites ueloci passu currere possent. Solido enim loco equites solos timent, & inuenimus uicum lapidibus solis obstrusum, & alium etiam saxis plenum, ne equites eo passim currere possent. Et ab eo die ita oppleuimus eum uicum, ubi aqua uersabatur, & quo ibatur ad plateam, ut nunquam postea eum Inde aperire potuerint, & postea paulatim cœpimus solo ęquare eas domos, optime obstruere, opplereq; ea quæ occupabamus ab aqua, & quum eo die peruenissemus ultra centum & quinquaginta millia hominum bellatorum, multa gesta sunt, & eo pacto die illo pedem retulimus in castra, & bergantini una cum canois amicorum nostro-

B rum plurimum intulerunt damni ciuitati, & ut quiescerent retrocessere.

Sequenti die eodem ordine ciuitatem ingressi sumus, & peruenimus ad ambitū illum & peristillū, ubi sunt turres suorū idolorum. Iniunxi præfectis nil aliud faciendum curarent, nisi ut opplerentur uici, in quibus aqua uersabatur, & æquarent malos transitus quos occupaueramus, & Indi nobis amici aliqui domos comburerent & solo æquarent, reliqui irent pugnatum contra hostes locis solitis, & equites omnes tuerentur ne à tergo adorirentur, & ipse ascendi unum ex altioribus idolorum turrim, quoniam Indi me optime noscebant, & ascensum meum moleste tulerunt, ab ea turri animum addebam amicis, & suppetias ferendas committebam, quum necessitas ingruebat, quia cum assidue pugnarent, hostes aliquando, & aliquando nostri retrocedebant, qui illico subleuabantur à quatuor equitibus, qui audaciam eisdem subministrabant, ut in hostes irruerent. Eo pacto & ordine ciuitatem ingressi sumus quinq; aut sex continuis diebus, & in reditu semper amicos nostros anteire iubebamus, & aliquando in insidijs collocabamus aliquos Hispanos in quibusdā domibus & equites remanebant, & ui nos retro cedere simulabamus, ut eos ad plateā ingrediendā alliceremus, hoc pacto una cum insidijs peditum quotidie hora uespertina aliquos uulnerabamus. Et quodam die ex prædictis in platea continebantur septē aut octo equites prę stolātes hostiū egressum, & cū eos egredi non uiderēt, simularunt recedere, & hostes suspitione adducti, ne in reditu eos uulnerarent, ut facere cōsueuerant, post parietē latebāt, & in subdialibus pauimētis, & eorū innumera erat multitudo, & cū hostes eos insequebātur (qui erāt octo, aut nouē numero) ipsi ex alto occupauerāt faucē unius uici, nō potuere insequi hostes qui aufugiebāt, & reuerti coacti sunt, & hostes elati, φ eos retrocedere coegerāt, rabide more canū in eos irruebant. Illi uero qui maxima circunspectione pugnabāt, eo se recipiebant, ubi damnū pati nō poterāt, nostri damna patiebant ab eis, qui in parietibus locati erāt, & coacti fuere retrocedere, & uulnerarunt

duos equos, quod effecit ut eisdem insidias struere constituerem, pro ut in futurum Maiestati Vestræ referam. Et eo die hora satis tarda deuenimus in castra, relictis omnibus occupatis tuto solo æquatis, & Incolæ ciuitatis erāt admodum læti, arbitrabantur enim nos metu discessisse, & ea nocte nūcios destinaui ad maiorem executorem, ut ante lucem cum quindecim equitibus ex suis, & Petri de Aluarado uenirent in castra nostra.

Postero die summo mane maior executor in castra peruenit comitantibus quindecim equitibus, & ipse habebam ex equitibus in præsidio Cuioacan impositis uiginti quinque, qui ascendebant ad numerum quadraginta equitum, & decem ex illis iniunxi, ut illico mane descēderent omnibus reliquis peditibus comitantibus, & ipsi una cum reliquis pugnam inirent, solo æquarent, occuparentque omnia quæ possent, quoniam ego cum tempus retrocedendi aduentasset, illuc irem comitantibus reliquis triginta equitibus, et cum scirent maiorem ciuitatis portionem solo æquatam quanto possent hostes insequerentur, donec eos ad loca tuta, & uicos, quibus aqua uersari solet ingredi cogerent, & ibi morarentur, donec retrocedendi tempus aduenıret, & ipse me una cum illis triginta equitibus à nullo cōspectus in insidijs collocare possem, in quibusdam magnis domibus, quæ sunt proximæ reliquis illis magnis in platea constitutis. Et Hispani executi sunt mādata mea, & per horam post meridiem, assumptis illis triginta equitibus ciuitatē sum ingressus, & quum eo peruenissem, eos collocaui in illis magnis domibus, ipse discessi, ascendique turrim illam excelsam, ut moris erat mei. Et dum ibi moram traherem, Hispani aliqui sepulchrum aperuere, & in eo inuenere uarias res aureas, ad mille & quingentos Castellanos. Et cum iam adesset hora retrocedendi, iussi maximo ordine redire inciperent, & quod equites postquam retrocessissent ad plateam, fingerent uelle eos inuadere, non tamen audere demonstrarent: & istud fieret, quum circumcirca, & in platea esset maxima hostium multitudo. In Insidijs collocati admodum desiderabant tempus aduentare. Optabant enim rem bene gerere, & iam molesta erat diuturna mora, & ego me illis coniunxi: & iam Hispani tam pedites, quam equites retrocedebant ad plateam, et etiam Indi amici nostri qui iam insidias cognouerant. Hostes autem tot uociferationibus insequebantur, ut maxima uiderentur potiti uictoria: & nouem illi equites fingebant aggredi eos per plateam, & postea retrocedebant, & quum hoc bis simulassent, hostes tantum ferorem conceperant, quod usque ad eorum nates percutiendo uenerint, donec eos perducerent in uicum eum, ubi paratæ erant insidiæ, Quum uidimus Hispanos anteire, & pixidis emissionem audiuimus (quod signum nobis paratum habebamus) cognouimus tempus aduentasse, ut exiremus, & Diui Iacobi conclamato nomine, illico eos aggressi fuimus, & insecuti fuimus per plateam uulnerando, sternendoque, et intercludendo plures, qui ab amicis nostris, qui nos sequebantur, capiebantur, ita ut in his insidijs interfecti fuerint ultra quingentos ex hostibus & ex primatibus, robustioribus & magis strenuis, & ea nocte amici nostri lauta potiti sunt cœna. Omnia enim interemptorum cadauera cepere, & in frusta attulere, ut eadē in cœna comederent. Tanta fuit admiratio, quam concepere, quum se tā repente profligatos cōspexere, ut nec locuti fuerint, nec uociferationes emiserint, omni ea nocte, nec ausi sunt alicubi incipere comparere in uicis aut subdialibus pauimentis, ubi non essent plurimum tuti, & cum nox aduentaret, & nos discedebamus, apparuit incolas ciuitatis misisse seruos quosdam uisum an recederemus, & quum quodam uico comparere cœperunt, eos aggressi sunt decem, aut duodecim equites insecutique, & ita egere, ut nullus euaserit. Concepere hostes hac uictoria tantum timoris, ut nunquam omni hoc durante bello ausi sint plateam ingredi, quando recedebamus, quamuis unicus tantum esset, in ea eques, nec ausi sunt Indum aliquem, aut peditem ex nostris insequi uerentes ne denuo insidias eis parauissemus. Et gesta illius diei una cum uictoria,

A ctoria, quam omnipotens elargitus est, fuit potissima causa, ut citius ciuitate potiremur. Incolæ enim illius maximam concepere exanimationem, & amici nostri animis creuere, & eo pacto profecti fuimus in castra certa sententia accelerandi, ut bellum hoc perficeretur, & nullū prætermittendi diem absq; ingressu in ciuitatem, donec bellum esset confectum. Et eo die nullum accepimus incommodū in castris nostris, eo dempto, quod cum ex insidijs prodibamus duo equites concurrerūt, & alter eorū cecidit ex equa, & ea recto tramite progressa est ad hostium turmas, qui eam sagittis impetebant, & uulneribus confossa cernens impium sibi malum illatum ad nos reuersa est, & ea nocte mortua est, & quamuis maxime tristati fuerimus, quum equi & equæ maxime faciant ad salutem nostram, tamen non tantum moleste tulimus, quemadmodum si mortua esset apud hostes, ut re ipsa euenturum putauimus, si enim ita euenisset maiori potiti fuissent gaudio, quam premebantur dolore illorum, quos neci dederamus. Eodem die bergantini una cum canois amicorum nostrorum in ciuitate maximam hostium stragem commisere, absq; aliquo sibi illato incommodo.

Quum sciremus iam incolas ciuitatis perterritos pauore, percepimus à duobus ex illis modicæ conditionis, qui nocturno tempore clam ciuitate egressi fuerāt, & ad nostra castra peruenerant, quum fame premerētur, quod nocte exibant piscatum inter domos ciuitatis. & proficiscebantur ab ea parte, quam occupaueramus quærentes ligna, olera, & radices, ut eas comederent. Et quum iam plures uicos, ubi aqua uersabatur, oppleuissemus, aptaueramus plures malos transitus, in ipsa aurora ciuitatē ingredi constitui, & omne possibile damnum illis inferre, & bergantini ante lucem, & ipse decē aut quindecim comitantibus equitibus, & quibusdam peditibus, & Indis amicis nostris, ingressi fuimus, & prius disposuimus speculatores quosdam,
B qui, quum iam illucesceret, signum nobis in insidijs collocatis dedere, & aggressi sumus infinitum numerum, quum tamen maior pars esset ex miserabilioribus ciuitatis, ut plurimum erant uxores, & pueri, & tantum damni illis intulimus locis illis quibus poteramus progredi per ciuitatem, ut mortui, & captiui ascenderint ultra octingentos, & bergantini similiter cœperunt plures ex hostibus, una cum canois, quibus piscabantur & maximam ciuitati stragem intulere. Quum duces, & primates ciuitatis nos ea proficisci uiderunt hora non consueta, maxime mirati sunt, ut prius admirati fuerant insidias præteritas, & nullus eorum ausus est nobiscum congredi, & sic reuersi fuimus in castra maxima præda, & cibo ad usum amicorum nostrorum.

Sequenti die summo mane in ciuitatem reuersi sumus, & quum amici nostri cernerent bonum ordinem, quem habebamus, ad eam extremæ dandam internecioni, tanta erat indies uenientium multitudo, ut numerari non posset. Et ea die occupandi uicum, quo progreditur ad Tacubam, finem imposuimus, et lateribus implendi malos transitus, qui in ea continebantur, ita ut milites castrorum Petri de Aluarado nobiscum conuenire possent in ciuitate. Et in uico, quo peruenitur in forum, duos alios occupauimus, & eos optime oppleuimus, & combussimus domos ipsius domini Guautimucin nomine iuuenis decem & octo annorum, qui secundus erat dominus post mortem Domini Muteezuma. In his ædibus hostes uaria locarant munimina, erant enim amplissimæ, & munitæ, aquisq; circumuallatæ. Occupauimus quoque geminos pontes aliorum uicorum, qui sunt apud uicum, quo progreditur in forum, & oppleti sunt plures mali trāsitus ita ut ex quatuor ciuitatis illius portionibus, tres occupaueramus, & hostes nil aliud agebant, præterquam retrocedere ad loca tutiora, ad domos scilicet quæ in aquis constitutæ erant.

Postero uero die, qui fuit in festiuitate Sancti Iacobi, ordine iam dicto ciuitatem ingressi fuimus, & secuti iter nostrum uico illo, qui protenditur in

forum

forum,& occupauimus uicum latum in quo uersabatur aqua,ubi hostes ma- A
xime se tutos arbitrabantur. Et quamuis morati fuerimus multum in occu-
pando eo uico,& discrimina passi fuerimus multa, tota ea die tantum effice
re non potuimus, ut quum uicus esset latus eum penitus oppleuerimus, ut
equites transire possent ad alium uicum.Et quum omnes essemus pedites,&
hostes conspicerent equites non transisse,multi recentes,& strenuiores ex il
lis nos aggressi sunt, & quam primum eis obstitimus, cum nobiscum plures
milites balistis utentes haberemus,reuersi sunt ad suos aggeres,& munimi-
na,quæ extruxerant,quamuis multi ex illis sagittis fuerint confossi. Et ulte-
rius omnes Hispani pedites utebantur suis hastis,quas picas nominamus in
Hispanijs,eas enim efficiēdas curaueram post nostram profligationem, quę
res fuit nobis admodum proficua. Eo die ab utroq; latere alijs rebus non in-
cubuimus nisi combustioni,& æquationi domorum illius uici,quod erat ui
su miserabile, quum tamen aliud facere non possemus, cum ordinem sequi
cogebamur. Quum incolæ ciuitatis tantam stragem, ac ruinam conspice-
rent,ut animositatem prę se ferrent, Indis nobis amicis dictitabant, ut nihil
aliud agerent, quam comburerent, & solo æquarent,quoniam futurum es-
set, ut illi noua ædificia construere in posterum cogerentur, quoniam si ipsi
uictoria potiti essent,ita futurum optime nouerant;sin minus, quod ea ad u-
sum nostrum construere cogerentur. Et deo placuit, ut ultimo suo dicto res
fuerit uerificata,quamuis ipsimet sint qui ea construant.

Alio die summo mane ordine solito ciuitatem ingressi fuimus, & quum
peruenimus ad uicum quē pręcedēti die oppleueramus, eo modo eū inueni
mus,ut prius reliqueramus,& progressi ulterius per geminos balistę iactus,
occupauimus duas magnas aquarum fossas, quas effoderant in ipso solido
uico,et deuenimus ad paruam turrim idolis suis dicatam,in ea comperimus
quædam Christianorum capita, quos interemerant, & maxima fuimus ad- B
ducti mœstitia,& ab ea turri erat rectus uicus ad castra Petri de Aluarado,et
à sinistro latere erat uicus,quo perueniebatur in forum, in quo iam aqua nō
continebatur, præterquam in uno uico quem tuebantur, & eo die ulterius
non processimus. Certauimus tamen acriter & diu cum hostibus, & quum
quotidie omnipotens nobis uictoria potiri concederet,semper ipsi erant in-
feriores,eo die hora iam sera reuersi fuimus in castra.

Postero die quum componeremus nos ingredi ciuitatem hora nona diei,
è castris fumum ex geminis altioribus fori, aut Tetebulco turribus exire
conspeximus,& quid esset cogitare non poteramus.Et quum uideremus fu
mum illum maiorem esse,quam quando suffitus idolis suis efficiunt,suspica
ti fuimus milites Petri de Aluarado illuc peruenisse. Quod tametsi ita se ha-
ret, nō tamen id uerū esse posse putabamus. Et certe eo die Petrus de Alua-
rado una cum eius militibus strenue se gessit. Supererāt enim plurimi pōtes
& aggeres occupandi,& semper accedebat ad eos tuendos maior ciuitatis
incolarum multitudo,quum tamen conspicerent nos è castris nostris hostes
stringere,omnibus possibilibus modis laborauit,ut forum ingrederetur.Ibi
enim erat omnium hostium robur, non tamen eualuit ulterius progredi nisi
ad conspectum illius & duas illas turres occupare,& turres alias plures,quę
erant prope ipsum forum, quod fuit tam latum quam ambitus multarū turri
um ciuitatis, & equites fuere in maximo labore,& coacti sunt retrocedere,
& dum retrocederent tres equos uulnerarunt & eo pacto Petrus de Alua-
rado una cum militibus reuersus est in sua castra. Nos uero noluimus occu
pare eo die pontē unū,& uicū in quo aqua cōtinebatur,qui solus occupādus
erat ut in forū ꝑuenire possemꝰ. Sed tm̄ incubuimus ut opplerētur quidā ma-
li trāsitus,& in reditu nos acriter pressere,quāuis eisdē potius dāno cesserit.

Sequenti die summo mane ciuitatem ingressi fuimus,& quū,donec per
ueniretur in forum, nil occupandum supererat, nisi uicus aqua plenus cum
suo aggere,qui hærebat turri,de qua superius memini, eum oppugnare cœ-
pimus,

A pimus, & signifer quidam comitantibus tribus, aut quatuor Hispanis sese aquis commisere, & incolæ ciuitatis illico locum deseruere, & locus oppleri cœptus est, ut equites transire possent, Et dum ista agerentur, aduenit Petrus de Aluarado eodem uico comitatus quatuor equitibus, & gaudium, quo repleti sunt milites amborum castrorum, fuit incomparabile. Illud enim erat iter, & modus cito finem imponendi bello, & Petrus de Aluarado relinquebat præsidia à tergo & à lateribus, tam ut tueretur acquisita, quam ad sui defensionem, & quamprimum transitus ille fuit aptatus, una cum aliquibus equitibus forum inspecturus sum profectus, & iniunxi militibus nostrorum castrorum, quod nullo pacto ulterius progrederentur. Et cum aliquantulum per plateam spaciati fuissemus perspeximus porticus, qui cum subdialibus pauimentis erant hostibus referti, & quum platea esset ampla, & equites in ea progredi possent, quum equites conspicerent, appropinquare non audebant, & ego ascendi illam magnã turrim, quæ foro adiacet, & in ea inuenimus oblata Christianorum capita, quos nobis interemerant, & ab ea turri prospexi quantam ciuitatis portionem occupaueramus, & proculdubio ex octo portionibus septem occupaueramus, & quum cognoscerem tantam hostium multitudinem tam angusto loco contineri, maxime cum domus illæ, quas posside bant essent tam angustæ, & quælibet ex se super aquas constituta, & imprimis maxima apud eos erat fames, & quia in uicis inueniebamus extractas cortices, atque radices arborum, constitui nolle eos aliquot dierum spatio oppugnare, & mouere sibi aliquas conditiones, quibus tanta multitudo perire non cogeretur, & mihi certe dolorem incredibilem afferebat damnum, quod illis inferebamus, & assidue eos moneri curabam, ut pacifice nobiscum agerent, illi autem respondebant quod nullo pacto deditionem facere uellent, & quod unicus qui superesset

B certando mori deberet, & de omnibus quæ ab eis possidebantur, nil ad nos deuenturum esse, sed combusturos se omnia & aquis submersuros ubi non uideri possent, nec apparere. Ego tamen ne malum pro malo redderem, dissimulabam, nec eos oppugnari permittebam.

Mira hostes pertinacia mortem oppetere, quã deditionem facere malunt

Quum modicum pulueris ad tormenta obtineremus per dies quindecim antea consulueramus machinam construere, & cum non adessent artifices, qui optime eam conficere callerent, quidam fabri lignarij sese illam perfecturos obtulere, paruam tamen: & quamuis cogitassem nil eos boni efficere posse, annui tamen ut illam erigerent, & illis diebus, quibus hostes tam angusto loco clausos tenebamus, perfecta extitit, & eam adduxere locandam loco quodam instar theatri, qui est in medio plateæ ex calce & lapidibus quadratis ad proceritatem gemini hominis status cum dimidio, & ab angulo ad angulum intercedere potest triginta passuum intercapedo, qui locus ab eis paratus extiterat, ut cum aliqui ludi edebantur, ibi ludos & spectacula edentes locarentur, ut uniuersi in foro constituti, & illi qui erant inferius, & in porticibus conspicere possent, quid ederetur: & quum eo illam adduxissent trium aut quatuor dierum spacium consumpsere, antequam locaretur, & Indi nobis amici ea machina minabantur incolis ciuitatis, asserendo ea machina omnes interficiendos: et quamuis nil aliud proficeret, quemadmodum etiam nil profecit, tamen satis erat timor, quem Indi hostibus inferebant, cogitantes eos deditionem facturos, & neutrum subsecutum est, quoniam fabri lignarij machinam non perfecere, nec incolę ciuitatis (quamuis maxime timerent) pactum aliquod deditionis demonstrarunt, & machinæ defectum dissimulauimus, asserentes nos misericordia moueri, ne omnes penitus interficeremus.

Sequenti die post locatam machinam reuersi fuimus in ciuitatẽ, & quũ iam intercessissent tres aut quatuor dies, quod ciuitatẽ non oppugnaramus inuenimus uicos quib. progrediebamur, mulierib. puerisq; refertos, ac alijs miserabilibus personis, qui fame moriebãtur, semimortui debilesq; exibãt,

quæ

quæ erat res uisu miserabilior, quam in uniuerso orbe comperiri posset, & ipse amicis nostris iniunxi, ne pacto aliquo damnum aliquod inferrent, nullus tamen bello aptus exibat, ut aliquod damnum sibi inferri posset, quamuis uideremus eos in subdialibus pauimẽtis uestibus suis coopertos, & inermes. Et ego illo die eos de pace commonendos curaui, & eorum responsiones erant dissimulationes, & quum maiori pro parte diei nos eo pacto protraherent, illis nunciandum curaui me eos oppugnare cõstituisse, & eorum multitudinem retrocedere mandarent, alias permitterem amicis nostris, ut eos interimerent, & ipsi retulere se pacem desiderare. Ipsis autem responsum dedi, me ibi dominum non conspicere, quocum de pace agi debebat, et cum aduentasset, ad eius aduentum ipsis omnem saluum cõductum, quem postulabant, impartiebar, ut de pace ineunda colloqueremur. Sed quum conspiceremus esse illusionem, & hostes omnes accinctos, quum eos pluries pacifice monuissem, ut eos in angustiora deducerem, & illos ad extrema locaremus, iniunxi Petro de Aluarado, ut omnibus suis copijs ingrederetur à latere unius magni uici, quem hostes obtinebant, in quo continebantur ultra mille domus, & ipse ab alio latere pedes ingressus sum comitantibus omnibus nostrorum castrorum copijs, equites enim ibi nil prodesse poteramus. Et tam acriter à nobis, & ab amicis nostris est pugnatum, ut eum omnem uicum occupauerimus, & tam ingens fuit cædes hostium nostrorum, ut eo die desiderata, captaq; sint ultra duodecim millia Indorum, quibuscum Indi nobis amici tantum sæuitiæ utebantur, ut nulli uitam condonarent, quamuis etiam à nobis repræhenderentur, corrigerenturq;.

Alia sequenti luce in ciuitatem reuersi sumus, & ne pugnam committerent, præcepi, nec hostibus damnum aliquod inferrent, & cum ipsi conspicerent tantam hominum multitudinem in illos moueri, & cognoscerent uasallos suos, & eos, quibus præcipere solebant, mortem sibi minari, & se ad extremum deductos conspicerent, & ubi consisterent non haberent, nisi super suæ ciuitatis demortuorum cadauera, optantes tandem eximi à tam acri infortunio, clamabant cur iam illos non interficeremus, & maxima celeritate me aduocandum nunciarunt, quoniam me alloqui desiderabant. Et quũ Hispani omnes finem huius belli maxime optarent, & moleste ferrent tantum damnum, quod illis inferebatur, maxima sunt affecti lætitia, cogitantes eos pacem cupere, magnoq; gaudio me accersitum uenere, & improbe contenderunt ut accederem ad aggerem quendam, in quo erant aliqui ex primatibus, qui mecum colloqui uolebant. Et quamuis iter meum parum profuturum ipse conspicerem, constitui tamen ire uisum quomodo res se haberet, cognoscebam enim, quod deditio omnis uersabatur in domino solum, & in tribus aut quatuor alijs ex primatibus ciuitatis, quoniam reliqui (siue uiuere siue mori contingeret) desiderabant iam se extra eum locum constitutos. Et quum peruenissem ad aggerem, mihi significarũt, quod postquam illi me solis filiũ cognoscerent, & sol tam breui spacio unius diei, ac noctis circumibat uniuersum terrarum orbem, quare eo breui spacio eos etiam non interficerem, & eos à tot pœnis non eximerem, quia ipsi iam mori exoptarent, & cœlum ascendere ad suum Ochilubum, qui eos ibi expectabat, ut eis requiem condonaret. Illud est idolum, qnod Indi maiori prosequuntur ueneratione, ego autem multis respondi, ut ad deditionem faciendam allicerem, nil tamen proderat, cum in nobis ea pacis signa uiderent, quæ nunquam uicti præ se tulere, quum essemus nos auxilio diuino uictores.

Quum ad extremũ hostes adduxissemus, ut ex iam dictis colligi potest, ut eos à malo eorum proposito persuaderemus, quum eorum animus esset mori, allocutus sum quendam ex primatibus inter eos, quem captiuum habebã, captiuumq; tenuerat antea per duos aut tres dies patruus Don Ferdinandi domini ciuitatis Tesaico, dum in ciuitate pugnaret: & quamuis esset uulneratus, eum sum allocutus, si uellet in ciuitatem reuerti, & responsum mihi

A mihi dedit uelle, & quum sequenti die ciuitatem fuissemus ingressi, illũ cum aliquibus hostibus destinaui, qui illum cõsignarunt incolis ciuitatis, & iam illum fueram allocutus diffusius, ut colloqueretur cum domino ciuitatis & primatibus de pace ineunda, & ipse pollicitus est in eo se omnia quæ posset effecturum. Incolæ ciuitatis illum excepere maxima obseruantia, tanquam ex primatibus unum, & quamprimum eum adduxere in conspectum Guautimucin, & sermonem de pace habere cœpit, illico illum interficiendũ & sacrificandum commisit. Et responsum, quod nobis dedere illud fuit, quod maximis uociferationibus aduenere, asserentes se uelle mori, & fustes, sagittas, lapidesq; in nos proijcere cœpere, & nobiscum acriter pugnare, & adeo ut nobis equum interficerent iaculo, quod ex ense quem nobis abstulerant, fabrefecerant. At equus hic tandem caro est illis ascriptus precio, plurimi enim ex illis obiere, & eo pacto in castra nostra reuersi fuimus.

Postero uero die reuersi sumus in ciuitatem, & hostes eo redacti erant, ut in ciuitate Indorum nobis amicorum infinita multitudo pernoctare auderet. Et quum in conspectum hostium deuenissemus, noluimus cum illis pugnam inire, sed tantũ deambulare per eorum ciuitatem, cogitabamus nanq; quod omni hora, & momento ad nos pacifice proficiscerentur, et ut ad concordiam eos allicerem, equitando, perueni ad aggerem quendam munitissimum, & accersiui quosdam ex primatibus mihi notos, qui post eam latebãt & eis significaui, quod postquam se profligatos conspicerent, & si uellem unica hora eos delere possem nullo superstite, quare Guautimucin eorum Dominus me allocutum non ueniret, cum pollicerer illi me nil incommodi illaturum. Si ipsi, & illi uellent mecum pacifice agere, à me optime exciperentur, haberẽturq;, & alia cum eis multa sum locutus, quibus ad lachrymas propensos reddidi. Et flentes mihi responsum exhibuere, se optime nosse errorem suum, & exterminium, & ipsi proficisci uolebant allocutum eorum dominum, et una cum responso illico reuerti, ut ab eo loco non discederem.
B Et discessere, paruoq; spacio reuersi fuere, asserentes, quum hora esset iam sera Dominus illorum non esset uenturus me allocutum. Sequenti tamen die procul dubio in meridie illum aduenturum putabant, ut me in platea fori alloqueretur. Et eo modo profecti fuimus in castra, & ego mandaui, ut in quadrato illo in medio plateæ existenti paratum haberent stratum pro domino, & primatibus ciuitatis, ut ipse habere solent, & ulterius sibi epulas pararent, & ita re ipsa factum extitit.

Sequenti uero die ingressi sumus ciuitatem, & præcepi nostris copijs, ut paratæ essent, ne si hostes insidias pararent, nos incautos offenderent, & Petro de Aluarado ibidem existenti idem nunciaui, & quamprimum in forum deuenimus, nunciandum commisi Guautimucin me illum in platea præstolari, qui ut apparuit constituit se illuc non uenturum, & destinauit quinque ex illis primatibus ciuitatis, quorum nomina (quoniam ad rem non multum faciunt) impræsentiarum non recenseo, qui ut aduenere mihi significarunt, dominum illorum me certiorem facere, & rogare per eosdem, ut illi parcerem, quod eo non aduenerat, metu enim me coram cõparere non fuerat ausus, & etiam aduersa detinebatur ualetudine. Ipsos autem adesse & quicquid uellem iuberem, quia ipsi illud exequerentur. Et quamuis dominus eorum non aduenerit, plurimum tamen lætati fuimus aduentu dictorum primatum. Videbatur enim modus negotio cito finem imponendi, & ipse eos hilari uultu excepi, & illico illis cibum, potumq; exhibendum commisi, in quo demonstrarunt famem, quam sustinebant. Et postquam fuerant epulati, eis iniunxi, ut dominum suum alloquerentur, nec duceretur metu, & illis fidem meam astringebam, quod quamuis in conspectum meum aduentaret, nil eidem nocendum permitterem, nec aliquo pacto detineretur, quoniam sine illius præsentia nil boni tractari, aut concludi poterat, & mandaui ipsis comestibilia quædam exhiberi eorum refocillationis gratia, ut secum aspor

tarent, & eo in negotio promisere omnia, quæ possent se effecturos, & ita A
discessere. Et post duarum horarum interuallum, ad me reuersi sunt afferentes aliquas uestes ex bombice, quibus ipsi utuntur, & retulere Guantimucin eorum Dominum eo non aduenturum, nec uenire constituerat, & se excusabat uerbum cum eo se habiturum. Ego autem replicaui, me causam ignorare cur timeret coram me comparere, postquam uidebat me eos, qui causam belli dederant & fomenta, optime tractare, & ipsos ire, redireq; permittebam, absq; incommodo aliquo, & eos rogabam, illum allocutum reuerterentur, & multum adhiberent diligentiæ in illius aduentu, postquam illi aduentus erat proficuus & ipse illud faciebam ad illius commodum, & ipsi responderunt se ita facturos, & sequenti die reuersuros ad me una cum responso. Sicq; ipsi recessere, & nos in castra nostra deuenimus.

Postero die summo mane primates in castra nostra aduenere, & nunciarunt proficiscerer ad plateam ciuitatis in foro existentem, dominus namque eorum mecum ibi colloqui uolebat, & ipse ratus ita futurum, equum ascendi, & iter nostrum prosecuti, eum in constituto loco per tres, aut quatuor horas morati sumus: nunquam tamen eo uenire uoluit, aut coram me comparere. Et quum uiderem illusionem, & esset hora iam tarda, nec ipse dominus, nec nuncij reuertebantur, Indos nobis amicos aduocandos commisi, qui remanserant in ingressu ciuitatis fere per leucam ab eo loco, ubi eramus, quibus præceperam, ne ulterius progrederentur (incolæ enim ciuitatis exposcerant, ne alloquio de pace ineunda aliquis eorum interesset) & moram non traxerunt. Similiter illi, qui erant in castris Petri de Aluarado, & cum aduenissent, aggeres quosdam oppugnare cœpimus, & uicos aquis refertos, qui adhuc in hostium potestate erant, nullum enim maius illis munimen supererat, & quousque nobis uisum est ingressi sumus tam nos, quam Indi nobis amici. Et quando castris exiui, iniunxeram Condisaluo e Sandoual, ut in B
grederetur ab alia parte domorum, ubi hostes se munierant, ita ut eos circundatos haberemus, pugnam tamen non iniret, antequam nos prius certare cognosceret. Quum ita essent circundati, & coarctati, nullum illis patebat iter, nisi per demortuorũ cadauera, & subdialia pauimenta, quæ illis adhuc supererant, & propterea non comperiebant sagittas, fustes, aut lapides, quibus nobis obesse possent, nobiscum proficiscebantur Indi nostri amici ensibus parmisq; accincti. Et tanta fuit eo die tam aquis, quam continenti in eos perpetrata cædes, ut cæsa, captaq; fuerint ultra quadraginta millia hominum, & tantus erat infantium, mulierumque planctus, & uociferatio, ut nullus adesset, cui cor pietate non moueretur, & nos alij plus negotij habebamus in deturbandis amicis nostris, ne eos interficerent, & ne tanta uterentur sæuitia, quam in pugnando contra hostes, quæ sæuitia nunquam nationi alicui inesse uisa est, & aliena ab omni humanitate naturali, & ordine quemadmodum in incolis istarum prouinciarum, Indi nobis amici eo die præda maxima potiti sunt, quibus nullo pacto obsistere poteramus. Nos enim Hispani eramus forte noningẽti, & ipsi ultra centũ, & quinquaginta millia, & impossibile erat talem curam adhibere, aut diligentiam, ut rapinæ eorum obsisteremus, quãuis nos omnia egerimus, quæ potuerimus. Et una ex rationibus cur recusarẽ in tale certamen concurrere cũ incolis ciuitatis ea erat, quia si ui illos expugnabam9 id, quod possidebãt aquis submergerẽt, & quãuis aquis nõ submergerẽt, amici nostri omnia, quæ inuenirẽt, deprædarent, uel eorũ maiorem portionẽ, & propterea arbitrabar: quod parum cederet Maiestati Vestræ ex tot diuitijs, quæ in ista ciuitate continebantur, & secundum ea, quæ prius pro Celsitudine Vestra habebam. Et quia hora erat iam tarda, nec fœtorẽ cadauerũ sustinere poteramus, quæ per plures dies iacuerant in illis uicis, quæ res pestilentior uisa erat, quam dici possit, in castra reuersi fuimus Et in sero decreui, sequenti die nos ingressuros ciuitatem, & aptari iussi tria magna tormenta quæ habebamus ut eo adducerentur. Cogitabam enim quod

A quod cum hostes essent tam arctati, ut se circum agere non possent, quum uellemus ingredi absq; pugna aliqua possent Hispanos aquis submergere, quamobrem uolebam à longe tormentis aliquid damni inferre, & inde discederent contra nos. Et pariter iniunxi maiori executori, ut sequenti die paratus esset ad ingrediendum cum bergantinis per lacum quendam magnum inter domos constitutum, in quo congestæ erant omnes hostium canoæ, & possidebant adeo exiguum numerum domorum, ubi esse possent, ut dominus ciuitatis, cum aliquibus primatibus canoæ insiderent, quum quid agerent, nescirent & eo die conuentum fuit, ut ciuitatem ingressuri essemus.

Sequenti die summo mane, quum iam illucesceret, omnes paratos esse iussi, & conduci tormenta illa magna, & die præcedenti mandaueram Petro de Aluarado, ut me in platea præstolaretur, & hostes non oppugnaret, donec illuc peruenirem. Quum iam conuenissemus, et bergantini essent parati post domos, in quibus erant hostes, iniunxi, ut quum pixidis emissionem audirent, quadam parte, quæ occupanda supererat, ingrederentur, & hostes se aquis committere cogerent uersus eam partem, ubi bergantini parati esse debebant: & illos commonefeci, ut curam adhiberent circa Guautimucin, & laborarent eum uiuum capere, quoniam eo instanti omne cessaret bellum, et ego ascẽdi subdiale pauimentum. Et antequam pugnam iniremus, quosdam ex primatibus ciuitatis allocutus sum, qui mihi noti erant, & eis dixi, quænam esset causa, cur eorum dominus ad me proficisci nollet: & postquam se ad extrema deuenisse conspiciebant ipsi ansam non darent, ut omnes perirent, & illum aduocarent, & nullo premeretur timore. Et uisum est duos ex primatibus eum euocatum esse profectos, & post pusillum reuersus est cum illis unus ex principalioribus inter illos nomine Cyguacoacin, qui erat Dux, & præfectus omnium ipsorum, & eius consilio omnia ad bellum pertinentia regebantur, & ego me sibi benignum exhibui, ut spem conciperet, &
B metum deponeret, & ipse mihi nunciauit Dominum nullo pacto uelle coram comparere, & prius uelle ibi mori, & se quidem id moleste ferre, cæterum ego facerem quicquid mihi uideretur. Quum animum eius cognouissem, dixi ad suos reuerteretur, ipséque una cum illis pararent se, uolebam enim secum pugnam inire, & eos ad unum interficere. Et quum in his conuentionibus consumpsissemus ultra quinque horas, incolæ ciuitatis omnes stabant super demortuorum cadauera, & aliqui in aquis. Aliqui uero natantes, & aliqui submergebantur eo in lacu, ubi conueniebant canoæ, qui erat latus, tantæ erant eorum ærumnæ ut nullum sit iuditium ad cogitandum sufficiens, quo pacto eas pati potuerint, & maxima mulierum & infantum multitudo ad nos confluebat, & ut quisq; primo accederet maxime properabat, alter alterum in aquas proijciebat, & inter de mortuorum cadauera submergebantur, & ut uisum est ex aqua salsa, quam potabant, ex fame, & fœtore tanta eos aggressa est pestilentia, ut ultra quinquaginta millia hominum perierint. Quorum cadauera, ne nos reliqui egestatem eorum cognosceremus, aquis committebant, ne bergantini eos offenderent, & nec extra eos proijciebãt, ne nos reliqui in ciuitate uideremus, & eo pacto in uicis illis in quibus illi moram trahebant, inueniebamus cumulos cadauerum, ita ut nullus alibi pedes locare posset. Et quum incolæ ciuitatis confluebant ordinem dederam, ut in omnibus uicis essent Hispani, ne amici nostri eos miseros, qui ad nos confugiebant interficerent qui erant sine numero, & etiam significaui Ducibus Indorum nobis amicorum, ut nullo pacto paterentur ad nos confugientes interfici. Et non potuit tantum resisti aut obuiari, quin eo die non fuerint interfecti & sacrificati ultra quindecim millia hominum, & intra hoc tempus omnes primates ciuitatis, & reliqui bello apti erant arctati in quibusdam subdialibus pauimentis, domibus, & aquis, ubi non poterant dissimulare, quo minus optime certum illorum interitum prospiceremus, &

debilitatem. Quum iam tardam eſſe horam animaduerterem, nec deditio-nem facere uellent, in eos magna illa tormenta aptari iuſſi, ut tentarem an deditonem facerent. Maius enim damnum paſſi fuiſſent, ſi permiſiſſemus In dos amicos noſtros eos aggredi, quam ex tormentis quæ aliquid damni eis intulerunt. Et quum hoc etiam parum prodeſſet, pixidem emitti iuſſi, cuius emiſſione illico noſtri occuparunt angulum illum, qui eis ſupererat, & im-miſſi ſunt aquis illi, qui in eo continebantur. Reliqui, qui ſuperfuere, abſ-que pugna deditionem fecere, & bergantini ſimul ingreſſi ſunt lacum illum, & aggreſſi illas canoas, & homines bello apti qui eis uehebantur, pugnam inire non audebant. Et omnipotenti placuit, quod præfectus quidam ex no-ſtris Garci Holguin nomine inſecutus eſt canoam, qua ſibi uidebatur homi-nes alicuius exiſtimationis uehi, & quum in prora eſſent locati duo aut tres milites baliſtis utentes, ſpicula in exiſtentes in canois iacere parabant. Il-li eiſdem annuerunt ea uehi canoa dominum ciuitatis, & propterea in eos ſagittas non emitterent. Et ipſi illico illuc aduolarunt, ceperuntq́ue dictum dominum, & eum Guautimucin, & dominum ciuitatis Tacuba, & quam plures alios qui ſecum uehebantur. Et illico iam dictus præfectus Garci Hol-guin, mihi illum, una cum aliјs primatibus captiuum adduxit ad illud ſub-diale pauimentum, ubi eram quod hærebat lacui domini ciuitatis. Qui poſt-quam conſederat, cum nullo uſus fuiſſem in eum rigore, proximior mihi fa-ctus ſuo idiomate retulit, ſe iam omnia quæ tenebatur exhibuiſſe, ut ſe ſu-oſque tueretur, donec perueniret ad eum ſtatum. Licere nunc mihi in poſte-rum de illo ad libitum diſponere. Et appoſuit manum pugioni cuidam meo. Rogauitq́;, ut illum transfigerem & interficerem. Ego autem eum bono ani mo eſſe iuſſi. Et eo capto omnis ceſſauit oppugnatio. Cui deo Optimo Ma-ximo placuit finē imponere die martis in feſtiuitate ſancti Hyppoliti XIII. Auguſti, M.D.XXI. Ita quod ab eo die quo ciuitas obſidione cincta eſt, & capta eſt, XXX. Maij. dicti anni, uſque ad expugnationem interceſſe-rint ſeptuaginta quinq; dies. Quibus Maieſtas Veſtra perſpiciet labores, pe ricula, & infortunia, quæ ſui uaſalli ſubiere, in quibus quantum eorum per-ſonas oſtenderunt, ex geſtis ipſis dignoſci poteſt.

Et omnibus illis ſeptuaginta quinq; diebus, quibus obſidio continuata eſt, nullus fuit ſine pugna cum hoſtibus, aut magna, aut aliquali, & in die ca ptiuitatis dicti Guautimucin, & expugnationis ciuitatis Temixtitan, poſt coaceruata ſpolia, & prædam, quam habere potuimus, reuerſi fuimus in ca-ſtra gratias agentes deo de miſericordia qua nos proſecutus fuerat, et de tam optata uictoria, qua nos potiri pientiſſime permiſerat.

Fuimus ibi in caſtris tribus, aut quatuor diebus, ordinem adhibendo plu rimis rebus, quæ conducebant, & deinde deuenimus ad ciuitatem Cuioa-can, ubi hactenus moram traxi incumbendo, ut modum & regimen adhi-beam, pacataſq; reddam has prouincias.

Collecto auro, & aliјs rebus, conſilio Maieſtatis Veſtræ officialium il-lud fundi curauimus, quod fuſum aſcendit ad centum, & uiginti millia Ca-ſtellanorum, cuius conſignata fuit quinta portio Maieſtatis Veſtræ theſau-rario abſque quinta portione aliarum rerum, quæ Maieſtati Veſtræ perti-nebant ſeruituti aſcriptarum, aliarumque rerum, ut diffuſius apparebit in relatione omnium, quæ Maieſtati Veſtræ ſpectauerint, quæ erit ſubſcripta noſtris nominibus. Aurum uero, quod ſuperfuit partitum fuit inter me, & Hiſpanos, prout conſuetudo, ſeruitium, & qualitas cuiuſq; poſtulabat, & ul-tra prælibatum aurum, inuenta ſunt quædam emblemata aurea, ex meliori-bus data eſt quinta portio dicto Maieſtatis Veſtræ theſaurario.

In præda, qua potiti fuimus in ciuitate, habuimus parmas quaſdam au-reas, & pinnas, & alia ex plumis fabrefacta tam mirabilia, ut ſcriptis demon ſtrari non poſſint, nec eorum excellentia comprehendi poteſt, ni uideantur,

&

A & quum essent talia, partiri debere nō est uisum, sed illa Maiestati Vestrę donari debere. Quapropter commilitones omnes conuenire iussi, & eos rogaui, ut læto animo paterentur, ut ea Maiestati Vestrę transmitterentur, et portionem eam, quæ eisdem & mihi obueniebat, Maiestati Vestræ condonaremus, & ipsi læto animo annuere, & eo pacto dictū donū Maiestati V. transmittimus per procuratores, quos concilium huius Nouę Hispanię destinat.

Quum ciuitas Temixtitan primas obtineret partes in his prouincijs, magniq; esset nominis, uisum est, cuidam potenti domino maximæ prouinciæ nomine Mechuacan (quæ septuaginta leucis aberat à ciuitate Temixtitan) innotuisse qualiter eam destruxeramus, soloq; æquaueramus. Et animo uoluens dominij illius amplitudinem, & munimen dictæ ciuitatis, existimauit, quod postquam tanta urbs nobis obsistere non eualuerat, nihil nobis obstare possit, at metu adductus, legatos quosdam ad me destinauit, & eius nomine mihi adhibitis interpretibus nunciarunt, eorum Dominum percepisse nos magni domini esse uasallos, & si læto animo ferrem, ipsi, & sui quoque cuperent esse Maiestatis Vestræ uasalli, & maxima nobiscum iungi consuetudine. Et ipse responsum dedi, id ueritate fulciri. Nos esse uasallos cuiusdam magni Domini qui erat Maiestas uestra, & omnes, qui esse recusarent, illis bellum inferre constitueramus, & quod dominus illorum, & ipsi optime fecerant. Et cum pauco tempore ad me cognitio maris Australis Indici delata esset, ab eis informationem cepi, si per eorum prouinciam illuc proficisci possem, & ipsi responsum dedere, iri posse. Quos rogaui, ut Maiestati Vestræ informationem transmittere possem, circa dictum mare, ut per suam prouinciam illuc adducerent duos Hispanos, quos illis consignarem. Et ipsi retulere se læto animo ita facere uelle. Vt tamen possent peruenire ad mare, cogebantur transire per prouinciam cuiusdam magni domini, quo cum ipsi bella gerebant, & propterea tunc temporis ad mare proficisci non poterant.

B Dicti legati è Mechuacan apud me moram traxere per tres, aut quatuor, dies, & coram eis equites aliqua leuia prælia inire iussi, ut in sua prouincia ista recenserent. Et quum eis fuissem emblemata impartitus quædam, expediui eos una cū Hispanis, ut proficiscerētur ad dictā prouinciā Mechuacan.

Vt ante posito capite demonstraui, potentissime Domine, non diu ante cognitionem aliquam habueram de alio mari Australi Indico, & cognoscebam, quod aberat duobus, aut tribus locis ad duodecim tredecim, & quatuordecim dietas ab hoc loco. Et magno tenebar desiderio, quum scirem seruitium immensum Maiestati Vestræ ex eo prouenturum, maxime quum omnes aliquam habentes scientiam, aut aliquam experientiam in nauigationibus Indorum, certo crediderint, quod si forte in his locis detegeretur mare Australe Indicum, detegerentur plurimæ insulæ dites auro, & gemmis, emblematibus, & aromatibus, & detegerentur multa secreta, & admiratione digna, & hoc affirmant pariformiter omnes periti, & experimentum habentes in Cosmographia. Et eo desiderio, & ut ex hoc Maiestas Vestra à me haberet hoc singulare, & memorabile seruitium, destinaui quatuor Hispanos, duos ad quasdam prouincias, reliquos ad duas alias, & cum eis informationem, quæ itinera tenere deberent, & quum dedissem homines nobis amicos, qui eos conducerent, & cum illis proficiscerentur, discessere, & eis iniunxi, ne sisterent donec ad ipsum mare peruenirent, & si illud detegerent, caperent possessionem illius realem, & etiam corporalem Maiestatis Vestrę nomine. Et quidam ex eis profecti sunt per spatium centum & triginta leucarum per plures bonas prouincias absque impedimento, & profecti sunt ad mare & cepere possessionem, & in signum constituere cruces aliquas in illius littore, & inde ad aliquot dies reuersi sunt cum responsione dictæ detectionis, & mihi sigillatim de omnibus iuformationem dedere, & aliquos ex accolis dicti maris adduxere. Similiter attulere inditia auri ex multis aurifodinis, quæ inuenere in illis prouincijs, per quas transiuere, quæ cum alijs in-

ditijs impræsentiarum Maiestati Vestræ transmitto. Reliqui uero aliquantulum diutius morati sunt, quoniam ipsi emensi sunt iter centum & quinquaginta leucarum ab alio latere, donec peruenerint ad dictum mare, & illi similiter cepere dicti maris possessionem, & attulere latissimam informationem illius littoris, & aliqui ex accolis cum illis aduenere, & eos, aliosq; hilari uultu excepi, & post datam ipsis informationem magnæ potentiæ Maiestatis Vestræ ad patrios lares læti reuersi sunt. A

Alia relatione potentissime domine Maiestati Vestræ significaui, qualiter eo tempore, quo Indi me profligarunt, & prima uice me à ciuitate Temixtitan eiecerant, defecerant à Vestra Maiest. omnes prouinciæ dictæ ciuitati subiectæ, & nobis bella intulerant, & duce hac relatione Maiestas Vestra poterit inspici iubere, qualiter coegimus ad illius regale seruitium maiorem partem prouinciarum quæ defecerant, & quoniam quædam prouinciæ quæ adiacent mari Australi Indico, per decem, quindecim & triginta leucas, post defectionem ciuitatis Temixtitan defecerant, & eorum incolæ proditorie interfecerant ultra centum Hispanos, & ego donec modum imposuissem huic bello, non habueram uires ad transmittendum copias contra eos, & expeditis illis Hispanis, qui fuerant reuersi à detegendo mari Australi Indico, constitui mittere Condisaluum de Sandoual maiorem executorē comitantibus triginta equitibus & ducentis peditibus, & Indis nobis amicis, & cum aliquibus ex primatibus ciuitatis Temixtitā, ad illas prouincias Tatactetelco, Tuxtebeque, Guatuxto, & Aulicaba. Dato illi ordine, quē obtinere deberēt in hac expeditione, cœpit dirigere se ad eam executioni demandandam.

Eo tempore locumtenens, quem dimiseram in ciuitate Finium Securitatis, quę est in prouincia Tepeaca, uenit ad hanc ciuitatem Cuioacan. Atque me admonuit, qualiter incolæ dictę prouinciæ, & aliarum eidem uicinarum M. V. uasalli damna patiebantur ab incolis prouinciæ cuiusdam Guaxacaque nomine & propterea illis bellum inferebant, quoniam nostra iuncti erant amicitia, & quod ultra huic rei remedium imponendum, erat optimum tutam reddere prouinciam Guaxacaque, quoniā ea ibatur ad Mare Australe Indicum, & si eam pacatam redderemus, esset res admodum proficua, tam pro iam dicta, quam pro alijs plurimis causis, de quibus post hęc referam Maiestati Vestræ. Et dictus locumtenens mihi retulit, se optimam habere informationem sigillatim de omni ea prouincia, & paucis illam militibus subigere possemus. Ille enim dum ipse in castris essem contra ciuitatem Temixtitan, eo profectus fuerat, quoniam incolæ prouinciæ Tepeaca institerant ut illis bellum inferret, quum tamen ipse non adduxisset ultra uiginti, aut triginta Hispanos, illum redire coegerant, quamuis non eo spacio quo ipse desiderasset, & ego audita eius relatione, eidem equites impartitus sum duodecim, & pedites Hispanos octuaginta, & dictus maior executor una cum locum tenente discessere comitantibus suis commilitonibus ab hac ciuitate Cuioacan tricesima Octobris, Anno Millesimo quingentesimo uigesimo primo. Et quum peruenissent ad prouinciam Tepeaca, milites suos recensuerunt, & quilibet discessit ad sibi commissam prouinciam, & maior executor inde ad uiginti dies ad me literas dedit se peruenisse ad prouinciam Guatusco, & quamuis multum timeret aliquam oppressionem ab hostibus accipi posse, quum gens esset bello agilis & maximas haberent uires, omnipotenti tamen placuit, ut eum pacifice exceperint & quamuis ad alias non peruenisset prouincias, certe arbitrabatur omnes incolas illarum deditionē facturas Maiestati uestrę, & post dies quindecim ab eo recepi literas, quibus mihi significauit, illum ulterius profectum, & omnes eas prouincias iam esse pacatas. Et illi uidebatur, ut inde plus fructus caperetur, in ea coloniam locandam, ut multo ante consulueramus, admonuitq; ut prospicerem quid in hoc esset per eum agendum. Rescripsi, gratias agendo ei de labore in ea expeditione per eum suscepto ad Maiestatis Vestræ commodū, & illi signi-

ficaui

A ficaui ſententiam ſuam eſſe optimam circa coloniam deducendam, & mandaui ut ædificaret ciuitatem ad Hiſpanorum habitationem in prouincia Taxtebeque, & nomen ſibi imponeret Medelin, & deſtinaui nomina iudicum & regentium, & aliorum officialium. Quibus omnibus iniunxi, ut optime proſpicerent, ea quæ commoda eſſent, & conducerent ſeruitio Maieſtatis Veſtræ, & quod incolæ bene haberentur.

Locumtenens ciuitatis finiũ Securitatis, cum ſuis cõmilitonibus diſceſſit ad prouinciã Guaxaca comitante magna copia hominum circumuicinorum nobis amicorũ. Et quamuis incolæ dictæ prouinciæ ſibi obſiſtere cœpiſſent, & bis, aut quater cũ eis ſtrenue, et acriter pugnã iniuiſſent, tandẽ ſe pacifice dedidere abſq; aliquo illorũ incõmodo, & de omnibus ſigillatim ad me ſcripſit, & mihi ſignificauit prouinciã eſſe optimã, & aurifodinis refertam, et ad me deſtinauit optima auri indicia, quę una cũ alijs Maieſtati Veſtrę tranſmitto, & ipſe remanſit in ea prouincia expectans quid ſibi uellem iniungere.

Quũ ordinem poſuiſſem ad has duas prouincias debellandas, & quum cognoſcerem optimum eorum euentum, & quum proſpicerem me iam tres collocaſſe Hiſpanorum colonias, & maior pars illorum mecum degebat in ciuitate Cuioacan, & quum conſuluiſſemus quo in loco aliam locaremus coloniam circa lacus, quum ea magis indigeremus ad tutelam, & quietem omnium harum prouinciarum & ſimiliter cernentes ciuitatem Temixtitan. quæ erat res tam celebris, & quam hactenus magnifeceramus, & de qua meminimus, uiſum eſt nobis in ea coloniam ponere, ſolo enim tota erat ęquata. Et ego fundos partitus ſum illis, qui eam inhabitare conſtituebant, & nominati ſunt iudices, & regentes Maieſtatis Veſtræ nomine, ut in eius regnis fieri conſueuit, et dum domus conſtruuntur, conſtituimus moram trahere in hac ciuitate Cuioacan, ubi impræſentiarum ſumus à quatuor, aut quinque menſibus, in quibus dicta ciuitas Temixtitan reficitur, & eſt ciuitas pulcherrima, & credat Maieſtas Veſtra, quod indies fiet nobilior, & amplior, adeo
B ut quemadmodum tranſactis temporibus fuit primas, & dominatrix omnium harum prouinciarum, in futurum quoque fore ſperamus, & fit, fietq; ita, ut Hiſpani ſint in ea munitiſſimi, tutiq;, & multum incolis præualentes, & adeo, ut nullo pacto ab eis lædi poſſint.

Interim, ut dixi, Dominus prouinciæ Tatutepeque (quæ hæret mari Auſtrali Indico, per quam duo illi Hiſpani profecti ſunt ad illud detegendum) deſtinauit ad me quoſdam è ſuis proceribus, & per eoſdem ſe obtulit in Maieſtatis Veſtræ uaſallum, & deſtinauit munera aliqua, uidelicet emblemata quædam, & fruſta auri, & alia ex plumis, quæ omnia conſignata fuere Maieſtatis Veſtræ theſaurario, & ego gratias egi dictis nuncijs de omnibus, quę nomine Domini mihi expoſuerant, & quędam illi afferenda ſum impertitus & ipſi reuerſi ſunt multum læti.

Similiter eo tẽpore aduenere duo illi Hiſpani, qui profecti fuerãt ad prouinciã Mechuacã, per quã nuncij, quos Dominus illius ad me deſtinauerat, mihi retulerant, etiam ab ea parte iri poſſe ad mare Auſtrale Indicũ. Sed eundum erat per prouinciam cuiuſdam eorum hoſtis. Et cum Hiſpanis aduenit frater dicti domini è Mechuacán cum alijs primatibus, & familiaribus, qui aſcendebant ad mille uiros, quos excepi, benignum aſpectum eiſdem exhibendo, & domini dictæ prouinciæ Calcucin nomine Maieſtatem Veſtrã donarunt, quodam munere parmarum ex argento, quæ aſcenderunt ad multas ſelibras, & rerum aliarum, quæ omnia conſignata ſunt Maieſtatis Veſtræ theſaurario. Et ut modum noſtrum proſpicerent, & Domino ſuo nunciare poſſent, in platea quadam conuenire iuſſi omnes equites, & recenſere poſſent, & coram eis concurrerũt, & prælia leuia iniuere, & pedites ſuo ordine, & milites aliqui pixides emiſere, & tormentis turrim quandam impetendam curaui, qui admiratione maxima capti fuere circa ea, quæ in dicta turri acta ſunt, & etiam quum equos currentes uidere, et eos adducẽdos commiſi, ut proficiſce-

rentur uisum destructionem ciuitatis Temixtitan, quam ubi conspexere, eiusq; uires & munimina, quum sit in aquis constituta, maiori affecti sunt admiratione, & post quatuor aut quinq; dies post multa exhibita ad eorum dominum afferenda munera & pro ipsismet, quę ipsi magni faciunt, in patriam læti discessere. A Ante hac retuli Maiest. Vest. de flumine Panuco, quod est in littore infra ciuitatẽ Veræ Crucis per quinquaginta aut sexaginta leucarum spacium, ad quod naues Frãcisci de Garai bis uel ter profectæ fuerãt. etiam acceperant maximum damnum ab accolis illius ob sinistrum modũ, quem adhibuerant præfecti, quos illuc destinauerat, in rebus agendis cum dictis Indis. Et ipse cernẽs, quod in omni mari Septentrionali Indico est maximus portuum defectus, & nullus est similis portui illius fluminis, et etiam, quoniam Incolæ illius prius uenerant ad me, & obtulerant se in uasallos Vestræ Maiestatis, & nunc bella intulerant, & inferunt uasallis Vest. Maiest. et nobis amicis, constitui illuc pręfectum aliquem destinare cum aliquibus militibus, & pacatas reddere omnes illas prouincias, & si esset tellus habitanda, ibi in ripa fluminis coloniam constituere. Omnes enim circumuicinos pacatos tutosq; redderem, & quum essemus pauci & separati in tres aut quatuor portiones, propterea aliqua suberat contradictio, ne ulterius milites ab hoc loco extraherem, partim ut opem ferrem amicis nostris, partim quoniã post expugnationem ciuitatis Temixtitan, naues aduenerant, & adduxerãt quosdam equites, paratos esse iussi uiginti quinq; equites, & pedites centũ & quinquaginta, & præfectum cum illis, ut irent ad dictum flumen. Et quũ hunc præfectum expedirem, uenerunt literæ à ciuitate Veræ Crucis, ad portum illius aduenisse nauim, qua uehebatur Christophorus de Tapia inuisor fundationum insulæ Hispanæ, à quo sequenti die literas accepi, quibus significauit aduentum suum ad has partes eam ob causam fuisse, ut earum regimen Maiestatis Vestræ nomine obtineret, & ad id habebat suas Regales commissiones, quarum copiam nullibi facere uolebat, donec nos coram colloqueremur, & eo instanti uoluisset ad me esse profectus, quum tamen haberet equos mari afflictos, itineri se non commiserat, & me rogabat, ut ordinem ponerem, quomodo conuenire possemus, aut ille huc ueniendo, aut ego illuc proficiscendo ad maris littora. Et quum literas eius accepi, illico responsum dedi afferens me admodum aduentu suo lætari, & quod nullus aduenisse poterat Maiestatis Vestræ mandato ad regimen istarum prouinciarum, quo plus gauderem: partim ob cognitionem, quæ inter nos intercesserat, partim ob educationem, & uicinitatem, quam habueramus inter nos in insula Hispana. Et quoniã pacatio istarum prouinciarum non erat firma, & solida, ut decebat, & qualibet nouitate ansam præberemus incolis prouinciarum ad studendum defectioni, & quum frater Petrus Malgereio ab Vria cõmissarius Cruciatæ interfuisset omnibus laboribus nostris, & optime noscebat, quo in statu res hic uersarentur, illius aduẽtus Maiestati Vestræ plurimum fuit proficuus, & nobis alijs illius doctrina, & consilium plurimum profuere. Illum obnixius rogaui, ut laborem susciperet, & dictum Tapia allocutũ proficisceretur, & inspiceret prouisiones Maiestatis Vestræ: & postquam ille melius quam aliquis cognoscebat, quæ facerent ad eius regale seruitium, & ad bonum omnium istarum prouinciarum, quod ipse cõstitueret cum dicto Tapia ea, quæ conuenirent, postquam cognoscebat me in nullo deuiaturum ab eis: & in hoc eum rogaui præsente Maiest. Vestræ thesaurario, & ipsemet idem iniunxit. Et sic discessit profecturus ad ciuitatem Veræ Crucis, ubi dictus Tapia morabatur. Et ut in dicta ciuitate, & ubicunq; dictus esset Tapia, omnia sibi exhiberentur, commodeq; exciperetur, expediui dictum patrem una cum duobus, aut tribus meis commilitonibus. Et quũ illi discessere, præstolabar eorum responsum, & interim aptaui me discessui componendo aliqua, quæ faciebant ad seruitium Vestræ Maiestatis, & ad pacationem, quietemq; omnium istarum prouinciarum.

Inde

A Inde ad decem, aut duodecim dies, Iustitia, & regimen Ciuitatis Veræ Crucis, mihi scripserunt, dictum Tapiam exhibuisse prouisiones Maiestatis Vestrę, & gubernatorum suorum suo Regali nomine, & ipsi paruerant omni, qua decebat, obseruantia, & quo ad executionem, responsum dederant, quod cum maior regiminis portio apud me hic esset, & interfuerant oppugnationi ciuitatis, ipsi eos certiores redderent, ac omnes facerent, & adimplerent illud, quod plus conducere uidebatur Maiestatis Vestræ seruitio, & bono prouinciarum, & quod ex dicta responsione, dictus Tapia aliquam conceperit displicentiam, & etiam tentauerat quædam scandalosa. Et quamuis illud multum displiceret, illis respondi rogando, & monendo, quod prius prospicientes Regale Maiestatis Vestræ seruitium laborarent obsequi dicto Tapiæ, & occasionem non præberent, quod aliqua oriretur dissensio, quoniam accingebam me itineri, ut illum conuenirem, & adimplerem Maiestatis Vestræ mandata, & id facerem, quod concerneret Maiestatis Vestræ seruitium. Et quum uellem iam discedere, & iter illius prefecti ad flumen Panuco abiecissem, quum (si ipse discederem) necessarium esset optimum ibi relinquere præsidium procuratores consilij istius Nouæ maris oceani Hispaniæ monuerũt me maximis protestationibus, quod hinc non recederem. Quoniam à breui tempore prouinciæ Temixtitan, & Mexico redditæ fuerant pacatę, mea absentia seditionem facere possent, Vnde eueniret maximum damnum Maiestati Vestræ, & inquietaretur prouincia. Et in dicta monitione aliæ plures causæ, & rationes continebantur, quibus demonstrabant me impræsentiarum non debere discedere, ab hac ciuitate, & dixere, quod ipsi cum autoritate consilij proficiscerentur ad ciuitatem Verę Crucis ubi erat dictus Tapia, & inspicerent prouisiones Maiestatis Vestræ, & mandata, & id agerent, quod Regali Maiestati Vestræ conducere uiderent. Et quoniam nobis

B uisum est ita oportere, & dicti procuratores discedebant, eisdem literas dedi ad dictum Tapiam significando ei ea, quæ acta erant, & ipse committebam uices meas Condisaluo de Sandoual maiori executori, Didaco de Sotto, & Didaco de Valdenebro, qui erant in ciuitate Veræ Crucis, ut meo nomine insimul cum Senatu illius, & una cum procuratoribus aliorum Senatuum uiderent, exequerentur'que id, quod conduceret Maiestatis uestræ seruitio, & bono prouinciarum. Illi enim erant, & sunt tales, ut ita essent facturi. Et quum peruenissent eo ubi dictus Tapia erat, qui iam iter ingressus erat, & pater frater Petrus secum proficiscebatur, monuerunt illum, ut reuerteretur & simul reuersi sunt ad ciuitatem Cempoal, & dictus Christophorus exhibuit mandata, & prouisiones Vestræ Maiestatis, quibus omnes obedientiam ea reuerentia, qua Maiestati Vestræ parere debent, exhibuere: ad ea tamen executioni demandanda Maiestati Vestræ supplicabant, quoniam id Maiestatis Vestræ seruitio conducere maxime arbitrabantur rationibus, & causis in supplicatione contentis, quam conscripsere, ut latius ea gesta sunt, & procuratores, qui ueniunt ex noua Hispania afferunt subscriptam manu notarij publici. Post multas monitiones hinc inde factas inter dictum Tapiam & procuratores, iam dictus Tapia nauim suam ascendit, quia ita facere monitus fuit, quoniam propter eius aduentum, & mansionem in his prouincijs, & quia publicatum erat ipsum gubernatorem, & capitaneum harum prouinciarum aduentasse, seditionem faciebant, & incolæ è Mexico, et Temixtitan composuerant cum istis prouincijs deficere, & proditionem machinari, à qua euadere fuisset difficilius, quam à prima. Quæ fuerat huiusmodi, quod aliqui ex incolis è Mexico ordinem dederant cum incolis earum prouinciarum, ad quas subigendas destinaueram maiorem executorem, ut ad me proficiscerentur maxima celeritate, & significarent per littora uagari decem & octo naues magnis copijs, & terram non capere, & quia gens amica esse non posset, si uellem ipsi se accingerent, & mecum eo proficiscerentur, mihi opem laturi, & ut fidem illis adhiberem nauium formas papi-

ro pictas ad me detulere. Et quum hoc ſecreto mihi nunciaſſent illico eorum animum agnoui, & fraudem ſubeſſe, & circumuentionem, ut me ab hac prouincia abducerent, quia cum aliqui ex primatibus audiuiſſent me diſceſſurum, & me nunc in prouincia continerem, alium ordinem adinuenerant. Omnia ſecum diſſimulaui, & poſtea aliquos carceri mancipaui, qui hæc machinati fuerant. Ita ut aduentus dicti Tapiæ, & quod non habebat notitiam patriæ, & incolarum, maximam ſuſcitauerit ſeditionem, & ſua hic manſio maximo fuiſſet incommodo, ni deus remedium apposuiſſet, & plus commodi contuliſſet Veſtræ Maieſtati, manere in inſula Hiſpana, & prætermittere ſuum huc aduentum, & prius Maieſtatem Veſtram conſulere, & eidem ſignificare, quo in ſtatu eſſent res harum prouinciarum, poſtquam hæc omnia nouerat ex nauibus, quas ad dictam inſulam Hiſpanam tranſmiſeram ad ſubſidium euocandum, & luce clarius cognoſcebat, iam remedium appoſitum ſcandalo, quod euenerat aduentu claſſis Pamphili de Naruaez, per ea potiſſimum, quæ per conſilium, & regimen Maieſtatis Veſtrę conſtituta fuerant, & eo maxime, quia ab Admirante, iudicibus, & officialibus Maieſtatis ueſtræ, qui reſident in dicta inſula Hiſpana, multoties prælibatus Tapia monitus fuerat ne daret operam transfretandi ad has prouincias, niſi prius Maieſtas Veſtra certa fieret omnium, quæ in illis eueniſſent, & ob id aduentum eius ſub pœnis quibuſdam inhibuere, qui modis quibuſdam, quos ſecum tenuit potius conſiderans ſuum particulare intereſſe, quam id, quod ſeruitio Maieſtatis Veſtræ conduceret, tantum effecit, ut inhibitionem iam dictam ſui aduentus reuocauerint. Maieſtati Veſtræ omnia retuli, quando dictus Tapia ab his oris diſceſſit, ea procuratores, & ego non fecimus. Ipſe enim idoneus noſtrarum literarum exhibitor non uidebatur, & etiam ut maieſtas Veſtra cognoſcat, & credat, quod in non recipiendo dictum Tapiam Maieſtas Veſtra commodum maximum conſecuta eſt, ut latius quando, & quoties neceſſe erit, demonſtrabitur.

Capite quodam anteriori Maieſtati Veſtræ ſignificaui, qualiter præfectus ille, quem deſtinaueram ad ſubigendam prouinciam Guaxaca, eam pacatam obtinebat ibiq; præſtolabatur quid illi eſſem mandaturus. Et quoniam eo indigebam, quum eſſet locumtenens, & iudex in ciuitate finium Securitatis, illi literis iniunxi, ut octuaginta illos pedites, & decem equites, quos ſecum habebat, Petro de Aluarado conſignaret, quem deſtinabam ad deuincendam prouinciam Tatutepeque, quæ diſtat per quadraginta leucas à prouincia Guaxaca, prope mare Auſtrale Indicum, et bellum inferebant, et damna intolerabilia his, qui ſe ſubdiderant Veſtræ Maieſtati, & incolis prouinciæ Tatutepeque, quoniam nobis promiſerant, nos per eorum prouinciam proficiſci ad detegendum mare Auſtrale Indicum. Et dictus Petrus de Aluarado diſceſſit ab hac ciuitate ultima die Ianuarij, inſtantis Anni, & comitātibus militibus, quos hinc abduxit, & illis, quos recepit in prouincia Guaxaca, in unū conuenere quadraginta equites, & ducenti pedites. Inter quos erant quadraginta pixidibus, & baliſtis utentes, et duo erant illis parua campeſtria tormenta, & inde ad dies uiginti literas accepi à dicto Petro de Aluarado, qualiter erat in itinere ad dictā prouinciā Tatutepeque, & me certiorē faciebat, ſe captiuos habuiſſe quoſdā exploratores, dictæ prouinciæ incolas: et quū ab eis informationē cepiſſet, illi retulerāt, Dominū Tatutepeque, una cū illius copijs eū in campis præſtolari, & ibat ea ſententia, ut omnia eidem poſſibilia efficeret, ut pacatā redderet eā prouinciā, & ad hoc ultra Hiſpanos ſecum adducebat plures, et belligeros homines. Et cum maximo deſiderio huius negocij euentum expectarem, die quarta Martij præſentis Anni literas accepi à dicto Petro de Aluarado, quibus ſignificabat ſe prouinciam ingreſſum, & quod tres aut quatuor coloniæ eidem obſiſtere auſæ fuerant, in obſiſtendo tamen non permanſerant, & ingreſſus fuerat ciuitatem Tatutepeque, & ſecundum ea quæ apparuerant, fuerat optime receptus, & domi-

nus

A nus illius uoluerat, ut hospitaretur in quibusdam suis magnis domibus, quæ coopertæ erant palea, & quum essent sitę loco nō admodum condecenti pro equitibus, eas habitare noluerat. Sed descendebat ad aliam ciuitatis partem quę erat planior, et etiā ideo id fecerat, quia ad aures eius deuenerat, illos cō-stituisse ipsum, & uniuersos socios eius uelle eo pacto interficere, & quod cum Hispani essent in illis domibus quæ erant amplissimæ, eisdem ignem inijcere, & omnes comburere. Et cum deus illi hoc negotium detexisset, dissimulauerat, & secum in planiorem locum adduxerat illius prouinciæ dominum, & filium suum quos tenuerat, & eos habebat in potestate sua tanquam captiuos: & ipsi concesserant eidem ultra uiginti quinque millia Castellanorum, & arbitrabantur ut relatione illius subditorum audiuerant, illum maximum obtinere thesaurum, & quod omnis illa prouincia erat ita pacifica, ut nihil supra, & habebant suas nundinas & commertia, ut prius facere consueuerant: & illam prouinciam asserebat esse ditissimam aurifodinis, & quod eo pręsente inditia extraxerant, quę mihi transmisit, & quod per dies tres aut quatuor progressus fuerat ad mare, & illius possessionem Maiestatis Vestræ nomine acceperat, & in illius præsentia extraxerant gemmarum inditium, quod similiter mihi transmisit, quod una cum inditijs aurifodinarum Maiestati Vestræ destino.

Quum deus omnipotens negotium hoc optime dirigeret, et adimplebatur desiderium, quo ardeo ad Maiestati Vestræ inseruiendum in hoc Australi Mari Indico detegendo, cum res sit tanti momenti, diligentissime prouidi, quod in uno ex locis tribus, ubi mare detexi, duæ mediocres construuntur carauellæ & duo bergantini. Carauellæ erunt ad detegendum, & bergantini ad legenda littora, & ad hoc destinaui duce quodam homine diligenti quadraginta Hispanos, inter quos sunt magistri, & fabri lignarij littorum,
B & tabularum magistri, & fabri ferrarij, & homines mari uersari soliti, & parari iussi in ciuitate Verę Crucis pro clauis, uelis, et alijs facientibus ad dicta duo nauigia. Properabimus, quantum nobis fuerit possibile, ut perficiantur, æquori committantur. Quod perfectum opus (credat Maiestas uestra) erit maior res, & ex qua maius commodum Maiestatis Vestræ redūdabit, quam ex re aliqua, quæ euenerit, postquam Indorum loca reperta sunt.

Cum essem in ciuitate Thesaico, antequam ab ea exirem, ut obsidione cingerem ciuitatem Temixtitan, componendo, & dirigendo ea, quæ erant opportuna ad dictā obsidionē, curam non adhibens ad illa quę per quosdam machinabātur, ad me profectus est unus, qui huic intererat proditioni, & me certiorem reddidit, amicos aliquos Didaco Velazquez, commilitones meos mihi parasse proditionem, ut me interimerēt, & iam inter se elegerant prę fectum, prætorem, & alios officiales, & omnino prouiderē de remedio, postquam uidebat, quod ultra scandalum inde successurum in personam meam, certum erat nullum Hispanum posse euadere, quum essemus alter alteri contrarij, & quod propterea non solum hostes paratos inueniremus, sed etiam illos, quos nobis amicos arbitrabamur, laboraturos, ut nos omnes ad unū interficerent. Quamprimum tam magnam proditionē detectā conspexi, gratias Deo Opt. Max. egi, quoniam in eo omne uersabatur remediū, & illico capiēdum curaui ex illis unum, qui erat autor, qui sua sponte fassus est quod ipse constituerat, composueratq; cum multis, quos in sua confessione nominauit, ut me interficerent aut caperent, & occuparent regimen prouinciarū pro Didaco Velazquez, & ueritas erat, illum constituisse creare præfectum & iudicem maiorem, & ipse esse debebat maior executor, & me aut interficere, aut capere debebant, & in hoc conuenerant multi, quos descripserat in copia quadam, quę inuenta est in eius habitatione, quamuis lacerata, cum aliquibus ex dictis, quos ipse nominauit, cum quibus prædicta tractarat. Et non solum hæc acta fuerant, & consulta in ciuitate Tesaico, sed illa iam inceperant, & tractarant, dum incumberemus bello prouinciæ Tepeaca. Et

audita

audita illius confeſſione, qui nominabatur Antonius de uillaſanna, qui oriundus erat è Zamora, & quum eam ratam habuiſſet, iudex quidam & ego illum morte dignum iudicauimus, & ita executum eſt in illius perſonam. Et quamuis in hoc comperierimus plures conſcios, diſſimulaui ſecum amicabiliter agendo, quia cum caſus mihi pertineret (quamuis aptius dici poſſet Veſtræ Maieſtati) nolui contra eos rigoroſe procedere, quæ diſſimulatio non multum profuit, quoniam poſtea aliqui factionis dicti Didaci Velazquez quæſiuere aduerſus me pluries inſidiari, & ſecreto multos mouere tumultus, & ſcandala, ut plus mihi cauendum fuerit ab illis, quam à noſtris hoſtibus. Deus tamē omnipotens ita direxit omnia, quod abſq; aliqua in eos animaduerſione, omnis eſt inter nos tranquillitas, & requies, & ſi in poſterum aliquid audiero, in eos animaduertam, prout dictabit iuſtitia. A

Poſt expugnationem ciuitatis Temixtitan, dum morarer in ciuitate Cuioacan, ab humanis exceſſit Don Ferdinandus dominus ciuitatis Theſaico, cuius mortem omnes moleſte tulimus, cum eſſet fidelis Maieſtatis ueſtræ uaſallus, & Chriſtianis amiciſſimus. Et conſilio, conſenſuq; dominorum, & primatum illius ciuitatis, & prouinciæ Maieſtatis Veſtræ nomine regimen conceſſum fuit fratri ſuo minori, qui baptiſma ſuſcepit, & illum Don Karolum nominauimus, & ut hactenus uideri poteſt, ſequitur ueſtigia fratris ſui, & admodum delectatur noſtro habitu, & conſuetudine.

Alia Relatione Maieſtati ueſtræ ſignificaui, qualiter prope prouinciam Taſcaltecal, & Guaxacingo erat mons rotundus, & excelſus, à quo ferme per exibat fumeus globus, qui recto tramite ſagittæ uelocitate in auras aſcendebat, & quoniam nobis aſſerebant, rem eam eſſe periculo plenam, & eos qui ſcandebant mori, iuſſi Hiſpanos quoſdā aſcendere, ut conſpicerent, quo modo eſſet mons in cacumine. Et eo tempore, quo aſcenderunt, ille fumeus B globus exiuit tanto cum ſtrepitu, quod nec potuerint, nec auſi fuerint peruenire ad cacumen montis unde exit ille fumus, & erat ſpacium duorum baſiliſtæ iactuum ab uno ore ad aliud. Eſt enim mons latus in circuitu per tres, aut quatuor leucas, habet talem profunditatem, ut infimam illius partem proſpicere nequiuerint & ibi inuenere fruſta ſulphuris, quæ fumus expellit. Et dum ſemel ibi eſſent, audiuere fumi aſcendentis ſtrepitum, & ipſi deſcenſum accelerarunt, antequam tamen perueniſſent ad medium montis, rotatim aduentabant plurima ſaxa, & propterea conſpexere ſe in maximo conſtitutos periculo, & Indi claro illud facinori aſcripſere, illuc proficiſci quo illi aſcenderunt.

Alijs literis Maieſtati Veſtræ ſignificaui, incolas harum prouinciarum eſſe maioris capacitatis, & ingenij reliquis incolis aliarum inſularum, & uidebantur nobis tantæ intelligentiæ, & rationis quãtum mediocriter uni ſufficit. Et propterea tunc mihi non uidebatur, ut Hiſpanis inſeruire cogerentur, quemadmodum incolæ aliarum inſularum. Et etiam hoc ceſſante, acquiſitores, & coloniæ locatæ in his partibus ſe ſuſtinere, & alere non poſſent, & nec tunc Indos aſtringeramus, & Hiſpanis aliquod adhiberetur remedium. Mihi uidebatur Maieſtatem Veſtrā cōmittere, ut ex redditibus, qui hic Maieſtati Veſtræ pertinent, ſubleuarentur pro uictu, & expenſis factis, et in hoc committeret prouideri illud, quod plus conducere uideretur ſeruitio ſuo, ut de omnibus latius Maieſtati Veſtræ ſignificaui. Et poſtea uiſis, & conſideratis maximis, continuiſq; Maieſtatis Veſtræ expenſis, & quod potius omnibus modis augere debebamus illius redditus, quam cauſam præbere, ut minuerentur, inſpecto etiam longo tempore, quo bello incubuimus, & neceſſitate, debitiſq; quibus aſtringebamur, & dilatione, quę intercedebat, donec Maieſtas Veſtra aliquid poſſet conſtituere, & etiam maxima importunatione M. V. officialium, & omnium Hiſpanorum, fui quaſi coactus dominos, & incolas harum prouinciarum deponere ad manus Hiſpanorū, conſiderando ſeruitia, & acta, quæ ipſi Maieſtati Veſtræ exhibuere in his partibus,

ut interim dum Maiestas Vestra aliud iubeat, uel hoc idem confirmet, dicti domini, & incolæ Hispanis inseruiãt, & cuilibet Hispano, cui fuerit conces/sus exhibeat ea, quibus indigebit ad sui sustentationem. Et hic modus fuit initus multorum consilio, qui optime norunt, & intelligunt mores istarum prouinciarum. Non potest haberi modus melior, & qui plus cõueniat, tam ad sustentationem Hispanorum, quam ad conseruationem Indorum, et ut bene secum agatur, pro ut latius Maiestati Vestræ exponẽt procuratores, qui uenient ex hac Noua Hispania. Pro rebus, & pagis Maiestatis Vestræ, con/signatæ sunt prouinciæ, & urbes meliores, & aptiores. Supplico Maiestati Vestræ in hoc prouidendum committat id quod plus conducere uidebitur Maiestatis Vestræ seruitio.

Catholice domine deus omnipotens uitam, regalem personam, & potentissimum statum Vestræ Cæsareæ Maiestatis conseruet, augeatq; cum incremento maiorum Regnorum, & Dominiorum, ut regale cor suum desiderat.

Ex ciuitate Cuioacan, istius suæ Nouæ maris oceani Hispaniæ, die quin/tadecima Maij. Anno Domini. Millesimo quingentesimo uigesimo secũdo.

Potentissime Domine Vestræ Cæsareæ Maiestatis humillimus seruus & uasallus, qui Maiestatis Vestræ regales pedes & manus deosculatur, Ferdinandus Cortesius.

POtentissime Domine Vestræ Cæsareæ Maiestati Relationem facit Fer/dinandus Cortesius illius Præfectus, & iustitia Maior in hac Noua maris Oceani Hispania, quemadmodum Vestra Maiestas inspici iubere poterit. Nos enim Maiestatis Vestræ Officiales tenemur omnia referre, & compu/tũ dare de omnibus, quæ euenere in his partibus, & in his literis omnia trãs/
B mittuntur, & ea est mera ueritas, & propterea non est necesse, ut nos diffusi/us scribamus. Sed omnia Relationi dicti præfecti remittemus.

Inuictissime, ac Catholice Domine, Deus omnipotens uitam, & rega/lem Maiestatis Vestræ personam, & potentissimum statum conseruet, auge/atq; cum incremento maiorum Regnorum, Dominiorumq;, ut regale cor suum desiderat. Ex Cuioacan, die. XV. men/sis Maij. M. D. XXII.

Potentissime Domine Vestræ Cæsareæ Maiestatis humiles ser/ui, & uasalli, qui Regales Maiestatis Vestræ pedes & manus deosculantur.
Iulianus Alderete, Alphonsus de Grado, Bernardinus Vazquez de Tapia.

DE FRATRVM MINORVM REGVLARIS OBSERVAN/tiæ profectu & animarum lucro in HuKetan, siue Noua Hispania, Epistola uenerandi patris fratris Martini de Valentia custodis sancti euange/lij in terra præmissa, ad Reuerendum P. F. Matthiam Vueis/se in generalem commissarium Cismontanum eorundem fratrum.



REVERENDE ac dignissime pater, frater Martinus de Valentia custodiæ sancti euangelij custos, & cæteri ordinis minorum regularis obseruantiæ fratres, in hac Noua Hispania degentes, filij & subditi Reuerendissimæ paternitatis Vestræ, obedienti/am fidelem cum osculo manuum. Nos quidem cõstituti sumus in extremis mundi partibus apud Indos in magna Asia, ubi Christi Euange/lium à filijs & subditis Vestris primum cœpit prædicari, & noua fidei semi/

na pullulare, in arentibus antea ſulcis, quia riuos eius inebrians gratia ſaluatoris in ſtillicidijs eorum multiplicauit genimina eius. Nam ut uere loquar non autem hyperbolice, pluſquam decies centena millia Indorum ſunt à filijs Veſtris baptizata, quorũ quiſq; præſertim illi duodecim, qui miſſi ſunt una mecum à Reuerendiſſimo domino Cardinali ſanctę crucis patre noſtro fratre Franciſco de angelis, cum eſſet miniſter generalis, pluſquam centum millia baptizauit, omnes illi præter me didicerunt linguam Indorum, imò uarias linguas eorundem. Et in eis prædicant, & inſtruunt innumeram multitudinem eorum, & inter eos infantuli, & pueri magnatorum naturalium filij largam nobis ſpem imponunt: qui à fratribus noſtris inſtruuntur, & uita, & moribus religioſe nutriuntur, in noſtris cœnobijs quæ condidimus fere iam uiginti, & indies multiplicantur & cõſtruuntur ab eiſdem met Indis feruida deuotione. Et in quolibet habemus in habitaculis cõtiguis noſtris conuentibus pluſquam quingẽtos pueros, In quibuſdam parum minus, in quibuſdam uero ſatis plures qui iam in doctrina Chriſtiana ſunt inſtructi, et prędicãt filij patribus ſuis, & in ambone publice miro modo: & multi ex eis docent alios pueros qui canunt horas dominæ noſtræ quotidie, & ſurgunt illa eadem hora, qua fratres & in ſua eccleſia ſeorſum ad matutinum, & canunt ſolenniter miſſas, ſunt enim tenacis memoriæ ualde dociles & perſpicaces, ſunt pacifici, inter eos nunquam eſt rixa, nec iurgium inter eos, loquuntur ſubmiſſa uoce, depreſſis oculis, mulieres fulgẽt incredibili honeſtate, & uerecundia fœminea naturaliter ineſt eis. Confeſſiones illorum maxime fœminarum ſunt incomparabilis puritatis & inauditæ claritatis: ſacroſanctũ Euchariſtiæ Sacramentum abundanti effuſione lachrymarum ſuſcipiunt, religioſos pręcipue minores pro magno ducunt, quia primo eos cognouerunt, & per dei gratiam bonum exemplum ab eis accipiunt, maxime eis obediunt, & ab eis indita ieiunia, ac alia exercitia pœnitentialia deuotione magna ſumunt, in doctrina Chriſtiana ualde proficiunt, & ſatis afficiuntur ad illa quæ ſunt fidei noſtræ catholicæ, & quam propere diſcunt, ea melius quã pueri Hiſpanorum. Ad laudem dei cui eſt honor & gloria, in ſecula ſeculorum, Amen. Ex conuentu noſtro Thalmanaco prope magnam ciuitatem Meſſicanan, cuſtodiæ ſancti Euangelij. Die duodecima menſis Iunij. Anno Domini Milleſimo quingenteſimo triceſimo primo.

SEQVITVR ALIA LITERARVM COPIA SVB EADEM data miſſarum Reuerendo patri electo cæteriſq; patribus capituli generalis Tholoſani in feſto Pentecoſtes Tholoſæ celebrati. Anno domini M. D. XXXII. Per Reuerendum Patrem, dominum Epiſcopum illius ciuitatis magnæ, quæ dicitur Temixtitan Mexico, in HuKetan, & alios patres ibi commorantes.



EVERENDI Patres, notum uobis facimus nos in magnis & aſſiduis laboribus erga infidelium conuerſionem eſſe occupatos. Ex quibus pręuia Dei gratia, per manus fratrum noſtrorum ordinis Sancti Franciſci de regulari obſeruãtia, baptizata ſunt pluſquam ducenta quinquaginta millia hominum, quingenta deorum templa ſunt deſtructa, & pluſquam uiceſies mille figuræ dęmonum, quas adorabant, fractæ & combuſtæ. In multis enim locis ſtructa ſunt ſacella & oratoria, in pluribuſq; arma decora & fulgida ſanctæ crucis ſunt eleuata, & ab Indis adorata. Et, quod horrẽdum dictu, olim ſolitum erat, uidelicet in illa magna ciuitate Temixtitã, dijs ſuis annuatim ultra uiginti millia puerorum puellarumq; corda ſacrificare: iam illa humana corda non dæmonibus, ſed altiſſimo deo per doctrinam & bonum exemplum fratrum noſtrorum innumeras laudis hoſtias offerunt, unde ſoli ipſi deo honor & gloria: qui



qui in illis locis à filijs Indorum, quos apud nos habemus, reuerenter adoratur, multaq; ieiunia & disciplinæ, multiplicatæq; orationes, lachrymæ & suspiria ab ipsis fiunt & emittuntur. Multi enim puerorum istorum bene legere, scribere, canere, & punctuare sciunt. Assidue confitentur, & deuotissime sanctum Sacramentum recipiunt, parentibus suis dei uerbum facunde proponunt prout à fratribus habent, ad matutinas horas surgũt. Et uirginis matris dei, ad quam specialem deuotionem habent, integrum officium dicunt, idola parentum suorum acutissime explorant, & ad fratres nostros fideliter asportant. Cuius causa à parentibus suis aliqui occisi sunt, uiuunt tamen laureati cum deo, unaquæq; domus fratrum Francisci habet aliam domum sibi coniunctam pro pueris docendis ab artificibus Indorum constructam cum lectorario, dormitorio, refectorio, & deuoto sacello. Sũt enim ualde humiles & fratribus obtemperantes, & eos plusquam patres diligentes, sunt casti, & cum fratribus ueraces, sunt ingeniosi maxime in arte picturę, & cum deo tandem sortiti sunt animam bonam. Benedictus deus per omnia. Inter fratres in lingua Indica eruditos, est unus laicus Petrus de Gante nomine, illa lingua facundissime utens. Et sexcentorum puerorum & amplius curam habens diligentissimã, qui quidem frater est principalis paranymphus, tradens in diebus festiuis cum magna solemnitate, puellas Christianas bene doctas, talibus pueris in uxores: pro quarum puellarum manutenẽtia & doctrina, misit domina Imperatrix ab Hispania sex mulieres honoratas & doctas, & præcepit per literas, quod fieret una domus tam magna & completa, ut ipsæ mulieres recollectæ sub diocœsani fauore uiuentes; possent habere & docere mille puellas honeste uiuentes, & ita demum miro quodam modo ad fidem conuertuntur Indi, quando puellæ à fœminis, masculi à uiris religiosis prima fidei rudimenta discunt, & postremo parentibus ethnicis quę didicerunt, renarrant, ut bene dixisse de eis uideatur Dauid: Ex ore infantium & lactẽtium perfecisti laudem tuam. Valete in Christo & orate, ut quod deus cœpit, per suam clementiam perficiat.

EPITOME CONVERTENDI GENTES INDIARVM AD fidem Christi, adeoq; ad Ecclesiam Sacrosanctam catholicam & apostolicam, Autore R. P. F. Nicolao Herborn, regularis obseruantiæ ordinis Minorum Generali Commissario Cismontano.

IN Christo sibi Reuerẽdis longeq; probatiss. simul & eruditiss. patribus Ministris ordinis Minorũ regularis obseruantię, Prouinciarũ, Frãciæ, Francię Parisiẽsis, Castellæ, Saxoniæ S. crucis. Saxoniæ. S. Iohannis baptistæ Turoniæ, Turoniæ pictauien. Arragoniæ. Argentinæ. Aquitaniæ Sancti Iacobi. Coloniæ Aggrippinæ. Sancti Bonauenturæ (seu prouincię Prouinciæ) Portugaliæ. Sancti Ludouici, Hiberniæ, Scotiæ Concoptionis, Daciæ, Britanniæ Angliæ Granatæ. Indiarum Insularum, sanctæ Crucis. Burgen. Maioricarũ, Angelorũ, Pietatis, Sancti Gabrielis, Carthaginẽsis, Flãdrię, Turingiæ. Inferioris Alemaniæ, sibi in Christo charissimis patribus & fratribus.

FRATER NICOLAVS HERBORN ORDINIS EIVSdem, partium Cismontanarum Generalis Commissarius, Christi gratiam & misericordiam optat.



MOX ubi Coloniense Capitulum (ut uocamus, ut uero alij Synodum) absoluissem, Reuerendi patres, redditus est mihi liber quispiam, quo Ferdinandi Cortesij complures, non sine multis periculis exantlatæ, & profectiones, & nauigationes per mare Oceanum, ad Indos usq;, paucis uerbis erãt descriptæ. Legi obiter: nam per nego-

tia diutius, diligentiusq; in eo uersari non licuit: offendi quoq; multa ĳs re- A
spondere, quæ nuper Tolosanis in Comitĳs nobis renarrarunt patres, qui ci
uitatem Temixtitan & Tumbensem incolūt, ac suis sermonibus per dei gra
tiam ad fidem conuerterunt, indiesq; conuertunt, & in uinea domini desu-
dant. Reputaui tum deinde altius mecum literas, quas Tolosam Illust. domi
na Imperatrix semper Augusta, ex Hispanĳs ad nos transmisit, nos obtestās,
ac requirens, uti uiros probos, uita, moribus ac religione probatos ad eam
gentem imbuendam destinaremus, simul & mitteremus quæ nuper apud In
dos & Christo regum regi, & Carolo Quinto. Cæsari, Imperatoriq; Maxi-
mo in deditionem uenit. Ego uero, qui necdum, neq; in Gallias neq; in Hi-
spanias concessi, anxius mecum cogitaui quos maxime, & quales uiros eo
mitterem. Neq; enim temere quibuslibet, sed raris, sed integris, sed illustri-
bus uiris id legationis reor committendum. Quandoquidem & Paulus ali-
cubi suo Timotheo præcipit, ne cito quibuslibet manus imponat, sed dele-
gat multoq; iuditio antea examinet, quos in euangelĳ opus destinare decre-
uit. Nam & ipse quosdam ait esse qui non syncere annuncient, alios qui sua
commoda spectent, paucos qui se, Timotheum, Titum, & cæteros euangeli
stas ueros & legitimos uerbi ministros sequantur. Nec modo id Paulus, sed
& sacer ille apostolicus senatus, in designando Matthia obseruauit, & in po
steros, iustissimis sanctionibus ceu per manus à maioribus nostris adeoq; à
Fratrum Minorum primipilo Francisco patre nostro sacerrimo propagatū
est. Ita enim infit in ea quam nostis regula: Quicunq; fratrum diuina inspira
tione uoluerint ire inter Saracenos & alios infideles, petant inde licentiam
à suis ministris prouincialibus, Ministri uero nullis eundi licentiam tribuāt
nisi eis, quos uiderint esse idoneos ad mittendum. Qui Francisci institutum
hoc seculo misere ac impie lacerant, arrodunt, pessundāt Lutherani, respon-
deant, atq; si quid in ĳsce uerbis est, quod calumniari æquissimo iure potest,
digito ostendant. Id si effecerint, dispeream, si non manibus pedibusq; in eo- B
rum sententiam eam, uerum ut ut sese torserint, nihil scio efficiēt. Stat enim
ueritas ipsa quouis ariete robustior. Quicunq;, inquit, fratrum diuina inspi-
ratione uoluerint ire inter Agarenos. Recte diuina inspiratione ait, nam &
ipse angelus sathanæ trāsfigurat se in angelum lucis, multo maxime id pos-
sunt ministri eius, pseudapostoli, subditiciĳ ac nothi fratres. Neq; enim omni
spiritui credendum esse præcipit & Ioannes, sed antea probādi, num ex deo
sint spiritus. Probatio uero spirituum quo fieri debeat pacto & alicubi Ioan
nes de Gersona, & Franciscus Picus Mirandulanus, & nos in Monade no-
stra paucis signis & notis indicauimus.

Quum primis itaq;, ut ad rem posthabitis ambagibus redeamus, prospi-
ciendum uobis patribus meis, obseruandissimis, ut eos, quos mittere cerni-
tis idoneos, ad uerba mittatis Francisci, quib. ait si qui diuino oraculo admo
niti uoluerint comigrare ad infideliū partes. Neq; enim humanū, neq; Satha
nicū oportet esse figmentū, quo adduci debent, tā arduū tamq; difficile opus
ut arripiant, sed certe diuinū, sed pręcipuū sed summi dei oraculum. Huma-
num enim uoco figmentū, dum quidā nouitate rerū ac curiositate uisendæ
terræ, cognoscendi populi, urgent & ut mittantur instant. Vno enim uerbo
tales à Paulo repelluntur: Omnes quærunt quæ sua sunt, non quæ Iesu Chri
sti, sua commoda spectat, quisquis, non dei gloriam neq; hominum salutem
spectat. Qui uidelicet eo commigrant ut aurum, ut argentum, ut lapides pre-
ciosos, quos multos ferunt in ĳs regionibus esse, corradant, colligant, ditio-
resq; egrediantur, quam fuerūt ingressi. Quod malum etsi seculi negotĳs de-
diti spectare possint, tantū tamen abesse debet à diuini uerbi ministris, quan
tum terrena à cœlestibus. Quę enim cōparatio Christi ad Belial, lucis ad te-
nebras, spinarum (ita enim interprætantur diuitiæ) ad rosas? Eximēdus est
itaq; cupiditatis affectus ac porro euellendus à ueris euangelĳ ministris. Id
quod uel Christi exemplo docemur, qui eos quos ad prædicandum misit di-

scipu-

A scipulos sic instituit, ut æs è zonis excuteret, peram, baculum, calciamenta, denique omnem commeatum, quo homines sibi prospicere solẽt, auferret, detraheret, atque eximeret. Sathanicum uero spiritum eum appello, quo multi sub ouilla pelle lupinam mentem contegunt, quorum in ore Christus sonat, mens uero atque animus hæreseos aculeo pungit. Quales plerosque multos suo malo habet, tolerat ac alicubi nutrit Germania. Gallia uero ac Hispania è finibus suis ceu perniciosissimos reipublicæ hostes pellit, eijcit, proscribit, damnat. Hos minime ad mittendum idoneos, non tam ego, quam Christus, & Franciscus iudicat. Attendite, inquit Christus, à falsis prophetis, qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Et Paulus Cauete canes, uidete concisionem, uidete operarios malos. Sed & Franciscus eos qui suo instituto initiari cupiunt, examinandos de fide præcipit, & ecclesiasticis sacramentis, & quod sint stabiles in ea fide quam ecclesia catholica suscepit, quod fideles, & dicto audientes, quod synceriter doceant uitia & uirtutes, pœnam & gloriam. Atqui hæc præstare impostores, & hæretici non possunt. Qui enim fidei fundamenta in alijs iacient, quum ipsi interim naufragium in fide fecerint, quum sint à Christo alieni, quum ecclesiastica sacramenta, ritus quoque & ceremonias, pessundauerunt, multisque modis se ecclesiæ hostes declarauerunt? Huc huc igitur animos uestros, studiaque intendite, ut fideles sint, ut catholici sint, in fide constantes, sint infracti, ad omnem doctrinæ uentum non nutent, non uacillent, non permoueantur Fide enim standum est, ut ait Paulus. Nam hac uincitur triformis ille Cerberus. Hæc basis est & totius spiritualis ædificij lapis angularis. Sancti enim per fidem uicerunt regna, subiecerunt Christo orbem, alligauerunt dæmones, uictores euaserunt, coronas commeruerunt perpetuas. Nemo itaque qui in fide orthodoxa uacillat, quia maiorum nostrorum religione, de-
B cretis, sacris orgijs, ceremonijs uel latum digitum deflectit, eo mittendus est ubi hæc oportuit, doceri, auspicari & exordiri. Si qui inter uestra penetralia tales essent, ut homines sumus, nec Noe, nec Christo, neque Augustino meliores, eos in spiritu lenitatis, & ueritatis potius ab errore reuocabitis, monebitisque ut suum intellectum in obsequium fidei Catholicæ & apostolicæ captiuent, se non ipsos per falsa adulterinaque dogmata perdant, quin resipiscant, redeantque ad ecclesiæ premium, & si quẽ errorem imbiberint, eum ad patrum concilia, placita decretaque corrigant.

Diuinum uero spiritum quo instinctos ac instructos uoluit esse eos, qui ituri essent, Sacer Frãciscus, eum puto intellexit, quo apostoli imbuti, quamlibet humano iudicio imbecilles & abiecti & omnium peripsema haberentur solam dei gloriam, lucrum animarum, extirpationem errorum & falsarum religionum subuersionem spectantes, totum percurrerunt mundum, adierunt Aethiopes, migrarunt ad Græcos, peruenerunt ad Latinos. Nisi enim hunc spiritum ductorem habuissent nemo non eos, ut insanos, ut phanaticos, ut omnibus modis exibilandos, contempsisset. Verum adfuit eis cæleste illud numen, tribuit os & sapientiam, subiecit gentes & regna, domuit furentes Tyrannos. Cæterum hic spiritus, non sinit euangelij ministros à ueri notione aberrare, si modo Christo credimus Spiritus ueritatis ducet uos in omnem ueritatem. Et, in uobis erit, & apud uos manebit. Huius spiritus energiam facile ex Euangelicis & Paulinis literis licet colligere, modo oculatius easdem introspiciamus. Christus equidem præter hoc quod eum ueritatis doctorem appellat, notas quasdam ob oculos in Matthæo & Iohanne ponit, quibus graphice exprimitur, ut non tam ueri notione & professione, quam rebus ipsis factisque illustribus, internoscamus, qui digniores sunt ad euangelicam functionem suscipiendum. Ex fructibus, inquit, eorum cognoscetis eos. Fructus uero appellat Paulus charitatem, pacem, patientiam, benignitatem, modestiam, continentiam, castitatem, & id genus alias præclaras & ingenuas dotes, quas suis Galatis præscribit Apo-

stolus. Easdem uere habet & Sapiẽs quidam, seu Philo ille sit, seu alius quispiam, quando testatur: hũc spiritum esse modestum, humanum, suauem, certum, stabilẽ, securũ, omnia prospicere, benefacere, ac bene mereri de omnib. Si quẽ iam uideritis ijs dotib. insignẽ, eũ bono animo ac concientia ad indos cõuertendos mittite. Alioqui si discolos, si homines otiosos, si carnales miseritis, parũ Christo lucri, nihil nobis reportabimus præmij, sed multum ignominiæ. Secundo loco prospiciendum ijs qui missi sunt, ut quam synceriter Christum doceant, ea maxime principe loco doceant, quæ sciri facillimum est & saluberrimum. Ea enim ratio habenda est inter eas gentes, quæ nouissimis diebus istis Euangelio uim faciunt, recensq; sunt inautorati fidei Sacramentis, quæ olim, sub nascentis ecclesiæ exordio habita est. Vtpote simplicibus uerbis, ut doceantur se nõ suis meritis, sed sola dei gratia agnouisse Christum, quemadmodum de Romanis scribit Pau. Gentes supra modum honorate deum. Cur ita? Nam gratia saluati estis, si autem gratia iam non ex operibus Alioquin gratia iam non est gratia. Et itẽ pauloante. Quos uocauit nõ solũ ex Iudæis, sed etiam ex gẽtibus. sicut in Oze. ait. Vocabo nõ plebẽ meã plebem meam: & non dilectam, dilectam, & non misericordiam consecutã, misericordiam consecutam. Et erit in loco, ubi dictum est eis. Nõ plebs mea uos, ibi uocabuntur filij dei uiui, Quæ uerba, si intus excutiamus, proprijssime Indis competunt. Paucos enim ante annos, imò nonnullis in regionibus hoc est, in ciuitate Tumbes, uix ad sesquiannum, primum euangelij gratia ac lux coruscare cæpit. Antea enim simulachris mutis filias filiosq; suos, id quod horrendum est dictu, multo tamen magis miserandum factu, initiati sunt. Antea solem & lunam, & omnem cæli militiam coluerunt, ante pleriq; eorum, ut ratione extorres uitam magis pecudum quam hominum transigerunt, alij humanum sanguinem sine delectu effuderunt, alij profligata omni honestate & uerecundia intecto corpore incesserunt aliasq; id genus abominationes perpetrauerũt, adeoq; à Christo alienati, & à ueritate, ut prȩter externam corporis laruam nihil in eis deprȩhendi posset, quod mentem rationemq; spiraret, sicq; desperauerunt seipsos, ut omni sese immundiciæ traderent. Verum ubi eis Euangelium innotuit, ubi Christo manus dederunt, penitet, pudetq; ueteris in peccatis circumactæ uitæ. Miro enim modo sese ipsos propter ante acta crimina mœrore tristitia afficiũt, si modo uera sint quȩ de ijs uiuæ uocis oraculo fratres narrarũt, qui hos ad fidẽ Christi cõuerterũt. Sunt igitur modo misericordiã, sunt dei gratiã & clementiã consecuti, eoq; electi, hæredes & testamẽtorum participes facti, qui nuper à Christo alieni, qui adulteri, qui idololatræ, qui & rationis & omnis gratiæ benignitatis diuinȩ fuerunt extorres. Hanc gratiã sępe ob oculos reuocare oportet, quidue ea efficiat, hoc est quod hominem iustificet, quod cohæredes regni constituat, quod omnis meriti & uitæ spiritualis sit initiũ, semper sunt commonefaciendi. Maxime autem misericordia Dei, qua præuenti sunt, qua benedicti, qua cælestibus & æternis bonis dignati, eis est repetenda & sedulo inculcanda. Vere enim Indis competit, quod ait Esaias, nisi dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma & Gomorra fuissemus. Semen quod nobis Indisq; reliquũ mansit, est Iesus Christus, qui nos benedictionibus cœlestibus præueniens, in regnum adoptionis de miserãda captiuitate traduxit. In hoc enim semine, quod Christus est, benedicentur omnes gentes. Quo benedicti sunt, abluti sunt, sanctificati Christoq; insiticij facti Indi nostri, eoq; non iam longe, neq; procul sunt, sed prope, sed ciues & domestici dei, extructi super fundamentum apostolorum & prophetarum, id est, super Christum, qui fundamentum est, & lapis angularis, cui tota domus Ecclesiæ innititur. Docendi igitur sunt, ut porro omnem fiduciam in Christum constituant. Quandoquidẽ ipse est pax nostra, qui fecit utraq; unũ. Ipse est sanctificatio nostra, redemptio nostra, salus quoq; tota. Episto. ad Romanos et Ephes. sępicule ijs ob oculos ponenda. Nam tales fere fuerunt olim Romani, & Græci, dum alieni

A lieni essent à Christo, quales modo sunt Indi in magna Asia. Erunt igitur eo dẽ modo eademq; lege ad Christũ cõuertendi, & in fide suscepta obfirmãdi.

Fidei sub hæc symbolum, quod apostolicum uocãt, paucis uerbis eis est explicandum. Quandoquidẽ in eo summa religionis nostræ graphice depingitur, & quæ credi oportet quẽlibet fidelẽ exprimuntur. Nolo tamẽ si quando id ipsum explicatur ut simplicium ingenia argutijs scoticis & Occanicis inuoluantur: Mittãtur eiuscemodi ad scholas Theologorum, & eorum hominum, qui ociosis uerbis de ijs perlibenter rixantur, ac ad uerbera usq; contendunt. Monet nos non semel Paulus, ne quis nos per inanem philosophiã decipiat, ne quis deprædetur. Monet & suũ Timotheum. Noli contendere uerbis, ad nihil enim utile est, nisi ad subuersionem audiẽtium. Qui igitur dei eloquia gentibus nuper ad fidem conuersis renarrare uolet, id necessum est, ut obseruet, recte tractet, ac breuiter adeoq; synceriter uerbum ueritati. Id quod facile quisque pręstabit si in sacris literis, in Doctorib. ecclesiasticis bene institutus fuerit. Quanquã audiam apud Indos esse ex nostratibus, per quos ceu organa quędam spiritus ueritatis sese in auditorum & infantiũ animos transfundit. Qui porro simplices, idiotæ, literarum expertes, quales fuere apostolorum complusculi sub exordio nascentis ecclesiæ, interim tamen docent, prædicant, operantur in uinea domini, sed non sine spiritu domini. Spiritus enim sanctus, qui linguas infantiũ disertas facit, qui affectus hominum ad se rapit, qui ex ore infantiũ & lactentium sibi laudem occinere, seq; agnosci uoluit, hos regit & imbuit. Nouimus enim uarias esse dotes, uaria gratiarum, donorum, & operationum genera. Alij inquit Paulus, per spiritũ datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alij fides, alteri prophetia, huic discretio spirituum, illi interpretatio sermonũ. Hæc omnia operatur unus atq; idem spiritus diuidens singulis prout uult. Vnicuiq; datur manifestatio spiritus ad utilitatem. Qui hoc spiritu imbuti, sine literarum cognitione B euangelium annunciant, quãuis mea opera, meq; doctore non egeant, uolo tamẽ unum obseruent inter docendũ, ut uidelicet semper suos sermones ad maiorum nostrorum placita accommodent, ut ad regulas communis fidei nostrę errantium animos ac mores redigant exigantq;. Non ambulent in mirabilibus supra se, sed simplicem Christi doctrinam simplicibus uerbis in auditores transfundant. Manifestatio enim spiritus datur ad utilitatem, nimirum ecclesiæ. Quam uero utilitatem, quam frugem reportabunt auditores catechumeni, si altiora te quæsiueris, si quidditates rerũ, distinctionum labyrinthos, intentionum monstra, naturas communes & alia id genus inuolucra Chrysippea iactes, prædices, inculces: Certe hæc, etsi eruditis multis arrideant, mihiq; olim sic arrisere, ut uix multo negotio ab ijs diuelli potuerim, nõ sunt tamen pusillis animis, ac infirmis conscientijs inculcanda. Lacte enim opus habent, non solido cibo. Eo hęc diximus, ut intelligant fratres, quos transmisimus, principia fidei nostræ synceriter, ac simpliciter esse tradenda, non subtiliter, neque sub obscure, alioqui & operam & impensa perdiderint. Vtilitatem itaque, non subtilitatem, neque curiositatem spectent, siquidem symbolum interpretentur. Vtilissimum uero erit nosse, quod unus est rerum omnium artifex, qui cœli terræq'ue hominumq'ue & spirituum plastes est. Cui merito omnis honor, laus, gloria, cultus & internus & externus deputandus est. Dominum deum tuum adorabis, & illi soli serues, inquit post Mosen Christus. Eo pertinet, quod ratio symboli continet, Credo in unum deum patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ. Idola igitur nihil sunt, opera hominum sunt, nihil habẽt diuinitatis, nihil pręstare possunt salutis. Id re ipsa discimus, si gentium simulachra dejcimus, si incẽdio perdimus, si in prstinam formam unde erant efficta redigimus, tum comperiemus ea aurum esse, argentum esse, & quiduis aliud, quam quod miseris mortalibus, qui hæc coluere, dæmones persuasere. Profuerit non parum multum Lactantij libros de institutionibus diuinis, Eusebij Pamphili de præparatione

Euangelica & aliorum alios, qui superstitionem ethnicam densissimis argumentis subuerterunt, legisse & memoria retinere atque reponere. A

Quæ sequuntur mox in symbolo, ad Christum spectant. Is enim nobis mediator & ueluti caduceator missus est, ut nos per sanguinem suum reconciliaret deo patri nosq'ue in filios adoptaret, heredesq'ue constitueret æterni regni. Id etsi alio modo potuissent efficere, quam morte filij sui, noluit tamen clementissimus ille pater alium esse quam hunc ipsum modum, quem in symbolum redigerunt apostoli. Et in Iesum Christum inquiunt, filium eius unicum, qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria uirgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus & sepultus est. Singula uerba, singulis canonicæ scripturæ sententijs, ijsque multis, respondent. Deinde singula uerba, certos quosdam & coniuratos fidei hostes hæreticosque impugnant, explodunt, fundunt, ac confutant. Legendus hoc loci esset Iohannes Damascenus, qui iusto uolumine hac rem absoluit, pioque lectori satisfecit. Atqui, inquiet quispiam, cur tam exacte omnia Christi mysteria attigere apostoli in compendiosa hac fidei formula? Vt essent æternum mentibus nostris insculpta, ne unquam sineremus elabi, neque emori eam charitatem, qua deus nos adamauit, sicque charos & dilectos habuit, ut non angelum aliquem, neque hominem quempiam, sed proprium filium suum in opus salutis nostræ destinaret. Sic (inquit Christus) deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in illum, non pereat, sed habeat uitam æternam. Et item Paulus. Deus qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem qua dilexit nos, cum essemus peccatis mortui, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia salutati estis. Et post. Gratia enim dei saluati estis per fidem, & hoc non ex uobis. Dei enim don. &c. Hoc donum, hæc dei munificentia, perpetuo gentibus est proponenda & infigenda. Nam memores non uult esse deus tanti beneficij, quod per filium præstitit generi humano, quod uidelicet nostri causa exinaniuit semetipsum formã serui accipiẽs, B & habitu inuentus ut homo, quod prodijt ex utero intemeratæ uirginis in mundum, quod habitauit in nobis, quod in terris uisus est & cum hominibus conuersatus, deinde quod incommoda multa, opprobria conuitia, contumelias, denique crucem ipsam passus est. Sublatus enim & in crucem adactus est, ut omnibus inclaresceret paterna erga nos clemẽtia, ut nemo de sua salute desperaret, modo in Christum credat, Christo inhæreat, Christum credens & amans imitetur. In hoc enim passus est, ut sequamur uestigia eius. In hoc sepultus est, ut nos quoque & moriamur peccatis et sepeliamur uitijs: Additur subinde alius fidei articulus quo Christi triumphus & uictoria declaratur. Tertia die resurrexit à mortuis ascendit ad cælos, sedet ad dextram dei patris omnipotentis, inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos. Ferunt singulos apostolos singulos articulos quasi symbola religionis & fidei in unum quendam aceruum contulisse. Qui id aiunt, non infideliter rem ipsam attigerunt. Quocirca & nos cum in ea sententia simus, dicamus eos articulos, quos hic assutos cernimus, in id adiectos, ut Christi regia maiestas, & dignitas mortalibus omnibus innotescat. Quod enim resurrexit, potentiam spiritus declarat ac mortis interitum: id quod multis argumentis & Paulus & Oseas declarant. Resurrectionis uero causa fuit, ut ostenderet se mortis ac uitæ habere imperium, ut nos in nouitate uitæ ambularemus, ut iam non peccatis, sed gratiæ, sed misericordiæ uiuamus, omniaque membra nostra in id conferamus, ut Christo uiuere, Christo mori possint. Ascendens uero in cœlum spem fecit misero ac calamitoso Adamo ac posteris eius eo ueniendi, quo ipse præcessit, iter ostendens, & præmonstrans eis. Et quod Dauid ait: Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quo simul & se non tam mortis uictorem & expugnatorem, quam nouæ uitæ autorem ostendit. Nemo enim fuit, qui tam gloriose egerit, quum & se à morte & suos à miseranda seruitute liberauerit.

Hinc

A Hinc illa admirationis uox prodijt, Quis est iste, qui uenit de Edom, tinctis uestibus de bosra? Iste formosus in stola sua. Et Dauid, Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis & potens, dominus potens in prælio. Nihil enim potentius, nisi morte mortem superare, inferos spoliare, eliminare è regno suo dæmones, redigere eosdem in seruitutem qui hactenus suis imposturis totum orbē dementauerunt. Gloriosius uero quid unquam uel dici uel cogitari potuit, quam eundem suapte potestate conscendere cælos, transuolare ac transilire cælites omnes, eoq; dignitatis euehi, ut non modo homines, sed etiam dæmones, sed angelicos spiritus sibi subijciantur? Sedere uero ad dexteram patris prædicatur, quod sit in primis & summis paternæ hæreditatis bonis. Ita enim decuit, imo oportuit, si ęquo iure, ut ita dicam, certandum est, repensare beneficia, ita remunerari filium, qui omnibus se inferiorem fecit. Imminutus enim erat, & inferior factus, non solum angelis, sed etiam hominibus multis, si externam rerum faciem spectemus. Eo factum est, ut non iam super homines solum, nec modo super dæmones, sed omnibus omnino spiritibus superior sit, dignior sit, excelsior sit. Sede, inquit Dauid in dei persona, à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Et Paulus fatetur illi tributum nomen, quod est supra omne nomen. Et alibi, Oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Quod uenturus dicitur & iudicaturus uiuos & mortuos, uox est terroris, ijs qui impie uixerunt: lætitiæ uero ijs, qui probæ ac præclare omnia gesserunt, Hanc uocem omnibus domibus, angulis, imo fronti nostrę, manibus, oculis, inscribamus: Veniet iudicare uiuos & mortuos. Iudicabit siquidem, sed pro mansuetis terræ, contra infidos, sed pro iustis, contra iusticiæ temeratores, sed pro bonis, contra improbos, & ut in summa dicam, ita sententiam pronunciabit, ut nemo iustus, nemo malus iuste uel quæri, uel causari possit. Reddet enim unicuique iuxta opera sua, alteris quidem pœnam, ignominiam, cruciatus æternos, alteris gloriam laudem & læticiam incredibilem. Id

B est, alijs uitam, alijs mortem Procedent, inquit in Ioanne Christus, qui bona fecerunt in resurrectionem uitæ, qui uero male egerunt, in resurrectionem iudicij. Vt uere dixit Paulus oportet nos omnes manifestari ante tribunal Christi ut recipiat unusquisq; prout gessit in corpore proprio, siue bonū siue malum. Iam & illum operæprecium est ut internoscamus articulum, Credo in spiritum sanctum, sanctam ecclesiam Catholicam. Credi potest spiritus sanctus procederere à patre & filio, & non nisi in imagine & speculo intelligi, & cognosci. Hic spiritus omnis boni & artifex & largitor est. Quem moderari ecclesiam sanctam catholicam & apostolicam eo colligitur, quod Christus ait, Alium paracletum dabo uobis, ut maneat uobiscum inæternū, spiritum ueritatis, quem mundus non potest accipere. Et item, Non relinquā uos orphanos. Habēt itaq; hunc spiritū in arrabonem iusti, habent in doctorem ueritatis nescij, habent ductorem deuij, habent paracletum tristes & mœrore confecti. Non destitit hic ecclesiam Christi moderari, quamlibet sæuierint hostes, quamuis in errorem adducere conati sunt impostores & hæretici. Stetit hactenus ecclesia supra petram fundata infracta ac immobilis aduersus improborum hominum adsultus. Et porte, inquit, inferorum non præualebunt aduersus eam. Non præualuit Herodes, non Nero, non Domitianus, non cæteri tyranni, & fidei hostes, Thurcæ, Tartari Teucri. Multo minus qui ex nobis prodierūt hæretici, schismatici & pseudoapostoli, præualebunt. Stat immobilis supra Christū extructa. Stat roborata doctrinis non uarijs neq; peregrinis sed ueris & germanis, & omnino talibus quæ ex diuinis & canonicis literis desumptę sunt. Stat & diuina promissione fulta, obfirmata & cōsolidata. Ego, inquit Christus, rogaui pro te, ut nō deficiat fides tua. Si Christus suis precibus obtinuit, quo minus fides ecclesiæ deficeret, mentiūtur hæretici, Rutheni, Hussitę. Vuicclefistæ, Lutherani horū soboles, qui audēt obgannire trecentis annis euangeliū perperā prædicatū. Verū stat ue

ritas pro nobis, stat pro ecclesię defensione. Non, inquit Christus, deficiet fi- A
des tua: perinde atq; diceret, Maxima incrementa sumet, dilatabitur enim &
sese usq; ad ultimum maris Oceani propagabit, ut uere dixerit Dauid, à solis
ortu usq; ad occasum magnum nomen eius. Et Christus, Multi uenient ab
oriente & occidente, & aquilone, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Ia-
cob in regno patris mei. Quo simul & Indos & eos qui antichthon inhabi-
tant, significare uoluit. Nemo enim à Christo excluditur, nemo ab hoc re-
spuitur. Vna uoce omnes & gentes barbaras, & Iudæos & Græcos inuitat,
Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Et i-
tem Ego sum pastor bonus. Et alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili &
illas oportet me adducere, & fiet unum ouile & unus pastor. Pastor Christus
est, ouile ecclesia est una, ad quam adduxit complures, alios per se, alios per
apostolos, plerosq; per horum successores Episcopos, martyres & doctores.
Nouissime uero diebus istis, per fratres Minores adducit multos in maiore
Asia. Omnes enim in unam nauim, adeoq; in unam classem inscribuntur. V-
na enim est ecclesia, unum corpus, unum ouile, cui inserendi & annumeran-
di sumus. Extra hanc ecclesiam nemini sperāda est salus. Imo quisquis extra
hanc existit, alienus à Christo est, hostis est, prophanus est. Id si credas, bene
quidem habet res, si nescias cæcus es, si credere nolis, iam iudicatus es. Cre-
dit hæc non tam scripturis sanctis quam ijs, quæ ex hac deduci possunt, ne-
cessarioq; consequuntur, eoq; septem recipit sacramenta, suspicit ecclesiasti-
cas institutiones, obseruat patrum decreta. Moderatur præterea à spiritu in-
uisibili, qui fidelium mentes inhabitat, interim tamen & certis quibusdam
notis internoscitur, sacrisq; & cæremonijs & ritibus seipsam declarat & o-
stendit, seq; ab Iudæorum religione, adeoq; à paganismo ethnicorum, hac ra
tione distinguit, & disterminat, quod cultum suum uni deo impendit, & hu-
ius filio regi seculorum immortali, & perpetuo triumphatori Christo Iesu. B
Vna igitur ecclesia & catholicorum cōgregatio est, cuius primarium caput
Christus est, uicarium Petrus, & huius successores, Clemens, Cletus, Linus,
Gregorius, & item alij qui in partem solicitudinis sunt uocati. Nam diuisio-
nes administrationum sunt, idem autem dominus, qui pro ea qua est pruden
tia, singulis sua munia partitur, atq; administrat. Dedit enim suæ ecclesiæ mo
derandæ quosdam quidem apostolos, alios autem doctores, alios uero euan
gelistas, alteros alteris functionibus præfecit. Qui omnes unam ecclesiam
Christi sanguine redemptam ac repurgatam constituunt, modo idipsum sen
tiant, credant & profiteantur. Est & illud non abs re adiectum, Sanctorum
communionem. Communionem hanc intra unam ecclesiam exordiri, coa-
lescere ac cōfouere necessum est. Sunt inuicem membra fideles in unum cor
pus per Christum inserta. Quorum alij iam è mortali corpore euaserunt re-
gnantq; cum Christo, alij hactenus in terris aduersus triformem hostem mili-
tant, utrique tamē eodem spectēt oportet, si modo bonorum spiritualium cu
piunt esse participes. Neq; enim extra ecclesiæ corpus sese sacrorum charis-
matū communio diffundit, ut prosit, ut salubris sit, sed intus est, intus opera-
tur, intus agit. Sensit id Dauid, quando ait: Ecce quam bonum & quam iu-
cundum habitare fratres in unum. Sicut ungentum, quod descendit à capite
in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram uestimenti eius. Qui igi
tur uolet particeps spiritualium bonorum esse quibus à Christo dignati su-
mus, in sacra se monade contineat, necessum est. Ab hoc enim nobis dona,
ab hoc gratia, ab hoc omnia charismata spiritus sancti propagantur ac ueluti
oleum in oram uestimenti defluunt. Præcipua igitur sanctorum communio à
Christo auspicata est, quando nos corporis & sanguinis sui uoluit esse parti-
cipes, quādo omnibus ex æquo parauit iter adeoq; ad gloriam uiam aperuit,
quando pro omnibus mortuus est: ut in seipso uiuificaret omnes, ut omnes,
ad se per fidem amoremq; traheret. Hæc sunt illa bona, quę nec oculus uidit,
nec auris audiuit, nec in cor hominis intrauerunt. Sola fide intelligimus atq;
capessimus

A capeſſimus omnia. Ipſa enim eſt ſperandarum rerum ſubſtantia, argumentum non apparentium. Eſt & alia quædam ſpiritualium corporalium rerum communio. Qua alij ſibi inuicem citro ultroq; modo corporalia, modo ſpiritualia communicant, alij preces, ſacrificia bona opera merito, & id genus alia pietatis officia alijs impertiunt. Sic qui cathеſiſatur, communicat ei qui ſeſe catheſiſat in omnibus bonis. Sic qui repromiſſum regnum adepti ſunt ſancti nobis, qui terra preces, ſupplicationesq; communicant, ac impendũt. alter enim alterius ſalutem, ut propriam, deſiderat, cupit, precatur. Sunt enim amici noſtri, ſunt conciues noſtri, ſunt in eodem quo nos ſumus corpore cõſtituti, id eſt in eadẽ eccleſia, modo cũ amicorũ omnia ſunt communia, alacri ac uolũtario animo nobis ſuos labores, merita, precesq; participant.

Quod uero etiamnum peccatorum remiſſio credenda ſit, multis ſcripturæ locis cogimur, uelimus nolimus aſſentire, ac credere. Si enim Chriſtus noſtri ob cauſam mortuus eſt, neceſſum eſt eum chirograhum damnationis tuliſſe, neceſſum eſt & ſatis pro noſtris erratis feciſſe, nos'que à peccatis purgatos adeoque ab ægyptiaca ſeruitute ereptos, in regnum tranſtuliſſe filiorum dei. Id uero efficere non potuit, niſi condonatis delictis, & ære alieno ſoluto. Ob id Paulus alicubi teſtatur Chriſtum pro nobis maledictum factum, imo peccatum ipſum ut nos maledictione peccatoq; liberaret, inq; regnum adoptionis transferret. Per ſanguinem enim ipſius remiſſa ſunt peccata noſtra atque condonata, ſi Eſaiæ, ſi Paulo, Ioanniq; credimus. Eius enim liuore ſanati ſumus, eius ſanguine redempti ſumus, abluti ſumus, ſanctificati ſumus. Id quum ratione humana deprehendi nequeat, fide neceſſum eſt ut intelligamus. Credi igitur à nobis peccatorum remiſſio poteſt non effici, etiãſi ſine nobis fieri nequeat. Aſſentiat oportet uoluntas, atque ſeſe gratiæ accommodet, ſi modo ſalutem, ſi remiſſionem, ſi noxæ condonationem
B obtinere uoluerit. Vocat enim deus, ſed ita, ut uoluntatem ipſam ſuos motus ſinere agat. Preuenit uoluntatem, ſequatur ipſa uocantem, aſſentiatur uel impellentem, uel inuitantem gratiam. Id ubi fecerit, mox aderit Chriſtus, aderit cooperans gratia, Purgabit ſimul & expiabit delicta noſtra, peccata noſtra. Quanquam id ipſum non nobis ſed gratiæ dono tribuendum ſit, Quemadmodum & Paulus ait: Gratia dei in me uacua non fuit, & gratia dei ſum id quod ſum. Et non ego, ſed gratia dei mecum. Gratia itaque eſt, qua redempti ſumus id quod fide non ratione humana colligitur. Credo, inquiunt apoſtoli, peccatorum remiſſionem. Sequitur. Carnis reſurrectionem. Non inquit animæ reſurrectionem, ſed carnis. Nam anima multis etiamnum ethnicis prædicata eſt immortalis, interire uero corpus, ſeu carnem, non ſolum ratio, ſed & rei euentus atque adeo res ipſa edocuit. Nemo enim ex mortalibus perpetuo uixit, niſi Enos & Helias, ſi modo probe ſentiũt qui in ea ſentẽtia ſunt, qua exiſtimant eos uiuere uitalesq; auras carpere in paradyſo, qui tamen olim mortem oppetituri ſunt cogente illa lege, qua dicitur, Statutũ eſt hominibus ſemel mori. Cæterum qui ſemel fatis ceſſerunt, non ſic euanuerunt, ut in nihilum ſunt redacti, ſed iuſtorum animæ in manu dei ſunt, eoq; ſecuriores, quo deo uiciniores Corpora uero & ſi in pulueres, cineresq; reſoluta ſint, ſuo tamen die reſuſcitabuntur, inq; melioris uitæ ſtatum commutabuntur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem & mortale hoc induere immortalitatem. Erit enim, quando & ipſum immortali toga decorabitur, modo ſe honeſte, decore, & in omnibus præclare geſſerit. Verum de hac re Paulus plenis uerbis ad Corinthios diſputat. Poſtremo omnium, ubi mors domita uictaq; fuerit, poſteaq; ſuis dotibus corpus cohoneſtatum fuerit, poſteaq; & animæ unitũ & copulatũ fuerit, id enim miro quodã affectu appetit, & perdius & pernox efflagitat, ut quamprimũ fiat, alia nobis uita, aliud domiciliũ, alia uiuendi cõſuetudo, parata eſt. Videmus enim deũ modo in ęnigmate & per ſpeculũ, multiſq; afficimur dũ terrenã hanc domũ incolimus incõmodis, tũ uero ubi euaſerimus has ęrumnas, nõ iã in ænigmate, neq;

te, neq; ſub inuolucris, ſed facie ad faciem contemplabimur. Id ubi contige/ A
rit, iam nihil deerit nobis quod optari poſſit, nihil aderit quod incommoda/
re ac obeſſe queat. Erit enim deus omnia in omnibus. Eoq; confitemur futu/
ra illa & perpetuo manſura bona, dum dicimus, Et uitam æternam, Amen.

Ad hanc regulam reſpiciendum omnibus qui Chriſto inautorati ſunt,
neq; ulla ratione ab hac deflectendum, ſi modo ſalutem conſequi uolueri-
mus. Recte igitur ait Athanaſius uir alioqui & uita & eruditione illuſtris:
Hæc eſt fides catholica, quam niſi quiſque firmiter & fideliter crediderit, ſal/
uus eſſe non poterit. Erunt igitur Indorum animi & mores ad hanc exigen/
di, hacq; roborandi aduerſus priſtinos errores, quibus ſeſe intelligunt immer
ſos fuiſſe. Alioqui facile in deſperationem per mali dæmonis adducerentur
præſtigia, fierentq; nouiſſima illorum deteriora prioribus.

Porro poſteaquam ſic iacta fuerint in eis fidei noſtræ initia, docendi ſunt,
ut puris mentibus deum optimum Max. pro uenia condonationeq; precen/
tur peccatorum. Id quo commodius fiat, precatio illa dominica principe lo/
co eis obijcienda eſt. In ea enim & dei gloriam omnibus inclareſcere peti/
mus, & noſtras neceſſitates abunde ſatis exponimus. Id quod tota oratione
ſatis conſtare poteſt, ſi introſpicias. Verum de hac re nos alias dicturi ſumus.
Nam iuſtum uolumen exigit, non ſucciſiuum & quaſi extemporale opus.

Sæpius ea quæ Chriſtus in monte auditoribus prædicauit, quando euan/
gelicæ legis perfectionem oſtendit, Indis ſunt proponenda. Nam ex ijs faci/
le diſcent, quales oporteat eſſe Chriſtianos, quam integros, quam compoſi/
tos ac animo ſedatos, quam mites, humiles ſpiritu, miſericordes, & alijs id ge
nus præclaris dotibus adornatos.

Docendi ſunt etiamnum præcepta Decalogi obſeruare. Nam idipſum fe/
ciſſe Chriſtum, quando adoleſcentulo reſpondit. Si uis ad uitam ingredi ſer/
Vos amici mei estis ua mandata, legimus. Et item, Vos diſcipuli mei eritis, ſi feceritis quæ præci B
pio uobis. Nec modo id docendi ſolum ſunt, ſed etiamnum ut audiant eccle-
ſiam. Nam qui eccleſiam non audierit, nobis ut ethnicus & publicanus ui/
tandus eſt. Malo tamen eos, qui nuper Chriſto inautorati ſunt, lenitate ac
manſuetudine duci, quam præſcriptis & legibus ac decretis humanis. Que/
ritur Auguſtinus noſtram religionem, quam Chriſtus præceptis uoluit eſſe
contentam paucis, nimio plus decretis humanis grauari, ut tolerabilior fue/
rit olim Iudęorum conditio, quam modo ſit Chriſtianorum. Temperandum
eſt igitur à legibus, & eouſq; expectandum, donec ſua colla ſubiecerint ec/
eccleſiæ, qui ab hac ſunt alieni. Quanquam ubi in deditionem eccleſiæ ue/
nerint, nollem eos multis decretis onerari, niſi eiuſcemodi ſint, quæ pro car/
nis maceratione proq; dei gloria augenda, inſtituta ſunt. Si enim mox ubi fi/
dem noſtram delibauerint, pontifex illis onus, (quod nunc multi ſuapte te
meritate rumpunt) anatarum, Penſionum reſeruatarum, quæ magis auariti/
am & cupiditatem, quam uel pietatem, uel chriſtianam charitatem ſpirant,
impoſuerit: metuendum, ne ſimul cum fide & gentem perdamus. Debet ec/
cleſia miſericordiæ illis ſinum, non crudelitatis exponere.

Debet omne æs in harum conuerſionem effundere, non ab ijs auferre,
non corradere. Ita ad fidem pleroſque apoſtoli conuerterunt, & Diuus Lau/
rētius eccleſię theſaurum in uſus pauperum effudit omnem. Diſperſit enim,
dedit pauperibus, non corraſit, non ſeruauit, ſed diſtribuit miſeris. Docendi
ſunt quoq;, ut omnis anima ſublimioribus poteſtatibus ſit ſubiecta. Poteſta/
tes autem duæ in orbe Chriſtiano dignoſcuntur, alia quā eccleſiaſticam uo/
cant, cuius ſummus Pontifex eſt caput, quæ res ſacras adminiſtrat, nempe E/
uangelium, legem dei, ſacras hoſtias. Quam quum penes hanc paſcenda/
rum ouium ſit autoritas, enutrire oportet. Nemo enim ſuis ſtipendijs militat
unquam. Et Chriſtus: Dignus eſt operarius cibo ſuo. Cauendum tamen ne
cupiditate adducti operarij marſupia ſua magis conentur implere, quā ſaluti
auditorum proſpicere. Proſpiciendum eſt, ne eiuſcemodi ad Indos pergant,
qui

A qui simulatq; terrã occupauerint, mox domum addunt domui, agrum agro. Quorum in album uidemus multos religiosos & monachos cõscriptos. Est & alia potestas, nempe seculi, quæ rempub. gladio armisq; tutatur, cuius supremus monarcha Imperator est. Huic ut tributum, ut uectigal moderatum pendant, oportet. Cui tributum, inquit Paulus, tributum, cui uectigal uectigal, cui honorem honorem. Quæ uerba certum est in seculi magistratus cõpetere. Scripsit enim ijs qui sub Romano uixerant imperio, nolens occasione christianismi, & euangelicæ libertatis, uel negligi uel contemni magistratus, nisi ea præciperent, quæ diuinis mandatis essent contraria. Proinde & Christus ait, Reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris, & deo quæ dei sunt. Caueãt tamen sibi Hispani, ne plus nimio populũ oneribus, uectigalibusq; grauent, alioqui rebellem sentient, pertinacemq; sentient, fietq; illud quod Hierobo-am temporibus contigisse legimus, Reuertere Israel in domos tuas, & in tabernacula tua, quia non est uobis pars in domo Isai. Cito eñ abijcient iugũ, si se tyrãnos, si prædones senserint nactos principes. Sin uero patres patriæ, si æquitatis & iustitiæ administratores, nõ tã sua, quã seipsos in deditionẽ dabunt, uenientq; suapte spõte, & offerẽt munera & dona, & uectigalia. Nã homines sunt, humaniter & ducẽdi & instituendi sunt. Quod si senserint se humaniter pie, iuste, ac religiose à præfectis tractari, quãlibet uideãtur feroces, quãlibet sint extorres, nostra tamẽ humãitate, nostra lenitate redibũt ad cor, amicitiæ fœdera inibunt nobiscum, stabunt à nobis, qui hactenus cõtra nos digladiati sunt, & erit uerum quod pharisæis in Euangelio obijcit Christus, Auferetur à uobis regnum, & dabitur genti facienti fructum eius. Vt enim olim à Iudæis regnum, & sacerdotium, quod Christum repudiauerunt, ablatum est: ita metuendũ multis Christianis, maxime Germanis nostris, ne, ubi defectionem à fide admiserimus, simul cum fide & Christum & imperium omittamus, eoq; regnũ transferatur, ubi hactenus Christus fuit incognitus, iã
B aũt cognosci incipit, iã coli, iam uenerari & glorificari. Germani tẽpla subuertunt, ecclesiastica sacramenta pleriq; conculcant, alij negligunt, alij incestis manib. contrectant, Indi contra simulachra quidem deorũq; portenta demoliuntur, templa deoq; sacra loca extruũt, sacramenta ecclesiastica summa religione & ueneratione exosculantur. Sic olim postquam perijt Hierusalẽ suoq; malo perdidit Christum, redijt ad Christum Græcia, totaq; Latina ecclesia. Faxit deus Opt. ut sim uates mendax: metuo tamẽ plusquam credi potest, ne idipsum malũ, si non opportune prospiciamus, nos maneat, qui multo quidẽ tempore agnouimus Christum, degimus sub ecclesiæ obedientia: hoc uero seculo, abijcimus omnia, nec fructus euangelio dignos ferimus. Dabitur enim genti facienti fructum eius. Valete in Christo Iesu præstantissimi patres, & diligenter prospicite rebus omnibus, potissimum uero curate, ut id præstemus omnes quod tam præclaris titulis iactamus. Id est, præstemus atque declaremus nos esse fratres de uera, non fucata obseruantia. Id quo possimus commodius, noctu atq; interdiu precãdus est deus, ut qui uocauit nos, seu Indiam seu Græciam, seu Germaniam aliaq; regna Hispanicæ Gallicæq; nationis incolimus, ipse perficiat, confirmet corroboretq;.

FINIS.


BASILEAE PER IOANNEM HERVAGIUM ANNO M.D.LV. MENSE SEPTEMBRI.



HISTORIA
OLAI MAGNI GOTHI ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS, DE GENTIVM

Septentrionalium uariis conditionibus statibusue, & de morum, rituum, superstitionum, exercitiorum, regiminis, disciplinæ, uictusque, mirabili diuersitate. Item de bellis, structuris, instrumentisque mirabilibus. Item de mineris metallicis, & uarijs animalium generibus, in illis regionibus degentum. Opus, omnibus cuiuscunque conditionis hominibus magno usui futurum, rerum cognitione delectationeque refertum, expressis figuris pictis illustratum.

HISTORIAS MVLTAS ADMIRANDAS (QVAS AVtor apud alios quærendas & legendas Lectori reliquit) quibus uelut exemplis & testimonijs, uix credenda probantur & obscura illustrantur, ne ab alijs longius petendæ sint, suis ubique locis inseruimus.



Cum Cæs. Maiest. Gratia & priuilegio.

BASILEÆ, EX OFFICINA HENRIC-PETRINA.

Autores qui in hoc libro citantur.

ALbertus Crantzius
Athenæus
Ambrosius
Aristoteles
Augustinus
Aelianus
Aemilius
Auicenna.
S.Biblia
Beroaldus
D.Brunus
Basilius
Brendani Britanni peregrinatio.
Casiodorus
Commentaria Iul.Cæsaris
Cornelius Tacitus
Corpus Iuris
Cicero
Cato
Cornelius Tacitus
Celtes
Constantius
Casius Hemina
Cornelius Celsus
Concilia
Columella
Chrysostomus
Ctesias.
Dion Casius
Damianus Goes
Dioscorides.
Eutropius
Euantes
Ennius
Eusebius
Ericus Falckendorff Episcopus.
Eratosthenes.
Friderici constitutio
Franciscus Irenicus
Franciscus Senensis Episcopus

Flauius Vopiscus
Fulgentius.
Gregorius
Gregorius Nazianzenus
Gelasius Papa
Gregorius VII. Papa.
Herodianus
Herodotus
Hippocrates
Hieronymus
Horatius
Hermolaus Barbarus
Homerus
Hippolytus Tiphernus.
Iulius Capitolinus
Iustinus
Iosephus
Ioannes Magnus
Institutiones
Isidorus
Iorath
Iordanes
Ioan.Eschenensis
Ius Canonicum
Iuuenalis
Irenicus.
Laberius
Lactantius
Liuius
L.Florus
Lucretius
Lucanus
Lucianus.
Munsterus
Mechouita
Mantuanus
Marsilius Ficinus
Macrobius.
Miechouita.
Nazari⁹ Mamrortinus
Nigidius.
Ouidius.
Pomponius Mela

Politus episcopus Compsanus
Paulus Orosius
Publius
Pomponius Lætus
Palladius
Pythagoras
Plutarchus
Plinius
Paulus Diaconus
Paulus Iouius
Platearius
Palladius
Poggius
Propertius
Philostratus
Perottus
Plato
Procopius
Posidonius
Paulus Vopiscus
Petrus Martyr.
Sigisbertus
Strabo
Suetonius
Saxo Grammaticus
Sabellicus
Solinus
Scotorum historia
Symmachus
Silius Italicus
Seneca.
Theodotion
Trebellius
Trogus Pompeius
Trebius Niger.
Vincentius Spec.hist.
Volaterranus
Virgilius
Valla
Varro.
Zacharias Lilius
Zozomenus.



SERENISSIMO, ILLV ſtriſsimo, potentiſsimoque Principi Ferdinando, Archiduci Auſtriæ, Duci

Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniæ, Lutzelbürgenſi, Vuirtenbergenſi, Principi Sueuiæ, Marchioni S. Rom̃. Imp. Burggauuenſi, Morauiæ, ſuperioris & inferioris Luſatiæ: Comiti Habſpurgenſi, Tyrolenſi, Pfirtenſi, Kyburgenſi, & Goritiæ, &c. Landtgrauio Alſatiæ; Domino Sclauoniæ, Salinis. Domino ſuo clementiſsimo,

S. P. D.



LAVS Magnus Gothus Archiepiſcopus Vpſalenſis (Sereniſsime, Illuſtriſsime atq; potentiſsime Princeps Ferdinande) Septentrionalium regionum hominumq; in eis habitantium mores et immenſam rerum mirabilium ſeriem, miro ordine, ſtudio et opera abſoluit. In eo non tam uerborum copiæ quàm rerum uarietati ſtuduit, ut neq; breuis, neq; preſſus aut obſcurus, uel ieiunus iudicari poſsit. Erit, niſi me fallit meus ergà hunc autorem affectus, quē ſummo amore proſequor, utilitas nō ſolùm magna, ſed etiā iucunda: eſt enim uerè hiſtoricus, remq; ipſam poſt multos alios ſyncerè atq; fideliter, tractat. Aediderat ante aliquot annos, dum Venetijs in Patriarchatu ageret, Coſmographicam omnium Septentrionalium regionum chartam, ubi ſingulis locis ſuas proprietates & rerum admirandarum ſingularia literis annotauit, priuatimq; libello eaſdem res ſuccinctè citra uerborum ambages explicauit. Cumq; uideret opellam qualemcunq; illam præſtitam, pluribus eſſe & fuiſſe gratam, ad altiora animum adiecit: quod breuibus in illo quidem fecit, fuſius & prolixius deinde hoc præſenti uolumine dilatauit. Regiones primùm illas Septentrionales, utpote Biarmiam, Finmarchiam, Scandiam, Scricfinniam, & aliarum gentium & adiacentium Inſularum ac locorum memorabilium ſitum qualitatemq; deſcribit, uentorum nomina, effectum, neceſſariam cognitionem, futuram qualitatem, uiolentiam turbinis, uehementiam Circij, tonitruum, fulminum, coruſcationum, fulgurum, circulorum hyemalium, uernalium & aliorum, Cometarum, imaginum Solis, effectum, & quicquid conſtitutionis in cœlo eſt, habet: ex qua frigoris immenſa aſperitas, pruina & caſus niuium, glacierum natura & uarietas, uariæ niuium figuræ, in quibus iuuenum caſtella ad certamen fiunt. In glaciebus autem curſus equorum propallio uel pro prauio, hoſpitia itinerantiū, tranſitus inter uoragines, inſtrumenta glaciei apta. Horologia omnium generum, literæ, obeliſci bellici & ſepul- Lib. I. Lib. II.

chrales, montium ſecreta natura, periculoſus & tenebroſus tranſitus ſtatuæ
in eis uiarum propter niues, necnon Hunge montis principum clypeis in-
ſculptis inſignis umbræ ſubuerſorum apparentes. Littora quoq; & ſonitus
horribilis littoralium cauernarum eorumq; inſcrutabilis, profunditas, ſa-
xorumq; forma diuerſa, rupis marini Monachi dicti, quæ contra tempeſta
tes unicum præſidium, cōmoditas, rupis Coronatę & galeatę, piſcium mul
titudinis mira natura, Oceani æſtus, fluxus, refluxus, charybdis, ſcortei et co
riarij naues, naufragia, aquarum ſtagnatarum eruptiones, inſidioſi ſpecus:
portus, annulorum ferreorum, anguſti & lapidoſi: ſcopuli, torrētes rapidi,
uiæ ſtrictę, ſcaturigines fontium, magnetis & criſtalli copia declaratur. His
Lib. III. immobilibus & inſenſibilibus abſolutis, ſe conuertit qui illis utuntur, &
potiuntur: ſed recte obſeruato ordine prius de ijs rebus loquitur, quæ ad il
lum ſpectant, qui autor omnium, per quem homini illud tributū, ut præ cæ
teris omnibus animalibus quid differentiæ in eo ſit, nempe Religionem ha
beat. Ea autem duplex: aut uera, aut falſa. Veram primitùs, qui Moſaicam ſe
ctam ſequebantur, nunc uerò qui Saluatoris Chriſti dogmata pijſsima ſe-
quuntur habent. Falſam uerò profitebātur & habent: qui ab his alieni ſunt,
ut (Olao Magno teſte) ſuperſtitioſa Lituanorum, ſuppolarium hominum,
Gothorum de tribus Dijs maioribus & tribus Dijs minoribus cultura, &
correptione minutorū: deinde de magnificis templis ſacris & ſacrificijs ad
horum ſuperſtitionem inſtructis ſcriptis, poſtea impugnationes Deorum,
tonitruum obſeruationes, eluarum, id eſt, ſpectrorum, nocturnę choreę, pu
gnę cōtra Faunos, diuinationes, ars magica: quam Ericus Suetiæ rex ita no
uerat, ut ſuo tempore nullum ſecundū haberet. quo enim pileum uertebat,
ibi uentus fauſtiſsimus afflabat, & ex eo euentu Ventoſi cognomen retulit
ſignat. Hanc quoq; mulieres ſecutę horrenda facinora cōmittebant, Finnen
ſes ea elementa cogebant, Bothnię incolę magicis inſtrumentis utebantur.
extiterunt apud eos & alij qui pro numinibus colebantur, qualis Hollerus
in mari, Gilebertus apud Oſtrogothos in ſpecu ligatus, & Oddo Danicus
pyrata maximus fuit. Alij toti miniſterio dæmonum dediti fuerunt. His au
tem uel in hoc mundo pœnę & caſtigationes, aut in alio apud inferos non
Lib. IIII. defuerunt. Vnde ſequitur qualis religio tales homines, non enim parum ad
formanda hominū ingenia, recta religio facit. & ſicuti duo ſunt genera mor
talium, quorum unum politicum, alterū agreſte & ſylueſtre, hoc humanum
illud immane & ferox, hi magis religioni propter otium intenti, illi minus
propter aſsiduos labores. Linguarū quoq; apud eos diuerſitas, ſicut ubiq;
terrarū, quintuplici utuntur: ſine quarum ꝓfeſsione nullus facile in rerum
commutationibus lucrum accipit, quamuis apud Lappones ſine nummis
in nundinis glacialibus uel alijs conuentibus fiat: & ſicut hominum genus
eſt, ita reliqua ſunt, matrimonium primum à Deo inſtitutum ſacramentum
per ignem ſilicibus concuſsis ſuper caput ſponſæ conſanguinei confirmāt,

choreas gemebundas & luctuosas ducunt, suaq; planè aliena à nobis exercitia, fabricando naues neruo & radicibus colligare solent, uenando, sagittando, transeundo per niuosos montes equis, uel etiã intra montes, habent. Leges inusitatas proponũt: si quis enim noxiam in Islandia Noruegię antiquitus subiecta, bestiam occiderit, à fisco uel regio pręfecto iuxta crudelitatem occisi cadaueris, & præsentati constitutum suscipiat emolumentum statutum. Senibus quoq; siue parentes sint, siue depressi, uenerãda senecta sua obsequia præstantur. Nostro quoq; tempore Dei Opt. Max. prouidentia agreste mortaliũ genus per Catholicos sacerdotes eò inducta, ut pueros ad sacrosanctum baptisma ferant, & qui Christianorũ se subdiderunt ritui, obedientissimi reperiuntur. Conuersi quoq; sunt Finlandiæ Septentrionalis & Orientalis incolę: qui, deposita cum idolatria seuera mente, summam hospitalitatem exercent. Cur autem Septentrionales tam diu tardârint conuersionem, Germanus scriptor Zieglerus in sua Aquilonari Geographia docet, Antistites uel pręsules in culpa esse, ne intolerabilia tributa Pontificibus dare cogantur: quod sanè credo, etsi Olaus Magnus antistites defendat, & autorem huius rei reprehendat. Ita oportuit, cum pręsulis & antistitis titulum habuerit, Romanæ quoq; ecclesiæ proximus fuerit. De modo autem alliciendi cõseruandiq; gentes in uera Religione ipse rationes satis probatas adducit. Namq; non maior labor conuertere & allicere, quàm conuersos & allicitos in proposito cõseruare. Et quoniam alij homines fortes, alij debiles, meritò de fortibus, quorum maior est laus, subnectit, hi aut gigantes, uel pugiles, horum diuersitas fuit: non enim sobrietatem colebant. Inter alios magni nominis Starchaterus censetur, qui magnis uirtutibus fortissimus extitit, maximo ac terribili Suecorum & Gothorum bello contra Danos præfuit, longo & prolixo tandem labore & ætate defatigatus, uoluntariam sibi mortem consciuit. Fuerũt & alij, Haldani duo eiusdem nominis, sed diuersi, qui alios pugiles uicerunt. Olo Vegetus, qui uix tertio ętatis lustro peracto tyrocinium uirtute auspicatus, pro pudicitia, contra Schatum & Hiallum pugiles effreni petulantia, uirgines rapientes, uictoriosè pugnauit. Arngrimus & Aruorodus Suetici præclara facinora ædiderunt, contra potentes extremi orbis Septẽtrionalis Reges, Egbertum Biarmorum & Tengildum Scricfinnorũ. Biarchus gladio utebatur inusitatæ longitudinis, quo ursum eximiæ magnitudinis confecit, comitemq; suum Hiulthonem, quo uirtute maior euaderet, applicato ore egestum beluæ cruorem haurire iussit. Creditum namq; erat, hoc potionis genere corporei roboris incrementa pręstari. Quid de Regnero Noruegiano Pilosa Bracha dicto dicetur? Quid de Alphone pudicitiæ defensore? Fridleui stratagematibus? Haraldi contra domesticum draconem pugna? Frothonis & Fridleui contra serpentem certaminibus? Pugilum lucta attractiua per circulum ab Erico Diserto Sueco inuenta? deq́ue eorum duello cæstibus & Gymnicis palmis? Nihil nisi Lib.V.

egregia, laudabilia & auditui iucunda. Sed ut à principio & exordio mundi semper fuêre uiri fortes, ita & mulieres illustres, qui præter spem sexum superabant: sicuti & in his regionibus non defuerunt, qui pyraticam, exercitia bellica, bella cum excellentissima Regina Amalasuenta, pudicitia tamen custodita, exercebãt. Pugilibus durum & indomabile genus uirorum montes inhabitantes minerales simile, propter durissima, quibus implicantur,

Lib. VI. exercitia. Ideò sequitur de mineris & earum inuentione, situs mineralium uenarum, modus cauandi metalla, distinctio uenarum mineralium, rotę, instrumenta & pericula laboratorum, distinctio fusilium metallorum, labor ueterum circa metalla, fulgura montium metallicorum. Præterea cum nihil sit extractio metallorum, nisi ad operarum perfectionem fiant, & illud ex eis efficiatur, quorum gratia eruuntur. Puriora equidem Monetarijs committuntur illi monetam cudunt: horum quidam iusti, quidam falsarij his prçmia, illis pœnæ non desunt, damna uilissima moneta, legalis utilitatem præstat, & illis regionibus una moneta longè excellentior altera. Sed non solum ad monetam eruitur, uerum & ad alia utpote splendorem, pompam, luxum, ostentationemque & similia, aurificum manu conficiuntur. Ornatus quoq; uirginum oppidi Schoningensis, ubi magnæ diuitiæ, & uiri heroici plurimi habitabant. Pelles quoq; omnium generum uenduntur, et modus sophisticarum cognoscendarum traditur. His itaq; peractis, bellica in-

Lib. VII. strumenta, ritus, causa, & cautelæ præliandi sequuntur. Et primò omnium de artificibus ballistarum & telorum, quibus maximè præ cæteris nationibus utuntur: deinde de ipsis sagittis & telis, & reliquis armorum generibus dicit. Sed cum arma nihil utilitatis habeant nisi tractentur, de conuocatione communitatis ad arma, custodia uiarum & exploratorum, directione multitudinis conuocatę, reliquisq; cautelis habet. Bella autem aut mari aut terra geruntur, appropinquantibus hostilibus nauibus littoralia prælia fiunt, pessimumq; euentum hostilis quãdoq; classis accipit, montanisq; ignibus temporibus hostilibus accensis proditur. Bella quoq; syluestria, sagittis, tribulis, ferreis quadratis stylis, fundis lapidum & ignito ferro, ueltis centurionum committuntur: modus etiam & tempus adducendi ueltas docetur. Sudibus telis & foueis insidiosis, strategematibus per frondes Regis Hachonis more & incendijs res geritur: hostiles tamen incendiarij puniun-

Lib. VIII. tur, & periculum amouetur. Ripæ Islandię & circa lacum Meler temporibus periculosis custodiuntur, ne uis maior imminentis belli terræ detrimentum faciat. Quoniam autem tam belli quàm pacis tempore Respublicę sine capite & moderatore interirent, nisi Regiæ electioni uacarent, quam sequitur Coronatio, Regij officij persecutio, imò qualitas boni Regis, is demum per arma illustres uiros adoptat, non secus ac parens filium in solatium defunctorum, quæ suam habet formam propriam: curam præterea habent illustres, puerique nobilium rectè in militia educarentur, rationem &

modum

modum equitandi præscribunt, tyrones ad arma eligit, diuersas ætates pugnatorum instituit. Antiquum morem Gothorum cum moderno militarium exercitiorum & disciplinarũ confert: pręcipuè autem equestrium antiquitatem, equorum docilitatem, armis & cautelis, multipliciaq; bellatorum genera addit. Ducum differentiam, præfectorum prouincialium officium, tyrannicam seueritatem & exactionem eorum pessimorum cõsiliariorum, Principum minorennium, & portentosam cõtubernalium scelera, ę contra uafrorum iniquorum & bonorũ consiliariorum diuersitatem demonstrat. Proditores etiam quemadmodum cognoscendi & cauendi, causę denique perpetuæ discordiæ, quam Sueci siue Sueones, & Gothi, contra Danos gerunt: & causæ, cur Danorum Reges uicina regna ambiunt, & parta celerius perdũt, & ipsius Regis Christierni seueritas declaratur. Redit dein ad bella quæ uaria: sunt enim uallosa, montosa, syluestria, campestria, maritima uel aquosa, & glacialia. Sed cum hæc omnia pręlia non nisi uarijs instrumentis gerantur, diuersitatem subnectit. Et prius de gladijs uersatilibus in rotis loquitur, curribus falcatis, ęreis equis igniuomis, pontium combustionibus, materia et natura uadorum, bombardis Septentrionaliũ populorum, quorum alię triangulares, petrariæ, organicę, curriles, portatiles, quorum ictum clypeati milites excipiunt: castrenses, his demoliuntur arces, sęuitur in obsessos. Cuniculi fiunt & restringuntur, res necessarię ad tollerandam obsidionem, obsessi quomodo omnimode superandi, & frequens impugnatio Gothicę urbis Calmarensis. Stratagemata etiam, exigua utilitas triumphorum externorum Suetiam & Gothiam impugnare contendentium, Sueonum & Gothorum resistentię indicantur. Non solum autem arces demoliuntur, sed & fundamenta cõburuntur, suffocantur tyrannorum, impugnantur per rates, obsidentur, scalis campestribus duplicatis ascenduntur, uiri fortes bellatores commendãtur, adulatores aulici, proditores, & aduenę propter crudelitatem sępius in regia Stocholmensi sęuissimè perpetrata uituperantur. Cuius originem et situm celeberrimũ, cum sit Sueonũ præcipua ciuitas non obliuioni tradit. extra hanc mons est Bruncaberg, in quo pręlia plurima facta sunt. Accidit interdum ut tam dura arctentur oppugnatione obsessi, ut cogantur oues suas & pecora in tectis ędium pascere, pro defectu carnium subleuando. Sunt & modi quibus defectus aquarum, panum, pabulorum, crudelissima sęuiente fame, ut in Longobardia & alijs nationibus euenit, subleuatur. Quod si hominum pestilentissimorum annonam defraudantium iniuria attingat, pœnę non desunt. Peractis bellis quę terra locis immobilibus solent fieri, ad naualia tendit. Sunt pręlia palustria & maritima, quę nauibus conficiuntur, forma, species & usus antiquarum nauium exprimũtur, & per promones sicut & arces impugnantur, insidię nocturnis temporibus eis inferuntur, & aliquando pręcauentur. harum nauium quędam serratę, insidiosæ alię, uel incendiarię: uel igniuomę,

Lib. IX.

Lib. X.

effodiuntur aquę ne exeant, aut reprimuntur à littore, aut remedijs liberantur: pro portubus quoq; interdum in Islandia mercatorum naues mutuas strages accipiunt. Puniuntur tamen rebelles nautæ, cautelæ maritimæ obseruantur, factiosorum pessimę artes præcauentur, dolosaq; hostium fuga cauetur. Valde uerò necessarium, ut illi qui in bellis naualibus operam nauant, natare sciant: ideò modus equestrium, pedestriumq; armatorũ prę sertim pinguium, in natando ostenditur, primaq; natatorię artis instrumen
Lib. XI. ta & utilitates, docentur. Aquosis prælijs explicatis glacialia sequuntur: in quibus non secus ac in terra conflictus fit, temporeq; hyberno irruptiones Moschouitarum seu Ruthenorum plurimę per glacies in Gothorum regiones sunt, è diuerso Finnorum contra Moschos, qui latrocinandi studio & pyraticam exercendi gratia eos infestant, hi oratores exterorum magna pompa suscipiunt. Italicum uerò, quòd pileum à capite nõ mouerat, crudeliter trucidarunt. Ingenia mercatorum quoque declarantur. A Moschis ad suos Septentrionales reuertitur, Finnorum diuersum præliandi modum, arma & munimenta describit, præfectorum officia, uiolentorum prędidum arces cõburi: alijs machinis in glacie, quàm in terra utuntur, uehicula ignifera, bombardas globosq; euehunt, atq; alius sagittandi, aliusq; penetrandi glacierum rupturas modus, aquarum quoq; congelatio impeditur, mœnia constituuntur, excubiæ nocturnæ habentur, fortunatiora matutina prælia committuntur, arces in glacie munitæ oppugnantur, naues congelatæ inimicorum destruuntur, pœna per aquam congelatam infidelibus seruis infligitur, scalæ super aquas in obsidione, fundiq; igniuomi leuantur. Quandoquidem glacies & niues affinia sunt, sequitur de cursu equorum, onagrorum, alcium, rangiferorum, in niuibus: suffocatio hostium in uallibus niuosis, spolia diuiduntur, inducię & pax constituitur, obsessi pacem petunt, scelerati mediatores & quæstores pecuniarum decipiunt & intercipiunt ueritatem, comitia insularia per consiliarios celebrantur: quorum quandoq; similes euentus & similia consilia, pręsertim si fideles Secretarij, quorum uti
Lib. XII. litas non parua, iuuatq; prudens principum commissio. Transcriptis superioribus undecim libris de secretioribus naturæ effectibus, Deorum inani cultura, minerarum opulentijs, Regum electionibus, armorum præparamentis atq; omnibus belli generibus paceq; tandem cõfirmata, id ipsum exigit, ut ædificia furore Martiali consumpta restaurentur: ad quarum restaurationem muratores necessarij, uarietas, & forma saxorum ad fabricandas domus uarias, spectat magna multitudo, magnitudo & diuersitas arborum requiritur, pali intra glaciem firmantur: quo commodius fiat, aquarum congelatio impeditur, & fundamenta super glaciem cõstruuntur, portus, fossæ & canales repurgantur, naues extrahuntur, trabes marinis fluctibus in littore opponuntur. est enim ibi uentorum uehementia & fluctuum multis in locis, quę per signa littoralia petũtur. Sępius quoq; incendia pro-
pter

pter frigus, cum illi continuum ignem fouere soleant, fiunt: modus extin-
guendi traditur, fidelesq; amici temporibus incendij probantur. Naufra-
gantes & naufragia restituuntur bonaq; naufragorum non diripiuntur.
Ab his ad agriculturam contendit, bonæ & tranquillæ ac securæ uitæ opti- Li. XIII.
mam conditionem, qua plurimum omnes delectantur, à qua summam uti-
litatem, nimirum uictum & quotidianam sustentationem accipimus, præci
puè cum agri nõ steriles sed fertiles sint. Iam enim agros impinguimus, pręe
paramus, per hyemem trituramus, messem colligimus, frumenta ratibus &
lumbis exportamus, uarijs molendinis, pistrinis committimus, et panes de-
mum decoquimus, fruges ut durent torremus. Vestrogothorum fruges ar
tificiosa manu mulierum, uario modo parantur, & maximè hordeaceus pa-
nis, qui fortes uiribus & robore efficit gentes. Panis etiam alius delicatissi-
mus illustribus fœminis languentibus, & forsan alijs in Septentrione fit.
Vina propter extrema frigora natiua non habent: diuersitas autem aliunde
adducitur, uel eius loco hydromeli, mulsa, aut medone utuntur, multipli-
ciq; modo medonem Polonico uel Lithuanico more parant: nam alijs
cautelis Gothi omne potus genus conficiunt. Ceruisiam optimam habent,
cuius præparationem, decoctionem, diuersitatem, uirtutem, medicinalem
usum: Æthiopum seu Indorum etiam instructionem D. Ioannis Baptistæ
Habasciani Indorum presbyteri circa ceruisiæ confecturam addit. Sed hac
de re nihil amplius addendum occurrit, satis commendauit harum rerum
uirtutem, reprehendendos eos existimans, qui Dei & naturæ donis legiti-
mè non utuntur, duorumq; Regum Aquilonarium Suetiæ scilicet & Danię
casum infoelicissimum, qui his abusi ostendit. Quid opus diuersis formis
uasorum: ueterum epulãdi uel bibendi ritu: Nihil. Pœna certè digni, quam
nobis autor proponit, cum ebrietas multa mala ferat, ut bestiarum non ho-
minum more combibones cunctis actionibus se pręstent. Restat nunc de
diuersis modis coquendi salis, maxima copia butyri, magnitudine & boni-
tate caseorum, eorumq; pondere & mensura dicat. Textorum & Pictorum,
ædium magnatum diuersitatem & armis exornatarum splendorem, & quę
usui humano necessaria ueniunt, demonstrat. His omnibus iustis ordini- Li. XIIII.
bus descriptis, ad uarias hominum conditiones se transfert. Primoq; diuer-
sitatem habituum, pudicum uirginum ornatum, nuptiarum illustrium Re-
gum nobilium plebeiorumq; personarum ritum, benedictionem Catholi-
corum Regum, equitum auratorum iuramentum, honestatem coniugalis
copulæ, differentiam legitimorum & illegitimorum, adulterorum pœnam
ponit. Deinde Iudices & iudicia campestria, iuramenta diuersorum iudi-
cum, temerariorum iudicum pœnam, ciuiles quoq; iudices & bonos aduo
catos, seuerissima iudicia, blandissimum iudicium occasione pręferendum,
conditionem iudicis iusti & iudicij, iuratoriam defensionem, qualitatem ui-
rorum nobilium & plebeiorum pœnarum, castigationem insolentium pue

rorum,

rorum, mœstitia parentum quomodo leuanda, bonumque modum pue-
Lib.XV. ros educandi, describit. A diuersis conditionibus ad hominum exercitia ue
nit, & primę ætatis nimirum puerorum, deinde aliorum declarat: fugandæ
hyemis ritum, & receptionem æstatis, Maialia festa, ludum alearum & scha-
corum, & alia quæ in usu sunt: ut gladiatoria, hastiludia, terrestria, nautica et
scapharia, torneamenta, confusionem ignauorum militum, choream gladia
toriam & arcualem uel armiferam, saltationem hormicam, pyrrhicam. Sed
cum nulla saltatio uel chorea sine instrumentis recta sit, citharœdi, tubici-
nes, histriones, protomimi, parasiti, mimi & scurri, naturales fatui, & musica
muta additur. Postremò de balneis ritúque uirginũ ad balnea transeuntium
Lib.XVI. habet. Huius gentis moribus, qui rigidioribus subiecti planetis propè om-
nibus indicatis, de ecclesiasticis disciplinis dicere properat, quomodo illi
Aquilonares suscepto ante annos DC. baptismate, maximè cum à pueri-
tia instituti sunt bonis moribus in scholis uitam laudabiliter traduxerunt.
Contendebant enim primò præceptores, ueritatis luce exorta, superstitio-
nes reformare, & extirpare: parentes deinde horum uestigia sequebantur,
multis benedictionibus filijs pręstò erant, pręmium & mercedem pręce-
ptoribus largire solebant, qui eos in multis artibus instituebant. Alia quo-
que bene instituendæ adolescentiæ remedia inuenta, & ab illis obseruata,
nimirum ritus Purificationis diei D. Virginis, quo candelarum distributio
seu cereorum benedictorum fit, & usus benedictorum cereorum, sed & alię
res benedicebantur. Birgerus Archiepiscopus Vpsalensis cunctas res, pere
grinantes, elemosynas pro uiuis & defunctis benedicebat: Gothorum bo-
nam institutionem ac aliorum Septentrionalium incolarum, erga omnes
hospitalitas sequitur, bonumque & utile erga iniuriosos hospites modera-
men. Christianorum conuiuiorum ritum, causam huiusmodi congregatio-
nis, & utilitatem cõuiuantium & turbationem bonorum cõuentuum, oran
di in Ecclesijs ritum, securam armorum in atrio Ecclesiæ positionem, sacrile
gorum miseriam & infamiam, nimiam pręsumptionem, sacrorum uasorum
restitutionem S. Petri, differentiam, pœnam, atque infamem uitam, ac horren-
dum finem, plagas eorundem remedia auertendas, incomparabilem astu-
tiam, malitiam, turpem fugam, ludibrium. Tum etiam errores extirpandas
& falsas doctrinas, discordias, hęreses, schismata, ac reliquos detestabiles
abusus abrogandos, temerarios disputatores prohibendos, fortem con-
stantiam tempore hęresum ac schismatum obseruandam, nec in opinionem
hæreticorum descendendum, dignas personas Ecclesiæ restituendas, & in-
Li.XVII. dignas repellendas. Tandem omnibus huius uitæ cursibus diuerso uiuen-
di genere consumptis, restat nouissimum uidere spectaculum, quod in Se-
ptentrionalibus terris erga Principũ, ac nobilium funera, tam recenti quàm
uetusto tempore solitum obseruari. Medicorum, medicinarumque usum, ua-
rietatem ægrotantium, morborum & medicinarum præcipuè podagræ in-
commoda,

commoda,& singulare podagræ mitigandæ remedium. Toto cursu rationa Li.XVIII.
bilium animalium descripto, ad irrationabilia gradibus aliquot inferiora Olaus Magnus contendit,& prius de domesticis incipit. Arietes hi sunt, agni, oues, boues, armenta, canum genera: quorum natura, memoria, fides, docilitas, odoratus,& ferocitas diuersa, equi,& quicquid ad eos spectat: feles, cati, mures, glires, hirci, capri, sues, porcelli, rangiferi curules, plaustrales. Syluestria sunt alces seu onagri, qui medicinam in dextero pede habent, pugnantq́; contra lupos: cerui, damuli, castores, gulones, quorum tegumentis hospites honestantur, lepores, lynces, lupi sæuitia horribiles & multiplices, lutres, sciuri præscium animal futurorum, marduri, zebellini, hermelini, taxi, ursi, qui artificiosè interficiuntur, conflictum cum erinariis habent, mella deprædant, occiduntur per ferream clauam, rapiunt puellas, fistulantesq́; subulcos, choreas ducunt,& rotas uoluunt, uri feroces, uulpes. Hæc omnia animalia à uenatoribus capiuntur, quorum ars & pericula describuntur. Animalibus terrestribus descriptis ad aues contendit, eas distinguit primò Lib.XIX.
in sua genera, posteà species ponit, ut accipitres, aquilas, anates, anseres, gallos, ciconias, cygnos, columbas, coruos syluestres, domesticos & marinos, erythotaones, falcones, garrulos, cornices, graculos, gryphos, grues, qui uigilias militares habent, hirundines, lagos, onocrotalos, niuales auiculas, pauones, psittacos, perdices, aues alle alle dictas, upupas, uultures, cuculos, picos: quorum naturam, medicinalem uim, docilitatem, pietatem, prognosticum,& reliqua earum propria, miris rationibus denotat. A terrestribus & Lib. XX.
aquatilibus auibus eò relaxatur rerum ordo, ut ad natatilia in gurgite uel fluminibus uiuentia descendatur, quæ usui hominibus sunt,& uariis modis & artibus capiuntur. Ab iis quæ hominibus ad quotidianum usum uti- Lib.XXI.
litati, ad pisces monstrosos uerba conuertit: quæ etsi aliquibus inhabitatoribus uictum suppeditant, tamen non hunc saporem habent ut illi, de quibus superiori libro egimus,& ideò etiam minus grati uescentibus. Acce- Li.XXII.
dunt & superioribus figuris ac imaginibus aliquot minuta animalia, quibus naturæ inscrutabilis ratio maiorem adiunxit admirationem, quòd nihil etiam in minimis otiosè productum uideatur. Imprimisq́; occurrit araneorum multiplex genus, colore, magnitudine & naturali instinctu diuersum ac mirabile. Deinde de œstris, locustis, scarabeis, crabronibus, duplicibus uespis, molestissimis culicibus, ac remediis fugandi culices & cimices, sanguisugis, ac uermium differentiis, apibus & earum nutrimentis, sublimius euolantibus quærendis, cautela in comparandis, nocumentis inimicis, infestantibus ebriosos, officiis, sub niue & glacie seruandis, immunitate, ob utilitatem, ac regiminis ratione, melle & eius probatione, formicis. Postremò de margaritis & earum generatione dicit. Hæc omnia de rebus plurimis ab Aquilone adduxit, atque in lucem ædidit, quæ minus alibi per orbem usitata sunt. Nec uereor has autoris nostri lucubrationes utiliter magis quàm

gis quàm leuiter commendare, cum opulentiora de proprijs, & exigua atq; sterilia ab alieno thesauro assumpsit. Nullusq; præsentis uoluminis collectanea fastidiet, nisi ipse aliquid sublimius atq; amœnius habeat, maiorique cum ueritate inuestigando cunctis prodesse contendat. Iunctus est huic autori quibusdam locis cum alijs autoribus Ioannes Magnus Olai frater, ipsiusq; in Archiepiscopatu Vpsalensi prædecessor, Suetiæ primas, uir sanè, ut scripta & literarum monumenta indicant, omnibus disciplinarum generibus, & boni historici nominibus absolutißimus. Quo autem ordine, & ex qua causa, iam indicabo. Scripsit enim Ioannes Regum Septentrionalium & rerum memorabilium absolutam historiam, summa fide & diligentia. Ita cum Olao nonnihil simile quid scribendum euenit, ne totam rem à principijs suis narrare necessum sit, Ioannem fratrem cum reliquis ea suis in libris tractare significat, itaque ne quis suspenso animo hæreat, & ne nisi lubens uoluerit, plures libros uoluere, & loca quærere oporteat, tanquam corollaria suis in locis à uiro doctißimo D. Henrico Pædionæo adiecta sunt. Cum ergo hi uiri non inanibus & nihili, sed utilißimis proposita sua habeant, ut non solum uni hominum statui, sed omnibus, præcipuè autem Regibus & Principibus grata & iucunda futura sunt, qui in arduis rerũ maximarum cogitationibus, cum belli tum pacis temporibus continuò uersantur. Dignũ itaq; iudicaui ut hæc scripta Tuæ Serenitati & Celsitudini offerantur, facilè enim in optimam spem erigor, audaciæ meæ, singularẽ eius mansuetudinem & benignitatem, quæ nullis terminis circumscribi potest, ueniam daturam, ac obseruantiæ meæ, affectionisq; quam erga S. & C. T. gero, locum futurum, eamq; minimè displicituram, hocq; nostro muneri (quo maius si ullo pacto potuisset hoc tempore fieri, reuerenter obtulissemus) aditum patiturum: donec aliquando, quod, Deo dante, speramus, optabiliora sequantur. Ita quoq; anxijs meis petitionibus, T. S. & C. uirtutibus nunquam satis laudatis consideratis spem arduam feci: Trinumq; & unum supplex oro, ut T. S. & C. in longißima & prospera ualetudine, rerum gerendarum felici successu, gubernatione Regnorum & Prouinciarum quieta & pacifica, uictoria continua contra hostes quoscunq;, quàm diutißimè tueri, protegere, conseruare, amplificare & exornare dignetur. Datæ Basileæ, anno Salutis M. D. LXVII.

Tuæ Serenitatis & Celsitudinis

obseruantißimus

Adamus Henricpetri
I. V. D.

OLAVS MAGNVS

Gothus Archiepiſcopus Vpſalenſis,

Sereniſsimo ac Illuſtriſsimo Domino D. Erico electo Regi Suetiæ & Gothiæ:

NECNON IOANNI, MAGNO, ET CAROLO EOrundem Regnorum ducibus excellentiſsimis, felicitatem optat.



AQVILONARIVM regnorum Duces, Reges, ac Principes, qui ab initio exitus filiorum Noę ab arca haberi potuêre, eorumq; uitas, ac geſta uſq; ad tempora Caroli Magni Imperatoris, & filij eius Ludouici Pij, qui Summorum Pontificum Leonis III ac Stephani IIII. circiter annum ſalutis DCCC. XVI. exhortationibus inclinati, primum ab erroribus, & dęmonũ cultura gentem Saxonicam, atq; Septentrionales populos ad ueram Dei Opt. Max. cognitionem cœleſti, ac diuino beneficio deduxerunt: necnon uſq; ad hanc ætatem noſtram, qua Sereniſsimus ac Illuſtriſsimus parens ueſter Rex Goſtauus dominandi tenet habenas: Ioannes Magnus Gothus, quondam Archiepiſcopus eiuſdem Eccleſię Vpſalenſis, Suetiæ primas, frater & præceſſor meus, ſumma fide, & magna diligentia perſcripſit, hiſtoriam ſanè eximijs refertam muneribus: cui uiro uiro ueræ pietatis pleno, ad ſuperos demigranti, aſsidua ſolicitudo inerat bene merendi de patria ſua, ut erroribus & diſcordijs, quę nuper ſanctę religioni inuectę ſunt, penitus ſublatis, eandem ad ſalutarem concordiam, & priſtinam dignitatem reduceret. Sed cum hunc ardentiſsimum animum ſuum morte præuentus adimplere non potuerit, dexteræ Dei excelſi (in qua corda Regum ſunt) mutationi, ut celerius fieret inceſſanter orando, reliquit. Ne autem huius uiri pijſsimi, ob uitæ ſanctimoniam meliora nunc tenentis, lucubrationes deperirent, quod fraterna charitate potui, in teſtimonium, ac documentum uirtutis, laborioſiſsimorumq; ſtudiorum illius, & fidei, ac amoris in patriam meam, ſynceriq; affectus, quem êgo erga Serenitatem & Celſitudines V. gero, eiſdem dedicandas uolui: quarum laudes, atq; heroicæ uirtutes mihi aliâs de anno Domini Seruatoris noſtri M. D. LII. dum in generali concilio Tridentino agerem, clariſsima Illuſtris D. Ioannis Comitis de Hoya Celſ. V. conſobrini, uiri non minus claritate generis, quàm eruditione conſpicui teſtificatione cognitæ, atq; probatæ fuerunt: ut cum V. C. poſt inclytum dominatum ſui chariſsimi parentis, ex fraterna ſorte, atq; concordi prouinciarum partitione, tam grandia, & ampliſsima regna (Deo propitio) moderanda ſuſceperint, uiſis tot, & tam præclaris in hac hiſtoria maiorum geſtis, atque exemplis, maiori dexteritate, prudentioribusq; conſilijs, necnon clementiori ingenio (quod Principum decus, & ornamentum peculiare eſt) gubernare poſsint, maximè cum ea loca, in quibus potentiſsimi Gothi, ac Sueones inuictiſsima manu, ac præſtantiſsimis triumphis (teſtimonio ferè omnium hiſtoricorum) dominati ſunt, aliarumq; nationum Vrbes & mores, per ętatem & ineuitabilia pericula, Celſ. V. tutò uidere datum non ſit, ſaltem hac hiſtoria unà cum uniuerſali totius orbis, atque priuata mea Septentrionalium terrarum Geographia, quam Venetijs anno M.D.XXXIX ædidi, qua ſi certo, & infallibili indice inſpecta, animo & cogitatione ad res pręclariſsimas peragendas eędem Cel. V. incitari, indeq;, ſapientiam haurire queant. Quicquid enim admiratione dignum, quicquid nouum, aut inauditum uſpiam gentium, prouinciarum, locorumue exiſtit, ab huiuſmodi exemplis ita feliciter capietis, ac ſi

uobis ob oculos coràm posita essent. Illius ergo fidelissimi autoris Serenissimo patenti uestro bene noti, uigilias, & lucubrationes loco ęterni pignoris bonæ mentis illius, atq; synceri affectus mei, pręsertim cum patria nostra nusquam suorum heroum, aut rerum pręclarè gestarum historiam habuerit clariorem, suscipere ne dedignemini. In hac enim uarietates nòn modò temporum haud difficile deprehendi poterunt, uerum etiam regna, gesta, ac bella Regum latè per uniuersum orbem dominantium, ætatumq; uicissitudines amplissimę Suetiæ, bellicosæ Europeæ Scythiæ, atq; utriusq; potentissimæ Gothiæ, quæ bona terra interpretatur: & quo tempore sobolem, ob nimiam multiplicationē, nouas sedes quæsiturā emiserint, aut quādo Mœotidis paludes, & Asię terras, ac littora occuparint, aut famigeratissimo Troiano bello acerrimè pugnātes, ac gloriosè triumphātes interfuerint: quod nulli fortasse ueterū (quod ego compertū habeam) meminisse uidentur. Fuere tamen cogniti eo tēpore, quo Romani imperiū per Illyridē ad Danubium usq; promouerūt, bellisq; maximis claruere super Danubio imperij limite. Atq; quomodo ijdem Reges Gothorum pluries Saracenos uictorioso Marte superatos, Hispaniarum regionibus subiecerint, Hispanosq;, & Gallos è Romanorum infinitis exactionibus, ac tributis perpetuò liberauerint, & in omnibus bellando, triumphandoq; clementem moderationem tenuerint, atq; à rebus Deo dicatis (pudicitiam nullius uiolantes) abstinuerint, ut nedum sacra uasa, aurea & argentea, magnitudine & pondere, ac pulchritudine pręstantissima, bellico furore sublata in sacras ædes (teste Orosio) referre præceperint, sed etiam fugientibus ad templa (hostili grassante gladio) pepercerint, ac multis sacris Toletanus, aliarūq; urbium concilijs, ob augmentum Catholicę fidei, et publicę pacis suadendę una cum suis Reginis religioni Christianæ fauentibus, reuerenter interfuerint. Itaq; Serenissime electe Rex & Illustrissimi Duces, quia ad ea loca, ob itineris longinquitatem, & grauissima uitæ discrimina, intuenda accedere, uel gesta eiusdem nostræ Gothicę gentis magna fide, & ueritatem clarissimorum autorum conscripta hactenus habere nequiueritis, hæc historia V. Illustrissimis Cels. ad imitandas strenuorum Ducum, & magnorum Regum, ac Principum honestas actiones, & euitanda crudelium tyrānorum, iusto ac grauissimo Dei iudicio subiectorum, immania facinora, proponitur: ut considerata maiestate, usu, ac fructu eiusdem historiæ, ex aliorum erratis, atq; periculis sapientius uitam instituere possitis, et diuinę religionis, clementię, humanitatis, atq; iustitiæ memores, quasi gentium deliciæ, clari nominis, & excelsæ uirtutis pleni, secundum Deum, & uerum eius cultum in iucunda fraterna charitate feliciter, & diu pro uestra securitate, ac subditarum gentium et prouinciarum continuo incremento uiuere ualeatis. Id autem facillimè assequemini, si Dei cultum in uera fide & bonis operibus, Catholicam Ecclesiam in sancta ac casta religione, clerum in libertate & sanctimonia, nobiles in concordia, regnicolas in pace, famulos in amore, negociatores in æquitate, oppressos in iustitia, desolatos in subuentione, errantes in monitione, afflictos in compassione, discordes in unitate, alienigenas in humanitate, & denicq; omnes in optima morum honestate conseruari curaueritis, eoq; totum regimen direxeritis, ut à subiectis incolis magis amari studeatis, quàm timeri: & tandem ex ea frigidissima regione spiritus sancti igne accensi, uirtutibusq; repleti, Deo Max. annuente, ad æternum regnum, & gaudium cum charissimo parente uestro commigrare ualeatis. Ex alma Vrbe anno à Christo nato M.D.LIIII. die XXX. Ianuarij.

De Ele-

DE ELECTIONE REGVM GOTHIAE ac Suetiæ, ex historia gentium Septentrionalium, eodem Olao Magno autore lib. 8 cap. 1. pag. 243.

GLoriosa maiorum constitutio, nomine municipalium successiuis seculis & generationibus tradita, in sui exordio pręcepit, ut incolæ Regem electuri in Suetia, senatores ac proceres, nuntiiq; omnium prouinciarum, communitatum, ciuitatumq; regni prædicti conuenire teneantur in Archiepiscopali ciuitate Vpsalensi: unde non procul est lapis campestris amplus, ab incolis perpetuo tempore Morasteen appellatus, in circuitu duodecim continens lapides paulo minori forma humi firmatos: in quo loco prędicti senatores, seu regni consiliarij, ac nuntij confluere solent. Ibidem ex senatu pręcipuus oratione circunspecta proponit, quàm necessarium sit pro regni, omniumq; incolarum libertate, in unum Regem ac Principem consentire, prout à maioribus supra talem lapidem, qui firmitatem signat, prouidentius fuerat obseruatum: omnes exhortans, ut libero, quem uelint, uoto quàm ocyus ex nomine prosequantur. Nec mora prolixa interuenit. Qui bonum publicum, regniq; gloriam, pacem & concordiam semper tueri uisus est: qui priuato regimine nullum læserat: qui uictor in bellis frequentior fuerat: qui totius populi iuste uiuendo fauores sortitus est: qui legis & religionis amantior est: is omnium nuntiorum prouincialium unanimi consensu Rex appellandus eleuatur: eo tamen respectu: ut si filius Regis, frater, aut consanguineus, prędictas uirtutes habuerit, non hæreditatis, sed electionis iure cæteris omnibus anteferatur. Sed nec negari uidetur, quin tales omni diligentia, cura, autoritate, gratia, precibus, pollicitationibus sibi procurent populares fauores. Nonnulli comminatione externorum Principum, pariter & armato auxilio uiolenter sibi Regium titulum ascribi festinant. Sed nulli infeliciores illis quia uiolentum eorum Imperium, populi contradicente uoto, non erit diuturnum, etiamsi inter munitissimas arces, uel sydera posuerint solium suum. Vtcunq; euenerit, ille semper securius intrat, durat & exit, qui uoce populi satis prouidi, uocatur ad regnum, quasi animo uirtuteq;, siue inter suos, siue inter hostes clarissimus, ac strenuissimus reputatus: quia nil prius aut antiquius uidetur agendum, quàm prospicere proceribus ac populis suis, ut iustum Imperium firmum præsidium, & perpetuam pacem habeant. Et cum hæc fecerit, populus non tolerat aliquem alium sibi Regios honores uendicare.

IOAN. MAGN. PRAE-fat. cap. VII.



SI hunc indicem Volaterranus consideraſſet, nequaquam Ablablio Gothicarum rerum ſcriptori imputaſſet, ea dixiſſe, quæ nunquam dixit, uidelicet, quod Gothorum originem paruæ inſulæ Gotlandiæ, quæ Oſtrogothiæ litoribus adiacet, attribuiſſet. Præterea Sabellicus, Blondus, & complures alij, cum didiciſſent, quoidam ex ueteribus originē Gothorum Scythis, quoſdam uero Septentrion. Germanis tribuiſſe, multa diuinantes, nunc Scythiæ, nunc alijs neſcio quibus terris, eius gentis originem obtruſerunt. Tandem prudentiores rerum Hiſpanicarum ſcriptores, præſertim Rodericus Archiepiſcopus Toletanus, & Rodericus Sancius Epiſcopus Placentinus, quibus utiq; debetur magna fides, ex Ptolomæo: & P. Mela Scandiæ deſcriptionem colligentes, in ſententiam Iordanis, & Ablabij (qui inde Gothorum originem tradunt) conſenſerunt. Præterea ex Galliarum ſcriptoribus Sigebertus, & ex Anglis Bartholomæus, qui libros de rerum proprietatibus ſcripſit. Albertus quoq; Crantzius Hamburgenſis, qui ædidit de Gothis hiſtoriam, eandem eorum originem ex Scandia magno conſenſu affirmant. Nec quenquam inter illuſtriores Germanicarum rerum, uel aliarum terrarum ſcriptores inueni, qui ſecus de Gothorum origine ſentiret, præter unum non ſatis clarum ſcriptorem Mathiam Miechouitam Polonum, qui nullo probato autore citato, ſed Germanorum gloriæ apertè inuidens, Gothorum originem ad Scythas Aſianos uſq; detruſit, falſoq; nonnullos Gothos ſub Rege Daciæ commentus eſt, qui non Gothis, ſed Iuthis (teſte hiſtoria Danica) imperat. Similem temeritatem ſuam in procemio Polonicæ hiſtorię aperit, dicens, nullam ueram, aut uerisimilem hiſtoriam de rebus Polonicis ante ipſum ſcriptam fuiſſe: ob quam aſſertionem nec ille ueram ex non uera tradere potuiſſet. Neq; leuipendendi negocij occaſionem præſtiterit, quando Regem Poloniæ Boleslaum immenſum regni Daciæ theſaurum una cum Petro Schrin abſtuliſſe commemorat, ſcurriliter in ſuum Regem iocatus, quaſi aureum uellus Danis abſtuliſſet. Sed de his Daci uiderint, & Poloni: quorum bona, & ſanior pars ægre tuliſſe uidetur illius impudētis hominis ſcripta: eorumq; doctiſſimus Eraſmus Vitellius Plocenſis Antiſtes me Romæ agentem adhortatus eſt, ut ueritatem contra illius errores, ne cæteri per eos deciperentur, aliquando defendere curarem: præfatus, malè meritum eſſe hominem, qui odia inter regna, & nationes ſerere non uereretur. Intereà ſilenda non eſt illa exquiſita diligentia Aeneæ Syluij Senenſis, qui magnam ſuæ ætatis partem ante ſummum Pontificatum apud Germanos egit. Is ab amiciſſimis ſuis Hiſpanis, pręſertim à Ioanne Caruaialo Cardinali S. Angeli rogatus, maximam adhibuit diligentiam, ut primam Gothicæ gentis patriam inueniret: quam tandem poſt multam inquiſitionem in monaſterio Cutrucenſi apud Alpes Germaniæ ex Iordane Gothorum hiſtorico inuenit. Deinde in libro, quem de geſtis ſuorum temporum Cardinali Ilierdenſi inſcripſit, ſatis apertè Gothos ex Scandiana inſula prodijſſe demonſtrat. Cui etiam ueritati ſatis efficax argumentum præſtant plurima Scandianorum Gothorum uocabula, quæ hodie uulgari Italorum ſermoni immixta audiuntur: ſuntq; in Italiam per Gothos procul dubio tranſlata. Quod autem à pleriſq; Scythæ dicuntur, nihil repugnat, cum Scandia eorum patria media ſit inter Scythas, & Germanos. Proinde à ſcriptoribus nunc Scythę, nunc Germani appellantur, quemadmodum noſtro æuo Gothorum principatus à Viburgo Finlandię oppido ad paludes Mæotides (quę utiq; Scythiæ ſunt) uix ultra quam ſex dierum itinere diſtat. Imò ſi rem ipſam diligentius intueamur, nullos Scythas in Europa inueniemus, præter Gothos, quorum Rex hodie fere ad Septentrionalia Tanais imperat. Præterea quod Gothi nunc Cimerij, nunc Thraces, nunc Daci, nunc Myſij, ſiue alio quouis nomine appellati fuerint, illa eſt ratio ſatis manifeſta, quod eas illi gentes deuictas bello ſubegerunt, earumq; terras ipſi incoluerunt, illic dominantes: mixtiq; ſubditis gentibus, illarum poſtea ſunt nominibus appellati: qui in Gothia, et lingua patria Gethæ, Guthi, Gothini, Getones paſsim appellantur: quos poſteriores Gothos dicere conſueuerunt, quemadmodum infrà ſępius ſcribere conſtitui. Pręterea minime uera eſt ea opinio, quę Danis, uel Dacis Cimbriam incolentibus, Gothorum nomen imponit. Saxo enim Danicus in toto Danicæ, ſiue Cimbricę hiſtorię contextu, Gothos à Danis ſeparat, bellaq; plurima inter eos geſta commemorat, ut à nobis in ſuſcepti operis progreſſu monſtrandum erit.

Gothorum

Gothorum Sueonumq'ue Regum tam externorum quàm internorum Catalogus.

Interni, qui domi & in patria regnarunt.

MAgogus, Noë ex filio Iapheto nepos, primus Gothorum Rex internus.
Suenno 2
Gethar, siue Gogus 3
Vbbo 4
Siggo 5
Ericus 6
Vddo 7
Alo 8
Othen 9
Carolus 10
Biorno 11
Gethar 12
Siggo 13
Berico 14 internus, & ab egressu primus.
Humulphus 15
Humelus 16
Gothilas 17
Sigthunius, siue Sigtrugus 18
Scarinus 19
Sibdagerus 20
Asmundus 21
Vffo 22
Hunnigus, siue Hundingus 23
Regnerus 24
Hothebrotus 25
Attilus 26
Hotherus 27
Rodericus 28
Attilus 29
Botuildus 30
Carolus 31
Grimmerus 32
Tordo 33
Gotharus 34
Adulphus 35
Algothus 36
Ericus 37
Lindormus, siue Lidorus 38
Gestillus, siue Gestiblindus 39
Ericus Disertus 40
Getricus 41
Haldanus 42
Vilmerus 43
Nordianus 44
Siuardus 45
Carolus 46
Ericus 47
Haldanus 48
Euginus, siue Vginus 49
Ragnaldus 50
Amundus 51
Hacho 52
Siuardus 53
Ingo 54
Nearchus 55
Frotho, siue Froë 56
Vrbarus 57
Ostenus 58
Fliolmus, siue Siolmus 59
Suercherus 60
Valander 61
Visbur 62
Domalder 63
Domarus 64
Attilus 65
Dignerus 66
Dagerus 67
Alaricus, siue Aluerus 68
Ingemarus, siue Ingo 69
Ingellus 70
Germundus 71
Haquinus Ringo 72
Egillus Vendilkraaca 73
Gotharus 74
Fasto 75
Gudmundus 76
Adelus 77
Ostanus 78
Ingemarus 79
Holstanus 80
Biorno 81
Rauadus 82
Suartmannus 83
Tordo 84
Rodulphus 85
Hathinus 86
Attilus 87
Tordo 88
Algothus 89
Gostagus, siue Ostanus 90
Arthus 91
Haquinus 92
Carolus 93
Carolus 94
Birgerus 95
Ericus 96
Torillus, siue Totillus 97
Biornus 98
Alaricus 99
Biornus, siue Bero 100
Bratemundus Fro 101
Siuardus Fro 102
Herotus 103
Carolus, siue Sorlus 104
Biornus 105
Ingeuallus, siue Ingellus 106
Olaus Tretelia 107
Ingo 108
Ericus à uentoso pileo cognominatus 109
Ericus Segersel, cognomento Victoriosus 110
Ericus Aorsel, siue Stenchillus 111
Olaus Schotkonung 112
Amundus annosus, siue Carbonarius 113
Amundus 114
Haquinus Rode, siue Rufus 115
Stenchillus 116
Ingo 117
Halstanus 118
Philippus 119
Ingo 120
Ragualdus Knaphofde 121
Magnus 122
Suercherus 123
S. Ericus 124
Carolus 125
Canutus 126
Suercherus 127
Ericus 128
Ioannes cognomento Iuuenis, siue Pius 129
Ericus cognomento Blesus, siue Balbus 130
Valdemarus 131
Magnus Ladalaos 132
Birgerus 133

Externi qui foris & extra patriam regnarunt.

AD LE

AD LECTOREM.

VT utilitatem huius tabulæ & libelli (optime Lector) cognoſcas, diuiditur il
la in nouem literas alphabeticas, utpote A B C D E F G H I, ut in ſe=
quentibus apparebit.

A Sub ſuo ambitu & circulo Islandię inſulam continet, quę duplo maior Sici
lia, & inſolitis naturę miraculis referta, quorum explicationē & demonſtra=
tionē hic ſequentibus comprehendimus. Tres enim ſunt montes, in quorū ſum
mitate perpetua ſemperꝗ nix duratura cernitur. In Baſe uerò inextinguibili ſul=
phure incenſo ęſtuant, uti Aetna Sicilię mons. Primus mons Hecla, ualde horribi
lis igne, fumo, & profunditate, deſtinatus locus (D. Auguſt. lib. 21. de Ciuit. Dei)
Dei iudicio, ad tormentandum defunctorū animas. Secundus Kreus appellatur.
Tertius Helga uocatur, cui uallis iungitur, in cuius ambitu plurimę & magnę è la
pide, tabulę erectę, quibus literę mirabiliter inciſę, geſta antiquorum pugilum me
moriæ tradentes. Fontes item diuerſiſsimæ naturæ 4. continet, primus feruens,
omne immiſſum in ſaxū conuertit, priore forma manente: alter frigidiſsimus, ter=
tius cerealē producit liquorem, dulci potui aptus, quartus peſtiferā contagionem
exalat, prope hunc ſulphur magna quantitate eruitur, quod uiliſsimo pretio uen-
dunt, nempe M. libras decima parte ducati aurei. Duo etiam mirabilia, quorum
primum ignis ſua ex natura mixtus ſulphure aquam depaſcit & conſumit ſtuppæ
minimè nocens. Alterum immenſa profunditas prope prædictum Heclam mon
tem, quæ inueſtiganda non eſt, nec oculorum acies eò peruenire poteſt, ut loci ba-
ſim illic eſſe dicere poſsit. Circa hunc locū ſępius homines ſubmerſi reperiuntur,
non mutato colore, uiui à pleriſꝗ æſtimantur, à ſuis uerò domum redeant, rogati,
ſuſpirijs emiſsis ad Heclā properandum reſpōdent, ſubitoꝗ euaneſcunt. Corui
quoꝗ albi, falcones, picę, urſi, uulpes & lepores albiſsimi, quanquam etiā nigerri-
mę reperiuntur. Glacies itidem miſerabilē humanę uocis gemitū emittit, ſigni-
ficans in illo frigore Dei inimicos tormentari, nō aliter ac in calore ſuperius nomi
nato. Lapides & ſaxa immenſa ob copioſam exalationem ita uolare ac ſi è bom
barda eijcerentur. Piſcium copiam in ædibus & extrà ſub cœlo uenalem expo-
nūt. Inhabitatores enim harum partium uictum piſcatura quęrūt, parum panis &
annonę habent niſi quod aliundè aduehitur, nam multi nautę Lubecenſes, Roſto
ckienſes, Sundenſes, Hamburgenſes & Bremenſes ad eos ueniunt, redeuntꝗ ad
ſuos non ſine magno lucro & commodo. Monti nominato Helgefelt, abbatia
eſt, quę ſuos cenſus redditusꝗ in piſcibus & incredibili copia butyri habet, & ſale
conditum capſis longitudine 20. uel 30. pedum, la titudine 10. aut 15 altitudine 4.
uel 5. includitur. Pabuli tanta lætitia ut niſi armenta æſtate à paſcuis arceantur
aruina rumpantur. Cete grandia ad inſtar montium, naues euertūt, niſi ſono tu
barum uel uacuis uaſis & rotundis abſterreantur. Nautę in dorſa cetorum cum
inſulas & terram putant anchoras figentes ſępe periclitantur: hic piſcis hiſce regio
nibus Trolual nominatur. Naues mercatoriæ ſeſe ob portuum & lucri cōmodi=
tatem bombardis deſtruunt, nam pręſes non quid in mari fiat, ſed quę in terra acci
dunt curat. Inſignia Noruegię ſunt, ſub quo regno Islandia cōprehenditur. Vnū
clypeum inſigniorum piſcē habet erectum in altitudinē cui impoſitus eſt corona,
& à mercatoribus ualde ueneratur, dignusꝗ aurea illa corona uehementia et aſpe
ritas uenti eſt in his locis. Templa & alia ædificia oſsibus piſcium ędificata, quæ
Criptoporticus appellantur. Notādum pręterea ſub terra propter algorem, ſicut
olim Africani ob æſtum incolas habitare, equites ob leuiſsimas quandoꝗ cauſas
ad pręlium cōmouentur. Muſica his oris in pretio eſt, & muſici optimè tractantur,
nam eorum operam ad piſcaturā & aucupium utuntur. In magnis illis glaciebus
quæ octo menſibus non diſſoluuntur, & circa ripam ſunt alborum urſium habita
culum, & piſcibus ſuſtentantur. Homunciones in Grunlandia cum Gigante con
grediuntur, homines etſi ſtatura parui, magnanimi & audaces, non opportunita=

tem negligunt. In cōfinibus Islandiæ & Grundlandię altissimus mons Veyszarch cognominatus, in cuius altitudine horologium solare plumbo incisum à duobus pyratis, quorum uni Pinnigt, alteri Pothorst nomen, ut arcerent omnes nautas à Grundlandiæ portu. Climata, gradus, paralelli & horæ quid denotent, unusquisq; studiosus lector, longitudinem, latitudinem terræ ex his percipere poterit, quamuis maiores regiones compendiose descripserim: attamen neminem futurum existimo, qui hunc nostrum laborem reprehendet, nisi ipse prius simile quid & magis elaboratum emittat. Multi enim hactenus ingeniosi & docti uiri hunc laborem susceperunt & tentarunt, ignari autem regionum, spe suscepti laboris frustrati sunt.

B Primò comprehendit duas insulas, Finmarchiā & Noruegiam. Partē Grundlandiæ subiectā habet, ubi multæ naues onerariæ tempestatibus obrutę submerguntur, nautæ ibi expertissimi qui scorteis nauibus in omnem casum, securis utuntur eisdemq; naues aduenarum adoriuntur & submergunt. Monstra enim duo marina maxima, unum dentibus truculentum, alterum cornibus & uisu flammeo horrendum, cuius oculi circumferentia 16. uel 20. pedū mensuram continet, caput eius quadrangulare & barba longa, posterior pars parua uidetur. Balenæ onustas naues sepius cum se extra mare eleuant, submergere solēt. Serpens ducentorum pedum nauem amplam inuoluens inuadit, & in profundum trahit. Rosmarus belua marina elephantis proceritate, rupes ascendit & gramē depascit, dentibusq; saxis suspensus dormit, & sic comprehenditur. Laqueis uinculisq; circumdatur. quomodo autem & quibus artibus, alio libro descripsi. Fluxus & recursus maris sepe naues absorbit, non secus ac si esset Scylla Charibdisq;. Prope hunc locum Hegelandia est, nobilium habitatio, inq; horum finibus nundinę piscium habentur, extruunturq; moles ædium instar. Deficientibus lignis piscium ossibus focum fouent, cibosq; ad illum coquunt. Animalia Suetica lingua Ierff, Germanis gulones dicta, propter insatiabilem gulam, inter arbores stringendo uentrem exonerāt, subitoq; ad cibum recurrūt, ob pellis pulchritudinem à uenatoribus iaculis occiduntur, nobilioribus & principibus ad uestitum uendūtur, ipsi etiam uestibus indutis quandoq; naturam animalis assumunt. Piscator glaciem malleo percutiens, subiectum piscem obstupefacit & capit. Extrahuntur quoq; equis pisces. Alpium domini Rangiferos gregatim alunt 400. aut 500. curribus applicantur, & equos uelocissimos in niuibus superant. Dæmonia assumptis corporibus seruiunt hominibus in stabulis, non secus ac in fodinis auri, argenti, cupri & ferri. Regnabāt magis ante ueram Christianam religionem, quàm hodie soleant. Rangiferorum grex domesticatus, lac ad domesticum usum præbens. Mineræ auri & argenti habent. Inhabitatores autem aurum in hac regione abscondere solent, ne ab auaris presidibus ab agris suis pellantur, sicuti in multis regnis fieri dicitur. Nota deinde homines in Finmarchia uenationi intentos, & mulieres alligatis pedibus lignis, quibus tanta uelocitate procedunt & currunt, ut bestias & fera animalia cornibus arripiant prosternantq;.

C Sub hac litera tres insignes regiones reperiūtur Scricfinnia, Biarmia & Laponia, in prima syluestres homines nocturno tempore nautas infestantes die nusquam inueniuntur: speluncis enim & latebris suis latent, nautarum aduersus eos remedium, ut incensis lignis magnum excitent ignem, quem summopere timent, & fugiunt. Idolatræ quicquid mane summo oculis obuersatur, siue astra sint, siue luna uel sol: alij rubeum panniculum hasta leuatum pro numine adorant & hisce idolis captorum animalium aut piscium ossa offerunt. Starchaterus pugil Sueticus tota Europa olim nominatissimus duas lapideas tabulas habet astantes, quibus Gothicis literis acta & gesta complectuntur. Ad pedes Starchateri animal magnitudine lupi Grymklau propter assiduam iram nominatum. Insula 30. milliarium in longitud. & latitud. Polo arctico subiecta.

Vltra quam directorium nauticum bossolo dictū uires amittit: propterea quòd

illa

illa insula plena est magnetum. Sequitur deinde Oceanus Scythicus, & attingit Moscouitarum oras, in qua & arces & ciuitates reperiuntur, aërq; placidior quàm in Noruegia: sed ibi magna est insecuritas ob temeritatem prædonum Moscouię.

Aquila grandis detracta leporis pelle oua sua inuoluit, eoq; ferifico calore pulli educuntur. Lacus albus maximus, in quo sunt pisces & aues innumeræ diuersarum specierũ, magisq; usui sunt Moscouitis quàm Sueticis. Moscouitæ enim in agendis rebus sunt astutissimi, obq; suam astutiam sæpius puniuntur, præcipuè cum monetam falsam regioni afferunt. Ritus nuptiarum apud idolatras ignis cilice supra capita per propinquos nubentium excussus. Incolę nõ loquendo nec numismate rerum mutationes agunt, sed nutu. Spernunt pecuniam (ita ut ipsi mihi retulerunt) propterea quod multi ea falluntur, & multa oriantur ex ea infortunia & aduersitates. Pugna duorum potentissimorum Regum, quorum Tengillus Scricfinnorum suis rangiferis & militibus in pandis trabibus supra niuem currentibus, & arcubus alterum in equis Argrinium Helsingorũ cum suis peditibus superat. Finmarchienses non solum aperto Marte pugnãt, sed etiam maleficis artibus hostes superare nitũtur: parati tamen sunt latis iaculis, in pandis trabibus 20. uel 30. milliaria per spacium unius diei currunt. Rangiferi super niuem rhedam uel currum trahunt 30. milliaria uno die. In mari Bothnico piscatio phocarum, super crustas glaciales salmonum, luciorum incredibilis copia. Sylua 80. milliariũ Landsrucke appellata, in ea marduri, zobellini, hermelini, Piroli uarij castrorũ ingens uis, genera trium luporum. Ciuri trabe aquam transnatant, & cauda pro uelo utuntur. Moscouitici mercatores nauiculas inter lacus pro rerum cõmutationibus habendis trahunt. Naues fabricantur & loco clauorum è ferro, clauibus Rangiferorum ex ossibus confectis conglutinantur. Propterea autem quod Moscouitę ad fabricandas naues excursiones faciunt, ideò equites stipendiarij ne similia perpetrare possint, sedulò curant.

D Ostendit insulam & diecœsim Farensem, cuius incolæ ictophagi, cete grandia tempestatibus appulsa dissecãt, & inter se partiuntur, curruq; oneratum abducunt. Illic præsidi regionis dantur capita coruorum pro tributo in signum occisæ noxiæ auis, quę agnos & oues occidit. Circa introitum harum insularum rupes excelsa eminet, quam nautę pręsidarium monachũ appellant. opportunissimum contra tempestates remedium. Monstrum marinũ horribile Ziphius phocam deglubens. Aliud innominatum & terribile monstrum, & insidiosum in ea reperitur. In hac parte est insula Tile, quæ ab alijs Islandia: sed Procopius magnã insulam Scandianam sub hoc nomine Tile complexus est, ignorantia quadã ductus. Inhabitat hanc insulam Dominus Orcadum, possidetq; duas insignes arces, ac incolas 30000. sub sua iurisdictione habet qui uix cum alijs quicunq; essent statum & fortunam commutarent. Hetlandia insula, quę aqua ubiq; separatur unà cum episcopatu fertilissima est, & pulcherrimas mulieres habet. Orcades insulę 33. quæ olim regni titulum habebant, & pręcipua Pomona aut Selandia dicitur: in ea episcopatus, & antiquorũ Regum sepulturæ. Nortuegica lingua utuntur, ad significandum ipsos regno subiectos, ut aliæ multæ circumiacentes insulę.

Anates ex arborum fructibus natę, copiaq; coralli. Monstrum marinum porco simile, quem anno M. D. XXXVII. uidimus. Balena monstrum, ab alijs Orka dictum, à Nortuegis Spriagual, propter agilitatem, acutum & altũ dorsum habens. Cancri magni, Humeri dicti, natantem uirum enecant. Hebridas insulæ aut Meuanides uersus Irlandiam, numero 40. regno Noruegię antiquitus subiectæ. Pistris uel Phisseder ingens monstrum marinum è capite in naues magnam copiam aquæ eijcit, sæpius submergit. Ambra à nautis colligitur, pro re medica conseruatur.

Monstra mirabilia Noruegici maris recensere uix possibile: profunditas enim aquæ causa multorum monstrorum, ut & in sequentibus apparebit.

E Continet

E Continet amplissimæ Scandianæ insulæ situm, ex qua olim potentissimi populi in uniuersum orbem prodierunt, cuius mentionem Plin. lib. 4. cap. 13. facit, Inquiens alterum mundum sub hac ampla insula contineri. Procopius sub Tile nomine eam complectitur, illamq́ claris describit uerbis, dicitq́ hāc regionem decies maiorem Britannia, & decē diuersas regiones, multa regna, & numerosum populū habere. Insignia regni Suetię coronæ tres in cęruleo campo. Olim duas uirgines se inuicē complectentes. Noruegię insignia leo securi armatus. Profunditas maris inscrutabilis è rupe multis funibus appenso plumbo quæritur. Rotundi circuli plumbo onusti, retinent naues locoq́ anchoræ sunt. Hic locorū montes sunt, quorum altissimus Hornilla Buck, hoc est, ueterum dominorum montes. Incolæ uarias cantilenas in honorem & de his montibus cantant. Monstrū Rhinoceroto simile, deuorat gambarum 12. pedum, qui Humer appellatur. Tabulæ in modum scutorum hominum equorumq́ pedibus suffiguntur, ne in niuibus submergantur. Rangiferi maiores ceruis pecudum more à pastoribus ad pascua ducuntur, & lac ad usum quotidianum prębēt. Non procul altissimus mons est Schula appellatus, ad mare situs, penes quem horribilis stridor aquæ è foraminibus exeuntis & redeuntis auditur. Linces in sylua, cattos syluestres, & alia animalia deuorant. Sępius tamen in foueis luporum capiuntur. Alces congregantur contra lupos montanos, qui eos deuorarent. Sed quęcunq́ pars succumbit in pugna, à uenatoribus occiditur, qui eis insidias struunt. Hic duę altissimę turres uel pyramides, uel eximia saxa, in campo sunt, ad denotandum olim pugiles hisce in locis multa prælia commisisse. Helsingosq́ uiros fortes, prudentes, & in agendis negotijs astutos fuisse, & his tēporibus esse. Ferri mineras, cupri, argenti optimi copiam habet. Non procul à Trondem Noruegię Archiepiscopali ecclesia & urbe lacus est, qui contra reliquorum consuetudinem nunquam congelatur. Vermes marini 30. aut 40. pedū longitudine nihil nocent, nisi irritati fuerint. Hic etiam sita est magna Noruegię Bergem ciuitas, ualde oportuno loco ad negociationem, mercatorumq́ emporio apta. Montes Doffrefiel Suetiam & Noruegiam discernunt. Habet Suetia duplo plus terræ, regionum, hominū, & aliarum rerum. Propter concordiam fœderaq́ semper immunes, & liberi ab exteris inimicis, & ob diuitias plurimis odio sunt.

F Contigit sæpe mare congelatum sustinere grauissimos currus, & in latere eodem tempore peruium iter præbere nauigantibus, qui cum curribus de uelocitate contendant. Onagri siue Alces domesticati curribus & uehiculis per niuem & glaciem in Suetiam trahunt. Sed in Gothia prohibitum est, ne per uelocissimum cursum proditio in regione fiat. Pastores pecudes tuentur à morsu serpentum. Phasiani siue galli syluestres ad plures menses sine cibo sub niue latitant, interdū ab aucupibus capiuntur. Aliæ aues niuales candidissimæ, iustæ magnitudinis nunquam nisi profunda hyeme comparentes. In regione Karelien fluuius niger immēsæ profunditatis, pisces nigros omnes sed saporosos alit. In eo flumine inexpugnabilis arx, aduersus Moscouitarum eruptiones, uocaturq́ Neuuschlosz, uel S. Olofi burgum, in medio arcis & terræ pons est super aquas natans, magnis catenis ferreis affixa, bisq́ in die demittitur. In flumine prope burgum aliquando instrumenta musicalia audiuntur, qui auditus mortē alicuius inhabitatorum arcis præsagire solet. Apud Vuiburgenses in antris, siue specub. cū aliquod uiuens immissum fuerit subitò eruptio intollerabilis soni. Cum hoc audiunt incolæ, fugiunt in subterranea loca, ibiq́ se abscondunt. Castorum domus media in terra, media in aqua, & quomodo ligna ad structuram conducunt. Onocrotalus auis magna ut anser, repleto aquis gutture maximum sonum emittit. Luter animal domatur ad piscandum, & pisces coco porrigendum, sed propter rapacem naturam minus ad hunc usum instruitur. In hac regione Tauesten. & Finnenses sunt subtilissimi ad fundendas bombardas. Præterea Finlandia, in Suder &

Northfin-

Nortfinlandiam diuiditur,& ante multa secula regnum fuit,aquas,riuos & dulces cum pisciũ copia & margaritis habet,sicut & in Suetia & Gothia reperiuntur.Hominũ quoq; in ea multitudo: mulieres enim sunt fœcundissimę. Homines missis subtus pedes ossibus immensum pelagus cõgelatum uelocissimè percurrunt. Vasa conuiualia pulcherrima è radicibus arborũ facta Kosa dicta.Sicuti enim sunt subtiles ingenio,ita sunt gulones ebrietati dediti: quantitatem enim ceruisię & panis habent,peregrinos hospites gratis suscipiunt,equosq; ad iter si postulauerint mutuo dant.Suetici equites hyeme glaciali,æstate nauali contra Moscouitas prælio pugnant.Causa belli,quod hi sub Græcis,illi Latinis sunt.

G Partem regnorum Angliæ atq; Scotię demonstrat. In Scotia multi terribiles ignes in foraminibus sulphure reperiuntur (ut ante de Islandia dictum) adeò ut animalia & homines sæpius pereant. Notandum prӕterea,quod una pars Hollãdię prӕcipuè Amsterdamum,quorũ domicilia uentis & tempestatibus mouentur. Causa huius,quoniam terra lutosa nec fixa,& ędificia fulcris & lignis sustinentur,alioquin magnis sumptibus è lapide domus ædificarẽtur. Differentia Gothicorum,Italicorum & Germanicorum milliarium,hęc est,40.mill.Italica faciunt 10.Germanica,& horũ 15.Gothica 10.conficiunt.Non tamen semper una longitudine,uti Solinus de Persis inquit cap.66.quia nihil incertius, quàm mensuratio milliar.Quod autem de longitudine terrę hic signatur,prudens Lector facile intelligit: quidam enim ab insula Irlandia uel insulis Fortunatis longitud.mensurant.

H Duo antiqua regna Frisiæ,unũ homines superbos,equos generosos ad bellum aptos alit. Danię alterum,multis insulis diuisum,cuius historicus Saxo Grãmaticus paruum eum & angustum terrarum orbẽ uocat. Habet innumeram sobolẽ humanam. Ciuitates Vandalicę potentes & magnificæ ad littora maris. Quorum portus perpetuo igne lustrantur,ne incauti nautę hyberno tempore periclitentur. Mare congelatur,hospitia extruuntur,ut cõmodè pedites & equites se recipiant,quemadmodũ Alb.Crantzius ostendit. Succinũ collectio in littore Prutenico,à qua inhabitatoribus utilitas & commodum. Ciuitas Gedauẽsis regia ad omne genus negociationum apta,à fortunatis & honestis ciuibus inhabitatur,suntq; beneuoli erga exteros. Clementia pisciũ,qui Rocka Gothicè & Raya Italicè uocantur.nam submersum hominem ne à beluis marinis deuoretur, cõseruant & tuentur. Adiacẽt antiquę regiones Ieder,Lister & Vuick appellatę,olim regnum fuit,iam uerò regni Nortuegię membrum,Nortuegosq; à regno Gothię separant,hoc tamen modo ut regiones Daal & Vuermelandinse ualdè in Nortuegiam extendant.Hic in Gothia fluuius est,cuius longitudo 24.milliar. & latitudo 10.ab incolis Vunter dictus,in quem 24.maximi fluuij exonerãtur. Eius exitus in Trolhettã fluuium est,qui ob terribilem sonum,Diabolus sonorus uocatur,piscibus abundat,& inde ad mare translabendo Vestrogothorum regionem prope arcem munitam Elfzburg tendit,quę in Helsingia sub regibus Suetiæ & Gothiæ iacet. Regnum Gothiæ,prima Gothorum patria diuiditur in Ostrogothiam, Vestrogothiam,Smalandiam,& multas alias regiones & insulas.Gotlandia sub Gothia insula 18.milliar.in longit.& 8.in latitud.Olim in hac fuit locus Vuisbi,mercatoribus utilis propter emporium celeberrimũ in toto orbe terrarum,hodie ius maritimum petitur. Ignes in littoralibus montibus tempore hostili accenduntur cum procul hostium naues conspiciuntur,hoc signo incolæ moniti arma sumunt.

Stocholmia regia ciuitas in Suetia,aquis,arte & natura munitissima,propter ciuium diuitias diutissime bella sustinet. Hyemali tempore glaciem aggerum loco comportare solent,aquam superinfundunt,& ita congelatur,ut nulla uis bombardarum penetrare possit.

Naues prægrandes ad naualem pugnam undiq; magnis bombardis circumseptæ,ex quibus crustæ 500.uasis inclusæ emittuntur, & hoc factum esse in recenti memoria habemus.Suetici uiri ideo ad bellũ aptissimi,quoniã profunda hyeme

in castris

in castris armati uersari non detractantur, et quo durior hyems, tanto fortius inimicis obuiantur, quod fusius alibi data occasione declarabo: interea tamen Nortlandis edicto publico interdictum, ne arma cuiuscunque sint generis ferant, propter suam iracundiam & animi ferocitatem.

I Hæc postrema litera Liuoniæ terram habet sub ordine Beatæ Virginis Teutonicorum, qui tuentur Christianam religionem contra Russianos & Moscouitas. Curetum terra, in quorum littore continua hominum naufragia & minima afflictis consolatio. Non procul hinc Osilia cathedralis ecclesia magnis redditibus diues multas magnas & militum numero munitas arces habet. Prope ripam Hollandi altissimam turrim ad euitanda pericula nauigātium ædificarunt, quam S. Ioannis templum appellarunt. E regione trans mare in Finlandia pulcherrimus est portus Hange nuncupatus, multis insignibus clarorum & uetustissimorum uirorum ornatus, signum sane ibi aliquando plurimos conuenisse homines. Samogethia à Gothorum incolatu appellata D. Lituania magnus ducatus regi Poloniæ subiectus. Vrus tantæ fortitudinis, ut hominem armatum unà cum equo cornibus eleuat & prosternit. Fluuius Depenau, qui multiplicis rami speciem habet, oritur in Moscouia & ad Liuonicum mare unus ramus tendit, alter prope Rigam archiepiscopalem ciuitatē Euxinum mare petit, tertius Caspium, semper sibi noua nomina à regionibus & populis assumit. Vrsus mel arboribus eruentes claua ferrea appensa repellit. Vrsi in foueas mellis cadunt, ibiq; suffocantur.

Multæ naues hic conficiuntur, quæ in Vuislau & Gedanum per multa flumina uehuntur. Deinde in Galliam, Hispaniam & Angliam perueniunt. In hac sylua multum colligitur picis & cinerum ad utilitatem mercatorum. Lituani idolatræ numina uaria colebant, utpote alij serpentes, alij focum uel ignem, aliqui syluas, nunc uerò ueram & Christianam religionem fatentur.

Quandoquidem (optime Lector) hasce declarationes Septentrionalium regionum præmitto, & fortè propter compendiosam instituti rationem minus intelligi poterunt, animi mei intentionis est, prolixius maiori uolumine, causis & rationibus omnium adductis, totum negotium declarare, si acceptam hanc nostram operam pluribus quam in descriptione usus sum, intelligam, multaq; maiora & mirabiliora, quæ in frigidissimis illis terrarum locis & aquis sunt, quæ ipse maiori ex parte expertus & præsens uidi, declarabo atq; ostendam. Præterea Reuerendiss. D. Ioan. Mag. Gothus Archiepisc. Vpsalens. in Suetia historiam Regum Septent. et quicquid bellorum, motuum antiquitus et nouiter fuit, exactè descripsit, in qua mira, lectoribus autem plurima utilissima referuntur, & breui in lucem me daturum spero. Vale. Hæc omnia sequenti uolumine continentur.

Olai Magni Archiepisc. Vpsal. Insigne.



Nihil est simul inuentum & perfectum.

RERVM ET VERBORUM IN OLAI MAGNI HISTORIA GOTHO-rum, copiosiss. Index, secundum libros singulos, capita ac folia distinctus.

B

C

camerarij

cretenſium

D

E

F

fulgura

G

gothi

gundebal-

herculis

ingeburgis

K

L

nicolaus

P

porcus

Q

R

reuerentia

S

somnium

thor

V

uestrogotho-

FINIS.





OLAI MAGNI GOTHI ARCIEPISCOPI VPSALENSIS DE RITV GENTIVM ET NATVRA RERVM AC usu bellandi populorum Septentrionalium.

De Biarmia, & situ, ac moribus eius.

CAP. PRIMVM.




BIARMIA igitur est regio Septentrionalis, cuius zenit est in ipso polo Arctico: eiusq; Horizon est idem cum circulo æquinoctiali: qui Zodiacum in duas partes æquales intersecans, efficit, ut una medietas totius anni sit unus dies artificialis, & altera medietas una nox: & ita totus annus esset ibi unus dies naturalis. Sed cùm ibi sol nunquam magis 23. gradibus sub Horizonte deprimatur, uidetur (inquit autor sphæræ) quòd illis sit dies continuus sine nocte. In omni enim climate dies oritur, antequàm sol supra Horizontem eleuatur per 18. gradus, secundum sententiam Ptolemæi, aut secundum alios ad 30. gradus, scilicet per quantitatem unius signi. Hactenus conuenienter ad naturam philosophatus est idem autor sphæræ. Quod autem subintulit, iniuriosum est naturæ: quã iudicare debuisset prouidentiorẽ circa conseruationem uniuersi. Illam enim nunquàm intermissam lucem naturę beneficio concessam, perpetuis nubibus obfuscãs, ait, radium solarem ibi existentem, adeò debilis esse uirtutis, ut eleuatos uapores consumere, aut purgare nequeat. Proinde (inquit) neq; aër serenus ibi est, neq; dies. Hoc ille dicere uoluit. At ex opposito surgunt duo magni philosophi, Plinius, & Solinus, qui propter continuam solaris luminis præsentiam affirmant, ibi omnia intolerabili solis ardore periclitari. Ita isti, & ille, inter se naturam ipsam temerè damnatam, à frigore niuium ad calorem nimium protrudentes, errauerunt, alijsq; occasionem errandi prestiterunt: qui si Dei prouidentiam, & naturę moderationem intimius perpendissent moderatius loquentes in scyllam, uel charybdim non impegissent. Diuiditur autem Biarmia, secundum Saxonem Sialandicum, in ulteriorem, & citeriorem. In hac citeriore sunt montes, perpetuis, sed innocuis niuibus offusi, æstiuiq; ardoris expertes: inter quos inuijs nemoribus, & saltibus abundat: pascuorum feracissima inusitatisq; alibi bestijs frequens, ut inferius libro de animalibus ostendetur. Crebri in ea fluuij, ob insitas alueis cautes, stridulo, spumantiq; uolumine perferuntur. In ulteriore uerò Biarmia sunt quidam monstrosæ nouitatis populi, ad quos aditus inuius, & insuperabilibus periculis obfusus est: nec facilè mortalibus patere potest. Maior siquidem itineris pars præaltis niuibus perenniter obsidetur: quas si quis superare uelit, ceruis iugalibus (quorum maxima copia illic est, ut apud Italos asinorum) currum instruat, cuius incredibili celeritate eximio gelu rigentia iuga transcendat. Meminit Saxo prædictus, Memmingum quendam syl



uarum satyrum, insignibus diuitijs prædditum, illic mansionem tenuisse: ad quem Hotherus Suetiæ Rex domitorum ceruorum cursu perueniens, maximorum spoliorum, opumque adeptione ditatus, & felix euasit. Vtraque tamen hæc terra uallibus, campisque distincta, fruges, si seminarentur, haud negaret: sed inexhausta piscium ubique copia, & ferarum frequentissima uenatio, efficit, ne ibi panis usus magnoperè concupiscatur. Pugnaturi Biarmienses, arma artibus plerunque permutant, carminibusque in nimbos soluere cœlum, ac lætam aëris faciem tristi imbrium aspergine confundere consueuerunt. Sunt Biarmi idololatræ, & Amaxobij Scytharum more, atque in fascinandis hominibus instructissimi. Quippe aut oculorum, aut uerborum, aut alicuius alterius rei maleficio, homines ita ligant, ut liberi non sint, nec mentis compotes, sæpeque ad extremam maciem deueniant, & tabescendo dispereant. Solinus in Africa, Plinius in Triballis esse eiusdem generis maleficos perhibent: qui si impensius laudauerint pulchras arbores, lætas segetes, infantes amœniores, egregios equos, pecudes pastu, atque cultu optimas, emoriantur repentè. Sed de similibus maleficis, ac eorum præstigijs, & instrumentis, inferius est narrandum.

De Finmarchia, & gentibus eius.

CAP. II.



FINMARCHIA regio est Septentrionalis partis Noruegiæ, olim ob sui amplitudinem Regio titulo decorata. Hæc etsi rigidiorem orbis terrarum partem culturā, ac mansionem sortita est: attamen homines robustis corporibus, & animo magno habet, qui ab hostium incursu se strenuè defendere solēt, ut infrà de bellis Finmarchorum ostendetur. Aër illius regionis, sicuti & uicinarum, semper frigidus est, & serenus, innocuus tamen humanis corporibus rarissimas pluuias tempore æstiuo admittens: tantaque est illic aëris temperies, ut pisces nullo sale conditi, sed solo aëre siccati, toto decennio à putrefactione durent, ut infrà lib. de piscibus, cap. de piscatura periculosa ostendetur. Ab octauo Cal. Aprileis usque ad sextum Idus Septembreis, est illic continuus dies, nullis interuenientibus tenebris, uideturque sol à 4. Nonas Maij usque ad Cal. Augusti, nulla intercidente nocte. Quo fit, ut sine graui periculo ibi nauigetur: alioquin in tenebris, ob latentia saxa, periculosissima esset illic nauigatio. Est autem Finmarchiæ zenit inter circulum Arcticum, & polum mundi, ipsorumque Horizon intersecat Zodiacum in duobus punctis æquè distantibus à principio Cancri: & in reuolutione firmamenti contingit, quòd illa portio Zodiaci intercepta semper relinquatur supra Horizontem: unde patet, quòd quandiu sol est in illa portione intercepta, erit unus dies continuus sine nocte: & si illa portio fuerit unius signi, erit ibi dies continuus unius mensis sine nocte: ad quantitatem duorum signorum erit duorum mensium. Et ita deinceps ex opposito contingit eisdem, quòd portio Zodiaci intercepta ab illis duobus punctis æquè distantibus à principio Capricorni, semper relinquatur sub Horizonte: unde cum sol est in illa portione intercepta, erit una nox sine die, breuis uel magna, secundum quantitatem interceptæ portionis. Signa autem reliqua, quæ eis oriuntur, & occidunt præpostere oriuntur et occidunt. Siquidem Taurus ante Arietem, Aries ante Pisces, Pisces ante Aquarium præpostere oriuntur: & tamen signa his opposita oriuntur recto ordine, & occidunt præpostere, ut Scorpius ante Libram, Libra Virginem: & tamen signa

gna his opposita occidūt directè, illa scilicet, quæ oriebantur præposterè, ut Taurus &c. Hæc ex autore sphæræ descripsisse uolui, ut promptior sit lectori occasio de illis terris philosophandi. Plinius uerò lib. 2. cap. 19. dicit: Inæqualitatis causa obliquitas est signiferi cum pars æqua mundi super, subterq; terras omnibus fiat momentis. Sed quæ recta in exortu suo consurgunt signa, longiore tractu tenent lucem: quæ uerò obliqua, ocyore trāseunt spatio. Ab hac tamen Finmarchia Septentrionali ad Australiora Gothorum, ultra 350. milliarium Gothicorum est distātia: ubi medijs noctibus solstitij æstiualis in distinctis locis, Lincopiæ uidelicet, & Scaris, minutissimæ literę sine lumine legi, ac scribi, imò pecuniæ numerari possunt. Quibus etiam in locis sub eleuatione poli Arctici gradibus 60. à principio Maij ad initium Augusti, nullę penitùs conspiciuntur stellę, præter lunare corpus quod in plenilunio ueluti ardens rubus penes terræ superficiem paululum eo temporis interuallo (omnium admiratione, & horrore) peruidetur. Prætereà hic aduertendum puto, autorem de nat. rerum dicere: Quibuscunq; sol propior est, eis dies longior, & calidior est: quibus autem remotior, eis breuior, & frigidior dies apparet: longior eunti uersus Occidentem, quàm eunti uersus Orientem.



Vandoquidem nobis, ut in Præfatione diximus, placuit duorum fratrum R. scilicet Olai & Ioannis Magnorum Vpsal. Episcoporum amœnos simul & utiles coniungere labores: commodè hic ante historiam, propter clariorem particularis Biarmiæ & Scricfinniæ descriptionis cognitionem, ac figuram Geographicam totalem omnium Septentrionalium regnorum, prouinciarum, marchiarum, dioecesium, &c. item lacuum, portuum, &c. præmissam: ex Ioanne uerbalem descriptionem subijcere.

SITVS SCANDIAE, IN QVA EST GOTHIAE ET Suetiæ, siue Sueoniæ descriptio.

Ipsam historiam aptiore ordine me prosecuturum existimaui, si à Gothiæ, & Suetiæ geographia, siue descriptione, iuxta antiquorū exempla initium sumpsero. Rectè siquidem tum ueteres, tum iuniores historici, locorum positionem rebus, quæ in eis gestæ fuerant, præmittere consueuerunt. Ita enim Trogus Pompeius Scythica bella scripturus, Scythiæ situm prius ostendit. Appianus Alexandrinus Romanorum historias scribere adorsus, necessarium sibi in primis existimauit, terminos nationum ponere, quibus Romani imperabant. C. Iulius Cæsar in suis Commentarijs de bello Gallico, à trium Galliarum situ exordium sumpsit: idemq; nec Britanniæ, nec Hyberniæ, nec aliarum terrarum bella, nisi præmissa earum descriptione, tradere curauit. A C. Crispo Salustio in Iugurthino bello Africa descripta est, urbisq; Romę situs in Catilinę coniuratione. Sed & M. Tul. Cic. in Verris accusatione, quò diligentius exponeret, atq; apertius portentosa illius sacrilegia cōmonstraret, positionem, ac situm declarauit complurium locorum Sicilię insulę. Iordanes Rauennas, Ablabiusq; Senator urbis Romę, ambo Gothi, dum suorum Gothorum bella, & eius gentis originem tradere pollicentur, Scandianam insulam Hyperboream breuiter descriptam, operi prępofuerunt. Idemq; studium Paulus Diaconus pręstitit, dum suos Longobardos eadem insula egressos commemorauit. Pręterea Procopius Herulorum gesta scripturus, eam ipsam insulam Scandianam sub nomine insulę Tyle describens, affirmauit eam esse decuplo maiorem, quàm totam Britanniam, & affluentissimam quandam mortalium multitudinem continere, ut infrà in uita Hathini Regis latius dicemus: quam etiam nonnulli Balthiam, nonnulli Vergion appellare uoluere. Nos igitur Gothicę gentis historiam conscripturi, quia ea gens incolit partem illius magnę peninsulę Scandianæ, commodum iudicauimus, ut totius operis initium ab ipsius terræ Scandiæ faceremus descriptione.

Est igitur Scandia, siue Scandinauia, iuxta nominis interpretationem, amœna, siue pulchra insula, ultra mare Germanicum, siue Gothicum sinum sita: cuius solum nomen Ptolemæus cognouisse uidetur. C. uerò Solinus maximam omnium insularum Germaniæ affirmat. A Plinio autem lib. 4. cap. 13. clarissima, & amplissima dicitur: quiq; tradit ipsam, ob incompertam eius magnitudinem, alterum orbem existimari. Iordanes Gothus (cuius memini) eandem non solùm Gothorum, sed multarum etiam gentium genitricem appellat.

Circundatur ferè tota uastissimo mari, quod Mediterraneum illud pelagus, quo Africa ab Europa separatur, amplitudine, & situ referre uidetur. Siquidem ab Oceano Occidentali per angustas fauces ingrediens, Cimbricam chersonesum (quę hodie regnum Dacię, siue Danię dicitur) à Scandia separatam Saxonię coniungit: deinde Australem Gothiæ plagam sinu laxiore contingens, duo ex se brachia porrigit: quorum unum per Orientalia littora Suetiæ fertur in Septentrionem, usq; ad emporium Thornæ, hoc est, turritę insulę, longiore quidem tractu, quàm sit à Numidiæ extremis littoribus usq; ad ultimum maris Adriatici sinum. Alterum uerò brachium usque in sinum Venedicum uersus Aquilonem extenditur, ea fere longitudine, quę est ab ipsa Punica Carthagine usq; ad mare Euxinum. Inter hęc duo brachia clauditur amplissima peninsula, quę apud Plinium Finningia dicitur, à nostris Finlandia, hoc est, pulchra terra: ab imperitis autem, qui primam literam mutauerant, Einingia appellatur. Meridianam Scandię partem tenent Australes Gothi, qui Guthę à Ptolemęo dicuntur: quibus pręcipua urbs est Calmarnia: cui polus ad 57. gradus eleuatur, longitudo uerò 37. continet. Septentrionalia habitantur à Biarmis: quibus polus 90. gradibus eleuatur. Occidentalia Scandię occupat oppidum Bergense, præcipuum regni Noruegiæ emporium: quod in latitudine habet gradus circiter 63. in longitudine 24. Orientalia non solùm Scandiæ, uerum etiam Finningiæ, siue Finlandiæ, & totius Sueonici principatus, tenet castrum & oppidum Viburgense in limitibus Moscouitarum; ubi longitudo est 63. latitudo uerò 67. grad.

Continet hęc amplissima insula tria maxima regna, Gothiam, Sueoniam, siue Suetiam, & Noruegiam, quę in plures regiones siue principatus diuiduntur. Procopius autem tradit, tredecim numero nationes in ea contineri, Regesq; singulis nationibus præsidere. Gothia (ut diximus) Australiora tenent, quæ à Meridie, Ortuq;, & Occasu, Gothico sinu alluitur. Cæterùm ab eius Aquilonari latitudine Noruegia, & Suetia, uelut duo rami ex unius arboris stipite prodeuntes, usq; ad septentrionalem Oceanum (qui Glacialis dicitur) pariter excurrunt, Noruegia Occidentalia, & montosa littora tenente, dum Suetia magno naturæ beneficio ampliores & commodiores terras sortita, tam numero populorum, quàm diuitiarum copia, Gothiam & Noruegiam simul coniunctas, longè excellit: quamuis etiam ipsa Gothia amplitudine terræ, atq; incolarum multitudine, multas præclaras regiones superet, aut æquet: utpote quæ non solùm animosis hominibus abundet, uerùm etiam æstuosa maria, & densissima nemora pro muris habeat. Hæc quoq; Gothia cùm à principio medium locum inter duas potentes, & nunquã satis concordes gentes, uidelicet Sueones & Danos, sortita fuisset, ne hostibus obsessa utrunq; latus tueri continenter cogeretur, perpetuam societatem cum Sueonibus, siue quòd potentia & opibus præstarent, siue quòd eorum mores mitiores essent, inire curauit. Et ita à regnorum initio Gothi & Sueci, quasi in unam Rempub. coaluerunt, quemadmodum ipsa natura in una munitissima insula ne unquam dissentirent, collocauit, perinde ac si eos præmonere uoluisset, quòd seruata inuicem unitate & concordia, non solùm ipsi inuicti, sed cæterarum nationum uictores essent futuri. Fuit igitur ea felicissima Respub. quandiu ipsam non minus prudentes, quàm potentes Reges ex Gothis & Suecis alternis electi, gubernabant: quod quidem non paucis sed multis seculis obseruatum fuisse monstrabimus: quamuis aliquoties, ob æmulationem uirtutis, Reges sibi separatim præfecissent. Sed non erat diuturna hæc controuersia, quin ad pristinam concordiam conuersi, communibus armis communes hostes arcerent. Quæ autem bella contra Danos, & eorum socios, pariter gesserant, Saxo Danicarum rerum scriptor satis ostendit. Is enim inter alia multa ait, Singonem Gothorum & Sueonum Regem, classe in qua nauium duo millia quingentæ repertæ sunt, præter terrestrem exercitum, qui innumerabilis penè fuerat, superasse Haraldum Danorum Regem, ingentibus etiam copijs stipatum, in campis Brauellinis, qui non longè ab urbe Calmarnensi (de qua dictum est) absunt: idq; eodem ferè tempore, quo Attila & Romani, ac Gothi illam memorabilem pugnam in campis Cathalanicis commiserunt. Neq; illa sola Brauellina pugna, de qua inferius dicere constitui, sed pleraq; alia Aquilonarium hominum prælia, multò illustriorem memoriam in historijs, quàm bellum Cathalanicum, obtinuissent, si scriptorum diligentia posteritati commendata fuissent.

Multa quidem, & grandia historiarum uolumina sub paucissimorum uerborum contextu illi scriptores attingunt, qui affirmant plusquàm triginta populos, siue nationes non exiguas olim distinctis temporibus ex Hyperborea insula Scandia, siue Scandinauia, in orbem terrarum potenter erupisse, uiribusq; & armis nouas sedes in Asia, Africa, & Europa quæsiuisse: quarum nouissima erat inclyta gens Longobardorum. Post cuius egressum Gothi, & Sueones ad Christianam ciuilitatem paulatim adducti, non alienas terras ui, & ar-

mis

mis deinceps occupare, sed cœlestia, & æterna regna innocentis uitæ institutis promereri didicerunt: tamq; constantes in suscepta fide Christi, & Christianis moribus, usq; ad hæc nostra infelicia tempora, in quibus sub specioso titulo diuini uerbi horrenda peccata committuntur, permanserunt, quantum uix alia natio in tota Europa. Sed hęc suo loco reseruentur, & ad Gothiam me conuerto: quæ ob sui amplitudinem in multos & amplos principatus diuiditur: & hi demum in regiones: quæ rursus in præfecturas distinguuntur. In quibus prima est Ostrogothia, Orientalium Gothorum patria, qui uulgò Ostergethe dicuntur: complectiturq; in se Tiusthiam, Brauichiam, Kindhiam insulam Gotlandię, & complures alias regiones, tam ciuium numero, quàm terrarum spatio nobilissimas, pluraq; oppida & urbes, quibus nostri maiores Lincopiam, ob sedis episcopalis eminentiam, optimo iure semper prætulerunt. Occidentalis autem Gothia, Vestrogetharum patria, quam ab Orientali uastus lacus Vether separat, Scarensem ciuitatem Episcopali sede decoratam, ueneratur: continetq; in se regiones non minore incolarum multitudine excultas, quàm diffuso terrarum situ porrectas. Interiecto siquidem uastissimo lacu Vener, Daliam, Vermelandiamq; ad Septentrionem complectitur. Quæ cùm olim coniunctæ titulū regni habuissent, satis ostendunt, quanta tunc Vestrogothia, imò tota Gothia extimaretur, cùm eius decima pars regnum non ineptè putaretur. Sunt præterea ad Australem Vestrogothiæ partem Kindia, Marchia, Falonia, Vasbogia, Riduegia, Frochinnia, Gudhemia, Cachinnia, Vartopthia, pluresq; aliæ longæ lataeq; præfecturæ, oppidis, arcibus, templis munitę & ornatę. Deinde ab Occidentali Gothia in meridiem progredientibus, Hallandia, Schoningia, Blechingia, non paruę regiones occurrunt, Metropolitano Lundensi subiectæ: ob quas assidua est inter Gothos & Danos controuersia, ingensq; bellorum materia. Dani enim transmisso brachio maris (quò Scandiam ab ipsis separari diximus) eas regiones ob malitiam, uel negligentiam Regis Magni Smeech (quemadmodum suo loco dicemus) occupauerunt. His ad Occidentem solem relictis, Smalandię ab Oriente exurgunt: quas nonnulli Meridianam Gothiam appellant. Hę rursus in multa territoria distinguuntur, uidelicet Verentiam: quæ in quinq; latas pręfecturas diuisa, diœcesim constituit Vexionensem: cuius primus Pontifex fuit S. Sigfridus, anteà Archiepiscopus Eboracensis: de quo suo loco mentionem faciemus. Ab Orientali latere Verendiæ, occurrit ampla terra Moringię: ex cuius littore egressa est classis Longobardorum, ut habet Paulus Diaconus, & Saxo Danicus. Adiacetq; littoribus Moringiæ, paruo maris sinu interiecto, insula quędam Elandia: cuius longitudo habet milliaria Gothica 20. (quę constituunt Italica centum) latitudine uerò uix septem excedente. Sunt præterea per terras Smalandiarum multæ regiones, quæ rursus in territoria diuiduntur. Hęc summatim de Gothię regno.

Nunc ad Suetiam, siue Sueoniam, quæ non modò Gothiam & Noruegiam, ut dicere cœpimus, sed omnia Septentrionalia regna populorum multitudine, ac fortitudine, diuitiarumq; ac prouentuum abundantia longe superat, accedemus. Huius amplitudinem saltem attigisse uidetur Plinius libro superius commemorato, ubi Scandianę insulę mentionem faciens, ait: Clarissima insularum Germanię est Scandinauia, incompertę magnitudinis: cuius portio tantùm ab Illeuionum gentę quingentis incolitur. Vbi nimirum portentosè corruptus est Plinius, qui sine dubio à principio scripsit, Sueuionum, non Illeuionum gentem, quę utiq; plusquam ad quingentos pagos, hoc est, territoria, dilatatur. Neq; hic Plinius pagum pro uico, sed pro aliqua numerosa populi congregatione scripsit: quemadmodum dicimus, inclytam Heluetiorum gentem in tredecim, uel secundum C. Iulium Cæsarem, in quatuor pagos, siue territoria, diuisam. Desinit enim extensio Gothiæ circa 64. grad. latitud. apud Vermelandos: deinde porrigitur Suetia, siue Sueonia (ut antea diximus) usq; ad grad. 90. in quo latissimo terrarum tractu, maior est hominum numerus, quàm hactenus Latini & Gręci Philosophi crediderunt: qui de illis terris scribentes, easq; audacius de solitudine & frigoris rigore damnantes, cum iniuria naturę philosophati fuerunt. Si enim natura non esset magis prouida in conseruandis animantibus & hominibus, quàm tales Philosophi in exquirenda rerum naturalium ueritate, profectò citò totius uniuersi moles periclitaretur. Habet Sueonia à Septentrione (ut diximus) Biarmiam suppolarem regionem: quę in Vlteriorem & Citeriorem diuiditur: habuitq; olim (ut Saxo testatur) regni titulum. Nam populus ille multis rationibus insuperabilis existimatur. Habitat enim ultimam orbis terrarum partem, paludibus, nemoribus, saltibus, torrentibus inuiam. Est etiam incantationum studijs omnino deditus, eisq; non minus quàm armis pugnare consueuit. Præterea acer est illis populis telorum usus: neq; enim alia gens promptiore arte sagittandi perfruitur: grandibus & latis sagittis dimicant. Insuper lubricorum stipitum celeri allapsu cursum intendere soliti, arbitraria uelocitatis potentia rapiuntur, promptissimamq; propin-

quitatis & absentiæ facultatem obtinere creduntur. Mox enim ut hostē læserint, eadem celeritate qua subeunt, auolāt, nec procursu reditum languidius tentant. Itaq; & corporū & uehiculorum agilitate, instandi fugiendiq; expertissimā obtinēt facultatē. Ad huius Biarmiæ Oriētale latus est uastissima Scricfinnia, de qua Procopius multa fabulatur, ut infrà in uita Hathini dicemus. Deinde uersus Austrū utraq; Lappia cōiungitur. Post quas duę Bothnię, Occidentalis & Orientalis, lōgo terrarum tractu diffusæ, populorumq; multitudine cultæ, succedunt. Quarū Australiores limites terra Angermanniæ, in Borealem & Australem diuisa, cōtingit, diffunditurq; per multos populos, et latissimas regiones. Huius Occidētalia tenet Iempthia: quæ cum Noruegiæ & Suetię cōfinis existat, ab hac et illa parte plerūq; molestatur. Cui Medelpadia uersus Meridiem connectitur. Deinde per lata terrarum spatia principatus Helsingię, in Borealē & Australem diuisus, porrigitur: qui etiā pro sui amplitudine olim regni titulo decoratus erat. Australia uerò eius contingit Gestritia. Pòst quam sequuntur tres Folchorū landiæ id èst, terræ: quæ uulgò Tyundia, Otthundia, Ferungia, uocantur. In quorum medio locum habet nobilissima metropolis Vpsalensis, cū pluribus alijs oppidis & urbibus: quarū præcipua est Stocholmia Sueonum regia, natura, arte, ciuibus munitissima: quæ ad Oriētem mare Sueonicū, ad Occidentē uerò habet uastum lacum Meler, ab eiusdem nominis pisce, qui ibi frequentior est, sic appellatum: cuius Aquilonaria littora terris Vplandiarum terminantur. Deinde in Septentrionem procedentibus occurrunt, multę terræ Dalacarlorū: quę in Ostrodalias, Vestrodalias, & Sotdalias distinguūtur. Asperi sunt illic homines, & montani, exercitati in armis: qui gladium & aratrum, bellum & pacē, mortem et uitam in equo ponunt, ut ille Mantuani uersus eis iustè adscribi posit: Gens durata gelu, gēs insuperabilis armis. Sunt quoq; in eorum terris inexhaustę argēti, cupri, plumbi, ferri fodinæ, unde Sueonū Regi maximi, & perpetui prouentus accrescunt. Habēt hæ terræ Episcopū Arosiensem, cui in fide Christiana obedire consueuerūt. Eunti ab Arosia, quę est in Septentrionali littore, lacus Meler, ad Occidentē occurrit regio Vestermāniæ: post quam in eodē tractu est Neritiæ principatus, à Diua Brigitta uidua, & prophetissa (quę eum possedit) plurimū illustratus: cuius sacra ossa, curante D. Catharina filia eius, ex urbe Roma trāslata, non procul inde in celeberrimo monasterio Vastenensi ab ipsa D. Brigitta erecto (cuius eadē D. Catharina postmodū prima Abbatissa fuit) apud Ostrogothos requiescunt. Superest in hac parte extēsior Sudermanniæ regio: cuius lōgitudo ab Occidentē fertur ad Orientē itinere quinq; dierū: habetq; Episcopum Strengenensem: in cuius diœcesi multa monasteria uirorum, ac uirginum magnificè erecta, & liberaliter dotata conspiciuntur, quamuis etiam in cæteris diœcesibus multorum ordinum conuentus inueniantur.

Hactenus de Gothis, & Sueonibus, nūc transmisso mari Suetico, ad Orientem in Finningiam, siue Finlandiam calamus conuertatur, insulis Alandianis relictis, quæ magno numero in medio itinere amplo mari nauigantibus occurrunt. Igitur Finningia triquetra forma apparet: cuius unumquodq; latus continet centum quinquaginta milliaria Gothica: quę ter multiplicata, bis mille, & centum Italica constituunt: continet enim milliare Gothicum sex Italica, imò aliquando octo. Est in Occidua parte Finningię duplex Finlandia, Aquilonaris & Australis: illa latè in Septentrionem circa littora maris Suetici excurrit: hæc autem diœcesim, & ciuitatem episcopalem Aboēnsem complectens, in Meridiana Finlandiæ littora extenditur, à cuius Orientali latere prouincia Neolandiæ, hoc est, nouę terræ, principium sumens, circa littora Venedici sinus usq; ad Occidentales limites Moscouitarum uersus Orientem porrigitur, pariterq; cum sinu Venedico (qui sic à Vennis, hoc est, à Vandalis dicitur) terminatur. Deinde occurrit Carelia, quæ est cōfinis regio duorū maximorū principatuum, uidelicet Sueonū & Moscouitarum, Latinorum & Græcorum, Scandianorum & Scytharum Asianorum. Hæc siquidem Carelia à Meridie (ut dictum est) habet sinum Venedicum, à quo per multa terrarū spatia, utpote plusquàm centū milliaria Gothica, extenditur in Aquilonē, usq; ad Scricfinniam, & Oceanū Scythicū terminatur, relicta Moscouia ad Orientē, & Suetico principatu (cui paret) ad Occidentē. Hęc summatim dixisse uolui de amplitudine Finningiæ, siue Finlādiæ: quæ in suis mediterraneis latissimas habet regiones Tauestiā, Satacundiā, pluresq; alias prefecturas, quas magis attingere, quàm describere curaui superuacaneū ratus, illas terras describere, quarū Geographiam diligentissimo studio Olai Magni Gothi Lincopensis, fratris nostri, absolutū habemus, quā quicunq; considerauerit, nihil minus ex ea assequetur, quàm si easdē terras quoquouersus peragrasset. Quas tamen subscriptus index apertè demōstrat, quo facilè corrigi posint omnes illi errores, in quos ueteres, uel iuniores scriptores ex insulę Scādiāę ignorātia incidise notātur. Sed operępretiū fore puto, quòd ante Scādianę insulę indicē, dierū noctiūq; lōgitudinē ex secūdo libro Almagesti Ptolemęi capite sexto pręmittàm, principio ab eius Hyperboreis partibus assumpto.

Gradus

GRADVS ELEVATIONIS Poli Arctici.

Punctus poli, seu parall. 39.	90.	ubi maximus dies est mensiũ sex, atq; ex uno die naturali totus conficitur annus.
	89.	
	88.	
	87.	
	86.	
	85.	
Paral. 38.	84.	ubi maximus dies fermè 5. men=
	83.	(sium est.
	82.	
	81.	
	80.	
Paral. 37.	79.	ubi maximus dies constat ex 4.
	78.	(mensibus.
	77.	
	76.	
	75.	
Paral. 36.	74.	ubi maximus dies trium mẽsium
	73.	(est
	72.	
	71.	(mensium.
Paral. 35.	70.	ubi maximus dies duorum ferè
Paral. 34. pe= riscij uel circumbratiles.	69.	ubi maximus dies unius mẽsis est.
	68.	
Paral. 33.	67.	ubi dies maximus 24. horarum æquinoctialium.
Paral. 32.	66.	ubi dies maximus 23. horarum.
Paral. 31.	65.	ubi dies maximus 22. horarum.
Paral. 30.	64.	ubi dies maximus 21. horarum.
Paral. 29.	63.	ubi longior dies 20. horarum.
Paral. 28.	62.	ubi lõgior dies 19. horarum cum dimidia.
Paral. 27.	61.	ubi longior dies 19. horarum.
Paral. 26.	60.	ubi longior dies 17. hor. min. 30.
	59.	
Paral. 25.	58.	ubi maior dies 18. horarum.
Paral. 24.	57.	ubi maximus dies 18. ho. mi. 45.

Hactenus Scandianæ insulæ latitudo, & dierum differentia.

Paral. 23.	56.	ubi longior dies hor. 17. min. 30.
Paral. 22.	55.	ubi prolixior dies hor. 17. mi. 15.
Paral. 21.	54.	ubi longior dies horarum 17.
Paral. 20.	53.	ubi longior dies hor. 16. min. 45.
Paral. 19.	52.	ubi longior dies hor. 16. min. 30.
	51.	
Paral. 18.	50.	ubi longior dies hor. 16. min. 15.
Paral. 17.	49.	ubi prolixior dies hor. 16.
	48.	
Paral. 16.	47.	ubi longior dies hor. 15. mi. 45.
	46.	
Paral. 15.	45.	ubi extẽditur dies ad h. 15. m. 30.
Paral. 14.	44	ubi longior dies hor. 15. min. 15.
	43.	
	42.	
Paral. 13.	41.	ubi longior dies horarum 15.
	40.	
Paral. 12.	39.	ubi extensior dies hor. 14. 45.
	38.	
	37.	
Paral. 11.	36.	ubi maior dies hor. 14. 30.
	35.	
Paral. 10.	34.	ubi extẽditur dies ad hor. 14. 15.
	33.	
	32.	
Paral. 9.	31.	ubi longior dies horarum 14.
	30.	
	29.	
Paral. 8.	28.	ubi longior dies hor. 13. 45.
	27.	
	26.	
	25.	
Paral. 7.	24.	ubi longior dies hor. 13. 30.
	23.	
	22.	
Paral. 6.	21.	ubi longior dies hor. 13. 15.
	20.	
	19.	
	18.	
Paral. 5.	17.	ubi longior dies hor. 13. 0.
	16.	
	15.	
	14.	
Paral. 4.	13.	ubi longior dies hor. 12. 45
	12.	
	11.	
	10.	
Paral. 3.	9.	ubi extensior dies hor. 12. 30.
	8.	
	7.	
	6.	
Paral. 2.	5.	ubi longior dies hor. 12. 15.
	4.	
	3.	
	2.	
	1.	
Paral. 1. dupli= cis umbræ sub Aequinoctiali circulo.	0.	ubi semper æqualis nocti dies 12.

Sed hic considerandum puto, ipsum Ptolemæum longè aliter parallelos in primo libro suę Geographię, quàm in Almagesto tradidisse: hic enim 63. gradui polaris eleuationis parallelum 29. & in Geographia 21. assignauit. Proinde cuiusuis docti Lectoris arbitrio eam controuersiam concordandam relinquo: atque intereà me in uera graduum positione publico rectè philosophantium studio satisfecisse confido.

De VII. fratribus alienigenis.

CAP. III.



Declaratis Finmarchorum moribus, ac asperitate cœli, solique, sub quorũ aspectu, & natura, incredibilis hominum multitudo genita sit, & in uniuersum orbẽ antiquitus magis, quàm hisce tẽporibus, propagata, libet in primis cõmuni omniũ relationi insistere (cuius & Paulus Diaconus in principio hist. Longobardorũ quasi pro miraculo meminit) fidémque attribuere, in extremis Circium uersus Aquilonaris Germaniæ finibus, in ipso Oceani littore antrum sub eminenti rupe conspici, ubi septem uiri (incertum quo tempore) lõgo sopore sopiti quiescunt, ita illęsis, non solùm corporibus, sed etiam uestimentis, ut idem autor asserat, ex hoc ipso, quòd sine ulla per tot annorũ curricula corruptione perdurãt, dociles easdem, & barbaras nationes uenerationi haberi. Hi denique, quantum ad habitum spectat, Romani esse cernuntur: è quibus dum unũ quidam curiosa cupiditate stimulatus uellet exuere, mox eius (ut dicitur) brachia aruerũt: pœnaque sua cęteros perterruit, ne quis eos ulterius contingere auderet. Sicque uidetur, ad quem eos profectum per tot tempora prouidentia diuina conseruet: fortassis horũ quandoque (quia non aliter, nisi Christiani esse putantur) gentes illæ prędicatione saluandę sunt: quemadmodũ Sigebertus anno Domini CCCC. XLVII. refert de VII. fratribus apud Ephesum à Decio Imp. pro Christo tormentis, quòd spelunca se clauserunt, & facta oratione ibi obdormierunt, & post annos suæ dormitionis circiter CC. ore speluncæ, quod suo tempore Decius obstruxerat, patefacto diuinitus, à somno surgunt: & asserta fide nostræ resurrectionis coram Theodosio Imperatore, de qua multum dubitabatur, iterum dormiunt in Christo. Nomina eorum hæc sunt, quæ in baptismo acceperunt, Malchus, Maximianus, Martinianus, Dionysius, Ioannes, Serapion, Constantinus.

De Scricfinnia.

CAP. IIII.



SCRICFINNIA regio est inter Biarmiã, ac Finmarchiam sita, angulum tamen longiorem uersus Austrum, & mare Bothnicum emittens, quasi cauda sit principaliter appellata, quia incolę eius admirabili quadã celeritate certis planis lignis instar arcuum in anteriori parte curuatis, ac pedibus affixis, directione manualis baculi utuntur, quibus sese arbitraria uolũtate sursum, deorsúmque, uel obliquè super niuiũ cacumina transferunt expeditè: eo tamen

modo

modo seruato, ut unū lignum altero sit longius mensura unius pedis, iuxta uirorū, uel mulierum proceritatem: utpote si uir, uel mulier sit octò pedum longitudine, lignum unius pedis totidem habebit pedes in longitudine iusta, reliquū uerò nouem. Pręterea prouiderāt, quòd ligna illa subducta sunt tenerrima pelle uituli rangiferorū: cuius forma, & color ceruino colori assimilatur, sed longè procerior, & maior est: de cuius natura infrà libro de animalibus ostendetur. Cur autem pellibus tam tenerrimis hęc ligna subducantur, uarię redduntur causę, ut uidelicet celeriori lubricitate sese transferāt per altas niues, ut expeditius rupiū uoragines, & pręcipitia transuerso motu euitent, ut sursum dirigētes cursum, retrorsum nō excidant: quia pili instar sudium, aut echinorum se erigunt, miraq; naturę potentia, ne relabantur, obsistunt. Talibus igitur instrumētis cum ingenio currendi instructi, montium inaccessa, ualliumq; ima, hyberno pręsertim tempore assequuntur. Sed non ęquè facilè in ęstate, licet habeant niues: quia impressioni lignorum citissimè cedūt. Neq; enim ulla rupes adeo prominet, quin ad eius fastigium callida cursus ambage perueniāt. Primò siquidem uallium profunda relinquentes, scopulorum radices tortuosa gyratione perlabuntur: sicq; meatum crebrę declinationis obliquitate perflectunt, donec per sinuosos collium anfractus destinatum loci cacumen exuperent: quandoquidē idipsum uenationis ardore facientes, quandoquidē de ingenio, & artis magisterio contendentes, ueluti stadiorū cursores constitutum brauiū suscepturi. Quibus ingenijs, & cursibus, etsi Papa Paulus III. referente D. Philippo Archinto Episc. Salutiarū, almę Vrbis gubernatore, fidē adhibere noluit, tamen reuera sic se habet cursus iste, prout superius, & inferius demonstratur.

Adhuc de situ, & qualitatibus eius.
CAP. V.



QVid ueteres Gothicarum rerum scriptores de aspectibus syderū extremi Septētrionis, & gentibus, ac moribus eorū suo ęuo senserint, paucis ostendetur. Iordanes in principio historiarū suarū asserit, gentē esse in Arctoa, quę fertur in ęstate media 40. diebus & noctibus, luces habere continuas: itemq; brumali tempore, eodem dierū, noctiumq; numero, lucē claram nescire. Ita alternato mœrore cū gaudio, beneficio alijs, damnoq; impar est: quia prolixioribus diebus solem ad Orientem per axis marginem uident redeuntem. Breuioribus uerò non sic conspicitur apud illos, sed aliter: quia Austrina signa percurrit, & qui nobis uidetur sol ab imo surgere, illos per terræ marginem dicitur circuire. Aliæ uerò ibi gentes Erefennæ (quas rectius dixisset Scricfinnos) quæ frumentorum non quæritant uictum, sed carnibus ferarū, atq; auium uiuunt: ubi tanta paludibus fœtura ponitur, & ut augmentum præstent generi, & satietatem, ac copiam genti. Piscibus tamen sole, aëreq; siccatis frequentius uesci uidentur. Paulus Diaconus Longobardorum historicus lib. 1. cap. 5. dicit in Septentrione Stritobinos (quos uerius Scricfinnos appellasset) habitare, qui etiam ęstatis tempore niuibus non carent, crudis agrestium animalium carnibus uescentes, de quorum etiam hirtis pellibus sibi indumenta coaptant. Hi à saliendo nomen ducunt, Saltibus enim utentes, arte quadā ligno antrorsum incuruo ad arcus similitudinem feras assequuntur. Apud hos est animal ceruo simile, de cuius ego corio, ut fuerat pilis hispidū, uestem in modū tunicę genutenus aptatam conspexi. Verùm de illo animali, rangifero scilicet, & uestibus ex pilis eius, inferius forsitan mirabiliora dicentur.

centur.Igitur in his locis circa æstiuum solstitium per aliquot dies etiam noctu
clarissima lux cernitur,diesq; ibi multò maiores,quàm alibi habentur:sicut econ
trario circa brumale solstitium,quamuis diei lux assit,lux tamen ibi non uide-
tur, diesq; magis minuuntur,quàm usquam alibi,noctesq; longiores existunt:
quia quanto à sole longius disceditur,tantò sol ipsi terræ uicinior apparet, & um
bræ longiores excrescunt.Præterea Franciscus Irenicus lib.10. cap.9. Germaniæ
diligentissimus scriptor ad hanc Pauli Diaconi opinionem addit, calidiores no-
ctes esse apud alias gentes,quàm apud Germanos dies.Aristoteles huius ratio-
nem affert in problematibus,particula 27.quia sol propinquior est, & aër moue-
tur nihil minus quàm post diem. Higinius libro ult.Sol,inquit,ab Ariete transi-
ens ad Chelas,extendit sex mensium diem his,qui inter Arctos sunt.Item usq; ad
Arietem efficit his locis sex mensibus:econtrà illis,qui in Boreali polo sunt, ubi
sex mensibus noctem componit.Nec mirãdum hoc est,cum Homerus in Odys.
scribat,ubi Lestrygonum meminit,pastores audiri posse quorum unus mane ex-
eat,alius simul intret:tam paruo spacio illic noctem,& diem distare.Præterea Pli-
nius lib.2.cap.77. de longissimo,ac breuissimo die mentionem faciens,tradit in
Britannia diem esse 17. horarum,ubi æstate lucidæ noctes haud dubiè repromit-
tant id,quod cogit ratio credi,solstitialibus diebus accedente sole propius uer-
ticem mundi, angusto lucis ambitu subiecto terræ continuos dies haberi senis
mensibus,noctesq; econtrà ad brumam remoto:quod fit in Tyle sex dierum na-
uigatione uersus Septentrionem à Britannia distante.

*Descriptio Tyles insulæ,quæ est apud Ioannem in uita Hathonis 86. Sueonum Regis in-
terni lib.suæ historiæ 8. ex Procopio desumpta.*

Hathinus,à cuius nomine Regia sedes Hathuna apud Suecos nomē accepit, in latissimo
principatu,quē Rodulphus insigni magnanimitate contempserat,successit,eo ferè tēpore,
quo Iustinianus ille legũ cōditor imperabat.Huius Hathini memoria apud Procopiũ Græ
cum historicũ memorabilis inuenitur.Quippe in 2.lib.belli Gothici mentionē Herulorum
faciens,asserit eos tempore ipsius Hathini,quē Datinum uocare uidetur,Regē ex insula Ty
lensi,quam Plinius,& alij pleriq; Scandianã uocant,sibi elegisse. Cuius uerba prout ab eo
posita sunt,prius assumã:deinde ea omnibus modis amplissimę Scandianę insulæ conueni
re probabo.Heruli siquidem,inquit ille,eorũ Rege Amarico temerè interfecto, cum suorũ
morum ut feritatem,ita & animi præ se furorem tulissent,pro patrato iam scelere nil aliud
causæ afferebant,nisi quòd sub nullius se uelle in posterum dicerent imperio esse: tametsi
ante hac nemo ferè,qui in hos imperium habuisset,à priuato quouis differret,ut cui omnes
sine discrimine & assidere,& conuesci unà impudenterq;, & ut cuiq; placitum conuitiari,
iurgariq; soleant,adeo ut nullis uspiam hominum Heruli fuerint intemperantia,& leuitate
inferiores. Iamq; eos facti pigebat:nec sine Principe esse,nec sine duce ad bellum uitam se
ducere posse apertius affirmabant.Itaque cum multum ac sæpe ea de re consultassent, præ-
stare omnibus uisum est,ut ex Tyle insula,unde eis origo esset,aliquem sibi Regio ex gene-
re confestim excirent,qui his imperaret.

Constat autem Tylen hanc insulam longe plurimum undequaq; potentissimam esse,
quippe quam decies ferant maiorem esse,quàm Britannia sit,à qua longius abest,ut in Bo-
ream sita.Hac ipsa in insula deserta pleraq; sunt,& ingentibus uacua spatijs loca: quæ uero
frequentiora ędificijs sunt,& hominum cultu,nationes tredecim numero incolunt, afflu-
entissima quadam mortalium multitudine, Regesq; singulis nationibus pręsunt. Et apud
has uniuersas,mirandum quid fieri contingit. Siquidem circa supremum ęstatis tempus,
dum in autumnum hęc se circumagit,ad quadragesimum plurimum diem haudquaquam
sol in Occiduum uergit,sed per omne id tempus supra terram existit,& uisitur. Dein non
minore quàm mensium sex interuallo,circa hyemis postrema,eadem in insula per dies sol
quadraginta nusquam comparet,sed perpetua hęc offunditur nocte:unde & per id tempo
ris negotiorum omnium remissio tenet qui in ea regione sunt homines: quandoquidem
nullo pacto uersari inter se hi mutuo queant.Mihi uero hanc insulam adeundi, etsi nimi-
um peroptanti,oblata nunquam occasio est,ut miranda ista conspicerem:ab his tamē,quę-
rendo,& sciscitando,qui inde se ad nos contulerunt,num ea in insula statis temporibus sic
oriretur,ut traditur,sol,& occideret,certiorem esse eius rei comperi famam,ex eorum prę-
sertim


fertim relatu,qui solem identidem affirmarent per dies hos quadraginta ne occidere quidem,sed eius regionis hominibus in Orientem alibi comparere.& nõnullis in locis ad Occidentem,ad Horizontemq; rursum hũc redeuntem,eundem sese in locum recipere,ubi & die superiore Orientem conspexerant:& huncin modum noctem unã hos computare iam pertransisse:rursumq; cùm noctium tempus aduenerit,ut lunæ,ita & sydерũ cursibus aliorum animaduersis dierum hos spatia contemplari:deniq; dierum quinq; et triginta magnę huius & perpetuæ noctis transacto iam tempore,in montium cacumina ex eorum consuetudine nonnullos emittere speculatum,ut sicunde fortè,& ex aliqua specula solem prospexerint,hominibus statim inferiora tenentibus loca renuntient,post quintum diem ut his sol omnino illuceat,fore:tunc uniuersos,ut fausta sibi renuntiata,panegyricis laudibus celebrare:& hæc ipsa in tenebris agere. Et Tulithis hæc quidem hominibus præcipua quædam sunt solennia,cæterorumq; maxima. Mihi uerò formidine detineri insulæ huius habitatores uidentur,tametsi id eis in singulos annos contingat,ne se prorsus sol ipse destituat.

Ex his uerò,qui Tylen hanc insulam incolunt, barbarorum natio quædam,ac sola,qui Scricfinni uocantur,belluarum in morem uitam ducunt, ut qui nec uestibus operiantur, nec calceati incedant,nec uino utantur in potum,nec ullum habeant è terra edulium, quandoquidem nec eam excolunt,nec semine quicquam operentur: sed cum uxoribus uiri uenationibus student. Bestiarum namq;,& animantium,cæterorumq; uim maximam his exhibent syluæ,quæ uastæ ea in regione procul dubio sunt,& æditissimi montes: unde ferarum carnibus diuescuntur assiduò, quas uenando comprehendunt: & earum tergoribus uestiuntur,cùm apud eos lini lanæue nullus sit usus,nec consuendi ars ulla, uel instrumentum,sed belluinis hi neruis inuicem tergora colligantes, totum integunt corpus. Atqui barbarorum id genus uitam sic transigit. Alijs uerò in rebus Tulithæ omnes,nõ magnum in modum à cæteris mortalibus differunt. Deos siquidem, ac dæmones plurimos colunt, cœlestes partim,ut rentur,partim aërios,& qui terræ ac mari præsideant,& eiusmodi alijs, qui in aquis,ac fontibus,fluuijsq; uersari traduntur:hisq; frequentissimè immolant cuiusuis generis hostias. Sed uictimarum potissima apud hos uir aliquis est,quem omnium primum in prælio ceperint:hunc nimirum mactando, Marti sacrificant,ut quem Deorum maximum ducant. Sed ea est apud hos immolandi consuetudo,ut non solùm hostiam mactẽt, sed in arborem uiuam hanc prius suspendant:indeq; inter senticeta & uepres proiectam,sic uarijs ac miseris modis excruciando conficiant. Id uitæ genus Tulenses ducunt, gens sane in terris hauddubie unica,quę hominum exuberet multitudine. Et hos quidem fuisse fat constat,ad quos olim cohabitandi ob gratiam,aduenę Heruli diuerterint. Nunc uerò Herulorum è gente,qui apud Romanos (ut diximus) meruerant, sui Regis cæde patrata,è primoribus quosdam ad Tylen insulam mittunt,qui diligenter peruestigando ad se demum deducerent,si quem fortè regio ex sanguine oriundum ea in insula inuenirent. Tum illi,ubi eò est peruentum,plerosq; comperiunt Regij generis homines ibi adesse,è quibus uno duntaxat qui sibi perplacuisset delecto,ac secum deducto,reuertebantur. Sed qui fortè deducebatur,morbo correptus emoritur. Vnde rursum Heruli insulam repetũt,& alterum quempiam, Datinum nomine,secum abducunt. Hunc Aordo germanus frater,& ex Herulis,qui Tules erant,iuuenes ducenti sequuntur. Longas igitur in itinere faciendo his moras trahentibus,Herulos,qui ad Tylen insulã nuntios miserant,cogitatio subijt:nullo suo ex commodo id se facturos,si Iustiniano inuito ex Tyle Principem sibi exciuerint. Vnde confestim Byzantiũ mittunt,Imperatorem rogatũ,ducem quem mallet sibi ut traderet. Tum ille Herulum his quempiam Byzantij diu uersatũ mox mittit,Suartmannum nomine,quem Heruli tum primum benignè susceptũ,uolentẽ quidem ut Regẽ salutant,& uenerantur,iubentiq; consueta obsequũtur,& parent. Haud multos indè post dies aduenit,qui his nuntiaret in proximo esse,qui ex Tyle insula ad se missi cum Rege redirent. Suartmãnus uerò uenientes hos perditurus,obuiàm ire Herulos mox iubet. Tum illi Regis uoluntate probata,hũc statim sequuntur. Verùm ubi diei iter à suis hi abfuere,nocte clàm Rege deserto,uno agmine omnes ad eos,qui nuper ex Tule aduenerant,ultro transfugiunt. Suartmannus uerò ab omnibns destitutus,Byzantium solus profugit:quem Imperator Iustinianus in principatum restituere omnibus uiribus nitebatur,sed Heruli Romanorum potẽtiam ueriti,ad Gepidas defecerunt. Hactenus ex Procopio Tylensis insulæ descriptio ad uerbum assumpta,Scandiam insulam adeò ueraciter exprimit,ut in nullo,nisi solo nomine (teste Francisco Irenico)ab ipsa differat. Causa autem,siue occasio,cur etiam Tule nominetur, assignari poterit. Siquidem nauigantibus à Britannia in Borealem,siue Aquilonarem Scandiã,primò in ipsius littore occurrit terra Tylemarchiæ(quasi diceretur Tylensium patria)haud exigua Noruegiani regni portio, Cętera quoq; ita cõueniunt,ut nulla prorsus differẽtia inter

hanc,& illam inueniri queat. Scricfinnos, quos Procopius in extremis Tyles partibus collocat, Iordanes, Paulus Diaconus, Irenicus, compluresq; alij, ultimis Scandiæ desertis attribuunt. Constat præterea nullam aliam insulam potentissimam, & affluentissima quadam mortalium multitudine inhabitatam, à Procopio asignari potuisse. Quam enim aliam decies maiorem tota Britannia, tredecimq; nationes, & totidem regna in se continentem adduceret? quippe cùm Plinius ipsam alterum orbem uocari dicat. Nec alibi quàm in Scandia, diuturnior dies in æstate, & rursus prolixior nox per hyemem inuenietur. Quòd autem in tam prolixæ noctis tempore intermissionem omnium negotiorum affirmet, non assentio, cùm compertum sit lunare sydus, pauco intermisso tempore, nocturnos congressus, parum minus quàm solem ipsum diuturnas operas adiuuare: restantq; absente sole duo crepuscula, uidelicet matutinum, & uespertinum, in quibus pauculæ diei reliquiæ noctes ipsas (ne penitus noceant) illustrant: imò suppolares ipsi, ut sphæralis ratio satis ostendit, continua luce, nullis interrupta tenebris, perfruuntur. Cæteris uerò Scandianis, ut magis uel minus suppolaribus accedunt, noctes diesq; augentur, uel diminuuntur. Scricfinni uerò non adeò destituti sunt indumentis, quemadmodum idem Procopius dicit, qui asserit eos nec uestibus operiri, nec calceatos incedere: quinimò ut ait Iordanes, pretiosius induuntur, quàm magni Principes, qui nullum indumentorum genus pretiosius putant, quàm zabellinis, & hermelinis pellibus subductum. Et hæ quidem pelles omnibus Scricfinnis, cuiuscunq; fuerint sexus, ætatis, aut ordinis, adaptantnr. Suntq; apud eos pretio uili, & ferè nullo, præsertim hermelinæ, quas omnium uilissimas putant, eò quòd fœdissimus sit eorum animalium coitus, lepraq; ex earundem pellium contactu generetur. Proinde prudentius agerent Principes, si à se hermelinas procul remouerent. At dicis uinum eos non habere: fateor equidem id uerum esse. Sed quid opus est Scandianis uino, qui sine eo robustiores sunt cæteris mortalibus uino utentibus, & eius haustu non rarò periclitantibus? Ait quidam Romanus Imperator suis militibus: Cur de defectu uini conquerimini, cùm Tyberim habetis? Ad cætera uerò, quæ Procopius de Tylensibus dicit, opportuniore loco respondebimus. Interea ad Hathinum redeuntes, attendamus ipsum Herulorum legationem benigno promptoq; animo excepisse, eisq; Vlfonem fratrem suum in Regem cõstituisse. Quem cùm mox in ipso itineris ingressu mortuum didicisset, in magnam suspicionem deuenit, ipsum dolo & insidijs deducentium perijsse. Proinde missis confestim post terga abeuntium copijs, Herulos ad se reuocauit. Qui postquam innocentiam suam euidentibus argumentis declarassent, ab Hathino eiusdem nominis filium in regni successorem impetrauerunt: quem abeuntem Tordo, aliàs Aordo, germanus frater, unà cum Herulorum nobilissimis deducit: deductusq; non solùm Herulis, sed etiam Gepidis Rex constituitur. Cætera huius Hathini gesta, ingratæ obliuionis silentio perierunt.

De uentorum nominibus, & effectibus eorundem.

CAP. VI.




TRadit Aristoteles lib. 1. Meteor. quosdam sapientes, omnes uentos unum nominasse uentum, sicuti omnia flumina unum flumen natura: ponentes, uentum esse aëris motum, & quòd diuersitas uentorum accidit pro diuersitate locorum. Sed quia hoc dixerunt absq; inquisitione, melior, & rectior fiet sermo causis naturalibus consyderatis. Nunc uerò notissimum relinquitur, quatuor esse uentos principales, uidelicet Meridionalem, siue Australem, Septentrionalem, Orientalem, ac Occidentalem. Australis ob sui loci principium, sed maximè progressum, calidus est, & humidus, ex adiunctis uaporibus calidis, & siccis flatum suscipiens uehementem: quo etsi hyemis tempore in Septentrionem peruenit, tamen frigoris asperitate illicò repercussus euanescit: donec uero solis adiutorio regrediens, glacies, & niues in flumina cogat. Septentrionalis huic oppositus, frigidus est, & siccus: quod ex nimia solis remotione contingit. Cùm enim

enim ſol ad eum aduenerit, altiſsimus eſt, & à terra remotus: idéoq́ in aëre fiunt nubes, & frigora fortiora. Orientalis in calore, & frigore temperatus eſt, à collateralibus uentis mutabilem ſuſcipiens qualitatem: in dextra parte à Vulturno uim deſiccandi, in ſiniſtra ab Euro nubes generandi. Suntq́ generaliter Orientales uenti Occidentalibus ſemper meliores. Occidẽtalis, cuius locus, unde exit, ut temperatus eſt, & aliquantulum frigidus & humidus, ita & ipſe uentus inde procedens: qui ſi in principio noctis flauerit, & in principio diei, quia ueniunt ab aëre, in quo ſol operatus non eſt, ſpiſsiores erunt, & groſsiores uenti: quòd ſi in fine diei, & principio noctis flauerint, erunt ſicciores, & ſubtiliores. Sunt & alij octo uenti iſtorum ſuffraganei, & natura ſuorũ principiorum affines, non tamen adeò feruentes. Horum unuſquiſque dum mouetur, natura aëris, & corporum complexiones mutantur. Boreas enim corpora indurat & confortat, humores & ſpiritus clarificat, cerebrum ſanat, ſenſus ſubtiliat, motum confortat, malos humores, ne in alia membra diſcurrant, contrahit: quod ideò fit, quia corporis exteriora refrigerat, & calor naturalis intus adiuuatur. Tuſſes facit, & dolores pectoris, propter deſiccationem ſpiritualis inſtrumenti: digeſtiones, & urinam ſtringit, dolores oculorum parit, corporibus frigidis nocet. Auſter econtrariò neruos emollit, corpora, humores, ſenſus, & ſpiritus turbat: inde grauitas auditus, uertigo oculorum, pigritia, tarditas motus: caput grauatur, uirtus digeſtiua langueſcit: quia uentus hic calidus eſt, & humidus, cerebrum impellens humidis humoribus: quæ omnia humectationem, & cerebri denotant defectionem. Defectio enim digeſtibilis fit ex humoribus à cerebro ad ſtomachum deſcendentibus. Orientales autem, & Occidentales uenti, ex ſui temperie ſunt corporum temperatiui: octo uerò alij ſecundum naturam ſuorum principalium operantur circa corpora, ſed tamen mediocrius. Inter omnes autem uentos Plinius ait Septentrionalem eſſe ſaluberrimum, & Auſtrum noxium, ac æſtuoſum: reliquos uerò temperatos. Omnes tamen uenti uicibus ſuis ſpirant maiore ex parte: aut, ut contrarius deſinenti incipiat, cum proximè cadentibus ſurgunt. A læuo latere in dextrum ut ſol ambiunt. Iiſdem autem uentis in contrarium nauigatur prolatis pedibus, ut noctu plerunq́ aduerſa uela concurrant. Auſtro maiores fluctus eduntur, quàm Aquilone, cùm ille infernus ex imo maris ſpirat, hic ſummo. Noctu Auſter, die Aquilo uehementior: & ab Ortu flantes, diuturniores ſunt ab Occaſu flantibus. Sol oriens, & occidens, auget fluctus meridie, comprimit temporibus æſtiuis: comprimuntur etiam uel nimio æſtu, uel frigore, uel imbribus. Sunt etiam particulares uenti quibusq́ gentibus, uti Circius à Noruegia cadens in ruinam Hollandorum, ſeu Batauorum. Item Helleſponticus, quo (Herodoto lib. 7. referente) perijt maxima pars 10. Xerxianæ claſsis, nempe 400. naues: erat enim uenti uis intolerãda, ut infrà de Circio oſtendetur. Item uentus Corus, et Circius, quaſi omni anno in mari Gothico, ſeu Suetico, adeò inſuperabili tempeſtate ſæuiunt, ut maxima nauium multitudo uel ſubmergatur uel diro naufragio pericliterur: imò nec aggeres, aut lapides littorales ita firmati, compoſitiq́ uidentur, quin aliquando uentis eiſdem abſorpti, in uiſcera maris refluentibus undis extrahantur, ut infrà dicetur.

De neceſſaria cognitione uentorum.
CAP. VII.

HAc imagine declaratur admirabilis obſeruatio diuerſarum regionum orbis maximè Septentrionalium, circa ſolis, & lunæ proprietates, in qualitatibus aëris conſyderandis, eo uidelicet modo, quòd ſol purus oriens, ac non feruens, ſerenum annuntiat diem: pallidus autem, grandinem. Si uerò occidit pridie ſerenus & oritur, tantò certior fides ſerenitatis habetur. Croceus autem oriens, pluuias indicat: idemq́ uentos, cùm ante ipſum orientem nubes rubeſcunt. Quòd ſi ru-



bentibus interuenerit, pluuias deſignat orituras. Circa occidentem cùm rubeſcunt nubes, ſerenitatem futurę diei ſpondent. Si autem in eius exortu ſparguntur partim ad Auſtrum, partim ad Aquilonem, pura licet circa eum ſerenitas ſit, pluuias tamen cum uento ſignificant. Et ſi in eius occaſu pluat, aut radíj nubes in ſe trahant, aſperam in proxima die tempeſtatem ſignificat. Si autem in oriente radíj illuſtres eminent, quãuis circundati nube non fuerint, pluuiam prętendunt. Si nubes ante ſolis ortum globentur, aſperum denuntiat imbrem: ſi ab ortu repellantur, et ad occaſum abeant, ſerenitatem. Si nubes ſolem circuncludant, qui nihilominus in ſe purus, unius orbis, & ſerenus relinquatur, tantò tempeſtas erit turbidior: ſi uerò duplex etiam orbis fuerit, tantò atrocior. Quòd ſi ex ortu, uel occaſu fiat, ita ut rubeſcant nubes, maxima oſtendetur tempeſtas. Si non ambiunt, ſed incumbant, à quocunq; uento fuerit, idem portendunt. Si à meridie, imbrem. Si oriens orbe cingatur, ex qua parte is eruperit, expectetur uentus. Si totus æqualiter effluxerit, ſerenitas erit. Si ante ortum radíj ſe oſtendunt, pluuiam, & uentum portenduut. Si circa occidentem candidus circulus erit, noctis leuem tempeſtatem. Si nebula, uehementiorem. Si cadente ſole, uentum. Lunæ autem quarta æquè atrentè obſeruatur. Si explendens exorta puro nitore fulſerit, ſerenitatem creditur portendere: rubicunda uentos: nigra uerò pluuiam: erecta, & inſecta, uentos ſignat: obtuſa pluuiam. Cornu Septentrionale acutum, rigidum, præſagit uentum: inferius, Auſtrum: utraq; uerò recta quarta, noctem uentoſam. Si quarta die luna recta fuerit, grauem tempeſtatem in mari præſagit: niſi habeat circa ſe coronam, cùm illo modo non ante lunam plenam hyematuram oſtendit. Si plenilunio per dimidium pura fuerit, dies ſignificat ſerenos: ſi rutila, uentos, nigreſcẽs, imbres. Et ſi orbe aliquo nubem incluſerit, uentos deſignat: quam ſi ruperit, & ſurrexerint orbes gemini, maiorem tempeſtatem: & magis ſi tres, ſecundum quòd aut albi, aut nigri: quidam interrupti, aut diſtracti orbes fuerint. Naſcens luna, ſi cornu ſuperiori ab Arcto ſurgit, pluuias decreſcens dabit. Si plena circa ſe orbem habuerit, ex ea parte uentum oſtendit, ex qua is maximè ſplendebit. Si in ortu lunæ cornua fuerint groſſa, deſignatur tempeſtas horrida. Si autem quarta orbem habuerit uento Fauonio flante, hyemalis erit toto menſe. Si quintadecima uehementius flammæ apparuerint, aſperas tempeſtates portendit. Sunt & ipſius lunæ ſeptem articuli, quoties in angulo ſolis incidit, pleriſq; intra illos tantum obſeruantibus præſagia, tertius, octauus, undecimus, 15. 19. 23. 25. De radíjs autem, & uirgis ſolaribus, ac lunaribus ſupradictis, ſatis ſe reſoluit Seneca lib. 6. nat. quæſt. aſſerens, certum genns earum eſſe unius radíj, quæ ſi per anguſta foramina tenues, et intentæ, diſtantesq; inter ſe diriguntur, imbrium ſunt ſigna deſcenſurorum. Cometæ uerò ferme omnes ſub Septentrione, ſub lacteo circulo nunquàm in Occidua parte, ſi Plinio lib. 2. cap. 25. credendum erit, breuiori 7. & longiſſimo 80. dierum ſpatio, apparere uidentur.


De





De futura qualitate uentorum.

CAP. VIII.



QVod si uiro insigni Victruuio in fundamento, complementoq́ structurarum perpetua commendatio sit attributa, quòd noxios, sanosq́ uentos in terra firma seruandos, uel euitandos prospexerit, & docuerit, quantò amplius commendandi sunt autores, qui in uastissimo mari, horridaq́ solitudine docuerint sequēdos, uel fugiendos esse uentos: quorum notitia salus, ignorantia uerò mors, & pernicies infallibiliter apparebit. Contingit enim uentorum experientia, & notitia, infelices homines non minora uitæ discrimina quãdoque in inuijs nemoribus inter crudeles bestias errabundos euadere, quàm in marinis tempestatibus, & procellis, horrenda naufragia, imô mortem præsentissimam declinare. Hanc artem Tartari Scythæq́ callentes, uiamq́ in solitudinibus non habentes, prospere etiam tempore belli sæpius proficiscuntur: hanc fortan naturæ regulam imitantes, quòd densiores arborum uertices, & rami ad Austrum sole contracti, humanas habitationes frequentius errantibus indicant, sicuti uersus Occidentem declinanda sunt crepuscula longiora. Quod quia militares homines, Reges quoque, ac principes infaustis prælijs quandoque pressi, uel fugati, experiri coguntur, longè utilius esset, ut in otio uirtutem uentorum potius, quàm taxillorum amplecterentur, ne ob ignorantiam tam facilis, ac utilis disciplinæ, in uitæ discrimen, aut mille pericula, uel hostilem captiuitatem, ubi mori potius, quàm uiuere uellent, perpetuò gemebundi laberentur. In mari autem, etsi aliena directione contra omnem uentorum, tempestatumq́ iniuriam, & sæuitiam uidentur securi: propria tamen experientia, necessitate urgente, frequentius euadunt feliciores: eoq́ casu uno principe, Rege, uel duce euadente, infinita hominum multitudo, seu regna, pristinæ felicitati restituuntur. Sed quomodo id fieri soleat, inferius lib. de campestribus bellis, & eorum stratagematibus, specialiter ostendetur.

De necessaria cognitione uentorũm.

CAP. IX



QVia igitur de necessaria cognitione uentorum hic sermo subiectus est, congruit præfari ad mentem Isidori lib. 13. qui sic diffinit eundem: Ventus est aër commotus, & exagitatus: sic dictus, eò quòd uehemens sit, & uiolentus. Vis etenim eius tanta est, ut non solùm saxa & arbores uellat, sed etiam cœlum, terramq́ conturbet, & maria commoueat: pro diuersis partibus cœli diuersa nomina adipiscens. Ventorum autem spiritus quatuor sunt principales: quorum primus ab Oriente Subsolanus, à Meridie Auster, ab Occidente Fauonius, à Septentrione eiusdem nominis uẽtus aspirat. Horum quisq́ hinc inde geminos collaterales habet. Subsolanus à latere dextro Vulturnum, à leua Eurum. Auster



à dextris Euroaustrum, à sinistro Austroafricum. Fauonius, qui & Zephyrus dicitur, à parte dextra Africum, à sinistra Corum. Septentrio à dextris Circium, & à sinistra Aquilonem. Hi 12. uenti globum mundi flatibus circumagunt: quorũ nomina ex proprijs causis asignantur. Nã Subsolanus dicitur, quia sub solis ortu nascitur. Eurus, quia ab Eoo flat, id est, ab Oriente. Vulturnus est Subsolano coniunctus, quia ab alto tonat. Auster ab hauriendo aquas: unde & crassum aërẽ facit, & nubila nutrit. Hic Gręcè Notus uocatur, quia interdum aërem corrumpit: nam pestilentiam ex aëre corrupto natam, Auster flans in regiones reliquas transmittit. Sed sicut Auster pestilentiam gignit, sic Aquilo repellit. Euroauster dicitur, quia ex una parte habet Eurum, & altera Austrum. Austroafricus, quia hinc inde iungitur Austro, & Africo. Zephyrus Græcè, eò quòd flores, & germina flatu eius uiuificentur. Hic Latinè Fauonius dicitur, eo quòd foueat quæ nascuntur. Austro flores soluuntur, Zephyro fiunt. Africus à propria regione uocatur, quia ibi flandi initium sumit. Corus ab Occidente æstiuo flat: sic dictus, quia uento circulum claudit, quasi choros faciens. Septentrio, eo quòd à circulo septem stellarum consurgit, quæ uergentes è mundo resupinato capite ferri uidentur. Circius dicitur, quia est Coro coniunctus. Aquilo, quia aquas stringit, & nubes dissipat. Est enim uentus gelidus, & siccus. Idem Boreas, quia ab Hyperboreis montibus flat: unde natura frigidus est. Natura enim uentorum Septentrionalium frigida est, et sicca: Australium calida, & humida. Ex omnibus autem uentis duo cardinales sunt, Septentrio, & Auster. Extra hos duo sunt spiritus, ubique magis quàm uenti aura in terra, altanus in mari. Præter hos uentos iam enumeratos, surgit alia uentorum distinctio, quam Victruuius lib. primo habet: quæ continet 24. uentos. Demum mare Gothicum, & Liuonicum nauigantes, necesse habent propter insulas ac saxa latentia, uentorum distinctionem ad uentos 32. (nisi singulo momento periclitari maluerint) accedendo, ac fugiendo numerare, ac considerare.

De uehementia uenti Circij.

CAP. X.



QVanta sit uentorum austeritas, & sæuitia in locis Septentrionalibus, abdita naturæ causa uix poterit, nisi per eorum manifestos effectus, explicari, præsertim de uento Circio, qui sicut nulli uentorum uiolentia inferior est, ita nedum in Aquilone, sed ubi cunque uel sui natura, uel loci exhalatione uehementiam susceperit, omnia rapit, ac concutit, ut cœli, terręq; conturbator appellari mereatur. Et quia huiusmodi uiolentiæ infinita in diuersis mundi regionibus afferuntur exempla, etiam à magnis scriptoribus in libros relata, unum tamen atque alterum adduxisse contentus, ad eius potentiam, quam in Septentrione demonstrat, retorquebo modum. Portus est in Islandia (terra scilicet mari glaciali uicina, sub dominio regni Noruegiæ, uulgari sermone Vestrabord) Occidentalis dictus, penes quem in littoralibus spatijs, & campis obequitantes amati, potenti flatu huius uenti Circij quasi

ſtuppa proſternuntur in terram. Similiter penes portucrypticos, id eſt, in cauernoſis rupibus, & antris habitantes, eò præcipuè tempore brumæ, quo ſol regreditur ad ſolſtitialia ſigna, quando in marinis fluctibus uenti ſunt temperatiores. Sunt pręterea montes in Hybernia mediocri ſublimitate in pluribus locis eminentes: in quibus, ſi quis iter hoc Circio uento flante perficere tentauerit, nedum periculum, & ruinam expectare cogetur, ſed ſpiritus ſuffocationē in præcipitijs uoraginoſis. Præterea quàm formidabilis, & noxij ſint uenti in Occidentalioribus Noruegię ripis, ipſi incolę, imò & alienigenæ eò confluentes, non ignorant. Nullum enim lignum, neq; fruticem, ob uiolentiam huius uenti, ibidem germinare intuentur. Quo fit, ut ob eorum defectum in ignibus inſtruendis, cibisq; coquendis, oſsibus magnorum piſcium utantur. Quantum etiam ſęuiat uentus iſte in Occidentalioribus Bothniæ littoribus, ipſi habitantes magno incommodo ſuo ſępius experiuntur. Rapit enim integra tecta domorum, eaq; per immenſa terrarum ſpatia diſſoluta diſpergit. Quod & fieri apud Narbonenſes, & Beneuentanos, Cato, Procopiusq;, uariata ratione pro locorum diſtantia, meminere: quòd ſcilicet armatum hominem, plauſtrumq; oneratum in præcipitium trudit. Hoc & in ponte Viennenſi ducatus Auſtriæ ſæpius uetuſto tempore factum fuiſſe teſtantur annales, donec modernis temporibus prouida Regis Ferdinandi magnificentia, & commiſsione factum eſt, ut iuribus telonij præſidentes, in capite pontis periculorū ignaros turribus præcipuè accedentes, conſilijs dirigant, ac uiribus adiuuent, quibus ſecurius tam longos, uaſtosq; pontes, amato periculo, exuperare poſsint. Neq; hęc ciuilitatis officia gratis feciſſe queruntur, quoniam à uiatoribus de tāto periculo erutis liberaliter remunerantur. Quòd autem Procopius paulò ante allegatus, propriam interpretationem retineat clariorem, lib. 1. de Beneuento Italiæ oppido ita ait: Quondam priſci dixere Maleuentum: id nanq; oppidum Dalmatiæ ex aduerſo oppoſitum eſt, in continentiq; ſitum: in quod ſpiritus uiolentior quidam, & acerbiſsimus ingruere conſueuit: qui utiq; ubi flare cœperit, non foris iter agere, ſed domi ſe quisq; conſeruare laborat. Nam uenti huius ea eſt uiolentia, ut uel equitem cum equo ſimul arreptum, ſublimem mox deferat, diuq; per aërem circumactum, & quocunque tulerit caſus, proiectum interimat: unde & Maleuentum, & in edito poſitum, ex eo uento toleratu difficili ſortitum eſt nomen. Eo forſitan uento Cambyſis exercitus obrutus eſt, ut Strabo refert lib. 17.

De uiolentia turbinis, ac tempeſtatis.

CAP. XI.



TVrbines, ac tempeſtates Septentrionalium locorum, uim habere terribilem, ac periculoſam, nemo, qui ſecreta naturæ didicit, aut ſcrutatur, ignorat: præſertim cùm multiplex, ac indeficiens eius originis cauſa, materiaq; reperiatur. Turbo igitur eſt (dicente Iſidoro) uolubilitas uentorum: & dicitur à terra, quoties uētus conſurgit, et terram in circuitu mittit: quē turbinem (Seneca naturalium quæſti. teſte) efficit plurium uentorum inter ſe colluctatio. Et hæc circa terras concipitur, & fertur: ideoq; arbuſta radicitus euellit, & in quodcunque incubuerit ſolum nudat, ſyluas interim, & tecta corripiens, inferior ferè nubibus, altior utiq; nunquam. Huius rotunda facies eſt: dum columnæ modo circumagentis ſe uoluitur, omni nube uelocior rapitur. Eius & motus uagus

gus est, & dissectus, ac uerticosus. Diu autem manere non potest: nam cûm ua
gus, & incertus spiritus colluctatus est, nouissime tamen minimus omnium ce-
dit. Nulla itaque tempestas perdurat magna, sed tempestatum procellæ, quantò
plus habent uirium, tantò minus temporis, uentiq; cum ad summam ueniunt,
omni uiolentia remittuntur: & ista concitatione necesse est, ut in exitium sui ten-
dant. Nemo itaq; turbinem toto die uidit, sed nec hora quidem. Mira eius uelоci-
tas est, & mira breuitas. Violentius, ac celerius circa terram uoluitur, quò est eò la
xior, & ob hoc diffinditur. Fit etiam, cùm spiritus segregatus ab aliqua nube of-
fenditur, et circa eam uoluitur, at circa eam circulum faciens, corrobatur, ita ut par
tem nubis accipiat, quasi ab eo inseparabilis, ea, quæ rapit, in circuitu mouens, ex
itumq; non inueniendo, in seipsum iterum reflectens. Vnde & ex mari sæpe au-
fert aquas sub nauibus, nauesq; subuehit in sublime: etiam ex terra lapides, ac alia
animalia, & paululum erepta dimittit. Nec solùm ea, sed plumbea tecta templo-
rum, ac ædium diuersarum, imò & fortissima signa, quæ ad aëra rapit, atque alio
accedente spiritu uehementiore, transuehit in spatia longiora: sæpissimè etiam in
tegra molendina uentorum cum ingentibus saxis turbine inuoluta, saluis homi-
nibus in loca remota euehuntur: imo adeò ingens turbo descendit, ut urbes, castel
la, & uillas inuoluens, tecta longius (ut dictum est) ad campos dispergat, prout
Vincent. lib. 25. spe. hist. cap. 87. attestatur, etiam lib. 26. cap. 26. de turbine faciens
mentionem. Nec attestatio Diodori Siculi deest in 6. histo. dicentis, in partibus
Aquilonis miram esse uim uentorum. Nam æstate ab Occidente, Septentrioneq;
perflant tanta ui impetuq; uenti, ut lapides, quantos manus possit continere, à ter
ra rapiat, ac ueluti arenæ lapillorum aceruos haud paruos cumulet, & ut aliquan
do ab hominibus arma, & uestes, quandoque ascensorem ui ab equo auferat, ue-
luti proximo capite fuerat commemoratum. Quinimò in Vichia Noruegiæ ali-
quando accidit, ut aëre, soleq; maximi pisces torrendi, è perticis instar tabularum
ui turbinum in magna congerie à diuitum piscatorum locis, in ædes pauperum
eiecti, tanquam donum diuinitus datum recipiantur. Nec actio competit repen-
ti: quia Deo reseruatur iudicium, quòd egenti subuenit.

De diuersis effectibus tonitruum, fulminum, & coruscationum.

CAP. XII.



FOrmidabilem uim, & effectum habent tonitrua, fulmina, atque coruscationes in Septentrionalibus terris, præsertim uersus loca opposita meridiei, propter fertilium locorum crassum uaporem: qui cùm humidus ascenderit ad locum frigidum, uidelicet ad medium aëris, inspissantur, ac aggregantur partes eius, diuersosq; causant effectus, ut pluuiam, grandinem, niuem, & caliginem, secundum quòd frigore condensatur. Cum autem comprimitur calor eius, nubiumq; latera propter frigus exire prohibetur, nubem uiolenter rumpit, tonitrumq; causat uehementem. Fit etiam tonitrus extinctione ignis in uentre nubis. Coruscatio uero est pars aëris, ex impetu ignis sic excussi resplendens. Fulgur autem, & fulmen est ictus cœlestis iaculi, à feriendo secundum Isidorum sic dicti, etiam ex sententia Virg. in Geor.

Ipse pater media nimborum in nocte coruscat,
Fulmina molitur dextra.

Seneca tamen dicit fulmen esse fulgur incensum, quod ubicunq; deciderit, ibi sulphuris odorem retineat. Imò cessante fulmine, ac pluuia, quandoq; sulphur in campis colligitur spissitudine taurinę cutis, li-



cet nulli sit accommodũ. Apparẽt sępissimè in partibus Aquilonis sub sereno cœlo totis noctibus in Septembri, clara atq; continua fulmina, quæ magis minãtur, quàm lacerant inspectores, dum arcanis rationibus (unde extrahuntur) nubes nõ longè positę, fulminandi materiam tenuem administrant. Alia uerò uulgi opinio est de fulmine huiusmodi nocturno, quòd infinita pinguium pisciũ agmina (halecum scilicet) suo cõtinuo reflexu, ac saltu, post autumni initium, tantũ splendorẽ nubibus immittãt, ut coruscatio è cœlo decidere credatur, nullaq; sine tali spectaculo nox est, prout inferius lib. de Piscib. cap. de halecibus ostẽdetur. Fulmẽ uerò natura nubium exortũ, tonitruq; elapsum, grauissima damna mortalibus, alijsq; rebus ibidem infert. Plures etenim homines sublimiora loca inhabitantes, cũ iumentis interimit: excelsas etiam turres, & ędes dura pice linitas (quod mirum non est) inextinguibili flamma consumit, altas arbores, uel ex summo uertice directè findit, uel obliqua corrosione cõtundit. Ne autem ciuitates, aut maturę messes fulmine colliderentur, religioso ritu post acceptam fidem Catholicã obseruatũ fuit, credoq; adhuc obseruari, quòd sonatis campanis, cereisq; benedictis cum thure accensis, & precibus intensis, iram Tonantis auertant. Idq; manifestius fieri deprehenditur, quàm si pennis aquilæ, aut pellibus marini uituli, uel frondibus lauri gentilium superstitione fauerent errori. Tradit Plinius lib. 15. cap. ultimo, Tiberium Principem, tonante cœlo, lauro coronari solitum, ob fulminum metum. Sed quàm inane illud remedium fuerit, lib. 6. nat. quæst. ostendit Seneca: qui & ait, Cambysis exercitum Hammonem missum, arenam in modum niuis agitatæ texisse, & inde obruisse: præterea M. Herennium decurionem sereno die fulmine ictum fuisse. Herodotus lib. 7. asserit complures de exercitu Xerxis fulgure, ac tonitru perijsse. Martia etiam princeps Romana icta grauida, exanimato partu, ipsa præter aliud incommodũ uixit, teste Plinio: qui & tradit plura genera fulminum, uidelicet quæ sicca ueniunt, non adurunt, sed dissipant: quæ humida fiunt, non adurunt, sed infuscant. Quædam uerò clara sunt, & subtilia, quæ terebrant, ob puram flammæ tenuitatem. Tertium genus, quod urit, multũ terreni habet, & igneum magis est, quàm flammeum.

De miris effectibus fulgurum, &c.
CAP. XIII.




NEc relinquendum hoc loco uidetur, quod Seneca 6. lib. nat. quæst. de fulmine tradit, quòd eius subtili potentia loculis integris, & illæsis cõflatur argentum, manẽte uagina gladius liquescit, & inuiolato ligno circa pila ferrum omne distillat, fracto quoq; dolio uinum stat, nec ultra triduum ille perdurat rigor. Illud æquè inter annotanda ponendum, quòd & hominũ, & animalium, quæ icta sunt, caput ad exitum fulminis spectat, quodq; omnes percussæ arbores fulmine, tanquam hastilia surgunt. Quid quòd serpentum, & animalium cæterorum, quibus mortiferum uirus inest, cùm icta sunt, fulmine uenenum omne consumitur. In uenenatis siquidem corporibus uermis nõ nascitur, fulmine uero icta intra paucos dies uerminant. Qui quidem effectus fulminis circa ea, quę tangit, potius sunt admirandi, quàm causis inquirendi. Quis enim inuenit causam? quomodo fulmen integris, & illęsis loculis aliquando cõflat argentum, manente uagina liquefacit gladium, circa lignum dolatum ferrum distillat, fracto dolio uinum facit stare, atq; alia multa. Idem tamen Seneca rationes talium ef-

fectuum eodem libro ostendit, dum asserit, fulmen diuersimodè materiam penetrare, quia ualentiora, atque resistentia uehementius dissipat, cedentia uerò nonnunquàm sine iniuria transit: cum lapide, ferroq́; , & durissimis quibuscunq́; confligit, quia uiam per illa necesse est quærat: teneris, ac rarioribus parcit, quia minus obsistunt. Fiunt etiam terræmotus ualde uehementes in frigidis illis terris, sed rarò noxij, aut durabiles. Vbi autem (ut in Italia) diutius, & damnabilius fieri uidentur, ut nuper in Scarparia Florentinorum horribile restat editum exemplũ: tunc antiquus, & fidelis historicus Sigebertus in uerbo Constantinopoli fol. 12. dat tale remedium diuinitus reuelatum, ut populus, uel clerus deuotè, & frequenter cantent: Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus, & immortalis, miserere nobis: nihil aliud apponentes, ut dicit in forma.

De circulis hyemalibus, & effectibus eorum.

CAP. XIIII.




SOlent quandoquidem circuli sub huiusmodi imaginibus uersus Septẽtrionem, altis niuibus terram tegentibus, circa uernum æquinoctium apparere, tali uidelicet situ: ut amplissimus circulus per Horizontem sparsus, totaliter albus est, ita & tres orbiculi, in eius superficie diuisim appendentes: qui tamen uersus Orientem croceo colore, quasi solem imitantes, distinguuntur. Præterea ipsum solare corpus corona, siue halone, instar iridis, in colore circumdatum est, utroque latere solis imagines puniceo colore annexas habens: à quibus imaginibus, siue duobus solibus, duo semicirculi ad similitudinem arcuum per transuersum sese incidentes, exurgunt, ac tandem more halonum extensi, euanescunt. Circa umbilicum, uel centrum amplissimi circuli, iris est obuersa, quæ in tenui nube splendet. Deinde eidem iridi in colore, situq́; contraria, alia apparet iris subnigra. Postmodum uersus meridiem per amplissimum circulum transuersa iris eadem, & subfusca protenditur, colore semper uariato, quemadmodum fieri solet in arcu, siue iride cœlesti. Hi tamen circuli, siue halones, uix ultra duas horas cum dimidia durant, semper habentes, uel sui natura, uel alia quauis secreta ratione, pessimos proximè secuturi temporis euentus, uidelicet portentosa tonitrua, atque fulmina, quæ ædes, & iumenta prosternunt, captiuitates, & occisiones tam nobilium, quàm plebeiorum, ac incolarum rapinas prætereà hostiles classes, piratarum grassationes, & incendia: imò ad finem ueris circulis euanescentibus, pluere solent sulphurea grana cum uapore fœtido, moxq́ue sequuntur horrenda tonitrua, ut contremiscere faciant audientes, rapidaq́; flumina plus solito niuium resolutione excitata, omnia suo cursu obruant, & dispergant, prout alibi latius de natura Septentrionalium fluuiorum ostendetur. Asserit Plinius lib. 2. cap. 30. circulos repẽtinos rubei coloris plurimum esse prodigiosos: bella etenim præsagiunt, ob longiorem solis defectum, & continuum pallorem. Stellarum errantium aliquam si circuli, aut orbes incluserint, imbrem pręsagiunt. Cæterùm quomodo, aut quibus rationibus fiant huiusmodi circuli, siue coronæ circa solem, aut reliqua sydera, Seneca lib. 6. nat. quæst. diffusè per tractat, atque inter alia dicit: Hæ uerò coronæ cùm equaliter delapsæ sunt, & in se met euanuerunt, significatur aëris tranquillitas: cũm autem ad unam partem ruptæ cesserint, illinc uentus est. Vnde & nautæ inde uentum expectant, quando contextus coronæ perit. Si à Septentrione discedit Aquilo erit. Si ab Occidente, Fauoniu



Fauonius. Si uero pluribus locis ruptæ sint, tempestates fiunt. Et noctibus quidem præcipuè circa lunam, & cæteras stellas, hæ coronæ notantur: interdiu uerò rarò, quia solis lumen fortius est, & aër coagitatus ab illo, calefactusq́;, subtilior & solutior est. Lunæ autem interior uis est, ideoq́; facilius circumposito aëre sustinetur. Cætera quoq; sydera infirma sunt, nec aëra ui sua perrumpere possunt. Illorũ itaq; imago suscipitur, & in materia solidiore, minusq́; cedente seruatur. Deberet enim aër esse non tam spissus, ut lumen ad se immissum excludat, atq; submoueat: nec tam tenuis, ac solutus, ut nullam uenientibus radijs moram præbeat. Et hoc noctibus temperatioribus contingit, cùm sydera circumiectum aërem à luce leui non pugnaciter, nec aspere feriunt, spissioremq́;, quàm esse solet interdiu, inficiunt. Est autem differentia inter arcum, uirgam, & coronam. Arcus solares, ac lunares sunt. Virgæ tantum soli adiacent: Coronę autem solem, lunam, & cætera circundant sydera, atq; sequuntur ubiq;.

De circulis repentinis, & effectibus cometarum.

CAP. XV.




CIrculi, siue coronæ figuris similibus certis annis tempore uernali apparere solent, præsertim quando densioribus niuibus tegitur superficies terræ: hoc modo, quòd amplè per Horizontem circulus unus apparet nubibus totaliter albus, alter uerò interior penes eum, densiore amplitudine niger. Qui quidem circuli maximi, in superficie quatuor habent lineas, siue hiatus rotundos, croceo colore distinctos, inter quos uersus meridiem in nubibus candidis, quæ niuibus sunt repletæ, apparent duo circuli contrario modo dispositi, quorum unus in exteriori latere est atri coloris, in interiori uerò candidi. Alter autem circulus inferior, in cuius centro apparet solare corpus (in quod superior circulus eccentricus incidit) est exterius albus, atque interius fuscus, eò tamen candidior, quò soli proximior. Præterea in opposito solis circa centrum maximi circuli, per Horizontem (ut dictum est) effusi, arcus apparet situ transuerso, colores habens instar iridis in nubibus densis, subrufum exteriorem, medium puniceum seu croceum, ac uiridem inferiorem. Magisq́; hi omnes circuli, inter auroram, & meridiem nubibus auctis apparent, uix una cum dimidia, aut duabus horis duraturi: quia sol illico nubibus rarescentibus clarescit, & horrendum frigus adducit: aut nubibus densatis importabilem niuium molem (dum pluribus diebus splendere nequit) naturæ potentia in omnia subiecta loca descendere sinit: quia inusitata magnitudine, & specie, nubes interdum candidæ, interdum atræ, & maculosæ ascendunt, quemadmodum scaturigines aquarum, & uaporum, unde exhalant, materiam administrant. Neq; otiosum pauco pòst tempore deprehenditur, quòd portẽtosis huiusmodi casibus fuerat demonstratũ. Surgit enim in aëre mira contrarietas huiusmodi uaporum, siue nubium sic eleuatarum, mutua uiolentia sese impugnantiũ: atq; eo modo terribiles cometæ, qui (Isidoro teste) famem, bellũ, & truces uentos significant, uersus Septentrionem, tanquam aërem pinguiorem, emergũt: qui non minus homines in stuporẽ suo horrore trahunt, quàm circuli supradicti. Nec mirũ: quoniam ita compositi sumus, dicente Seneca lib. 4. nat. quæst. ut nos quotidiana, etiam si admiratione digna sunt, transeant, econtrà minimarũ quoq; rerum, si insolitæ prodierint, spectaculum dulce fiat. Is itaque cœtus astrorum, quibus uniuersi corporis pulchritudo distinguitur, populum non conuo-

cat: at cum aliquid ex more mutatum est, omnium uultus in cœlo est. Sol spectatorem, nisi defecerit, non habebit. Nemo lunam obseruat, nisi laborantes. Adeò naturale est magis noua, quàm magna mirari. Idem & in cometis fit. Si rarus, & insolitæ figuræ ignis apparuerit, nemo non cupit scire, quid sit: & oblitus aliorũ, de aduentitio quærit, ignarus, utrùm admirari debeat, an timere. Non enim desunt, qui terreant, qui significationes eius graues prædicent. Itaq; sciscitantur cognoscere uolentes, an tempestates, uentos, & imbres intemperantes, & reliqua huiusmodi portendant: eoq; magis soliciti, quò mutatos rerum ordines, imminere pauescunt: quia sæpe prætendunt aliqua, quæ consuetudini probantur aduersa. Nihil enim sine causa geritur, nec mundus fortuitis casibus implicatur. Maximus est timor diutius sustinere, quòd uel in summa solet populos celeritate terrere. Dirũ portentũ est sine procellis hyemem, sine temperie uer, sine ardoribus æstatem, sine pluuia autumnum intueri. Quid fertilitatem producat: si terra ęstiuis mẽsibus non calescat: quid germen aperiat, si pluuiam non resumat. Hęc atq; similia cùm consyderant, qui publicis officijs præsident, maximè quorum interest exercitum fouere classicum, prudentius omnia dirigunt: & etiam sagaces agricolæ, qui annonam transacti anni quęsitam, prouida dispensatione gubernant, & ęquam legem uenditoribus seruant, ut pro futuris annis, & seminibus diligenter custodiant. Quo fit, ut de antiquis frugibus pręsentem caristiam subleuent, atq; imminentem inopiam maxima sagacitate deuincant, aut uniuersalem penuriam mitigent, & moderentur.

De circulis uernalibus.

CAP. XVI.




GEnerantur & alij circuli albi, ampli, ac densi, iridem includentes cum coloribus suis, supposito circulo fusco, qui omnes reflexu atrarum nubium, & albedine densissimę niuis, faciem terrę totaliter cooperientis, pręsertim mense Februario, ac Martio, ob solis elongationem, & obliquitatem, uidentur. Effectus autem eorum parumper à superioribus differentes retinent, nisi quod atriores nubes inferioris circuli, uehementiores imminere pręsagiunt tempestates. Hancq; causam etiam maritimę aues rapaces, è mari ad campos fugientes, incessabili garritu pręsagire, signareq; uidentur. Sed hę, similesq; tempestates (ut superius de turbine dictum est) non diu durant: quantò nanque sunt impetu uehementiores, tantò durabilitate breuiores. Estq; notãdum, quòd solis lumen caligine obsessum, quandoque maiori anni temporis spatio pallens globus, & sine splendore oriens, imbecillem, ac tenuem ex se calorem emittit. Quare grauis, ac dispartientis imbecillitate caloris obscurus aër, semicoctos edit fructus immaturos, & imperfecto flore collabentes. Tantum aëri frigus ingerit, ut pauendę exinde sequi uideantur sterilitates: eoq; hęc, & similia horribiliora eueniunt, quò circuli latiores extra orbem solarem in atrioribus nimbis, nubibusq; conspiciuntur. Accidit etiam siue hac, siue alia causa dirarum exhalationum, ut ingentia arborum robora in nemoribus deijciantur: intumescant ultra solitum alueum flumina: rumpantur aggeres: infinita hominum iumentorumq; multitudo interimatur: casuq; profundissimarum niuium inuia reddantur itinera: geluq; intolerabili superueniẽte, uiatores nec antrorsum, nec retrorsum euadere cupientes, nec ualentes, repentina miseria intercipiantur. De quibus angustijs infrà de bellis niualibus nonnulla terribiliora uidebuntur.

De

De imaginibus solis.


CAP. XVII.



CVm in omnibus terris Septentrionalibus lucidiores, diuturnioresq́ imagines circa solis latera parumper post eius ortum, uel occasum, soleant apparere, operæpretium putaui, nonnihil ostẽdere, quo iudicio, uel prognostico signa eiusmodi interpretari consueuerunt agricolæ, uel naucleri: quorum exercitia uti cœlestibus influentijs magna ex parte subiecta sunt, ita & necesse est, ut sydèrum facie, & effectu diligentius consyderatis, prouida circumspectione regantur. Imagines itaq; solis (teste Seneca de nat. quest.) historici soles uocant: & binos, trinosq́ memoriæ tradunt. Hos Græci parhelion appellant: quia in propinquo ferè à sole nascuntur, uel quia ad aliquam solis similitudinem accedunt. Ceterùm nihil habent ardoris: hebetes & languidi sunt. Hos quidam ita diffiniunt: Parhelion est nubes rotunda, & splendida, similisq́ soli, nam & in eclipsis hora pelues ponimus, quas oleo, uel pice implemus, ad notandum, qualiter luna se opponat: quia pinguis humor, dum minus facile turbatur, quas imagines recipit, seruat. Sicut ergo utriusq; imaginem in terris aspici contingit, sic fit in aëre, cùm sic coactus, et limpidus constiterit, ut faciem solis acceperit: quã & aliæ quoq; nubes suscipiunt, sed transmittunt, si non mobiles sunt, aut raræ, aut sordidæ. Mobiles enim illam spargũt: raræ emittunt: sordidæ, turpesq́ non sentiunt, sicut & apud nos imaginem maculosa non reddunt. Solent autem eadem ratione bina parhelia fieri: nihil enim impedit, quin tot sint, quot nubes ad exhibendam solis effigiem aptæ fuerint. Quidam tamen sentiunt, quoties duo talia simulachra existunt, alteram imaginem esse solis, alteram ipsius imaginis, sicuti in speculis sibi inuicem oppositis accidit: quia speculum, quicquid uidet, reddit. Nubes autem, quæ hæc præstant, densæ, leues, splendidæ, planæ, materieq́ solidæ esse dicuntur. Ob hoc omnia huius simulachra candida sunt, & lunaribus circulis similia, quia ex repercusso obliquè accepto sole splendent. Nam si nubes infra solem fuerit, & propior ab eo dissipatur: longè posita radios non remittet, nec imaginem efficiet: nam & specula prope nos posita faciem reddunt, procul uero minimè: quoniam acies nostra usque ad nos recursum non habet. Agricolæ autem his solibus, seu imaginibus uenturam pluuiam expectant. Si ad Australem partem diutius durauerit imago, splendoremq́ paulatim dereliquerit inter nubes, quæ ex eo maximè ingrauescere solent, tutius nunc in collibus seminant tempore ueris, & initio æstatis. Naucleri autem plus solito uelis, & clauo, seu gubernaculo attendunt, si soles hos æquè pugnare, & euanescere ad latera solis intuentur: quia tunc grauiores longa experientia norunt imminere tempestates. Plinius lib. 2. cap. 31. dicit plures soles simul uideri, sed nunquàm supra, aut infrà, sed ex obliquo: nunquàm iuxta, uel contra terram, nec noctu, sed aut Oriente, aut Occidente. Semel in meridie conspecti in Bosphoro produntur, qui à matutino tempore durauerunt in occasum. Cernuntur etiam circa solis orbem coronæ, & uersicoloris circuli, ex quorum effectu Principes, & nobiles sibi quęcunq; prospera, exemplo Iulij Cęsaris, euenire posse arbitrantur. item Vincen. in spe. histor. lib. uigesimoquinto cap. 116. asserit, tempore rebellionis Henrici iunioris in patrem Imperatorem, duos orbes in modũ solis forma, et lumine quotidiano soli similes, apparuisse, omniũ colorũ specie radiantes,

tes, ad modum arcus cœlestis. Sæpe etiam in Gothicis regnis (ubi non existentia, sed æstimatione nox est) duo, tresúe soles apparere solent. Notatum etiam reperitur in effigiata historia mundi, anno Domini M. CCCXIII. tres lunas in cœlo apparuisse. Præterea M. CCCCXC. tres soles, & tres lunæ tempore natiuitatis meæ, & multorum, in principio Octobris apparuere.

De halonibus lunæ, & iterum de imaginibus solis.
CAP. XVIII.



NEque luna sine huiusmodi halonibus circa solis oppositionem quandoq; conspicitur: quæ fere similes effectus in qualitatibus hyemis circa niues, frigora, & tempestates, & pruinas ostendunt, quales ipsa æstate in pluuijs grandinibus, atq; ardoribus portendere consueuerunt: ea potissimum causa, quia luna (teste Aristotele) non habet omnino principium scilicet agendi in inferiora, nisi propter commutationem, & receptionem luminis à sole: & sic efficitur quasi alius sol: unde & solis fulgore, ut reliqua sydera iuxta opinionem Plinij lib. 2. cap. 11. regitur, & in totum mutuata ab eo luce fulget, qualem in percussu aquæ uolitare conspicimus. Ideò molliore, & imperfecta ui soluit tantum humorem, atq; etiam auget, quem solis radij absumant. Ideò & inæquali lumine aspicitur, quia ex aduerso demum, plena reliquis diebus tantum ex se terris ostendat, quãtum ex sole concipiat &c. Vnde & ipse Plinius libro iam dicto cap. 13. ternas lunas apparuisse refert, quas plerìq; soles nocturnos appellare consueuerunt. Sol itaq; rationes omnium colorum habet in se. Cumq; luna fuerit cum sole tota eius medietas nobis exposita erit tenebrosa: quia terra est inter ipsam, & solem. Cumq; præcesserit solem uersus Orientem, obscurabitur uersus Orientem, & augebitur lux eius uersus Occidentem. Itaq; quantò plus elongatur à sole tantò plus apparet nobis ex lumine in eius corpore, secundum motum suum, donec sit in solis oppositione: & tunc tota eius medietas lucida, erit nobis opposita: quia terra ponitur inter solem, & lunam. Quòd autem luna proprium lumen non habet uti reliqua sydera, prout Helmando in Chronicis placet, ratio est, quia sydera supra solem locata omnia in ęthere purissimo sunt, in quo omne, quicquid est lux naturalis, & sua est (quod & Plinius lib. 2. cap. 10. attestatur) quæ lux tota cum igne suo sphæræ solis incumbit, ut cœli zonæ, quæ procul à sole sunt, & perpetuo frigore oppressæ. Luna uerò, quæ sub sole est, & caducorum regioni luce sua carenti proxima, lucem de suprapposito sole, cui resplendet, habere non potuit. Terra quidem accepto solis lumine clarescit tantummodo, & non relucet: luna uerò ad instar speculi lumen, quo illustratur, emittit. Quamuis enim densius corpus sit, quàm cætera cœlestia, multum tamen terreno purius sit, accepta luce penetrabili, adeò ut eam rursus de se emittat, nullum tamen ad nos perferens sensum caloris. Nam lucis radius, cùm ad nos de origine sua, id est, de sole peruenit, secũ naturam ignis, de quo nascitur, deuehit. Cùm uerò luna corpori infunditur, & inde resplendet, solam refundit claritatem, non calorem: ut apparet in speculo igni opposito.

De



De frigoris aſperitate.
CAP. XIX.



QVantam potentiam gelu, ſeu frigus in Septentrione tanquam proprio loco poſsideat, multis rationibus potius, quàm authoritatibus per ſenſum oſtendi poteſt. Sentit enim uim, & uredinem eius trepida animantium multitudo, pluribus ſtadiorum millibus inde diſtans, corpusq; & reliqua membra, modico eius allapſu comprimit, et perhorret: quid non faceret, ubi proprijs uiribus, & naturæ legibus imperat ipſum frigus? Sub quo quia natus, & uerſatus ſum (etiam circa eleuationem graduum poli Arctici 86.) arbitror me poſſe hoc, et multis ſequentibus capitulis, nonnihil cęteris uaga opinione ſcribentibus clarius demonſtrare, quàm uehemens, & horrendum ſit illic frigus: quod inde ſucceſsiuè, ueluti radij, ex centro tandem per totum orbem ampliatur, quemadmodum omnes nationes, quas penetrat, eius aſperitate commotę atteſtantur. In primis itaq; phyſicis rationibus notum relinquitur, Septentrionalia loca cæteris partibus orbis maius habere gelu, ſeu frigus, & hyemem aſperiorem, iuxta rationem hemiſphęrij, quàm alia loca: quia ibi tunc ſol uoluitur circulo breuiori, longiusq; diſtat, dum motum obliquat per hyemalia ſigna, ut interim terra, & aqua, elementa naturaliter frigida, fortius indurentur, ac congelentur. Et iam quia loca illa ſub aſpectibus Vrſarum, uel Plauſtrorum (ſignis frigidiſsimis) ſituantur, mariq; Oceano, quod (uerſus Corum, & Eurum præſertim) inſcrutabilis eſt profunditatis. Ad quam qua (teſte Alberto lib. 19. cap. 6. ſol penetrare non poteſt frigus, ſeu gelu horribilius generatur. Signa uerò uehementiſſimi frigoris uenturi plurima præmittuntur: eaq; ſecundum ſuas naturales proprietates diligenter conſyderantur, maximè quando penes ſolem (uti ſupraposita imago monſtrat) ad occaſum in profunda hyeme uergentem, circunſtant nubes igneam oſtendentes ſphęram, uel columnam, ac ſi immenſa urbs aliqua flammis accenſa conflagraret: præterea radij cuneati directè ad ſublimem aërem, ueluti pyramides, continuo igne ardentes extenſi. Hiq; rutilantes colores, dum ſucceſsiuo pallore in nocturnam obſcuritatem euaneſcunt, horrendum frigus poſt ſe relinquunt. Sunt & alia ſigna immenſi frigoris ſucceſſuri quàm plurima, ut ſerenum cœlum, ſtellæq; diſcurrentes: nubes in cacuminibus montium dependentes: fuligines focorum ſcintillis micantes: ſcaturigines fontium, & uenarum fumigantes, ac intumeſcentes: ſues, ſeu porci ſtramina portantes: galli, anſeresq; tempeſtiuius canentes: pici ſylueſtres humanas habitationes requirentes: aquatilium auium ſonus, et inceſſabilis garritus: ſylueſtrium auium ſonorus motus: glacierum mugitus, ueluti magnorum tonitruorum. Igitur

Frigore uruntur oculi animalium, & pili indurantur.
Frigore ſylueſtres beſtiæ famem leuaturę, ædes hominum petunt.
Frigore lupi ſuppolares oculis aliquando priuantur.
Frigore lupi plus ſolito in omnia animalia etiam ſeipſos ſęuiunt.
Frigore lupi uaſto agmine conglobati prædantur eſcas.
Frigore pelles omnium animalium ſunt denſiores, ac pulchriores.
Frigore piſces quinq; uel ſex menſibus recentes ſine ſale conſeruantur.
Frigore piſces ſub glacie non rupta ſuffocantur.

Frigore maior edacitas in animalibus semper excitatur.
Frigore gallorum cristæ, anserumq; rostra, pedesq; albescunt.
Frigore lepores, uulpes, harmelini, colores mutant.
Frigore ærea, uitreaq;, & fictilia uasa rumpuntur.
Frigore secures, dolabræ, ac serræ rumpuntur.
Frigore glaciales ludi, ac spectacula lętissima fiunt.
Frigore omnia inuia loca uiatoribus, ac uenatoribus exhibentur.
Frigore acriora certamina tam equestria, quàm pedestria redduntur.
Frigore ligna arida, ac frondosa, maximum sonum crepando præstant.
Frigore uestes parum humidæ, ferro applicatæ, conglutinantur.
Frigore labia, digiti, ac nares ferro admotæ, cute soluuntur.
Frigore equiso frena, ne ori equorum noceant, exufflare solet.
Frigore omnia semina terris iniecta fertiliora exurgunt.
Frigore certa genera pomorũ, pirorumq;, circa solstitiũ hyemale maturescunt.
Frigore hospitia, nundinæ & bella super congelatas aquas locantur.
Frigore si muli, uel asini aliunde aduehuntur, repentè moriuntur.
Frigore Aethiopes bello capti, uel aliàs aduenientes, diu non uiuunt.
Frigore claui à parietibus, & portis, ac seraturis exiliunt.
Frigore campestria saxa, uasa fictilia, ac uitrea rumpuntur.
Frigore uncti calcei, uel ocreæ, in corneam duritiem constringuntur.
Frigore tussis, pituita, & similia incommoda nascuntur.
Frigore labia ferro admota, quasi indissolubili bitumine adhærent.
Reliqua his similia require infrà de bellis glacialibus.

De pruinis, & casu niuium.
CAP. XX.



TAnta est plerunque in Aquilonaribus terris uis pruinæ, & casus niuium, tamq; dira tempestas, uehementesq; caligines aëra obscurantes, ut uiatores proximum quemq; obuium, etiam si amicus, uel inimicus sit, agnoscere, uel euitare non possint. Quod omnimodam parit difficultatem, eò quòd in utroque latere, uel alta præcipitia imminent, uel condensatæ niues tam eleuatæ sint, ut ferentes sarcinas dextrorsum, uel sinistrorum uix sese extricare possint. Attamen quia contra præcipitia rarò conceditur optabile remedium, pro statione iumentorum mutuo labore niues exoluunt, plaustraq; super eas euertunt, ut institutum iter absoluant: hocq; ea celeritate faciunt, quasi rapido incendio, molestissimoq; periculo celerrimè auertendo urgerentur: ne longiore interueniente mora, ex subito casu niuium, & pruinarum repletio fiat itinerum, & syluarum: ut quæ sit uia, uel campus, difficilius agnosci possit. In glacie uerò nulla, uel rara difficultas occurrit, eò quòd omnia placabili æqualitate itinerantibus offeruntur, saltem quòd caueant à ruptura glacierum per apposita signa ad os rupturæ. Quæ signa, uel crustatis glaciei particulis ad os aperturæ relictis, uel uirentibus abietum, seu iuniperorum ramis in glacie congelatis, & eminentibus ostenduntur: idq; longo ordine & miliaribus multis, sumptu & diligentia piscatorum, ne uiatores aberrare contingat, fideliter obseruatur: quemadmodum inferius de glacialibus hospitijs, & nundinis ostendetur. In syluis autem non leuia quandoq; mutuò sibi obuiãtibus obstacula è ruptura, seu motione arborũ occurrunt.

runt.Stant enim præsertim populeę arbores,ob densitatem niuium, ueluti arcus extenti,niuibus oneratæ:quarum leuissimo motu maxima niuium moles in uiatores descendens,eos non parum retardat:imò & ipsę arbores cancellato casu grauitate niuis abruptæ,uiam omninò immeabilem faciunt, ut non nisi securibus ad eum usum comportatis,sibi exitum parare possint,prout mihi,meoq; comitatui sępius accidisse contestor.


De glacierum uarietate.
CAP. XXI.



PRæterea quantam, ac qualem asperitatem frigus in terra,& aqua,cęterisq; corporibus humidis constringendis habeat,imagine præsentis figuræ,& annexis rationibus ostendetur: hoc præmisso, quòd gelu dicitur,quia eo constringitur terra:ge enim terra appellatur.Sed tunc maiori rigore contingit, quando noctes uidentur longiores, ac sereniores, aërq; respersus cœlestino colore,qualis relinquitur post solis occasum in nubibus cōdensatis.Quod genus frigoris,seu gelu,griseum Aquilonares appellant:animantibus plurimum formidabile,& damnosum.Vnde & glacies à gelu, & aqua,quasi gelacies, id est, gelata aqua deriuatur.Estq; glacies coagulatio frigidi,& humidi, ex superabundantia frigiditatis naturam talem suscipiens,ut unum pro reliquo sæpius appelletur,gelidum uidelicet pro frigido.Cum itaq; stagna,ac lacus in sublimibus locis geniti,immani frigore congelantur,tacitisq; specubus,ac uenarum incrementis augentur,locum eis natura deputat decliuiorem,ut illico immensitate aquarum exonerentur.Quo fit,ut stridulo casu,celeriq; lapsu fumum suscitent altissimum,ac pyramides obuersas,instar cœlestium iridum,aut arcuum coloratas, descendendo efficiant collaterales,ueluti certo ordine,arte,& ingenio collocatæ uiderentur. Hocq; spectaculum solaribus radijs incidentibus,& repercussione splendidius lucente,sicuti aureæ,uel argenteæ bases,illustrante eas lumine lunę, apparet.Necq; hæ solæ figuræ ab excelso dependentes tota hyeme apparent, sed & aliæ formæ diuersæ,mille modis,atq; coloribus naturæ artificio fabricatæ:quarum admirabili,ac pulchra uarietate,ingeniosi pictores artes suas,colorumq; proportiones illustrare contendunt. Sunt & aliæ formę glaciales ex tectis domorum ueluti candelæ,uel lanceæ diuerso colore,& situ dependentes,ac si fistulæ organorum,uel hydraulicæ penes parietes dependerent,maximè sub tectis euaporarijs, in quibus incolæ aduersus asperas hyemes se tutos conseruant:quemadmodum infrà de architecturis Aquilonarium domorum ostendetur. Australis uerò uentus Septentrionalia loca penetrans,hunc habet in hyeme uigorem, ut suo uehementi aflatu niues latissimè per campos more turbinum discurrentes, quasi cutem superponendo stabiliat:sed earum moles in arborum ramis dependentes,in aquas resoluit. Dum tamen hoc efficere nititur,aquæ guttatim cadentes, vi aëris Septentrionalis,aut collateralium uentorum rigore superueniente, illico per latissimas syluas constringuntur: uidenturq; ex frondibus innumerabiles glacies dependere,sudium,seu contorum effigiem exhibentes. Fiunt etiam ex glacialibus laminis fenestræ cellariorum,stabulorum,imò & mensæ in campis, prout etiam sedilia ex compressa niue,dum ita indigenis placet. Videntes igitur ruricolæ niuium ingentem molem mense Ianuario, ac Februario ex arboribus dependere,maioribus gaudijs,ob spem fertilitatis accedentis,afficiuntur.Agnoscunt enim

uberiores uenturi anni imminere fructus, quando frigore diuturniore pro seminibus nutriendis fœcundior erit terra. Neq; hæc opinio autoritate, aut ratione caret. Ait enim Gregor. lib. 25. Moral. Terra quidem quando compluitur, iactata in ea semina feracius ligantur: sed rursus, si illam pluuia immoderatius irrigat, in culmo pinguedinem frumenti, uirtutemq; inuitat. Si uero iactatum semen post pluuiam gelu premitur, eò intus fœcundius radicatur &c. pro ut infra lib. 13. cap. de cinericijs, & syluestribus agris ostendetur.

De uarijs figuris niuium.
CAP. XXII.



PRo declaratione harum niualium imaginum, ac fenestrarum, aduertendum erit, in aëre quasdam esse aëreas causas, cur uenti, & turbines fiunt: quasdam aqueas, ut nubes, pluuiæ, niues, grandines, arcus, irides &c. quasdam igneas, ut fulgura, fulmina, scintillationes, tonitrua, & diuersæ ignium formę, ac impressiones, & cometæ. Ad quod ulterius intelligendum, asserit August. super Genesim: Iste quidem aër inferior caliginosus, humida exhalatione pinguescit: qui commotus, uentos: & uehementius concitatus, ignes, et tonitrua: contractus nubila: & conspissatus pluuiam: congelatus niuem: turbulentus grandinem: & distentus serenum facit, occultis imperijs Dei à summis ad infima uniuersa, quæ creauit, administrantis. Ipsi itaq; aëri circumfuso iuxta terras, & ob hoc infirmę parti deputato, tenues halitus uaporaliter inferuntur, & auras intexunt: quæ etiam nocturnis rigoribus aggrauatæ sereno rore distillant. Si autem uehementius frigus est, & gelu candidius, inalbescunt. Præterea Aristoteles primo Meteo. dicit: Causa etiam prima mouens terræ, & aquæ uapores, ut ex eis eleuatis fiant impressiones aëris, est motus orbium, scilicet solis, & aliorum. Sol enim, dum appropinquauerit his rebus, & elongatur ab eis, causa est generationis, & corruptionis accidentium in illis, id est rerum huiusmodi, quæ in eis generantur. Dum enim calor eius ingreditur terram, eleuatur ex ea uapor humidus, & siccus, atq; in diuersas species separatur &c. Quando autem uapori ascendenti accidit uehementia frigoris aggregantis, fit pruina, quæ est uapor congelatus in locis nubilosis, & frigidis, è quibus nix, pruina, grando autem ex nubibus longinquis à terra: gigniturq; imbre congelato potius die, quàm nocte, & multò citius niue resoluitur in aquam, ita ut cùm maxima fit, tempestas dicatur. Cùm itaq; omnes supradicti effectus contingant ex causis specialibus, & distinctis, ratione loci, temporis, & syderum influentias huiusmodi uariantium, satis apertum relinquitur, quàm uariæ, & mirabiles formę, atq; imagines niuium ubiq; inueniri, ac inspici possint, maximè in Septentrionalibus & collateralibus locis: imò quantò magis acceditur uersus polum Arcticum, tantò magis quantitate, & qualitate uariari uidentur niues descendentes, ut potius stupenda, quàm inquirenda ratio sit, cur, & quomodo tot formæ, & imagines, quæ artifices quoslibet latent, tam mollibus, & exiguis rebus tam subitò imprimuntur. Vno etenim eodemq; die, ac nocte, 15. uel 20. aut plures quandoque distinctæ formæ reperiuntur. Præterea non minor uarietas in uitris contingit, quæ arcendi frigoris causa æstuariorum fenestris imponuntur. Dum enim loca huiusmodi caloribus contra immensum gelu tepidius instaurantur, forinseco frigore, atque miro naturę artificio sub diuersis imaginibus ita depicta uidentur



tur illa uitra,ut quiuis artifex talibus inspectis,naturæ excellentiam potius possit admirari,quàm imitari.Ingenio tamen adhibito, plurima ex his pro domestico ornatu,ac decore,artificum industria excogitantur,ac perficiuntur,qualia ab illis nationibus prece, uel pretio uix acquiruntur.Vnde euenerat,ut eo ingenio plurimi argentei crateres excellenter fabricati uiderentur.Præterea laneę,lineæq; texturę pretiosę,atq; picturæ mirabiles,& decentes, quemadmodum inferius nonnihil dicetur de pictoribus,ac texturis.Itaq; Aquilonares populi haud illaudabili ingenio præditi,non minus instruuntur à naturæ rebus pulcherrimis,quàm alibi per orbem artifices ab ingenio magistrali.Quo autem ad grandines, portentosa magnitudine uidelicet capitis humani,uel uitulini descendentes, notare solent incolæ secuturam mortalitatem.Nec sine experientia sunt,quia frigus & nix nocent oculis,sicuti acetum dentibus,& spina pedibus.


De castellis niualibus iuuenum.
CAP. XXIII.



MOs est Septentrionalium populorum, prouida quadam sagacitate adolescentes diuersis bellandi exercitijs, & artibus castella impugnandi exercere, & excitare,quibus præsertim tyrocinia sine cæde, & sanguine, ac quouis uitæ periculo hæc aggredi putant uoluptuosum: & ob id quotannis hyeme durantibus niuibus, loco aliquo eminenti turmatim à maioribus excitati congrediuntur adolescentes, conformi labore immensas niuium moles comportantes:e quibus propugnacula ad formam castrensium mœniorum feriatis saltem diebus solicitè fabricant, aqua structuram huiusmodi fenestris distinctam,continuò aspergentes,ut nix cum aqua taliter congesta, accedente frigore ualidius induretur.Qua diligentia adeò fortificantur,ut non solùm leues ictus,sed æreos globos,atque impulsum testudinum(quatenus opus esset) possent sustinere.Quibus paratis,adolescentes prædicti in diuersas turmas segregati,pars mœnia ingreditur contuenda,pars foris remanet eadem impugnanda. Nec desunt in candidis castris atra,seu fusca uexilla,aut uirides iuniperorum rubi:sub quibus non pecuniæ,sed solius laudis appetitu, uoluptuosum ingrediuntur certamen:quod alijs armis utrobique non committitur, nisi niueis globis in alterutrum è manibus proiectis.Statuta enim pœna est nudi corporis in gelidam aquam immergendi,ne quis globis huiusmodi niualibus saxum,ferrum,lignum aut glaciem proiecturus inuoluat.Sunt prætereà inter oppugnantes,qui more cuniculorum inferiores niuium bases perforant,ac ingrediuntur,ut propugnaculi defensores coërceant à stationibus suis.Nec segnior intercidit mora,qua pugnis certatur cominus,donec uexillo rapto pars uicta succumbat,alio tempore restaurato prælio contra partem uictricem in eisdem castellis (si poterit) triumphatura. Neq; segnius,aut debilius ludos huiusmodi committunt,aut perferunt: quàm si pro patria,pro legibus,pro focis(ut dicitur) & aris, publico spectaculo in agone certarent· Profugos uerò, & meticulosos pugnam excedentes, niuibus dorsotenus inter cutem,uestemq; immissis,ubi deprehensi fuerint, insolentibus uerbis,ac uocibus punitos absoluunt,ut aliàs fortius reuersuri persistant, & acrius defendant castra.Quosdam aquis congelatis in caput,& collum tempore horrendi frigoris guttatim dimissis, castigant, prout inferius de pœnis glacialibus manifestius exponetur.Et hæc omnia ueluti uoluptuosa spectacula ad irrogan-

dum rebellibus, & stupidis mitiores pœnas. Qui mos prolixius forsitan, quàm decentius, hic recitatus est, cum nonnullis merè ridiculus (quod non nego) nec dignus, quo repleatur charta, ostendi possit. Sed qui alacrius ridere uoluerit, ridendiq; sicuti plangendi tempus habuerit, uideat acta, siue stultitiam Galieni Imperatoris, de quo Trebellius modo, quo sequitur, in forma recenset. Ac ne eius prætereatur miseranda solertia, ueris tempore cubicula de rosis fecit: de pomis castella composuit: uuas triennio seruauit: summa hyeme melones exhibuit; mensam secundam scurrarum, & mimorum semper propè habuit, omnibus palatinis officijs inspicientibus plures, quàm dicere fas est, singulo die occidit: quorum uiribus, & fortitudine pietati satisfaciendo, patrem proprium Valerianum Cæsarem ab ignominiosa captiuitate Regis Persarum, cuius scabellum pedum factus erat, honestius liberasset. Quòd insolens ille Princeps castella de pomis etc. fieri iussit, merę fatuitati (ne quid turpius dicam) perpetuò attribuendum erit: quia nulla specie fortitudinis, quæ gloria Principum est, id fieri decuit, prout hic superius de niualibus castellis est deductum: in quibus iactu globorũ se pueri & adolescentes futura certamina fortiter toleraturi, exercent, nulla cœli, elementorumúe iniuria fracti, uel fatigati, dum in tam duris lusibus, & aspera hyeme fuerint educati. Quod autem Strabo de legibus Licurgi in simili casu lib. 10. meminit, pulchrum est uidere. Ait enim: Certis diebus pueri contra pueros &c. Item de raptu amorum, & studio literarum.

De cursu glaciali equorum pro pallijs.
CAP. XXIIII.



ETsi hæc figura seipsam satis, ob spectatam equorum agilitatem declarare uideatur: occurrit tamen eius interpretatio utilis, & curiosa, dum illius occasione diuersi ritus populi Septentrionalis, ac uicinarum gentium, ad memoriam reuocantur: qui quidem ritus fideli cultu antiquitus seruabatur, uti nunc fideliter obseruatur. Olim siquidem apud ueteres Gothos mos erat, brumali tempore ad finem mensis Decembris (dum niuibus, & frigore lacus, stagna, atque terræ omnes ualidissima glacie constringerentur) optimos quosq; equos, forma elegantiores, in singulis prouincijs ad edenda publica spectacula colligere: duabus potissimùm causis inducti. Prima, ut quem, uel quos celeriore cursu reliquis omnibus præcellere discernerent, hunc sacrificio numinum uelut munus pretiosum, ad aram mactandum, comburendúmue fideliter præsentarent: opinantes eo dono cunctis hostibus sese fore superiores, quò sacrificandi integritatem exoluerent puriorem, prout Herod. lib. primo ultima pagina tradit de Massagethis, imò & Strabo lib. 10. de eorum Aboriginibus Massagethis, qui solem Deum putant, & eidem equum mactant. Altera ratio, ut Regi, ac Principi, uel eius nuntijs uelocissimos equos offerrent, quibus hostiles motus, ubicunq; in regno, uel limitibus imminerent, opera cursorum exploratos, auerterent armis. Maior tamen respectus tunc habebatur, quàm nunc habetur ad equos fortiores, quàm celeriores: licet utraq; uirtus inest illis, propter graues lanceas, seu contos, ac armorum exuuias densiores (de quibus proprio loco dicetur) deferendas. Nec desunt pro omni momento uelocissimi equi, atq; equites, pro portubus regni, quotiescunque opus fuerit, custodiendis. Quantum uerò ad uoluptuosa spectacula attinet, die 26. Decembris super stagna, ac flumina congelata, instar speculi

micantia



micantia, infiniti terrarum incolę in qualibet prouincia (distinctis licet communitatibus) pro brauio, ac gloria in agilioribus equis certaturi congrediuntur. Terminus uero, seu meta cursus huiusmodi, longitudinem quatuor, aut sex milliarium continet Italicorum. Brauium autem aliquot mensuræ, seu modij annonæ seminandæ, & noua uestimenta apponuntur: & deniq;, ut equus metam non attingens, uictori cedat. Verùm hęc spectacula nullibi frequentius in toto Septentrione super glaciem, quàm apud Ostrogothos, ac Vestrogothos committuntur. Abundat enim terra eorum uberrimis pascuis pro equitijs ad multa millia in electissimis herbis naturaliter conuenientibus equis enutriendis, licet ualde spatiosis, & dispersis campis, & non in uno prato: quale Strabo lib. 10. fol. penul. in Armenia allegat, atq; dicit, in eo pasci quinquaginta millia equorum, quæ armenta Regia sunt. Præterea lib. 16.. asserit Philippum Macedonem, atq; eius filium Alexandrum circa Laodiceam in pascuis habuisse equas supra triginta millia: quarum emissarij erant trecenti: in quo etiam loco erant equorum domitores, & bellici ludimagistri conducti, ac quicunque rei militaris erant periti.

De cursu glaciali hominum pro brauio.
CAP. XXV.



DVo genera hominum ad stadia, & brauia celerrimè sub præsignatæ artis compendio currentium, hac figura monstrantur. Primum syluestre, seu Lapponicum, quod pandis trabibus, siue longis stipitibus plantis pedum affixis, supra niues in uallibus, ac montibus flexuoso, ac arbitrario motu cursum pręcipitem dirigendo se transfert: idque perfectissima arte facit, siue aduersis casibus congrediendum sit, siue uenationibus uoluptuosis, quarum quæstu uiuunt, & fortunas assequuntur uberiores, siue brauij, aut gloriæ causa hoc ipsum sit attentandum. Hocq; genus præcipuum inter Scricfinnos, de quo 4. cap. huius libri, & 5. maiores proprietates sunt enarratæ, & inferius de bellica eius uirtute nonnulla euenient repetenda. Hic satis est dixisse, eos homines talem, tamq; celerem in percurrendis cacuminibus niuosorum montium, etiam pro brauio, habere agilitatem, qualem uix reliqui planioribus, ac breuioribus instrumentis innixi, in plana, & lubrica glacie pertingere ualent. Quinimò qui niues calcant, & constitutam metam attingunt, feram occurrentem sagittis occidunt. Qui uerò seruat glacialem cursum, uix ab hiatibus subtus latentibus est securus, prout infrà de glacialibus bellis dicetur. Aliud uero genus, quod ferro plano, & polito, siue planis ossibus ceruinis, uel bouinis, scilicet tibijs naturalem lubricitatem ob innatam pinguedinem habentibus, pedali longitudine sub plantis affixis, in sola glacie lubrica cursum intendit uelocissimum: quemq; in glaciali æqualitate semper currendo continuat. In quo etiam genere ubique reperiuntur homines uoluptuosè pro brauio cursitantes: quorum meta super congelatos lacus instar speculi glaridos, spacio 8. uel 12. milliarium Italicorum ab utrisq; partibus est constituta, uel minus. Brauium uerò cochlearia argentea, amphoræ æreæ, gladij, & nouæ uestes, ac iuuenes equi: sed hi frequentius. Cæteris brauium lucraturi currendo præueniunt, qui ceruinas tibias latè limatas plantis affigunt, porcina axungia perunctas, quia gelidis aquæ guttis uelut per poros glaciei in uehementi frigore surgentibus, tibiæ sic unctæ impediri, aut construngi non possunt: sicuti ferrum quantumcunq;

tumcunq; politum, aut unctum. Nulla nempe unctio ferro conformior est, quàm ossium tibiarum ceruinarum, aut taurinarum, connaturalem habentium lubricitatem. Eoq; modo quotiescunq; glacies clara fuerit, ac niuibus discooperta, duobusq;, uel tribus digitis spissa, tunc huiusmodi spectacula facilius, securiusq; exercentur. Sed aliàs nequaquàm: quia nunquam periculosior, mortiq; uicinior casus est, quàm cursum intendere, dum glacies tenuissima niue sit cooperta. Amnes etenim, seu riuuli tacita celeritate è littoribus lacuum intrantes, corrosione, & motu continuo agunt, ne glacies inspissari, solidariq; possit, nisi gelu fortissimo constringantur. Sed interim contingit temerarios cursores glacierum, naturam ignorantes, uel contemnentes, audacius, quàm cautius accurrentes, glacie confracta (corpore deorsum, atq; capite sursum, acumine glaciei uelut securi abciso, miserè derelicto) submergi. Veruntamen eo periculo, uel simili, rarò pereunt indigenæ, sed peregrini terrarum exploratores: qui dum celerius proditionibus perficiendis compendioso itinere inseruiunt, subita glacierum dolositate, ac fragilitate absumuntur: documento cæteris derelicto, quàm iusto naturæ piaculo sepissimè pereant, qui contra naturæ ordinem odijs, ac occisionibus procurandis insistunt. Lacus est in finibus Ostrogothorum Sommen dictus, in quo pleriq; Danorum exploratores hac methodo mortis sæpissimè sunt inclusi. Ita etiam in collimitaneis fluminibus, & stagnis aliarum Suetiæ prouinciarum.

De glacialibus hospitijs itinerantium.

CAP. XXVI.



ETsi hæc figura in charta mea Gothica, anno M. D. XXXIX. Venetijs in Patriarchatu descripta, ac impressa sit, lōgoq; maris tractu penes littora Germanici maris extensa, paucioribusq;, quàm par erat, interpretationibus illustrata, iustum putaui diffusius, clarioribusq; argumentis, & rationibus eam reddere notiorem, præsertim cùm appareat uerisimile non esse (ne more ignauorum dicam impossibile) calida fomenta usui hominum, aut iumentorū diutius super glaciem firmari posse. Quocirca modus iste à ueteribus Gothorum institutis fideli interpretatione, etiam ad uicina regionum littora ueniet extendendus. Vsus enim habet, ut publicæ uiæ tempestatibus lignorum, syluarumq; casu obstructæ, communi sumptu & labore, dolabris ac securibus reficiantur: densitate uerò niuium occlusæ, iumentorum, uehiculorumq; niualium transitu uiritim aperiantur, uel penes littora marina, aut super ipsum mare congelatum signis in glacie constitutis uiæ generales deducantur, è quibus ad humanas habitationes pateat apertum iter. Ne autem simili ratione inferiores Germani Vandalicas urbes, ac regiones inhabitātes, magnitudine niuium syluestres, seu campestres uias replentium, in maximis commercijs negotiatorum impediantur, hospitia super littus maris, & planis scopulis, uel ipsa aperta glacie mira quadam industria collocant. Trabes enim oblongas duorum, uel trium pedum super glaciem eleuatas ad fundamentorum, & ædium distinctionem ordinant, ac desuper domos necessarias, hasq; tabulatas lateraliter imponunt, foco carbonario in æstuarijs abundanter (quemadmodum omnibus alijs ad læta conuiuia requisitis) utentes, nulliusq; exploratoris, aut latronis, insidiatorisúe uersutias formidantes: quoniam plus securitatis in glacie, quàm palatio gaudent se adeptos: eoq; securiores, alacrioresq; permanent, quo frigora surrexerint acriora, & uenti fortiores: qui fundamenta hō-

spitiorum




ſpitiorum ſubtus perflantes, firmiora efficiunt, atq; ſolidant, & conſeruant, donec calidis Auſtri ſpiraculis tota hæc domorum machina circa uernale æquinoctium diſſoluta, in continentem terram, nulla penſione localis hoſpitij perſoluta, deportetur. De frigoribus autem illius Germanici, ſeu Gothici maris, plura meminit Albertus Crantzius diligentiſsimus omnium regionum ſcriptor. Ait enim: Anno Domini M. CCC. XXIII. gelidiſsimo frigore conſtringebatur mare, ut pedeſtri itinere per glaciem de littore Lubicenſi in Daniam, & in Pruſsiam mare tranſiretur, diſpoſitis per loca opportuna in glacie hoſpitijs. Anno M. CCC. XCIX. per brumam gelu terras, ac maria conſtrinxit, ut ſicco ueſtigio è Lubeca per mare in urbē Sundenſem, & inde in Daniam perueniretur. Anno M. CCCC. XXIII. gelu fuit per brumam incomparabile, & inauditum, quòd equites è Gedano Pruſsiæ in Lubecam per uiam nauigantium tranſirent incolumes, & deinde à Magnopoli per mare in Daniam, hoſpitia habentes in glacie. Anno M. CC. XCIIII. congelatum eſt mare Cimbricum, ut à Iutha in Aslogiam equitaretur. Præterea, etſi multis ſeculis poſteà ſecuta ſunt aſperrima frigora, & marinorum fluminum congelationes, tamen quia frequentius acciderant, uix annotata reperiuntur. Quantam uerò uim frigus in propria origine habeat, documenta ſunt Auſtralium locorum frigora, quę in Rheno, Danubio, & Pado fiunt: ſuper quem Iulius II. Pontifex aduerſus Gallos pro Eccleſiaſtica libertate pugnaturus, ut recens memoria tenet, ærea tormenta, ſeu bellicas bombardas ſecurè traduci iuſsit. Meminit etiam Vincent. in ſpe. hiſt. lib. 25. cap. 87. quo modo in Anglia circa annos Domini M. CCC. tempore impij regis Guilhelmi, anno eius VI. diluuium ex abundantia imbrium fuit, quantum nullus meminerat. Mox accedente hyeme, fluuij congelabantur, ut peruij eſſent equis, quadrigis, & plauſtris. Gelu reſoluto, ex impetu glacialium fruſtorum pontes effracti ſunt. Ideoq; hac ratione, & importabili tributo regi dando, agricultura defecit: qua deficiente, fames ſecuta eſt. Qua creſcente: mortalitas hominum ſurrexit adeò crebra, ut deeſſet mortuis ſepultura.

Ioan. Mag. lib. 20. Anno Chriſti M. CC. X C IIII. frigus hyemale tantum inualuit, ut equites à Iuthia, ſiue Cymbria Danica per mare congelatum in Noruegiam itinere longiſſimo tranſirent.

De tranſitu glaciali inter uoragines.


CAP. XXVII.



CVm ſuperiore capitulo de glacialibus hoſpitijs minus expreſſum ſit, quibus ſignis uiatores niuoſo, aut pruinoſo tempore dirigantur, ut hoſpitia pertingant deſtinata: ex quo tam amplus, & planus undiq; imminet tranſitus, ut nil pręter cœlum, & glacies, ac niues, plerunq; inſpiciatur, utputa dum eodem itinere ſub brumæ rigore iumentorum agilitate contendunt incedere, ubi æſtiuo tempore maximæ claſſes uentorū impulſu celerrimè nauigarunt. Idcirco aduertendum eſt, quòd glacie paululum perforata, arbores iuniperorum, ſeu abietum, ſingulo ſtadiorum ſpatio, ut erectæ ſtantes congelentur, mari ſecus uiam imponi ſolent, maximè ubi fortior ſit glacies à uiarum ſcrutatoribus explorata. Et ubi hæc ſigna non eſſent, non minor formido, aut uitæ periculū inter glaciales uoragines immineret, quàm in aperto mari inermibus nautis inter crudeles piratas, aut in horrida ſolitudine inter belluas truculentas. Lege ergo ſeuerißima cautum eſt, ne quis huiuſmodi ſigna, niſi tempore hoſtili, propter proditores,

ditores,ac exploratores,alteret,aut exportet. Quàm præterea periculosus sit hominum transitus inter uoragines glaciales superius annotatas, sequentibus causis ostendetur. Ante omnia tamen præmittendum est, quòd generaliter omnes lacus,& stagnales aquæ in mense Octobri incipiunt congelari,glaciesq; aucto frigore in plerisq; locis tantū condensari,ut ubi uenæ lacus,& stagna uiuentis aquæ non intrant,pisces suffocati tempore resolutionis glaciei inspiciantur. Verùm ne hæc suffocatio tam dispendiosa fiat,diligentia piscatorum continuè glacies ipsa perfringitur,ne cōgeletur,prout inferius lib. de Piscaturis hyemalibus ostēdetur. Glacies itaq; primæ,ac medię hyemis adeò fortis,& tenax est,ut spissitudine,seu densitate duorum digitorum sufferat hominem ambulantem: trium uerò digitorum,equestrem armatum: unius palmę & dimidię,turmas,uel exercitus militares: trium,uel quatuor palmarum,integram legionem, uel myriadem populorum, quemadmodum inferius de hyemalibus bellis memorandum erit. Hęc glaciei fortitudo,etsi tam ualida cernitur: naturalibus tamē uenis,& exhalationibus subtus in plerisq; locis ęstuantibus,ita diuersis riuis,seu aperturis finditur, ut longissimo tractu hiatum relinquat quasi campestris uię, uel plateę: quam tamen fissuram prudens uiator gyrando penetrat,ne institutum iter,& tempus amittat. Cùm autem fissurę huiusmodi pręcipuè de nocte contigerint,non aliter,quàm sęua tonitrua,uel sonorosi terręmotus à longè percipiuntur. Sed ob hoc solicitus uiator nihil intentatum relinquit,quin inter uoragines conficiat iter. Vergente tamen glacie ad principium Aprilis,nullus eius spissitudini,minus fortitudini, nisi in aurora ambulando,confidit: quia solis diurno aspectu tam fragilis redditur,ut quæ equestres armatos paulò antè portauerat,uix hominem nunc sufferre possit inermem. Viæ autem hyemales, ob inductam frigoris duritiem,qua factæ sunt spissiores,ac solidiores,diutius tanquam pontes in lacubus manent. Descēsuri tamen uiatores à glacie in terram,uel è contrà,necessum erit,ut habeant tabulatum pontem. Sol enim calefacto littore,decoquit omnem glaciei connectionem. Nec prætereundum hic puto,lacum esse 60. milliarium in longitudine,& 20. in latitudine Italicorum, Veter appellatum,in regno Ostrogothorū: qui talis est naturæ,quòd cùm tempestuoso uento congelatus fuerit,& tempus resolutionis immineat,uehementissimo strepitu incipit in fundo ebullire,& commoueri,magnaq; uiolentia prorumpere in paruas rimas,uel scissuras,quę fiunt in glacie: & has in modico temporis spatio faciens ualde latas,licet protunc glacies in spissitudine habuerit plusquàm unum,uel duo brachia. Tuncq; cooperante superiore impetu, diuiditur tota glacies in plures particulas: in quibus uiatores constituti,uix aliter,quàm Dei præseruatione ad littora dimittuntur,eò quòd ibi uis naturæ secretius,& mirabilius,quàm alibi in lacubus operetur. Est etiam lacus prope metropolim regni Noruegiæ Nidrosiam,qui nunquàm congelatur.

De glacialibus instrumentis.
CAP. XXVIII.



QVemadmodū calidę, aut temperatę regionis gentes à gelu,frigore,niue, pruina, glacie, & hyemali stridore uidentur liberæ: ita uix deprehendere possunt, quàm diuersis artibus, remedijs, & instrumentis aduersus huiusmodi austeritates, sub ipso frigidissimo Septentrione habitantes se muniant,& dirigant. Naturæ etenim uis, atque maiestas in omnibus momētis fide caret. Si quis modò partes eius,

ac non

ac non totam complectatur animo, quàm multa fieri non posse, priusquàm sint facta, iudicantur? Si enim ipsa natura multis, mirisq; artubus, ac membris fera animantia, ut ea perficeret, communiuit, quid hominis imbecillitati pro solatio non concederet? quem nudum gigni uoluit, mox infinitis calamitatibus subijciendum, ut has superaret ingenio, & artibus, quas solis uiribus, ac instrumentis penetrare nequiret: utq; in promptu semper haberet remedia, ubi plura, eaq; ardua obstacula imminerent. Et ob id suprapos ita glacialia instrumẽta tantummodò tempori gelido, nedum necessitatis, sed & utilitatis, ac uoluptatis causa hominibus, & iumentis ad diuersa exercitia commodissimè applicantur: utpote cùm impossibile sit lubricam percurrere glaciem, aut per eam onera grauissima sub maxima distantia ad loca deducere destinata, nisi in arte fieret, pro uiribus subleuandis apparent superius calcei lignei, ferreis subducti cuspidibus: quoniam uiatorum, piscatorum, ac bellantium congruunt usibus opportunis. Præterea tricuspides, seu trianguli ferreos stylos habentes, tribus angulis pro firmiori gressu fabricati: demum circuli flexibiles undiq; aculeos habentes, dentato more acuatos: quibus omnibus, ut pedibus adhæreant, fortissimæ ligæ sunt annexæ, ut ea firmitate quiuis cursus, uel transitus sit securior, & onus quodlibet unius, uel duorum hominum ui ducibilius: quod alioquin in arena, uel niuibus fortitudine equorum non traheretur. Sunt & dolabræ, siue secures, omni glaciei perforandæ prima, atque aptiora instrumenta: quia talibus instrumentis aperiuntur gelata flumina plurium stadiorum, dum classica fieri debeat expeditio in piratas: uel quòd Reipublicæ ita uidentur urgere negotia, ut nuntij ultra maria emittantur. Quo etiam casu nauigia iumentorum opera in uehiculis ab urbibus, & castellis super glaciem ad apertum mare repentè educuntur, ut agilitate uentorum, ac uelorum, subito cursu iter aquarum absoluant, quod plurimis diebus haud perficerent in iumentis. Videntur præterea ferrei ligones præsenti tabulæ insculpti: quia his spissa, atque indurata glacies cæteris instrumentis ferreis non cedens, facilius infringitur, dum aliæ secures chalybe permixtæ, in uehementi frigore ad solum glaciei, uel uirentis arboris ictum, instar uitri rumpuntur, ubi ligones prædicti, siue ferreæ hastæ, fortissimi manent. Cæterùm uidentur harpagines adunco mucrone formatæ, quibus glacialia frusta prædictis instrumentis confracta, quò opus fuerit, facilius trahantur, uel extrudantur, etiam in aperto mari tempore hyemalis solstitij, quando non tantum contra molem glacialem arcendam, ne naues rumpat, prouidendum erit, sed contra latentia saxa: sed deniq; contra crudeles inimicos sit congrediendum. Cernuntur deinde sotularia, uel socculi, quibus aptius ad arbitrarium motum in glaciali pugna ad fortiter resistendum, uel cautè fugiendum, lubrica glacies securius calcari possit, quemadmodum infrà de bellis glacialibus ueniet demonstrandum.

De bellicis Gothorum obeliscis, & erectis saxis. CAP. XXIX.



VEterum Gothorum, ac Sueonum antiquissimus mos erat, ut ubi acriores in cãpis, seu montibus instituissent, & perfecissent pugnas, illic erectos lapides, quasi Aegyptiacas pyramides collocare soliti sint: quibus huiusmodi præclara gesta breuissimo aliquo titulo insculpentes, memoriam nominis, & gestorum suorum perpetuari putabant, prout eorundem temporum usitatæ cantiones rhythmaticis compendijs compositæ, continuatisq́ue seculis in

lis in præsentem usq; diem deriuatæ, hanc rem ad posterorum memoriam propagarunt. Extant enim in Septentrionalibus locis durissimi montes cinericij coloris, marmoream duritiem longè exuperantes: hi plerunq; terræ motu, fulgure, uel alio naturæ impulsu ita concuti solent, ut excisa, deorsumq; cadentia saxa, partim formam pyramidis, partim quadratarum columnarum, partim quadrãgulorum, & obeliscorum, quasi insigni naturæ opificio forent fabricatę, suscipiunt, ut inutile, uanumq; aliquid his superaddere uideatur. Has igitur columnas, primum extractas in campis, & excelsioribus locis partim scripturis notatas, partim insculptas, posuere gigantes, prout Virgil. in Aeneide similibus attestatur, dum inquit:

Vix illum lecti bis sex ceruice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Sed hæ pyramides, seu columnæ, apud Helsingos plures, quàm alibi reperiuntur in Aquilone. Obelisci uerò, seu sublimia saxa, uiribus gigantum ac pugilum erecta, nullibi frequentius, quàm apud Ostrogothos, & Vestrogothos, ac superiores Sueones in biuijs, seu triuijs conspiciuntur, etiam in uastis solitudinibus: quæ dudum peste, fame, & bellis habitatoribus euacuatæ, necdum ob inertiam, seu negligentiam incolarum, ad pristinum cultum (terra ultro exultãte hactenus, nisi rarissimè in formam noualium) sunt reductæ. Habẽt itaq; hæc saxa in plerisq; locis erecta, longitudinem 10. uel 15. 20. aut 30. & amplius, ac latitudinem quatuor, uel sex pedum mirabili situ, sed mirabiliori ordine, ac mirabilissimo charactere, ob plurimas rationes collocata: literato, rectoq;, & longo ordine uidelicet pugilum certamina, quadrato turmas bellantium, & sphęrico familiarium designantia sepulturas, ac cuneato equestrium, ac pedestrium acies ibidem, uel propè fortunatius triumphasse. Scripturæ uerò à dextro latere in pede saxorum inchoatæ, usq; in uerticem, & tandem reflectendo in sinistro pede finitæ, uel iterum eodem ordine interius eleuatæ, depressæq; terminantur. Habentq; singulæ literæ spissitudinem, atq; longitudinem digiti maioris humani. Licet uero imbrium, atque luti iniuria, multę earum in imo saxorum, ob immemorabilem antiquitatem, sint excesæ, attamen similes earum effectus clarissimè eo modo leguntur: Ego Vffo pro patria certans, 31. pugiles occidi, & tandem à Roluone pugile occisus hic requiesco. Pręterea: Domitor uiolentorum, ac defensor oppressorum, cicatricibus, & senectute plenus, gladioq; cinctus, hic situs sum Ingoluus. Cùm alij bellicis rebus gloriam quærerent, ego Halstenus paci operam nauans, laudem merui immortalem. Asserit etiam Strabo, Thebis esse literas quasdam in obeliscis scriptas, quę Regem illorum diuitias, ac potentiam declarent, & imperium usq; in Scythiam, & Indiam &c. tributorum magnitudinem, et exercitus circiter decies centena millia. Pyramides uerò plures, & mirabiles esse, Isidor. lib. 15. cap. 11. Strabo lib. 17. Plinius lib. 36. cap. 2. attestantur. Sed Solinus cap. 45. quas dicit ultra omnem celsitudinem fastigiatas, forsan uanę ostentationis gratia, ne pecunia scilicet successoribus, aut insidiantibus ęmulis relinqueretur. Et de his Pomp. Lætus amplissimè prosequitur, asserens tricenûm pedum crassitudine quenq; lapidem habere.

De obeliscis sepulchralibus.
CAP. XXX.

Sed neq; ueteribus Gothis, alijsq; gentibus in Septentrione defuit memoria maiorum, quin & eis exhiberent, quos humi recondere placuit, honorabiles statuas lapidum excelsorum, prout hodie cernuntur mira compagine immensa saxa, in modum altissimę, latissimęq; ianuę sursum, transuersumq; uiribus gigantum erecta, pręsertim duobus milliaribus magnis à ciuitate Scarensi ad ruralem Ecclesiam Kelby proficiscendo. Ibi enim in quodam triuio tria ingentissima saxa (ut pręmittitur) characteribus Gothicis pulcherrimè sculpta uidentur. Si quis etiam





etiam curiosus indagator de similibus saxis, tam solitudines, quàm apertos campos scrutãdi gratia peragrare uoluerit, infinita spectacula comperiet, quæ præsentibus haud opus est tædiosius insinuare. Vna tamen causa promptior esse posit, quòd non longa distantia ab ea uetustissima urbe Scareli erat arx regia Aaranes dicta (de qua specialiter alibi dicet) circa quã successiuis seculis, et generationibus, committebantur acerrima bella: de quibus charitsimus frater & antecessor meus Archiepiscopus Vpsalensis mirifica scripsit. Sunt & apud Ostrogothos itidem, & superiores Sueones, magnatum ac nobilium arces latè per regiones in locis natura munitis extructæ: penes quarum muros, & agros, ueterum ingentia saxa cuneato, rotundo, oblongo, & erecto situ terris infixa cernuntur: quorum sublimiora Gothicis scriptis insignita, quasi uiuentis alicuius ducis imperio edocent, quid sequi, uel fugere debeant eorum successores, uirtutem scilicet amplecti, & uitia detestari &c. Nec dubitandum est, quin eo æuo edictum simile seruatum sit in Aquilonaribus regnis contra malignorũ principum, & tyrannorũ condienda corpora. ne honesta potirentur sepultura, quemadmodum Senatus Romanus edidit (Mario Maximo, atq; Aelio Lampridio teste) contra Imperatorem Commodum in hac forma: Hosti patriæ honores detrahantur: parricidæ honores detrahantur: parricida trahatur: hostis patriæ, parricida, gladiator in spoliario lauetur: hostis deorum, carnifex Senatus: hostis deorũ, parricida Senatus unco trahatur: qui innocentes occîdit, unco trahatur &c. Parricidæ statuæ detrahantur: necator ciuium detrahatur: parricida ciuium trahatur. Sęuior Domitiano, impurior Nerone: sic fecit, sic patiatur. Qui omnes occîdit, unco trahatur: qui uiuos spoliauit, unco trahatur: qui testamenta deleuit, unco trahatur: qui omnem ætatem occîdit, unco trahatur: qui utrunq; sexum occîdit, unco trahatur: qui templa spoliauit, unco trahatur: qui pretia uitæ exegit, & fidem non seruauit, unco trahatur: qui Senatum uendidit: qui filijs abstulit hæreditatem, unco trahatur: quia ad perniciem ciuium, & ad dedecus suum uixit. Ideoq; statuæ, & nomen eius ab omnibus publicis, & priuatis locis abolendę sunt, ac eradendę. Quid etiam contra Caligulam, Vitellium, & similes Plutonis cohæredes clamatum, ac actum sit, uoluminibus maximis explicari nequit, quemadmodum nulla æternitas satis longa uidetur in commẽdatione optimorum Principum: quorum imagines, & statuæ eò semper sunt sanctiores, quò calamitosi homines talium heroum recordatione meminerint se fuisse feliciores, continuè eisdem precantes felicitatem sempiternam. Talium etiam bonorum Principum obelisci, & saxa, multis seculis ante plantatam fidem Catholicam in Septentrionalibus regnis signo Crucis insignita adhuc apertè uidentur, similem habentia inscriptionem: Postquàm dæmonum fallacia seductus erraueram, ad Christianorum Deum conuersus morior, & hîc sepultus iudicium eius expecto Germundus. Prætereà alibi in saxo hæc uerba reperiuntur: Relicta idolorum cultura mortuus, & in Christi fide uiuus, sub hoc lapide requiesco Holmstanus. Profectò gloriosior eius æstimabitur sepultura, & similium, unico obelisco signata, quàm omnes pyramides tyrannorum Aegyptiacæ uanitatis, prout superiori cap. aliqualiter est ostensum, præsertim attestatione Plinij lib. 36. cap. 12. qui has uanitates per causas, expensas, loca, tempora, & meretrices deducit: quarum uerecundus quæstus inter effœminatos erexit excelsas pyramides, ubi inter fortes homines Aquilonares auribus, & naribus ob turpitudinem priuatæ fuissent. Sunt quidem in Aquilonaribus terris scorta, sed adeò uerecundo incessu, & conuersatione, ut pauperes fœminæ, etiam si di

tissimæ sint, ob annexam tamen infamiam, & turpitudinem, uilissimæ rei assimilandæ appellentur. Cloaca (teste Augustino) tolerari potius uidetur in una parte domus, quàm quòd tota domus ubiq; sit sordium nutrix, & sentina.

Bellorum acerrimorum historiam ex Ioan. Mag. subijcimus, quorum hoc capite Olaus meminit. Paulo autem altius repetiuimus negotium, ut etiam bellorum eorum causæ, æquo Lectori pateant.

Sigthunius, quem alij Sigtrugum uocant, Gothilę Regis nepos, eiusq; in regno Suetiæ successor, dum à suscepti regni principio sacrificia & libamina Dijs suis apud Vpsalam metropolim offerret, suorumq; fatorum seriem, ac futuros rerum euentus solicitè inquireret, accepto per uictimarios responso, didicit sibi ab auri metallo supremam perniciem & mortem fatali necessitate imminere, ideoq; summopere ab eo cauendum esse: à ferro, aut chalybe, cæterisq; metallis nunquam uiolari, uel occidi posse. Quocirca cùm se Deorum immortalium beneficio inuictum putaret, magno atq; imperterrito animo multa bellorum discrimina aggressus est. Huic erat filia Gro nimiū speciosa, de cuius pulchritudine & moribus, cantiones nonnullæ sermone patrio ad nos peruenerunt. Hanc Schioldus Danorum Rex filio suo Gramo missis legatis coniugem postulauit, sed iam pater ipsam fortissimo atq; nobilissimo pugili Sumbli, Finnorum Regis fratri desponderat. Itaq; Gram putans se à Sigthunio contemptum, quòd filiam alteri minus nobili despondisset, consilium à socio suo Besso, cuius opera in difficillimis rebus semper utebatur, inquirit, quomodo iniuriam contemptus sui uindicare possit. Tandem placuit omnem industriam ad hoc accommodare, quò puella etiam inuito patre raperetur. Erat enim tunc inter præclara illustrium uirorum facinora existimatum, si raptas per uim & arma uirgines suo coniugio sociarent. Igitur Gramus (assumptis secum comitibus) relicta Danorum patria Gothiam ingreditur. Sed ne noto uultu preditus agnosceretur, agnitusq; trucidaretur, uarijs ferarum pellibus circumamictus incessit, magnoq; discrimine ad regiam Sigthunij peruenit, circa quam latitās tempus obseruabat, donec egredientem uirginem in mutuum amorem alliceret, allectamq; & sponte uolentem abduceret. Prius tamen Bessus ille fidelis & prudens comes, per summam ingenij uim, prudentissimæ uirginis animum in amorem sui illustrissimi Regis induxit, quamuis ab initio aspera difficilisq; fuisset, nunc patris potentiam & arma, nunc clarissima auorum & atauorum stemmata commemorans. Sed Besso nec facundia, nec occasio defuit, qua suum Principem insigni laude extolleret, nunc sanguinis nobilitatē, nunc fortitudinem & militarem disciplinam, nunc demum in armis & prælijs inuictam potentiam mira ingenij arte commendando, quemadmodum Saxo Danicus in illo Adonio carmine testatur:

Gro mihi nomen,
Rex pater extat,
Sanguine fulgens,
Fulgidus armis:

Tu quoq; qui sis,
Aut satus unde,
Promito nobis.

Tandem ubi Gram intellexit, se de uoluntate uirginis securum, nec formidandas esse inscij patris insidias, depositis ferinis pellibus quibus amictus fuerat, concupito uirginis amplexu potitur, datis prius pro sua Regia fortuna & magnificentia amatorijs donis, quibus puellarum animi citius capi consueuerunt. Deinde nihil obluctātem in suam usq; Daniam concito cursu perduxit, perductamq; magno amore dilexit, & Gutthormum postea Daniæ Regem, & filiam Sibdageri, Noruegiani Regis coniugem ex ea suscepit. At Sigthunius raptę puellę pater, iusta indignatione motus, hostilia Danorum Regi indicit: fiuntq; ex utraq; parte magni bellorum apparatus, dum alter illatam sibi & suo sanguini iniuriam magna Sueonum & Gothorum potentia uindicare conatur: alter ut rapta coniuge liberè perfruatur, totis Daniæ uiribus sese potenti hosti opponere contendit. Itaq; educta ad bellum utriusq; Regis potentia, pugna adeò atrox & pertinax committitur, ut non pro aris & focis, aut fortunis, sed pro sanguine et uita certamen agi uideretur. Nam Sigthunius eò importunius & uehementius hosti imminebat, quò certiora putaret Deorum oracula, quibus didicisset se ferro insuperabilem fore. Sed non deerat Gramo promptum Danicæ astutiæ presidium. Clauam enim, quam more gigantes gestabat, auro infuso ponderosiorem effecit, eaq; imminentem audacius capiti suo Sigthunium non solùm repressit, uerumetiam multis ictibus contusum occidit, non inutile documentum futuris Sueonum Regibus eo facto relinquens, quòd plus aurum quàm ferrum formidabile credant. Quippe plures Reges auro quàm ferro periclitantur, dum auri sacra fame laborātes subditis inopiam rebellionemq;, & sibijpsis præmaturum fatum, aut à regnis eiectionem accelerant. Hac de Sigthunio parta uictoria Gramus receptui cani iussit, credens se totam Sueonum regionem morte Regis & iure

iure belli aſſecutum fuiſſe. Sed ſupererat Scarinus Gothorum Rex, qui non paſſus eſt Sueones uictrice Danorum uirtute ſubiugari, prudentius futura conſiderans, quòd Sueonibus ſubactis, Gothorum etiam imperio fortior immineret. Qui mox, ut comperit, conſanguineum ſuum, Sueonum Regem Sigthunium armis Danorum occubuiſſe, nihil moratus omnem ſui regni potentiam contrahens, bellum contra Gramum, qui ſe uictorem putabat, inſtruxit. Verùm cùm belli apparatus incrementa plurima ſuſciperet, ipſeq; Gramus Gothici Regis potentiam nimis adauctam animaduerteret, nec Danorum uiribus facilè ſuperabilem crederet, à ſingulari certamine præſidium opportunum mutuari conſtituit. Sciuit enim publica lege & conſuetudine receptum eſſe, ut quicunque tali certamine cum hoſte congredi recuſaret, is pro uicto atque imbelli homine haberetur. Igitur Scarinum, quem ob grandem ætatem uiribus deſtitutum conſiderabat, ut ſingulares manus conſereret, prouocauit. Vicit ueteranum Principem ingenuus pudor, ne ab imbecilli ſenio iuſtam, quam potuiſſet, excuſationem aſſumeret. Proinde armati in campum ambo Reges procedunt, circumſtante undique uirorum fortium corona, quorum pars Scarino, pars Gramo felicem pugnæ exitum precabatur: pars ſucclamabat longè impar, atque iniquum fore hoc duellum, in quo Gramus iuuentutis flore conſpicuus, atque uiribus integer, ac Gigantea fortitudine præditus, contra Scarinum ſenectutis diffidentia debilem congrederetur. Quo congreſſu illud facilè euenit, quòd cuncti qui aderant, neceſſariò futurum prædixerant, uidelicet debilem à ualido, ſenem à iuuene, imbellem à gigante ſuperandum fuiſſe. Sed nec illo ſuperato Gramus uictoriam in Gothos aut Sueones obtinuit: erat enim Scarinus magna conſanguineorum progenie ſuccinctus, qui contra Gramum uiciſsim in ſingulare certamen prodibant. Sed dum conſanguinei Regis occaſum uindicare contenderent, numerum mortuorum ſuo fato adauxerunt. Sed neque ea uictoria Gramo regnum Suetiæ poterat conciliari. Quamuis enim abſumpta eſſet in eo Danico bello tota ferè Regij ſanguinis in Gothia progenies, nec inter Sueones aliquis ſupereſſet, qui hæreditaria ſucceſsione uacantibus regnis dignè præficiendus uideretur, attamen Sueones & Gothi, Noruegiæ Regem Sibdagerum Gothico ſanguine illuſtrem, Sigthunioq; & Scarino proxima conſanguinitate coniunctum, Danorumq; Regis implacabilem hoſtem, ad regni ſolium aſſumunt, iuſtum atque honeſtum exiſtimantes, ut potius Regia dignitas in ſanguine & familia eorum Regum, qui pro patria ceciderunt, permaneret, quàm in Gramum alieni imperij inuaſorem imprudenter collocatum diceretur.

Sibdagerus igitur Noruegiæ Rex multis magnis & honeſtis rationibus in Gothiæ ac Suetiæ regnis ſublimatus, quemadmodum in Danos ob Regis eorum inſolentiam graui odio ferebatur, ita uexatis per eum Sueonibus compatiens meditari cœpit, quibus uiribus & armis iniurias eis illatas uindicaret. Creuerat iam olim inter hos Reges graue odium ob raptum conſanguineæ uirginis Gro: nec poterat indignatio in Sibdagero quacunque occaſione pacari, donec facinus facinore, raptum raptu compenſaret. Siquidem claſſe bellica in Daniam prouectus, primò ſororem Regis ſtupro uiolatam infami pudore affecit: deinde filiam eius admodum ſpecioſam uiolentius raptam in Noruegiam abduxit, abductamq; ſibi matrimonio copulauit, plurimum eo proſpero facto exultans, quòd unam iniuriam geminata atque atrociore uindicaſſet. Hic nimirum in magnam admirationem rapior, conſiderans hos uirginum raptus tunc & eiſdem temporibus atque annis apud Reges Septentrionales in conſuetudinem ueniſſe, quando bellum Troianum ob raptum mulierum crudeliſsimè gerebatur. Neq; hic minor interfectorum Principum & militum numerus commemoraretur, quàm apud Phryges & Danaos, ſi tãta ſcriptorum copia de ſubrigido Aquilone emerſiſſet. Sed hæc quieſcant, & ad Gramum conuertamur. Qui conſiderans ſuas artes artibus Sibdageri duplicata aſtutia ſuperatas, nec ſibi ſpes reliqua eſſet, quin ille occupatis tot in circuitu regnis & populis, tandem Daniam impugnaret, & expugnatam ſubiugaret, ſtatuit omnes ſuæ potentiæ uires contra tam potentem hoſtem ſemel experiri. At prudentem Sibdagerum ea aduerſarij meditatio minimè latere poterat, quin potius longè cautiorem effecerit. Enimuerò non modò ſuos Noruegianos, & cæteros ſuo imperio ſubiectos, ſed Saxones (quorum Principem Henricum Gramus inſidioſè & clàm obtruncauerat) in belli ſocietatem uocatos, ad Daniæ expugnationem inuitauit. Nec Gramus ſegniter occurrens, quantaſcunque poterat uires aduentantium hoſtium uiribus opponebat. Sed aduenerat tunc ineuitabile fatum, quod nec gigantea fortitudine, nec inuictis armatorum militum millibus, aut quacunque humana potentia poterat ſuperari. Igitur fortiſsimus pugil Gramus, poſt tot præclara & magnifica facinora, à Rege Noruegiæ Sibdagero, dum ſtupratæ ſororis iniuriam, & laceſsitam filiæ pudicitiam, atque ereptorum regnorum uiolentiam ulciſci conatur, opprimitur. Oppreſſo igitur atque extincto

Gramo Danorum Rege, Sibdagerus omnium Aquilonarium regnorum unicus moderator effectus, Gutthormum Grami filium, & raptæ olim coniugis fratrem ab exilio reuocatum, Danis sub tributo regnaturum præfecit: perinde ac liquidò constare uolens, quòd totam Daniam æqua seruitus teneret, omniumq; corrupta libertas parem cõditionis ignominiam sub tributario Rege redoleret: quasi parum prælijs afflicti fuissent, nisi etiam abiectissimo conditionis instituto multarentur. Hadingus autem Gutthormi frater, homo magni & præstantis animi, cùm cogitaret se fortissimo patre genitum, elegit potius honestam exilij conditionem, quàm in patria seruitutem turpitudini coniunctam sustinere. Nec tamen nobiliora fuissent eius facinora, si in patrio solo uictitasset, quàm modò sunt inter eos heroës, quorum acta magis miranda, quàm imitanda proponuntur. Siquidem post æditos longè lateq; militares triumphos, exercitum naualem in Sueticum mare à deuictis Rußis reduxit, atq; Sibdagerum in Gotlandia commorantem pugna adortus oppreßit.

Tyrannos debere carere honesta sepultura, exemplum ex Ioan. Mag. lib. 20.

Turgillus Canutus quondam regni gubernator, & Regis Birgeri, ac fratrum eius tutor, præcepto eorum in uilla Vestrogothorum Lena captiuatus, & compedibus ferreis constrictus, in regiam Stocholmensem deportatur: ubi decollatus ecclesiastica caruit sepultura, donec ad petitionem Regis Nicolaus Archiepiscopus Vpsalensis permitteret ipsum in monasterio Minorum sepeliri: accepta pro eius reconciliatione ingenti copia auri, & argẽti, quòd Ecclesiæ persecutor existens, ipsam grauißimis damnis implicasset.

Tyrannorum gesta abroganda. Ioan. Mag. lib. 21.

Est apud Sueones lex & cõsuetudo, quæ tyrannorum gesta publico senatus edicto irrita, & inania decerni iubet, ut tyranni ea lege reprimantur, ne quid temerè contra leges & instituta maiorum constituant, quod postea cum dedecore constituentium fuerit abrogandum. Sed quæ lex, quis timor, quæ uerecundia satis esse potest, ad superandam audaciam tyrannorum?

Vitæ Germundi descriptio, cuius hic epitaphium memoratur: ex Ioan. Mag. lib. 8.

Germundus Ingelli filius, in paterna sceptra concordibus procerum populorumq; suffragijs peruenit. Hic à paternis moribus, & illo perpetuo ardore præliandi nunquam degenerans, quemadmodum uiuendi principium à patre suscepit, ita ab eodem accerrimi odij seminaria in Danos assumere non omisit. Enimuerò postquàm ad memoriam reuocasset eas iniurias, quas patri, auoq́ue eius irrogauerant, cœpit totis ingenij sui uiribus cogitare, quomodo iniuriarum magnitudinem uindictæ magnitudine compensaret. Igitur comparatis undique militum copijs, bellum in Daniam transportauit. Occurrit ei Haraldus Danorum agminibus undique circumfultus: fit pertinax & atrox pugna. Sueci enim & Gothi, iam assueti Haraldum superare, indignum putabant, si ab eo uincerentur, quem toties à se uictum meminerunt. Nec minores Haraldo animi creuerant, quòd in propria terra, ubi auxiliares copię semper adhiberi poterant, certamen ageretur. Victi nihilominus Dani, manus uictas Germundo porrexerunt, supplicique deditione insidias, quas clàm meditabantur, celauerunt. At Germundus Suetica simplicitate præditus, putabat manus, & ora, ac corda eorum conuenire, exercitumq́ue quem prudenter adduxerat, imprudentißimè ad Suetiam remisit, nimium eis confidens, qui nimium iurare consueuerunt. Hi enim ut latera eius stipatoribus nuda animaduerterunt, mox ipsum contra promissam fidem & iusiurandum inuadentes, captiuant, captiuumq́ue ignominiosa morte, quali ipsi iustius afficiendi fuissent, affecerunt. In loco enim, qui à uulgo Otthasund, siue Otthini sinus dicitur, erecta trabe ipsum strangulantes, documentum posteris præbuerunt, ne nimium illis hominibus fidant, qui plus libertati, quàm honestati tribuendum putant. Hæc itaque ignominiosa mors Germundi, non solùm occasionem, sed causam præstitit illi memorabili bello, de quo mox dicemus. Sed hic attendendum est, Saxonem Danicum huius Germundi non meminisse: affirmat enim Haraldum Danorum Regem cooperatorem fuisse, ut Ringo post Ingelli fata in Sueonum Regem assumeretur. Sed ut ille suis historijs Danicis autoritatem tribuit, ita nos fidem reijcimus in historias Sueticas, quas nobis proposuimus imitandas: prudens Lector posteà quod uerius fuerit amplectatur.

Holstani

Holſtani uita & res geſtæ: ex Ioan. Mag. lib. 8.

Holſtanus deinde, poſtquam pater eius Ingemarus in fata conceſſerat, Rex Gothorum conſentientibus proceribus efficitur, Suecis ad Biornonem (de quo proximè dicemus) conuerſis. Huic Holſtano prima belli difficultas cum Siualdo Danorum Rege (qui Brodero ſucceſſerat) emerſit. Affirmabat enim Siualdus terras Schoningiæ, & Hallandiæ, à Daniæ regni integritate euulſas, ad Gothiæ regni fines uiolentius, quàm iuſtius applicatas. At Holſtanus Gothici regni terminos optimo iure defendens, aſſeruit ipſas terras Schoningiæ nullo unquam iure, aut ratione, ad Daniæ regnum pertinuiſſe, niſi forſan aliquando uiolentis Danorum armis occupatæ fuiſſent. Poſſeſſio autem uiolenta nullius temporis pręſcriptionem admittit. Nec diutius ualet uis, quàm ius in armis uerſatur. Ceſſantibus armis, quod iniuſtitia detinuit, iuſtitia reſtituere conſueuit. Contrà Siualdus dicere potuit: Si Schoningia, & Hallandia non eſſent de integritate Daniæ, tunc Dania regnum ob ſui exilitatem dici nequiret. Quid ad nos Gothos, inquit Holſtanus, de amplitudine, uel exiguitate ueſtræ Daniæ? Si enim originem gentis ueſtræ conſiderare uolueritis, inuenietis Ericum Gothorum Regem ante tempora Abrahę patribus ueſtris inſulas Danicas ſub tributo inhabitandas conceſsiſſe. Schoningia autem, uel Hallandia, quas ipſa natura à Danorum inſulis, interiecto ſinu maris, auulſit, nullo unquam iure ad uos Danos pertinebant. Hęc aut his ſimilia tunc, quemadmodum nunc, dici poterant, donec poſt multa uerba ad arma deueniretur: quæ etſi Danus Gotho comminaretur, mors tamen, quæ Siualdum Danum abſtulit, abſtulit & bella, quouſque in defuncti patris locum ſuccederet Snio: qui patre aliquantulum callidior, non per arma, ſed per nuptias ad ſe trahere Gothici regni partem nitebatur. Miſſa namque ſolenni legatione, filiam Holſtani in matrimonium poſtulabat. At Holſtanus prudenter conſiderans, quorſum tenderent hæ nuptiæ, legatos confeſtim à ſe indignabundus abiecit: quos denuò, & importuniore temeritate in eodem negotio reuerſos, publico ſuſpendio conſumpſit, pręfectumq́; Schoningiæ Eſchillum, adiuncto ſibi ſocio Achillo, conſtituit, pręmonitum, quòd peruigili cura illas terras à Danici Regis inſultu cuſtodiret. Deinde ſe ad Biornonis Suetiæ Regis amicitiam conuertens, data ei in matrimonium filia, quam Snio poſtulabat, conſtantem ac perpetuam confœderationem cum eo coniungere feſtinabat. His compertis, Snio uehementer doluit Holſtanum inſidias callidè excogitatas prudentius deuitaſſe: animaduertitq́; armis opus eſſe, non dolis. Quocirca expectato idoneo tempore, comparataq́; ex Dania, & uicinis terris militia, traiecit in Schoningiam: contra quem cùm Eſchillus incautius pugnaret, ſuperatus occiditur. Et ita Schoningia, quæ iure ad Gothiam attinebat, armorum potentia Danis pauco tempore acceſsit. Interea Holſtanus in ſenium, & tandem ad mortem uergens, Gothiæ regnum unà cum filia, Biornoni Sueonum Regi commendauit.

De fatalibus ſaxis duorum fratrum.


CAP. XXXI.



Reperiuntur etiam alibi lapideæ tabulæ admodum latæ, & excelſæ, gigantum robore terris impreſſæ, imagines habentes draconum, ſerpentum, ac urſorum inſculptas: contra quos non minores ſumpſere triumphos, quàm hoſtes armatos, prout inferius lib. de gigantibus, & pugilibus oſtendetur. Prætereà inſignes petræ ſunt littoribus aquarum immiſſæ, quæ ueteri charactere monſtrant, ibidem illuſtres perſonas uario euentu fluminum, tempeſtatum, fulgurum, turbinum, uel inſidiatorum impulſu fuiſſe necatos. Indeq́; nomen inditum æuo perpetuo perſeuerat. Sunt & lapides alti, quorum aſpectu & ſigno, prouinciarum, præfecturarum, arcium, communitatum, nobilium, ac plebeiorum antiquiſsimę poſſeſsiones ſine legibus, ſine litibus, ſine iudicijs unicuiq́; pacificæ permittuntur: documēto cæteris nationibus oſtenſo, quòd inter has ſimplices gentes plus iuris, & æquitatis ex limitaneis ſaxis habetur, quàm alibi in

multis legũ uoluminibus, ubi homines se reputant doctiores, & ciuiliores. Sunt & duorum fratrum bini lapides fatales in Gothia Meridionali hac antiquitate usq; in præsens celebrati, quòd illis adolescentiæ ætatem uix egressis, à diuinatoribus prognosticatum erat, ut mutua cæde moretentur. Quod fatum abhorrentes, ac declinare uolentes, ad remotas orbis partes perpetuò peregrinaturi separatim se contulerunt. Surgente uerò ætate decrepita, in patriam regrediuntur, quisque pro se putans, tanto temporis progressu fratrem, fatumq; fuisse finitum. At aliter euenit, ut fata uiam inuenirent. Nam cum aliquot stadijs ab oppido Ionaco pensi senes, & ignoti mutua salutatione conuenissent, & paulisper circa uiam publicam in nemore pinoso quieuissent, mox rixantibus eorum canibus, pariter & ipsi ad mutuas rixas, & uulnera proruperunt, animamq; trahentes, & fratres se agnoscentes, expirârunt. Sed hæc antiquorum relatione potius, quàm approbatione sint adducta. Extant circa illum locum innumerabilium lapillorum altæ congeries, uiatorum manibus sola proiectione congestæ. Mos enim est genti, dum iter conficit, celebribus locis, ubi portenta uel miracula fiunt, lapides immittere frequentissimos: fortè uel hac ratione, uel alia honesta causa permoti, ut petrosa itinera prætextu pietatis expurgēt. Sunt & lapides littorales satis sublimes, sine scripturis maiorũ industria uersus infidos portus reflexi, notabili signo nautas informantes, ut naufragia euitent. Est etiam lapis ingens, & rotundus, circum circa duodecim minores adiacentes habens, cuneatis petris paululum è terra eleuatus, non procul à metropoli Vpsalensi Morasten dictus: super quem nouus Rex eligendus infinita populi multitudine præsente suscipitur, ac postmodum sacrioribus cærimonijs à Catholicis Episcopis, iuramento defendendæ fidei præmisso, confirmatur.

De horologijs.
CAP. XXXII.




QVia de inuentoribus horologiorum, ac distinctione horarum ferè ubiq; terrarum aperta demonstratio cernitur, magis importunũ, quàm fructuosum esset, hic repetere manifesta. Veruntamen confitendum erit, ob imperitam antiquitatem, & simplicitatem uetusti seculi, tardissimè ac gentes Aquilonares eam dierum, horarumq; distinctionem, qua nunc aliæ nationes utuntur (imò & usum campanarum) peruenisse. Nunc autem in Aquilonari plaga ferè tota, adeò perfecta, facilia, & iusta horologia, tam domestica, quàm externa arte fabricata sunt, ut nil amplius, quàm sagax directio eisdem competere uideatur. In metropoli Ecclesia Vpsalensi (ubi, uel prope eam ante 600. annos in certis collibus idolorum cultura erat) ualde pretiosum, mirabileq; horologium habetur, cuius diurno pariterq; nocturno motu planetarum, solisq;, & lunæ accessus, & recessus perspicacissima ratione consyderantur. Hocq; recentioribus his annis præsidente Archiepiscopo Iacobo, qui & gymnasium priuilegiatum huic urbi suæ induxit, non exilibus expensis est confectum, sed nunquàm pœnitendis, eò quòd omnes studiosi illarum regionum ad sydерum, astrorumq; cursum, naturam, effectusq; cognoscendos non mediocriter (quemadmodum ad alias uirtutes amplectendas) sint inclinati: quod & in alijs Cathedralium Ecclesiarum personis intelligendum esse uelim, quibus Deo propitio præclarissima ingenia ut in plurimum sunt concessa. Vestrogotho prudentissimo uiro Berone,



rone, usus est ante omnes Fridericus III, in supremis consilijs suis. Ita & Alexander VI. Ostrogotho Gaddo, postmodum insidijs Danorum interfecto. Quòd autem tardius modernorum horologiorum usus peruenerit ad Septentrionales regiones, mirum non est, cum Roma omnium rerum curiosissima, longissimo euo indiscretam lucem habuisse perhibeatur, donec Scipio Nasica primùm aqua horas, ueluti post eum Victruuius architectus diuisit ęque noctium, & dierum. Idq́ horologium sub tecto habuit anno Vrbis DXCV. Inuentum deinde horologium est metallis, arenis, uel testis ouorum cōfectum, quod rotis dentatis, ponderibus, campanulis, & filis indicat horas, magnatibusq́ solatium præstat. Quinimò & aliud horologij genus ui tantum torto chalybe, neruisq́ circumdato, qui sese paulatim euoluens, uice ponderum rotas uertit. Cuius artificium adeò sublimi pretio sola curiositate euehitur, ut auro, argētoq́, & pretiosis margaritis fabricatum, ualorem quandoq́ uideatur superare mille ducatorum, prout in manibus cuiusdam nobilis uiri uidi, cuius arma bellica uix quinquaginta ducatis poterant æstimari. Nonne Respublica sexcentis lacerata iniurijs, cōtra tam petulantem ciuem iustè conqueri poterat? ut Plinius lib. 13. cap. 1. & 3. in unguentarios, quasi noui furti officinarum inuentores, exclamat.

De horologijs umbrosis.
CAP. XXXIII.



LVcem continuam sex mensium apud suppolares homines, totidem mēsium tenebras ibidem esse, primis capitulis huius libri satis uidetur ostensum. Sed amodo multorum admirationi obuiandū fore arbitror, quibus ingenijs tempus quietis, & laboris distribuant, in distinctione dierum, noctium, & horarum. Quocirca sciendum est, incolas extremi Septentrionis ultra gradum eleua. poli Arctici 86. habitantes, nullum habere solaris horologij usum, quale Anaximenes Milesius Lacedæmoniensis primùm (teste Plinio) inuenisse dicitur: neq́ alterius cuiusuis horologij ponderum, rotarum, aquarum, mensurarum per lineas, & interstitia fabricati: sed tantummodò eos uti prealtis, ac depressis rupium cautibus, partim natura, partim ingenio dispositis, qui radios solares infallibili coniectura obumbrant, partesq́ dierum distinguunt, ueluti hyeme, noctibus & diebus (luna non splendente) uolatilium, & campestrium animalium uocibus, & gestis (quorum copia illic est infinita) clarissimè per experientiā temporum rationem metiuntur. Talibusq́, uelut obeliscis, aut syluestribus signis, sunt contenti. Quo autem directorio ripas glacialis, aut Scythici maris habitatores in nauigando sub Arctico polo utantur, alibi ostendetur: etiam eorum exercitia, qui laborant sub lumine lunæ. Quod uero superius dictum est, suppolares homines uocibus, & gestis animalium distinctas dierum horas agnoscere, mirum non est, cùm & domesticæ, & syluestres feræ ordinem temporum naturæ instinctu successiuè seruent, prout expertis est manifestum. Origo tamen distinguendorum dierum ex Hermete Trimegisto sumpta dignoscit: qui bis sex Aegyptij animalis emissis urinis diem distinxit, & horas. Simile etiam huius naturę iudicium de onagro traditur, qui die 15. Martij duodecies de die, totiesq́ de nocte, pro signo præsentis tunc æquinoctij, frequentius rugit.

De baculis.

CAP. XXXIIII.



QVemadmodum Latini,& Græci autores asserunt,Gothos in armis, & militaribus disciplinis consummatam habere experientiam & cautelam:ita & Gothici scriptores aiunt,eos domi forisq; multarum,& utilium rerum tenere notitiam, & experimentum, & præsertim astrorum scientiam,qua plurimum possint diuinare futura,prout his annexa figura in parte demonstrat. Cernitur hic homo senex atq; adolescens, baculum Gothicis characteribus insignitum habentes, tali ratione insculptum,ut uideatur,quibus instrumentis uetustissimo tempore,dum librorum usus non esset,lunæ, solisúe, & cæterorum syderum uirtutes, & influentias infallibili euentu cognouerint, prout hoc tempore ferè incolæ omnes agnoscunt. Baculus itaq; humana longitudine formatus est,utroq; latere numero hebdomadarum anni,pro qualibet hebdòmada Gothicas literas 7.habens,quibus aurei numeri,& literæ Dominicales (post acceptum Christianismum) patria uoce, ac figuris distinguuntur. Nec alijs libris multiplici temporum circulo in astrorum interpretationibus utebantur, licet priscorum opuscula,antiquitas appellauerit libros. Hodie quoq; librum uirentis ligni uocitamus exuuias. Sed erat indecorum,claras scientias committere tabulis impolitis,& in ueternosis ramalibus imprimere, quod sensualis poterat elegantia reperire. Et hoc primoribus consentaneum fuit: quoniam rude principium tale debuit habere commentum(teste Cassiodoro) quod prouocaret ingenia posterorum,donec cultioris seculi ritus fœcundiorem faceret scientiam, quam custodiæ committeret leuium chartarnm:quibus securius imprimitur,quod æqualiter omni tempore audiatur. Memoria, etenim, etsi causas retinet, uerba tamen sæpius maxima cum iactura commutat. Erant nihilominus in tam innumerabili gente uiri celeberrimi ingenij, qui aliquid excellentius cæteris pro publica utilitate,atque gloria,in optimis scientijs perpetuandis, librorum secretis custodijs commendabant: quorum aliquot exempla charactere Gothico scripta, in metropoli Vpsalensi,atque Ecclesia Scarensi,& alibi in celebrioribus locis reperiuntur:etiam uiuentes astronomi,ac aliarum facultatum doctissimi professores. Verùm de uulgo hæc consyderatio habetur,quòd sicuti à senioribus traditam astronomiæ scientiam,& practicam in præostensis baculis, & characteribus acceperat:ita immobiliter in eadem accipienda,tradendaq;,etiam post sacræ fidei susceptionem,perseuerat,ita ut rustici, seu uillani,adeò periti reperiantur,& sint, ut die una prædicere possint, quotus quisque aureus numerus sit, literaq; Dominicalis, annus bissextilis, interualla, festa mobilia, & ipsæ lunares mutationes, post decem,uel sexcentos,aut mille annos fient, uel erunt. Idq; studium cum sacerdotibus de festis,& similibus commune habent, ut interrogent, & responsum præstent. Cæterum parentes filios suos laicos,imò mater filias,uel domi, feriatis diebus,uel in accessu Ecclesiarum,ita instruunt,ut non minus eruditione, quàm experientia artis indies efficiantur perfectiores. Vetusta enim gentis consuetudine,baculis bis rurales Ecclesias uisitando in prolixis itineribus laici se sustentant,atq; pariter conuenientes, certis adductis rationibus, ueriores uenturi anni iudicant qualitates, quàm forsitan alij speculatiuis scientijs, aut præstigiosis prognosticationibus inhęrentes. Pręterea polum Arcticum mirè obseruant



seruant,uti gnomonem totius cœlestis horologij.Item plaustra,seu ursas, colum ac fusum Veneris,tanquam familiaria antiqui numinis signa:quorum natura inspecta,mirè prouident casibus eventuris:satis prouidè consyderantes, quòd natura neminem uult esse otiosum,sed aliquid addiscere,uel inuenire,& inuentis superaddere robur.

De menstruis signis tonitruorum.
CAP. XXXV.



ETsi omni tempore anni obseruari solent uapores,ac fumi,unde tonitrua, ac fulmina nubium repercussione generantur, maximè tamen in æstate,quando abundantius caloris uirtute extrahuntur, atq; altius eleuantur,prout omnibus rei in quitur manifestum.In hyeme autem,& in uere,licet fumi,uaporesq; spissi è terræ uisceribus magis expelluntur, quàm extrahuntur,minus tamen ob caloris defectum ad superiora aëris eriguntur, sed inferius remanent,pluuias,& uentos producturi. In autumno autem, qui (teste Seneca) frigidus est,et siccus,neq; humor est,qui eleuetur,neq; calor,qui eleuet,cùm omnia uideantur asperrimo gelu consumi.Cumq; hæc communi ordine naturæ ferè ubiq; per orbem euenire soleant,attamen in partibus Septentrionis(uti etiam Herodoto placet)portentosa tonitrua quandoq; in hyeme euenire contingit, fortè ob calidas minerarum exhalationes ibidem abundãtes,& sulphureas uenas,quæ quosdam lacus(prout infrà dicetur)in algidissima hyeme nequaquàm congelari permittunt.Quæ quidem tonitrua,ut importunè ueniunt, ita minori admiratione agricolas turbant, & naucleros: qui etsi hæc brumalia tonitrua uelut ostenta dijudicant,singulo tamen mense,dum eueniunt,eorum effectus obseruant.

Ianuarij tonitrua significant plus solito inualescere uentos, & erectas exurgere fruges.

Februarij maximam afferre mortalitatem,presertim eorum qui deliciosè uiuunt.

Martij ualidos tumescere uẽtos,anni quoq; fertilitatem,& strepitus iudiciorum.

Aprilis pluuiam segetibus aptam,& lætam agri faciem toto anno duraturam.

Maij omnia contraria signant, penuriam frugum, ac formidabilem caristiam omnium rerum.

Iunij prętendunt fertilitatem abundantiorẽ,attamen ægritudines expauescẽdas.

Iulij etiam frumentorũ abundantiam,sed leguminũ,ac fructuum destructionem.

Augusti tonitrua signant pacificum hominum conuictum, ægritudinem tamen formidolosam.

Septembris fertilitatem anni,ac bella,& seditiones,ac cædes imminere.

Octobris portentosa æstimantur tonitrua,quia tempestates indicant imminere in terra,& mari.

Nouembris, etsi rarissimis annis contingunt, pollicentur tamen fertilitatem sequentis anni.

Decembris tonitrua significant omnium rerum abundantiam, ac iucundum hominum conuictum.

Sunt præterea fulgurum,ac tonitruorum aliæ obseruationes ex Plin.lib.18.cap.ultimo,quas etiam obseruare solent Septentrionales gentes.Cum æstate uehementius tonuerit,quam fulserit,uentos ea parte denuntiat:contra, si minus tonuerit, imbrem.Cum sereno cœlo fulget,pluuiæ erunt,ac tonitrua,& hyemabit:atrocissimè autem

me autem, cùm ex omnibus quatuor cœli partibus fulgurabit. Cùm ab Aquilone tantùm, in posterum diem aquam portendit. Cùm à Septentrione, uentum. Cùm ab Austro, uel Coro, aut Fauonio nocte serena fulgurauerit, uentum, & imbrem ex iisdem regionibus demonstrabit. Tonitrua uerò matutina uentum significant: meridiana copiosum imbrem. Præterea plurimum refert, unde uenerint fulmina, & quo concesserint. Igitur dirissima sunt, quæ per Septentriones occasum attingunt: optima quando in eorum exortiuas partes reuertuntur: quia cùm à cœli prima eua parte uenerint, & in eandem concesserint, summa felicitas portenditur. Sed reliquæ orbis partes remanẽt infelices. Noctu magis, quàm interdiu sine tonitruis fulgurat. Huncquè honorem natura homini tribuit, ut raro fulmine exanimetur. Verùm cùm id contigerit, religiosius est hominem terra condi, quàm comburi. Vulnera fulminis frigidiora sunt cæteris. Bestiæ primo fulminis ictu illico pereunt: nullum autem animal, nisi exanimatum, fulmine accenditur.

De Alphabeto Gothorum.
CAP. XXXVI.

A B C D E F G H I K L M

N O P Q R S T V X Y Z ET

ALPHABETVM·GOTV·

AB antiquissimo tempore cum essent gigantes in Septentrionalibus terris, hoc est, longè ante inuentas literas Latinas, & antequàm Carmenta ex Græcia ad hostia Tyberis, & Romanum solum cum Euandro perueniret, expulsisque Aboriginibus, gentem illam rudem ac planè syluestrem mores, & literas docerent, habuerunt Aquilonaria regna suas literas. Cuius rei indicium præstant eximiæ magnitudinis saxa ueterum bustis, ac specubus affixa. Quod si quis ui gigantea, & uetustissimo seculo patratum ambigat, eò accedat, miraque maiora ad stuporem usque uideat, quàm scriptura aliqua polliceatur, uel præstet. His itaque (ut in historia charissimi fratris mei Io. Magni antecessoris Archi episcopi Vpsalensis lib. 1. cap. 52. habetur) res gestas lapidibus imprimentes, sempiternæ memoriæ tradiderunt. Nonnulli etiam pro priuatis computis, instar Aegyptiorum, uariis animalium figuris pro literis utebantur, & adhuc domestica sagacitate utuntur, ut inferius mox dicetur: quarum similes adhuc Romæ in ueteribus obeliscis conspicari licet, in quibus singulæ literæ singula nomina exprimebant, ut puta lupus auarum, uulpes insidiosum, apis Regem: quia moderatorem populorum oportet cum iustitię aculeo clemẽtię mel habere commixtum. Prætereà ut epistolæ papyro inscriptę nunc inter homines mittuntur, ita olim Aquilonares incolæ literas ligno insculptas pro celebri genere chartarum adinuicem destinabant: imò & nunc non suppetente papyro, in militaribus castris, aut obsidione urbium, cortice, seu codice arboris betulæ in laminas, imò subtiles bracteas disciso, pro scribendis epistolis opportunè utuntur, eoque securius, quo cortex huiusmodi nulla imbrium, aut niuium iniuria deuastatur. Meminit etiam Petrus Martyr lib. 8. Chaldeos nunc scribere in foliis arborum, eisque usos fuisse primos noui mundi inuentores Portugalenses, dum mutua presidia contra incolarum rebellionem supprimendam instaurare cogerentur. Reperiuntur etiam homines Septentrionalis plagæ adeò sagacis ingenii, ut cum neque Gothicas, neque Latinas literas unquam didicerint, sibiipsis ex rerum figuris, & instrumentis alphabeta componant: eisque pro subleuanda memoria in pelle, charta, uel cortice singulariter scribẽdo utuntur. Hocque secretum nullis nisi domesticis communicant, atramentum fieri iubentes ex carbone trito, & lacte, uel communi aqua. Igitur ab

hominibus

hominibus uetustissimi seculi plurima, atque praeclara monumenta ad eruditionem praesentium seculorum haberentur, si uiri illi ad res magnificas geniti, tam prolixa scripta, quàm clarissima gesta successoribus reliquissent, dũ adeò tenuem literarum, & amplissimam armorum, & grauium bellorum deprehenduntur habuisse uoluptatem. Attamen quod rudi illa aetate perstrenue gestum est, cantilenis rhythmorum ad posteros alacriter decantandum emiserunt, quemadmodum praesenti die continuatur. Parthi uerò, & Medi uestibus intexunt literas potius, quàm chartae, uel papyro. Meminit etiam Perottus antiquos ante literarum inuentionem usos fuisse clauis.

Ioan. Mag. lib. 1. de Literis Gothicis. Credendum non est, ipsos Aquilonares omnino caruisse scriptoribus rerum à se magnificè gestarum, cùm longè ante inuentas literas Latinas, & antequàm Carmenta ex Graecia ad ostia Tyberis & Romanum solum cum Euandro peruenisset, expulsisque Aboriginibus gentem illam rudem mores & literas docuisset, Gothi suas literas habuerint. Cuius rei indicium praestant eximiae magnitudinis saxa, ueterum bustis ac specubus apud Gothos affixa: quę literarum formis insculpta persuadere possint, quòd ante uniuersale diluuium, uel paulò pòst, gigantea uirtute ibi erecta fuissent.

His apicibus res gestas in lapidibus exprimentes sempiternę hominum memorię tradiderunt. Quibus etsi Romani sermonis notitia, quae tunc ante Romam conditam nulla erat abesset, attamen tanta ad eloquentię studium, & ad scribendum patrias poëses diligentia eos inflammauit, ut non solùm pueri modesti (quod Romanos longo pòst tempore fecisse scribit Cato) cantaturi carmina antiqua, in quibus laudes erant maiorum, passim instituerentur, uerumetiam graues uiri in tibias de clarorum uirorum uirtutibus (ut etiam hodie fit) canerent: tantusque erat doctrinę honor & praemium, ut sapientibus non modò sceptra & regna, uerumetiam diuinos honores plerique impenderent. Sed de his postea suis locis nonnihil afferemus.

LIBRI PRIMI FINIS.

OLAI MAGNI GOTHI ARCIEPISCOPI VPSALENSIS DE MIRA NATVRA RERVM SEPTENtrionalium.

LIBER SECVNDVS.

PRAEFATIO.



VANTA ſint aquarum miracula, præſertim in uaſtiſsimo Oceano uerſus Septentrionem regni Noruegiæ,& plurium inſularum eius,multi,hiq́ꝫ pręclari autores,magis forſitan alioꝝ aſſertione,quàm propria inſpectione,uel experientia oſtendere ſunt conati. Quibus etſi uerax,aut uериſimilior opinio ob inſcrutabilis naturæ maieſtatem per omnia non aſſenſerit,ſcriptis tamen eorum qualicunq́ꝫ ratione munitis, magna pars fidei non ueniet abneganda. Tanta etenim mirabilia (quorum nonnulla inferius annectentur)in ea Oceani uaſtitate ſita ſunt,ut uix præcellenti ratione ſufficiant demonſtrari, prout inferius de belluis & monſtris, Deo propitio erit declarandum. Quæ autem ſecretioribus argumentis adhuc repetenda erunt, ſucceſsiuis capitibus oſtendetur: & ubi priorum temporum,& autorum rationes haud ſuffecerint,poſteris aditum non ſecludimus,quin euidentiora,dum uoluerint,ac poterint,in medium adducant.

De combuſtione aquarum. CAP. PRIMVM.



SVnt igitur quædam ſulphureę uenæ riuis aquarum uicinæ: quæ plerunq́ꝫ accenſę,latius in modum flammarum cuncta in circuitu depopulaturæ uagantur. Quod ſpectaculũ in Islandia,& Scotia,terris frigidiſsimis,continuo ardoris incremento habitatores intuentur. Prætereà in Meridionali Gothia non procul à ciuitate Vexionenſi, campeſtris & limoſus lacus eſt: qui ignea ſua uirtute quodcunq́ꝫ coctile in eo dimiſſum, chordaq́ꝫ extractum, quaſi momentaneo,uel exiguo temporis momento coctum,uel aduſtum remittit. Hancq́ꝫ naturam lacum ſimilem prope metropolim Nidroſienſem regni Noruegiæ habere compertum eſt,eo pręcipuè argumento,quòd in medijs frigoribus nũquàm congelatur,prout ſuperius parumper eſt oſtenſum, & ſi opus eſt, inferius cap. de fontibus oſtendetur. Inſuper quòd in mineris Septentrionalium montium à ſulphure uenit,quod caleat:ut à ſole,quod deſiccet. Iuuat uidere ſecretum: latices uapores igneos exhalantes:amicum undis indeſinenter ardorem & calorem uenire decurſu riui,unde uſualiter ſolebat extingui. Quocirca philoſophi dicũt,elementa ſibi mutuis complexibus illigari,& mirabili coniungi fœderatione,quæ inter ſe contraria intelliguntur uarietate pugnare, utpote madentem ſubſtantiam uapores producere ignitos:quæ canalibus effuſa,etſi ſuccendit aëra,tamen tepidior facta,thermarum delicioſis uſibus,ac uoluptatibus pro arbitrio ductorum commodiſsimè



modiſsimè adaptatur, imò quaſi blanda medicina confertur, ſcilicet ut ſinè tormento cura, & ſine horrore remedium, ſanitasq́ acquiratur impunita. Hinc balnea ſulphurea per igneas terræ uenas originem ſimul & fomentum trahentia, canalibus teporem generantibus diſtinguuntur, donec igneo uapore reſoluto conuertantur in frigidam qualitatem. Stat tamen firma ſcripturæ ſententia, qua Sapientiæ ultimo dicitur: Ignis in aqua ualebat ſupra ſuam uirtutẽ, & aqua extinguentis naturæ obliuiſcebatur. Flammæ è contrario corruptibilium animalium nõ uexauerunt carnes coambulantium, nec diſſoluebant illam, quæ facilè diſſoluebatur ſicut glacies, bonam eſcam. Præterea relatio Auguſtini eſt, quòd ignis ſacrificij, qui per 70. annos Babylonicæ captiuitatis ſub aquis uixerat, extinctus eſt, Antiocho uendente Iaſoni ſacerdotium. Inſuper Hieronymus aſſerit hanc igni ineſſe naturam, ut appoſito combuſtibili ſufficienti nedum aſcendat in altum, ſed omnia, tam aquas, quàm rupes abſumat. Meminit præterea Caſsiodo. lib. 3. Epiſ. Vulcani montis: de quo mirabile uidetur, quòd tantarum flammarum congregatione ſuccenſus, marinis fluctibus haberetur abſconditus, & ardor ibi indeſinenter uiueret, quem tanta unda uidebatur obruere. Qui inſuper Volaterranum lib. 25. intueri uelit, reperiet quoddam picis, & ſerpentis genus eſſe, quod ignem extinguit: imò & lapidẽ fore in Aegypto, cuius natura hæc eſt, ut aqua perfuſus ignem euaporet, ueluti calx aduſta, quæ pice, oleo, reſina, adipe, uel alio liquore adhibito non accenditur, ſed ſola aqua, ut Auguſt. li. 21. de Ciuit. Dei atteſtatur: ubi quanta naturalium rerum ſit ſecreta operatio, curioſè inquirentibus ilico demonſtratur. Imò & Plin. refert lib. 14. cap. 20. fecem uini ſiccatam recipere ignem, & ſine alimento per ſe flagrare. Reliqua etiam ignium miracula, & aquarum, lib. 2. ultimis aliquot capitulis copioſè recenſet idem autor.

De ſecreta natura quorundam montium.

CAP. II.



MVlti per orbem mõtes ſunt, qui magnitudine, ſublimitate, uarijsq́, & miris rebus, ac ſpeciebus, diuerſa tamen relatione ac ratione, à magnis ſcriptoribus extolluntur, ut Veſuuius, Aetna, Campanus, & reliqui, priuatis eorum notitijs plurimum in nomine familiares. Nulli tamen frequentiores in memoria Aquilonarium hominum ſunt, quàm Hiſpanici montes, quos olim illuſtres, ac nobiles, & plebeiæ ſortis perſonæ ad Compoſtellam peregrinando laborioſè peragrarunt, magnifica Regum hoſpitalia miris laudibus proſequentes, eò quòd humaniſsimè in eiſdem recepti ſint, ac optimè conſolati. Præterea in Germania miri, magniq́ montes non minus alti, uaſtiq́, quàm uirtute ſingulari reperiuntur. Veſuuius quidem pro tanto mirabilis eſſe refertur, quia plerunq́ mugienti ſonitum non diſsimilem edit: qui ferme cùm fit, ingentiſsima ui cinerum eijciendorum fieri iudicatur. Veſuuio monti ualde ſimilis, quem Hieronymus primo anno Titi tãtum de ſe dicit eieciſſe ignem, & excitaſſe incendium, ut ſyluas, agros, prataq́ combureret, & circumpoſitas regiones. In Islandia autem qualis naturæ montes ſint, iam arbitror ferè toti mundo compertum, eò quòd ultra ueterum relationem in charta noſtra Gothica deſcriptionem Ptolemæi ſupplendo, horum montium ſitum, & naturam oſtendimus eſſe ſingularem, ſcilicet in eorum uertice niuem fore quaſi perpetuam, & in baſe ignem ſulphureum continuè ſine ſui conſumptione exardeſcentem. Qui propius accedunt, ui pulueris,

& fauillę scaturientis facilè suffocantur, & maximè cùm in multis locis torridę uoragines cum cinere apparent montium combustorum, & uallium: quæ iterum tacitis incrementis sulphureis succrescentibus, quasi circulari temporum spatio disponuntur ad combustionem. Sunt etiam intra Noruegiæ limites uastissimi, altissimiq; montes quatuor dietarum ascensuros, totidemq; è uertice descensuros admittentes. Septentrionalis autem mea regio, quàm excelsos montes habeat, per occasionem inferius ostendetur. Multi etenim, & excelsi sunt, tam arbores, quàm animalia diuersarum specierum perpetuò enutrientes.

De apparentibus umbris submersorum.
CAP. III.



PRo declaratione præsentis capitis aduertendum erit, quòd Islandia terra est subiecta polo Arctico, uêto præsertim Circio opposita, ac mari Glaciali propinqua: atq; ob id dici meretur terra glacialis, seu ultimum Tyle, nulli ueterum non celebrata: huius incolæ à Saxone Sialandico continentissimi dicuntur, religione satis Christiani, propriam scripturam, historiamq; rerum magnificè gestarum habentes. Suiq; temporis adhuc acta conscribunt: quæ & cantibus, ac rhythmis recolunt, atq; promontorijs, seu scopulis insculpunt, ut nulla nisi cum naturæ iniuria intercidant apud posteritatem. Situs insulæ extenditur inter Austrum, & Boream, longitudine centum milliarium Germanicorum. Pro maiori parte montosa, & inculta, præsertim uersus plagam Septentrionalem, ob austera spiracula prędicti uenti Circij, qui nec frutices eleuare permittit. Insula est insolitis miraculis prædicanda. Rupes etenim, siue promontorium in ea est (ut superiori capitulo tactum est) quod instar Aetnæ perpetuis ignibus æstuat. Ibiq; locus esse creditur pœnæ, expiationisq; sordidarum animarum. Illic nempe spiritus seu umbræ comperiuntur, se exhibentes manifestos humanis ministerijs, submersorum, siue alio uiolento casu enectorum. Spectra sese offerunt congressibus notorum hominum tam manifesta, ut tâquam uiuentes accipiantur ab ignaris mortis illorum, data dextra. Nec deprehenditur error priusquàm disparuerint umbrę. Incolæ plurimum præsagiunt fata principum, quidúe remotius in orbe peragitur, reuelationibus apparentium spectrorum non ignorant, prout inferius cap. de magicis præstigijs lucidius aperietur. Neque hæc mysteria latebant Virgilium sic dicentem:

Continuò auditæ uoces, uagitus & ingens,
Infantumq; animæ flentes in limine primo.
Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem
Lugentes campi: sic illos nomine dicunt.

De sonitu horribili littoralium cauernarum.
CAP. IIII.

EST præterea in Septentrionalibus plagis insignis quædam prouincia Angermannia appellata, cuius incolæ peritissimi sunt uenatores: eo etenim quæstu, uidelicet pellium pretiosarum uenditione, ingentes diuitias consequuntur. Sunt & agricultores optimi, ita ut præter planos, ac decliues agros sublimia montium latera beneficio ignis, ac niuis in naturam fertilissimorum agrorum adaptare





adaptare norint. Ignem nanque indensum fruticem, atque herbas autumnali æquinoctio immittunt, cineremq́; et puluerem exinde productum superuenienti niuium casui studiosè disponunt, ut eius uiscositate ueluti bouino stercore pinguescant. Quo fit, ut lætiorem segetem, messemq́; uberiorem exinde reportent. Sed de his inferius de agricultura dicetur. Habet etiam hæc prouincia plures altissimos montes, quorum uertices continuo candore niuium toto anni tempore excellum aspectum nauigantibus in Bothnico mari præbent, ita ut eminentissimo signo perspecto, plurima portentosa pericula euadere, atque securiores portus attingere possint. Præterea ubi bases eorum in profundissimo gurgite stantes, casu aliquo, uel proposito nautę accesserint, tantum horrorem ex alta fluctuum collisione percipiunt, ut nisi præcipiti remigio, aut ualido uento euaserint, solo pauore ferè exanimes fiant, multoq́; dierum curriculo, ob capitis turbationem, pristinæ mentis, & sanitatis compotes uix euadant. Habent bases illorum montium in fluctuum ingressu & regressu tortuosas rimas, siue scissuras, satis stupendo naturæ opificio fabricatas: in quibus longa uoragine formidabilis ille sonitus quasi subterraneum tonitru generatur. Cuius causam ut improba iuuentus aliquando curiosius, quàm securius scrutabunda aggressa est, ita illico oppletis aqua nauigijs ex superioribus rimis, ac uentorum strepitu, cum admiratione uitam amisere. Vt tamen periculum hoc euitetur, immensa montium altitudo niuoso uerticis sui candore signum remotius nauigantibus lucidè ostendit, monetq́; anticipare fugam, ne natura inscrutabilis soni parens, nullum remedium contra latens, & insidiosum malum concessisse uideatur. Imò etiam ad plura milliaria per aëra ab eisdem montibus exhalatus terribilis ille sonus aures nauigantium allabitur, admonens tristissimę garrulitatis eius ruinā procul effugere, quam cominus positi nequeant sustinere. Quid autem Vincen. in spe. histo. lib. 13. cap. 24. de simili materia sentiat, uerbis eius, ut iacent, ostendetur. Apud Tartaros mons quidam exiguus est, in quo foramen quoddam esse dicitur: unde in hyeme tam maximæ tempestates uentorum exeunt, quòd homines inde uix, & cum magno periculo transire possint. In æstate uerò semper quidam ibi uentorum sonitus auditur, sed de foramine tenuiter egreditur. Asserit etiam Dion Merula Alexandrinus tam uehementem sonitum in montibus Vesuuinis quandoque in subterraneis cauernis audiri, ut tonitruis persimiles esse perhibeantur, imò & supernè, uti in terra mugire uideantur. In Septentrionalibus autem lacubus congelatis sub ipsa glacie, ob uentum inclusum, non minor auditur sonus, quàm sęui tonitrui ex densitate nubium in lateribus coarctati: de quo infrà cap. de piscaturis glacialibus aliquid ostendetur. Refert etiam Plin. lib. 2. cap. 82. sonum supra montes, ob eorum concauitatem causatum, audiri. Neq; ignotum relinquitur, Suidam dicere, in Danubio cataractas, id est, petras ueluti tumulos sub aquis existentes: super quas fluuius ille incidens, cum magno sonitu repercutitur, scopulos circumuoluens.

De rupe Monachi marini.
CAP. V.

SVb dominio quondam ditissimi regni Noruegiæ prope insulam Farensem, mons est eminens in Oceano, quem appellatione conformi nauigantes Monachum uocant. Habet enim naturali suo situ, & incisione partium, præ-



sertim uerticis, cappam contextam, imò & proprietatem, ut omnes in dira tempestate ad eum confugientes, tutissime susceptos consoletur. Quinimò uæ omnibus his, qui ui uentorum agitati non attingunt fimbriam, uel sinum eius: quoniam ibidem adeò sæuiunt uenti Circij, & Septentrionales, ut eius asperitatem euasuri nautæ, cogantur intensissima arte & uiribus, labore & summa experientia omni momento attendere, & uigilare, qualiter effugiant ad Monachum illum, tanquam portum securiorem. Sunt etiam aliorum montium nomina ab euentu, natura, situ, proprietate, similibus appellata, ut Valla in historijs meminit de monte, qui Bucca asini dicitur in Hispania, & alio mōte Amoris, qui forsitan ut gens est plena amoris, ita & ipse mons diffusior factus, et amplificatus. Vtcunq; res se habet de amore, longè plures in hoc nomine, & re, multiplicantur montes mœroris, qui stultos amantes intrudunt in buccam asininam, ut duorum dentium ordine conterantur, sua scilicet pœnitudine, & fallacia uesanæ consortis. Rari ualde in hoc certamine montes uictoriæ, uel triumphi reperiuntur. Præterea in Septentrionalibus aquis plurimi excelsi montes, quasi signa securi portus, in qualicunq; tempestate, uel tranquillitate petendi uidentur. Sed ante eorum introitum plura latent cæca saxa: quæ ut remissiore uento plura nauigia obruunt, ita tempestate prodita, ob eleuatas undarum spumas, mirabilius saluant. Sunt præterea montes falconum, aquilarum, & coruorum, nautis accessuris securitatem, uel fugientibus cautelam, ne appropinquent, ostendentes. Insuper montes litium, imò arces fortissimæ, præsertim in Orientali Finlandia, occasione præliorum Moscouiticorum super fauces rupium erectæ, taliq; munitione artis, & naturæ firmatæ, ut facilius montes, quàm ipsas arces, undecunq; emergat insultus, intercipiant obsidentes.

De rupe Coronata, & multitudine piscium.

CAP. VI.



NEullum sileatur rerum naturę opus, monstratur hîc in Occidentali Bothnia uersus extremas Septentrionis partes in parochia Lula Vpsalensis diœcesis, rupem esse maritimam, Biuraklubben uulgariter appellatam: quæ excelso suo uertice à longè nauigantibus tridentata, seu coronata uidetur. Cuius aspectu, umbra, aut portu si non fruerentur indigenæ maris expertissimi piscatores, neq; tutam haberent uitam, neq; commodum uictum inuenirent. Sua etenim mira celsitudine, orta densissima nubium caligine, prospecta in medijs undis (prout anno Domini M. D. XIX. expertus fui) saluantur errantes. Tanta etenim condensati aëris, ac caliginis solet esse obscuritas, ut uix in exigua naui proram tenens è puppi respiciatur. Applicando tamen ad littus, tanta in base eius piscium multitudo hinc inde inspicitur, ut magnum stuporem uisui generet, & omnimodam stomacho afferat satietatem. Pars etenim huiusmodi piscium marini laticis salsugine in planitię montani pedis aspersa, uentoq; torrefacienda, spatio duorum, uel trium iugerum dilatari solet super tellurem planam

nam



nam:pars haſtis erigi,perguliſq; extendi,præcipuè piſces maioris ſpeciei,ut ſole & aëre deſiccentur. Omnes tamen uel domeſtico uſui,uel negotiatorum lucroſo quæſtui,etiam ultramarinis neceſsitatibus,ac uoluptatibus reſeruantur, maximè ut horum commutatione copiam annonæ(quæ tenuiter ibidem ob circunſtans frigus matureſcit)acquirant,ac his,qui ſolitudines inhabitant, loco deliciarum, ut rurſum ſylueſtres opulentias in pellibus pretioſis recipiant, ualeant exhibere. Ita enim Dei prouidentia conſtitutum eſt,ut mutua rerum commutatione ſeſe enutriant,quibus inæqualium rerum beneficia ſunt conceſſa. Alij enim ubertatem piſcium,alij ferarum,alij agrorum,pro læto conuictu retinent,ut inęqualitate prouentuum alacrem,& fidelem inueniant bonorum commoditatem, atq; optabilem animorum unitatem. Plinio tamen uidetur, quòd piſces dantur habitatoribus naturæ beneficio,& alia ratione ſubtrahuntur ab illis. In pede igitur huius Coronati montis tantus odor ſuſpenſorum piſcium exoritur,ut longo maris interuallo eundem adnauigantes ſentiant pręcurrentem. Eoq; odore percepto,ſub tempeſtuoſa caligine laborantes ab imminente naufragio ſeipſos,& bona pręſeruare nouerunt.

De æſtu,ſiue fluxu,& refluxu Oceani.
CAP. VII.



SVnt in charta mea Gothica, ſeu deſcriptione Septentrionalium regionum, certi ſinus Oceani littoribus Noruagicis hic inſculpti,ſcilicet Roëſt,& Loffoeth: inter quos tantus eſt maris hiatus,uel charybdis,ut incautè appropinquãtes nautas ſua repentina circumuolutione,ui & induſtria gubernatoris adempta, abſorbeat in momento,maximè naturam loci ignorantes, uel aliàs ui tempeſtatum appulſos, aut periculum imminens per contemptum paruipendentes. Quocirca uolentes ex Germanicis oris eò nauigare, peritiſsimos quoſq; conducunt naucleros,ſeu gubernatores,qui longa experientia, quomodo obliquando,dirigendoq;,tutius pericula euadere poſsint, didicerunt. Hiq; longo maris ſpatio gnomonis directione,ne in charybdim incidant.,iter uariando inſtituere ſolent:& maximè circa populoſiſsimas uillas Andanes,& Trondanes,& tres alias inſulas,ubi pars maris Moſtaſtrom appellatur: quo loco æſtus eſt altior cæteris adiacentibus aquis. Mare etenim ibidem intra cauernas accedente fluxu inflatur,& effluxu reflatur,quanto maximo impetu deferuntur torrentes, uel rapidi fluctus. Nauigatur hoc mare(ut dictum eſt) periculoſiſsimo enentu, quia iniquo tempore nauigantes ſubitò rapiuntur in uoragines circulares. Naufragiorum reliquiæ perrarò redduntur:& ſi redduntur,ita colliſione ſcopulorum attrita robora uidentur,ut quaſi lanugine obducta appareant,& comminuta. Et hæc potentia naturæ fabuloſas ſymplegadas,& formidatam maleam,& Siculam charybdim,atque magna miracula ſuperans manifeſtatur. Cuius cauſam aſsignare quàm difficile ſit,rerum ſcrutatores atteſtantur: qui tamen eam erumpenti numini attribuunt,ut illud quomodo,quantumúe,& ubi uult,liberè operetur.

De charybdi,& mira natura glacierum.

CAP. VIII.



CVm proximè præcedenti capite dictum sit,quàm periculosa sit nauigatio Noruagici Oceani,maximè ubi inscrutabili ratione uasta charybde,nisi ualde præuiderint,nautæ periclitantur:nunc cùm aliqui talem euaserint,uix humanæ uirtuti,sed diuinæ protectioni arbitror attribuendum, præcipuè in his, qui sæuis tempestatibus longo,uastoq; maris errore, uelut hospites locorum ignari eò impelluntur: quales arbitror fore Hispanos,uel Gallos,qui ui hostili,uel ardore rapiendi littus ignotum ingrediuntur. Fatendum quidem est, eos expertissimos esse in nautico gnomone,uel compasso,aut bolide perscrutandæ profunditatis:sed alia facies littoris huius regionis est, quàm Afrorum, uel Maurorum. Hîc enim longissimæ noctes,frigora intensissima,rupes alicubi quasi turres latentes,belluæ truculentæ,& formidabiles,ut infrà de monstris ostendetur. Præterea crustatæ glacies,quasi parietes ingentium domorum tempestatibus dirutarum, tanquam ineuitabilia naufragia è proximo producturæ. Sed hæc omnia tolerabiliora sunt in quauis periclitatione subeunda,quàm experiri commiserationem Hybernicæ gentis,quæ(ut plurimis probari potest exemplis hîc omissis) per lachrymas inuitare solet afflictos,ut bonis nudatos semiuiuos dimittat ad laceras naues. Quantum uerò admirari glacierum naturam attinet,hoc pro certo seruatur,quòd littori Islandico(teste Saxone)magnis molibus glacies appellitur:cuius si crusta in uase adseruetur,quamuis magna diligentia, tamen disparet statim,atq; reliqua eius generis glacies recedit à promontorio in altum. In uastis autem solitudinibus,maximè sub spinis iuniperorum,itidem & sub paleis ingentium horreorum,et scandulis picearum arborum,adhuc sole in Leone stationem habente, conseruatur,eaq; inde extracta uoluptuosi potatores,æstu solis durante,in uino, uel ceruisia immersa utuntur. Nulli tamen niuem epotandis calicibus cuiuscunq; liquoris,ob uiscositatem eius haud depuratam,immiscent: tineas enim habet secretas,& connatas,ueluti lanei panni.

De scorteis,seu coriarijs nauibus Gruntlandiæ.

CAP. IX.

SVperiore cap. 3. huius libri pro bona parte uidetur explanatum esse, qualis sit naturæ,proprietatisq; glacialis terra Islandia,apparitione spirituum eorum, qui nuper in aquis piscandi gratia fuerant suffocati, hinc ostendendum erit iter à portu Vestrabord eiusdem Islandiæ ad marinam,excelsamq; rupem Huitsark dictam,quæ mediam nauigationem continet ad Gruntlandiam: in qua genus piratarum reperitur scorteis nauibus utens,arbitrariaq; nauigatione non tam supernè,quàm infernè forinsecus sentinas negotiatorum terebrando insidians. Vidi ego binas huiusmodi nauiculas coriarias anno M. D. V. super Occidentalem portam intus in Ecclesia Cathedrali Asloensi diuo Haluardo dedicata,quasi pro spectaculis muro appensas:quas eisdem regni Rex Haquinus bellica classe littora Gruntlandiæ pertransiens,dicebatur acquisiuisse,fortè nauigia sua suffocare meditantes. Incolæ enim illius regionis non exilem spoliorum quæstum sibi comparare solent per has,& similes artes insidiosas,quas furtiuo ingenio tacitè tabulas nauium

nauium inferius (ut dictum est) terebrando, aquæ ingressum procurant, & illico præsentissimam suffocationem. Britanni uerò (ut Plinio placet lib. 5. cap. 16) utuntur utilibus nauigijs fortissimo corio circumsutis. Moscouitæ autem, & Bothnienses in Septentrione nauibus, uimine, radicibusq́ue colligatis, ac pice sine quouis ferro linitis utuntur, prout inferius de raptoribus Moscorum ostendetur. Taprobanæ naues papyraceæ sunt, anchoris utentes in prora, & puppi, propter uadosum mare canalibus profundissimis, quasi alueis, sub aquis diuisum. Imo anchoras canalibus, ob imperceptibilem fundum, nunquam credunt, uel committunt. Plin. lib. 6. cap. 22.

De naufragijs Gruntlandiæ.

CAP. X.



SAtis horribili hoc spectaculo, quid interpretandum ueniet, sine multorum casuum, & uerborum circuitu demonstratur: attamen unde, & quibus hæc eueniant, parumper aperiendum erit, uidelicet, quòd littora eius regionis admodum arenosa sunt, uoraginibusq́ue plena, quasi inter profundas ualles, sublimesq́ue montes itinerandum foret: in quorum uertice arbores ui tempestatum euulsæ, atq́ue eò depulsæ putrescentes, ibidemq́ue firmatæ, facili attactu confodiunt naues: quæ etsi arte, laboreq́ue hæc pericula euadere uelint, nequaquàm ui sæuorum uentorum permittuntur. Ventus enim Circius (de cuius uiolentia satis superius lib. primo tactum est) adeò uehemens in Septentrionalibus aquis est, præsertim plenilunio concurrente, ut quasi fatalis, & formidabilis omnibus eò nauigantibus sit timendus. Quibus autem hæc eueniunt in promptu sunt Portugalenses nouas adhuc terras pro perpetuanda gentis suæ gloria (magis quàm diuitijs) quæsituri. Sunt & Hispaniarum, Galliarumq́ue naues sæuissimis uentis appulsæ, ut inhospitalia ea littora ingrediantur inuiti, pœnam geminantes, quòd gentis illius linguæ commercium, uel fidem non habent exploratam. Prætereà quòd in littore cernuntur habitationes humanæ, quasi euersæ carinæ. Et meritò: quia ex costis cetorum, uelut grandibus lignis, incolæ conficiunt ædes, musco, & fruticibus pro niuibus, ac imbribus arcendis solicitè contegentes. Orientaliora autem huius terræ (intermedia rupe Huitsark prædicta) Noruegiam respiciunt: quæ uersus insuperabilem arcem Regis Noruegiæ Vardahus continuantur, sed ad Septentrionalem plagam, & partem Occidentalem incognito fine terrarum, & aquarum, ampliantur.

De Pygmæis Gruntlandiæ, & rupe Huitsark.

CAP. XI.

SVpradicto capite proximo parumper de excelsa rupe Huitsark medio maris tractu inter Islandiam, & Gruntlandiam sitâ, dictum uidetur: nec tædet eam repetere per amplius explanandam. In ea etenim circa annos Domini M.CCCC.XCIIII. duo insigniores piratæ, Pining & Pothorst, ab omni humano consortio, Aquilonarium Regum seuerissimo edicto ob atrocissima-



ma latrocinia, quasi in despectum, & contemptum omnium regnorum, & armatorum, cum complicibus suis piratis proscripti habitabant, multaq; crudelia facta in quoscunq; siue propè, siue à longe nauigantes, committebant: uti & alio tempore priore Vitelliani plures, & insigniores piratę (sic dicti) magna facinora egerunt, & ad ultimũ communibus omnium regnorum Aquilonarium armis è uiuis sunt sublati. Ita & quidam Kniphoff anno M.D.XXV. per Hamburgenses cum 70. complicibus è potentissima naue Galion dicta, extractis, supplicio capitis, & rotæ suspensione sunt puniti. In huius altissimæ rupis supercilio compassus circulis, & lineis plumbeis satis ampla rotunditate, opera prędictorum Pining, & Pothorst, formatus est: quo meta compendiosior latrocinari uolentibus data est, ut sciant, quorsum opulentiores deprædationes extendi possint. Videntur prætereà in superiori tabula duo disparis quantitatis homines bellatores: quorum pusillioris staturæ homunculus intrepidè sese maiori obijciens, triumphator exultat. Non enim minori animo in omnem casum maioribus se obijcit, quam si gigantea potentia gloriari, & prævalere posset.

Iterum de eisdem.
CAP. XI.



VIX crederem frequenti hominum relationi de miris huius terræ Gruntlandiæ (quæ à batalisso, seu eminente arena nominata, aut ab alijs à uirore Gruntlandia dicta est) mihi etiam per graues uiros factę, quòd contra multitudinem gruum incolis huius telluris sit belligerandum, nisi Plinius lib. 7. cap. 2. de Scythicis gentibus loquens, scriptis, & rationibus similia allegaret. Ait enim prędicto loco: Super Astomorum gentem extrema in parte montium Spitamæi Pygmæi narrantur, ternas spythamas longitudine, hoc est, ternos dodrantes non excedentes. Salubri cœlo, semperq; uernante, montibus ab Aquilone oppositis: quos gruibus infestari Homerus quoq; prodidit. Fama est insidentes arietum, caprarumq; dorsis armatos sagittis ueris tempore uniuerso agmine ad mare descendere, & oua, pullosq; earum alitum consumere: ternis eam expeditionem mensibus confici, aliter futuris gregibus gruum non resisti. Atque ab hac opinione Solinus dissentire non uidetur 15. cap. ubi dicit: Ab urbe Gerania gruum multitudine Pygmęos fuisse pulsos: adijciens, manifestum esse, in Septentrionalem plagam hyeme grues frequentissimas conuolare. Nec piguerit meminisse, quatenus expeditiones suas dirigant. Sub quodam militiæ eunt signo, & ne pergentibus ad destinata loca uis flatuum renitatur, arenas deuorant, sublatisq; lapillulis ad moderatam grauitatem saburrantur: tunc se tollunt in altissima, ut de excelsiore specula metentur, quas petant terras. Fidens meatu præit cateruas, uolatus desidiam castigat, uoceq; cogit agmen. Ea ubi obraucata est, succedit alia. Pontum transituræ augustias captant: & quidem eas promptum est oculis deprehendere tanquam subiecta loca, in quibus scrupulorum sarcina pedes liberent. Ita nautæ prodiderunt, compluti sæpe ex

illo

illo casu imbre saxatili. Arenas non prius euomunt, quàm securæ sedis suæ fuerint. Concors cura omnium pro fatigatis, adeò ut, si quæ defecerint, congruant uniuersæ, lassasq; sustollant, usq; dum uires otio recuperentur. Excubias nocte diuidunt, ut exomnis sit decima clangore: produnt lapidis casu negligentiam. Aetate nigrescunt pennis, ut infrà cap. de gruibus, & Pygmæis amplius ostendetur.

De inscrutabili profunditate littorum Noruegiæ.
CAP. XII.



TAnta est in plerisq; montosis littoribus Noruegiæ immensurabilis profunditas, ut funibus quantis repleri possit nauis ingentissima, bolide plumbea inferne demissa, fundus aliquis nequeat inueniri, eaq; naturæ uis est, ut quantò sublimius montes in excelsum promineant, tantò in eorum radicibus inscrutabilior profunditas apparebit: licet eorum sublimitas respectu cœli minima super terram reputatur. Pedes etiam horum montium ita cauerno si, profundiq; & obliqui sunt, ut funibus immissis, quorsum tendat eorum hiatus, difficillime cognosci possit. Sunt præterea littora (teste Plinio cap 2. lib. 7.) regionis Taprobanæ per modum canalium arenosorum distincta, inscrutabilis profunditatis, quibus incolę anchoras minimè immittendas confidunt. Prætereà in insula Bornholm, Regi Danorum subiecta, lacus non admodum ampli reperiuntur, quorum profunditas non inuenitur. Demum apud montanos Dalecarlos, id est, uiros uallium, lacus Runden, id est, rotundus dictus est, qui mensurabilem fundum non concedit. Deinde non longè à Regia Holmensi Suetiæ, locus in scopulis marinis est Rundisualia uulgariter appellatus, id est, rotunda uorago, ut neq; ibi rimari possit, quàm altus sit eius fundus. Putei præterea plures reperiuntur, & exigui lacus, quorum profunditas sæpissimè explorata inuestigari non possit. Apparent etiam longissimè, sed ualde angustæ rupium, ac montium specus, quasi ferro cauatæ, uel excisæ, in opacos currentes recessus: in quibus constrepentibus aquis tranquillitate, uel tempestate accedentibus, sonus terribilis excitatur: à quo nisi celeriter aures retraxerint appropinquantes, tam uehementi tinnitu obruuntur, ut pluribus horis sine auditu, ob excellentissimum obiectum, remaneant tabescentes.

De portubus annullorum ferreorum.
CAP. XIII.



DIcto superiore capite, quàm inscrutabilis in littoribus Noruegiæ inter excelsiores montes sit profunditas: nunc ostendendum erit, quomodo inter sinuosas, scopulosasque uoragines ad nauigantes securius absque anchoris inuenire, firmareq; poterint suas stationes. Quocirca cernuntur hic annuli ferrei, clypeo militari ampliores, fuso plumbo lateribus multorum montium successiuo maris tractu quondam bono-

rum

rum Regum magnificentia, & sumptu, præcipuè uersus opulentiam ciuitatem Bergensem, infixi, ut æstu, uel tempestate urgente, subitò funibus immissis quasi inter abditas cauernas solidentur nauigia magna. Sed oportebit, ut ignari uiarum non sint, qui tam periculoso labyrintho sese committere uelint. Littus enim scopulis, & rupibus ita obuium est, ut inde egredi, uel progredi nequaquam ualeant inexperti: imò propter eius, & similium locorum (ut infra de inimicis classibus specialius dicetur) difficultatem, & asperitatem naufragabuntur. Et si bellicæ naues, uel piratarum, eò hostili impetu, uel tempestatum impulsu appulerint, consilijs, auxilijsq; destitutæ, sæpissimè tum fame, tum frigore, tum aggressu incolarum, miserabili spectaculo ueluti contra elementa pugnaturæ consumuntur. Huiusq; calamitosi euentus in simili casu, si quis legerit Noruegianorum, Danorumq; annales, præsertim Regis Christierni 2. horribilem in omnibus reperiet infelicitatem. Ideoq; sępissimè terrentur hostes ab ingressu horum scopulorum, ne seuerius, & secretius ab apertis, uel latentibus saxis inter montes, quàm parentibus inimicis in gurgite conterantur.

De periculoso transitu montium Scars & Sula, inter Suetiam & Noruegiam.

CAP. XIIII.



PRouincia est in Septentrionalibus regnis Iempthia dicta, Archiepiscopo Vpsalensi cum manerie, seu curia Vesterhusia appellata, ex immemorabili tempore subiecta. De qua Iempthia per excelsissimos montes prædictos in titulo, non minus terribile, quàm periculosum iter æstiuo tempore conficiunt incolæ terrarum, & peregrini uiatores: qui alias hyeme per congelatas paludes, stagna, & amnes breuioribus compendijs, & semitis, quocunque placuerit, proficiscuntur. Montes enim illi altissimi, quales in Europa uix sunt, Orientali parte sub pedis ingressu portas, seu aperturas habent, durissimo silice, partim naturali scissura, partim antiquorum principum sumptu, pro publica utilitate excisas, aut perforatas. Post quas inter montium latera tantum etiam in media æstate sentitur frigus, ut nisi uiatores more hyemis multiplicato uestitu sese munierint, ferè irremediabile periculum subita aëris mutatione incurrant, donec ea montana uiscera, uallesq; frigidas exire contingat. Deinde à montibus plurium dierum itinere descensuris, maius quandoque periculum imminet, ubi penduli pontes ligneis montium fulcimentis lateribus affixi, propter casum niuium, ac arborum tempestate euulsarum, aut cadentia saxa confracti, uel semirupti uidentur. Nec alia perplexis spes suffragatur, quàm quòd pontium reparationem communi opera incolarum expectent, cùm nullus per altissimos montes, ac profundissimas ualles uiarum circuitus inueniatur. Hæc, & similia cum uiatores imminere prouiderint, expensas secum afferunt sufficientes, ac si castrensem aliquam obsidionem illico subituri, ac seruaturi essent: iumentorum alioquin paucam curam, ob herbarum copiam, & aquarum commoditatem habentes. Scaturiunt enim toto uiarum transitu ex brachijs montium abundantissimi fontes, satis grato sapore ab omnibus commendati. Quòd uerò tantam difficultatem illic patiuntur itinerantes, mirum non est: quia propter excelsa rupium præcipitia, quæ difficillimè euitari, uel reparari possunt, omnia sagacissimo ingenio penetranda uidentur

uidentur



uidentur, & maximè cùm in uno situs sit inuius, & in altero ruinis, aut saxis oppletus. Præterea limites adeò angusti, ut uiatoribus, ac iumentis, præsertim insuetis, uertiginem capitis, & oculorum caliginem afferant, & plerunque irreparabilem lapsum.

De statuis uiarum in montibus niuosis.
CAP. XV.



MOntes etiam sunt alio uocabulo uulgari Doffrafiel, siue malueris, Doffrini appellati, Suetiam à Noruegia diuidentes, tantæ molis, & sublimitatis, ut multorum dierum itinere uersus Occidentem, seu Orientem proficiscentibus, ob indigestas niues, perpetuò appareant albicantes, quasi candidæ nubes in altissimo aëre condensatæ. Quo euenire solet, ut eò itinerantes, ob repentinum casum niuium, uias intueantur concludi: è quibus tandem laboriosis uiribus non minus sese explicare contendunt, quàm si inter glaciales undas constricti conarentur exire. Quocirca ueterum Regum (qui quondam piissimi in Noruegia erant) prouida magnificentia factum est, ut excelsæ statuę è uiuis lapidibus excisæ, per cacumina mõtium uideantur erectæ, ac fortissimè, ne ui uentorum decidant, plumbo, uel ferro firmatæ. Nec desunt, qui putant has petreas statuas olim fuisse gigantes, & propter illusiones in fidei Catholicæ professores factas, imprecatione diui Regis, & martyris Olai tutelaris sancti (ut perpetuò itinerantium in niuosis illis montibus signa conseruationis sint) in huiusmodi statuas conuersos. Imò & fama, & fide receptum uidetur, has statuas dęmones fuisse, atque in eam formam, qua corpore suscepto conuertendis ad fidem Christi hominibus illudebant, eiusdem sancti Olai precibus, ne prædicationi suæ obessent, fuisse redactos. Sit quicquid sit: uti fabulosum non est, niues inter iuga altissimorum montium, & asperas rupes, cautesque horrendas, longissimo itinere esse profundas: ita & piè credendum, deficiente humano præsidio, misericordem Deum, qui Ionam è mari, & pueros ab igne eruit, signa permisisse saluandis hominibus quos ille, ne in tanto discrimine suffocandi deficerent, his & similibus remedijs tutiores fieri iussit. Nec mirum est hic de niuibus tam frequentibus, & densis in loco proportionato repertis, cùm & cineres Aetnæ, ac Aethiopicæ arenæ tam incolas, quàm negotiatores, & armatos milites obruere, & inuoluere soleant, imò ædes, ac tecta deprimere, ac syluas onerare casuras, ut illico quassatæ cuncta comminuant importabili grauitate. Testis huius rei est Procopius lib. 2. de bello Gothorum: qui & cinerum eructatione, caristiam annonæ imminere prædicit formidandam. Compertum etiam est in Sueticis terris, auiculas uolatu excitasse globulos niuium, quorum augmento, casuque, flante Australi uento, arces, & uillę sunt prostratę. Habetur tamen in his Doffrinis montibus hospitium, quo recreentur huius periculosi itineris uiatores: non tamen uino prouisi, ut in alpibus Apenninis, uel montibus Hispaniarum, qui feliciores sunt, bona si sua norint

De

De transitu tenebroso.
CAP. XVI.



QVandoq; etiam utilitate, uel necessitate urgente, satis ingeniosum modum habent populi Septentrionales in nemoribus nocturno tempore pertranseundis, imò & diurno, quando in remotioribus Aquilonis partibus ante, & post solstitium hyemale continuę noctes habentur. Quicq; his remedijs indigēt, cortices quercinos inquirunt putres, eosq; collocant certo interstitio itineris instituti, ut eorum splendore, quò uoluerint, perficiant iter. Nec solùm hoc pręstat cortex, sed & truncus putrefactus, ac fungus ipse Agaricus appellatus, in summitate arboris glandiferæ crescens: cuius uirtus, & natura est, ut nocte reluceat, sicuti & uermes alati, uolantes ad æquinoctium autumnale: hi tamen, quia frigore correpti mox deficiunt, ad nullū usum deputantur. Ideoq; frequentius quercum putridam, agaricumq; (se ipsos propria luce prodentes) colligunt, ad prædictum syluestrem, imò domesticum usum, scilicet ut eius luce tanquam ardenti lumine, securius accedant loca combustibili materia plena, ut sunt horrea hyemalia, matura messe, fœnoq; repleta, quemadmodum infrà cap. de brumali trituratione dicetur. Inueniuntur etiam homines eo acumine oculorum prędìti, ut sine quouis lumine materiali ferè omnia uidere, tractareq; se posse glorientur. Tales utiq; in Taprobana (teste Plinio) multò plures, quàm alibi per orbem reperiuntur.

De luminibus, & tedis piceis.
CAP. XVII.



POpulus Septentrionalis (ut in principio huius libri ostensum est) longissimis noctibus subiectus, uario utitur genere luminum, quo necessaria exerceat officia pro domestica commoditate. Igitur fatendum est, suppolares homines tempore hyemali usu pinguedinis marinarum beluarum (ut infra de utilitate balenarum, & uitulorum dicetur) in omni sua commoditate perficienda uiuere. Quam quidem pinguedinem uulgari eorum Traan, aut Lyse uocant, à lucendo, quia lampadibus immissa clarissimè ac amplissimè lucet, maxime in ędibus magnarum familiarium, & Ecclesiarum, ubi perpetuum pro reuerentia corporis Dominici requiritur luminare. Sed ne à coruis nocturnis, seu noctuis, aut uespertilionibus absorbeatur, ferreis craticulis os lampadum occlusum seruant, prout inferius de generibus nocturnarum auium ostēdetur. Pręterea tedis pineis connaturalem picem habentibus, uniuersali uarietate, quemadmodum usualibus candelis, in toto Septentrione utuntur, eo uidelicet modo, ut ambabus manibus occupatis, diuisos subtiliter scandilos piceos, baltheis certo numero submissos, ori, uel capitis tegumento altero fine ardentes imponāt: sicq; quò libuerit, nulla uentorum iniuria impediti proficiscuntur, atq; alia, quæcunq;

placuerit,

placuerit operantur. Sed hoc securius in campis apertis, ob piceum odorem non omnibus æquè, ut candelarum, acceptum, præcipuè mulieribus parituris, quę grauibus his odoribus usq; ad partus aborsum offendi solent. Attamē ut fumus tam noxius extra ædes euaporet, cuneatis canalibus sursum per tectum in culmine perforatum eleuatis, parsq; candelis communibus brachiali longitudine, iuxta noctium prolixitatem, accensis utuntur. Tempore autem bellorum, quæ frequentius obscura, longaq; hyeme, quàm æstiua luce, ob rationes supradictas, & inferius dicendas, committuntur, piceis tedis exquisita pice per equestres, seu pedestres turmas, facilius etiam abietina resina confectis incedunt: quarum aspectu (si Soloni credendum est) equi prouocantur ad bellum, ueluti elephantes uiso sanguine fuso, uel moro confracta.

De irruptione aquarum stagnatarum.
CAP. XVIII.



INter mirabilia Septentrionalis plagæ aquarum spectacula unum est, non tam frequens, quàm noxium habitantibus in prouincia Middelpadensi uersus Boreales partes Suetiæ superioris, ubi ferè maior pars uirorum Huni nomine appellantur, tanquam populi clarius cōtra Hunos olim belligerantes, ac triumphantes. In ea prouincia uastus amnis est, cuius aquæ lapsus tam præcipiti uolumine defertur, ut animalia nandi uigore defecta, plerunq; pessundare soleat. Ex summis enim montium cacuminibus manans, dum per cliuorum prærupta saxis exceptus eliditur, in profunda uallium multiplicato aquarum strepitu cadit. Verùm continuo saxorum obstaculo repercussus, celeritatem impetus eadem semper æqualitate conseruat. Itaq; toto aluei tractu undis uniformiter turbidatis, spumeus ubiq; candor exuberat. Hæc tamen consyderanda est eius natura terribilis, quòd singulis annis paululum ante solstitium æstiuale tanta glacierum, arborumq; connexa congerie tribus locis oppletur, & constringitur, ut inferioris aluei eius ripas inhabitantes, imminente eius irruptione, fugere cogantur ad loca eleuatiora. Intereà tamen nuntijs, quo in termino formidabilis ille lapsus maneat, explorant, ne rapidus eius cursus improbas exerceat uires. Quippe hoc elementū cæteris omnibus (referente Plin. lib. 13.) imperat, terras deuorat, ac ignes extinguit. Scandunt aquæ in sublime, & cœlum sibi quoq; uendicant, ac nubium obtentu uitalem spiritum strangulant: quę causa fulmina elidit, ipso secum discordante mundo. Amnis itaq; ipse, etsi (ut prædictum est) in omni sua irruptione cunctis uicinis imminet, tamen ubertate electorum piscium, salmonū scilicet, ac aliorum, omnibus affert opulentum quæstum: qui nedum illius terræ incolis ad usum domesticum sufficiunt, sed & ultra marinas partes ingentibus nauigijs exportantur. Hancq; uirtutem perpetuò retinet, ut quantò marinis alueis uicinior extenditur, tantò melioribus piscibus superabundet. Nec deest offerentium liberalis, & grata piscium exhibitio, ac donatio, si quis occurrerit hospes donaria recepturus.

De tribus famosis lacubus Gothorum.
CAP. XIX.



PLurimi insignes lacus sunt in Aquilonaribus terris, magnitudine, & situ mirabiles: quorum præcipuus est in regione Vestrogothorum Vener dictus, 130. milliaria Italica in longitudine, & ferè totidem in latitudine habens, in multas, uariasq; diuisus insulas, & uastis illabẽtibus fluuijs, ijsq; maximis oneratus ultra 24. unum solummodò exitum (de quo mox infrà dicetur) continens. In hoc lacu, & circa hunc plures sunt magnificæ ædes nobilium: quarũ pręcipua est arx Leckio in alta rupe, opera Episcoporum Scarensium fabricata, puteum habens saxo durissimo incisum super altitudinem 200. pedum. Incisio autem hæc non ferro tantum, sed flamma trecentis porcorum pinguissimis lateribus igne successiuis diebus immisso, & extracto enutrita. Nil enim celerius petrarum duritiem gentibus illis penetrare compertum est, quàm laridum, uel axungiam porcellorum. Adiacent præterea huic lacui oppida uetustissima, Lidecopia & Tinguallia, ex mineris electissimi ferri, & chalybis retinentia quæstum opulentum. Est præterea lacus alius Vether dictus, adeò claras, & perspicuas aquas habens, licet uirenti colori conformes, ut obolus in profundo situ uideri possit. Super hunc lacum est insigne monasterium diuę Brigittę, aliàs Brigidę, & filię eius sanctę Catherinæ, utriusq; opulentia, & deuotione fundatum, & dotatum. Pretereà aliud oppidum Ionacopia dictum in Australiori parte, magnificis Regum comitijs memorabile in omni æuo secuturo. Extant & mineræ inexhaustæ huius lacus uersus littus oppositum Septentrioni. Demum monasterium Aluastra diui Bernardi temporibus sumptuosè ædificatum, & dotatum. Prope hunc locum in uilla Tolstada, Rex Suercherus in nocte natalis Christi à proprio stabulario freno pro armis utente, occisus fuit. Tertius lacus Meler dictus: in cuius littoribus ciuitates, arces, & nobilium magnificæ ædes sitæ sunt. Præterea non longè inde in terra firma mineræ argenti inexhaustę, cupriq;, ac ferri, ultra humanam ęstimationem preciosę. Et hinc prouenit, Regem Suetiæ, ac Gothię, reliquis Europę principibus in omni thesauro, & opulentia nunquàm esse, aut fuisse inferiorem. Sunt etiam lacus recentis aquæ in montibus Lapponię, Lulatresck dicti, longitudine 300. milliarium Italicorum, 120. latitudine. Preterea alia multa collateralia stagna, & lacus paulò breuiores, ac latiores, adeò piscosi, ut in tota Europa, ne dicam orbe integro, uix habeant pares. Deinde famosissimus lacus albus sub polo: demum Pienthen in Finlandia cum similibus infinitis lacubus, stagnis, fluuijs, & aletis uenis.

Suercheri, cuius hic fit mentio, uita, res gestæ, & mors: ex Ioan. Mag. lib. 18.

Suercherus ex nobilissimo Comitum genere natus, uiuente adhuc Regè Magno, & intricatissimis bellis (à quibus se nequaquàm explicare poterat) implicato, à proceribus, & populis Ostrogothorum, primùm Rex Gothiæ designatur: deinde consentientibus Suecis utrunq; regnum ad pristinam unitatem reuocauit: frequentius tamen apud Ostrogothos morabatur, quos unicè dilexit, rursusq; ab eis magnopere dilectus. Prima sui regni tempora habuit pacifica, & tranquilla: nulli quippe bella intulit, nec ab alijs illata sustinuit. Verum tamen Nicolaum Danorum Regem, plurimis, & domesticis bellis impeditum, insigni iniuria affecit. Is enim Nicolaus, mortua nuper illustrissima coniuge Margareta, ad nuptias cuiusdam nobilissimæ, & speciosissimæ uirginis Vluildæ Noruegianæ peruenire conabatur:

iamq;

iamq; habitõ uirginis cõsensu, nihil præter deductionem restare uidebatur. Quo comperto, Suercherus missis clàm nuntijs ipsam in suum amorem, datis pro Regia magnificentià muneribus, allexit, atque ad se in Gothiam deducendam curauit: ex qua Carolum in regno successorem procreauit. Nicolaus autem, etsi tam graui iniuria affectus esset, nihil tamẽ contra iniuriantem audebat, impeditus domesticis bellis, quæ non sinebant eum extra patriæ limites arma transferre. Nec longo pòst tempore mors Nicolai subsecuta, litem atque omnem controuersiam abrupit. Intereà successere in Dania plures Reges post fata Nicolai, uidelicet Ericus tertius, Emundi filius, Haraldus septimus, Ericus quartus: qui ob ciuiles in Dania dissensiones, ab armis in exteros inferendis retrahebantur. Tandem Sueno eius nominis Danorum Sex, nõ minores bellorum difficultates apud Sueones expertus est, quam in eos moliebatur. Occasio aũt Suenoniani belli hæc erat: Cùm Suercheri Regis filius Ioannes, à patre indulgentius, quàm honestius educatus esset, corruptosq; mores ex paternis uitijs contraxisset, cogitauit magnum, & præclarum aliquod facinus se facturum, si unum paternæ intemperantiæ crimen gemino superaret. Proinde collectis copijs Hallandiæ terram (inter Schoningos, & Vestrogothos limitaneam) ex improuiso adortus, Caroli eius præsidis coniugem, sororemq; uiduam, matronas quidem specie pulcherrimas, & summa morum honestate preditas, ad libidinis consortium raptas, in Suetiam usque deduxit. Quibus non minus contumeliose, quàm intemperanter usus, alternis noctibus ad stupri uices euocabat, ausus ingenuæ pudicitiæ fœminas fœdissima turpitudine proculcare. Tandem postquàm publicum totius patriæ odium, ob tam temerarium facinus, contraxisset, utranque remisit. Sueno autem tam enormi flagitio permotus, decreuit totius Daniæ uiribus, insignem contumeliam illustrissimis fœminis irrogatam, in totum Gothorum, & Sueonum imperium seueriter uindicare. Quo comperto, Nicolaus Anglicus urbis Romæ Cardinalis Albanensis, posteà Hadrianus Papa quartus, (qui tunc apud Danos Summi Pontificis Eugenij tertij legatione fungebatur) summoperè conatus est eum ab illo Suetico bello reuocare: adduxitq; plurima impedimenta, quę ante uictoriam superanda essent: Penetranda in primis asperrima, & difficillima loca: sulcanda periculosa maria. priusq; cum uastis, & immanibus scopulis, quàm cum hoste certandum. Quem si superaret, nequaquàm diu in obsequio, aut amicitia continere posset, ob connatum inter Sueones, & Danos odium, quod potius beneuolentia, quàm armis abolendum esset. Præterea, inquit, aranea sese euiscerando, saltem muscas uenando assequitur: Dani uerò in Sueones pugnaturi, nihil præter indubitatum uitæ periculum expectabunt. Sunt apud Sueones inexhaustæ pretiosorum metallorum fodinę: plus tamen ferri, quàm auri aduentantibus hostibus obijciunt: argentum latebris condent: ferrum inimicorum suorum uisceribus immergent: erepturis pecuniam, uitam citius eripient.

At Sueno potius dignitatem legati, quàm salubrem eius monitionem ueneratus, sese (ut ex Saxone elicitur) stolidum, & inertem ostendebat, utpote qui periculosissima bella iucundissimæ paci stolida pertinacia preferret. Effecit tamen Nicolaus ea legatione, ut apud Noruegianos Archiepiscopalis sedes cum plenitudine Pontificiæ potestatis erigeretur. Quod etiam anno Christi M C X L V I I I. apud Sueones celebrato Lincopiæ Concilio prouinciali, peragere cupiens, Gothis & Sueonibus de urbe, & persona tanto muneri idonea concordare nequeuntibus, spe sua frustratus abscessit, ordinato prius sancto Henrico Episcopo Vpsalensi. Iam enim Suetia tempore Amundi filij Olaui Schotkonung, Archiepiscopum ex Polonia acceperat: qui in controuersiam cum Gothis, & Archiepiscopo Bremensi de præeminentia deuenerat. Gothi enim potius Bremensi, quàm Vpsalensi Archiepiscopo obediendum putabant: ob quam dissensionem Archiepiscopalis dignitas in Suetia ad aliquot annos intermissa fuit. Proinde Nicolaus, ne ea legationis suę parte in toto frustraretur, pallium Archiepiscopalis dignitatis apud Aeschillum Lundensem Archiepiscopum deposuisse dicitur, ut illi conferret, quem Gothi, & Sueones conformibus suffragijs elegissent. Sed nullus Sueonum Archipræsulum hactenus inuentus est, qui se Lundensi Pontifici in accipiendis Archiepiscopalibus insignibus submittere sustinuerit. Et ita titularis illa dignitas, si aliquando concessa fuit, in Aeschillo extincta euanuit, prout in nostra metropoli Vpsalensi latius ostendere curauimus. Nunc ad Suercherum redeamus. Qui cùm consideraret Suenonem pertinacissimo proposito bellum in Suetiam moliri missis legatis postulat, ut alia uia pro amouendis controuersijs aptior inueniatur, quam periculosa bella, in quibus plurimi innocentes periclitarentur: se autem esse ad omnes honestas pacis conditiones promptum, & paratum. Sed erant apud Suenonem tales cõsiliarij, quales habere merentur omnes tyranni, nempe qui uolebant ipsum cum potentissimo hoste in prelium deuenire, & perire. Habebat enim Sueno duos grauissimos æmulos domesticos, & consan-

guineos, Canutum & Valdemarum: à quibus tandem in summum discrimen uitæ & honoris deductus, disperijt. Hi cum Suerchero primum occultè, deinde apertè sentientes, facilè effecerunt, ut Suenone externis bellis implicato, liberius sua negotia per Daniam molirentur. Suercherus igitur considerans obstinatum Suenonis animum à bellis auerti non posse, filium suum Ioannem coactis, & cogendis copijs præficiendum curauit. Qui cum paternis pręceptis satisfacturus, coram tota populi multitudine, in concionem contracta, instantis belli onera exponeret, exigeretq́; ut se contra irrupturi hostis impetum quantocyus præpararent, tributaq́; augerent, & omnia alia facerent, quę pro defendenda patria necessaria essent, summa populi indignatione excipitur, obijcientibus cunctis, quod cum ipse sua petulca libidine præcipuam imminentis belli occasionem pręstitisset, aut illud sua industria auertat, aut suo impendio sustineat: experiaturq́; an æquè facile sit, honestissimas matronas ad stupri commercium uiolentius rapere, & bellacibus hostibus manus muliebribus amplexibus assuetas conserere. Nec illi spurcæ libidinis facinora obiecisse contenti, impetu facto, ipsum multa pro se dicere parantem occiderunt.

Quocirca audita filij cæde, Suercherus uehementer indoluit, se filium suum in spem regni genitum liberius, quàm honestius educasse: nec minus suæ saluti timens, latebras hinc inde circumspicere cogebatur. Quod cùm Sueno comperisset, tam firma spe uictoriā complectebatur, ut ante militiæ ingressum inter milites suos Sueticarum prouinciarum iura, tanquam belli præmia partiretur. Sed erat exitus belli admodum inanis, cuius apparatus nimium formidabilis apparebat. Siquidem Sueno maximo Danorum, & Teutonum exercitu subnixus, ad limites usque Gothorum Meridionalium, uidelicet ad Finuidianos, & Verendenses peruenit. At Suercherus prudentissimo usus consilio, nequaquàm seipsum ducem in eo bello præbuit, sed (ut Saxo fatetur) totam belli summam agrestium multitudini credidit, constitutisq́; super eam præfectis, quos de agendis instruxerat, ipse se intra arces continebat, futurum ratus, ut Rex Danicus Danici regni militia succinctus, ab agrestibus magis, quam à nobilibus superatus, ad proprias terras fugiendo properaret. Nec secus quā credebat euenit. Vix enim ad limina regni perueniens, cùm uideret agricolas undiq; ad bellum paratos, celerius quàm aduenerat in Daniam remeauit, relicto post se exercitu, qui à Finuidianis non solùm superatus, sed omnino deletus est: in quo erant non pauci nobilissimi iuuenes, quos rustici sub glaciem Niceæ amnis, qui mediam Finuidiam pręterlabitur, submerserunt. Ita (inquit Saxo) paucorum agrestium numero maximæ expeditionis labor exinanitus est, Suenoq́; in Daniam reuersus, perpetua uerecundia suffundebatur, se ab inermibus rusticis superatum, & fugatum. Prætexuit tamen suæ fugæ causam, ingentia, & horrida frigora, quibus à prosequendo bello impeditus fuisset: adiecitq́; Suercherum imbellem senem esse, qui non se prælio offerret, non arma, non expeditionem pararet, sed ignotos locorum recessus quæreret. Nec longè pòst Valdemarus, & Canutus, accepta ab eo commeandi licentia, quasi bona sua apud Suetiam inuisuri, Regem Suercherum accedunt: re autem uera, Canuto Suercheri filiæ postulandę negotium fuit. Inde in Daniam reuersi, hoc inuisiores Suenoni, quò hosti concordia iunctiores fuere. Eisdem quoq; annis Suercherus ad senium deuergens, duo clarissima monasteria instituit, aut consummauit, Aluastra & Vernhem, hoc apud Vesgothos, illud apud Ostrogothos: utriq; monachos ex Claraualle adductos imposuit. De morte huius Suercheri ita à Saxone Danico scriptum inuenimus: Eadem ferè tempestate, qua periculosissimus ille Triuumiratus Suenonis, Canuti, & Valdemari, res Danicas uehementer afflixit, Suerco Rex à seruo, qui cubiculo eius pręerat, noctu dormiens occisus est. Quod scelus diuinitas haud segnius, quā iustius uindicauit. Nam paruo pòst tempore Magnus, qui occulta regnandi cupiditate seruo peragendi facinoris autor extiterat, in eo cōflictu, quo filium Suerconis Carolum, quem patre spoliauerat, regno etiam exuere gestiebat, sceleratæ machinationis pœnas morte persoluit. At Sueonica historia habet, quòd Suercherus nocte, qua Christi natiuitas celebratur, à seruo stabulario trucidatus fuerit, dum ad uillam, & ecclesiam Tolstada, nocturnam festiuitatem uisurus, adiret. Ostenditur eius sepulchrum in monasterio Aluastra, non procul à summo altari, sub lapide magno, testimonium Regij funeris referente. Circa tempora huius Suerconis incipiebant erigi urbes munitę in littore Teutonico, & ex Aquilonaribus regnis coloniæ in illas deduci. Prius enim Vandalica lingua toto illo tractu, quemadmodum etiam nostro æuo, homines illi Sarmatici littoris utebantur. Lubeca enim anno à Christo nato M. C. XL. Rostoch M. C. LXX. & Riga Liuoniæ metropolis M. C. LXXXVI. initium sumpsit. Deinde anno Christi M. C C. V III. Stralesundium, Reualia autem M. CC. XXIII. inchoatæ fuerunt. Post quas Vismaria anno Christi M. CC. XLVIII. erecta est, & munita.

De specubus





De ſpecubus inſidioſis.

CAP. XX.



DIctum eſt ſuperiori capite, in unum lacum Vener ex altiſsimis mõtibus Noruegiæ, & Suetiæ, 24. maxima flumina ingredi Et licet eorum introitus ualde ſtridulus, & uerticoſus ſit, in omni deſcenſu, tamen montibus tam amplo circuitu reſiſtentibus nuſquam niſi unicum inueniunt, exitum: huncq́ue tam rapidum, & ſonoroſum, ut ultra 20. Italica milliaria audiri poſsit. Nomenq́ uulgare habet Trolhetta, hoc eſt, caputium dęmonis forte propter horrorem, quem ſono, ſtridoreq́ generat, in paludinoſam planitiem cadens: uel quia ſub eius deſcenſu præcipiti, reperitur inſignis ſpelunca latronũ: ad quam auguſto tramite fit acceſſus: ſolùm ab ipſis latronibus, ac furibus frequentatus, eò quòd fluuius ille rapidus, & uerticoſus ſit, ſuſpicionem omnibus adimens, quòd nequaquam ibidem malefactorum collectio fiat, præſertim tempore æſtatis. Sed hyeme, ob exhalationum fumi deprehenſi, uelociſsimè rapiuntur ad pœnam, ſpoliaq́ pretioſiſsimę ſuppellectilis, argenti, auri, & pellium pretioſarum ad Principis fiſcum. Vnde nullo intra ſemeſtre tempus legitimo comparente accuſatore, cui bonorum ablatorum lege, et conſuetudine reſtitutio fiat, iuſſu Principis pro tuenda publica pace, exinde confecta nauigia fluminibus maris influentibus immittuntur, uel alijs munitionibus foſſarum, ſeu murorum, ſagacitate pręfectorum prouincialium deputantur. Sed (heu dolor) infelici hoc ęuo nec hora, uel momentum reſeruari uidetur ad reſtitutionem offerendam, quantumcunq́ apparuerit legitimus accuſator, præcipuè in naufragijs negotiatorum, quibus dudum clementia Principum (ſoluto labore colligentium bona proiecta in littore) iuſsit omnia reſtituenda fore. Vidiq́ ſuper hoc æquiſsimas fuiſſe factas conſtitutiones à Regibus Aquilonis, Daniæ præſertim, & Noruegię, ubi hęc calamitas frequentius, quàm in alijs regionibus (exceptis Hybernis, & Curetibus Liuoniæ) ſuſtinetur.

De excellenti antiquitate Regiæ arcis Veſtrogothorum Aaranes.

CAP. XXI.



ETſi Gothicis principibus maior olim inerat bellorum ardor, quàm delectatio quarumcunq́ aliarum uoluptatum, dum ſummum animi, corporiſq́ exiſtimarent ſolatium, rigida arma tractare, ac arduiſsimis prælijs uarios comparare triumphos: attamen pleriq́ eorum uoluptati huic magnificentius aliquid ſuperaddere meditantes, poſteris ſumptuoſa, ſimulq́ utilia ædificia reliquerunt: quemadmodum Scarinus quidam totus Gothici principatus monarcha potentiſsimus, ſingulari exemplo deprehenditur perfeciſſe, præſertim in Veſtrogothorum regione, quam frequentiore ſua præſentia il-

lustrabat:idq; ob uicinum Noruegię Regem Sibdagerum: cui ut erat sanguine coniunctus, ita etiam terrarum situ, & amicitia propinquior esse uolebat. Hic ex suo nomine Scaram ciuitatem Vestrogothorum in loco stagnis, & paludibus ad modum munito, tam prudenter erexit, quàm imprudenter eius successores ipsam desolari, ac collabi permiserunt. Antiqua hæc erat regni Gothorum sedes. Verùm non procul ab ea adhuc extant uestigia alterius Regiæ arcis Aaranes dictæ: cuius situs, muri, et structuræ quoslibet inspectores ita in admirationem alliciunt, ut firmiter iudicent, nullum præstantius ędificium ea tempestate in toto Septentrione, uel Europa repertum fuisse. Sed quid non mutat æui longæua uetustas? ut saltem signa ruinarum posteritatem urgeant, magnificentiam meminisse heroum antiquorum. Habebat hæc arx in circuitu omnes commoditates, quas unquam felix mortalium sedes à superis impetrare potuerat, & obtinere. Siquidem uno latere uersus Occidentem & Boream, uastum ac piscosum lacum Vener antedictum pro regijs, & mensalibus delicijs habuit: altero uersus Meridiem lõgissimo spatio, pro perpetua securitate cœnulentam, ac limosam paludem: cuius superficies tenero uestita gramine, ac frutice, non solum uestigia negat, sed modice calcantes absorbet. Nam limo funditus subsidente, in luteas uoragines, sordidamq; colluuiem liquescens, attrahit accedentes. Nec minus riuuli plures, & profundi, uti uenę per paludes discurrentes, arcis accessum denegant, ut impossibile esset, nisi multitudine pontium (qui olim quadraginta erant) longis ambagibus ueluti labyrintho, illuc peruenire. Eaq; difficultas in asperrima hyeme perseuerat. Nam rarissime propter calidas uenarum sulphurearum exhalationes, paludes illæ congelantur. Ab Orientali uerò latere ex opposito primæ portæ arcis, quæ unicum terrestri itinere habebat accessum, adeò amœna prata, ac fertilitas agri pro solatio castrensi erant, ut nil amplius naturę beneficio poterat concupisci: etiam pascua & uenationes in campis, & saltibus optimæ: quod & præsens humi eius facies ostendit. Quæ licet horrendam nemorum densitatem multis retroactis annis & seculis cultore uacua, ob bella, famem, pestem, & domesticam discordiam induerat tamen sulcorum, uomerumq; uestigia quibusuis eam intuentibus ultro ostendit, frequentesq; lapidum congeries (quibus agri ob maiorem feracitatem purgari, ampliariq; solent) ibidem inter altissimas arbores offert conspiciendas, argumento fideli ad posteros relicto, multò numerosiorem prioris æui fuisse populum, strictioribusq; agellis contentum, quàm cernitur hac ętate pręsenti. Hæc igitur arx felicius florere uisa est circa annum Domini nongentesimum quinquagesimumquintum, quando magnificentissimus Rex Olaus cognomento Schotkonung baptizatus est à S. Sigfrido Eboracensi Archiepiscopo, ex Anglia ob fidem Christi prædicandam ad eundem Olaum Regem, Eldredi, siue Mildredi Regis Angliæ exhortatione, ac petitione proficiscente: qui & in hac arce paulisper moratus est, donec alia sedes regia Husaby dicta, pro usu eiusdem S. Sigfridi, & cleri eius parari poterat, et consecrari. Quo facto paganos, ac idololatras in fide Catholica instructos baptizabat: quod & tres nepotes eiusdem Archiepiscopi, Vnamannus, Sunamannus, ac Vinamannus (quorum unus fungebatur sacerdotis officio, secundus diaconatus, & tertius subdiaconatus) & alibi in Verendia post tergum relicti, faciebant. Omnes tamen, uti beatus Io. Baptista, ob adulteræ mulieris indignationem, gladio interempti fuerunt: quorum corpora in Cathedrali ecclesia Vexionensi magno honore ab omnibus uenerantur. Sed de hac re latius in historijs charissimi fratris, & antecessoris mei Io. Magni Gothi suis locis est ostensum.

De Scara & Scarino: ex Ioan. Mag. lib. 2.

Scarinus igitur etsi totius Gothiæ principatum sapienter administrando, omnes incolas sibi subiectos pari ac benigno complecteretur affectu, tamen Vestrogothiam sua frequentiori præsentia plurimum illustrabat: idq; ob uicinum Noruegiæ Regem Sibdagerum, cui ut erat sanguine coniunctus, ita etiam terrarum situ uicinus esse uolebat. Hic ex suo



suo nomine Scaram ciuitatem Vestrogothorum in loco stagnis & paludibus admodum munito, tam prudenter erexit, ꝙ imprudenter eius successores ipsam collabi et desolari permiserunt. Antiqua hęc erat Gothorum Regum sedes. Siquidem non longè ab ea adhuc extant uestigia Regię Aranes, cuius situs, muri & structurę suos inspectores ita in admirationē ducunt, ut firmiter credant nullum prętantius ędificium ea tempestate in omnibus Septentrionalibus regnis reperiri potuisse. Sed quid non mutat ęui longæua uetustas? Refert tamē adhuc Scarensis ciuitas ueteris dignitatis imaginem Pontificali honore sublimata.

S. Olai Regis uita, conuersio ad fidem Christianam, res gestæ, obitus, &c. necnon S. Sigfridi episcopi, in propaganda religione labores, pietas, & studium indefessum, quorum omnium hic meminit Olaus: habes ex historia Ioan. Mag. lib. 17.



Olaus cognomento Schotkonung, quem alij filium, alij fratrē præmortui Erici Aorlel appellant, magna et memorabili omnium incolarum felicitate ad Gothorum & Sueonū regna peruenit. Siquidē eius ingenita benignitate, & summa prudentia effectum est, ut Christiana fides, quæ hactenus in aliquot Suetici regni partibus uiguerat, & uigebat, ab uniuerso Gothorum & Sueonū principatu efficaciter constanterq́; (abiecto ubiq; falsorū deorum cultu) assumeretur. Proinde à cōpluribus primus Christianorum Rex, qui apud Sueones regnauit, appellari consueuit: cùm tamē compertum sit, Beronem eius nominis secundum, tempore Caroli Magni, & filij eius Ludouici, (nam utriq; cōfœderatus erat) fidem Christi (ut dictum est) suscepisse, & in eius uera confessione animā exhalasse, deinde non paucos Christianos usq; ad tempora huius Olaui, per centum ferè & sexaginta annos in diuersis Suetię partibus permansisse, cùm interim Dania in uetusto gētilitatis errore (ut Saxo satis ostendit) perseueraret. Nullum enim Regem Christianum apud Danos emersisse scribit ante Haraldum Gormonis filium, prēter Ericum cognomento Impium, cui sanctus Ansgarius in fine uitę suę Christi fidem annunciauit. Sed Erico extincto, lumē fidei pariter extinctum est. Frotho autem eiusdem Erici successor, dum à Rom. Pont. Euangelicæ legis doctores expectat, fatis suis Romanę legationis præcucurrit aduentum, animo certè ꝙ effectu superior. Quòd autem Saxo asserat, eam legationem expectatam fuisse ab Agapito Papa, uerisimile nō est. Duos enim eius nominis Pont. Rom. fuisse accepimus: quorum primus sedit anno Christi D. XXXIII. secundus anno D CCCC. L. cùm in Dania regnaret idem Haraldus Gormonis filius, quem Otho primus Imperator (teste Crantzio) armis ad fidem Christi coēgit, baptizato unà cum patre filio Suenone, quem Imperator à sacro fonte leuans, Suenoothonem uocauit.

Hic autem Sueno postea à uia religionis discedens, patrem, & susceptam fidem à toto regno Danorū nimis impiè eiecit: unde & ipse tandem eiectus est. Sed prius plurimos & difficillimos casus, perinde ac si ad fortunę ludibrium natus esset, experiri cogebatur, toties in ignominiosam captiuitatē ductus, toties per suos grauissimo ęre redemptus, toties per terras, & maria iactatus. Tandē expleto septenni exilio, cùm se ad fidem Christi ex toto animo conuerteret, regnum paternū (miserante Deo) recuperauit. Eodem tempore Olaus quidam Triggonis Noruegiæ Rex erat, qui nomine magis, ꝙ re Christi fidem amplexus, à Bernardo pontifice Anglico baptismum accepit: primusq́; apud Noruegianos in Christianorum Regum numero collocatur. Hic cùm esset in bellicis rebus plurimum strenuus, cogitabat quomodo iniurias, quas pridem Dani Noruegianis intulerant, uindicaret, Suenonemq́; Danorum Regem, ob pristina fortunę ludibria contemptibilem, in suam redigeret potestatem. Sed uisa est ad illud negotiū maximè necessaria fore Suetiæ Regis Olaui cōfœderatio. Quocirca missis ad eius matrem illustrissimam principem Sigritham Suetiæ Reginam, olim Erici Victoriosi coniugem, legatis, effecit, ut ipsa in suum coniugium consentiret. Quo comperto, Sueno ad insignem astutiam conuersus, impacabile odium inter Suetiæ & Noruegiæ Reges suscitare cogitauit, ne ipsis pariter Daniam impugnantibus opprimeretur, aut denuò in exilium pulsus periclitaretur. Itaque duos satellites astutia Danica insigniter præditos subornauit, qui transfugarum titulo ad Olaum Noruegianum supplices peruenerunt; à quo postquam more gentis benigniter excepti, familiariusq́; tractati

essent, cœperunt Suenonem Regem multo uituperio afficere, eiusq; filiam Thyram eximia laude extollere, ut falsum proscriptorum nomen mendaciter assumptum, per mendacia ad optatum effectum facilius promouerēt. Olaus enim à praui ingenij hominibus persuasus, omnem cogitationem suam à Sigritha Regina ad filiam Suenonis conuertit, statimq; per legatos eam sibi desponsari impetrauit. Quo facto, Sigritham illius rei ignaram ad se sub colloquij simulatione in nauigium, quo uectus aduenerat, inuitauit: quę cum nauē ascensura pedem pensili ligno, quod in eum usum affixum erat, imponeret, mox per subornatos ministros lignum euertitur, & amplissimæ maiestatis fœmina inter undas periclitata, difficulter suorum auxilio à morte liberatur, & in littus semianimis reportatur. Tandē recepto spiritu, cum consideraret se duabus non ferendis calumnijs, uerecundia, & periculo affectam, minis (quibus poterat) opprobrij deformitatem insequebatur. Ita uersuti Suenonis acumen magis utili, quàm honesto inuolucro tectum, uires, quibus Olauum exuit, sibi uaferrimè conciliauit. Confestim namq; petitę in matrimonium Sigrithæ benignum consensum impetrauit, filiamq; Thyram Olauo desponsatam non imprudenter denegauit. Ita Olaus duobus illustrissimis coniugijs destitutus, dum alterum stolidè contemnit, ab altero turpiter repelli merebatur, utq; hoc repulsa, ita illud insolentia perdidit.

Restabat igitur, ut Olaus post tantam imprudeutiam aliquod maioris imprudētiæ opus aggrederetur, quo sibi temerarium & præmaturum fatum accelераret. Collectis namq; copijs, ac pręualidę classi impositis, in Suenonem nauale prælium eduxit. Sed Sueno Suenonum Regis Olaui auxilio suffultus, facile superat aduentātem. Qui cum se uictum aduerteret, stans celsa in puppi ad profunda maris exilijt, malens inter marinas belluas, quàm inter Danorum manus periclitari. Quo facto, Olaus Gothię & Suetię regnis Noruegianum adiunxit. Interiecto tempore Sueno ex Regina Sigritha Canutū Regem, omniū qui unquam in Dania regnauerunt potētissimum, procreauit. Sed his externis rebus omissis, ad Olauū Sueonum & Gothorum Regem me conuerto: qui (ut dicere cœpi) admirabili pietate succensus, fidem Christi hoc modo in Gothia & Suetia instituit, siue uerius antea institutā, & collapsam restituit. Cum enim iuxta morem priorum Suetiæ Regum, qui cum Anglis contra Danos confœderari cōsueuerant, integerrimam amicitiam cum Mildredo Anglorum Rege coniunxisset, diuq; inuiolatam conseruasset, tandem per idoneos legatos apud eum egit, ut uiros aliquot optimos, in Christiana lege eruditos, ad se mittendos curaret. Quam quidem petitionem ipse, tanquam ex pio affectu depromptā, decreuit optimo effectui quantocyus mancipare. Proinde Mildredus (aliàs Eldredus) ut erat in Christiana fide propagāda studiosissimus, ita nulla intercedente mora congregato omnium Pontificum & prælatorum concilio, iustam & honestam Sueonum Regis postulationem corā omnibus aperit, hortaturq;, ut ex suo numero aliquot idoneos dilatandæ Christianę fidei ministros eligāt, qui labores, & uitę pericula, ac mortem pro Christi gloria sufferre uelint. Actū est hoc pium negotium triduano concilio, dictęq; hinc inde uariæ sententię, nunc de periculorum & laborū magnitudine, nunc de gentium illarum seueritate, nūc de dulcedine patriæ in perpetuum exilium commutandę. Tum sanctus Archiepiscopus Eboracensis Sigfridus, cum consideraret nullos, aut paucissimos esse, qui auderent, aut uellent se tot, tantisq; periculis cōmittere, in medium omnium surgens, longam, & eruditam, ac pietate plenissimam orationem habuit, in cuius fine se ad tam longinquam & difficillimam peregrinationē sponte offerens, suo exemplo ostendit, primum in Pontificatu, primum esse debere ad martyriū, & persecutionē pro Christi gloria sustinendam. Excepta est ea sanctissimi Pontificis oratio nō solum à Pontificibus, uerumetiā ab optimo Rege Mildredo per summam congratulationē: actęq; sunt ei in publico regni consistorio singularib. uerbis gratię, quòd in humeros suos tantā negotij molem suscipere decreuisset. Itaq; postq; omnia ad tam gloriosam peregrinationē necessaria disposita essent, uideri poterāt in Pontificibus, ac proceribus, & pręsertim in optimo Rege gemini affectus, unus mœroris, alter gaudij: gaudebāt quidē, per tam insignē & pijssimū Pontificem diuinę uoluntati gratissimū prętari obsequium: dolebāt uerò plurimū, quòd ab eis amplius non uidendus abiret, quòd tanti pastoris solatio destituerētur, quòd dulcissimā patriam perpetuo exilio cōmutaret, quòd in totū reliquum uitę tempus inter duros paganos in summo discrimine uicturus esset. Quis etiam dubitat maximum in eo Rege fuisse dolorem? quando tam propinquum consanguineum suum à se, non secus ad dimidium animæ suæ, auelli pateretur. Sed necesse fuit Regi Anglorum, uoluntati Regis angelorū subseruire.

Hoc igitur modo gloriosus Christi pontifex Sigfridus, relicta patria, & amplissima prosperitate, quam felix patria ei polliceri poterat, superatis lōgissimi & periculosi maris itineribus, peruenit ad Gothiā Meridionalem, ubi nunc cernitur ecclesia Cathedralis Vexionensis, quā tunc angelica uisione in somnis prēmonitus erigendā curauit. Interea uerò cum in

eodem loco extenſis tentorijs paululum moraretur, Regius prefectus, explorata (ut poterat) conditione aduenarum, Regem apud Veſtrogothos in ciuitate Scarenſi cõſtitutum, uelociſsimo curſu acceſsit: à quo de peregrinorum moribus aliquid referre iuſſus, reſpondit: Pacificos eſſe homines, & nullas moliri inſidias: ſenem eis preeſſe uenerando uultu, & graui autoritate conſpicuum, qui lintea & candidiſsima ueſte ad talos demiſſa utitur: huic omnes aſſurgunt, & genibus flexis ſe ad eius pedes proſternunt. Præterea uidi, inquit, tabulam, ſiue menſam quandam mappis albiſsimis cooperiri, paneꝙ candidum, & admodũ exiguum ſuperimponi, unà cum uaſculo, cui potus parciſsimè ab aliquo aſtãtium infundebatur: his ita diſpoſitis, nunc ſubmiſſa uoce murmurabat, nunc altiore clamabat. Interea ſenex ille mirum in modum à planta pedis uſꝙ ad uerticem capitis indutus, panem illũ poſt multa murmura in manus acceptum eleuauit, uiſusꝙ eſt mihi puerum paruulum admodũ ſpecioſum, qui eidem ſeni arridebat, eleuare. Tum Rex Olaus ex ea pagani militis relatione prudenter collegit, Anglos eſſe, quos ad ſe pridem à Mildredo mitti petiuerat. Proinde expedita confeſtim ad eos ſolenni legatione effecit, ut ad ſe cum ſummo honore adducerentur, proceſsitꝙ obuiam aduentantibus, & nihil omiſit, quo erga eos ſummum amorem ſuum teſtari potuiſſet. Nec diu diſtulit ſe ad ueræ fidei ſacramenta conferre. Quippe auditis per interpretem eximij & doctiſsimi Archiepiſcopi Sigfridi ſermonibus, quos de fide in Deum omnipotentem, & filium eius, quem pro redimendo humano genere in terras miſerat, adduxit: mox diuina cooperante clementia plenè perſuaſus, atꝙ in fide confirmatus euaſit, ſtatimꝙ ſuſcepto per manus Pontificis baptiſmatis ſacramento, arcem Regiam Huſaby, quæ in eodem loco erat, in eccleſiam conſecrari præcepit, in qua ſanctus Chriſti Pontifex diuturnam moram complexus, totam Veſtrogothiam (quę eſt tertia Gothiæ regni pars) ad Chriſtum conuertit, conuerſamꝙ ſacri baptiſmatis unda perfudit.

Interim uero, cùm ea apud Veſtrogothos feliciter agerentur, proceres quidam ſanguine quàm moribus nobiliores, tres nepotes S. Sigfridi, Vinamannum, Vnamannum, & Sunamannum, quibus eccleſiam Vexionenſem cuſtodiendam cõmiſerat, crudeliter occiderunt, occiſosꝙ multis & pretioſis rebus, quas ex Anglia ſecum adduxerant, ſpoliauerũt. Inſuper corporibus eorum in uicinam paludem, ne inueniri poſsint, abiectis, capita in uaſculo impoſita, & grandi ſaxo alligato, in proximum ſtagnum ſubmerſerunt. Quo audito, ſanctus Archiepiſcopus uehemẽter indoluit: nec minor mœſtitia Regẽ inuaſit, qui confeſtim ſumpto ſecum Archiepiſcopo, ad terras illas deſcendit, ſumpturus eõdignum de tam atrocibus ſanguinarijs ſupplicium: pro quibus etiam benigniſsimus Põtifex, ne occiderentur, orauit: factumꝙ eſt ob preces eius, ut uitam, quam iuſtè amiſſuri eſſent, pecunia data redimerent. Quam cùm Rex Põtifici tam inſigniter offenſo dare uoluiſſet, ipſe Pontifex magnanimiter reiecit, & contempſit, atꝙ interim ſe totum in diuinã prouidentiam iactans, deſurſum omnem conſolationem expectabat. Nec Deus ſancto ſuo in tanto dolore laboranti defuit. Cũ enim una noctium, circa ſtagnum eccleſiæ Vexionenſi contiguum, orans & plorans ambularet, uidit à longè tria luminaria diuinitus micantia ad ſe ſuper aquas afferri. Quæ cum littoribus appropinquarent, ſubitò ingenti deſiderio ſuccenſus aquas inſilijt, remꝙ ſtupendã, & ſempiterna admiratione dignam cõtemplatur, quippe urnam prægrandi ſaxo alligatam pariter adnatare: in qua capita ſuorum chariſsimorum nepotũ adhuc roſeo cruore perfuſa aſpiciens, flendo inquit: Vindicet Deus. Cui mox unum ex capitibus reſpondit: Vindicatũ erit. Alterum uerò inquit: Quando? Tertium deinde nimis horrendum ſubintulit uerbum dicens: In filios filiorum. Quod hodie quoꝙ adeò ueraciter prædictum fuiſſe experimur, ut paſsim ex illis nobilium familijs, quorum maiores tam nefarium ſcelus perpetrauerũt, illæ queruloſæ uoces audiantur: Sentit adhuc proles quod commiſere parentes.
Imò in omnes Gothorum & Sueonum proceres ea innocẽtum occiſio quotidie à diuina iuſtitia uindicatur. Nec propterea ceſſant illi innocentum Chriſti miniſtrorum perſecutores, quin eos intolerabilibus iniurijs cõtinuè afficiant, donec iuſtus Deus oppreſsionem ſeruorum ſuorum, deſtituta penitus tam ingrata nobilitate, grauiter & celerius quàm creditur ulciſcatur, cui etiam ſanctus Chriſti confeſſor Sigfridus ſuam cauſam iudicandã commendauit. Neꝙ interim animum à Chriſti fide propaganda, & eius ſancto Euangelio quotidie annuntiando remiſit: qui tandem poſt multiplices labores, & continua ſanctiſsimæ uitę ſtudia, felicem ſpiritum Deo commendauit. Sepultus in eccleſia Vexionenſi: & demum multis miraculis clarus, in numerum Sanctorum digniſsimè eſt relatus, annuaꝙ feſtiuitate uſꝙ ad hæc noſtra tempora ab omnibus Gothis, & Sueonibus, cæteriſꝙ Aquilonaribus regionibus meritò honoratus. Cætera huius ſanctiſsimi confeſſoris opera, quę ſempiternam laudem merentur, doctis Vexionenſium ingenijs ſcribenda relinquo.

Interea ad Olaum Regem (quem alij Iacobi nomine in baptiſmate appellatum fuiſſe affir

mant) me conuerto. Qui etsi in suscepta Christi fide diligentissimus obseruator esset, tamen à iustis bellis, quibus ab adolescentia assueuerat, non cessauit. Cùm enim non solùm Gothorum & Sueonum, sed etiam Noruegianorum Rex esset, & nonnullis annis satis quietè feliciterq; in tam amplo imperio regnasset, obiecit ei fortuna in regno Noruegiæ potentem aduersarium Olaum, filium Haraldi Grenska, qui post multa clarissima opera in numerum Sanctorum est relatus. Hic à primis adolescentiæ suæ annis mores suos ita ad omnem probitatem accommodauit, ut facilè omnibus persuaderetur, quòd Respub. Noruegiana eius ductu aliquando in pristinam dignitatem, & libertatem restituenda esset. Nec qui sic persuasi erant, decipiebantur. Totus enim conatus eius eò contendit, ut diuinæ legis præcepto satisfieret, quo dicitur: Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non est frater tuus. Eaq; pietate in patriam suam ductus, omnes conciues suos induxit, ut abrogata exterorum dominatione, se prudenter & celeriter in libertatem uendicarent. Nec minus ipso effectu præstare, quàm uerbis consulere curauit. Contractis namq; copijs, & ualida classe instructa, ex Noruegianis littoribus soluens, fretum illud, quo Cimbri Dani à Gothis separantur, penetrauit, classemq; Australibus & Orientalibus littoribus Gothorum & Sueonum admouens, omnia ferro, flamma, cædibus inuoluit: ut & ipsi bellorum incommodis affecti, pacem libertatemq;, quam Noruegianis abstulerant, restituentes, mouerentur, ne alijs ea irrogarent, quæ ab alijs contra iustitiam irrogata minimè pati uellent. Nec solùm littora, sed intima regni maximis bellorum calamitatibus implicauit, ut Olaus Sueonum Rex numerosum exercitum contra eius fortitudinem expedire cogeretur. A quo cùm Noruegianus in arcto maris sinu (ubi nunc Regia ciuitas Stocholmensis erecta est) concluderetur, & iam omnino uictus putaretur, confestim diligentissimo suorum studio, defossa partim terra, saluus cum tota classe ad mare elapsus euasit, indignante plurimum Olauo Suetico, quòd sui exercitus duces omnia perfidè & dissimulanter agendo, ipsum, quem in manibus uictum habebant, tam liberè elabi permisissent. Qui inde abiens Gothlandiæ insulam Ostrogothorum littoribus uicinam inuasit: quam etiam flamma & cædibus deuastasset, nisi incolæ, data magna pecuniæ summa, se illi subdidissent: à quibus (peracta apud eos hyeme) discedens, Danos Frisiosq; præteruectus, ad Angliam peruenit: apud cuius Regem Mildredum toto triennio militans, multa præclara & magnifica opera pro Anglorum libertate gessit. Enimuerò Danos à terris, ciuitatibus, oppidis, & castris eijciens, in eorum locum pacem, libertatemq; restituit. Deinde multis onustus spolijs, in Noruegiam cunctorum bonorum applausu reuersus excipitur. Sed non multo peracto tempore iterum in Angliam à Mildredi relicta uidua, ut contra Canutum Danorum Regem, qui Angliam denuò impugnabat, opem ferat, reuocatur.

Classem igitur bellicam militibus & armis instructam educens, contra Danos pugnaturus Angliam repetiuit. Verùm quia Canutus fortior erat, & iam ad pacta cum Anglis conuenerat, Olaus in Noruegiam sine uictoria remeauit: sedemq; in prouincia Vichiæ complexus, primùm amicos & consanguineos, deinde proceres regni ad se uocans, querelas cõtra exaggerabat, nunc Sueones, nunc Danos uehementer accusando, sub quibus ad eam seruitutem turpitudinemq; patria deuenerat, ut nec uestigium quidem libertatis habeat, quæ pridem magna regna, & nationes superauerat. Proinde suadet, & persuadet, ut se uiros esse meminerint, & ad libertatem, non ad seruitutem natos. Considerarent, quibus præsidijs à natura muniti essent, quàm insuperabilibus montibus defenderentur, quantamq; securitatem à periculosissimi maris accessu haberent. Præterea diligenter perpenderent, quam probrosum esset fortes & robustos homines, armorum industria præstantes, illorum sustinere iugum, quos haud difficili negotio non solùm reprimere, uerumetiam superare possent. Itaq; Noruegiani ab Olauo efficaciter persuasi, ipsum in eodem loco ad regni solium extulerunt. Quo comperto, Olaus Sueonum, Gothorum, & Noruegianorum Rex, misso in Noruegiam grandi exercitu, cogitabat eos armis ad obsequium reducere, quos debuisset beneuolentia, & clementia in officio continere. Sed totus ille Sueonum exercitus, mortuo in uia duce, absq; pugna & uictoria redire cogebatur. Deinde Olaus Noruegianus eo Sueonum insultu plurimum prouocatus, edictum in omnes Noruegiæ fines mittit, quo omnem societatem & commercium cũ Gothis, & Sueonibus interdicit. Quo interdicto omnes Noruegiani uehementer commoti, apud ipsum importunissimè agebant, ut tam perniciosum præceptũ quantocyus reuocaret, cùm ex eo publica patriæ pernicies omnino secutura esset: aliamq; uiam cum Sueonum Rege inueniret, per quam amicitia potius, quã publica hostilitas augeretur. Ea enim esset Sueonũ & Noruegianorũ conditio, ut alter alterius cõmodo nequaquã deesse possit. Deinde subinferunt aptius & honestius mediũ esse, ut Sueonũ Regis filiã in cõiugiũ impetraret. Talẽ enim affinitatẽ illa pristina & necessaria regnorũ pax, cõcor

diaq;

diaq; sequeretur, quæ ab initio regnorum nunquam fuerat, nisi cum maximo utriusq; partis damno, intermissa.

Hocmodo Rex Noruegianus à suis consultus, legatos ad Suetiæ Regem mittit, per quos filiam eius in coniugem postulabat. At Sueonum Rex legatis tam honesta petentibus non solùm non fauit, sed graues minas, ut cœpto sisterent, opponebat. Illi tamen rem tam necessariam prudentius exequentes, occasionem expectabant, qua fortè per suos proceres & consiliarios instructus consideraret, quàm graue & periculosum esset, publicam pacem à tot terris & populis proscriptam exulare. Sed non erat tanta procerum autoritas apud Regem alioquin optimum, ut ipsum ad eam affinitatem inclinare potuissent, donec plebeiæ multitudinis nuntij nomine omnium incolarum regni magno serio proponerent, nisi in amicitiam & pacem cum Olao Noruegiæ Rege consentiret, cogitaret quòd ipse in suo regno securus non esset, sub quo ipsi securi esse non possent. Tantis igitur, tamq; importunis precibus Olauus Sueonum Rex superatus, filiam suam Regi Noruegiæ, magna nobilium multitudine comitatam, ad oppidum Tonsbergum in Noruegiam misit: cum qua etiam missa est multa & pretiosa suppellex, quę digna putabatur à Rege socero ad Regem generum mitti. Sed pretiosior cunctis opibus erat ipsa pax, quam illæ nuptiæ inter Reges & regna conciliabant. At de fide Christiana nulla alia adiecta est conditio, nisi quòd in utroq; regno liberè prædicaretur, & firmiter obseruaretur. Iam enim ante aliquot annos ambo Reges, cooperatione Mildredi Anglorum Regis, baptismatis sacramento abluti fuerũt. Quocirca minus uerum scribunt, qui asserunt filiam Olaui Schotkonung, post celebratas cum D. Olauo Rege Noruegię nuptias, multum laboris unà cum marito impendisse, ut pater ad Christianam fidem conuerteretur. Imò S. Olaus tam potenti Regi, & optimo Christiano tam arcta affinitate coniunctus, eò efficacius omne regnum suum ordinauit, & Christi fidem per omnes Noruegiæ fines propagauit, quò maioris amicitiæ præsidium ex eo coniugio contraxerat. Tanta etiam erat eiusdem Olaui Sueonum Regis autoritas, ut fratrẽ suum Canutum Danorum Regem potentissimum, ex eadem matre Sigritha genitum, ab impugnatione generi sui S. Olaui Noruegiani prohiberet. Quocirca felices erant illi Reges, & feliciores populi, qui sub tam sapientibus & potentibus Principibus regebantur, donec Olaus Sueticus, tantæ pacis conciliator & conseruator, circa annos Christi M X V I I I. in fata concessisset. Sepultus in ecclesia Cathedrali Lincopensi, quam tunc Gothi & Sueones præcipua ueneratione colebant.

Da mirabili horto montis Kindaberg prope prædictam arcem.

CAP. XXII.

MOns est eminentissimus apud Vestrogothos non longè à prædicta arcẽ Regia, & lacu Vener, uulgari gentis sermone Kindakulle dictus, tantæ altitudinis à longè nauigantibus ultra quadraginta milliaria Italica in eodem lacu, quasi atra nubes inter cœli hiatus appareat. Ideoque multi tempestatibus, uique uentorum agitati, summis uiribus conantur eius pedes attingere, ubi tranquillissimum portum adesse nouerunt. In huius montis summitate ea amœnitas frondium, herbarum, fructuum diuersarum arborum (excepta uite) suapte sponte nascentium non raritate magis, quàm suauitate, uelut satarum, aut plantatarum, reperitur, ut uix delectabilior in tota Septentrionali plaga inuestigari possit, aut inueniri. Illic suauitas inenarrabilis, etiam concentu uariarum auium (præter papagallos) multiplicata. Sed ualde paucis, ijsq; solùm senibus notus est amœnissimus ille locus. Neque lasciuiori ætati perfacilè monstrandus, ne fortè seueriori disciplina soluta, in omnem uoluptatem, uel uerius spurcitiem sese prosterneret, difficillimè, uel nunquàm ad honestatem, & bonos mores reuersura. Voluptas enim ipsa usum, & consuetudinem: consuetudo necessitatem: necessitas desperationem inducit, & coartat. Extra hunc montanum locũ, imò & alibi latius per Aquilonẽ satis boni, suauesq; fructus pyrorũ, pomorum, cerasorum, prunorũ, sed nulli ante medium Iulij, uixq; tunc in debita maturitate reperiuntur: imò quędã horum fructuum genera tam domestica, quàm syluestria, solo frigore accedente maturescunt,

ſcunt, durantq; pendētia maiori parte hyemis etiam in ramis, folijs omnibus denudatis. Sed hi fructus quouis aceto pro gratiori ſapore ſunt eligibiliores, licet exiguæ magnitudinis, ob frigus continuè circumſtans. Exoticos uerò fructus per mare à Germanicis oris, ut ſunt poma celerrimè portata, ob ſuauitatem inhærentis muſti, tam auidè manducant incolæ, ut nunquàm, uel rarò ſine diſcrimine uariorum morborum (præſertim Gallicorum) uel mortis euadant. Et hinc eſt exemplum, quòd omnis inordinatus appetitus ſibi ipſi ſit pœna, atq; tormentum. Reperiuntur etiam nonnulla montana loca, ſeu plana in Armenia (teſte Strabone li. 12.) quæ tantam agreſtium pomorum, & ultro naſcentium copiam gignunt, ut quocunque tempore anni ea uoluerint incolæ (qui ob id famem nunquàm ſentiunt) ſemper abundent: cùm interdum adhuc fructus in arboribus pendeant, interdum in folijs iaceant, quæ lapſa multa, & alta, ac humi fuſa ſunt.

De pulchritudine, & ubertate inſulæ Gothorum Elandiæ.
CAP. XXIII.



ELandia, ſiue Oelandia, una eſt ex inſulis Gothici maris, breuiſsimo maris interiectu à Gothia Meridionali diuiſa, omnium inſularum pulcherrima: multis enim bonis adeò referta eſt, quòd ſpatij breuitatem (duorum dierum itinere abſoluendam) ſoli fertilitas recompenſet. Prata, & campi odore herbifico, indicibili ſuauitate mirabundi. Ibi plurimi greges equorū paruorum, ſed ualidiſsimorū, ut puta qui fortitudine, & agilitate multis eximij corporis equis præualent: quosq; domeſtici, & exotitici negotiatores pro uoluptate emunt, atq; in terras remotas ueluti naturæ miracula uenales exportant. Ingenioſiſsimi enim ſunt, ut ſaltibus & choreis, buccinæ uel tympani ſono per eos adaptari poſsint, quorum exercitium eſt huiuſmodi ſpectaculis acquirere quæſtum. Inſuper inſtruuntur, ut circulos ferreos, aut ligneos non admodum amplos more canum tranſiliant, ſaltuatimq; uiuaciſsima pernicitate ſeſe gyrando reuoluant. Proprio etiam nomine moniti magis, uel minus id faciunt, iuxta arbitrium imperantis. Paſcuntur huiuſmodi equi, ubi opus eſt, piſcibus ſole toſtis, & lignis abietinis: ceeruiſiaq;, & uino uſq; ebrietatem potantur, prout in ſimili infrà de alcibus oſtendetur. Hæc igitur inſula frugibus, paſcuis, pecudibus, armentis, & piſcibus tantum abundat, ut proprijs commoditatibus ſufficiat. & alienis: eamq; gratiam, & æſtimationem boues, & pecora, ac butyrum ultra mare exportata habēt, quaſi medicinalia forent. Habuit olim hæc inſula arces plures, tam naturæ, quàm artis præſidio locis opportuniſsimis fabricatas, & munitas: quarum aliquæ in templa Chriſtiani ritus commutatæ ſunt, hodie non minus patriæ defenſioni, quàm religioni deſeruientes: aliquæ bellorum turbine penitus deſolatæ. Vna tamen uſque in præſentem ætatem omnium altior, & fortior Borcholm dicta, permanſit: cuius celſitudine Gothicum mare eminus nauigantes, ueluti ſpecula pro uentorum, ac portuum directione adhuc utuntur, præſertim Angli, Scoti, Selandi, Hollandi, quibus admodum neceſſaria eſt illuſtrium locorum cognitio in eo mari. Hæc inſula ferè tota ambitur marmoreis ſaxis ſurſum, deorſumq; penes littora 20. uel 30. pedum altitudine, quaſi artificum manu ex induſtria collocatis. Imò & in oris eius Orientalibus aperto mari obiectis, plures amœniſsimi portus ſunt: ad quos non minus curioſitatis, quàm neceſsitatis cauſa extranei nauigantes, ueluti naturæ ſpectaculum uiſuri accedere ſolent. In hac inſula tempore pacis reges Gotho

rum,

rum,& Sueonum,ob insignem eius amœnitatem,& uenandi exercitium,æstates transigere consueuerunt. Etiam quia uiciniori maris tractu ultramarini principes commodius cum eis in arduis causis expediendis ibidem congredi possunt. Præterea prope Aquilonare littus eius exurgit mons excelsus: quem nauticum uulgus uitandi infelicis ominis,& marinæ tempestatis gratia, Virginem uocat: atq; in eius portu manentes certis munusculis puellis dari solitis, utpote chirothecis, sericeis zonis,& similibus, eas tanquam amico munere placant. Nec ingratum montis numen sentire uidentur, prout aliquando factum meminit antiquitas, uo celapsa iussum fuisse donantem mutare portum, ne periclitaretur: & ita faciendo saluus factus est, ubi alij sunt periclitati. In eo monte certis anni temporibus dicitur esse conuentus Aquilonarium maleficarum, ut examinent præstigia sua. Tardius ministerio dæmonum accedens, dira afficitur correptione. Sed hæc opinioni, non assertioni cedant.

De famosissima insula Gothorum, Gothlandia dicta.
CAP. XXIIII.



ORientalis Gothiæ pars est, sic dicta, quasi Gothorũ terra, uel bona patria. Goth quippe bonũ, siue Deum lingua Gothica significat,& Landia terram. Est enim multis rationibus bona: bonus in ea populus, boni et securi in circuitu eius portus: bonus,& electus in ea ager: bona armentis, equis, bobus, piscatiõe, uenatione, aquis, syluis, pascuis, pulcherrimo marmore,& omnibus rebus humano usui necessarijs. Est in eius boreali parte præclarum oppidũ Visby, in quo est arx munitissima. Fuit hæc urbs quondam Gothorum,& multarum regionum emporium, tantis opibus,& negotiatorum mercimonijs frequens, ut uix illi par in Europa simile haberetur. Confluxere illuc Gothi, Suedi, Rusi seu Rutheni, Dani, Prussi, Angli, Scoti, Flandri, Galli, Finni, Vandali, Saxones, Hispani, singulæq; gentes suos proprios uicos,& plateas incolentes: nulli præclusum municipium. Ingredientesq; terra, et mari omnia pacata inuenerunt, donec discordia, quæ omnium regnorum,& hominum perniciosissima desolatrix est, subuerteretur: sicuti infinitæ aliæ nationes, quę ab initio floruerunt. Extant hodie marmoreæ ruinæ, quæ testantur ueterem eius claritatem, amplitudinem,& uetustatem. Sunt adhuc testudinatæ domus, portæ ferreæ, cupreæ aut æreæ fenestræ, olim argentatæ atq; deauratę argumentum inæstimabilium diuitiarum exhibentes. Vnde postmodum ortis odijs, et dolis, ex tumido earum rerum usu digressati incolę, abierunt in Vandalicas ciuitates: quæ non parum ex opibus huiusmodi hospitum sunt ditatę, uti olim Roma Carthagine desolata. In hanc insulam prima Gothorum armata castra post exitum à sua terra, in Europa,& Asia nouas terras, ob importabilem gentis suæ multitudinem, quæsitura descenderunt. Demum multis seculis euolutis, Longobardi ex Scandiana insula ob similem, uel grauiorem causam exeuntes, per hanc insulam in Rugiam agmine uastissimo in exteras regiones abierunt: & tandẽ regno constituto in Italia sedes firmauere: quod & Paulus Diaconus eorum historicus lib. I. attestatur. Prætereà Magnus Rex Suetiæ anno Domini M.CCLXXXVIII. sedauit periculosum bellum, quod erat inter ciues Visbycenses,& plebem illius insulæ: permisitq; ciuibus instaurare collapsos muros ciuitatis, mœnibusq;,& propugnaculis communire. Albertus Rex Suetiæ rogatus à principibus inferioris Germaniæ ut à mari eorum ejceret potentissimos

simos piratas Vitalianos, impignorauit hanc insulam Gotlandiæ Magistro Prussiæ, pro uiginti millibus duplonum, id est, nobilionum: quorum summam Regina Margareta eidem succedens, ex Suetia collegit, atq; eam insulam regni Suetiæ iuribus, & proprietatibus restituit, iure perpetuo possidendam. Hancq; insulam Saxo Grammaticus Danorum insignis historicus, in pluribus suis scriptis ad Suetiam sine quauis hæsitatione spectare attestatur. Et hoc ex multis argumentis quia eadem lingua, legibus, consuetudinibus, & morum conformitate, & uicinitate perpetuò utuntur: etiam quia Gothorum Episcopo Lincopensi, tanquam primo fidei plantatori sunt subiecti: à quo & Episcopalia iura petunt, & consequuntur. Ab hac etiam insula in omni nauigantium controuersia, præsertim à consulatu Visbycensi, petitur, & datur ius, & sententia diffinitiua, quid unicuiq; permittendum, uel auferendum erit. Certè ius hoc mercatorum, ac nautarum, ualde prudenter digestum, citius lites adimit in fluidis aquis, quàm aliorum decisio in terra arma.

De prima Gothorum eruptione, & in Gotlandia Statione: Ioan. Mag. lib. 1.

Berico deinde communi omnium Sueonum & Gothorum consensu, utriusq; regni Monarcha circiter annum à diluuio octingentesimum trigesimumsextum cōstitutus, cùm prudenter animaduerteret, quomodo tot populi in tot diuersa uota distracti, absq; ciuili bello regi & conseruari possent. Erant in eis plurimi, quos (uti ubiq; contingere solet) diuturna licentia in cædes, rapinas, & omne facinus reddiderat audacissimos. Hos prudens Princeps cogitabat (oblata primùm occasione) à patriæ finibus submouere. Sed quia non uellet, nec honestè posset, id quod cogitauerat, armis et potentia exequi, compertumq; haberet eorum animos duci posse, cogi non posse, contractis in concionem nobilibus & plebe, refert quo pacto præteritis annis Estones, Liuones, Finningi, Curetes, Vlmerugi, cæteræq; potentes gentes (quamuis à Gothicis littoribus uasto mari separatæ) ausæ fuissent Gothorum potentiam domestica seditione labefactam, continuis bellis impugnare: nec à proposito cessuræ uiderentur, donec penitus expugnatis iugum turpissimæ seruitutis imponerent. Quocirca si uiri esse uellent, cogitarent potius tam superbis & pertinacibus inimicis terras & possessiones auferre, iugumq; perpetuæ seruitutis iniicere, quàm ab illis iniectum cum sempiterna ignominia sustinere. Hac enim præclara uictoria plurimas iniurias patriæ pridem illatas iustissimè uindicarent, manusq; suas de cætero non in ciuium, sed in hostium sanguiguine cruentarent. Excepta est hæc Regis oratio diuiduis cùm populorum, tum procerum sententiis: cùm alii affirmarent natalis soli dulcedinem nequaquam relinquendam, aliis placuit Regio consilio & præcepto satisfieri debere, quòd iustum bellum contra importunos & crudeles patriæ hostes præciperetur: præstaretq; semel uel uno bello ipsos delere, terrasq; & possessiones eorum occupare, quàm in sempiterna eorum formidine uersari. Tandem communi omnium consensu decretum fuit, ut tantus exercitus pararetur, quantus sufficere posset oppugnandis & expugnandis illis hostilibus terris, quæ à fortissimis incolis possidebātur. Hoc decreto domum ad uxores relato, mox ipsæ muliebribus corporibus uiriles animos inserentes, nullum in se fœmineę mollitiei indicium prębuerunt, nullas mœstas deprompsere uoces, non lachrymas, non gemitus, non eiulatus emittebant. Quippe ab ineunte ętate paulo minus quàm ipsi uiri armis assuetę, in equo ducebant pensa & pręlia tractare. Nec solum mutua exhortatione sese fouebant, sed uiros ipsos ad arma capessenda importunè inflammabant. Tantumq; pauco dierum spatio profectum est, ut longè pauciores essent, qui domi residere, quàm qui egredi mallent: imò si nauium multitudo exituris suppetisset, tota terra alioqui populosissima, in solitudinem redacta fuisset. Proinde Regis prudentia opportunè prouisum fuit, ut sufficiens incolarum numerus terrę excolendæ relinqueretur: cui primogenitum suum Humulsum Regem præficiens, iussit ut domi & in patria uiriliter prudenterq; omnia ageret, ipse autem foris, & longinqua militia cum suis nihil minus pręstare curaret. Hoc tamen loco nonnulli erant, affirmantes hunc Gothici populi egressum ob naturalem terræ sterilitatem accidisse, cum etiam nostro tempore tantum in omnibus rebus abundet, ut uix alibi in tota Europa utilius uendantur res humano uictui necessariæ. Testantur eam omnium rerum abundantiam illę ingentes nauium classes, quę inde quotannis maximam omnium rerum copiam in omnes transmarinas regiones efferre consueuerunt. At de illa fame ex bellis, non ex terris inflicta, ob quam Longobardi inde

postea

postea exiuere, infrà dicemus. Nunc satis est ostendisse duas præcipuas huius emigrationis causas, uidelicet ut uindicta de hostibus sumeretur, & Gothica natio in alienis regnis & terris, quantum uiribus posset, experiretur.

Omnibus igitur quæ ad tantam expeditionem necessaria uidebantur præparatis, iubet Berico omnium classium præfectos, ut totam nauium multitudinem in insulam Gotlādiæ (quam Iordanes Gotiscantiam uocat) deducant. Vnde tres naues potētiam hostium explorantes emittere curauit, unam quæ Estonum, alteram quæ Curetum, tertiam quæ Vlmerugorū littora diligenter perscrutaretur. Sed suborta tempestate, omnes Vlmerugianis littoribus appulsę fuere, in quibus nunc Prutenorum sedes habentur. Inde exploratis obiter terris, & incolis, mox ex se tertiam nauem ad Bericonem expediūt: quæ etsi cæteris ad cursum aptior esset, attamen ob remigum ignauiam tardius incedens, conuitio, quo Gepāda de cætero diceretur, occasionē dedit. Siquidem lingua Gothica tardum et ineptum, Gepam per conuitium appelat. Itaq; ex ea naui Gepidæ ortum habentes, patrum suorum inertiam præclaris posteà facinoribus, fundato ex se inclito regno absterserunt. Nec ignauiter legatione functi, Bericonem quo in loco & statu reliquæ naues essent, edôcent, hortanturq; ut totam classem ad ipsas sine mora perducat, facili negotio terram et populos, in quibus nihil expugnatu difficile uideretur, superaturus. Neq; diutius expectatum est: & Gothi (ut ait Iordanes) uelut examen apum erumpentes in Europam exiuerunt. Annus tunc erat secundum Hebraicam ueritatem à creatione mundi bismillesimus quingētesimus trigesimusprimus: à diluuio autem octingentesimus septuagesimusquintus, & ante natum Christum millesimus quadringentesimus trigesimus, quo tempore filij Israël à Iudice Othoniele (teste Alberto Crantzio) regebantur. Præsenserant tunc Vlmerugi, quam ob causam tam frequens & inusitata classis aduentasset: ideoq; mutua adhortatione firmati, statuerūt prius sanguinem & uitam effundere, quàm charissimam patriam hostibus occupandam permittere. Proinde Gothi à principio antequam in littore consisterent, difficilem Martis aleam experiebantur. At postquam resumptis uiribus, quas maris tempestas non parum labefactauerat, magno impetu, & imperterritis animis manus conseruerunt, uictores, non tamen sine cruenta uictoria, euaserunt. Sed lętari non poterant, se amœna loca sedesq; beatas occupasse, quippe ueteres illi coloni, qui bello supererant, cum uiderent se tantæ Gothorum potentiæ impares esse, confestim domos, uicos, uillas incendio tradiderunt, deinde fuga salutem quærentes, ad interiora Vandaliæ se recepere. Itaque Gothi uacuam & laboriosam terram assecuti, coniuges, & liberos ex nauibus eductos, excolendis agris præficiunt, domus et uillas rursus erigunt, armaq; in uicinas prouincias, Pomeraniam, Poloniam, Magnopoliam, tanta fortitudine extendunt, ut breui tempore magnam magnæ Vandaliæ partem suo imperio subiugarint. Toto enim tempore septem Regum, quo Vlmerugiam incoluerunt, nunquam à tumultu bellorum quieuerunt. Si enim foris nullus hostis comparuisset, domi & in patria quærebant, nihilq; præclarius ducebant, quàm inuigilare armis, uitamq; militarem assiduo studio exercere.

De beneficio Magni Suetiæ Regis in Visbycenses.
Ioan. Mag. lib. 20.

Eodem quoque tempore, cum anni à nato Christo M. C C. L X X X V I I I. numerarentur inter incolas terræ Gotlandiæ ciuilis, & admodum periculosa pugna suboriebatur. Ciues enim Visbycenses cęteris terrę incolis congressi, uictoriam cruentam & parū honestam reportarunt. Nec poterat ea domestica lis componi, nisi Magni Regis Suetię autoritate, à quo tunc ciues permissi fuerunt ciuitatem suam mœnibus, & muris, ac fossis communire.

Alberti Regis & Margaretæ Reginæ (quorum hic Olaus meminit) rerum gestarum historiam subiecimus ex Ioan. Mag. lib. 21. Etsi ea quæ tyrannidem Alberti concernunt, potius referenda fuissent ad cap. 17. lib. 10. tamen quia Alberti & Margaretæ res gestæ sunt mixtæ, & Ericus plus super tyrannicæ libidinis ibi suppeditat, noluimus historiam ulla ex parte mutilare.

Albertus igitur anno Christi M. C C C. L X I I I. Gothiæ & Suetiæ Rex creatus, in eam liberalem concordiam cum Magno consensit, ut ei tantam regni partem permitteret, quanta ad honestum statum eius conseruandum satis idonea uideretur. Sed non æqua gratitudine Magnus Alberti liberalitatem compēsabat. Nam cum Albertus grauibus prælijs in Finlandia contra eius terræ incolas implicaretur, Magnus filij Haquini Noruegiani, & Valdemari Danici Regis auxilio fretus, ingentem exercitum tam ex Gothis sibi subiectis, quàm ex Danis, & Noruegianis contraxit: eoq; suffultus ex Gothia in Suetiam bellum transferre

 contendit,

contendit, prefatus se aut totam Suetiam recuperare, aut tota omnino carere uelle. Nec Sueones suæ fidei erga Albertum præstitę immemores, copias undiq; colligunt, & uenienti Magno circa pontem Osteni, non longè ab oppido Enecopensi occurrunt, fitq; atrox, & cruenta pugna: quę etiam non minus impia, & crudelis erat. Nam ex utraq; parte Sueones pertinacissime pugnantes, nec parentibus, nec amicis obuiā uenientibus pepercerunt. Tandem uictoria ipsum Magnum iam ter quaterq; infelicem deserens, ad partes Alberti aduolauit. Quod considerans Haquinus filius, dissipato post tergum ponte, in Noruegiam saluus euasit, patre interim in miserrimam captiuitatis sortem deducto. Nam Albertus exprobrata prius tam insigni eius ingratitudine, ipsum in arce Stocholmensi toto septēnio inclusit, donec filius eius Haquinus, collecto ex tota Noruegia exercitu, Vestrogothiam, ac Ostrogothiam deuastando, usq; ad Stocholmiam perueniret, ipsumq; ab illa dura, & diuturna captiuitate faceret relaxari, resignatis in manus Alberti arcibus, quæ hactenus fuerāt pro Magno conseruatæ. Liberatum itaq; patrem Haquinus secum in Noruegiam perduxit: ubi residuum infelicis uitæ suæ tempus absoluens, tandē infeliciore fato in aquis Bolmfiord submersus interijt: de quo quid rectius dixerim, nisi quòd melius illi fuisset, si aratro, & non sceptro genitus fuisset? Tunc enim sine tanta infamiæ nota corpus, & sui nominis memoriam eodem tumulo obruisset, nec modò post tot secula fœtorem nominis eius sentiremus. Deinde Haquino defuncto, successit in regno Noruegiæ eius uxor Margareta, Valdemari Danorum Regis filia: mortuoq; patre etiam Daniam Noruegiano regno coniunxit.

Albertus igitur mortuo Magno in imperio confirmatus ad multos annos regnauit: & interim solenni, ac Regio instructus apparatu, in Magnopolim suam enauigauit: ibiq; curiam inducit in urbe Vismaria cunctis principibus Germaniæ inferioris. Confluxerat quicquid erat nobilitatis ab Hercinijs montibus usq; ad mare, Marchiones, Duces, Comites, & quicquid ubiq; erat præcipuum. Et primum quidem ratio habita est in concilio, ut pax & tranquillitas inter omnes seruaretur: inde conuiuijs, et tripudijs indultum est. Hastiludia, choreæ, militares & fœminei plausus, diuersaq; musicorum genera ubiq; personabant: non erat qui tristium rerum ullam memoriam faceret: omnia in pompis, & magnificis apparatibus, ac multiplici principum, & dominarum honore agebātur. Quibus peractis, Albertus maxima Teutonum multitudine comitatus, classeq; instructissima uectus ad Suetiam remeauit. Sed erāt in eo comitatu nimis multi, qui ad sempiternam Regis Alberti perniciem adducti uidebantur. Tales enim se in consilijs erga regem, & in conseruatione erga incolas præstiterunt, ut ab inimicis Alberti in eius familiam intrusi uiderentur. Quippe sub prætextu assiduorum obsequiorū, breui tempore effecerunt, ut Rex ab incolis, & incolæ à Rege penitus dissentirent, omnemq;, amorem, & gratiam, quam Sueones à principio in Albertum ostenderant, publico odio commutarēt. Cum enim ad utilitatem, honestatemq; Alberti spectasset, ut Sueonum proceres in summa eius gratia, quē tot uitæ periculis in regni solio collocauerant, uersarentur, atque ex ipsorum consilio omnia Reipub. negotia iudicaret: hi tamen extranei homines, rerum Gothicarum penitus ignari, eò Regem perfidissimis consilijs abduxerunt, ut nulla publica negotia per regni senatores, sed omnia per priuata suorū Teutonum iudicia decerneret, & exequeretur: castra omnia, & munitiora loca, officiaq; publica suis Teutonicis assignaret. Preterea Sueones, & Gothi suas causas coram Rege, uel eius iudicibus dicturi, cachinnis, & improperijs, imò non rarò uerberibus excipiebantur, atque sine omni consolatione reijciebantur. Nobilissimæ quoq; uirgines, & uiduæ, sæpè in extraneorum, & indignissimorum coniugium consentire cogebantur: quos etiam Albertus suos consanguineos appellauit, ut digni haberentur illustrissimo matrimonio decorari. De quibus posteà compertum erat, quòd essent cerdonum, & uilium hominum filij.

Interea regni proceres non secus ac uilia mancipia æstimati, prædia, & possessiones suas uenditabant, ut Regi in bellicis negotijs, quæ continuè contra Danos promouit, inseruirēt. Tributa quoq;, quæ ijdem imprudentes Regis consiliarij sine intermissione incolis imponebant, grauissima, & intolerabilia erant, nullumq; finem habebant: uidenturq; Sueticæ historiæ magno consensu affirmare, quòd nunquam antea à principio regni tanta fuisset uiolentia in Sueones irrogata, quantam sub hoc Alberto sustinuerunt: quod non personæ eius sed perfidissimis consiliarijs eius iustius ascripserim: qui cùm possent sua marsupia infarcire, & maxima munera suis cognatis transmittere, nihil prorsus curabant, an Rex gloriosus, an infamis remaneret. Tandem postquam talium hominum tyrannide ita euacuatum esset regnum, quod antea fortunatissimum fuerat, ut nusquam alicuius auri, uel argenti uestigium appareret, coactus est Rex uim & uiolentiā suis subditis inferre, quos tenebatur ab omni aliorum ui, atq; iniuria liberos conseruare. Contractis siquidem ad publica comitia Pontificibus, proceribus, & omnibus, qui in regno prædia possidebant, quodlibet tertium præ-

um prædium ab eis pro ſua curia ſuſtentanda poſtulabat, ſtatimq́; ſine cõſenſu poſſeſſorum omnia, quæ uoluit, nullo ſeruato numero, occupauit. Ob quam quidem intolerabilem uiolentiam Magnus Store atauus meus iterum exul effectus eſt: & quemadmodum olim ab iniquo Rege Magno Smeech in numero 24. procerum (quorum ſuperius memini) proſcriptus fuerat, atq; in Magnopolim diſceſſerat, ita nunc nonnullis regni nobilioribus ſociatus in Pruſsiam à facie crudelis Alberti euaſit: ubi à Pruſsiæ Magiſtro, & ordine Teutonicorũ, totius inſulæ Gotlandiæ, quam conſenſu Alberti obtinebant, præfecturam aſſecutus eſt: in qua non multis annis ſuperuiuens, in fata conceſsit. Hanc igitur Alberti temeritatem, ſiue tyrannidem cum Noruegiæ, & Daniæ Regina Margareta Regis Haquini relicta comperiſſet, mox ſuorum prudentum conſilio uſa, nuntios, & literas quantocyus, & quàm occultiſsimè ad Sueonum proceres mittere curauit, quibus eos diligenter, & aſsiduè monebat, ut priſtinæ libertatis memores, nequaquam paterentur, ſe ab hominibus Teutonicis tam iniuſtè opprimi, & ad ignominioſam ſeruitutem redactos conculcari: ſed ſe uiros ad arma natos meminerint, cogitarentq́; honeſtius eſſe glorioſa morte occumbere, quàm ſeruituti, turpitudiniq́; ſuccumbere: nec dubitarent, quin ipſa eos à præſenti tyrannorum iugo potenter, & celeriter eriperet, ſi eam in regni Principem aſſumere uellent, quemadmodũ maritus eius uerus Suetici regni hæres ante mortem declaratus fuiſſet. Audiuerunt quidem Sueonum proceres has Margaretæ exhortationes, ſed plenam eis fidem adhibere nequiuerunt, in recenti memoria habentes, quomodo pater eius Valdemarus non parum cooperatus fuiſſet præſenti eorum infelicitati. Quocirca omnia extrema prius ſuſtinenda eſſe, quàm filiam malè meriti Principis in Reginam aſſumere uellent. Sunt tamen nonnulli inter eos reperti, qui quoduis aliud, quàm præſentem rerum ſtatum ſe pati poſſe putabant. Proinde relictis prædijs, & poſſeſsionibus, ſeſe ad eam uelocius, quàm felicius contulerunt. Albertus enim omnibus eorum bonis fiſco adiudicatis, non ſolum in eos, ſed in eorũ cognatos, & amicos ſeueritatem ſuam exercebat. Secutumq́; eſt domeſticum, & atrox bellum inter Regem, & totam regni nobilitatem, quo tam Regis, quàm procerum uires uehementer extenuatæ fuerunt.

Interim uerò, dum Albertus ea domeſtica, & periculoſa diſcordia laboraret, eſſetq́; omnibus opibus penitus exhauſtus, permiſit ſibi à ſuis imprudentiſsimis conſiliarijs perſuaderi, ut potentiſsimæ Reginę Margaretæ (quæ iam Danicum regnum Noruegiano coniunxerat) bellum indiceret. Ad cuius executionem cum plurima pecunia indigeret, inſulam Gotlandiæ, Gothici regni partem, fratribus ordinis Teutonicorum tunc in Pruſsia regnantibus, pro uiginti millibus duplorum ducatorũ impignorauit. Sed Gothi, & Sueones ſummum dedecus exiſtimantes, tam præclaram inſulam à ſuo corpore auulſam eſſe, facta per ſingula ciuiũ capita contributione, ipſam poſtea redemerunt, & quamdiu concordes erant, retinuerunt. Ea igitur pecunia à Prutenico ordine accepta, Albertus magnum ex Saxonibus, & Holſaticis, ac ſuis Magnopolenſibus exercitum comparauit. Nec contentus erat gregarios milites in ſuam militiam conſcripſiſſe, ſed duces, comites, barones ſibi ex Germania aſſocians, uiſus eſt aureo hamo piſcari uelle. Enimuerò inter cæteros principes, qui ſe in eius militiam contulerant, fuere dux Stagardiæ, comes Rupinenſis, & comes Holſatię, quorum auxilio ſubnixus, putabat ſe de omnibus inimicis ſuis, etiam potentiſsimis, triumphum reportare poſſe. Sed deerat ei fauor, & auxilium propriorum ſubditorum, quorum uirtute omnes aduerſarias uirtutes procul dubio facilè ſuperaſſet. Proinde experiri cogebatur, longè aliud ad principum felicitatem requiri, quàm magnifica aſſentatorum uerba in conclaui audire. Cum enim annus à nato Chriſto M.CCC.LXXXVIII. ageretur, præualidum exercitum ex Suetia in Veſtrogothiam deduxit. Sed non dormierunt illi, contra quos tanta uis auri, & argenti in militare ſtipendium erogabatur. Margareta enim fœmineo ſexui uirilem animum inſerens, nullas prudentię partes ad imminens bellum proſperè gerendum neceſſarias omiſit, à prudentibus conſilia ſolicitè perquiſiuit: expertis, & in re militari diu uerſatis totam gerendi belli ſummam commiſit: magnifica ſtipendia omnibus fideliter certantibus promiſit, præfata ſe nihil enixius intendere, quam quòd Chriſtianus populus duro tyrannorum iugo nimis diu oppreſſus, in priſtinam libertatem reſtituatur. Verum quamuis militia ipſius, & fortiſsimæ militum copiæ, optimusq́; in exercitu ordo, & obſequẽdi promptitudo, certam uictoriam ei polliceri uiderentur, attamen maiorem, & certiorem ſpem ex illa pertinaci diſcordia inter Albertum, & ſubditos eius dudum ſuborta concepit, ſciens nullum Regem diu, & feliciter apud Sueones, & Gothos uiuere poſſe, niſi qui populari fauore, & auxilio conſeruetur. A quo cum Albertus, ob ſuorum conſiliariorum ſeueritatem, pridem excidiſſet, nihil dubitabat, quin à ſuis deſertus facilè ab externo hoſte uinceretur. Ad bellum igitur atrox, & cruentum, ac pertinaciſsimum, in Falonia Veſtrogothorum terra, in die Matthæi Apoſtoli uterq; exercitus deuenit: certatumq́; eſt diu, & acriter, donec ui-

ctoria, relictis Alberti partibus, ad Reginam inclinaretur. Tum ipse Rex cum Erico filio, & cæteris principibus, quos secum in pugnam duxerat, captiuatur, & ad Reginam in arcem Bohuss (quæ est inter Vestrogothos, & Noruegianos limitanea) deportatus, arctæ custodiæ per totum sequens septennium unà cum filio mancipatur. Assignatur autem locus carceris eius in arce Lindholm in terra Schoningianorum. Duces uerò, et comites, ac proceres, data ingenti pecuniæ summa, relaxari iubentur.

Cæterum captiuato Alberto, suborta est inter Gothos, & Sueones domestica, & periculosa discordia, quibusdam asserentibus, ad noui Regis electionem properandum esse, aut Margaretam regno præficiendam. Alij uerò (quorum sententia præualuit) constanter affirmabant, minimè honestum esse, Regi captiuo successorē assumere, quousq; diligentius eius causa examinaretur. Quocirca utrunq; regnum, Gothorum & Sueonum, toto septennio, quo Albertus captiuus detinebatur, Rege carens, infinitis calamitatibus ob domesticam dissensionem laborabat, donec ipse Albertus (teste Crantzio) Sueonibus scripsit, gratiasq; egit de fide ad extremum impleta: semper illi fuisse in animo uitam efflare, quàm ab illis discedere: nec dum posuisse spem ad illos aliquando meliore fortuna redeundi: nunc tempori cedendum, & necessitati. Quando non est altera uia perueniendi ad id, quod quæritur, tradant se Reginæ Margaretæ impræsentiarum, meliora futura tempora expectaturi, quando illos non pœnitebit seruatæ ad finem fidei. Interea uerò nullo existente Rege, qui inter dissidentes iudicaret, Sueones Teutonicis, Teutonici rursum Sueonibus captiuitatem Regis Alberti improperant. Teutonici nanq;, præsertim qui Magnopolenses erant, & qui Stocholmenses ciues erant, affirmabant ad Sueonum fidem spectasse, Regem à captiuitate præseruasse, aut captiuatum in libertatem restituere. Quibus illi responderunt, se nec consilium nec consensum suscipiendi belli præstitisse, imò ne semel in consilium uocatos fuisse. Proinde quorum temeritate Rex corruerat, eorum opera, & prudentia ad amissam felicitatem restituendus esset, maximè cum tota Suetici regni nobilitas per eius quæstores tantum extenuata esset, ut suæ ipsius libertati consulere nequiret. Sed quicquid Sueones pro sua iusta defensione adducebant, ita ab aduersa parte acceptum fuit, ut culpa malignorum consiliariorum, quibus Albertus seductus fuerat, ad innocentes patriæ incolas, præsertim nobiles transferretur, eoq; breui deueniretur, ut totus ducatus Magnopolensis, adiuuantibus Germaniæ principibus, grauissima bella in totam Suetiam, sicut in Daniam, et Noruegiam ob captiuitatem Alberti molirentur. Sed cum reliqua regna sub Margareta Principe fortissimè se tuerentur, & Suetia Regium præsidium non haberet, atq; ob præterita bella penitus extenuata esset, totam Teutonici belli molem in se conuersam experiebatur. Cursitabant enim Magnopolenses per totum regnum nullo resistente, uicosq;, & oppida, ac ciuitates, & quicquid obuium erat, incendio, direptionibus, & cędibus deuastabant. Accidit intereà ingentem incolarum multitudinem circa uillam, & ecclesiam Tillinge congregari, ut se, & patriam à tanta uiolentia liberaret: ac dum sine principe, & sine ordine rem difficilē aggrederetur, circumuenta ab hostibus superatur, & dissipatur. Estq; ab eo euentu nomen loco inditum, ut Mons rusticorum usq; in præsentem diem appellaretur. Sunt quoq; aliæ quàm plurimę, & abominandę iniurię Suetię incolis per ea tempora à Teutonicis irrogatę, quas ob rei indignitatem, & horrorem, prudens & sciens pretereo: attamen illam crudelissimam combustionem optimorum ciuium, quam Stocholmię perpetrarunt, silere non possum.

Est autem Stocholmia emporium regni Suetię celeberrimum, in quod ex omni gente, & natione, maximè autem ex Germania inferiori ciues conscribi consueuerunt: & inter eos non rarò miscentur illi, qui uel ob ęs alienum, uel turpe aliquod facinus in sua patria neque ant commorari. Hi crescentibus diuitijs, solent sępe naturam, quam paupertas occultauerat aperire, & patriæ, à qua benigna hospilitate excepti fuerant, extremam moliri perniciem, maximè quando Principem talem assequuntur, sub quo omne libitum licitum esse putauerint. Tales igitur Teutones in ciuitate Stocholmensi tempore Regis Alberti centum septuaginta inuenti fuerunt: qui occulta conspiratione colligati, se Cucullatos fratres appellitabant: creuitq; postea eorum numerus ultra mille quingentos. Horum studium pręcipuum erat, coniectis in Sueones, & indigenas conuitijs, ad rixas, & lites prouocare, ut demum apud Regem delatos uita, aut fortunis spoliarent. Nec paruus erat numerus illorum ciuium quos tali, tamq; maligno ingenio perdiderunt. Sunt enim Sueones ad uerbales iniurias omnium mortalium impatientissimi: confestim enim iniuriosa uerba uerberibus compensare solent. Origo autē, & fomentū tam impacabilis odij, ex nullo alio surrexit, nisi ex cōmercijs, quorum lucra alienigenę ad se solos transferre nitebantur, nulla facta ęstimatione reliquorum ciuiū, quibus maior aut certè ęqualis Reipublicę cura incūbebat. Erant autē inter cæteros Suetici generis mercatores centum septuaginta, qui non solùm magnitudine di-

uitiarum

uitiarum,ſed ſumma morum honeſtate maximam ſibi inter Sueones autoritatem compa rauerant,Hos totidem illi cucullati in libello deſignatos Regi Alberto occulte deferebant, aſſerentes,niſi ipſi quantocyus è medio uiuorum tollerentur,actum omnino eſſet de Teutonico nomine in ea ciuitate. Tum Albertus examinata quàm diligenter,& prudenter ſuorum Teutonum intentione,inuenit eos omnia querelarum capita ex calumnijs congeſsiſſe,nulloque iure contra Sueonum uitam, aut fortunas procedi poſſe. Quocirca contractis concione actoribus,oſtendit nequaquam decere,uel expedire,ut innocentes ciues ad mortem aut tormenta rapiantur;contra quos nulla legitima accuſatio hactenus fuerat inſtituta,quinpotius habenda eſſet Germanicæ nationis ratio,& honeſtas, ſimulq; perpendendum fuerit,quanta tragœdia ad poſteros tranſmitteretur, quando in huius terræ acta relatum inueniretur, Teutones regnum illud beneuolentia incolarum adeptos,tanta,& tam crudeli innocentum ciuium cæde cruentaſſe.His & ſimilibus uerbis Teutones à Rege iuſtè obiurgati abierunt. Sed in nullo animi ſui propoſitum remittentes,cogitabāt, etiam Dijs, hominibusq; inuitis eos,quos deſignauerant,penitus exterminare,etiam ſi ex eorum horrendo facinore non ſolum Germania, ſed tota Europa,imò totus orbis ſempiternam execrandi operis infamiam contrahere debuiſſet.

Interea Albertus(ut diximus)infeliciter pugnans captiuatur:& Teutones ab eius terrore liberi,conceptam animo feritatem ad opus diu optatum deducere cogitantes,conuenticula frequentius coëgerunt, in quibus denuò colligati, intermiſſa aliquantulum conuitia iterum Sueonibus in conuiuijs,& triuijs obijciebant. At Sueones futurum rati, ut poſt tot contumelias,& improperia,etiam extremam perniciem ab illis irrogatam aliquando paterentur:quocirca ſe mutua confœderatione confirmantes,ſtatuerunt ingratos aduenas à ſua Repub.penitus amouere. Sed non deerant eiſdem aduenis fraudes, & doli,quibus Sueonum ſimplicitati tunc,ut ſæpe antea,illuderent. Enimuerò coram ciuium multitudine comparentes, ſe multis modis excuſabant,& poſt multa excuſationis uerba iurabant, ſe nunquàm cōtra eos quicquam molituros,ſed perinde ac chariſsimis fratribus ſyncera fide cum eis conuerſaturos. Credidit Sueonum ſimplicitas,& armis depoſitis pepercit eis, à quibus mox crudeliter exterminanda erat. Quippe non longò poſt tempore tres ex ciuibus nobiliores,Petrus Alandus,Albertus Carſen,& Barollus Brhun,ab eis uincti,in arcem Stocholmenſem ſine omni iudicio præuio includuntur:clauesq; domorum,quibus eorum theſauri includebantut,ab ipſorum uxoribus uiolentius,quàm iuſtius eripiebantur. Quo comperto,iterum Sueones ad arma conſurgentes cum Teutonicis expoſtulabant, cur præter morem,& contra leges patriæ,tam honeſti ciues,& nuſquam malè meriti,captiui eſſent. Sed eadem calliditate,qua prius,pacati,imò illuſi,à uindicanda libertate deſtiterunt. Tum Teutones ulterioris moræ impatientes,uix elapſo biduo, totam ſuam multitudinem tam ex arce,quæ ab Alberto eorum cuſtodiæ relicta fuerat,quàm ex ciuitatis angulis, nocturno tempore in arma contraxerunt, & ductu cuiuſdam Alffi Greueradh Sueones imparatos adoriuntur. Captiuantur ſine reſpectu boni ciues patriæ ſuæ amantiſsimi, & in arcem ſine ulla cauſa deducuntur. Deinde,ut eos exquiſitis tormentorum generibus crudeliſsimè dilaniarent,aptant ex ligno ſerras,quibus eorum pręſtantiores ita uſque ad mortem tormentabant,ut magis ad horrorem tam crudelis facti ingemiſcere,quàm ſcribere queam.

His patratis,Alffus Greueradh cū præfecto arcis conuenit,ut reliqui ciues ſub medię noctis ſilentio ex arce per naues ad proximam inſulam Cheplingam portarētur: ubi primum inſigni ludibrio,deinde grauiſsimis tormētis affecti,poſtremò uiui in domo quadā incluſi, & uinculis alligati,ſuperiniecto igne combuſti fuerūt:maiore quidem numero,q̄ auſus fuerim affirmare. Fuit hæc inſignis,& crudeliſsima clades optimis profectò ciuibus contra omnem rationem & æquitatem,imò contra iuſiurandum,quod perditi aduenæ toties præſtiterant,irrogata,anno Chriſti M.CCC.LXXXIX.ipſa nocte,qua Chriſticolæ feſtum Corporis Chriſti celebrare conſueuerunt. In eadem autem hora,qua hæc fiebant, ſuboriebātur tot fulgura,tot coruſcationes,tot portentoſa tonitrua,tantaq; inundatio pluuiarū,ut ipſa ciuitas Stocholmenſis mox ſubmergēda crederetur. Hęc em̄ erat ea calamitas, cuius meminiſſe uidetur Albertus Crantzius in hunc modum ſcribens:Stocholm inſigne Suetiæ emporiū, inſigni clade afficiebatur. Nam de cœlo fulmine tactū penè totū conflagrauit: perierunt incendio mille ſexcenti homines. Miſerabilius quod ſequitur:Fœminę,proles,& ſine numero puellę,nauibus res ſuas inuexerunt cum paruulis: aderant quoq; uiri nō pauci. Sed priuſq; ſoluerent,ingruebat promiſcuum uulgus incendia declinans. Tanta itaq; multitudine naues(quāuis maximę)opplete fuerunt,ut omnis illa multitudo in ictu oculi ſubmergeretur. Res calamitoſa certè, & ſine exemplo,quando diuina maieſtas illam belluinam ſæuitiam contra innocentes perpetratam, tam ſeueriter in eiuſdem ciuitatis reliquias uindicaret.

Hinc ego uehementi, & iusto dolore commotus suadeo, ut, qui securi in ea ciuitate uiuerè uelint, nullos prorsus aduenas in numerum ciuium admittant, nisi longa cōsuetudine probatos, literisq́ꝫ suorum Principum, & Magistratuum ex omni parte cōmendatos: caueantq́ꝫ summoperè, ne eos ad mercimonia tractanda permittant, quos Principes, uel Magistratus Germaniæ ob commissa scelera, uel magnitudinem alieni æris proscripserant. Attendant quoqꝫ eius incolæ, ne sibi persuadeant illa peccata leuipendenda esse, quę nostris annis in diuinam maiestatem, & eius fideles ministros nimis audacter commiserāt. Temerarium quippe est, alienum seruum iudicare. Sed hæc alibi latius adducemus. Interea uerò cum Sueones & Gothi tam domi, quam foris intolerabili aduersitate laborarent, Margareta Noruegianorum & Danorum Regina, nullam, aut certe tenuissimam opem, quam promiserat, periclitantibus accommodabat, sed omnia Danicis consilijs subnixa dissimulabat, futurum rata, ut Teutonicis, & Sueonibus mutua cæde consumptis, ipsa nullo resistente prædam ex faucibus utriusqꝫ partis eriperet, ereptamq́ꝫ quietius possideret. Nec sua intentione decepta, imperium tandem supra eos mortuos assecuta est, quos uiuos aggredi formidasset. Sunt enim quandoqꝫ ipsi Dani ualde audaces in afflictos & desolatos, aduersaq́ꝫ fortuna laborantes, quemadmodum in illa clade Stocholmiana, quam Christiernus secundus anno Christi M.D.XX. peregit, latius explicare intendo.

Margareta igitur Haquini Regis Noruegiæ relicta, quæ pridem Daniæ regnum post paterna fata Noruegiæ coniunxerat, tandem ad Suetici regni sceptra (modo, quem nunc subijcio) peruenit. Quamuis enim spem habuerit, post captiuatum Albertum ad eius solium mox conscendendi, tamen seruata est integra fides Alberto toto septennio, quo captiuus detinebatur, donec à uinculis solutus Gothos & Sueones à præstitis sacramētis (teste Crantzio) absoluit. Itaqꝫ absoluti ab Alberti imperio Sueonum proceres, iterum deliberauerūt, an Margareta assumenda esset in Principem & Reginam. Multi profectò erant, qui eius assumptionem iustè damnantes affirmabant, tam ipsam, quàm patrem eius Valdemarum nusquam de Suetica Repub. bene meritos, sed continuis insidijs tam occultè, quàm manifestè eam semper impugnasse. Sed aderant pleriqꝫ in senatu regni, quorum consanguinei antea ob seueritatem Alberti ad ipsam confugerant, eiq́ꝫ non secus ac Reginæ fidem suam obstrinxerant: quorum præcipua opera effectum est, ut cedentibus melioribus cōsiliarijs, ipsa Sueonum & Gothorum Regina designatur, anno Christi M. CCC. XCV. qui septimus erat ab Alberti captiuitate. Conditiones autem plurimæ, & magnæ, ac summè necessariæ in eius assumptione per Sueonum proceres adiectæ fuerunt, quas illa promptius sigillis, & iuramentis confirm bat, quàm proponi poterant, aut nominari. Inter cætera autem cautum erat, ne publica regni officia, siue arces, & castella alijs, quàm in regno natis committerentur: neqꝫ Danos in causis Sueonum iudicandis præficere uellet, sed Sueonum controuersias Sueticorum procerum iudicio examinandas & terminandas esse. Præterea nulla insolita tributa, aut onera incolis imponenda, nisi regni Suetiæ senatu consentiente. Cęteraq́ꝫ omnia de patrijs legibus, & consuetudinibus obseruandis ita iurauit, ut si effectus par iuramento sequutus fuisset, nunquam Sueticæ Reipub. melius consultum fuisset.

Sed erant Dani, cum quibus Gothi, & Sueones negotium habebant, utpote homines, cum quibus à regnorum initio semper in controuersia fuerant. Eorum namqꝫ consilijs Margareta in omnibus obsecuta, nihil prorsus efficere curauit, quod tam liberaliter & magnificè promiserat: sed se talem apud Sueones (teste Sueonum historia) exhibuit, ut putent eam apud inferos sempiterno supplicio dignam, Dani uerò ipsam ita uenerētur, ut in numerum Dearum referendam affirment. Commisit quidem à principio regni sui arces & castra, officiaq́ꝫ publica Sueticis hominibus moderanda, sed cum hi eius inexplebilem auaritiam exatiare nequirent, confestim amouentur, & Dani (qui pecuniæ per fas & nefas congregandæ aptissimi erant) surrogantur: illis castra, illis præfecturæ, illis deniqꝫ ciuitates, oppida, magistratus committuntur, nulla alia ratione, nisi quia eos nouerat grauissimos & uersutissimos Suetici populi osores, atqꝫ ob id magis idoneos, ut ipsum euiscerarent, & dilaniarent. Insolitorum onerum, & tributorum nullus erat finis: tamq́ꝫ continuè & importunissimè exigebantur, quasi in singulis totius regni gurgustijs thesauri reconditi fuissent, aut instar pluuiæ pecunia de nubibus descendisset. Nulliqꝫ parti Reip. interim utiliter consulebatur, sed persuasum uidebatur Margaretę quæstoribus, quòd nihil aliud esset subiectos populos regere, q̄ꝫ ab eis pecunias et tributa extorquere. Inter cætera aūt grauissima onera, certam pecunię summam pro qualibet cauda iumentorum extorsit. Deinde imposito uno floreno ꝑ quolibet foco, per uniuersum regnum Suetię ingentē auri uim conflauit: ex cuius parte terrā Gotlandiæ ab ordine Teutonicorū in Prussia redemit. Pręterea eodē anno marcā unam Stocholmensem à quolibet cōiugio sine omni humanitatis respectu exegit. Cętera tributa,

quæ

quæ ſingulis menſibus & ſeptimanis extorquebantur, uix poterant numerari. Et hæc omnia ad releuandam Danorum auaritiam ex Suetia & Gothia emittebantur. Nec uiuos depauperaſſe contenta, etiam mortuorum teſtamenta irritans, ſe eorum fecit hæredem, quorum fortunas nunquam in uno ſaltem teruncio adauxiſſet. Nam inter cæteros mortuos, quos ea uiolentia affecit, erat Henricus Archiepiſcopus Vpſalenſis, qui uix ſepulturæ traditus eſt, antequam ingentem eius theſaurum, quem ad pia loca diſtribuerat, uiolenter, quamuis in Dania conſtituta eſſet, occupauit. Quo facto non tam defuncto Pontifici, quàm Chriſti pauperibus, quibus ea pecunia legata fuit, inſignem, imò impiam iniuriam irrogauit.

Videntes igitur Sueones ſe nihil feliciores fuiſſe in Danica muliere eligenda, quàm pridem in aſſumendo Alberto Teutonico, grauiter doluerunt uices ſuas, quod nunquam ad amiſſam libertatem reſpirare permitterentur. Quocirca Reginam ſupplices adeunt, rogantq; quàm ſyncerè, ut fidelium ſubditorum ſuorum rationem habeat, curetq; ea efficaciter ſeruare, quæ à principio liberaliter & magnificè promiſerat, literiſq;, & iureiurando ſeſe ita obligauerat, ut contrarium moliri non poſſet ſine publico dedecore, & enormiter læſo Regiæ maieſtatis honore. Proinde ſi quid eſſet in eiſdem literis, uel promiſsis hactenus omiſſum, emendetur, caſtraq;, & oppida, ac ciuitates, & terrę, ut à Sueonum proceribus regantur, efficere dignetur. Sed erat in ea Regina admodum exilis modeſtia. Enimuerò tali reſponſo generoſos proceres iuſtiſsima monentes excepit, ut apertè uideretur iuſiurandum pro ioco habuiſſe. Inquit enim: Habetis'ne uos literas noſtras optimè ſcriptas, & obſignatas? Habemus, inquiunt. Et illa rurſus reſpondit: Suadeo uobis, ut literas uobis datas diligenti cuſtodia obſeruetis: nos autem caſtra, ciuitates, & omnes regnorum noſtrorum partes diligentius obſeruari faciemus. Quo reſponſo ſatis perpendere potuerunt Suetiæ proceres, quid ſibi in reliquum tempus de Margaretæ regimine pollicerentur. Quid enim aliud ſunt Principes & Magiſtratus, poſtquam iuſiurandum ſponte uiolauerint, aut pro ioco habuerint, quàm prædones, & ſuorum ſubditorum hoſtes? Quid enim aliud habent fideles ſubditi, quo ſuorum principum licentiam à maleficijs reprimāt, quàm iuſiurandum? quod poſtquam prudentes uiri uiolatum uident, uolunt potius in perpetuo exilio, quam in patria tam periculoſa manere. Proinde nihil dubito, quin plurimi, et eximij uiri ſub ea Danica tempeſtate patriam exilio commutauerint, ſimiles illis effecti, qui peſtiferam auram declinantes, uitam à præſentiſsima morte eripiunt. Interea Margareta caſtella, & arces Sueticas non ſolum alienigenis aſsignauit, ſed grauiſsimis Reipub. hoſtibus, qui nuper innocentes ciues Stocholmenſes tam incredibili feritate combuſſerunt. Erant autem quatuor atrociſsimi piratæ, Sticho, Henricus, Albertus, Arnoldus, ex Magnopoli orti: qui paulo antea omnia Sueonum, Gothorumq; littora & portus deuaſtauerant, ferroq;, & flamma, ac cædibus deſolauerant. His Margareta, perinde ac ſi pro ea pugnauiſſent, quatuor arces ſigillatim tradens, non erubuit ciuibus iniuriam, & eorum hoſtibus gratiam oſtendere.

Præterea Anglis & Italis non ſolum arces, ſed & publica officia adminiſtranda commiſit. In omnibus autem negotijs ſuos Danos ita pręferebat, ut Teutones, & Gothi, ac Angli eorum comparatione abiecti, & uiliſsimi putarentur. Quidam tamen equeſtris ordinis uir Abraham Broderi natione Suecus, tantum ab ea dilectus erat, ut illi arces, & terras, quas optaret, continuò permitteret. Sacerdotiumq; prouentibus amplum ſub eius nomine in eccleſia Roſchildenſi inſtituit, quod præbendam Abrahæ appellari iuſsit. Nec deſunt teſtimonia, quibus oſtenditur, ipſam fuiſſe ſatis benigno animo erga eccleſiam Suecanam, quam prouentibus & priuilegijs auxit, & ampliauit: ea tamen gratia poſtea à proceribus regni Suetiæ odio Danici nominis caſſata fuit, & penitus ſublata. Proinde Sueones, cum omnia iuſta & honeſta media apud Reginam fruſtra attentaſſent, ad nouiſsima conſilia animum applicantes, cœperunt ſe mutuis exhortationibus ad recuperandam libertatem confortare: iamq; in proximo erat, ut ad arma, & ciuilia bella ex omnibus Sueonum & Gothorum angulis conſurgeretur. Quo comperto Dani, qui in præcipuo Margaretę conſilio uerſabantur, ſuadent, ut ipſa confeſtim mutato animi ſui inſtituto, contractis in concionem Sueonum proceribus, omnia feliciora polliceatur, caſtra optioni eorum exponat, nec quicquam in conditionibus ſuæ aſſumptionis appoſitum eſſet, quod ipſa nollet promptiſsimo eſſe ctui mancipare: & ſi unquam didicit uerba dare, tunc præcipuè ſeſe ad illud ſtudium accommodaret, ut bene perſuaſi abſcedant, putentq; ſe omnia ex uoto aſſecutos fuiſſe. Paruit prudens Regina conſiliarijs prudentiora, quàm efficaciora conſilia afferentibus: nec minora, quę ab eis audiuerat, præſentibus Sueonū ſenatoribus proponens inquit: Cōſideramus, uiri nobiles, hoc noſtrū imperiū uobis admodū graue uideri, eſſeq; in animis ueſtris firmiter cōſtitutū, aliquid in nos moliri uelle, ut uobis & Reip. ueſtrę melius, utiliusq; cōſulere ualeatis:


Statuimus

Statuimus igitur etiam nos nequaquam uelle uobis molestiam aliquam inferre, sed terras, castra, uillas, oppida, ciuitates, totum denique regnum uobis relinquere, atque in nostram Daniam, unde nobis origo est, remeare. Verũ quia sine Rege subsistere nequeatis, cogitauimus ad summum Reipub. uestrę decorem, utilitatemque spectare, ut nostrum ex sorore nepotem Ericum Pomeraniæ ducem, in Regem uestrum assumatis. Is enim in adolescentiæ suæ annis constitutus, apud uos educari, moribusque uestris assuefieri, atque uobiscũ perinde ac cum fratribus suis conuersari possit. Et ita hæc patria in suam pristinam libertatem sine cæde & sanguine facilius restituatur. Nos enim omnia ista pro uestræ Reipub. salute magis quàm pro nostra utilitate meditamur, temporaque docebunt, nos istis consilijs nostris uestræ libertati summopere consulere uoluisse.

His igitur auditis, ipsi proceres, etsi propositum ab armis assumendis reuocarẽt, attamen de consensu in nouellum Regem præstando plurimum perplexi, plane ignorabant, quomodo se à tam intricato negotio prudentius, meliusque expedirent. Volebant quidem Reginam (quam putabant aliud loqui, & aliud intendere) à suis ceruicibus amotam esse, non tam propter ipsam, quàm propter eius consiliarios ex Dania adductos, quos putabant ex inueterato odio omnia ad Sueonum desolationem consulere, & meditari. Volebant præterea alium quemuis rerum statum, quàm præsentem, à quo sibi nullum libertatis uestigium poterant polliceri. Volebant denique liberiorem eligendi Regis facultatem sibi permitti: sed erant tunc, quemadmodum nunc, nonnulli in regni Suetię senatu, ex commixto Suetico & Danico sanguine procreati, qui uel ob Danicam affinitatem, uel ob hæreditaria bona apud Danos situata, in Danicæ factionis partem felicius trahebantur, secumque alios, qui ex præteritis futura colligere nesciebant, aut non curabant, attraxerunt. Itaque factus est numerus senatorum rectius sentientium longè minor, quàm rei, de qua consulebatur, magnitudo requirebat. Quod cum Henricus Archiepiscopus Vpsalensis attenderet: Futurum est, inquit, ò generosi proceres, ut hæc nostra perniciosa controuersia nos, & uniuersum regnum miserabili, & diuturnę seruituti exponat. Sed quid curarent illi de publica incolarum salute, qui solam solius corporis sui curam agere didicerunt? Iam enim maior nobilium senatorũ pars, contempta Pontificum, & cæterorum procerum autoritate, cum Regina in assumẽdo Erico Pomerano cõsenserat: imò non solum Pontificum, sed diuinę legis autoritatem apertè contempsisse uidebatur, qua dictum est à Domino ad ipsum Mosem: Non poteris alterius gentis hominem Regem facere. Cui pręcepto per nos etiam superius adducto, si Gothi & Sueones hactenus diligentius paruissent, nequaquam in tot pericula seipsos, posterosque suos pręcipitassent, neque post Caligulas, tot Nerones, ac Domitianos tam temerè elegissent. Quis enim tam stupidę, tamque excęcatę mentis est, ut credat Danos, uel Teutones, siue alios quoscunque alienæ nationis principes ad Suetici regni sceptra aspirare, ut præcipuam intẽtionem habeant erga illius Reipub. utilitatem. Quinimò de augenda regni felicitate, & gloria, de erigendis ciuitatibus, de muniendis portubus, de instruendis populis, & similibus Regum officijs, semper fuerat ultima quæstio: at circa inexhaustas metallorum fodinas, circa augenda tributa, circa coaceruandas pecunias, circa extenuandas ciuium & incolarum fortunas, ne unquam seruituris iugum abijcere possint, pręcipua Principum cura uersari uidetur. Interea currente anno Christi M.CCCC.XII. Margareta omnium Aquilonarium regnorum Regina, post constitutam cum Holsatis pacem, cum ad Daniam nauigaret, contracta ex marino fœtore nausea, antequam ex naui egrederetur, occubuit.

De clypeis principum montibus Hangœ insculptis.

CAP. XXV.



QVantam olim Reges, ac Principes Gothorum de perpetuanda nobili fama, ac bellica claritate curã habuere, arma, signaque, & clypei eorum illustribus locis insculpta, ac posteris relicta euidenter ostendunt, præsertim in Ostrogothia, ac Vestrogothia, & Australi Finlandia, in magnifico portu Hangœ appellato: qui tam lætus, ac securus est, ut in toto Septentrionali mari, & forsitan amplo Oceano parem

parem non habeat,qui eidem ualeat comparari. Omnes enim undecunque nauigantes liberè recipit in suum sinũ,securéq; introrsum tam à tempestatibus, quàm hostili classe,sua naturali munitione(modo ipsi sibi deesse non uelint)protegit,& conseruat. Portus etenim iste in modum amplissimæ arcis in medijs montibus,ac uallibus amœnè situs est:habetq; in cautibus uetustissima heroum Gothorum ac Sueonum insignia,literato ordine,sed antiqua simplicitate insculpta, maximè ad ostendendum posteris,ibi olim classem pro regnorũ defensione contra quoscũq; hostiles insultus continua expeditione stationem tenuisse,atq; inde ad aperta arma,quoties opus fuerat,prodijsse. Hodieq; frequentius in eodem portu,ob similem causam,armatas classes tam Princeps,quàm nobiles habent, præsertim quia uicina loca omnia suppeditare possunt,quæ subitò requiri uidentur ad confœderatorum armatam classem:omniaq; in hostes contraria uerti,si perniciem structuri in hunc accesserint portum. Olim diuus Ericus Gothorum, Sueonumq; Rex, oblata pace,& cõtempta, Tauestos,Carelos,ac Bothnienses bellica classe,& equestri expeditione deuictos,ad fidem,& Christi religionem accelerare coëgit. Indocile enim genus barbarorum,nisi per arma ad iugum Christi cogi, uel pertrahi, uel inuitari non potuit:nimirum(ut Albertus Crantzius lib.9.cap.37.Vandaliæ refert)magnus est amor paternarum traditionum. Nam & Itali diu pertinaces erãt, hominum genus(ut sibi uidentur)omnium maximè ciuile,& honestum: quanta millia martyrum perdiderunt,priusquàm Christo crederent? In hoc portu Suetici Reges graui iniuria lacessiti,ultramarinis principibus classe instructa,uel instruenda hostilitatem indicere solent,pręsertim Ruthenis,seu Moscouitis,rursumq; in eodem portu sub æquis conditionibus eorundem principum nuntijs pacis fœdera pręscribere,& accipere consueuerunt. Quòd autem eo loco frequentius, quàm alio id fieri contingit,urget antiquata maiorũ obseruantia,qui illic in montibus impresserant insignia sua,ut eorũ perenni firmitate perspecta,quæ Reipub. utilia fore crediderint,posteris eodem unanimi consensu,& iuramento per arma, ac libertatem maiorum stabiliant obseruanda. Quibus autem armis,clypeisq; ueteres Gothi,Sueciq; sint intus,& extra patriam usi,signis pręsentibus aduerti poterit,imò & rationibus ostendi:leonem scilicet coronatum super tres aquas candidas in campo cœlestino colore impetuosè salientem,ac retrospicientem,olim habuere Gothi,atq; nunc habent solum originis inhabitantes:ut uincendo parcant, & retrospiciendo caueant,quàm citò salientes ab impetu cessant. Methodio tamẽ placet asserere,Gothorum Principes in exteris terris militantes, ac dominantes, ursam in uexillis habuisse. At ex eisdem Gothis ueluti parentibus originem trahentes,uarietate signorum secundum diuersitatem gentium distinguebantur: ut Cimbri tauro,Sclaui dracone,Gepidę nauicula, Alani, Burgundi, ac Sueui catto in militaribus signis,ut Plutarcho uidetur. Suecis autem,siue Sueonibus antiquitus erant arma,uidelicet duę uirgines coronatæ,aureo uestitu sese mutuò in uirenti sylua amplexantes,tanquam dearum nympharũ excellentiam in regione ostendentes. Nunc uerò Suecorum Principes tribus aureis coronis in campo cœlestini coloris,ob inscrutabilem dominiorum amplitudinem,magnifica bellorum gesta,& inexhaustam minerarum ubertatem,utuntur. Sunt & priuatorũ nobilium insignia mira uarietate distincta:similiter et urbium,ac prouinciarum,quatenus in bellicis expeditionibus pro patria,& legibus susceptis,tot hominum turbę distinctus ad unum tandem finem dirigantur,prout infrà de directione armatæ multitudinis diffusius erit ostendendum.

De Tauestis,Carelis & Bothniensibus deuictis,& ad fidem conuersis,Ioan. Mag.li.19.in uita Erici Balbi: quamuis eadem fermè de S.Erico abauo eius,cuius uita alibi describitur, referat.

Ericus,cognomento Blesus,uel Balbus,cùm à sanctorum Regum progenie, uidelicet à S.Erico abauo,à Canuto auo,& Erico patre descendisset,talem se in omnibus suis temporibus exhibuit,ut nullus omnino inter proceres,aut plebeios inueniretur,q nõ summo desi-

derio

derio terretur, ut ipse in auitum regnum sufficeretur. Quamuis enim impeditioris linguæ, et claudi incessus esset, tamen hos naturæ defectus tanta morum probitate compensabat, ut à Deo donatus potius, quàm per humanam electionem assumptus uideretur. Iustitiam cum clementia ita temperabat, ut in dubio relinqueretur, iustiórne, an clementior esset. Quippe ut neminem impune permisit innocentiam opprimere, ita neminem clementia dignum seuerius castigauit. Proinde inuenti sunt nonnulli in regno nobiles, qui ea eximia Regis modestia abutentes, contra eum insurgere tentauerunt: quorum præcipuas partes Folchongorum familia gerere non uerebatur, faciente illis animos illustrissimo matrimonio, quo eorum dux & caput Canutus Helenam, sororem huius Regis Erici, in coniugem pridem acceperat. Erat enim in ipso Canuto magna dignitas formæ, præcipuaq; morum urbanitas, & admiranda prudentiæ, atq; eloquentiæ uis. Quocirca eius consanguinei paulatim incepere Regem claudum, & balbutientem contemnere, contemptoq; primùm occultas, deinde apertas insidias struere. Primi autem huius rebellionis autores, cum prædicto Canuto fuere alij duo nepotes Erici, quos optimus, & modestissimus uir Nicolaus de Tofftra ex eius sorore Merita procreauerat, & cum eis quidam Holingerus magnæ nobilitatis uir, qui magis casu, quàm proposito in illam rebellem societatem creditur consensisse. Hi igitur collecto undiq; prægrandi exercitu, Regem nihil minus quàm bella ciuilia cogitantem, circa uillam Alastrem anno Christi M.C C X X I X. adoriuntur: fitq; atrox, & cruentissima pugna: in qua Ericus superatus, extra Suetiam effugatur, & Canutus à suæ factionis hominibus Rex salutatur. Sed diuturnus esse nequiuit principatus scelere, & impietate quæsitus. Ericus enim, collectis apud Ostrogothos copijs, Suetiam repetit, magno atq; forti animo bellum restauraturus. Conueniunt utræq; acies circa uillam Sparsether, non longè à metropoli Vpsalensi, concurrũtq; infestissimis armis: & non minoribus animis res agitur, quàm solet inter eos, qui pertinacissimè pro aris, & focis, atq; ipsa uita decertant. Tandem post grauem stragem hinc inde acceptam, Canutus unà cum suæ temeritatis complicibus occubuit, iustam in se diuinæ ultionis potentiam expertus, qui potentiam suam contra benignissimi Regis innocentiam temerè extendere contendebat. Potitus hac uictoria Ericus, nihil seuerius in rebelles egit, nisi quòd quosdam suscitatæ rebellionis autores in aliorum terrorem occidi præcepit: in quorum numerum Holingerus iam nominatus, maiore sua imprudentia, quàm malitia incidit. Hunc Ericus ad Helsingos præcipiti fuga dilapsum, missis confestim militibus apprehendendum curauit. Deinde capite plexum honestissima sepultura in monasterio monialium (quod Scogh uocãt) non longè ab Vpsalia decorari præcepit. Quo facto, uisus est pius Rex nobilissimi uiri casum dolenter sustinuisse: estq; à pluribus creditum, hunc Holingerum magis ob alienam, quàm propriam culpam perijsse, & ob id miracula ad eius sepulchrum, in testimoniũ innocenter actę uitę, aliquando increbuisse.

Superatis itaq; domesticis, & extraneis hostibus, Ericus concessam diuinitus pacem, ad augendum summi Dei honorem conuertere cupiens, cogitabat Tauestiæ incolis bellum inferre, qui non solùm Sueonibus, sed fidei Christianæ graues, & intolerabiles hostes imminebant. Ad hoc quoq; tam necessarium negotium, continuas preces adhibuit prudens, & optimus Archiepiscopus Vpsalensis Iarlerus, siue (ut alij dicunt) Olaus, Iarleri antecessor. Qui cum esset huius Regis Erici consanguineus, omnes ingenij sui uires ad hoc pridem intenderat, ut sopitis periculosis procerum controuersijs, in Regem assumeretur, securusq; regni gubernacula possideret. Deinde non quieuit, donec eius potenti, & efficaci opera interueniente, infinitas animas diabolica fraude deceptas, ad ouile Christi perductas uideret. Moturus igitur iustus Rex iustum bellum contra Christi hostes, ducem toti exercitui pręfecit Birgerum Ierl Ostrogotum, à Bielbo cognominatum. Qui cùm tertiam sororem Regis in coniugio haberet, atq; ex ea magnę spei filios, Valdemarum & Magnum, postea Reges, suscitasset, maximam in toto regno, hoc est, secundam post Regem autoritatem habebat. Erat pręterea in rebus gerendis, atq; in militari exercitio instructissimus, utpote qui non solùm ob generis nobilitatem, sed ob eximiam morum probitatem, ad Regiam affinitatem peruenisset. Quocirca paratis omnibus ad nauale, atq; terrestre bellum necessarijs, classem Tauestię litoribus prospero uento aduexit: statimq; erectis signis, hostes pertinacissimè resistentes, aggrediuntur. Paratissimos nanq; inuenerunt, quos imparatos obrui posse sperabant. Commissa demum pugna, Sueones uictoriam non incruentam assecuti, legem uictis pręscripserunt, ut si pagana superstitione abiecta, Christi fidem acceptarent, nec in uita, nec in bouis periclitarentur: alioquin nec uita, nec bonis deinceps potirentur. Assumpta est conditio à compluribus, qui non solum Christi fidem integro pectore admiserunt, sed regno Suetię fidelem subiectionem iureiurando promiserũt, eamq; hactenus tam incorruptè pręstiterant, ut & optimi Christiani, & fidelissimi erga Suetię Principes semper fuerant ęstimati:

ti:



ti:digni profectò, quòd à Regijs præfectis, & terrarum dominis minus, quàm modò fit, gra-
uarentur. Erecta est eodem tempore in eadem terra arx fortissima, quam Burgum Tauestiæ
uocant. Hanc prudentissimus dux Birgerus muris, & propugnaculis, ac præsidijs impositis
ita muniuit, ut omnibus persuasum esset, ipsam humanis uiribus uix expugnari posse. Sed
nec minor erat Iarleri Archiepiscopi Vpsalensis cura, quomodo Christi fidem in illis terris
inexpugnabilem redderet. Quocirca Thomã ecclesiæ Aboënsis Antistitem, siue eius pro-
ximum successorem, nouellæ fidei plantationi præficiens, effecit, ut populus ille non mi-
nus fidelis erga Deum, quàm erga Regẽ inueniretur. Interea uerò Ericus, dum sui pro Chri-
sto tam magnificè triumpharent, superara huius uitæ militia, regnum Sueonum regno cœ-
lorum felici commercio cõmutauit, anno à Christo nato M. CC. L. postquàm uiginti octo
annis cum summa laude regnasset, multaq; sui optimi regiminis testimonia ad posteros
transmisisset, inter quæ non infimum locum habent, quæ in concilio Scheningensi acta fue
re per Guilhelmum Cardinalem, & Episcopum Sabinensem, Summi Pontificis Gregorij
IX. legatum, pro restituendis moribus fidei Christianæ, tam ipso Rege, ac proceribus præ-
sentibus, & approbantibus, quàm Iarlero Archiepiscopo Vpsalensi cum omnibus coëpi-
scopis suis, ad omnia eiusdem Concilij decreta consentientibus. Quæ si hactenus æquè dili
genter obseruata fuissent, quemadmodum piè, & ad publicam concordiã instituta fuerunt,
non solùm Christianam Rempub. felicem haberemus, sed regnum ex omni parte beatũ ad
nostros successores trãsmitteremus. Prima intentio, & cura Cardinalis Sabinensis in eo con
cilio erat, reuocare Suecos & Gothos à schismate Græcorum, in quod presbyteri & sacerdo
tes ductis publicè uxoribus consensisse uidebantur: effecitq;, cooperantibus Rege Erico, &
Birgero duce, ut abiuratis coniugibus, & concubinis, cœlibatũ amplecterentur. Transgres-
sores uerò huius statuti omnibus prouẽtibus, & dignitatibus, & priuilegijs, & libertatibus
clericali ordini annexis priuauit, grauibusq; pœnis, & censuris, ac iudicio seculari subiecit.

De Crystallo & Magnete.
CAP. XXVI.



VEnerabile uerbum scripturæ est: Do
minus dat niuem sicut lanam, & ne-
bulam sicut cinerem spargit. Mittit crystal-
lum suam sicut bucellas, ante faciem frigo-
ris eius quis sustinebit? &c. Certè si liber
iste forsitan obscurissimus, claritate crystal
lina illustrari posset, neque sic sufficeret in
expositione uerborum præmissorum, eò
quòd omnia mysteriorum plena sunt, quæ
paucitate eorum meritò comprehẽdi pos-
sent. Dicitur: Qui dat niuem sicut lanam.
Nix (ut omnibus constare uidetur) è nubibus genita, latè, diffuseq; per omnia ca-
dens dilatatur. Lana autem sola Cyprica è frutice, seu sua planta ad hoc seminata,
& maturata decidens, uniuersum campum tegit, & dealbat, ut incolis appareat
quasi nix de cœlo descendens. Et hinc incolarum opulentissimus quæstus, qui in
totum diffunditur orbem, præsertim frigori subiectum, ob calorem fouendum,
uti uolucrum pennæ Indis pro tegumento naturæ, ac mitiori flatu reprimendi ca
loris deseruire uidetur. Quòd uero dicitur: Nebulam sicut cinerẽ spargit, parum-
per lib. 1. cap. 20. huius uoluminis de pruinis, & nebulis est respiciendum. Quòd
præterea: Mittit crystallum sicut bucellas, patet in fragmentis eius, quæ utiq; ma-
gnam habent quantitatem. Sed ob frangibilitatem buccellæ dicuntur, ut modica
cõtritione quasi inter molares dentes facillimè comminuantur. Vsus eius magis
apud antiquos erat, quàm modernos, præsertim in scrineis, & manubrijs gladio-
rum, prout cernitur in Cathedrali ecclesia Asloënsi regni Noruegiæ, ubi ensis insi
gnis Haquini Regis pro pulchro spectaculo reseruatur. Magnetes etiam in extre
mo Septentrionis ueluti montes, unde nautica directio cõstat, reperiuntur: quo-
rum etiam magnetum tam uehemens est operatio, ut certis lignis fagineis con-

iuncti, ea uertant in sui duritiem, & naturam attractiuam. Quòd uero superius lapides cernuntur quasi uolantes eijci, nemo non credit ob uim sulphureæ exhalationis, more bombardarum id fieri posse. Imò & magni cespites sine manibus præcisi, ad aëra eleuati in longinqua spatia proijciuntur.

De rupibus galeatis.
CAP. XXVII.



NAuigando à Germanico mari uersus Septentrionem tribus dietis, antequàm introitus appareat ad Regiam ciuitatem Holmensem regni Suetiæ, occurrit admirabilis portus lingua uulgari gentis Hielmsnabben, uel Elgxnabben appellatus, eò quòd onagri, qui Elga dicuntur, propter attractum suauis uenti eò currere consueuerunt: uel etiam quia montes, in quorum lateribus portus sunt, ita à natura formati uidentur, ut galeæ militares putentur incolæ: quasi ars non sufficeret in armis fabricandis, nisi & natura monstraret, quid bellicosis populis Aquilonem inhabitantibus conueniat in armorum tractatione. Sed reuera, uti potius is ob omnes uentos, & tempestates arcendas insignis est, ut uix similem in tota Europa habeat: ita et hostili sanguine respersus, ut ibidem quasi omnium Aquilonarium bellorum initium, medium, & finis inueniatur. Sæpe etenim classis hostilis, quæ uiolentia tempestatum in uasto mari uario Marte congredi non poterat, huc depulsa, uel inducias ab aduersario petere, uel ipsa sua sponte, uel simulatione cogitur offerre, uel ineuitabile mortis, aut captiuitatis discrimen inire: quò enim ut saluus euadat armatus non inuenit. Si enim littus, aut portum exierit, cæca saxa, rupesque minaces apparent: quæ eum leui motu in gurgitem, ut pacem præstet, immittunt. Si uerò in apertum mare exire uoluerit, obstat horrenda tempestas, ne uisu quidem ad ictum oculi toleranda: quia Aquilonaris, Orientalisque uentus, eo in loco totaliter est procellosus. Præterea tempore hostili terrarum incolæ subtrahunt littoralia signa, ne hostis accipiat tantillulum quidem spatium, ut effugiat pœnam: alioqui incessabili ferocia impetu facto, latronum classis, manusque impiorum hunc portum occuparet: ubi nihilominus classica bellorum præludia frequentius inchoari solent.

De angustijs portuum lapidosorum.
CAP. XXVIII.



SVnt præterea non exiguæ formidinis angusti exitus, & introitus æquoris Aquilonaris, præsertim ab aperto mari nauigando uersus Holmensem ciuitatem: quæ regia est, & insigniter à natura, ac arte munita, ut meritò trepidare cogantur aggressuri, quæ fides, uel fraus sit nautarum in imminentibus periculis prosperius exuperandis. Præcipuus tamen, & periculosior est locus Steendor, id est, porta lapidum appellatus, eò quòd arctis faucibus, & lunatis cornibus quoquouersum obliquatur: hoc est, quandoque per modum Scythic

thici arcus, quandoq; mucronis aspectu euitatur à nautis: in quibus longè periculosius, ob exortas densissimas nebulas, & caligines, errare contingit, quàm in amplissimo Oceano, suborta ualidissima tempestate. Nec procul ab eo sinu saxosæ rupes imminent sub aquis latitantes: in quas quicunq; inciderint, quasi uiui sepulchro teguntur. Nec silent annales Gothici, quondam in eisdem rupibus multa millia Germanorum, ac Danorum repentino descensu fuisse perempta. Magis nanq; præsumptuosa, quàm experta nauigatione saxeas has angustias sunt ingresi: ueluti etiam in alios sinus Septentrionales, qui non secus in mari nauigantibus apparent, quàm ingentissimę trabes eminentes in aquis, quæ solo aspectu territant inspectores: nomen ab euentu, causa, gestis, & natura (prout superius de irruptione aquarum eodem libro est ostensum) assumentes. Terribilioresq; hostibus piraticis uidentur, quàm acies aliquæ militaribus armis instructæ.

De scopulis lapidosis, & uia stricta.
CAP. XXIX.



SVnt insuper in littoribus Ostrogothorum, et Sueonum ingentia saxa, partim apparentia, partimq; latentia longissimo ordine, quasi scamna arte uel industria collocata, uulgariter Idebenckia nominata: super quæ infelicissimi naufragantes quandoque sedere solent: mihiq; nisi Deus in graui tempestate anno Domini M.D.XVII. opem tulisset, parata fuerunt. Vehementia enim uentorum nauis urgebàtur in ea latentia saxa: quæ uelut decliues muri oppidorum, uel castrorum longo tractu apparent. In quos lapides qui negligentia, uel ineuitabili tempestate inciderint, maximè hostiles classes auiditatem prædæ in littoralem populum (satis opulentum meditantes, profectò omnium infelicissimi reputabuntur, dum terra, mariq; horribilius, quàm in carcere circundantur inimicis. Terra quidem (quia fugientibus incolis cum armentis, pecudibus, ac supellectili, ob subitum hostilē incursum) fame, quæ omnibus hostilior est, & frigore omni tormento grauiore citissimè consumentur. Mari etiam, quoniam eo in loco (ut dictum est) sæuissima solet esse tempestas: à qua etiam si arte, & labore uelent euadere, naturæ tamen seueritati resistere non ualebunt. Vbique enim præter aëris impetum (ut dictum est) saxa, seu rupes, in acutum apicem instar turrium eleuata, periculum administrant: quæ arcuata flexilitate, & circuitu, spuma prodente, sagaciter sunt circumeunda. Solent in his locis strategematibus utentes bellicæ classis præfecti aliquot præliares naues, uel simulatas, ex industria tempore hostili signis inimicorum ornatis statuere, ut classis hostilis eisdem uisis, securius in periculum ruat. De quibus, quando uidelicet sic interceptæ sint inimicę naues, patriæ annales me tacente attestantur, atq; hostilia ossa in scopulos disiecta, diligentius quid cauendum sit, apertè demonstrant.

De torrentibus rapidis.
CAP. XXX.

TOrrentes rapidi quasi infiniti, præcipuè tempore resolutionis niuium, ac glacierum, post finem Aprilis in Septentrionalibus terris maximam ruinam indigenis afferentes reperiuntur. Suo etenim impetu, qui uehemens, & horridus est tam uillas, uicos, ædes, & pontes lapideos, quàm suffossas arte arbores, uel na-

turali propagine in terra radicatas rapiunt & exportant, quemadmodum de stagnorum irruptione superius alio casu fuerat enarratum. Qui torrentes iuxta impetuosam naturam suam nomen imprimunt urbibus, ac locis, ubi elabuntur: uti antiquissimum Ostrogothorum oppidum Scheningia dicitur ab amne, uel uerius torrente, qui ob rapidissimum cursum uulgariter Schena appellatur, quasi equus abiectis habenis ad omnem præcipitem cursum accensus. Præterea alteri fluuio non longè exinde distanti, à continuo stridore dentium nomen impositum est. Ita & rapido torrenti in prouincia Middelpadiæ, ut suprà dictum est, nomen nodi impositum est: quia instar nodorum crustata mole glacierum arbores compressas, imò & ingentissimos lapides in sui dissolutione secum impetuosissimè rapit, & portat: eoq; formidabilius hoc accidit, quò celerius prouincias, & populos terrere, atq; obruere solet. Qui transierant Forum Iulij à Germania usq; Venetias, quid huiusmodi aquarum impetus effecerit, aut facere soleat, sine hac superflua attestatione etiam à Tridentinis saltibus, & aquis apertissimo spectaculo agnoscent. Nec aliud remedium huius horrendæ depopulationis hactenus repertum est, quàm uiritim publica manu, collibusq; effossis aliorsum diuertere cursum: quem etsi Septentrionales populi in plerisq; locis auertunt, impetum tamen hunc sinunt, ut temerarium hostem catarrhactis adhibitis præcipiti ruina, laxatisq; nodis inuoluant. Licet autem superius nomina torrentibus ab infelici euentu imposita sint, ut alibi etiam dicetur de submersis Episcopis euangelizantibus, & sponsalibus ludis, & raptu uirginum: tamen prudentioribus placuit, ut à triumphis, & uictorijs, non à calamitatibus rei appellatio fieret.

De diuersis formis littoralium saxorum.
CAP. XXXI.



IN littoribus Ostrogothorũ, id est, Orientalium freti Brauiken dicti, ubi etiam torrens uehementissimus per oppidum Norcopense illabitur, uariæ admodum littoralium saxorum figuræ, quasi humana arte sculptæ, uel politæ forent, reperiuntur: quod procul dubio cœli, & elementorum secreto influxu fieri æstimatur. Quidam etenim horum lapidum formam capitis humani, manus, pedes, & digitos habent: non tamen integro corpore compaginatam, sed distinctione naturæ taliter expoliti. Gens autem illa talibus assueta spectaculis, nil hæc, & similia curat, nisi in quantum solidis eorum muris, & structuris poterint inseruire. Reperiuntur etiam in montibus longè à mari distantibus rupes naturali compagine, & rotunda concauitate formatę, ut maximum aliquod caldare æreum, uel thermarum concha putetur: prout uidere licet apud Ostrogothos in monte Ketilberg uulgariter dicto, (id est, Monte cacabi) prope ciuitatem Lincopensem: unde mihi origo est. Si Italica curiositas inde naturę antiquitates extrahere posset, certè non exiguo quæstu gauderet, quandò nulli, uel pauci satiantur in talibus inquirendis. Cernuntur etiam in multis uallibus montium infiniti lapides, globali formati figura, quantitate capitis uitulini, uel oui anserini, uel maioris, aut minoris: qui nulla artificum apposita arte bombardis aptantur. Item cotes plana longitudine repertæ illico bono usui applicantur. Similiter & petræ marmorei generis apud Vestrogothos tam uarij coloris, & quantitatis habentur, ut sine dolabris quasi sculptæ sepulchrorum usibus adaptentur, quemadmodum libro 12. dicetur de naturali



turali uarietate saxorum ad quasuis structuras applicandorum. Sunt & crystallini lapides non longè ab Ostrogothorum oppido Sudercopensi hexagona forma, quantitate pugillari, uel digitali dependentes: quorum splendore utiq; ad maiorem ornatum fabricari possent ædes, si incolæ plus attenderent ad pulchritudinem, quàm firmitatem. Imò perpendentes hostilem rabiem crudelius posse, & uelle, ob decorem structuræ, omnia deuastare, magis fortificant, quàm exornant quęuis ędificia sua: quamuis introrsum insigni curiositate communiter sunt ornata: sed præcipuè, ut infrà dicetur, micātibus armis, thoracibus scilicet, & galeis, ac clypeis: in quibus gens illa omnem existimat inesse decorem, quia magna pars tuendæ securitatis ex his dependet: licet aliqua sunt atro colore picata, ob rationes inferius de bellis asignandas.

De saxis gigantum, & scaturigine fontium. CAP. XXXII.



QVemadmodum superius libro primo dictum est de obeliscis gentilium, Regum, pugilum, & gigantum, quibus gesta eorum magnifica putabant fieri notissima perpetuæ posteritati, prout Saxo Sialandicus meminit de suo Regnero, Danorum Rege, qui quinquennali prælio contra Moscos, Russosq; in Aquilone commisso, res gestas reliquerit in rupibus altis, ne obliuione euanesceret, quod tot angustijs, & difficultatibus pro claritudine honoris sui perpetrasset: Ita & de compluribus Gothorum, Sueonumque Regibus, ac heroicis uiris, quorum adhuc magnitudo gestorum discernitur in eminentissimis locis Septentrionalium regionum. Inter quos præclarioris memoriæ recensentur, & æstimantur, qui curam bellicæ gloriæ sic moderati sunt, ut publicæ omnium commoditati profuisse uiderentur: qualis erat excellentissimus ille Rex Vbbo conditor antiquissimæ ciuitatis Vpsalensis, atq; Scarinus, et Ericus cum plerisq; alijs: quorum indelebilis memoria nedum in saxis campestribus, aut montanis conscripta uidetur, sed patrijs carminibus, ac musicis instrumentis celebrioribus locis, ac diebus sempiternis tripudijs continuatur. Horum nanq; fidelior cura fuit prouincialibus præfectis (pace ubiq; data) committere, ut præter arma etiam uenarum scaturigines præcipiti casu labentes, incolarum ministerio subderent molēdinis, aut necessarijs fontibus ad publicam utilitatem ubilibet construendis. Manant insuper ex rupibus multis in locis tam abundantes, & copiosi latices, ut naturæ, artisq; agilitate deducti, longo sed pulcherrimo aspectu 15. aut 30. aquea molendina reuoluant. Falonia Vesgothorum nobilis prouincia, ac populosa Helsingia, prout inferius de ferrarijs artificibus ostendetur, talia, tamq; commoda spectacula monstrant. Nec opus est à partibus Africanis, ubi aquarum penuria plurimę creaturę periclitantur, ad has frigidas regiones aduocare peritos aquæductores, eò quòd & nix perpetua, & amnes, ac fontes innumerabiles ubiq; reperiantur: imò & homines naturę indicijs tam sagaces, ut in superficie terrę infallibiliter prædicere ualeant, quot ulnis aut brachijs, seu pedibus suffossa terra effundet aquas, quorsumq; uenę curuantur, aut currunt.

Vetustißimorum Gothorum & Sueonum Regum, gubernationis tempus & rerum gestarum historia: ex Ioan. Mag. lib. 1.



Magogus Noë ex filio Iapheto nepos (teste Iosepho primo suarum antiquitatum lib. cap. 11.) Scythiæ gentis pater, & conditor erat: primumq; in ea Europæa Scythiæ parte, quæ nunc Finlandia uocatur, & Gothorum Regi Orientem siue Tanaim uersus hodie paret, imperabat: deinde, ut publica patriæ historiæ fides habet, trãsmisso Venedici maris sinu in Gothiam, Scandianæ peninsulæ partem, nauibus uectus, magnaq; populi multitudine sociatus, peruenit, & eas gẽtes ex suo nomine (ut autor est idem Iosephus) Magogas nominauit: quibus postea Græci Scytharum nomen imposuerunt. Complures quoq; Latinorum totam Scandiam, uti diximus, Scythico nomini attribuere: at patria lingua à gentis origine usq; in præsens, semper (ut paulò antè dictum est) Gethæ fuerãt nuncupati. Demum Latini, postquàm cum eis de imperio contendere cœperunt, ipsos frequentius Gothos uocare uoluerunt: quanquàm non raro promiscuo nomine nunc Gothi, nunc Gethæ, in Latinorum historijs appellentur, ut in contextu historiæ deducemus. Sed hoc loco considerandum puto, hunc Magogum alium fuisse ab eo Magogo, quem Berosus asseuerat à Nimbroto Babyloniorum Rege, siue Saturno, missum fuisse cum colonijs in Cœlosyriam, ibiq; regnum, & urbem Magogibi, id est, patriã Magog constituisse, circa annum a Noëtico diluuio centesimum septuagesimumquintum. Hic autem Gethicas terras, circa annos ab eodem diluuio octogintaocto, administrãdas ingressus est: nisi forsan, postquam ipse intra eas pluribus annis regnasset, regnáq; & Respub. pro illorum temporum ratione constituisset, tandem ad Nimbrotum & Cœlosyriam commigrasset, iuxta exemplum Noë et filiorum eius, qui (teste Beroso) nunc in Armenia, nunc ad ostia Tanais, postremò in Asia, Africa, & Italia consederunt. Necessarium quippe erat, ut illi humani generis Principes tan tam populi multitudinem, quæ sub Septentrione in immensum (ut modo ex Beroso colligebamus) creuerat, in uniuersam terram sæpius educere curarent.

Fuerunt huic Magogo quinq; filij: quorum primus Sueno, Sueonicæ gentis propagator fuit et rector: secundus uero Gethar, quem alij Gogum dixere, nomen suum Gethis, quibus præerat, adaptandum curauit: reliqui tres, Thor, German, Vbbo, fideli promptoq; obsequio fraternum illorum imperium coluere. Quocirca non multò minor eorum autoritas in subiectis populis erat, quàm si Reges designati fuissent. Neq; eo tempore formidandum erat, fraternæ gratiæ uinculum, aut iusiurandum, ob Principum pluralitatem, uel regnandi ambitionem, uiolatum iri: currebat enim tunc illa aurea innocentis uitæ ætas, quam uetustissimi historici & poëtæ, tot miris, summisq; laudibus extollunt.

Vbbo deinde, postquàm præterierant à diluuio uniuersali anni circiter ducenti quadragintasex, Suenone fratre fatis absumpto, principatum super Sueones adeptus est. Ab hoc Vbbone ante tempora Abrahæ ædificata est urbs Vpsalia: sic dicta à principio, quasi Vbbonis aula, siue quòd circa littora Salę fluuij situm obtineat: à qua etiam diuturno temporum cursu Sueonum Principes dici uoluerunt Reges Vpsalenses. Est ea urbs in amœno loco posita, non hominibus tantùm, & Principibus ac Regibus, sed summis Gothorum Pontificibus, & ipsis Dijs à principio dedicata.

Vbbone apud Vpsaliam defuncto, aliquot anni præterierunt, antequam illi in regno Sueonum succederet Siggo: qui opportuno loco ex suo nomine Sigtunam oppidum prope lacum Meler erigendum curauit, ut esset idoneum præsidium, quo barbari Estones, aut Finnones, siue aliȩ Orientales gentes à uastando agro Suetico arcerentur. Illo enim tempore, quemadmodum Assyriorum regnum sub Nino & Semiramide in omnes fermè Asiam extendebatur, ita Hyperborei, siue Scythici homines suam potentiam longe lateq; propagare conabantur. Qui si pares cum alijs regnis scriptores assecuti fuissent, nec Assyrijs, nec alijs potentissimis regnis, in rerum gestarum magnitudine inferiores haberentur. Nam cùm illis magna scriptorum ingenia obuenerint, per terrarum orbem facta ipsorum pro maximis celebrantur, & aliorum uirtus, qui maxima fecere, tanta, ut ait Sallustius, habetur, quantum eam uerbis potuere extollere pręclara ingenia. Nunc ad Siggonem reuertamur. Qui postquam subiectos sibi populos prudenter in bello & pace ad multos annos, utpote sexagintaquinque gubernasset, armisq; & legibus pręcipuam operam impendisset,

tandem

tandem longo senio apud Vpsalensem metropolim consumptus defecit, circa annum à diluuio quadringentesimum duodecimum.

Interea dum Sueonibus Siggo imperabat, Ericus in Gothorum Regem circa annum à diluuio trecentesimum quinquagesimum septimum eligitur. Hic Magogi ex filio Gogo siue Gothoro nepos, uel, ut alij dicunt, abnepos, non modò instituendis bonis moribus, uerum etiam patriæ charitate illustris euasit: siquidem iustas & salutares leges, quas ea ætas permisit, constituit, & quicquid ad conseruandum Gothicę Reipub. statum utile uidebatur, summo conatu præstare curauit. Enimuerò acceptum à patre siue auo regnum, tanta uirtute gubernauit, atque in remotas terras extendit, ut plerięq; nostri Historici hunc affirment non solum præcipuum, sed primum Regem fuisse Gothorum. Qui cùm usq; ad eius tempora uiuente adhuc Saruco auo ipsius Abrahæ, tantùm multiplicati essent, ut amplissima insula Scandiana (quamuis alter orbis dici posset) ipsorum infinitum numerum sustinere nequiret, iussa est à Rege Erico non parua eorum pars, qui auream ætatem hactenus currentem peruersis facinoribus uitiabant, uicinas ad occidentem solem insulas (quę longo pòst tempore Danicæ siue Cimbricæ dictę sunt) quærere, atq; in eis nouas sedes collocare. Itaq; noui illarum insularum incolę effecti, diu postquam ex terris Gothorum exierant (ut etiam ipsorum historiæ testantur) sine Rege ibi consederunt. Quippe ab hoc Erico usque ad Danum, quem suum primum Regem tempore Gedeonis Iudicis Israël fuisse affirmant, fluxerūt anni circiter sexcenti sexaginta: atq; interea Regibus Gothorum, siue Iudicibus ab eis constitutis paruerunt, donec Humelus Gothorum Rex (ut infrà dicemus) supradictum filium suum Danum eis Regem imposuit. Sed ad Ericum reuertar: de cuius præclaris facinoribus si copiosiorem notitiam haberem, facilè ostenderem eius regnū tantò gloriosius extitisse, quantò innocentius illud seculum nostris temporibus fuisse consideramus. Circumferuntur in tota patria ante publicum omnium conspectum carmina patrio sermone de eius gestis ab antiquissimo æuo ædita, in quibus præter cætera multa, sequentium uersuum sensus habetur.

ERICVS.

Primus in regnis Gethicis coronam
Regiam gessi, subijtq; Regis
Munus, & mores colui sereno
Principe dignos.

Horrui quicquid furor aut libido
Suasit, & nulli grauis aut molestus,
Sed probus, uiuens timui præesse
More tyranni.

Legibus iustis populos gubernans
Præfui: nullus pauor innocenteis
Terruit: iudex procul est iniquus
Me duce pulsus.

Daniæ regnum caruit colonis,
Donec illius regionis agros
Gotthicas gentes habitare iussi:
Sed sine Rege.

Non erant pauci populi rebelles,
Quos metus legum uetuit morari
Gotthica in terra, uel habere sedeis
Inter honestos.

His ego pulsis procul in remotas
Cimbricas terras, reliquis quietem
Præstiti firmam: nec erat timenda
Turba nefanda.

Iudices illis adhibens tributo
Subdidi iusto: nec erat potestas,
Qua iugo tali poterat resisti
Tempore multo,

Donec Humilo Gothico tyranno,
Natus est Danus similis parenti:
Qui dedit nomen titulumq; regni
Gentibus illis.

Non tamen Danos potuit tributo
Debito Gotthis liberare, quorum
Maximas uires metuebat ipse
Viribus impar.
Hinc satis iusta est ratio, coarctans
Danicos Reges, quòd in omne tempus
Gotthico Regi referant tributa,
Collaq; subdant.

De signis fontium cognoscendorum.
CAP. XXXIII.

Signa tamen cognoscendarum uenarum subtus terram scatentium Cassiodorus Magnus in fine lib. 3. Epist. Regis Gothorum Theoderici ponit, uirentium scilicet herbarum, ac proceritatem arborum uicinarum. Terris enim, quibus dulcis humor non longè subest, ubertas quorundam germinum semper arridet, ut est iuncus aquatilis, canna seu arundo leuis, rubus ualidus, salix lenta, populus uirens, & reliqua arborum genera: quæ tamen ultra naturam suam felici proceritate luxuriant. Sunt & alia huius artis indicia, cùm nocte adueniente lana sicca in terram ponitur iam prouisam, & rudi cacabo tecta relinquitur, tunc si aquæ proximitas arriserit, mane humida reperietur. Sole autem declarato, intuentur etiam magistri loca soliciti, & ubi supra terram minutissimarum uolitare spissitudinem conspexerint omnino muscarum, tunc promittunt læti facilè, quod quæritur, inueniri. Addunt etiam in columnæ speciem conspici quendam tenuissimum fumum: qui quanta fuerit altitudine porrectus ad summum, tanto in imum latices latêre cognoscunt: ut hoc sit mirabile, quòd per hæc, aliaq; signa diuersa mensura definita prædicitur, quanta profunditate quæsita monstretur. Prædicuntur etiam sapores aquarum, ut nec aspera dispendioso labore debeat quæri, nec dulcis, necessariaq; inhonora contemni. Aquę uerò, quę ad Orientem, Austrumq; prorumpunt, dulces, atq; perspicuas esse, & pro sua leuitate saluberrimas inueniri. In Septentrionem uerò, atque Occidentem quæcunq; manant, probari quidem nimis frigidas, sed crassitudine suæ grauitatis incommodas. In magno tamen pretio, & æstimatione aquæductores habentur, qui aquæductus inueniunt, ubi latices ponderosos arte leuare nouerint, qui ascendere non præualent per naturam. Igitur Arte leuatur onus, solatur Musa laborem.

LIBRI SECVNDI FINIS.

OLAI

OLAI MAGNI GOTHI ARCIEPISCOPI VPSALENSIS DE SVPERSTITIOSA CVLTVRA DAEmonum populorum Aquilonarium.

LIBER TERTIVS.

PRAEFATIO.



ECLARATVRVS Septentrionalis populi maximos errores circa inanem idolorum cultum, fallacijs dæmonum (seducta mortalium simplicitate, & antiquitate) introductos, uideo in primis necessarium fore, nonnihil ex uicinis regionibus, præsertim Lituania, quæ in charta mea Gothica inseritur, de eodem cultu fore præmittendum, quomodo hanc, sicuti omnem aliam gentem, inuidia, & astutia diaboli tot retroactis seculis in horrendis erroribus tenuerit captiuatam, donec recentioribus annis laudabili Polonorum Regum deuotione, ac industria, ad communionem Catholicæ fidei fuerat aduocata: in qua ut iugiter perseueret, incessabiliter ab optimo Deo est petendum. Hanc Lituaniam ducatum magnum dici existimo, quia amplissimus est, & opulentissimus in cæra, melle, armentis, & pellibus pretiosis magnus. Itidem est, quia equos, & magnanimos, ac strenuos bellatores habet. Magnus est, quia sæpius Tartaros, ac Moscos, ac Valachos acerrimis prælijs superatos eduxerat in triumphum. Magnus etiam, quia à dæmonum cultu liberatus maior adhuc fieri possit, præsertim syncera seruata concordia cum Polonis: & rursus exili discordia suborta, & non sedata, in minimam redigi potestatem, uel seruitutem. Sed nec exiguus est ducatus Finlandiæ Regi Suetiæ subiectæ: quæ olim etiam sub cultura dæmonum fascinata, Regio titulo, & potentia decorabatur: trecenta continens milliaria Germanica, seu Gothica in longitudine, ac in latitudine 60. qui ducatus Finlandiæ circa ànnos quadringentos in Australiori sua parte fuerat armis Regum Suetiæ, & Pontificum prædicatione uicinis Christicolis associatus.

De superstitiosa cultura Lituanorum paganorum.

CAP. I.



ALbertus Crantzius fidelis Germanorũ historicus, qui claruit M. D. & post eum Mechouita Polonus, asserunt hos Lituanos tempore paganismi, dum gentilitatis errore detinerentur, tria numina principaliter coluisse, ignẽ uidelicet, syluas, & serpentes. Ignem, quia omni sacrificio præfertur: uel ritu Persarum seducti, ignem ipsum Deum arbitrabantur, teste Herodoto: uel Aegyptiorum opinione ducti, qui persuasum habẽt, ignem animatam belluam esse, & omnia, quæ nascuntur, deuorare, & postquàm deuorando fuerit expleta, unà cum ipsa re deuorata emori. Syluas putabant sacras: omnesq; bestias more Aegyptiorum eas incolentes, deos existimabant, poëta referente:

Habitârunt dij quoq; syluas.

Imò & hac fiducia multę nationes ductæ, Reges, ac principes suos fatis exutos, ut uel dij fierent, uel inter deos eueherentur, combusserunt, aut in syluis, ac lucis aureo torque solenniter suspenderunt, quasi talibus sacrificijs laudem sceleris, ac mentiti numinis diuinitatem mererentur. Præterea serpentes ut sacros colebant dum nemini nocere uidebantur: ædium seruatores, atque penates existimantes, quales Thessali excelso sepeliunt tumulo, ut Herodotus lib. 2. asserit. Verùm hæc superstitiosa cultura etsi penitus sublata uidetur, reliquiæ tamen eius dęmonum instinctu in nonnullis secretis solitudinum ædibus perseuerat, sicuti in Septentrionalibus regnis Noruegiæ, ac Vermelandię. Ab eo tamen impio errore anno Domini M.CCCLXXXVI. prædicti Lituani purgati leguntur. Tunc enim fortissimus eorum princeps Iagello cum octo fratribus suis (teste Mechouita) ad fidem Christi peruenit: in qua adhuc hodierno tempore religiosis incrementis perseuerat. Meminit præterea historicus antedictus, in confinibus Lituanorum, ac Moscouitarum, statuam esse publico itinere impositam, quę patria lingua Zlotababa dicitur, id est, aurea uetula: quam singuli uiatores certis munusculis placant, etiamsi pili ualorem non excedant: alioquin suscepti itineris nullam habituri securitatem, prout superius lib. 2. cap. 23. de insula Virgine dictum est. Hoc idem Albertus Crantzius in Vandalia sua cum alijs portentosis miraculis attestatur.

De suppolarium hominum superstitiosa cultura.

CAP. II.



NEc extrema Septentrionis portio (quam plerique ob intentissima frigora inhabitabilem putant) immunis est à sacrilegis ritibus, culturaq; dæmoniorum statuto eorum tempore impendendis. Habent etenim gentes illæ syluestres (uti reliquæ orbis nationes, quę uidentur his ciuiliores) non exiles causas, quibus publicum errorem, & mentitam in rebus etiam friuolis diuinitatem quærant, & tueantur. Solem igitur toto ęstatis cursu eis lucentem adorant, gratias ei offerentes, quod lumen contra tenebras perpessas, & calorem contra immensa frigora adducit. Quę quantumcunq; intolerabilia uidentur, nunquàm tamen improperijs more quorundam Indorum execrantur, sed tantum dicunt: Hęc fatua, ac stulta sunt frigora, atque tenebrę mensuram excedentes &c. Simili etiam ratione lunam adorant, quia hyeme remoto sole continuè eius utuntur lumine: quo propter interlunium deficiente, sub lucidissimis stellis niuium candore clarius micantibus, quęcunque negotia sua etiam diurno tempore disponunt, ut infrà lib. 4. cap. 6. colligetur. Pretetea gentes illę suppolares stupidiore quodam errore dęmonum, illuduntur. Rubeum etenim pannum pertica, uel hasta sursum appensum attentis precationibus, & cultiore ritu uenerantur, diuinam quandam uirtutem, propter colorem rubeum animalium sanguini similem, eidem inesse putantes. Similiter quia eius inspectione arbitrantur se fortunatiores fore belluarum interemptores, earum sanguinem ebibentes, prout inferius dicetur de moribus Lappomannorũ. Quæ autẽ rubei coloris ratio in fatis hostilibus antiquitus seruabatur, Herodotus lib. 3. attestatur. Ait enim Veteri instituto naues omnes erãt rubrica delibutę &c. Quod ex oraculo Pythio asseruit, naues uidelicet esse ligneũ agmen, atq; eas rubeum legatũ habituras, tali, scilicet à cęteris hostibus distinctũ. Vir uafer adsit oportet, qui notet è ligno agmen,

legatumq;



legatum'q; rubentem. Ait etiam Plinius lib. 35. cap. 7. de coloribus clasſicis, quòd iuuat propugnatores ad mortem, aut certè cędem, ſpecioſè uehi. Quod forſitan in Germania attenditur, dum aliquo notabili delicto reperto conſules, ac magnates ſuppoſito rubeo panno capite plectuntur. Vult etiam Vopiſcus, rubeum colorem ornamentum eſſe ducalis dignitatis. Item quòd Romani rubeo colore triumphant, & Aethiopes ſacros dies honorant. Eſt etiam nonnullis gentibus Septentrionis mos, quicquid primo diei diluculo in cœlo, terra, uel aquis uiuum apparuerit, hoc ipſum uſq; crepuſculum eiuſdem diei pro numine fideliter adorare, utpote aues, animalia, piſces, ac ipſos ſerpentes, & uermes, et pręcipuè ceruum uolantem: quem ob cornua, quibus capita iuuenum exornantur, inter nobiliora reptilia honorant: ueluti apud Aegyptios ſcarabei, qui pilulas, & ſtercora uoluunt, teſte Herodoto, Strabone, ac Plinio: qui & aiunt, inſenſatos Aegyptios ad eam dementiam perueniſſe, ut bouem ſacram, crocodilum, canem, ouem, lupum, ſatyros, piſces, leonem, capram, hircum, murem, araneum, felem, accipitrem, et ibim deos putent, certiſq; ſacrificijs uenerentur: cauſas haudquaquàm conſentaneas (ut putant) afferentes. Quos uerò deos, imò dęmones, Gręca, Perſica, & Romana ſuperſtitio quondam coluerit, nemo, qui eorum autores, et annales legit, ignorat, prout latiſsimè in pluribus libris de ciuita. Dei meminit Auguſtinus: quem non pudet ueteris hiſtorię, & cultus ueritatem confiteri, ut ſpurco ritu, & cultu dęmonum detecto omnes incitet in cognitionem, & amorem unius ueri Dei, ad cuius imaginem omnes homines ſunt creati. Ne etiam pręదicti Septentrionales homines in conſpectu ſuorum numinum appareant uacui, certas oblationes ex oſsibus ſylueſtrium animalium & grandium cetorum, ac piſcium uenatione quęſitas faciunt: quæ tamen oſſa ęſtiuo tempore non incendunt (ne ſolis lumini, uel ardori uideantur illudere) ſed horrenda ſurgente hyeme ſub publica congreſsione pro honore dierum comburunt, eo ſacrificio debitam reuerentiam numinibus afferre credentes. Tanta gentium in rebus friuolis religio eſt. Nec uitio aſcribitur deos colere quomodo quis poſsit: & fortè mola falſa litare, qui non habent thura, ut Plin. in epiſt. ad T. Veſpaſi. De talibus etiam culturis Auguſti. lib. 8. cap. 23. plurima ad punctum ſcribit &c.

De tribus Dijs maioribus Gothorum.

CAP. III.



ERant apud ueteres Gothos paganos, quemadmodum clarè chariſsimus frater, & anteceſſor meus Ioannes Magnus Archiepiſcopus Vpſalēſis in principio ſuarum hiſtoriarum aſſerit, tres dij prima ueneratione obſeruati: quorum primus erat potentiſsimus Thor: qui in medio triclinio ſtrato puluinari colebatur: cuius hinc inde latera duo alia numina, Odhen uidelicet, & Frigga cingebant. Thor, inquiunt, præſidet in aëre tonans, & fulgurans, uentos, & nubes, ſerenitatē'q; gubernās, fruges adminiſtrans cū fructibus uniuerſis, peſteſq; tollens. Alter Odhen, hoc eſt fortior, bellis pręſidet, hominibus in hoſtes auxilia ſubminiſtrās: ipſi Thor à dextris collocatus: tāto opinionis fulgore clarus, ut ipſum nō ſecus, quàm datū mundo lumen omnes gentes amplecterentur, nec ullus orbis locus extaret (Saxone teſtāte) qui numinis eius potētię non pareret. Tertius Frigga pacē, uoluptatē'q; moderabatur: cuius etiā ſimulachrū turpitudinem ſexus pręſe ferebat: & ob id tantū apud Gothos, quantū Venus apud Romanos uenerabatur: diē'q; Veneris uſq; ad noſtra tēpora ſibi retinet conſecratū. Pingebatur gladio

dio,& arcu cum armis,quòd in illis terris uterq; sexus semper ad arma promptissimus esset. Thor autem cùm corona,& sceptro,ac 12. stellis designabatur: cuius magnitudini nihil digna æqualitate conferri posse existimatum est. Obtinuitq; diem hebdomadatim,imò & mensem primum totius anni,quem Ianuarium dicimus. Odhen uerò armatus sculpitur,uti Mars simili gẽtilium superstitione apud Romanos:diemq; obtinuit ęterna memoria suo nomini consecratum. Et quia uiuus tota Europa diuinitatis titulum, quòd nulli in arte militari cederet, assecutus fuisset:hinc euenisse creditur,ut Gothi(sicut Dion Grecus, Ablabius,& Iordanes testantur)Martem, quem deum belli putauit antiquitas,apud se dicerent progenitum,prout etiam asserit poëta:

Gradiuumq; patrem Gethicis qui præsidet armis.

Quem Gothi semper asperrima placauere cultura,morte scilicet captiuorum, opinantes bellorum præsidem aptius humano cruore placari,à quo uicissim omnem belligerandi industriam adeò perfectè didicerunt,ut deuictis Europæ,& Asiæ potentissimis imperijs,summum fortitudinis gradum reportarint.

De tribus Dijs minoribus.
CAP. IIII.



PRæter hos tres deos supradictos colebantur & alij complures: qui(ut ait Saxo) miranda præstigiarum machinatione callentes,obtentis simplicium animis, diuinitatis sibi fastigium arrogarunt. Quippe non solùm Gothos, uerumetiam omnes Aquilonares prouincias uanissimæ credulitatis laqueis circumuentas,ad cultus sibi pendendi studium concitantes, præcipuo suæ ludificationis contagio resperserunt. Adeò nanq; fallaciæ eorum effectus percrebuit,ut in ipsis cæteri quandam numinum potentiam uenerantes, eosq; deos, uel deorum complices autumantes, ueneficiorum autoribus solennia uota dependerent, & sacrilego errori respectum sacris debitum exhiberent. Inter quos quidam Methotin arte magica insignis,excellentem fictæ dignitatis opinionem sibi arripiens, simplicium hominum animos præstigiosæ artis fama seductos, ad præstigiosa libamenta sibi pendenda adduxit. Hic,cùm esset summus deorũ pontifex,sacrificia,cærimoniasq; ita distinxit,& ordinauit,ut discretus superûm cuiq; cultus,& libatio obseruaretur:asserens deorum offensas communibus sacrificijs, aut permixtis cærimonijs expiari non posse. Tandem sceleribus eius detectis, concursu populi occiditur:occisusq; pestifera cadaueris sui contagione plurimos perimẽs, tumulo extrahitur,ac palo infigitur,uti uanitatis suæ præstigia meruere. Froe quoq; deorum satrapa sedem haud procul ab Vpsala habuit:ubi ueterem litationis morem tot gentibus,ac seculis usurpatum,tristi,infandoq; piaculo mutauit. Siquidem humani generis hostias mactare aggressus,fœda superis libamenta persoluit. Cui tandem in numerum deorum relato,et quia deus sanguinis haberetur,furuę hostię immolabantur,lectisterniaq;,& ludi nocturni annuo feriarum circuitu(uti aliquando Romę Diti & Proserpinæ)consecrabantur. Vagnofthus, & Hadingus non impari æstimatione uenerabantur, quia præcipuam opem in arduis bellis promptius adhibere credebantur. Rosthicphum Finnonichum, quòd exquisitis præscientię studijs uiuus excelluisset,post fata in deorum societatem translatum crediderunt. Rostarus additur his: cuius stupenda immanitas humani sanguinis sacrificio ita placari uoluit, ut sibi illorum, quos cultores sui op-

pressuri

pressuri essent, animas dedicarent. Demum complures alij potentissimi Thoronis, aut Othini filij existimati, diuinis honoribus à populo donabantur, ac publico digni libamine censebantur. Quomodo autem, aut quibus artibus hi, similesq; tantam diuinitatis opinionem, cultumq; obtinuerint, uideatur inferius lib. 5. de gigantibus, & pugilibus cap. primo uersus finem. Sed nec deest Augustini testimonium de diuina stirpe talium deorum lib. 3. de Ciuita. Dei cap. 4.

De correptione minutorum Deorum.
CAP. V.



MAgna erat eo æuo inter Gothorum deos, & Byzantinos contentio, quisnam in alterutrum corrigēdi pœnam dictaret, uel faceret, si crimen pœna dignum in alternatiuis excessibus committeretur. Siquidem Byzantini dij maiores nobilitate criminis, non dignitate uirtutum Gothicos deos, si quando comperti fuissent diuinitatis gloriam aliquo nefario facinore maculasse, non solum deorum collegio submouere, uerùm etiam primatu eiectos, ac domestico honore, cultuq; spoliatos proscribere, & alijs pœnis afficere, autoritatem habebant: qua sępius seueriter usi fuisse traduntur, existimantes alicuius probrosi dei potentiam satius subruendam, quàm publicam religionem sacrilego exemplo profanari, ne ipsi pœnas alieno crimini debitas, in se translatas experirentur. Enimuerò compertum habebant, suæ diuinitatis cultores uulgatis comparium deorum criminibus obsequium contemptu, religionem ludibrio commutare sacra pro sacrilegio duci: statas, solennesq; cærimonias scenicorum ludorum loco æstimari. Itaq; submotis illis, alios in locum ipsorum sufficientes, facto ipso ostenderunt, se deos, ac Reges creandi, destituendiq; potestatem habere. Nec semper erat ea pœna perpetuò duratura, sed iuxta culpæ modum quædam annua, quædam triennalis, nonnulla uerò decennalis, aut prolixior: qua persoluta, dijs atrocitatem exilij miserantibus, ad pristini fulgoris gloriam redierunt, maximè quando superioris infamiæ squalorem medij temporis interuallum euacuasset. Accidit etiam aliquando (inquit Saxo) quòd illi, qui scenicis artibus, aut alijs difformibus operibus impediti essent, quominus amissum diuinitatis honorem recuperare, aut de nouo assequi possent: summos deorum nunc adulando, nunc præmijs permulcendo, diuinæ maiestatis fortunā pecunia emercarentur, & ad honores, quibus aliàs inepti essent, ingentis summæ pretio aditum obtinuerunt. Quod si quanti emerint, scire uoles, illos interroga, qui quanti ueneat diuinitas didicerunt. Hoc tamen uerum esse scias, quod Tertullianus de Laribus scripsit: Qui magis tributarij fuerant, magis sancti habebantur: imò qui magis sancti, magis tribuarij erant, ne liceret deos esse gratis. Nec mirum uideri debeat, tantum ualuisse in hac gente talium deorum opinionem, quandò apud Aegyptios Græcos, & Romanos omnium prudentissimos, indignæ fabulæ colerentur, templisq; honorarentur, utpote Iupiter, Saturnus, Mars, Mercurius, uti Augu st. lib. 6. de ciuita Dei cap. 9. latius asserit: quos fuisse mortales homines & ipsis Gothicis dijs sceleratiores, atq; quorum sepulchra sciebant, omnemq; uitam præcedentem infamiæ, & turpitudinis fuisse plenissimam. Ait enim Lactan. lib. 1. cap. 10. Apollinem stupratorem, & occisorem fuisse. Martem adulterum, & homicidam: Castorem, & Pollucem raptores omnium miserrimos: Mercurium nebulonem, furem, et defraudatorem: Iouem parricidam, non expectata morte decrepiti senis:

præterea ſtupratorem, & in naturam uerum adulterij commiſſorem. Et hi ſunt dij quorum ſtatuæ, & ſolennis memoria adhuc in ſublimibus aulis pluſquàm religioſa ueneratione coluntur. Meminit etiam Plinius lib. 30. cap. 11. magnam partem Aegypti ſcarabeum pilulas uoluentem inter numina colere ritu curioſo. Etiam Strabo lib. 17. aſſerit, eoſdem Aegyptios canem, cattum, murem, & cætera coluiſſe: quorum fœda cadauera rectius horruiſſent.

De magnifico templo Deorum Septentrionalium.

CAP. VI.



CVm ferè totus orbis olim innumeris ſuperſtitionibus dæmonum inſtinctu ubiq; illuderetur, non incōgruum putaui adhuc euidenter oſtēdere, quibus locis Gothica, ſeu Suetica, ac Septentrionalis natio pagana ſuperſtitione ſeducta paruerit idolis inſenſatis: ut agnoſcatur multa loca ſicuti dæmoniorum genera fuiſſe, quibus indebitus cultus offerebatur. Templum igitur (de quo & chariſsimus frater, & anteceſſor meus D. Ioannes Archiepiſcopus Vpſalenſis lib. 1. hiſto. meminit) nobiliſsimū à tempore Nini prope fluuium Sala erat: ubi hodie Vpſala Sueonū, ac Gothorum Primatialis, & Archiepiſcopalis ſedes eſt. Quod adeò magnifico apparatu constructum uenerabatur, ut nihil in eius parietibus, laquearijs, aut columnis, niſi auro ſplendidum uideretur. Tectum præterea totum auro fulgebat: à quo aurea catena dependens totum templum ad mœnia, domuſq; faſtigia cinxiſſe memoratur. Quo factum erat ut templum in ampla planitie ſitum, admirando ſui fulgore uenerandam religionis maieſtatem acceſſuris ingeneraret. Aſtabat eius foribus arbor ingens ignoti generis patulis diffuſa ramis, æſtate & hyeme iuxta uirens: non tamen de earū arborum genere, quæ ſuapte natura, ut laurus, oliua, palma & myrtus uirere uidentur: quin in Aquilone nulla unquam oliua, uel laurus, niſi in paruo frutice pro ſpectaculo Vaſtenis exurgere uiſa eſt. Eratq; fons huic templo propinquus, qui ſcaturijt in locum ſacrificiorum: de quo mox infrà dicetur. Et hæc ſufficiant exteris nationibus de tali ritu Gothorum nonnihil uanitatis intellexiſſe. Nunc rurſus Aquilonaribus indicare congruit, quòd ſoli illi irretiti, uel illuſi non fuerint hac uanitate. Quantum igitur ad arbores ſemper uirentes facit, Plin. lib. 16. cap. 20. uidetur plures afferre rationes: ſed potiſsimum lib 15. cap. 29. de Quirini, id eſt, Romuli delubro diffuſius aliquid dicit, uidelicet fatidicas fuiſſe duas arbores myrti ante ędem ipſam Veneris: quarum altera patritia, altera plebeia erat appellata. Patritia multis annis præualuit, flacceſcente plebeia, exuberans & læta: quandiu Senatus quoq; floruerit, illa uigens. Plebeia torrida, ac ſqualida: quæ poſtquàm eualuit flacceſcente patritia Marſico bello, languida autoritas patrum facta eſt, ac paulatim in ſterilitatē emarcuit maieſtas. Quin & ara uetus Veneri Myrteæ, quam Murciam uocant, conſecrata erat. Imò & multiplici ſuperſtitione alijs numinibus magnificentiſsima templa poſuere ueteres pagani: quos tamen homines fuiſſe compertum habebant: uti templum in Aegypto Serapi, & Iſidi: quæ ex Græcia ueniens, Aegyptios literas docuit. Præterea aliud templum in Creta Ioui: quem Optimum dixere, dum fuiſſet inceſtor in ſuis, impudicus in extraneis: qui etiam nunc arietis, nunc tauri, nunc pueri, nunc cigni, nunc aquilæ, nunc ſerpentis effigie

tis effigie depingebatur, tanquam omnium spurcissimorum scelerum formam, et testimonium repræsentans. Item & in alio loco erat templum Romuli, siue Quirini Romæ: ubi lupæ uetustissimum simulachrum erat ubera lactanda præbens: cuius gustu fratricidium postmodum est secutum. Templũ Fauni apud Latinos quod futura quibusdam signis, non uoce prædixit. Præterea apud Athenas templum Mineruæ: & exinde apud Samum templum Iunonis: & apud Paphum templum Veneris: & alia infinita idolorum templa. Quantę magnificentię fuerit templum Dianę Ephesinæ, Plin. lib. 36. cap. 14. clarius manifestat: qui & lib. 2. cap. 7. irridet omnium mortalium miseram superbiam, quæ tot pudendis monstris etiam digito gestatis, totis præcordijs famulatur: ita sese astringentes, ut non matrimonia, non liberos, nõ deniq; aliud quicquam, nisi talibus iubentibus dijs diligant. Alij fortunam rebus prosperis blandientem honorant, eamq; rursus diris execrationibus aduerso surgente fato condemnant: & ita euenit, ut Isido. lib. 8. Etimo. dicit, quòd omnis fingendi locus uacat, ubi ueritas cessat. Sed turpissimum erat talibus dijs parare templa, quales nunquàm decet mortales homines inueniri. Nunc autem Deo propitio fatendum est, eo in loco, scilicet Vpsaliæ, perpetuis temporibus, die præsertim 19. Maij, diuinæ religionis ad populum quasi innumerabilem, præsente Rege, ac principibus, & nobilibus utriusque sexus, fieri Catholicas prædicationes: ubi olim tot, ac tam impiæ factæ sunt spurcitiæ, & abominationes, ac hominum imò charorum parentum, & amicorum mactationes.

De Idolatria populorum Septentrionalium, & Magnifico apud Vpsaliam templo. Ioan. Mag. lib. 1.

Tandem postquam mortuo Erico optima illa aurei seculi tempora nimis celeri cursu pręcesserant, res Sueonum, quæ bono inchoata fuere principio, in deterius dilabi cœperunt: & demum euolutis à diluuio quadringentis annis, ad impium idolorum cultum corruerunt. Erat (uti diximus) in eorum patribus & atauis, pietas erga Deum incorrupta, ingens atq; infatigabile uirtutis studium, innocentia ubiq; secura, nusquam uiolentiæ, nusquam iniuriæ locus, iustitia omnium animos constantissimo fœdere continebat: sed obrepens paulatim humanę mentis corruptio, aut omnes uirtutes, aut certè maximam earum partem euertit: diuinæq; maiestatis cultus ab ipso Noë (teste Beroso) per manus traditus, qui primum omnium curari debuit, neglectus est. Proinde neglecta Diuinitas, neglexit eos à quibus negligebatur: ipsos tradidit, aut tradi permisit, in reprobum sensum, & in ipsum idolatriæ horrendum crimen: à quo quantus scelerum cumulus in uniuersum orbem effluxerit, nullæ historiæ silent. Sed dicat hic fortasse quispiam, non esse operæpretium, aliqua quantumuis magna & præclara Gentilium facinora recensere: quòd certè mihi persuaderi permitterem, nisi lex historiæ, quam conscribendam suscepi, me ad eorum narrationem traduxisset, cum non sit omnino inutile homini Christiano paganæ superstitionis studia considerare, ut pura mente gratias agat diuinæ miserationi, per quam nouit se à tanto errore atq; æterna miseria liberatum, simulq; ingemiscat sua opera (cum sit in filium Dei adoptatus) Ethnicorum uirtutibus sæpenumero superari. Proinde aperiendum hic sentio, quibus numinibus Gothica natio pagana superstitione seducta paruerit. Quæ unà cum Sueonibus, & omnibus adiacentibus prouincijs, templum quoddam nobilissimum, ab antiquissimo tempore in hac Vpsalia adeò magnifico apparatu constructum uenerabatur, ut nihil in eius parietibus laquearibus & columnis nisi aurum splendere uideretur. Tectum prætereà totum auro fulgebat, à quo aurea catena dependens, totum templum domusq; fastigia cinxisse memoratur. Quo factum erat, ut templum in ampla planitie situm, admirando sui fulgore uenerandam religionis maiestatem accessuris præberet. Astabat eius foribus arbor ingens ignoti generis, patulis diffusa ramis, æstate & hyeme iuxtà uirens.

In hoc templo Thorus tanquam potentissimus & summus omnium Deorum, in medio triclinio strato puluinari colebatur: cuius magnitudini nihil diuinarum humanarumúe rerum digna æqualitate conferri posse existimatum est. Erat in capite eius corona, & in manu sceptrum, atq; in circuitu duodecim stellæ: unde admonebantur cultores credere ipsum esse Iouem Auxurum, hoc est, imberbem uel Ioui similem, qui in aëre præsidens, tonitrua, fulgura, uentos, & nubes, serenitatemq; gubernans, agrorum fœcunditatem cum fructibus uniuersis subministraret: cuius patrocinio credebant se à perniciosis syderum influxibus,

& tempestatibus, atq; à pestilentia & fame præseruari, frugibusq; & omnium bonorum affluentia beari. Quapropter omnes Aquilonarium regnorum Principes & populi Numen illud mira pietate uenerantes, diem unum (quem Latini diem Iouis appellant) per singulas hebdomadas eius cultui & nomini dedicatum obseruabant. Quæ nominatio etiam ad nostram ætatem, relicta pagana superstitione, perseuerat. Primumq; anni mensem, quem alij Ianuarium uocant, nostri mensem Thoronis appellant. Præterea coruscationes, fulmina & tonitrua, similesq; syderum motus, fragorem Thoronis appellãt: plurimiq; Gothorum nostra ætate Thorones nominantur. Cingebant latera huius supremi Numinis alij duo Dij, Othinus & Frigga, quorum simulachra perinde ac comparium Deorum maiestas exigere uidebatur, utrinq; collocata fuerũt. Othini siquidem statua à dextris posita Martem ipsum aureis armis fulgentem expressit. Viuens enim Othinus tanto opinionis fulgore (ut ait Saxo Danicus) cunctis terrarum partibus innitebatur, ut ipsum nõ secus, quàm datũ mundo lumen omnes gentes amplecterentur, nec ullus orbis locus extaret, qui numinis eius potentiæ non pareret. Cuius præsidium Gothi aduersus omnem bellorum impetum sufficere credẽtes, ipsum incredibili ueneratione prosecuti, diem Mercurij in eius honorem æterna commemoratione consecrauerunt. Et quia uiuus in tota Europa diuinitatis titulum, quòd nulli in arte militari cederet, assecutus fuisset, hinc euenisse credo, ut Gothi (quemadmodum testatur Dion Græcus, Ablabius, & Iordanes, Gothicarum rerum scriptores) Martem, quem Deum belli putauit antiquitas, apud se dicerent Primogenitum: quod insignis Poëta non ignorabat, cùm diceret:

Gradiuumq; patrem Geticis qui præsidet armis.

Quem Gothi semper asperrima placauere cultura, morte scilicet captiuorum, opinantes bellorum præsidem aptius humano cruore placari, à quo uicissim omnem belligerandi industriam adeò perfectè didicisse uidebantur, ut deuictis Europæ & Asiæ potentissimis imperijs, summum fortitudinis gradum sint assecuti. Simulachrũ Friggę tertio loco positum, ut amorum gratiarumq;, ita pulchritudinis, delitiarum, nuptiarum & uoluptatum omnium Dea credebatur. Et ob id tantum apud Gothos, quantum Venus apud Romanos ueneratа, diem Veneris usq; ad nostram ætatem sibi consecratum habet, certasq; stellas in cœlo à maioribus nostris Colum & Fusum Friggę nominatas accepimus. Præterea pingebatur gladio & arcu armata, quòd in illis terris uterq; sexus semper in arma promptissimus esset. Quippe non solùm Aquilonares uiri, uerumetiam mulieres & uirgines, olim omnia penè temporum momenta ad excolendam militiam conferebant, ne uirtutis neruos luxurię contagione hebetari paterentur.

De sacris, & sacrificijs Gothorum.

CAP. VII.



ERat olim in sacrificijs Gothorum, ut in historia Sueonum Gothorumque lib. 1. capite 12. comprehenditur, numeri nouenarij obseruatio admodum acceptæ: fortè quia Pythagorica philosophia (quam à Salmoxe, & Diceneo didicerant) monuerit, numerum imparem in omnibus præponi oportere. Et quamuis dijs suis summum cultum hebdomodatim, & quotidie exhiberent: tamen omni nono mense solenniorem uenerationem ipsis impendentes, nouem dies sacrificijs ritè, ac religiosè absoluendis tribuerunt: singulisq; diebus nouem animantium genera immolabant: quibus etiam humanas hostias adiungebant. At post nouendium per summam totius regni celebritatem templum Vpsaliæ antedictum frequentissimo incolarum accessu uisitabatur: ibiq; nouendialibus ferijs, & præscripto sacrificiorum numero dijs libamenta ad aram, mactabantur. Homo autem, quem sors immolandum obtulerat, in fontem, qui ad locum sacrificiorum scaturiebat, uiuus immergebatur: qui si facilè efflaret animam, faustum renuntiauere sacerdotes uotum: moxq; inde ereptum in

uicinum nemus, quod ſacrum credebant, ſuſpendentes, inter deos translatū affirmabant. Quo factum erat, ut beatum ſe crederet, qui ea immolatione è uiuis excederet. Accidit nonnunquam Reges ipſos ſimili ſorte delectos uictimari. Quod quia fauſtiſsimum regno libamen æſtimabatur, totius populi multitudo cū ſumma congratulatione tam inſignem uictimam proſequebatur. Enimuerò ſic defunctos non omnino mori, ſed tam illos, quàm ſeipſos immortales eſſe perſuaſum habebant: maxime ex Salmoxe, Zenta, Diceneo, ut Dion, Ablabius, Iordanes, Strabo, & alij referunt: qui & aſſerunt, Gothos multis rationibus excellentius ſapientiæ ſtuduiſſe: ideoq́ opinionem de immortalitate animę induiſſe, quòd (ut ait Herodotus lib. 4.) ſe mori non putantes dicerent, eos qui uita functi eſſent, in alium quempiam locum amœniorem demigrare. In quo deum quendam Bleyxen preſidere affirmabant: ad quem aſsiduè præter ſuperius expreſſum modum cum naue quinq́ remigum nuntium quempiam ex ſeipſis ſorte delectum mittebant, præcipientes, ut ea, quibus indigerent, à liberalitate numinis impetrarent. Modus mittendi nuntij is erat. Quidam eorum aliquot lanceas acutas in altum tenebant: ſuper quas alij ipſum, qui deſtinandus erat, manibus pedibusq́ correptum inijciebant: qui ſi ſtatim cadens extinguebatur, propitium ſibi deum arbitrabātur, quòd nuntium facilè exceperit. Si autem ſecus accidiſſet, ipſum nuntium inſimulabant malum eſſe uirum, qui indignus eſſet ad deos deſtinari. Itaq́ eo abiecto, alium mittebant, dantes adhuc uiuenti mandata, quæ apud ipſum numen proſequatur. Deinde præmiſſa iactatione extinctum marinæ uoragini opera eorundem quinque remigum tradiderunt. O miſerę deceptionis errorem, tale numen colere, quod hōminum morte placabatur, ut Caſsiodorus in epiſtolis ait. Simile habet Strabo libro 11. & Herodot. lib. 4. Aſſerit etiam Plin. libro 5. cap. 25. quòd Romani crediderunt animam Cæſaris, uiſo cometa, inter ſydera poni: ſicq́ cometa Romæ colebatur in templo. De cultura etiam deorum in luco Plin. libro 12. cap. 1. nonnullas cauſas adducit.

De ſacris & ſacrificijs Gothorum: ex Ioan. Mag. lib. 1.

Hactenus de Dijs, nunc de Sacrificijs & Sacerdotibus eorum pauca dicemus. Erat olim in ſacrificijs Gothorum numeri nouenarij obſeruatio admodum accepta: fortè quia Pythagorica philoſophia monuerit numerum imparem, qualis hic eſt, qui ex ter tribus conſurgit, in omnibus præponi oportere. Ea enim Septentrionalium religio multum ex Pythagoricis traditionibus aucta commemoratur, tam per Salmoxem, quàm per alios eiuſdem eruditionis Philoſophos, de quibus infrà dicendum erit. Et quamuis Dijs ſuis ſummum cultum ſingulis hebdomadis, & quotidie exhiberent, tamen omni menſe ſolenniorem uenerationem ipſis impendentes, nouem dies ſacrificijs ritè ac religioſè abſoluendis tribuerunt, ſingulisq́ diebus nouem animantium genera immolabant: quibus etiam totidem humanas hoſtias adiungebant. Ac poſt nouendium, per ſummam totius regni celebritatem, templum illud Vpſalenſe frequentiſsimo incolarum acceſſu uiſitabatur, ibiq́ nouendialibus ferijs, & præſcripto ſacrificiorum numero, Dijs hoſtiæ ad aram mactabantur: homo autem quem ſors immolādum obtulerat, in fontem qui ad locum ſacrificiorum ſcaturiebat, uiuus immergebatur: qui ſi facilè efflaret animam, fauſtum renuntiabant ſacerdotes uotū, moxq́ inde ereptum, in uicinum nemus (quod ſacrum credebant) ſuſpendentes, inter Deos translatum affirmabant. Quo factum erat, ut beatum ſe crederet, qui ea immolatione excederet è uita. Accidit nonnunquam Reges ipſos eadem ſorte delectos immolari. Quod quia fauſtiſſimum regno ſacrificium æſtimabatur, totius populi multitudo ſumma gratulatione tam inſignem uictimam proſequebatur. Enimuero ſic defunctos nequaquam mori, ſed tam illos, quàm ſeipſos immortales eſſe perſuaſum habebant.

De ſuperſtitionibus Gothorum circa tonitrua.

CAP. VIII.

PRæterea tam obſtinatiſsimo animo deorum ſuorum cultum (ut etiam in eadem hiſto. Gothorum & Sucon. lib. 1. cap. 12. habetur) obſeruabant, ut conci-



tato in nubibus fragore, sagittas ex arcubus in aëra excutientes, ostenderent se opem afferre uelle dijs suis: quos tunc ab alijs oppugnari putabant. Nec ea temeraria superstitione cōtenti, inusitati ponderis malleos (quos Iouiales uocabant) ingenti ære complexos, magnaq; religione cultos, ad eum usum habebant, ut per eos tanquam per Claudiana tonitrua, & per usitatam rerum similitudinem, cœli fragores (quos malleis cieri credebant) exprimerēt, tantiq; sonitus uim fabrilium speciem imitantes, deorum suorum bellis sic adesse admodum religiosum existimarēt. Durabat is Iouialium malleorum usus usq; ad annum à Christo nato M. C. XXX. cum Magnus Gothorum Rex Christianæ disciplinæ studio paganam superstitionē perosus, & fanum cultu, & Iouem insignibus spoliare sanctitatis loco habuit: qui propterea ad multa tempora à Gothis perinde ac cœlestium spoliorum sacrilegus raptor reputatus est. Solebant etiam Gothi processuri in prælium, equos ad aras immolare: quorũ abscissa capita, contisq; excepta, subiectis stipitibus distentos faucium rictus ante acies præferebant. Nec tantũ uictimas ante bellum, uerumetiam post superatos hostes hostias immolabāt, magnificosq; ludos in honorem deorum faciebant: in quibus effœminati corporum motus, scenicíq; mimorum plausus, ac mollia nolarum, siue ærium crepitacula ostendebantur. Hæc, & alia eximia sacrificiorum genera potissimùm faciebant, ut dijs iuuantibus nulla bellorum ui superari possent. Adeò eis arma in desiderio, & continuo usu erant, ut reliqua omnia humana studia nequicquam comparanda rei militari putarent. Præerant his sacris disparium graduum sacerdotes, Pontifices, Archiflamines, Flamines, Salij, Augures: quorũ primis, utpote Pontificibus, permissa erat par cum Regibus potestas, tantaq; autoritas, ut quicquid illi uel suaderent, uel iuberent, quasi de cœlo sonuisset, mox ipse Rex, & populus alacres exequerentur. Instruxerunt gentem plurima sapientia, selegerunt sacerdotes, religionem fundauerunt. Testatur Dion Græcus, huic genti nulla ætate defuisse Pontifices, qui eos in sapientia erudirent. Erat quoq; inter eos genus Pontificũ illustrius, quos Pileatos, & Pios uocauerunt: ex quibus Reges, & sacerdotes sibi cooptabant, prout Iordanes latius prosequitur: qui dicit, eos uocari Pios, & exire solitos urbium portas cum citharis, & uestibus candidis obuiam suis Gothis triumphantibus, ut deos placarent.

De superstitionibus Gothorum circa tonitrua.

Sunt graues autores asseuerantes Gothos multis nationibus excellentius sapientiæ studuisse, ideoq; opinionem de animæ immortalitate induisse, quia (ut ait Herodotus) se mori non putantes, dicerent eos qui uita functi essent, in alium quempiam locum amœniorem demigrare, in quo Deum quendam Bleixen præsidere affirmabant, ad quem assiduè præter superius expressum modum, cum naue quinq; remigum nuntiũ quempiam ex seipsis sorte delectũ mittebant, præcipientes ut ea quibus indigerēt, à liberalitate Numinis impetrarēt, quemadmodum infrà dicemus. Præterea tam obstinatissimo animo Deorum suorum cultum obseruabant, ut concitato in nubibus fragore, sagittas ex arcubus in aëra excutientes, ostenderent se opem afferre uelle Dijs suis, quos tunc ab alijs oppugnari putabant. Nec ea temeraria superstitione contenti, inusitati ponderis malleos quos Iouiales uocabant) ingenti ęre cōplexos, magnaq; religione cultos, ad eum usum habebant, ut per eos tanq; per Claudiana tonitrua, & per usitatam rerum similitudinem, cœli fragores, quos malleis cieri credebant, exprimerent, tantiq; sonitus uim fabriliũ specie imitātes, Deorũ suorũ bellis sic adesse admodum religiosum existimarent. Durabat is Iouialium malleorũ usus usq; ad annum à

Christo



Christo nato millesimum centesimum trigesimũ, cum Magnus Gothorũ Rex Christianę disciplinæ studio paganam superstitionem perosus, & fanũ cultu, & Ioue insignibus spoliare sanctitatis loco habuit: qui propterea ad multa tempora à Gothis perinde ac cœlestium spoliorum sacrilegus raptor reputatus est. Solebant etiam Gothi processuri in pręliũ, equos ad aras immolare, quorũ abscissa capita, contisq; excepta, subiectis stipitibus distĕtos faucium rictus ante acies pręferebãt. Nec tantum uictimas ante bellum, uerumetiam post superatos hostes hostias immolabant, magnificosq; ludos in honorē Deorũ faciebant, in quibus effœminati corporum motus, sceniciq; mimorum plausus, ac mollia nolarum siue æriũm crepitacula ostentabantur. Hęc & alia eximia sacrificiorum genera potissimum faciebant, ut Dijs iuuantibus nulla bellorum ui superari possent: adeò eis arma in desiderio, & continuo usu erant, ut reliqua omnia humana studia nequicq; comparanda rei militari putarēt. Pręerant his sacris disparium graduum sacerdotes, Pontifices, Archiflamines, Flamines, Salij, Augures: quorum primis, utpote Pontificibus, permissa erat par cum Regibus potestas, tãtaq; autoritas, ut quicquid illi uel suaderent, uel iuberent, quasi de cœlo sonuisset: mox ipse Rex & populus alacres exequerentur. Instruxerũt gentem plurima sapientia, selegerunt sacerdotes religionem fundauerunt. Testatur Dion Græcus, huic genti nulla ætate defuisse Pontifices qui eos in sapientia erudirent. Erat quoq; inter eos genus Pontificum illustrius, quos Pileatos & Pios uocauerunt, ex quibus Reges & sacerdotes sibi cooptabãt, quod inferius subnectemus. Sed nunc ad fata Regis Erici, quæ circa annos à diluuio quadringentos uiginti quinque inciderunt, reuersi, inueniemus, quod post ipsa tam Sueonum quam Gothorum Respub. uario modo uacillare cœpit. Quippe non existente Regum Gothiæ & Suetiæ concordia, qua tanta gentium multitudo in tranquillitate & pace contineretur, domi perniciosa discordia, & impia idolorum cultura, de qua diximus, foris importuna hostilitas inualuit. Idq; multo tempore, & cum summa omnium incolarum iactura, annis ferè quadringentis. Reges autem Gothorum, qui in medio tempore & successiuè regnasse memorantur hi sunt, Vddo, Alo, Othen, Carolus, Biorno, Gethar, Gert: quorum sola nomina ad meam notitiam ex publicis annalibus peruenerunt. Sueones uero ab eis diuisi sub Iudicibus magnam illorum seculorum partem egisse dicuntur.

De impugnatione Deorum.

CAP. IX.



RVrsus in aliam deuenere stultitiam, & superstitionem, ut se deos bellicis eorum expeditionibus non fauentes, aut non iuuantes, diuersis armorum generibus contra cœlum extensis putarint opprimere posse, uel minis & terroribus, ut imperata facerent, coërcere. Et hoc inaniter facientes, existimabant se non minoris potentiæ in terra timendos, uenerãdosue fore, quàm hos apud superos, uel inferos collocatos. Sed non aduertunt uetus prouerbium Gothorum, Ne proijciendus sit contus in cœlũ, unde densior remittitur claua. Quàm uerò stultũ sit talia pręsumere, adducendus est testis Augustinus lib. 10. cap. 11. de ciuita. asserens, Herculē, cum apud Locrēses quiesceret, iussisse deum ut cicadas strepentes cōpesceret. Sic & Crœsus missis Lydis iussit uincula, & compedes (teste Herodo. lib. 1.) Delphico deo ad limen templi eorum, cum comminatione quòd illi non faueret, imponi: responsumq; suscepit, Sortem fato destinatam effugere non posse: quia quintæ retroactæ ætatis crimen abaui dolo dominum proprium interficiētis, luere oporteret. Quibus intellectis, non dei, sed suam culpam agnouit. Sic & Pheron Rex oculis & cæcitate percussus est, quia admisso facinore spiculum in fluuij Aegyptij, medios uortices supra 18. cubitos ascendentes contorsit. Sic Xerxes, ob ruptos ingenti tempestate longissimos pontes septem stadiorum, grauiter indignatus iussit trecenta Hellesponto uerbera infligi, & in eius pelagus par compedum demitti. Demum missis nuntijs præcepit, ut illi quoq; stigmata inurerent, ac collaphos infligerent, seu incuterent, dicendo barba

ra uerba, ac uesana: ea forsitan forma: O amara aqua, dominus hāc tibi irrogat pœnam, quòd eum lęsisti, qui de te nihil mali meritus erat. Te tamen Rex Xerxes, uelis nolisúe, trāsmittit: meritoq; nemo hominum tibi sacrificat, ut doloso pariter & amaro flumini. Imò eis, qui pontibus construendis præpositi erant, caput præscindi iussit, ingrata mercede tantos recompensando labores. Alij uero architecti, ne simili pœna plecterentur, biremes triremesqúe 360. uersus Pontem Euxinum composuere, & ab alio latere trecentis quatuordecim prægrandibus anchoris, & funibus eos affligentes stabilierunt: quòd hic ob miram pontium longitudinem ex industria adductum relinquere uolui: ne fortè per freta, fluminaqúe transitus in necessitate, uel utilitate sit excogitandus. Neque hic omittendum puto, iuxta testimonium Iosephi in principio suarum antiquitatum, quomodo filij Noé post diluuium, conspiratione facta pariter stare uellent, ne in propagatione gentium diuisim abeuntes, à Deo iterum per diluuium corriperentur. Attamen Babyloniæ structura, ut uis superum humanis uiribus auerteretur, hinc pedem assumpsit.

De fatalibus sororibus, & Nymphis.

CAP. X.



ERant prætereà in Aquilonaribus terris nonnulla templa Dianæ, & Cereri consecrata, ædesq; fatalium sororū absq; humana ope præstigioso quodam artificio extructæ: quas antiqui, super futuris liberorum euētibus Parcarum oracula consulturi, nuncupatis solenniter uotis præcabundi accedere consueuerūt: ubi introspecto satello quandoque ternas, quandoq; plures sedes totidem nymphis occupari cognouere: quarum aliæ liberalem pueris formam, uberemq; humani fauoris copiam erogabant: aliæ uerò liberalitatis, aut aliarum uirtutum excellentiam condonabant: demum aliæ proteruioris ingenij reliquarum donis afficere cupiētes, futuris puerorum moribus parsimonię, aut aliud crimen affixerunt. Nec solum pueris, uerumetiam ætate prouectis, & quandoq; Regibus huiusmodi pręstigiosarum artium commentis ludificatum fuisse comperitur. Hotherus siquidem Rex Suetiæ & Dacię, inter uenandum errore nebulæ à retiarijs longius auulsus, in quoddam syluestrium uirginum conclaue incidit: à quibus proprio nomine salutatus, quænam essent perquirit. Illæ suis ductibus, auspicijsq; maximè bellorum fortunā gubernari testantur. Sæpe enim se nemini conspicuas prælijs interesse, clandestinisq; subsidijs optatos amicis prębere successus: quippe conciliare prospera, aduersa infligere posse pro libito memorabant: hortatę eum, ne Balderum arcano superum semine procreatū, armis lacesseret. Quo accepto Hotherus labētis hospitij tegmine defectus, sub dio se relictum totiusq; expertem umbraculi medijs repentè campis expositum conspicatur. Præcipuè tamen puellarum prępetē fugam, lociq; uersilē situm, ac fallacem ædis imaginē mirabatur. Ignorabat enim quæ circa se gesta fuerant: ludibrium tantum inaneq; præstigiosarū artiū extitisse commentū. Deinde aliquot euolutis annis idem Hotherus acerrimis contritus bellis, extrema locorū deuia peruagatus, insuetūq; mortalibus nemus emensus, ignotis fortè uirginibus habitatū reperit specū. Easdem esse constabat, quæ eum insecabili ueste quondam donauerāt. A quibus cur eo locorū uenerit interrogatus, infaustos belli declarat euentus. Itaq; fide earum damnata, gestarum infeliciter rerum fortunam, tristesq; casus deflere cœpit, secus sibi cessisse questus, q̄ ab ipsis ꝓmissum accepit. At nymphæ eum, quanquā raro



uictor extiterit, ęquam tamen hostibus cladē ingesſiſſe dicebant: nec minoris stragis autorem fuiſſe, quàm complicem: cęterùm affuturam uictoriam, ſi edulium augendis inimici uiribus excogitatum prępripere potuiſſet: quo eueniret, ut omnia uotis ſuis proſpiceret ſucceſſura. Sicq́; dimiſſus uites reparat, militiamq́; conſcribit in hoſtem. Cuius caſtra dum peruigil obſeruabat, uidit exceſsiſſe tres nymphas arcanę dapis gerulas: quas curſim inſequens (nam earum fugam roſida prodidere ueſtigia) tandem tecta, quibus aſſueuerant, ſubit, citharęq́; (cuius peritiſsimus erat) dulciſsimo miniſterio accurati nitoris cingulum, potentemq́; uictoriæ zonam ab eis obtinuit: atq́; itinere, quo uenerat, repetito, hoſtem obuium illico lęthifero uulnere fudit, ut poſtridie Proſerpinæ, quę ſibi per quietem aſtare aſpecta eſt, tranſmitteretur.

De Hotheri Balderiq́; uita, rebus geſtis, & obitu.
Ioan. Mag. lib. 2.



Hotherus Hothebroti potentiſsimi ac prudentiſsimi Regis filius, & Attili anteceſſoris ſui ex utroq́; parēte frater, in regnis Gothię & Suetię non tam iure hęreditario, quàm fratris Attili beneficio ſucceſsit. Huius caſus ſi ab origine conſiderentur, uarij inſignesq́; fuere. Nullus eo in addiſcendis artibus (quæ prudentes & ciuiles homines efficiunt) aptior & diligētior erat. Quippe traditus à ſapientiſsimo parente in diſciplinam eruditiſsimi Regis Noruegiæ Geuari, tam docilem ad omnia pręclara ſtudia, atque ingenuas artes (quæ tunc tēporis in uſu & ſumma æſtimatione habebantur) ſe præbebat, ut à nullo ſuorum coætaneorum ſuperari poſſe crederetur: erat in eo ſumma corporis firmitas, ingenium multis artibus illuſtre, nec minus exercitio, q̄ uiribus potēs, immaturam adhuc ætatem uberrimis animi dotibus tranſcēdebat. Dabatur tunc maximo probro Regibus & Principibus, ſi ab illis uirtute & ſapientia ſuperarētur, quibus dignitate & Regia autoritate præferebantur. Proinde felices putabantur & erant illę terræ, quando in eis ſapientiores, q̄ potentiores Principes dominabantur. Tantę & tam pręclaræ ſpei adoleſcens poſtquàm ex ephebis exceſsiſſet, primam ſuorum negotiorum difficultatem ob Nannæ uirginis, educatoris ſui Geuari Regis filiæ nuptias, expertus eſt. Eandem enim, cum eſſet raræ & incompertæ pulchritudinis, filius Othini Balderus Selandiæ Regulus, pertinaciſsimis precibus in matrimonium poſtulabat: uerùm quia perplexo patri permiſſum non erat, ipſam filiam ob utriuſq́; proci potentiam liberè collocare, refert mentem filię ab utroq́; conſulendam eſſe, ne quid contra nolentem paterna ſeueritate præſumptū uideretur. Hoc cognito Balderus poſtulandę Nannę gratia Geuari fines armatus ingreditur, ipſamq́; exquiſitis uerborum illecebris aggreſſus nullum uotis aſſenſum impetrare uel extorquere ualebat, cum uirgo uarias hinc inde excuſationes, ne in eius amplexum conſentire poſſet, mutaret. Ait enim, cùm ipſe Deus, & Deorum ſemine genitus haberetur, quòd indigna eſſet copula Deum mortali ſociari, neq́; etiam ſatis conſtantes eſſe ſoleant Deorum promiſsiones, qui ſępe pacta reſcindere, uinculaq́; ſocietatis, quę cum imparibus contraxiſſent, facilè diſijcere conſueuerunt. Repulſus Balderus totas Danicæ & Saxonicę gentis uires ad arma contraxit, ſimulq́; pręſtigioſæ artis figmētis uſus (ut Saxo Danicus ait) oſtentare conabatur, ſe non ſolum homines, uerumetiam Deos in ſocietatem pugnę contra aduerſarium Hotherum aduocaſſe, uocatosq́; magno agmine, et inſuperabilibus armis ſuccinctos, confeſtim aduolaſſe. Sed Hothero non deerant artes, quibus tales Dij poterant repelli & ſuperari. Erat enim & ipſe non minus, quàm Balderus in arte magica peritus.

Quocirca tam pertinacibus armis bellum nauale ingrediuntur, ut non humanę uires inuicem congredi, ſed infernalium laruarum pręſtigię in mutuam perniciem conglomerari uiderentur. Victus hoc bello Balderus, ſatis oſtendit ſuam, ſuorumq́; comparium Deorum diuinitatem talem, tamq́; imbecillem eſſe, ut ab hominibus ſuperari contemniq́; poſſet. Deinde uictor Hotherus fugato Baldero, eiuſq́; claſſe ſubmerſa, ac Saxoniæ Rege Galdero cum toto eius exercitu deleto, nouam & ſpecioſiſsimam ſponſam Nannam Suetię aduexit, cunctis

xit, cunctis tam inclitus uictoria, quàm Balderus turpi fuga ridiculus & contemptus. Nec longa post peractas nuptias mora intercesit, antequàm Daniæ regnum adiuuante Attilo (quod superius diximus) sibi subiecit. Veruntamen dum fidem Danicam firmam constantemq; crederet, & paterno regno Suetiæ pacandis regnorum finibus occuparetur, ecce nuntius nimium properando aduolauit, qui affirmabat Danos acerrimũ ipsius Hotheri æmulum Balderum in regni Daniç solium extulisse. Tam ancipiti (inquit Saxo) censura maiorũ nostrorum sententia fluctuata est: noluit enim dicere, fidem eorum fractam, & honestatem uiolatam. Quamobrem Hotherus collecta (ut sors obtulit) militia, in Daniam nauigat, futurum ratus, ut Dani habita præstitæ fidei ratione, Balderũ alieni regni occupatorem (uiso legitimo Rege) quàm citius excludant. Sed fidem sua opinione longè inferiorem expertus, comisso cum Baldero acerrimo prelio, uix fuga delapsus in Iuthiam euasit. Nam Dani classem eius obsidentes, uicto in Suetiam reditũ impediebant. Igitur postquàm hyberna apud Iuthos peregisset, nomenq; suum uico, quem inhabitauerat, indidisset, solitarius incomitatusq; Suetiam repetit: ubi coram magnatibus ad concionem accersitis, fluxam Danorũ fidem damnans, conqueritur se grauissimas nimiæ crudelitatis suæ pœnas luisse, uelleq; in omne reliquum tempus à Danorum terris & conuersatione abstinere. Tum proceres nõ parum concitato animo facilitatẽ animi eius arguebant, quòd se contra illos, qui apertã rebellionem moliebantur, uno tantum & altero militum manipulo comitatus temere contulisset, ibi integræ fidei officia experturus, ubi dolus & perfidia omnia fidelitatis iura uiolarat. Proinde summopere conandum esse, ut si uelit suæ maiestatis contemptum uindicare, perditosq; suæ fortitudinis titulos recuperare, ac demum famæ nitorem ad pristinam gloriam reuocare, sit forti & constanti animo: meminerit se Regem esse multarum, & fortissimarum gentium: cogitet se negocium habere cum gente fortissima, & non minus astuta, quàm forti, contra quam non unum centurionem, sed totam Suecorum & Gothorum potentiam extendat. Hæc suadendo & persuadendo, animum eius à profunda desperatione ad arma et prelia reduxerunt. Siquidem tam efficax fuit illa procerum exhortatio, ut ipse qui pridem humanum conuictum abhorrens, ad syluarum latebras confugere decreuisset, nunc animo æquior effectus, comitia indicit, militem conscribit, exercitum comparat, omniaq; prudentissimi Principis officia strenuè exequitur: & tandem omnibus ritè paratis, classem, quæ facilè ab hostibus contemni, aut superari non posset, educit.

Contrà Balderus Danis in arma contractis, Hotherum acie excipit: fit atrox & anceps pugna, acerrimisq; animis prelium committitur, donec nocturnæ tenebrç finem facerent præliandi. Sed Hotherus nihil omittendum ratus, mutato animo castra hostium noctu ingreditur, ipsorum consilia exploraturus: quibus cognitis, cautior ad crastinam pugnã accessit: in qua Balderus accepto mortali uulnere, prelio moribundus excessit: ipsumq; elapso triduo, nimius uulneris cruciatus absumpsit, non sine publico Danorum mœrore. Quis enim credere potest, quanto gemitu & luctu suum Deum Balderum sepelierint, propter quẽ tot cruenta bella gesserant, tot ciues amiserant, & iusiurandũ uiolauerant? Sed mors eius & sepultura planè ostendit, uano numini uanos subseruiuisse cultores. Cui si perfecta diuinitas affuisset, utiq; non permisisset suos ueneratores Danos sub iugum Suecorum humiliari, quibus denuò manus uictas coacti porrexerunt. Itaq; Hotherus cum triumpho in Suetiam reuersus, & diuturna, & quietiora tẽpora nactus, feliciter & pacificè per multos annos regnauit: in quibus etiam regnum Noruegiæ prudenter administrauit. Nam cùm eius Rex Geuarus (à quo educatus fuerat) cuius filiam coniugẽ habebat, ab çmulis duce Gautone occisus fuisset, non quieuit donec occisorem seuerè puniuisset, & paternum regnum ad filios & hçredes, Herletum & Geritum, transtulisset. In eisdem etiam annis Dani submissis capitibus, & tributis, regno Suetiç paruerunt, donec Bous Othini filius, Rutenorum Rex ultionẽ occisi Balderi fratris pertinaci animo uersans, bellum Hothero minaretur & indiceret: quẽ Hotherus bello excepturus, à Suecis & Danis obtinuit, ut suus filius Rodericus in paternis regnis successor institueretur: quo obtento in bellum contra Boum progressus, uictoriam & uitam amisit. Hic Saxo Danicus nonnihil ueritati parcere uidetur, quando scribit Curetes & Sueones perinde ac Hotheri morte tributariæ sortis onere liberatos, Daniam (quam annuis uectigalium obsequijs amplecti solebant) armis aggredi animum induxisse. Non credo Saxonem tam hebetis fuisse ingenij, ut diceret Sueones Danis fuisse tributarios, quãdo suo proprio Regi Hothero Daniam subiecerunt, idq; non semel, sed gemino prælio, & duplata uictoria: primo, cum ipsam apud Isoram Selandiç portum ingenti classis numero sibi subiugarent: deinde quando (occiso Baldero) armata manu eandem Daniam denuò recuperarent, & sub iugo usq; ad mortem Hotheri pleno dominio continerent. Hęc cum à Saxone in contextu historiæ apertè asserantur, non possum mihi persuadere ea ipsa uerba ex eius

animo



animo prodiisse. Quippe nimis diuersum est, regna subiicere, eisq; imperare, & tributum à se uictis prestare, cum uictores à uictis, non contrà uictis à uictoribus tributa exigere consue uerint. Nunc ad Rodericum calamum conuertamus.

De Eluarum, id est, spectrorum nocturna chorea.

CAP. XI.



SOlent quoque nocturni uiatores, gregumq; & armentorum excubijs intenti, portentis diuersi generis circumfundi. De quibus Saxo Sialandicus sic cecinit:

Trux lemurũ chorus aduehitur, præcepsq; per auras
Cursitat, & uastos edit ad astra sonos.
Accedunt fauni Satyris, panumq; caterua
Manibus admixta militat ore fero.
Syluanis coëunt aquili, laruæq; nocentes.
Cum lamijs callem participare student.
Saltu librantur furiæ, glomerantur eisdem
Laruæ, quas simis fantua iuncta premit

Scripsit de similibus Virgilius his uerbis:

Et uos agrestum presentia numina Fauni.

Et Ouid.

Sunt mihi semidei, sunt rustica numina Nymphæ.
Quos quoniam cœli nondum dignamur honore,
Quas dedimus certè terras habitare sinamus.

Horatius:

Faune Nympharum fugientum amator,
Per meos fines, & aprica rura
Leuis incedas.

Hunc alij Satyrum uocant. Pomponius Mela ultra Atlantem montem Mauritaniæ scribit noctu persæpe uisa lumina, & crepitus cymbalorum, ac fistularum cantus auditos, nec die repertum quenquam. Idem Solinus testatur capite 38. ubi inquit: Choris Aegipanum, id est, caprinos pedes habentium, undiq; mons personatur. Etiam capite 44. Satyros, & Himantopodes quasi loripedes adducit, cæcam gentilitatem illudentes. Idcirco pro constanti habitum, hos Faunos esse, ac Satyros, similes illis spectris, quæ in multis locis Septentrionalis regionis, præsertim nocturno tempore, suum saltatorium orbem cum omnium Musarum concentu uersare solent. Sed post ortum solem quandoq; rosidis deprehenduntur uestigijs: uelut Hotherus rex (teste Saxone superiore cap. allegato) tres nymphas ad earum antra secutus, uictoriæ zonam, & cingulum impetrauit: quandoque uerò saltem adeò profundè in terram impresserant, ut locus, cui assueuerant, insigni ardore orbiculariter peresus, non parit arenti rediuiuum cespite gramen. Hunc nocturnum monstrorum ludum uocant incolæ Choream Eluarum: de quibus eam habent opinionem, quod animi eorum hominum, qui se corporeis uoluptatibus dedunt, earumq; quasi ministros præbent, impulsuiq; libidinum obediunt, ac diuina, & humana iura uiolant, corporibus illapsi circum terram ipsam uolutantur. E quorum numero credunt eos esse, qui se adhuc nostro seculo in effigie humana accommodare solent ministerijs hominum nocturnis horis laborando, equosq;, & iumenta curando, ut infrà capite uigesimo de ministerio dæmonum hoc eodem libro ostendetur.

De pugna

De pugna contra Faunos.
CAP. XII.



CVm uaria portenta, innumeraq́ præstigia penè per totum orbem olim fuisse transacta testetur antiquitas, lemures uidelicet, & faunos, satyros, laruas, aquilos, striges, lamias, manes, panumq́ cateruas, quibus homines aut falso applausu turpiter illudebantur, aut indicibili terrore, & laniatu ad extrema fata crudeliter rapiebantur: nõn putaui silendum fore, quibus ingenijs, & armis huiusmodi spectris apud Aquilonares occurrebatur. Traditur enim, nobiles Gothorum athletas cum monstris, & inusitatæ feritatis belluis, uel ob imbecillorum hominum liberationem, uel experiendo uirtutis gratia, sæpe solos pugnauisse: cauebantq́, ne comitatiores belluam aliquam aggrederentur, quàm fortium uirorũ permitteret consuetudo. Regnerus Sueticus pugil & Rex, aduersus obscœnissimas nocturnorum portentorum cateruas à Thorilda nouerca muliere crudelissima immissas, noctem dimicando permensus, luce reddita uarias laruarum formulas, & inusitata specierum figmenta passim aruis incidisse cognoscit: inter quas & ipsius Thoridæ crebris obfusa uulneribus effigies uisebatur. Quo facto & athleticam sibi claritatem acciuit, & paternum regnum ab inimicis eripuit. Præterea Broderus quidam, & Buchi cum Rege Gormone nouum audaciæ genus complexi, hæreditarium Gothicæ fortitudinis spiritum scrutandæ rerum naturæ uestigijs exculturi, iter omni refertum periculo, ac penè mortalibus inuium aggrediebantur. Ambitorem namque terrarum Oceanum nauigantes, solẽ postponentes, ac sydera sub chao peruagantes, ac demum ultra terram Biarmiæ in loca lucis expertia (prout cap. 1. primi ostensum est) iugibusq́ tenebris obnoxia, peruenientes, cum incredibili monstrorum grege pugnam conseruerunt. Siquidem incursantes se Lamias adactis undique spiculis incessabant, arcuumq́, & fundarum tormentis agmen obtriuere monstrosum, prout Saxo Danorum historicus, antiquitatum diligentissimus indagator, lib. 8. de Rege Gormone præfatur. Extat etiam in ueteres historias relatum, quomodo Hotherus Regis Suetiæ filius, pernox attenta curis mente languescens, obumbrantem tabernaculo suo Satyrum Mimmingum hasta petiuit, obrutumq́ ictu, nec satis fugæ potentem uinculis intercepit: ultimò deinde per summam uerborum atrocitatem minatus ensem, armillasq́, quorum notitiam habuit, deposcit. Nec segniter Satyrus salutis redemptionem, quæ ab ipso petebatur, exhibuit. Adeò cunctis rebus prior est uita, cùm nihil apud mortales spiritu charius existere soleat.

De Regnero rege Suetico pugile, & Thorilda nouerca. Ioan. Mag. lib. 2.



Quanquam Regnerus patri Hundingo in paternis regnis hæreditario iure statim succedere debuisset, tamẽ superandi erant prius per ipsum multi & plurimi aduersi casus. Inter quos præcipuum locum habuisse uidetur illud nouercale odium, quo à Thorilda Regina sepius ad mortem petebatur: quæ quantò præclariorem indolem in priuigno cõsiderabat, tantò maiores insidias eius capiti struere conabatur: nec quieuisset, donec sanguinẽ eius in poculo crudelitatis absorbuisset, nisi paterni amici (quorum magna potentia

tentia in regno erat) malignos eius conatus repreſsiſſent. Profecit tamen eouſq; pertinax illa duræ nouercæ indignatio, ut tandem ipſum, & fratrem eius Thoraldum Regio pecori per contemptum præfeciſſet, ut ea extrema ignominia affecti, deſinerent ad amplitudinem paterni regni aliquando aſpirare. Sed non tulere fata, ut Regius ſanguis inter ſeruilis conditionis anguſtias obſoleſceret, quem natura aliorum genuerat præſidem & rectorem. Siquidem filia Danorum Regis Hadingi Suanhuita, ut glorioſo facinore matrimonium illuſtriſsimi iuuenis ſibi conciliaret, (ſumptis in famulitium ſororibus) longo & difficili itinere confecto, peruenit in Suetiam ad locum in quem pridem didicerat Regios pueros indignè relegatos: qui ut uiderunt tanti apparatus fœminam aduentare, pudore ob deformitatem cultus, ſimul & timore ob nouercales inſidias, quas ſubeſſe ſuſpicabantur, confuſi, ſeruos ſe Regios & pecorum cuſtodes affirmabant: at contrà Suanhuita (ut erat Danicæ eloquentiæ perita) multis in medium adductis argumentis, oſtendere nitebatur ſibi perſuaſum eſſe, ipſos non ex ſeruis, ſed ex Regibus originem duxiſſe: totamq; ſui ſermonis ſeriem ad Regnerum natu maiorem conuertens, idipſum probare cõtendebat ex ſpecioſiſsimo lineamentorum eius habitu, ex luminum uibratu, ex uiſus acritate, ex pupillarum alacritate, ex oculorum micatu, ex formæ pulchritudine, ex faciei & uultus luculentia, ex comi & ingenua ſpecie. Sed non deerat Regio iuueni decens & idonea reſponſio. Serui, inquit, non ſemper ſunt uirtute uacui: uirilitas ſub ſordida ueſte ſæpe occultatur: nec ex ueſte uirum metiri conuenit, ſed ex uiro ueſtem: magiſq; ex uirtute, quàm ex genere uirorum claritudo probatur: nobilitas ex alieno bono eſt, uirtus ex proprio dependet: obſcuratur parentum claritas, quando ab eorum probitate peruerſitas degenerat filiorum: & quis illos ſeruos iuſtè dicere poſsit ignobiles, qui damnum generis uirtutum magnitudine compenſant? Deniq; quis ſapientum ignorat, omnes ſeruos ex Regibus, & omnes Reges ex ſeruis originem habuiſſe?

Tandem Suanhuita poſtquàm iuuenis conſtantiam, & magnanimitatem, cæteraſq; præclaras animi eius dotes cum magna admiratione ſatis exploraſſet, ſe, ſuumq; genus, & propoſitum cur adueniſſet aperiens, iuſsit ut forti animo eſſet, ac meliora quàm in nouercæ uotis erant ſperaret. Deinde prolatis ex ſuo promptuario muneribus, & ueſtibus Regio honori congruis, effecit, ut abiecto ſquallidæ paupertatis indumento, cultior appareret. Qua inſigni humanitate allectus iuuenis, in nuptias tam clariſsimæ atq; omni probitate conſpicuæ uirginis conſenſit. Quæ iam ſponſa effecta, ne ſe illocabilem, aut dote caſſam oſtenderet, gladium uarijs conflictibus, & contra monſtra, monſtrorum impetus, ac omnes inimicorum conatus opportunum, loco præcipui doris dilecto ſponſo tradere curauit, adiecta multiplici exhortatione capeſſendæ uirtutis, quemadmodum Saxo Danicus carminibus ad id ualde accommodis meminit, qui uirgini ea uerba tribuit, quæ non ex fœmineo, ſed uirili pectore deprompta fuiſſe uidentur. Erant enim illius tempeſtatis fœminæ, præſertim apud ipſos Aquilonares, in bellica fortitudine ipſis uiris parum inferiores. Nec contenta gladium nouo ſponſo tradidiſſe, addidit & familiam, familiæq; ſtipendium, & commeatus: quibus inſtructus ueteres defuncti parentis amicos accedit, querelas in crudelem nouercam exaggerat: ſe ab ea ad indigniſsimam ſortem, nulla habita Regij ſanguinis ratione, detruſum: imò ſine ullo humanitatis reſpectu, ſe non ſolum uiliſsimis mancipijs, ſed iumentis inſipientibus comparatum. Moti his grauibus & iuſtis querelis proceres, ipſum in regni ſolium confeſtim collocantes, tam in ipſam Thorildam impiam fœminam, quam in cæteros Regneri aduerſarios gladio uindicandum decernunt. Itaq; Regnerus ex abiectiſsima & deſperata conditione ad ſceptrum Regium ſublimatus, Suanhuitam in Reginam & tori conſortem digniſsimè promouit: quæ illi filium Hothebrotum regni ſucceſſorem pariens, commendabilem ſui nominis & probitatis memoriam ad omnes poſteros tranſmiſit. Quippe patriæ, & Principibus, ac infimæ plebi ſe talem ſemper & ubiq; exhibuit, ut non aliunde adueniſſe, ſed in Suetia nata fuiſſe crederetur. Frothonem fratrem, Danorum Regem, bella in Suetiam ex Orientis partibus transferentem, non ſolum repreſsit, ſed ſuis manibus captiuatum in triumphum duxit: nec anteà libertati reſtituit, quàm Vbboni genero ſuo, quòd Daniam ui & armis occupaſſet, ignouiſſet. Ea uenia pro Vbbone impetrata, Regnerus tantum numerum militum exercitui eius adiecit, quantam manum eidem confecto nuper acerrimo bello abſtuliſſet. Sed non reſpondit Frothonis gratitudo ſynceris Regneri meritis, in quem reparato rurſus exercitu, grauem belli molem nulla laceſsitus iniuria conuertit: fauit tamen belli fortuna iuſtis Regneri partibus, ipſumq; Frothonem (quamuis totis Danicæ potentiæ uiribus ſuccinctum) extinxit. Sublato hoſte, Regnerus diuturna & ſumma temporum tranquillitate potitus, regna ac ſubiectos populos ſub pacifica concordia iuſtis & bonis legibus conſeruauit, donec plenus dierum apud urbem Vpſalam morte uitam commutaret. Nec diu chariſsima coniunx Suanhuita ſuperſtes erat, poſtquam dimidium cordis ſui

à suis uisceribus auulsum, & tumulo inclusum aspexerat: tantum siquidem, & tam insuperabilem dolorem ex eo funere contraxit, ut necessarium fuerit ipsam in fata concedere, quando nullam aliam rem enixius pro remedio postularet, quàm ipsam mortem, qua posset eodem tumulo cum extincto marito sociari.

De pugnis cum Satyris in uita Algothi: ex Ioan. Mag. lib. 8.

Attilus post Hathinum ad rerum summam perueniens, magis conseruandis, quàm extendendis regni finibus intendebat, plusq; paci & tranquillitati, quàm bellis animum applicabat. Cui demum fatis absumpto, Tordo tam apud Gothos, quàm Suecones, ad Regia sceptra conscendit: quæ postquam pauco tempore tenuisset, in fata concesit.

Algothus deinceps Regium nomen & sceptra sortitus, nihil minus Gothicæ Reipublicæ præstitit, quàm summi & optimi Reges ante ipsum unquam prestiterunt. Quippe ut sui nominis interpretationi, quę totum bonum significat, satisfaceret, diligētissimè cauit, ne quicquam ageret, quod totum bonum non esset. Siquidem primum omnium post acceptam Regij nominis gloriam, tam in regno, quàm cum uicinis terris & populis, firmam ac diuturnam pacem componendam curabat, legesq; omni humanitate plenas, explosis prius cunctis tyrannorum institutis, promulgauit. Inter cætera autem multa, & optima constituit, ut omnes causæ, siue controuersiæ, prius ad arbitrium optimorum uirorum, qui in dissidentium territorio inueniebantur, componerentur, quàm ad aliquod iudicium deueniretur: rectè existimans, summum ius, summa iudicia, summam esse iniuriam, nisi bonorum uirorum arbitrio præueniantur. Proinde in omnibus tribunalibus primas partes æquitati, miserationiq; tribuendas esse uolebat: nihilq; rigidum, aut seuerum, siue pręcipitanter in iudicijs fieri permisit. Quo facto, omnes Reipub. partes ab ipsa radice sese componere uelle monstrabat. Enimuerò cum æqua, incorruptaq; iudicia ubique seruarentur, paci & tranquillitati omnes consulebant. Factumq; est ut Algothus illius domesticæ pacis commoda assecutus, animum suum ad indaganda naturę secreta, quę ad Septentrionem in suppolaribus regionibus contineri dicebantur, applicaret. Fama enim didicerat, nonnullos monstrosi generis homines, quos Menningos, uel syluarum Satyros uocabant, illic mansionem complexos, magnarumq; rerum, & eximiarum opum aceruos possidentes: at locorum aditus inuijs, & uix superabilibus impedimentis obsitus asserebatur. Quocirca non pauca uehicula pro se, ac suis comitibus adaptat, eisq; ceruos iugales applicari præcepit. Sunt autem cerui iugules, quos Albertus Magnus Rangiferos appellat, non pauco numero etiam nostro tempore in illis terris sub polum uergentibus, cursu quidem uelocissimo prestantes, utpote qui uno die tantum itineris peragere possint, quantum ualidus equus uix toto triduo absoluit. His itaq; ceruis Algothus instructus, inusitata celeritate eximia montium iuga transcendit, commissoq; cum syluarum Satyris prælio, uictor euasit. Deinde ea uia, qua uenerat, in Suetiam reuersus, armillas, gladios, arcus, sagittas, cæteraq; eiusce generis spolia uictis erepta, inter amicos distribuens, nil sibi præter rerum gestarum gloriam uendicabat. Eoq; singulari facinore Hotherum olim Suetiæ Regem æmulatus fuisse uidetur: quem Saxo asserit simili profectione & industria eò peruenisse, uictumq; Memmingum syluarum Satyrum, armilla gladioq; spoliasse. Post hæc Algothus uocatis in concionem proceribus, consilia gerendi belli in Rotherum Rufsiæ Principem inquirit. Hic enim Rotherus, cum pridem compertum habuisset, Algothum in suppolaribus regionibus diutius occupari, piraticam in Orientales Suetiæ partes (rupto fœdere) transferre non distulit, omniaq; rura littoribus proxima, ferro, flamma, rapinisq; defœdauit. Deinde audito Algothi reditu, in sola fuga spem omnem reponens, in suam regionem remeauit. Algothus autem tam atroci iniuria prouocatus, confestim quas poterat copias eduxit, quibus non modò paria, sed longè grauiora damna Rufsiæ incolis irrogabat. Quippe quæ ille in Suetica littora commiserat, hic maiori exercitu succinctus, in uniuersam Rufsiam cumulato fœnore rependebat. Enimuerò omnes Russorum terras flamma, cædibusq; inuoluens, non quieuit donec eas in suam redigeret potestatem, efficeretq; ut Rusi imperata facerent, & Suetiam perpetuo tributo agnoscerent superiorem. Reliqua eius gesta apud autores, quos sequor, non inueni: sed quòd deinceps publica & perpetua pace gauisus, ad optatam peruenerit senectutem, sepultus Vpsaliæ in antiquorum Regum monumentis.

De diui-



De diuinatione.

CAP. XIII.



SAtisfaciendo huic imagini, & titulo, præmittere oportebit uerbum Catholici doctoris Chrysostomi dicentis in homelia, Erunt signa in sole, et luna &c. quòd nulla creatura est, quæ tantum futura scire desiderat, ut homo &c. Quo considerato, insuper fatendum erit, nullam unquã gentem tam humanã, tamq; doctam, imò nec tam immanem, aut barbaram fuisse, quæ non significare futura, & à quibusdam intelligere, ac prædicere consueuerit: maximè tamen Aquilonares homines, quos studio futura præsciendi occupatos fuisse comperio: quandoquidem uolatibus auium, saltu, sonoq; piscium, cantibusq;, & exhalationibus montium, &c. ut certissimis signis declarari res futuras putabant. Nullum bellum, nullum negotium publicum, nec domi, nec militię sine auspicijs gerebatur. Nec sola aruspicum disciplina, sed sortilegium, aëromantia, geomãtia, pyromantia, necromantia, insuper etiam somnia grauiora, si quæ ad Rempub. pertinere uisa sunt, à summis præsidibus acceptabantur. Othinus Hadingo Regi contra Iocherum Curetum tyrannum bella moturo captiuitatem prædixit: quæ non aliter quàm eo ordine, quo prædixit euenit. Gouatus Noruegiæ Rex adeò doctissimus diuinandi erat, industriaq; præsagiendi excultus, ut quicquid in Saxonia contra se tentaretur, præuideret in Noruegia ultra C. milliaria Germanica constitutus. Gormo cognomento Impius profuso in somnum animo, existimauit coniugem suam duos alites genuisse, sed alterum altero grandiorem: corpora supernè librantes præpeti cœlum uolatu petere: exiguoq; tempore interiecto, reuersos suis altrinsecus manibus insedisse: secundò quoq;, ac tertiò paruula quiete recreatos propassis alis aëri se credidisse: tandemq; minorem ex his ad se pennis cruore oblitis comite uacuũ remeasse. Cuius somnij ueritas sic declarata est. Duo eius filij subactis Anglis, Sclauis, & Hybernis, prospera usi sunt fortuna, donec natu maior in bello concederet, minor uerò fratre orbatus pennas cruore oblitas referre uideretur. Magnus Noruegiæ & Daniæ Rex, cum nocte, qua bellum Sclauicum insecutum est, se sopori dedisset, imago cuiusdam dormienti obuersata prędixit, eum hoste superiorem futurum, inq; aquilæ nece uictoriæ fidem, auspiciaq; sumpturum. Expergefactus Rex uisionis ordinem magna cum omnium admiratione uulgauit: progressoq; exercitu aquilam, quæ in quiete monstrata fuerat, cominus conspectam pernici equo aduolans hasta petiuit, fugamq; alitis ueloci iaculo præcucurrit. Arripuit igitur omen exercitus, & primam pugnandi occasionẽ corripiens, eodemq; euentu, quo omine, dimicans, inimicos superauit. Valdemari Regis exercitum ad bella progredientem, tam celeri coruorum greges interuolasse produntur, ut complures se erectis militum hastis feriendos obiecerint. Victus ab eo Sueno Rex, & totus eius exercitus, coruorum laniatui substratus augurij declarauit euentum. Biorno insignis athleta insulam quandam incitatissimi fluminis ambitu munitam, cum electa pugilum manu complexus, uidit per quietem egressam undis belluam, quæ tristes ore flammas egerens, continenti cuncta incendio daret sequenti luce. Fridleuus Rex superatis impetuosi amnis uorticibus, pugiles omnes (Biornone excepto) ferro consumens, somni modum expleuit. Hæc pauca ex multis idcirco adducta sunt, ut Aquilonaria auspicia, ostenta, & portenta cum antiquis Romanorum libris conferantur: quibus decretum erat,

omnem auem tripudium facere posse, unde diem committendi, aut differendi belli dependere necesse esset. Similia coniectationis genera Plinius habet libro 2. capite 31. Procopius libro 3. de Attila eadem testatur: qui uisa ciconia exportare pullos à muro, & ipse recesit. Sunt & augures peritissimi in eisdem Septentrionalibus terris, qui uolatu, uoceq; auium, ferarum occursu, & similibus multa prędicere nôrunt, ut infrà de auibus dicetur: quorum opinio uetustis nata temporibus fidem facit hominibus securis, quòd ij, qui cõfiteri peccata renuunt, infelix omen asserunt uidere monachum, uel sacerdotem.

De arte magica Erici Ventosi pilei, & aliorum.

CAP. XIIII.



HIC Ericus Rex Suetiæ in arte magica nulli suo tempore secundus habebatur: tamq; familiaris erat malis dæmonibus, quorum cultui summoperè uacabat, ut quocunq; uerteret pileum suum, confestim inde optatus uentus aspiraret. Quo euentu inditum illi nomen fuit, ut Ventosus pileus diceretur. Creditumq; à multis erat, Regnerum Daniæ Regem huius Erici nepotis sui ductu in remotissimas orbis partes piraticam, feliciter extendisse, multasq; regiones, & munitissimas urbes eius ingenio subiugasse: demum cooperatorem fuisse, ut procerum consensu & electione, in Regem Suetię assumeretur: quod ei diuturnum, felixq; permansit, donec senio moreretur. Præterea alter quidam Ericus cognomine Emundus, cum nauigare statuisset, & quidam nautarum per quietem uidisset per inculta montium iuga lasciuo admodum equo se proueh, eoque cursum citante, inter uallium opaca præcipitatum crebris noctuarum unguibus laniari: idque mane per iocum sodalibus retulisset: Rex ipse non minus in diuinatione, quàm magica peritus, ea uisione ueluti periculi præmonitus, ne eum nauigationis comitem haberet, in aliud se nauigium conferre pręcepit. Et ita pereuntibus socijs, Regis nauigium est saluatum. Cæterum Frotho Danorum Rex proprio fratre Haraldo insidiosè interempto, ne & innocentes pueros nepotes suos, Haraldum & Haldanum, truculenter perderet, tutores eorum in specu subterraneo catulorum specie (Saxone teste) eos seruabant, ac nutriebant, uarijs figmentis affirmantes, eos à lupis noctu fuisse deuoratos. At Frotho mortis eorum fide repudiata, latebræ locum ex perita augurij fœmina cognoscere instituit: cuius carminum tanta uis erat, ut rem quantalibet nodorum consertione perplexam, è longinquo soli sibi conspicuam ad contactum euocare posse uideretur. Hæc Regnonem quendam occultè circa illos educationis officium peregisse, eosque tegendæ rei gratia caninis censuisse nominibus astruebat. Qui cum se inusitata carminum uiolentia latibulis egestos, incantantis obtutibus admoueri conspicerent, ne tam horrendo coactionis imperio proderentur, gremium eius accepti à tutoribus auri incussione perfundunt: quę recepto munere repentina morbi simulatione par exanimi concidit. Perquirentibus Regis ministris causam tam subiti lapsus, inscrutabilem puerorum fugam existere memorabat: quorum eximia uis etiam atrocissimos carminum temperare effectus. Ita paruulo contenta beneficio, maius à Rege præmium pręstolari desijt. His itaq; & similibus argumentis deprehenditur, quantum diuinationis, & magicę



& magicæ artis potentia apud antiquos uenerabatur: quæ nunc certa negligentia remittitur, & annihilatur, efficientibus id prognosticationibus, augurijs, extispicijs, ignispicijs, hydraulicis, sortibus uestigiarijs, & mille alijs ritibus sacrilegis, dæmoniorum illusionibus adinuentis. Vtuntur nihilominus adhuc certis diuinationibus (causis naturalium rerum approbatis) etiam sortibus, ligni particulis duabus, tribus, uel pluribus in urnam proiectis, ut earum colore candido, fusco, uel rubeo, hæreditates distribuant personam.

De Erico Pileo uentoso. Ioan. Mag. lib. 17.

Ericus, sublato è numero uiuorum Ingone patre suo, concordibus procerum suffragijs Gothicæ & Sueticæ Reipub. summam accepit. Hic in arte magica nulli suo tempore secundus habebatur, tamq; familiaris erat malis dæmonibus, quorum cultui summoperè uacabat, ut quocunq; uerteret pileũ suum, confestim inde optatus uentus aspirabat. Quo euentu inditum illi fuisse nomen accepimus, ut Ventosus pileus diceretur. Creditumq; à multis erat, Regnerum Daniæ Regem, huius Erici nepotis sui ductu, in remotissimas orbis partes piraticam feliciter extendisse, multasq; regiones, & munitissimas urbes eius ingenio subiugasse, & demum cooperatorem fuisse, ut tam procerum consensu & electione, quàm hæreditaria successione in paternum regnum Suetiæ assumeretur: quod ei diuturnum felixq; permansit, donec senio, & tandem mortifera ęgritudine confectus, uita priuaretur & regno: quamuis Saxo asserere uideatur, ipsum ab Ostano quodam insidiosè trucidatũ. Quod quia in Suecorum historijs (quas imitandas accepi) non inuenio, inter dubia potius relinquo, quam fidem grauibus autoribus detraham. Est tamen apud Saxonem satis perplexa dubitatio, cùm circa hęc tempora affirmet, Regnerum Danię Regem bella cum Carolo Magno Imperatore gessisse: & in alio loco dicat, eius antecessorem Hemmingum cum Imperatore Ludouico Caroli filio, post patris funera pacem iurisiurandi firmitate composuisse.

De magicis mulieribus.
CAP. XV.



ARtem magicam apud Septentrionales populos quãtum calluerint olim mulieres aliquot, paucis exemplis ostendetur. Hagberta Vagnosti gigantis filia insolito suæ granditatis aspectu nunc contractioris, nunc exilis, nũc defluentis substantię modò corrugata, modò explicati corporis situm arbitraria mutatione transformare solebat: atq; nunc proceritate cœlis inuecta, nunc in hominem angustioris habitus composita, cœlum deponere, terrã suspendere, fontes durare, montes diluere, naues sublimare, deos infimare, sydera extinguere, tartarũ illuminare posse credebatur. Hadingo Rege cœnante, alia eiusdem artis fœmina cicutarum gerula, propter foculum humo caput extulisse cõspecta, porrectoq; sinu percontari uisa, qua mundi parte tam recentia gramina brumali tempore fuissent exorta: cuius cognoscẽdi cupidum Regem proprio obuolutum amiculo: refuga secum sub terras adduxit: ostensisq; infernalium regionum monstris, tandem mundo restituit. Craca Noruegiana mulier futuri filij sui Rolleri fortunę consultura, pulmentum parat: cui tabificum humorem trium colubrorũ superne tenui reste depẽsorum instillabat. Sed Ericus Cracę priuignus dapem filio Rollero paratã ad se transtulit: faustaq; dape refectus, interna ipsius opera ad summum humanę sapientię pondus euasit. Quippe epuli uigor supra quàm credi poterat, omnium illi scientiarum copiam ingenerauit, ita etiã ut ferinarum, pecudumq; uocum interpretationem calleret. Neq; enim solùm humanarum rerũ peritissimus erat, uerumetiã sensuales brutorum sonos ad certarum affectionũ intelligentiam (Plin. in simili casu lib. 26. cap. 4. de Democrito testante) referebat. Præ-

terea tam comis, atq; ornati eloquij erat, ut quicquid differere cuperet, continuò prouerbiorum lepôre poliret. Huius consilio Froto Rex potentissimorum Hunnorum exercitum 170. Regum ope succinctum deuicit. Hunc tandē Ericum Gestiblindus Gothorum Rex sibi, & regno Suetiæ successorem effecit: idq; tempore natiuitatis Christi. Frotho uerò Rex à malefica in bouem conuersa, dum eius cornibus in quodam maris littore impetitur, exanimatus occubuit. Guthruna Iarmeric. Regis propugnatores subitò oculis captos, in seipsos arma cōuertere procurauit. Quòd superius imago mulieris aspicitur cū olla effusa, ostendit omnium maleficarum commune esse instrumentū, quo succos, herbas, uermes, & exta decoquant, atq; ea uenefica dape ignauos ad uota alliciant, & instar bullientis ollæ nauium, uel equitum, aut cursorum excitent celeritatem. Præterea equinū caput conto exceptum, ac eleuatum, dentium rictibus denudatum, militaribus castris, ut formidinem excitent, opponunt: quibus & carmina addunt, ut uideatur integra acies instructa, hostes celerrimè demolitura. Deinde qualem potestatem habeant maleficæ in radijs lunæ obtenebrandis, & tempestatibus excitandis, arboribus & plantis extirpandis, armentis & iumentis eneruandis, omnibus, qui hanc insaniam curiosius perscrutantur, notissima relinquo: idq; tritū Virgilij carmen.

Hanc ego de cœlo uidi deducere lunam.
Atq; satas aliò uidi traducere messes.

Cumq; talium merita nesciamus, iudicia Dei mirari solemus, prout Augustinus ad longum deducit lib. 8. de ciuita. Dei cap. 19. & alibi. Nec deest Lactantij testimonium, asserentis de Castore & Polluce, quòd bello Latino apud lacum Iuthurnę uisi sunt equorum sudorem abluere. Idem bello Macedonico equis albis insidentes, P. Vicinio Romam nocte uenienti se obtulisse dicuntur, nuntiantes ea die Regem Persen uictum, & captum esse: quod paucis diebus literis Pauli uerum fuisse compertum est. Contra maleficos tamen assumendam omnino uindictam esse hortatur Cassio. lib. 9. dicens: Impium est non punire maleficos, quos cœlestis pietas non patitur impunitos. Qualis enim fatuitas est? creatorem uitæ relinquere, & sequi potius mortis autorem.

De Magis, & maleficis Finnorum.
CAP. XVI.



QVæ etiam uis sit magorum, & maleficorum in cogendis elementis, tam sua quàm aliena manu incantatis, ut mitius, uel rigidius naturalem ordinem temperent, figura superposita parumper ostendit: hoc præmisso, quòd hæc extremi Aquilonis regio Finlandia, ac Lapponia, ita erat docta maleficijs olim in paganismo, ac si Zoroastren Persam in hac damnata disciplina præceptorem habuisset: licet & alij Oceani incolę, ut Britanni, teste Plinio lib. 30. cap. 1. ea uesania fascinati dicerentur: àdeò enim attonitè hanc maleficam artem totus orbis in hoc, & simili malo plurimum concors, celebrat. Solebant aliquando Finni inter cæteros gentilitatis errores negotiatoribus in eorum littoribus contraria uentorum tempestate impeditis, uentum uenalem exhibere, mercedeq; oblata tres nodos magicos, non cassioricos loro constrictos, eisdem reddere, eo seruato moderamine, ut ubi primum dissoluerint, uentos haberent placidos: ubi alterum, uehementiores: at ubi tertium laxauerint, ita sæuas tempestates se passuros, ut nec oculo extra proram in euitandis scopulis, nec pede in naui

ad uela



ad uela deprimenda, aut in puppi pro clauo dirigendo, integris uiribus potirentur. Hicq; infelicius rem experti sunt, qui uim eiuscemodi nodis per contemptum inesse negarunt. Et meritò: quicunque enim magos consuluut, & uaticinia, aut auspicia rebus gerendis quærunt, semper sunt anxij, & nunquàm inter metum & spem auidi futurorum quiescunt. Si illi prospera nuntiant, inani & uana spe iam tum lætari incipiunt: sin contrà, repentè tristitia affecti torperscunt. Heu miseros mortales imbecillitas ingenij, & mens stupida huc illuc distrahit, atque suspendit. Insana sanè sunt documenta, quæ nostra credulitas excogitauit, ut acrius torqueremur. Vtinam facesseret à mentibus hominum tale figmentum: quod esse falsum, & nullius momenti, etiam à maioribus est ostensum. Sed hæc gens Aquilonaris arte hac post susceptum Christianismum legis coertione nunquàm in aperto uisa est uti: nec alijs eam sub uitæ periculo tradidit in disciplina: si aliquando ueris fundamentis potius, quàm figmentis (ut Plinio. lib. 30. cap. 2. uidetur) tradi potest: omnis siquidem magica ars fraudulentissimis innititur principijs. Ideoq; mirum in modum altis rationibus inuehitur in Neronem, qui profundis animi uitijs hanc artem summis ingenijs concupiuit, eiq; ualidius cæteris omnibus fauit, ut dijs imperare posset. Cùm uerò præsens capitulum uentorum, ac tempestatum specialem mentionem faciat, opportunè eodem lib. cap. 2. dicere congruit, quomodo ad Neronem magus ille Tiridates uenerat Armeniacum de se triumphum afferens, & ideo prouincijs grauis. Nauigare noluerat, quoniam expuere in maria, alijsq; mortalium necessitatibus uiolare naturam eam fas non putauit. Magos secum adduxerat. Magicis etiam cœnis eum initiauerat. Nec tamen artem ab eo accipere ualuit, etiam si regnum illi consignasset. Præterea Siualdo Suetico Haldani Regis æmulo, septem fuere filij tanto ueneficiorum usu callentes, ut sæpe subiti furoris uiribus instincti, solerent ore toruo infremere, scuta morsibus attrectare, torridas fauce prunas absumere, extructa quæuis incendia penetrare: nec posset conceptus dementiæ motus alio remedij genere, quàm aut uinculorum iniurijs, aut humanæ cædis piaculo temperari. Quòd superius asseritur uendi uentos, testatur Herodotus lib. 7. de præfectis Xerxis, quòd ij triduana tempestate 400. naues amisere, donec quarto die magi incisiones faciendo, & ueneficijs incantando, uentum Theti, & Nereidibus sacrificando, tempestatem compescuerunt: siue eadem tempestas aliter cessauit.

De magicis instrumentis Bothniæ.
CAP. XVII.



INTER Bothnicos homines Septentrionis passim reperiebantur malefici, ac magi, tanquam in proprio loco: qui per summam ludificandorum oculorum peritiam suos, alienosq; uultus uarijs rerum imaginibus adumbrare callebant, fallacibusq; formis ueros obscurare conspectus. Nec solùm pugiles, uerùm etiam fœminæ, & teneræ uirgines pro uoto suo laruas liuido squalore terribiles, faciesquè adulterino pallore distinctas, ab aëris teneritudine mutuari consueuerunt, & rursus ablegato nubilæ inumbrationis uapore, prætentas ori tenebras sudis perspicuitate discutere. Tantamquè uim carminibus eorum affuisse constat, ut rem remotissimè positam, & quantalibet nodorum consertione perplexam, conspicuam & præsentissimam efficerent. Talibusquè præstigijs idipsum

hoc modo demonstrant. Scire cupientes statum amicorum, aut inimicorum, longinquo terrarum spatio quingentorum, uel mille milliarium inde distantiũ, Laponem seu Finnonem huius rei peritum dato munere, lineæ scilicet uestis aut arrogant experientiam fieri, ubinam fuerint, & quid agant amici, uel inimici. Quocirca conclaue ingreditur uno comite, uxoreꝗ contentus, ranam æneam, aut serpentem malleo super incudem præscriptis ictibus concutit, carminumꝗ murmure hinc inde reuoluit, continuoꝗ cadens in extasim rapitur: iacetꝗ breui spatio uelut mortuus. Intereà diligentissimè à prædicto comite, ne quoduis uiuens, culex, aut musca, uel aliud animal eum contingat, custoditur. Carminum nanꝗ potentia spiritus eius malo dæmone ductore à longinquis signa (annulum, uel cultellum) in testimonium expeditæ legationis, seu commissionis reportat. Illicoꝗ resurgens, eadem signa cum cęteris circunstantiis conductori suo declarat. Nec minoris efficaciæ perhibentur in hominibus diuersa ægritudine prosternendis. Faciunt nanꝗ de plumbo iacula magica breuia ad modum digiti: ea mittunt per quæuis dissita loca in eos, de quibus uindictam expetunt. Hi oborto carcinomate à crure, uel brachio intra triduum uehementia doloris exanimantur. Extant etiam præstigia, seu maleficia Helsingorum: quorum princeps Vitolfus quos uoluit ita uidendi officio spoliauit, ut propinquas ædes nec prospectu capere, nec certis possent uestigiis indagare: adeò luminum usum nubilo quodam errore obtundere callebat. Prӕterea Visinus eximiæ opinionis gladiator omnem telorum aciem ad hebetudinis habitum solo conspectu redigere solebat. Gladio tamen Suetici gigantis Starchatari (de quo inferius dicetur) interemptus est. Tenuissima enim pelle (quod unicum contra hebetandi uim remedium perhibetur) gladium suum semper seruauit obtectum. Verùm proiectilia saxa nulla arte, uel carmine, ne fortiter emissi noceant, hebetari.

De magis marinis.
CAP. XXVIII.



COlebatur etiam inter alia Aquilonis numina magus quidam Hollerus nomine, non minori fraude, quàm singulari superstitione diuinitatis opinionem, & cultum sibi in gente curiosa uendicans. Is siquidem parem cum Othino amplitudinem in medio deorum assecutus, adeò armorum, & præstigiorum usu clarus euaserat, ut ad traiicienda maria osse quod diris carminibus obsignauisset, nauigii loco uteretur: nec segnius eo, quàm cælerrimo uelorum, uentorumꝗ usu præiecta aquarum obstacula superaret. Tandemꝗ, ut diuinitas eius ostenderetur esse mortalis, ab æmulis suis truculentissima morte est interemptus. Prĕtereà Oddo Danicus pirata maximus, tantum magicæ doctus extitit, ut absꝗ carina altum pererrans, hostilia sæpe nauigia concitatis carmine procellis euerteret. Itaꝗ ne cum piratis in maritimarum uirium certamen descenderet, exasperatos maleficio fluctus, & uentos, ad naufragia eisdem infligenda perducere solebat. Hic ut negotiatoribus atrox, ita ruricolis extitit clemens aliter rusticas munditias, aliter sordidos hominum quæstus æstimans. Is etiam in hebetando carmine ferro miro ingenio pollebat: & tandem peritiore hoste circumuentus, gurgite submergitur, qui marinos uortices præstigiosis carminibus olim calcare consueuit.

De eisdem Magis, & similibus.

CAP. XIX.

DEinde Othinus maior, atq; senior inter magos, Hadingum quendam Daniæ Regem magicis præstigijs turpiter illusum, atque longius à suis familiaribus auulsum, cum equo per uasta maris spatia ad propria reduxit. Cum tamen Hadingus duceretur, amiculi eius rimas, sub quo trepidus delitebat, per summam rerum admirationem uisus perspicuitate trajciēs, animaduertit equinis freta patere uestigijs: prohibitusq; rei inconcessæ captare conspectum, plenos stuporis oculos à terribili itinerum suorum contemplatione deflexit. Demum Haquinus Noruegiæ Princeps cōtra Danos pugnaturus, coorti imbris maleficio ita hostium uertices inusitatis grandinis ictibus conuerberauit, ut eorum oculi ueluti quibusdam nimborum spiculis lacessiti, prospiciendiq; penitus facultate defecti, grauiorem ab elementis pugnam, quàm ab hoste sentirent. Præterea Biarmenses polo Arctico uiciniores, in Septentrione contra potentissimum Regem Regnerum pugnaturi, carminibus aggressi cœlum, solicitas nubes ad summam usque nimborum uiolentiam impulerunt. Deinde Danos subitò remissa tempestate tempestuosissimi feruoris flagrantia torruit. Ita anceps geminæ intemperantiæ malum uicissim affecta corpora salute, & uictoria spoliauit. Sed de hoc, & simili certamine Biarmiensium, Finmarchorum, ac Scricfinnorum, alibi diffusius lib. 1. cap. primo & sequentibus, superius est ostensum &c. Nouissimis tamen his seculis omnes utriusq; sexus homines in hoc errore conuicti, pœna ignis, quoties opus fuerit, acerrimè puniuntur: quia uersari non licet in magicis artibus temporibus Christianis, quemadmodum Cassio. 4. lib. meminit de edictis Theoderici Regis Gothorum: qui uoluit, ne leges sinerent euadere criminosos. Præterea lib. 9. Athalarici Regis Gothorum sententia est, Maleficos, uel eos, qui ab eorum nefarijs actibus aliquid crediderint expetendum, legum seueritate fore puniendos: quia impium est circa eos remissos, quos cœlestis pietas non patitur impunitos, ut superius eodem libro capite 15. est notatum, quia Decretali pœna plectendi sunt, qui se prohibitis excessibus miscuerint.

De Mago ligato.

CAP. XX.



APud Ostrogothos lacus est maximus recētium aquarum Veter dictus (de quo superius satis dictū est) amœnam sed oblongam insulam in umbilico suo habens, duas tenentem Ecclesias parochiales sub quarū altera specus cauernoso, lōgoq; introitu, & exitu immensæ profunditatis reperitur: quam specum non nisi uanæ ostentationis, & curiositatis homines laternis accensis, filisq; glomeratis repetendi regressus, prouisi descendunt: ea potissimum causa, ut quendam magnum Gilebertum nomine, arte magica (unde calamitas eius orta est) à uetustissimo tempore per proprium præceptorem Catillum, cui insultare presumpserat, superatum atque ligatum, eo scilicet modo, ut exiguo fuste certis characteribus Gothicis, seu Ruthenicis sculpto, atque à præceptore proiecto, & manibus apprehenso ipse Gilbertus immobilis maneret, & obstri-

ctus,nec dentibus ad soluendum adhibitis(quasi tenaciori bitumine astrictis)nec pedibus doloso pręceptoris cōsilio admotis,dissolui posset. Cuius spectaculi causa uisendi,etsi plures temerarij spiritus inspectores uehementi admiratione accurrere soleant,tamen non propius,ob fœtorem cauernæ,& noxios uapores,aggredi pręsumunt,ne spiritu obstructo,clausoq; stomacho suffocentur. Arcētur etiam appositis aggeribus,& repagulis incolarū,ne proprij periculi contemptores uelut insanientes(nunquàm egressuri)ingrediantur. Præterea lege grauissima tanquam de his,qui sibi mortem consciuerunt,prouisum est,ne hæc pericula agnoscentes,alios inexpertos ad huiusmodi spectaculum perscrutandum alliciant, aut allectos inducant,cum multis exemplis notissimum sit,in eo antro ad mortē usq; plurimos fuisse periclitatos,ita ut facilius apud Cretenses portentosissimum Dædali labyrinthum,itinerum ambages,occursus,& recursus inexplicabiles continentē,crebrasq; fores ad fallendos exitus,reditusq; in errores eosdem habentem penetrarent,& euaderent,quàm hanc profundissimā specum,et flexuosam uiam. Simile Strabo meminit lib.13. dicens: Plutonium est os in paruo quodā imminentis montis supercilio ita commensuratum,ut hominem suscipere posit mira profunditate. Huic propositum est uallum quadratum ambitu ferè semiiugero: quod nebulosa,& crassa caligine plenum est,ut uix solum discerni posit ad septum appropinquantibus. Aer innoxius est,purus ab illa caligine in transquillitate uentorum: nam caligo intra ambitum manet. Si uerò animal introrsum progrediatur, statim moritur. Quapropter tauri introducti cadunt,& mortui educuntur. Passeres etiam subitò moriuntur: galli uerò execti illæsi accedunt,ut etiam usq; àd os introspiciant accedentes,& immergātur,quousq; possint spiritum continere. Huic speculationi si quis aliquid superaddere tempus habuerit,uideat labyrinthū Porsenæ Regis Hetruriæ: quem si quis sine filo glomerato intrat, exire nequit. Possent hic plura in simili de Gilberto adduci,qualia referente Vincen. in spe. histo. lib.6.cap.61. Helimandus de Virgilio refert. Sed paucis ostendere sufficit,uanitati nullum dari finem. Specus etiam propter euitanda tonitrua profundius in terra fiunt: etiam subterranea ædificia: qualia uisus est Samolxis homo,uel dæmon Gothorum(teste Herodoto lib.4.)multò ante Pythagoram uiuens fecisse: ut forsan clausus ibidem,& inde annis aliquot euolutis rediens, mirabilia se fingeret apud inferos contemplatum. Huic etiam loco applicari poterit Tiphonis gigantis locus apud Iustinum,& Solinū satis notus. Hæc igitur supradicta insula Visingxœ dicta ualde insignis reputatur,ob amœnam,& securam stationem Regum qui & in ea mortui sunt,ac tumulati.

De Salmoxis in Gothiam aduentu,& doctrina. Ioan. Mag. lib.3. in uita Tanobontæ Regis.

Tanobontam deinde Regem Gothi habuere,cum in Thracia residerent: sed quo tempore,nōdum ex historijs plenè compertum habeo,neq; etiam quicq; gestorum eius præter nudum nomen ex Perotto Sipontino ad me peruenit. Ita inuiderat fortuna pręclaris & magnificis Getarum gestis,quæ nimium iniqua sorte alijs magnificos rerum scriptores tribuerat, qui parua facta tanq; maiora usq; ad sydera efferrent. Attamen graues autores testantur, Getas(ut diximus)multis nationibus excellentius sapientiæ studuisse,& ab initio fidem uel opinionem de animæ immortalitate à doctissimis Philosophis didicisse: inter quos erat Zenta,de quo dictum est,& Salmoxes,qui fuit homo(inquit Herodotus,ut ego à Græcis accepi Hellespontum incolentibus)Samiq; seruitutem seruiuit Pythagoræ Mesarchi filio,qui claruit circa annos sexcentos ante Christum natum. Ab illo tandem emancipatus,& multo auro,argentoq; locupletatus,ad patrios agros reuersus est: ubi cum comperisset gentem suam non ita uirtutibus operam dare,ut æqualiter honestati uitæ,ac militari disciplinę se accommodarent,cogitauit se non sibi soli,sed etiam patriæ natum. Proinde nobiliores suę gentis, tum doctrina,tum exemplo,& morum probitate,ad uirtutis studia inclinauit, secutus in omnibus doctissimi præceptoris sui Pythagoræ instituta, cui q; plurimæ & memorabiles

sententiæ



ſententiæ attribuuntur, quas Laërtij diligentia in manupulum unum colligauit. Verum inter has non infima uidetur, quam ex eius ore ſuſceptam Salmoxes ſuis Gothis ſolicitè inculcare ſtudebat, uidelicet, Fugienda eſſe, & omnibus modis abſcindenda eſſe hæc omnia, languor à corpore, imperitia ab anima, luxuria à uentre, à ciuitate ſeditio, à domo diſcordia, & à cunctis rebus intemperantia. Veruntamen cũ cõſideraret mẽtes nobilium Getarum ſic inclinatas, ut ad uiam uirtutis magis duci, quam cogi poſſent, domicilium extruit, ad quod plurimos eorum ſub ſpecie conuiuij, re autem uera ob honeſtæ uitę diſciplinam excipiebat.

Demum poſtq́ proceres & populos in præceptis inſtitutisq́ uirtutum confirmaſſet, cœpit de animæ immortalitate cunctis applaudentibus diſputare, docendo neq́ ſuos conuiuas, neq́ illos, qui illic aſsiduè gignerentur, morerenturq́, interire, ſed in eum locum commigrare, ubi ſuperſtities ſemper, omnium bonorum compotes eſſent, optimamq́ uitam ducerent, quam ſempiterno æuo continuarent. Hoc modo perſuaſis diſcipulis, in ſubterraneum ædificium, quod interim conſtruxerat, ſe à ſuorum conſpectu clam ſubducens, magnum ſui deſiderium toto triennio gentibus ſuis reliquit, quę ipſum nõ ſecus ac mortuum lachrymis ac luctu proſequebantur. At quarto anno ſuorum conſpectui reſtitutus, ſatis probaſſe uidebatur ſententiam de animarum æternitate, & præmio uirtutum ſempiterno. Tantaq́ incœpit increſcere admiratio (teſte Strabone) ut par Regi haberetur: illumq́ Rex in conſortium adminiſtrandi regni aſſumpſit, optimè ſibi, & ſuo regno conſultum putans, quando ſapientiſsimi uiri conſilijs ſuſtentaretur: uiſusq́ eſt Rex omnia ſua decreta & reſponſa ex Deorum oraculo proponere, quemadmodum Numa Pompilius ſuis legibus ex conſilijs Deæ Egeriæ diuinam tribuit autoritatem. Durauitq́ ea conſuetudo ad plura ſecula in gentè Gothorum, ut ſemper aliquis ſapientiſsimus, & diuina autoritate præditus Regi aſsiſteret, & eius conſilia bello & pace moderaretur. Talesq́ ſapientes poſt fata in numerum Deorum à Gothis iuſtius referebantur, quàm à Romanis, qui non raro ignauiſsimos tyrannos, & enormium uitiorum portenta Deorum collegio aſſcripſerunt. Eo igitur modo ſapientiſsimi Pythagoræ diſcipulus Salmoxes, diuinos honores aſſecutus, occaſionem intolerabilis erroris circa uerum ueri Dei cultum ad ſuos poſteros, præſertim Getas, tranſmiſit.

De caſtigatione maleficarum.

CAP. XXI.



NE uideantur Septentrionales maleficæ ſolum hic ad triſtia ſpectacula adduci, occurrit Vincen. in ſpe. hiſto. lib. 25, cap. 26. aſſerens, Anglicanam fœminam arte magica illuſam, à dæmonibus poſt dira tormenta ad aëra cum clamoribus horrendis fuiſſe raptam. Cuius uerba hæc ſunt: Mulier quędam apud Berheliam Angliæ uillam auguratrix & malefica, cum quadam die cõuiuaretur, cornicula, quam habebat in delicijs uocalius ſolito neſcio quid cornicata eſt. Quo audito, cultellus dominę de manu excidit, ſimul & uultus expalluit. Ingemiſcens diutiſsimè ait: Hodie ad ultimũ ſulcum peruenit aratrum meũ: hodie audiã, & accipiã grande incõmodũ. Adhuc ea loquente, uenit ad eam nuntius dicẽs: Hodie mortuus eſt filius tuus, & tota familia ſubita morte interijt. Quo audito, continuo dolore ſaucia decubuit: uocariq́ pręcepit ſuperſtites liberos, monachum, & monachã: quibus ſingultiendo ait: Ego miſerabili quodã fato meo dęmonicis actibus ſemper inſeruiui: ego uitiorũ omniũ ſentina, & illecebrarũ magiſtra fui, & ſuperabã tantũ in religione ueſtra, & à meipſa deſperaui. Nunc ergo, quia ſcio me dęmones habiturã exactores in pœna, quos habui ſuaſores in culpa: rogo uos per materna uiſcera, ut mea tentetis alleuiare tormenta: nã de anima ſententiam dãnationis nõ reuocabitis. Corpus ergo meũ inſuite in corio ceruino, & includite in lapideo ſarcophago, & operculum ferro, & plumbo conſtringite, & lapidem ipſum tribus magnis catenis circundate. Si tribus noctibus ita ſecurè iacuero, quarta die infodietis me in humo: quanquam uerear, ne terra nolit me recipere pro maleficijs meis. Pſalmicines quinquaginta ſint noctibus et miſſę

cantentur pro me tot diebus. Factum igitur est, ut præceperat: & nihil ualuit. Primis enim duabus noctibus cum chori clericorum psalmos canerent circa corpus singuli dæmones hostium ecclesiæ immani obice clausum, leui negotio confringentes, duas extremas catenas diruperant: media uerò, quæ operosius elaborata erat, illibata durauit. Tertia nocte circa galli cantum strepitu aduenientium hostium omne monasterium uisum est à fundamentis moueri. Vnus nempe uultu cæteris terribilior, & statura celsior, ianuas maiori ui concussas in fragmenta deiecit, & arroganti gestu accessit ad sarcophagũ, inclamatoq; nomine ut surgeret, imperauit. Qua respondente, Nequeo pre uinculis: Solueris, inquit, & malo tuo. Statimq; catena, quæ cæterorum ferociam eluserat, nullo conamine ut stupã dirupit operculũq; tũbæ pede depulit: & apprehẽsa manu palam omnibus ab ecclesia extraxit ad fores: ubi paratus erat equus niger superbè hinniens, uncis ferreis per totũ protuberantibus: super quos misera illa mulier imposita, ab oculis intuentium cũ toto sodalitio disparuit. Audiebantur tamẽ clamores per quatuor ferè milliaria miserabiles suppetias deprecantis. Quale etiam diaboli ludibriũ ob dæmonũ cultũ acciderit infelicibus Rugianis in urbe Karentina refert Saxo lib. 14. ubi dæmonũ illusione primum stupra hominũ prouocata erant, & tandẽ illico sub ipso spurcissimo actu detestabiliter punita. Siquidẽ mares in ea urbe cum fœminis in concubitum accitis, canum exemplo cohærere solebant: nec ab ipsis morando diuelli poterant. Interdum utrique perticis è diuerso appensi, inusitato nexu ridiculum populo spectaculum prębuere. Ea miraculi fœditate solennis cultus ignobilibus statuis accessit. Creditumq; est earum uiribus effectum, quod dæmonum erat præstigijs adumbratum. Talia ergo testante S. Augustino lib. 8. de ciuita. Dei, alto iustoq; Dei iudicio sinuntur pro meritis eorum: quos ab eis uel affligi tantum uel etiam subijci, ac decipi iustum est. Qui autem nec felicem in futuro uitam, nec modo habere uult piam, talibus sacris mortem quærat apud inferos. Qui autem cum malignis dæmonibus non uult habere societatem, non superstitionem qua coluntur, noxiam pertimescat: sed ueram religionem, qua produntur, & uincuntur, agnoscat.

De ministerio dæmonum.

CAP. XXII.



PRæmisis multis, & apertis tam sacræ quàm profanæ scripturæ testimonijs, quòd dæmones appareant, seruiantq; hominibus, eosq; mille modis illudentes in uarios errores, ac pericula infinitis, & inexplicabilibus modis adducant, in parte repetendum ueniet, quod cap. 2. lib. 2. ac alijs proximis cap. huius tertij libri est adductum: scilicet quòd in Septentrionalibus siue Aquilonaribus locis (ubi literali sensu sedes est Satanę) indicibili ludificatione, uarijsq; formis habitatoribus eorum locorum applaudant, imò & damna inferunt, ædium uidelicet euersionem, pecudum interitum, agrorum destructionem, ac castellorum aquarumq; omnimodam desolationem: quæ omnia, imò longè secretiora, siue apertiora dæmonum ludibria, ut superuacaneum est doctis & prudentibus per exempla ostendere, ita & nullius utilitatis erit curiosis & uanis, quibus nullæ rationes aut autoritates sufficiunt, hæc ipsa per amplius manifestare. Pro comperto tamen relinquitur, ut citato 2. cap. præcedentis libri notatum est

tatum est

tatum est, spiritus, seu umbras amicis apparere, dextramq; reddere, & quo ituri sint, gemebundis suspirijs intimare. Quòd autem dæmones sint sub umbra nuper in aquis Islandicis suffocatorum, uel spiritus defunctorum, inter mirabiliora hactenus creditum fuerat, & obseruatum. Hoc tamen clarè fatendum est, obsessos à dæmonibus uarijs loqui linguis, maximè stridoroso superioris Germaniæ sono, sexcentis milliaribus ab Aquilone distante (confusa licet appellatione) quos uoluerint, nominare. Hocq; in casu simili beatus Hieronymus asserit: sanctum scilicet Hilarium expulisse à dæmoniaco multiplex genus dæmoniorum: quod uaria uoce respondebat, lingua uidelicet Græca: aliud Hebræa: aliud Arabica: aliud ex uno ore: & ita de alijs. Quòd etiam uideantur dæmones, mirum non est, aut inusitatum, præsertim à sanctis uiris: ut de Martino legitur, qui diabolum uidit uisibiliter à tergo Principis insidentem, & eum expulit. Parum enim est sanctis uiris cœli uirtutibus uti, nisi ipsæ uirtutes uisibiliter humanis oculis uideantur. Imò & à prosanis hominibus, ac ethnicis uideri compertum est, ut Plutarchus in uita Cæsaris ad finem de Bruto Cæsaris interfectore meminit: cui apparuit horrendum simulachrum hominis, inusitata quidem magnitudine, & specie grauissima, ipsi lectulo assidens: ac interrogatus, quis esset: respondit, Tuus sum malus genius: in Philippis me uidebis. Vbi iteratò nil dicens apparuit, & ipse Brutus ex præcipiti colle super pugionem, quo Cæsarem interemit, se moribundus iniecit. Sic & Saxo libro 4. accidisse dicit Saxonibus armatis, qui à Sclauis hortenda forma, tanquam bono & optato omine, supernè in uertice montis uiso dæmone, sunt interempti: quia eo monstro ueluti diuinitus dati ducis aduentu firmati, sumptis uictoriæ auspicijs, ex improuiso Saxones eosdem funditus occiderunt.

LIBRI TERTII FINIS.

OLAI MAGNI GOTHI ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS DE BELLIS ET MORIBVS syluestrium paganorum ac uicinorum

LIBER QVARTVS.

PRAEFATIO.



OSTENSVRVS bella syluestrium inhabitatorum extremi Aquilonis, mores asperos, exercitia miranda, linguarum uarietates, locorum situs, cursum alibi inusitatum, rupium pręcipitia, profundas niues, inuias paludes, limosas uoragines, amnesq; præcipiti cursu labentes per syluas latissimo spatio inhabitatas, curiosum lectorem, si libuerit, ad res gestas Alexandri, nihil intentatum relinquentis, remitto: atq; inter alia de triumphis ab inope gente Indiana quęsitis: quæ proprijs expulsa laribus, rupem abruptam, seu potius acuminatam petram pro sui defensione, & natura munitam elegit, pluresq; temerè iussu Alexandri accedentes interemit: parumq; absuit ne & ipse locorum arduorum, ut rupium inuasor potius, quàm hominum uictor, saucius & morituro similimus interimeretur. Acrius enim, quàm cautius plurimis interfectis ducibus, temeraria præsumptione pugnabat. De quibus eius facinoribus, qui plura uidere desiderat, apud Q. Curtium, Iustinum, & Plutarchum inquirat.

CAP. I.





REfert clarissimus Danicæ historiæ autor Saxo Grammaticus, Regnerum Regem Danorum integro lustro in oris Ruthenicis piratica expleta, animum induxisse, uicinos Biarmenses, homines scilicet Septentrionales, montes et loca campestria inhabitantes, hostilibus armis, & incomparabili potentia sua humiliandos aggredi. Qui cum aduentum eius compertum haberent, carminibus aggressi cœlum, sollicitatas nubes ad summam usque nimborum uiolentiam impleuerunt. Quę res Regnerum aliquandiu nauigatione prohibitum, alimentorum facultate defecit, eundemq́ue subitò remissa tempestate æstuosissimi feruoris flagrantia torruit. Nec ea quidem pestis concitati frigoris magnitudine intolerabilior extitit. Itaque anceps geminæ intemperantiæ malum uicissim affecta corpora suorum militum immoderata utriusque status accessione corrupit.

Verùm



Verùm ut Rex se adulterina magis, quàm uera aëris ui impeditum animaduerteret, Biarmorum insolentiam ulturus, iterum eosdem inopinato repetiuit assultu. Quorum rex peritissima sagittariorum uicini ducis Finmarchiæ opera fretus, Regneri in Biarmia hybernantis impunè lacerauit exercitum. Quippe Finni (ut in principio primi libri tactum est) lubricorum stipitum celeri allapsu cursum intendere soliti, arbitraria uelocitatis potentia rapiuntur, promptissimamq; propinquitatis, uel absentiæ facultatem obtinent. Mox enim ut hostem læserint, eadem celeritate, qua subeunt, auolant: nec procursu languidius reditum tentant. Itaq; & uehiculorum, & corporum agilitate instandi, fugiendiq; expertissimam habent potestatem. Credendum (ut idem Saxo refert) potentissimum Regem fortunæ suæ imbecillitatem admiranter tulisse, cùm se olim Romani culminis triumphatorem ab inermi, inconditoq; agmine ad ultimum usq; discrimen abripi peruideret. Itaque qui splendidissimum Romanæ militiæ decus, maximiq; ac serenissimi ducis insignes copias excellenter obtriuerat, agrestis & ignobilis uulgi sordidissimo atq; tenuissimo apparatui cessit: isq;, cuius bellicam anteà claritatem fortissimæ gentis uis hebetare nequiuerat, despicabilis populi paruulam manum sustinere non ualuit. Quo euenit, ut ea manu, qua clarissimam orbis pompam, ac grauissimum militaris roboris instrumentum fortissimè contudit: qua tot peditum, tot castrorum, tanti equitatus fragorem apertissimè subruit: uilem, obscuramq; plebeculam furtim, & quasi per latrocinium incessere sustineret, illustremq; gloriam suam palàm, atq; interdiu partam, nocturna fallacia maculare non erubesceret, manifestę fortitudinis loco clandestinas amplexatus insidias: quæ res ut opere deformis, ita exitu uilis fuit. Potuitq; usitatum carmen dicere:

Eheu quàm breuibus pereunt ingentia causis.

Prætereà quod Arngrimus Tengildum Finmarchorum, & Egbertum Biarmorum Reges, Frothoni Danorum Regi tam obstinato animo, et uiribus resistentes deuicerit, ipse Frotho filiam, quàm uuicè diligebat, eidem Arngrimo Suetico pugili, qui Egbertum duello prouocatum deuicit, matrimonio copulauit: haud incongruum ducens, eius se socerum exhibere, qui sibi tantis operum titulis sublato hoste acerrimo, potentem latè claritatem struxisset. Quantę insuper ferocitatis, & audaciæ fuerit ille populus Italiæ fiducia plenus, licet rudis & pastorius, in recuperando ac conseruando imperio, L. Florus primo bello Punico ostendit: de quo populo dicit, Nihil interesse uirtutis, equis an nauibus, terra an mari dimicaretur.

De immanitate syluestrium incolarum.

CAP. II.



QVemadmodum Orientales populi Caspios montes inhabitantes, ob uehemētem orituri solis strepitum, ac horrendum sonum secretis exhalationibus è terræ uisceribus excitatis, ad cauernas uitam conseruaturi refugiunt, auresq; ambas obturant, ut urgente tempore tutiores fiant: ita gentes in ultimis Noruagici Oceani littoribus constitutæ ob ualidissimum uentum Circium (de quo lib. primo dictum est) & densitatem niuium in excelsis montibus suscitatam, specus subterraneas habent, pisciumq; ac ferarum usu uiuunt. Hiq; aliorum aliunde adnauigantium congressum, tanquam prædonum, ne fortè in captiuitatē redigantur, abhorrent. Attamen profugos tyrannica crudelitate

litate oppressos, pro eorum, suaq́; defensione consortes admittunt: instruuntq́; quomodo piratas littora eorum accedentes, positis insidijs suscipere, uel interimere possint. Possunt quidem, dum refugas se simulant, uel obsequium portuum ignaris exhibent, ne periclitentur: quos uolunt periculis claudi. Vbi uerò exoticis hominibus non occurrentibus hęc, & similia ob congelatum mare inferre nequeunt, in ergastulis, seu cauernis belluarum marinarum ossibus, ac costis constructis, propter uentos, ac niues commorari coguntur. Hæ etenim cauernæ in superficie tectorum ex alga factorum more carinę euersæ satis ingeniosè uidentur extructę: idq́; ob uehementiam uentorum, qui non minus formidabiles sunt ibidem, quàm diræ tempestates è gurgite suscitatę. Sunt etiam inter eos certi homines, quasi Nomades, littus maris Caspij inhabitantes: qui cespitibus, uel algis, aut musco montano coniunctis fruticibus aditum ad eorum tuguriola claudunt, ne quis è mari proueniens eos, eorumq́; secreta scrutaturus accedat. Et forsitan hanc cœli, soliq́;, & antrorum duritiem non grauatim sufferunt, ut liberi sint ab importabili, insatiabiliq́; tributo crudelium tyrannorum, quibus immensurabilis Oceanus uidetur exilis urna. Meminit pręterea Strabo lib. 12. Neptacometas gentes feroces super arboribus, ac turribus habitare, ex carne ferina, & arborum fructibus uiuentes: quę ex lignis disilientes, peregrinos adoriuntur iter agẽtes. Tamq́; potentes fuerunt, ut tres Pompeij cohortes armis, & dolis obtruncarent, dum montana pertransirent. Miscentes enim crateras furentis mellis, quod rami arborum ferunt, potos, & mente alienatos adortæ facilimè interemerunt: quod dissimile non est supra scriptis syluestribus uiris, qui niuium, sagittarumq́; densitate potentissimum abegerunt hostem. De gentibus etiam Septentrionem uersus ad Oceani æstum in tumulis habitantibus, satis multa, & mira Plinius lib. 16. cap. 2. recenset: gentem scilicet miseram esse, quæ tumulos obtinet altos, aut tribunalia manibus constructa ad experimenta altissimi æstus, casis ita impositis, nauigantibus similes, cum integant aquæ circundatæ naufragijs. Cùm uero recesserint, fugientes cum mari pisces circa tuguria uenantur: quos sic acceptos uento magis, quàm sole desiccant. Quod autem ab alijs non superentur in seruitutis iugum, facit, quòd fortuna parcit eis, ob propriam pœnam.

Adhuc de syluestrium hominum ferocitate &c.

CAP. III.



VErsus lacum album extremi Septentrionis, ubi Regis, & regni Suetię dominium latissimè extenditur, circumquaq́; ferocissimę gentes habitant, alijs non utentes thoracibus, quàm pellibus onagrinis, uel alcinis: similiter & arcubus, ac lanceis minutissimo cõto antrorsum, retrorsumq́; obfirmatis. Agilitate enim admiranda (uti superius lib. 1. de Scricfinnis dictum est) in omne latus se uoluẽtes, gyrantesq́;, quemcunque impetum fallere, uel auertere norunt: idque præcipue super cacuminibus uallium perpetua densitate niuium ubique repletis, quemadmodum superius in multis capitulis tam primo, quam secundo & tertio libris per occasionem est ostensum. Fereq́; de eisdem gentibus expedit hic dicere, quòd summus Scytharum philosophus Anacharsis de eorum moribus scripsit: id est, ut neque quispiam, qui ad eos se contulerit, aufugere queat, neque ipsi capi possint, aut ne inueniri quidem, si nolint, atque deprehendi. Siquidem nullæ sunt eis urbes, nulla mœnia



mœnia extructa: domos secum ferunt singuli: pedestres sagittarij, nullo pane uicti tantes, sed ex piscibus, & uenatione ferarum: pro domibus plaustra habentes, ac tentoria, uel ex induratis animalium corijs, uel arborum codicibus cooperta. Hyeme tamen ad ripas aquarum, & æstate inter frutices arborum, & opaca loca uariata statione quiescunt. Tegumenta capitum pro frequentiori usu habent exuuia anserum, seu anatum syluestrium, ac gallorum: qui, ut cætera uolatilia, ibidem reperiuntur innumerabili quantitate. Pelles illic pretiosæ nimis multiplicatæ, potiuntur commutatione rerum, quàm usu, numeroq; nummorum reperiuntur.

De quintuplici lingua Septentrionalium regnorum.
CAP. IIII.



HAc diuersitate habituum & armorum, declaratur quanta sit differentia & distantia regionum, linguarum, etatum, & exercitiorum. Regiones itaq; multæ, magnæ, ac potentes sunt, ut Lapponum, Moscouitarum, Sueonum, Gothorum, Vermorum, Dalensium, Montanorum, ac Noruegianorum: quarum amplitudo in longum latum extensa, maior est, quàm simul sumpta Italia, Hispania, ac Gallia: ut Plinius frustra eas non uocauerit, ob incompertam magnitudinem, Alterum orbem. ideoq; mirandum non est, quòd in ea quintuplicis linguæ usus reperiatur, Septentrionalium scilicet Lapponum, seu Bothniensium, Moscouitarum, Ruthenorum, Finningorum, Sueonum, ac Gothorum, & Germanorum. Aetas uerò hominum ibidem in nationibus frigidis eò prouenit, ut centum sexaginta & amplius annos uiuant, etiam in Anglia, & Scotia: ubi quidem uenerandus Episcopus Dauid uixit ultra 170. annos. Exercitia etiam eorum (scilicet solitudines Aquilonis inhabitantium) sunt, ut uenationibus, & piscaturis intenti, Moscouitarum commutationibus uiuant. Finni siue Finningi, agriculturæ, piscationi, ac lignorum dolaturæ: Gothi, Sueones, prædictis exercitijs etiam operam præstant: aduenæ, Germani diuersis rerum mercimonijs intenti, ex quęstu uiuũt: leges terrigenarum acceptant: omniaq;, quæ ad mitioris uitæ genus spectare uidentur, ut pannos sericeos, aureas texturas, & uina diuersa, important. Armorum generibus, quibus & qualibus utantur, partim hic, partim infrà, & fusius quidem, de campestribus prælijs ostendetur. Hic autem manifestum relinquitur, inter omnes Septentrionales populos in arte sagittatoria Gothos esse expertiores, ac agiliores in ballistis: ut Finni in arcubus comprobantur. Sueones securibus, ac bipennibus, ac hastis pręliari solent. Habitus more uetusto breuis solet esse, ac strictus: præter caligas, quæ sunt laxiores. Sueones amplioribus, quasi Germanico ritu, utuntur uestimentis. Moscouitę longis more Græcorum: quorum omnium sunt ualde Boreales. Syluestres uerò Lappones uariarum ferarum pretiosis pellibus, nulla ornatus, sed necessitatis causa, uestiuntur. Quod autem magna uarietas linguarum sit in tãta prouinciarum distantia, nulli uidebitur mirum, dũm Strabo lib. 11. (licet opinatiue) asserit, quod 70. uel potius 300. gentes circa mare Caspium habitantes, in commercijs totidem linguis distinctis utuntur, quia aspera, atq; intractabilia loca inhabitant: quarum plures Sarmatici generis sunt, omnes tamen Caucasi inhabitatores. Præterea paulò post asserit, Albanorum gentem olim diuisam fuisse in 26. linguas: quarum quælibet suum proprium Regem habebat, & obseruabat: & forsitan unicuiq; facies sua singularis erat, ut clarè uideri posset tam gentium, quàm linguarum admiranda diuersitas: unde

cantuum, ac modulorum flexiones, & animorum explanationes (quibus homines à feris distinguuntur) apertè cognosci possent. Qui uero ante ætatem natura præscriptam (ut Crœsi filius semestris) loquitur, portentosum est ad gentium, et parentum euersionem &c. Aetatem tamen legitimam uirtus facit: ut qui ualet hostem confodere, tutoribus uix indigere uidetur.

De commutationibus rerum, & mercium sine nummis.

CAP. V.



CVm omnis fraus grauis, & detestabilis in omni rerum pertractatione esse uideatur, tamen eò iniquor, & importabilior, ac amarior est, quò inter simplices populos intentari probatur, maximè falsato uel adulterato numismate interueniente, prout inferius de diuersitate monetarum lib. 6. ostendetur. Propterea gens hęc Laponum, siue Bothniensium, & syluestrium locorum, uti quieta domi, ita et reliquo orbi foris ignota cēsetur. Hoc discrimine falsitatis haud concurritur, dum potius rerum, quàm numerorum cōputa respiciens, amœna tranquillitate quod optat acquirit. Et ita strepitum foris nesciens, sine seditione uiuit, sine inuidia cohabitat, & sine dolo omnia communicat: cui sola contentio est paupertatem fugere, & diuitias non amare. Nesciunt populi illi esse lucripetę, ne se aliqua negotiationis calliditate discrucient. Ideò sine tumultu uiuentes, sic fortunas mediocrium cupiunt, ut sana diuitum conscientia non priuentur: quibus insigne piaculum est aliquid rapere: qui nesciunt aliena fraudare. Attamen cùm non sint ex omni parte beati, quin alterutrius ope rebusq; indigeant, pro sua meliori commoditate: idcirco commercia rerum absq; pecunia, bonæ & fideli permutationi inhærentes, mutuo consensu nullo communicato sermone (prout proximo capite) quia gens multiplex est, fideliter agunt: non propter ingenij inopiam & barbaros mores, sed quòd linguam habeant peculiarem cæteris uicinis parumper ignotam. Loca quoq; constituta uel in campestri planitie, uel stagnata glacie, singulo anno ad hæc peragenda negotia, quasi nundinalia retinent, ut uniuersis exhibeant, quod priuatis ingenijs domi, uel foris agnouerint se conquisiuisse. Nec intereà à similibus abstinent commercijs, dum offertur quod cupiunt ab alienis. Ad hanc rem pulchrè quadrat Herodotus lib. 4. ubi agit de columnis Herculis: à quibus non longè populus habitat, qui fumo, & flamma rerum pretia, ac consensum explorat. Sed ibi interuenit aurum, quod omnino ignoratur in hac gente: quia pelles pretiosæ, panni lanei lineiq;, sal, frumentum, & pisces, qui ueluti Romana canna, non libra distrahuntur, in pretio sunt. Præsides communi plebis consensu Bergchara, id est, uiros montium appellatos, habent & uenerantur, quibus etiam pelles pretiosas, pisciumq; multa genera, tam uice tributorum Regi Suetiæ pendenda, quàm propria liberalitate donata pendunt. Et hi rubeo uestitu præ cęteris agnoscuntur induti. Regi etiam Noruegię, ac Principi Moscouitarum similia tributa pendunt, & obtemperant. Bella nunquàm, nisi graui iniuria prouocati, in proprios uicinos, uel longè distantes inferunt. Tuncq; nedum armis, quæ furor accommodat, sed & diris incantationibns (ut superiore libro, imò in principio huius dictum est) inimicos quasi impacabiles adoriuntur, membra hostium in stuporem uertendo, ut nec manum leuare, nec ense ferire, & uix effugere, eis sit concessum. De commutationibus rerum Taprobanæ insulæ, qui uoluerit, uideat Plinium lib. 6. cap. 22. ubi plura, pulchraq; reperiuntur.

De



De nundinis glacialibus.

CAP. VI.



HAc imagine demonstratur antiquissimus ritus glacialium nundinarum, in multis prouincijs, & locis super planam, apertamq; glaciem opulentissimo mercatorum congressu obseruatarum: quorum celebrior locus est in Archiepiscopali ciuitate Vpsalensi regni Suetiæ: per cuius mediũ uastissimus amnis transiens, in tantum spissa glacie frequentius circa initium Februarij congelatur, ut infinitam hominum multitudinem, iumentorum pariter, & omnigenarum mercium sustineat grauitatem. Talesq; nundinas usq; in hunc diem antiquitas uocauerat, & adhuc uocat, Dysting, id est, Iudiciarium locum prudentissimæ Reginæ Dysæ: eo quod excelsi spiritus, & sagacissimi consilij fœmina, uidens populi infinitam multitudinem, ob cœli rigidissimum influxum, segetes ac fruges exhaustas, famis acerbitate periclitari, potius sorte declarata natale solum exeundo, sedes in alienis terris ultra mare patifico conuictu persuasit inquirere, & inquisitas diligenter colere, quàm truculẽtissima quorundam improuidorum hominum censura è uita deleri. Nec tamen is exitus gentium est à peninsula Scanziana, cuius Paulus Diaco. meminit de Longobardis. Similis quidem causa esse potuit: sed longissimo temporum interuallo huius Dysæ Reginæ imperio, ordine modo, & numero infinitę multitudinis, & potẽtia uariata. Cùm uerò charissimus frater, & antecessor meus Io. Magnus Archiepiscopus Vpsalensis in sua historia huius rei meminit, solicitum lectorem ad eius dicta remittens, ad nundinas glaciales reuertens dico, quòd inuariabili signo, & tempore cuncti Septentrionales populi, ac eorum uicinæ nationes nundinas huiusmodi strictissimè seruare solent: hoc scilicet modo, quòd primæ incensionis, quæ fit post diem, etiam mediam noctem Trium Regum in Ianuario, plenilunium, infallibile signum & tempus præscribat, quo omnes ad prædictas nundinas loco cunctis notissimo ualeant peruenire: eo tamen seruato puncto, ut ante et in ea, ac post eius lucem obseruent commercia instituta, ut luna decrescens suo lumine unicuiq; reditũ præbeat ad locum unde sit profectus, Res igitur, quæ negotiatorum uoto, usuq; ibidem contrectantur, omnigenæ sunt: pelles scilicet pretiosę diuersorum animalium: demum argentea uasa pro usu mensarum, atq; insatiabili ornamento mulierum: demum res frumentarię: metallorum, ferri, cupri, pannorum, ac esualium rerum: quę frequentius iusta æstimatione, quàm ponderum grauitate pro mutuo, hilariq; consensu distrahuntur: exceptis rebus, quibus sagax præsidum prouidentia pręsentibus, uel futuris necessitatibus intuetur indigenas posse rogare: quales sunt fruges, & equi præliares, & liquidæ escæ butyri, caseorum, & laridi: quarum species, si bellum immineat, peregrinis negotiatoribus, uel eorum agentibus publico edicto pœnis uallato prohibentur educi. Præterea alio in lacu congelato Meler dicto, circa finem Februarij, ad mœnia urbis Strengenensis fiunt nundinæ glaciales. Deinde in medio Martij territorij Iemptiæ in montanis Suetiæ, & Noruegiæ, loco Ouiken dicto, etiam super glaciem nundinæ celebrantur: imò in plerisque locis, in medio, uel fine Maij super congelatas aquas easq; latissimas equestres turmę ad pacem, siue ad bellum incedunt, dum Romę delicatis fructibus uesci solent.

De exitu Gentium causa famis: ex Ioan. Mag. lib. 8.

Gotharus Egilli filius, in defuncti parentis regna concordibus procerum ac populorum suffragijs assumptus, cogitare cœpit iuxta exemplum Regis Algothi, de quo prædiximus, quomodo illud nimis inueteratū odium, quod inter Sueones & Danos à prima regnorum fundatione cōtinuatum fuerat, abolere posset: iamq; longa rerum experientia compertum haberet, nihil minus ad id ualere, quàm bella & dissensiones. Quocirca ad diuersa studia se conuertens, statuit cum omnibus uicinis Regibus & Principibus, cōcordiam amicitiamq; componere: Danorum uerò Regem Omundum ut singulari affinitate sibi coniungeret, nobilem quendam Ebbonem inter Sueones illustri loco natum, tam honestæ legationi præficiens, filiam ipsius pulcherrimam haud difficulter impetrauit. Siquidem prudens & diligens nuntius, obtento patris & filiæ consensu, Gothorum multiplici ratione exhilarabat. Quippe non solum clarissimæ affinitatis, uerumetiam publicæ & necessariæ pacis legatum sese fuisse monstrauit. Sed cum nihil prẹter nuptiarum apparatum restare putaret, denuò Ebbonem legatione onerat, maioreq; & decentiore comitatu stipatum in Daniam remittit, ut sponsam ex paterna domo eductam, cum Regia & consueta pompa, usq; ad Suetiam deducere curet. Ebbo igitur magnifico apparatu, & honesta familia instructus, ad Schoningiam, siue Hallandiam Daniæ regno uicinam, peruenit: ubi insigne quoddam latrocinium in publico hospitio expertus est.

Erant enim duo fratres, quorum habitationes medij amnis fluxus separauerat. Hi sub specie hospitalitatis fraudes, & insidias, ac hostilitatem prætereuntibus clàm inferre consueuerunt: iamq; complures aduenas, eo prauo malignoq; ingenio, sub quieto noctis silentio somnum captantes, oppresserant. Horum hospitio Ebbo susceptus, splendidiusq; & liberalius, quàm fidelius tractatus, tandem in cubiculum quasi nocturna quiete fruiturus deducitur. Ibi abeunte domestica familia in omnes angulos, tectum ipse oculis suis circumspexit, uiditq; supernè pensilem trabem acuto ferro munitam, capitibus subiectorum imminere. Proinde re tacitus considerata, iubet comites suos transpositis seorsum corporibus, fessa membra fouere, præfatus salubriora loca, quæ ab illis angulis essent remotiora. Paruerunt iubenti Ebboni comites: at cæteri, qui se prudentiores putabant, locum semel occupatum mutare noluerunt: qui sub media nocte, demisso desursum ligno, obtruncati fuerunt. Nec longa mora interiecta, domestici latrones præmissis luminibus adueniunt, legatum Regium, eiusq; socios, quos putabant thesauros ad futuras nuptias afferre, spoliaturi. Sed quem credebāt trucidatum, inueniunt uiuum, & ad pugnam præparatum. Quocirca sumptis confestim armis, aperto bello inuadunt, quos occultis insidijs perdere nequiuerunt. Facta igitur atroci pugna, cęsisq; compluribus comitibus, Ebbo uix uita seruatus euasit, nuntiumq; tantò tristiorem se Gotharo restituit, quantò feliciorem se pridem (deductis prosperè negotijs) exhibuerat.

Gotharus tunc ea infelicitate nuntij uehementer commotus, cogitabat eas insidias à Siuardo Omundi filio (cui credebat illas nuptias non placere) præparatas, statuitq; eam iniuriam in Omundum, & totum Daniæ regnum uindicare. Nec Omundus se aut segniorem, aut impotentiorem ad excipiendum hostem ostendit. Quippe ut Gotharus omne robur regnorum suorum contra Daniam educere properabat, ita Omundus quicquid præstantioris militiæ usquam in toto regno, aut confœderatis terris habebat, aduenienti hosti opponere contendebat, tantum de uictoria certior, quantum sciuit suam innocentiam ab iniuria Ebboni illata alienam. Sed non semper uictoria innocentiam comitatur. Siuardus enim ab Omundo Danicas copias ducere iussus, facto cum Gotharo conflictu superatur. Non solum uictoriam, sed & maiorem Danici regni partem eo infelici congressu amisit. Progressus postea Gotharus, non prius à deuastatione cessauit, donec sponsam quam concupiuit, à medijs aulæ Regiæ penetralibus extractam, secum in Suetiam usq; perduxit. Erat tum inter illustriores proceres Sueonum Simon Snare, magnæ inter omnes autoritatis. Hunc Gotharus Selandiæ, Hallandiæ, Schoningiæ prẹficiens, prẹcepit, ut toto studio reliquam Daniæ partem suę potestati subiugare conaretur. Quod æquè solicitè uti præceptum erat, efficere curauit. Vocatis siquidem in suam militiam Sclauis, primum Iuthos, deinde Fionienses superauit, Daniæq; uires ita effregit, ut longo post tempore nequiuerint in pristinum statum suscitari. Quamuis enim Siuardus collectis undique copijs, arma in Simonem Schoningiæ præfectum conuertisset, ut eo superato, se & patriam in libertatem uindicaret, attamen nec potentia, nec fortuna par esse potuit hosti potentissimo, qui Gothari uiribus auctus, ubique inuictus apparebat. Nec contentus erat Siuardus Martis aleam semel attentasse, sed

ſæpe bellum Simoni intulit, rurſusq́ue ab eo illatum ſuſtinere cogebatur.

Interea uerò cum homines per Gothiam & Suetiam, ad plures annos plus bellis, quàm agris exercendis intendere cogerentur, neceſſariò ſecuta eſt in illis regionibus frumenti inopia, & fames, non ob terræ ſterilitatem, quæ ſuperabundantem panem cultori rependere conſueuit, ſed quia (ut dictum eſt) agricolæ uomeres in gladios conuerterant. Quocirca Rex & proceres, uocatis ad plebiſcitum populis, deliberant, quomodo ſe à præſentiſsimo famis periculo prudentius eripiant. Quibuſdam conſultius uidebatur, ſenes, & pueros, omnemq; imbellem ætatem, accelerato per ferrum fato, extinguere, quàm ſinere eos longa inedia, quæ eſſet omni morte durior, cruciari: alij uerò illud conſilium nimis inhumanum iudicabant, quo abiecta omni commiſeratione, crudele ferrum ſanguine innocentum, aut imbecillæ ætatis cruentaretur. Tandem communi omnium incolarum conſenſu decretum eſt, ut tam Gothi quàm Sueones, in tres turmas diuiderentur, quarum tertia, quæ miſsis in urnam ſortibus deſignaretur, patriam egredi, & ſedes in alienis terris ui, uel fauore acquirere cogeretur. Coniectis igitur ſortibus, qui extorres unà cum coniugibus & liberis iudicabantur, magno animo præſentis fortunę uarietatem amplexi, mox duos præſtantis animi iuuenes, Haconem & Hibbonem, duces, quibus parerent, elegerunt. Deinde in Moringiam, & ciuitatem Calmariæ (quæ caput eſt Gothiæ Meridionalis) profecti, claſſem tranſuehendæ multitudini idoneam confeſtim præparabant. Qua præparata, mox in inſulam Gotlandię, deinde in Teutonica littora, ſuperato maris periculo, ſe contulerunt. Poſtremò ſuperatis maximis difficultatibus, per maria & terras, per bella & labores, per regna & nationes, quietem in Italia inuenientes, gentem Longobardorum armis & uiribus illuſtrem, fundauerũt, in ea parte, quam olim Vmbri habitabant: qui inde à Tyrrhenis ſunt eiecti, Tyrrheni à Gallis, Galli à Romanis, Romani à Longobardis: qui poſtremò illi terræ nomen indiderũt, quæ iacet inter Alpes & Apenninum, ut teſtatur Sabellicus.

Hic ſcio contra me inſurgere Danos, qui ſuum Saxonem mordicus tuentes, dicent longè poſt hæc tempora Longobardorum exitum fuiſſe, uidelicet ſub Rege Snione, qui ſextus ab hoc Siuardo Danis imperabat, anno Chriſti (ut Danica hiſtoria teſtatur) ſexcenteſimo octogeſimoſexto. Quod quàm alienum ſit ueritate, ſatis oſtendit Paulus Diaconus, & alij rerum Longobardicarum ſcriptores. Crantzius etiam iuxta ſupputationem ex Euſebio, Hieronymo, & Florentino, diligenter continuatam uſquę ad Carolum Magnum, affirmat eorum exitum fuiſſe anno à nato Chriſto trecenteſimo octogeſimoſecundo: quem tamen Raphaël Volaterranus anno Domini quingenteſimo uigeſimo aſsignat, fortè ex littoribus Danubij. Deinde unà cum Sabellico aſſerit eorum ingreſſum fuiſſe in Italiam circa annum Chriſti quingenteſimum ſexageſimumoctauum: quanquam Blondus ſcribat eos paulò poſt, hoc eſt quinto, uel ſexto anno Italiam intrauiſſe, ſedente Papa Benedicto primo, cùm alij dicant tempore Papæ Ioannis, qui hunc Benedictum immediatè præceſſerat. Ex quibus omnibus facilè colligimus, Saxonem in ea ſupputatione lapſum fuiſſe: qui ſi conſideraſſet eos tot habuiſſe Reges, multasq; terras peragraſſe, & plurima bella geſsiſſe, antequam Italiam ingrederentur, nequaquam eorum exitum è Scandiana inſula tam tardum affirmaſſet: quippe cum terminus regni eorum in Italia aſsignetur, imperante Carolo Magno circa annum Chriſti octingenteſimum, poſtquam autore Sabellico in Italia ducentis & quartor annis regnaſſent.

Primùm enim à Scandiana inſula profecti (inquit Paulus Diaconus) Achonem & Ibbonem (ut diximus) habuere duces. Iiſq; fato functis, primum ea gens Agelmundum ſibi Regem conſtituit. Eoq; à Bulgaris Iſtri accolis interfecto, Lanuſsio ſurrogatus eſt: qui Agelmundi necem ulciſci cupiens, in Bulgaros arma conuertit, eoſq; maxima clade afflixit. Lanuſsioni defuncto tertius Rex Lethu eſt ſuffectus: qui cum annis quadraginta regnaſſet, Hildochum filium ſibi inſtituit ſucceſſorem. Et poſt eum quintus Godocus Longobardorum regno præfectus eſt: qui primus gentem illam in Romanorum prouincias (teſte Blondo) introduxit, terraſq; contiguas occupauit. Godoco uita functo ſucceſsit Claſſo. Eiq́ue mortuo ſurrogatus eſt in ſeptimum Regem filius Tatho: qui profligatis Herulis, paulò poſt interfectus fuit. Octauus Regum Vuacho, Valdaricum filium habuit ſucceſſorem. Poſt quem decimus Longobardorum Rex fuit Andoinus: à quo primum in Pannoniam traducti annis duodequadraginta, prope Danubium. Deinde ſub ipſo Andoino primum, & poſtea ſub Alboino eius filio, qui Rex undecimus fuit, annis quadraginta duobus habitauere, dignitate, & maxima potentia aucti. Quippe eo tempore Alboinus Comundum Gepidarum Regem interfecit, eiuſq; filiam Roſamundam ſibi matrimonio copulauit: & Imperatoris Conſtantinopolitani, eiuſq; ducum amicitia ſibi parata, eis conceſsit duodecim millia equitũ, qui in expeditionem Italicã à Narſete ducti, Totilã interfecerunt. Inquit Sabellicus:

Florentissimum Longobardorum equitatum nulla uis tenere potuit: sed præceps per æqua & iniqua, quâ uoluit, sibi fecit iter. Partem itaque multò difficillimam Italiæ emensus, circa Padum consedit.

Ducturus in Italiam Alboinus, magna usus prudentia, sibi undiq; prospexit. Nam ne in Pannoniam, si aliqua ingrueret necessitas, præcluderetur reditus, illam Hunnis concessit precariò inhabitandam. Quos quidem Hunnos nequaquam ex Scythia tunc uenisse, sed ex illis fuisse constat, qui tot post Attilæ mortem incommodis affecti, & uarijs conflictati cladibus, partim Auares se dixerunt, partim in Pannonijs circa Danubium consederunt, omnibus subiecti, uel Gothorum, uel Gepidarum, uel Longobardorum gentibus, quas in illis uicinis regionibus contigit habitare. Eumq; in modum Hunni gens clarissima, uariam habuere suarum rerum fortunam: qui Vestrogothos patrijs expulere sedibus, Ostrogothosq; prius subiectos, & simul Gepidas, Herulosq; Scythia eduxerunt. Et aliquando duce Attila in Romanis prouincijs, ac in Italia potentissimi fuerunt. At post eius mortem à Gothis derelicti, uaria incommoda sustinuerunt, donec præter omnem spem beneficio Alboini sedes quietas in Pannonia obtinerent, in quibus usque hodie non sine magna gloria & felicitate perseuerant, non modò se, suamq; regionem, uerumetiam totum orbem Christianum à potentissimi Turcæ insultu, fideliter diligenterq; defensantes. Igitur Alboinus ex Pannonia cum omni Longobardorum gente per Noricū (quæ Bauaria prius, mox Austria dicta est) Liburniam, atq; Iapidiam, Italiam ingressus est, anno tertiodecimo Iustini Imperatoris. Ea quidem parte, qua semper fuit exterarum gentium armis obnoxia, in Carnorum ora, quæ nunc est Forum Iulium, tumultuosè consedit. Sunt qui dicunt Alboinum, cùm primum Italiæ limen esset ingressus, altiore quodam loco constitisse, unde in planitiem latè iacentem, ingens erat prospectus, atq; ad suos conuersum dixisse: Hæc est, uiri fortes, illa Italia, quam sequimur: iam eam capillis tenemus. Forum Iulium, & omnia illi circumiecta loca, continuò deditionem fecere. Regnatum itaq; est per Longobardos in Italia ab hoc Alboino sub trigintaduobus Regibus, usq; ad ultimum Regem eorum Desiderium: qui ob sacrilegia, & ingentes iniurias, quas Summo pontifici, & Romanæ ecclesię irrogauerat, à Carolo Magno Imperatore superatus, regnum tam potens & inclitum, nunquam in se, aut in sua posteritate deinceps recuperaturus amisit: Deo tam acriter & apertè uindicante iniurias suæ ecclesiæ irrogatas.

His summatim de Longobardorum egressu commemoratis, ad Gothorum Regem redeamus. Qui post Longobardorum exitum reliquam populi multitudinem ad nouam Reipub. normam perducturus, legem in primis ædidit seueriorem, quàm efficaciorem, de seruanda in cibo & potu sobrietate: quæ etsi ab omnibus ob summam rerum inopiam utilis ac necessaria iudicaretur, tamen inuenti erant non pauci, qui potius uitam, quàm gulæ consuetudinem deposuissent: magisq; in uetitam ebrietatem, quàm aliàs in permissam ferebantur. Et hi erant, qui nobilitatem à parentibus, ignobilitatem à seipsis contraxerant, quiq; abiecta magna parte humanæ rationis, quicquid alimenti apud pauperem plebeculam inueniebatur, in suam & canum suorum ingluuiem satiandam extorquebant, in minimo uitio reponentes, quando panem à pauperum liberis proximè perituris eriperent, canibusq; deglutiendum abijcerent. Nec ea uiolentia pauperes oppressisse contenti, matronarum & uirginum pudicitiam incestare, inter præclara facinora computabant. Proinde Gotharus tam insigni nebulonum temeritate commotus, quosdam ex eis, ut cæteri terrerentur, meritis supplicijs affecit: qui eo exemplo deteriores effecti, insidias in Regis caput parauerunt, tantum aberat, ut terror pœnæ homines in malo obstinatos, ad melioris uitæ frugem reuocare potuisset: quin potius uisum erat illis, patrocinium suæ turpitudinis à Danorum Rege Iarmero (quemadmodum etiam nunc sæpius experimur) implorare. Igitur Danus Rex tales homines in eorum consueto studio conseruaturus, exercitum ex tota Dania coactum, cum ipsis in Suetiam direxit. Comparauerat etiam Gotharus non paruum exercitum, ueruntamen antequam in conflictum deueniretur, suborta est inter Gotharum & fratrem eius Fastonem perniciosa controuersia, de legum seueritate moderanda: quæ tantum inualuit, ut Fasto ipsum Gotharum inter mutuæ contentionis uerba, præcipiti furore trucidaret. Et nihilominus patriam ab imminentibus hostibus potenter ac prudenter liberauit. Quem etiam nonnulli affirmant gubernacula regni in aliquot annos feliciter tenuisse, eiusq; filium Gudmundum post paterna fata in principatu successisse, cuius gesta, quia ab hominum memoria exciderant, ab his historijs excidere permisi.

De nuptijs



De nuptijs Lapponum per ignem.
CAP. VII.



PRæsentibus amicis & sanguine iunctis, parentes per ignem fœderant coniugia natorum: & hoc ferro, & silice per excussionem. In igne namque & silice, quasi coniugali cōsortio auspicatiora nectūtur connubia, quàm quouis altrinseco signo, tanque cōsyderato more recepto, ac si media Græcia, uel Latio processisset hęc disciplina. Quod autem ignem pręferunt, id non faciunt soli, cum eum ritum Romani omnium populorum maximi, olim festiuè (ut Zieglero placet) obseruarint, sed ut ostendant se ea ratione duci, tanquam significatione ignis è silice excussi, itidemque reclusi, uinculum, seu uirtutem inesse indissolubilis charitatis. Vt enim silex latētem in se ignem ualde affinem retinet, qui concussione emicat: sic in utroque sexu est recondita uita, quæ tandem profertur mutua copula in prolem uiuentem: Sed nec sine igne ciuiliores Christiani populi nuptiales ritus alibi in Aquilone exornant. Vnusquisque enim sponsus, & sponsa, iuxta eminentiam suæ dignitatis ac generis, altas faculas mira arte, uarioque colore è molli cera, uarioque colore sericeis pannis appendentibus confectas, pro sacerdotali benedictione ecclesiam accessuri, ante se portari iubent: quas & ibi solennibus peractis, una cum eximijs oblationibus persistere sinunt: ubi interim cæreorum portitores quasi prædam opulentam pannos sericeos, uelut furore pleni, partiuntur. Præterea mulieres enixa prole post partum cæreis accensis Deo gratias acturæ accedunt: imò & cuncti Christifideles luminibus accensis in tumulum reportantur, uti olim baptismo, & lampade accensa mundum sunt ingressi. Quantum uero ad prædictos Lappones, & eorum ritum attinet, superaddendum erit, quod nuptijs his more pręmisso per ignem celebratis, sponsam armelinis pellibus ac zabellinis ornatam, rangifero quasi domesticato ceruo amicorum insigni caterua, iuxta germinis excellentiam comitatam, agnati imponunt: atque ita in thalamum, uel tentoria, mediantibus tripudijs, fœcunditatem & sanitatem precantes inducunt. Maritus uero lynceis ornatus pellibus, aut mardurinis, tanquam patricius uir Venetus aliquis, incedit: pretio pellium æquè æstimandus ut alij gemmis onusti, uel torquibus deauratis. Sed pro tanto sponsus miris laudibus prosequendus est cum sponsa sua, imò tota gens illa, quod non uaga libidine sed honorabili matrimonio tantis celebritatibus sese permittunt coniungendos. Non ita Garamantici Aethiopes: de quibus Soli. cap. 43. qui inter omnes populos degeneres habentur, & uilissimi reputantur. Nec immerito: quia afflicta castitatis disciplina successionis notitiam ritu improbo perdiderunt: quibus nostro infelici æuo ualde similes ęstimari merentur, qui uiolato sacri coniugij nexu, adulterinam quærunt sobolem, cui indebitam distribuant hęreditatem, imò infatigabilem seditionem, & occisionem.

De choreis gemebundis, seu luctuosis.
CAP. VIII.

NEque gens hęc sub rigidissimo Septentrionis climate alternata luce, & tenebris habitans, sine gaudio mœrore commixto, quasi heremi cultrix remanere uidetur. Instruit enim alacria conuiuia citharœdis accitis, ut conuiuantes hilariores (licet usu durissimarum dapium) effecti, excitentur ad saltum quem uehementius citharœdo sonante ducentes, ueterumque heroum, ac gigantum præ-



clara gesta patrio rhythmate & carmine, quid scilicet gloriæ, laudisq; uirtute sua meruere, canentes, in gemitus & alta suspiria, hinc luctus & lachrymas, ac ululatum resoluti, dimisso ordine in terram ruunt. Similiter & multi astantes efficiunt, ut gestibus eorum uideantur esse conformes. Tandemq; citharœdis excitantibus ad amœniora conuiuia surgũt, nil amplius resonantes, quod prouocet luctum: qui ea potissimùm ratione motus est, quòd clara maiorum gesta in nullis, uel paucis effectibus imitari nequeunt, uel eorum nominibus assimilari, scilicet in uirginum pudicitia defendenda, & uiolentia oppressorum auertenda: ubi dolosa præsidum dissimulatione hæc impia flagitia fiunt, uel fieri permittuntur impunè. Ideoq; prædictæ gentes longè securius moriendum esse arbitrantur, quàm uiuendum: puerperia luctu, funeraq; festiuo cantu ut in plurimum concelebrantes.

De exercitijs sublunaribus.
CAP. IX.



FRequens est quæstio, quid faciant populi Septentrionales, quando profundæ, continuæq; sunt noctes ante, & post solstitium hyemale, dum beneficio solaris luminis homines, præsertim suppolares, aliquid debeant operari: rursumq; tempore continuæ lucis in æstate, quando nulla omnino nox ferè mensibus sex apparet. Quocirca præmissis, quæ primo lib. in aliquot prioribus capitulis ostensa sunt, hic animaduertendum erit, quod Ptolemæus in 2. Almagesti cap. 6. attestatur, quòd in 39. parallelo maxima dies sex mensium est: & huic parallelo subijciuntur gentes, seu regiones extremè polares, Lapponienses scilicet, & Bothnienses, & Islandenses insulares. In 38. parallelo maximus est dies quinq; mensium: cui subijciuntur Suetia, Helsingia, Angermanniæ & Noruegiæ Borealiora. In 36. parallelo maximus habetur dies trium mensium: cui subijciuntur Gothia, Moscouia, Russia, & Liuonia. Qui igitur habitant in ea immensa æstatis luce, aut oppositis tenebris eius, optimè nouerunt, utiliterq; solent suas continuas operationes in tenebris uariare, scilicet ut loco diurnæ lucis pinguedine marinarum beluarum incensa, suo lychno supposito in domibus, uel campis, aut syluis, utantur: neruos animalium, præcipuè rangiferorum (de quibus infrà de animalibus dicetur) pro filis, telisq;, ac uestibus (presertim lanosarũ pellium) consuendis subtiliantes, et adaptantes: eò quòd linum in extremis regionibus illis ob excellentissimum frigus non seminatur, neq; crescit. Præterea qui in locis campestribus laborant, uel eadem pinguedine beluarũ, uel aruina piscium (cui uenti nocere nequeunt) uel clarissimo lumine lunæ, uel stellarum reflexa luce in niuibus utũtur: imò maiores sub lumine lunę labores in syluis, campis, glacie, ac niuibus, itidem & longiora itinera commodius, quàm æstate sub luce solari perficere possunt. Valles nanq; tortuosę, & obliqui colles, rupesq; præcipites, & excelsi montes æstiuo tempore impermeabiles sunt, pro plaustris euehendis, uel itineribus conficiendis: ubi hyemali tẽpore omnia quasi plana, & apta sunt, ꝓ quibuscũq; itineribus



bus commodè perficiendis. Imò tam opportuna utilitas, & agilitas est, ut plus oneris duo iumenta (prout superius dictum est, & infrà de glacialibus bellis ostendetur.) in lubrica glacie, uel trita niue, quàm decem equi in campestribus plaustris pertrahere solent. Quò autem ad lucem excellentem, ne tempori dormitionis eorum noceat, satis opportuna remedia siue in ędibus, siue tentorijs seruant: imò nec lux clarissime rutilans, aut caumata eius tantum obsunt indigenis, quantum tristissimi culices: qui forsitan Aegyptiacis sunt tristiores, ut infrà de eisdem erit ostendendum, & remedijs eorundem.

De nauibus neruo, & radicibus colligatis.
CAP. X.



QVia in extremis Aquilonaribus terris nullæ mineræ ferreæ, cupreæ, aut argenteæ adhuc repertæ sunt, (licet Beatissimus Iob dicat, ab Aquilone uenire aurum) multusq́; & necessarius usus nauigiorum, ob aquarum multitudinem ferro firmandorum, hominibus illis est inquirendus: ideoq́ue nauigia fabricaturi, maximè ad piscatorium usum, fissiles pinos, & abietes in eorum nemoribus ad subtiles tabulas redactas (nullo existente ferreo clauo) tenerrimis arboru radicibus recenter extractis, quasi canopeis funibus insigni ingenio componunt. Alij restibus, & uiminibus arborum populearum, aut alterius generis, præterquàm quercinis, ad 200. milliaria Gothica, siue Germanica propè non crescentibus nauigia ligant. Sed abietes, & pini adeò proceræ altitudinis ac rectitudinis sunt, ut aptissimæ sint ad quemlibet necessarium usum, etiam lucricupidis ad opulentum quæstum, quandò ultramarinis mercatoribus uendi possunt. Alij fabricando naues conuersis, ac contritis animalium neruis, præcipuè rangiferorum, sole uentoq́; siccatis, tabula coniungunt. Sed hi nerui instar stuparum sunt à subtilioribus neruis pro usu filorum purgatis, extracti, & excrescentes, prout alibi de utilitate rangiferorum lib. de animalibus ostendetur. Omnia igitur nauigia undecunq́; fabricata, combinataq́; fuerint, pinea pice (cuius inexhausta abundantia ibidem adest) diligentissimè liniuntur, clauisq́; ligneis intus, forisue, ubi opus fuerit, fortissimè compaginantur. Nauigia autem marinis fluctibus deputanda, admodum curta, non profunda sunt: sed ualde lata proportione debita pro usu uelorum in tempestatibus reseruata, fabricantur: eo quod breues unde sunt, & spumosæ propter latentia sub aquis saxa, excitatę. Ceduntq́; ut in plurimum fluctibus, uelut coriarius saccus, undarumq́; reflexioni: quia non duro, nec indomabili ferro, sed mollibus, ac tenacissimis uiminibus, & neruis sunt compaginata. Longoq́; tempore ab elementorum iniuria, ob innatam picem, durant. Anchoris ex incuruatis fortium lignorum radicibus saxorum pondere connexis, & restibus populeis, seu betuleis, pro sufficienti longitudine funium, et laneo panno pro uelo, uel arborum codicibus utũtur, maximè in stagnalibus aquis, utì rarissimè in mari salso. Hæcq́; nauigia Scutha appellantur: sicuti & aliud oblongum genus in Bothnico mari, & recentibus aquis, Haapar dicitur, sine quocunq́; ferro diligentissimè combinatum. Sed uti miræ longitudinis est, ita & portentosæ celeritatis, ut uolare uideatur ad leuem impulsum. Rapidis fluminibus è sublimioribus locis descendentibus solummodò, & æstiuæ piscaturæ reseruatur. Quo genere uestigij periculosissime inter montana flumina M.D.XVIII. descendendo euectus fui: adeò fragili ligno coactus sum, ob publica negotia peragenda,

credere animam & salutem meam: eoq; formidabilior erat transitus, quò magis in littore signa apparuere, magni nominis personas ibidem ui fluminum fuisse suffocatas.

De instructione sagittandi.
CAP. XI.



ARtem sagittandi quasi cõnatam professionem uniuersæ gentes Septentrionales prosequuntur, præcipuè ex arcubus omni ætati, tempori, loco, & occasioni concessis, prout exprimitur superiori figura, in qua ætas, & exercitium ostenditur, quo uiuendi genere sit occupata: & hoc à primæua ætate, qua soliciti parentes proles suas utriusq; sexus, sed præcipuè masculos instruunt, quomodo manuales arcus (nam alio sagittarum genere non utuntur) teneant, eleuent, deprimant, uel obliquent in telis excutiendis: atq; si telum, uel sagitta non tacta meta inter arbores, herbas, uel niues euanuerint, aut è sublimi dimissa fruticibus, & arbusculis abscon sa, quo pacto recuperari posit: hoc est, ut aliam, uel plures sagittas, seruata eadem arcus eleuatione, in longum uel altum dimissas, per cadentes inquirant. Nec longè ab ea reperibilis est, quàm prius emisit. Huncq; modum tela recuperandi seruant ballistarij totius plagæ Septẽtrionalis. Pueris itaq;, ut metam diligentius tangant, candidum aliquod cingulum (quo mirè delectantur) atq; noui arcus apponuntur: similiter & puellis linea uestis. Tamq; periti euadunt, nt magno interstitio mediante obolum, uel acum (quatenus uidere poterunt) infallibiliter attingant, prout personaliter anno prædicto M. D. XVIII. in terris eorum constitutus uidi. Gens hæc ut plurimum pusillæ staturæ est, animoq; pusillo, eò quòd absq; urbibus, aut castellis, uel in pagis, uel tentorijs, uel carris, aut solitudine uasta moratur: imò pars eorum in arboribus quadrato ordine crescentibus domos collocant, ne denso niuium casu in campestribus suffocentur, aut à bestijs famelicis insuperabili agmine congredientibus deuorentur: quo casu magna custodia fit prægnantium mulierum, & paruulorum, quos auidius tanquam delicatiorem escam insequuntur, prout inferius de luporum natura dicetur. Mulieres, ac puellæ earum regionum ualde fœcundę, & pulchræ sunt, ea potissimum causa, quod candore, & rubedine opificio naturæ præcipuo formosiores habentur: nec fucum sciunt, aut scire uolunt, etiam si uenustatem eisdem natura negasset. Aestimo multos Italicæ nationis præclarissimos uiros, præcipuè Venetos, in domestica amœnitate, ac pudicitia fore securiores, si eorum lasciuientes fœminæ fucatum ornatũ maxima enumerata stipe ab Aethiopia, uel Aegypto anxia solicitudine non haberent. Solebat charissimus frater, & antecessor meus D. Ioannes Magnus Gothus Archiepiscopus Vpsalensis, sacramentum Confirmationis nomine dignissimi uiri Hieronymi Quirini Patriarchę Venetiarum conferens, & ego post eum, dicere: Quàm pulcherrimę Dei creaturę sunt hę puellę, si sic sine fucato colore usq; ad optatam senectam peruenire possent, & uellent. Sed hæc pretiosa uanitas, læsa post modum conscientia, accedenteq; senio, morbo, scabie, uertigine, facit eas omnibus creaturis turpiores. Igitur tutius uiuunt homines supradicti in syluis, & uastis solitudinibus, sub mutua naturæ pulchritudine, & innocentia, quàm incolæ fortium ciuitatum sub legibus, et metu pœnarum. Quòd autem cernitur in superiori imagine homo pilosus, & caudatus, sic intelligendum est, quòd parentes tegunt siccatis animalium pel-

sium pellibus, præcipuè iuuenum ursorum, corpora adolescentum, & puerorum. Nec uitio datur genti simplicitate morum, & innocentia taliter institutæ.

De uenatione Lapponum. CAP. XII.



CVm alibi, uidelicet primo lib. cap. 2. dictum sit de Scricfinnis, Biarmiensibus, & Finmarchis, & moribus, ac uita eorundem, hic adiungendum erit, qualiter in pandis, seu latis trabibus, seu lubricis tabulis, pedibus alligatis super ualles, niuososq; montes, ac cacumina montium celerrimo transitu, lapsuq; præcipites in bestias efferuntur, arcubus & sagittis uenatione quærendas. Cernitur hic fœmina solutis crinibus intendere saggittas. Nec mirum: quia sub polo habitantibus in uasto nemorum circuitu, tanta ferarum reperitur fœcunditas, & multitudo, ut soli uiri, nisi & fœminæ accurrant, non sufficiant ad earum uenationem instituendam. Igitur eadem agilitate, & forsitan maiori, fœminæ uenantur, ut uiri. Attamen uir prædam diuidit, ueruq; designat assandam: quidúe domesticis, seu uicinis certa liberalitate donandum sit, disponit. Nec tantum hæc uenandi sagacitas in terrestres feras tam insidiosè, quàm apertè quærendas, extenditur, quàm etiã aues diuersi generis, amplissimas solitudines inhabitantes: quarum plumbis mollioribus pro lectis, pennisq; durioribus pro texturis neruorum utuntur. Carnibus uerò horum animalium frequentius assis, quàm lixis uescuntur. Pellium uerò exuuias, ut proximo capite dictum est, corporibus paruulorum filiorum, uel adolescentum adaptant, uti auium, pro capitum tegumentis. Ideoq; temere apud plerosq; creditur, quòd sint corpore hirsuto instar brutorum, aut beluarum: quod forsan prouenit, ob ignorantiam, aut uoluptatem, quam inde pleriq; capiunt, ut supra fidem rerum dicant omnia comperta sibi apud remotiores terras, ut Paulo Iouio uisum est.

De transitu equorum super montes niuosos. CAP. XIII.



TRansitus huius hominis, & equi, quasi super clypeos militares, sic intelligigitur. Sunt inter Septentrionalia regna Suetiæ, et Noruegiæ, montes alti limitanei, Doffrini dicti, ac alij similes, hyberno tempore adeò densis, & profundis repleti niuibus, ut per eos solidum iter communi more uiatoribus pernegetur. Verùm ut domestici negotiatores eiusmodi difficultatem ingenio superẽt, arteq; pondera leuent, crates, seu arcus leui, ac lato subere, seu cortice tiliano contextos, pedibus proprijs, ac equorum alligant, iugaq; niuium sine formidine depressionis (graui licet pondere onusti) conculcant, iterq; diurnum, duo scilicet montana milliaria (quæ 12. Italicia sunt) propter dierum breuitatem conficiunt. Nocte uerò sub splendidissima luna duplatum iter consumunt, aut triplatum. Neque id incommodè fit, cum niuium reuerberatione lunaris splen-

dorſublimes,& decliues campos illuſtret,ut etiam montium præcipitia, ac noxias feras à longe proſpiciant euitandas: inter quas montani lupi ſub intenſo frigore, menſe præſertim Ianuario, agmine magno conglobati, ſunt nocentiores, prout infrà de periculo luporum dicetur. Res autem, quæ tam ingenioſo labore portantur, ſunt ſal, cruſtatum ferrum, lineus ac laneus pannus, & alicubi mineralia ſaxa argenti, cupri, ac pelles pretioſæ. Vt autem equi ad iter niueum prouidentius inſtituātur, eos in niuoſis uallibus à iuuentute exilibus ſportis quaſi corbibus ad pedes alligatis, cum leui onere dietim ducunt, ut aſſueſcant pondera portare grauiora. Nec minus ductores corbibus ſub plantis alligatis ſeſe baculo inferius lato habilitant, & ſuſtentant, ut his præambulis pro tempore imminentem ualeant effugere neceſsitatem, & mortem. Euenit enim itinerantibus, ut Auſtro flante tantùm nix molleſcat, ut impreſsis pedibus equi, uel hominis, niſi modo prouideatur antedicto, quaſi aperta uorago cedat: nec eſt qui releuet ſolum cum iumento niſi fidis hominibus fuerit comitatus. Si in multis caſibus uerum eſt uerbum Væ ſoli, certè horrendum eſt in hoc paſſu, niſi homo habuerit in tali caſu ſubleuātem. Necq; hic prætereundum puto grauē autorem Strabonem lib. 11. de partibus Armeniç ualde ſimilia ad hūc caſum adducentem, his ſcilicet uerbis: Armeniæ pars eſt Faunena, & Comiſena, ac Orchiſtena: quæ equis abundat. Chorſena uerò, & Cambiſena, Septentrionales, & ualde niuales ſunt, Caucaſiis montibus, et Iberię, & Colchidi uicini: ubi iter agentes in ſummis montium cacuminibus niue obrui dicuntur: nam ibi plurima cadit. Vnde baculos habent ad eiuſmodi pericula, quos in ſummam niuem reſpirandi gratia exerant, ut eo ſigno auxilium ab aduenientibus conſequantur: quapropter ſæpe effoſsi ſeruantur. Eo igitur argumento clarum eſt, Gothicas, Sueticas, ac Noruegicas gentes Occidentaliores prouidentius artis ſagacitate ſuæ ſaluti conſulere, quàm apertis periculis ſe committere, & alienam, ac incertam depoſcere commiſerationem.

De periculoſo tranſitu intra montes,

CAP. XIIII.



MAius adhuc periculum in cauernoſis montibus iter facientibus imminet: qua flatus, ſeu uentorum ſpiracula adeò uehementia ibidem concurſu minutarum niuium excitari uidentur, ut, niſi comportatis foſſoriis, ſiue ligonibus, quibus uiam aperiant, uix adſit ſpes, qua exeant altiſſimos montes & profundiſsimas ualles. Montes igitur hi præcipui, ſunt, Doffra, Schars, Sula, Horuilla, cum multis ſimilibus: de quorum radicibus, uel umbilicis, exeunt uaſtiſsima flumina, partim in Orientem, & partim in Occidentem. Perpetui enim montes, quaſi linea dorſotenus tracta, ab Auſtro in Sepentrionem continuo gibbo ducuntur: nominaq; ſortiuntur à prouincijs, amnibus, uel forma locorum, uel beſtijs uerſantibus in eiſdem, ut ab urſis, lupis, & ceruis, aut caſtoribus, & alijs animalibus omnimodè piloſis, quæ pro loci qualitate contra uim frigorum peroptimè ſunt ueſtita. Ideoq; leones, cameli, ſimeæ, aſini, uel muli, uix eò portati ſuperuiuere poſſunt, prout ſuperius lib. primo de horribili frigore fuerat enarratum. Montes tamen hos incolæ hyemis tempore domeſticatis rangiferis quaſi iugalibus ceruis, oneribus non

exiguis



exiguis penetrant, milliaribus Italicis propè ducentis. Vni autem uiro quadraginta rangiferi pertinent domesticati: quorum quilibet pondus suffert librarum ducentarum, & amplius.

De lege coruorum necandorum.

CAP. XV.



Lege cauetur in Islandia, id est, terra glaciali, regno Noruegiæ antiquitus, & nunc subiecta, ut quicunque noxiam bestiam occiderit, à fisco, uel regio præfecto iuxta crudelitatem occisi cadaueris, & præsentati, constitutum suscipiat emolumentum. Cum itaque corui, etiam alibi ibidem plus quàm in alijs regionibus, agnellos & porcellos impetuoso uolatu, ac ungularum raptu occidendo, sint seuiores, iuuenes terrarum incolæ eo labore se habilitant, & indurant, ut hanc depopulationem ulciscantur, plurimos coruorum occidendo sagittis: solaque rostra funibus alligata præsidibus pro signo mercedem petituri demonstrant: quam et liberalissima largitione pari sagittarum numero, ut bestię fuerint interemptæ, compensant. Ita & de reliquis animalibus damnosis in tota Septentrionali plaga obseruatur, saluo quòd pelles grandium ursorum, præsertim alborum, scabellis sacrorum altarium, ne frigus sacerdotibus noceat, substernuntur. Nec dissimilis uenatio murium apud Hispanicas nationes, Strabone teste, fuit. Incolæ enim harum terrarum, ut immunem haberent annonam ab eorum corrosione, publico stipendio conducebant huius pestis extirpatores: licet ea diligentia nil proficiebant. Præterea nec dissimile est, quòd duo cuniculi in insulam circa columnas Herculis, & Gades introducti, ferè eam totam subuertissent, nisi Romani opem quantocyus attulissent. Nūc uerò continuis uenationibus exterminati defecerunt. Quid insuper excelsa Romanorum potestas, stipendio publico ruricolis constituto, ut exterminarent locustas, seu bruchos (quos gryllos uocant) nedum agros, sed & arbores, & quæcunque uirentia depopulantes, interpolatis temporibus & annis fecerit, aliquando Romæ cum admiratione uidi: quoniam pro certa mensura, et numero enecatarum locustarum, pretium numerabatur, donec decresceret hoc noxium agmen. Sed nec alienum erit hic meminisse Mysię legationis ad Cyrum in hac forma: Apparuerit, ô Rex, apud nos maxima res: aper, qui agrestia corrumpit opera: quem studiosissimè captantes, interimere non ualuimus. Nunc itaque te obsecramus, uti nobiscum filium tuum, ac delectos iuuenes, canesque mittas, quò beluam è regione tollamus. Quibus respondit, Se filium, ob nouam nuptam, non missurum: sed Lydorum delectos, & uenatores omnes cum canibus, mandatoque, ut quàm promptissimè beluam de regione submoueant. Attamen filius Cyri, ne ignauus uideretur, sua sponte pro confodienda bestia equis, & canibus properans, ictu lanceæ, qua aper occidendus erat, infelicissimo casu interemptus fuit.

De obsequijs erga senes.

CAP. XVI.

CAeterum quantam curam habeant populi Septentrionales erga senes, tam parentes, quàm alios ueneranda senecta depressos, parumper ostenditur



præmiſſa figura : qua ſenex præcipitem montem, collemq; deſcenſurus, pelli urſinæ imponitur, filiorum, uel ſeruorum obſequio deferendus: hac tamen ſeruata cautela, ut poſterior pars cutis, aut pellis, ob erigendos pilos, & retardandas niues, uel glacialem lubricitatem, antrorſum uertatur: & ita lentè delapſus, incolumis cum oneribus è ſublimioribus locis ad ima defertur. Sed & hæc reuerentia ſenibus, & commoditas fit, ut cum uiam glacialem eo modo deſcendere nequeant, obliquato gyrantium filiorum tranſitu paulatim in plana portentur: rurſumq; ſi glacialis lubricitas aſcendendo penetrari debeat, ne deorſum graueſcens plauſtrum reſiliat, ramoſo ligno ſuppoſito (ut iumenta trahendo reſpirent) uel biturcato ferro ueniat ſiſtendum. Hæcq; prouiſio tam utilis, quàm neceſſaria eſt in longinquis itineribus, ubi duobus, tribusúe, uel pluribus diebus aſcenditur, & totidem deſcenditur ad planitiem paludinoſam, totaliter congelatam. Sed nec inſuetum eſt genti, ubicunq; in uia, aut æde occurrerit ſenex illi locum cedere, & reuerentiam exhibere, iudiciumq; ſuſcipere, & exequi, quod protulerit in ſua profeſsione, quemadmodum inferius libro decimoquarto de ſylueſtribus iudicijs oſtendetur. Adhæc igitur obſequia ſenibus exhibenda, adduci poſſunt duo filij (iumentis præſtò non occurrentibus) qui matrem quadragintaquinque ſtadijs plauſtrali iugo ad templum Iunonis omnium laude, & admiratione traxerunt (teſte Herodoto libro primo) apud Argiuos: quiqúe filij precatu matris, ut optimum mortalibus concedendum aſſequerentur, illico mortui ſunt: teſtimonio ad poſteros relicto, quòd ſatius eſt homini mori, quàm uiuere, ut ſupra eodem libro capite octauo. Quale etiam, & quàm utile conſilium prudens mater Gambarucha filijs, ne infinita populorum multitudo periret, ante exitum Longobardorum à Septentrione prębuerit, Saxo libro octauo meminit: ſcilicet ut ſeruata erga parentes ac liberos pietate, patria exceſſuri ſorte deligerentur: quę ſi ſenes inualidos obtuliſſet, robuſtiores ſe eorum loco exilio offerrent, eiuſquê pondus pro debilibus perferendum ſua ſponte ſuſciperent. Nec dignos eſſe uita, qui illam ſcelere, & ſacrilegio comparare, parenteſqûe, ac prolem tam iniqua ſententia perſequi ſuſtinuiſſent, charitatis loco crudelitatis officia peracturi. Poſtremò cunctos malè patriam demereri, apud quos parentum, aut liberorum amori proprij ſpiritus charitas præponderaret. Hæc Saxo. Sed neque beſtijs deſunt pietatis obſequia erga parentes, cùm inter alias ciconiæ (redeuntis anni, & lætitiæ nuntiatrices) pennis parentes ob ſenium deſtitutos, nec ad proprios quærendos cibos potentes, plumis tegunt, & famem leuant, ac corpora fatigata reficiunt, donec in priſtinum uigorem ala grandæua redierit: pia uiciſsitudine uitam, quam à parentibus acceperant, recompenſantes. Quid ergo homines facere debebunt? quando & hanc pietatem brutis, & beſtijs ineſſe cognoſcunt. Præterea Septentrionalium populorum mos eſt, ut minores maioribus natu obuij cedant uia, ac deflectant: aduenientibusq; è ſedili aſſurgunt, maioribus natu perpetuam reuerentiam exhibentes.

De baptizandis pueris ſylueſtrium incolarum.

CAP. XVII.

ETſi multa de idolatris extremi orbis Septentrionalis, & eorum ſuperſtitioſo cultu dicta ſint, & quomodo ſpes eſt, ut aliquando audita diuini uerbi uera







uera prædicatione, ad communionẽ Christifidelium accedere non tardarent: tamen pia præualente exhortatione Catholicorum sacerdotum, magna pars syluestrium hominum inducta est, maiorq́ue spes oritur, ut amodo, sedatis alibi erroribus, unanimiter inducendi accedãt. Quod uerò tardare uidentur, causa est, & hæc euidentisſima, quòd maximè distant, ducentis scilicet, & amplius, milliaribus Italicis ab Ecclesijs Christianorum: ad quas, ob eam immensam distantiam, rarius ualeant appropinquare. Veruntamen qui Christiano ritui sese subdiderant, obedientisſimi reperiuntur: licet ob prędictam distantiam semel, aut bis in anno suas uisitant Ecclesias baptismales, liberosq; lactentes cophinis, seu corbibus impositos, post tergum ligatos secum baptizandos comportant: aliaq; pondera, & munera pellium, præsertim pretiosarum, sacerdoti loco decimarum distribuenda. Sed non modò Bothniensium uersus Septentrionem, uerumetiam Vermorum uersus Occidentem habitantium, hæc distantia, & incommoditas conuertendorum hominum ad fidem, est deploranda. Et ob id rarisſimè presbyteri, sed nunquàm Antistites, solitudines illas, ob inuia loca periculorum plenisſima, accedere possunt.

De conuersione Finlandiæ Septentrionalis, & Orientalis, ac maxima hospitalitate.

CAP. XVIII.



FVit olim hæc ultima Aquilonaris regio, quemadmodum plures uicinæ terræ, pagana superstitione seducta: & ideò à uia ueritatis aberrans, Deo contumeliosa, & proximis extitit uiolenta. At postquàm duo clarisſima lumina, & sanctisſimi uiri, Ericus Suetiæ Rex, & beatus Henricus Vpsalensis Archipræsul, fidei Christianæ & regno Suetiæ circa annos salutis millesimo centesimo quinquagesimo quinto, prædicatione uerbi diuini, paceq́ue oblata ac contempta, & uictoriosa manu subiecissent, ac templa extruxissent, sacerdotesq́ue eidem genti præfecissent, facta est præcipua omnium uirtutum amatrix, præsertim liberalitatis, & hospitalitatis: qua incolæ eius in aduenas, & peregrinos per summam beneuolentiam utuntur. Sunt inter se benigni, & modesti, atque ad iram tardi: at si diu prouocati fuerint, tarditatem magnitudine uindictæ compensabunt. Habitant uicatim in parochias, & uillas distincti. Ecclesias magnificè constructas habent, nouisq́ue erigendis magnopere student. Sacerdotibus summam uenerationem exhibent, decimasq; rerum omnium pręstant: & rursus ab eis ita in lege diuina, interprete in ambone ex more adhibito, instruuntur, ut pristinis erroribus extirpatis, ad honesta quæque sequenda quadam mentis ingenuitate promptisſimi, ac alacres efficiantur. Nec his disſimiles incolę Occidentalis Bothnię reputantur: qui deficientibus scholasticis disciplinis naturali lege ita instructi sunt, ut uitia detestentur,

stentur,& uirtutes amplectantur. Deprehendunt enim omnibus bonis eos affluere, qui rectè uiuunt, ac nemini nocent: & econtrà ob detestanda crimina, fornicationes scilicet, & adulteria, furta, homicidia admissa, aues & bestias nemora, ac pisces aquas eorum frequentius reliquisse, nec anteà, quàm orationibus ac benedictionibus sacrorum ministrorum offensa diuinitas placata fuisset, rediisse: de quo infrà lib. 16. plura dicentur, imò & de multis remediis diuersorum excessuum contra uiolatores Ecclesię, & pauperum, fideliter attendendis.

De conuersione Finnorum: necnon uita Sanctorum Erici Suetiæ Regis & Henrici Vpsalensis episcopi.
Ioan. Mag. lib. 19.

Veniendum nunc est ad illud clarissimum patrię nostrę lumen, sanctum Ericum nobilissimi Iaduardi optimum filium: qui circa hæc tempora, in quibus annus Christi M. C. L. agebatur, à proceribus populisque regni Suetiæ concordibus suffragiis ad regale solium apud metropolim Vpsalensem dignissimè sublimatur. Cuius tot, tantæque extitere uirtutes, ut in terreni regni fastigio constitutus, cœlestem & angelicã uitam ducere uideretur, mereretur que per illustre martyrium ex hoc mundo ad cœlestia regna transferri, & in Sanctorum catalogum publico totius Christianę Ecclesię consensu conscribi. Qualis autem fuerit eius adolescentia, & quantis uirtutibus prædita, satis intelligit, qui animaduertit, optimum Regem Ingonem Philippi filium, nullius quantumcunque illustrissimi uiri matrimonio tradere uoluisse charissimam, atque castissimam filiam suam Christinam, nisi huic illustrissimo iuueni Erico, in timore Domini diligenter educato: quam is secundum diuinę legis pręcepta accipiens, ita amauit, ut iuxta sanctorum Patriarcharum exempla liberos ex ea ad laudem Dei procrearet, factus & ipse omnibus aliis pręclarum uirtutis exemplar. Quicquid enim honestum, et iustum, ac pium erat, illud in eo, perinde ac purissimo speculo, relucebat: poterantque cæteri nobiles eius bona opera admirari, imitari autem non poterant. Accidit interim periculosa tempora in omnibus Septentrionalibus terris suboriri. Dania enim & domesticis, & externis bellis uehementer afflicta, ad extremam desolationem corruere uidebatur. Gothi autem mortuo Rege Suerchero, non expectatis Sueonum suffragiis, Carolum eius filium in suum Regem erexerunt, magis ad Danos (ob Suercheri, & Caroli affinitatem, qua eis coniuncti erant) quàm ad Sueones respicientes. Nec Sclaui, aut Liuoni, uel Moscouitæ ab impugnanda Suetia quieturi uidebantur. Tunc enim piraticam in mari Suetico continuè exercebant: imò nihil magis futurum putari poterat, quàm Suetiam in proximo ad domesticam discordiam collapsuram, atque ab omnibus uicinis terris inuicem concordatis diripiendam.

Proinde Ericus non tam à proceribus & populis electus, quàm à propitio Deo periclitanti patriæ donatus, in difficillimis temporibus curam conseruandæ patriæ assumpsit: in qua qualem se gesit, succinctis uerbis absoluemus. Primum omnium concordiam inter proceres, & omnes Suetiæ incolas restituit, summoperè cauens, ne iustitia, & innocentia iniuriis exposita opprimeretur. Quippe ut ipse omnium iustissimus erat, ita omnes mites, & pacificos in summa pace conseruabat. Labores continuos, & difficiles sustinuit, ut subiectus populus pace, & quiete gauderet. Et cum potuisset magnos thesauros, sub prætextu gerendi belli, quod à multis, & potentissimis hostibus contra Sueoniam imminebat, coaceruare, attamen uix poterat induci, ut consueta regni tributa ad se integro numero, uel pondere deferri pateretur: quinimò subiectos incolas, cum tributi onusti ad eius conspectum adreperent, pia quadam obiurgatione, ut allatos census sibi retinerent, cogere consueuit, pręfatus: Mihi mea sufficiunt, uobis uestra sint salua: non quæro uestra tributa, posteri uestri indigebunt. Quam quidem posterorum indigentiam quàm uerissimè prædixerit, satis experiuntur illi, quos Deus ad hæc infelicia tempora nostra reseruauit, in quibus non modò pecunia, sed caro, & sanguis miserabiliumque hominum insatiabilibus tyrannorum dentibus ubique dilaniatur, & absumitur: quasi iam reges opprimendis ciuibus magis, quàm reprimendis hostibus instituti uiderentur, idemque esset Regem agere, & prędonem.

Nec contentus erat Ericus illam summam liberalitatem, atque incredibilem humanitatem in subiectos populos continuè exercere, sed leges adeò tolerabiles, & benignas, ex æquo & bono constituit, ut non à Rege in ciues, sed ab aliquo indulgentissimo parente in charissimos

charissimos liberos excogitatæ crederentur: ad quas etiam nostris temporibus iniustè oppressi, perinde atq; unicum innocentiæ suę præsidium, confugiunt: tametsi nimis frustra ab illis leges aliquas implorant, qui pręter uiolentiam, & rapinas, nihil, aut parum didicerunt: qui tamen non raro suam tyrannidẽ, diui Erici legibus perperam adductis, confirmare non erubescunt. Cęterum, qui condendis humanis legibus tam pius, & benignus erat, nequaquam à diuinis legibus solicitè obseruandis aberrasse credendus est. Siquidem diuina prouidentia actum esse non dubitamus, quòd sanctissimæ uitæ, & summæ eruditionis Pontifex Henricus, in eius tempora incidisset, Pontificatumq; Vpsalensis ecclesiæ dignissimè administraret: ad cuius consilia, & pias exhortationes, pius Rex omnem uitæ suæ cursum ordinauit: quasi menti suæ illud diuinæ legis præceptum à natura insitum habuisset, quo Deus pręcepit, ut Principes populi sui nihil arduum sine summi sacerdotis consilio aggrederentur: quod quoties facere omiserunt, toties multis incommodis affecti, pœnas suæ temeritatis luerent. Inter cętera autem piæ exhortationis consilia, Henricus animum optimi Regis ad illam magnam, & memorabilem militiam in Finlandos idolatras, pro dilatãda fide Christiana induxit. Erant enim eo tempore Finlandiarum incolę, non solum regni Suetiæ intolerabiles hostes, sed pertinacissimi fidei Christianæ persecutores, continuaq; bella, & damna plurima Sueonibus intulerunt. Quocirca Rex Ericus, collecto pręualido exercitu, sumptoq; secum eodem sancto antistite Henrico, bellum in Finlandos transferre contendit: uenituruq; ad pertinacem, & cruentam pugnam: qua Finlandi superati, manus uictas uictori Regi porrexerunt. Tum pius Rex in lachrymas resolutus, ad circumstantes familiares inquit: Gaudeo quidem diuinam prouidentiam nobis uictoriam de suis, & nostris aduersarijs concessisse: at uehementius doleo, tot hostes in hoc pręlio desideratos: qui si ante mortem ad sacri baptismatis sacramentum peruenissent, nequaquam per hanc mortem ad sempiternam mortem corruissent. Deinde maiore parte Finlandiæ ad ueram Christi fidem conuersa, & per baptismum in Christo regenerata, reditum in Suetiam accelerabat, nihil à tam sæuis hostibus, præter licentiam malefaciendi, eripiens: imò potius sibi dimidium animæ suæ eripi passus est, quando apud eos charissimum Pontificem Henricum in tot uitę periculis remanere sustinuit, ut solus maiorem pugnam contra hostes animarum aggrederetur, quam anteà Ericus contra formidabilem Finlandorum potentiam cum toto suo exercitu subiuisset. Cætera huius sanctissimi Pontificis Henrici opera, qualiter amplissimam terram Finlandiæ ad Christum cõuertit, & anno Christi millesimo centesimo quinquagesimo primo glorioso martyrio pro fide, & iustitia certans occubuerit, in nostra Metropoli Vpsalensi ostendere conabimur.

Deinde Ericus, postquàm superatis hostibus ad Suetiam cum memorabili triumpho redijsset, cœpit totas ingenij sui uires eò conuertere, quò posset diuinam maiestatem, & Christi Ecclesiam in suis ministris honorare, omnibusq; honorandam persuadere. Totum quippe studium eius ad illorum sanctorum Regum exempla, qui in lege Domini continuè uixerant, tendebat. Quicquid enim Dauid, aut Salomon, uel alij quicũq; optimi Reges pro decore domus Dei efficere curauerant, illud magnoperè imitari contendebat: sciens illud esse præcipuum inter optimos, & pessimos Reges discrimẽ, quòd hi nunquam cessant diuinam maiestatem in suis ministris contemnere: illi uerò eos, qui clericali militię sunt ascripti, summis honoribus efferre, scientes illud uerissimum esse, quod à prima ueritate dictum est: Qui uos spernit, me spernit, & qui me spernunt, erunt ignobiles. Proinde hic sanctus Rex continuè studuit ecclesias erigere, erectasq; idoneis prouentibus, & sacerdotijs augere, atq; ornare. Et inter cætera suæ eximiæ pietatis, & Regiæ magnificentiæ opera, insignem ecclesiã metropolitanam Vpsalensem ab antiquis Regibus fundatam, & aliquantulum ædificatam, cum tanta laude, & perpetua gloria studuit consummare, quanta infamia, & sempiterno dedecore ipsam nostri temporis proceres conculcare non uerentur, planè ostendẽtes, se nec patriæ honestatem, ac suam ipsorum nobilitatem, aut Christianę Ecclesiæ dignitatem in aliquo reputare: tantum abest, ut de se, & suis moribus gloriosam ad posteros memoriã transmittere possint: nisi fortè cogitant, aliquando uenturos homines, qui dicant, furta, rapinas, sacrilegia, pupillorumq;, & uiduarum, ac innocẽtum oppressiones, ad nobiliũ, & illustrium uirorum officia spectare, talibusq; moribus magis ꝙ uirtutum officijs ueram nobilitatem comprobari. Sed longè aliter sese priscorum temporum nobilitas erga publicam patrię gloriam, & Christianæ Ecclesię decorem ostendebat. Cæterum ipsa priuata uita huius incliti Regis qualis fuerit, satis attestantur tum publicæ historię, tum publicus omniũ de ipsius sanctimonia consensus. Quippe apud omnes pios compertum est, totã eius uitam clarissimis, atq; heroicis uirtutibus pręditã fuisse. Quis eñ in orationibus ardentior, in uigilijs frequentior, in ieiunijs crebrior: quis maior afflictorum cõsolator, oppressorũ adiutor, pupillorũ &

uiduarum tutor? Ab eo siquidem inopes, infirmi, calamitosi, & quacunq; aduersitate affecti, præsentissimam consolationem inuenerunt. Nullus in eleemosynis liberalior, nullus in conuersatione benignior, nullus in iudicio iustior, neq; in pœnitentes clementior. Carnem suam iugi cilicio castigans, rectę rationis imperio obedire coëgit: & ut omnem peccati fomitem ab ea prorsus auferret, prægelidam aquam insilire consueuit, dum ad libidinis ardorem stimularetur. Habebat quidem coniugem non minus specie pulcherrimam, quàm sanguine illustrissimam, sed erat à diuino spiritu satis instructus, aliam esse legem humanæ commixtionis, quàm iumentorum: imò nouit, nequaquam decere filios sanctorum ita coniungi, sicut gentes, quę ignorant Deum: quamuis hoc nostro infelicissimo tempore, homines etiam Christo consecrati, ita in connubia ferantur, ut ab equis & mulis parum differre uideantur. Sed hæc diuino iudicio sint relicta, & nos calamum ad Ericum reflectentes, consideremus, quàm indigna egregijs suis factis recepit.

Cum enim omnibus palam ostenderet, multisq; & memorabilibus experimentis probaret, se natum esse ad bene merendum, non solum de patria, sed de toto humano genere, ecce quidam regni Suetię nobiles, abiecto iurisiurandi, & omnis humanitatis respectu, in necem eius unanimiter conspirauerunt. Sed cum considerarent, se pauciores complices in Suetia inuenire posse, quàm illius propositi magnitudo requirere uidebatur, ad Danorum auxilia (quæ in talibus negotijs paratiora exhiberi consueuerunt) astutius, quàm honestius se conuerterunt: inueneruntq; quendam Henricum Scatelerum, illius Suenonis Danici filium: qui cum Daniæ regnum in concione Vibergensi nimium properando ambiret, præmatura morte regni titulum amisit. Hic Sueno, accepta in coniugem Ingride, Ragualdi Regis Sueonum filia, prędictum Henricum Scatelerum ex ea procreauit. Qui cum paucorum bonorum in Dania hæres existeret, totum animi sui conatum eo intendebat, quò posset se in aliquam partem Suetię intrudere: nihilq; in uotis eius, pręter solam occasionem, restabat: quam diui Erici Regis osores nō satis honestè subministrabant. Nec segniter Henricus cum filio Magno se eorum societati cōiunxit, collectoq; exercitu, Ericum apud Vpsalensem Metropolim ipso die, quo Dominica ascensio celebratur, ex improuiso, nulloq; hostilitatis indicio præmisso, insidiosè adoriuntur: quod tunc apud nobiles, & militares homines inter præcipua probra ducebatur. Nihilominus fortissimus Christi athleta, contracto (ut sors permisit) tumultuario milite, obuiam hostibus progreditur: fitq; hinc inde cruenta cædes, in qua inclitus Rex impiorum gladijs oppressus occubuit, regnūq; terrenum cœlesti, & sempiterno regno feliciter commutauit, anno à Christo nato M. C. LX. postquam ferè decem annis Sueonum regnum innocenter, & cum summa laude administrasset. Quanti autem meriti apud Deum in uita sua fuerit, satis ostendunt ea miracula, quæ Deus in ipso sancto suo usq; ad nostra tempora ad multorum salutem operatur. Ea igitur cæde peracta, Henricus suis complicibus sociatus, Regias opes diripuit: omnibusq; direptis et occupatis, filium suum Magnū Regem Suetię constituere moliebatur, consentientibus proceribus, qui pium patriæ patrem occiderant, ut impius sanguinarius in eius solium eleuaretur. Sed tunc aliud placuit summo Regi, qui innocentis Regis sanguinem confestim uindicare disposuit. Continuò enim erumpente in uniuersum regnum patratæ cædis fama, non minor dolor uniuersos regni incolas inuasit, quàm si singuli paternum funus elaturi fuissent. Primique fuere Helsingi, quos iustus dolor ad sumendam uindictam de sceleratis homicidis excitabat. Deinde reliquæ omnes Sueonum prouinciæ, quasi ad extinguendum publicum incendium, ad publica arma consurgebant: primoque congressu Magnus, & pater eius Henricus, ac uniuersi Dani, eorumque commilitones uicti, trucidatique fuerunt. Testatur eandem insignem Danorum cladem insignis ecclesia Denemarcha, quam uictores Sueci, non longè ab Vpsalia in loco conflictus, ex Danicis spolijs admodum opimis construxerunt.

De causis tardatę conuersionis gentium Aquilonarium.
CAP. XIX.


QVod autem extremi Aquilonis populi ad fidem Catholicam in tot retroactis ętatibus & seculis integraliter haud uocati sunt, in primis causam pręstare uidetur inscrutabilis Dei prouidentia, quę horas & momenta (quando hoc opus pijssimum fieri possit) in sua posuerat potestate. Interea tamen & assiduè petendum erit, ut cùm messis multa sit, idoneos & efficaces operarios emittere dignetur in tempore opportuno. Et si ego uiderer necessarius, nunquàm recusarem

tam pium



tam pium subire laborem, ubi diuinæ maiestati in cor Regis Suetiæ immittere dignaretur, ut sineret me iuxta ardentissimum desiderium meum adimplere tam optimum opus, quemadmodum annis XI. suscepto Archiepiscopali titulo illarum regionum incessanter cupieram, pro honore excelsi Dei, & omnium incolarum perpetua securitate. Nec dubitarem eius auxilio ita augere regnicolas in locis olim per me uisis aptissimis, ut ubi nemo iam habitat, intra decennium habitationem capacem, & idoneam redderem, pro pluribus hominum millibus commodissime habitaturis: unde quæ Dei Deo, & quæ Regis, Regi sufficienter, & omnimodè impenderentur. Sed, heu dolor, adesse tempus non cernitur, quo tanta utilitas ad opus, & effectum felicibus auspicijs adduci credatur. Conqueritur quidam scriptor Germanus Zieglerus nomine in Aquilonari geographia sua, præsules Septentrionales in culpa fore, quod gentes illæ Septentrionales haud conuertantur ad Christifidelium sanctissimam communionem: quasi importabilia tributa Pontificibus daturæ, à sacro baptismate, & uera religione perterritę alienarentur. Sed reuera uti hæc assertio impia & mendax est, ita Deus, qui ueritas est, agnoscit & iudicat, Antistites in culpa non esse, quòd differtur hoc opus pijssimum: quia Episcopi uix gregem opere, & doctrina in Meridionalibus prouincijs suarum dioecesum olim àcquisitum, ob persecutionem quorundam magnatum hæresibus infectorum, defendere sufficiunt: multominus in extremas Aquilonis prouincias peregrinando, nouum superaddere possunt, donec fortè plenitudo gentium fiat, & unus pastor, ac unum ouile. Attamen ius & autoritatem Metropolitanæ ecclesiæ Vpsalensis defensurus, anno salutis M. D. XXVI. Ioannes Magnus protunc Electus, licet Apostolicus legatus, uisitationem fecit in extrema Iempthia: ubi plus prouentuum pauperibus erogauit ad solatium, quàm sibi retinuit ad necessarium usum, prout latius uideri poterit in uita eius sub titulo Metropolis Vpsalensis.

De modo alliciendi, ac conseruandi gentes in uera religione.
CAP. XX.



COnstituto igitur electo Archiepiscopo, etsi populi in extremis regionibus præ magna alacritate omnem obedientiam, & benignitatem exhibere conati sunt: tamen beneuolentiam hanc beneuolentia studuit omnimodè superare, ut omnes comprobarent eum esse imitatorem illius ueri pastoris, qui cognoscit, & pascit oues suas. Siquidem emendas, quæ summo sacerdoti iuxta diuinam legem pro delictis populi offerri consueuerant, in usus pauperum liberaliter erogauit, etiam incendio amissis fortunis oppressos, atque aliàs tyrannica uiolentia afflictos adiuuit. Præterea laborantes intolerabili salis defectu, nedum salis coquendi artem (inter studendum extra patriam quęsitam) coquere docuit, sed & officinas, & sartagines in littoribus maritimis sine quocunq; lucro erigi fecit, erogans in eum pium & necessarium usum ferè mille marcas monetę maioris. Sed his, & similibus ingentissimę pietatis studijs, quantum gratię & fauoris apud pios Christi cultores assecutus est, tantum odij, tùm è longissima uisitatione ex maleuolis quibusdam, reportauit. Veruntamen exemplo illius, qui uelut ouis coram tondente non aperuit os suum, nunquàm desijt etiam in exilio XIX. annorum constitutus, inenarrabili patientia & fide laborare pro honore Regis Gostaui, & patrię suę, ut

uinceret in bono malum. Quid uerò boni peramplius egerit, aut alij uenerabiles Dei præsules, pro salute, seuerissimæ (ne dicam ingratæ) patriæ suę, in Metropoli Vpsalensi, & Apologia sua (quatenus opus fuerit) clarissimis exemplis ostendetur uniuersis. Et ita sit finis huius IIII. libri, ut aditus pateat ad antiquitates pugilum, & gigantum: qui si nunc uiuerent, utiq; cum bestijs, id est, impuris hæreticis, si uiribus agendum foret, pugnare, & congredi non negarent.

LIBRI QVARTI FINIS.

OLAI MAGNI GOTHI ARCIEPISCOPI VPSALENSIS DE GIGANTIBVS

LIBER QVINTVS.

CAP. I.





ETSI sacræ, prophanęq; historię maxima gigantum, atq; pugilum gesta euidenter cõmemorant, clareq; quid, quóue tempore, & loco orbis ea egerint, aut quomodo uixerint, attestantur: inutile tamen non erit aliqua his superaddere, quę à cautibus, & saxis Septentrionaliũ regionum sunt eruta, palàm uniuersis latius per orbem reddere manifesta, dum ab antiquissimis, ijsq; rarissimis scriptoribus, in libros sunt relata. Regiones igitur extremę alias in Charta mea Gothica annotatę, uidelicet Finmarchia, Biarmia, Scricfinnia, Helsingia, &c. adeò euidentia munimenta gigantum curiosis, seu studiosis inspectoribus ubiq; exhibent, ut admiratione pręuia credere cogantur, tam sublimem saxorum molem, tamq; immanem collium congeriem, nullo naturę compendio, sed portentosis hominum uiribus fuisse congestam, ac absolutam: etiam in campis, syluis, ac montibus regnorum Suetię, Gothię, ac Noruegię, ubi similia saxa conspiciuntur. Quid uerò Saxo Grammaticus Danorum diligentissimus historicus, de sua tellure Danica in hac materia asserat, curiosus lector prefationem historiarum eius (quatenus libuerit) circa finem inspiciat: comperietq; Danicam regionem giganteo cultu quondam exercitam, prout eximię magnitudinis saxa ueterum bustis, ac speluncis affixa testantur. Quod si quis ui monstrosa patratum ambigat, quorundam montium excelsa suspiciat, dicatq; si callet, quis eorum uerticibus cautes tantę granditatis inuexerit. Inopinabile namq; quiuis miraculi huius ęstimator aduertet, ut molem super plano minimè, uel difficile mobilem, in tantum montanę sublimitatis apicem simplex mortalitatis labor, aut usitatus humani roboris conatus extulerit. Vtrum uerò talium rerum autores post diluuium gigantes extiterint, an uiri corporis uiribus ante alios prędici, testatur se parum notitię ex Danię antiquitatibus inuenisse. Fortè si superioris Suetię, atq; Gothię cautes, & saxa examinasset, pręclarissima ueterum gesta mirabili suo ingenio ad posteros transtulisset: cùm Suetia, &



tia,& Gothia mille trecentis septuaginta annis Reges,& Principes habuerint,antequam Dan primus Rex in Dania regnare cœpit: quorum magnifica gesta saxis insculpta,nostri temporis curiositas intuetur. Distinguit tamen ipse Saxo triplices quondam sub specie gigantum,ac pugilum,mathematicos extitisse,atq; inauditi generis miracula discretis præstigijs exercuisse. Primi fuere monstrosi generis uiri Gigantes dicti,humanam magnitudinem corporum granditate superantes. Secundi Physiculatores,artem habentes phythonicam: qui quantum superioribus habitu cessere corporeo,tantum uiuaci mentis ingenio perstiterunt. Inter hos,& Gigantes assiduum bellorum de rerum summa certamen erat,donec Giganteum genus armis subigerēt,sibiq; & regnandi ius,& diuinitatis opinionem consciscerent. Tertij uerò ex superiorum copula pullulantes,naturæ eorum nec corporum magnitudine,nec artium exercitio respondebant. His tamen apud delusas præstigijs mētes diuinitatis accessit opinio,prout 3.lib.in multis cap.fuerat enarratum. Nec mirandum, si portentis eorum simplex consenserit in adulterino deorū cultu barbaries,cum Romanorum olim immensa prudētia talium quorundam mentitis honoribus illudebatur,prout diuus August. de ciuita Dei lib.2.cap 4.& lib.6. cap.9. de turpissimis deorum officijs modestius,quàm sceleris horror exigit, disputando,quam plurima adducit:quantæ scilicet turpitudinis,absurditatis, indignitatis,ac falsitatis fuerit eorum profana cultura.

De diuersitate Gigantum,& pugilum.
CAP. II.



OLIM in regno Helsingorum, qui nunc parent Regi Suecorum uersus Septentrionem, gigas erat Hartbenus nomine,tāta prẹditus magnitudine,ut nouē cubitis dimensio longitudinis eius protenderetur. Habebatq; 12. athletas contubernales:quorum insignis proceritas dimidio inferior uidebatur. Alter quidam Starchaterus, toti Europæ olim ob crebras(ut inferius dicetur) uictorias nominatissimus. Similiter & Arngrimus, ac Aruerodus:de quorum etiam excellentissimis gestis infrà dicetur. Ne tamen à solis ueteribus seculis exempla magnitudinis aut fortitudinis,mutuare uidear,uiros aliquot moderna memoria tam à mineralibus,quàm alijs Suetiẹ,& Gothiẹ prouincijs adducere congruit,tanta fortitudine prædítos,ut quisq; eorum in humeros subleuatum equum,uel bouem maximum,imò uas ferri sexcentarum,octingentarū, aut mille librarū(quale & aliquæ puellẹ leuare possunt)ad plura stadia portaret. Visus est etiam quidam equitem armatum subito obuium,non agilitate tantum,sed uiribus in terram deiecisse,uel detrusisse. Quod autē de Hartbeno superius dictum est,iuuat simile adducere ex literis sacris,quòd Og Rex Basan de stirpe Gigātum genitus,lectum ferreum habuit longitudine nouem cubitorum, latitudine uerò quatuor,ad mensuram cubiti uirilis manus,prout Deutero.3.habetur: cuius autoritati impudētissimum est non assentire,uti & S.August.lib.15.de ciuita. Dei cap. 9.de Gigantibus loquens attestatur, longe maiora corpora hominum extitisse, quàm hac nostra ætate. Dicit etiam Solinus Salaminæ Euthymenis filium creuisse in triennio cubita tria sublimitate:sed incessu tardo,sensu hebeti, robusta uoce, pubertate festina,morbis citò absumptum. Deinde notatur in bello Cretico,cum elata flumina impetu plusquàm ui amnica inuecta terras rupissent,post discessum eorundem humanum corpus repertum esse,sublimitate cubitorum 33. cuius spe-

ctandi cupidine L. Flaccum legatum Metellum etiam impen dio captos mira culo, quod auditu refutauerant, oculo potitos. Ex lib. de naturis rerum In Occiduis quoq; partibus reperta est puella (quam unde fluuiorum gurgites ab Oceano adduxerant, ignoratur) in capite uulnerata, ac mortua, indura chlamyde purpurea, longitudinis cubitorum quinquaginta, latitudinis inter humeros quatuor Colossus etiam homo monstruosus fuit: quem occisum Tyberis fluuius cooperire nequiuit: ipsumq; mare per multa spatia sanguine rubro infecit, teste Adelino. Præterea tantæ magnitudinis homo aliquando uisus est, ut in antro suo resupinus iacens, una manu duos uiros teneret crudos, eosdem manducaturus. Allegat Pli. lib. 7. cap. 2. homines in Scythia inueniri, proceritatem quinquaginta cubitorum excedentes. Isidorus dicit, apud Indos Macrobios haberi longitudinis duodecim pedum. Gabinius Romanorum scriptor per Strabonem lib. 17. citatus scribit de sepultura Antæi, asserens eius tibiam sexaginta cubitorum longitudinē habere. Huic profecto tibię non respondisset caliga Maximini Gothi Imperatoris.

De sobrietate Gigantum ac pugilum.

CAP. III.



ASserit clarissimus Danicarum rerum scriptor Saxo superius allegatus, ac inferius frequenter allegandus, inter alios Septentrionales fortissimos uiros, gigantea magnitudine & fortitudine præditos, quendam fuisse Starchaterum Thaustum: cuius admirandas, & heroicas uirtutes ita dignè extollit, ut raros sui æui similes uix habuerit in Europa, aut toto orbe: nec forsitā adhuc habet, uel habebit. Cūq; eidem excelsi spiritus uiro permultas uirtutes accommodat, inter alias ipsam sobrietatem fortibus uiris summè necessariam, huic relationi peculiariter statui apponendam, utpote speculum prurientis æui nostri nunc attentius intuendum. Erat enim (eodem Saxone teste) eiusdem Starchateri fortitudo frugalitatis amatrix, & ab immoderato dapum usu auersa. Semper uoluptate omissa, uirtutis respectum egit, uetustos continentiæ mores imitans: ac rusticioris escę paratum appetens, cœnæ sumptuosioris impendium fastidiuit. Igitur profusam dapum indulgentiam aspernatus, fumidoq;, ac rancido cibo usus, famem eò sapidius, quò simplicius pepulit, ne ueræ uirtutis neruos externarum deliciarum contagione, tanquam adulterino quodam dulcore remitteret, aut priscæ frugalitatis normam inusitatis gulæ superstitionibus abrogaret. Cæterum indignanter ferebat assam dapem, eandemq; elixam, unius cœnæ sumptibus erogari, edulium pro monstro accipiens: quod culinæ nidoribus delibutum, fartoris industria multiplicis temperamenti uarietate perfricuiit. Igitur ut Danicum luxum, Teutonum ritu (unde effœminati fierent) introductum, auerteret, inter alia patrio carmine, multis dimissis, sic cecinit:

De hac ode Ioan. Mag. lib. 5. cap. 10.

Fuit Starchaterus in condendis carminibus sermone patrio disertissimus, quibus non minus quam robore corporeo, corruptos hominum mores insectatus est. Ea carmina Saxo Latino sermone expressit. Inter cætera autem maximè carpebat gulæ & delicijs deditos, in quos sic cecinit:

Fortium

Fortium crudus cibus est uirorum:
Nec reor lautis opus esse mensis,
Mens quibus belli meditatur usum
Pectore forti.
Aptius barbam poteras rigentem
Mordicus presso lacerare dente,
Quàm uorax lactis uacuare sinum
Ore capaci.
Fugimus lautæ uitium popinæ,
Rancidis uentrem dapibus fouentes.
Coctiles paucis placuere succi
Tempore prisco.
Discus herbosi uacuus saporis,
Arietum carnes dabat,& suillas.
Temperans usus nihil immodesto
Polluit ausu.
Lacteum qui nunc adipem ligurris,
Induas mentem petimus uirilem:
Esto Frothonis memor,& paterni
Funeris ultor.
Occidet nequam,pauidumq; pectus:
Nec fugax fati stimulum refellet,
Valle condatur licet,aut opacis
Incubet antris.
Vndecim quondam proceres eramus
Regis Hachonis studium secuti.
Hic prior Helgo Begathus resedit
Ordine cœnæ:
Hic famis primæ stimulum licebat
Aridis pernæ natibus leuare:
Ventris ardorem rigidi domabat
Copia crusti.
Offulam nemo uapidam petebat:
Quisq; communes celebrabat escas:
Simplici tantum stetit apparatu
Cœna potentum.
Vulgus externum fugiebat esum:
Nec fuit summis epuli libido:
Ipse Rex paruo meminit modestam
Ducere uitam:
Mellei temnens speciem saporis,
Combibit tostum Cereris liquorem,
Nec parum coctis dubitabat uti,
Assa perosus.
Mensa perstabat modico paratu,
Exhibens sumptum tenui salino,
Nequid externo uariaret usu
Docta uetustas.
Amphoras nemo,paterasúe quondam
Intulit mensis: dolio profudit
Poculum promus:nec erat catillis
Copia pictis.

Nemo transacti uenerator æui,
Cantharis iunxit teretes diotas:
Nec cibis lancem cumulauit olim
Comptus agaso.
Non breui concha, cyathoúe leui
Prandium uanus decorabat hospes:
Nunc recens morum facies pudenter
Omnia pressit.

Talibus itaq; argumentis plurimos ad temperantiam, & sobrietatem, cæterasq; uirtutes induxit, ut pleriq; inuenirentur, qui nunquam ebriosa potione indulsisse dicantur, ne præcipuum fortitudinis uinculum continentia, luxuriæ uiribus eluderetur. Tamq; remotus ab omni lasciuia eorum animus erat, ut penitus dedignarētur spectatores esse mimorum, aut scurrarū: nec delicatam dapē parare, aut lautiori industria aliena culina paratā appetere, aut oblatā degustare: nec cuiquam perniciosæ uoluptati animū, aut uires effœminandas offerre: ne ueræ uirtutis neruos, aut bellicam claritatem aliqua uitiorum cōtagione commacularent.

Ioan. Mag. lib. 5. Hic locus exigere uidetur ut Starchateri inuicti pugilis memoria habeatur. Quam quia Saxo diffusius agit, uolui potius ipsam ex eo summatim excerpere, quàm conterranei hominis laudes suspecta affectione extollere. Erat enī Sueticus, siue Helsingus, non autem Tauesthius, aut Esthius, ut quidam putare uidentur. Testantur id non solum nostræ ueteres historiæ, sed Suetici nominis interpretatio, qua Starcher fortem signat, quasi diceres Fortem atherū, qui Tauesthio, uel Esthio sermone Vege ather dici debuisset. Similis ratio nominis est de patre eius Storuercho, qui Esthia lingua Sureuercho dictus fuisset.

De uirtutibus fortissimi Starchateri.

CAP. IIII.

HAbendo sobrietatem (ut proximè prędictum est) quam aptè ad cæteras uirtutes uinculum ampliare potuit, omnes qui gentilium operationes intuentur, agnoscunt: clariorq; factus fuisset in meritis, si Christi doctrinæ, sicuti natiuitati eius, uicinitatem habuisset. Peregit tamen trium hominum secula, fortis & inuictus pugil, monstruosa & incredibili quadam uirtute præditus, supra communem hominum staturam longè euectus, giganteam quandam molem præseferens, ita ut corporis magnitudini uirium robur, & animi fortitudo responderet, ut nulli mortalium uirtute cedere putaretur: cuius tam latè patens claritas fuit, ut adhuc quoque celeberrima gestorum eius, ac nominis opinio perseueret. In omnibus enim Aquilonaribus regnis, et eis uicinis, speciosissima sibi peperit monimenta. Primùm in Vichari Noruegiæ Regis iugulo, deorū fauori facinorum suorum principia dedicauit: deinde piraticam agēs, profligatis latè prouincijs, Rússiam inuasit, Regē eius Floccum superauit & ingenti thesauro spoliauit. Ob hæc tam præclara militiæ principia, ab athletis Bimiensibus, qui tunc præstantissimi habebantur, accitus, cùm plurima apud eos memoratu digna edidisset facinora, Sueonum fines ingreditur: unde septenni militia peracta, ad Daniam se cōtulit: deinde in Hyberniam: ne ultimæ rerum humanarum mansiones ab eo intactæ consisterent: ubi duobus præstantissimis athletis congressus, uictor euasit. Mox in Orientalia Russiæ contra eximię opinionis gladiatorem Visinnū properauit. Is enim Visinnus uicinas, longinquasq; prouincias omni iniuriæ genere uexauit, illustriumq; uirorum coniuges, maritis spectantibus raptas ad stuprum pertraxit. Cuius sceleris Starchaterus, ut alter Hercules, rumore

more exitus, tollendi autoris gratia Rusſiam petiuit, raptoremq; ad ſingulare certamen prouocatum oppreſsit. Deinde latius ad Orientem progreſſus, Byzantium peruenit: ubi inuictę opinionis gigantem, Tannam nomine, corporis uiribus fretus, colluctaudo deuicit, ignotasq; terrarum partes proſcripti titulo petere coëgit. Igitur cùm nulla fortunæ ſæuitia uires eius uictoria fraudare potuiſſet, Poloniæ partes aggreſſus, eximium athletam Vaſche, uel Vaſzam, duelli certamine ſuperauit. Nec longè pôſt Hamæ pugili, apud Saxones gymnicis palmis clariſsimo congreditur: cuius pugno primùm ita obrutus memoratur, ut genibus nixus, humum mento cõtingeret: quam corporis nutationem egregia ultióne pẽſauit: nam ubi reſuſcitato poplite manum expedire, ferrumq; diſtringere licuit, medium Hamæ corpus diſſecuit: eaq; uictoria Saxones Danorum ſubiecit imperio, quo adeò ſeuerè abuſi ſunt, ut pro cubitalium quolibet indicem ſeruitutis ſtipem quotannis pendere cogerentur. Sed non diu uiolentum durauit imperium.

De patrocinio oppreſſorum.
CAP. V.



TRiumphis his deductis omnibus in exteris terris, in patriam ſuam Suetiam eſt reuerſus, Haldaniq; militiam proxima familiaritate complexus, nunquàm bellorum exercitio abſtinuit, ita ut abſtractum delicijs animum, continua armorum intentione torqueret, ſibiq́ue nunquàm ebrioſa pótione indulſiſſe diceretur. Ad conuiuia nunquàm ſuſtinuit inuitari, aſſerens, hunc ſcurrarum, & paraſitorum morem eſſe, lautioris alimoniæ gratia ad alienæ culinæ nidorem decurrere. Quocirca non ſecus ac graui iniuria affectus, inuitantes grauibus pœnis afficere conſueuit. Ab Helgone Noruegiorum Rege (qui nouem eximiæ fortitudinis pugilibus, ipſo nuptiarum die ſub duelli prouocatione ſponſam rapere uolentibus, congredi debuerat) ſuppliciter rogatus tanto diſcrimini auxilium afferre, tam promptiſsimo animo precibus aſſenſit, ut Helgone ad locum pugnæ præcedente, interiectis aliquot diebus profectionem orſus, tantum locorum diali itinere pedeſter emenſus prodatur, quantum præcedentes diebus duodecim equeſtres peragraſſe dicuntur. Interrogatus à pugilibus, an ei dimicandi uirtus ſuppeteret. Non unum tantùm, uerùm quotlibet admiſſos excipiendi certiſsimas ſibi uires extare, reſpondit. Sequenti die cum contemptu aduerſariorum campum ingreſſus, ſub montis cuiuſdam cliuo ſeſſione quæſita, aduerſum uentis, ac niuibus corpus præbuit. Tunc ſi uerno tempore apricandum eſſet, depoſita ueſte, demendis operam pulicibus dabat. Purpureum quoq; amiculum, quo nuper ab Helga (id erat nomen Regiæ ſponſæ) donatus fuerat, ſentibus iniecit, ne contra ſæuientia grandinis tela, indumentorum umbracula mutuatus uideretur. Tunc athletę montem ex oppoſito ſubeuntes, auerſum uentis ſedendi locum petunt: accenſoq; igne, frigus depellunt. Deniq; non uiſo Starchatero, quendam montis faſtigio immittunt, qui tanquàm è ſpecula eius contemplaretur aduentum. Is in deuexa montis parte ſenem proſpicit, ſcapulis tenus niuali deſuper reſperſione contectum: quem percontatur, an is ſit, qui promiſſas pugnæ partes agere debeat. Cunq; ſe eſſe hunc Starchaterus aſtrueret, ſuperuenientes cæteri, pariterne omnes, an, ſingillatim excipere ſtatuiſſet, interrogant. At ille: Quoties, inquit, mihi triſte canum agmen oblatrat, ſimul, non uiciſsim eos abigere ſoleo. Ita ſe cum uniuerſis, quàm ſingulis confligere malle ſignificans, prius ad

uersarios dictis, quàm armis contemnendos putabat. Inito conflictu, sex eorum absque mutuo uulnerum receptu prostrauit: tres uerò residuos, quanquàm multis uulneribus ab eis affectus, fratrum exemplo consumpsit: quæ quidem uulnera soli ruricolæ filio, ob officij uenerationem, credidit restauranda. Is enim euulsas stomachi partes pristino loco restituit, elapsamque extorum congeriem nexili uiminum complexione perstrinxit. Ne autem indonatam iuuenis humanitatem relinqueret, chlamydem uepribus iniectam, oblatæ dignationis præmium effecit.

Haldani uita, & militia, cui etiam Fridleuus (cuius paulò post fiet mentio) interfuit: ex Ioan. Mag. lib. 5.



Getricus Erici Diserti primogenitus, qui post fata patris tam hæreditaria successione, quàm concordi procerum electione, ad Gothici regni sceptra peruenit, descēdamus, Haldano secūdo genito apud Sueones (de quo postea dicemus) in paternum principatum succedente. Hic Getricus considerans se fortissimo & prudentissimo patre genitū, cœpit præclaras eius uirtutes tam diligenti studio æmulari, ut in illo ab ipsius fortitudine & probitate degenerasse notaretur. præcipua tamen eius uirtus & animi magnitudo in eo poterat considerari, quando fratrem suum natu minorem in Regio culmine sibi adæquari uideret, & inde maximam uirtutē capessendæ uirtutis assumeret, unde alius fortassis inextinguibilis odij fomitem excitasset. Nam cùm à malis, aut parum prudentibus consultoribus moneretur, nullam regni societatem admittere, maioremque Regiæ maiestatis quàm consanguinitatis rationem habere, magno atque excellenti animo respōdisse fertur, se magis gloriam & honestatem, quæ ex uera uirtute procedit, quàm totam totius regni maiestatem æstimare: uirtute enim, non sublimitate graduū Principes clari illustresque redduntur. Proinde si proceribus populisque Gothorum angusta uideretur unius regni possessio, nō ob id fraternæ necessitudinis uinculum continuò uiolandum esse, nec Gothorum Sueonumque societatem, quam semper omnes prudentes incolæ inuiolabilem esse uoluerunt, ad aliquod irreparabile periculum præcipitandam: esse adhuc integras uires animosque, in nullo quàm olim fuerunt remissiores, quorum fortitudine potius in exteras terras, quàm in ciuium uiscera arma conuertantur. Hæc loquutus, edictum proponit, si aliqui militiæ idonei essent, qui in alienas terras arma extendere uellent, scirent se ducem habere, qui nihil arduum aut difficile pro amplianda Gothici nominis gloria subterfugere uellet.

Ad cuius edicti promulgationem, tantus numerus sese ad arma sponte accinxit, ut minima incolarum pars uideri potuisset, quæ domesticam quietem longinquæ & dubiæ militiæ præferre statuisset. Quam multitudinem Gethericus ualidæ classi impositam, usque ad littora Rugianorum ac Pomeranorum prospera nauigatione perduxit, belloque cum incolis commisso, uictor euasit. Veruntamen cum Gothi considerassent Pomerani soli sterilitatem, noluerunt feliciorem patriam minus felici commutare: sed in tres potentes exercitus diuisi, quidam eorum post multos & uarios errores peruenerunt ad illa aspera alpium iuga, in quibus nunc eorum posteritas Suetziorum nomen habens, perseuerat, dum alteri (teste Anglicana historia lib. 2.) in Scotiam peruenientes, gentem Pictorum condiderunt, idque anno à Christo nato LXXII. reliqui uerò, quorum minor erat numerus, cum Getherico superatis Vlmerugis, Curetibus, Samogetis, Estonibus, tandem post plurium annornm militiam, relictis ibi præsidijs, Vilimero Getherici filio parere iussis, in Gothiam cum honestiore uictoria redierunt, quàm si uicinis Sueonibus bella intulissent. Fateor tamen in Suetziorum siue Heluetiorum historijs legisse, non omnes qui nunc Suitzeri uocantur, uno et eodem tempore in locis illis sedes occupasse, sed quosdam ex Gothis (mortuo Gothorum Rege Teia) ex Italia illuc se recepisse, quosdam uerò ex Suetia, qui non solum ex suis historijs, sed summis beneficijs erga Suecos ad se uenientes ostendunt se prima origine Gothos & Sueones extitisse: idque mihi ipsi ante paucos annos per summam ipsorum beneuolentiam ostenderunt, quod etiam gratitudine sempiterna commemorabo. Nunc ad Gethericum reuertar: Qui post gloriosam regni administrationem in multos & felices annos continuatam, tandem in fata apud suos Vestrogothos concessit.

Haldanus Erici Diserti filius, patri in regno Suetiæ procerum populique consensu surrogatur.

tur. Quamuis enim totus paterni imperij principatus Getherico primogenito, tum ob eius eximias uirtutes, tũ ob ius hæreditariæ successionis deferendus uideretur, tamen uisum fuit Sueonibus se iterũ à Gothis separare, & ueteris societatis fœdera (seorsum creato Rege) dissoluere: ea tamen diuisio totam Suetici regni Rempub. ad multa & difficilia pericula detrusit, parumq; aberat, quin funditus desolata fuisset. Siquidem Noruegiani ad memoriã reuocantes perniciosa illa bella, quibus Ericus huius Haldani pater magnam Noruegiæ partem olim deuastauerat, & iam inter Gothos & Sueones controuersia de Rege substituendo suborta esset: proinde non negligendam esse occasionem, qua acceptas iniurias cõtra discordes inimicos uindicare possent. Igitur potentem exercitum ex omnibus Noruegiæ angulis educentes, coëgerunt Haldanum, ut & ipse se suasq; terras defensurus, ad omnia opportuna auxilia circumspiceret: qui tunc primũ apertis oculis considerabat, quàm necessaria fuisset Gothorum & Sueonũ unitas, & unitis uiribus aduentantes hostes exciperent: sed iam Gethericus cum electiore Gothorũ multitudine enauigauerat, regnumq; suum Haldani moderationi reliquerat. Quocirca cum domestica militia plurimum attenuata esset, ad externam se conuertere cogebatur. Itaq; ad Rutenorum Principem se cõfestim recipiens, opem necessariam quam uolebat, inuenit. Nam Fridleuus nuper defuncti Danici Regis Frothonis filius, sub eodem Rutenorũ Principe (cui ex materno genere consanguineus erat) militabat. Hic postquam referente Haldano, patrem Frothonem nuper defunctum, aliumq; à Regio sanguine alienum in paternum regnum successisse didicisset, omnem operam apud Rutenum adhibuit, ut tantas militum copias Haldano adiungeret, quantæ sufficerent eius contra potẽtes hostes defensioni, suæq; in paternum Daniæ regnum præfectioni. Neq; enim alia spes reliqua uidebatur, nisi quòd aut ambo extorres, aut ambo Reges crearentur. Qua honesta persuasione Rutenus sese inclinari permisit, ut omnia quæ petebantur liberaliter exequeretur, facturus uno eodemq; beneficio duobus Regibus commoditatem sempiterna gratitudine compensandam. His igitur auxiliaribus copijs Haldanus & Fridleuus adiuti, se quàm celerrimè in Suetiam receperunt, adunatisq; Sueonum & Rutenorum uiribus, Noruegianos facile superantes, tam se quàm patriam à formidabili bello liberauerunt.

Peracto eo Noruegiano bello, restabant quindecim fratres illustri inter Noruegianos loco nati: qui cum Sueonum uictoriam ægriori animo ferrent, suosq; cognatos ab eis occisos uindicare constituissent, intra insulam quandam rapidissimo torrente undiq; munitam se receperunt: nec contenti insuperabilis torrentis præsidio defendi præaltum etiam uallum quo securiores essent, extruxerunt: unde extructo ponte sæpius egressi, Sueones in uicino positos, crebris iniurijs uexauere. Nec facile fuit eorum uiolentiã uirtute populari reprimere. Erant enim animis acres, iuuentutis fiducia audaces, habitu corporis insignes, fortitudine & disciplina militari præstantes, giganteis triumphis illustres, trophæis gẽtium celebres spolijs locupletes. Præterea canem habebant, horrendæ quidem acerbitatis belluam, atque humano conuictui formidolosam, quæ sæpius (ut Saxo Danicus asserit) bissenos sola uiros oppresserit. Tandem postquam cõtinuo latrocinio uiciniam totam deuastassent, magnasq; cædes sæpe peregissent, penates spoliassent, armenta strauissent, ingentem prædam abduxissent, spoliatas ędes combussissent, mares cũ fœminis passim obtruncassent, omniaq; pessima facinora diu & impunè perpetrassent, Haldani & Fridleui uiribus uicti oppressiq; fuere, pręter unum Biornonem, quem Fridleuus impensiore medicina è uulneribus curatum, præstita illi fide in suam militiam conscripsit, ratus aliquando futurum, ut tam fortem propugnatorem sese exhiberet, quàm pertinacem inimicum se antea præstitisset.

Interea uerò dum Fridleuus hoc modo in Suetia pro Haldano militaret, multa per legatos in Dania egit, ut ad Frothonis regnum liberè admitteretur. Sed cum Hiarno regijs honoribus exui, et in obscuram uulgi sortem ire nollet, diuisa fuere Danorum uota. Alij nanq; Fridleuo fauentes, affirmabant submouendum esse plebeium hominem, qui ad insperatum rerum culmen pręter sanguinis claritatem solo fortunæ beneficio peruenisset: alij uerò pręsentem rerum statũ considerantes, et Hiarnoni nouo homini fauentes, responderunt, hunc & illũ Regio sceptro æquè idoneum censeri posse, præsertim si repudium Hamundę matris eius attendatur. His diuiduis Danorum uotis coram Fridleuo expositis, iussi sunt eorum legati redire, Hiarnonemq; monere, aut sceptrum regni deponere, aut armis de rerum summa confligere. At Hiarno maioris erat animi, quàm quòd uitam salutemq; honori accepto præponeret. Igitur Fridleuus Haldani copijs suffultus, aduersus hostem acerrime pugnans, uictor euasit. Attamen Hiarno nihil animum despondens, denuò copias coëgit. Sed neque secundo bello felicior erat primo. Quippe cæsis fugatisq; suis, solitaria fuga salutem quæsiuit. Demum duello cum Fridleuo congressus occubuit, maiorem animum quàm fortunam assecutus. Debet itaque Fridleuus Haldani auxilijs, quòd ad Frothonis

regnum peruenerit. Si enim Dani eius successioni integro affectu fauissent, procul dubio totis tribus annis, quibus mortui Frothonis corpus circumferebant, aliquo nūtio Fridleuum ex Rusia ad uacantem principatum reuocassent. Postremò unà cum Haldano bellū in Noruegianos denuò transfert, occasione accepta ex negatis ab Amundo eorum Rege nuptijs, petiuit enim eius filiam Frogertam: re autem uera maius desiderium uterque habebat iniurias superiore bello à Noruegianis acceptas uindicare. Igitur grauissimo prælio commisso, cecidit Amundus, et filia eius in matrimonium Fridleui uictoris deuenit: qua potitus, ut parem gratiam Haldano adhuc cœlibi referret, Hitthini filiam (quam monstro quondam liberauerat) eidem in cōiugium sociauit. His itaq; feliciter gestis, tam inuiolabilis amicitia usq; ad ultima fata inter Haldanum & Fridleuum continuata fuit, qualem prius Ericus & Frotho per summam atq; integerrimam fidem mutuis amicitiæ officijs coluerūt. Tandem Haldanus ab ingratis æmulis domestico ferro impetitus occubuit.

De exercitijs eiusdem Starchateri.
CAP. VI.



DVm autem Starchaterus apud regem Suetiæ militaret, intellexissetq; Daniæ regem Ingellum prorsus petulantissimi luxus illecebris mancipatū, uitiaq; pro uirtute complexum intermissis Regiæ maiestatis officijs, sordidum luxuriæ mancipium euasisse, dolenter tulit, tantę indolis iuuenem, tam incliti patris filium exuisse. Eximium igitur carbonum fascem, tanquam opimam sarcinam, humeris suis Daniam petiturus impendit. Rogatus ab obuiis, quid tam insolitum onus deferret. Ingelli Regis hebetudinem ad cacuminis habitum carbonibus se perducturum astruxit. Nec minus quàm dixit, effecit. Tantum enim ualuit fortissimi, ac eloquentissimi uiri monitio, ut Ingellus ex enerui, & molli illecebrarum mancipio, magnanimus uirtutum cultor euaderet, patrisq; sui interfectores, quos ad primum familiaritatis gradum extulerat, trucidaret. Quo peracto, Starchaterus suis monitis satis factum gaudens, gratiasq; agens, multa præclara in laudem ueteris militiæ, modo quo sequitur, inter alia complurima cecinisse refertur:

Imberbis quando ductum, auspiciumq; sequebar
Militiæ Rex Hacho tuæ, lasciua perosus
Ingenia, & luxum, nil præter bella colebam.
Exercens animum cum corpore, mente profanum
Omne relegaui, stomachoq; placentia fugi,
Fortia complexus animo, nanq; arma professus.
Aspera uestis erat, cultusq; parabilis olim,
Rara quies, somniq; breues, labor otia longe
Propulit, & parco fluxerunt tempora sumptu.
Non ut nunc quidam, quibus insatiata cupido
Ingluuie cæca uisum rationis inumbrat.
Horum aliquis uestis operosæ tegmine cultus,
Molliter alipedem flectit, sparsamq; renodat
Cæsariem, & laxos patitur fluitare capillos:
Discere sæpe foro, turpiq; inhiare lucello
Gaudet, & hoc studio uitam solatur inertem.
Venali celebrans commissa negotia lingua.
Vi uiolat leges, & ferro iura lacessit,
Obterit innocuos, alieno pascitur ære,



Stupra,gulamq; colit,risu conuiuia mordax
Insequitur, sic scorta petens ut sarculus herbam.
Occidit ignauus,dum prælia pace quiescunt,
In media si ualle cubet:testudine nulla
Tutus erit,qui fata timet:sors ultima uiuum
Quæq; rapit,latebra lethum depellere non est.
Ast ego,qui totum concussi cladibus orbem,
Leni morte fruar,placidoq; sub astra leuandus
Funere,ui morbi defungar uulneris expers.

Semper præterea iam remotum à lasciuia animum habuit,ut ne eius spectator esse sustinuerit.Nunquam otium negotio prætulit:nec minimę quidem luxuriæ assensor esse uoluit,mollium,& timidorum contemptor. Histriones,scurras,parasitos ubicunq; inter bellantes comprehendit,cædendos curauit:satius ratus in leuium hominum agmē cuticulæ damno ridiculum dictare supplicium, quàm pœna capitis funestum imperare discrimē. Eoq; modo iocularis ministerij,sordidęq; conditionis cateruam probroso uerborum ludibrio multare contentus extitit, ne clarissimas manus turpissimorum hominum exitio commodaret. Fuit ipse Starchaterus in eo famosissimo bello Suetico,quod Ringo Suetiæ Rex contra Haraldum Daniæ Regem gesit,præcipuum culmen.Eo siquidem bello nullum maius unquam in Aquilonaribus regnis factum memoratur. Victor Suecorum Rex Danis imperauit.Periere ex Suecis 12.millia illustrium & procerum, ex Danis 30.millia nobilium:at popularium utriusq; partis nullus erat numerus.

De summa gestorum Starchateri
CAP. VII.



DEmum post egregiam facinorum suorum laudem in senium uergens, hoc succincto carmine totius uitæ, & militię suę studium summatim sic expressit,autore Saxone:

At mihi(si recolo)nascenti fata dedere
Bella seq.belloq; mori, miscere tumultus,
Inuigilare armis, uitam exercere cruētam.
Castra quietis inops colui,paceq; perosus,
Sub signis Gradiue tuis discrimine sūmo
Consenui,uictorq; metu pugnare decorū.
Turpe uacare ratus, crebras committere cędes
Egregium duxi,& strages celebrare frequentes,
Sępe graues bello Reges concurrere uidi,
Et clipeos,galeasq; teri,crudescere campos
Sanguine,loricas affixa cuspide rumpi,
Vndiq; thoraces admisso cedere ferro,
Luxuriare feras inhumato milite pastas.
Hic aliquis fortè egregij conaminis autor,
Marte manuq; potēs,mediū dum pugnat in hostem,
Intentam capiti loricam diffidit:alter
Casside perfossa,ferrumq; in uertice mersit.
Quando ter Olonis summo discrimine nati
Expugnator eram:nanq; agmine prorsus in illo,
Aut gladium fregit manus,aut obstantia fudit.
Hęc grauitas ferientis erat.Quid quando Curetum
Littus,& innumera constratum cuspide callem

Primus

Primus ligniferis docui decurrere plantis?
Nanq; aditurus agros confertos murice ferreo,
Armabam laceros subiecto stipite gressus.
Hinc mecum egregijs congressum uiribus Hamam
Enecui: mox cum Rino duce Flebace nato
Obtriui Kijrios, uel quas alit Esthia gentes,
Et populos Semgalla tuos. Post hæc Vylemarchos
Aggressus, caput inde tuli liuore cruentum,
Quassum malleolis, armisq; fabrilibus ictum.
Hic primùm didici quid ferramenta ualerent
Incudis, atq; animi quantum popularibus esset,
Teutonici quoq; me pœnas autore dedere,
Cùm natos Suertinge tuos Frothonis iniqua
Cæde reos, domini uindex ad pocula straui.
Nec minus hoc facinus, quando pro uirgine chara
Vno septenos necui certamine fratres,
Teste loco: qui me stomacho linquente perosus,
Non parit arenti rediuiuum cespite gramen
Moxq; ducis Kerri bellum nauale parantis,
Vicimus egregio confertam milite puppim.
Inde dedi letho Vaszam: fabrumq; procacem
Multaui natibus cæsis: ferroq; peremi
Rupibus à niueis hebetantem tela Visinnum
Quattuor hinc Leri natos, pugilesq; peremi
Biarmenses: gentis Hybernæ principe capto,
Duflinæ populabar opes: semperq; manebit
Nostra Brauellinis uirtus conspecta trophæis.
Quid moror? excedunt numerum, quæ fortiter egi,
Quodq; manu gessi, ad solidum celebrare recensens,
Deficio: sunt cuncta meo maiora relatu.
Vincit opus famam, nec sermo suppetit actis.

Sanè fuit hic uir hauddubiè dignus omni bellica laude, non animi solum uigore, sed etiam corporis uiribus excellens, præcipuaq; pedum pernicitate, ut uno die accelerando à superiori Suetia in Daniam pedester usus sit: qualem alij diebus duodecim continuò gradientes uix habuerunt. Neq; id à ueritate alienum creditur, cùm Solinus testetur, cursores Alexandri Magni uno die 1200. stadia transiuisse: quæ stricto numero uix 32. milliaria Germanica constituere possunt, Procopio referẽte. Præterea adeò inuicti corporis fuit hic Starchaterus, ut ob continuam exercitationem, & uires augendas, induci non potuerit (etiam in rebus strenuè gestis) ut aliquid laboris sibijpsi laxaret, prout Imperatorem Probum pluries fecisse monstratur.

Ioan. Mag. lib. 5. Erat enim Starchaterus in illo maximo bello Suetico, quod Ringo Suetiæ Rex contra Haraldum Daniæ Regem gessit, præcipuum columen. Hoc siquidem bello, quo uix aliquod maius in Aquilonaribus regnis factum memoratur, uictor Suecus, Danus uictus euasit: & periere ex Suecis duodecim millia procerum, ex Danis triginta millia nobilium, at popularium ex utraq; parte desideratorum nullus erat numerus.
Starchaterus à parte Suecorum & Gothorum stabat, cui parti tandem uictoria cessit, Danosq; Suecorum imperio subiecit.

De

De maximo, ac terribili bello Suecorum, ac Gothorum: cui Starchaterus præfuit contra Danos.

CAP. VIII.



CVM causam, & exordiũ, ac progressum, & exitum acerrimi prælij Haquini Ring Suecorum Gothorũq; &c. Regis, ac Haraldi Hildetan Danorum Regis, lib. 8. histo. excellentissimus Danicarum rerũ scriptor Saxo Sialandicus, omni euo successuro notissimã tradiderit, ac post eũ euolutis iam 50. annis Albertus Crantzius idem prælium incidenter attigerit, nouissimusq; omniũ charissimus frater, & antecessor meus, Ioan. Mag. Archiep. Vpsal. hoc uastũ, & incomparabile bellũ in Gothicis, ac Sueticis historijs suis ex ineuitabili proposito ueraciter, ut fidelem historicũ decet, nuper conscripserit: ad me pertinere arbitror, ut saltẽ eiusmodi formidabilis conflictus aliquam mentionẽ hoc in loco inter pugiles, & gigantes interseram, pręcipuè quia in nullo pręlio Septentrionalium regnorũ, & uix unquã in tota Europa tot fortissimi, utriusq; potentissimi tam terrestris, quàm naualis exercitus duces, cũ tanta uehementia, ac ardore belli septennio pręparati, concurrisse leguntur, quemadmodũ in historijs satis concordibus supradictarum regionum, ac Regum, & autorum fideliter conscriptum habetur. Enumerantur in primis clarissimi bellatores, unde, & quo stemmate insigniores pro parte Danorũ fuerint: inter quos & fœminæ duæ, quibus uirilem animũ natura, arsq;, & experientia peritiam erogauerat militarem: Hetha, ac Visna, Sclauonicę stirpis illustrissimę mulieres: quarum altera prima dux erat, altera uerò apprimè rei bellicæ perita, principale uexillum gerens, eo, dextraq; in conflictu, urgente in acie Suecorũ Gothorumq; Starchatero, ut infrà dicetur, priuata fuit. Similiter ex parte opposita duces insigniores enumerãtur, maximè quòd Starchaterus Suetici Regis Ringonis principalis exercitus director fuit, atq; in eius exercitu Vegtbiorga puella acerbissima bellatrix, ut inferius ostendetur. Numerus nauiũ Ringonis pro Suecis & Gothis, 2500. repertę: sed Danorum non impar erat. Pręparatis igitur utrinq; nunc cuneata, nunc corniculata acie, & reliquis ad pręlium requisitis, lituisq; canentibus, asperrimum fortissimarum gentium tanto tempore pręparatum, tanto ardore de inuadendo, ac defendendo imperio conseritur bellum, ut crederes repentè (inquit Saxo) terris ingruere cœlum, syluas camposq; subsidere, misceri omnia, antiquum redijsse chaos, diuina pariter & humana tumultuosa tempestate confundi, cunctaq; simul in perniciem trahi. Nam ubi ad teli iactum peruentum, intolerabilis armorum stridor incredibili cuncta fragore compleuit. Vapor uulnerum repentinam cœlo nebulam intendebat: dies effusa telorum grandine tegebatur. Nec parum in acie funditorum opera ualuit. At ubi pila manu, aut tormentis excussa, cominus gladijs, ferratisq; clauis decernitur, tum uerò plurimum sanguinis periclitatum est. Igitur fessis manare sudor corporibus cœpit, mucronumq; crepitacula eminus audiebantur. Illic Starchaterus, qui belli huius seriem sermone patrio primus edidit, prior in acie dimicans, Haraldi Regis proceres, Hun & Elli, Hort ac Burgha à se prostratos, abscissamq; Visnæ dextram commemorat. Puella etiam in Suetica acie dimicans, Vegtbiorg nomine, Soth pugilem strauit: & ipsa quoque, altero instante hoste, interempta est. Tanta enim ui periti arcuum Guthones neruos intenderant, ut clypeos quoq; iaculis transuerberarent: nec alia effica-

cior, cædis extitit causa. Loricas, galeasq́ perinde ac inermia corpora sagittarum acumina penetrabant. Centum quadragintaquatuor sagittis Vbbo quidam fortissime pugnans, transfossus interijt. Summa etenim sagittariorum ui, instantibus Dalacarlis, recruduit semper bellum contra Danos. Tandem Danorum Rex Haraldus curru excussus, claua aurigæ proprij excerebratus interijt procerumq́ triginta millia ex sua acie, atq; duodecim millia similium procerum ex parte Suecorum, et Gothorum: popularium uero numerus erat infinitus. Regnoq́ Danię iussu Regis Suetiæ Ringonis præficitur Hetha numero regentium 46. cui successit Olo, per Starchaterum ab insidiatoribus introductum, pretioq́ corruptum, interemptus.

Perfecta belli præsentis descriptio, desumpta ex Ioan. Mag. lib. 8.

Haquinus Ringo Germūdi filius, inter clariores Gothorum & Suecorum Reges, qui unquam ante eum fuerunt, commemorandus, publico patriæ cōsensu ad Regiam maiestatem post tristia fata parentis assumitur. Hic perpetuo & impacabili odio in Danos, qui patrem eius dolose iugulauerant, ferebatur: expectauitq; ad plures annos idoneam occasionē, qua posset acceptā iniuriā in totū Danorū regnum uindicare. Interea accidit ipsum per quosdā certiores nuntios à Rege Danorum (qui amicitiam egregiè simulabat) missos instrui, quomodo idem Danus comminaretur, se eisdem artibus, quibus antea necem Ingelli, & Germundi accelerari fecerat, Ringonem quoq; non multo post tempore sublaturum. Erat inter hos medios nuntios quidam insignis proditor Danus, (quem Saxo Othinum uocat) cuius tanta fallacia erat, ut etiam si Regum arctissima concordia fuisset, tamen mutuam odij pertinaciam eis ingenerasset. Ringo igitur cum intellexisset uitam suam aut clandestinis Haraldi insidijs impetendam, aut publicis armis comminatum periculum auertendum, prǽelegit aperto Marte contra insidiosum hostem pugnare, quam ab eo submissis latenter sicarijs intra domesticas latebras iugulari. Proinde Haraldum per nuntios monendum curat, ut si in animo eius aliquod latens odium constitutum esset, illud potius uirilibus armis, quam occultis dolis extinguat. Itaq; Haraldus, postquam compertum habuisset suas occultas insidias in apertam notitiam Ringonis peruenisse, omnes operas suas adhibebat, ne Ringo ex improuiso Daniæ fines inuaderet: missisq́; nuntijs septennes inducias ab eo impetrauit, ut illo annorum numero transacto, pugna pro utriusq; partis iustitia & gloria decerneretur.

Verum cum Haraldus cōsideraret suorum Danorum uires minores esse, quam quod Gothorum & Sueonum potentiæ resistere possent, militiam suam ex Germanis, Saxonibus, Sclauis, Liuonibus, Vandalis, Anglis, Scotis, Hybernis, Frisonibus, atq; ex totius Danici regni robore conscripsit: tantamq́; copiarum eius multitudinem fuisse (referente Saxone) inuenio, ut numero quidem comprehendi nequiuisset. Solos siquidem agminum ductores commemorat, quos fortissimos Reges, præstātissimosq́; proceres, & clarissimos duces fuisse affirmat. Iisdem adiungit præcipuæ fortitudinis pugiles, qui instructis ad bella corporibus ingenij quoq; uirtute pollebant, proceritatis habitum animorum dotibus decorantes. Nec solum in arcubus ballistisq́;, & sagittaria arte peritissimi erant, sed & poëses patrio sermone contexere didicerant. Talibus enim studijs animum cū corpore exercuerant. Præterea ubi putabat uiros non sufficere, adiecit & pugnaces mulieres; quarum muliebri corpori natura uirilē animum erogasse uidebatur. Erantq; inter eas speciosæ uirgines quę non modo comiter, sed etiam pugnaciter cultę acies bellicas ductauerunt. At classis Danica quę eas innumerabiles copias in Gothos transuectura erat, tam frequens fuisse memoratur, ut fretum, quod Schoningiam a' Selandia quatuor Italicis milliaribus separat, eius magnitudine repleretur, confertissimaq́; nauium cōiunctione pedestre iter inter utrunq; litus (instar pontis) exhiberet. Ringonis autem exercitus longe minore pompa & apparatu, sed maioribus animis atq; militaribus exercitijs sese ad horrenda Martis arma præparabat. Tantum quippe spei Ringo in fortitudine, & militari experientia suorum Gothorum & Sueonum reponebat, ut nullus, aut ualde rarus esset miles, quem ab exteris regionibus in suam militiam conscripsisset. Iuncti erant eius militię Gislemarchi, qui Froē Dei erant necessarij, et fidissimi numinum arbitri, uiri quidem manu prompti, consilio uegeti, proximaq; Ringonem familiaritate complexi. Præterea Tilemarchi in armis fortissimi, quibus uirtutis plurimum, fastus uero minimum inerat. Olo etiam fortissimus pugil Noruegiani Regis filius, quem septem Reges manu atq; industria promptissimi stipauere, Ringonis militiam sequebatur.

Cæterum

Cæterum in tota Suetica classe nauium duo millia quingentæ continebantur, Gothica uerò classis in collaterali insula Gotlandiæ, in portu Garnensi Sueticam expectabat: quas in unam classem coactas, Olo in portũ, qui Vicus dicitur, prospera nauigatione perduxit, Ringone interim terrestres Sueonum & Gothorum copias ductante, usq; ad locum præstitutæ pugnæ, in campis Brauellinis, qui in Verendia (quæ est pars Gothię Meridionalis) longè lateq; extenduntur. In quo quidem loco expositis utrisq; copijs, quæ classe, & quæ terrestri itinere adductæ fuerant, apparuit ingens hominum multitudo, quæ uix poterat numerari. Siquidem cùm unum cornu eius esset in portu Vicensi, alterum in Verendiam per distantiam quadraginta milliarium Italicorum, siue CCCL. stadiorum porrigebatur. Hanc igitur multitudinem locis & ordinibus confusam, Ringo insigni equo circumiens, omnibus militaris disciplinæ præceptis ita satisfecit, ut nihil in toto exercitu, nisi optimè ordinatum uideretur. Intereà classis Danica superatis uasti maris periculis, ad designatum certamini locum peruenit. Tum Ringo reuocatis ad memoriam ueteris militiæ legibus, magno perè prohibuit, ne quisquam aduentantem hostem lacesseret, donec ingentem turbã, quam adduxerat, centuriasset. Nec signa canere permisit, quoadusq; hostis omnia pro uoto suo ordinasset, præfatus se nihil dubitare, quin illa innumerabilis & incondita multitudo facilè corruat, quæ cæco ductore in pugnam se conferre non formidat. Nec sibi opus esse (inquit) magna erga suos exhortatione, qui prioribus tẽporibus Danos à Gothicis terris non solum represserant, sed superauerant, & ad subiectionem, tributaq; pendenda coëgerant. Nec unquam tantas fuisse Danorum uires, ut per eas solas Sueones, aut Gothos superauerint. Quocirca nec iam armis Danicis cedendum esse, præsertim cùm tradita sint in manus furiosi, & capularis senis, qui non minus mente, quam oculis captus, alienas terras inuadit, qui suas nequit gubernare. Quibus uerbis Ringo animos suorũ in spẽ certæ uictorię erexit.

At Haraldus, dum suos adhortari conatur, multa delirantis senectutis uerba tremulis labijs, nutantiq; capite deprompsit: Quia, inquiens, soror mea aliquando Sueonum Regina fuit, nullus iure potuit filiastrum eius Ringonem, in Regem eorum constituere, nisi ego: taliq; iure deberet mihi tributa pendere. Sed nnnc asserit se à patre suo, & incolis regnum habere, armaq; pro auro, contemptum pro gratia, odium pro dilectione rependens, cogit me decrepitum senem ad bella prodire. O igitur nobilissimi Dani, qui uos omnibus hominibus nobiliores prædicatis, nolite permittere illos impotentes Gothos & Sueones uestram inuictam uirtutem superare. His miserabilius quàm commodius à queruloso sene depromtis, summa utrinq; ui conseritur bellum: nec meminerunt Septentrionalium regnorum historiæ alicuius belli tam atrociter ibidem gesti, tantaq; sanguinis effusione cruentati. Valuit multum in eo prælio funditorum opera, sagittariorumq; strenuitas, & promptitudo. Tanta enim ui periti arcuum Gothi, neruos intenderant, ut clypeos quoq; iaculis transuerberarent. Nec alia efficacior cædis extitit causa. Loricas, galeasq; perinde ac inermia corpora sagittarum acumina penetrabant: maximè autem per Dalacharlos ingens de Danis clades (teste Saxone) accepta est. Cum autem Haraldus luminibus orbatus, triste suorum murmur propè exaudiret, quærit à Brunone (qui per insidias officio aurigæ fungebatur) quomodo Ringo suam gentem in centurias digessisset. Cui auriga: Corniculata, inquit, acie pugnat. Haraldus ad hæc: Putabam me solum nouisse militarem disciplinam, qui ipsam à Deo meo Othino didici. Hæc dicentem, pluraq; dicere parantem Bruno è falcato curru in terram præcipitando trucidauit. Hic erat exitus maximi Danorum Regis Haraldi, qui quinquaginta annis regnans, uarioq; bellorum euentu cum tribus fortissimis Gothorum Sueonumq; Regibus pugnans, tandem à quarto eorũ omnium potẽtissimo Ringone superatus occubuit.

At Ringo cognito Haraldi interitu, mox receptui cani iussit, reuocatis militibus suis, qui Danorum terga absq; intermissione pulsabant. Diciturq; talem orationem ad deuictos Danos habuisse: O uiri Dani, cum sępius quàm felicius has terras Gothicas impugnetis, nec pugnando aliud, quàm extrema uitæ discrimina assequimini, quis sapiens affirmauerit uos in eo facto prudentes esse, aut prudenter agere? Erratis profectò, & nimium erratis, si putaueritis hęc duo regna nostra, Gothiam & Suetiam, fideliter unita, per uestram potentiam superari posse. Quam etsi nunc insuperabilem reddidisse uidebamini, adiunctis uobis fortissimis Saxonibus, bellacibus Anglis, audacibus Scotis, imperterritis Hybernis, pugnacibus Frisijs, ualentissimis Liuonibus, potentissimis Vandalis, septemq; maximis Regibus, attamen uicta, prostrataq; succubuit. Proinde si qua rerum necessitas, aut gloriæ cupido uos ad tot uitę pericula cõpellit, ad alias gentes uestræ potentiæ arma conuertantur. Est in nostris terris propitio Deorum munere magna argenti uis, omniumq; metallorum inexhaustæ fodinæ. Sed sunt etiam arcus, ballistæ, tela, frameæ, gladij, omniaq; bellica instrumenta quibus nostræ fortunæ defensantur. His dictis iussit Haraldi corpus inter innumera occisorum ca-

dauera inquiri: cui reperto adeò solennes magnificasq; exequias impendit, ut omnibus palam ostenderet, se magno atq; præstantissimo animo omnes transacti temporis iniurias obliuioni tradidisse, recteq; existimasse illos esse abiecti atq; degeneris animi homines, qui more uespillonum in mortuorum hostium cadauera deseuiunt: monuitq; omnes, ut nō solum Regium funus, sed omnium Regiorum procerum, uirorumq; fortium corpora, dignis atq; honestis exequijs decorarent. Tradit Saxo à parte Danorum triginta millia, à parte uerò Sueonum & Gothorum duodecim millia procerum cecidisse: uulgi uerò multitudo, quæ hinc inde corruerat, à nullo poterat numerari.

Hac uictoria Ringo potitus, Sueonum Gothorumque imperio Danicum sociauit: & ut Danis aliquid decoris irrogaret, mulierum, siue uirginem Hetham eis in Regem præfecit, quasi innuere uoluisset, ut fœminæ obedirent, qui se super cæteros uiros æstimarent. Olonē uerò Noruegianum, cuius fortissima opera usus fuerat, Schoningiæ, & Hallandiæ præfectū constituit. Sed non diu placuit Danis fœmineo subesse imperio. Proinde Olonem importunis precibus adoriuntur, rogantes, ut Danici nominis gloriā fœmineo imperio subesse non patiatur, sed ea à Regio throno amota, sibi Regiam maiestatem assumat. Nec difficile fuit ambitioso persuadere, regnum occupare. Impetrato enim ad id Ringonis cōsensu, uocatam ad se Hetham Daniæ regno iubet abstinere, esseq; deinceps sola Iuthia contentam: cui tamen annuum tributum imponit. Deinde ad innatam seueritatem reuersus, breui effecit, ut Dani secum mussitando dicerent: Nónne fuit satius nos tristitia uirginis Hethæ, atq; superba pati imperia, quàm sæuissimam Olonis tyrannidem quotidiano timore sustinere? Sed non fuit tam facile Regem deijcere, quàm constituere.

Igitur importunis precibus inuictum pugilem Starchaterum adoriuntur, ut accepta in mercedem ingente auri copia, tyrannum è uita auferat. Ille uerò considerans tyrannidem nihil aliud esse, quàm publicam humani generis pestem, operas suas pro communi omnium libertate pollicetur, Olonemq; balnea ingressum, atq; inermem, turpius quàm fortius transuerberat. Quo facto, tantus perpetrati sceleris horror fortissimi pugilis animum inuasit, ut penè sibi ipsi manum intulisset. Permansitq; ea læsæ conscientiæ pœnitudo in ipso, usq; ad extremum uitæ terminum. Quippe in se reuersus, nimium doluit se tam insidiosè, & turpiter, nullaque militaris honestatis ratione habita, trucidasse tyrannum, quem utiq; sine tanta infamiæ nota abstulisset, si aperto Marte, & prænuntiata hostilitate ipsum aggressus fuisset. Tandem (prout superius diximus) postq; ad ultimam senectutem deuenisset, ab Hathero inter Sueones nobilissimo, uoluntaria morte occisus occubuit. Interea Ringo amplissimi imperij sui terminos in pace & tranquillitate conseruare cupiens, iustitiam ubique seruari præcepit, legesq; ad pacificum subiectorum populorum conuictum utiles, ac necessarias promulgauit. Præterea in locum occisi Olonis, filium eius Omundum (annuo uectigali imposito) Daniæ Regem creat, Ringonemq; eiusdem nominis apud Noruegianos regnantem, in suam militiam contra Hybernienses adiunxit: multaq; & præclara facinora in Occidētalibus regnis peregisset, nisi absente Ringone Noruegiano, Omundus prælium in Noruegiam transtulisset. Demum hic felix, ac gloriosi nominis Rex Ringo, postq; Gothis, Sueonibus, & Danis, diu & feliciter imperasset, atque ad optatam senectutem peruenisset, Vpsaliæ sceptra uitamq; morte commutans, locum in Regijs monumentis accepit.

Egillus Haquini Ringonis filius cognomento Vendilkraaca, in patris regna successit. Huic prima difficultas cum Omundo apud Danos regente incidit. Cum enim Egillus missis legatis tributa promissa ab eo postularet, non solum postulationi nō paruit, sed nuntios ignominiosa morte afficiens, ipsos in proceram arborem secus uiam publicam suspendit. Motus ea insigni contumelia Egillus, exercitum præualidum ex omnibus partibus regnorum suorum conscribi curauit, eiq; Danum quendam Thonnonem præfecit, qui antea ex Dania sub profugi titulo in Suetiam, deinde in Regis militiā peruenerat. Erat enim eloquio blandus, obsequio promptus, conuersatione supplex, atq; in omnibus artibus, quibus Suetica simplicitas decipi poterat, instructissimus. Hic igitur primum familiaritatis gradum apud Egillum assecutus, mox cuius esset fidei & integritatis aperuit. Factus enim tribunus militum, totam militiam sibi creditam in Regē & regnum perfidissimè conuertit. Nā cum Omundus didicisset totam Egilli militiam Thonnoni Dano creditam, in summam spem rerum feliciter gerendarum erectus, totum animi sui conatum eò conuertit, quò posset Thonnonem in suam partē inclinare. Nec difficile fuit Danū à Dano pro publica Daniæ libertate excitare. Thonno igitur maximis promissis folicitatus, totam Egilli familiam (ut dicere cœpimus) in caput proprij Principis animauit: iamq; Egillus eisdē domesticis insidijs ferè oppressus fuisset, nisi copijs tumultuariè comparatis præsentissima pericula auertisset. Nunq;

enim

enim aliquod seruile bellum tanta incrementa in regnis Aquilonaribus susceperat, quanta istud, quod à Thonnone Dano inchoatum fuit, et propagatum. Neq; etiam aliquod importunius, aut diuturnius fuit. Quippe octo seruilia bella à Thonnone contra Egillũ gesta fuerunt, suppeditante semper Omundo Danorum Rege recentes copias, & commeatum. Tandem Thonno ut alter Spartacus, in nono bello cum uniuersis copijs à Rege Egillo, Sueticis militibus succincto, superatur, & mortem insigni traditore dignam sufferre coactus, laqueo strangulatur. Itaq; Egillus à domesticis & seruilibus insidijs liberatus, animum ad pacis studia solicitè & prudenter accommodabat. Sed quum esset strenuus iustitiæ & æquitatis cultor, non paucos proceres, quibus ea seueritas minimè placebat, offendit. Hi furiosum taurũ maleficio procuratum, Regi publica uia incedenti obiecerunt, à cuius cornibus impetitus, uitam pariter & sceptra reliquit.

De Vbbone pugile. Ioan. Mag. in uita Roderici 28. Regis interni lib. 2.

Rodericus igitur, quem Hotherus ex Nanna Geuari Regis filia procreauerat, non modò ob ultimæ uoluntatis preces, quas idem Hotherus pater antequam nouissimum bellum cum Rutenorum Principe Boo ingrederetur, corã proceribus porrexerat, uerumetiam ob hæreditariæ successionis respectum ad regni Suetici sceptra peruenit. Sed idem & simile negocium cum Danis subire coactus est, quale eius auus Hothebrotus, deinde patruus Attilus, & demum ipse pater Hotherus sustinuit. Siquidẽ Dani ut à principio nihil omittebãt, quo eius honorem augerent, ita labentibus temporibus, eo fastidito, & in Suetiam reuerso, alium sibi Principem & Regem (ut mox dicemus) creauerunt. Sed ordienda est à principio historia, quam ab antiquis Sueonum libris extractam habemus, quibus liquido cõstat, Rodericum post fata parentis paterno regno Suetiæ Daniam coniunxisse, primumq; bellum in Rutenos patris sui Hotheri occisores expediuisse, illisq; superatis, & sub Suecorum imperium redactis, totam regnorum suorum potentiam in Curetes, & cæteras Vandalicæ nationis gentes conuertisse. Quæ etiam ne prorsus improuiso bello opprimerentur, dudum antea sibi prospicere curauerant: summopere conantes aduentantis hostis exercitũ ad insidias detrusum tollere, uel fugare. Sed astutia astutiam superante, Rodericus insidias in autores retorsit. Nam cum Vandali intra syluas & saltus non longè à portu, in quem Suetica classis contracta erat, latitarent, & occasionem submergendarum nauium per ablentiam militum expectarent, circumuenti ab eis, quos se circumuenire sperabãt, trucidantur. Reliquus exercitus Vandalorum ne hostibus congrederetur, abstinuit: in eo tamen iuuentus est pertinacis animi pugil, corporis habitu insignis, officio, & professione Magus, qui singulos ad singulare certamen prouocabat. Nec minus Rex posito in duelli præminũ torque aureo ingentis ponderis & ualoris, iuuentutem ad capessendam uirtutis & honoris claritatem, ac mercedem excitabat. Tum repertus est in exercitu audacis animi athleta Vbbo Danicus, siue (ut alij scribunt) Frisius, qui magis honoris, q̃ præmij magnitudine prouocatus cõgressum pollicetur: à quo rogatus Rodericus preciosum torquem, qui uirtutis & uictoriæ premium proponebatur, in alterius manus deponere, mox armillas & torquem (ut erat in nauigio collocatus) ingenti excussas iactu, postulanti porrigere statuit: sed conatum eius interstitij magnitudo fefellit. Quo factum est, ut citra destinatum locum collapsæ, fluctibus interceptæ perierint: unde Roderico cognomen Slingabond (quod significat fundæ funiculum, uel funditorem) euenit.

Attamen constans in pugile animus, cui maior appetitus uirtutis, quàm auri inerat, nihil eo casu commotus, hilarior campum ingreditur, & prostrato aduersario pugile Vandalo, uictoria potitus est, quamuis mutuis affectus uulneribus, confestim ex campo egressus, animam exhalaret. Reuerso in Daniam Roderico, primam & insuperabilem difficultatem obiecit Horuendillus, quem primum in Iuthiæ præsidem promouerat, atq; ut fideliore obsequio obstrictus teneretur, filiam suam Gerutham ei in connubium sociauerat. Sed maius aliquid erat, quod Horuendilliana ambitio postulabat. Quippe non contentus secundus à Rege haberi, regnum occupandum restabat, antequam animus eius satiari posse crederetur. Itaq; quos putabat suis uotis maximè repugnaturos, illos è uita tollendos curauit: in quorum numero erat Rex Noruegiæ Collerus, prima amicitia Roderico coniunctus. Hunc Horuendillus multo conatu lustratis saltibus, & syluarum latebris quæsitum, duelloq; prouocatum occidit: deinde sororem eius Selam nomine, piraticis exercitam rebus, ac bellici muneris peritam persecutus extinxit: nec finem facturus uideretur struendarum insidiarum, donec iugulo Regis ferrum immergere posset. Quocirca Rodericus faciendo ex necessitate uirtutem, in paternum regnum Suetiæ se recepit: ibiq; toto tempore, quo tres successiuè tyranni, uidelicet Horuendillus, Feugo, Amletus, Daniam rexissent, perseuerauit: & tandem

ſenio confectus deceſsit, contentus interim tributo uel præda, quam ei Horuendillus tranſmittere curauit. Dicit quidem Saxo, opima ſpolia, delectamq; prædam ab ipſo ad Rodericum deſtinatam: ſed nimis magno pretio ea preda conſtabat, quando nullo alio præmio, quàm Regni Danici corona poterat compenſari. Veruntamē ut res ſcelere & flagitio partę, diuturnæ eſſe non ſolent, ita Horuendillus regnum iniuſtitia, atq; impietate comparatum, citius quàm ſperauerat à fratre ſuo Feugone trucidatus reliquit. Sed neq; Feugoni felicius ſucceſsit alieni regni per ſcelus occupatio: quandoquidem ab Amleto non ſine publica omnium lętitia interfectus occubuit. Tandem quod Amletus in Feugonem perpetrauerat, hoc à Vigleto occiſus ſuſtinuit. Et ita complures tyranni breui tempore ad generum Cereris cruenta morte deſcenderunt. Cum interim Rodericus ad penultimos dies Regis Amleti tranquillo ſenio perueniſſet, ſuorum regnorum hæredem Attilum filium, cui patrui nomen adaptauerat, reliquit.

De morte Starchateri.

CAP. IX.



POſtremo iam prolixa fatigatus ætate, & labore, ne ſenij uitio priſtinum glorię decus amitteret, egregium fore putauit, ſi uoluntarium ſibi conſciſceret exitum, fatumq; proprio maturaſſet arbitrio, (olim namq; rei bellicæ deditis morbo oppetere probro datum eſt) aurū librarum 120. quod iampridē pro Olonis tyranni interfectione meruerat, collo appenſum gerebat, emendi in ſe percuſſoris gratia: nihil aptius ratus, quàm ſi aurum, quod pro aliena clade tulerat, damno propriæ ſalutis impenderet. Itaque Hatherum ſplendido loco natum, cuius olim patrem occiderat, obuium nactus, hortabatur, ne à parentis ſui interfectore pœnas exigere uereretur: hæc facientem auro, quod gerebat, potiturum eſſe promittit. Et ut eius in ſe animum uehementius efferaret, huiuſmodi exhortatione uſus eſſe traditur:

Præterea Hathere priuaui te patre Lenno.
Hanc mihi quæſo uicem referas, & obire uolentem
Sterne ſenem, iugulumq; meum pete uindice ferro,
Quippe opem clari mens percuſſoris adoptat:
Horret ab ignaua fatum depoſcere dextra.
Sponte pia legem fati præcurrere fas eſt.
Quod nequeas fugere, hoc etiam anticipare licebit.
Arbor alenda recens, uetus excidenda: miniſter
Naturæ eſt, quiſquis fato confinia fundit,
Et ſternit quod ſtare nequit: mors optima tunc eſt,
Cùm petitur, uitæq; piget, cùm funus amatur,
Ne miſeros caſus incommoda proroget ætas.

Hæc dicens exertam crumena pecuniam promit. Hatherus aūt tam fruendi æris, quàm paternę ultionis capeſſendæ cupidine concitatus, obſecuturū ſe precibus, nec pręmia repulſurum, ſpopōdit. Cui Starchaterus cupidè enſe prębito, pronam poſtmodum ceruicem applicuit, ne timidè percuſſoris opus exequeretur, aut ferro muliebriter uteretur, hortatus: pręfatusq;, quòd ſi peracta cæde ante cadaueris lapſum caput, ac truncum medius interſiliret, armis innocuus redderetur. Igitur Hatherus adacto uegete gladio, ſenem capite demutilauit: quod corpori auulſum, impactumq; terræ glebam morſu carpſiſſe fertur, ferocitatem animi moribundi oris atrocitate declarans. Percuſſor tamen promiſsis fraudem ſubeſſe ueritus, ſaltu abſtinuit: quē ſi temerè egiſſet, fortè lapſi cadaueris ictu obrutus, occiſi ſenis



nis pœnas proprio funere persoluisset. Verùm ne tantum athletam busti inopem iacere pateretur, corpus eius in campo, qui uulgò Reling dicitur, sepulturæ mandandũ curauit. Ita ex uehementia hydropisis Adrianus Imperator audacissimum barbarum minis, & muneribus coëgit, ac solicitauit, pro morte sibi sub mammillis inferenda: sed ad tantum facinus ferox homo induci non potuit: quia, teste Dione Casio in uita Adriani, aufugit.

Ioan. Mag. lib. 5. cap. 12. Hic fuit exitus admirandi gigantis Starchateri: cuius historiam ideò à Saxone mutuatam in compẽdium redegi, quia aliena laus efficacior esse solet quàm propria, prẹsertim cùm Danos Sueticæ uel Gothicẹ nationis hominem commendauerit. Erat enim hic Sueticus pugil, quem corporis proceritas, ingens uirium robur, & uita supra humanum terminum prolixa, singularem faciunt & incomparabilem: cuius exemplo facilè persuaderi queat, crasso sub aëre nasci magnos posse uiros, & magna exempla daturos.

De Haldano, alijsq; pugilibus ab eo deuictis. CAP. X.



ACcedit præterea alius claræ memoriæ Gothorum pugil, Haldanus nomine, Gotho, patre uidelicet Rege Carolo genitus, ijsdem temporibus florens: cuius admiranda gesta atq; facinora, eò diligentius prẹsentibus inserta sunt, quò insigniori fortitudine deducta noscuntur. Is primæ militiæ annis piratica transactis, cèrtamine Suetico se immisit: in quo dum pugilẽ Haquinum hebetandi carminibus ferri peritum, adesse didicit, eximiæ magnitudinis clauam, ferreis consertam nodis, tunsionis usibus adaptauit, perinde ac præstigij uires ligneo robore debellaturus. Deinde cùm cæteris conspicuæ uirtutis habitu præemineret, inter acerrimos hostes obnupto galea capite, scuti inops, clauam in obiecta clypeorum munimina gemina manus ope retorquebat: nec ullum tantæ soliditatis obstaculum erat, quod non frustratim clauẹ impulsu obtereret. Quo euenit, ut occursantem sibi in acie pugilem, acriore gestaminis impactione subrueret. Victus tamen, & saucius, Suecorum potentiẹ cessit, in remotas terras dilapsus: uiribusq; opera ueterani militis, qui medendi artem curatione propriorum uulnerum dudum didicerat, restitutus, quodam insigni pugile Thorone in suam societatẽ accepto, Suecis denuò stratagemate classico congreditur: uictorq; excedens, Siualdum quẽdam cum septem filijs natura, habituq; ferocissimis, nouum molientibus insultum, sub prouocatione (satis informi claua usus) pariter oppressit. Deinde Hartbenum quẽdam gigantem Helsingum, nouem cubitorum proceritatem (ut superius dictum est) habẽtem, (quòd raptas Regum filias stupro corrumpere glorię loco ducebat, illustres nuptias humilibus prẹferre, tantoq; se clariorem existimare consueuerat, quantò splendidiores cõcubitus per uim assequi potuisset) malleo miræ granditatis unà cum sex suis athletis simili uiolentia, ac scelere debacchantibus, ualidè contriuit. Prẹterea Egtherum Finnensem, quòd piratica plurimos hinc inde molestaret, naualiq; prẹlio expugnari nequiret, ex prouocatione secum decernentem oppressit. Deinde cùm Hatheri Noruegiani Regis filiam Thoridam à Grimmone eximiarum uirium athleta, sub duelli comminatione expeti comperisset, edictumq; à patre esset, potiturum ea, qui pugilem amouisset: quanquàm ad senectutem cœlebs peruenerat, non minus tamẽ Regis promissione, quàm athletẹ petulantia concitatus, pugnẹ locum accessit. Grimmonẽ appetens, extremos loricẹ nexus cũ occidua clypei parte persecuit. Quod factum

Grimmo admiratione prosecutus, Vetulum, inquit, acrius dimicantem non memini. Statimq; ferrum exerens, obiectum clypeum gladio conuulsit: cuius immorantem ictui dexteram Haldanus ferro corripuit, uulnereq; in femur misso, eum perpetuò reddidit mutilatum: utq; reliquias languentis uitę retineret, pecuniarum multatione coëgit. Postremo Ebbonem plebeium insignem piratam, uirtutis fiducia filiam Regis Gothorum, atque dimidium regni in dotem postulantem ea audacia repressit, ut despicabiles generis sui sordes, eximię nobilitatis splendori miscere non præsumeret, multominus regni consortium affectare. Atq; ea prolata comminatione, die non suppetente, sub splendida luna eum interemit, tanquam nocturnum certamen monstro exhibiturus.

Haldani historia propter memoriam Starchateri paulo altius repetita: ex Ioan. Mag. lib. 6.

Siuardus deinde per summam difficultatem ad regni Suetiæ culmen ascendit. Enimuero postquàm Suetiæ proceres Haldanum Regem patrem eius ob seueriorem regni gubernationem occidissent, toto ingenio et exquisitis consilijs impedire conabãtur, ne filium paternæ necis uindicem in locum occisi patris sublimarent: quanq̃ non deessent, qui affirmarent paternam seueritatem filio innocenti nocere non debere. Durauitq; diu ea procerum controuersia de Rege substituendo, donec Starchaterus ex Danica militia, in qua solus nouem fortes pugiles uno certamine deuicerat, ad patriam redijsset. Qui cum sibi summam autoritatem, tum ob eximiam corporis & animi fortitudinem, tum etiam ob singularem probitatem, & res magnificè gestas, apud omnes ordines comparasset, haud difficulter cæteros proceres, ut in Haldani sanguine Regiæ maiestatis successionem conseruarent, induxit, præfatus non expedire Reipublicæ tanti fastigij culmen in aliquam obscurioris sortis familiam, nisi aliqua grauissima causa subesset, tranferre, cùm etiam crebra experientia compertum esset, humilioris conditionis homines ad sublimem dignitatis gradum euectos, insolentissima tyrannide omnia corrupisse. Itaq; magna & singulari cooperatione Starchateri Siuardus in paterno principatu successit, data prius fide, ne in patris occisores quacunq; occasione uindicaret. Potuit illa Starchaterus apud Sueones potenter & prudenter efficere at nullis ingenijs, nullaq; quantumcunq; diserta oratione Gothis persuadere potuit, ut Siuardum in Regem assumerent, affirmantibus constanter eius parentem Haldanum omne ius primogeniti Getherici pridem uiolasse, atque seipsum in paternum imperium præpostero ordine intrudi permisisse.

Proinde Carolum Nardiani in externa militia occupati nepotem Gothię regno præficiunt: renouatumq; est odium inter Suecos & Gothos, quod semper omnes uiri qui in utraq; parte sapientiores habiti sunt, horruerunt, tantumq; in patria inter hos Reges inualescebat, ut etiam in longinquiores regiones perniciosa fœcunditate diffunderetur. Erant enim Olauo Segi Danorum duo eximiæ spei filij, Frotho uidelicet, qui Vuildam prædicti Suetiæ Regis Siuardi filiam, & Haraldus, qui Signem huius Caroli Gothorum Regis filiam in matrimonium assumpserant. Hæ duæ coniuges ut erant ex duobus patribus summè dissentientibus natæ, ita suos maritos quàm arctissimo ac fraterno uinculo coniunctos, ad inextinguibile odium perducentes, occasionem præstiterunt, ut Frotho fraternæ necessitudinis immemor, fratrẽ suum Haraldum omni probitate ac militari disciplina conspicuum, structis occultè insidijs trucidaret, filiosq; eius Haraldum & Haldanum, nisi industria Caroli materni aui præseruati fuissent, æquali crudelitate perdidisset. Quorum natu maior Haldanus, cum post multos & uarios casus adoleuisset, non solùm patruum, eundemq; patris sui occisorem Frothonem occidit, sed & Regnum eius Daniam occupauit: deinde in Sueones (eò quòd inde oriunda esset Vuilda, quæ putabatur Frothonem ad fraternã necem accendisse) arma conuertit, Regemq; eorum Siuardum ob mala merita malè educatæ filiæ occidit.

Carolus igitur non ad aliquam humanę uitę felicitatem, sed ad plurima pericula tam apud suos, quàm apud uicinos & exteros, Gothico regno præfectus est. Cum enim in summa controuersia cum Siuardo Sueonum Rege uersaretur, æstimabat sibi ac suo regno optime consultum iri, si Daniæ Regem sibi aliquo arctissimo amicitiæ uinculo conciliaret, ne inter duos potentissimos Reges medium sortitus locum, utriusq; potẽtiam aliquando sibi infensam pateretur. Igitur (ut dicere cœpimus) optimę spei iuueni Haraldo Danorum Regis Olaui filio, unicã filiam Signem matrimonio copulauit: cũ qua insignis uirtutis pugilẽ Vitolphum, tanquã opportunum in aliena terra prȩsidium mittendum curauit. Sed quod

singulari

singulari spe ad suam salutem perpetuam disponebat, hoc aduersa fata ad eius extremam perniciem ob pessimarum coniugum corrixationem(uti iam diximus)conuerterunt. Horrendum profecto stultarum mulierum exemplum, ab imprudentum uirorũ moribus acceptum. Solent enim insensati atq; effœminati uiri, cum in se nihil prorsus uirtutis habeant, ex maiorum suorum nobilitate ac uirtute à qua remotissimi sunt, sese turgidos ostentare: at si eorum personas penitius inspexeris, nec uestigium ueræ uirtutis in omni eorum actione inuenies. Sed his omissis, ad Carolum redeamus: Qui cum saluandis occisi Haraldi liberis, suisq; ex filia nepotibus magis solicitè q̃ securè inuigilaret, procuratis à Frothone paricida insidijs extinguitur. Sed nec Frothoni sua paricidia inulta mansere. Nam ijdem huius Caroli nepotes Haldanus & Haraldus(uti præfati sumus)impium eius sanguinem exhausere.

Erico deinde Siuardi Sueonum Regis ex Vuilda nepoti in locum occisi materni aui surrogato, grauissimæ in omnibus rebus difficultates, ob eiusdem matris Vuildę iurgia & conuitia contra Signem Gothicam fœminam & Reginam congesta, emersere. Siquidem Haldanus Signę filius, ob amissi parentis Haraldi & materni aui Caroli necem, ubiq; grauis atq; inuictus uindex imminebat. Occisis enim Frothone patruo, eodemq; paricida, & Siuardo Sueonum Rege, nunc demum in hunc filium eius Ericum à terra & mari bellum parat. Ericus tamen magno atq; pręstanti animo bellum commissurus, militem non imbellẽ ex Sueonibus contraxit, copiasq; uiribus & armis instructissimas, contra aduentantis hostis impetum educit: fit insigne atq; atrox prælium, nõ modò inter infimę sortis milites, uerumetiam inter admirandę fortitudinis pugiles & proceres, atq; ipsos agminum duces. Claruit præcipuè in hoc bello eximia Haldani fortitudo. Quippe cum cæteris pugilibus corporis & animi fortitudine præcelleret, abiecto scuto caput galea munijt, & utranq; manum clauæ eximij ponderis immittit, progrediturq; in acerrimas hostium turmas, omnia occurrentia prosternens: nec erat aliquod tam firmum obstaculum, quod tantæ molis impetum frustrare posse uideretur. Inter summæ fortitudinis opera Haquinum Erici pugilem sibi in acie occurrentem prostrauit: fortuna tamen tanto eius animo non respondit, nam uictus salutem fuga quærere cogebatur: peruenitq; post multos errores & deuia ad terras Helsingorum, opportuno susceptus hospitio à quodam Vitolpho pugile, qui olim(ut prædiximus)Signem Haldani matrem à Gothia in Daniam comitatus fuerat, patriq; Haraldo fideliter usq; ad ultima fata militauerat.

At Ericus comperta Haldani fuga, mox expeditissimos milites dirigit, qui ipsum ex penetralibus Vitolphi extractum occidant, aut ad suum conspectum adducant. Sed erat Vitolphus in arte magica adeò peritus, ut uenientibus confestim adimeret omnem oculorum usum, ne propinquas ędes uisu aut uestigijs indagare potuissent. Itaq; Haldanus geminum à Vitolpho beneficium in extrema rerum suarum fortuna assecutus est. Quippe ab insidijs potentissimi hostis fideliter seruatus, deinde à mortiferis uulneribus quæ in bello susceperat, diligentissimè curatus, optatum aduersæ fortunę remedium præter omnem spem feliciter inuenit. Didicerat enim Vitolphus ex diuturna & continua militia, quæ carnẽ eius multis uulneribus sulcauerat, certissima medicinę artis experimenta, quibus Haldanum ad pristinę incolumitatis habitum breui temporũ cursu perduxit. Igitur recuperata salute, exercitum undecunq; poterat, cõgregauit, bellumq; nihilo felicius q̃ prius in Ericum promouit. Nam cũ Ericus populo & uiribus præualeret, Haldanus se ad insidiosa stratagemata couertens, conabatur ipsum ad impenetrabiles montium saltus pertrahere: qua astutia minimè succedente, se cum commilitonibus in montium fastigia recepit, unde ingentia saxa in subeuntem Erici exercitum cum tanto fragore præcipitauit, ut cœlum in fulmina & portentosa tonitrua ruptum putaretur. Sed erant perridicula tonitrua Claudiana, auditu quidem horrenda, sed exitu uana, tantum aberat ut autori uictoriam conciliasset, aut incolæ ipsum diuino honore pro tam inani & ludrico facinore dignum iudicassent.

Cum ergo Haldanus à montibus & syluarum latebris præsidium salutemq; mutuaret, Ericus nolens circa eius obsidionem frustra occupari, exercitum classi impositũ usq; in Daniam secura aura deducens, Haraldum Haldani fratrem Danorum regnum perfunctoriè moderantem in bella prouocauit. Qui confestim copijs coactis obuiam aduenienti prodibat: committitur atrox & cruenta pugna, diuq; ab utraq; parte uictoria expectatur, quę tandẽ Sueonum partibus inclinatur, uictosq; & infeliciter pugnantes Danos prostrauit. Qui tamen resumptis uiribus, audaciore q; prosperiore fortuna bellum renouant: sed erat inanis spes, qua contra inuictam hostium potentiam erigebantur. Proinde uicti profligatiq; temerariæ pugnæ pœnas pependerunt. Neque tamen satis esse credebant se gemino prelio superatos, nisi & tertium aggrederentur: in quo(occiso Haraldo)manus uictas Suecis porrexerunt. Itaq; Ericus subacta Dania, uictorem exercitum in Suetiam reduces, diuturnam

felicemq; requiem adeptus est, donec Haldanus patris, fratrisq;, & plurimorum necessariorum suorum necem statuisset in Ericum uindicare. Ad id enim non impotentem ex toto Danico imperio exercitum coëgit, ipsumq; in Suetiam Ericum oppressurus transuexit. Occurrit Ericus multo & ualido milite cinctus, & si uiribus non dolis manus conserendæ fuissent, uictor nimirum euasisset. Enimuerò dum Haldanus suorum paucitati diffideret, uictoriam astutia & dolis comparauit, quando Ericum ad præparatas insidias protractum comprehendit, comprehensoq; potestatem fecit uitam obsequio redimendi: at magni atq; inuicti spiritus homo, precariam uitam agere dedignatus, mortem seruituti turpitudiniq; anteponebat.

Haldanus Caroli Gothorum Regis ex filia Signe nepos, postquam in patris & fratris occisores potenter & prosperè uindicasset, consensu Suetiæ procerum in Sueoniæ Regem sublimatur. Dignus siquidē ab omnibus putabatur, ut qui parricidalis criminis tam strenuus ultor extitisset, etiam Rex constitutus à subiectis populis omnem impietatem eliminare curaret, uirtutesq; bellorum tempestate concussas, in pristinum statum atq; uigorem collocaret. Hic sui regni auspicia felicius à uicinorum Principum cōcordia inchoanda existimans, Vnguinum Gothorum Regem sanguinis propinquitate coniunctum, missis prudentibus legatis, sibi ad stabile & perpetuum fœdus conciliauit, prudenter quidem ex præteritis ad futura prospiciens. Quemadmodum enim Reges, & regnum Suetiæ ob controuersias, quæ aliquando cum Gothis inciderant, ad grauissima quæq; incommoda corruerant, ita perseuerante utriusq; partis cōcordia, nulla pars humanæ felicitatis eis unquam defuisse uidebatur. Compositis deinde in patria omnibus Reipublicæ partibus, ne ciuibus & incolis suis grauior, q̄ iustum & æquum esset, immineret, totam suæ militiæ multitudinem à uisceribus ciuium obstractam, classiq; impositam, contra piratas (qui tunc ubiq; mare Sueticum infestabant) eduxit, palàm affirmans eos Reges nocentiores esse quocunq; publico hoste, qui ob superbam ignauiam in suis ædibus à militari exercitio separati commorantur, subiectisq; populis formidabiles, hostibus uerò contemptibiles apparent. Vidi ego aliquando eius generis Principes, eorumq; tyrannidem expertus sum, qui in substratum populum leones & tigrides erant, at in hostes omni lepore timidiores notabantur: plures quippe sine numero ciues, q̄ hostes opprimebant. Sed his belluis (in quorū memoriam inuitus incido) omissis, ad Haldanum fortissimum atq; prudentissimum Regem reuertor. Qui (ut diximus) suæ gregariæ militiæ turmas in naualibus bellis continuè exercebat, nūc Daniam cuius etiam Rex erat, nunc Suetiam & Gothiam ab omni domesticorum & piratarum iniuria conseruando, nihilq; omittendo quo subiectos sibi populos feliciores efficere potuisset. Inter cæteros autem piratas duo erant uegetioris ingenij Vandali, siue Curetes, Anundus & Tocho, qui acrioribus bellis circumpositas regiones molestabant. Hos Haldanus maritima pugna aggressus extinxit.

Attamen nonnulli in Suetia emersere sanguine q̄ moribus nobiliores, qui tam sedulos Haldani labores, & nunquam intermissas pro salute publica excubias, ingrato animo æstimarent: totisq; conatibus ipsum in extremum uitæ & honoris discrimē adducere moliebantur. Huius factionis caput erat quidam Siualdus clarissimo loco natus, qui apud Sueonum concionem multa abominanda facinora in absentem Haldanū congessit, argumento sumpto ab occisione Frothonis, quam non solum orationis uehementia, sed multo lachrymarū profluuio ita auribus præsentis populi inculcauit, ut parum abesset, quin statim Regio honore (quem summopere ambire uidebatur) donaretur. Quibus cōpertis Haldanus, coactis ad concionem militibus, insinuat quomodo ingrati Sueonum proceres, pro quorum pace & tranquillitate tot uitæ discrimina sustinuerat, iniurias, & insidias, omniaq; hostilitatis studia in se pertinaciter meditarentur: proinde necessarium fore, illum rebellium conatum in prima origine succidi, ne longiorem moram assecutus altiores radices emittat. His dictis totius classis robur & arma, ab atrocibus hostibus ad reprimēdos ingratorum ciuium tumultus reuocauit. At Sueones uisa magnitudine aduentantis exercitus, mox à Siualdo defectionis autore paulatim defecerunt. Sed pertinax in bellace uiro animus, in nullo remissior apparebat. Misso enim ad Haldanum nūtio, inquit: Si te uirum fortem fateri uolueris, progredere mecum in campum, ut unius aut alterius occasu cætera multitudo seruetur. Ego & septem filij mei ex una parte stabimus, te et filijs tuis ex aduerso pugnantibus. Non equidem, subintulit Haldanus, duellum detrecto, sed iniquam conditionem, qua solus contra octo prouocor, iustè reprehendo. Tum Siualdus: Nil mirandum, ait, hominem mente & corpore frigidum occasiones quærere, quibus se à pugna eximat. Ego & filij mei una caro censendi sumus. Si tu hactenus frigido & infœcundo toro cubuisti, affer ergo in campum unita membra, quando ego in filios dispersa iterum in certamen assumo. Hac qualicunq; ratione

Haldani



Haldani magnanimitas se ad iniquum certamen adduci permisit: uictorq; prostratis patre & filijs, à toto populo salutatur. Deinde absumpto uno pestifero capite, mox alterum priore perniciosius emersit. Nam Harthbenus pugil Helsingicus omnia alia potius, quàm Regem optimis moribus preditum pati uolens, non distulit ipsum, quem suorum enormium facinorum uindicem formidabat, ad singulare certamen denuò prouocare. Erat ille Harthbenus monstrosa longitudine, utpote nouem cubitis in altum porrectus, cui etiam duodecim athletæ commilitones fuere: quorum opera quoties illi præsaga pugnæ rabies incessisset, uinculorum remedio oborti furoris impetus propulsabatur. Ea fortitudine ad omne nefas abutens, nullius illustrissimæ uirginis aut fœminæ pudicitiam intentatam permisit. Siquidem raptas Regum filias stupro fœdare gloriæ loco ducebat, tantoq; se clariorem æstimabat, quantò splendidiores concubitus uiolentius assequi potuisset.

Hunc Haldanus cum ab eo ad singularem pugnam prouocaretur, magnanimiter cõtempsit, affirmans se solum cum eo & duodecim commilitonibus ipsius congredi paratum. Quo contemptu Harthbenus perfusus, statim sex è suis athletis ferro consumpsit: deinde sex reliquis sociatus pugnam cum Haldano conserens, uictoria caruit & uita, plaudentibus cunctis ad mortem tam insignis & spurcissimi latronis. Hoc monstro oppresso, mox aliud opprimendum offertur. Nam cum comperisset Grimonem eximiarum uirium athletam, Hatheri Noruegici Regis filiam Torildan sub duelli comminatione expetere, illuc suo more monstra domiturus accessit. Nec bonæ spei bonus effectus defuit. Nam Grimonem (quamuis athletica fortitudine, atque magica arte conspicuum) ita oppressit, ut perpetuò mancum atque imbellem reddiderit. Itaq; Haldanus Torilda potitus, filium Asmundum, à quo Noruegiæ Reges se prodijsse gloriantur, ex ea suscitauit. Tandem cum didicisset Ebbonem quendam plebei generis piratam, Vnguini Gothorum Regis filiam Sigrutham in coniugem, & dimidium Gothici regni in dotem postulare, indignanter tam disparis conditionis copulam tulit, seq; ignoto habitu deformatum inter nuptiarum auspicia in Regiam Vnguini recepit: ubi præmissa acerrima obiurgatione in plebeij hominis temeritatem, quòd auderet se Regibus coæquare: Surge, inquit, & ferro mecum decernens te uirum ostende, non antea uoto q; uictoria potiturus. Monstris nocturnam pugnam Ebbo conuenire respondit. Qui tandem Haldano importunius perurgente, & sub lustris lunæ splendorem diem referre affirmante, è medio conuiuij surrexit, primoq; impetu nequicquam se defendere tentans occiditur, uersis in funus & exequias nuptijs, quas disparitas conditionis conciliasse uidebatur. Hic erat exitus plebeij hominis, quem nec uirtus, nec generis claritas nobilitauit. His per Haldanum in materno regno Gothorum feliciter actis, se in Suetiam recepit, diuq; in tranquillitate regnando, gloriam sui nominis apud omnes meruit immortalem.

De alio quodam Haldano, & gestis eius.
CAP. XI.



NEc minori claritudine inter fortissimos pugiles memoratur alter quidam Haldanus Borchari Noruegiani, atque Drothæ Regiæ prolis filius: cuius iuuetæ initia stoliditatis opinione referta fuere: sequens uerò ætas fulgentissimis operum insignibus illustris euasit, maximisquê uitæ ornamentis inclaruit. Adolescens pugilem ingenuæ famæ, quod ab eo pueriliter obludens colapho percussus esset, gestamine, quod in manu habebat, petitum oppressit: augurio apud omnes relicto, quanta animi, atque uirium magnitudine in hostes triumphaturus esset. Ea tempestate Retho Ruthenorum pirata plures prouincias rapinæ, & crudelitatis iniurijs profligabat: cuius tã insignis atrocitas erat, ut cæteris extremę captorum nuditati parcentibus, hic etiam secretiores corporum partes tegminibus spoliare deforme non duceret. Vnde graues adhuc, immanesq; rapinæ, Rotheran cognominari solent. Habebat & aliam torquendi sæuitiam beluinam, quam uerecundiæ causa uolens prætermitto: qua

indignitate

indignitate motus Borcharus Haldani pater, Rethoni se obijcit: quorum ut mutuum bellum, ita exitium fuit. Haldanus uerò eam pugnam uulneribus affectus exijt: à quibus unum ori euidentius inflictum habebat, adeò cicatrice conspicuum, ut cęteris sanatis, carnis excremento sarciri nequiret: quæ res contumeliosum os nomen ei perperit: unde perennem gloriam pro honestate, & patria pugnans æquius meruisset. Sed quid uirtuti dignum unquam retribuit calumniosa interpretatio malignorum? Viguit tamen in eo tanta militaris claritas, ut ubiq; ob insignem fortitudinem formidabilis haberetur: unde & ea fiducia ductus, concupiscere cœpit consortium nobilissimę uirginis Giurithæ, regij stemmatis eo seculo in Dania ultimę hęredis: quę cauendæ iniuriæ gratia, conclaue suum electo pugilum agmine tutabatur. Ad quam cũ Haldanus semel forte uenisset, abessentq; pugiles, quorum ipse fratrem impubes extinxerat: Oportere eam, inquit, castimoniæ rigorem honestissimo coniugij decore permutare, ut lapsa regni gubernacula copulę suę beneficio reparare posset. Se ergo nobilitatis splendore conspicuum nuptialibus ab ea uotis respici hortatur, quòd ob dictam causam uoluptati additum datura uideatur. Cuius responsione intellecta, didicit se nedum generis claritudine imparem existimari, sed oris deformitatem sibi exprobrari: obsecrat, ne cui tori conuiuentiam prębeat, antequàm reditus interitusùe sui certitudinem cognouisset. Quem athletę Giurithæ locutum indignè ferentes, discedentem insectari conantur. Quo uiso, mox quercu succisa, atq; in clauę habitum redacta, solus cum duodecim manus conseruit, eosq; spiritu spoliauit. Deinde augendæ claritudinis titulo Russiam ingressus, summa omnium dignatione suscipitur, atq; in breui (feruente inter Suecos, & Ruthenos acerrimo bello) plures Suecorum pugiles duelli prouocatione oblatos interemit: & in postremis proprium fratrem Hildigerum, septuaginta pugilum oppressorem (dum pietatem fortitudini, se fratrem manifestante, non præponeret) gladio panniculis, ne carminibus hebetaretur, obducto, occidit. Deinde Siuarum Saxonicum, quòd nuptialibus triumphis sponsam eius Giuritham abducere uellet, celeri in Daniam emenso regressu inter conuiuantes oppressit: sponsaq; lęto applausu potitus, ex ea genuit Haraldum Hildetan: de quo cap. 8. dictum est. At finaliter à Veseo insigni pugile, in Sialandia pro restituenda lacerata patria pugnans, occiditur.

Haldani Barchari Noruegiani res præclarè gestæ: ex Ioan. Mag. lib. partim 7. partim. 8.

Dagerus optimo patri Dignero, nullo procerum resistente, in regni Suetiæ sceptra successit. Hic prudentissimo patri in omnibus uirtutum partibus adeò similis erat, ut nulli ex incolis iustè conqueri potuissent, se optimum Regem amisisse, cum omnia paternæ probitatis officia in filio abunde reuixisse considerarent. Prima igitur auspicia suę administrationis à domestica concordia assumens, omnes proceres, qui aliquid latentis, siue aperti odij in mutuam perniciē fouere uidebantur, solicito studio ad necessariam concordiam adduxit. Qua parta, totas ingenij uires eò conuertit, ut Gothos in ueterem Suecorum confœderationem reuocaret. Nec difficilem suo proposito uiam inuenit. Domarus enim (de quo proximè diximus) ob maxima patris demerita, omnibus Gothorum proceribus & populis inuisus nihil magis in uotis habebat, quàm regiam dignitatem tot insidijs expositam uel deponere, uel aliqua alia honesta conditione permutare. Quocirca in societatem Dageri consentiens, effecit ut Gothi in pristinam cum Sueonibus concordiam redirent, iamq; in procinctu erat, ut se ad Dagerum conferret, & subitò irruentibus in se fatis, animam (ut prædiximus) exhalauit, dolore insuperabili ex subditorum rebellione, aut translatione regni suscepto: quamuis nonnulli dicere uelint, ipsum sanum atque incolumem ad Dagerum peruenisse, uitamq; diuturnam, & ab omni solicitudine liberam usque ad optatam senectutem apud eundem deduxisse.

Itaq; hac singulari prudentia Dagerus suum imperium augens & confirmans, terrorem omnibus in circuitu hostibus incussit: attamen multis iniurijs à Rutenorum principe lacessitus, ualidum exercitum ex Gothis, Suecis & Schoningis contraxit: cui duos Schoningiæ satrapas, Borcharum & Ostarum, præficere curauit. Hi primam belli fortunam con

tra quendam Rethonem Rutenorum piratam, cui nullum humanitatis uestigium inerat experturi, tanto ardore bellum nauale cum eo conseruerunt, ut ambo exercituum duces Borcharus & Retho, datis acceptisq; uulneribus, primo bellorum impetu absumerentur. Erat autem Retho tam sordidæ auaritiæ, ut nudatis coram se negotiatoribus, qui in eius manus inciderant, femoralia eorum scrutaretur: tantæq; atrocitatis, ut semper noua et exquisita tormenta, quibus infelices homines torquerentur, inueniret. Quandoque enim uno pede in terra alligato, alterum arbori uiolenter inclinatæ alligabat, quæ rursus suæ naturæ relicta, hominem crudeli spectaculo distraxit. Igitur deleto tam crudeli hoste, Dagerus filium suum Alaricum (quem Saxo Aluerum uocat) totius naualis exercitus præfectum constituit: qui ad patris præceptum tam potenter & prudenter in omnibus se gessit, ut breui dierum spatio totam militiam sibi creditam in uniuersas Rusiæ regiones effunderet: effecitq; ut Rutenorum Princeps Dageri imperio subiectus, tributa persolueret, atq; ad omnia imperata sese obnoxium fateretur. Tandem post adeptam tam insignem de potente hoste uictoriam, Dagerus relicto in patria filio Alarico, uolens etiam ex militari disciplina gloriã consequi, totius exercitus robur in Daniam traijcere festinauit: quam tunc citius, quàm felicius subiugauit. Cum enim remissis in Suetiam copijs, regni Daniæ statum ordinaturus remansisset, Danorum insidijs impetitus opprimitur, documento ad posteros relicto, ne quis facile suam salutem permittat inimico semel reconciliato.

Alaricus (quem alij Aluerum uocant) Dageri filius, post mortem patris ad Regiæ dignitatis solium, cum propter eius eximia & clarissima facta, tum ob singularem spem, quam de eo tota patria conceperat, dignissimè sublimatur. Hic quum à Rutenis, quos aliàs subiugauerat, tributa per legatos postularet, Rusi perfidè eos excipientes, per insidias trucidauerunt, bellumq; arma, non tributa se deinceps Sueonibus soluere uelle nuntiauerunt. Motus tam atroci & insigni perfidia Alaricus, gentem fortissimam ex omnibus sui imperij finibus contrahis, secumque in perfidum hostem educit. Iamque stabat acies ad pugnam paratæ, & unus ex præcipuis Sueonum pugibilibus Hildigernus, ab Alarico postulat sibi licere aliquem ex Rutenorum fortissimis ad bellum prouocare. Quod quum impetrasset, mox ad Rutenos exclamat, ut fortissimum ex toto agmine ad singulare certamen emittant. Quo clamore Ruteni prouocati, cogitabant quem ex suis insultanti hosti opponerent. Cunctantibus cæteris, Haldanus præcipuæ fortitudinis pugil, qui nuper ad Rutenorum militiam ex Schoningia aduenerat, se ad duellum offert. Erat hic Haldanus Borchari Schoningiani satrapæ filius, ex Drotha Noruegiæ Regis filia susceptus, quam occiso nobilissimo marito Gunnone Suetico, sibi in coniugem acceperat non inuitam. Nam idem Gunno occiso antea eius patre Rege Regnaldo, ipsam in suum coëgerat coniugium, filiumque Hildigernum ex ea procreauerat. Quocirca cum Hildigernus natu maior, sciret hunc Haldanum esse suum uterinum fratrem, recusauit cum eo congredi, prætexendo ipsius in re bellica inexperientiam: Ego, inquiens, septuaginta fortissimorum pugilum cæde claritatem nominis acquisiui, hic autem Haldanus uix militarem disciplinam in limine salutauerat. Discat igitur prius uires suas cum æqualibus experiri, deinde si sic uisum illi fuerit, mecum congrediatur.

His conuitijs Haldanus nihil motus, sed forti animo respondit: Si tibi uideor imbellis, & ob ætatem contemptibilis, accedat alter ex uestro agmine, qui mecum congrediatur. Moxq; unum adductum obtruncat. Deinde duo sunt illi obiecti: quibus occisis, tres secum pariter congressuros postulat: quibus oppressis, numerum per uices adauxit, usque ad undecim: quibus demum congressus, uictor euasit. Tum Hildigernus uidens ipsum ad parem militiæ gloriam secum peruenisse, congressum ei diutius negare noluit: sed campum ingressi, tanto armorum fragore fortissimi pugiles inuicem concurrerunt, ut putaretur terra ad eorum congressum contremuisse. Tandem Hildigernus sentiens se mortiferum uulnus accepisse, proiectis armis Haldanum his, siue similibus uerbis alloquitur: Ego, inquiens, tuus uterinus frater sum ô Haldane. Drotha enim, cuius ubera suxeras, me quoque in hanc lucem ædidit, sed nimis diuerso omine: te quidem ad pompam, & prosperos uitæ successus, me autem in hac uiridi iuuenta præmaturo fato extinguendum. Ad hæc Haldanus animo nimium consternatus, & in summum dolorem adductus, inquit: O mi frater, cum me fratrem tuum cognouisses, cur tam perniciosa taciturnitate siluisti? Ego prius in me arma, quàm in te conuertissem, imò pro te uitam meam libenter impendissem. Nunc igitur quis mihi tribuat ut tecum moriar, tecum sepeliar, tecumq; omnia extrema experiar? tua est, ô frater, hæc culpa: tuo silentio nostram fraternam necessitudinem uiolasti: tua taciturnitas me infelicem paricidam effecit: te mihi nulla unquam restituet ætas, te quoad uixero, lachrymis prosequar sempiternis.

Tum Hildigernus magna se ratione fraternam necessitudinem tacuisse dicebat, ne uideretur congressum timidè denegare, aut scelesto animo attentare. Quibus dictis, spiritum in conspectu lachrymantis fratris efflauit. Alaricus autem ad unius, aut plurium pugilum necem nihil territus, sed constanti animo in pugnam progressus, priuatum athletarum occasum publica uictoria uindicauit. Victi namq; Ruteni, tributa solita pendere non recusabāt. Igitur Alaricus cum egregio & memorabili triumpho in patriam reuersus, & tranquillitati in reliquam ætatem studuit, legibusq; et moribus regnum componere curauit, donec ad seniles annos perueniens, inter amicorum manus expiraret. Vnde Ericum Vpsalensem in errorem lapsum fuisse opinor, qui asserere uidetur ipsum ab Erico fratre suo regnandi cupidine ducto, trucidatum, eamq; cædem, alio telo nō suppetente, freno peregisse. Nec silendum puto Haldanum (cuius nunc memini) ob res fortiter & magnificè gestas, Gyritham Siuardi Gothorum Regis neptem, unicam Danici regni hæredem, in coniugem obtinuisse. Quam cum sterilitatis uitio obnoxiam consideraret, maximamq; (ut Saxonis uerbis utar) prolis creandæ cupidinem haberet, conciliandæ ei fœcunditatis gratia Vpsalam nobilissimam Sueonum urbem petit: ubi responso monitus fuerat, suscitandę sobolis causa fraternis primùm manibus parentare. Postq; oraculo paruit, optatę rei solatium impetrauit. Siquidem filium ex Gyritha suscepit, cui Haraldo uocabulum adaptauit. Hinc facilè colligitur, illud præceptum à Danorum Regibus usq; ad hęc tempora diligenter obseruatum fuisse, quod Humelus Gothorum Rex, filio suo Dano, primo Danorum Regi (ut ante memini) cum ipsum Danię Regem designaret, præscribere curauit, uidelicet ne in aliqua parte Danię Deorum delubra construeret, sed apud Vpsalam Sueonum metropolim diuinitatis cultum uenerabundus prosequeretur.

Successit deinde in numero, & ordine Regum Ingemarus, quem alij Ingonem uocant. Cum enim esset inter Alarici filios natu maior, tam ob paterna merita, q; ob concordē procerum consensum, Gothis Sueonibusq; Rex constituitur. Hic cum ad animum reuocaret se fortissimo patre, & qui latissimè imperauerat, genitum, noluit paternæ hęreditatis titulis contentus esse, sed paterna gesta superare, aut æquare desiderans, tributa à Rutenis, quæ patri promissa fuerant, extorsit. Deinde Haraldo Danorum Regi, quòd Schoningiam Gothici regni partem occuparet, bellum indixit: non (ut Saxo inquit) proferendi imperij gratia, sed ut suorum regnorum fines tueretur. Territus ad eius belli denuntiationem Haraldus, cœpit diuina, & humana, atq; Acheronta mouere, ut scire posset an Ingemari potentiæ tutò congredi possit: importunasq; preces idolo Othino (qui pręcipuè apud Vpsalam uenerabatur) offerens, rogabat, ne sibi in tantis bellorum periculis laboraturo deesse uelit. Tum illi uisa est astare imago monoculi senis, qui hispida ueste indutus, Othinum se nominabat, uenisseq; ut futuri belli euentum ei denuntiet, rationemq; struendarum acierum, siue ad nauale, siue ad campestre bellum, ostendat. Erat is profectò malus dęmon ex antro inferni aduolans. Proinde uideamus q; commode ad militarem disciplinam acies bellicas instruere docuit. Nisi me fallat opinio, ita militiam confundere, & non ordinare imperauit, ut nulli, aut certè quàm paucissimi uiui & salui per suam militarem disciplinam euaderent. Iussit enim (teste Saxone) ut terrestribus bellum copijs editurus, uniuersam aciem in tres turmas diuideret, quarum unamquamq; uicenarij ratione densaret, mediam uerò uiginti uirorum numero reliquis porrectiorem extenderet, quam etiam in coni, siue pyramidis acumen digerens, alarum recessus utrinq; secus discretis ambagibus obliquaret. Cuiuslibet uerò turmæ seriē hac ratione contexeret, ut à duobus frons inchoans, consequentibus locis unitatis duntaxat incrementa reciperet, & quidem in secūda linea tres, in tertia quatuor: eo demq; modo posterius ordinandos, habita congressione, statueret: sicq; consequentes gradus id m proportionis tenor instrueret, donec coniunctionis extremitas alas æquaret, cornu uerò quodlibet denis ab eo ordinibus formaretur. Post has item turmas, instructam iaculis iuuentutem admittat: à cuius tergo grandæuorum cohortem adhibeat, quæ labantes sociorum uires ueterana quadam uirtute firmaret. Deinde funditorum alas gnarus locorum supputator annecteret. Post hos cuiuslibet ætatis, aut ordinis homines, absque conditionis æstimatione passim adsciseeret. Cęterum postremam aciem ternis, instar primę, cornibus interstinctam, similiq; graduum proportione digestam explicet, cuius tergum superiori cōiunctum agmini, ipsum auersæ frontis obstaculo tueretur.

At si nauale forte prælium incidisset, partem classis secerneret, quæ eo propositos inchoante cōflictus, multiuola rates hosticas reflexione circumdaret. Hęc idcirco nulla uerborum mutatione facta, ex Saxone adduxi, ut uideamus ipsum malum dæmonem fallacissime & inepte militarem industriam Danis tradidisse. Quis enim pugnandi modus cōtra Sueones ineptior dari potuisset? præsertim qui nec in saltibus, nec in inuijs syluarū latebris, imò neq; in aperto campo contra expertam militiam profuisset. Si quis enim eam centuriandi artem

intimius

intimius inspexerit, deprehendet ipsam non ad Danorum uictoriam, sed ad extremam perniciem excogitatam, maximè si ad iustam pugnam deuentum fuisset, quam tunc Haraldus in Suetia, & in terra hostili, hostibusq; impar consultius euitauit, oblata sibi faciliore occasione extinguendi inimici. Habebat siquidem Rex Ingemarus pessimam cōiugem Danico sanguine ortam, ipsius Haraldi consanguineam, quæ abiecto omnis honestatis respectu, cum nonnullis domesticis inimicis ad insidias iugulo mariti iniiciendas conspirauit: idq; ad importunam Haraldi suggestionem, cui tunc præclarius uisum erat, læsa honestate uincere, quam sine uictoria ad propria remeare. Cum enim Ingemarus insuperabilem exercitū comparasset, essetq; de uictoria certus, ecce impudentissima coniunx admissis clam intra cubiculum latronibus, ipsum à summa trabe catena aurea suspendi procurauit, non procul ab eo loco, in quo nunc Holmensis ciuitas ædificata conspicitur: infamis nimirum mulier, & publico omnium mortalium odio insectanda, quam nec uirtus, nec humanitas, nec pudor, aut ulla naturæ ratio à tam detestando facinore reuocabat. Veruntamen nec ea militaris industria, quam malignus spiritus sub nomine Othini Danos docuit, nec maligna consilia, quæ mulier omni nequissimo dæmonio sceleratior adinuenerat, efficere ualuerunt, ut uictoria ad partes Haraldi se inclinaret. Quippe mox ut sceleris immanitas à Regina perpetrati ad publicam notitiam celerrimè erupuisset, pręcipui amici Regis Ingemari una cum fratre eius Olauo aduolantes, ipsam Reginam adhuc in flagranti crimine deprehensam, uiuam defoderunt. Deinde Ingello Ingemari filio ad regni solium sublimato, Danos adoriuntur, ipsosq; & eorum Regem Haraldum magno impetu in fugam conuerterunt: in quo bello Olauus Ingemari frater, dum uictos Danos pertinacius insequeretur, occubuit.

Ingellus Ingemari filius, post patrem, qui per Danicę mulieris insidias crudeliter interemptus erat, in regnis Gothiæ & Suetiæ successit. Hic erat in rebus bellicis strenuus, & in arte militari nulli secundus, primaq; audacia præditus. Proinde (non ut Saxo scribit) belli inducias per legatos postulabat, nec post chari parētis occisionem latebras circumspexit, aut sub aduersæ ualetudinis simulatione in tam humilem aut iacentem fortunam corruerat, ut Danorum clementiam, quæ longè magis languebat, imploraret, sed exercitum, quem iam paterna sedulitas comparauerat, educēs, tam pertinaci proposito hostes adoriebatur, ut si Haraldus celerioris fugę præsidio sibi non consuluisset, in extremæ sortis pericula cum tota sua militia incidisset. Fugatis igitur Danis, Ingellus classem ad naualis belli usum comparat, quam armis & militibus instructissimam, Daniæ littoribus imponit, expositoq; milite, pugnam acerrimam contra Haraldum instaurat, nihil ardentius desiderans, quam priuatam trucidati parentis necem publica Danorum strage uindicare. Nullum igitur bellum magis cruentum uideri poterat, per quod Ingellus cruētam uictoriam assecutus, noluit Haraldum fuga elapsum, ad interiora Daniæ ob præparatas insidias insectari, sed propinquam illo loco arcem demolitus, sororem eius captiuam in signum adeptæ uictoriæ secum in Suetiam perduxit, ut exemplo Iulij Cæsaris seruaret eam, à qua, uel propter quam tandem perdendus esset. Ille siquidem raptus occasionem pręstitit, qua multa hominum millia tam Gothorum, quam Danorum perderentur. Cum enim Haraldus didicisset sororem uiolenter abductam, uehementer indoluit suo sanguini tam insignem iniuriam irrogatam. Quocirca classem bellicam denuò contra Suetiam comparat, aut sororem recuperaturus, aut uitam amissurus. Committitur utrinq; prælium atrocissimum, in quo Haraldus infeliciter pugnans superatur, atq; in suam Daniam uictus, & multa infelicitate oneratus remeauit. Nec diu distulit, antequam potentiorem exercitum contra Ingellum excitaret.

Erant interim in Suetia multi perspicacis ingenij nobiles, qui Ingello illud uiolentū coniugium dissuadere nitebantur, quod talis coniunctio tristes exitus plerunq; parere consueuit: nec essent mores illius Danicæ mulieris adeò integri, ut propter eius amplexum tot uiri, totaq; patria in apertum belli discrimen exponenda esset. Sed erat in iuuene Rege pertinax præliandi ardor, quo maiores militum copias, quam unquam prius conscribi mandat. Quod cum Haraldus comperisset, consilium à suis sapientibus super futuro bello inquirit. Hi confestim suadebant potius permittendam esse Sueonum Regi sororem, quam uisurus esset tot fideles ciues, & subditos suos ante suum conspectum crudeliter trucidari. Itaq; missis ad Ingellum legatis, pacem, pacisq; conditiones sibi præscribi optat, sororē in legitimam coniugem offert, omniaq; integræ amicitiæ officia integro animo polliceri uidebatur. Nec poterat Ingellus tam iustis & honestis conditionibus pacis refragrari, cum ipsorum procerum suorum sententia ad concordiam magis, quam prælij inclinaretur. Pacatis igitur cum externo hoste rebus, non longè post perniciosius bellum illi in patria, & à propinquis mouebatur. Quippe postquam ipsi uiderent illam Danicam coniugem impudicè uiuere, esseq; uni nuptam, multis uero expositam, non cessabant monere Regem, ut tam apertam cōiugis

felicemq́ requiem adeptus est, donec Haldanus patris, fratrisq́, & plurimorum necessariorum suorum necem statuisset in Ericum uindicare. Ad id enim non impotentem ex toto Danico imperio exercitum coëgit, ipsumq́ in Suetiam Ericum oppressurus transuexit. Occurrit Ericus multo & ualido milite cinctus, & si uiribus non dolis manus conserendæ fuissent, uictor nimirum euasisset. Enimuerò dum Haldanus suorum paucitati diffideret, uictoriam astutia & dolis comparauit, quando Ericum ad præparatas insidias protractum comprehendit, comprehensoq́ potestatem fecit uitam obsequio redimendi: at magni atq́ inuicti spiritus homo, precariam uitam agere dedignatus, mortem seruituti turpitudiniq́ anteponebat.

Haldanus Caroli Gothorum Regis ex filia Signe nepos, postquam in patris & fratris occisores potenter & prosperè uindicasset, consensu Suetiæ procerum in Sueoniç Regem sublimatur. Dignus siquidē ab omnibus putabatur, ut qui parricidalis criminis tam strenuus ultor extitisset, etiam Rex constitutus à subiectis populis omnem impietatem eliminare curaret, uirtutesq́ bellorum tempestate concussas, in pristinum statum atq́ uigorem collocaret. Hic sui regni auspicia felicius à uicinorum Principum cōcordia inchoanda existimans, Vnguinum Gothorum Regem sanguinis propinquitate coniunctum, misſis prudentibus legatis, sibi ad stabile & perpetuum fœdus conciliauit, prudenter quidem ex præteritis ad futura prospiciens. Quemadmodum enim Reges, & regnum Suetiæ ob controuersias, quæ aliquando cum Gothis inciderant, ad grauissima quæq́ incommoda corruerant, ita perseuerante utriusq́ partis cōcordia, nulla pars humanæ felicitatis eis unquam defuisse uidebatur. Compositis deinde in patria omnibus Reipublicæ partibus, ne ciuibus & incolis suis grauior, q́ iustum & ęquum esset, immineret, totam suæ militiæ multitudinem à uisceribus ciuium obstractam, classiq́ impositam, contra piratas (qui tunc ubiq́ mare Sueticum infestabant) eduxit, palàm affirmans eos Reges nocentiores esse quocunq́ publico hoste, qui ob superbam ignauiam in suis ędibus à militari exercitio separati commorantur, subiectisq́ populis formidabiles, hostibus uerò contemptibiles apparent. Vidi ego aliquando eius generis Principes, eorumq́ tyrannidem expertus sum, qui in substratum populum leones & tigrides erant, at in hostes omni lepore timidiores notabantur: plures quippe sine numero ciues, q́ hostes opprimebant. Sed his belluis (in quorū memoriam inuitus incido) omissis, ad Haldanum fortissimum atq́ prudentissimum Regem reuertor. Qui (ut diximus) sugregariæ militiæ turmas in naualibus bellis continuè exercebat, nūc Daniam cuius etiam Rex erat, nunc Suetiam & Gothiam ab omni domesticorum & piratarum iniuria conseruando, nihilq́ omittendo quo subiectos sibi populos feliciores efficere potuisset. Inter cæteros autem piratas duo erant uegetioris ingenij Vandali, siue Curetes, Anundus & Tocho, qui acrioribus bellis circumpositas regiones molestabant. Hos Haldanus maritima pugna aggressus extinxit.

Attamen nonnulli in Suetia emersere sanguine q́ moribus nobiliores, qui tam sedulos Haldani labores, & nunquam intermissas pro salute publica excubias, ingrato animo æstimarent: totisq́ conatibus ipsum in extremum uitæ & honoris discrimē adducere moliebantur. Huius factionis caput erat quidam Siualdus clarissimo loco natus, qui apud Sueonum concionem multa abominanda facinora in absentem Haldanū congessit, argumento sumpto ab occisione Frothonis, quam non solum orationis uehementia, sed multo lachrymarū profluuio ita auribus præsentis populi inculcauit, ut parum abesset, quin statim Regio honore (quem summopere ambire uidebatur) donaretur. Quibus cōpertis Haldanus, coactis ad concionem militibus, insinuat quomodo ingrati Sueonum proceres, pro quorum pace & tranquillitate tot uitæ discrimina sustinuerat, iniurias, & insidias, omniaq́ hostilitatis studia in se pertinaciter meditarentur: proinde necessarium fore, illum rebellium conatum in prima origine succidi, ne longiorem moram assecutus altiores radices emittat. His dictis totius classis robur & arma, ab atrocibus hostibus ad reprimēdos ingratorum ciuium tumultus reuocauit. At Sueones uisa magnitudine aduer tantis exercitus, mox à Siualdo defectionis autore paulatim defecerunt. Sed pertinax in bellace uiro animus, in nullo remissior apparebat. Misso enim ad Haldanum nūtio, inquit: Si te uirum fortem fateri uolueris, progredere mecum in campum, ut unius aut alterius occasu cætera multitudo seruetur. Ego & septem filij mei ex una parte stabimus, te et filijs tuis ex aduerso pugnantibus. Non equidem, subintulit Haldanus, duellum detrecto, sed iniquam conditionem, qua solus contra octo prouocor, iustè reprehendo. Tum Siualdus: Nil mirandum, ait, hominem mente & corpore frigidum occasiones quærere, quibus se à pugna eximat. Ego & filij mei una caro censendi sumus. Si tu hactenus frigido & infœcundo toro cubuisti, affer ergo in campum unita membra, quando ego in filios dispersa iterum in certamen assumo. Hac qualicunq́ ratione

Haldani



Haldani magnanimitas ſe ad iniquum certamen adduci permiſit: uictorq́ proſtratis patre & filijs, à toto populo ſalutatur. Deinde abſumpto uno peſtifero capite, mox alterum priore pernicioſius emerſit. Nam Harthbenus pugil Helſingicus omnia alia potius, quàm Regem optimis moribus prȩditum pati uolens, non diſtulit ipſum, quem ſuorum enormium facinorum uindicem formidabat, ad ſingulare certamen denuò prouocare. Erat ille Harthbenus monſtroſa longitudine, utpote nouem cubitis in altum porrectus, cui etiam duodecim athletæ commilitones fuere: quorum opera quoties illi præſaga pugnæ rabies inceſsiſſet, uinculorum remedio oborti furoris impetus propulſabatur. Ea fortitudine ad omne nefas abutens, nullius illuſtriſsimæ uirginis aut fœminæ pudicitiam intentatam permiſit. Siquidem raptas Regum filias ſtupro fœdare gloriæ loco ducebat, tantoq́ ſe clariorem æſtimabat, quantò ſplendidiores concubitus uiolentius aſſequi potuiſſet.

Hunc Haldanus cum ab eo ad ſingularem pugnam prouocaretur, magnanimiter cõtempſit, affirmans ſe ſolum cum eo & duodecim commilitonibus ipſius congredi paratum. Quo contemptu Harthbenus perfuſus, ſtatim ſex è ſuis athletis ferro conſumpſit: deinde ſex reliquis ſociatus pugnam cum Haldano conſerens, uictoria caruit & uita, plaudentibus cunctis ad mortem tam inſignis & ſpurciſsimi latronis. Hoc monſtro oppreſſo, mox aliud opprimendum offertur. Nam cum comperiſſet Grimonem eximiarum uirium athletam, Hatheri Noruegici Regis filiam Torildan ſub duelli comminatione expetere, illuc ſuo more monſtra domiturus acceſsit. Nec bonæ ſpei bonus effectus defuit. Nam Grimonem (quamuis athletica fortitudine, atque magica arte conſpicuum) ita oppreſsit, ut perpetuò mancum atque imbellem reddiderit. Itaq́ Haldanus Torilda potitus, filium Aſmundum, à quo Noruegiæ Reges ſe prodijſſe gloriantur, ex ea ſuſcitauit. Tandem cum didiciſſet Ebbonem quendam plebei generis piratam, Vnguini Gothorum Regis filiam Sigrutham in coniugem, & dimidium Gothici regni in dotem poſtulare, indignanter tam diſparis conditionis copulam tulit, ſeq́ ignoto habitu deformatum inter nuptiarum auſpicia in Regiam Vnguini recepit: ubi præmiſſa acerrima obiurgatione in plebeij hominis temeritatem, quòd auderet ſe Regibus coæquare: Surge, inquit, & ferro mecum decernens te uirum oſtende, non antea uoto q́ uictoria potiturus. Monſtris nocturnam pugnam Ebbo conuenire reſpondit. Qui tandem Haldano importunius perurgente, & ſub luſtris lunæ ſplendorem diem referre affirmante, è medio conuiuij ſurrexit, primoq́ impetu nequicquam ſe defendere tentans òcciditur, uerſis in funus & exequias nuptijs, quas diſparitas conditionis conciliaſſe uidebatur. Hic erat exitus plebeij hominis, quem nec uirtus, nec generis claritas nobilitauit. His per Haldanum in materno regno Gothorum feliciter actis, ſe in Suetiam recepit, diuq́ in tranquillitate regnando, gloriam ſui nominis apud omnes meruit immortalem.

De alio quodam Haldano, & geſtis eius.

CAP. XI.



NEc minori claritudine inter fortiſsimos pugiles memoratur alter quidam Haldanus Borchari Noruegiani, atque Drothæ Regiæ prolis filius: cuius iuuẽtæ initia ſtoliditatis opinione referta fuere: ſequens uerò ætas fulgentiſsimis operum inſignibus illuſtris euaſit, maximisq̂ue uitæ ornamentis inclaruit. Adoleſcens pugilem ingenuæ famæ, quod ab eo pueriliter obludens colapho percuſſus eſſet, geſtamine, quod in manu habebat, petitum oppreſsit: augurio apud omnes relicto, quanta animi, atque uirium magnitudine in hoſtes triumphaturus eſſet. Ea tempeſtate Retho Ruthenorum pirata plures prouincias rapinæ, & crudelitatis iniurijs profligabat: cuius tã inſignis atrocitas erat, ut cæteris extremȩ captorum nuditati parcentibus, hic etiam ſecretiores corporum partes tegminibus ſpoliare deforme non duceret. Vnde graues adhuc, immanesq́ rapinæ, Rotheran cognominari ſolent. Habebat & aliam torquendi ſæuitiam beluinam, quam uerecundiæ cauſa uolens prætermitto: qua

indignitate

indignitate motus Borcharus Haldani pater, Rethoni se obijcit: quorum ut mutuum bellum, ita exitium fuit. Haldanus uerò eam pugnam uulneribus affectus exijt: à quibus unum ori euidentius inflictum habebat, adeò cicatrice conspicuum, ut cęteris sanatis, carnis excremento sarciri nequiret: quæ res contumeliosum os nomen ei perperit: unde perennem gloriam pro honestate, & patria pugnans æquius meruisset. Sed quid uirtuti dignum unquam retribuit calumniosa interpretatio malignorum? Viguit tamen in eo tanta militaris claritas, ut ubiq; ob insignem fortitudinem formidabilis haberetur: unde & ea fiducia ductus, concupiscere cœpit consortium nobilissimę uirginis Giurithæ, regij stemmatis eo seculo in Dania ultimę hęredis: quę cauendæ iniuriæ gratia, conclaue suum electo pugilum agmine tutabatur. Ad quam cū Haldanus semel forte uenisset, abessentq; pugiles, quorum ipse fratrem impubes extinxerat: Oportere eam, inquit, castimoniæ rigorem honestissimo coniugij decore permutare, ut lapsa regni gubernacula copulę suę beneficio reparare posset. Se ergo nobilitatis splendore conspicuum nuptialibus ab ea uotis respici hortatur, quòd ob dictam causam uoluptati aditum datura uideatur. Cuius responsione intellecta, didicit se nedum generis claritudine imparem existimari, sed oris deformitatem sibi exprobrari: obsecrat, ne cui tori conuiuentiam prębeat, antequàm reditus interitusúe sui certitudinem cognouisset. Quem athletę Giurithæ locutum indignè ferentes, discedentem insectari conantur. Quo uiso, mox quercu succisa, atq; in clauę habitum redacta, solus cum duodecim manus conseruit, eosq; spiritu spoliauit. Deinde augendæ claritudinis titulo Russiam ingressus, summa omnium dignatione suscipitur, atq; in breui (feruente inter Suecos, & Ruthenos acerrimo bello) plures Suecorum pugiles duelli prouocatione oblatos interemit: & in postremis proprium fratrem Hildigerum, septuaginta pugilum oppressorem (dum pietatem fortitudini, se fratrem manifestante, non præponeret) gladio panniculis, ne carminibus hebetaretur, obducto, occidit. Deinde Siuarum Saxonicum, quòd nuptialibus triumphis sponsam eius Giuritham abducere uellet, celeri in Daniam emenso regressu inter conuiuantes oppressit: sponsaq; lęto applausu potitus, ex ea genuit Haraldum Hildetan: de quo cap. 8. dictum est. At finaliter à Veseo insigni pugile, in Sialandia pro restituenda lacerata patria pugnans, occiditur.

Haldani Barchari Noruegiani res præclarè gestæ: ex Ioan. Mag. lib. partim 7. partim. 8.

Dagerus optimo patri Dignero, nullo procerum resistente, in regni Suetiæ sceptra successit. Hic prudentissimo patri in omnibus uirtutum partibus adeò similis erat, ut nulli ex incolis iustè conqueri potuissent, se optimum Regem amisisse, cum omnia paternæ probitatis officia in filio abunde reuixisse considerarent. Prima igitur auspicia suę administrationis à domestica concordia assumens, omnes proceres, qui aliquid latentis, siue aperti odij in mutuam perniciē fouere uidebantur, solicito studio ad necessariam concordiam adduxit. Qua parta, totas ingenij uires eò conuertit, ut Gothos in ueterem Suecorum confœderationem reuocaret. Nec difficilem suo proposito uiam inuenit. Domarus enim (de quo proximè diximus) ob maxima patris demerita, omnibus Gothorum proceribus & populis inuisus nihil magis in uotis habebat, quàm regiam dignitatem tot insidijs expositam uel deponere, uel aliqua alia honesta conditione permutare. Quocirca in societatem Dageri consentiens, effecit ut Gothi in pristinam cum Sueonibus concordiam redirent, iamq; in procinctu erat, ut se ad Dagerum conferret, & subitò irruentibus in se fatis, animam (ut prædiximus) exhalauit, dolore insuperabili ex subditorum rebellione, aut translatione regni suscepto: quamuis nonnulli dicere uelint, ipsum sanum atque incolumem ad Dagerum peruenisse, uitamq; diuturnam, & ab omni solicitudine liberam usque ad optatam senectutem apud eundem deduxisse.

Itaq; hac singulari prudentia Dagerus suum imperium augens & confirmans, terrorem omnibus in circuitu hostibus incussit: attamen multis iniurijs à Rutenorum principe lacessitus, ualidum exercitum ex Gothis, Suecis & Schoningis contraxit: cui duos Schoningiæ satrapas, Borcharum & Ostarum, præficere curauit. Hi primam belli fortunam contra

tra quendam Rethonem Rutenorum piratam, cui nullum humanitatis uestigium inerat experturi, tanto ardore bellum nauale cum eo conseruerunt, ut ambo exercituum duces Borcharus & Retho, datis acceptisq; uulneribus, primo bellorum impetu absumerentur. Erat autem Retho tam sordidæ auaritiæ, ut nudatis coram se negotiatoribus, qui in eius manus inciderant, femoralia eorum scrutaretur: tantæq; atrocitatis, ut semper noua et exquisita tormenta, quibus infelices homines torquerentur, inueniret. Quandoque enim uno pede in terra alligato, alterum arbori uiolenter inclinatæ alligabat, quæ rursus suæ naturæ relicta, hominem crudeli spectaculo distraxit. Igitur deleto tam crudeli hoste, Dagerus filium suum Alaricum (quem Saxo Aluerum uocat) totius naualis exercitus præfectum constituit: qui ad patris præceptum tam potenter & prudenter in omnibus se gessit, ut breui dierum spatio totam militiam sibi creditam in uniuersas Russiæ regiones effunderet: effecitq; ut Rutenorum Princeps Dageri imperio subiectus, tributa persolueret, atq; ad omnia imperata sese obnoxium fateretur. Tandem post adeptam tam insignem de potente hoste uictoriam, Dagerus relicto in patria filio Alarico, uolens etiam ex militari disciplina gloriā consequi, totius exercitus robur in Daniam traijcere festinauit: quam tunc citius, quàm felicius subiugauit. Cum enim remissis in Sueciam copijs, regni Daniç statum ordinaturus remansisset, Danorum insidijs impetitus opprimitur, documento ad posteros relicto, ne quis facile suam salutem permittat inimico semel reconciliato.

Alaricus (quem alij Aluerum uocant) Dageri filius, post mortem patris ad Regiæ dignitatis solium, cum propter eius eximia & clarissima facta, tum ob singularem spem, quam de eo tota patria conceperat, dignissimè sublimatur. Hic quum à Rutenis, quos aliàs subiugauerat, tributa per legatos postularet, Russi perfidè eos excipientes, per insidias trucidauerunt, bellumq; arma, non tributa se deinceps Sueonibus soluere uelle nuntiauerunt. Motus tam atroci & insigni perfidia Alaricus, gentem fortissimam ex omnibus sui imperij finibus contrahis, secumq́ue in perfidum hostem educit. Iamq́ue stabat acies ad pugnam paratæ, & unus ex præcipuis Sueonum pugibilibus Hildigernus, ab Alarico postulat sibi licere aliquem ex Rutenorum fortissimis ad bellum prouocare. Quod quum impetrasset, mox ad Rutenos exclamat, ut fortissimum ex toto agmine ad singulare certamen emittant. Quo clamore Ruteni prouocati, cogitabant quem ex suis insultanti hosti opponerent. Cunctantibus cæteris, Haldanus præcipuæ fortitudinis pugil, qui nuper ad Rutenorum militiam ex Schoningia aduenerat, se ad duellum offert. Erat hic Haldanus Borchari Schoningiani satrapæ filius, ex Drotha Noruegiæ Regis filia susceptus, quam occiso nobilissimo marito Gunnone Suetico, sibi in coniugem acceperat non inuitam. Nam idem Gunno occiso antea eius patre Rege Regnaldo, ipsam in suum coëgerat coniugium, filiumq́ue Hildigernum ex ea procreauerat. Quocirca cum Hildigernus natu maior, sciret hunc Haldanum esse suum uterinum fratrem, recusauit cum eo congredi, prætexendo ipsius in re bellica inexperientiam: Ego, inquiens, septuaginta fortissimorum pugilum cæde claritatem nominis acquisiui, hic autem Haldanus uix militarem disciplinam in limine salutauerat. Discat igitur prius uires suas cum æqualibus experiri, deinde si sic uisum illi fuerit, mecum congrediatur.

His conuitijs Haldanus nihil motus, sed forti animo respondit: Si tibi uideor imbellis, & ob ætatem contemptibilis, accedat alter ex uestro agmine, qui mecum congrediatur. Moxq; unum adductum obtruncat. Deinde duo sunt illi obiecti: quibus occisis, tres secum pariter congressuros postulat: quibus oppressis, numerum per uices adauxit, usque ad undecim: quibus demum congressus, uictor euasit. Tum Hildigernus uidens ipsum ad parem militiæ gloriam secum peruenisse, congressum ei diutius negare noluit: sed campum ingressi, tanto armorum fragore fortissimi pugiles inuicem concurrerunt, ut putaretur terra ad eorum congressum contremuisse. Tandem Hildigernus sentiens se mortiferum uulnus accepisse, proiectis armis Haldanum his, siue similibus uerbis alloquitur: Ego, inquiens, tuus uterinus frater sum ô Haldane. Drotha enim, cuius ubera suxeras, me quoque in hanc lucem ædidit, sed nimis diuerso omine: te quidem ad pompam, & prosperos uitæ successus, me autem in hac uiridi iuuenta præmaturo fato extinguendum. Ad hæc Haldanus animo nimium consternatus, & in summum dolorem adductus, inquit: O mi frater, cum me fratrem tuum cognouisses, cur tam perniciosa taciturnitate siluisti? Ego prius in me arma, quàm in te conuertissem, imò pro te uitam meam libenter impendissem. Nunc igitur quis mihi tribuat ut tecum moriar, tecum sepeliar, tecumq; omnia extrema experiar? tua est, ô frater, hæc culpa: tuo silentio nostram fraternam necessitudinem uiolasti: tua taciturnitas me infelicem paricidam effecit: te mihi nulla unquam restituet ætas, te quoad uixero, lachrymis prosequar sempiternis.

Tum

Tum Hildigernus magna se ratione fraternam necessitudinem tacuisse dicebat, ne uideretur congressum timidè denegare, aut scelesto animo attentare. Quibus dictis, spiritum in conspectu lachrymantis fratris efflauit. Alaricus antem ad unius, aut plurium pugilum necem nihil territus, sed constanti animo in pugnam progressus, priuatum athletarum occasum publica uictoria uindicauit. Victi namq; Ruteni, tributa solita pendere non recusabāt. Igitur Alaricus cum egregio & memorabili triumpho in patriam reuersus, & tranquillitati in reliquam ætatem studuit, legibusq; et moribus regnum componere curauit, donec ad seniles annos perueniens, inter amicorum manus expiraret. Vnde Ericum Vpsalensem in errorem lapsum fuisse opinor, qui asserere uidetur ipsum ab Erico fratre suo regnandi cupidine ducto, trucidatum, eamq; cædem, alio telo nō suppetente, freno peregisse. Nec silendum puto Haldanum (cuius nunc memini) ob res fortiter & magnificè gestas, Gyritham Siuardi Gothorum Regis neptem, unicam Danici regni hæredem, in coniugem obtinuisse. Quam cum sterilitatis uitio obnoxiam consideraret, maximāq; (ut Saxonis uerbis utar) prolis creandæ cupidinem haberet, conciliandæ ei fœcunditatis gratia Vpsalam nobilissimam Sueonum urbem petit: ubi responso monitus fuerat, suscitandę sobolis causa fraternis primùm manibus parentare. Postq; oraculo paruit, optatę rei solatium impetrauit. Siquidem filium ex Gyritha suscepit, cui Haraldo uocabulum adaptauit. Hinc facilè colligitur, illud præceptum à Danorum Regibus usq; ad hęc tempora diligenter obseruatum fuisse, quod Humelus Gothorum Rex, filio suo Dano, primo Danorum Regi (ut ante memini) cum ipsum Danię Regem designaret, præscribere curauit, uidelicet ne in aliqua parte Danię Deorum delubra construeret, sed apud Vpsalam Sueonum metropolim diuinitatis cultum uenerabundus prosequeretur.

Successit deinde in numero, & ordine Regum Ingemarus, quem alij Ingonem uocant. Cum enim esset inter Alarici filios natu maior, tam ob paterna merita, q; ob concordē procerum consensum, Gothis Sueonibusq; Rex constituitur. Hic cum ad animum reuocaret se fortissimo patre, & qui latissimè imperauerat, genitum, noluit paternæ hęreditatis titulis contentus esse, sed paterna gesta superare, aut æquare desiderans, tributa à Rutenis, quæ patri promissa fuerant, extorsit. Deinde Haraldo Danorum Regi, quòd Schoningiam Gothici regni partem occuparet, bellum indixit: non (ut Saxo inquit) proferendi imperij gratia, sed ut suorum regnorum fines tueretur. Territus ad eius belli denuntiationem Haraldus, cœpit diuina, & humana, atq; Acheronta mouere, ut scire posset an Ingemari potentiæ tutò congredi possit: importunasq; preces idolo Othino (qui pręcipuè apud Vpsalam uenerabatur) offerens, rogabat, ne sibi in tantis bellorum periculis laboraturo deesse uelit. Tum illi uisa est astare imago monoculi senis, qui hispida ueste indutus, Othinum se nominabat, uenisseq; ut futuri belli euentum ei denuntiet, rationemq; struendarum acierum, siue ad nauale, siue ad campestre bellum, ostendat. Erat is profectò malus dęmon ex antro inferni aduolans. Proinde uideamus q; commode ad militarem disciplinam acies bellicas instruere docuit. Nisi me fallat opinio, ita militiam confundere, & non ordinare imperauit, ut nulli, aut certè quàm paucissimi uiui & salui per suam militarem disciplinam euaderent. Iussit enim (teste Saxone) ut terrestribus bellum copijs editurus, uniuersam aciem in tres turmas diuideret, quarum unamquamq; uicenarij ratione densaret, mediam uerò uiginti uirorum numero reliquis porrectiorem extenderet, quam etiam in coni, siue pyramidis acumen digerens, alarum recessus utrinq; secus discretis ambagibus obliquaret. Cuiuslibet uerò turmæ seriē hac ratione contexeret, ut à duobus frons inchoans, consequentibus locis unitatis duntaxat incrementa reciperet, & quidem in secūda linea tres, in tertia quatuor: eodemq; modo posterius ordinandos, habita congressione, statueret: sicq; consequentes gradus idem proportionis tenor instrueret, donec coniunctionis extremitas alas æquaret, cornu uerò quodlibet denis ab eo ordinibus formaretur. Post has item turmas, instructam iaculis iuuentutem admittat: à cuius tergo grandæuorum cohortem adhibeat, quæ labantes sociorum uires ueterana quadam uirtute firmaret. Deinde funditorum alas gnarus locorum supputator annecteret. Post hos cuiuslibet ætatis, aut ordinis homines, absque conditionis æstimatione passim adscisceret. Cęterum postremam aciem ternis, instar primę, cornibus interstinctam, similiq; graduum proportione digestam explicet, cuius tergum superiori cōiunctum agmini, ipsum auersæ frontis obstaculo tueretur.

At si nauale forte prælium incidisset, partem classis secerneret, quæ eo propositos inchoante cōflictus, multiuola rates hosticas reflexione circumdaret. Hęc idcirco nulla uerborum mutatione facta, ex Saxone adduxi, ut uideamus ipsum malum dæmonem fallacissime & inepte militarem industriam Danis tradidisse. Quis enim pugnandi modus cōtra Sueones ineptior dari potuisset? præsertim qui nec in saltibus, nec in inuijs syluarū latebris, imò neq; in aperto campo contra expertam militiam profuisset. Si quis enim eam centuriandi artem

intimius

intimius inſpexerit, deprehendet ipſam non ad Danorum uictoriam, ſed ad extremam perniciem excogitatam, maximè ſi ad iuſtam pugnam deuentum fuiſſet, quam tunc Haraldus in Suetia, & in terra hoſtili, hoſtibusq́; impar conſultius euitauit, oblata ſibi faciliore occaſione extinguendi inimici. Habebat ſiquidem Rex Ingemarus peſsimam cõiugem Danico ſanguine ortam, ipſius Haraldi conſanguineam, quæ abiecto omnis honeſtatis reſpectu, cum nonnullis domeſticis inimicis ad inſidias iugulo mariti inijciendas conſpirauit: idq́; ad importunam Haraldi ſuggeſtionem, cui tunc præclarius uiſum erat, læſa honeſtate uincere, quam ſine uictoria ad propria remeare. Cum enim Ingemarus inſuperabilem exercitũ comparaſſet, eſſetq́; de uictoria certus, ecce impudentiſsima coniunx admiſſis clam intra cubiculum latronibus, ipſum à ſumma trabe catena aurea ſuſpendi procurauit, non procul ab eo loco, in quo nunc Holmenſis ciuitas ædificata conſpicitur: infamis nimirum mulier, & publico omnium mortalium odio inſectanda, quam nec uirtus, nec humanitas, nec pudor, aut ulla naturæ ratio à tam deteſtando facinore reuocabat. Veruntamen nec ea militaris induſtria, quam malignus ſpiritus ſub nomine Othini Danos docuit, nec maligna conſilia, quæ mulier omni nequiſsimo dæmonio ſceleratior adinuenerat, efficere ualuerunt, ut uictoria ad partes Haraldi ſe inclinaret. Quippe mox ut ſceleris immanitas à Regina perpetrati ad publicam notitiam celerrimè erupuiſſet, pręcipui amici Regis Ingemari una cum fratre eius Olauo aduolantes, ipſam Reginam adhuc in flagranti crimine deprehenſam, uiuam defoderunt. Deinde Ingello Ingemari filio ad regni ſolium ſublimato, Danos adoriuntur, ipſosq́; & eorum Regem Haraldum magno impetu in fugam conuerterunt: in quo bello Olauus Ingemari frater, dum uictos Danos pertinacius inſequeretur, occubuit.

Ingellus Ingemari filius, poſt patrem, qui per Danicę mulieris inſidias crudeliter interemptus erat, in regnis Gothiæ & Suetiæ ſucceſsit. Hic erat in rebus bellicis ſtrenuus, & in arte militari nulli ſecundus, primaq́; audacia præditus. Proinde (non ut Saxo ſcribit) belli inducias per legatos poſtulabat, nec poſt chari parẽtis occiſionem latebras circumſpexit, aut ſub aduerſæ ualetudinis ſimulatione in tam humilem aut iacentem fortunam corruerat, ut Danorum clementiam, quæ longè magis languebat, imploraret, ſed exercitum, quem iam paterna ſedulitas comparauerat, educẽs, tam pertinaci propoſito hoſtes adoriebatur, ut ſi Haraldus celerioris fugę præſidio ſibi non conſuluiſſet, in extremæ ſortis pericula cum tota ſua militia incidiſſet. Fugatis igitur Danis, Ingellus claſſem ad naualis belli uſum comparat, quam armis & militibus inſtructiſsimam, Daniæ littoribus imponit, expoſitoq́; milite, pugnam acerrimam contra Haraldum inſtaurat, nihil ardentius deſiderans, quam priuatam trucidati parentis necem publica Danorum ſtrage uindicare. Nullum igitur bellum magis cruentum uideri poterat, per quod Ingellus cruẽtam uictoriam aſſecutus, noluit Haraldum fuga elapſum, ad interiora Daniæ ob præparatas inſidias inſectari, ſed propinquam illo loco arcem demolitus, ſororem eius captiuam in ſignum adeptæ uictoriæ ſecum in Suetiam perduxit, ut exemplo Iulij Cæſaris ſeruaret eam, à qua, uel propter quam tandem perdendus eſſet. Ille ſiquidem raptus occaſionem pręſtitit, qua multa hominum millia tam Gothorum, quam Danorum perderentur. Cum enim Haraldus didiciſſet ſororem uiolenter abductam, uehementer indoluit ſuo ſanguini tam inſignem iniuriam irrogatam. Quocirca claſſem bellicam denuò contra Suetiam comparat, aut ſororem recuperaturus, aut uitam amiſſurus. Committitur utrinq; prælium atrociſsimum, in quo Haraldus infeliciter pugnans ſuperatur, atq; in ſuam Daniam uictus, & multa infelicitate oneratus remeauit. Nec diu diſtulit, antequam potentiorem exercitum contra Ingellum excitaret.

Erant interim in Suetia multi perſpicacis ingenij nobiles, qui Ingello illud uiolentũ coniugium diſſuadere nitebantur, quod talis coniunctio triſtes exitus plerunq; parere conſueuit: nec eſſent mores illius Danicæ mulieris adeò integri, ut propter eius amplexum tot uiri, totaq́; patria in apertum belli diſcrimen exponenda eſſet. Sed erat in iuuene Rege pertinax præliandi ardor, quo maiores militum copias, quam unquam prius conſcribi mandat. Quod cum Haraldus comperiſſet, conſilium à ſuis ſapientibus ſuper futuro bello inquirit. Hi confeſtim ſuadebant potius permittendam eſſe Sueonum Regi ſororem, quam uiſurus eſſet tot fideles ciues, & ſubditos ſuos ante ſuum conſpectum crudeliter trucidari. Itaq; miſſis ad Ingellum legatis, pacem, paciſq́; conditiones ſibi præſcribi optat, ſororẽ in legitimam coniugem offert, omniaq́; integræ amicitiæ officia integro animo polliceri uidebatur. Nec poterat Ingellus tam iuſtis & honeſtis conditionibus pacis refragrari, cum ipſorum procerum ſuorum ſententia ad concordiam magis, quam præliũ inclinaretur. Pacatis igitur cum externo hoſte rebus, non longè poſt pernicioſius bellum illi in patria, & à propinquis mouebatur. Quippe poſtquam ipſi uiderent illam Danicam coniugem impudicè uiuere, eſſeq́; uni nuptam, multis uero expoſitam, non ceſſabant monere Regem, ut tam apertam cõiugis

pudicitiam, quæ etiam in eius, & totius regni uergebat infamiam, coërcent. Quam munitionem importunius depromptam, amaro atq; indignanti animo excipiens, occasionem sui præmaturi interitus imprudenter adduxit. A fratre siquidem inter iniuriosa uerba, quæ ultro citroq; ferebantur, occisus occubuit. Et ita duo fortissimi Reges Suetiæ, pater & filius à duabus Danicis mulieribus infeliciter perditi, documentum posteris reliquerunt, ut in simili rerum euentu maiorem prudẽtiam adhibere contendant. Narrant Danorum historię omnes eorum Reginas ex Suetia adductas, semper fuisse cõtinentissimas, et optimas, suosq; maritos felicissimos effecisse, at illas, quę ex Dania in Suetiam uenerãt, non ita se habuisse comperio, ut optimæ dici potuissent.

De Olone Vegeto.
CAP. XII.



OLO Vegetus uix tertio ætatis lustro peracto, tyrocinium uirtute auspicatur. Cum enim percepisset Gunnonem proximas mansioni suæ syluas per atrox latrocinium obsidere, atque innocentes homines perdere, facinoris indignatione permotus, & ne uirtuti debitum tempus inertia dilabi pateretur, arma à patre principe Noruegiano impetrat: caneq; crudeli secum accepto, ac equo, profundam syluam ingreditur: hominũ uestigia niuibus impressa cognoscit. Quo signo superatis multis periculis, tandem latronum ædes aggeribus obductas inuenit: quorum stabulariũ artuatim confractum, primo interemit, tectoq; transuersum iniecit: deinde patrem filiumq; tantæ ignominię uindices accurrentes, alterum ferro, alterum cane consumpsit. Sed ne ipse quidem incruẽtam gessit uictoriam: nam aduerso corpore suscepit uulnus: quod sedulo cane perlinctum citius sanatum inuenit: moxq; stipitibus capita, atq; cadauera latronum, in signum restitutæ securitatis, infigi iussit: qua etiam fortitudine 12. pugiles, pudicitiam filiæ Regis Trondorum uiolare cupientes, in exigua insula (ut sequenti capite dicetur) oppressit. Erat præterea illi acre ingenium uiribus coniunctum, ut facili manu ferocissimos hostes cõficeret, aut fugaret: unico quandoquidem satellite muliebriter culto contentus, modo seruato, ut suũ comitisq; ferrum cauatis baculis condendum curaret, donec cominus certaturus, baculo extractum, in quos uellet, repente immergere posset. Eoq; stratagemate usus, potentes plerunq; aduersarios superauit. Deinde piraticam longè lateq; militaribus armis exercens, 70. maritimos Reges nauticarũ uirium certamine consumpsit. Quo euenit, ut insigniores pugiles eius confœderationem peterent, atq; plures effrenati ingenij iuuenes eius fierent stipatores. His uiribus instructus, ita finitimos Reges sola opinione castigauit, ut ijsdem gerendorum bellorum manus, curam, audaciamq; detraheret. Tandem ad Regem Suetiæ Ringonem peruenit: eo charior illi factus, quo cæteris eius aulę principibus singulari fortitudine similior erat: unde & Princeps maritimæ classis (quæ numerum duorum millium & quingentarum nauium continebat, ut superius cap. 8. dictum est) constitutus, eam in septem Regum manu, consilioq; promptissimorum sibi adhærentium eo ordine, ac piratico studio gubernabat, ut Danorum potentissimam classem uictorioso titulo superaret, prout Rex Ringo totius Suecorum terrestris agminis uictoriosus ductor extabat. Tandem ut cap. 8. dictum est, Rex Daniæ factus, ob meram crudelitatem à Suetico pugile Starchatero interemptus est.

Adhuc

Adhuc de eodem pro pudicitia uictoriosè pugnante.

CAP. XIII.



ERant olim in montanis Noruegiæ penes Occidentalium Gothorum limites, gemini pugiles, ijdēq; fratres, Schatus & Hiallus nomine, tantum præsumentes insolentiæ luxum, ut effreni petulantia excellentis formæ uirgines parentibus ereptas, concubitu uiolarent: quo euenit, ut Esau quoque Olaui Vermorum Regis filiam, raptui destinantes, patri mandarent, si illam externæ libidini famulari nollet, per se, uel alium pro tuenda prole decerneret. Quod etsi paternæ clementiæ, sub incommodis decrepitæ senectutis suspiranti, maximè probrosum erat: attamen exhaustos corporis neruos propinquorum ingenio, & uiribus in filiæ iustissima defensione erigere conabatur. Interim Olo adolescens Noruagicus, splendido loco & familia genitus, horrore sceleris permotus, oblatáq; pugnæ facultate gauisus, Olaui penates agrestiũ cultum mutuatus accedit: ubi cùm inter extremos discubitu frueretur, mœrentem Regis familiam cõspicatus, eius filio de industria propius accersito, cur cæteri luctuosa facie essent, inquirit: quo asserente, sororis suæ pudicitiam, ni cuiuspiam defensio ocyus intercederet, proximè per acerrimos pugiles profanandam. Rursum percontatur quid premij recepturus foret, qui salutem suam pro uirgine deuoueret. Super quo Rex per filium interrogatus, filiam propugnatori cessuram respondit: quæ uox præcipuam Oloni subeundi discriminis cupidinem attulit. Consueuerat autem uirgo (referente Saxone) prout hodie Aquilonaribus mos est hospitum uultus propius accedendo, quàm curiosissimè prælato lumine contemplari quò certius eorum mores, cultumq; perspiceret, ut omnia signa habitudine corporis notata, parentibus ostenderet iudicanda. Quę more prædicto Olonem scrutata, inusitato oculorum eius horrore perstricta, penè exanimis concidit: (adeò uigorem stupor hebetat) causamq; trepidationis suę illico parenti reuelat. Quo consyderato adolescens pupillas, ne uisentibus formidini forent, palpebris arctius obstringendas curabat, depositoq; pileo, quo facies obnupta erat, circumstantes hilarem animum abiecto omni metu assumere iussit. Nec segnius actum, quàm iussum fuerat, mox euenit: ita unius hospitis benignum promissum, communem omnium formidinem propulsabat. Intereà Hiallus & Scatus, cum decem uernaculis superuenientes, tanquam puellam Regiam illico sublaturi, Regem tumultuoso clamore, ni filiam sisteret, euocantes in pugnam: quorum debacchationem protinus Olo sponsione certaminis excipit, pacti conditione, ne furtim tergum dimicantis incesserent, sed aduersis tantum pugna congressibus starent. Deinde gladio à maioribus relicto solus 12. prostratis, maius adolescente opus edidit. Cæterum pugnæ locum insula dabat: unde non longè uicus abest, nomina occisorum fratrum referens usq; ad pręsens. Igitur ex puella sibi in præmium uictoriæ data, filium sustulit Odmundum. Deinde clarior indies in arduis prælijs euadens, ad ultimum in balneo insidiosè occisus est, prout illi dudum à sene quodam uaticinatum est, dum regulum Thoronem hospitij iura uiolando interemit.

De Arngrimi, & Aruorodi pugilum gestis.

CAP. XIIII.



HOc quoque loco prætereundum non est, quomodo consilio Regis Suetiæ Erici Diserti, cuius mentio posthac fiet, quidam Arngrimus insignis pugil Sueticus, contra Septentrionales Reges Scricfinniæ, & Biarmiæ præliando, triumphans doque gener factus sit Regis Daniæ Frothonis, quòd eius imperio ultimos humanarum rerum terminos adiecisset, egregijsque operum titulis patentem eius claritatem latè per orbem ampliasset. Sustulit autem, teste Saxone, 12. filios ex Ofura. Hi ab adolescentia piratico muneri incumbentes, uno omnes nauigio fortè insulam Sampse aduecti, duas in maritimis naues Hialmeri atque Aruadori, Noruegianorum piratarum, reperiunt: quos pugna adorti, remigibus in absentia gubernatorum mox uacuefecere, mœstiores facti, quòd principales eorum rectores non interemissent: unde & partam uictoriam, uti inanem, ita securitate uacuã contempserunt: animaduertentes sequẽtibus prælijs sese maiora discrimina, & fortè indigniore fortuna subituros. Quippe prædicti piratæ, quorum iampridem abrupto clauo tempestas nauigia lacerauerat, alterius excedendi gratia nemus ingressi, ligni rudem extenuauere materiam, dolabris eousque eam ambientes, donec formam indueret naualis instrumenti. Quod cùm humeris impositum sociæ cladis ignari deferrent, ab Arngrimi filijs recenti oppressorum cruore madentibus lacessiti, duo cum pluribus ferro decernere coacti sunt. Nec par quidem congressus extabat, cùm geminam bissena manus exciperet. Cæterùm uictoria numero non respondit: interfectis enim omnibus 12. prædictis, oppressoque ab eisdem Hialmero, uictoriæ Aruarodum titulus non fefellit: quem solum ex tanto sociorum numero fortuna seruauit: qui informem adhuc gubernaculi truncum incredibili libratum nisu, tanta ui hostium adegit corporibus, ut duodecim unico eius impulsu contusos elideret.

Adhuc de eodem Arngrimo, & prestigijs Finnorum.

CAP. XV.

PVgnauit etiam hic Sueticus pugil Arngrimus contra potentes extremi orbis Septentrionalis Reges, Egbertum Biarmorum, & Tengildum Scricfinnorum, de quibus in principio lib. 4. aliqua mentio facta est: ut uictoria super his obtenta, pro meritis & triumphis filiam Regis Daniæ Frothonis Osuram acquireret contoralem, prout inde monstrauit euentus. Interim tamen syluestri genti congressurus, exercitu ualido se muniuit, eoque proficiscebatur: primumque reperit se, nedum contra homines feroces, sed et elementa, duriora moturum bella, quemadmodum inferius lib. 11. de bellis syluestribus ostendetur. His tamen hominibus acer telorum usus est, ut dimicando latis, & grandibus sagittis utantur: nec minus incantationibus, & præstigijs aggrediendo, fugiendoue in trabibus pandis inter medias niues excipere, uel obtrudere norunt. Hos Arngrinus (referente Saxone) claritatis causa sibi conciliandæ adortus, obtriuit: qui cùm infeliciter dimicando fuga dilaberentur, tribus lapillis post tergum coniectis, totidem montium instar hostibus apparere fecerunt. Igitur Arngrimus ludificati uisus errore perstrictus, ab insectando hoste exercitum reuocauit, magnarum se rupium interiectu coërcitum

tum



tum putans. Iidem postera die congressi, uictiq́, coniectæ in terram niui ingentis fluuij speciem indiderunt. Itaq́ Suecis per summum uisus errorem falsa rerum opinioñe delusis, inusitata aquarum moles obstrepere uidebatur. Ita uictore uanam aquarum imaginem formidante, fugam impetrauere Finni. Tertio identidem die reparauere bellum: nec iam amplius ullum fugę efficax remedium fuit. Videntes enim suas inclinari acies, potestati se permisere uictoris. Deinde Egtherum Biarmorum ducem duello prouocatum deuicit. Post hæc spolijs trophæisq́ auctus, Suecorum Regis arbitrio mediante, Danorum Regis prędicti filiam suscepit Osuram: ex qua (eodem Saxone teste) 12. filios genuit, nominibus huiusmodi annotatis: Brãder, Biarbi, Brodder, Hiarrandi, Tander, Tiruingar, duo Hadingi, Hiorthuar, Hiarthuuar, Rani, Angantir: qui omnes, ut prædictum est, piraticam exercentes, ad ultimum fuerunt interempti.

De Argrimo & præstigijs Finnorum. Ioan. Mag. lib. 2.

Eodem tempore quidam Argrimus Sueticus, sanguinis nobilitate, & athletica uirtute præclarus, quia pridem Erici militiam in Noruegiano bello secutus, multa egregia fortitudinis opera ædidisset, spemq́ magnam tam ex Frothonis, q̃ ex Erici promissis concepisset. Osuaram Frothonis filiam sibi in coniugem donari postulabat. At Frotho filiam nondum nuptijs idoneam asserens, iussit ut bono animo esset, aptumq́ tempus expectaret, & interim duos Reges Egtherum Biarmiæ, & Tengillum Finmarchiæ, quòd nuper in Noruegiano bello pertinacibus hostibus pertinacissime adhæsissent, expugnaret, & iniuriam utriq́ Regi Erico & Frothoni uiolenter irrogatã, potenter uindicaret. Nec segniter Argrimus Regijs uotis obsequitur. Quippe exercitu ualido succinctus, sese ad expugnandos illos extremi orbis incolas conferre non distulit. Sed difficiliorem belli euentum expertus est, quàm sibi forsan à principio persuasisset. Nam populus ille multis rationibus insuperabilis æstimatur. Habitat enim ultimam orbis terrarum partem, paludibus, nemoribus, saltibus, torrentibus inuiam. Est enim incantationum studijs omnino deditus, eisq́ non minus quã armis pugnare consueuit. Prętereà acer est illis populis telorũ usus: neq́ enim alia gens promptiore arte sagittandi perfruitur: grandibus & latis sagittis dimicant. Insuper lubricorũ stipitum celeri allapsu cursum intẽdere soliti, arbitraria uelocitatis potentia rapiuntur, promptissimamq́ propinquitatis & absentiæ facultatẽ obtinere credũtur. Mox enim ut hostem læserint, eadem celeritate qua subeunt, auolant: nec procursu reditum languidius tentant. Itaq́ & corporum & uehiculorum agilitate, instandi, fugiendiq́ expertissimam obtinẽt facultatem. Quocirca Argrimus, quamuis forti & electo milite eos aggressus fuisset, bis tamẽ ab eis uictus, uictoriam fuga permutauit. Tandem tertio felicius pugnans, post acerrimum bellum uictor euasit, filiamq́ Frothonis Regis in præmium gloriosæ uictoriæ obtinuit: ex qua magnum liberorum numerum suscitauit. Qui cum auspicia suæ militaris fortitudinis à piratica inchoarent, uno nauali & cruento bello omnes simul contrucidantur.

De occisione ursi, & epotatione sanguinis eius. CAP. XVI.



INter Aquilonares pugiles quidam erat Biarcho nomine, gladio semper utens longitudinis inusitatæ, quem uoluptatis loco duxit in quoscunque insolentioris uitæ athletas duelli prouocatione distringere, ne moribus abiectissimis deditos, claritudinem athleticam turpibus exemplis sineret infamare, unde & plurimos ea occasione aut insolentiam totaliter abijcere, aut uitam in periculum ponere coëgit. Talibus itaq́ operum meritis exultãti, nouam de le syluestris fera uictoriam præbuit. Vrsum quippe eximiæ magnitudinis obuium sibi inter dumẽta factum, gladio confecit, comitemq́ suum Hialthonem, quò

uiribus maior euaderet, applicato ore egestum beluæ cruorem haurire iussit. Creditum nanque erat, hoc potionis genere corporei roboris incrementa præstari: quale etiã (Plinio teste lib. 28. in princi.) olim inter medicinas supremas receptum erat, bibere sanguinem gladiatorum, ut bibentibus populis procul essent comitiales morbi: quod spectare faciẽtes eadẽ arena feras quoque horror est. At illi ex homine ipso sorberi efficacissimum putant calidũ, spirantemque, & unà ipsam animam ex osculo uulnerum, cùm è plagis hũc ne ferarum quidem admoueri ori fas sit humano: quasi sanitas uideri possit, feram ex homine fieri &c. Quis ista iuuenit ostẽta? quam potest medicina ista habuisse originem? &c. Hæc ille. Biarcho autẽ, dum à pugile quodã omni petulãtiæ genere debacchante, & in conuiuijs nodosa ossa in consessores conijciente, uehementẽ in capite ictum exciperet, indignum ratus gladij usu iniuriam pensare, ossa inuicẽ in iacientem remisso, frontem eius in occiput reflexit, idemque loco frontis intorsit transuersum hominũ animum, uultus obliquitate multando, forte ut ab ossibus amodo eijciendis horreret. Meminit etiam Paulus Diaco. in histo. Longo. lib. 5. cap. 40. Cunipertum Regẽ Longobardorum tanta brachiorum fortitudine præditum fuisse, ut, cùm iuuenculus esset, duos ueruueces miræ magnitudinis, lana dorsotenus in singulas manus apprehensos, à terra leuarit: cuius exempli inter omnes coætaneos nullum inuenit imitatorẽ. Præterea Regnerus quidam Noruegianus, dũ illustris militiæ tyrocinium exerceret, uidit in sociorum castris puellam ingenti fortitudine hostes undique profligantem: cuius amore captus satiari nequiuit, donec immanẽ ursum, canẽque ferocissimum, uirginis cõclaue tutantes, interemisset: quos (etsi aditũ amori prius solicitata spopondit) ea ratione opposuit, ut ferocissimarũ bestiarũ oppressorẽ intueretur, cui neruos diu tutatæ pudicitiæ crederet permittendos. Huicque puellæ Latgerthæ nomẽ fuit: de cuius fortitudine paulò inferius inter pugnatrices nõnihil ostendetur.

De Biarchone & Hialthone pugilibus. Ioan. Mag. lib. 2.

De horum eximia fortitudine, & inuictis animis, plura & præclara carmina patrio sermone conscripta celebrantur, quæ Saxo docto ac diserto ingenio suo in Latinum conuertit eloquium: tantasque corporis & animi uires Gothis, Suecisque tribuit ut communem humanarum uirium fortitudinem longo interuallo excessisse uiderentur. Siquidem inductus ab eo pugil Danicus Biarcho ad Hialthonẽ socium & commilitonẽ suum inter cætera multa ait:

Nunc obuius ensis
Cunctandi mihi causa fuit, quem Sueticus hostis
In mea præualido contorsit pectora nisu.
Nec parce gladium capuli moderator adegit:
Nam quantum in nudo uel inermi corpore fas est,
Egit in armato. Sic duri tegmina ferri,
Vt molleis traiecit aquas, nec opis mihi quicquam
Aspera loricæ poterat committere moles.

Et in alio loco idem Hialtho Danorum pugilum præcipuus exclamans inquit:
Ecce truces oculis Gothi, uisuque feroces,
Cristatis galeis hastisque sonantibus instant,
In nostro ualidam peragentes sanguine cladem,
Distringunt gladios, & acutas cote bipenneis.

Cui rursus Biarcho respondit:
Non memini certamen agi, quo promptius esset
Alternare enses, partirique ictibus ictus.
Dans unum tres accipio, sic mutua Gotthi
Vulnera compensant. sic dextra potentior hostis
Vindicat acceptam cumulato fœnore pœnam.

Hæc quæ præmissa sunt, idcirco ex Saxone Danico adduxisse uolui, quòd laus militaris fortitudinis, quæ Suecis & Gothis inuicem tribuitur, soleat uerior existimari, quàm si ab incola & ciue tribueretur: simulque ut ex Danico scriptore ostenderem, eos mores ab antiquissimo tempore



tempore in regnis Aquilonaribus fuiſſe, quos adhuc ibidem continuari uidemus, uidelicet ſi pugna & armis agendum fuerit, Dani à Gothis & Suecis tres ictus pro uno recipient: ſed ſi uerbis fuerit contendendum, Dani uiciſsim tria uel decem uerba pro una uoce (multiplicato fœnore) Gothis & Suecis refundent.

De Regnero Piloſa bracha dicto.

CAP. XVII.



PRæſentis imaginis interpretatio oſtendit Regem fuiſſe Sueonum Herothũ nomine, cuius anxia mens, ob cuſtodiam pudicitiæ pulcherrimæ filiæ ſuæ, non parum urgebatur, an potius beluino præſidio, (ut tunc quorundam principum mos erat) an humanæ fidei eam permitteret conſeruandam. Verùm cum humanæ fiduciæ præferret beſtialem crudelitatem, citius eligebatur, quod periculoſius erat nociturũ. Quippe ſyluas uenatione complexus, repertos à comitibus angues filiæ detulit nutriendos. Illa paterno ocyus obſecuta ꝑcepto, uipereum genus uirgineis manibus educauit. Et ne earum ſatietati conueniens eſca ſubtraheretur, integrum bouis cadauer curioſus parens afferri iuſsit, ignorans ſe priuato pabulo publicam ſuſtentare perniciem. Qui cùm adulti peſtilentiſsimo afitu uiciniam urerent, Rex inertis operæ pœnitens, potiturum filia, qui peſtem amouiſſet, edixit. Cuius rei ſummam Regnerus Noruegianus, Regia proſapia oriundus, inter plurimos procandæ uirginis competitores præcipuus, ubi publica fama didicit, laneum à nutrice ſagulum, uilloſaquê femoralia, quibus inflictos anguium morſus elideret, expetiuit. Cumq; nauigio Sueciam appuliſſet, de induſtria frigoris rigori aquis ſupereffuſis ueſtem indurari permiſit: qua amictus ſolus enſe, teloq; munitus, procedit ad regiam. Procedenti duo inuſitatę magnitudinis angues obuij allabuntur, iuuenem ſtrictura caudarum, ac uenenato uomitu perempturi. At Regnerus gelati cultus duritie fretus, amictu uenenum, & clypeo morſum infatigabili beluarum congreſsione ſuſtinuit, ac repreſsit. Ad ultimum proiectum manu amentatum telum, ſtrenuê corporibus eorum adegit. Deinde enſe bicipiti utriuſq; præcordia lacerans, felicem ingenioſæ, ac periculoſę pugnæ exitum habuit. Cuius ueſtitum Rex curioſius contemplatus, cùm hiſpidum dorſotenus præcipuè incomptam bracharum ſpeciem animaduertiſſet, eludens, Lodbroch, id eſt, Piloſam bracham, eum agnominauit: quem etiam ut ex laboribus recrearet, cum amicis epulaturum acceſſit. Ille prius reuiſendos ſibi, quos reliquerat, ſocios aiebat: quos nitidè unà ſecum ueſtitos, Regię menſæ præſentauit. Et demum ea peracta, uictoriæ pignus accepit: ex qua plura præclarę indolis pignora procreauit: eoq; ſynceriori amore eius ſolatio potitus eſt, quò maioribus periculis, & ingenijs eam ſuo conſortio partam agnouiſſet. Abſumpta tandem nobiliſsima hac coniuge, Thora appellata, in uaria fortunæ ludibria incidit, ut toto orbe fulgidus armis, ab inermibus Finnis, & Biarmis (prout antea dictum eſt) ſuperatum ſe doleret: qui etiam poſtmodum ab Hella Hybernorum principe colubris obiectus, uita functus eſt.

De Heroto & Regnero Lodbroch.

Ioan. Mag. lib. 17.

Herotus deinde, cũ Gothia & Suetia poſt cruentũ & impium duorũ fratrum, Bratemundi & Siuardi, conflictum, nimis lacerata & deſolata iacêret, proceresq; & populi de Rege ſubſti

tuendo cogitarent, omnium uotis in utrunq; regnum surrogatur, eo tempore, quo Ludouicus Pius Caroli Magni filius Rom. imperio præsidebat. Huic Heroto grauis illa, & peruetusta bellorum materia cum Regnero Danorum Rege incidit, de limitaneo principatu Schoningiæ, quæ transmisso freto Danico primis Scandię insulæ littoribus continetur, ut superius est satis ostensum. Factiq; sunt utrinq; maximi bellorũ apparatus, & tandē ad pugnam deuentum est: in qua diu uarioq; Marte pugnatum erat, donec inducijs positis de iure utriusq; partis diligentius examen haberetur. Interea Regnerus Danicæ prudentię nō ignarus, meditabatur, quomodo terram, quam bello uendicare nequiret, ingenio & astu aliquando possideret. Quocirca habito inter suos proceres cōsilio, Thoram Heroti filiam in matrimonium postulare decreuit. Sed non tam facile erat Heroto Regi eas nuptias persuadere, qui probè nosset, quā ob causam à Dano Rege peteretur. Is enim missos ad se legatos indignanter excepit, affirmans ipsos non coniugem, sed pellicā pro Rege suo (qui Lantgertham cōiugem habebat) temerè postulare. Quo accepto respōsō, Regnerus nihil remissius, sed importunius postulandū esse putauit. Mox enim à Lantgertha, ut se repudiari permitteret, impetrauit. Quo facto, missis denuò legatis cōsensum ab Heroto difficulter assecutus est, adiecta ea conditione, quæ præsentissimum uitæ periculū præ se ferre uidebatur. Eo enim tempore ex uetustissimo more obseruabatur, ut uirgines quantò illustriori sanguine natę erāt, tantò maiora pericula, aut difficiliores labores subire cogebātur, qui ad earum amplexum peruenire uoluerunt. Alijs enim fortissimi gigantes, & pugiles duello superandi opponebantur: cum interim ab alijs exacta militaris disciplinæ experientia, aut gloriosum aliquod facinus pro salute Reipub. peractum expeteretur. At huius speciosissimę Regis filię thalamum duę immanes belluæ fortissimis uiris formidabiles obseratum tutabantur, quę ante expugnandæ erant, q̃ ad uirginis nuptias perueniendum. Itaq; Regnerus morem amantium, qui nihil insuperabile putant, secutus, statuit omnia difficillima pro ea uirgine experiri, uestemq; duratam comparat, quam neq; ferrum, neq; belluarum dentes penetrare posse putabat: qua indutus ferocissimas belluas non minus feliciter, q; fortiter expugnauit. Quas Saxo Danicus scriptor serpentes fuisse asserit tantæ magnitudinis, ut integrū bouis cadauer quotidiano pastu absumerent: ego autem ex Sueticis historijs immanes ursos fuisse deprehendi. Vtcunq; sit, certū omnino est horrenda fuisse monstra, quorum nece Regnerus uirginis torum comparauit. Interim Herotus pugnam ex aula contemplatus, interrogat, quisnam esset ille monstrorum domitor uillosis femoralibus indutus: deditq; ea quæstio occasionē, ut postea Regnerus Lodbroch, hoc est, uillosarū bracharum cognominaretur. Qui deinde ex hac coniuge complures liberos procreauit: quorum occasione plurima & cruenta bella inter Suecos & Danos suborta, & diu continuata fuerunt, connitentibus Danis suo more, seclusa linea masculina, posteritatem Thoræ inuitis Sueonibus obtrudere. Præterea Regnerus per has nuptias quietam Schoningiæ possessionem (quam præcipuè intendebat) assecutus est, donec eam Ericus Sueonum & Gothorum Rex cognomento Victoriosus (de quo infra dicemus) ad Gothici regni coronam uiribus & armis reuocaret. Cæterùm de morte, & religione huius Heroti Regis nihil certi in nostris historijs habemus, nisi quòd credimus ipsum in uetusto gentilitatis errore consenuisse, talemq; in fata concessisse.

De Alfone pudicitiæ defensore.

CAP. XVIII.



REx Gothorum Siuardus filios habuit Vemundum, & Ostenum, filiamq; Aluidam: quæ tātam uerecundiæ fidem ab ipsis incunabulis præferebat, ut os peplo iugiter obnuptū haberet, quominus formā suam alienæ libidinis irritamentū efficeret. Huic pater in arctā custodiā relegatę uiperam, anguemq; educandos commisit, pudicitiam eius adultorum tandem reptilium custodia uallaturus: ut uiris tantummodò fortitudine & uirtute insignibus, magnitudine discriminum superata, uirginis aditum annuere uideretur: hoc adiecto, ut si quis idipsum frustra tentasset, protinus amputandum caput, paloq; refigendum

dum preberet:ne quiuis petulanti ingenio stimulatus, tantum facinus in Regium sanguinem presumeret attentare. Quo comperto Alf Sigari Regis Danorum filius, non tam uiribus, quàm ingenio confidens, periculumq; eò clarius quò periculosius, tentandum existimans, proci titulo belluas uirginei thalami seruatrices, bellandas aggreditur, presertim quod edicti ratione earum uictori uirgineus deberetur amplexus Quarum ut fortius aduersum se excitatam rabiem sustineret, cruda cruentaq; corpus pelle contexit: qua succinctus, mox ut septi ualuas subijt, candens ferrum forcipe comprehensum, hiantis uiperæ faucibus immersit, atq; exanimem prostrauit. Anguem deinde sinuosa uolubilitate accedentem, inter medios rictus telo absumpsit, uel, ut antiquiores Gothorum historię tradunt, ardenti ferrea hasta, uelut cultrato mucrone, oppresit. Cũq; edicti ratione connexum uictoriæ pignus expeteret, refert Rex Siuardus, Hunc sibi generum placiturum, in quem filia solido arbitrio consentiret. Cumq; sola puellæ mater proci uotum difficulter exciperet, mentem filio secreto perlustrat alloquio: quę cum deprehensa esset procum incautius ob uirtutem laudare, mater eam conuitijs lacerat, quod elisis pudicitiæ neruis, specierum illecebra caperetur, omissaq; uirtutis censura, adulantibus formę blanditijs lasciuę mentis intuitum exhiberet. Quam obrem iustam matris sentẽtiam tacitè approbans, ingenium inuenit, quo nedum pudicitiam (beluinis custodibus interemptis) illęsam ostenderet, sed insigniori aliquo fortitudinis ausu speciosius illustraret, et confirmaret. Moxq; ad Danici iuuenis contemptum adducta, fœmineam uestem & animum, in uirilem permutauit, atq; ex pudica admodum puella, ferocem piratam agere cœpit. Adeo nanq; uirtutem otio prætulit, ut cùm regijs delicijs frui liceret, bellico discrimini fœmineo furore adducta, se subitò immerserit: omnesq; uiros tam pertinaci castitatis proposito auersari cœpit, ut firmiter secum statueret, nunquàm alicui uiro copulari, sed deinceps in piratico exercitio uirorum fortitudinem superare, aut æquare.

De stratagematibus Fridleui.

CAP. XIX.



EXtant Fridleui cuiusdam insignia gesta: cui pręter insitam animo fortitudinem etiam contemptrix ferri tunica, uel lorica, fiduciam ministrabat. Hac in publicis priuatisq; conflictibus, tanquam salutis cultu usus, plurimos potentes hostes acri prelio fatigatos oppresit, atq; inter alios Gunholmum quẽdam hostile ferrum carminibus hebetare solitum, crebro capuli ictu exanimauit. Dum autem mucroni manum cupidius inserit, elisa neruorum officia reductos in palmam digitos perpetuo curuitatis uinculo perstrinxerunt. Idem dum Dufflinum Hybernię oppidum obsideret, murorumq; firmitate expugnationis facultatem negari conspiceret, Hadingiani acuminis ingenium ęmulatus, hirundinũ alis inclusum fungis ignẽ affligi pręcepit: quibus propria nidificatione receptis, subitò flammis tecta luxerunt: quas oppidanis restinguere concurrentibus, maiorẽq; sopiendi ignis, quàm cauendi hostis curam prestantibus, Dufflino potitur. Post hęc apud Britanniã amissis bello militibus, cum difficilẽ ad littus reditum habiturus uideretur, interfectorum cadaueribus erectis, et in acie collocatis, ita pristinum multitudinis habitum repręsentabat, ut nil ex eius specie tanto uulnere detractum uideretur. Quo facto hosti non solum conserendę manus fiduciam abstulit, sed etiam carpendę fugæ cupidinem incussit.

De

De eiusdem stratagematibus per aues.
CAP. XX.

QVantum ad Hadingianum ingenium superius adductum, is est intellectus quòd Hadingus Danorum Rex primis adolescentiæ suæ annis felicissime deductis, omisso uoluptatis studio, continua armorum meditatione flagrabat, forti animo perpendens, omne uitæ tempus se spectatis militiæ operibus exigere debere. Idem Handuanum Hellesponti Regem apud Dunam urbem inuictis murorum præsidijs uallatum, mœnibusq; nouatis resistentem, bello pertentat: quorum fastigio oppugnationis aditum prohibente, diuersi generis aues loci illius domicilijs assuetas, per aucupij peritos prendi iussit, earumq; pennis accensos igne fungos suffigi curauit: quæ propria nidorum hospitia repetentes, urbem incendio compleuerunt: cuius extinguendi gratia concurrentibus oppidanis, uacuas defensoribus portas reliquerunt. Adortus itaq; Handuanum cepit, eiq; redemptionis nomine corpus suum auro rependendi potestatem fecit. Cumq; hostem tollere liceret, spiritu donare maluit: adeò sæuitiam clementia temperabat. Attamen quotiescunq; posteà obsidio aliqua imminebat, Regio edicto omnes domesticæ aues necabantur. Meminit & Pli. lib. 10. cap. 24. æquè mirandam hirundinum naturam, dicens: Cecina Volaterranus equestris ordinis quadrigarũ dominus, comprehensas in urbem secum afferens uictoriæ nuntias amicis mittebat, in eundem nidum remeantes illico uictoriæ colore. Tradit & Fabius pictor in annalibus suis, cùm obsideretur prælidium Romanum à Ligustinis, hirundinem à pullis ad se cum epistola allatam, ut lino ad pedem eius alligato nodis significaret, quoto die adueniente auxilio eruptio fieri deberet. Præterea eodem lib. cap. 37. asserit columbas in rebus magnis internuntias fuisse, & epistolas annexas earum pedibus obsidioni Mutinensi in castra consulum pertulisse, D. Bruto mittente. Quid uallum, & uigilum obsidio, atq; etiam retiamne prætenta profuerint, Antonio per cœlum eunte nuntio: quomodo etiam urinatores inter Coloniam, & Nicensem ciuitatem à Philippo Burgundo olim obsessam, præsidium cautelamq; docendo, sub aquis ierint, qui uelit, historiam illam legat apud Cranzium &c. Demum retibus quasi pro castoribus uenandis, ingenio huic urinatorum, ubi & quando opus fuerit, obuiari solet.

De pugna Haraldi Regis contra draconem domesticum.
CAP. XXI.



HAraldus Illustrissimus Noruegianus Rex in adolescentia sua apud Byzantium Regem commoratus, et homicidij crimine dãnatus, domestico draconi lacerandus obiectari præcipitur: cui in carcerem e-unti, ingenuæ fidei seruus ultro se damnationis comitem obtulit. Vtrũq; is qui custodię pręerat curiosius obseruatũ, per os antri inermẽ, excussumq; dimisit. Itaq; nudato ministro, Haraldũ uerecũdię gratia linteo tãtùm discinctũ excepit: à quo clàm armilla donatus, pisculis pauimẽtũ instrauit, ut haberet draco, in quo primæ famis procursum effunderet, reorumq; carceralibus tenebris obfusi oculi, uel paruulam prospiciendi copiam ipso squamarum nitore capesserent. Tunc Haraldus lecta cadauerum ossa angustijs telæ consertioris implicuit, ijsdemq; in unum globum

bum coactis, ueluti clauam effecit. Cumq; allapsus draco in obiectam perquam auide predam irrueret, dorsum eius ueloci saltu conscendens, cultellũ tonsorium, quem secum forte tectum attulerat, umbilico, qui solus ferro patebat, immersit: sectionem enim rigidissimis squamis obsitus serpens, cætera corporis parte spernebat. Sed neq; Haraldus ob sessionis eminentiam, ingenti beluæ ore corripi, dentiumúe acumine noceri, aut caudæ uoluminibus elidi poterat. Minister uerò compacto gestamine ossium usus, conuerberatum beluæ caput ad sanguinem & necem usq; crebris ictum ponderibus contundebat. Quo cognito Rex, ultione in administrationem uersa, fortitudini supplicium condonauit, nauigioq; & stipendio donatos abire permisit. Neq; minorem Alexander Magnus admiratione habuit, dum intelligeret Lysimachum, quem propter accelerata Callisthenis fata, ferocissimo leoni deuorandum obiecerat, manu amiculo subducta, atq; in os missa, linguam beluę abstraxisse, atq; interemisse. Admiratus est etiam Mathias Rex Vngariæ cuiusdam nobilis Poloni facinus, qui escam leoni libero, & famelico abstulit, atq; eidem tantum terroris intulit, ut rugire quidem nõ auderet, uel se loco mouere. Itidem fecisse Regem Angliæ compertum est, Crantzio teste, dum uideret quendam Comitem Holsatiæ truculentissimum leonem in suam perniciem ab æmulis excitatum, ualida manu per densam iubam arripere, atq; in caueam religandum adducere: quo ferrea catena constricto, liber atq; illæsus exiuit. Quid de Henrico Leone Duce Brunsuicensi meminerit prædictus Crantzius, cui placet, inspiciat in sua Saxonia, ubi admiranda recenset.

De Alexandro Magno & Lysimacho, ex Ioan. Mag. lib. 3. in uitis Gothilæ &c: Verum quia & Philippi ibi fit mentio, paulo altius historiam repetiuimus.

Antheas posthac euolutis aliquot annis in Regem Gothorum assumptus, primum belli negocium ab Histrianis illatum sustinuit. Sed cum eorum fortitudini se imparem considerarет, auxilium à Philippo Macedonum Rege per Apollonienses petit, in successionem eum regni Gothici adoptaturus, si opportuno tempore opem accommodaret. Sed cum auxilia diutius differrentur, & interim Histrianorum Rex in fata cõcedens, Gothos à metu belli, & necessitate implorandi auxilij liberasset, Antheas mox per legatos Philippo renunciat, se neq; auxilio eius indigere, neq; in adoptionem consentire posse, uiuente adhuc incolumi filio, & hęrede. Quibus auditis Philippus legatos remittens, petit sibi damnà & expensas belli pro eo suscepti resarciri: quod eò promptius eum facere debere, quòd missis nuper à se in eius auxilium militibus, ne sumptum quidem uię, nedum officij pretia dederit. Antheas sterilitatem Scythici soli causatus, respõdit, quòd non diuites facit incolas, sed alimenta solum ad necessitatem subministrat: nec aliquas sibi esse opes, quæ tanto Regi dignè conferri possint: Scythas, siue Getas, uirtute animi, & fortitudine corporis, non opibus censeri. Quibus uerbis cum Philippus se derideri putaret, bellum à Byzãtinis in Cimerias terras transferre decreuit. Sed cum satis cognitum haberet ex prioribus gestis Cyri, Darij, Xerxis, Getas tantæ audaciæ atq; potentiæ esse, ut nimis difficile esset, ipsos uiribus & armis superari, ad solitas suæ astutiæ artes, quibus semper & ubique abundabat, se conuertit, ratus id uerum esse, quod nostra quoq; ętate uerissimum fore experimur, uidelicet Gothos in primæua eorũ patria hostium armis nũquam cessisse, nisi ipsorum dolis & fraudibus sese prius submisissent. Igitur Philippus legatis ad Antheam missis, nunciari facit, se inter grauia discrimina belli Byzantini uouisse statuam Herculi in ostio Histri collocandam: idcirco nullas insidias moliturus, sed amicus, & pacato ingressu, ad amicos Scythas accedere uellet, publicæ religioni satisfacturus. Antheas autẽ non tam hebetis ingenij erat, quin satis intelligeret, quorsum hæc astuti hominis religio tenderet. Proinde iubet, ut si obligationem uoti soluere uelit, statuam sibi mittat: polliceturq; se curaturũ, non modò ut ponatur, uerumetiam ut inuiolata permaneat: exercitum autem fines suos ingredi, negat se permissurũ. Si uerò inuitis Getis statuam posuerit, eo digresso se sublaturum, uersurũq; æs statuæ in aculeos sagittarũ. His utrinq; irritatis animis prælium committitur: in quo cum Getarum uirtute Philippus superaretur, ad consuetos dolos, & callida stratagemata reuersus, uictor euasit, abactis uiginti millib. puerorum &



consumpsit. Nec minoris fortitudinis cen sendus est Fridleuus: qui tum experiendæ fortitudinis gratia, tum uoluntate consequendi thesauri absconditi, anguem corporis robore & uenenatis dentium morsibus admodum formidabilem adortus, diu in squameum latus irrita tela cōiecit: quippe spiculorum impulsum crustrata corporis durities frustrabatur. Ipse uerò coluber crebras admodum spiras agitans, orbiculato caudę flexu tactas obiter arbores stirpitus euertebat, crebroq; corporis tractu cauata ad solidum humo, præruptum hinc inde latus effecerat, ut quibusdam in locis aduersi colles media ualle sequestrati conspiciantur. Igitur Fridleuus inuicta suprema beluæ consyderans, ima gladio tentat: perfossaq; inguinis parte, saniem palpitantis elicuit: qua extincta, pecuniam hypogæo erutam asportauit. Item gigantem quendam Hithin nomine, monstruosum, habitum mutuantem, cum Regis Tellemarchię filium pueriliter obludentem abduxisset, eoq; remige uteretur, pede manuq; curatum, liberato captiuo adolescente, deuicit.

De eodem Fridleuo.
CAP. XXIII.

IS etiam duodecim pugiles Noruegianos quamuis giganteis triumphis claros, tropheis gentium celebres, spolijs locupletes, cùm crebra uicinos irruptione uexarent, non tam auaritiæ, quàm uirtutis ardore inductus, oppressit. Hic etiam Hiarnonem quendam regni competitorem, quòd uitæ eius prętextu magnæ familiaritatis, & ingentium obsequiorum, acerrimus insidiator esset, multitudine & atrocitate cicatricium in balneo deprehensum, duelli congressu interemit. Præterea quòd hoc capitulo, alijsq; locis huius libri, cernitur acre certamen contra monstruosas belluas, & formidabiles angues, immensa magnitudine portentosas, mirum nō est, cùm tot graues autores certamina huiusmodi, euidenti sumpta ratione, loco et tempore attestentur. Notum est Plin. li. 8. referente, in Punicis bellis ad flumen Bagradam occisum fuisse serpentem 120. pedum longitudinis. Pellis eius, & maxillæ, usq; ab bellum Numantinum durauere Romæ in templo. Faciunt his fidem in Italia appellatę Boę, in tantam magnitudinem exeuntes, ut diuo Claudio Principe occisę in Vaticano solidus in aluo spectatus sit infans. Paulus Orosius lib. 4. cap. 7. latius, & pulchrius loquitur de bello Reguli contra serpentē, prout infra lib. de monstris Oceani cap. de serpēte Noruagico ostendetur.

De lucta attractiua per circulum.
CAP. XXIIII.



CVm Ericus Disertus tempore natalis Christi apud Septentrionales gentes ob insuperabilem eloquentiam, & facundiam, militaremq; industriam, celebris haberetur, ut qui grauitare sententiarum superari non posset, (nam illa ætate non minus eloquentiam, quàm arma illustres, ac nobiles personæ pro extrema uoluptate dilexerunt) excogitatum est aliud certaminis genus in claritudinem eius uiribus opprimendam.



primendam. Quidam enim Vestmarus inter supremos Regis Daniæ Frothonis satrapas, quem sapientia, & uerbis superare non potuit, uiribus incessere non dubitauit, uincentis præmium inuicti nece constituens, ut utriusque salus in pignore posita uideretur: nec Ericus conditione uti abnuit, ne lingua, quàm manu promptior æstimari posset. Erat autem tale certaminis genus: Circulus uimine uel fune contextus, magno pedum manuumque conatu decertaturis raptim distrahendus, exhiberi solebat, fortiori tribuens palmam: quem colluctantium si quis alteri detraxisset, uictoria donabatur. In quem modum agonizans Ericus, correptam acrius restem manibus concertantis excussit. Quod Frotho uidens: Arduum, inquit reor contra fortem fune contendere. Et Ericus: Arduum utique, cum corpori struma insidet, aut tergum occupat gibbus. Statimque propulso pede senem colli senilis, ac dorsi fractione contriuit. Quòd Vestmarus Erico infestissimus erat, ex eo paulò antè prouenerat, quòd Ericus eius filios se ad certamen prouocantes, strenuè oppresit. Causa uerò certaminis extitit, quòd Ericus maiorem eius natu filium, de commisso cum Regina adulterio apud Regem accusauit: quod quia mox Reginæ pudore, & Greppi conscientia, tanquam euidentioribus signis, probatum est, Greppus omni furia plenus, Ericum telo neci tradere nititur: dumque id fratre Erici Rollero stricto gladio auertente, efficere nequiret, accusantem cum tota eius comitiua pro purgando crimine ad certamen prouocauit. Prouocatus triduanas inducias petit: & interim ex tergore recens mactatæ pecudis crepidas parat: quas abietino gummi, interfusis mixtim arenis, obliniens, quò firmius uestigia poneret, suis suorumque pedibus adaptauit. Posteà statuto tempore cum suis congelati maris campũ aggressus, Grepios omnes, eorumque commilitones lubrico, instabilique gradu titubantes, crepidarum firmitate subnixus prostrauit. Gutmaram deinde Grepiorum matrem, lingua uerbisque procacissimam, responsionũ calliditate superauit, coëgitque, ut eximium auri pondus uicta uictori donaret. Petitus deinde cum propria consorte dormiens, per duos sicarios ad mortem; rumore percepto euigilans, seque defendens, utrinque, etiam uxore arma stringente, interemit.

De Erico Diserto Sueco & Frothone Dano regibus: nec non Vuestmaro, & Grepis: ex Ioanne Mag. lib. 5. Illustrat etiam hæc historia cap. 7. & 26. libri decimi, quo cum peruenerit æquus Lector huc recurret.



Alaricus (quem Saxo Alricum uocat) prædicti Lindormi nepos, à Sueonũ proceribus non expectato Gothorum consensu, in defuncti patrui regna successor eligitur: qui quamuis nobilitate sanguinis polleret, essetque in omnibus uirtutibus eminentissimus, & adeò magnam spẽ gubernandi regni de se polliceretur, ut à nullo maior expectari potuisset: attamen cum Gothi secum perpenderent, illam uetustissimam consuetudinem, quæ uult utriusque regni Gothiæ uidelicet & Suetiæ proceres, ad Regis electionem conuenire, grauiter admodum tulerunt, se suisque uotis aut contemptis, aut neglectis, Alaricum ad regnorum sceptra conscendisse: nec quiescere potuit illa Gothica magnanimitas, quæ omnia alia quàm sui contemptum pati posse uidebatur, donec acceptam iniuriam cumulata uindicta compensaret. Sed expectandam putabat temporis opportunitatem, qua sic suam libertatem dignitatemque tueretur, ne libertatẽ seruitute, aut nobilitatẽ ignobilitate temere commutaret. Interea Alaricus totam animi sui curam eò conuertit, quò ostenderet se non ad perniciem, sed ad publicã patriæ salutem in regni solium sublimatũ: suique imperij terminos ampliaturus, arma in Noruegiam extendit: cuius partem iure belli occupatam, filio suo Gauthoni Vermiæ ac Solongiæ Regi parere iussit. Deinde ordinatis per omnes fines sui principatus præfectis, præcepit ut omnia Reipublicæ negotia per summam moderationem exe-

quentes, nihil committerent publice uel priuatim, quo subiectorum populorũ animi iuste commoueri possint: sed in omnibus maiorem rationem uirtutis atq; honestatis, quàm lucri & cupiditatis habentes, apertis indicijs persuaderent, ipsum fore indulgentissimũ Principem totiusq; patriæ patrem, & conseruatorem non euersorem. Præterea nihil enixius curabat, quam offensos Gothorum animos sibi conciliare, atq; ad pristinam Reipublicæ unitatem (in qua cum Sueonibus ab initio utriusq; regni consenserant) reuocare.

Sed iam odium in Suecones conceptum, altiores radices in cordibus Gothorum firmauerat, quàm ut facile posset inde euelli. Quippe ut facilis est trãsitus ex gratia in odium, ita reditus ex odio in gratiã difficilis & laboriosus. Siquidem Gothorum proceres plus suo honori, quàm Sueonum uotis indulgendum rati, Gestillum, alias Gestiblindum, quendã antiquo Regum sanguine illustrissimum, concordi consensu Regem designant: quo facto non minor tempestas Aquilonaria regna inuasit, quàm ea erat, quæ tunc temporis aut paulo post Romanam urbem ob cædem Iulij Cæsaris euertit. Quemadmodum enim Senatorum, optimorumq; ciuium sanguine non solum urbs Roma, sed tota Italia cruenta abominabilisq; apparebat, nec finem aut modum sanguinarius gladius accepit, donec perniciosus ille Triumuiratus Antonij, Lepidi, Octauiani (crudelem cædem unius Principis in uniuersam Romanã Rempublicã crudelissime uindicasset: ita Aquilonaria regna, præsertim Gothia & Suetia, trium potentissimorum Principum, Alarici, Gestilli, Erici armis euersa, tandem ad unum Principem Ericum redierunt, fatis eisdem Septentrionales regiones respicientibus, quæ demum post tot discrimina rerum Romanam monarchiam Octauiano Cæsari subiecerunt. Alaricus enim postq; comperisset potentem æmulum Gestillum à Gothis contra se excitatum, totius mansuetudinis suæ hactenus in omnibus obseruatæ oblitus, ex probissimo Rege seuerus tyrannus euasit: nec amodo pater, sed hostis patriæ meruit appellari. Quippe dum bella in aduersarium parat, & ciues insolitis ac intolerabilibus tributis onerat, ex fidelibus ciuibus acerrimos hostes effecit: quo euenit, ut plene discernere nequiret, plùs ne ciues formidaret, an aduersarium: qui non solum ob potentiam Gothicæ gẽtis, sed etiam amicitiam Rolleri Noruegiæ Regis, cui cõsanguinitate coniunctus erat, omnia sibi felicia pollicebatur. Nampostquam eo processerat Alarici odium, quo omnia alia mallet, quàm amicitiam cum ipso cõponere, non distulit se ad Rollerum conferre, opem contra hostem opibus, armisq;, & populis potentem impetraturus. Erat enim Gestillo per quã facilis uia à Vestrogothia in Noruegiam, cui extat collimitanea. At Rollerus nondum in suo regno Noruegiano plene confirmatus, copiam suæ personæ in extraneam militiam abnuere cogebatur: auxiliares tamen copias, quantas Gestillus postulabat, emisit. Insuper Ericum germanum suum Diserti cognomen habentem, ex Daniæ regno (qui sub Frothone Rege militabat) accersitum, ducem exercitus contra Alaricum creat. Quam quidem expeditionem Ericus contra ipsum Alaricum eo libentius assumsit, quo maiorem Noruegiæ partem filius Alarici Gauthonus uiolentius quàm iustius iampridem deuastatam occupasset, atq; ex ea non minorem Noruegianis quam Vestrogothis perniciem irrogasset.

Proinde primum belli impetum in eundem Gauthonum deducens, ipsum regnis & uita priuauit, præfatus arborem illam uirere non posse, cuius radices exaruissent. Hac orbitate quamuis Alaricus non parum afflictus fuerit animum tamen lapsui proximum, ea fortitudine erectum confirmabat, nt contra aduersæ fortunæ impetum audacior ex damno accepto emersisse uideretur. Nihil enim remissior in apparando bello effectus, prægrandem cogebat exercitum: quo suffultus, de hoste (quamuis nimium potente) certam uictoriam reportasset, si publico, non priuato congressu, pugna confecta fuisset. Alaricus enim ante belli ingressum, Erico ad se clam uocato, multis modis persuadere conatus est, ut reuocatis ad memoriam patrum suorũ consanguinitate & fœderibus, quibus Erici aui, & attaui cum Sueonum Regibus coniuncti fuerant, Gestilli siue Gestiblindi, Gothorumq́ue militiam detrectaret. Sed erat in Erico animus maiore uirtute præditus, quàm quod pateretur se eius fieri desertorem, cuius se professus fuerat defensorem. Ea uia Alaricus nihil proficiẽs, orabat, ut annuat cum Gestiblindo priuatam pugnam conserere, duelliq; congressu totius belli molem absoluere. At Ericus ipsum tum ob incommoda senectutis, tum ob aduersam corporis ualetudinem, armis inhabilem affirmans, obtulit se eius loco pugnaturum: neq; enim honestum esset pro eo duellum refugere, pro quo uenerat uitam & sanguinem effundere. Igitur inspectantibus omnibus, duo præstantissimæ uirtutis pugiles, Alaricus & Ericus, in circum prodeũt, acerrimis animis utrinq; pugnãtes: uisi sunt robore corporũ, ac militari disciplina æquè pares, atq; instructi, nam uterq; grauibus plagis affectus in circo corruit moribundus.

Sed pugnæ fortuna, quæ Alaricum confestim è uiuis abstulit, Ericum (licet difficillimè curatum) uitæ feliciori restituit. Restitutusq;, & liberaliter pro optimè gesta militia donatus, se in

ſe in ſua recepit, lætus quod à tot diſcriminibus propitia fortuna ſaluus euaſiſſet: ſpemq́ue indubiam à Geſtillo, & Gothorum proceribus accepit, quod ei non exiſtente herede in regnis ſucceſſurus eſſet. Hac uictoria Geſtillus, Gothorumq́ue proceres crudelius utebantur, quam unquam antea Gothica manſuetudo uel in patria, uel in longinqua militia conſueuit. Plurimi ex illuſtriſsimis Sueonum proceribus, optimiq́ue ciues ſine numero occiſi, cæteris tormentis afflicti, & omnibus fortunis exuti, ad infelicem uitam redacti fuerunt. Neque poterat illa ciuilis & domeſtica diſcordia, quæ tam crudeliter ſæuiebat, pacari, donec maximam procerum, populiq́ue multitudinem ultima fata implicarent. Proinde hic aliquis iuſte exclamare poſsit: O Gothi & Sueci, quo uos diſcordia duxit? Actum tamen erat per magnam Geſtilli prouidentiam, ne regna illa penitus deſolarentur. Cum enim perpenderet ſe ad ultimam ſenectutem perueniſſe, ſibiq́ue aut naturali fato, aut domeſticis armis de proximo ſuccumbendum eſſe, Ericum ad ſe denuo uocatum, Sueonibus præficiendum curauit: nec diu poſtea ſuperuiuens, in fata conceſsit, totumq́ue Gothorum & Sueonum principatum eius moderationi adminiſtrandum reliquit, præfatus ſe æquiſsimo animo ſpiritum exhalare, poſtquam uirum tot præclaris operibus & uirtutibus inſignem, ſubiectis regnis & populis præfeciſſet.

Ericus igitur tum ob ſua optima merita, tum ob ſingularem Geſtilli cõſanguinei ſui prudentiam in Regem ſublimatus, utrunque regnum ſopitis hinc inde odijs, ad unum principatum prudentiſsime reuocauit, tantaq́ue induſtria ad plures et felices annos gubernauit, ut merito inter principes Heroes, quibus unquam Aquilonaria regna ſubiecta fuerant, connumeretur. Pater illi regno fuit Noruegianus, qui militari induſtria, & athletica fortitudine illuſtris, proceribusq́ue Veſtrogothorum Rolloni & Gaſtillo, apud quorum limites habitabat, amicitia cognationeq́ue coniunctus erat, à quibus etiam liberos ſuos Ericum atque Rollerum, in primis morum militarisq́ue diſciplinæ inſtitutis erudiendos curauit. Qui poſt eam inſtitutionem, in familiam Gethleri, ſiue Getheri Noruegiæ Regis aſcripti, tam magnificis admirandisq́ue operibus ſeſe Regi & proceribus commendabant, ut facile primam in aula Regia autoritatem poſt Regem aſſequerentur. Erat enim illud tempus, quando non ſolum ſanguinis nobilitati, ſed uirtuti & prudentiæ maxima ratio à Regibus & Principibus habebatur. Siquidem ipſe Rex comperta in Erico ſumma & admirabili eloquentia, non diſtulit eum Diſerti cognomine honeſtare, præfecturamq́ue opibus & honoribus inſignem, claritudini nominis accommodare. Deinde ſuborta inter ſe, & Frothonem Danorum Regem controuerſia, Ericum Rollerumq́ue bellicæ claſsis præfectos conſtituit. Excipit illos Oddo (cui tunc temporis apud Danos maxima piraticæ autoritas tribuebatur) uir in magicis præſtigijs ita eruditus, ut abſque carina maris profunda pererrans, hoſtium nauigia concitatis carmine procellis obrueret, maleficio uictoriam, quam uiribus conſequi nequiuerat, aſſecuturus. Hic (inquit Saxo) negociatoribus atrox, & agricolis clemẽs extitit, quod hi mundis laboribus, illi ſordido quæſtu uictitarent. Ab hoc Oddone Raſno (cui Getherus piraticum negotium contra Danos commiſerat) poſt cruentum bellum ſuperatus & occiſus eſt.

Eo igitur ſociæ claſsis occaſu Ericus & Rollerus cautiores effecti, conſiderabant ut arduum & difficile, ita periculoſum eſſe, pugnam cum eo conſerere, qui uentos commoueret & undas, peſsimaq́ue dæmonia ad ſuam militiam conſcripta, & parata haberet: proinde maiore opus eſſe induſtria, quam ſi contra humanas uires res gerenda eſſet. Igitur per exploratores inſtructi, quomodo Oddo naues ſuas lapidibus ad iaciendum aptis oneraſſet, miſsis clàm peruicacioris ingenij iuuenibus, earum tabulas aquis uicinas, ſub medio noctis ſilentio, in torto ſenſim terebro cauari fecerunt, nullo ex uigilibus ad eorũ acceſſum uel diſceſſum excitato: quibus enauigantibus, paulatim Oddonis claſſem exceptæ rimatim aquæ depreſſerunt: quam cum ab aquis defendere conarentur, non remotè claſsis hoſtilis apparuit, qua Oddo non ſolum uictus, ſed omnino deletus interijt, nullo ex tota eius claſſe ſuperſtite, qui acceptam cladem nunciare potuiſſet. Hanc uictoriam Ericus & Rollerus aſſecuti, Sielandiæ littora, aliasq́ue Danorum inſulas deprædantes inuaſerũt, idq́ue liberè & nullo reſiſtẽte. Quippe iam tota maritima Danorum claſsis deleta erat, nec aliqua domeſtica cõcordia inter Danos reſidua erat, per quam extraneo hoſti obuiaretur. Si enim Saxoni Danico credi oporteat, non ſolum ipſa concordia, ſed quicquid uirtutis & honeſtatis erat, ſub hoc puero Rege Frothone à Dania exploſum profligatumq́ue fuit: tantaq́ue morum barbaries rurſus inducta, ut non hominum, ſed belluarum more ibi palàm atque inuerecundè uiueretur. Horreo enim, & horrens obſtupeſco, quando intueor Saxonem, tam obſcœnos atque fœdiſsimos ſuorum Danorum militum mores exprimentem: qui poſt multa fœda atque horrenda inquit, tam effrenatam militum procacitatem non exteris tantum, ſed etiam patriæ inuiſum feciſse Regem. Dolenter ſiquidem ferebant Dani, ſuperbè ſibi ac crudeliter imperari.

Taliter laceſsitum uulgus, afflictionis ſuæ querelã tacitis gemitibus agitabat, nulli miſeriæ tempora culpandi palàm animus erat, internus omniũ præcordia dolor, hoc acrius, quò

occultius lacerabat. Effectum tamen erat, ut Ericus & Rollerus data publica fide ad Frothonem in colloquium uocarentur. Qua uocatione se satis securos existimantes, duas naues spolijs onustas (ut inquit Saxo) in Noruegiam remittunt, reliqua classe se, suosque commilitones ad Frothonem conferunt. Sed non ea humanitate quam sperabant, excipiuntur. Erant enim tres fratres Greci commune nomen habentes, uno partu æditi: quorum flagitijs tota aula Regia, totaque Dania inquinata apparuit. Hi cum primas apud Regem partes haberent, primi omnium aduenientem cum fratre & socijs Ericum, scurrilibus conuitijs adoriuntur: uixque ab eo cum littore insiliret, manus uiolentas continuere. Veruntamen maior erat in Erico animi firmitas et prudentia, quàm se contumelijs, uel minis, aut terroribus improbissimorum hominum superari pateretur. Progredienti ex classe, maleficia maleficiorumque turbam opposuere, ut territus salutem à fuga mutuaret. Sed non deerat illi ingenium, quo artem arte, maleficium maleficio superaret. Siquidem omnem illum maleficiorum apparatum, unius execrationis imperio expiare coëgit. Deinde cum ad regiam, Regisque conspectum peruenisset, nihil modestius, quam si ad præsentiam protomimi perductus fuisset, excipitur. Nam Regis contubernales, qui aduenas omni iniuriarum genere prosequi consueuerant, ut ludibrio ingredientem afficerent, lubricam limini substrauere pellem, quam superueniente Erico celeri funis tractu corripientes, lapsum introeunti fecissent, nisi Rolleri fratris ope à casu fuisset reuocatus. Rex autem, qui cum eam contumeliam prohibere debuisset, adiecit conuitium, affirmans stolidum hominem, qui nesciret insidias præparatas euitare. Aderant & lateri Regis pugiles, quorum consessui cum sese Ericus applicaret, toruos ore fremitus ædebant, ac more sæuientium canum, & ululantium luporum, horrisonas extulere uoces. Deinde inter Frothonem & Ericum certamen ob eloquentiæ palmam initum in quo etsi Frotho præcipuus haberetur, tamen in omnibus inferior erat Erico, qui non solum humanarum rerum peritissimus, uerum etiam (ut Saxo ait) sensuales brutorum sonos ad certarum affectionum intelligentiam referebat. Præterea tam comis atque ornati eloquij erat, ut quicquid disserere cuperet, continuo prouerbiorum lepore poliret. Quo factum est, ut Rex se eius eloquentia superatum confessus, confestim armillam brachio suo detractam, decretæ mercedis loco uictori erogauerit.

Interea Regij familiares acrioribus odijs in Ericum concitati, iurauerunt se eum cum omnibus aduenis aquilarum unguibus substraturos. Præcipuus enim Greporũ cum ab Erico de commisso cum Regina adulterio apud Regem accusatus esset, impacabili furore correptus, accusantem cum eius comitatu ad certamen prouocat: prouocatus triduas inducias petit, & interim ex tergore mactatæ pecudis crepidas parat, quas abietino gummi interfusis mixtim arenis obliniẽs, quo firmius uestigia poneret, suis suorumque pedibus adaptauit. Postea statuto tempore cum suis congelati maris campũ aggressus. Grepos omnesque eorum commilitones lubrico instabilique gradu titubantes, crepidarum firmitate subnixus postrauit. Gotuaram deinde occisorum matrẽ, lingua uerbisque procacissimam, responsionum calliditate superauit, coëgitque ut eximium auri pondus uicta uictori donaret. Præterea Vestarũ Greporũ patrem, cum filiorum mortem uindicare conaretur, colli ac dorsi fractione colluctando contriuit. Igitur cum Frotho altiore animo attenderet, se tanto cõmilitonũ ac præcipuorũ amicorũ numero per Erici astutiã orbatum, cæpit & ipse nõ paruas insidias Erico, eiusque socijs præparare. Quandoque enim sica, quandoque alio mortifero telo ipsum traijcere meditabatur. Sed cum aduerteret eius prudentiã maiorẽ esse, quam quòd posset apertis insidijs oppugnari, statuit ipsum nocturno tempore occupatũ occidere: fecissetque nisi Ericus à filia, siue sorore Regis præmonitus, ad classem cum fratre & socijs quanto citius effugisset. Ea fuga Ericus salutẽ consecutus, mox uentis uela commisisset, nisi in litore Regiã classem, qua fugiens occupari posset, attendisset. Proinde laceratis occultè eius tabulis, prorsus inutilẽ reddere curauit. Subsecutus Frotho classem suam, quasi in omnibus partibus integrã, præcipiti cursu inuolat, nihil enixius contendens, quàm Ericum interceptum perdere & trucidare.

Hoc impetu Frotho anchoras eleuat, uẽtisque uela permittit. At cum omnia concitatius quam prudentius aggrederetur, subitò classis ui aquarũ obruta in profundũ ferebatur. Frotho (ut erat armis onustus) inter undas enatare cœpit. Quod cum Ericus & Rollerus, qui de proximo rerum exitum expectabant, uiderent, statim se in aquas præcipitant, & natãdi industria quã perfecte didicerant, Regẽ iam tertio undis perfusum à præsentissimo mortis periculo eripuerũt atque uitæ & dignitati pristinę, ac regno, & Regio honori, per summã et memorabilẽ clementiam restituerunt: admirantibus cunctis, quod Regi iniquo, & innocentiũ persecutori, tam incredibilis humanitas ab illis pręstaretur, in quorũ perniciem totum animi sui conatum extenderat. Si hæc admirãdæ uirtutis officia Dani in Noruegianos cõtulissent, mox in latere Danicę historię annotatum fuisset: Noruegiæ à Danis subactio: Dani Noruegianis Regem imposuerunt; Noruegia Danis tributaria, & similia, quibus in contextu

historiæ

historiæ aliquid minus respõdetur. Sed erat hoc uincendi genus sempiterna laude extollendum, quo nulli nisi excellenti probitate præditi uincere consueuerunt. Quid enim illi clementiæ addi poterat, quæ atrocem inimicum, eundemq; captiuum, in regnũ, principatum, atq; integras fortunas restituit? Proinde nullus uerus rerum æstimator secus iudicare poterit, quàm Frothonem Erici beneficio Daniæ regno imperasse: imò nisi consilijs Erici in omnibus diligenter paruisset, nequaquam tam gloriosam nominis sui memoriam ad posteros transmisisset. Postremò restitutis paulatim Frothoni uiribus, compositisq; & pacatis omnibus, reditur in littus, deinde in regiam: ubi aduocata concione, Erico non solum sororem suam Gunuaram in coniugem, & Centuriatum pro dote attribuit, ut Saxo affirmat, uerum etiam (ut nostræ historiæ continent) parem ipsum sibi in regno constituit, iustè existimans illi partem conferre, cuius gratia totum possidebat: tantaq; postea, & tam constans, ac inuiolabilis amicitia inter ipsos usq; ad ultimum uitæ exitum conseruata fuit, ut uix aliquorum fratrum concordia maior apparere potuisset.

Visusq; iam Frotho ad saniorem mentem redire, secum reuoluere cœpit, quàm corruptos mores ex consuetudine corruptissimorum Greporum hausisset, quantumq; sui commilitones à recto & honesto desueuissent. Hæc cogitans gratulabatur secum optimè actum esse, quòd Erici consortium unquam assecutus fuisset, cuius industria illorum pessimorum contubernalium societate caruerit. Siquidem ad primum ipsius accessum laqueo strangulatus est Colo ille malignus, malignorum operum suggestor: deinde nefarij Grepi cum suis turpissimis complicibus ab eo occisi: Vestmarus quoq; pessimorum filiorum pessimus pater, fractis (ut diximus) ab Erico ceruicibus expirauit. Qui si è medio uiuorum sublati non fuissent, nulla prorsus uirtutis honestatisq; uestigia in Rege, aut tota eius familia relicta fuissent. Hic meritò adiecero, quàm gratum Deo & hominibus obsequium præstant, qui malignorum consiliorum autores à Regum & Principum aulis eliminare conãtur. Nulli enim dubium est, quin omnia aduersa, quibus nunc totus orbis Christianus affligitur, inde exoriantur: quia inexperti aut iuuenes Principes malos consiliarios secum conuersari patiuntur, à quibus discunt utilitatem honestati, lucrum uirtuti, tyrannidem modestiæ præferre, seq; tales exhibere subiectis ciuibus, quales olim crudeles tyranni deuictis sæuis hostibus se uix præstiterunt. Sed de his iudicet Deus, qui propter peccata populi regnare facit hypocritas. Deinde Frotho cum Erico consultat, quomodo abolitis à regno peruersis moribus, iustæ & honestæ leges in pristinam autoritatem restituantur, consuetudinesq; & laudabilia maiorum instituta, ad publicum usum reuocentur, omniaq; diligenter curentur, quæ augendæ Reipublicæ, & subiectorum populorum tranquillitati opportuna uideantur. Præterea conqueritur se suam infamiam ex Amundæ uxoris adulterio contractam, grauissimo animo sufferre, uelleq́ue ipsam Hunnorum Regi remittere, ne in Dania conuersando uitæ suæ insidiatricem experiretur, ipsamq́ue Getuaram pessimam fœminam adulterij consciam, lapidibus obruere, aut uiuam defodere: addidit etiam sibi plurimum placere Aluildam Getheri Noruegici Regis filiam, ut in locum repudiatæ coniugis succedat.

Tum Ericus summopere laudata Frothonis prudentia, respondit, sibi nihil magis in uotis esse, q̃ quòd boni mores, & honestæ leges, quæ malignitate peruersorum hominum à patria explosę fuerant, denuò ab exilio ad patriam, & antiquas sedes reducantur: cui etiam honestissimo negotio sese omnes ingenij sui uires accommodare uelle affirmabat. Nec sibi displiceret, quòd Getuara suæ iniquitatis mercedem adepta, documentum fieret cęteris, ne Regum bonitate in uelamen suarum nequitiarum abuterentur. Neq; de Hamundę repudio, quod insigni crimine meruerat, aliud iudicium ferri posset, nisi forsan quòd honestius atq; utilius Rollero, cuius fides iam compertissima esset, in matrimonium traderetur. De filia autem Getheri, quòd iuxta ipsius Frothonis uotum ex Noruegia adducatur, se diligenter curaturum pollicetur. Grata uicissim Frothoni fuit hæc Erici responsio. Quocirca fratres coniunctas egere nuptias, Erico sororem regis Gunuaram, Rollero repudiatam Reginã ducẽtes: quibus peractis, ambo cum coniugibus nauigationẽ in Noruegiã instituunt. At Getherus magnitudine felicis fortunę, quam Ericũ extulisse didicerat, ad inuidiam collapsus, cogitare cœpit quomodo illũ amicitię nexũ, quo ipse cum Frothone cõiunctus esset, abrumperet, ne ingenti prosperitate suffultus, aliquando Noruegianum ambiret imperium. Enimuero cognita Erici legatione, refert se Gunuarã Frothonis sororem in matrimonium cupere, uelleq; potius legato filiã suam Aluildam, q̃ Frothoni coniungere. Ericus quamuis optime sciret quorsum hęc molitio Getheri tenderet, simulandũ tamẽ putauit: egitq; singularibus uerbis amplissimas gratias, quod se tãto honore, & prima amicitia dignaretur. Igitur Gunuarã clã admonet, ut simulato cõsensu Getheri petitionẽ admittat, cõditione adiecta, quòd Aluilda prius Erico despõsetur. Quo responso Getherus plurimũ gauisus, filiã Erico nupturam ex-

hibet, omniaq; quæ apparatui nuptiarum necessaria, uel opportuna uidebantur, disponit. Sed cum deprehenderet sibi ab Erico & Gunuara illudi, percussores occultè intra eorũ thalamum subornat, qui ipsos nocturno sopore occupatos confodiant. At circumspectior erat Ericus, quàm immissis latronibus utile fuit. Nam utroq; occiso, confestim Gunuara & Aluilda comitatus, ex regia se recepit ad suos, quos iusserat ad omnem fortunæ euentum paratam seruare stationem: quorum ope imminentes Getheri insidias declinauit, prosperaq; nauigatione cum fratre Rollero, atq; Aluilda, & integro sociorum numero ad Frothonem reuertitur: qui etsi maxima lætitia ex Aluildæ nuptijs afficeretur, non parua tamen erat molestia, quam tunc Sclauorum piratę, qui littora Danica populabantur, eius gaudio immiscuerunt. At Ericus ad bella & res pręclaras natus, iussit ut optima quæq; speraret, nec statim ad quemuis aduersæ fortunæ impetum animum desponderet, aut ab honesta lætitia, quam ex nuper adducta coniuge conceperat, reuocaret: se illum esse, qui diligenter ac fideliter curare uelit, ne Danicæ Reipublicæ hostes ipsam impune à se uexatam fuisse glorientur. His dictis classem uiris armisq; munitam contra Sclauos educit, quos per naues frondibus tectas ad insidiosa loca perductos, facili negotio expugnauit, & oppressit: uiamq; fecit maiori bellorum apparatui, quo ipse Frotho primitias bellorum suorum parũ postea in Sclauos transferret, tanta bellatorum multitudine stipatus, quantam (ut Saxo Danicus inquit) uix terra, aut mare poterat sustinere.

Frotho igitur & Ericus per terras & maria insuperabilem contra Sclauos potentiam educentes, primo aggressu hostes adeò terruerunt, ut eorũ Rex Strunicus belli inducias per legatos postularet: quæ ideò petentibus negatæ fuerunt, quòd hostis induciarum beneficio muniendus nõ esset, neq; expediret bellorum initia, dubiosa rerũ expectatione suspendere, pręsertim cum Dani à Sclauis prouocati, atq; inuiti ad eas bellorum difficultates deuenissent: affirmãte Erico ita ludum foris agi oportere, prout domi fuerat inchoatus. Deinde pugnatũ est utrinq; acerrimis animis, donec Rege Strunico cũ maiore procerum parte interfecto, cæteri in deditionẽ accipiuntur. Tum Frotho (suggerente forte Erico, nouarũ rerum inuentore) uocatis ad concionem Sclauis, per pręconẽ edixit, ut si qui inter eos raptu, aut furto uiuere didicissent, sese quantocyus exhiberent, primos honores ad ampla præmia à Frothone suscepturi. Quo edicto plurimi Sclauorum se cupidius q̃ securius prodiderunt, quos cõfestim à reliqua parte (quę nimis exigua erat) laqueo cõsumi fecit, præfatus eos necessariò tanquam publicas patrię pestes è medio auferendos. Hoc ingenio (inquit Danicus scriptor) totam penè Sclauicæ gentis stirpem consumpsit. Demum post partam eam uictoriam, ne Dania armis q̃ legibus potentior uideretur, leges à Frothone per eximiam Erici industriã, tam iustæ, atq; humanæ, rationiq; consonæ promulgantur, ut uix æquiores in medio Latio, aut Græcia statui potuissent: fiebatq; indies clarior Erici fama: dubiumq; apud omnes esse cœpit, an ipsi, an Frothoni magis obediendum esset. Quæ quidem fama insignem in Gethero Rege inuidiam excitauit, ut coacta non parua classe transmitteret in Daniam, sumpturus de Erico uindictam, quòd filiam Aluildam (se inuito) ad Frothonem adduxit.

Frotho autem, qui omnem Erici fortunam non secus ac suam æstimabat, copias non minus potentes eduxit, Getherumq; prope insulam Rense, ut temere ita infeliciter pugnãtem oppressit: cui Rollerus in regno Noruegię tum fauore & cõsensu procerum ac populi, tum etiam nonnullo auxilio Frothonis successit. Verum cum iam Sclauis, Noruigianisq; superatis, omnia secura putarentur, grauior ex Oriente bellorum tempestas contra Danos suboriri uisa est. Nam Huno Hunnorum Rex, audito filiæ suæ Harmundæ repudio, non solum Olimarum Orientalium Regem, sed q̃ plurimos alios Reges & Principes, in societatẽ belli sibi adiunxit: qui tantam multitudinem bellatorum per terras & maria eduxerunt, ut cõtra totum orbem bellum suscepisse uiderentur. Nam si Saxoni Danico credendũ est, in nauali exercitu quem Olimarus duxit, Reges fuere sex, qui totidem classibus pręfecti erãt: quarum quælibet quina nauium millia complectebatur: deinde in qualibet naui trecenti milites numerabantur. At in terrestri exercitu, cui Huno pręerat, triginta millia ducum, excepta gregarij militis multitudine, conscripta fuisse commemorat. Ego (ut ingenuè fatear) nequaquam credere possum, tantam fuisse bellatorum multitudinem, etiam si tota Scythia suis sedibus auulsa ad bellum prodijsset. Credo tamen ingentem fuisse militum multitudinem, & longè maiorem q̃ nostro tempore ad bellum educi possit. Nunc enim penè ubiq; terrarum longè minor hominum numerus inuenitur, quàm olim. Quis enim iam ex Palæstina Syriæ tantũ exercitum educeret, quãtum legitur paruisse Dauidi, aut Salomoni? Quis etiã nunc quemadmodum olim, ex Romana Repub. quadraginta sexaginta quatuor millia ciuium conscriberet? Vtcunq; tamen se ista habeant, ego in hac parte reijcio fidem in Danicæ historiæ autores, quos ueraciter affirmasse credo, ipsum Frothonem tam formidabilis belli molem singulari uirtute ac summa industria Erici in finibus Russiæ superasse. Quippe tunc actum

fuisset

fuisset de Danis, & eorum imperio, nisi Erici prudentia eorum Regem conseruasset, totq; potentißimos hostes suis consilijs uictos repreßisset & profligasset.

Hactenus de Erico ut Danicæ Reipub. moderatore, socioq; Frothonis, latius dixeramus, nunc contractius quid in regnis Gothiæ & Suetiæ post adeptos Regij honoris titulos egerit, differemus. Prima siquidem illi cura fuit, discordes Gothorum & Sueonum animos, ad stabilem concordiam reuocare, moresq; & leges bellorũ tempestate conuulsas, in pristinum statum restituere: nec quicquam omisit, quo subiectorũ ciuium animos ad omnem fortunæ uarietatem sibi fideles efficeret. Deinde ad animum reuocans, quomodo Noruegiani Regi suo Rollero rebellarent, non quòd eis quicquam in moribus eius inconditũ displiceret, sed quia per Danici Regis cooperationem ius regnãdi uiolentius q̃ iustius occupare uoluisset. Igitur Ericus ut fratri Rollero in tantis rerũ difficultatibus opportuna remedia afferret, maximum ex Suecis & Gothis exercitum contra Noruegiam eduxit, Frothonemq; Daniæ Regem ut idem faceret, per legatos inducit, affirmans Rollerum non tam suæ causæ, q̃ honori Frothonis magnopere consulere uelle. Igitur ingentes copiæ ex Suecis, Gothis & Danis cõparatæ, terrori fuere omnibus in circuitu regionibus. Frotho naualem exercitum nõ solum multitudine, sed armis & uiribus terribilem, Noruegianis terris immittit, omniaq; incẽdio, cædibus & rapinis inuoluit. Congregati Noruegiani in finibus Halogiæ, uires uiribus, arma armis opposuerunt, totumq; diem à prima luce usq; in uesperam, pertinacißimam pugnam peregerunt, uictoria apud Noruegianos remanente: fugissetq; Frotho sequenti diluculo, nisi Ericus terrestri ac nocturno itinere q̃ celerrimè confecto aduolasset, & nouis copijs amissam uictoriam à manibus fortißimorum inimicorum extorsisset: quæ tamen adeò cruenta fuit, ut uictores parum feliciores uictis haberentur. Quippe ut bona Noruegici regni pars cultoribus euacuata fuit, ita totus Sueonum Danorumq; exercitus unà cum Rollero penè deletus est. Testatur hanc immanißimam cladem Saxo Danicus, qui asserit tantam de Danis stragem acceptam fuisse, ut ex tot nauium millibus solæ centum septuaginta superstites fuisse credantur.

Quo memorabili prælio doceri poterant Dani, nõ æquè facilè Septentrionales sicut Australes homines expugnari posse. Proinde apud eos dicere soleo, quòd si tot bella in alias terras, uidelicet Orientales, Occidentales, Australes promouissent, quemadmodũ in uicinos Gothos, Noruegianos, Sueones attentauerãt, esset profectò longè latior eorũ principatus, q̃ Saxo scribit in uita diui Chanuti Regis: ubi suam Daniam uocat Paruulæ telluris angustiam. Sed dum fortes fortibus congrediuntur, sæpe accidit utrosq; pari infelicitate collabi. Præterea silendum non est illud, quod Erico in Noruegico bello occupato accidisse dicitur. Cum enim milites eius prædam & thesauros in subterraneis antris sollicitè inuestigarent, inuenerunt speluncam magnę profunditatis, in quam quendam ex robustioribus corbe impositum, ei pendulo fune circumcinctũ immiserunt, rati se illinc optima spolia extracturos: qui cum in profundum peruenisset, mox quidam ibi latitãs eum à corbe eiecit, seq; in ipsius locum restituit: quem supernè funẽ moderantes, magni thesauri spe, auidè extraxerunt. Sed uisa ignoti hominis facie, squallore & funebri aspectu tabefacta, in diuersa effugerũt, funus ab inferis se reduxisse putantes. Ericus autem propior ei factus, causam querit, quomodo in illud antrum deuenisset, quare cruenti oris imaginem præ se ferret? Ego, inquit, sum Asmundus, Alsi Hermarchiæ Regis filius, qui aliâs parum prosperè uenationi incumbens, irruente noctis caligine à retiarijs diuulsus fui, & post multos errores ac deuia, in Biorni Vichiensis Regis ædes deueni, in quibus Asuitus eius filius tantam suis egregijs meritis amicitiam mecum coniunxit, ut iureiurando nos pariter astringeremus, ne alter alterius fato superesse uellit, sed communi tumulo uiuũ cum mortuo includi. Tandẽ Asuitus prior in fata conceßit, cui me potius cumulari uolui, quàm præstitã amico fidem uiolare. In eo igitur tumulo inclusus, grauem cum Asuito luctam sustinueram, nam nocturno tempore rediuiuus canẽ & equum secum consepultos dentibus dilaniauit: deinde ungues in me conuertens, abruptis auribus genas quoq; meas dilacerauit: fecissetque me ex uiuo mortuum, nisi ab eo feliciore fortuna ereptus, ad uiuorum societatem redijssem. Nũc ad Ericum redeamus: Qui partum sua singulari uirtute ac industria Gothorum Sueonumq; principatum, per maximam temporum tranquillitatem diu ac feliciter administrauit, contentus bella geßisse, ut tandem in pace uiuere posset. Nec inuenio in nostris Gothicis historijs, ipsum unà cum Frothone (ut Saxo affirmat) Angliam, Britanniam, Hyberniam subiecisse. Nunquam enim legi Gothorum aut Sueones Reges bellum Angliæ sponte intulisse, sed cum ipsius Regibus quandã cognatam amicitiam ab origine regnorum contra Danorum uiolentiam & arma conseruasse.

Nunc igitur postquam bella Erici cõmemorauimus, etiã pulcherrima pacis studia, quibus super oẽs Reges pręcelluit, adducemus. Quis enim dubitat quàm grata semper ei fuerit

pax;

pax,qui nunquam niſi laceſsitus iniuria ad bella ſe conuertit:nec unquam adepta uictor ia crudeliter uſus fuit,ſed in atroces inimicos clementiſsimi hominis officia ſæpius exercebat Quis etiam iure negare poteſt,ipſius regnum in perpetua ac conſtanti iuſtitia uiguiſſe, uenerandamq; legum poteſtatem omnibus iniurijs prȩualuiſſe? Quippe cum autor fuiſſet Frothoni,ut tot æquiſsimas leges pro pacifico ſubiectorum populorum conuictu concederet nequaquam credendus eſt in proprijs regnis et terris,à tam utili et honeſto,ac ſummè neceſſario ſtudio animum retraxiſſe. Quomodo enim ſine optimis legibus tam diuturna temporum trãquillitate & pace gaudere potuiſſet? Enimuero totis triginta octo annis, quibus Gothis ac Suecis imperabat,nulla bellorum memoria in eius geſtis inuenitur, ſed ubique pax,gaudium,iuſtitia,æquitas,ſummaq; in ſingulis Gothiæ Reipub. partibus concordia, amicitia,unitas ita ſeruabatur,ut nunquam pacatiora,aut ſecuriora tempora à rerum exordio in illis terris antea fuiſſe credantur. Sed abſit ab humana & Chriſtiana pietate cogitare eam pacis abundantiã ab aliqua mundana prudentia proueniſſe. Erat enim tunc illud tempus acceptabile,& per tot præterita ſecula piorum hominũ deſiderio expectatum,quo ipſe clementiſsimus Deus omnis ueræ pacis autor,humanam carnem induere, ex immaculata Virgine naſci,& cum hominibus conuerſari dignatus eſt:cuius ſupereffluenti bonitate acceptum debemus,quicquid uſquam pacatum & bonum habemus. Ipſi honor & gloria, nunc & uſque in ſempiternum. Siquidem per ipſum Ericus regnabat, & leges condendo iuſta decernebat: per ipſum facta eſt pax hominibus bonæ uoluntatis:per ipſum, imo in ipſo populus gentium Septentrionalium, qui ambulat in tenebris, uidit lucem magnam: denique per ipſum liberata eſt ciuitas Aquilonis ab illius tyrannide, qui dixit: Ponam ſedem meam in Aquilonem, & ſimilis ero Altiſsimo. Et ſi quæſiueris quoto anno Erici natus ſit ipſe Saluator noſter Ieſus Chriſtus, dico probabile apud me eſſe iuxta ſupputationem ueriſimilium hiſtoriarum,quas nunc habemus,illud ſummum diuinæ miſerationis opus circiter annum regnorum huius Erici 34. accidiſſe:à quo tempore reſtabant octingenti anni uſq; ad tempora Caroli Magni Imperatoris,ſub quo Gothia & Suetia cœpit uerũ Deum,& filium eius quem miſit Ieſum Chriſtum (ut infrà dicemus) agnoſcere, uitamq; ab eo ſperare ſempiternam.

De duello pugilum.

CAP. XXV.



EXiſtimabant Gothorum pugiles,nullum certaminis genus efficacius eſſe ad capeſſendam fortitudinis palmã, quàm duellum: propria etenim uirtute ſubnixum, alienæ manus opem excludebat. Iamq; receptum erat ab omnibus ordinibus,ut pro uicto haberetur, quicunq; eam pugnæ ſortem recuſabat: ut Regibus, & principibus ſempiterno opprobrio daretur,ſi illud (quamuis ab infimæ ſortis hominibus prouocati) abnuiſſent. Veterum enim claritudo principum,ex armis potius,quàm ex opibus exiſtimabatur, præſertim ubi paucorum ſorte exequi poſſet, quod uniuerſorum diſcrimine ſedari nequiret. Tantusq; erat illis ardor duello congrediendi, quanta ſolet eſſe uoluptas effœminatis proceribus ad lauta conuiuia inuitari. Quippe tunc conuiualibus gaudijs alacrius indulſerunt, cùm conuiuium duello abſoluendum erat. Donabantur uictores ſingulari fortitudinis gloria, Martis hedera redimiti: præmijs uictricibus decorati,uirtutis laudem promeruerunt: ignauus palma caruit, reditq; inglorius armis: uitæ deformitas extremum dedecus: ſumma infelicitas inertes comitabatur. Enimuerò quemadmodum Romani ſuos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos, Paulos, Marios, ſummis laudibus ob res geſtas extulerunt: ita Aquilonares fortia facta ſuorum ſempiterna laude proſecuti fuiſſent, ſi doctius ſcribere, quàm fortius facere didiciſſent. Prȩmiũ periculoſi duelli erant prima inter fortes pugiles ſedes: nuptiæ alicuius generoſæ,

rosę, aut speciosę uirginis. Opum uerò summa detestatio in eis fuit, ne uirtutē auaritiæ stipendijs obnoxiam fecisse uiderentur: sed potius honestati intentos, quàm quęstui deditos, pecunię cupiditati fortitudinem prętulisse monstrabāt: gloriam non in pretio, sed magnanimitate repositam ostendentes. Nec semper uictis denegatus erat debitus honor: siquidem uictores uictos inferijs sępe prosequebantur. Quamuis enim eos mentium discrimina separauerant, naturę tamen iura conciliabant: in quibus suprema humanitatis officia inesse rati, liuorem fato, simultatemq́; funere sopiebant: & quanquàm uiuis odium intercesisset, alter alterius cineres prosequebatur. Gloriosum uictori erat, uicti funus magnificè ducere, extinctoq́; studium humanitatis impendere. Nec minus succurrendum putabant luctuosę calamitati, quę uiuos interdum damnata corporum parte contingere posset. Quando enim incolumi spiritu membrorum clades pugnantibus incidit, læsio tot auri talentis, quot inter pugiles conuentum erat, sartiebatur. Enimuerò talis sors omni fato tristior ducebatur, quòd mors omnium memoriam tolleret, uiuens uerò proprij corporis stragem negligere nequiret. Cauendum tamen est (referente Saxone lib. 4.) ne dum ultionis effectum appetant, in infimas & inopes uirium manus, stulta secum audacia conserant: dumq́; alienum affectant exitum, proprium experiantur occasum, optimæ indolis habitum pręproperа laudis cupidine consumpturi. Quamobrem parcant iuuentę, parcant uitę, nec temerè uotum eis incesserit pereundi, &c. quod pugilibus necessum est, etiam ut de priuatis ultoribus prouidè consyderent, qualis exitus fiat.

De Cęstibus, & Gymnicis palmis.
CAP. XXVI.



CAestuum certamen inter Septentrionales pugiles satis ualidum reputabatur, licet in raro usu ob graues fortesq́; manus hominum sint, ut congredientibus opus non fuerit corio, uel plumbo insuto grauiorem infligere ictum, quando solo pugno instar mallei caput, uel corpus obiectum contundere possent. Notum enim relinquitur cęstuū tormentum apud antiquissimos pugiles nil aliud fuisse, quàm lorum ex corio bubalino manibus circum uolutum, quo & ictum minus ipsi sentirent, & grauius aduersarium ferirent. Pręterea plumbeas massas corijs insuentes, grandi periculo, uel morte mutuos humeros contundebant. De quibus loris fortissimis tantummodò uiris adscriptis, poëta refert:

In medium geminos immani pondere cęstus
Proiecit: quibus acer Eryx in pręlia suetus
Ferre manum, duroq́; intendere brachia tergo.
Obstupuere animi, tantorum ingentia septem
Terga boum, plumbo insuto, ferroq́; rigebant.

Gymnicis uerò palmis, id est, nudis unctisq́; corporibus, rarissimè (nisi apud singulares athletas) fiebant certamina. Pro ulciscenda enim ignominia, etsi suscipiuntur pugnę, luctę, uel alia gladiatorum munera: non tamen nudis corporibus, nisi solo brachio dextro in hastiludijs, seu torneamentis, pro uana ostentatione inspicientium illustrium puellarum. Sed hi ferè nulli, uel rarissimi reperiuntur, ob innatam uerecundiam nudandi corporis in aspectibus singulorum. Meminit tamen Saxo, Frothonem non tantum Regijs ornamentis, quantū gymnicis palmis in

mis in athletarum numero excelluisse. Preterea Hotherum quendam stirpis Regiæ, cęstuum peritia inter coquos suos, aliaque militarium exercitiorum agilitate claruisse. Neque horũ certaminum nominibus deest S. Augustinus lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 17. ad Marcellinum: ubi Commentator in uerbo Ad pugillatum dicit: In Græcis certaminibus erant lucta, cursus, saltus, iactatio &c. quos cæstus uocant. Græci hos luctas dicunt.

De piratica illustrium uirginum.
CAP. XXVII.



Occasione pręcedẽtis capituli 18. atrocem piraticam exercere cœpit Aluilda illustrißima uirgo: compluribusque eiusdem uoti puellis in commilitium accitis, eò fortè loci peruenit, ubi piraturũ agmen amissi bello ducis interim deplorabat: à quibus ob formę pulchritudinem, & animositatem, piraticæ princeps creata, maiores muliebri uirtute res edidit. Quam Alff crebris nauigationibus insectari conatus, in Blacmannorum classem hyeme incidit: quo tẽpore dẽlatæ frigoribus aquæ, atque glaciei moles, ita nauigia firmare solent, ut eis nulla uis, aut ars concedatur remigandi. Cumque frigoris diuturnitas tutiorem conclusis sponderet incessum, iubet Alff suos lubrico calceamentorum usu deposito, nudis caligarum soleis glacialem calcare planitiem, atque ita hostes unctis calceis infirma uestigia tenentes, facilimo cõgressu fatigare. His ita repressis, glacieque soluta, institutam nauigationem in Finnos, seu Finlãdos dirigit: ubi contractiorem sinum Hangæ ingressus, missis exploratoribus portum inuenit aliorum nauigijs occupatum. Aluilda quippe easdem angustias prior classe intrauerat: quæ cùm ignotas eminus puppes adesse conspiceret, celeri remigio in eorum defertur occursum, irrumpere hostem, quàm eo obrui satius iudicans. Vt ergo naualem pugnam committere cœperunt, magnoque gloriæ & fortitudinis respectu utrobique continuarunt, iuuenis maiori ac recentiore milite cinctus, optato omine Aluilda proram insiliente, in puppim usque (facta resistentium strage) progreditur. Cuius comes Borcharus, decussa Aluildę galea, facieique gracilitate cõspecta, animaduertit osculis, non armis agendum esse, telorumque rigore deposito, blandioribus hostem officijs attrectandum. Igitur Alff, quam terra marique tot obstantibus periculis indefesso labore quęsierat, supra spem offerri gauisus, cupidius apprehensam ornatißimo muliebri uestitu protinus exornauit, suoque toro laudabili maiorum lege seruata, cõiunxit: ex qua postmodum filiam Gyritham procreauit: quæ Haldanum sortita maritum, Haraldum Hildetan peperit: qui Daniæ regnum domesticis iniurijs multipliciter laceratum, ad pristinum decorem, pace L. annorum habita, restituit: duasque bellaces uirgines, Sticlam & Rusilam, in Regem Trondorum super regni dominio classe bellica decertantes, insigni astutia uictas prostrauit. Sed neque eius nepoti Odmundo Olone genito, par gloria cessit, dum aliam uirginem Ruslam, cum fratre de regno Noruegiæ piratica contendentem, potentibus armis aggreditur. Nam ab ea fugatus, clandestina rebellione à popularibus molestatam, refugam fecit, atque fraternæ persecutioni, dum fugeret, impiè obiecit trucidandam. Neque omittendum est, quod potentißimus Hollandiæ princeps Huiruillus, Rusilam uirginem Noruegię, res bellicas ęmulantem, insigni armatorum uirtute oppreßit.

De

De Aluilda Siuardi Gothij regis filia.
Ioan. Mag. lib. 7.

Siuardus interim dum Amundus, & post eum filius eius Hacho in regno Suetiæ præsiderent, ad Gothici regni sceptra peruenit: ex cuius filia Aluilda Regius sanguis iterum per Daniam dissemin atus, clarissimos Reges & proceres successu temporum procreauit. Hæc Aluilda ab incunabulis tantę uerecundiæ fuisse perhibetur, ut os peplo iugiter obnuptum habens, à nullo unquam uiro suam pulchritudinem (quæ maxima erat) uideri pateretur. Proinde quo magis se, uultumq; suum à uirorum aspectu retrahebat, eo amplius illustrissimi iuuenes ipsam uidere contendebant. Tum Alphus quidam Sigari Danorum Regis filius trucidatis summæ atrocitatis serpentibus, qui uirginis conclaue tutabantur, ipsam in coniugem postulabat. Consensit Regia uirgo in iuuenem genere & operum claritate conspicuum: at mater uirginis ipsam acrioribus uerbis obiurgando, a uirili consortio deterruit affirmans nimis turpe & probrosum esse, aliquam uirginem tam facile in uiri amplexum, elisis pudicitiæ neruis, consentire, eoq; facto a præclaris priscarum uirginum moribus, quibus semper plus pudicitia quàm uita placuit, degenerare. Quibus conuitijs filia à matre affecta, cœpit non modo Regis filium (quamuis forma, genere, uirtutibus clarissimum) uerum etiam omnes uiros tam pertinaci castitatis proposito auersari, ut firmiter secum statueret, nunq; alicui uiro copulari. Deinde ne annos suos otio, inertiaq; labefactari pateretur, uestem fœmineam, animumq; muliebrem in uirilem audaciam commutauit, & quæ pridem puella fuerat pudicissima, deinceps in piratico exercitio uirorum fortitudinem superare, aut æquare uidebatur. Nec paruus erat uirginum numerus, quæ se à uoluptatibus abstractas, ad idem militiæ propositum paratissimas offerebant.

Mirandum tamen non est ibi sæpe inuentas fuisse puellas in militari disciplina ab ipsis cunabulis educatas, quæ potius bellis q; nuptijs delectarentur. Viri enim Gothi magna seueritate matrimonia sua obseruantes, uxores suas in tori socias, & pares labores, non in dominas, siue ad delicias assumere consueuerunt. Proinde apud eos non mulier uiro, sed uir mulieri dotem assignat, ne coniunx ob magnitudinem dotis insolescens, aliquando ex placida consorte proterua euadat, atque in uirum dominari contendat, sed castissimam illam Romanam Lucretiam iugiter imitando, lanæ, texturęq; dedita, inter lucubrantes ancillas medijs ædibus commoretur, sitq; semper ad uiri imperium parata, nunc hæc, nunc illa difficilima negotia domi & foris administrare, perinde ac si uirilem fortitudinem haberet. Imo nec primis dominabus, aut ipsi Reginæ otiari permittitur. Quocirca minus difficile fuit Aluildæ magnam uirginum turbam secum ad militiam educere, eaq; ardua & præclara facinora ædere, quæ à fortibus uiris difficile præstari potuissent. Interea uerò cum uictrices turmas longe lateq; per mare Gothicum circumferret, accidit eam in quendam portum deuenire, in quem multi piratæ ad constituendum sibi Principem conuenerant.

Hi ergo non solum ob formæ pulchritudinem, sed ob res præclare ab ea gestas, ipsam in piraticæ Principem elegerunt. Nec spe sua decepti fuerunt: quippe tam strenue omnia belli negotia exequebatur, ut fœminam exuisse quiuis credere potuisset. Alphus autem fama militiæ eius comperta, se quoque ad piraticum opus accinxit, aut mortem, aut uirginem unice dilectam inter tot uastissimi maris discrimina reperturus. Nunc siquidem in altum proiectus, horrendis procellis repellebatur, nunc in angustiores sinus relapsus, latronum insidijs excipiebatur. Tandem postquam tot maria perlustrauerat, & tot pericula susti nuerat, omniaq; difficilima amantium studia in se expertus fuerat, optato casu in extremis Finningiæ, siue Finlandiæ recessibus, tempore algidissimæ hyemis ipsam inuenit, non muliebriter ad aspectum amatoris applaudantem, sed cruenta tela pro amatorijs signis retorquentem, tamq; pertinaciter se defensantem, ut omnibus persuasum esset, ipsam plus pudicitiam, quàm uitam conseruare uoluisse. Demum erecto per Alphum signo pacis, ad mutuũ colloquium deuenitur: in quo ex repugnante hoste charissimam coniugem effecit, plurimum lætatus eam sibi in mari occurrisse, quam in aula Regia repugnante seuera matre assequi nequiuisset. Genuitq; ex ea filiam Gyritham, unicam Regij sanguinis in Dania reparatricem. Plura huius Gothici Regis Siuardi opera in obliuionem unà cum multis aliorum Regis gestis abiuerunt, nisi quòd ab Ingone Sueonum Rege (cuius historiam nunc subijciemus) belle impetitus occubuerit.

De bellicis exercitijs mulierum.
CAP. XXVIII.



NE etiam huic proposito desint aliorum autorum præclara testimonia, de educatione, exercitijs, & triumphis Gothicarum mulierum, uideatur Iustinus lib. 2. Amazonum originem adducens: quem secutus Paulus Orosius, cum de Scytharum fœminis sermonem texuisset, Gothorum subinfert mentionem, ostendere uolens, qua de radice procederent Amazones. Testatur etiã Iordanes, Dionem Græcum, et Ablabium Senatorem Romanum secutus, professa uoce, Gothos fuisse, è quorum origine prodierint Amazones. Testatur etiam Iordanes, se duodecim libros Senatorum super eisdem rebus lectitasse, & inde, quæ scriberet, memoriter tenuisse. Si fortasse adessent libri illi, multò clariora, ac certiora testimonia in hac materia adduci possent. Attamen harum fœminarum asserit duas Reginas præcipuas ex toto agmine constitutas fuisse, ut domi forisq; res strenuè administrarentur. Vna Lampedo dicta, quæ domesticis rebus ordinandis, ac defendendis præfuit: altera Marpesia, quæ forensem militiam dirigebat. Hæc fæminarum agmine sumpto, armorumq; multiplici genere, uidelicet arcu, iaculis, securi, peltis, galeisq; coriarijs instructo, diuersas Asię gentes bello contriuit, castra collocans aliquanto tempore ad Caucasum montem: cui nomen teste Virgilio reliquit:

Quàm stet dura silex, quàm stet Marpesia cautes. Inde egressæ Armeniam, Ciliciam, Syriam, & Galatiam, ac Pisidiam, multaq; alia Asiæ loca occuparunt: ibiq; diutius demorantes, Ephesum, Smyrnam, Cirmam, Myrmam, Paphe, & alia munimenta condiderunt: templumq; Dianæ toto orbe celeberrimum, ob uenandi sagittandiq; studium, quibus artibus se tradiderant, mira pulchritudine apud Ephesum construxerunt. Quę res etsi multorum subnixa sit testimonijs de uirtute Amazonum, non tamen caret exemplis. Nam longè posterioribus seculis in gente Bohœmica inuentæ sunt puellæ, quę omne maris genus perosæ, imperium pluribus annis tenuere: armis exercitę, omnia uirorum agmina, quæ obuia fuere, per apertam uim diu prostrauere. Ad extremum dolo superatæ, magis deceptę, quàm uictæ feruntur, teste Aenea Syluio lib. primo historiarum Bohœmiæ, & Alberto Crantzio.

De eisdem àb externis exemplis.
CAP. XXIX.

QVid uerò meminerit Plutarchus, ueterum morum diligentissimus scrutator, in libro de Illustribus mulieribus apud Græcos, & Io. Bocatius apud Latinos, curiosus lector inquirat: etiam quomodo Eusebius Orosio, & Floro in libro temporum suffragatur, & Rhegyno Prumiensi, asserenti eandem ferocitatem in Hungarorum uiris, & mulieribus extitisse. Præterea Iordanes asserit, Gothicas mulieres primas in acie uersatas fuisse. Deinde Fl. Vopiscus, Blondus, ac alij attestantur, decem mulieres bellacissimas summa uirtute sub habitu uirili contra Aurelianum decertasse. quas & in triumphum traduxit. Paulus Diaco. asserit Longobardorum mulieres uiris deficientibus, sumptis armis in locum eorum processisse, stragemq; non minus uirilem, quàm formidabilem perfecisse. Refert etiam

Trebellius

Trebellius tractatu de triginta Tyrannis, Victorinam fœminam illustrem, tanto insignitam facinore, & titulo, ut castrorum se diceret matrem, Tetricumq; eius nepotem Cæsarem appellaret, & constitueret Galliarum. Quid etiam idem autor de Zenobia muliere potentissima meminerit, non paucis exemplis, & facinoribus attestatur, eam uidelicet bellicosissimo uiro suo Odenato, multorum graui sententia fuisse fortiorem, mulierem omnium Orientalium fœminarum nobilissimam, ac (Cornelio Capitolino teste) speciosissimam: de qua inferius nonnihil illustrius ostendetur. Refert etiam Vincent. in spe. histo. lib. 30. cap. 93. mulieres Giorgianorum equestris ordinis ad prælium fore doctas. Refert & Herodotus libro quarto ad longum, Amazones arcu tela excutere, iaculari, & equitare, & muliebria opera ignorare. Præterea uenatum ire equis insidentes, atq; adeò in prælium cum stolis proficisci, quemadmodum uiri. Sed postquàm admisere uirorum connubia in extrema Scythia Europæ habitantes, nulla uirgo nubit, priusquam aliquem hostium interemerit. Ideoq; nonnullæ earum decedunt iam uetulæ antequàm nubant, quòd legi satisfacere nequeant.

De bellis illustrium mulierum.
CAP. XXX.



NON est admirationi, aut incredulitati leuiter tribuendum, Gothicas præsertim mulieres olim maxima gessisse bella, dum ab ipsis cunabulis moribus seueris, & militaribus disciplinis educabantur, atque uirtutis neruos non luxuria, turpitudine, aut petulantia, sed armorum exercitijs, quasi singulo momento instrui permitterentur: ut delicatum uiuendi genus abhorrentes, corpus, animumq; patientia, ac labore durare ualerent, totamq; fœmineæ leuitatis mollitiem abijcere; atque muliebre ingenium in uirilem sæuitiam commutare: præcipuè quarum ingenij uigor, aut corporum agilitas maioribus signis spectatior apparebat. Hæ siquidem perinde ac natiuæ conditionis immemores, rigorem blanditijs anteferentes, bella pro basijs, arma pro amore, gladios pro delicijs elegerunt, sanguinem non oscula delibantes: manusq;, quas in telas aptare debuerant, telorum obsequijs exhibebant, ut iam non lecto, sed letho studentes, spiculis appeterent, quos sola specie mitigare potuissent. Nec paruus earum numerus erat, quæ se à uoluptatibus abstractas, ad idem militiæ propositum promptissimas offerebant. Neque exiguis rationibus parentes earum id fieri permittebant: ut illæsam pudicitiam ab insolentia pugilum armis defenderent, quos sceleris, & stupri horror ab inferenda uerecundia non reuocaret: utq; patriam, parentes, & innocuos malignorum uiolentia concuti non sinerent, quos naturæ benignitas gratissima munierat immunitate. Inter quas Sticla ponitur illustrissima uirgo Noruegiana, & Aluilda, ut superius cap. 27. dicebatur.

De eisdem.
CAP. XXXI.

TAntarum igitur mulierum ingenio & fortitudine, domi forisue regna & imperia augebantur, actaq; insigni strenuitate tuebantur, quemadmodum temporis progressu primæ earum soboles, & imitatrices Amazones euidentibus gestis demonstrarunt. Strabo tamen libro undecimo plurimum à fide distare existi-

mat, quicquid de earum magnificis gestis annosa fabulatur antiquitas, eò quòd nullam Rempub. ab Amazonibus sine uirorum adiutorio constitui posse persuadet: quasi impossibile foret naturalem furorem, astutaq; ingenia fœminarum, præsertim sub rigido cœlo genitarum, militaribus disciplinis posse indurari, & acerrima conficere bella. Sed in ea assertione, uel persuasione, longè diuersus est à Platone in septimo Dialogo de Legibus, scribente, suo tempore innumera mulierum millia circa Pontum militasse: quibus non equorum modò, uerumetiam arcuum, cæterorumq; armorum cura, exercitatioq; erat. Nec longè pòst de militari Amazonum fortitudine memoriam facit. Accedit & Virgilius 2. Aeneid. inter alia de Amazonibus loquens:

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens, medijsq; in millibus ardet,
Aurea subnectens exertæ cingula mammæ
Bellatrix, audetq; uiris concurrere uirgo.

Item: Qui Martem genuisse ferunt, hi spicula torquent.
Penthesilea tamen non inferiore securi.

Videatur etiam Sabellicus libro primo de Sarmaticis uirginibus. Præterea Vegetius libro secundo de Artemisia Rhodianorum. Item Herodotus libro septimo miratur Artemisiam aduersus Græciam nulla adactam necessitate, sed præstantia animi, atque uirilitate in militiam concedentem. Item Plutarchus in Vita Marij: Cimbrorum mulieres hostium arma sumpserunt: at deinde suorum rebus inclinatis, pueros ultra currus proiecerunt, & fœmineo furore, ut tamen uirili, ne in hostium potestatem deuenirent, occiderunt, terribilissimum spectaculum inspicientibus, & posteris seculis relinquentes. Aliæ Orosio, Valerio Maximo, & Eutropio asserentibus, dum à Mario impetrare non poterant, ut Vestalibus uirginibus perpetua clausura iungerentur, sibi ipsis mortem consciuerunt. Præterea Cæsar libro primo Comment. latè dicit: Mulieres uiros rogabant flentes, ut persisterēt, ne se & suos in seruitutem redigerent: & currus ipsis obuiam, ne effugerent, reposuerunt. Deinde Florus, & Cornelius Tacitus produnt quasdam acies iam inclinatas & labantes, à fœminis restitutas, constantia precum, & obiectu pectorum, ac cominus monstrata captiuitate, quam non tantum abhorruerunt, quantum ludibrio per stupri nefas affici formidarunt, prout simili casu refert Fl. Vopiscus de Proculo Cæsare, qui se fortem putabat pugilem, semigigantem, dum C. Sarmatarum uirgines in acie repertas, 15. dierum spatio constupraret. Quid uerò Claudius fecerit deuictis Gothicis mulieribus, curiosus lector apud Trebellium, Blondum, & Sabellicum facilè inueniet.

De Amazonum origine, tempore, moribus, rebus gestis.
Ioan. Mag. lib. 1.

Defuncto Tanausio Gothi Regem suffecturi, in diuersa uota ferebantur. Pars quantòcyus Regem substituendum consulebat: pars affirmabat non permittendam esse uni Principi totam Reipub. summam, sed plures Principes innumerabili multitudini præficiendos: pars querebatur de nimia liberalitate erga Sorinum Medorum Regem, cui tot populos & terras magno Gothici sanguinis discrimine acquisitas, facilius quàm prudentius subiecit & donauit: pars suadebat ui & armis easdem terras repetendas esse. Et hæc pars non solum suadebat, sed persuadebat toti multitudini, quæ toto æuo in prælijs uersata, magis arma quàm agros colere didicerat. Igitur præfectis sibi Ducibus, bellum longè lateq; diffundūt. Et cum remotiorem militiam extra patrium solum exercerent, uicini populi sumptis armis patriam eorum populabundi adoriuntur, facilem sibi uictoriam ob uirorum absentiam pollicentes. Sed didicerunt uiriles animos etiam Gothorum fœminis inesse: Quæ neglecta sexus fragilitate, arma repente corripiunt, tantoq; impetu feruntur in hostes, ut ipsos multiplici pudore affectos, fugam captare compellerent. Pudebat quippe fortes uiros à mulieribus superari, fugari, occidi. Sed infamis & sempiternus contemptus, quo erant à tam

tam fragili sexu perfusi, acceptam ignominiam reddidit grauiorem. Verum quo magis con cidit in hostibus uirilis animus, eo magis in fœminis inuicta animi fortitudo parabatur: quæ iam non tantum ijs qui uicti fuerant, sed omnibus in circuitu regionibus formidabiles esse cœperunt, principiumq; gloriosum Amazonum regno per occasionem, quam nunc subijcio, contulerunt.

Sed animaduertendum est nonnullos autores asserere, ipsas Amazones ex Scythis prodijsse, cum alij eas ex Gothis originem ducere contendant, quemadmodum Trogus Pompeius, & eius abbreuiator Iustinus, qui eas Scythas appellant. At ipse Paulus Orosius postquam earum memoriam fecerat, ad res Gothicas se conuertit, monstraturus eo contextu ipsas esse origine Gothas. Imo lib. 1. cap. decimosexto apertè testatur, ipsas fuisse Gothorum fœminas, & maiorem terrarum partem immensis cædibus deleuisse: quas etiam in eodem lib. cap. decimoquarto Scythas uocat. Iordanes quoq; suos autores Dionem Græcum, & Ablabium Gothum secutus, expresse affirmat ipsas ex Gothis prodijsse. Hanc igitur apparentem controuersiam facilè dissoluit Albertus Crantzius in sua historia Gothica, affirmans Gothos ex deuicta Scythica terra nomen, non originem contraxisse. Ego autem considerandum puto, nomen Scythæ non semper fuisse proprium illarum Aquilonarium terrarum, quæ à prima origine (ut dictum est) Ouim, teste Iordane, dicebantur. Deinde ab assidua exercitatione sagittandi dictæ sunt Scythæ: quod lingua Gothica sagittariæ artis peritum designat. Et ita esset latissima atq; generalis appellatio multarum nationum, non propria alicuius populi aut gentis: quanquam non ignorem Berosum Scythiam à Scytha Noë nepote appellasse, Græcos uero pridem Magogos dictos, in Scytharum nomen conuertisse, ut testatur Iosephus lib. 1. Antiq. Sed liberum iudicium lectori relinquo. Possem ego forsan in hoc loco pari ratione conqueri de Latinis scriptoribus: quia idem Iosephus in eodem primo libro suarum Antiqui. iustè Græcos reprehendit, quod pro sua libidine complura uocabula gentium ad suam inflexionem corrupissent. Cum enim extranea nomina Latino sermone uiolenter applicantur, ornatiorem quidem locutionem, sed non semper ueriorem efficiunt. Sed hęc modo quiescant. Ad Amazones reuertamur: quarum originem ab antiquissimis patriæ historijs hanc fuisse didici. Dum Gothi apud Cimerios habitarent regnoq; post fata Regis uacanti prouidere uellent, suborta est inter eos de substituendo Rege domestica & periculosa controuersia: quæ tantum inualuit, ut iam non consilijs & persuasionibus, sed armis res transigenda esset. Duo enim Regij sanguinis iuuenes, Filinus & Solaphitus suffulti auxilio ingentis multitudinis, pro suo uoto Regem creandum contendebant. Sed cum in medio conatu ita periclitarentur, ut nec in seipsos, nec in alios suæ partis proceres Regiam maiestatem transferri possent, patriam ipsam uel optimatum factione coacti, uel spontanea uoluntate prouocati, cum tota multitudine sibi adhærente, necnon cum coniugibus, & liberis quieuerunt, donec Cappadocia Pontica ui & armis occupata sedes in campis Themiscyreis iuxta fluenta Thermodoontis collocarent. Sed non permissi sunt æquè diuturnis atq; optatis sedibus perfrui. Nam finitimi cum comperissent se & sua prædę loco ab ipsis haberi, nec tutum esset contra inuictam eorum potentiam aperto Marte decernere, structis insidijs eos adoriuntur, & occidunt.

At uxores illorum, etsi graui dolore ferrent, se non solum exilio afflictas, sed maritorum solatio & auxilio destitutas, non tamen passæ sunt animos suos penitus usq; ad desperationem collabi, sed memores Gothicæ uirtutis, quæ in utroq; sexu præeminere solebat, statuerunt formam suam in uirilem habitum conuertere, omniaq; residua temporum momenta, ad excolendam militiam conferre, ne fortitudinis neruos illecebrarum contagione eneruari paterentur. Siquidem uoluptarium uiuendi genus post uirorum necem perosæ, corpus animumq; patientia ac labore firmare statuerunt, totamq; fœmineæ leuitatis mollitiem abdicantes, uirili seueritate uti se coëgerunt. Sed & tanta cura rei militaris notitiam captabant, ut fœminas exuisse quiuis putaret. Quippe natiuæ conditionis immemores, rigorem blanditijs, bella basijs prætulerunt, statimq; horrendo Martis amictu pręcinctę, in charissimorum coniugum occisores irreuocabili impetu irruerunt, ipsisq; trucidatis, fines imperij sui longe lateq; extensos, insigni atq; inaudita fortitudine defenderunt. Augebant Rempub. sine uiris, in omnem ætatem uirilis sexus sæuientes. Nam uiros, qui domi ab hostibus salui manserant, uel qui casu à bello intacti redierant, trucidarunt, ut par omnium orbitas paritatem in omni affectu & proposito conciliaret. Nubendi quoq; animum penitus abiecerunt, affirmantes non libertatem, sed seruitutem matrimonio inesse. Veruntamen non multo post tempore, pace armis quęsita, cum formidarēt ne prole rarescente deficerent, nundinas semel in anno constituunt, in quibus externos concubitus uicinarum gentium admittunt, ea conditione adiecta, ut reuoluto anno eadem die uiri reuertantur, recepturi à ma-

r 3 tribus

tribus quicquid masculini sexus præterito anno peperissent, quicquid uerò fœminini ædi-tum esset, matres ad arma & prælia erudirent. Neque enim uirgines earum ad pensa & fusum exercebantur, sed equis, & armis, & uenationibus tempora terebant, ut sanguinem non oscula delibantes, armorum potius quàm amorum officia frequentarent, manusque quas ad pensa & colum aptare debuerant, telorum usui exhiberent. Affirmant etiam nonnulli ipsas nouercali odio æditis masculis guttura confregisse. Quod forte tunc accidere potuit, cum genitores ad designatum diem minime redirent, abducturi filios quos genuissent. Alij dicunt, quòd crudeli filiorum trucidatione terrorem populis & nationibus ingerere uoluissent. Si enim mater proprio filio non pepercisset, quomodo in deuictos hostes se clementem exhiberet? Amazones autem dictæ fuerunt, quasi sine mamma: matres enim dextras mammas filiarum inurebant, ut essent iaculandis hastis, & intorquendis sagittis aptiores.

Sed credendum tamen non est, fœminarum multitudinem sine lege, aut sine Principibus longo tempore fuisse, & tot admiranda facinora sine præuijs Ducibus peregisse. Proinde eos autores sequor, qui dicunt ipsas statim post mortem Filini & Solophiti in Reginas extulisse Lampedam & Marpesiam, defunctorum iuuenum coniuges, quæ Martis filiæ dicebantur: non quòd eis Principum pluralitas in omni casu utilis uideretur, sed quia erant domi & foris tot difficiles labores superandi, ut utrique parti una Regina, quantumuis uirilem supergressa fiduciam, par esse nequiret. Igitur tum Lampeda ea, quæ domesticis rebus & patrio solo opportuna erant, prudenter administrat, Marpesia externam militiam usque in Asiam tanta magnanimitate deducit, ut non quibusuis Ducibus aut Principibus, sed summis Imperatoribus præferenda, aut comparanda putaretur. Nam diuersas gentes expugnando, alias sibi conciliando, uictricia arma usq; ad Caucasum montem extendit. Vbi cum aliquantulum morata fuisset, occasionem dedit, ut Marpesia illius loci rupes à doctis Poëtis nominaretur. Inde uictrices fœminæ se in totam minorem Asiam effundentes, Armeniam, Galatiam, Syriam, Ciliciam, Persidem, multasque alias Asiæ regiones potentissimas potenter subiugarunt: ibiq; diuturnas sedes eligentes, erexerunt magnificas urbes, arces munitissimas, suoq; nomini consecrarunt. Siquidem inter cætera præclara opera, Smyrnam & Ephesum urbes clarissimas condiderunt, atque ibidem in honorem Dianæ, quam ob assiduum uenandi sagittandiq; studium mirificè coluerunt, templum illud toto orbe admirandum construxerunt: quod postea quidam Herostratus sempiternum nomen comparaturus incendit. His igitur præstantissimis factis apparet, illas clarissimas fœminas non sola bellica fortitudine præditas fuisse, uerumetiam optimis humanæ & ciuilis uitæ institutis abundasse. Sed non caruerunt similibus exemplis in patrio solo: de quibus nonnihil infrà dicemus, cum naualem militiam Gothicarum fœminarum ex proposito attingemus. Nunc ad Amazones Asianas reuertamur: Quæ etsi satis prudenter in bello & pace se gererent, attamen feroces animos uicinorum Barbarorum ex omni parte mitigare nequiuerūt, quin saltem occultis conspirationibus molirentur mulierum imperium à suis ceruicibus excutere. Sola eis occasio diu optata defuit, quam tandem eo modo, qui sequitur, assecuti sunt. Nam cum Marpesia omnium preciosarum rerum supellectili & diuitijs abundaret, magnam partem fœminei exercitus prædis onustam, ad Lampedam Reginam domestica negocia curantem emisit. Hac emissione cum Asiani animaduerterent potentiam fœminarum plurimum diminutam, statuerunt longè honestius esse semel mori, quàm peregrinarum mulierum imperium cum tanto dedecore diutius sustinere.

Itaque coactis uiribus in prælium prodeunt: nec segniter occurrit Marpesia, quæ suo fœmineo agmine stipata, fortissimè pugnans occiditur, occisa prius ingenti multitudine Barbarorum. Sed nec ea cruenta uictoria potuit Asianos ab Amazonum imperio liberare. Quippe potentior Orithyia filia (quam alij Sinopen uel Antiopen uocant) in Amazonum regno matri Marpesiæ succedens, iugum in ceruices rebellium reposuit, imbellesq; uiros fortium fœminarum imperio parêre coëgit. Hæc tantæ erat pudicitiæ, ut nunquam se permiserit ab aliquo uiro cognosci, sed perpetua uirginitate admirandam bellicæ uirtutis gloriam cumulauit. Quod an superbo uirorum contemptu, an amore conseruandæ uirtutis fecerit, alij iudicent. Ego puto dedignatam uiri consortium, quæ potius uoluit uiris imperare, quàm alicui uirorum paritate nuptiarum sociari. Imò quanto magis contempta nuptiarum uoluptate uirtuti operam dabat, tanto maior formido omnes Amazonum hostes, qui summas uirtutes in earum principe considerabant, inuasit. Quis enim non magis metueret hostem Reginam prudentem, quàm Regem aliquem imprudentem, & uoluptatibus incubantem? Igitur potens & sapiens Græcorum Rex, quum consideraret hanc Amazonum Reginam magno excelsoq; animo uoluptatem contemnere, uirtutem colere, totoq;

conatu

conatu res præclaras aggredi, cœpit sibi & regno suo non parum formidare, ne tam admirandæ uirtutis mulier suam potentiam aliquando aduersus Græciam dilataret. Quocirca Herculi omnium Ducum suorum præstantissimo, cui ob singularem fortitudinem duodecim stipendia debebat, quasi impossibile negocium imperauit, ut arma Reginæ Amazonum inferret. Qui Regia iussa secutus, potentem classem instruxit: in quam non ignauum aut inexpertum militem, sed probatos proceres, & præcipuam Principum Græciæ iuuentutem induxit. Sed minus aliquid erat, quàm Herculeæ uirtutis opus: quod callidius quàm fortius absoluit. Enimuero postquam ab exploratoribus didicit Orithyiam in longinqua militia occupatam, rarumque fœminarum exercitum pro domestico præsidio relictum, quasi rem grandem facturus, classem comitante electissima Græciæ militia exilijt, & improuisas adoritur. Erat tunc altera Regina Antiope, ipsius Orithyiæ soror, quæ domi Rempublicæ administrabat. Hæc cum inopinatum sibi bellum ab hostibus, quos nunquam læserat, inferri uideret, etsi ad primum inimicorum impetum animo consternaretur, tamen pristinæ uirtutis contracto (ut casus permisit) exercitu fœminarum, audacius quàm felicius in hostes irrupit. Sed facilè superantur paucæ mulieres à multis uiris, imparatæ à paratis. Multæ enim occisæ: nec paucæ fuerunt, quæ ductæ sunt in triumphum: inter quas erant duæ sorores duarum Reginarum Orithyiæ & Antiopes, uidelicet Menalippa, quam Hercules, & Hippolyta, quam Theseus Rex Atheniensium captiuauit.

At Regina Antiope, datis Herculi armis, quæ pretiosa habebat, Menalippam ex captiua liberam fecit. Quod Martialis in suis epigrammatibus scribens ait: Peltatam Scythico discussit Amazona dono Alcides. Theseus autem Hippolytam coniugem duxit, atque Hippolytum ex ea genuit. Hac uictoria elatus Hercules, ad suum Regem concito cursu reuertitur, nolens potentem Orithyiæ exercitum iamiam aduentantem expectare. Illa enim postquam didicit sorores & socias ab hostibus oppugnari, ut necessariam opem afferret, celerrimo impetu aduolauit. Cumque comperisset hostem esse Græcorum Principem, multis modis & rationibus socias adhortatur in ultionem tantæ iniuriæ: Frustra, inquit, domueramus Pontum, Asiam & Syriam, si Græcorum bellis & rapinis nos uexari patiamur. Adiecit præterea non defuturos amicos & socios Principes, quibus odiosa esset Græcorum uis & insolentia, in quorum numero non postremus esset Sagillus Rex Gothorum: cui statim per legatos nuntiauit, se firmiter statuisse bellum Græcis inferre, non tantum ut suas & suarum sociarum iniurias ulciscatur, sed ut prædoceantur Græci, se non posse resistere fortitudini Gothorum, quando eorum fœminas ad bella doctas, promptas experirentur. Motus ea honesta & iusta legatione Sagillus, ingentem exercitum, cui Penaxagoram filium suum præfecerat, ad earum auxilium mittit. Sed cum hæ auxiliares copiæ itinerum impedimentis nimium retardarentur, & inter ipsas Amazones domestica seditio oriretur, bello Atheniensium superantur, siue uerius ad propria redire coguntur. Diu tamen fixa in cordibus earum permansit iniuria à Græcis accepta.

Pantasilea igitur, postquam Orithyia grauissimo suorum desiderio fatis concessit, regno Amazonum præficitur. Quo tempore quum Troiani se contra Græcos ad bellum præpararent, compertumque haberent, Amazones grauissimo odio in Græcos ferri, legatos ad Pantasileam mittunt, per quos nuntiant iam uenisse tempus, quo iniurias olim Amazonibus per Græcos illatas ulciscantur, dummodo patiantur se militari fortitudini Troianorum sociari. Non fuit hæc legatio ingrata potẽtissimę Reginę, quę ardentissimo Troiani Hectoris amore ardebat, & sæpe in animo uoluerat, quomodo posset parem gratiam referre Gręcis, à quibus iampridem Amazonum Principes & Reginæ in triumphum ductę fuerant. Quocirca non diu expectandum putans, exercitum non contemnendum ad Troiam adduxit, primoque impetu combustis Gręcorũ nauibus, eos in fugam conuertit: deinde non segniter, aut timidè in acie cõtra eos pro Troianis dimicans, fortissimos uiros in admirationem suæ uirtutis induxit. Quippe locum, quem uiuens pugnando occupauit, eundem prostrato in circuitu magno hostium numero moriens contexit. Hoc casu totus Amazonum exercitus in furorem uersus, nullo seruato ordine in hostes irrumpũt, fata, quibus Regina absumpta fuerat, in se ultro prouocantes. Sicque omnes illę, quæ ad bellũ prodierant, necessariò sunt deletę. Paucæ tamen quę domi manserant, se potentius & prudẽtius defendentes, usque ad tempora Alexandri Magni durauerunt. Cuius inuictam potentiam cum Amazonum Regina Calestris, siue Minuthyia fama (ut Iustinus refert) comperisset, nõ quieuit donec triginta dierum itinere confecto, trecentis mulierum millibus comitata ad eum peruenisset: felicem se existimans, si ex fortissimo totius orbis dominatore sobolem, quæ paternam fortunam & fortitudinem referret, conciperet. Itaque totis quatuordecim diebus concubitu Regis potita, cum sentiret se in utero concepisse, reditum ad proprium regnum accelerauit: in quo non lon-

go post tempore cum omnium Amazonum nomine extincta, deletaq; est. Hactenus de Amazonibus Gothorum fœminis: nunc ad Gothos redeamus. Prius tamen hoc in loco Strabo dissimulandus non est, qui affirmare uidetur, nullam Rempub. ab Amazonibus absque uirorum adiutorio constitui posse. Sed in ea assertione longè diuersus est à Platone, qui in Dialogo septimo de Legibus scribit, suo tempore innumera mulierum millia circa Pontum militasse, quibus non equorum modò, uerumetiam arcuum, ac cæterorum armorum cura exercitatioq; erat: nec longè post in eodem Dialogo de militari Amazonum fortitudine memoriam facit. Præterea in Diodoro Siculo longe mirabiliora libro tertio & quarto inuenies de Amazonibus, quàm nos annotare curauimus.

Continuaturus Gothorum Principum successionem, considero Rodericum Archiepiscopum Toletanum proximum locum post Magnum Philimerum Magni Gadarici filium, tribuisse Zentæ doctissimo Philosopho: quem alij rectius (ut puto) affirmant Gothis præfuisse, postquam commutatis sedibus ex Cimerijs ad Mesiam, Thraciamque, & Valachiam descendissent. Erat hic Zenta uir magni & admirandi ingenij, qui non solum ob generis nobilitatem, uerumetiam ob maximarum uirtutum eminentiam ad regnum Gothorum assumptus est. Enimuero cum esset prudentia, fortitudine, & religione insignis, toto desiderio ferebatur, ut Gothi humanioribus assuescerent legibus, & ciuilis uitæ institutis operam darent, uirtutem colerent, inter decus & dedecus discernerent, inhonesta fugerent, honesta eligerent, nec in sola fortitudine militari, prout hactenus sibi persuaserāt, omnium uirtutum summam collocarent. Siquidem militaris uitæ studium cæteris omnibus præclarius esse ducebant, ut ipsum Martem (quem antiquitas Deum bellorum putauit) apud se dicerent natum & educatum. Hinc ille Sueticus pugil Starcaterus ex ore Danici Saxonis cecinit:

Sub signis Gradiue tuis discrimine summo
Consenui, uictoq; metu pugnare decorum,
Turpe uacare ratus, crebras committere cædes
Egregium duxi, & strages celebrare frequentes.

De quo infrà latius. Verum sub hoc sapiente Rege Zenta non solum fortitudine, sed sapientia clariores euaserunt. Nulla enim ætate eis defuerunt, à quibus in sapientia erudirentur. Vnde & penè cæteris nationibus Gothi sapientiores extitisse perhibentur, Græcisque penè similes, ut testatur Dion, qui historias eorum patrio sermone composuit: qui etiam dicit Parabusceos, deinde Pileatos apud eos uocatos fuisse, qui nobiliores & illustriores habebantur: ex quibus Reges & sacerdotes sibi cooptabant. Verum in hoc crudeles putabantur, quòd Martem belli Deum semper (ut diximus) asperrima placauere cultura, morte uidelicet captiuorum: opinantes bellorum præsidem aptius humano sanguine placari.

Post mortem Zentæ inuenio Sagillum Gothis præfuisse, uerum proximéne an alijs intermedijs successerit, compertum non habeo. Est tamen præclara in historijs eius memoria, quòd non solum domi & in patria egregiam laudem ex magnificis & memorabilibus factis assecutus sit, sed etiam foris longe lateque sui imperij fines extenderit. Corinthiorum, Atheniensium, omniumque Græcorum perpetuus & acerrimus hostis fuit, in Troianorum partem semper propensior, prouocatus illa intolerabili iniuria, quæ (ut paulo antè diximus) irrogata fuerat Amazonibus à Græcorum Principibus, nulla hostilitate prius nunciata. Ea enim erat inter Gothos & Amazones necessitudo & cognatio, ut Gothi suas iniurias ducerent, quæcunque illatæ essent Amazonibus, quas ex Gothico sanguine procreatas, non secus ac sorores & filias amarent, ac tuerentur. Cætera huius Sagilli facinora, quia historiarum scriptores tunc nulli aut pauci erant, in obliuionem euanuerunt.

Penaxagoras præmortuo Sagillo patri in regno Gothorum successit, eadem magnitudine animi qua pater, ad bella uel pacem instructus. Amazones summo amore, Græcos inextinguibili odio prosequebatur. Enimuero ad memoriam reuocans, quomodo iampridem uiuente & præcipiente patre Rege Sagillo, ingentem exercitum pro tutandis Amazonibus à Græcorum iniurijs frustra contraxisset, statuit iterum belli fortunam pro honore & libertate ipsarū experiri. Itaq; illi inuictissimo Duci Herculi, cuius ductu audacia Grecorum inopinantes atq; imparatas mulieres non ferendis iniurijs affecerat, bellum indixit. At Hercules ut erat corpore robustissimo, ita animum prudentem, & ad auertendū futura pericula satis eruditū habebat. Proinde per idoneos oratores ad Penaxagorā missos, primū præteriti tēporis iniurias deprecatur, deinde pacis cōditiones sibi ab eo prescribi rogat: demū eius

sororem

sororem Augem præstantissimam uirginem in coniugem postulat. Penaxagoras autem proposita hac legatione, multa meditari cœpit, an condonandæ essent iniuriæ tam atroces, quæ non suæ, sed sociarum Amazonum essent. Tandem à suis sapientibus persuasus, inter has & ipsum Herculem pacem amicitiamq; composuit: nec indignum putauit fortissimum uirum, cuius magnifica gesta ubiq; usq; ad sydera efferebantur, nobilissimæ sorori suæ matrimonio copulari. Ex hac Auge Hercules filium suscepit, cui mater Gothicum nomẽ Eleff imposuisse uidetur. Hodie enim plurimi in patria Gothorum Elephi appellantur. Postea præposita litera T capitali, fecit nomen à Gothica denominatione differre. Ipse quoq; pater eundem filium ita ad egregia fortitudinis opera, & militarem disciplinam instituendum curauit, ut fortissimo patri similis filius in omni uirtute haberetur, nimis indecorum ratus, si paternæ fortitudinis imago in degenere filio obscurari notaretur.

Telephus in locum Penaxagoræ auunculi sine liberis defuncti in Regem Gothorum assumptus est, postquam ex Cimerijs regionibus in Mesiam retro abierant, sedesq; ibi firmauerant. Hic cum ex matre fortitudinem Gothicam, & ex patre Herculeas uires & prudentiam, quasi quædam hæreditaria bona consecutus fuisset, non solum militari disciplina, in qua plurimum ualuit, sed rerum gerendarum prudentia, in qua admirabilis apparuit, Gothos in omni uirtute & uirtutum officijs continebat. Huius tempore gerebatur illud diuturnum, crudele, & sanguinarium bellum Troianum, ob unius mulieris amorem inter Grẹcos & Troianos susceptum, omniumq; qui interfuerunt, aut præfuerunt, summa infelicitate. Siquidem ex Troianis antequam urbs caperetur, sexaginta septem millia, post captam uerò (si historijs credendum est) ducenta septuaginta octo millia: ex Græcis autem octingenta septuaginta sex millia desiderata referuntur. Hic Telephus ob gentis Gothicæ insignem fortitudinem multis legationibus ab utraq; parte, Græcorum uidelicet & Troianorum, ad belli societatem uocatus, demum partibus Troianorum accessit, quia Priami eorum Regis sororem coniugem habebat, ex qua præclaræ indolis filium Euriphilum in spem generis suscitauerat. Quo domi apud prẹceptores relicto, ad Troiam accelerato gressu peruenit. Cui aduentanti Tessander Græcorum fortissimus Dux, se totamq; sui exercitus aciem obiecit, tanquam Herculem patrem in fortissimo filio superaturus: at contrarium quàm sperabat euenit. Nam à manibus Telephi uulnere cruento & mortifero suscepto, corruens expirauit. Hunc casum amaro animo Aiax Vlyssesq; ferentes, sese mutuò in ultionem extincti Ducis hortantur: acerrimisque animis in ipsum Telephum conuersi, statuerunt aut mortuum amicum uindicare, ut in numerum incidere uindicandorum. Nec minore fortitudine Telephus imminentes suo capiti gladios auertere conabatur. Sed quæ Herculea uis satis esse potuit contra tres præstantissimos totius Græciæ Duces, à quibus pertinacissimè oppugnabatur? Nam dum Aiacem uehementius imminentem infestus inuadit, Vlyssemq; à latere adorientem persequitur, equo cadente sublabitur, fortissimiq; Achillis iaculo femore sauciatus diu curari nequiuit. Grẹcos tamen, quamuis fractis esset uiribus, ea parte quam defendit, perturbauit.

Mortuo in Troiano bello Telepho, Gothi ad filium eius Euriphilum maximæ spei adolescentem Gothici regni administrationem deferentes, prudenter existimabant se in nullum magis idoneum, aut æque dignum tanti muneris onus conferre posse. Nam præter illam eximiam nobilitatem, qua post longam successionem Regum ac potentissimorum Principum illustris erat, etiam in omnibus moribus eius ita integritas apparebat, quam optimæ spei Principes de se polliceri consueuerunt. Quiq; ne à patria & auita fortitudine degenerare notaretur, se ad Troianum bellum nullis periculis perterritus contulit, laturus opem auunculo suo Priamo Troiæ Regi, quàm (ut diximus) Grẹcorum Principes pertinacissimo odio oppugnabant, & tandem expugnant: quanquam nonnulli affirmant ipsum Euriphilum ob eximium Cassandrẹ amorem, quo adolescens accensus erat, omnia illa difficillima pericula itinerum & bellorum sustinuisse. Verum dum fortius quàm prudentius importunas ac potentes Græcorum turmas insequitur, ab eis non sine publico suorum planctu, præsertim matris & auunculi, in primo iuuentutis suæ flore trucidatur.

Iterum

Iterum de bellacibus fœminis, & excellentissima Regina Amalasuenta.

CAP. XXXII.



ERant præterea multæ aliæ bellaces fœminæ, nedum Gothici germinis illustres, sed & aliæ complures aliarum nationum clarissimæ, fortissimæq́ue mulieres. Et in primis ad Septentrionem reflectendo, præter supradictas occurrunt Orithyia, Antiope, Calestris, siue Minuthyia libro primo historiarum Gothicarum capite 32. per charissimum fratrem meum cum Amazonibus, & earum gestis diligenter annotatæ. Demum quæ domesticis prælijs, uti superius hoc libro capite octauo uidetur, ijsdemq́ acerrimis fuerint implicatæ, ueluti sunt Heta, Vegtbiorga, Landgertha, Aluilda, Rusila, Sela, Sticla, & similibus bellis, ubi opus fuerit inferius annotandum. Meminit etiam diligentissimus omnium nationum scriptor Albertus Crantzius, Decanus Hamburgensis, multas illustrissimas puellas inter Vandalos, uti Libussam, Valiscam Visnam, tum ob pudicitiam defendendam, tum cupidinem gloriæ, & honoris, strenuè militauisse, quemadmodum rarissimi exempli fœminas contra Græcos in Troia Penthesileam & Artemisiam, & apud Romanos Camillam, apud Bohœmos & Vandalos Libussam uiraginem: licet ad ultimum magis insidijs, quàm bello uictas pugnauisse, deletasq́ pro maiori parte fuisse, præcipuè Valiscam apud Bohœmos, postquàm septem annis strenuè præfuerat cum puellis suis. Erat etiam inter Gothicas mulieres illustrissima, ac prudentissima illa Amalasuenta filia Theoderici Regis Gothorum, & Italiæ: cuius fœminę tot nobilissimi scriptores, Gręci scilicet & Latini, meminerunt, quemadmodum Iordanes, Procopius, & alij, multo autem diffusius Suidas dicit: Amalasunta Athalarici mater, iustitię cultrix, ingenio uirilem uirtutem referens, quoad Vrbi pręfuit, neminem à Romanis, neq; corpore, neq; re nummaria multauit, neq; ullo pacto Gothis, cum in Vrbem sęuire uellent, permisit, aut consensit. Gnatum etiam inter Romanos magistratus communi eorum uitę usu uoluit teneri: adegitq́ ut literatores audiret: delectis è Gothorum principibus, qui annis, usu rerum gubernandarum, & moderatione animi pręstabant, eos Athlarico gnato ad communem usum studiorum iuuenilium socios addidit, &c. Verba pręterea Theodoati Regis Gothorum de eadem Amalasuenta hęc sunt: In ipsa est decus regnorum omnium: in ipsa flos honorum nostrę originis: quicquid fulgemus, ab eius claritate suscipimus: quoniam non solum parentibus laudem contulit, sed ipsum quoque genus humanitatis ornauit. Quis possit sufficienter edicere, quanta pietate, quanto morum pondere decoretur? Discerent profectò noua philosophi, si uiderent, & minora libris suis faterentur condita, quàm huic cognoscerent attributa. In tractatibus acuta, sed ad loquendum summa moderatione grauissima. Hęc est procul dubio Regalis uirtus, celerius necessaria sentire, & tardius in uerba prorumpere. Nescit enim pœnitenda loqui, qui proferenda prius suo tradidit examini. Beata Respub. quę tantæ dominę gubernatione gloriatur, &c. Reliquas huius gloriosissimę Reginę uirtutes Albertus Crantzius amplius prosequens, omnibus eas inspicere cupientibus, pulcherrimo ordine, & ratione exhibet manifestas.

De Ama-

De Amalasuenta laudatißima Regina incliti Theoderici Gothorum Regis filia, quam pater Euchario nobilißimo Gotho, ex Balthorum prosapia oriundo, Veterici filio, uxorem tradidit. Ioan. Mag. lib. 10.

Amalasuenta deinde paterno imperio potitur, quam nonnulli ob Gothicæ linguæ ignorantiam Amalasuntam uocant, cum Sunta apud Gothos in nullo usu sit, Suenta uerò iuuenculam, & Suen adolescentulum significet. Igitur Amalasuenta iuuenculam ex Amalorum nobilissima familia genitã ostendit. Hæc filia erat Theoderici, eiq; non extante prole masculina, in regno cum filio suo Atalarico, septenni puero, quem ex Euchario Gotho, & magnæ nobilitatis uiro susceperat, successit: de cuius egregijs laudibus plurima à grauissimis autoribus scripta inueniuntur, præsertim ab integerrimo uiro Cassiodoro, Romanæ urbis Senatore, à quo nonnulla breuiter excepimus. Inquit enim neminem eam mulierem sine ueneratione uidere potuisse, audire loquentem fuisse miraculum, Græcis Latinisq; literis egregie fuisse imbutam, omnium gentium nationumq;, quibus cum Romano imperio aliqua esset consuetudo, linguam nouisse, uernaculæ uocis sono, quasi inde duxisset originem, loquutam: tantæ autem grauitatis, ac in simulando & dissimulãdo prudentię, ut cum improbos redargueret, acriusq; increparet, nihil sibi quod acerbum esset illatũ & dicerent, & sentirent. Quibus ex rebus tantam sibi comparasse dicit tum autoritatem, tum amorem, ut illi non paruisse, etiamsi nulla timeretur pœna, nefarium duceretur.

Hæc sapiens mulier primam curam post susceptum regnum adhibuit, ut publicam gratiam, quam pater suggestione malignorum hominum imprudenter deceptus amiserat, prudentius agendo recuperaret. Quocirca Symmachi & Boëtij filijs, ablatum paterna seueritate patrimonium restituit, alijsq; compluribus operibus summa laude meritò extollendis, paternam culpam abolere contendit. Filium Atalaricum ut Romanis moribus, & disciplina instrueretur, summopere curauit, ut facilè in optimum Principẽ euasisset, nisi tres Gothi illius educatores, rapinis (quibus assueti erant) inhiantes, prudens id Reginæ consilium peruertissent, affirmantes Gothorum proceribus nequaquam placere, eorũ Regem sub magistrorum formidine educari, qui minas & uerbera incutientes, non fortem Regem, sed meticulosum seruum efficerent, cum contrà magis expediret, uitam inter Gothorum duritiem acturum, omni maiorum reuerẽtia solutum, inter coæuos uiuere, armaq; & equos tractare, quibus animi uigor, generositasq; à maioribus accepta indies augeretur. Illudq; sedulò dicebant, Theodericum ipsum liberos ad ludimagistros non mittendos quocunq; pacto censuisse, idq; frequentius usurpasse: Haudquaquam eos quos ferulæ timor iam semel inuasisset, gladios & lanceas magnifacturos. Vnde par fore ducebant, Amalasuenta ut minimè præteriret Theodericum patrem, qui cum tantarum Rex sit urbium factus, & regnum susceperit, nulla ex parte contigerit literas ipsas, nec auditas quidem uspiam perceperit. Quocirca Regina, inquiunt, pædagogos istos missos nunc facito, & Atalarico qui secũ uiuant coæuos dato, ut ętate una & florida prouehantur, & ad uirtutem uirilitatemq; impellantur.

Hæc etsi Reginam non latebant quorsum tenderent, tamen ne refragari eorum postulationi uideretur, consensit. Adolescensq; æqualium conuersationi traditus, breui admodum tempore in lasciuiorem uitã, scortaq; & libidines, ac cæteras huiusmodi uoluptates transuectus est. Matri uerò, præsertim post Iustini Imperatoris fatum, cuius potentiam formidabat, adeò repugnans esse cœpit, propter malos suasores, ut neq; adire illam, neq; alloqui dignaretur. Quibus artibus cum prudentissima Regina intelligeret se ab aduersarijs oppugnari, regnoq; priuari, non tulit dolorem magni animi mulier, sed tres illos Gothorum proceres, qui autores suasoresq; malorum consiliorum puero erant, primum in diuersis Italię prouincias, ne Regiam indolem penitus corrumperent, emittere, deinde missis clàm percussoribus occidi curauit. Quo peracto adolescentem sibi reconciliauit, ipsumq; melioribus consilijs imbuens, effecit, ut spem de se bonam (si per fata licuisset) polliceretur.

Atalaricus igitur paulò adolescentior Theoderici ex filia (ut dictum est) nepos, quamuis à principio ad quorundam malignorum suggestionem contempta matre regni gubernacula præripere conaretur, attamen prudentia matris ad mitiorem animum reuersus, talem se deinceps exhibuit, ut Cassiodorus affirmet, ipsum omnia ad exemplar aui Theoderici gessisse, & quandoq; melioribus consilijs usum fuisse. Quamuis enim sectam Arrianam à patre acceptam tueretur, Bonifacium tamen, & Ioannem (cui etiam Mercurio nomen erat) Summos Pontifices, qui successiuè per eius tempora fuerunt, non solũ prosecutus est magnis fauoribus, & honore, sed & à Rom. Senatu, ac populo honorãdos curauit. Extant etiã eius de-

creta de Episcopis à Romano Pontifice, & nullo alio ordinandis: de rebus sacris à nemine distrahendis; & demum de ecclesiastica libertate seuerius conseruanda. Præterea Romam, & omnes Italiæ urbes à ciuitatibus frequentari, bonisq; artibus operam dari præcepit. Salarium in urbe Roma liberalium artium præceptoribus (quod multis annis omissum fuerat) constituit. Publica Vrbis ædificia uel fortuito casu, uel uetustate collapsa, quæ pater instaurare inchoauit, adeò diligenter continuauit, ut necessarium fuerit aliunde marmora adduci quæ iam in ruinis, & exhaustis ruderibus deficiebant. Itaque omnia ad prudentissimæ matris consilia, & materni aui exempla disponens, nihil ab eo perperam perpetratũ credimus præter illius pessimi delatoris Opilionis, qui optimis uiris Symmacho & Boëtio uitam, clarissimoq; Regi Theoderico optimam famam abstulerat, sublimationem ad ærarij præfecturam, quem iustius legibus puniendum tradidisset.

Tandem est ingesta in regnum pueri non parua difficultas, ob Francorum Burgundionumq; in Italiam irruptionem: quam hũc maximè in modum factam fuisse didicimus. Clodomirus, Childebertusq;, Clodouei Frãcorum Regis filij, mortuo patre paternum regnum ita diuiserunt, ut eorum nepoti Theoberto (quem in Metensibus Regem constituerant) partes Burgundiæ Germaniæq;, quas occupauerat Clodoueus, quæq; in Alpibus ad Italiã spectant, assignarent. Qui quoniam rapinis assuetus esset, uicinas Italiæ partes molestare, atq; uastare contendit. Quod cum Amalasuenta intellexisset, missis ad Francorum Reges legatis, ostendit ualde necessarium fore, ut omnis controuersię materia inter Italiam, & Principes Italię uicinos, quantotyus aboleatur, ni uelint omnes ab Imperatore Iustiniano impugnari, & expugnari. Impetrauitq; prudens Regina per eam legationem, fœdera inter Atalaricum filium, & Theobertum constitui, & confirmari: Theoberto Romanam prouinciam in uim ipsorum fœderum retinente. Nec parum cumulata sunt pueri Regis incommoda, quòd Regina Theodatum consobrinum suum, à populis Hetrurię ob iniquas exactiones accusatum, ad restitutionem compulerit. Is enim tam iustam Reginæ sententiam perinde ac grauem iniuriam interpretatus, cœpit (ut autor est Procopius) agere apud Iustinianum Imperatorem de Italiæ ad imperiũ restitutione. In his cogitationibus occupato Theodato, Reginaq; in multa rerum perplexitate fluctuante, præmaturus Atalarici Regis obitus omnes eorum cogitationes in noua consilia permutauit.

Anno enim octauo, siue (ut alijs placet decimo, postquàm à Regina matre in regni consortium assumptus fuerat, diem clausit extremum. Tum Regina in maiore perplexitate constituta, cogitare cœpit, quomodo suæ orbitati, & publicæ Gothorum saluti melius efficaciusq; consulere posset. Tandem postquàm diu multumq; de rerum gerendarum ordine deliberasset, Theodatum Hetrurię, & magnę partis Italiæ Principem, qui solus ex Theoderici sanguine restabat, ad se inuitatum, magna & singulari humanitate excepit, eumq; (teste Procopio) multis idoneisq; uerbis ad id inducere contendit, ut præteritarum controuersiarum oblitus, cogitare uelit, quomodo Gothorum regnum singulari Theoderici prudentia fundatum, erectum, & auctum conseruari possit, & si iureiurando se obligare uellet, ut pręteritarum iniuriarum memoriam à se penitus abijceret, ipsa eum primò in suum maritum, deinde Regem, & regni consortem assumeret. His Theodatus omnibus auditis, quæcunque Amalasuentæ animo essent, fraudulenter per sacra iurans, facturum se omnino pollicetur. Hoc pacto Amalasuenta partim propria sententia, partim Theòdati iuramento elusa, hunc in Regem constituit, futurum credens, ut quem pater Theodericus uiuens multis magnisq; beneficijs (considerata eius indole, quæ optima uidebatur) affecerat, in nullo prorsus ab auitis uel paternis moribus degeneraret. Videbatur enim adolescens ingenio esse mitiore, et ad disciplinã uirtutesq; liberales accõmodo. Erat enim literis Græcis, Latinisq; liberaliter eruditus, multum in Philosophia uersatus. Platonem plurimum in manibus habebat. Scripsit sui temporis historiam. Videbaturq; laudis, & gloriæ cupidior, cæterum natura imbecillis, & inconstans: multis uitijs ita laborabat, ut nulli rei præterquàm cumulandę pecuniæ, cui auidissimè inseruiebat, uideretur idoneus. Regina tamẽ impellente, unicum inuitus regno ædidit uirtutis officium. Nam dum Amalasuenta Rauennæ constituta ipsum in regni consortem assumpsit, Theobertus Metensium Rex, multa Burgundionum armatorum millia in Liguriam, atq; Aemiliam, Alemannos uerò in Venetiam misit: quibus Theodatus magno Gothorum Italorumq; exercitu succinctus, obuiam iuit, commissoq; pręlio, utranque gentem non sine illarum cęde Italia eiecit. Deinde misso exercitu, quem in utraq; expeditione habuerat, prouinciam Romanam per legatos recuperat. Interim eximia Reginę uirtus multas ipsius Regis ineptias, prudenter omnia administrando tegebat.

Theodatus ergo summa Amalasuentæ gratia ad Gothici regni fastigium sublimatus, quãdiu omnia Regię maiestatis negotia ex cõsilio sapiẽtissimæ cõiugis exequebatur, tã diu

publicæ

publicæ omnium subditorum utilitati suæq; propriæ cōsuluit honestati. Ex eius siquidem consilijs, omnia illa præclara facinora, quæ Cassiodorus in suis Epistolis Theodato attribuit, prodierunt. Hinc enim pax à Iustiniano Imperatore, & Francorum Regibus, ac eorum nepote Theoberto, per datas multiplices epistolas, missosq; oratores, etiam ex Senatu, enixius petita: hinc Summi Pontificis ueneratio, & suscepta accuratius cleri, sacrarumq; rerum protectio: hinc aduecta magnis sumptibus à Constantinopoli marmora, quibus Romam ornari curauit: hinc illa liberalitas processit, qua in Ligures, Aemiliensesq;, & Venetos usus fuit. Ipsis enim populis ob accepta à Burgundionibus Germanisq; damna, tertiæ partis unius anni annonam ex publico est largitus. Quam quidem annonam Ligures, Aemilienses, Papienses, & Veneti, ex Taruisino & Tridentino horreis acceperunt. Hūc etiam Regem scribit Cassiodorus elephantes tunc ex ære uia sacra, ad naturalem bestię magnitudinem extantes, quę ruinam minabantur, instaurari iussisse, ea (ut uidetur) ratione, quod pueri adolescentesq; Romani, uisa bestiarum magnitudine, in quas eorum parentes pro patria & decore pugnauissent, animos ad fortitudinem maiorum eleuarent. Sed breuis hospes erat uirtus in corde tyranni. Pauco enim tempore euoluto, optima Regina compertum habuit, se nihilo feliciorem fuisse in consobrino, quàm in filio arrogando. Deposito siquidem respectu, quem ad illustrissimam Reginam habebat, auarum ignauumq; se prodidit, laborem fugere, inertiæ sese dedere, odisse tam uirtutem, quàm uirtuti deditos, congregandæ pecuniæ incumbere, ut dicere non dubitaret, se sibi prouidere, ne fortè si dimittendum fuerit regnum, uitam non posset ducere. Infelix in utroq; Regina, cuncta ut poterat administrabat.

Ferebat indignè quoq; Theodatus omnia, quæ prudens Regina attentabat: & iam neq; ipse facere, neq; Reginam permittere poterat. Moxq; homo ingratissimus, ad summam ingratitudinem adactus, quasi aliena uirtus sibi dedecori esset, eam in lacus Vulsinensis insulam relegauit: deinde ut atrox facinus atrociore crudelitate cumularet, noluit eam aliquo simplici mortis genere interire, sed crudelissimis uiris, quorum ipsa propinquos ob filij corruptionem iustissimè necari fecerat, eam (prout uellet) occidendam reliquit. Quis enim dubitat, quin illi ipsam uarijs, atq; exquisitis supplicijs afflixerint, quando per ingratissimum Regem licuit eam pro sua ipsorum uoluntate trucidare? Quæ res ut Italos præ cæteris omnibus, ita & Gothos uniuersos intolerabili mœrore affecit. Erat enim hæc fœmina (ut suprà ex Cassiodoro ostendimus) quibusuis humanis uirtutibus excellentissimè decorata. Quocirca Theodatus omnibus inuisus, publico atq; inextinguibili odio laborare cœpit. Improbum quippe scelus omnes detestabantur: tantamq; ex eius enormitate inuidiam conflauit, ut nullus propè, aut procul positus, ipsum sine horrore potuerit nominare, aut nominatū audire. Statimq; Iustiniani oratores, qui nuper aduenerāt, audita illustrissimæ fœminæ morte tam indignè perpetrata, præsente Theodato, & adstantibus Gothis, Deum & homines simul obtestabātur, eos omnino ob id scelus à Iustiniani fœdere disiunctos esse, nec ab ipso aliud quàm conflictum & uindictam expectarent. Theodatus uerò prorsus imprudens, Amalasuentę interfectores in summo honore cultuq; habebat, illisq; se bene uelle palam ostendebat: & tamen ipsi Imperatori, et Petro inter Imperiales legatos precipuo, persuadere contendit, Amalasuentam non suo iussu, aut consensu, sed quorundam Gothorum temeritate interemptam. Verum hæc Theodati in optimam simul & iustissimam Reginam perfidia, iusto Dei iudicio non diu mansit impunita.

De commendatione pudicitiæ.
CAP. XXXIII.

Visa itaque incomparabilis Reginæ heroica uirtute, dignum est, unde hanc hauserit, & effundere potuerit (ut ijs pręclaris eximię laudis honorificis titulis ferè uniuersis sui æui illustrissimis mulieribus, uel anteferri meruerit, uel ęquiparari) per aliquot indicia fœmineæ probitatis ostendere, atq; cęteris accessum tribuere, ut huius, & similium illustrissimarum fœminarum fieri ualeant imitatrices. Credendum ergo est, hāc à parentibus ita pudicis exemplis, honestis moribus, & castis disciplinis institutam fuisse, ut nullibi uel domi uel foris, signo uel uerbo, nutu uel negligentia impuros admiserit inspectores, uel collocatores, omnis pudicitię turpissimos insidiatores. Habuere ueteres Gothi, pręsertim illustriores familiæ, seuerissimam educandorum liberorum disciplinā, ut probis moribus, & honestis exercitijs (ut infrà lib. 14. cap. 2. & 3. ac 4. demonstratur) ad quæ eorum

processura ætas accederet, educarentur: masculos scilicet ad militiæ rudimenta, & fœmellas ad silentium, pudorem, & sobrium ornatum domesticæ, & propriȩ curæ: non in uestibus pretiosis auro, uel gemmis extructis, luxuriȩ & libidinis alectricibus, sed habitu simplici, tutioris pudicitiæ cooperatore, ne qua saltem suspicio lasciuiens exterius appareat, quòd intus in mente corrupta exæstuat iniquus assensus: qui sola oculorum auersione, & occasione purgari poterit, ne uiolatæ, uel uiolandȩ pudicitiȩ rumorē accendat: quo sicut nil leuius, uel celerius circumuolat, ita diligenter auertenda est omnis suspicio, & species mali. Quæ enim semel audit siue iure, siue etiam iniuria, magna cum difficultate populi famā recuperare potest: fœmina enim suspectæ pudicitiȩ infelicem uitam agit. At quando non omnia in optima fœmina esse possunt, pudicitia sola est, quæ supplet, quȩcunque desunt. Hȩc dotis inopiam auget: deformitatem non modò ornat, uerùm ad pulchritudinis speciem redigit: ignobilitatem illustrat: & deniq; cuncta adimplet, quæ aliqua ex parte deesse possent. Pudicitia gratam parentibus, maioribusq; matronam facit: cuius sanguinem nullo adulterio uitiatum suspicatur, hæc eandem liberis commendatissimam reddit: quibus nec de matre unquam erubescendum est, nec de patre ambigendum. Hȩc deniq; efficit, ut neq; iurgia, neq; suspicionem formidet, cùm sibi conscia sit, ab omni externi corporis congressu se innoxiam esse: pro qua nedum luctandum est, sed omne certamen (ut supra cap. 30. dictum est) subeundum, ne pudicitia, aut uirginitas amittatur: quemadmodum de multis uirginibus constantissimis in sacris, & profanis historijs sine ulteriori repetitione relinquitur manifestum: idq; genus triumphantium eò reputatur laude perpetua commendabilius, quò in omni bellorum genere difficilius est prosternere proprias passiones. Mulier autem carnis illecebris superata, uestem (scelere pessimo admisso) mutat, omnemq; uerecundiam, & pudicitiam deponit, atq; in quæq; turpissima flagitia ruit: à cuius malitia, uelut exitiali toxico, omnibus est cauendum:

LIBRI QVINTI FINIS.





OLAI MAGNI GOTHI ARCIEPISCOPI VPSALENSIS DE MINERIS ET Metallis

LIBER SEXTVS.

PRAEFATIO.



QVIA durum, & indomabile genus bellatorum Septentrionis, Suetiæ & Gothiæ minerales montes inhabitans, ob ingentem animi, & corporis ferocitatem, animositatem, ac etiam propter durissima exercitia, quibus implicatur, gigātibus, & pugilibus debitè poterit assimilari. Ideoq; eisdem gigantibus, & pugilibus in ordine rerum Aquilonarium annecti meretur, & subsequētibus ob diuersa armorū genera, quibus utraq; pars utitur, anteferri. Hacq; ratione aliorum scriptorum ordine, & forma non seruata, nonnihil de Mineralibus rebus inferendum erit, unde paramenta pro ostensione subsequentium præliorū distinctius quò fieri posset, assumantur. Montes igitur excelsi sunt, sed pro maiori parte steriles, & aridi, in quibus ferè nihil aliud pro incolarū cōmoditate, & conseruatione gignitur, quàm inexhausta pretiosorū metallorum ubertas: qua satis opulenti, fertilesq; sunt in omnibus uitæ necessarijs, forsitan & superfluis aliunde si libet conquirendis, unanimiq; robore, ac uiribus, ubi uis contra hæc naturæ dona intentata fuerit, defendendis. Acre enim genus hominū est, nullis bellorum asperitatibus, ob qualemcunq; elementorum asperitatem, aut hostiles minas, cedens, prout infrà de bellis campestribus erit ostendendum. Quàm etiam feroces, & impetuosi, agmine pedestri incedentes, hostibus imminere solebant, Dalacarli dicti, externus testis Albertus Crantzius magna, miraq; in bellis cōtra Reges Daniæ, præsertim Christiernum I. ac Regem Ioannem confectis, satis integrè manifestat. Imò & ipse Christiernus II. qualiter uiribus, & furore, Rege Gostauo anno M. D. XXI. ductore illius gentis, à regnis Suecorū & Gothorum fuerat exturbatus, per infelicem experientiam pessimis consilijs circumuentus agnoscit. Quàm uerò horribilis, & immanis crudelitas eius regimine commissa sit in Septentrionalibus terris, inferius suo loco secundum ocularem meam inspectionem uerissimè ostendetur. Reseruatus enim uidebar ad uidendum tam horrenda spectacula gentis meæ.

De Mineris, & earum inuentione.
CAP. I.



MInerę Septentrionalium regionum satis multæ, magnæ, diuersæ, & opulentæ sunt. Multæ, quia in uallibus & montibus sitæ, frequentius adhęrentes extrahuntur. Item magnæ, quia inexhaustæ, & amplæ, tam in superiori Suetia, quàm Gothia, & Varmorum regione, penes Noruegiæ limites reperiuntur. Item diuersę, quia argenti, cupri seu æris, & chalybis, & electissimi ferri. Item opulentę, ut infrà dice-

tur, cum in eiusmodi mineris bona pars Regij fisci, seu tributi, ueniet extrahenda. Et licet talium mōtium, ac minerarum ingens multitudo sit in antedictis regnis, tamen plurimis signis natura monstrante, semper nouæ, recentesq́ʒ scrutantibus offeruntur, præsertim ubi montes in summitate rotundi sunt, & in umbilico, ac rotunditate non fissi, uel tracti: sed nix in hyeme, propter sulphuris fumositatem, liquescens. Ictu uero fulguris in uertice, uel latere, aut pede tacti montes, elucentes argenti uenas in fissuris ostendūt, suosq́ʒ lucricupidos allectos, magis magisq́ʒ ad ardorē inexplebilis auaritię incendunt, ut nullius respectu periculi, saxa cauando perueniant ad interiora: ubi non secus uenæ in montibus, quàm membra in hominibus stantes sursum deorsum, leuorsum uel dextrorsum diuisa uidentur: eoq́ʒ fulgentiores mineras annexas retinent, quò puriori petræ, uel marmori connatæ uidentur. Quæ enim uersus Occidentem naturæ lineamentis dirigūtur, maioremq́ʒ gibbum ad Meridiem, & Boream flectunt, optimæ sunt, & inæstimabiles: quoniam non aliter apparent uenæ illæ, quàm micantes armati ordine suo bene locati. Hæcq́ʒ uoluptas utilitati coniuncta, non paruum solatium laborantibus, ac possessoribus præstat.

De situ Mineralium uenarum.

CAP. II.

PReterea uenę à lateribus Orientis, & Meridiei in mixtum Occidentem, & Septentrionem concurrentes, electiores esse perhibentur: non itidē aliorsum in alias cœli partes deriuantes. Maturior enim minerarū decoctio ortiuum solem, & meridianum sub Arctoo sequitur. Sunt etiā uenę Pendentes, atq́ʒ Iacentes dictæ. Pendentes desursum tegūt. Iacentes in plano situ recumbunt, augmentum & bonitatem ab ipso exitu assumentes. Sunt etiam uenæ sursum deorsum obliquatę, à prędictis omnibus dependentes, quemadmodùm Seneca de naturalibus quæst. lib. 8. tradit. Sicut inquit, in nobis non tantùm est sanguis, sed multa genera humoris, alia quidem necessarij, alia quoq́ʒ corrupti, ac pinguis, ut in ossibus medullæ, in capite cerebrum, in oculis lachrymæ: sic in terra plures sunt humores, qui maturè durantur. Et hinc est omnis metallorum humus: unde aurum, & argentum petit hominū auaritia. Cæterùm sicut in nostris corporibus, sic in illa humores sępe uitia concipiunt, cùm aut ictus, aut quassatio aliqua loci, aut senium, aut frigus, aut ęstus corrupere naturā. Interim tamen infinitis periculis, & mortibus ad ipsa montium uiscera (ubi Pluto habitat) opera scilicet gigātum, & fortium uirorum, ut Plinio placet lib. 33. præparatur accessus: qui cuniculis per magna spatia actis, ad lucernarum lumina, ac nocturnas uigilias, & labores, pro diuitijs solicitantes, partim saxis, partim uapore, & fumo miserabili casu in medijs laboribus obruuntur, uel funibus ruptis in medio cauernarum strangulantur: documentum cęteris præbentes, minus temerarium urinatoribus fore, inter marinas beluas in profundo pelagi quæsiuisse margaritas, quàm laboratoribus hausisse mineras. Quidam etiam ruptis fornicibus, seu ligneis sustentaculis, collisione montium uel illicò intereunt, uel fame (nullo suppetente auxilio) deficientes moriuntur, ut capite sequenti ostendetur.

De modo cauandi Metalla.

CAP. III.

VEruntamen his periculis sequaces eorum effossores territi, non fugati, sustinendis montibus crebros fornices, ligneaq́ʒ sustentacula inter ipsa mōtium latera, ac inferius pro sua securitate reponunt: eaq́ʒ dubia, atque anxia firmitate fidentes, adhuc alio excogitato modo sese in funibus inter inuias rupes metalla cę-

suri,



furi, uel argenti lineas lecturi, dimittunt: quę postmodum igne, & aqua, arte adhibita deputant. Cumq; sterilis quæstus, atq; inanis laboris esse uidetur, quasi in cortice & superficie, nullus aut rarus pinguissimæ mineræ quærendus sit fructus, solidioris ingenij usu resumpto, prioribus longe fortioribus fornicibus intra montium latera columnas statuunt, firmiter credentes, nō nisi in profundioribus montium cauernis sagacioribus signis diuitias esse quærendas, & infimo abysso: ubi decoquente natura uberior, atq; frequentior, argentea præsertim, & ærea metalla fodiuntur. Nunc tamen Strabone referēte, in prouerbio est, Multò plures aurum, uel argentum, aut utrunq; præparatum rapere, quàm effodere impurum, etiamsi gryphibus, aut Scythicis formicis inter mille repagula clauderetur. Sed iterum in alio prouerbio est, Raptum aurum indigere custodia ferri. Ideoq; Plinio referente, innocēs & beata, imò uerò delicata esset hominum uita, si nihil aliud de ea, nisi quod supra terras concupisceret, assequeretur: haberetq; non nisi quod secum est, prout superius enarratum in parte uidetur de commutationibus rerum necessariarum. Verùm tot prodigiosa auaritiæ ingenia olim excogitata fuerunt, ut longè profundior, & altior, ac amplior auri, argentiq; ubiq; exuberantis uidebantur abusus, quàm impotens huius seculi affectus scrutari poterit, aut (prout ueller) in singulis uanitatibus imitari. Nónne uanum iudicatur? naturam prouocare in irritamenta uitiorum, & in poculis libidines cælare, ac per obscœnitates bibere, demum crystallina uasa statim lapsu peritura ob fragilitatem, aucto pretio (nauseam reddente auro, & argento) pluris emere, deinde temulentiæ causa ad potandum uasa smaragdis texere, ac tandem homines ratione exutos, stupidos efficere, ac effœminatos.

De distinctione Mineralium uenarum.
CAP. IIII.



DIstinctio ac diuisio Mineralium uenarum, siue puteorum, aut possessionum, certis signis montibus impositis ab inuentoribus, aut euentibus, aut naturali situ, & proprietate specialiter fieri solet: quæ etiam mirabili ordine sunt inuentæ, quotidieq; (irato, an propitio numine, ignotum est) inueniuntur, primò uiolentia fulminum, ac turbinum arbores comburentium, unde micantes argenteæ glebæ produntur: deinde ligonibus rasi uertices subterraneorum montium ostendunt splendentes argenti uenas: quas illicò prouidus agricola fimo abscondit, potius agro pacifico contentus, quàm argentea minera sponte se offerente: unde suam, suæq; sobolis uitam educare posse cognoscit. Formidat enim solicitus agricola nobilem, uel fiscum, cuius ager est, uisa argenti minera, maioris lucri causa eum à prædio amouere uelle, ne amplius sit agricultura, ubi fertilis sit argenti minera. Ideoq;, ut dictum est, præeligitur fertilitas agri. Olim ob hanc causam tam agri, quàm argenteæ mineræ sic apparentes, sunt desolatæ: hodieq; quàm diligenter fieri poterit, absconduntur: tantumq; nocuit regentium inexplebilis auaritia, ut ubi erant putei, seu mineræ ferrariæ, æreæ, argentariæ sexcentæ, uix trecentæ hodierno die ad publicam utilitatem relictæ uideantur: quorum nomina superuacaneum est hic enumerare, dum incolæ earum memoria insigniter contristantur, eò processisse fata, quòd aduersus numina uiolenta nil audeant attentare, quemadmodum Strabo meminit lib. 4. de populis Salassijs, Heluetijs conterminis: qui aurifodinas uberiores, quàm nunc, habuerunt:

quas etiam olim cùm potentia, ac concordia ualerent, tutè possidebant, & ingrediendi dominium obtinebant, donec domestica discordia fracti, auarissimis Romanorũ prefectis aurum, & eò pretiosiorem libertatem suam traderent moderandam, seq; deijcerent in despicabilem inopiam, & seruitutem: quod & idem Strabo in fine eiusdem libri in Lingonibus, id est Lotharingis, accidisse testatur, ea scilicet tempestate uniuersas aurifodinas in Romanorum fore potestate: imò totius orbis aurum, & opulentia, eorum inscrutabili ingenio, & prudentiæ, facili præcepto, cedit.

De rotis, instrumentis, & periculis laboratorum.

CAP. V.

QVod deniq; superius altissima rota, seu machina tractoria, humano uel iumentorum gressu circumagi reuoluiq;, preterea homines funibus insidentes, atq; ad ima descendentes, ac rursum urnæ seu situlæ, mineris uel aquæ plenę, eleuari uidentur, id significat (prout omnibus est compertũ) quòd hunc modum metallici laboratores necessario congruentem seruant: imo quòd & ipsa iumenta equi uidelicet, ac grandes ursi uicissim, & collateraliter in rotis, ob grauiora eleuanda uel deprimenda pondera reuoluendis, deputantur, dum nullis cuniculis, uel scalis egestæ mineræ, ab antris infernis facilius educi possint. Fossores uerò tam graues durosq; labores sursum deorsumq; perpetuo subeuntes, hominum genus durissimum est, & plerunq; ob certa maleficia proscriptionis titulo eò collectum, sola Principis securitate ibidem uiuens, ne patria in exilium commutata, à postliminio nunquàm ad propria reuertatur. Leges tamen laboratores illi, & iura montana sequuntur: quibus etsi ad tumultus, seditiones, homicidia, ac mille in iniurias subito perpetrandas inclinati sint: tamen seuerissima constitutione, ne cuipiam malum inferant, constringuntur. In reliquis nullum expauescunt subire periculum, uel ruinam: quæ inter saxorum cadentia fragmenta, siue in trabibus inter latera montium obfirmandis, siue in lethifera minerarum exhalatione aut fœtore, siue inclusi aëris grauitate, contingere possunt. Ideoq; sæpissimè subduntur horribilibus fatis. Dum enim celerius, quàm circumspectius impetuosè laborant, iustentaculis ruptis, saxisq; cadentibus, uel mox quassantur, uel diebus aliquot (ut prædictum est) cum horribili clamore fame cruciandi suffocantur: quibus, ut uiui extrahantur, nullo concesso remedio, uno sepulturę signaculo quomodo, quotq;, scilicet 30. 600. uel 100. aut plures perierant in momento ostenduntur. Manet nihilominus in alijs fossoribus indomitus uigor, ut uel his, uel similibus spectaculis horrendis minimè terreantur. Leui etiam tractu malleorum accedente, immenso pondere maximi montes collabuntur.

De arte, & ingenio fabrorum.

CAP. VI.



ETsi in multis Aquilonaribus regnis & prouincijs, mira fabrorum cuiusuis ductilis, uel fusilis, uel tornatilis metalli fieri soleat æstimatio, præcipuè apud Montanos Dalacarlos, inuictum pugnatorum genus: tamẽ in regione Hellsingorum (quę olim ob magnifica gesta Regio titulo decorata fuit) uersus Septentrionem adeò periti, & diligentes fabrilis officij artifices inueniuntur, ut uix pares habeant in toto Aquilone. Metalla etenim cruda, ac disformia



mia aquarum, totarumq; ingeniosa directione, longo tractu ob earundem minerarum opulentiam distendere norũt, ut agilitate, & impulsu talium machinarum, breui temporis spatio opus aliquod ingẽtissimum reddatur consummatũ, etiam usualia uasa extensi æris, aut ferramentorum: unde non exiguus quæstus gentibus his accrescere solet. Similiter in ferreis portis, ac fenestris laminatis, ac cratibus retiarijs indissolubili connexione firmandis, quale opus in iunctutis uix cernitur in tota Europa. Habet quidem sacellum S. Andreę iussu Pont. Max. Iulij III. in uia Flaminia collocatum crates ferreas, & magnifica structura Dominorum de Matthæis Romę uersus communem plateam opus craticulatum ferreum, pulchrum, & forte: sed si mirabilius more magistrorum Septentrionaliũ fabricatum, ac uisum foret plurimos duceret in admirationem. Ferramenta uerò pro tormentandis reis, uel suspectis, uti sunt manicæ ferreæ, aculeati compedes, &c. ibidem nunquàm, uel rarissimè fiunt, sed à negotiatoribus Germanicis quæstus causa inter cæteras merces parum placituras, regno importantur: quarum una species est uetusta appellatione Virgo dicta: quæ digitis applicata, tantum eos comprimit, ut inde primo impetu intolerabilis extollatur cruciatus. Pulchrum quidẽ nomen est, sed res ad experientiam mota, omni amaritudine amarior est, in quacunq; sustinenda calamitate. Pro quibus autem, & qualibus noxis, aut suspicionibus hæc Virgo applicetur, uideant dicantq;, si opus fuerit, diuersarum legum interpretes, & censores: quoniam ad me non spectat de causa, uel modo torquendi facere relationem, cùm tot angustiæ, & gemitus in omnium mortalium conditione intrinsecus Aquilonaribus regnis exorti sint, ut minimè congruat extrinsecus aliquid in tormentis apponi. Vnum tamen commiseratione dignum adducere conuenit, nonnullos Tyrannicos principes esse in littore maris Sarmatici, qui crudelissimarum torturarum artifices in ferreis instrumentis nunquàm prius uisis, ita amant, & adiuuant, ut doleant se dudum tam horribilem, & immanem cruciatum alijs applicandum ignorasse. Qualia autem sint hæc instrumenta, horret animus imaginari, & multò magis manus tam portentosa tormenta manifestare, cùm apud inferos excogitata, uel ostendi nequeant crudeliora.

De distinctione fusilium Metallorum.

CAP. VII.



EST & alius modus in opulentissimis montibus argenti, cupri, seu æris, & ferri fundendi, uel malleandi apud eosdem artifices Aquilonares, tam utili ac commodo ordine distinctus, ut facili labore unũquodque metallum iuxta propriam naturam redigatur in massam. Argentum in sua fusione cauas fornaces, & liquidos ignes, tanquam pretiosius metallum exquirit, ut resolutum in fluidam mollitiem, sup positis oblongis aut rotundis canalibus, in uarias formas ab operarijs deputatas extrahatur. Formę quidem taliter effluentes argenti plerunq; fiunt, ut usuales mensæ, uel sedilia quadra, aut clypei militares: hocq; potissimùm ea ratione fit, ut Regis, & regni magnificentia, ac opulentia, tam quoad incolas, quàm magnorum principum oratores, quibus huiusmodi argenteæ massæ donantur, debeant demonstrari. Cuprea autem, siue ærea metalla, oblongis fornacibus eleuatis ex argilla, paleaq;, & ferreis filis, ac funibus cõfectis, multo follium numero hinc inde pro excitando ardentiore igne appenso,

etiam in diuersas formas absq; canalibus in maximas massas, effossa tamen terrarum scrobe, funduntur: sed longe faciliori compendio subtus irrumpentium uentorum, quo continuitati immensi caloris in medijs flammis stratum metallum reducitur in uarias formas, centum, 200. uel 600. aut 1000. libras et amplius continentes, etiam naualia pondera, uel stateras numero grossiore.

Adhuc de eisdem Metallis.
CAP. VIII.

FErreæ uerò mineræ non nisi adminiculo aquatiliũ rotarũ flabella mouentiũ, ut transeant in dissecabilem massam, ligonibus frustratim seu crustatim diuiduntur, ea semper seruata proportione, ut instar mediæ manus clausæ crusta ferrea, uel quadruplo maiora, ad plura centena millia quotannis fabricẽtur: quæ crusta ferrea pondere quingentarum librarũ, uel amplius, oblõgis uasis instar batilium Romanorum imposita, ad exteras nationes, uel internas prouincias maximo cum lucro exportantur. Chalybis etiam electissimi tanta copia illic est, ut & indigenis, & alienigenis ad omnem ędilium instrumentorum, et quorumcunq; armorum, thoracium, galearum, ac gladiorum, & hastarum sufficiat indeficientem usum. Sed eò purior in grano, fortior in opere, & tractabilior in ferri mixtura redditur, quo ex ardentiore fornace extractus chalybs tractim, non subitò suffocetur in aqua, quia si totus immittitur, ita ruptibilis, seu frangibilis redditur, ut nullam uim in sui flexura sufferre possit. Apud Montanos Septentrionis crustata figura fit instar geminorum digitorum, numerorumq; distinctione, uidelicet centenario, millenario &c. quasi foro leuissimo uenundatur.

De labore ueterum circa Metalla.
CAP. IX.

SAtis notum relinquitur uetusti temporis quæstum, & pestem inexplebilem in inquisitione, & usu, uel abusu metallorum successiuis seculis extitisse, atq; ad hæc sitibunda tempora penetrasse, ut nulli, uel rarò sorte sua, etiam felices & fortunati, sint contenti. Consyderandum igitur est, quàm plurimos in antiquum metallum olim destitutum dimissos fuisse, ut explorarẽt an aliquid futuris uetus auaritia reliquisset. Illos itaq; descendisse cum multo lumine, deinde longa uia fatigatos, ingentia flumina, & uolubiles aquarum conceptus uastos, non quidem compressos terra superueniente, sed liberæ laxitatis uidisse, argumento inde suscepto, seculum hoc nostrum non nouis uitijs, sed iam antiquitus traditis laborare. Illi maiores nostri, quos celebramus laudibus, quibus dissimiles nos esse queritur, spe ducti montes profundos ceciderunt, & supra lucrum sub ruina steterunt, ut mirandum esset quæ necessitas hominem ad sydera erectum incuruaret & in fundum telluris intimæ mergeret, ut erueret aurum nõ minori periculo quærendum, quàm possidendum. Propter hoc cuniculos elegit, & circa prædam lutulentam, inertemq; reptauit, oblitus naturę melioris, à qua se conuertit. Nulli ergo mortuo terra tam grauis est, quàm istis, supra quos urgens auaritia terrarum pondus iniecit: quibus abstulit cœlum, dum eos in imo, ubi malum illud latitat, infundit. Vtcunq; tamen res hæc se habeat, metallorum ambitus solatia sunt hominum. Nam diuitijs auri uena similis est reliquæ terræ, si iaceat: usu crescit ad pretium, quando & apud uiuos sepulta sunt, quæ tenacium manibus includuntur. Cassiodorus Theoderici, aliorumq; Regum Gothorum prudentissimus Cancellarius libro quarto, in epistola Dudæ Saioni missa, inter alia dicit, Vt in inquirendo auro omnino abstineat se à cineribus mortuorum: quia (ut inquit) nolumus lucra quæri, quæ per funesta possunt scelera reperiri. Aedificia te-

gant



gant cineres, columnæ uel marmora ornent sepulchra, talenta non teneant, qui uiuendi commercia reliquerunt. Aurum enim sepulchris iuste detrahitur, ubi dominus in memoria non habetur: imò culpæ genus est, inutiliter abditis relinquere mortuorum, unde se uita potest sustentare uiuentium Non est enim cupiditas eripere, quæ nullus se dominus ingemiscat amisisse: primi enim dicuntur aurũ Aeacus, argentum Indus Rex Scythiæ reperisse, & humano usui summa laude tradidisse: quod nos in contrarium negligere non debemus, ne sicut latẽtia cum laude sunt prodita, ita inuenta cũ uituperatione uideantur esse neglecta. Hactenus ille.

De Metallicis Dæmonibus. CAP. X.



HOc in summa colligitur, quod in Septentrionalib. regnis, quemadmodũ superius lib. 3. cap. 22. dictum est, magna fiunt dæmonum exercitia, ac ministeria incolis illarum regionum: frequẽtius tamen in stabulis & mineris: in quibus saxa infringunt, cauant & findunt: quæ & urnis, seu situlis ingerunt, rotulasq; & cochleas, quibus machinæ tractoriæ sursum trahuntur, solicitè adaptant, seseq; uelut umbras, dum libuerit, in quacunq; forma operarijs ostendunt, risusq; atq; inanes cachinnos, ludicraq; præstigia & alia infinita ludibria, quibus infelices decipiũt, uocali sono cõfingunt. Sed hæc mentita obsequia non nisi in perniciem, & nouissimè in interitum, columnas frangendo, conuertunt, uel casu petrarum fractione scalarum, prouocatione fœtorum, suffocatione uentorum, ruptura funiculorum, opprimunt aut conturbant, ut fractis ceruicibus decidant, aut magnitudine periculorum Deum blasphement, profundiorem dæmonum catenam illicò subituri. Idq; potissimum faciunt in ditioribus argenti mineris, ubi spes eminet uberior infiniti thesauri inueniendi. Hacq; ratione plurimæ minerę ditissimè penitus desolatę uidentur, ac penitus inualidatę, maximè quod in metallicis locis sex genera dęmonum cęteris maligniora inueniantur: quorum pauore, atq; noxio insultu, multi metallici laboratores periclitantur. Quid uerò Germanicus scriptor Munsterus de simili spirituum illusione, imò oppresione senserit, ita aperietur: Compertum, inquit, genus dęmonum in nonnullis fodinis uersari: quorum quidam nihil damni metallicis inferunt, sed in puteis uagantur, ac laboribus, cum nihil agant, uidentur se exercere, nunc cauando uenam, nunc ingerendo in modulos id quod est effossum, nunc machinam uersando tractoriam, nũc irritando operarios: idq; optissimùm faciunt in his specubus è quibus multũ argenti effoditur, uel magna eius inueniendi spes est. Alij uerò admodum noxij sunt, ut ille, qui ante aliquos annos Annebergi fodinam, cui nomen Corona rosacea est, ideò infestam habebat, ut metallicos 12. necarit, ac ea de re fodina, quantumuis argento diues esset, relicta fuit. Hæc omnia habeo ex doctissimo uiro, summoq; philosopho Georgio Agricola. Romani olim damnatos ad mortem, in huiusmodi cryptas destinassent, quibus cacodęmones sic illusissent.

De

De fulgure montium Metallicorum.

CAP. XI.



MOntes minerales inhabitantes sæpisimè tonitruo, fulgure, fulmine aut coruscatione flagrante, mirabiles effectus in exhalationibus minerarũ experiuntur, crassum uidelicet ab antris uaporem, qui omnia obumbrat: grauem in superficie montium circa exitum & introitum aëris strepitum, qui arcet accedentes & super omnia intolerabilem fœtorem, sulphureo fulminis odori admixtũ: quem si quis insuetus eò accedens hauserit, egritudinem incurret difficillimè restaurandam, oppilationem uidelicet meatuũ gutturis: quæ calida ceruisia immixto butyro repentè pota, dissoluitur, ut succesiuè maioribus adhibitis remedijs repurgetur. Cooperatione tamen fortis naturę potius lęsi homines, quàm uirtute medicinarum, ibidem sanantur. Contingit prætereà ibidem ictu fulminum nouas argenti uenas in lateribus montium clarissimo nitore denudari: quo inde perpetuum sortitę nomen, & usum, fortunas multiplicant possessoris. Prætereà ibidem tantum sæuiunt tonitrua, ac fulmina, licet interpolatis annis, ut plura armentorum agmina tempestuosissimo accedente aëre, per latos uariosq; campos occidantur: quod mirabile non uidetur, cùm abditis naturæ causis id ibi cõtingat, prout in plerisq; alijs locis. Ait enim Paulus Diaco. lib. 5. cap. 15. circa annum Domini DC.XL. tantam fuisse pluuiam, atq; tonitrua, quanta antè nullus hominum meminerat, ita ut innumera hominum & animantium millia, fulminibus essent perempta: eoq; anno legumina, quæ propter pluuias colligi nequiuerunt, iterum renata, & ad maturitatem usque perducta, integra colligebantur. Quantum insuper ad effectus fulminum circa metalla, uel ferramenta, cui ulterius scrutari placuerit, uideat caput 13. primi libri huius uoluminis, in quo subtiliora enarrari uidentur.

De Monetarijs, & Monetis.

CAP. XII.



SEptentrionales populi uetusto tempore rerum commutationibus maiore ex parte syncere uiuentes, feliciores æstimabantur, pecuniæ usum ignorantes, nec affectantes, quàm hodie reperiuntur: licet in extremis partibus adhuc sine nummis in rerum commutatione uiuunt. Necusus eorum procedente tempore inuentus, permissusq; fuisset, nisi malesuasa gentilitas à iusta rerum æstimatione deuiasset. Verum ut rudi populo, & ætati maiores quietius consulerent, inuenta, permissa atq; est coriaria pecunia, certis argẽteis punctis, quibus ualor in pondere, et numero pensaretur, uariata: multisq; seculis apud Gothos, & Suecones inter Regios thesauros excrescens, in maximo pretio, & turrium custodia seruabatur. Succedente uerò tempore, more cæterarum regionum argentei numismatis usus pariter & commixti æris extitit ibidem introductus, non

autem

autem monetæ aureæ, ob occultatas mineras eius, quas Iob dicit ab Aquilone uenire: ita eas iam inuenisse dicitur Rex Gostauus pretiosissimæ æstimationis. Alibunde nihilominus importatur in ea regna, præterquàm ad extremas prouincias Septentrionis, ubi principum edicto non recipitur, ob fraudem mercatorum, & populi simplicitatem, qui aurichalcum, uel marchisitam, ob splendorem, putat esse purum aurum, prout Paulus Diaconus lib. 3. cap. 6. de Saxonibus meminit: qui certis uirgulis sophisticati auri Longobardos in emptionibus rerum maximè defraudarunt, donec cogniti punirentur.

De falsarijs Monetarum, & pœna eorum.

CAP. XIII.

NEque puri argenti, uel mixti æris pecuniarius usus est apud extremas Septentrionis gentes, ob falsarios Moschouitarum negotiatores, qui Græca eiurie docti, pro gloria, & lucro ducunt, pessima moneta ferro, stanno, plumboque mixto fabricata, quoscunque uicinos, imò longinquè distantes circumuenire. Sed nec impunè dolus iste cedit illis in ea regione. Compertum etenim est, ferreã monetam stanneo candore micantem, regni regisque signo insculptam, immẽsa quantitate Moscouitarum negotiatores alias (emptis pro eorum desiderio omnigenis mercibus, & rebus) simplici populo tradidisse, moxque præfectos Regios ea seueritate fraudem puniuisse, ut in caua fornace supposito igne effunderent hanc monetam, undequaque repetitam, atque in eam bulliente metallo autores perfidissimæ fraudis immitterent uiuos. Cęteri uerò in simili fraude deprehensi, caldaribus impositi, uel aqua feruenti consumuntur, uel in sublimiori trabe circumligata per totum corpus moneta undique splendẽte, suspenduntur, quemadmodum anno Domini M.D. extra ciuitatem Lincopensem regionis Ostrogothorum puer existens fieri uidi. Statutum ergo fuit iuxta leges uetusti temporis, et laudabiles uicinarum prouinciarum consuetudines, ut penes Reges, & Principes, ac maiores Ecclesiastici regiminis proceres, & magistratus, potestas cudendi legalem monetam remaneret, ea potissimùm causa & modo, ut uno eodemque grano, seu gradu, uel liga nedum in Septentrionalibus regnis, sed & urbibus Germaniæ maritimis, in emendo uel uendendo, ob meliorem concordiam, moneta cuderetur, ac expenderetur.

De damnis uilissimæ Monetæ.

CAP. XIIII.

EVolutis demum pluribus annis, statuta tam necessaria, & utilia dum contemnerentur, aut negligerentur, aut propter priuatam quorundam præsidum cupiditatem studiosè supprimerentur, moneta adulterata rerum pretia sine omni æqualitate, aut æquitate eleuabantur. Preterea commutatio, seu uenditio odiosa ubique intendebatur: lites domi forisue etiam usque ad Romana tribunalia ante L. annos inter Principem regni Suetię Stenonem Sture, & Ottonem falsarium monetę, uoluebantur. Nec longè ab eo tempore Magister Prussię Albertus (sic enim Ordini Theutonicorũ pręsidens appellatus est) promoturus graue bellum aduersus Regem Polonię monetam multo ęre, seu cupro resperśam, quadrata figura cudi iussit: quem Rex Danię Christiernus 2. contra Sueones Gothosque pugnaturus, similem monetam, Klipping dictam, fieri pręcepit: ualoremque maiorem ex autoritate, quàm ęris bonitate imposuit uilissimę huic monetę: qua multiplicata, seditiosorumque opera concurrente, in adeptione regni uoti cõpos factus est. Sed breui momento. Surrexit enim illustris adolescens Gostauus Ericson, qui sęuitiam Christierni fugiens, procerum ac populi consensu, regna Suecorũ ac Gothorum

thorum gubernanda suscepit, exiguoq; temporum interuallo simili multiplicata moneta, atq; militibus erogata, Christiernum è regnis totaliter exclusit. Sed nec ita facilis erat introducti numismatis, licet abiectissimi, & per tot ampla dominia dispersi, abrogatio, donec allegatis euidentissimis tam pessimæ monetæ incommodis, prouida circumspectione D. Ioannis Magni Gothi Legati Apostolici, ac electi Archiepiscopi Vpsalensis, in publico totius regni conuentu, nunquàm deinceps ualitura abrogaretur. Igitur comportatam hanc monetam prouinciales presides, seu natu maiores, in campanas Ecclesiarum, adhibitis artificibus peritis, ad obsequium Dei transfuderunt. Regnisq; utcunq; pacatis, rediit uetus moneta: sed rerum pretia odiosè eleuata, non ita faciliter ad æqualitatem reduci poterant, ut aliàs indiscretissimè per externos homines erant introducta.

De utilitate legalis Monetæ.
CAP. XV.

Qvemadmodum omnibus compertum relinquitur, illũ esse miserum fiscum qui utilitate monetarum colligitur ex tributo subditorum: ita opulentus, & securus habetur, qui iure, ualoreq; collectus est ad publicam utilitatem. Mira igitur utilitas ad amputandas regionum, ac hominum seditiones, dolos, fraudes, periuria, & reliqua indicibilia mala, est in legali & iusta moneta, ex forma signi, materia metalli, ac pondere constans: qualem uetusto tempore regio Aquilonaris cum urbibus Germaniæ conformiter retinens, pacis pulchritudinem habuit, & omnia bona comitantia eam: tantoq; temporum spatio eandem obtinere creditur, quanto ea media fouet, & amplectitur, unde perenniter coalescere possit, hoc est, quòd pares pondere & pretio denarij sint, quocunq; deducti fuerint in possessionem alienæ crumenæ, præsertim aurei nummi, qui similitudine ponderum, diuersitate imaginum, conformitate granorum, barbaras nationes ducere solent in admirationem, & stuporem, ut cum talibus principibus, quorum hęc signa uidentur, pacem cupiant, uel oblatam sine cunctatione suscepent. Pulcherrimum huius rei testimonium Pli. lib. 6. cap. 22. de Romanis affert, cum quibus ob prædicta numismata principes Indiæ & Taprobanę, inire et seruare amicitiam affectabant, arbitrantes eam gentem magnam tenere iustitiam, quæ tot pretiosis, tanquam miris, uarijsq; insculptis imaginibus, ostenderet unitatem: in qua reliquæ uirtutes pulchro ordine catenatæ uidentur. Sed neq; illa harmonia diu carere potuit turbatore: nam monetarij, quos constat in publicam utilitatem specialiter fuisse susceptos, ad priuatum commodum respicientes, seditiosis hinc inde collectis turbis, Aureliano Imperatori intulere periculosum bellum, quale in sempiternũ uocatur Bellum Monetariorum. Mira profecto fuit eo in tempore inopia, uel proditio fisci, cùm Reges ipsos plurimum posse dicimus, ait Strabo lib. 16. Ideoq; ipsos Dynastas, id est, potentes nuncupamus: quoniam quò uelint populos, aut ui, aut suasione perducant. Per munificentias igitur maximè persuasos efficiunt: non enim orationem suadere Regale, sed oratoriũ est munus. Regiam uerò suasionem tunc appellamus, cùm donationibus adducant, ferantq; quo cupiant. Itaq; muneribus exhibendis persuadent: Armorum autem copijs uiolant, et urgent. Ista uerò ambo pecunia ueneunt, comparanturq;. Nam ille magnum habet exercitum, cui & alendi facultas suppetit, & plurimas effundere largitiones is ualet, cui amplissima possessio euenit. Sed de his intrà in libris Bellorum aliquid peramplius ostendetur.

De ex-



De excellentioribus Monetis Septentrionalium regnorum.
CAP. XVI.

VAluit plurimum uetusto tempore pecunia coriaria, ut superius eodem lib. cap. 12. dictum est: deinde argentea pura, postmodum mixta: quæ multis secculis, usq; ad hæc tempora, etiam in solo ære cusa durauit. Quæ cum certis signis monstrata est Regio fisco, ac Reipublicę inferre irreparabilia damna, repetitus est antiquus cudendi modus, scilicet in puro argento maximè pro mercibus importandis uel exportandis. Hæcq; moneta diuerso æstimata est ualore, utputa sub signo nauicularum, coronarum, ursorum, auium, canum, spicarum, & ferrearum, clauarum: quæ omnia prouinciarum, Regum, Principum, ac communitatum signa sunt. Hoc autem tempore pura moneta argentea ualore unius floreni abundantissimè ad plurima centena millia & myriades, annuatim cusa, usq; ad Germaniæ, Sarmatiæ, & Tartarorum fines exportatur: rursus ueterum Gothorum Regum, Theoderici, Alarici, Theodati, Totilę, Vitigis, & Teię, monetæ aureę regno inferuntur. Maximè delectantur insigniores personæ, magnatum signa, faciesq; contemplantes.

De Aurificibus.
CAP. XVII.



OStenso superioribus figuris quòd maxima, ac inexhausta sit copia argenti in montibus regni Suetiæ, & quomodo reperiatur, & extrahatur ibidem, sequit ut eius usus, uel abusus ostēdatur, ne nobile metallum hoc non habentibus, & bene uti scientibus, ut habeant, relinquat ignotum. Repetitis igitur antiqui temporis moribus, satis monstrari poterit, quàm ingens auri, & argenti, alteriusue pretiosi æris opulentia fuerit, quādo (ut primo lib. præmissum est) tēpla idolorum, triclinia Regum & principum, usq; ad infantum cunabula & equorum frenos, & phaleras, in eminentissimum ornamentum extendebantur. Auri quidem minera, ut tunc abundans fuit, ita postmodum ob sæuam mortalitatem, peste, gladio, fame, & tempestatibus excitatam, rarefacta, cura eius euanescebat. Solam memoriam quorundam locorum, unde extractum fuit, ad posteros satis inexplebiles misit, quemadmodum extremis finibus Aquilonis superius fuerat enarratum: attamen non negandum arbitror, quin auri maxima uis sit in Suetico cupro: quod emptum, & exportatum, ac plerunq; à naufragio repetitum, arte igneq; expurgatū, possessoribus suis præstat insigne lucrum. Hancq; artem puto Hungaricos artifices diligenter attendere, qui cuprum ualde rubicundum, & examinatum, atq; in tenues laminas resolutum, externorum negotiatoribus uendunt: qui demum per dominia Regis Poloniȩ, usu longarum nauium in flumine uulgatissimo Vistula usq; ad emporium Gedanense Ducatus Prussiæ deportandum, eoq; loco diuidendum faciunt: reliqua domesticis aurificibus (si arte secretiori aliquid auri è cupro, uel ęre exprimere possint) salua relinquuntur. Quantū ad argenti usum, nullibi communius, aut splendidius in omni hominum conditione uenūdatur, quàm in Suecia, & Gothia: ubi uix domus, uel familia reperitur, quæ non semper aliquid annua industria adijcit ad partam possessionem. Quæstus etiam maximus est in magnis imaginibus Sanctorum, regni

Tutelarium patronorum: quibus ciboria, siue loca auro, argentóue constructa, reuerenter deputantur. Similiter & ornatu uirginum in amplissimis capitum coronis, monilibus, pectoralibus, brachialibus, catenis, murenulis, annulisq; à parentibus, paranymphis, uel amicis erogatis. Nec frustra: prouidè enim eis potius argento, tota earum uita & hęredum duraturo, quàm sericeis uestibus esu uermium subito perituris, elargiuntur. Imò illustrioribus uiris adaptari solebant antiquitus argenteæ cincturę, uulgariter Silff schena dictæ, atq; rotundi argentei nodi in uestibus undiq; perstringendis imò etiam campanulæ argenteæ caudis equorum, ut sono percepto obuii caueant calcitrationem alligantur. Prętera strepę, frena, & pectoralia, plurimaq; argentea, potius luxu, quàm solido apparatu, fabricantur ornamenta.

De argenteo ornatu uirginum.
CAP. XVIII.

EXtat apud Ostrogothos uetustissimum oppidum Scheningia dictum, eò quòd torrens certo tempore impetuosissimè alluit latera eius, Schena appellatus. Siccitate uerò adeò pauculam reseruat aquam, ut uix solis iumentis, & pecudibus sufficiat adaquandis. Sed hunc defectum optimorum fontium abundantia ubiq; supplet, cùm ex uiua scaturigine perpetuas habent uenas. Oppidum hoc etsi uergens ad senium uidetur proximum fore desolationi, tamen situ, fertilitateq; sua, ac opulentia simile non habuit in tota Septentrionali plaga. Situm, inquam, saluberrimum habet, utputa inter fertilissimos agros, & prata, ac nemora quercina, ualde utilia & opaca. Plateę huius oppidi adeò ingenuosa industria à primis fundatoribus traductæ sunt, ut quasi ex omnibus circumferentijs qualitercunq; flectuntur ad publicum forum, & prætorium ueluti centrum concurrunt. In hoc foro stabat gigantea statua, Turonis longi nomine, instar Rolandi Bremensis insignita: ad cuius genua publica quęstione corripiebantur malefactores, præcipuè adulteri, licet rarò reperti: qui inter brachia statuæ connexa, ferreis catenis saxa indicibili confusione, ac alijs ludibrijs in collo eleuata tenebant, maximè in terrorem fragilioris sexus haud corrumpendi. Erant olim in hac urbe maximo numero plebeię uirgines, amplis argenteis, deauratisq; coronis palmari altitudine solennioribus festis incedentes: quarum etiam alius cultus, & ornatus, sicut & aliarum mulierum, totus, & opulentus erat in argento: cuius copia ad omnes & singulos, etiam agricolas extendebatur, & adhuc extendi creditur, ut gloria Principi detur, quòd potius splendidis & opulentis imperat, quàm egenis, ueluti Rex Schacorum aut Latrunculorum.

De magnis diuitijs, & uiris heroicis huius antiquissimi oppidi Scheningensis, & illusione diabolica in eo facta.
CAP. XIX.

FVerunt & illustres, ac nobiles uiri, ac fœminę in prędicto oppido Scheningensi, tam ratione magni germinis, quàm fortunarum delicijs in omni generatione, ac natione reputati: inter quos beatus Nicolaus quondam antistes Ecclesię Lincopensis, diuina reuelatione purissimus in uita sua S. Birgittę declaratus. Prętera nobilissima uidua Ingridis: quę contemptis mundi pompis, Hierusalem, Compostellam, ac Romam tempore Martini 4. anno Domini M. CC. LXXXII. peregrè profecta, eiq; à terra sancta cum aliquot deuotissimis uirginibus comitibus suis reuertenti, diabolus insidias positurus, magna pompa, ac equitum caterua, ueluti potens dominus hoc oppidum ingrediens, proconsules

ac ciues



ac ciues illico in forū publicum uocatos instruxit, ut nequaquàm admitterent certas mulieres aute mœnia paululum commorantes: asserens, eas maleficas fore, & à multis annis earum exercitia dudum apprimè cognouisse, tanquam pessimarum incantatricum. Quo audito, multis è consulibus, &, alijs consueto modo sese signo sanctæ crucis ob horrendam relationem munientibus, illicò in ictu oculi tota illa diabolica turma euanescere uisa est, quasi fumus. Compertoq; per nūtium mulierem sanctam prę foribus à peregrinatione reuertentem adesse, sanctissimis obsequijs obuiam procedentes, eam in ciuitatem suam receperunt: & ob id eius benedictione omnibus bonis repleri, stabilirique merebantur. Vnde Senatus ille, uiso tam euidenti miraculo, quisq; pro sua sorte maxima uasa argentea, quibus abundabant, sanctę huic mulieri in supplementum suæ opulentiæ, ut mansionem pro se, suaq; uirginea comitiua, quodcunq; uellet, fabricaret, alacriter ac liberaliter offerebant: quo factum est, ut deuotissimum monasterium Virginum S. Dominici hinc exurgeret, locò apto, laudabiliq; obseruantia, & regula ad hæc usque tempora, magna ciuium diligentia, pro earum filiabus castè, & sanctè educandis, custoditum, sed nunc euersum. Comes etiam huius sanctissimæ uiduæ fuit quędam Mechthildis, de regno Daniæ illustris prosapiæ uirago: cuius uiolentus sponsus contradicentem opprimere uolens, ab altis scalis cadens, fracta ceruice subitò expirauit. Hæc in medio noctis silentio aufugiens, ope prædictæ mulieris uiduę, in sancta uirginitate usq; ad uitæ exitum plena bonis operibus illæsa permansit.

De pellicibus, & diuersitate pellium.
CAP. XX.



MIrantur plurimi quomodo tutè, & sanè uiuant homines in horrendis frigoribus plagæ Septentrionalis, de quibus primo lib. cap. 19. pro parte extitit declaratum: hancq; leuem quęstionem ultra 30. annos audieram in Italia, pręsertim ab Aethiopibus, et Indis, quibus onerosus uidetur uestitus sub zona torrida, ferre plumaceas uestes ex psittacis, & discoloribus papagallis artificiosè confectas: quibus respondetur, prout omni pręterito æuo poterat responderi, Naturam omnium rerum matrem nihil agere superfluum, neq; diminutum imò omnibus productis optimè prouidere. Gaudet Indus multiplici plumarum genere, magis forsan pro tegumento, quàm necessitate: rursus Scytha uilloso uestitu, & tegmine pro commoditate. Nec terminum commutare licebit sagacitate naturę pręscriptum: quę sicuti sub polo Antarctico immensos calores, difficili remedio temperandos, amplectitur: ita sub Arctico aduersus asperrimas hyemes, glacies, frigora, & spiritus procellarum opportuna remedia faciliter administrat, ligna uidelicet in maxima copia, & leuissimo pretio, & demum pelles diuersorum animalium, tam syluestrium quàm domesticorum, ut sunt,

Agnorum	Dossorum	Lutrarum
Alcium	Fibrorum	Mardurorum
Asperinorum	Gulonum	Onagrorum
Bisontium	Glirium syluestrium	Ouium
Ceruorum	Harmelinorum	Rangiferorum
Castorum	Hedorum	Taxorum

 Cattorum

Cattorum syluestrium	Leporum	Vitulorum marinorum & domesticorum
Caprarum	Lyncum	Vulpium
Damularum	Luporum	Zebellinorum.

Quarum omnium experti pellifices ita ingeniosè nouerunt mixturas componere, ut pulcherrimum decorem ostendat uarietas, & calidissimum fomentum adiuncta mollities. Sed in his emendis subsequens capitulum attendatur.

De cognoscenda pellium sophisticatione. CAP. XXI.

PElles zebellinæ, mardurinæ, harmelinæ, castorinæ, lyncinæ, ac lutrinæ, in sui cognitione ualde cauta indigent examinatione, cùm uario modo falsificatæ perueniant ad manus emptorum, ut eos sæpe emptionis pœniteat, ob subitam colorum mutationem. Asperinę aut pyrolinæ, quæ Italico sermone Schirassæ, uel Dossinæ dicuntur, in duplici differentia reperiuntur, montanæ scilicet Septentrionales, albicantes cum colore cœlestino: aspersione cretacei pulueris fallaciter colorantur. Aliæ uerò, scilicet Meridionales, id est, uersus Australem regionis situm captæ, similiter creta, & picea fuligine mixta facillimè sophisticantur. Mardurinæ autem, aut zebellinæ pelles, piceis tedis fumantur, ut appareant in pilis densiores, ac nigriores. Ideoq; sub aperto cœlo, aut aura serena, uel solis reflexu, sed caliginoso obscuroq; aëre ex industria uenundari solent. Et ita castorinæ, ac lutrinæ pelles adulterantur. Verùm fallacia hęc fricatione candidissimi lintei panni statim deprehenditur. Harmelinæ pelles creta in modum farinæ respersę, multo albiores solito discernuntur. Sed rursus hæc sophisticatio nigra tela per leuem fricationem admota ostenditur, tanquam per duos colores directè contrarios experientia caperetur. Igitur in comparatione, seu emptione huiusmodi pellium, puro oculo, claroq; die prouido emptori opus est, ne prędictis, aut alijs maioribus fallacijs decipiatur.

LIBRI SEXTI FINIS.

OLAI



OLAI MAGNI GOTHI ARCIEPISCOPI VPSALENSIS DE BELLICIS INSTRUMENTIS, RITU, CAUSA, & CAUTELLIS PRÆLIANDI

LIBER SEPTIMVS.

De Artificibus ballistarum, & telorum.
CAP. I.





PARVM naturę uisum est hominem cęteris omnibus animantibus imbecilliorem ærumnis & lachrymis plenũ, ad infinitas calamitates, ut Plinio lib. 7. placet, produxisse, nisi & ipse homo crudeliora abbreuiandę breuis uitæ compendia inuenisset: idq́ꝫ iuxta gentiũ ritus in toto orbe dispersarũ. Aliis etenim modis Scythę, aliis Afri Indiq́ꝫ pugnat, aliisq́ꝫ armis, uel deprauata natura, uel furore ipsa ministrãte, utuntur. Apud Septentrionales gentes talis, ut superius ostenditur, usus reperitur in arcubus, ballistis, & sagittis: uixq́ꝫ datur incola terrę, qui in similibus armis haud est prouisus: idq́ꝫ propter hostiles insultus arcẽdos, ac noxias bestias ubicunq́ꝫ occurrerint, depellendas, ut sunt immanes ursi, ac lupi: contra quos latę ueluti nouaculę producũtur sagittæ, ob pilorum densitatem. Item lignęę sagittę lato capite, pro marduris, zebellinis, ac pyrolis interimendis. Item bifurcatis, pro auibus syluestribus aucupandis: aliis in aquaticis incisiuis, ob pennarum duritiem penetrandam: aliis ad alces, seu onagros, gulones, uulpes, et similes bestias conficiendas. Verùm de his et similibus, non ballistarum, sed reflexarum arborum sagittis, inferius de diuersis animalibus uenandis, plura ostendentur.

De sagittis, & telis bellicis.
CAP. II.

QVantum ad pręliorum congressum attinet, certum omnibus relinquitur, Gothos cæteros in fortitudine ballistarum, sagittarum, lancearum, & gladiorum præcellere, eò quòd uix in orbe maioris rigoris fiunt ballistę, quàm apud eos: neque maiores gladii, qui hæreditario iure, & munere, tanquam supellex argento locupletior, inæstimabili desiderio affectantur, & dantur, ac possidentur. Nec minor, in fortibus ballistis affectus est, & rotulis earum attractiuis, quibus mira agilitate dorso incuruato ballistę extenduntur: talemq́ꝫ uim habet eius uigore emissa ferrea sagitta, ut uirum lorica, ac duplici thorace munitum, uelut mollem ceram penetrare consueuit. Ideoq́ꝫ earum frequentior, quàm aliorum armorum in pręliaribus populis, etiam ob alias multiplices rationes, usus est, ut infrà de ferreis mœnibus annectendum erit. Talibusq́ꝫ sagittis ferreis non parui duces exercitus in campis indigentes, multa earum millia secum diligenter ferunt: quo-

cos,quanto numero congregati sunt,quibusúe hastis & armis,seu contis aut sagittis utuntur,ignorare:quandoq; enim hastæ(uulgari Italico Picchæ dictę)duobus,aut tribus pedibus longitudinem exuperant hastas,seu lanceas inimicorum uti in electione Regis Danorum Christierni 2.anno Domini M.D.XXI.ductu nobilissimi Gostaui Ericson,posteà Regis,euenit: qui 20.millibus huiusmodi hastatorum montensium inhabitatorum,Dalacarlorum,ad campestria loca Arosiana, sub finem Maij impetuosè hostibus congressurus descendit, & in momento uictor euasit. Horror enim Christiernianæ seueritatis non unam familiam, aut prouinciam,sed uniuersos incolas agitabat in furorem,ut uiritim exeuntes prorumperēt in ultionem. Quo ordine,causáue factum est,ut idem Gostauus,ubiq; concurrente infinita multitudine,etiam illustrium,& nobilium assensu,primò proclamatus sit Princeps,& inde Rex à tribus Episcopis sanctæ Romanæ Ecclesię communionem habentibus,sit coronatus: de cuius gestis alibi diffusius ostendetur. Nuntijs igitur,uel cursoribus, pro enuntiando congressu multitudinis ad prælium,nil unquam celerius,aut seuerius excogitari posit: quia hos neque uis niuium,neq; imber,neque æstus,neq; nox distinet,quin propositum sibi cursum celerrimè conficiant:quorum primus proximo pago denuntiat,& ille propinquiori,& ita deinceps,donec è territorio,seu districtu cuncti cognouerint,ubi, quandoúe,& propter quid sit congrediendum.Nec satis securus erit præfectus,si titubat,aut uacillat,quid prouocatæ multitudini debeat imperare. Gratis enim pro patria militaturi,illico scire uolunt,quid expediat peragendum

De Gostauo, quomodo Princeps factus. Ioan. Mag. in fine lib. 24.

Gostauus modernus Gothorum, Sueonumq; Rex Caroli ultimi Regis consanguineus, & Stenonis Sture senioris Principis nepos,post illam procerum stragem, quam Christiernus perpetrauit,ad Rempub.summam peruenit.

De directione multitudinis conuocatæ.
CAP. VI.



Congregatæ multitudini incolarum mox assunt prudētiores præfecti,qui uno tempore & agenda demonstrant,et cohortes,turmas,ac legiones distribuunt: aciesq; seruandas prædicunt, uexilla committunt,causas belligerandi exponunt,prēmia prædamq; uictoribus promittunt, hostium insolentiam & damna inculcant,& quàm necessarium sit patriam tueri libertatem,uniuersis & singulis manifestant: hacq́ue celeri expeditione omnes audacissimos iniuriarum uindices reddunt, ea potissimum ratione, quòd domestico tyrocinio prius didicerant bellicos exercere congressus, idq; pilis, sagittis, fundis, gladijs,quibus aliquoties, uel sæpius hostem interimere, uel fugare consueuerunt:quidúe in bello fieri oporteat, non minus commodè sibi ipsis præscribere, quàm ab alijs addiscere norunt. Quo fit,ut dum in hostem non secus quàm graues,& luctuosę tempestates uno impetu deferuntur, ferociterq; irruunt, uel facultatem inueniant cędendi,sternendi,capiendi, aut omnia in hostilibus castris confundendi,prout natura loci concedit. Populoq; mos est, tumultuaria atque cursoria pugna dimicare. Qui uerò cęteros antecellunt in hastis, aut statorio bello,suo ordini seorsum deputantur, ut suis sint auxilio, si resistentia hostium in ipso

in ipso impetu retrusi fuerint, uel fugati. Alij uerò turmatim conglobati, aut itinera custodiunt, ut hostem ad insidias, et iniquiora loca contrudant: aut commeatum auferunt, uel impediunt, ut diuturnitate sufferendę pugnę defessum reddant aut ad extrema pericula uoraginum, ac præcipitiorum cogant, ut rupium faucibus ipsum hostē inclusum facili negotio conficiant, uel captiuent. Summeq́ prouident, quòd nouas recentesq́ pugnatorum turmas bello inualescente inimicorum uiribus incessanter opponant, ut in tuta munimina recipiant debilitatas.

Adhuc de cautelis bellatorum.
CAP. VII.

SOlet etiam plerunq́, uti in quouis acerrimo bello, accidere, ut non modò defesso ex pugna excedendi, sed ne saucio quidem eius loci, ubi constiterat, relinquendi, ac sui recipiendi facultas concedatur. Ideoq́ hyeme propter horrendum frigus, & æstate ob ingentem æstum longè plures pereunt, quàm reliquis temporibus anni: quinimò cuncto tempore intereunt, qui aut pericula præuidere negligunt, aut hostium paucitate contempta, temere pręliantur. Sæpe etenim minores bestiæ angustijs constrictæ, rabie contracta maiores superant, utpotè quòd una uulpes plures canes robustos lacerat, & euadit. Qui uerò in hostili exercitu ab equis siue nudis, siue cataphractis pugnant, maioribus periculis subijciuntur. Incolæ enim patriæ defensores, uti peritissimi sunt in sagittatoria arte ex fortibus corneis ballistis, ita & modum pugnandi seruant, ut potius equum, quàm sessorem latioribus sagittis, Schecta appellatis, transfigant: rectè existimantes, lęso iumento, ipsum sessorem, mox ruiturum. Nec opinione falluntur. Ferrea enim sagitta corpori immissa, intolerabili excitato cruciatu equitem & iumentum strangulat repentino casu, prout in multis cap. infrà dicetur. Prætereà hoc obseruant, ut semper pedites, qui optimi iaculatores sunt, in locis montanis, ac asperis pro equitibus pugnent: quia loci natura cum fideli ductore uictoriam ab hostibus certissimo exitu pollicetur, sicuti econtrà, quando duces belli ad insidiosa loca ducunt, uel potius seducunt exercitum optimè animatum, & armatum: prout Liuius factum fuisse in saltibus Candianis testatur & Plutarchus per proditores Arabes contra M. Crassum, uti miserrimum & infelicissimum spectaculum ibidem uidetur, satis dignum ut à principibus legatur, sæpiusq́ lectum repetatur.

De littoralibus prælijs.
CAP. VIII.



IMminētē maritimo bello mira diligentia utuntur Septentrionales populi, prę sertim Gothi, Sueci, ac Finningi in hostica classe arcenda, uel excipienda: Aut enim ex rupibus tanquam naturalibus pręsidijs eminus hostem sagittis arcent à littore, aut propius accedentem saxis è sublimi proiectis elidunt, aut in faucibus portuum stylos cęcos, dēsasq́ sudes sub aquis infigunt ut sine defensoribus aditum aduersarijs ualeant prohibere. Aliquando etiam hostium opinioni timidos se demonstrant, in extremis syluarum brachijs latitantes, ut quo loco prædādi causa hostes aduenerint, cornuum acutiore citato sono conuocent reliquā multitudinem in abdito permanentē. Plerisq́ enim in locis littoralibus accessus recessusq́ syluarū teneris arboribus incisis, inflexisq́ crebris in latitudinem

tudinem ramis enatis, ac rubis, sentibusq; interiectis effecerant, ut instar muri hæ sepes munimenta præbeant, quæ non modò non intrari, sed ne facilè introrsus perspici posint. Intra eas syluas quasi singulis prouinciarum portubus obiectas, maxima multitudo latitat incolarum: quæ eò celerius inimicis congreditur, quò diligentius speculatorũ industria fuerit excitata, præsertim dum hostes per ędium incendia, & agrorum depopulationes sæuire uidentur. Eo namq; scelere nullum truculentius indigenæ reputant, nec atrocius patria seueritate cõpensant, quemadmodum huius rei Casiodo. meminit de Regibus Gothorum, grauiter eos pu- nire solitis, qui segeti nocerent, aut mesibus maturandis.

De pesimo euentu hostilis clasis.

CAP. IX.

EVenit præterea sæpius, classem bellicam littoribus applicantem, tantis nebularum obscuritatibus subitò obrui, ut nedum ulterius progredi nequeat, sed nec mutuas prohibere nauium collisiones, aut cæca sub aquis saxa, labore ue ingenio euitare, imò nec uelorum beneficio ad apertum euadere gurgitem, propter diras tempestates, quæ nebulas huiusmodi concomitantur: quibus sedatis tanta plerunq; succedit maris tranquillitas, ut clasis ipsa sese à loco minimè commouere posit: imò & fulgurum, ac coruscationum ea uis interdũ sequitur, ut ipsa nauigia incendio, ac submersione uorentur: cuius rei frequens testimonium perhibent annales Ostrogothorum, aliaq; saxa in littore relicta, de simili calamitate ostendentia rationem. Cæterum ubi hostis minores insulas defensore carentes, li- gnandi causa audentius ingreditur, sine uita, uel uulnere uix discedet. Dum enim insularum possessores id imminere prospexerint, inter frutices, frondesq; iacula secretis funiculis ad arborum robustiores ramos uiolenter extendunt: quorum fortisimo repulsu, leui tactu citato, quilibet ignarus facilimè trucidatur. Nec desunt in locis opportunis caueæ ferarum, profundo insidiosoq; ingenio fabricatæ quas si quis inciderit, membris integris uix extrahetur.

De ignibus montanis tempore hostili.

CAP. X.



EX hac imagine duo ueniunt consideranda: quorum alterũ in uertice montium, fumi scilicet cõgestis lignorum struibus ad clasicos insultus accedentium inimicorum arcendos excitati: alterum uero in littoralibus angustijs, & scopulis, ne hostes insiliant, diligens equestrium custodia intuenda: qui montana inhabitant loca tempore hostili, ueluti celerrimi speculatores, signa fumo faciunt: quibus uisis, alij reliquos montes incolentes, itidem à longè positis ignita pyramide demonstrant, ut quilibet armatus iuxta numerũ Principis, & patriæ lege decretum, ex campestribus locis pro littorum custodia sine mora descendat. Inter quos uelites equestres celerrimi adsunt, ut hostibus portuum, uel riparum accessum præclusuri, sagittarijs plebeiæ multitudinis locum statuant, ubi commodius excipiant, ac conficiant hostem, omnino aggredi contendentem: ut scilicet in uallibus, aut cauernis expectent, uel ad iniqua & ignota hostibus loca, quasi fugitiui declinent, ne fortè eos taliter insequẽtes educere ualeã

in agmina

in agmina robustiora: quę urgente necessitate usq; ad infinitam multitudinem augeri solent. Nec desunt exploratores quoquo uérsum emissi, qui renuntiant, qua ex parte adhuc immineant hostes, ut his celerius, & copiosius occurrentes, uel consilio, uel uirtute, uel insidijs, uel necessitate, uel desperatione, uel loci securitate nutantibus, nedum uictoriam adimant, sed & uictos, ut imperata perficiant, militari lege constringant.

De externis exemplis Finnorum.

CAP. XI.

NEq; Cæsar in bello Pompeiano sine significatione per castella fumo facta, ut erat superioris temporis consuetudo, cohortibus adductis circa ripas (ut lib. 2. & 3. Commen. ipse attestatur) processit, ubi noua orta causa nouam belli mutationem fecit. Accedit præterea modus Græcorum maximè Caphareum inhabitantium, qui hyemis tempore nauigare solent, ut hominibus mõtana iuxta ripas inhabitantibus, pręcipiant luminosos ignes in summitatibus montium accendere, quibus uisis hostes nauigantes in periculum, & mortem præcipiti casu rapiantur, socijq; ex strepitu, & clamore morientium terreantur. Aliquibus tamen bellorum ducibus imprudens consiliũ uidetur, quòd pręliaturi ab incendio inchoent bella, quia eo signo longinqui cõuocantur ad ultionem: quod utiq; uerissimũ est in his, qui aliena inuadunt, & non in illis, qui propria tueri annituntur, ut superiori figura monstrabatur. Sed hoc quoq; euentu maiorem calamitatem recipiũt externi hostes, quàm intraneis intulerunt, & plerunq; prius quò fugiant circumspiciunt, quàm tela contorquent. Satellites enim hominum genus infidum, & inquietũ est, quod facilius congregari, quàm dirigi potest. Viso periculo in seditionem citius, quàm ad uictoriam uersi seipsos præcipitare festinant, & hoc modico, ac inermi oblato resistente, prout Salustius refert cognitum, scilicet esse pauperem gentem, quæ contra opulentissimos Reges & Principes acerrima bella gessẽrit, prout de seruilibus bellis toties commissis est manifestum. Parcitur tamen uillis, & oppidis sublimiori loco positis, ne comburantur, tum quia uigilantium sunt receptacula, tum etiam quia sub dominio sunt, tum itidem quia ligna afferũt prò montanis ignibus accendendis, ut longè lateq; appareant in hostilibus castris.

De bellis syluestribus.

CAP. XII.



SVnt etiam quamplurima propugnaculã tum natura, tum arte in syluis, ac mõtibus, ad arcendos hostes satis opportuno situ collocata: in quorum accessu magis student indigenæ properantem inimicorum exercitum opprimere, uel captiuare, quàm eidem bonorum ciuium dispendio, & strage aperto armorum discrimine colluctari: æquius putantes crudeles inimicos naturæ ministerio corripere, qui despecta omni lege humanitatis, more beluino, nulli sexui, ætati, aut conditioni parcentes, furiunt & grassantur. Vnde ut incolæ eosdem hostes acrius inter syluarum proceras arbores prosternant, eas penes uiam, qua processuri sunt, ferè dissectas, atque in uertice funiculis connexas, super hostes longinquè casuras, restibus aut funibus moderantur: quò fit, ut equitum peditumque turmæ, uelut fulmine tactæ, illicò maiori ex parte enecantur,

tur,uel aliâs in arcta uia,atq; aspera,lapidibus supernè iactis,quasi ex altis mœni
bus obruuntur,aut in faucibus montium per relictas insidias iaculis, & telis con
fossi succumbunt,aut ex subterraneis specubus penes colliculos sitis,ballistis &
sagittis confodiuntur.Quorum enim possessiones hostilibus incendijs consum
præ sunt,ij in talibus locis amaritudine prouocati, exercituum duces interimer
solent,aut aliàs domibus inclusos repagulis adhibitis incinerare,prout cap.de in
cendiarijs puniendis exprimetur. Nec aditus in eorum subterraneas specus ull
industria ab alienigenis inquiri possunt,cum inter abditas rupes, cuniculosq; re
tortos callidè sunt obliquati.Auditur quidem uehemens emissi iaculi stridor,sed
unde exurgit,penitus ignoratur. Quibus autem in locis Gothorum specus hu
iusmodi reperiuntur,sine mea informationè temerarius,& superbus hostis, quo
ties alienæ paci nocere præcogitat,experiatur.



De particularibus exemplis huiusmodi belli.
CAP. XIII.

SAxo Danorum clarissimus historicus de calliditate Sueonum in cędendis sy
uis loquens,asserit,Verendenses,id est,Meridionales Gothos,dū Sueno Da
norum Rex omnia flammis,ferroq; sub algidissima bruma inuaderet,plurimosq
in niues moribundos abigeret,sese eidem Regi uiriliter opposuisse. Cæsis enim
minoribus truncatarum arborum coaugmētis,faucium,quas permeaturus esset
angusta præcluserunt. Tantis siquidem circumiacentium rupium anfractibu
claudebantur,ut absq; ingenti dispendio à latere præteriri nequirent. Quorum
ausum dum Rex omnis moræ impatiens,celerius quàm prudentius equestri mil
tia demoliri contenderet,atrocius periculum incurrebat. Vbi etenim uentum e
ad fauces,delapsi equis milites,quanquam tenui armatura essent,quòd eis festin
tionis ardor periculorum contemptum ingesserat, arboream struem oppugnar
cœperunt:dumq; pacem indigenis poscentibus non admitterent,pars ab agresti
bus è strue tanquam ex muro pugnantibus, capite hasta traiecto opprimitur
pars saxis,sudibusq; fugatur:pars frigore correpta,Regeq; ignaro,furtiuo disces
su domum dilabebatur.Ipseq; Rex compendiaria uia cursum in suam Daniam re
flexit,iustè penitus in frigore,qui prius afflictæ plebis æstuaria per crudele incen-
dium deuastauit. Ne etiam desint externa exempla,occurrit Fl. Vopiscus,asserē
Imperatorem Aurelianum tantam cladem à Marcomannis apud Placentiam ac
cepisse,ut Romanum penè Imperium solutum fuisset. Causa fuit hostilis callidi-
tas:nam cùm congredi aperto Marte non possent,in syluas se densissimas contu-
lerunt,atq; ita Romanos uespera incumbente,turbarunt:quos nisi diuinitas pos
exhibitas sacrificiorum curas(uigore sententiæ Sibyllinæ) præseruasset, penitus
deletum fuisset Imperium Romanorum. Quanta etiam Cæsar in syluis succisis
passus est ab hostibus suis,ipse de se apertius,& pluries contestatur. Contingit e-
tiam,ut detruncatis arboribus ipsi defensores quasi circulo clausi,nullo modo
erumpere ualentes,ab hoste fugando interimantur. Aggeres etiam cuneatos e
durissimo ligno erectos,in locis decliuibus opponunt, fruticibusq; contegunt,
ut equitum saltus insidioso spiculo impediant, uel aliquot ex una,ali-
quot ex altera parte occisis,acre certamen exurgat,donec
montibus & syluis inclusi, fundisq; & sagit-
tis obruti,de uita & libertate pa-
cisci cogantur.

De dolosis sagittis, & tribulis.
CAP. XIIII.



ET his quoque modis materies bellicæ calamitatis incrementum suscipere solet scilicet ut hostes, quos Septentrionales populi in rupibus, aut syluis interimere, uel turbare nequeunt, eosdem ad apertos campos simulata fuga, uel seditione callidius educant: accedentesque tam equestres, quàm pedestres turmas ferreis sagittis in sublime emissis, casuum ictu facilè excipiunt, uel occidunt. Gothi etenim in arte sagittatoria, ut prædictum est, peritissimi, certa telorum genera ferrea unius & dimidiæ palmæ, medio ligno abietino, medioque ferro acutissimo confecta, secum ad multa millia in bella comportant: quæ tela, uel sagittas, non directè pro hac sorte præliandi in equites occursantes, sed in aëra transmittunt, ut sua naturali grauedine, ac relapsu, instar grandinum quantitate innumerabili cadentia conficiant hostem: idque fit ictu triplici. Aut enim suo casu ipsos equites galea, uel thorace penetrato, subitò interimunt, uel infirmant: aut capita, uel dorsa equorum incidentia, ipsos in furorem & fremitum, ut sessorem eijciant, conuertunt: aut terris fixa, ligno confracto manubrio, uelut sudes et spicula, equorum ungulis subtus adhęrent, ut remaneant claudicantes. Inde maius ingenium, ut non turmas equestres taliter illæsas, & appropinquantes, sed iumenta sagittis impetant: quia equo lęso, uel cadente, facilè corruent sessores: & si illicò non cadunt, contos secum incolæ portant, quadruplici unco ferreo uariatos, uulgariter Polyxe dictos, quò detrahant hominem ab equo. Hosque contos lima, ueluti falcem ad messem, ipsi incolæ acuunt ad certamen.

De tribulis ferreis, ac quadratis stylis.
CAP. XV.

AT neui quidem equestris armaturę in fugam coarctari, pro innouando prę sidio, prompto carent ingenio. Vrnas enim ad hoc præparatas tribulis, quadratisque ferreis stylis plenas, ac alia acuminata ferramenta fugiendo post se in arena, aut prato, uel niue proijciunt, ut sequentes turmę equestres obstacula sentiant in equorum pedibus, quo minus insequi, interimere, uel captiuare ualeant fugientes, imò ut ipsi equites retrorsum abeuntes, penitus inutiles fiant, seditioneque, ob contemptibilem incolarum resistentiam & ingenium, mota incidant in maiorem metum atque terrorem, resumptisque nouis indigenarum aucta multitudine uiribus, nedum amplius eos persequi poterunt, sed pacis conditiones, quas sors obtulerit, petere, uel oblatas subire cogantur: & ita eò res concidit, ut qui propter impotentem iram patriæ libertatis defensores opprimere nequeunt, sub eorum armatis manibus oppressi corruant, ac spiritum contumacissimum pendant, aut conditiones strenuis militibus forsitan indignas attingant. Quod ita sæpissimè factum sit, æternam memoriam ubique in Septentrione ostendunt alti & erecti uetustissimi obelisci: similiter & montes, colles, amnes, paludes, & pontes: quibus perpetuum nomen ex infinita hostium multitudine, maximè externorum, in his prostrata, est impensum. Nec longè à Regia ciuitate Holmensi locus est monticulorum Quatuor dentium appellatus, eò quòd Rex Daniæ Christiernus primus infeliciter pugnans, quatuor dentes ictu bombardæ

amiserit anteriores. Præterea insignis Ecclesia Parochialis Danmarck dicta prope Vpsaliam nomen perpetuum sortita est ab hostium regione: quia opimis spolijs magnificè constructa est, remanente occisorum strage memoria sempiterna. Testantur præterea hoc ipsum limosæ paludes ubique in Gothia & Suetia, uulgariter Garpa mose, uel Dhena Keer dictæ: in quibus etiam Bohœmi, Teutones, Dani, Moschi, Liuones, Pruteni, Pomerani, Curetes, pro se uel Danis præliantes, pariter sunt trucidati, aut suffocati. Item lacus, & amnes haud undequaq; cōgelati semper uidentur: in quibus hostiles equitum turmæ è Dania progredientes, sæpius (glacie incolarum solicitudine concisa) plura hostium millia sunt suffocata. Deniq; in pontibus ex industria dissectis, quantus perierat in aquis fremibundus exercitus, ipsa saxa penes littora ad sempiternam memoriam posita parum aliquid de tot, & tantis stragibus unà cum historijs attestantur.

De fundis lapidum, & igniti ferri.

CAP. XVI.



FLexibilibus catenis, ferreisquê iuncturis, fustibus ligneis alligatis, sæpius in castrorum obsidione, quàm reliquis armis Aquilonares utuntur, præsertim ubi campus circumiacens sit lapidosus. Vbi autem saxa non sunt, quod rarò uidetur, crustatum ferrum ignitum scintillis micans, forfice in bursam fundæ impositum, uehementi iactu in castra emittunt. Habent enim semper ad manum uasa instar barilium Romanorum, plena crustato ferro: eoq; in ignem misso, & fundis applicato, ac contra obsessos proiecto, tam uehemens uulnus, & cruciatum infligunt, ut rara, uel nulla medicorum ope ualeant restaurari. Casu etenim ob ponderis grauitatem, & tactus adustionem, irremedicabiliter lædit: sicq; abditorum ferreorum crustorum terrore, uel uulnere conficiunt hostem: cuius rei memoria recentior est in Danorum Rege Christierno 2. qui talibus armis M.D.XXI. in ciuitate & castro Arosiensi perdidit potentissimum exercitum suum. Similiter & sagittis ignitis: quæ de flamma ereptæ, atque forfice ballistis impositæ, repentino iactu eò atrociora uulnera indiderunt, quò minus manibus propter ardorem extrahi quiuerunt. Sed miserabilius erat, quòd ferreæ sagittæ, ac crusta ignita in puluerem bombardalem cadentia, quasi momentaneo excitato flammarum impetu, latius per circuitum plurimos astantes milites interemerunt: maximè etiam, quia Montani, ferox hominum genus, mineralibus exercitijs educatum, sagittis, saxis, ferreisquê crustis, quasi imbribus per fundas emissis, uehementer instabant. Vidi ego exinde spatio 250. milliarium Italicorum nauigio in regiam Suetiæ Holmiam plurimos sic miserabiliter sauciatos, eodem anno terribili spectaculo, nempe naribus, oculis, brachijs, pedibusquê euulsis adduci: qui tandem insanabili uulnere, & cruciatu, prçcipuè Germani, Dani, & Scoti miserabili morte uitam efflarunt. Quæ sors & mors, eisdem militibus Germanicis, ac Danicis, præcipuè Iuthis, & Holsatis euenit, quòd Montanos illos (Dalacarlos dico) despecto nomine inermes rusticos, ac ad prælia indisciplinatos, homines stupidos, & imbecilles reputabant, & appellabant, etiam imprecantes, quòd è cœlo myriades complu erent rusticorum, quos omnes quasi locustas uno momento excutere uellent, & possent: inanibus uerbis insultantes. Sed re ipsa compertum est illicò, uerba & minas nil



nas nil ualere, dum appropinquarent qui uerbera, & mortem inferre ualebant. Viso etenim impetu in meridie diei Pentecostes ipsorum Montanorum, seu Dalacarlorum, mille iniurijs unà cum reliquis regnicolis ad iracundiam prouocatorum, non solum non attentatam pugnam ualidissimo milite equestri & pedestri contra multitudinem institutam sustinere nequiuerunt, sed turbatissimo metu in propugnacula uitam defensuri, sese uelocissima fuga receperunt: in quibus, ut dictum est, sagittis ignitis, & ferro crustato interimebantur.

De ueltis centurionum.
CAP. XVII.



QVamuis tumultuaria manus, & inermis ruricolarum turba, ubique per orbem militaris disciplinæ nullam credatur habere peritiam: tamen longè seuerior ratio deprehenditur in Septentrionalibus populis, qui comportatis expensis certi temporis, & armis, alacriter ad res bellicas æque ut ad tripudia congrediuntur. Validissimi enim sunt, præsertim Sueci & Gothi, in arcibus, fortalitijs, oppidis, ac urbibus obsidendis, & impugnandis: idque multiplici modo, prout hoc libro uarijs capitulis inferius ostendetur. Hic tamen modus superiori figura depictus, cæteris fortè periculosior existimatur. Incolæ enim grauissima lacessiti iniuria, & tyrannide, ut ea liberentur, in unum collecti, crudelibus præfectis celeriter amouendis subitò congredi non formidant: unde & eos superatos, atque ad arces & oppida confugere coactos, mox agminatim arcibus inclusos obsidione cingunt, coniunctisque uiribus & animis, arbusta seu sarmenta colligunt, & hæc uirentibus iuniperis ubique crescentibus, cum pice, corticeque arboris betulinæ ingenuoso compendio restibus constringunt: idque adeo immani altitudine & magnitudine instar longarum turriũ efficiunt, ut unamquanque congeriem (quam Veltam uocant) antrorsum mouendo, circiter uiri centum uoluant, aut plures, prout immensitas huiuscemodi ueltarum requirit: quæ etiam uelta talem securitatem motoribus suis ob uastam spissitudinem præbet, ut nullo sagittarum, scorpionum, aut tormẽtorum genere in eius admotione lędi possint.

De modo, & tempore adducendi ueltas.
CAP. XVIII.

VT autem expeditius animo suo ulsciscendi, maturiore efficacioreque naturæ adminiculo satisfacere ualeant, ex industria uentos expectant, & eligunt tempestuosos & austeriores, qui admotos & accensos ueltarum fumos & flammas tectis arcium intrudant: alioque latere turmatim imminent sagittarij infestiores, qui uel obsessos in fenestris, uel scuta in manibus opposita, aut capita obsessorum ita sagittarum, ac telorum multitudine replent, ut formam induant ericiorum. Eoque finaliter uis ista progreditur, ut obsessi uiribus destituti, uel flammis & fumo deuicti, horrendo spectaculo nullis admissis conditionibus, aut pactis interimantur. Nescit enim effrenis rusticorum simplicitas alia tractare pacta, quàm sola mors amarissima præscribit obsessis, eo quòd toties uaferrimis impiorum præsidum, & hostium inducijs illusam, ac afflictam se meminit, & interemptam, ut potius eligat semel fortiter pugnando mori, quàm ad tanta ludibria, ac tormenta tyrannorum diutius reseruari. Et hinc mos crudelissimus inoleuit,

leuit, ut milites gregarij cum Sueticis, ac Gothicis ruricolis, & indigenis publice certamine congredientes, deſperatione uitæ retinendæ neminem captiuant, nec econtrà, ſed ſeſe mox interimunt furia quadam beluina, prout ubique per latiſsimos campos non epitaphia, ſed ipſa oſſa rupibus ubique affixa demonſtrant. Attamen hæc luctuoſa calamitas plures externos milites uariarum nationum, eò ob uilem uitæ uenditionem confluentium, dira morte conſumit, quàm ipſos indigenas, qui uiribus aucti quotidie fortiores, ſeuerioresq; aduerſus quemcunque hoſtilem uim exurgunt. Teſtantur etiam hoc peregrini milites, qui numine propitio miſerias has quandoq; euaſere documentum cæteris omnibus præſtantes, Suetici argenti ſpolium uita, & ſanguine ab extremis gentibus diſpari commutatione fore emercandum. Infeliciſsimus igitur eſt, qui alieno non credens periculo, ſua pradicta mala intelligere noluerit, ſed experiri.

De ſudibus, telis, & foueis inſidioſis.

CAP. XIX.



MIlites ſeu Septentrionales populi munitiones opponendo imminentibus inimicis, multa, quemadmodum & aliæ gentes, utuntur arte, & uiribus, tempus locaq; conſyderantes, quibus indubie exigua manu circumueniant hoſtem tempus ſcilicet hyemis, ueris, æſtatis, aut autumni. Hyemis itaque tempore ſi pugnandum erit, quia adminiculo niuis, & glaciei (ut infrà dicetur) centum ſufficiunt reſiſtere mille. Si ueris, tunc hoſtem eo prouocant, ut incidat in saxa: quorum copia infinita ibidem eſt frigore ad caſum laxata, ut eques ſtabile ueſtigium non inueniat, quo tutus à lapſu, & præcipitio ſit, quacunque uirtute prælietur. Si æſtatis tempore, tunc foſſatis, ſudibus, & ſtylis pineorum ramorum adumbratione coopertis, aut paludinoſo loco excipiunt temerarios inimicos. Si tempore autumni, ad ualles locaq; decliuia prouocantur ab hoſte, imbribus eum infatuant, & eneruant, ut ad anguſtos limites redigatur, donec plures congregati non adiutorio, ſed miſerando ſpectaculo, & periculo ſibi inuicem fiant. Nihil enim ita equitibus nocet; ut locus anguſtus, & uoraginoſus: qui uix euitari poterit, dum ſtrenui equites ira concepta, quocunque cernunt ducem uolitare, cum robore & impreſsione ſequuntur: de quo modo T. Liuius in bello Candiano, & ſaltibus eius, ſatis ſtupenda recenſet. Nec fuga ſaluti erit, propter equitatum à tergo inſtantem: nec dextrorſum, aut leuorſum, ob præcipitia, limoſas paludes, profundas uoragines, inſidioſas ſpecus, & aquas, ac ſaltus, pericula euitari poſſunt. Tunc quę deprehenditur, quòd non ſolis enſibus, lanceis, ſagittis, contis, ac pugionibus dimicare iuuat, ſed locis ſcabroſis, & iniquis, ad quæ nimia præſumptione, & improuidentia ſunt illapſi. Quod ſi uictores euaſerint, durum eſt eorum ferociam reprimere, ſicuti & fugientium ignauiam, & perfidiam reuocare: & fortè quia undique conclamatur ad arma, tela, & diuerſa compendia mortis. Hi tamen primum aufugere ſolent, qui in tabernis, uel hominum cœtu ſunt garrulis loquaciores, quia ut ſpuma maris citò diſſoluuntur. Præterea effœminati, quorum inane corpus eſt à uirili ſpiritu, dum tota imaginatio captiua ligatur in ſinu meretricis. Demum proditores, quia omnem arborem, quam ſciunt ſe dudum meruiſſe, putant eſſe furcam. Fures etiam

fiſci ad



fisci ad bella non ualent, & si adsunt, illico aufugiunt: quia cor obcęcatum habent & in nummo reclusum. Legitimo autem matrimonio coniugati, uel alias sine scorto uiuentes, plusquam leones in audacia, & strenuitate uictoriam certamini annexam tenent. Igitur modus est gentis occurrere inimicis, ut ducant eos ad syluarum uastitatem, & opacitatem, ut primum tenebras expauescant saltuum, donec successiuè ueniant ad hostile robur, suo loco & ordine collocatum: ubi principio uelitares ad leues pugnans occurrunt, deinde turmalis exercitus equitum: pro quo tamen in locis asperis pugnare solet pedestris turma, donec erumpat in locum ad certandum ampliorem.

De stratagemate Regis Hachonis per frondes. CAP. XX.



Atroces iniurias quàm uehementi spiritu, & studio Gothi uindicare soleant, parumper præsenti capite demonstratur. Erat olim in patria Gothorum potentissimus Rex Hacho nũcupatus, adeò præclaris, & magnificis gestis addictus, ut cæteri proceres potius ea admirari, quàm imitari ualerent. Tanta enim circumspectione omnibus Reipublicę partibus satisfecit, ut quemadmodum contra hostes in bellicis rebus incomparabiliter strenuus esset, ita in ciues, & amicos nullum benigni Principis officium præteriret. Hic potentiam & militiam suam diuilit in duas classes bellicas: quarum unam fratres eius, patriæ limites, & populos defensuri, strenuè gubernabant, dum ipse interim altera classe, militumq; parte succinctus, arma Occidentalibus Oceani insulis inferret. In quibus constitutus, cum certis nuntijs didicisset, duos fratres suos bello nauali à Danis oppressos, tertium uero ignominioso mortis genere in suæ familiæ, & Suetici Regis contumeliam absumptum, nihil ulterius morandum ratus, totius exercitus sui robur ex Hybernia in Danos cõuertere properauit: quem licet Starchaterus pugil Sueticus, & nonnulli alij causis adductis deserebant, tamen classe, residuaq; militia felicibus uelis peruenit in littora Selandiæ rectoq; ac celerrimo cursu per saltus, & nemora usq; ad regiam, in qua tunc Sigarum Regem uersari intellexerat, contendit. Nec accelerationi prospera fortuna defuit: nam primam, & secundam uigilum stationem suspenso, tacitoq; itinere prætereuectus, cum ad extremas syluarum latebras deuenisset, iussit abscissos arborum ramos singulorum suorũ manibus gestari. Quòd cum milites in tertia statione constituti aduerterant, mox Sigaro nuntiant, se insolitam, & stupendam rei nouitatem admirantibus oculis subiecisse. Visum quippe erat nemus suis sedibus euulsum ad regiam usq; properare. Tum Sigarus animo ad insidiarum considerationem conuerso, respondit, eo syluarum accessu sibi extrema fata portendi. Moxq; militem, quem inopinatus casus obtulit, contrahens, obuiam aduenienti hosti progreditur: fit atrox, et pertinax pugna, Suecis suo more uindictam uehementissimè sitientibus. Cecidit eo prælio Sigarus Danorum Rex, Hacho uerò uictoriam in crudelitatem conuertens, nulli sexui, aut ætati pepercit, regnumq; Daniæ tam seueriter opprimebat, ut illud nequaquam ad tributum aut subiectionem, sed ad extremam desolationem expugnasse uideretur: nec quieuisset, donec magnam eius partem desolatam reddidisset, nisi morte patris ab eo conatu in Gothiam subitò reuocatus fuisset. Substituit tamen alterum eiusdem nominis ducem Hachonem, cognomento Fastuosum: quem cum Dani post Sueonum

abscessum uiribus destitutum uiderent confestim ad arma reuersi, statuerunt se à Suetico iugo ereptos in pristinam libertatem uindicare: filioq; Sigari Siualdo in Regem assumpto, prelium uehementius, quàm unquam prius instaurant. Fuit ea pugna adeò uehemens, & cruenta, ut prostratis anteà multis millibus, tandem ambo exercituum duces Hacho, & Siualdus corruerint: erantq; paucissimi, qui sibi post tam miserabilem cladem fuga consulere potuerint. Et hic fuit finis infelicissimæ pugnæ: in qua omne Regij sanguinis stemma in Dania extinctum, ad unam fœminam Gyritham Gothico regno oriundam, peruenit.

De Hachonis Regis per frondes stratagemate.
Ioan. Mag. lib. 7.

Hacho Amundi Regis filius anteq̃ in paterna regna succederet, ea magnifica opera gessit quæ cæteri illius ætatis proceres potius admirari quàm imitari ualuerunt. Patre Amundo in graui ætate ad Regiæ dignitatis labores assumpto, hic in se omnem administrandi regni solicitudinem suscipiens, tam circũspectè omnibus Reipublicæ partibus satisfecit, ut quem admodum contra hostes, & in bellicis rebus incomparabiliter strenuus esset, ita in ciues & amicos nullum benigni Principis officium præteriret. Paterno igitur regno prudenter consulturus, totam patris militiam ita diuisit, ut altera pars in patria, & mari eius litoribus alluente sub ductu fratrum (quos nunc nominauimus) militaret, dum ipse interim altera parte militum succinctus, arma Occidentalibus Oceani insulis inferret. Qui cum in tam remotis finibus constitutus esset, certisq; nuntijs didicisset duos fratres suos bello nauali à Danis oppressos, tertium uerò ignominioso mortis genere in suæ familiæ, & Suetici Regis contumeliam absumptum, nihil ulterius morandum ratus, totius exercitus sui robur ex Hybernia in Danos conuertere properauit. Erant tunc nonnulli, qui unà cum pugile Starchatero eius militiam deserentes, uarias causas, cur in Danos pugnare nollent, afferebant: at Hacho nihil eorum desertione motus, copias quas residuas habebat, Daniæ littoribus, quibus Sielandia ambitur, imponit, rectoq; & q̃ celerrimo cursu per saltus & nemora usq; ad regiam (in qua tunc Sigarum uersari intellexerat) contendit. Nec accelerationi prospera fortuna defuit. Nam primam & secundam uigilum stationem suspenso tacitoq; itinere prætervectus, cum extremas syluarum latebras penetrasset, iussit abscissos arborum ramos singulorum suorum manibus gestari. Quod cum milites in tertia statione constituti animaduerterent, mox Sigaro nuntiant se insolitam & stupendam rei nouitatem admirantibus oculis subiecisse: uisum quippe erat, nemus suis sedibus auulsum ad regiam usq; properare.

Tum Sigarus animo ad insidiarum considerationem conuerso respondit, eo siluarum accessu sibi extrema fata portendi: moxq; militem (quem inopinatus casus obtulit) contrahens, obuiam aduenienti hosti progreditur: fit atrox ac uehemens pugna, Suecis suo more uindictam pertinacissime sitientibus: neq; enim est ulla gens, quæ tardius ad iram prouocatur, quæq; iniurias acrius uindicare contendit. Cecidit eo prælio Sigarus Danorum Rex Hacho uero uictoriam in crudelitatem uertens, nulli sexui, aut ætati pepercit, regnumq; Daniæ tam seueriter opprimebat, ut illud nequaquam ad tributum, aut subiectionem, sed ad extremam desolationem expugnasse uideretur: nec quieuisset donec magnam eius partem desolatam reddidisset, nisi in eo conatu nuntium de obitu patris, quo ad paternum regnum subitò reuocabatur, accepisset. Substituit tamen alterum eiusdem nominis ducem Hachonem cognomento Fastuosum. Quem cum Dani post Sueonum abscessum uiribus destitutum uiderent, confestim ad arma reuersi, statuerunt se à Suetico iugo eripere, & in pristinam libertatem uindicare: filioq; Sigari Siualdo in regem assumpto, prælium uehementius quàm unquam prius instaurant. Fuit ea pugna adeò uehemens & cruenta, ut prostratis anteà multis millibus, tandem ambo exercituum duces Hacho & Siualdus corruerint: erantque paucissimi, qui sibi post tam miserabilem cladem fuga consulere potuerint. Hic fuit finis infelicissimæ pugnæ, in qua omne Regij sanguinis stemma in Dania extinctum, ad unam fœminam Gyritham peruenit. Hacho autem Amundi filius non (ut Saxo scribit) in Scothorum regno profusius perijt, sed apud suos Sueones, postquam in paterna sceptra successerat, nonnullosq; annos feliciter regnauerat, in fata concessit.

De



De hostilibus incendiarijs puniendis.

CAP. XXI.



MEminit Saxo Danorum egregius scriptor, Suenonem Daniæ regem tam pertinacibus armis & odijs, Sueonum Gothorumq; incolas impugnare statuisse, ut nulla pacis conditione admissa, aliquis saluus, & tutus uiuere permitteretur in sua uita, ac libertate, etiam si Rex eorum in fœdera quæcunque decerneret consentire. Hyberni itaq; temporis beneficium nactus, expeditiora elegit itinera, rapinisq; & incendio Finniam olim, nunc Finuidiam, Meridionalem Gothorum prouinciam, prædabundus aggreditur. Occurrunt indigenæ supplices, patriam, seq; dedentes: nec sic se prostrauisse contenti, etiam commeatibus præbitis hospitalitatis eum obsequijs prosequuntur. Propter quæ officia dum sese tutos non experirentur, fas putabant insidijs impacabilem corripere crudelitatem: unde & illustres uiros, familiaresq; eorum, cædis & rapinarum socios, maiorem noctis partem in commessationibus extrahentes, temulentiaq; graues, in horreum annona uacuum pariter sobrietate exutos se recipientes prædicti Finni igne & flamma, quibus anteà penatibus in horrendo frigore priuati erant, unanimiter congregati interemerunt. His nanq; altiore somno spirantibus, Finnenses foris ualuas obicibus obserantes, igni spargere tectum: iamq; eius maior cõflagrauerat pars, priusq; ędes in cinerem prope collapsa fuit, quàm pressos mero sensus uis ardoris expungeret. Postremò propiore flammarum feruore correpti, dum nudi ualuas erumpere gestiunt, forinsecus eas obclusas cognoscunt. Vrgebat intus incendium, foris hostis uetabat egressum: sed præsens pœna sequentis metum leuabat, instantisq; mali periculum futuro tristius ducebatur. Quo euenit, ut Dani ferro, quàm flammis opprimi præoptantes, ualidius connisi, præiecta foribus claustra conuellerent: utq; unum periculorum effugerent, in aliud ruere non dubitarent.

De eodem periculo amouendo.

CAP. XXII.

EGregiæ indolis pueri, quos sibi in clientelam prædicti duces, & illustres uiri respectu propinquitatis acciuerant, absq; ætatis miseratione sub Nicæ amnis glaciem nudatis corporibus Finuidorum ludibrio mersi, in eodem alueo fatum, & tumulum recepere: ita paucorum agrestium fraude, hoc est ęqua uindicta maximæ expeditionis labor exinanitus euanuit. Neq; eo solum uetusto tempore id accidisse compertum est, sed quotiescunq; Gothos, ac Suecos hostilibus armis spoliandos Dani impetunt, toties in ædibus constricti, partim ignibus, partim aquis, partim ferro, apertè uel insidiosè ut in plurimum absumuntur: quod eò facilius fieri creditur, quò in ligneis ædificijs undique combustibili materia circundatis, crapula fatigati profundè dormitant: stultè existimantes, inter eos homines se fore securos, quibus omnem uiolentiam, & crudelitatem infligunt: eoq; celeriores, ac horribiliores pœnas subeunt, quo sæua tyrannide petulantius in ędes, ac fortunas incolarum sunt grassati. Priuati enim domibus, in asperrima hyeme uxores, & paruulos syluarum latebris abscondunt, unoq; impetu, ac furore, & desperatione ducti, ballistisq; & telis armati, rapaces incendiarios per uiarum insidias quęsitos, occidunt, ut uita amissa, bona ablata reassumantur

mantur à possessoribus iustis, ne frustra scriptum uideatur: Væ qui prædaris, nónne & tu prædaberis? Quo fit, ut uel atrocissimo periculo dispereant, uel expeditiore, sed fœdiore fuga impetu ruricolarum elabantur: quippe spolijs inter hostes relictis, sese spectaculum & ludibrium non modò externis, sed domesticis, nudi spoliatiq́ue, & plerunq́ue saucij domum ægrè reuertentes, ostendũt. Stultè igitur bellum in hyeme contra colonos accipitur, quando iussu dominorum, simili exorto inimicorum casu includendorum, domos repagulatas comburere non formidant, quia abundantia propinquarum syluarum nouas ædes mutuo adiutorio erigere possunt. Domus autem nunquam in latere, sed in culmine tecti fenestras habent: ideò foribus obseratis facilimè somno sepulti comburuntur.

De defensione riparum Islandiæ.
CAP. XXIII.



ETsi superioribus libris, præsertim II. dictum sit de mirabili natura montiũ, & portuum Islandiæ, id est, terræ glacialis, ubi maxima diligentia excitantur robusti adolescentes, pro occisione coruorum, ne deuorent porcellos, & agnos: attamen his adduntur equites magno conducti stipendio, ut coërceant insolentiam negotiatorum: qui ob indicibile lucrum quotannis è diuersis Germaniæ, & præsertim Saxoniæ inferioris partibus, ut sunt Lubicenses, Hamburgenses, Vismarienses, ac Bremenses, eò confluunt. Inter quos cùm plurimi fraudibus, & dolis pleni sunt, ut circumueniant, aut spolient simplices inhabitantes, uel aliàs angustient innocentes, prouisum est fortitudine equestrium armatorum, ne in littoribus, aut portubus, aut rure, uis alicui fiat, uel facta permaneat impunita. Quòd autem cernuntur cryptæ, & subterraneæ cauernæ pro usu habitationum humanarum, ac conseruatione bestiarum, nemo miretur, cùm uenti, quemadmodum superius libro secundo dictum est, intantum ibi sæuiant, præsertim Circius ex Occidentali ac Septentrionali commixtus, ut uix equitare, aut ambulare concedatur uiatori.

De custodia riparum tempore hostili circa lacum Meler in superiori Suetia.
CAP. XXIIII.



EST præterea in superiori Suetia lacus insignis Meler appellatus: de quo supra libro tertio dicta fuerant plurima admiranda, præcipuè quòd inter Septentrionales aquas sit piscosissimus, atq́ue plures illustrium, ac nobilium hominum habeat arces, & palatia pro more gentis satis ornata: præterea aliquot insignes Ecclesias Cathedrales, Arosiensem, & Strengenensem: ubi uetusto tempore superstitiosus cultus uiguit idolorum, maximumq́ue certamen heroum, pugilum, ac gigantum, prout cernere licebit in immanibus saxis à campis & montibus in parietes Ecclesiarum translatis: in quibus literarum Gothicarum

longo, atq; obliquo ordine leguntur gesta dictorum gigantum. In sinu etiam huius lacus scopuli sunt inaccessibiles, ab incolis uocati Gallinarum pulli. Rupes enim media est Gallinæ nomen habens, quemadmodum apud Noruegianos scopuli reperiuntur Ouorum, id est, Eggiafiord appellati. Præterea è mari in Gothiam, & Suetiam nauigantibus, certi sinus maris, & promontoria obijciuntur, quæ mensarum, scamnorum, coruorum, porcorum, falconum, & præliorum nominibus nuncupantur: in quibus, ingruentibus inimicis, intermedia saxa cum scaphis insultorijs se abscondunt, imò apertè conseruant incolæ, ut hostes intercipiant præsumptuosè adnauigantes: quicq;, si littus solidum hostes ingressi fuerint, armatam multitudinem ubicq; in littoribus pro patriæ defensione animosè inueniunt congregatam, quemadmodum specialiter inferius in sequentibus libris ostendetur.

LIBRI SEPTIMI FINIS.

OLAI MAGNI GOTHI ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS DE STATV REGENTIVM & officiorum ac exercitio militari

LIBER OCTAVVS.

PRAEFATIO.



DECLARATIS primæui temporis Gothorum Sueonumq; potentissimis Regibus, per charissimum fratrem & antecessorem meum Ioan. Magnum Gothum Archiepiscopum Vpsalensem, in historijs suis nuper hic Romæ impressis, succinctior uia relicta uidetur, qua declarari congruit, quomodo, qualesue constitui solent Reges in Septentrionalibus regnis, ubi post descensum Noë, ac filiorum eius ab arca, prius, quàm in reliqua parte totius orbis, ijdem filij & nomen, & gubernium patris institutione creduntur habuisse, atq; demum inde totum mundum ampliasse, prout postea multis attestantibus grauissimis autoribus compertum est, ab eadem Septentrionali plaga plusquam XXXIIII. Reges exijsse, & potentissima regna latè per orbem instituisse, quemadmodum anno M. D. XXXIX. in Charta mea Gothica Venetijs impressa, lucidius declaratur: quorum gesta quàm ardua, ac magnifica sunt, ipse idem frater meus antedictus in historijs suis fidelissimè scriptis attestatur. Quibus sic demonstratis, ostendendus insuper erit modus, quomodo Regia electio, uel stirpium successio à uetustissimo tempore regentium, & officiorum, ac exercitia militaria fuerant obseruata.

De

Ibidem ex senatu præcipuus oratione circumspecta proponit, quàm necessarium sit pro regni, omniumque incolarum libertate, in unum Regem, ac Principem consentire, prout à maioribus supra talem lapidem, qui firmitatem signat, prouidentius fuerat obseruatum: omnes exhortans, ut libero, quem uelint, uoto quantocyus ex nomine prosequantur. Nec mora prolixa interuenit. Qui bonum publicum, regnique gloriam, pacem & concordiam semper tueri uisus est: qui priuato regimine nullum læserat: qui uictor in bellis frequentior fuerat: qui totius populi iustè uiuendo fauores sortitus est: qui legis, & religionis amantior est: is omnium nuntiorum prouincialium unanimi consensu Rex appellandus eleuatur: eo tamen respectu, ut si filius Regis, frater, aut consanguineus, prædictas uirtutes habuerit, non hæreditatis, sed electionis iure cæteris omnibus anteferatur. Sed nec negari uidetur, quin tales omni diligentia, cura, autoritate, gratia, precibus, pollicitationibus sibi procurent populares fauores. Nonnulli comminatione externorum Principum, pariter & armato auxilio uiolenter sibi Regium titulum ascribi festinant. Sed nulli infeliciores illis: quia uiolentum eorum imperium populi contradicente uoto, non erit diuturnum, etiam si inter munitissimas arces, uel sydera posuerit solium suum. Vtcunque euenerit, ille semper securius intrat, durat, & exit, qui uoce populi satis prouidi, uocatur ad regnum, quasi animo uirtuteque, siue inter suos, siue inter hostes clarissimus, ac strenuissimus reputatus: quia nil prius, aut antiquius illi uidetur agendum, quàm prospicere proceribus, ac populis suis, ut iustum imperium, firmum præsidium, & perpetuam pacem habeant. Et cùm hæc fecerit, populus non tolerat aliquem alium sibi Regios honores uendicare.

Propositio & Protestatio Reuerendiss. patris D. Nicolai Raualli, Archiepiscopi Vpsalensis, cùm esset orator sereniss. D. Erici Gothorum, & Suecorum Regis in concilio Basiliensi, ad ostendendam præeminentiam eiusdem Regis, & regnorum Suetiæ, & Gothiæ: ex Ioan. Mag. lib. 16.

Optauimus à principio, Patres Reuerendissimi, nihil earum rerum, quæ hanc sanctam synodum aut conturbant, aut distrahunt, maximè quæ Christianæ religioni in Christo solido lapide angulari subsistenti parum seruiunt: longis, aut tædiosis anfractibus agitare. Nos enim, qui è finibus Aquilonis à serenissimo Gothiæ & Suetiæ Rege missi, non sine magno rerum, & personarum periculo dudum aduenimus, cum ea humilitate promptissimis animis uestro sanctissimo cœtui interfuimus, ut potius causæ aliorum oratorum de sedibus dissidentium, etiam nobis qualitercunque cooperantibus sedarentur, quàm operam daremus, ne nostræ eminentiæ iura, quibus illa insignissima regna nostra decorantur, adduceremus in medium. Non enim congruere uidebatur nostræ Orthodoxæ religioni iam proximè (timendum) perituræ, ut patulis omnium cerni poterit obtutibus, ne prius hoc sciscitaretur, ubi Regum sedes, aut quis eorum ordo, antequam de ipsa omnium ipsorum, ac nostrorum salute tractaretur. Tamen quia non paruam diligentiam per aliorum præpotentum Regum & Principum oratores pro suis hinc inde locis experti sumus, ne omnino negligentes reputemur, & ne Regio iuri præiudicium nostra taciturnitas afferat in futurum, cum benigna supportatione pauca dicemus. Memoria tenemus Patres Reuerendiss. argumenta peritissimorum legatorum aliorum Regum, & Principum, ad prioritatem concludendam in hoc sacro concilio inducta, quibus persuadebatur, antiquitati tam regni, quàm susceptæ fidei, pro hac causa inhærendū esse. Quòd si ex hac radice iusta ordinis illatio subsumitur, credimus uos prudētissimos Patres, qui in omnibus etiam historiarum scripturis promptissimi estis, meritò pro serenissimo nostro Rege antelationis sententiam inter penè omnes mundi Reges iustè prolaturos. Et ne fortè hoc iunioribus fictitium esse uideatur, succinctissimè ea, quæ huius rei ueritatem ostendunt, patientes audire deprecamur.

Quanquam de Gothorum origine, & diuisa eorum gente, ac rebus gestis, omnes penè libri, & historiæ plenæ sunt, tamen Ablabius Gothicè, Dion Græcè, Iordanes Latinè singularissimum studium pro annalibus Gothorum conscribendis impenderunt. Tradunt autem ex ipsis Aquilonaribus partibus, uidelicet ex amplissima peninsula Scandiana (quam Cosmographi alterum orbem affirmant) innumeras exiuisse gentes, inter quas de regno Gothorum, quod nunc uulgariter Suetia (ob uicinitatem) nuncupatur, primi fuere Ostrogothi, &

Vestrogothi,

Vestrogothi, Suedi, Vinnuli: cum quibus Turcilingi, & Heruli associati, per mare Orientem petunt, & successu temporis Aegyptum, Asiam, Ciciliam subiugauerunt: è quibus, dum in Asia uiri diutius morati sunt, Amazones exiere. Post hæc Telephus Herculis filius Gothorum Rex, Priami sororem coniugio ducens, cum Danais, bellum iniuit, & Tessandrum ducem peremit. Cui filius Euriphilus successit, qui in Troiano bello interfuisset, & ibidem legitur interfectus. Deinde longo interuallo Thamyris Regina Gothorum cum filio Gothis præfuit, quæ in Scythico bello Cyrum Persarum Regē peremit. Deinde Darius Hydaspis filius, ab Antino Gothorum Principe bello uictus in fugam uertitur. Neq; Xerxes Darij filius, Rex Persarum, cum maximo exercitu contra admirandam potentiam Gothicam quicquam efficere potuit, Philippus Macedoniæ Rex magni Alexandri genitor, Gudulæ Gothorum Regis filiam Meduppam coniugem duxit, ut saltem eo medio Gothorum amicitia, & pace frueretur. Eo tempore, quo Sylla gubernacula Romanæ Reipub. gerebat, Boroista Gothis præfuit: & ille admirandi ingenij Diceneus in Gothicam prouinciam uenit, quem Rex Gothorum humaniter suscipiens, permisit illi parem sibi in populo potestatem: cuius consilio magna pars Sarmatiæ subacta est. Post quem Commolitus omni prudentia, & scientia Rex clarissimus sequitur: sub quo Dacia, Mœsia, & Thracia Gothis accessere. Et quia maximam partem mundi tunc Gothi in Asia, & alijs locis possidebant, duo regna constituerunt, Orientale, & Occidentale: quę Romanorum potentia, postquam successu temporis in immensum adaucta essent, multis & iteratis uicibus eorum Reges supprimere conata est: sed nunquàm profecit. Domitiani Imperatoris temporibus à Dorpaneo Gothorum Rege Oppius Sabinus Romanus primo, & posteà Cornelius Fuscus, duces Romani exercitus, diuerso prælio interempti sunt: ex qua uictoria contra Romanum exercitū Gothi amplius Anses, id est, diuini, dicti sunt. Omba etiam (quem alij Cimbam dicebant) Gothorum Rex, Decium Imperatorem bello interemit. Gallus & Volusianus cum ipsis ad pacis fœdus cōpulsi sunt. Quod si cuncta enarrari debeant, quæ tunc ab ipsis in Asia acta sunt, cum Ephesium Dianę templum ab Amazonibus conditum, & ipsam Troiam aliquantulum reparatam denuo uastauerunt, ac innumeras gentes subiugauerunt, tempus deficeret. Tandem successu temporis Armanaricus Gothis pręfuit, qui tantæ nobilitatis extitit, ut Magno Alexandro in potentia adequaretur. Visegothi uero in Mœsia eo tempore habitantes, quo Valens imperauit, fidem Christianam susceperunt. Frutigermus Rex Gothorum Danubij partes subiecit, Lupicinum & Maximum, duces exercitus Romani prostrauit, & Valentem Imperatorem Arrianum incendio concremauit. Thracia, Achaia, Thessalia, Pannonia, & cæteri illi populi à Gothis subacti sunt. Gratianus Imperator cum Fridegerno, & Theodosius cum Athanarico successore Fridegerni, fœdus pacis timoris causa iniere. Sublato Athanarico Constantinopoli è medio, Alaricus præficitur: qui recto tramite Italiam petens, Rauennam usq; feliciter peruenit: & cum impetrasset ab Honorio Gallias, & Hispanias iam à Vandalis pene destructas, & ad Gallias properaret, à Stilicone patricio in pascha li die clam infestatur. unde (non mirum) ad reditum cōcitatus, Liguriam, Emiliam, Tusciam atque ipsam omnium nationum caput Romanam urbem potenter subiugauit, pepercit tamen omnibus, qui ad sacras ædes se contraxerant. Athaulphus successor Alarici, & consanguineus rogatus à coniuge sua, filia Imperatoris Theodosij, ut in Gallias (dimissa Italia) properaret: unde ita factum est, ut fugatis inde in Africam Vandalis, Gallias, Hispaniasq; acquireret. Et tertio post anno à suis necatus, successorem annalē Sigericum habuit. Cui Vallia uir multum eximius successit: ac illi Theodericus: à quibus ipsa Gothica successio nobilis in Hispanijs pijssimorum Ricardi, Sisenandi, Recinsuindi, & Cintilæ Regum deriuata extitit, ita ut ipse populus etiam Hispaniarum Gothicus diceretur. Quanta religione hi sanctissimi Reges præ cæteris polluerint, hi clare uidere poterunt, qui gesta sacrorum conciliorum in Toleto, & Bracharensi ciuitatibus celebratorum perspexerint: inuenient (ni fallor) quomodo ipse beatus Ricardus, studiosissimus ad ipsum diuinum cultum, Orthodoxam fidem damnata Arriana hæresi, quæ pene totum Occidentem tenuit, plurimum roborauit. Et quomodo feruentissimo studio uigilarēt illi sanctissimi Gothici Principes, ut religio nostra sancta & immaculata in omni studio reformaretur, & cum quanta humilitate concilijs Episcoporum in medio in terra prostrati cum lachrymis bonum Reipublicę Christianę perfici solicitarent, uix indignè exprimi potest. Hanc diligentem curam præsules sancti aduertentes, multa pro conseruanda Gothica stirpe Synodica statuta ædidere, maxime ne unq̄ alius præficeretur in Regem, quam de Gothicis Principibus electus, ac alia plura, quæ in gestis Synodicis continentur. Tempore, quo Odouacer Pannonicus uiolenter Romanis pręfuit, Theodericus Ostrogothorum Rex Italiæ afflictionem miseratus, à Zenone Imperatore impetrat licentiam liberandæ Italiæ quam ui armorum à tyrāno arreptam, ac Romanam

urbem multō tempore pacifice rexit. Inſuper de noſtris Veſtrogothis, & Hunnis, ac Vandalis (quorum cōmunis erat patria originis, quamuis ſibi inuicem interdum aduerſati ſunt) & de ipſorum uictorijs, ac de ipſis Vinnulis (qui & Longobardi, ſiue Burgundiones poſteà dicti ſunt) de noſtris Maſſagethis Africanis, ac Saxonica gente, quæ a' nobis primum exorta eſt, & de eorum notandis geſtis in Britannia, & in Anglia, multa dicenda forent, ſicuti ordo rerum feliciter poſtularet: ſed nec noſtræ uires, nec tempora ſufficerēt longiora. Vnde Reuerendiſsimi Patres, ſi recte hæc omnia (ut debent) penſentur, ubi noſtro regno antiquius? ubi fortius? ubi nobilius unquam etiam à quocũq; Romano Monarcha ſubactum legitur? Sed econtra, ubi non ueremur adducere & illud beati Hieronymi dictum in quadam epiſtola? No'nne caput mundi Roma poſt M.CLXIIII. annum eius, nō tantum tremuit hoc fortiſsimum regnum Gothorum, ſed ſub ipſo ruit? Viget quidem hodie (ut ab initio) in propria patria, licet apud exteras acquiſitas nationes, ut alia mundi imperia, plurimum defecerit. Nec Imperatores Romani (Philippo ſolum dempto) prius noſtris Regibus fidem Chriſtianam recepere. Cum ergo iſta ita ſint, Reuerendiſsimi Patres, ſperamus, iudicabitis in ordine ſedium noſtrum regnum primum: & ſi non primum, tamen primo proximum ſibi iure uendicare. Verum ne certo huic noſtro iuri uideamur pro nūc tantum inniti uelle, ut controuerſia propter nos noua inducatur, ac ipſa ſancta Synodus à propoſito longius diſtrahatur, hoc Paternitatibus ueſtris Reuerendiſsimis inſinuare uolebamus cum omni modeſtia, ut de noſtro iure certiores eſſetis, ac etiam, ut hac propalata proteſtatione, quam facimus, ut iuſtam admittat hæc ſancta Synodus: quæ eſt hæc:

PROTESTATIO.

Quòd iuxta huius ſacri Concilij ſtatuta per quaſcunq; locationes, ſeſsiones quorumcunque ambaſiatorum Regum, Principum, ſiue ſedium aſsignationes eis factas, uel faciendas, ſiue quoſcunq; actus, eminentias, uel honoris exhibitiones, necnon per hunc locum, quem non ea (ut credimus) eminenti ſede, ut de iure deberemus, occupamus, Regi noſtro ſereniſsimo, ac ſuis regnis nullum præiudicium generetur, ex hoc nunc, aut in futurum. Sed ſaluum uolumus eſſe hoc ius Regis, & regnorum ſuorum, reſeruantibus nobis poteſtatem eo utendi per nos, & noſtros, in hoc, & futuris concilijs, & alijs locis, quando nobis ita uiſum fuerit. Super quibus omnibus uolumus notarios ſacri Concilij rogatos eſſe, hanc noſtram proteſtationem cum narrationis ſerie, pro perpetua memoria, Synodicis geſtis inſcribi, nobis etiam literale teſtimonium ſub bulla dari de eadem. Hoc petimus cum omni qua poſſumus inſtantia, offerentes eundem Regem noſtrum, ac regna ſibi ſubdita, ſeruitio Eccleſiæ Dei, ac omnium ueſtrarum Paternitatum. Quas rogamus à Deo in ipſius Eccleſiæ deſiderata reformatione fructuoſè dirigi, & ad uota feliciter conſeruari. Amen.

De mutuis iuramentis pręſtandis.

CAP. II.

REges olim in Septentrione dijs ſuis ſuperſtitioſum cultum & honorem deferentes, per nomen eorum, quoties ardua ſubeſſet cauſa, iurare ſolebant, imò per nomina equorum, Dryudum, ac fœminarum, ut Methodio placet, & Luciano in ſuo Dialogo. Item per uentum & acinacem uitam & mortem intelligentes, dum ſcilicet uentum animam quidam dixerint, initium uitæ, quam acinaces, id eſt iaculum claudit. Sed hoc alijs commune fuit etiam per libertatem patriæ iurare. Magnus itaque reputabatur inter gentes bellaces acinaces: cuius interpretatione iaculum, lanceam, uenenum, funem, furcam &c. intelligere uolebant, ut infra de diuiſione bellicorum ſpoliorum diffuſius oſtendetur. Quod iurarunt per Dryudas, excelſum aliquod teſtimonium erat, quia, pręclarioris ingenij uiri fuerint, omnium arcanarum quęſtionū ſcientes reddere rationem & diffinitionem. Habuerunt etiam in patrio ſuo inſtituto Gothi, ut ſacerdotes eorū in Reges conſecrarent, ac mortuis ſacerdotibus diuinos honores largirentur, quemadmodum Strabo lib. 7. teſtatur. Habuerunt & Zeritam, Comeſinum, Abyrim: quorum honeſtiſsimam memoriam faciunt Dion, Iordanes, Strabo, Suidas, Chryſippus. Diceneus etiam Gothorum Rex omnem ſubditam plebem ad Pythagoricæ diſciplinæ religionem traducens, uir iuſtus, ac conſtans omnem philoſophiā Gothos docuit, conſcriptam in libro, qui Bellagines inſcribitur. Temporibus Valentis do-

ctissimum quendam Gothorum sacerdotem Sozimenus ac Socrates historici allegant, & Theodericus Episcopus: quod puto pręcipuum apud eos Gothos fuisse, qui Scythicas partes penes Asiam occupauere. Illi autē Gothorum Reges, qui in originali patria manserunt, per numina, & thronos suorum deorum &c. ut prædictum est, iurarunt. Religione postmodum Christiana instructi, per summum Deum & eius sancta Euangelia, se omnem iustitiam, & religionem etiam seruaturos iurant: rursus & subditi, ut fideles sint, in acceptione cuiuslibet regiminis iurant, præcipuè milites aurati, prout inferius per occasionem erit exponendum.

De Diceneo & Bilaginibus legibus Gothorum. Ioan. Mag. lib. 3.

Boroista inter clariores Gothorum Reges merito connumerandus, eo tempore Gothico regno præficitur, quando Sylla Romanis uiolentius, quam modestius imperabat: qui in urbe Roma natus, & educatus, barbarissimos mores in suos crudeliter exercebat: hic autem Geta in barbaris terris mores humanissimos se didicisse monstrauit. Ille in ciues sicarius fuit, hic etiam in deuictos hostes benignus, atq; humanus apparuit. Ille temere, hic prudenter: ille uiribus, hic consilijs & uirtutibus suscepti imperij iura exercebat. Proinde illorum duorum Principū collatione satis ostendi puto, non omnes Getas inhumanos esse, uel fuisse: nec qui Romanus est, continuo ob id amorum barbarie alienus est. Huius Boroistæ egregiam laudem cum Diceneus admirandi ingenij Philosophus cōperisset, relictis Græcorum siue (ut alijs placet) Aegyptiorum scholis, in quibus usq; ad summam sapientissimorum hominum admirationem creuerat, non prius quieuit, donec ad agros Gothicos reuersus se in amicitiam sui Regis insinuaret. Quem prudens Rex ea humanitate collegit, qua plane ostenderet, se pluris ęstimare ipsam diuinarum humanarumq; rerum notitiam, eiusq; professores quam caducas transitorij regni fortunas, quę ad ueram sapientiam comparatę arena exigua sunt & lutum: deditq; illi non infimi honoris locum, sed sibi parem in dignitate & autoritate, ut erudiret Principes eius, sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret: qui etiam non minora præstare curauit, quam ab homine iuxta gratissimo atq; doctissimo poterant expectari. Nec minor erat eius autoritas in populo, quam Salmoxis. Quicquid enim suasit, mox populi lęti & alacres efficere curauerunt: firmiter credentes, non uocem hominis, sed Dei præcipientis se audiuisse. Instruxit eos plurima sapientia: deinde ut sapientiam pietatis religione decoraret, sacerdotes elegit, pontifices ordinauit, qui leges, & religionem sapienter interpretando, publicæ consulerent tranquillati.

Et cum cerneret Regem, ac populos sibi in omnibus obedire, haberetq; ingenium à natura mite & docile, omnem penè philosophiam (cum peritissimus erat) ipsos instruxit. In primis fecit eos in omnibus preceptis, institutisq; uirtutum ita abundare, ut abstersa omni morum barbarie, cunctis populis in omnibus uirtutum officijs superiores haberentur. Deinde secretas naturæ causas eis diligenter aperiens, effecit ut non solum moribus, uerū etiam abditarum rerum sapientia pollerent. Præterea ut iustitiam colerent, pacificeq; uiuerent, leges eis pręscripsit, quas in unū uolumen conpactas lingua Gothica Bilagines appellari iussit, quod Latine iuxta leges dicere possumus. Neq; etiam passus est eos Logicā, qua uerum à falso discernitur, ignorare. Demum nihil omisit, quod ad uniuersam rerū cognitionem pertinere uidebatur: cœlorum intercapedines, syderum differentias, stellarum cursus, planetarū aspectus, signorum motus, Solis & Lunæ eclipses, cæterasq; cœlestium mirabiliū causas edocuit, distinctiones temporū, terrę motus, accessus & recessus marinorū fluctuum ostendit: fecitq; sua singulari prudentia, quod Martiales uiri, armorum obliti, literis indulgerent, alius Geometrię addictus, rerū mensuras in puluere descripsit, dum alius Astronomiæ se accommodans, cœli signa subnotaret, uenturamq; tempestatē pręsagiret. His atq; cōpluribus honestis studijs Diceneus in sua gente pręstantissimus apparens, ipsum Regem Boroistā ut armis formidabilem, ita sapientia admirabilem effecit. Quippe ut Rex sapienti consiliario paruit, ita populi prudenti Regi in omnibus obediuerunt. Siquidem ingentis obedientiæ argumentum erat, quod à Diceneo persuasi uites excidere, & sine uino uitam agere consenserit. Igitur Borista his clarissimis uirtutibus eo magnitudinis gentem Gothicam extulit, nunc exercitatione corporum, nunc fortitudine animorum, nunc uictus sobrietate, nunc edictorum obedientia, ut intra paucos annos adeò latum adepta sit imperium, ut Romanæ urbis principibus solicitudinem incuteret, & timorem. Enimuerò postquam multas finitimorum terras Gothicę ditioni subiecisset, traiecto audacter Istro, Macedoniam, Illy

ricum,terrasq; Romanorum eis uicinas,cum Romani nominis contemptu deuastãdo peruasit:prædasq; ingentes inde reportans,spem concepit in reliquum cum Romanis pro uirtute & gloria præliandi. Proinde Cęsar Augustus(uti testatur Strabo)aduersus Boristam,& Gothicam gentem ingentem struxit exercitum. Veruntamen antequam ad bellum perueniretur, Borista in fata concesit.

De Gothis qui Scythiam occuparunt,
Ioan. Mag. lib. 1.

Gadaricus Balti filius communi Gothorum consensu in regni solio collocatur, qui ob rerum gestarum magnitudinem Magni cognomine(ut Iordanes,Rodericus Toleranus,& Albertus Crantzius attestantur)digne meruit illustrari. Magnum quippe erat, ipsum potentisimæ Gothorum nationi imperare. Sed maius erat,subditorum populorũ animos nunquam aut raro concordes,à domestica seditione,quæ sub priore Rege Balto initium,aut fomentum contraxerat,reuocare,reuocatosq; in pace & unitate continere. Maximumq; fuit uicinas & potentes gentes,quæ non solum in pristinam libertatem se uendicare, sed Gothicum nomen penitus abolere moliebantur, reprimere & superare. Siquidem (ut diximus) Gepidæ illatarum sibi à Gothis iniuriarum memores,quascunq; possunt gentes Scythicas & Vandalicas sibi adiungentes,bellum Gothis indicunt, tantisq; animis indictum prosequuntur,ut uno eodemq; momẽto indictum & illatum putaretur. Nec fuit aliquod bellum tam acre & periculosum antea à Gothis susceptum. Prius enim sæpe de fortunis,& terris dimicauerant:at nunc atrocius prælium de salute,& libertate, ac uita agebatur. In quo cum Vandalorum uirtus tantum inclaresceret,ut Gothorum potentię pertinaciter resistens par iudicari potuisset,conuenit tandem inter utranq; partem,ut Vandali in libertatem restituti de cætero non subditi,sed socij Gothorum haberentur. Deinde Gadaricus arma uiresq; suas ad Scythas usq; extendit:quos cum ad prælium minime parati essent, haud difficulter superauit. Sed non erat tam facile gentem fortem in subiectione continere,quam facile fuit ipsam nihil aduersi suspicantem expugnare. Siquidem reuerso Gadarico cum suis in suam Vlmerugiam,nec multo post fatis absumpto,Scythæ iugum,quod à Gothis impositum nimis impatienter ferrent,abijcere uolentes,unanimiter cogitabant gloriosam mortem seruituti turpitudiniq; anteponendam esse: eaq; acceleratione quod cogitauerant exequebantur, ut parum abfuerit, quin Gothos ob recens Gadarici funus perturbatos opprimerent, nisi subito consilio subitum periculum, accelerata noui Regis Philmeri electione, auertissent.

Philmerus igitur Gadarici filius,cum Magni patris magnifica gesta non solũ imitaretur uerumetiam superaret,tam regni quam magnifici nominis hæres ab omnibus merito æstimatus est. Nam quum deprehendisset Scythas amissam libertatem gladio & armis recuperare uelle,seruitutemq; à suis ceruicibus excussam in humeros Gothorum rursus inijcere, idq; ipsos tanta acceleratione & impetu(ut dictum est)moliri,ut contra ipsorum insultum progressuris nihil esset perniciosius,quam mora & cunctatio: proinde adeo subito in hostes potentisimos se pręparauit,ut unus idem dies Regiam illi dignitatem,& ineuitabilem belli necesitatem imposuisse uideretur. Verum quia in tam repentino & non præcognito motu,delectum militum facere non dabatur,urgebat totam Gothicam gentem,quæ armis apta erat,citisime ad arma conuolare. Cui præcepto tam cupide satisfactum fuit, ut nemo esset qui se domesticis laribus ab ea publica & tam necessaria expeditione excludi pateretur imò tam fœminę quam uiri citius quam credi posit armati,infantes atque imbellem ætatem plaustris imponunt,certi se in eo prælio aut gloriosa morte occupandos esse, aut sedes non omnino steriles, fugatis hostibus, occupaturos. Credibile tamen apud me non est, quod spe fœcundioris soli ad Scythicas uastitates cum tanto discrimine properare uoluissent,ut nonnulli affirmant. Nunquid Scythicæ arenæ,aut inuiæ paludes fertilisimis Rugianorum,Obotritorum, Magnopolensium, Pomeranorum, Prutenorum, Vlmerugiorum,Polonorum terris præeligendæ essent? Sed erat ille Martialis & conatus ardor præliandi in populo illo,qui fortitudini militari supremum inter cæteras uirtutes gradum semper attribuebat.

Hoc igitur bellico ardore concitati,cum suo Philimero plenis & pertinacisimis animis cõtra aduentãtes Scythas progresi,terras,amplisimas hactenus possessas reliquere uacuas Soli tamen Samagethę,qui remotius ad littora maris Sarmatici habitabãt,& ob id tardius belli apparatum fieri didicerant,in suis sedibus remanserunt,hodieq; perseuerant. Ea maxima &

xima & insuperabili multitudine Scythæ post acerrimum bellum superati funduntur, & profligantur: nec ante quieuere Gothi, quam usq; ad confinia Mæotidis paludis peruenere. Hic Philimerus cum disiectis per arma habitatoribus, suos collocandos putaret, pontem magno molimine cõstruxit, eoq; perfecto copias in alteram ripam traijcere properauit. Sed cum esset in medio conatu, & tot restare uiderentur transponendi, quot iam transpositi essent, ipse ex industria, & quam occultissime id fieri poterat, pontem illum dissoluendū curauit, famamq; sparsit id casu, non proposito, accidisse. Putauit enim prudens Rex, ut commodiores sedes diuisi quam coniuncti occuparent. Quod autem alij scribunt, pontem ita corruisse, ut in reliquum irreparabilis esset, apud me paruam fidem facit. Iidem enim homines eundem laborem, ubi eadem uoluntas affuisset, si non facile, tamen importunitate superassent. Sed erat necessarium aliquādo post tot itinera quiescere, & imbecillioris ætatis quieti consulere. Ita ex una gente duæ mox emersere, quæ tandem totam Scythiam uastissimam totius orbis partem, ante Ouim (teste Iordane) dictam, sub suum imperium redegerunt, diuq; in subiectione continuere. Nam qui citra paludes manserant, principatum omnium illarum Scythicarum terrarum, quæ post eorum terga usq; ad sinum Venedicum, siue Sarmaticum, uel Estonicum, longo & lato tractu porriguntur, assecuti sunt: illi uero qui cū Rege Philimero pontem transierant, etsi optatum solum, in quo commode se collocarent, inuenissent, tamen, cum in proximo esset fortissima gens Spalorum, quæ hactenus inuicta, & cæteris Scythis formidabilis esset, statuerunt primum uires suas contra eius potentiam (teste Ablabio) experiri. Sed neq; ea gente superata quieuerunt, donec iam omnium uictores ad longinquas Scythiæ partes Pontico mari uicinas peruenirent. Quibus deuictis sese diuiserunt: alij totam Aegyptum subegerunt, cuius rei etiam Herodotus Halicarnasseus meminit, alij Orientem duce Amalo, alij Occidentem Valto duce concesserunt. Ex illis ad Orientem delatis, Scythis fugatis, reliqui Scytharum Reges emerserunt. Subscribit his Irenicus in sua Germania lib. VI. cap. II.

Prima itaq; Gothorum sedes in Scythia magis memoranda fuit ad mare Pontificum: inde genti iam nomen magis inclaruit: inde dicti sunt Scythiæ, hoc est, Scytharum uictores. Non tamen inficior ipsos postea quandoque Scythas, quandoq; Gothos, uel Getas appellatos fuisse. Imò pro diuersitate idiomatum quibus imperabant, sicut in patrio solo dicti sunt Vestrogothæ, hoc est, Occidentales Getæ, & Ostrogetæ, hoc est, Orientales, ita in terris alienis, & alienis linguis, nunc Samagetæ, nunc Massagetæ, quos Strabo lib. XI. Orientales Gothos affirmat, nunc demum Tirsagetæ dicebantur. Igitur tam Græci quàm Latini ipsos Gothos non raro promiscua appellatione uicissim in eadem gente nominabāt. Et Paulus Orosius lib. 1. idem testatur: Modo (inquit) Getæ illi, qui & nunc Gothi, quos Alexander euitandos enuntiauit, Pyrrhus exhorruit, Cæsar etiam declinauit &c. Præterea Procopius de Vitige Romam obsidente ait: Tunc quidem Romani patricij Sibyllæ dicta in medium proferebant, asseuerantes ad Iulium usq; mensem ciuitatem in discrimine fore, & demum Roma nihil Geticum extimescet. Geticam quippe Gothorum nationem hi esse affirmāt, multiq; alij tum ueteres, tum recentiores autores, utpote Dion Græcus, qui suis historijs titulum De Geticis rebus præmisit. Præterea Iordanes Gothus in sua Historia, nunc Gothos, nunc Getas appellat. Et Paulus Diaconus Gothogetas in uita Narsetis affirmat. Ego etiam si quam fidem mea experientia mereor, testari possum, quod à meis Gothis Ostrogeta uocor, qui à Latinis appellor Ostrogothus. Quippe ab antiquissimis temporibus in patria Getham nominamus, quem Latialis sermo Gothum uocare consueuit. Nec ab hac promiscua appellatione dissentit Herodotus pater historiarum, qui Massagetas, hoc est, Ostrogothos asseuerat Scythas sedibus expulisse, deinde profectos Cimeriam pepulisse habitatores, sedesq; tenuisse. Quod etiam testatur Raphael Volaterranus lib. VII. ex Strabone, & Homero affirmante in Odissea X. ipsos ex ultimo Occidente peruenisse. Quod quam uerissimum sit de Gothis Cimeriam occupantibus, nemo in historijs bene uersatus ignorat. Affirmat quoq; hanc sententiam Ptolemæus: Massagethas, inquiens, in mediterraneis Asiæ, in regione Scytharum consedisse. Proinde nisi prudens lector animaduerterit, Gothos & Getas eundem esse populum, ipsosq; à deuictis gẽtibus quandoq; Scythas, quandoq; Cimerios, uel Thraces nuncupatos, nunquam Gothicas, uel Scythicas historias recte intelliget. Quippe uiuente adhuc Magno Philimero rege, postquā Cimerios eiecerant, nõ solum Cimerij, sed etiam Scythæ uocabantur: nomen ab occupata terra assecuti. Quam uictoriam Herodotus prosequens dicit, non contentos expulisse Cimerios sedibus suis, sed secutos asseuerat egressos, eo impetu & furore, ut nequiuerint de itinere, quo ituri essent discernere. Siquidem Cimerijs salutem fuga quærentibus, & sinistrum latus Tauri montis percurrentibus, Getæ eiusdem montis dextera incedentes, ad Pontum usq; peruenerunt. Vnde rursus in Cimeriam

redierunt, in qua toto tempore, quo eis Philimerus imperauit, permanserunt, quamuis eorum imperium tota Scythia longè lateq; sequeretur.

Tanausius Philimero uita functo, cum esset annus à diluuio nongentesimus nonagesimus quintus, & ante Christum natum millesimus trecentesimus decimus, Rex Gothorum constituitur. Quo tempore Vexores, siue (ut Diodoro placet) Sexoses Rex Aegypti, omnium Orientalium nationum uictor, cum animaduerteret nullum esse Regem, aut populum, siue nationem, ad orientem uel occidentem solem, imò neque ad Australem plagam, cuius potentiam formidaret, credidit se posse totius orbis monarchiam obtinere, si Septentrionales Gothos, siue Scythas, suo imperio subiecisset. Itaq; omnium subiectarum sibi gentium manu contracta, moturus bellum in Gothos, præmittit legatos, qui eis aut subiectionis iura, aut instantis belli pericula præscribant, & prænuntient. Non erat ille potentissimi Regis apparatus Scythis omnino ignotus. Didicerant quidem in ipso plus esse uirorum quàm uirium, plusq; in specie quàm ipsa re formidabilem. Quocirca legatis duras seruitutis conditiones comminantibus, duriora respondent: Mirari se (dicunt) quænam dementia cœpisset tam fœlicem & potentem Regem, ut auderet, aut uellet contra pacificos & innoxios, eosdemq; inopes, nulla lacessitus iniuria bellum suscipere, quod ei fuisset in proprijs laribus magis formidandum: quiq; utilius perpendisset incertam belli aleam, quàm præmia uictoriæ, nullaq; damna manifesta. Hæc dicentes arma unanimiter corripiunt. Nec legati tanta acceleratione sese ad reditum accingere poterãt, quin e uestigio eos Gothi ceu rapidissimus torrens insequerentur: ipseq; Rex Aegyptius cum tota sua multitudine, tam inopinato impetu aduentantis hostis penè obrutus fuisset, nisi à celerrima fuga salutem quæsiuisset. Erat hæc fuga multo uituperio insignis, quia opulentus Rex ab inopibus, quia gloriosus ab his, quos putabat contemptibiles, quia superbus ab humilibus, non solum fugere, sed turpiter fugere coactus est. Quippe toto exercitu, & belli apparatu post terga relicto, atq; apud Phasidem prouinciam deleto, trepidus in sua se recepit, ignarus an confestim uita, & rebus proprijs spoliandus esset, qui pridem aliena temerè occupare tentasset.

Factus tamen est Sesoses securus & insuperabilis, non sua aut suorum uirtute, sed quia difficiles inuiæq; paludes Gothos ab Aegypto prohibuere. Quibus impedimentis repressi, arma in amplitudinem Asiç extenderunt: quam perdomitam uectigalibus onerarunt, modico imposito tributo, magis in titulum imperij, quàm in præmium uictoriæ. Tunc enim putabãt ueram uictoriam se assecutos, cum plus ex præclaris magnificisq; gestis, quàm ex sordidis tributorum diuitijs illustrarentur. Delectati amœnitate Asiæ, constituerunt ibi sedes perpetuas collocare: totosqúe quindecim annos pacandis & disponendis finibus eius impenderunt, donec importunis precibus uxorum ad propria reuocantur, affirmantibus ipsarum legatis, ni redeant, sobolem se ex finitimis quæsituras, nec permissuras, ut posteritas Gothorum per fœminas intercidat. Igitur Tanausius tot gentium & terrarum uictor, precibus mulierum uictus ad Gothicas terras redire coactus est. Sed erant in eius exercitu complures, qui cũ domi nec uxores, nec liberos haberent, uiderentq; amœniores Asiæ terras, capti earum pulchritudine Regẽ orant, ut sinat se ibidem sedes collocare. Quod cum æquè citò negatum ac petitum animaduertetent, Serinum Medorum Regem, quẽ sciebant Tanausio gratissimum esse, importunis precibus aduocatũ constituunt, & ita quod cõcupiuerant, impetrauerũt. Sed cũ çeteri eorũ separationem ęgrius ferrent, conuitio prosequũtur abeuntes, eosq; Parthos sua lingua uocant (quod Latinè redditum transfugas, siue fugaces, uel timidos sonat) iusto quidem nomine. Nam postquam patriam fugissent, & Parthicum regnum fundassent, præclarisq; facinoribus Gothicam fortitudinẽ referrent, tunc primum in prælijs uictores emerserunt, cum timidi & fugaces putarentur. Siquidem in prouerbium receptum fuit, Parthos fugiendo uincere. Nec solum uicinis regnis & Regibus, sed ipsi Romano imperio semper aduersati fuerunt, tantaq; ui & industria arcubus & sagittis utebantur, ut nulla alia arte, aut uirtute æquè formidabiles essent. Nam fugiendo sagittas in hostes insequentes torquebant, specie quidem timidi, re autem uera fortes & audaces. Prima eorum societas, antequam regnum constituerent, erat cum Medijs, & eorum Rege Sorino, in quem Tanausius principatum omnium gentium à se deuictarum liberalissima donatione transfudit, contentus gloriæ præmio, cuius comparatione aurum & argentum uilia atque abiecta putabat. Hoc magnifico triumpho in Scythiam reuersus, cœpit toto conatu omnes regni sui partes, quæ per eius absentiam labefactæ fuerant, in pristinam felicitatem restituere. Nee ab inceptis cessauit, donec morte sublatus in numerum optimorum heroum, imò inter numina à suis relatus est. Dignum quippe æstimabant Gothi, ut inter sydereas mansiones susciperetur, qui plus subiectis populis, quam sibijpsi prodesse studuit, & uictoria in hostes ea moderatione usus est, ut nihil ab eis præterquam licentiam male faciendi auferret.

De Coro-

De Coronatione, ac executione Regij officij.

CAP. III.

DAtis igitur, & acceptis iuramentis de religione, & legibus, ac consuetudinibus fideliter obseruandis, nomine prouinciarum Regalibus conuiuijs honorati, cum literis Regijs quid actum fuerat, quidúe Rex præcipiat, ad propria relaxantur. Demum coronatione ab Archiepiscopo Vpsalensi, & alijs Catholicis Episcopis sub solitis cærimonijs in præsentia totius senatus, & procerum regni, ac nobilium personarum suscepta, maiorum laudabili consuetudini inhærendo, prouincias regni sui Regia decentia circumire tenetur, literasq; præmittere, quando, & qua causa uenire decreuit, ut eum proceres, & satrapæ dignis honoribus, & obsequijs excipientes, alijs alijsq; populis, territorijs, & prouincijs exhibeant honorandum. Præcipuus ornatus huius Regię pompæ stat in maximis equis, & armis, quasi ad continuum certamen preparatis. Nec interea uacuus est à iustitiæ administratione, quin unicuiq; iustitiam distribuens, pacem, & utilitatem augēdam omnibus, contrarium facientibus pœna constituta, proponat. Ideoq; indicibili gentis alacritate quocunq; progreditur, uoto addito, ut diu feliciterq; uiuat, acceptatur. Et hinc progreditur illa amicitia, quæ coniuncta ciuium beneuolentię tutissima custos, ac comes Regibus, principibusq; esse solet: qua quidem dum muniti fuerint, neq; externa, neq; intestina arma formidabunt, & insuper felicissimi erunt, si uoluntates suas cum amicis communicabunt, & ciuibus, ac incolis nullam iniuriam facient, aut fieri permittent. Si quis uerò Rex huiusmodi consuetudinem seruare contempserit, regnumq; peregrino, ac superbo fastu circumire præsumpserit, maxima incolarum indignatione ueluti præuaricator, & patriæ legis trangressor æstimatur: nec securus erit, quocunq; diuerterit à furentis populi ultione. Habent enim pro compertissimo, ut qui exordium regiminis sui à contemptu legum suscipit, multis ut iniuriam faciat comminatur. Ideoq; prope illi euenit ut Regi Tabrobano Indianorum (teste Plin. lib. 6. cap. 22.) delinquenti, ut morte mulctetur nemine interimente, sed auersantibus cunctis, & commercia etiam sermonis negantibus festa uenatione absumatur, gratissima ea bestijs futura &c. Nec puto hic crudeliores bestias esse, quàm incolas discordantes, quos necesse est Regi nouo & bono accepta regni possesione concordare, ne nocentiores intra regnum hostes relinqui uideantur, quam ab exteris nationibus expectantur.

De qualitate boni Regis.

CAP. IIII.

REspiciens fidelem relationem doctissimi historici Laurentij Vallæ super iusta commendatione Serenissimi Regis Ferdinandi, non possum non optare à Domino Deo, ut talis semper sit in Aquilone, qualis hic fuit in Occidente, scilicet ut sicut ille natura sublimi fuit, ab omni tamen remotus fastu, animo fidenti, atque intrepido, sed aduersus insaniam, ueritatemq; demisso: in contumaces, nocentesq; uehemens, sed erga eos, qui allegarent necessitudines, paupertatem, morbum, ætatem, aliasq; misericordiæ causas, clementissimus. Item quod esset amator bellicę gloriæ, sed ita ut pacem præoptaret. Item liberalis inter primos, sed non nisi religionis & meriti causa. Item in conuersatione procerum ratus: attamen ut nulli indigenti ianuam clauderet, imò aperiri iuberet, ut quisque necessitatem suam loquendo comiter audiretur, & iuuaretur. Item ut ab obscœnitate factorum, & dictorum abhorreret. Item ut cibos, uinaq; non ad gulam, sed pro dignitate apparari iuberet. Item ut à uenere etiam in matrimonij sanctitate temperans esset. Item ut nemini domesticorum scortum in domum ducere,

aut foris alere sineret, ne effœminatum militem haberet in bello. Item ut omnes studiosos excitaret, & iuuaret ad agnitionem scientiarum. Item ut nulli stipendiũ numeraret, nisi qui doceret se legitimo testimonio eo in anno corpus Domini, & calicem communicasse. Ite m quòd blasphemorum acerrimus ultor esset. Item ut aleatores quasi pestes haberet exosos: nihil enim boni uiri adesse existimant aleatoribus, & blasphemis. Item ut attenderet in beneficijs an alteri indultum esset, & an alter dignior esset. Item ut nihil intercedente pecunia, ne auarus æstimaretur, conferre uellet. Item ut omnibus gratum uultum, Regia seueritate seruata exhiberet. Item ut iuxta Pauli Diaco. sententiam lib. 3. cap. 4. prout Constantinus, esset in eleemosynis promptus, in iudicijs iustus, in iudicando cautissimus, nullum despiciens, sed omnes in bona uoluntate complectens, omnes diligens, ipseq; dilectus à cunctis. Præterea idẽ autor lib. 5. cap. 23. de alio Rege loquens, asserit eum fuisse corpore præualidum, audacia primum & fortunatum, non minus consilio quàm uiribus decoratum Item alibi adhuc de Rege quodam dicit: Vir pius, fide Catholicus, iustitiæ tenax, pauperumq; largissimus nutritor. Præterea alibi addit: Princeps prudentia, sagacitate, & clementia nulli secundus, munificus in benemeritos, bilingues graui odio persequens, lasciuorũ contubernia uitans, patiens erga inimicos, non præceps in uindictam, sed iniurias facilè obliuiscẽs. Præterea idem Paulus Diaco. libro 3. cap. 15. hoc mirabile refert, quòd in regno Longobardorum nulla erat uiolentia, nullæ struebantur insidiæ, nemo aliquem iniustè angariabat, nemo spoliabatur: non erant furta, non latrocinia: unusquisq; quò libebat, securus sine timore pergebat. Huicq; simile, dilectissime Lector, nõ grauetis in ligno paruulo sub dextro brachio Regis cap. primo cordula ligato, notare: quo significatur dudum fuisse Reges apud Gothos, præcipuè Magnum quendam Ladalaas dictum, qui tantam omnibus incolis per duo mille milliaria Italica indixit securitatem, ut nullus tantum horrea, ac bona sua confideret ferreæ seraturæ, sicuti apposito huic exiguo ligno. Et ita more aurei seculi diutius fuerat obseruatum. Præterea cernuntur penes brachium Regis libri: qui significant municipalia, leges, & consuetudines ab antiquo præscriptas, inuiolabiliter à Rege primum, & demum ab omnibus incolis fore obseruandas. Nec immeritò: tantum etenim omnis iustitiæ seruandæ in hoc compendio reperitur, ut omnibus quorumcunq; uoluminum institutis satisfieri existimetur: & inter alia uni tit. De noxali. actio. & alteri. Si quadrupes paupe. fe. di. quòd omnino in his municipalibus, uti in illis titulis, quid resartiendum sit, prudenter æstimatur, & diffinitur: ita & de plerisq; alijs in mera æquitate fundatis.

De adoptione illustrium per arma.

CAP. V.



QVia morem uetustissimorum Principum Gothiæ adhuc sua ætate in filij adoptione seruare nõ desijt potentissimus Rex Gothorum Theodericus, idcirco epistolam eius lib. 4. Regi Herulorũ transmissam, uolui hic inferre: Per arma, inquit, fieri posse filium, grande inter gentes cõstat esse præconium: quia non est dignus adoptari, nisi qui fortissimus meretur agnosci. In sobole frequenter fallimur. Ignaui autem esse nesciunt, quos iudicia pepererũt. Hi enim gratiam non de natura, sed de solis meritis consequuntur, quando uinculo animi obligantur extranei. Et tanta in hoc actu uis est, ut prius se uelint mori, quàm aliquid

quid aſperum patribus uideatur infligi. Et ideò more gentium, & conditione uirili, filium te præſenti munere procreamus, ut competenter per arma naſcaris, qui bellicoſus eſſe dignoſceris. Damus quidem tibi equos, enſes, clypeos, & reliqua inſtrumenta bellorum: ſed quę ſunt omnimodis fortiora, largimur tibi noſtra iudicia. Summus enim inter gentes eſſe crederis, qui Theoderici ſententia comprobaris. Sume itaq; arma mihi, tibiq; profutura. Ille à te deuotionem petit, qui te magis defenſare diſponit. Probat tuum animum, & opus non habebit obſequium. Adoptat te talis, de cuius gente tu potius formideris. Nota ſunt enim Herulis Gothorum, Deo iuuante, ſolatio. Nos arma tibi dedimus, gentes autem olim uirtutum pignora pręſtiterunt. Salutantes proinde gratia cõpetenti, reliqua per illum, atq; illum legatos noſtros patrio ſermone mandamus, qui uobis literas noſtras euidenter exponant, & ad confirmandã gratiam, quæ ſunt dicenda, ſubiungant.

Theodorici illuſtriſsimi Gothorum regis (quem uulgo Theodericum Veronenſem, Dieterich von Bern, uocant) uita & res geſtæ: ex Ioan. Mag. lib. 9.

Valamirus igitur, & Theodemirus, ac Vindemirus, ex gente Amala, & ex patre Vandalarico, uno eodemq; tempore Oſtrogothorum Reges fuere, multaq; egregia facinora primò coniunctim, deinde ſeparatim effecere. Quamuis enim admodum inuiti in Hunnorum ſocietatem & confœderationem deſcendiſſent, tamen ita prudenter ſe in omnibus geſſerunt, ut & Hunnos ad deteriora, non prouocarent, & ſuam libertatem, quoad fieri poterat, à crudelium hominum barbarie tuerentur. Eratq; in tribus fratribus mira charitas, & grata intuentibus conſideratio, cum Theodemirus pro fratris Valamiri imperio fulciendo militaret, Valamirus autem pro ornando germano contenderet, Vindemirus utriq; obſecutus, ab utroq; plurimum amaretur. Nec opinari poſſum ipſum Attilam Hunnorum Regem ad tãtam potentiam peruenire potuiſſe, niſi Oſtrogothorum confœderatione roboratus fuiſſet. Siquidem (ut habet Sabellicus) auxiliaribus eorum copijs ſuccinctus, Sarmatas, Thraciam, Myſiam, Macedoniam, Illyricum, Germaniam, & Galliam affligit, & demum Italiam parta ubiq; uictoria peragrauit. Quo tandem poſt aliquot annos in patria defuncto, præfati tres Oſtrogothorum Reges, indignum putantes ſe Hũnis, qui parum humani eſſent, confœderatos eſſe, mox ab eorum ſocietate primi omnium (teſte Sabellico, & Blondo) defecerunt. Horum exemplum ſecuti ſunt Gepidæ, Marchomanni, Quadi, Heruli, & Turingi. Euricus uerò, & Hernacus, Attilæ filij, Hunnicis freti armis, Valamiro, & fratribus eius, qui tunc in Pannonia diuiſis quidem locis, ſed unitis conſilijs habitabant, tanq; defectionis autoribus arma inferebant. Contigit ergo ut Valamirum ſolum, & ſolius familię ſuæ præſidio munitum inuenirent: quos tamẽ ille (quamuis cum paucis ſuis) excepit, diuq; fatigatos ita proſtrauit, ut uix pars aliqua hoſtium (teſte Iordane) remaneret, quæ in fugam uerſa, eas partes petebat quas Danubij amnis fluenta prætermeant: Gothicaq; & Hunnica lingua Huniuad, hoc eſt, Hunnorum uadum appellantur. Factumq; eſt uno eodemq; tempore, ut ambo fratres Valamirus, & Theodemirus, quamuis ſeparatis terris agentes, ſummo atq; deſideratiſsimo gaudio afficerentur. Cum enim fortuna Valamiro uictoriam peperiſſet, ecce quam felici euentu Aurilena concubina puerum magnæ ſpei peperit Theodemiro, uidelicet Theodericum futurum Romanæ urbis, & Italiæ liberatorem.

Succeſſu temporis Valamirus, eiusq; germani, dum ſe uiderent ab Imperatore Leone negligi, & dona conſueta ſuę ſtrenuę genti, ut pacis fœdera cuſtodirent, non mitti, aut nimium tardari, miſſa legatione apud ipſum conquerũtur, ſe deſpici, & alios non ita meritos in ſumma eius gratia uerſari. Statimq; dum Leo nihil reſpondit, furore commoti arma corripiunt Illyricum pene totum diſcurrentes uaſtauere, nec prius quieuere, q; Imperator animo mutato ad priſtinam amicitiam ſe conuertens, legationem mitteret, per quam non ſolum præteritorum annorum, ſed etiam præſentis anni munera tribueret, deq; futuris ſine ulla controuerſia mittendis polliceretur, amicitiamq;, & fœdera induciarum cum eis renouaret. Quæ omnia ut fideliter conſtanterq; conſeruarentur, Imperator filium Theodemiri Theodericum, qui iam octauum agebat annum, in obſidem accepit: qui apud ipſum Principem, quod elegans forma, & moribus eſſet, non minorem gratiam, quam ſi filius eſſet inuenit. Deinde Oſtrogothi, ſiue quod eis parua uiderentur munera quæ ab Imperatore accipiebant, ſiue quod ardenti ſpiritu cuperent conſuetam fortitudinem militarem oſtendere, cœ-

dere, cœperunt circumpositas prouincias deprædari. Quod cum Dinzius Hunnorum Rex, Attilæ filius, compertum habuisset, suos perarmat in Gothos: à quibus ita denuò uicti, repulsiq; fuerunt, ut iam ex illo tempore qui supererant Hunni, in Ostrogothos arma sumere formidarint. Taliter Hunni duplici prælio uicti, Hernacoq; cum tota penè consanguinitate Attilana in pugna amisso, in Scythiam repellũtur, adeo rebus duplici pugna accisis, ut iam inde nihil memorabile gesserint. Et Hunnorum opes breui sic retro abierunt: quamuis adhuc (ut diximus) in Hungaria feliciores eorum reliquiæ cum gloria, & commodo totius orbis Christiani perseuerent.

Post hæc cum Ostrogothi iam Hunnis deuictis, & Romanis confœderatis, nullius hostis potentiam formidare uiderentur, cõfestim Bellorum occasionem à Sueuiæ Rege Hunimundo allatam acceperunt. Hic enim cũ Dalmatias hostilitate inuasurus, per terras Gothorum iter ageret, quidam ex eius militia armenta Gothorum in campis errantia secum abegerunt Motus ea iniuria Theodemirus, intempesta nocte Sueuos dormientes inuasit, eosq; ad lacum Pelsodis conserto inopinato prælio, ita oppressit, ut etiam ipso Rege Hunimundo capto, omnem exercitum eius, qui gladium euaserat, subderet Gothorum seruituti. Et cum multæ esset (ut ait Iordanes) misericordiæ, ueniam uictis condonauit. Receptisq; in gratiam Sueuis, ipsum Regem Hunimundum, quem iure belli captiuauerat, in filiũ adoptauit: atq; in Sueuiam remisit. Sed ille tam insignis & insperatæ gratiæ cito immemor, Sciros Danubij accolas, & Gothorum amicos, ad id induxit, ut rupto fœdere, secum in Gothos ex improuiso arma conuerterent. Quibus etiam Hunimundus se ipsum præficiens, ut ingratæ, ita etiam sceleratæ militię ductor effectus, Gothis (quorum gratia uiuebat) mortifera bella inferre non erubuit. Gothi igitur cum uiderent, duas uicinas gentes, quas putabant amicissimas ad bella consurgere, nihilq; magis in uoto habere, quam Gothici nominis memoriam abolere, confestim (prout necesse erat) arma corripiunt, & se, suamq; iniuriã ulcisci contendunt. Interim uero cum ea belli tempestas ardentius ferueret, Valamirus dum ad cohortandos suos ante aciem progreditur, perturbatus equus, cui insidebat, corruit, sessoremq; deiecit: qui mox inimicorũ lanceis confossus, occubuit: dignior profecto longiore & feliciore uita. Erat enim (teste Iordane) suauis eloquio, doli ignarus, fide syncerus, & seruantissimus æqui.

Theodemirus Valamiri frater, mox ipsius fratris cædem insigni hostium strage uindicauit. Gothi enim ubi uidebant optimum Regem corruisse, tam acriter & uehementer præliabantur, ut pene nulli de gente Scirorum, nisi qui nomen ipsum cum dedecore ferrẽt, remanserint. Ita enim omnes ad internecionem deleti fuerunt. Quorum exitium Hunimũdus uindicaturus, maximam Sueuorum, Sarmatarum, Gepidarum, Rugorum, cœterarumq; gentium potentiam contraxit, castraq; ex ingenti multitudine coacta, ad amnem Bolliam in Pannonijs collocauit. Theodemirus autem uocato in belli societatem Vindemiro fratre iuniore, ad arma coactus accessit, cõfertoq; prælio uictor euasit, adeo ut campus corruentium inimicorum cruore conspersus, rubeum pelagus appareret: armaq;, & cadauera in modum collium cumulata, campum longè plusquàm decem millibus passuum oppleuerunt. Qua uictoria Gothi summam lætitiam concipientes, putabant sibi nunquam aliquid magis gratum accidere potuisse, quam Regis sui Valamiri sanguinẽ, & suam ipsorum iniuriam, cum maxima inimicorum ruina uindicatam fuisse. De innumerabili uerò hostium multitudine pauci ad sua reuersi, sempiterna nominis infamia notati manserunt. Expectabat deinde Theodemirus occasionem inuadendi terras Sueuorum, à quibus tam iniuriose iam fuerat prouocatus. Accidit intereà (quod sæpe accidere solet) Danubij fluuium adeò dura glacie congelari, ut nihil debilior esset supportandis plaustris, & iumentis, quam fortissimus aliquis pons diligentissimè structus & confirmatus.

Hanc itaq; opportunitatem nactus Theodemirus magnum exercitum (emenso Danubio) Sueuis improuisis adduxit, & tam Suenonũ gentem, q; etiam Alemannorum, utrasq; inuicem confœderatas, denuó uastauit, subegit. Inde quoq; uictor ad proprias sedes, id est, ad Pannonias, reuersus, Theodericum filium suum, quem ad Byzantium obsidem dederat, à Leone Imperatore cum magnis muneribus remissum, gratissimo animo excepit. Gothis deinde secum considerantibus, q; necessarium foret suam ipsorum iuuentutem in militaris disciplinæ studio exerceri. Per illud enim terras, urbes, principatus, regna, opesq; maximas acquisiuerant: illo uero collabente, opes quoq; collapsæ fuere. Proinde omnes cum magno desiderio Theodemirum adeuntes rogant, quacunq; parte uellet ductaret exercitum. Qui postq; cum fratre Vindemiro, & Gothorũ proceribus de suscipiendo bello deliberasset, sortemq; more gentis in urnã coniecisset, confestim in terras Orientales, Vindemiro in Italiam transeunte, exercitum fortem & animosum deducendũ curabat. Primum igitur transmisso

Sauo

Sauo flumine, Sarmatas ſibi occurrentes in amicitiam recepit: ulteriusq; proſperam & undiq; felicem militiam promouẽs, primam Illyrici urbem Naiſſum inuadit, in qua cum filio Theoderico commoratus, comites circumquaq; per Illyricum tranſmittit: qui ubiq; uictoriam, & maximas opes aſſecuti, non ſine magna lætitia ſe ſuo Regi reſtituerunt. Qui aduertens tam ſuam, q̃ filij Theoderici felicitatem creſcere, et cumulari, non contentus erat Illyricum ſubiugaſſe, ſed Nuſsitanam urbem egrediens, Theſſalonicam petijt. Quam cum arcta obſidione cinxiſſet, miſſa legatione, & magnis muneribus à Clariano patricio, quem illuc Princeps direxerat, ab obſidione reuocatur. Initoq; cum Gothis fœdere, Romanus dux loca eis, quæ incolerent, ſponte conceſsit: ubi cum Rege ſuo armis depoſitis, paceq; compoſita quieuerunt. Nec diu poſtea Rex Theodemirus fatali ægritudine correptus, uocatis Gothis Theodericum filium regni ſui deſignat hæredem, & ipſe mox rebus exceſsit humanis.

Vindemirus tamen optimus Oſtrogothorum Rex, ſuam præclaram memoriam ante magnifica Theoderici geſta ſibi iure uendicauit. Hic enim etſi duobus præmortuis fratribus ſuis natu minor eſſet, uirtute tamen, & diſciplina militari, ac morum probitate eos ſuperabat, aut certè æquabat. Erant enim omnes tres optimi, & prudentiſsimi Principes: qui ſi eo tempore Gothis non contigiſſent, actum prorſus de Oſtrogothis fuiſſet, ut uix nomen eorum (niſi fortè in primæua Gothorum patria) remanſiſſet. Quanto autem amore erga ſuam gentem ſemper & continuè ducebatur, partim ex operibus, quæ communiter cum cæteris fratribus geſsit, partim ex illis, quę ultimo fato proximus egit, conſtare poteſt. Cum enim à fratre Theodemiro, & Gothorum proceribus, ac populis rogaretur, ut in Italiam, quæ tunc Anthemij imperio ſubiacebat, partem Gothicæ gentis ducere curaret, libenter & quàm primum paruit, ſpem ei faciente illa graui controuerſia, quæ tunc in Romana Repub. inter hũc Anthemium, & Rechimirũ ferueſcebat. Credidit enim ſe & Gothos ſuos, ex uictoria unius aut alterius partis, pacificas & ſecuriores ſedes ibi conſequi poſſe. Verum cum poſt longa itinera, difficileſq; labores, Italiam ingrederetur, uno eodemq; tempore limina Italiæ intrauit, & limina humanę uitæ (ut Iordanes credidit) exiuit, relicto poſt ſe filio regni ſucceſſore eiuſdẽ nominis Vindemiro: de quo nunc pauca, ut Regum ſucceſsio cognoſcatur, ſubijciemus.

Vindemirus iunior pręmortui Vindemiri filius, quem alij per errorem Bilmirũ uocant, in Italia inter maximos eius terræ tumultus, Rex à Gothis conſtitutus, incidit in reliquias illius periculoſæ controuerſię, quam pridem ingratus Rechimeris Anthemio Imperatori Romano excitauerat. Erat hic Rechimeris Anthemij gener, prælatusq; Ciſalpinæ Galliæ. Sed neq; gratia, neq; affinitas obſtitit, quo minus cęca dominãdi libido ſeruum armauerit in dominum, ducem in Imperatorem, generum in ſocerum. Reuerſus enim ex Gallia, terribilem armorum apparatum adduxit, Anthemiumq; in Vrbem compulſum, arcta obſidione fatigat. Interea quędam hiſtorię affirmant Vindemirum ſeniorem, huius Vindemiri patrẽ, magna Gothorum multitudine comitatum Romam adueniſſe, proq; Imperatoris, & Romanorum liberatione, contra Rechimerem in uia Caſsia ſe obieciſſe, commiſſoq; in conſpectu Vrbis acerrimo pręlio, circa Hadriani molem eundem Vindemirũ in medio pugnandi ardore cecidiſſe. Hinc puto à Iordane dictum eſſe, quòd in limine Italiæ corruiſſet, quẽ aduerſa belli fortuna in Romanę urbis limine pro Romanorum libertate pugnantẽ extinxit. Cuius mors tantum terrorem Anthemio incuſsit, ut ſumma Reipub. ciuibus permiſſa, ſe in ordinem redigi pateretur, uictoriq; Rechimero, atq; Olimbrio Rechimeri ſucceſſori, celerrimo fato abſumptis, Glicerius ſufficeretur: qui hunc Vindemirum iuniorem, ne eius aduerſario nepoti patricio auxilium præſtaret, magnis muneribus & pollicitationibus allexit, allectumq; in præſidem Galliæ Narbonenſis, ad quam pridem pater Vindemirus ab Anthemio præſes deſignatus fuerat, creare curauit. Muneribus igitur ſimulq; mandatis à Glicerio Imperatore acceptis, Vindemirus in Galliam tendit, ſeſeq; cum parentibus Veſtrogothis cõiungens, unum corpus efficitur: & ſic Gallias, Hiſpaniasq; tenentes, omnium hoſtium uim atq; inſultum, potenter conſtanterq; repreſſerunt.

Theodericus Oſtrogothorum Rex, cuius celeberrima memoria in omnibus Italiæ hiſtorijs, & Romanorum geſtis habetur, antequam à patre Theodemiro Gothorum Rex deſignaretur, multis pręclaris facinoribus adoleſcentiam ſuam omnibus Gothorum proceribus & populis cõmendauit. Quippe uix ſeptimum annũ pueritiæ ſuæ egreſſus, pro publica ſuorũ pace (conſenſu patris Theodemiri) obſes ad Imperatorem Leonem ducitur: apud quẽ totis undecim annis gratiſsimè conuerſando, ſummam gratiã Principis, & totius curiæ Imperialis aſſecutus eſt. Deinde cum Leo conſideraſſet, Theodemiri regnum poſt extinctum Valamirum, ad maximã potentiam aſcendiſſe, (erat enim Oſtrogothorum, & Dacię, Mœſiæq;, & utriuſq; Pannonię Rex) cogitabat ut aliqua ſibi gratia potentiſsimi Regis animũ conciliaret, Theodericũ filium ultro ei reſtituit. Theodemirus non ignarus quid ſibi uellet illa Imp.

beneficentia,

beneficentia, ne gratia uinceretur, inducias, quas cum Leone pactus fuerat uiuo adhuc fratre, in pacem commutauit. Theodericus haud multo post, cum decimumoctauum annum ageret, assumpta patris militia ad numerum sex millium uirorum, inscio patre, Danubioq; transmisso, terras Sarmatarum inuasit. Quibus deuastatis, & Rege eorum Babaio, qui se Romanos uicisse extollebat, interempto, præda onustus, & uictoria clarus, ad patrem nihil tale ab adolescente expectantem reuertitur.

Interea mortuo Leoni Imperatori successit in imperio Zeno Isauricus: qui hunc Theodericum Gothorum Regem, ad se in Byzantium humaniter inuitatum, humanissimè excepit, amplissimoq; honore affectum, in filium adoptauit, deinde Ordinarium Consulem (quod tunc summum decus in toto orbe credebatur) declarauit. Nec tantum id præstitisse contentus, sed etiam equestrem ex ære statuam, ad sempiternam gloriam Gothici Principis ante regiam palatij collocauit. Iamq; nihil reliquum esse uidebatur, quod à prudentissimo atq; humanissimo Imperatore in adoptiuum filium, eundemq; optimum Regem conferri potuisset, præter imperium, & coronam, quam Theodericus tãtum ueneratus est, ut potius uitam posuisset, quàm illam ab indulgẽtissimi patris, siue Imperatoris capite ante fatalem cursum amoueri sustinuisset. Fuerunt ea omnia per sapientem Imperatorem facta, ne fortissima illa gens Gothica, quæ omnia præter otium maluit, negotium aliquod insuperabile Romano facesseret imperio. Erat ergo per beneuolentiam, siue beneficentiam, in amicitiæ officijs continenda, quæ armis domari, aut coërceri nequibat. Compertũ enim erat, mores Gothorum eosdem esse, quos adhuc habent, uidelicet ut bonis rationibus ducantur, cum omnino nequeant etiam morte proposita compelli: quos etiam in eorum generosis filijs apud Hispanos esse, per longam consuetudinem accepit. Summa igitur, & summæ humanitatis officia erant omnia, quę Zeno in Theodericum contulit, excepta Arriana perfidia, quam illi ad inenarrabile damnum totius orbis Christiani uel impiè, uel nimis imprudenter infudit. At uerò Theodericus non solum erga Imperatorem, sed etiam Senatũ gratissimus erat, & quibuscunq; poterat officijs aulicos omnes, Romanamq; iuuentutem nõ minus urbanis, quàm militaribus studijs amplectebatur, omnibusq; se charum reddere curabat, ut nemo nõ eum tanquam Romanum diligeret.

Dum hæc apud Constantinopolim geruntur, Italia quotidie maioribus afficitur calamitatibus. Siquidem crudelis Odouacer non iam eam oneribus premebat, sed rapinis quicquid collibuit extorquebat, nulli rei parcens sacræ, aut profanæ. Spes una supererat Romanis in imperio. Postea uerò quàm Theoderici fama, moresq; sunt Romã perlati, cum ad Zenonem Imperatorem, tum ad eum quotidie nuntij à primoribus Romanorum uentitabãt, afflictis rebus opem postulantes, instabantq;, ut aduentum Romam acceleret, certus, quòd cum primum Romana signa attulerit, omnis Italia à crudeli Odouacre defectura sit. Theodericus autem tot importunis Romanorum literis, & assiduis nuntijs superatus, ad Italiæ, & urbis Romę liberationem cœpit omnes animi sui conatus applicare, nihil de suis Gothis, quos ad talem militiam uehementer inflammatos nouerat, dubitans. Sed restabat in tam arduo negotio Imperatoris consensus: quem opportuno tempore sic (ut Iustinianus Venetus habet) allocutum fuisse accepi: Nisi existimarem, optime Imperator, rem de qua sum dicturus, non minus tibi gloriæ, imperioq;, quàm mihi commodo futuram, supersedissem uerbum facere. Ingentia tua erga me, patremq; meum merita deposcunt, ut imperij gloriam & dignitatem, cuicũq; meæ præferam utilitati. Voces quotidie, optime Princeps, ad me ex Italia perferuntur, quonam pacto Herulus ille Odouacer eam terram, olim imperij sedem, deuastet, quibus oneribus, iniurijsq; afficiat. Romanorum procerum nuntij, in summam uersi rerum omnium desperationem, aliam quantumlibet uel miserrimam uitæ conditionem ferre se posse dicunt, tyrannidem huius hominis nequaquam pati posse: implorant auxilium afflictis rebus. Non dubito quin eadem quoq; ad te perlata sint. At uerò altera ex parte Gothicę gentis primores, quibus hæc nota sunt, quotidie meas aures obtundunt, instant, urgent, ut prouinciam istam suscipiam: querũtur se gentem nec ignobilem, nec inertem, per desidiam iam annos ferè decem torpere otio: homines autem alios nescio quos, ubiq; iam terrarũ raptis imperij prouincijs, florere opibus, & dignitate: Vestrogothos, Sueuos, Alanos in Vasconia, Aquitania, atq; Hispania, Vandalos in Africa, Burgundiones in Gallijs: & demũ Herulos, & Turingos Italiam, præclaram regionem non tantum obtinere, sed conculcare: solos Ostrogothos omnium gentiũ infelicissimos, desidia tabescere. Fateor, optime Imperator, non posse me his uocibus non moueri, ut qui seditionem aliquam interdũ metuam: moneo tamen eos, & interdum redarguo: Quid uobis uultis? nunquid non stipendium uobis penditur? Nihil huiusmodi querimur, inquiũt. Torpere inertia, sordere ignauia, tabescere otio non possumus. Hæc illi. Nã quod ad me attinet, his me Imperator humanissime honoribus

afficis,

affícis,quibus plures & maiores optare non poſsim.Habes me pluribus annis ut filium, explorare quid iubeas conſtitui,idq; optimum ducere,quod iuſſeris.Nam ſi fortè hanc imperij nomine prouinciam ſuſcipiendam ſtatueris,nihil poſſum gratius audire: habebis me & pro Gothorum duce,uel pro milite.Sin uerò maiorum rerum curæ impedimento ſunt, quominus huic rei animum adhibeas,at ego non dubitabo maieſtatē tuam conſulere,quid hac in re & mihi agendum,& illis reſpondēdum uideatur.Nam etſi Græcus,aut Italus non ſum,tamen non eſt mihi denegatùm ciuilibus motibus informari:nec iam Gothi alieni cenſendi ſunt à moribus Romanorum,cum quibus annis ferè ducentis conuerſantur. Neq; illud negligendum uidetur,magnam mihi ſpem eſſe,ſi tu annueris,breui rē hanc feliciter confectum iri.Hoſtis quam nullius ſit ingenij,optimè noui:nullius conſilij,omnia temere agit: copię modicę,ac tyronum Italorum ferè omnes.Sed quod maximum eſt,inuiſus omnibus eius terræ mortalibus,in quem bellum gerendum eſt:nobis uerò & copię ualidæ ſunt,& auxilia non deerunt.Plures fortaſſe ꝙ uelim,ad huiuſmodi bellū concurrent: in primis autem Romani imperij dignitas,& exiſtimatio.Spemq; maximam præbet,à quo dignus habitus ſim,quem honeſtet hoc munere:etſi cætera deſint auxilia,hoc ſolo nomine auſim cœptum aggredi.Itaq; tum his rationibus,tum defectione Italiæ,quę ut ſigna noua conſpexerit,tranſituram ad nos eſſe non dubito,felicia omnia ſperare licet.Puderet pręterea ſi nihil aperiam quod cogitandi animo de imperio ſubierit,plúsne commodi aut incommodi ex hoc bello ſit capturum. Commoda (ut uidetur) plura ſunt. Liberaueris tu ærarium ſtipendio Gothorum,& fructibus latiſsimarum prouinciarum,quibus nunc inſident.Ea pecunia uti poteris ad res Perſicas,& Africanas. Nihil eſt enim quod ab Aquilonis parte,quam inſidemus,metuas.Præterea imperium liberabis inuidia,qua nunc laborat.Latius enim per orbem terrarum fama increbuit, Romanos ſibi rapere omnia, neminem pro ſocio, omnes pro ſeruis habere: unde fit, ut prouinciæ ſæpius exagitentur. At uero cum uiderint,imperium alios quoque ad communionem admittere,queri deſinent,& animis etiam atque etiam miteſcent. An illud quoque parui æſtimandum,quòd imperij dignitas & æſtimatio,amiſsione Italiæ iampridem depreſſa,non reſtituetur ſolum,ſed augebitur:cū qui nunc iactant plus potuiſſe inimicos imperij, quam imperium, uidebunt amicos etiam imperij nunc plus poſſe,ꝙ inimicos Illud autem commemorare officij noſtri eſt,& cogitare ſapientiæ tuæ.Quia ſi res uoto reſpondent,ſanè Italia non tam mihi recepta fuerit,ꝙ imperio.Poteris tu quidem quicquid erit terrarum,mariumq;, quicquid præterea copiarum & exercituum,ad gloriam Imperij referre,cuius beneficio reſtituta ſit.Neq; tua minus erit Roma re ipſa,ꝙ titulo.Sin uerò (ut bellorum interdum ſe habent euentus) aduerſi aliquid acciderit, nihil erit amiſſum Imperio,nullum periculum tuę res adibūt.Illud profecto quiſpiam pro commodo ſuſcipiat,qui cum inter aduentitios ea contentio ſit futura, non poteſt imperium,niſi de utriuſq; gentis laboribus,tutius ſecuriuſq; reddi.Dixi quæ uiſa ſunt. Si quid fortè liberius excidit,aut quod minus maieſtatem,ſapientiamq; tuam decuerit audire,accipias pro tua manſuetudine in bonam partem, ueniamq; dabis aut ætati,aut armorum ſtudio,cui me genitor magis,ꝙ uerbis aſſueſcere uoluit.Deus beneuertat, quicquid ſtatueris.

Hanc optimi Regis orationem prudentiſsimus Imperator attento beneuoloq; animo auditam,gratiſsimo reſponſo dignam iudicauit.Proinde negotio tam arduo, tamq; difficili ad Senatum (prout neceſſe erat) relato,mox uniuerſo Senatui uiſum erat,non ſolum honeſtis Theoderici petitionibus annuendum eſſe,ſed preces addere,ut quod præſtanti atq; integro animo pro Romanorum & Italię liberatione cogitauerat,ſtudioſo proſequeretur effectu.Deinde Zeno Theodericum ſacro uelamine (quod erat tunc maximum à Principe factæ conceſsionis ſtabilimentum) inſigniuit.Hic ſilere non poſſum, quomodo Leonardus Aretinus aſſerat,hæc omnia à Zenone ob formidabilem Gothorum potentiam facta fuiſſe, quaſi honeſtum fuiſſet Imperialem celſitudinem in tam arduo negotio callidius, quàm ſerioſius proceſsiſſe,ut ſe à Gothorum uiribus liberaret.Dimiſſurus Zeno Theodericum,magna pompa eum extra Byzantium comitatur,Senatumq;,& populum Romanū, ac totam Italiam eidem commendauit.Igitur Theodericus in Italiam cum ingentibus Gothorū copijs tranſiturus,primam ſui propoſiti difficultatem inter Pannonias & Noricum ab Attilanę multitudinis reliquijs expertus eſt.Siquidem Gepidarum Rex,qui fuerat Ardarico defuncto ſurrogatus,& Buſaris Bulgarorum dux,illum in itinere aggreſsi,magnis incommodis ipſum,atq; ipſius exercitū in primis affecerunt:à quo tamen conſtanti atq; acri prælio ita ſuperati fuerunt,ut magis neceſſe haberent accepta uulnera curare,ꝙ circa uias obſtruendas inuigilare.Itaq; Theodericus ferro uiā aperiens,cum labore in Italiam peruenit:nec longè à Sontio dirutę Aquileię fluuio caſtra communiuit.Cumq; ibi ad reficienda corpora hominum iumentorumq; aliquanto tempore reſediſſet,Odouacer,qui de Gothorum acceſſu

Iam antea cognouerat, cum expeditissimis copijs Herulorum, & Italorum, ac Turcilingorum Theoderico occurrit. Nec multum inde moræ fuit, sed confestim est ad cruenta arma deuentum, quibus ingens hominum multitudo uicta, cæsaq; corruebat. Superatus tamen Odouacer, ad Padum, cuius uada & ostia classe pręsidijsq; communiuerat, concessit.

Theodericus autem inde progressus, Veronam uoluntaria ciuium deditione assecutus est: & iam de Odouacre persequendo animo cogitabat. Cum ille ex improuiso cum ualidiore adhuc exercitu affuit, tum Theodericus ob uictoriam antea adeptam, fiducia plenus exercitum eduxit. Pugnatum est denuo, atq; acrioribus animis in campis Veronianis. Fuitq; ea pugna Herulis nihilo felicior Sontiaca. Odouacer enim sub primo belli ingressu, ab Italorum Padanorum auxilijs (teste Sabellico, & Blondo) derelictus, parte suorum Herulorum multo maxima, quæ pertinacius in pugna perseuerauit, amissa, uictus acie excessit. Inde Romam confugiens, cum portas clausas, ciuesq; de mœnibus resistere uidisset, suburbana tecta, & agrum Vrbi circumpositum, ferro uastauit, & igni. Iam enim Romani de cura, quam Cõstantinopolitanus Imperator de eorum liberatione gerebat, certiores effecti, Odouacris imperium contemnebant, ipsumq; Ostrogothum Theodericum, ut legitimum Regem ac Principem, prompto affectu expectabant. Is omni Transpadana Gallia in fidem recepta, aliquantulum Mediolani constitit, dum exercitum duobus grauissimis prælijs afflictum reficeret, ut reparato auctoq; exercitu, fortior in Odouacrem contendat, qui interea pluribus diebus frustra circa impugnationem Vrbis consumptis Rauennam petierat, cum his copijs quas reliquas habebat. Cœperat enim exercitus laborare commeatuum inopia. Stabat adhuc magna pars Italiæ pro Herulis. Et quod plus angebat Theodericum, pleriq; ex his qui pridem Odouacrē in acie deseruerant, promissis magnis allecti, atq; ab Atusa Aemiliæ & Flaminiæ præfecto, magnæ autoritatis uiro, persuasi, in fidem eius redierunt.

Interrupto itaq; uictorię cursu, Theodericus Ticinum sibi belli sedem elegit. Comperto autem quod Odouacer sese Rauennæ continere cœpisset, audacior factus Ostrogothus, impedimentis cum imbelli multitudine ad Ticinum relictis, munita prius arce, & urbe ipsa mœnibus ac præsidio confirmata, cum robore copiarum Rauennam profectus, Odouacrē triennio obsedit, cepitq; primo accessu omnes illius prouinciæ ciuitates & oppida, pręter Ariminum & Cæsenam. Interea bis iusta acie certatum est, atque in utroq; pręlio Odouacer uictus, redactusq; ad extremam rerum inopiam, se & urbem Theoderico tradidit, sperans aliquam Italię portionem sibi, suisq; popularibus assignandam. Affirmat autem Agnellus in uita Ioannis Episcopi Rauẽnatis, quod Theodericus Odouacrem iusta acie congredi ausum in patentibus Candiani campis bis prælio superauerit, quodq; ea uictoria elatus, subitò Ariminum obsederit, & sine mora in deditionem acceperit, deinde dromones in Ariminensi portu captos, ad Rauennatum portum (qui Portellio dicebatur) immiserit. Sunt autem Dromones uerbo Græco, Gothico autem sermone Promones, naues subductiores, tabulatis undique ad propugnaculi castelliue speciem communitæ. Itaque Theodericus Portellionis ostio dromonibus clauso, partem copiarum in insula, quam Bidens amnis, Padusq;, & mare efficiunt, locauit. Ipse cum cętero exercitu Rauennam in circuitu obsedit. Vnde ad tantam rerum penuriam in urbe est deuentum, ut sordidas & maligni saporis herbas clausi comedere cogerentur. Qua impulsus difficultate Odouacer, hortante urbis Episcopo deditionem fecit.

Ingressus est autem Rauennam Theodericus, Episcopo Ioanne cum clero, & sanctorum reliquijs obuiam prodeunte. Continuitq; se Odouacer eo die, et postero, in palatio quod dicebatur Hilautum, Rauennæ tunc insigne, sperans aliquam partem Italiæ sibi & Herulis attribui possidendam. Sed Theodericus petitis eius annuere nolens, misit qui illum, et filium adolescentem, primoresq; gentis interficerent. Herulorum uero plebem circa Augustam Prætoriam sub Alpibus, dato illis Regulo, collocauit. Breui exinde omni Italia, & demum Roma, summo Senatus populiq; Romani applausu est potitus. Enimuero nullus externorum Regum libentius est Romæ uisus, maioréue studio & congratulatione ciuium in Vrbem acceptus: nullum rursus in se mitiorem est aut Roma, aut Italia experta. Quod maximè ex eo euenit, quia præter illam suæ naturæ benignitatem, qua ad optima quæcunque inclinabatur, etiam optimos consiliarios semper secum habere uoluit, pręsertim sanctos Episcopos Catholicos, quãquam ipsemet Arriani dogmatis assertor esset: in quorum numero erat S. Episcopus Ticinensis Epiphanius, cuius consilio libenter obsequebatur, in illis potissimum operibus, quæ humanam commiserationem præ se ferre uidebantur. Hoc enim consultore & autore, maximam captiuorum multitudinem (data ingenti Regiorum prouentuum parte) redemit. Missusq; est ab eo idem Christianissimus Episcopus, Epiphanius ad Gundibaldum Burgundionum Regem, pro redemptione plurimorum Italorum,

rum,quos pridem ex Italia in captiuitatem abduxerat. Et quum maxima auri uis, quam
Theodericus ex fisco dederat,non sufficeret ad omnium captiuorum redemptionem, Gun
dibaldus quinq; millia ex eis sanctissimo Episcopo gratis & sine pretio donauit. Theode-
ricus deinde urbe Roma Senatui permissa,in Rauenna urbe sedem suam collocauit: ubi ad
tantam Regiæ dignitatis, & honoris amplitudinem, opumq; affluentiam conscendit, ut
paucos illi pares Italia postea habuerit.

Inter cętera autem,ut externas uires domesticis adiungeret, Andefledam Clodouei Fran
corum Regis filiam duxit uxorem:sororem uero suam Amalafredam Honorico Vandalo-
rum,& filiarum unam Alarici Vestrogothorum Regis filio Almarico despondit, alteram
Gundibaldo Burgundionum, Amalabergam uero neptem Hermifredo Turingorum Re-
gibus,in matrimonium coniunxit.Euchario etiam nobilissimo Gotho,ex Balthorum pro
sapia oriundo, Veterici filio,tertiam filiam Amalasuentam in uxorem tradidit:quo genero
per aliquot(quibus superuixit)annos,tanquam filio usus fuit. Possedit uerò, & ex prisco
Romanorum Principum instituto administrabat Occidentales Romani imperij prouin-
cias,quę à nullis dictarum gentium Regibus tenebantur.Necdum enim unquam cum Fran
cis,Burgundionibus,& Vesgothis bella suscepit,sed eos atq; alios exteros imperij oppres-
sores,quoad potuit,in pace continuit,missis oratoribus cum epistolis, ne aliqua inter eos
nata dissensio,Constantinopolitanis Imperatoribus,Romanisq; uiam faceret ad Occiden-
tales terras inuadendas.Ipseq; interea tam dexteré mansueteq; regnum administrabat,ciui
tates & populos tractabat,ut cum Augusto Principe, Traianòue,aut alio ex ijs, qui Patres
patriæ,siue optimi Principes iudicati sunt,merito conferri potuerit. Enimuero quòd Ra-
uennæ ageret,non tantum est ab eo factum,quasi Romanorum ferociam (ut tradunt qui-
dam)horreret,desperaretq; posse fieri, ut Roma diu Regem externum ferret, uerumetiam
quod uidebat nunquam fore,ut Gothis Romanisq; conueniret,quorum diuersi mores,di-
uersaq; sacra essent.Erant enim Gothi Arriani:cûm tunc(ut nunc) Romæ Orthodoxæ fidei
uigerent instituta;

Ad tollendam igitur omnem discordiæ materiam,uel(quod alij scribunt)loci opportu-
nitatem secutus,Rauennæ(quod satis constat)annis fuit circiter quadraginta, Vrbis admi-
nistratione(ut dixi)Senatui permissa.Nec absens unquam destitit ipsum ordinem per lite-
ras hortari,ne paterentur Vrbem multis cladibus alijs super alias deformatam,senioq; con
fectam,situ & squallore coopertam iacere,sed publica Vrbis ædificia instaurarent: ijdemq;
studiosè prouiderent,ut priuata non corruerent,sed diruta instaurarentur. Eoq; præcepto
multa sacra & profana loca,in ueterem formam consurgebant.Palatium,thermæ, Capito-
lium,porticus,cloacæ,aquarum ductus restituti. Præfectos,architectosq; diligentes & ex-
pertos,cuiuscunq; opificij officinis,ut omnia in pristinam formam melioremq; instaurarēt,
præfecit,qui curam diu noctuq; sustinerent,ne urbis ornamenta,statuæ,& ingeniorum mò
nimenta ex ære aut marmore excisa,extraherentur.Sepulchrum Augusti in campo Martio
inter Tyberim & uiam Flaminiam uetustate collapsum restituit.Saxa Amphitheatri,quod
iam maiori ex parte corruerat, loco moueri,nisi in solam murorum Vrbis reparationem,
prohibuit. Statuas Principum æneas,aut marmoreas,equestres,pedestresq; nominatim
multas,& generali edicto omnes conseruari iubebat, adhiberiq; curam,ne illæ interirent,
quibus fides posteris assereretur,uiros fuisse præstantissimos,per quos ad amplissimum or
bis imperium res Romana conscenderat.

Præterea leges,& instituta per manus maiorum tradita seruari,moresq;(si quid à prisco
uiuendi ritu degeneratum esset)castigari mandauit.Estq; per omnia uetus ciuitatis forma,
quam prius Reipub.oppressor Cæsar cum libertate euertit,in integrum à Gothico Rege re
stituta,excepta disciplina militari,à qua Romani non quidem inuiti(ut quibusdam asserere
placet)passi sunt se sub tam diuturna & florentissima pace reuocari,sed ut operam sapien-
tię in toga impendentes,scirent magis militibus imperare, quàm onerosa militiæ negotia
exercere:ad memoriam reducentes,seuerum illum Catonem aliquando dixisse, Rempub.
Romanam nequaquam fortitudine militari,sed consilio,sapientia , prudentia, imperium
suum ab Ortu usq; ad Occasum extendisse.Quod autem Theodericus usum armorum uni-
uersum prohibuisset,haud uerisimile apud me est:fuisset enim illud non parui timoris indi
cium,à quo longe abfuit,cum Romanos & Italos omnes perinde ac charissimos filios sem-
per amauerit:estq; rursus ab eis non secus ac communis omnium parens,circiter annos qua
draginta(ut supra notatum est)quibus regnabat,obseruatus. Omnia spectaculorum genera
(ut olim sub Cęsaribus) ipsius Regis impensa sunt ędita. Pręterea ut honorem Vrbis suę glo
rię præferret,uetuit ex auro,uel argento monetam cudi alia forma,quam ueteri,dum Roma
na Respub.floruisset. Vt autem ciues Romani uel nouis erigendis,uel instaurandis uetustio

ribus ędificijs, maiorem haberent commoditatem, parandę calcis officinas in pluribus Italiæ insulis fieri procurauit, calcemq́; postmodum ciuibus, quorum principia ædificiorum cernerentur, liberaliter & sine pretio est largitus, multaq́; alia pro publica & priuata Romanę urbis instauratione, supra hominum fidem effecit. Quod qui à fideli & copiosissimo teste uoluerit certius intelligere, legat Cassiodori eius epistolaris scriptorũ uariorum libros, in quibus abundè comperiet, ipsum Regem religionis Christianæ, sacrorum locorum, cęrimoniarumq́;, & Pontificum Romanorum dignitatis curam enixius, quàm multi alij Christiani Imperatores gessisse, nihilq́; unquam prætermisisse, quod ab optimo Principe optari potuisset. Nec silenda est eius pietas in S. Petrum, cuius templo Romæ in Vaticano trabem argenteam, mille & quadraginta libras pensantem, cum duobus cerostratis argenteis, quorum singula septuaginta libras pensabant, liberaliter obtulit, tempore Hormisdę Papę. Pari quoq; humanitate usus est erga uniuersas Italiæ urbes: quod maximè ostendit edictum, in quo ciues iubet toto anni tempore, præterquam tempore messis & uindemiæ, ciuitates & oppida frequentare, obireq́; munera, quibus antea quietis Reipublicæ temporibus consueuerant. Non solum enim agricolę, sed etiam honesto loco nati, ob bellorum motus, quibus Italia diu afflictata fuerat, rura incolebant, uolentes potius ignobiliter uillicari, quàm in luce hominum cum uitæ periculo uersari.

Sunt urbes quædam ab eodem Rege, & Gothis ędificijs excultæ, Ticinum, Mutina, Regia domo utrobiq; constituta. Arimini templum protomartyri Stephano erexit, uel consummauit. Rauennæ D. Martino Basilicam, Spoletum sumptuosissimo ædificiorum apparatu excoluit. Sipontinis tributa remisit, ut urbem semirutam restituerent. Aponi balnea, quæ sunt in agro Paduano, muro clausit, ædesq́; balneis apposuit, ut commodius frequentarentur. Præterea (ut Iustinianus Venetus habet) maxima liberalitate usus est erga ipsam Paduanam urbem, dudum excisam. Iacuerat enim annos sexaginta ab Attilæ demolitione dirutis mœnibus, & sine ullo munimento. Miseratusq́; est urbem nobilissimam ad tam infelicem redactam conditionem, ut ipsa per se surgere non posset: deinde uallo, & fossa eam muniens, in pristinam dignitatem, atq; hominum frequentiam collocauit. Sed Rauenna Theoderici indulgentia, omnium Italię urbium tunc maximè aucta est, excultaq́; ędificijs, ex urbe Roma & Constantinopoli marmoribus aduectis. Eratq́; Theodericus talis in ornanda & conseruanda Italia, ut & ipsam ab omni externa iniuria tueretur, & ciues in tanta pace & tranquillitate conseruaret, ut omnes optimos Principes, qui unquam ante ipsum fuissent, iustitia, clementia, bonitate, & ęquitate superauerit. Fuit enim (inquit Procopius) nemine inferior, qui à principio in dignitate Imperiali probatiores fuissent. Gothos quidem ac Italos, pari quadam & summa beneuolentia suapte humanitate prosequebatur, ita ut omnes (quod utiq; difficillimum est) eius imperium oblectaret.

Obtinuit interim Theodericus non solum Italiam, Romamq́; Italię caput, sed & insulas, prouinciasq́;, quę ipsi terræ adiacent. & cum his Dalmatiam, Liburniam, eamq; Illyrici partem, quæ ad Hadriam spectat. Tenuit & Narbonensem Galliam in Comata Gallia. Pręterea circa Rhenum gẽtes quasdam suo regno adiecit. Pars ad hęc Pannonię, quę ad Sirmium uergit, eius pręsidio defensa est aduersus Bulgaros: qui relictis sedibus, quas circa Istrum prope Pannoniam & Noricum habuerunt, Thraciam populati sunt: quam Zeno iniuriam nunquam reprimere poterat, tum quia res imperij nimis afflictę erant, tum quia Byzantio nuper conflagrato, Imperialis fiscus euersus esset. Ad postremum ut tutior esset Italia ab omni externarum gentium insultu, omnia Alpium claustra, à mari ad Tridẽtinum saltum, Gothorum Principibus attribuit, Tridentumq́; muro cinxit: Verucam etiam (quæ est Monsfalco in agro Aquileiensi) à fundamentis erexit. Atque his Theodericus artibus, & prudentissimo studio assecutus est, ut diu Italia cum magna Europæ parte, nullis bellorum terroribus fuerit obnoxia.

Tandem Romani tam quieta & felicia secula in Summi Pontificis electione turbauerũt. Siquidem defuncto Papa Anastasio, clerus & populus in controuersiam deuenit. Cũ Symmachus in Lateranensi (quam appellabant Constantinianam) & Laurentius in beatę Virginis (quæ Noua dicitur) ædibus, uterq; Romanus, in Pontifices eligerentur, delata est res Rauennam ad Regem Theodericum: qui quamuis ecclesiasticas causas suo iudicio minimè subijci cognosceret, conciliandis tamen partibus operas suas impendit, ratus ad ęquitatem pertinere, quod ille qui prius, & à meliore parte fuisset electus, in Pontificatu permaneret. Obtinuitq; Symmachus: qui Christiana usus clementia, Laurentiũ competitorem aduersariumq́;, Nucerinis Episcopum dedit. Verum cum putaretur illa controuersia plene sedata, Romani ad tumultum consurgebant, in quibus utraque pars suos defensores inuenis

ſed diuerſis ſtudijs, & intentione non æquè incorrupta. Symmachi enim pars iure agens, à uindicta & iniurijs temperabat: at Laurentianæ partis defenſores ad uim conuerſi, in uirgines, & ſacerdotes immania exercebãt, multumq; innoxij ſanguinis ubiq; eſt perfuſum. Nec quieuere tumultuantes, donec Symmachus coram ſynodo ſe de obiectis criminibus purgaſſet. Quo facto, una omnium uoce Laurentius condemnatur. Præterea Clodoueus Francorum Rex, non paruum negotium Theoderico fecit, quando Alarico Veſgotho, Hiſpaniarum Regi, eo quòd Arrianam hæreſim foueret, bellum indixit. Deinde coactis undecunque copijs, in Hiſpanias aduerſus eum duxit. Alaricus contrà haud ſegnius à Burdegala Vaſconiæ urbe mouens, cum ualido occurrit exercitu, hoſtemq; ad ſe uenientem in Pictauis excepit. Fuit id prælium atrox, & aliquandiu anceps: ad poſtremum Alarico cadente, uictoria partibus Clodouei acceſsit: qua elatus, quotquot Arrianæ ſectæ urbes reperit, diripuit & deſtruxit. Almaricus Alarici filius, Theoderici gener adoleſcens, cum quibus potuit paterni exercitus reliquijs, intra Pyrenæos ſaltus, ut Hiſpaniam tueretur, ſe recepit.

Tulit iniquo atque indignanti animo Alarici caſum Theodericus, & hanc ſoceri ſui uictoriam, non magis affinitate motus, quàm Arriano nomine, cuius erat ipſe ſtudioſiſsimus: & iam ſua ſponte meditabatur, quomodo Almarico genero opitularetur, ut infrà libro 16. dicemus. Interea Anaſtaſius Imperator Conſtantinopolitanus, renuntiata ſibi uictoria Clodouei, gauiſus eſt ultionem de Veſtrogothis imperij ſui euerſoribus, ſumptam fuiſſe ſuis temporibus: miſſaq; legatione Clodoueo de proſpero rerum ſucceſſu gratulabatur. At tulerunt, qui ad id miſsi ſunt, illi tunicam blatteam dono, qua ſoli utebantur Imperatores, & alia quædam inſignia: epiſtolasq; miſit, in quibus eum Patricium Conſulemq; appellauit. Eratq; Clodoueus Turonis conſtitutus, quando tantũ ab Imperatore Romanis munus accepit. Proinde poſt ſolennes Chriſtianorum cærimonias, eam induit ueſtem, & ſedens in equo, nummos in multitudinem, quæ magna ad eam ſolennitatem aduenerat, diſperſit, acclamante populo, non Patricium fore, & Conſulem, ſed Auguſtum etiam Clodoueũ. Qui ea ſociatus pompa, Pariſios accedens, eorum urbem tunc primam regni Francorum ſedem (prout hodie eſt) conſtituit, ædificauitq; magnificentiſsimo apparatu templum, quod Principi Apoſtolorum pro uictoria uouerat. Quæ cum intellexiſſet Theodericus Oſtrogothorum Rex tunc in Italia potentiſsimus, ægerrimè tulit, uel quia ſoceri Clodouei audaciam damnauit, uel quod magis eſt ueriſimile, indignè tulerat, quòd tantam cum Græcorum Imperatore amicitiam coniunxiſſet, ratus hæc omnia in ſuam, & Oſtrogothorum contumeliam fieri. Super omnia uero diſplicuit, quòd nepotem ex filia Almaricum paterna poſſeſsione depulerit. Proinde coactis undecunq; quadraginta millium copijs, quibus Ilbam ducem præfecit, easq; in Vaſconiam, quam Veſtrogothis ademptam, Clodouei exercitus occupabat, emiſit. Fit igitur inter Oſtrogothos & Francos acerrimus congreſſus: & tandem Oſtrogothi uictores euaſerunt, proſtratis & profligatis triginta millibus Francorum in Vaſconia: quæ recepta eſt pro Almarico defuncti Alarici filio, cui iam inde regnum incolume manſit Theoderici præſidio: qui quandiu deinceps in humanis erat, præſtitit Veſtrogothorum res tutas in Hiſpania ab omni Francorum iniuria.

Neq; ſilenda eſt Theoderici liberalitas, qui Liguſtinis magnam frumenti copiam ex horreo publico erogauit, quia Oſtrogothorum exercitus per Liguriam in Vaſconiam tranſiens, ipſam nonnihil afflixerat. Ita enim habuit iuſtitiam cum æquitate atque humanitate coniunctam, ut nullus unquam magis. Afferuntur ad id probandum duo non prætereunda exempla à Iuſtiniano Veneto. Aſſerit enim Theodericum fures adeò acribus pœnis inſectatum, ut liceret per omnem ferè Italiam apertis ianuis dies & noctes agere. Alterum autem, quod quum mulier defuncto marito ſecundas nuptias amatori ſpopondiſſet, & conditionem addidiſſet, filium domo eiecturam, queſtus filius de matre apud Theodericum: negabat conſtanter mulier ſuum eſſe filium, ſuppoſitum dicebat. Quum eniteretur, multis hinc atq; hinc argumentis contendebatur. Rex ingenio ſagax, ut ueritatem erueret: Atqui, inquit ô mulier, potes ſi me audis facilè iſta te moleſtia liberare: quin tu iuuenẽ iſtum qui filium tuum ſe facit, maritum accipe: minor eſt ętate, & facie liberaliore. Mulier omnino commota, primùm ſubſtitit, quid reſponderet. Quum aliquandiu ſe collegiſſet, multis cauillationibus eam rem ſubterfugere, neq; ſibi ipſi conſtare cœpit, ſed omnia ambagibus inuolue re. Theoderico maior orta eſt ſuſpicio. Itaq; finxit ſe pœnam addere, niſi conſentiret. Tunc adacta mulier ſceleris horrore, ſuum eſſe filium confeſſa eſt.

Mortuo interea apud Byzantium Imperatore Anaſtaſio, ſucceſſor, & filius eius Iuſtinus, Chriſtianæ pietatis amantiſsimus, uolens omnes hæreſes in Chriſti religione excitatas, & præſertim Arrianam ueſaniam radicitus extirpare, omnes eius ſectæ Antiſtites in toto Orientali imperio eiecit. Tulit eam rem Theodericus permoleſtè: imbibitam enim à Zenone

Imperatore Arrianam labem, usq; ad ultimum diem mordicus tuebatur. Quocirca aduersarios suos existimabat omnes, quos Catholicæ fidei assertores inuenit. Hinc optimos ciues Romanos, Symmachum & Boëtium, ad delationē duorum factiosissimorum ciuium Romanorum, Opilionis & Gaudentij, suspectos habebat, quasi Iustini partibus studerent, cuius optimam popularemq; administrationem longe suspectiorem timebat. Deinde quum Theodatum nepotem ex Galliæ Narbonensis administratione ad Hetruriæ prouinciæ principatum reuocasset, permisit Senatui, ut unum aliquem patricij sanguinis (quem uellent) mitterent, qui prouinciæ præesset. Quod ideo fecit, ne Senatus de eius solita clementia dubitaret. Sciuit enim uerum esse, quòd Princeps, qui uni facit iniuriam, omnibus comminari uidetur. Attamen semel irritatus Regis animus, his suspicionibus sæuire non destitit: quin legationis prætextu, Ioannem Pontificem, & ex Senatorio ordine quosdam clarissimos Principes (adiuncto his Ecclesio Rauennate Antistite) ut res minus suspecta esset, procul Italia ablegauit.

Hi ad Iustinum ire iussi, hanc mandati summam secum deferebant: Audisse Theodericum Iustini edictum de Catholicis, & Arrianis: non dubitare hoc in suam contumeliam factum, quem iampridem infensum habuerint, & Anastasius pater, & Iustinus filius, nulla quidem ipsius culpa, sed ob Italicum regnum iustis armis quæsitum, conseruatumq;, & auctum summa cum iustitia, & diligentia: prouidè quoq; agi cum Iustino, si imperium ipse suum tam diligenter administret, ut illi supersit tempus, otiumq; ad sacerdotalia iudicia curanda: censere præstantius esse, ut Reges Pontificesq; seorsum quisq; munera sua obeant certent inter se uerbis sacerdotes, dummodo ui temperent & armis. Moneant igitur Iustinum, ut abstineat edicto: quod nisi fecerit, certiorem faciant, quicquid ille iniuriæ intulerit Arrianis ecclesijs, idem quoq; se Catholicis illaturum. Excepit Iustinus Pontificem multa ueneratione, demissusq; ad eius pedes, ut Dei uicarium osculo adorauit. Incidit inde difficilis consultatio, utrum Arriani restituendi essent: estq; Pontificis & legatorum lachrymis eo deuentum, ut Iustinus potius Arrianos diuinæ prouidentiæ permitteret, uti per se aliquando ueritatem respicerent, aut opportuniore tempore omnibus terris ea pestis exploderetur, ne Roma, & omne Italicum nomē ex ea re maiorem cladem adiret. Datum est Pontifici & legatis, ut Arriani restituerentur, suoq; instituto uiuerent. Dimissurus oratores Iustinus, ut in illorum honore etiam suo consuleret, à Ioanne Ponntifice (Consulibus Romanis, Senatoribusq; subministrantibus) uoluit coronari. Verū quanto maiore honore legati à Iustino afficiebantur, tantò maiore inuidia Theodericus inflammatus eos redeuntes excepit, quasi omnia humanitatis officia, ab Imperatoria benignitate in eos collata, in ipsius contumeliam facta fuissent.

Proinde iam ex optimo Rege seuerus tyrannus effectus, non erubuit sanctissimum Pontificem, & integerrimos legatos, uarijs criminibus insimulatos, in tetrum atq; horrendum carcerem conijcere, deinde fame atq; inedia, & pedore cruciatos extinguere. Nec dissimili furore desæuit in nonnullos Romani Senatus Principes, in quorum numero Boëtium, & Symmachum iampridem apud Papiam relegatos, interfici iussit. Boëtium quidem, quasi librum illum nobilissimum, quem de Trinitate aduersus Arrianos conscripsit, in eius contumeliam composuisset. Ipse non multo post, ut nonnulli uolunt, apoplexia, nonnulli uentris profluuio, magnis cruciatibus extinctus est, anno trigesimooctauo post adeptum Italiæ regnum, & toto tempore (excepto nouissimo anno) adeò clementer administratum, & auctum, ut optimum quemque antiquorum Principum non æquasse solum, sed superasse uideretur. Est Procopij autoritate proditum, paucis diebus post Boëtij, & Symmachi cædem cum cœnanti Theoderico caput piscis esset oblatum refugisse Theodericum, quasi Symmachi faciem oblatam uidisset, quæ inferiore labro mordicus apprehenso, toruis sibi oculis minaretur, territumq; eo ostento in mortiferum incidisse languorem, statimq; deficientibus membris in cubiculum secessisse, ubi lecto decumbens, & parumper quiescens, magnam togarum uim ut sibi ingererent, iussisse. Deinde Elpidio medico omnibus quemadmodum accidissent diligentius explicatis, in Symmachum Boëtiumq; patratum à se scelus acerbo luctu deflebat: quo deniq; deplorato, ex accepta calamitate dolore ingenti affectus, haud longè pòst moritur, cum primum id iniustitiæ & ultimum in suos subditos exemplum exercuisset. Fuisset nimirum longe felicior eius exitus, si suorum Gothorum consilia ita in extremo anno attendisset, quemadmodum semper antea audiuerat, & illorum seditiosorum Romanorum, Gaudentij & Opilionis, delationes suspectas & perniciosas à se longius remouisset. Proinde huius tanti uiri morte relictum mortalibus exemplum, nullam esse rem fortunæ uicibus non subiectam, non opes, non liberos, non imperium, non deniq; uirtutem ipsam, quem Ethnici Philosophi supra omnem fortu

nam



nam statuerunt:eripiuntur omnia illa,& euanescunt:at constans & sempiterna felicitas est, quam optimus Deus mortalibus gratis infundit,nec igni,nec ferro,nec ipsa quoq; corporis ægritudine labefactandam.

De eadem adoptionis forma.
CAP. VI.

ERat præterea tam rigida apud ueteres Gothorum Reges obseruatio in armorum experiẽtia,ut eorum legitimi filij cum patre in publica,aut priuata mensa cibum non sumerent,antequàm armis idonei ab externis Principibus declararentur:quod & Pau. Diaco.lib.primo cap.23.attestatur. Dum enim Longobardi peracta uictoria ad sedes proprias remeassent,Regi suo Oduin suggesserunt, ut eius filio Albuin conuiuia fierent,cuius uirtute in prælio,Regis Gepidarum occiso filio,uictoriam cepissent,ut qui patri in periculo,ita & in conuiuio comes esset.Quibus Oduin respondit:se hoc facere minimè posse ne ritum gentis infringeret:Scitis,inquit,nõ esse apud nos consuetudinem,ut Regis cum patre filius prandeat,nisi prius à Rege gentis exteræ arma suscipiat.His Albuin à patre auditis, 40. iuuenibus sumptis, Turismundum Gepidarum Regem,cuius filium alias in bello occiderat,insignia armorum petiturus accessit: quem Rex benignè suscipiens,instituto conuiuio ad dexterã collocauit,ubi sedere consueuerat filius eius alias interemptus:quod tamen pater reuoluens,alta suspiria traxit,grauem existimans filij mutationem. Ob quam cum Regis alter filius,& aulici telis eductis uindicare contenderent,Rex eosdem sub dira interminatione compescuit,asserens eam uictoriam esse impiam,cum quis hospitem in domo propria occiderit: unde & singulos in læta conuiuia redire decreuit:sumensq; arma filij sui interempti, ea Albuin tradidit,atq; cum pace,& incolumitate ad patris regnum remisit. Dehinc patris conuiua factus,omnia ordine narrauit,insignemq; laudem pro tanta audacia meruit:sed multò maiorem Turismundus, pro constantissima fide in hospitem efferissimum obseruata. Est etiam recepta hominum opinio,uelut sanctio militarium uirorum,ut Rex militem equestris ordinis,id est, Equiriatus dignitatis,creare posit,qui ante suam coronationem in eo ordine assumptus non fuisset:quia sub auroritate Regij culminis hoc includitur,uelut sertum ex rosis super aureum diadema.

De militari educatione Illustrium,ac nobilium puerorum.
CAP. VII.



ERat apud ueteres Gothos non postrema cura de rigida educatione puerorum: quos militaribus exercitijs, & bellis communi lege ascribere satagebant, ut tales omni casu patria haberet defensores, quales olim in uetusto seculo maiorum institissent imitatores. Isq; modus in primis seruabatur,qui et præsenti tempore durat. Olim pueri recenter cunas egressi, uirgas & mammas experiebãtur: primum in balneis calidissimis grauiter ad sanguinis effusionẽ cędebantur,deinde in algidissimã aquã ferè ad periculũ mortis detrudebantur, unde cõpactiora mẽbra referrent,q̃ ab aliquo Lacedemonio cęromate, quo ipsi pueros suos ad tolerãdos ęstus,atq; algores obdurabant:etiã queadmodum Spartani pueri ad arã sic uerberibus afficiebãtur,ut multus è uisceribus sanguis exiret,nõnunquã etiã ad suspicionem necis:quorũ non modo nemo exclamauit

mauit unquam, sed ne ingemuit quidem, ut iam uitę seueritatem, quam Lycurgus suos Lacædemonios longo prudentiæ usu docuit, ab infantiæ cunabulis, & cum lacte materno imbiberent. Siquidem nouiter natos pueros ad flammam primùm deferebant, sæuoq; gelu durabant, & undis: deinde adolescentiores facti, grauissimas plagas in corpus, & uultum excipientes, eo silentio ferunt: ut ne oculorũ motu, aut metu impatientiam testari audeant. Plumarum et mollitiem uitant. Durum tegmen illis amictui est. Cibus, potusq; fortis. Tabulatis plusquàm plumatis lectis incumbunt, & similibus asperrimis rebus, ut membra induant solidiora, & ad omnes aduersos casus aptiora. Quia uerò Rex Hungariæ Ludouicus delicatissimè nutritus erat, plurimum arguere solebat promos suos, ne fortè è bello fugiens, dape rustica qualicunque sorte quæsita, uitam redimere posset, prout postea probauit euentus.

De ratione, & modo equitandi.
CAP. VIII.

Deinde (uelut Strabo meminit lib. 11. de schola Persica) equitandi, iaculandi, sagittandiq; studio diligenti ueneratione apud principes habēda iuuenes attente instruuntur: atq; inter alia capiti eorum imponitur grauis galea, atq; longus in manu contus, ut non tam robustè, quàm decenter erecta semper ceruice morem equitandi discant, & conseruent. Præterea clypeus dorso appenditur, ut sciant retrospiciendo occurrentes insidias attentius præcauere: etiam quia uetustissimus Gothicæ nobilitatis mos est, talibus insignijs, uidelicet galea, lancea, & clypeo, publicos principum conuentus accedere, atq; armis huiusmodi patrię libertatem, & iustitiam defensare. Præterea ne militaris experientia aliarum gentium ignoretur, mittuntur huiusmodi adolescentes in longinquas principum curias, ut addiscant mores, linguam, discrimina personarum, ingenia regionum, pugnarum, acierumq; ordinem, ne rudes ad gubernacula surgant. Aliquibus tamen non prius contingit in patriam redire, quàm regnare. Erat etiam mos ueterum Principum, mutuò filiorum capillos suscipere, ut cæsariem incidentes, patres efficerentur, talesq; remittere Regijs muneribus decoratos. Gothi tamen non tondunt capillos, sed strictas galeas, seu cassides, ac loricas alligant, equos fortiores ascendere præcipientes, hyeme uerò horrenda uenationes insequi, alternoq; tempore sub algidissimo frigore armatos simulare stationem, quasi uitæ periculum in aliqua hostili obsidione auersuros: quòd hyeme frequentius, quam æstate fieri solet. Habet etiam Vopiscus in uita Probi, adolescentes omnes octauodecimo anno solere ad militiam, non latrociniũ euocari: quo casu impuberē, aut inualidum uita priuare probrosum nō erat, alias minimè licuit, propter obseruantiā militarē.

De electione tyronum ad arma.
CAP. IX.



His imaginibus in parte ostenditur, quo ritu Reges Gothorum, Suecorum, ac Noruegianorum, alijq; Principes Septentrionis, Regia, atq; prouincialia officia antiquitus instituebant, modernoq; tempore partiuntur. Illos itaq; tyrones militaribus armis cæteris omnibus clariores existimabant, qui in ipso pueritię flore maturis moribus lubricam frenarunt ætatem: qua nihil est sceleratius malis habitibus relaxata.



laxata. Nec enim Principi fidelis, nec patriæ utilis, nec socijs portabilis, nec cuiquam gracilis esse putatur, nisi militari seueritate ad strenuos mores reducta fuerit, ut eo casu fortissimi patrię propugnatores institui possint, quibus dirigendæ prouinciæ securius cõmittantur. Verùm ne continuo rigore huiusmodi iuuenes militaribus disciplinis constringantur, Regia liberalitas eosdem semper erigit, & exaltat, ac specialibus donis, quibus firmioribus obsequijs Regię fidei sese constringant, adaptat, quasi intrepidos in quouis certamine, & uitæ periculo subituros. Dona igitur gladij, ballistę, pharetrę, galeę, thoraces, loricę, umbones, frameę, & equi militares, ac grãdiores, atq; annexa feuda: quibus omnibus ueteri ritu speciales uerborũ formę, ac rationes sigillatim cur dantur, accipiunturue, sunt annexę. Talibus nanq; donis, et signis, extunc uirilẽ togam, et libertatem induunt, qua sine tutoribus integrũ bonorum suorũ liceat habere moderamẽ, atq; bellicis conflictibus audẽtius interesse, ac stipẽ, & prędam promereri maiorem: & deniq; omnibus iudicijs militaribus testimoniũ, & sententiã afferre firmiorẽ, quẽadmodum Cassiodorus lib. 1. inter epistolas Regis Gothorũ Theoderici asserit in hac forma.

De eodem per ritum externum.

CAP. X.

GOthis ætatem legitimam uirtus facit, ut qui ualent hostem cõfodere, ab omni iam uitio astringitur se uẽdicare. Quod & Paulus Diaco. lib. 1. testatur de Longobardis: qui ut bellatorum possent ampliare numerum, plures à seruili iugo ereptos, ad libertatis statum perducunt: utq; rata possit haberi eorum ingenuitas sanciunt more solito per sagittam, immurmurantes nihilominus ob rei firmitatem quædam patria uerba: quæ tantum sonant, Dij te hac sagita nobilitent, conficiantq;, ubi patriæ, ac Principi fueris infidelis. Nec prætereundum est Saxonis testimonium lib. 2. quòd olim ingressuri curiam proceres, famulatus sui principia alicuius magnæ rei uoto Principibus obligare solebant, uirtute tyrocinium auspicantes. Attamen fidei integritatem in externis Regijs aulis Gothiæ, & Suetiæ, nunquàm meriti sunt, nisi strictum gladium, uel pugionem, per cuspidem Principis manu, & munere, fidelitatis iuramento præstito, suscepissent, ne capulo sumpto ipsum gladium retorqueant in uiscera porrigentis: prout dudum accidisse compertum est, dum uindicem sustinere passus est, qui capulum pro cuspide uariata ueterum consuetudine ingrato concessit. Vexilliferos autem, seu primipilos uiros uirtute ac nobilitate claros, & singulari fortitudine præditos, solius signi exhibitione constituunt, quòd militari lege sese agnoscunt æquè ac honorem, & uitam defensuros: quibus & applicant audacissimos custodes, bipennes acutas habentes, ac ferreos globos ad cingulũ pendentes: quibus dum opus fuerit, cominus hostẽ imminentẽ iactu prosternant, ubi gladijs bis acutis nequeat superari.

De diuersis ætatibus pugnatorum.

CAP. XI.



SVccesiuis temporibus inter Veteres Gothorum Principes contrariæ seruabantur consuetudines in equestribus bellis conficiendis. Nonnulli enim solebant uiris iuuenibus equos iuuenes, ac feroces applicare: sed hi raram uictoriam reportarunt, quia nimia celeritate usi, in præcipitia ruebant, & ruinam. Alij uerò ueteranis militibus præcipites, ac iuuenes equos certamen ingressuris tribuerunt: ijque triumphantes

phantes uictorias reportarunt: uirtute enim sessores moderabatur furiositas equi ut non tam præcipitanter, quã prudenter hostẽ attentaret. Itaq; pro usu apud plerosq; Principes diu hæc ratio seruabatur, ut iuniores ac ferociores uiri equis senibus senesq; & graues milites iumentis iuuenibus in prælijs uterentur, tanquã eo temperantię genere tutius quæcunq; certamina decidi possint. Verũ quid in uita Imperatoris Probi, quem milites ingenti prosequebantur amore, Vopiscus de equo uelocissimo meminit, hic inserere non pigebit. Cum, inquit, Probus adeò iuste inter milites suos spolia diuideret, ut nil præter tela, & arma sibi retineret, quinetiam cum de spolio (an ex Alanis, siue ex aliqua gente, incertum est) repertus esset equus non decorus, neq; ingens, qui, quantum captiui loquebantur, centum ad diem milliaria currere diceretur, ita ut per dies octo uel decem continuaret, & omnes crederent Probum tale animal sibimet seruaturum, iam primum dixit: Fugitiuo militi potius, quàm forti hic equus conuenit. Deinde in urnam militares iussit nomen suum mittere, ut aliquis eum sorte ductus acciperet: et cum essent in exercitu quidam, nomine Probi, alij quatuor milites, casu euenit, ut primum emergeret, cui Probo nomen existeret, cum ipsius Probi ducis nomen missum non esset. Sed cum quatuor illi milites inter se contenderent, ac sortem sibi quisq; defenderet, iussit iterum agitari urnam: sed & iterum Probi nomen emersit. Cumq; tertio, & quarto fecisset, quartò Probi nomen effusum est. Tunc omnis exercitus equum illum Probo duci dicauit, ipsis etiam militibus, quorum nomina exierant, id uolentibus.

Adhuc de alia conditione equi.
CAP. XII.

REfert præterea Herodotus lib. 5. de Artybij Persarum ducis mirabili equo, in armatum erigere se docto: quod audiens Onesilus eius aduersarius dux Cyprorum, ad satellitem suum (erat enim rei bellicæ, & alioqui solertiæ plenus) Audio, inquit, Artybij equum edoctum se erigere, & pedibus simul, atq; ore eum, in quem agitur, perficere: proinde tu propere inita ratione dicito, utrum malis obseruare, equum ne tibi feriendum, an ipsum Artybium. Ad quem seruus: Ego uerò, inquit, Rex paratus sum & utrunq;, & alterutrum, & omnino quicquid imperaueris, facere. Promam tamen quòd rebus tuis conducibilius esse sentiam, Regem ac ducem oportere cum Rege ac duce certare. Siue enim talem occidas, decori tibi fore: siue à tali, quod absit, occidaris, quod secundum est, dimidium mali esse. Hos uerò famulos cum famulis hostium debere cõfligere. Nam quod ad equum attinet, non est causa, cur eius artificium extimescas. Recipio enim tibi eum posthac aduersus neminem se erecturum. Hæc illo locuto, mox exercitus conflixere: dumq; acies dimicant, circa Imperatores hoc actum est. Vbi Artybius equo, cui insidebat in Onesilum inuectus est: Onesilus uti conuenerat cum satellite, ipse inuadentem Artybium ferit, eius satelles equi sublatos pedes in Onesili scutum iactãtis falce percutiens abscidit: quo ictu Artybius Persarum Imperator illico unà cum equo corruit: cæteris pugnando occupatis. Onesilus tamen eo prælio occiditur, caputq; eius abscissum hasta ciuitati, quam obsederat, importatur, atq; supra portas suspensum, et exinanitum, ingressum examen apum fauo refersit, & ob id honorificè mox sepultum, quotannis ab incolis ueneratur.

De ritu



De ritu ueteris militiæ Gothorum.

CAP. XIII.



HAbebant olim casſides graues, non ſatis polita manu iuxta rudem illam ætatem fabricatas, præterea thoraces ſpiſſos, partim ferreos, partim coriaceos, partim filtrinos, lino lanaq; conſutos, ſimili modo brachialia ferrea, & manuum chirothecas. Ferebant & denſas haſtas, ac longas, prout Procopius his uerbis lib. 2. meminit: Primos nanque omnium Gothos cum denſis, ac longis haſtis uenientes, Perſæ non ſuſtinentes, in fugam ſe uerterunt. Vtuntur & cataphracti contis longis. Aſſerit etiam idem autor, Gothos equites telis, ac gladijs uti conſueuiſſe: quam ſententiam Iordanes confirmat. Ait enim: Admirandum reor fuiſſe ſpectaculum, ubi (uidelicet poſt mortem Attilæ) cernere erat cunctis, pugnantem Gothum, enſe furentem Gepidam, in uulnere ſuorum cuncta bella frangentem, Sueuum pede, Hunnum ſagitta præſumere, Alanum graui, Herulum leui armatura aciem inſtruere. Præterea Herodotus lib. 1. uerſus finem aſſerit, Maſſagethas, occiſo per Thomyrim eorum Reginam Cyro Perſarum Rege, amictum, & uictum Scythico modo ſimilem habuiſſe, atq; ex equis, & pedibus fortiter pugnauiſſe. Vtroq; enim genere ualent ſagittarij item, atq; haſtati ſangares, hoc eſt pugiones, eorum more geſtantes, in omnibus auro, et ęre utentes: ære in omnibus, quæ ad haſtas, ad pharetras, & ad ſangares pertinent: auro autem in cunctis, quæ ad capitis, & baltheorum ornamentum ſpectant. Equorum itidem pectoribus æreos thoraces circundant, circa frena, & pharetras aurum adhibent, ferro, atq; argento nil prorſus utentes: quorum in regione cum immenſa ſit auri, atq; æris copia, ferri tamen, atq; argenti nihil eſt. In patria autem eorum originali, uidelicet Gothia, auro tanquam digniori metallo, pro reuerentia ſuorum numinum in ornatu ſupremi templi (uti lib. primo dictum eſt) indicibili magnificentia olim utebantur. Hodie etiam conſtituta lege cautum eſt, ut campanulæ æreis, uel argenteis alligentur detruncatis calcitroſorum equorum caudis, ut imbelle genus hominum ſono percepto periculum euitet. Quibus uerò argenti cultura maior, baltheos lathos (Silff ſchena dictos) tam pro ornatu, quàm munimine in medio dorſi erectos habent, necnō & alia inſignia, quibus colitur aulicū decus.

De Hunnis & Herulis. Ioan. Mag. lib. 6.

Armanaricus ex nobiliſsima Amalorum familia natus, in regno Gothorū ſucceſsit. Qui obſtante fœdere cum Romanis inito, nullas eorum prouincias bello laceſsiuit: quocirca nec Romanarum rerum ſcriptores eius meminerunt: ſuum tamen imperium tam late (teſte Iordane) extendit, ut à pleriſq; Alexandro Magno compararetur. Tantum enim ad Orientem progreſſus eſt, ut totam Scythiam uictrici manu ſubiugaret. Nec ea ampliſsima uictoria amplitudini animi eius ſatisfecit: arma quoq; in Septentrionales terras extendit, pręſertim in Herulorum gentē, & eius Regem Alaricum iuxta Mæotidas paludes (Ablabio teſte) habitantē: quæ nomen à locis ſtagnantibus (ſic enim apud Gręcos Helos ſonat) aſſumpſiſſe uidetur: unde factum eſt, ut tranſpoſitis literis, pro Heleris Heruli dicerentur. Cauſa uero ſiue occaſio belli in Herulos ſuſcepti, intolerabilis eorum ſuperbia fuiſſe creditur, cū ſibi primas partes in diſciplina militari iactanter arrogarent, gloriam rerum à ſe pręclarè geſtarum uocis procacitate extollēdo. Addidit etiam eis animos, quod nulla in circuitu eorum gens eſſet, quę non leuem armaturam in acie ſua ex ipſis elegerit: uelocitate enim & corporum agilitate (quę non parum in militia ualet) omnes præcellebant. At Gothi non paſsi ſibi militaris gloriæ palmam per minus potentem populum auferri, qui pridem ualidiſsi-

mas

mas nationes suo imperio subiugarant. Proinde collatis utrinq; agminibus, pro gloria decertandum restabat: in quo quidem certamine Gothi acerrimis animis progredientes, effecerunt ut corporum agilitas, de qua Heruli sibi nimium complacebant, plus ad uelocem fugam, quàm ad persistendum in pugna, uel ad assequendam uictoriam utilis haberetur. Victi siquidem, & magna parte trucidati, documento esse potuere, superbi spiritus hominibus plus animi, quàm corporis uigorem ad felicem bellorum exitum conferre. Illis igitur qui supererant, sub iugum & tributum missis, arma uiresq; suas in Venetos conuertit. Qui autem fuerint illi Veneti, Iordanes ex Ablabio explicat, affirmans eos fuisse Sclauicæ gentis portionem. Tunc enim sicut nũc Sclauonica gens ad multas nationes diffusa, diuersa nomina sortiebatur, nec Sclauonica gens à Vandalica, nisi solo nomine differebat. Igitur (ut Iordanes ait) Armanaricus potentiæ suæ arma in gentem Vandalorum tunc per latissimas Germaniæ terras, præsertim per littora maris Germanici locatam extendit, eamq; (quamuis fortissimam, & infinita multitudine ad prælia prodeuntem) superauit, superatamq; suo amplissimo imperio coniunxit. Sed nec ea uictoria contentus, ad Estonum gentem suæ potentiæ arma conuertit.

Est autem Esthia in Australibus littoribus maris Sarmatici (quod ibi Sinus Venedicus dicitur) collocata, gens quidem nostra ætate uiribus & armis potens, utpote quæ ductu magni principis magistri Liuoniæ, potentissimorum Moscouitarum arma à suis, cæterisq; uicinis terris reprimere, & sæpe superare consueuit. Hanc gentem Armanaricus magni nominis umbra stimulatus, magnifico bellorum apparatu inuasit. Vnde haud difficile cognosci potest, totum illum latissimarum regionum tractum, qui est à Danubio usq; ad eundẽ Venedicum sinum, Armanarici regno paruisse, quum per ipsum non secus ac pacatum & subditum populum copias bellatorum transmiserit. Ipsa quoq; Germania, & (ut diximus) tota Scythia, quæ ex Europa per Tanaim in Orientem latissimè protenditur, eius principatum adeò auctum, & amplum, magnificumq; effecere, ut summis Monarchis qui unquam fuerunt, meritò comparari queat. Ait enim Iordanes ipsum omnibus illis populis & nationibus perinde ac proprijs laribus imperasse. Sed quum nihil stabile esse queat, quod fortunæ uarietate gubernatur, non potuit illud amplissimum Armanarici imperium ad æquam diuturnitatem cum tanta amplitudine peruenire, aut ad hæredes trãsmitti. Quamuis enim diu feliciterq; regnauerit, utpote à tempore robustæ iuuentutis usq; ad decimum supra centesimum annum, tamen in calce uitę suæ irruentibus in se, & suam gentem Gothicam Hunnis, considerare potuit sui latissimi regni ruinam de proximo imminere.

Nunc igitur quia Hunnorum nomen in medium uenit, sæpeq; eorum memoriam in his nostris historijs facere intendimus, non inutile fore putamus, si ipsorum originem ex Iordane Rauennate, & Ablabio Romano Senatore adduxero. Hi ambo Gothi uno consensu affirmant ipsos ex Gothis circa Mæotides paludes commorantibus, ea occasione quæ sequitur prodijsse. Tempore siquidem antiquissimo Gothi ex Scandiana insula cum suo Rege Berico egressi, tandem sub Filimero quinto post eum exitum Rege, ad illas paludes peruenerũt. Tum Filimerus noui regni in illis terris fundator, operæpretium iudicabat auspicia sui imperij à morum correctione inchoare: factaq; de moribus inquisitione, reperit in populo suo quasdam magas mulieres, patrio sermone Adelrunas appellatas. Gothicus enim sermo Runa artem, uel aliquando magiam significat: unde etiam hodie lapides complures in Gothia characteribus Gothicis inscripti, Runasten nominantur. Easdem mulieres de maleficio conuictas uel suspectas, in remotas Scythiæ solitudines abire coëgit, ne earum commercio reliqua gens contaminata, in nefarias operationes procliua collaberetur. Illæ aliquandiu in solitudinibus pererrantes, tandem quosdam Scythici generis homines simili errore per deserta uagantes inueniunt, quibus connubio sociatæ, prolem per temporum interualla innumerabilem ędiderunt. Est enim in regionibus frigidis eò maior hominum fœcunditas, quò rarior est ibi aëris contagio, quæ solet mortalibus fœtificum calorem minuere, fatumque & mortem plerunq; accelerare.

Tali ergo stirpe Hunni procreati, uenationibus & arte sagittaria sese plurimum exercuerunt. Accidit interea dum quidam eorum uenationibus ardentiore studio intenderent, iamq; ineuitabile fatum aduenisset, quo Deus in gente stulta humanam superbiã castigare uellet, ecce cerua sese illis insectandam ex improuiso offert, ingressaq; paludem, nunc progrediens, nunc subsistens, indicem se uiæ præbuit: quam secuti uenatores, paludem Mæotidem (quam imperuiam ut profundum pelagus hactenus æstimauerant) pedibus transiere: mox quoque eatenus ut ignota terra ignotis apparuit, cerua disparuit. Ita uenatores illi exploratis nouis sedibus, & uiuendi commoditate, totum Hunnorum genus ad occupandas eas nouas & feliciores terras excitabant. Persuasi igitur Hunni, tota suorum multitudine col-

lecta, cum coniugibus, & pignoribus, ac tenuitate fortunarum quas habebant, nouas ſedes occupaturi paludes tranſierunt. Noua hominum facies terrorem intuentibus ingerebat. Nam breuis hominum ſtatura, torua facies, luminum puncta potius quam oculi, color teter, inſuetis Tartaream faciem præferebant. Affirmat Iordanes ex Ablabio, ipſos primum ex incubis ſpiritibus genitos, alij Faunis agreſtibus, quos aiunt ſyluas incolere, & nihil humanum præter ſolam ſpeciem oſtendere, ortós prodiderunt. Crantzius (cui ego accedo) ex uagabundis Scythis in ſolitudine Scythica genitos arbitratur: qui etiam Beroſi Babilonici opinionem de Hunnorum origine adducit, aſſerens ipſum Noë poſt diluuium genuiſſe Tuiſconem, qui filios reliquit Hunnum, Vandalum, Sueuum, Marſum, & reliquos intra Tanaim & Rhenum omnes commorantes. Nec ſilendum eſt, quod Procopius de bello Perſico libro 1. de Hunnis commemorat. Sunt, inquit, Hunni qui Euthalitæ uocantur, reliquis Hunnis nequaquam uicini, neque ad eos pertinentes, ſed Perſis propinqui Boream uerſus. quorum ciuitas Gorga nomine, in Perſidis confinibus ſæpe cum colonis de ipſis finibus pugnat. Nec ut reliqui Hunni Nomades ſunt, uitam agentes paſtoralem, ſed optimam iampridem incolunt regionem, ſoliq; Hunnorum albi ſunt: neque item fœdi aſpectu, neq; ferarum modo ut illi uictitantes, ſed ſub uno degentes Principe, politicam agunt uitam inter ſe, & cum uicinis ius faſq; colunt æquè ac Romani, & alij omnes. Fortunatiores inter eos uſque uiginti amicos habent, ſeu plures ſi contingat, qui conuiuæ continui ſunt, quibuſq; communis pecunia ſimul & poteſtas eſt. Decedentem ex eis aliquem ad ſepulchrum efferri mos eſt. Præterea commemorandum puto, ex noſtris Septentrionalibus hiſtorijs haberi, quomodo Sueonum Reges per mediam Ruſsiam tranſeuntes, bella in Hunnos olim extenderunt: quanquam non deſunt qui dicant ipſos Hunnos à Septentrionali parte Scandiæ ultra Helſingorum terras ex Medelphatia primum erupiſſe: in qua etiam hodie plurimi præſtantiſsimæ fortitudinis homines inueniuntur, qui Hunni proprio nomine appellantur, quiq; magna & præclara opera in tyrannos, qui patriæ libertatem uexauerant, peregerunt. Noſtriq; temporis Principes ſi tentauerint eos inſolitis onerare tributis, citius uitam quam teruncium ab eis inuitis extorquebunt, niſi fortaſſe ſponte allecti, aliquid præſtare uoluerint. Ita ipſorum magnanimitas duci poteſt, cogi non poteſt. Hunni igitur (ut à digreſsione redeamus) Gothis adhuc gens incognita, cum primum arcu & pharetra armati apparuerunt, ipſo primo aſpectu Gothos, qui populos et nationes ſubiugauerant, terruerunt. Quis enim non fuiſſet territus ad facies hominum tam inſolitas? Erant genæ ſine barba, colore atro, oculi ſine ſupercilijs carbonum puncta præferentes: in ore non uox, aut uerba, ſed horridus ſibilus, aut ſtridor ignotus. Gothi tamen priſtinæ uirtutis memores, ſeſe in aciem contra inſolitos hoſtes collegerunt, rati ſe pridem contra homines decertaſſe, nunc tandem contra dæmonia, aut gigantes pugnaturos. Animabat eos undique parta uictoria. Præterea ipſe Rex Armanaricus omnium opinione inuictus, cunctorum animos ad certam uictoriam erigebat. Sed illum tunc nimis infelix caſus ante belli congreſſum eripuit. Cum enim fœminam quandam mariti ſui inſidiatricem, uel deſertricem, lata ſententia pedibus equorum diſcerpi feciſſet, fratres mulieris Sarus & Amnius, ſororis mortem uindicando Regem Armanaricum non ſine publico & ſummo omnium dolore ex inſidijs adorti uulnerauerūt. Quo caſu quemadmodum Gothorum animi plurimum deijciebantur, ita Hunni in ſummam audaciam erecti, atque in prælium progredientes, Gothorum terras nullo in aciem occurrente uaſtabant. Rex autem, cum dolori ſuſcepti uulneris additus eſſet angor mētis ex Hunnorum graſſatione contractus, in fata conceſsit, fortitus exitum tanta maieſtate indignum, poſtquam (ut antea diximus) annum decimum ſupra centeſimum compleuiſſet.

Vinnitarius deinde Armanarici ex fratre nepos in regno Oſtrogothorum ſucceſsit, ſed longe inferiori felicitate quam Armanaricus. Ille enim (ut diximus) latiſsimum ſortitus imperium, inter ſummos & potentiſsimos Monarchas numerari merebatur: hic autem ſolis Oſtrogothis imperabat. Veſtrogothi enim iam ſuæ proſpexerant libertati, cautiores effecti ex aduerſo caſu Oſtrogothorum, quo ab Hunnis uicti fuerant, cum primum eos ex latebris Aquilonis irrumpentes, infelici pugna excepiſſent. Iidem tamē Oſtrogothi animo conſtantiore & erectiore illum aduerſæ fortunæ impetum ſuſtinentes, ſedeſq; quas tenebant, uictoribus Hunnis relinquentes, ad Ponticum litus ueterem patrum ſuorum manſionem remigrarunt, uolentes potius patriam quam libertatem (quando utrunque retinere nequibant) amittere. Hunni tamen neque ea diſceſsione contenti, bellum ipſis per Anthoares Scythiæ populos inferre minantur, niſi tributa in ſignum promiſſæ ſubiectionis pendere curent. Irritatus his minis Vinnitarius, maiorem quam potuit ſuorum multitudinem per armabat, duxitq; in Boxum Anthoarum Regem: à quo dum in primo congreſſu ſuam ſuorumq; militarem uirtutem oſtentare niteretur, ſuperatur. Qua aduerſa fortuna turbatus, ſed non perturbatus

turbatus euasit. Reparatis enim quam primum copijs, animosior in uictores processit, ipsisque superatis Regem eorum Boxum cum filijs, & septuaginta principibus laqueo strangulauit, ut pendentium cadauera cæteris metum generarent, dolorentque se alios libertate & patria spoliasse, á quibus spiritu & uita iuste priuarentur.

Ad hanc Gothorum uictoriam Balamber Hunnorum Rex uehementer commotus, cœpit cōsilia solicite inquirere, quomodo renascentem Gothicæ gentis potentiam, priusquam inuincibile susciperet incrementum, euertat. Demum considerans omnem gentem in se diuisam facile superari posse, Sigismundum Hunimundi Magni filium, inter Gothorum proceres potentem, pluribus Gothis imperantem, á Vinnitario promissionibus alienatum in suam partem trahere festinauit: eiusque auxilio fretus, super Vinnitarium exercitum ualde potētem eduxit, certatumque diu et pertinaciter: statuerat enim Vinnitarius gloriosam mortem seruili turpique conditioni anteponere. Primo igitur & secundo certamine cæsa infinita hostium multitudine, uictor prelio excessit: nec aliquis (inquit Iordanes) commemorare ualet, quantam stragem Vinnitarius de Hunnorum exercitu peregit. At tertio prælió reparatis utrinque uiribus, prope fluuium Eracum in cruentissimam cædem inuicem corruentes, dubiam diu expectauere uictoriam, donec Balamber Vinnitarium missa in caput eius sagitta trucidaret. Sed neque interempto Rege Gothi se potestati uictoris permittere uoluerunt, nisi adiecta conditione, ut Regem cui parerent ex seipsis eligerent: in reliquo Hunnorum socij & confœderati haberentur.

Hunimundus, quem Iordanes affirmat potentissimi Armanarici Regis filium, concordi procerum consensu in Regem Ostrogothorum assumptus est. Qui etsi esset in bellicis rebus plurimum strenuus, magnamque spem libertatis subiectis populis polliceretur, tamen nimis multa erant quæ magnitudini animi eius obsistebant. Erant in primis Gothorum uires tum per bella, tum per domesticam discordiam nimium extenuatæ. Hunnorum uero potentia ubique insuperabilis imminebat. Præterea Vestrogothi suæ libertati consulentes, nec in subiectionem, nec in confœderationem Hunnorum consentire uolebant. Itaque oportuit Hunimundum illius eximij animi sui propositum intra modestiæ terminos usque ad opportunum tempus continere, ne forté quum simplex iugum temere abijcere properaret, geminum sibi & populis suis acceleraret. Iam enim Balamber Gothos non ut subditos, sed ut confœderatos (ducta in uxorem nepte Vinnitarij Valdamata) habere cœperat. Præterea liberam potestatem eligendi Regis, ut in pactis conuentum fuit, ad ipsos trāstulerat: quæ omnia amicitiæ, non tyrannidis signa ostendebant. Attamen cum Gothi omnia alia pati mallent, quam inerti otio torpere, necessarium fore putabant, ut alicubi hostes, contra quos uires suas exercerent, inquirerent, ne Gothica iuuentus omisso militaris disciplinæ studio nihil amplius haberet, quo se suamque libertatem á tyrannorum impetu uindicaret. Tandem oblata est bellorum occasio inter Gothos & Sueuos, in quos Hunimundus copias ex Gothica iuuentute comparans, feliciterque (teste Iordane) dimicans, uictor euasit: nec diu post magno omnium suorum mœrore uitam cum regno reliquit.

De Thamyre Massagetharum regina & Cyro. Ioan. Mag. lib. 3.

Hoc interea tertio libro Gothos in ulteriore Scythia commorantes aggressi, quæramus quid post Troiana bella gesserint, an'ne ignauia torpentes, maiorum gloriam, & egregiam illam laudem, quam olim subiugatis Scythis, fugatisque Aegyptijs, & deuictis Asianis meruerunt, obliterari permiserint? Nequaquam (inquiunt) á parentū gloria degeneres uixeramus sed totum conatum nostrum eo conuerteramus, ut nulla unquam secula præclaram gestorum nostrorum memoriam abolere possint. Enimuero post multa secula sub potentissima regina Thamyri potentissimum Cyrum superatum deleuimus. Deinde Darium & Xerxen summos totius Asiæ Monarchas in fugam conuertimus. Philippum Macedoniæ Regem in amicitiam & affinitatem assumpsimus. Eius quoque filium Alexandrū Magnum ad nostram societatem admisimus. Fuerat enim nobis insitus ille bellandi ardor, sed non minus in nobis uiguerat optimarum uirtutum appetitus: nulloque tempore nobis defuerant uiri in omni doctrina & eruditione præstantes, qui nos ab omni morum barbarie, & ignorantia liberatos, doctis Græcis (ut Græcorum testantur historię) pares reddiderunt. Et ita utrunque tempus belli & pacis, nos nequaquam inaniter expendisse putemus, quādo in pace sapientiam & in bello militarem disciplinam prouide ac diligenter amplecteremur. His honestis & pręclaris exercitijs hostibus terrorem incussimus, nobisque diuturnam quietem & pacem comparauimus,

parauimus, donec potentiſsimus ille Cyrus Perſarum Rex (ut dicere cœpimus) poſt deuictos longè lateq; populos, & nationes, ad memoriam reuocaret, ſuas terras & ſubiectas gentes, noſtris patrumq; noſtrorum armis ſemper fuiſſe laceſsitas, nec ſe in principatu quamuis ampliſsimo atq; inexpugnabili, ſecurum eſſe poſſe, niſi nos primum ſecuritate, deinde uita priuatos, à patrijs laribus diſperdat. Verùm cùm hæc meditaretur, & ad ſuorũ ſapientiũ conſilia ſuum propoſitum referret, uiſum fuit non ſatis tutum eſſe gentem noſtram ob multas uictorias formidabilem, aperto bello impugnare, ſed inſidijs adoriendam eſſe, quæ fortitudine ſuperari nequiret.

Mittũtur igitur à Cyro (ut teſtatur Herodotus) legati, qui Reginam noſtram Thamyrim potentiſsimam & prudentiſsimam fœminam, Cyro in matrimonium poſtularent. Hic fortaſsis nonnulli inſurgent, affirmantes quod Herodotus, & Trogus Pompeius, eiuſq; abbreuiator Iuſtinus affirmant, Thamyrim Scytharum fuiſſe Reginam: at contra ſunt tres doctiſſimi uiri, Dion Græcus, Ablabius & Iordanes, qui teſtantur eoſdem Scythiæ incolas ex prima origine. Gothos fuiſſe. Preterea Ioſephus 11. lib. antiquitatum. cap. 11. affirmat Cyrum cõtra Maſſagetas exercitum eduxiſſe, & uita priuatum fuiſſe. Maſſagetas autem Strabo lib. 11. Orientales Gothos appellat. Quocirca licebit mihi Herodotum, & eius ſequaces de rerũ Gothicarum ignorantia reprehendere, ſicut Manethon Aegyptius eundem Herodotum in rebus Aegyptijs errantem (teſte Ioſepho lib. 1. contra Appionem) iuſtè reprehendit. Nec de nominum mutatione, quæ frequenter, & quandoq; ex facili cauſa accidere ſolet, tam pertinaciter digladiandum eſſe opinor. Quippe quemadmodum Itali ex eo nõ deſinunt eſſe Itali, quia Græci eos Barbaros, Francos ſiue (ut Cato ad filium ſcribit) Spurios & magis quam alios opicos uocant, ita nos non deſinimus eſſe Gothi, quamuis ab imperitis, uel parum beneuolis ſcriptoribus Scythæ appellemur. Sed his relictis ad Thamyrim reuerſus, conſidero ipſam ſagaci ſuorum ſapientum conſilio conſideraſſe, inſidioſam fuiſſe Cyri legationem per quam non ſuum coniugium, ſed ſubiectorum Gothorum ſeruitus petebatur. Proinde miſsis confeſtim legatis, Cyrum à regni ingreſſu prohibuiſſe. Qui, cum hic dolus non procederet, alia uia incedendum putabat. Siquidem ut eam leuem iniuriam, quam dicere uolebat atrociſsimam, uindicaret, totum imperij ſui robur eduxit, caſtraq; ad Araxis fluenta collocans, fluminis ripas pontibus iungere cœpit, per eos deinde copias traiecturus.

Occupato Cyro in eo labore, Regina per legatum mandat, uideat ne in alios bellum moliendo, ſibi ipſi fatum, uel perniciem acceleret. Satis latum & amplum imperium, quod ei fortuna permiſerat, ita regat, ut uicinas terras non moleſtet, neq; temerè impugnet, memor inſtabilis fortunæ, quæ non perpetuò fouet quos exaltat. Veruntamen ſi in propoſito perſeuerare contendat, & omnia malit quàm pacem & amicitiam Gothorum, deſinat pontes immenſo labore conſtruere, ſed liberè cunctam gentem ſuam cõmodius quo uoluerit tranſponat, quum ipſa interim trium dierum itinere cum ſuo exercitu regrediatur: uel ſi malit Gothis liberum traiectum permittere, tantundem itineris in ſuam patriam reuertatur. Hac conditione per Cyrum ad Perſarum ſapientes relata, conuenere omnium ſententiæ, quod Thamyri, eiuſq; exercitui ſecura tranſmiſsio concedatur. Interrogatus Crœſus quondã Lydorum Rex, nunc Cyri captiuus, diuerſam ab alijs ſapientibus ſententiam profert: Quando quidem, ô Rex, Dij immortales me tuum captiuũ eſſe uoluerunt, meliora tibi domino meo non hoſti ut olim, propono conſilia. Si tu immortalis eſſes, & immortali exercitui imperares, uana eſſent noſtra conſilia immortalitate ſecuris. At ſi tu, tuiq; mortales eſtis, debes rerum mortalium fortunam tibi aliquando aduerſari poſſe prouidere. Quocirca ſi hoſtis in tuum regnum admiſſus, te (quod Dij auertant) ſuperauerit, teq; ſors aliqua ad fugam impulerit, de toto regno periclitabere: neq; enim quieſcet hoſtis uictoriã proſequi, quam ſibi uiderit, tam inſigni fauore arridere. Si uerò (quod magis opto) à te ſuperati fugerint, nihil eos inſequendo conſequaris: quæ omnia tibi in hoſtili ſolo pugnanti feliciora ſuccedent. Et ſi aduerſus caſus te hoſtibus inferiorem reddiderit, habebis regnum tuum ad refugium ſaluum & intactum: ipſos autem fugientes inſectando, totum eorum regnum facilè ſubiugabis: coniecturam enim accipio, omnia tibi feliciter ſucceſſura, ſi in alteram fluminis partem itinere unius diei progreſſus, iuſſeris caſtra collocari, quæ in omnibus rebus ad humanum uictum neceſſarijs abundantiam luxumq; oſtentent. Illic lixarum, calonum, cæteramq; imbellium turbam, cuius iacturam minimi duxeris, in excubijs relinque: niſi fallat opinio aderunt hoſtes illi Aquilonares, & mox trucidatis caſtrorum cuſtodibus, ſe ſuper uina, epulaſq; effundent: nec crapulæ finem imponent, donec ſomno uinoq; ſepulti, ad arma penitus inepti reddantur. Tunc tui præſto aderunt, facilemq; & incruentam uictoriam de illis ſuſcepturi.

Cyrus audito Crœſi conſilio ſententiam, cui omnes ſui ſapientes anteà conſenſerant, ue-

locius quam felicius commutauit. Regina uti cõstitutum erat, triduano itinere regressa, Cyro totis eisdem diebus liberrimam facultatem copias suas transponendi concesit. Qui uti erat à Crœso persuasus, post unius diei iter, castra delicijs quàm bellis aptiora collocauit, seq; ad Araxis fluminis ripas concito reditu recipere curauit. Elapsis triduanis inducijs, Regina filium Spargapisem, cui tertiam partem sui exercitus parere iusserat, ad speculandum hostilia castra emittit. Qui cum uideret castra magnifico & regio splendore explicata, ratus ibi Regem adesse, cõmilitones hortatur, ut se uiros fortissimos meminerint, uirtuteq; patriam totis uiribus referentes, in hostium castra irrumpant. Hæc dicens, non secus ac leo fremens primus omnium fertur in hostes, oppugnatisq; & expugnatis militum excubijs, castra opulenta magis quàm tuta ingreditur: in quibus dum se, & commilitones suos post partam uictoriam uino & epulis permiserat, sitimq; & bellicos sudores, auidius sumpto potu, leuare contendit, primo ab illecebris insidiosorum castrorum superatur, deinde à superueniente Cyro cum omnibus copijs suis, quemadmodum prædixerat Crœsus, subiugatur: ex cuius copijs plurimi trucidati, multi captiuati, nonnulli etiam fuga seruati, ad Reginam redierunt. A quibus postquam rerum infeliciter gestarum ordinem didicisset, misso caduceatore, talia referri iusit Cyro: Non tibi blandiaris, aut cõgratuleris Cyre, quod uiros parum uirili uirtute deuiceris: dolis uicisti, quos armis superare nequiuisti: nec poteris affirmare, eos tua fortitudine uictos, qui tuis uitijs potius succubuere, quam tibi. Filium meum, quem tibi fortuna captiuum permisit, si placet, æquo munere compensandum ad me remitte. Cæterum siue id feceris, siue non, para te ad prælium: memento te esse in terra hostili, & cum illis hominibus negocium habere, qui fortitudine, non dolis uincere didicerunt.

Hanc animosam Reginæ legationem admiratus Cyrus, iusit eius filium à uinculis absolui: qui mox restitutam sibi libertatem, in suam extremam conuertit perniciem. Nam commotus captiuatis uerecundia, ob quam materno conspectu se indignum putabat, gladium in sua uiscera proprijs manibus intorsit, præfatus, quod delicijs superatus esset, qui fortes uiros superare didicisset. Quo fortissimo facto, etsi Cyrus consideraret, se periculosi belli negocium contra homines audacissimos suscepisse, attamen pudore simul animatus, ducenta millia Persarum & Medorum cõtra Reginam ex castris eduxit. Illa autem quasi ob filij mortem, & ad tantæ multitudinis aspectum terrore consternata fuisset, fugæ simulatione se ad interiora regni loca, sibi quidem peropportuna, hosti uero minus accõmoda retraxit. Quam Cyrus forti magis quàm prudenti animo insecutus, ad præparatas insidias deuenit: in quibus cum uniuersa sua multitudine ita extinctus est, ut ne nuntius quidem superesset, qui acceptam cladem ad Persas referret. Testatur Metasthenes Persarum historicus, bellum illud fuisse sexẽnale. Tum Regina iusit inter tot innumera cadauera corpus Cyri perquiri, & ad suum conspectum allatum capite spoliari: caput uero abscissum in utrem Persarum sanguine plenum immergi, adiecta hac memorabili exprobatione: O Cyre humano cruore inexplebilis, sanguinem bibe, quem sitisti. Hoc loci quid aliud rectius adiecerim, quam talem sanguinarium talibus exequijs dignum extitisse? Nec enim lex æquior ulla est, quam sæuos homines puniri morte cruenta. Hac parta uictoria, Gothi (ut inquit Iordanes) opimam prædam assecuti, primum serica tentoria uiderunt: sub quorum apparatu Persicam pompam nihilo securiorem fuisse compererunt. Deinde Thamyris tanto triumpho, tantisq; spolijs locupletata, in partem Mœsiæ (quæ nunc ex magna Scythia nomen habet mutatum) se recipiens, ubi prope pontem Mœsiaci littoris magnificam urbem Thamyriam ex suo nomine ædificauit.

De reliquis antiquitatibus equestrium.
CAP. XIIII.

VTebatur & illa uetusta ætas inusitata magnitudine in calcaribus oblongis, atque radiorum amplitudine latis. Prætereà ocreis satis inepta reflexura in recuruanda anteriori parte, nullo prorsus subsistente cõmodo fabricatis, prout in pueritia mea ante LX. annos uidi, iamq; pro spectaculo in arcibus quorundam nobilium reseruantur. Prætereà uestes, seu tunicellæ militares, adeò breues, & complicatæ erant, quod uix clunes tegerent inferius, ac ita cancellatæ, & diuisæ superius, ut nec scapulas cooperirent, neq; frigoris iniuriam defluentes pili excluderent, præsertim in stipendiarijs militibus, quibus prolixior coma non cõcedebatur, sed solis principibus, maximè filijs Regum: qui à pueritia intonsi manebant,

ut à ter-



ut à tergo ijs defluerent crines, qui utrinque à fronte discriminati pendebant: non tamen more Turcarum impexi, squalidi, atque sordidi, uel alias calamistrati, sed pretiosis unguentis superinfusi, prout Agathius lib. 1. latius asserit de bello Gothorum. Erat & mos ueterum philosophorum incedere capillatos: ita etiam æstimationi mos receptus, ut turpissimæ uitæ homines coma defluente se Stoicos simulabant. Cum igitur superius mentio fit de densis hastis, ac contis, non omittendus est Paulus Diaco. lib. 5. cap. 10. ubi asserit, quòd quidam Amalongus, qui Regium contum ferre erat solitus, quendam Græculum eodem conto utrisque manibus fortiter percutiens, de sella, super quam equitabat, sustulit, eumque in aër super caput suum leuauit: quo spectaculo Græcorum exercitus immenso pauore perterritus in fugam conuertitur, ultimaque pernicie cæsus. Hinc lætior triumphus exortus cunctos exhilarauit, quòd sine sanguinis effusione sit comparatus. Sic & Posthumius Libertus in cōsulatu, qui primus omnium ouans ingressus est Vrbem, cum rem leuiter sine cruore gesserat, ut Plin. lib. 15. ca. 29. attestatur. Exhinc etiam apparet mos introductus, & seruatus, ut triumphantes planè equitent, dum urbes intrant, imò etiam, ut quemadmodum idem Plin. cap. ult. eodem lib. asserit, lanceis triumphantium lauri folia in contis pro signo uictoriæ affiguntur: ita apud Septentrionales, qui lauro carent, caudæ uulpinæ, uel lupinæ tam in bellis, quam triumphis militaribus hastis alligantur, licet in despectum hostium potius fiat.

De militaribus exercitijs, & disciplinis.
CAP. XV.



MOs erat antiquitus constanter obseruatus, qui & in hodiernum diem apud Aquilonares obseruatur, ut equites integris armis induti, de plana terra, atque quocunque loco natura iniquo, equos ascenderent altos, & ephippiatos, præsertim in lubrica glacie, atque niualibus campis, ubi frequentiora, atque acriora bella fieri solent, prout inferius de hyemali certamine ostendetur, maximè propter grauem armaturam, hastasque densas, quibus communiter in hostes utuntur: quod absurdū apud eos minimè æstimatur, quemadmodū de Sueuorum moribus Cæsar meminit. Dicit enim: Equestribus prælijs sæpe ex equis desiliunt, ac pedibus præliantur, equosque eodem remanere uestigio assuefecerunt, ad quos se celeriter, cum usus est, recipiunt. Nec eorū moribus turpius, aut inertius habetur, quàm ephippijs uti. Itaque ad quemuis numerum ephippiatorum, quamuis pauci, adire audent: talesque equi Desultorij nuncupantur, quòd ex eis facilè equites desiliant: quos & Celetes Græci, atque Latini uocant. Prætereà alia Gothorum disciplina militaris est, quòd in præcipiti equorum cursu sese totaliter armatos ab uno in alterum, & deinceps in tertium equum urgentibus prælijs terram non tangendo, transferre solent, etiam quod ex equo se supinent, eleuent, uel inclinent, sursum deorsumque se moueant, pilam, uel hastam uariando, prout Procop. lib. 3. de agilitate Totilæ Gothorum Regis late testatur, dicens: Armis indutus processerat auro abundè cælatis, & ex equo ut ornatissimis phaleris, ita & pilo, ac lancea noscitabatur, purpureaque, & Regia ueste, & ex prædicto equo præcipuè, quo ille miræ magnitudinis uehebatur. In medio autem campo ut bellicæ artis peritus, ac ludibundus processerat, equum diuersim calcaribus concitando in orbem frenis agiliter agere, obequitandoque telum in auras sursum uersus aptè diuerberare, & ipsum id rursum ad terram delatum impigrè per manus transla-

tum, gloriæ id artis plurimum ducere, supinandoq; se desuper equum, inclinandoq; utrinq; ad terram, & uicissim in latera, ut qui à puero fuisset desultandi, ac tripudiandi artem edoctus, & ludicra peragendi.

Totilas 46. Gothorum Regis externi, uita & res gestæ: ex Ioan. Mag. lib. 13. & 14.

Ataricus interea cum ob Ildouadi cædem omnia turbulentiora essent, Rex à Gothis tunc præsentibus pronunciatur: quod cæteri, qui aberant, eo' ægrius ferebant, quo' semper solitũ erat Regis electionem omnium procerum uotis colligi, & approbari. Iste tamen Ataricus nihil quippiam gessit memoratu dignum. Nam cum paucis superuixisset mensibus, ex humanis decessit. Prius tamen uniuersis Gothis ad se uocatis, monere eos pacis & concordiæ cœpit, & ut ad Iustinianum Imperatorem oratores mittere curarent, pacemq; his conditionibus facerent, quibus & fœdus inire cum Vitige antehac uoluissent, Gothi scilicet ut trans Padum loca tenerent, & reliqua Italia ipsi imperatori cederet. Ataricus igitur, postquã consilium suum per Gothos comprobatum erat, confestim nonnullos ex suis amicissimis ad Iustinianum legauit, in primis admonitos, ut sub hac legationis specie nihil aliud agerent, nisi id duntaxat ab eo deposcerent, ut ubi ei uniuersam Italiam tradidisset, inter patricios se uiros conscriberet. At interea dum oratores Byzantium accedunt, Gothi Ataricum, quòd intelligerent eum perniciosa fœdera cum Iustiniano componere uelle, occiderunt. Quæ quidem cædes hac occasione dicitur euenisse: Præsidebat Taruisij Ildouadi nepos Totila, cum primum de Ildouadi morte nuntium accepisset: is ad hunc inopinatum casum consternatus, mox Rauennam ad Constantianum oratorem emisit, qui pro eius & comitum suorum salute, fidem ab eo peteret, & acceptaret. Quod cum Gothi uel coniectura, uel alio indicio compertum habuissent, statim nuntios ad Totilam Taruisium mittunt, & ad Gothorum imperium suscipiendum hortantur, præfati Ataricum auspicia regni cum perfidis Græcis inchoare uelle, ideoq; ipsum omni iure, & honore Regio iuste exuendum. Totilas uerò ubi Gothorum mandata accepisset, ita respondit: Si Ataricum Regem cum Iustiniano contra publica Gothorum commoda molientem, in tempore obtruncarent, confestim hos secuturum, facturumq; pro eorum arbitrio uniuersa. Quo responso Gothorum proceres cõfortati, & in magnam spem uictoriæ erecti, Ataricum (ut diximus) inhonesta fœdera cum Iustiniano molientem oppresserunt.

¶ Vnus tandem inuentus est Totilas (aliàs Balduilla) qui post cædem Atarici, magno omnium Gothorum consensu, sed maximo Græcorum malo, Rex salutatus est. Hic testimonio omnium scriptorum, quos unquam legi, summis laudibus extollitur. Quemadmodum enim in expugnandis hostibus terribilis apparebat, ita erga deuictos plusquam credi potest humanissimus fuisse prædicatur: quamuis nonnulli parum in historijs uersati, Attilæ crudelitatem, ob nominis consonantiam, Totilæ imponere contendant. Iustinianus autem postquam compertum habuisset, Gothos pauco admodum tempore duos sibi Reges successiuè elegisse, & trucidasse, uenisseq; in grauem controuersiam, ob quam facili negotio superari potuissent, ualde reprehendebat ducum suorum imperitiam, & socordiam, quòd in tantis hostium discordijs, ipsi opportunitatem rerum agendarum nacti, nihil protinus effecissent. Erant autem hi duces in Italia undecim, sed omnium primi Constantianus & Alexander. Hi postquam inertiæ & desidiæ accusari se à Iustiniano audiuere, ad eam infamiam abolendam, ad bellum subito' consurgunt, Veronamq; copias admouent, cuius recipiendæ spes illis occultè fiebat. Martianus quidam regulus, qui castellum supra Veronam possidebat, Imperatoris partium studiosus noctu Græcorum ducibus portam urbis patefecit, & iam Artauades Armenus ab Alexandro, & Constantino missus, cum lectissima militum manu portam, & muros tenebat. Gothi sentientes hostes esse in urbe, per diuersam portam aufugerunt. Duces uero' captam à suis portam audientes, iter quidem statim ingressi sunt, sed antequam in urbem peruenirent, de præda inter se disceptantes, quinque millibus ab urbe passibus constiterunt. Inter hæc dies illuxit, & Gothi, qui in arcem urbi supereminentem refugerant, cernentes paucos intra urbem hostes, exercitum uero' extra urbem commorari, necdum mœnibus appropinquare, subito' ex arce impetu facto urbem peruicerunt, & portam, quæ ab hostibus tenebatur, receperunt, atque clauserunt. Milites uero', qui per noctem fuerant ingressi, partim ad mœnia confugientes desuper repugnabant. Duces interim superuenientes, cum suos prælio occupatos, seq; strenue' defendentes uiderent, non minus

nus ſtultè quàm nuper auarè, rem ſemiperditam ut magis adhuc perderent, continuò auerſi turpiter abierunt.

Itaque milites ſubſidio deſtituti, partim in ipſis muris telorum multitudine confixi occubuerunt, partim præcipitati in ſaxa corruerunt, præterq; paucos ad unum aut cæſi ſunt, aut capti. Sic nobiliſsimæ urbis recipiendæ occaſio per ſummum dedecus, & ſordidam Alexandri auaritiam eſt amiſſa. Hic enim Alexander (de quo ſuperius diximus) ad nihil aliud, quàm ad coaceruandas pecunias idoneus uidebatur: ideoq; non ad præliandum, ſed ad theſaurizandum à Iuſtiniano in Italiam miſſus, omnia ſuo aduentu turbauit, dum ſordidas diuitias honeſtati præferens, potius uoluit ſuum Imperatorem diuitem, quàm honeſtatum efficere. Suſcitata deinde inter duces diſcordia, dum alij alijs ſuccenſentes, rem malè geſtam ſibi mutuò improperarent, ad Placentiam tranſmiſso Pado ſeſe receperunt. Totilas autem per id tempus Papiæ degebat: qui mox poſtquam didiciſset quæ Veronæ geſta fuiſſent, magnam Gothorum uim ad ſe euocauit: ex quibus ad quinque millia hominum exercitum contraxit: quem ſine mora in hoſtem educere curauit. Qua de re Græcorum duces certiores effecti, cum de rebus melius gerendis conſilium captarent, Gothorum exercitus ex improuiſo appropinquabat: quem Totilas longa & ſatis prudenti oratione (quæ à Procopio deſcripta eſt) ad pugnam fortiter ac ſtrenuè aggrediendam hortabatur, præfatus ſe haud difficile ſuperaturum eos hoſtes, qui Romanis, quos in fidem ſuſceperant, omnia mala ingeſserant, & apud quos nec diuina quidem, nec humana iura curantur. Igitur poſtquam Totilas ſuos hortatus fuiſset, confeſtim trecentos electiſsimos milites ſtadijs uiginti trans amnem abire præcepit, & in hoſtium terga ex improuiſo ut comparerent, atq; acrius infeſtarent, ut turbati & pauefacti nec roboris ullius, nec uirium reminiſcerentur. Ipſe uerò cum tempus erat, ad hoſtes ducere feſtinauit. Nec ſegniter Iuſtiniani duces ſe præparauere: in quorum conſpectu Valarus quidam Gothus equo inſigni uectus, ipſe quoque inſigniter armatus, in ſingulare certamen omnes Græcos prouocabat. Aduerſus hunc (cæteris ſubſiſtentibus) Artauades Armenus, qui nuper Veronenſem portam occupauerat, prodijt: ſpectantibusq; utrinq; aciebus, concurrunt infeſtis ſeſe cuſpidibus impetentes. Sed erat factum audacius, quàm felicius: uterq; enim mortifero uulnere accepto, præmaturum ſibi fatum accelerauit.

Acies interea prælium acerrimum inierunt, omniſquè ferri experientia in eo certamine uerſabatur: fuitquè diu prælium & cruentum, & anceps: multi, uarijquè hincinde conatus: nec tamen adhuc illi, uel iſti fortuna inclinabat, cum repentè Gothicus equitatus à tergo, ut à Totila iuſſus fuerat, Græcis imminebat, omniaquè eorum caſtra cum fremitu & clamore perturbauit. Nec ſolum duces, ſed & milites, qui in acie ſtabant, eo inopinato inſultu turbati fuerunt, ancipitiquè metu capti in fugam conuertuntur: ſolutis enim ordinibus, cum antè retroquè hoſtis inſtaret, citò diſsipantur, multiquè à Gothis perſequentibus cæduntur, multi etiam ſeſe per deuia præcipitantes euaſere. Captiuorum autem ingens multitudo fuit, & quod uictoriam multò inſigniorem reddidit, omnia militaria ſigna Imperatoris eo in prælio (quod nunquam antea contigerat) à Gothis capta, & ad Totilam relata fuere. Fuit hæc quoque celebrior uictoria, quòd cum duplo maiore hoſtium numero Totilas conflixerat, quodquè militari induſtria uictor euaſerat, ipſamquè uictoriam tam clementer exercuit, ut ab omnibus humaniſsimus diceretur, nemini captiuorum moleſtus, compluribus etiam gratuitò dimiſsis: quę quidem humanitas famam eius apud omnes optimam effecit. Græcorum uerò duces (ut cuique licuit) cum paucis quibuſdam iam fuga euaſerant, & in quæ ſe fortè receperant oppida, uigilijs ſtatim, & cuſtodibus firmant, & copijs quantum fieri potuit reparandis intenderunt. Totilas & ipſe poſt uictoriam, ne quid laxamenti daretur hoſtibus, alieno ductu præualidum exercitum miſit in Hetruriam, ubi Iuſtinus erat, unus ex Græcorum ducibus. Hunc Gothi improuiſo acceſſu Florentiam compulſum, obſidione cingunt. Terrebat autem Iuſtinum rei frumentariæ defectus: nam importari ad obſeſſos nil poterat, & intus quod erat frumentum, breui defuturum uidebatur. Proinde Rauennam ad cæteros duces miſſo nuntio auxilium poſtulauit: qui eius periculo grauiter commoti, ex Rauenna continuò in Hetruriam aduolant. Gothi uerò poſtquam eorum aduentum intellexiſſent, ſoluta paululum obſidione retro caſtra mouerunt, profectiq; unius diei iter in loco, qui Muciola dicitur, conſtiterunt. Secuti ſunt deinde Græci hoſtem abeuntem, ductabatquè Ioannes Vitaliani primum agmen. Is ſatis ferociter Gothos adortus, ut ex ædito loco, in quem ſe receperant, deturbaret, in aduerſum montem per iniqua loca militum ſuum ire coëgit. Hæc dum annititur Ioannes, & inter primos pugnatores uerſatur, quidam ex comitibus iuxta latus eius pilo transfixus occiditur: falſuſquè rumor inde ſubitò exurgit, Ioannem

interfectum fuisse. Quę res cum temerè credita fuisset, tantum militibus iniecit terrorem, ut continuò cœpta sit fuga circumspectari: estq; adeò fœda trepidatio orta, ut fugiens miles reliquas Græcorum copias, quæ à tergo sequebātur, cum ipsis ducibus retro auerterint. Sicq; nullo urgēte, numerosus Imperatoris exercitus turpi fuga superatur. Nec modus ullus fuit in fuga, dissipatim sparsimq; in diuersum omnes abeuntes, signa & ordines deseruerunt: neq; posthac duces in unum conuenerunt, sed alius alibi, prout se ex fuga receperant, oppida tenuerunt. Itaq; hunc exitum habuit septimus annus huius belli, ex quo cœptum fuerat à Bellisario geri.

Principio igitur eius anni, qui proximè secutus est, ubi miles est primū hybernis eductus, Totilas cum florentissimo exercitu in Flaminiam uenit. Ibi Cæsena, alijsq; eius patriæ locis partim ui, partim metu subactis, in Hetruriā transmisit. Inde Tyberim transgressus, per Vmbros, Sabinos, & Marsos in Campaniam descendit: ubi Beneuentum urbem expugnatam mœnibus spoliauit. Nolebat enim in urbe munitissima hostes, si quando cōtingeret, sedem habere, à quibus ciues, & Gothi pari molestia afficerētur. Neapolim deinde expugnaturus, primò multis & humanissimis uerbis persuadere conabatur, ut Neapolitani amicitiā Gothorum, q̄ inimicitiam mallent: sed erat in præsidio eius urbis Conon Iustiniani præfectus, nec pauciores mille militibus secum habebat. Itaq; nihil in cōcione liberè decerni ab illis poterat, qui Gothis inclinabantur. Quod cum intelligeret Totilas, positis nō longè castris, urbem obsedit: non tamen insultus aliquos fecit, sed quietem agens, rei gerendæ occasionem expectabat. Interim uerò parte exercitus missa, Cumas, & alia quædam oppida Neapoli circumposita, aut ui occupauit, aut ultro oblata in deditionem accepit, ex quibus pecuniarū magnā uim adeptus est: ueneruntq; matronæ pleræq; ex Romana nobilitate in Gothorum potestatē, quas perhonestè, & cum summa beneuolentia conseruatas liberas esse iussit, atq; honestissimo comitatu gratis Romam ad suos dimisit, dignus profectò ob id unicū summæ humanitatis opus, si cætera nulla fuissent, æternis laudibus celebrari. Deinde considerans omnia sibi pro uoto & feliciter succedere, missa maiore copiarum parte, Apuliam, & Lucaniam, & Calabriam, cum uniuersis eorum oppidis in potestatem redegit. His Gothorū successibus uehementer perculsi fuere Græcorum duces, pręsertim quia ex illis locis nihil amplius tributi nomine, unde militibus debita stipendia soluerent, conquirere potuerunt. Quocirca milites neq; parêre ducibus, neq; in expeditionem ire uolebāt, sed per oppida inclusi res amicorum pręedabantur, rapinisq; & maleficijs omnia fœdabant. Duces quoque ob has difficultates intra mœnia consistentes, oppida tantummodo ab hostibus tutabantur. Partitiq; inter se urbes, Ioannes Vitalianus Romam, Bessas Spoletū, Cyprianus Perusiam, Iustinus Florentiam, Cōstantianus Rauennam gubernabat. Inter hæc Neapolis durius obsideri cœpit. Totilas enim partita classe neq; terra, neq; mari importari quicquam patiebatur: ex quo palam erat, nisi quis opem ferret, eam demum urbem in manus hostium esse peruenturam.

Quibus de rebus certior Imperator effectus, calamitatis loco hæc ducens, Maximinum prætorij præfectum, Italiæ hexarchum creat, ut cæteris ducibus in bello præesset, & militibus necessaria subministraret, classemq; cum eo militaribus copijs ex Armenis, Thracibus, & Hunnis instructam transmisit. Hic in cōtinentem ueniens, frustra & diu tempus terendo, uno in loco otiosus & torpens consedit: erat nimirum rei bellicę imperitus: unde & formidolosus, mirumq; in modum cunctator, et negligens. Quocirca Imperator Demetrium, qui antea ordines in Italia sub Bellisario duxerat, denuò mittere coactus est. Hic cum in Siciliam peruenisset, accepissetq; Cononem & Neapolitanos arctius obsideri, atq; in summa rerū omnium angustia esse, opem eis allaturus, naues ex uniuersa Sicilia cōtractas, frumento & alijs necessarijs rebus compleuit, ut speciem Gothis præberet, magnos exercitus in magna classe aduentare. Sic quoq; Gothis persuasum erat, ut ingens classis aduersum se ex Sicilia soluisset. Sed cum Demetrius ea nauium multitudine Neapolim recta contenderet, ut hostibus terrorem, ciuibusq; consolationem afferret, conscius tamen paucorum militū suorum, Neapolim nauigatione transgressus, Romanum in portum diuertit: indeq; milites contrahere summo studio nitebatur. Qui cum à Gothis toties debellati fuissent, uehementer eos formidabant, nec ullo pacto contra eos cum Demetrio transire audebant: unde cum his solum, qui ex Byzantio secum aduenerant, ire Neapolim cogitur. Totilas naues egregiè ueloces in portu ipso Neapolitano assiduè structas paratasq; tenebat. Cum igitur Demetrium ex urbe Roma Neapolim nauigare cognouisset, & iam propinquo littori applicuisse, profectus repentè Totilas cum uelocibus nauibus in eum ex improuiso impetum facit. Subitus Gothorum accessus adeò perterruit Demetrianos, ut ne tentare quidem pugnam sint ausi: sed passim fuga disiectos Gothi celeritate nauiū assecuti, uelut inertia pecora trucidarūt. Pauc

admodum, & in his Demetrius, scaphis usi, in proximum littus, deinde in Siciliam euasere: cæteri ad unum aut ferro cæsi sunt, aut cum frumentarijs nauibus capti. Sub id tempus Maximinus cum maiore classe Siciliam tenuit. Sed cum omnia ab eo cunctantius fierent, nec proximo Italię periculo, oculisq; propemodum admoto moueretur, absens Iustinianus absentem conuitio carpebat, instabatq; nunc imperio, nũc minis, ut in Italiã transiret. Ille uero sine ignauia quadam animi torpens, siue quia plus uideret, quàm cæteri, nulla ui impelli potuit, ut Italiam peteret, sed classem Demetrio, & Herodiano, & Phassæ ducendam tradidit, ipse in Sicilia remansit. Erat uero iam planè hyems, cum hi nauigare cœperunt.

Cumq; prope Neapolim uenissent, orta subito tẽpestas classem arripuit, neq; remis, neq; arte ulla resisti potuit, quin ad ipsum littus, ubi Gothorum castra erant, adigerentur. Gothi uero ista cernentes, concursu ad littus facto, nulla difficultate naues ceperunt, & si qui repugnabant, occiderunt, reliquos uero captiuos duxerũt, in quorum numero Demetrius fuit, Herodiano, & Bessa casu potius, q̃ consilio interfectis. Atq; ita modica temporis intercapedine duę Iustiniani classes sunt circa Neapolim deletę. Totilas Demetrium uinctum Neapolitanis spectandũ præbuit, qui Regis permissu ad suos uerba fecit, hortatusq; est ad deditionem, quando duabus classibus, una post aliam amissis, non esset amplius unde auxilia expectarent. Tum ingens metus, luctusq; ciuitatem inuasit, ubi satis apparuit, nullã spem superesse amplius tolerandæ obsidionis. Nemo erat cui non persuasum esset, illam eandem diem, qua Totilas Neapoli potiretur, supremã fore urbi, ciuibusq;, qui ex cõscientia pręteritorum operum sciebant, se illum ad impacabilem iram, & uindictã prouocasse. At Totilas memor suæ humanitatis & clementiæ, qua semper in calamitosos uti consueuit, quiq; didicerat parcere subiectis, & debellare superbos, præter omnium spem ciues Neapolitanos è muris benignissimè affatus, in spem melioris fortunæ erexit, testatus apertè ipsos à se gratiã, non supplicium expectare oportere, quando ipsi inter omnes Italię populos nõ ultro, sed ui per Belisarium expugnati, Græcorum imperium subijssent: quinimo in eorũ gratiam se etiam parcere uelle hostibus, qui intra eorum mœnia essent, ut uel pari conditione inter Gothos militare, uel saluis omnibus rebus quocũq; uellent abire possent. Deinde postquam per hęc humanissima uerba spem uenię ciuibus effecisset, militibusq; incolumitatem, & omnimodam libertatem pręstitisset, rogatus tricenos induciarum dies obsessis cõcedere, ne deditio temerè facta uideretur, respondit, se non tantum tricenos dies libenter concessurum, sed ter tricenos, si ita ipsi uellent. Cæterum ciues, & qui in pręsidio erant, tantam in hoste benignitatem admirantes, non expectato tempore præstituto, Totilam & Gothos post paucos dies intra urbem receperunt. Totilas igitur Neapolim ingressus, fidem, quam deditis pollicitus fuerat, tanta humanitate (ut omnes Italorum historię testãtur) præstitit, ut nusquã per omnem historiam maior, aut similis inueniatur. Quippe non Regem, aut dominum, sed omnium et singulorum patrem sese per summam clementiam exhibuit. Nemo ciuium, aut militũ uiolatus est: nihil cuiquam ademptum, nemo malè affectus, nulli aliqua molestia illata, sed uniuersis pari miseria laborãtibus, par commiseratio ab optimo Rege adhibita fuit. Cum enim multi propter inediam deficientibus uiribus ægrotarent, ne subita affluentia cibi immodicè sumpti perniciem illis afferret, summa cura diligentiaq; prouidit, ut non solis Neapolitanis ciuibus, uerumetiam militibus alimenta bis in die ad certum pondus traderentur, diligentissimè obseruato, ne plus acciperẽt, & singulis diebus modicum adijceretur. Hic nescio quis fidelis medicus in ægrotos, aut quis pater, aut quæ mater indulgentior esse potuisset in suos charissimos liberos, q̃ ipse Gothus in deuictos inimicos. Pręterea Cononi præsidij pręfecto, et militibus abire uolentibus nauigia, & commeatum liberaliter erogauit. Cumq; per aduersas tempestates mare intra pręscriptam diem tractari non potuisset, liberam nihilominus potestatem illis seruauit: quinetiam cum longius duraret uentus, & illi pedestri itinere abire statuissent, equos, iumentaque, & uiaticum illis abundè distribuit. Sed cum Totilas tanta benignitate in alios uteretur, à suis disciplinam militarem seuerissimè exigebat, ut nihil impune delinqueretur. Rapere aliena, aut uim inferre, capitale erat, sequebaturq; supplicium bonorum publicatio: quæ quidem bona uiolentiam passo tradebãtur. Itaq; & castra, & ingressus Gothorum per amicas ciuitates & gentes, omni scelere carebant.

At contrarium in castris Gręcorum erat, in quibus non solum duces, uerumetiam & milites ipsi res subditorum diripiebant, contumelijsq; & opprobrijs afficiebant, luxui ac temulentiæ inseruiebant, nullumq; iniuriæ genus erat, quod non liberè in miseros subditos exercerent. Iamq; omnem pudorem, & omnem uirtutis speciem à se longius ablegasse uidebantur, nullaq; miseria maior credi poterat, quam erat eorum Italorum, qui Iustinianum sequebantur. Hi enim ab utroque exercitu grauissima patiebantur. Siquidem agros eorum Gothi occupabant, & domi à militia Imperatoris omnibus fortunis, & tota supel-

lectili

lectili ſpoliabantur,& uerberibus,ac flagris ut uiliſsima mancipia ſubijciebantur. Quo factum erat,ut per uniuerſam Italiam multo` popularius eſſet Gothicum nomē & imperium, q̃ Iuſtiniani,& Græcorum:imo` cum Gothicum ciuile,& perhumanum ab omnibus iudicabatur,Gręci ut publici patriæ,& omnis uirtutis hoſtes,publico odio laborabant.Totilas interea Senatui Romanorum literas magno ſerio cõfectas miſit,in quibus magnam eorum ingratitudinem in benemeritos Gothos exprobrando commemorat,quomodo uidelicet nulla iniuria à Gothis affecti,tam facilè ad Græcos ſine ulla pugna defeciſſent.Deinde præteritorum erratorum ueniam pollicetur,ſi occaſionem aliquam inuenerint,qua ſe in reliquum excuſabiliores efficere poſsint:nec finem belli,qui fortè eis omnem ſpem adimeret, expectarent.Hæc in primis literis ſcripſit:quibus etiam ſecundas adiecit,omni humanitate & clementia plenas:in quibus ſe grauiſsimo iuramento apertè obſtrinxerat, nulli unquam de cætero Romanorum mali quicquam per ſe,uel quempiam Gothorum illaturum, modo` Romani ſuæ ipſorum ſaluti in tempore conſulere uellent.

Per hunc igitur modum cum ſors bellica intra Italię fines diſponeretur,Belliſarius per Iuſtinianum ex Perſico bello(quod nondum finierat)reuocatus,curam Italici belli denuo` ſuſcipere cogebatur: traxitq́ ſecum ad quatuor millia militum,& hos quidem tyrones,nuſquam antea militarem diſciplinam expertos: ueteranos enim circa Euphratem reliquerat. Hac itaq́ militia inſtructior,q̃ fortior,tranſmiſſo mari Rauennam peruenit. Hic omnia ſua opinione deteriora inuenit.Siquidem Gothorũ opes plus nimio inualuerant:fractiq́ erant ciuitatum,& populorum animi proſpero hoſtium ſucceſſu.Quidam etiam præſidum iniuria,& ducum auaritia,ſuperbiaq́ intolerabili,ab imperio alienati,in Gothos ſtudia & fauorem inclinauerant.Milites laborem militarē horrebant:ignauiæ & inertiæ dediti, ſociorum ſpolijs magis,q̃ hoſtium inhiabant: pro fortitudine formido, licentia pro modeſtia placebat.Hæc mala in cauſa fuerunt,ut Belliſarij non ſatis gratus, ſed magis contemptibilis in Italiam fuerit acceſſus.Parum enim eius præſentia erecti ſunt ſuorum animi in ſpem aliquã militiæ felicioris,quando ne pecuniam quidem ſecum attuliſſe diceretur,qua militibus ſua ſtipendia diu deſiderata perſoluerentur.Exercitus quoq́,quem ſecum in Italiam adduxit, ex tyronibus,& inexpertis militibus conſtabat.Ita concionantem Rauennę,cauſasq́ ſui aduentus adducentem,cohortantem deniq́ ad bellum capeſſendum,nec ciues,nec milites læto animo audiuerunt,neq́ lætitiæ,aut bonæ ſpei ſignum ullum oſtenderunt,ſed deſperatio ex ore omnium propalata effecit,ut Belliſarium ſui acceſſus in Italiam cõfeſtim pœniteret.

Totilas interea Tyburtinam urbem parum à Roma diſtantem,per ciuium diſcordiam occupauit:cũ ab alterutra parte,ut opem afferret,inuitatus eſſet,nihilominus pars uictrix fruſtra prohibente Totila,nimis inhumaniter in deuictos ciues deſæuit.Ex hac urbe Gothi Romam,& uniuerſum Latium,uelut ex arce quadam incurſare cœperunt:nec paruæ difficultates inde Romanis illatę fuerunt.Poſt hæc Totilas cognito Belliſarij aduẽtu,in Picenos cum exercitu tranſijt,& circa urbem Auximum,cui Magnus Iuſtiniani dux præerat,conſedit.Miſit eò Belliſarius mille equites ſub tribus ducibus: horũ Racilas poſtridie quàm uenerat ad pugnam egreſſus,mortem in pręlio accepit.Cæteri uero` cum uiderent ſe Gothorum potentiæ inferiores,& ne cum equis(commeatu deficiente)inedia abſumerentur,priuſquam undiq́ circumſederetur oppidum,ſilentio noctis urbe digreſsi,ut ſecurius abirent, in inſidias Gothorum prolapſi:qui primo impetu ducentos ex eis occiderunt: reliqui proiectis ueſtibus,& armis,omnibusq́ impedimentis,& iumentis,fuga ſibi conſuluerunt:& demum poſt longam ac difficilem uiam,ſe Ariminum receperunt.Nec feliciorem belli euentum habuit Vitalis,quem Belliſarius cum ſatis magna manu Illyricorum ad occupandam Bononiam emiſit.Cum enim eam urbem in deditionem accepiſſet,deſertus à tota Illyricorum multitudine,Bononiam deſerere cogebatur.Cauſa autem cur Illyrici deſerta militia confeſtim ſe in patriam receperunt,hæc erat: Nam cum foris,& in longinqua militia pro Imperatore occuparentur,coniuges & liberi eorum,domi & in patria, à præfectis Imperatoris intolerabilibus oneribus affligebantur.Piſaurum interea,quod a` Gothis medijs mœnibus nudatum, & derelictum erat,à Belliſarij militibus acceptum fuit,et tam diligenti ac citiſsima cura communitum,ut Gothorum uiribus nequiuerit expugnari.

Tunc uero` Totilas & Gothi animaduertentes, Belliſarium, & Imperatores copias nuſquam per Italiam in certamen prodire,ſed caſtellis & oppidis incluſos mœnia tantummodo tueri,ſtatuerunt non aſsidere ſolummodo ad Auximum,ſed in alias Italię ciuitates uires ſuas extendere:unde in agrum Picenũ copias ducentes, Firmũ, Aſculumq́ dura obſidione cinxerunt.Belliſarius uerò cum obſeſsis opem implorantibus ferre nõ poſſet (nec enim tantas habebat copias,ut egredi aduerſus Gothos auderet)in mœrore maximo uerſabatur,eãq́ ſui nominis ignominiam permoleſtè ferebat.Ioannem igitur Vitaliani nepotẽ Byzantium miſit,

misit,grauissimoq́ iureiurãdo adegit,ut ad se reditum quoad posset acceleraret:unde & epi
stolam Imperatori in hanc sententiam scribere curauit : In Italiam, Imperator optime,ue-
nimus,uirorum,& equorum,& pecuniarum inopes. Thraciam ipsi & Illyriã obeundo,mili
tes non paucos demum contraximus,sed mirabiles quosdam,& planè inermes,imbellesq́:
ueterani autem,qui ante nos in Italia contra Gothos pugnauerant,ita uictores Gothos for
midant,ut uix aspectum eorum ferre possint:stipendijsq́ diu fraudati,nec equos , nec arma
nuper amissa reparare potuerunt , nec in hostem sine his exire consentiunt.Minores etiam
sunt copiæ,quàm potentissimo hosti congredi audeant:multiq́ ex nostris militibus iam ad
hostes defecerunt,tædio denegati,uel nimis dilati stipendij affecti. Pecuniarum autem red-
ditus nullos ab Italia speres nobis prouenturos esse,cum sit iterũ ab hostibus magna ex par
te occupata,& ea minima pars,quæ restat,adeo` attenuata,belloq́ afflicta, ut tributa nullo
modo persoluere queat. Si igitur me duntaxat in Italiam mittere uoluisti, benè habe(,sum
enim nunc ferè in media Italia:at si tibi uoluntas fuerit Gothorum potentiam superare, ne-
cessarium est,ut per te alia pleraq́ ad id præparentur. Nam dux belli absq́ his,quæ opportu
na sunt,nihil efficere ualet. Quocirca tam meos milites,quàm cæteram atq́ ingentem mili-
tum multitudinem huc mittas oportet Illud insuper à te necessario` est prouidendum,ut pe
cuniæ adsint:nam sine his in bello nihil opportunè fieri potest. Hæc Bellisarius.

At Ioannes cum plurimum temporis Byzantij cõtriuisset,nil prorsus eorum peregit,ob
quorum gratiam per Bellisarium mittebatur. Totilas interea Firmum & Asculũ expugna-
uit. Quibus deditis,in Vmbros transijt:ubi præter spem Spoleto cũ arcè munitissima, quæ
urbi incubat,potitus est. Siquidem eius pręsidij præfectus Hadrianus,qui eam deditionem
fecit,cum suis ad Gothos defecit. Asisium uero` aliquãdiu est è Sigfredo defensum : uerum
eo post multa egregia fortitudinis opera cadente, Asisiates se,& urbem Gothorũ fidei cre-
diderunt. Deinde Totilas ad expugnandam Perusiã conuersus,multis uerbis apud Cypria
num eius urbis pręfectum,ut deditionem faceret,agere cœpit. Sed cum id frustra tentasset,
omnis longioris morę impatiens, Perusina obsidione omissa Romã petijt. Cumq́ eo` perue
nisset,opportunis locis eam circumsedit,summoperè cauens , non solum in ea Vrbis obsi-
dione,sed toto tempore,quo per Italiam tam copiosos exercitus circumduxit,ne sui milites
quacunq́ iniuria agricolas afficerent,sed eos permitterent liberè & absq́ omni solicitudine
agros colere,prouẽtusq́ iustis dominis & possessoribus assignare. Quo facto inter optimos
Principes nomen & gloriam meruit sempiternam. Romæ in præsidio erant, Bessas unus ex
Iustiniani ducibus,& Conon,q antea Neapoli præfuerat. Miserat quoq́ eò Bellisarius Ar-
tasiram Persam,& Barbationem Thracem cum non contemnendis militũ copijs,qui custo
diæ Vrbis una` cum cæteris intenderent. Hi cũ uiderent Gothos Vrbis mœnibus appropin
quare,sumpta secum præualida militum manu,in uenientes ferocius,q̃ commodius irrue-
rũt. Gothi enim simulato metu retrò ad insidias,quas pręparaύras habebant,abierũt. Quos
cum Græci maiore impetu q̃ consilio insectarentur,facile` circumuenti,ad unum ferè occisi
fuerũt,solis ducibus cum paucis alijs difficulter intra Vrbis muros restitutis. Quo factum
erat,ut nequaquam de cætero auderent Gothis obuiam ire,quanquã ab ipsis acriter prouo
cati. Vehementior deinde fames Vrbem Romam inuasit,cum nullæ ex agris fruges inuehe-
rentur,nec liceret negotiatoribus quicquam per mare inferre. Gothi enim Neapoli in pote
statem redacta,minoribus uarijsq́ nauigijs circa eius regionis insulas ultro citroq́ adnaui-
gando diuagabãtur,& solicitè curabant,ne aliqua nauis ad Romanum portum perueniret.

Interea ingens suspicio proditionis intra urbem Romã uersabatur, ob quam Cethegus,
quãuis in senatu princeps,Roma pulsus Centumcellas aufugit. Dum ea Romę gerebantur,
alius Gothorum exercitus,pręcipiente Totila,Placẽtiam iuxta Padi ripam obsedit:ea quip
pe sola urbs erat,quæ in ea regione Iustiniani partes sequebatur. Bellisarius aũt cum hæc cõ
sideraret,ac de Romanæ urbis periculo plurimũ solicitus esset,neq́ ex urbe Rauenna opem
ferre ualeret,ob loca interiacentia,quę ab hostibus possidebantur,& paucitatem copiarum
suarum,abire illinc,& alia uia auxilium ferre cõstituit. Itaq́ Iustino cum paucis quibusdam
ad Rauennæ custodiam constituto,inde confestim soluẽs, Dalmatiæ littora legens Epidam
num deuenit:ubi exercitum ex Byzantio expectando,aliquãdiu quieuit,pręscriptis ad Im-
peratorem literis,quibus præsentem rerum statum significabat. Inter hæc Roma durissima
obsidione urgebatur,cunctaq́ in deterius prolabi,& ad ruinam tendere uidebantur. Tunc
Bellisarius ex suis ducibus Valentinum & Phocam,ad Romanũ portum mittẽdos curauit,
ut eius loci præsidium cum cęteris præsidiarijs militibus,quibus Innocentius pręerat,custo
dirent,& quoad possent crebris eruptionibus Gothorũ copias infestarent. Cum igitur ali-
quo tẽpore prosperè in Gothos incurrissent,magnaq́ auxilia ob hoc obsessis præbuissent,
tandem in insidias pręcipitati,& à Gothis circumuenti interficiuntur, pauciq́ ex eorum mi
litibus uix & anxiè in portum refugientes euaserunt.

Traxit

Traxit autem hæc calamitosa pręfectorum & militum cædes statim post se maiorem calamitatem, propter frumenti amissionem. Tunc enim Vigilius Romanus Pontifex, cum in Siciliam ab itinere, quo Constantinopolim ab Imperatrice citatus petebat, diuertisset, magnam uim frumenti nauibus impositam, ad Romanos (quamuis ab eis graui iniuria affectus) mittebat. Quod cum Gothi pręsensissent, naues eas in portum pręueniunt, & post turres, ædificiaq; latentes insidias struunt, nihil contra eos audentibus militibus, qui in præsidijs erant, sed tantum de mœnibus & propugnaculis, uestibus sursum eleuatis, manibusq;, & clamore nautis significabant, insidias in portu collocatas: proinde cauerent, ne illuc accederent. Nautę uero proditum signum non intelligentes, putabant potius Romanos, qui in portu erant, præ gaudio, & ex suo aduentu alacres factos id signum dedisse, seq; ad portum ineundum prouocasse, prospero uento, & celerrimè intra portum cum nauibus peruenerunt, atq; à Gothis insidentibus captiuati, omniq; frumento spoliati fuerunt, non sine summa desperatione populi Romani, qui ab expectatione eius frumenti totus pendebat: & fames quidem nō tolerabilis iam Romam opprimebat. Gothi autem id sentientes, acrius obsessos impugnabant. Eodem tempore Gręci in Placentia urbe obsessi, omnibus iam necessarijs deficientibus, in tam horrendam famem deuenerunt, ut (teste Procopio) se inuicem esitarent. Quo factum erat, ut pacta salute se, ac Placentiam Gothis tradiderint.

Erat tunc fortè Romę Pelagius quidam diaconus, cuius nomen apud Romanos erat satis illustre. Cū enim esset uir optimus, & multa possidēs, in summa annonę caritate innumeros ciues pecunia releuauit, libenterq; ciuiū desiderijs pro uiribus satisfecit. Ad hunc igitur Romani conueniunt, postulantq; suppliciter, ut pro salute populi Romani legatus ad Totilam proficiscatur, paucorum dierum inducias petiturus: quibus diebus nisi auxilium superueniat, deditionem Vrbis Totilæ promittat. Pelagius autem (quando ita necesse erat) populo paret, atq; in castra ad Totilam cum mandatis accedit: à quo quamuis perbenignè exciperetur, tamen cum iam firmiter secum constituisset, nullam clementiam Romanis impendere, qui eius clementię literas, & gratiosa promissa toties contempsissent, antequam legatus uerba faceret, prior ipse longa & acerba oratione contra Romanos inuectus est, beneficia Theoderici Gothorumq; in Romanos exprobrans, ac perfidiam Romanorū in Gothos sæpe commissam redarguens: ad extremum conclusit, nullam esse colloquij, uel pactionis uiam, nisi euersis mœnibus efficerent, ne àmodo urbs Roma intra se illos perfidissimos Græcos defendendos includeret, essetq; tam uilium hominum præsidium, qui ciuibus quàm hostibus essent sine comparatione pernicisiores. Tum Pelagius: Quando, inquit, Totila usq; adeò legationem aspernaris, ut ne preces quidem uelis audire, nos diuinam opem implorabimus: inuocatum cœli numen (ut spero) aderit, humanamq; superbiam franget. Atq; hęc pauca effatus retro abijt. Post Pelagij reditum ciuitas Totilæ seueritatem formidans, omnia extrema prius ferenda censuit, quàm iratum hostem ciuium exitio imminentem in Vrbem accipere. Obstinatis itaq; animis ad resistendum, famem alioqui intolerabilem maiorum suppliciorum metu constanter ferunt: estq; eodem tempore populus Romanus talia, ob saluandos illos infelices Græcos, perpessus, qualia etiam commemorare miserrimum sit.

Romani enim Græcis immixti, exercituum duces Bessam & Cononem adeuntes, lachrymabundi, & multo cum gemitu precabantur dicentes: Si nolueritis nos ut Romanos, uel socios habere, saltem ueluti acie uictis, belloq; captis, ut ex lege in seruitutem redactis alimenta præbere, quæ tantummodo ad tenuem uitam ducendam à quibusuis etiā durissimis dominis in abiecta mancipia præberentur: nosq; rursus ea obsequia præstabimus, ad quæ uilissimi serui uix compelli possent. Quod si id uobis non placuerit, saltem nos, quò sors obtulerit, moribūdos abire sinatis: unde id lucri estis deniq; habituri, quòd in nostra seruorum uestrorum sepultura nullum laborem impendatis. At si id quidem nobis permittere nō uolueritis, saltem nos obtruncate, ne uideamini nobis suauissimum uitę exitū inuidisse, unoq; facinore nos Romanos omnium mortalium infelicissimos ab infinitis difficultatibus liberate. His itaq; grauissimis Romanorum querelis (quę saxa in compassionem mouere potuissent) auditis, Græci immanissimi omnium barbarorum respondent, commeatus, quos tribuant, nullos in pręsentia esse: cum tamen (ut eorū proprius historicus Procopius, qui tunc aderat, affirmat) maximum frumenti numerum intra mœnia sibi conditum conseruarent. Vnde fraudatis militibus & populis, ingenti pecunia uenditabāt ditioribus, & primoribus Romanorum, quibus etiam bouem unum aureis quinquaginta uendebant: erantq; putida equorum, canum, & huiusmodi animantium cadauera, inter Romanas delicias computata: promiscua uero hominum turba urticas duntaxat edebat, quales circa Vrbis pomœriū, & locis incultioribus passim nascuntur: quas tamē decoctas, ne uel sapore, uel innatis aculeis offenderentur, esitabat. Quamdiu itaq; Romani aurum habebant, frumentum & furfures coëmebant:

coëmebant:uerum ubi aurum defuit,omnem domeſticam ſupellectilem in forum inferentes,pro diurno uictu commutabant.Sed ubi auariſsimis Græcis nihil frumenti reliquum fuit,quod Romanis uendi poſſet,ad urticas iam uniuerſi circumſpiciebant. Quibus deficientibus,corpore extenuari cœperunt,colorq; in pallorem,& liuorem ſe paulatim cõuertit,ut idolis ſimillimi uiderentur.Plerique uerò uel incedentes, uel dentibus adhuc urticas manducantes,ex improuiſo exanimati cadebant:iamq; uel purgamentis,& ſtercoribus in cibum utebantur.Nonnulli etiam fame nimium degrauati,manus ſibimet inferebãt, cum nec canes quidem,nec mures de cætero inuenirent,nec aliud uſquam demortuum animal, quibus in cibum uti poſſent.

Erat inter cæteros Romanos uir quidam quinq; filiorum pater: hunc omnes liberi circumſiſtendo,prehenſandoq;(ut aſſolent)cibum ſibi efflagitabant:tum ille nec ingemiſcens quidem,nec ullo ędito turbationis indicio,ſed fortiſsimo animo dolorem diſsimulãs, iuſsit filios ſe ſubſequi,ut cibum mox accepturos.Vbi uerò ſuper Tyberis pontem peruenit, capite obuoluto,uelatisq; oculis in Tyberis flumen confeſtim deſilijt, ſpectantibus filijs, Romanisq; cæteris,qui ea tunc fortè è regione conſtiterant. Tandem illi nimium crudeles, & barbariſsimi Gręcorum præfecti,uiſa ea extrema Romanorum ciuium deſperatione,omnibus abire uolentibus facultatem indulſerunt.Quo factum eſt,ut paucis admodũ Romæ relictis,in fugam ſe omnes proriperent,& quò cuiq; licuit diuerſim abirent. Eorum tamen pars maxima areſcentibus præ inedia uiribus,mortẽ paſsim obibat,nonnulli ab hoſtibus intercepti interiere:quę omnia Romanus populus pati cogebatur,ob illam inſignem Græcorum perfidiam,qua Vitigem fraudibus circumuentum & ſuperatum,ad Byzantium pridem tranſportarunt.Venit interea nouus à Iuſtiniano in Dalmatiam exercitus ad Belliſarium,cui Ioannes Vitalianus pręfuit:qui cum de gerendo bello inuicem conſultarent, omnes uno orę ferendam opem Romanis cenſebant.Quo autem modo id fieri deberet,anceps conſultatio fuit:quibuſdam placuit terreſtri itinere per Apuliam cum commeatu Romam proficiſci,cum alijs interim placeret,per mare nauigandum. Ioannes inter eos erat,qui ſuadebat cum omnibus copijs per Calabriam,& Apuliam proficiſcendum eſſe,atque ita Romam petendum:ſimul enim euntes perfacilè uictores eſſe poſſe: quòd ſi diuidantur copię,& alij terra,alij mari proficiſcantur,neutram partem hoſtibus parem futuram. Belliſarius hanc ipſam ſententiam laudaturum ſe dicebat,ſi Gręci in urbe Roma per Gothos obſeſsi,in tam extrema neceſsitate conſtituti non eſſent. Proinde quia res nullam patiebatur dilationem,placuit ut terra mariq; iretur:fore aiebat, ſi ſecundi uenti afflarent, ut quinto die claſsis ſubiret oſtia Tyberina.

Belliſarius igitur cum claſſe in Italiam tranſgreſſus, Hydruntũ obſidione leuat: inde inſtitutam nauigationem celeriter repetens,Romam irrequieto curſu petebat. De huius aduentu factus certior Totilas,quia ſatis apparebat ad quid ueniret, Tyberim ab una ripa ad alteram trabibus,ferreaq; catena coniunxit,duodecim millibus paſſuum ab Vrbe, quâ amnis arctiſsimè fluit,pontemq; fluuio impoſuit,& ſtatuit utrinque caſtella cum ſuo pręſidio, ut omnis importandi commeatus facultas adimeretur.Nec multo pòſt Belliſarius ad oſtia Tyberina peruenit,ſubſeditq; circa portum,aduentum ſuorum expectaturus, qui duce Ioanne Vitaliano terreſtri itinere incedebant:quibus non licuit ob Gothorum potentiam citius aduolare.Commiſſo enim cum Gothis prælio, Brunduſio potiuntur: ubi paululum commorari cogebantur,quoad Apuliæ,& Calabriæ ciuitates in fidem, & beneuolentiam reciperentur.Canuſium deinde oppidum in poteſtatem redegit: unde non longe uicus eſt Cannę,in quo memorabile illud pręlium inter Hannibalem & Romanos fuiſſe perhibetur. In hoc loco Tullianus quidam Venantij filius,qui tum in Lucanis magnum nomen,magnamq; autoritatem habebat,Ioannem adit,multasq; querelas aduerſus Græcorum contumelias, & grauiſsimas iniurias, quibus incolas affecerant, expoſuit:pro certo affirmans, quòd ſi fuiſſet aliqua humanitas in Græcorum militibus,neq; Brutij,neq; Lucani ab Imperatore ad Gothos defeciſſent.

Miſerat interea Totilas Capuam præcipuam partem ſui equitatus: eſtq; equitũ ducibus ab eo mandatum,ut Ioannem Vitalianum prętergreſſum eueſtigio ſequerentur: cętera uero ſibi curę fore inquit.Hęc res adeò conterruit Vitalianum,ueritum,ne à Gothis circumueniatur,ut omiſſa ad Belliſarium profectione,in Brutios retrò abiret: ubi circa fretum Richmundum Totilę ducem,qui pręſidio eam prouinciam obtinebat, ex improuiſo & tumultuario prælio adortus ſuperauit. Interea Belliſarius aſsiduè expectans, incredibili dolore afficiebatur,damnabatq; Ioannis Vitaliani ignauiam,& apertè carpebat,quòd cum lectiſsimum equitatum haberet (nam Heruli & Hunni cum eo erant) unam Gothorum equitum alam formidaret.Hęc & huiuſmodi Belliſarius culpabat, & in abſentem plurima uerba ia-

ctabat: cæterum querelæ inanes erant. Vitalianus enim dubium metu, an quia id facere conducibilius duxerit, non modò non uenit ad Romam, sed retro in Apuliam reuersus, ibiq; castris positis quiescebat, cogitationemq; Romam petendi omnino abiecerat. Bellisarius igitur desperato suorum accessu, nihil amplius expectandum ratus, experiri constituit, an cum his copijs, quas habebat, posset commeatum & auxilia Vrbi importare. Et quia multò erat Gothorum uiribus inferior, quàm ut aperta acie congredi auderet, flumen Tyberis, & ingenium sibi spem afferebat, per aquam ad Vrbem perueniendi. Quocirca ducentas naues, quas Græci dromones, Gothi promones, & Latini (credo) celoces uocant, pręparabat. Sunt autem hæ naues, mœnia undequaq; lignea habentes, opportunis locis perforata, ad sagittas ac cætera tela in hostes emittenda. Aduersus autem pontem, siue catenam, ac cætera impedimenta in flumine opposita, hæc excogitauit: Rates duas ferreis repagulis, ac tignis inter se quàm firmissimè colligatas in flumine constituit, superq; his turrim ligneam ædificari fecit, maioris altitudinis, quàm essent hostium turres, ad tutelam pontis constructæ. His ita præparatis, dromones frumento onustos, lectissimisq; militibus in eos impositis aduerso egit flumine. Præcedebat illa lignea turris, quæ suos propugnatores habebat, telaq; omnis generis, ad hostes ex aduerso conficiendos: reliquæ copiæ composito agmine ripam tenebant, & cum nauibus, quæ trahebantur, ex æquo procedebant. Primo itaq; accessu Gothi citeriori præsidio expugnati fuerunt. Leua enim ripa Bellisarius agmina ductabat, quę Totilanis erant castris auersa. Intereaq; Romam ad Bessam nuntios misit, ut sub id tempus, quo ipse erat Romã uenturus, ille eruptione ex Vrbe facta, Gothos pugna distineret. Sed Bessas neq; id fecit, neq; quamdiu durauit obsidio, quicquam egit memoria dignum, nisi quòd sordidissimis lucris deditus, talẽ se palàm ostendit, quod ad nihil aliud natus uideretur, quàm ad diuitias undequaq;, & quocunq; prætextu congregandas.

Bellisarius deinde superato primo præsidio, pontem cum reliqua munitione nititur occupare: fuitq; interim atrox utrinq; pugna, uarijq; hinc inde conatus. Ad postremum etiam reliquum hostium præsidium est igni expugnatum, non sine clade eorum, qui in eo constituti fuerunt. Iamq; rescisso ponte erat inclita uictoria in manibus, sed fortuna (ut uidetur) aliud constituerat. Reliquerat Bellisarius Isaacem ad Portuensis urbis præsidiũ, cum uxore & omnibus impedimentis, illiq; mandauerat, ut ad nullos de se nuntios, aut de ijs, qui in discrimen ibant, aliquid moueret, sed in oppido consistens, ipsum cum militibus, qui ad id dabantur, tueretur. Cùm igitur Bellisarius turrim hostium incendisset, uolant confestim nuntij ad Portuensem urbem, atq; (ut fit) uictoriam magnam grandius extollunt. Quibus nuntijs Isaaces exultans, ac animo sese attollens, quasi uesanus quidam, præceptorum Bellisarij oblitus, milites capere arma iubet: ardore & impetu delatus ad inuadendum hostium stationem, quę erat in opposita ripa non procul ab Ostia, cucurrit, fuditq; primo impetu hostes, sed rursus ab eis ad insidias protractus captiuatur, trucidatis his, qui cum eo in prælium descenderant. His ita gestis, equites quidam Bellisario detulerunt, Isaacem captum esse ab hostibus. Quo quidem nuntio perculsus Bellisarius, nihil ultra percontatus est, nec ubi, nec quomodo, sed tantum ratus oppidum cum uxore & rebus omnibus à Gothis teneri. Itaq; tanto statim dolore affectus est, ut loqui non ualeret, retroq; conuersus, classem ac militem cursim reduxit, certissimo consilio uel oppidum recuperandi rebus adhuc recentibus, nec ab hostibus stabilitis, uel in prælio moriendi. Per hunc modum uictoria, quæ iam parta uidebatur, euanuit.

Cum ad urbem Portuensem peruenisset, & eam saluam, ac se deceptum cognouisset, tantum dolorem ex hoc errore suscepit, ut in acutissimam febrem, qua diu periclitatus est, inciderit. Isaaces autem, cuius occasione uictoria amissa fuerat, ad Totilæ præceptum trucidatur, ob uindictam Roderici Gothorum fortissimi nuper à Gręcis interempti. Iam enim Totilas seuerius agere cœpit, quia uidit tot clementiæ opera, quæ pridem in omnes cõtulerat, minus existimari. Fuerunt tamen eius uerba seueriora, quàm opera. Siquidem minas, quas concitatiore animo quàm proposito profudit, magna clementia postea temperauit. Formidabant eius seueritatem Romani, quòd tam facilè ad Græcos defecissent: magis uerò Græci sibi metuebant, quia Regem Vitigem fraudibus circumuentum in Byzantium transportassent. Quamobrem potius famem, & omnia extrema pati decreuerunt, quàm iratum Regem, & tot grauissimis iniurijs prouocatum admittere. Moriebantur passim homines præ inedia: iamq; tota urbs nihil aliud erat, quàm uiuorum, eorundemq; infelicissimorum horrenda sepultura. Cumq; in ea intolerabili miseria urbs Roma undiq; periclitaretur, quatuor Isaurici milites Vrbem Totilæ prodiderunt, eumq; per Asinariam portam nocturno tempore introduxerunt. Cæterum Totilas intra Vrbis mœnia constitutus, totum exercitum suum circa Lateranum, usq; ad bonam partem sequentis diei immotum tenuit: non quòd

Græcos, aut alios hostes formidaret. habebat enim exploratum, nullos aut quàm paucissimos eorum in Vrbe remansisse, sed uera causa illius moræ erat, quia complures illorum militum secum in agmine habebat, qui pridem turpius quàm honestius à Roma, cùm Bellisarius ex Neapoli uocatus adueniret, eiecti fuerunt. Hos cum difficile à cæde & sanguine ciuium reuocare posset, uoluit prudens Rex tanto tempore expectare, donec Romani & Græci extra portas, uel ad Sanctorum basilicas effugere possent. Iam enim omnibus persuasum erat, Gothos ea pietate esse, ut nullos omnino uiolarent, qui securitatem à templis Deo dedicatis implorarent.

Peruasit interim rumor ciuitatem, Gothos in Vrbẽ peruenisse: unde populi multitudo ingenti luctu consternata huc illucq; ferebatur. Romanorum militum pars maxima cum ducibus ipsis, ut facilè cuiq; fuit, fugam capessunt: pauci tamen est eis cum Romanis ciuibus se immiscentes in templa confugerunt. Constat sanè e plebe homines ad quingentos in Vrbe resides eo tempore fuisse, qui in Sanctorũ templis ab omni ui, & iniuria conseruati fuerunt. Cæteri omnes iam ex Vrbe excesserant, uel in suprema fata morte absumpti concesserant. Postea uerò quàm abundè illuxit, Totilas denso agmine stipatus, ex Laterano uoti nomine ad Vaticanam D. Petri ædem per mediam Vrbem adequitauit. Hic nonnulli scriptores tragico clamore in Totilam inuehũtur, asserentes ipsum in eo transitu enormem sæuitiam in quoscunq; obuios exercuisse, cũ tamen satis constet, Vrbe deserta, omnes incolas extra portas, uel in templa antea effugisse. Viginti tantum Græcorum milites incautius per Vrbem deuagantes, cum nonnullis ex plebe, eo in transitu cæsos fuisse Procopius affirmat: cæteros fuga, uel Sanctorũ templa tutos effecerunt. Ingredienti Totilæ templum D. Petri, Pelagius ipse, de quo ante dictum est, sese obuium offert, Christi euangelia in manibus gestans, supplexq; omnibus factus, & genu procumbens: Parce, inquit, ô Princeps tuis. Tum Totilas placido uultu arridens, ita profatus est: Nunc mihi supplicaturus aduenisti Pelagi? Ita quidem, respondit, quandoquidem me seruũ tuum Deus effecit: sed ab his iam abstine manus, qui tibi in seruitutem cessere. His precibus uictus Totilas, ueniam dedit Vrbi, & ciuibus, ue tuitq; seueriter, ne ferrum amplius euagaretur, edixitq; ut prǫda Gothorum esset, corpora ciuium libera sinerentur. Præcepitq; eodem edicto, ne quis muliebri pudicitiǫ illuderet, adhibuitq; magnam diligentiam, ut sexus ille omnis iniuriæ expers permaneret. Prædam pretiosissimarum rerum sibi afferri mandauit, reliquam militis esse uoluit. Fuere tum permulta in patriciorum ǫdibus inuenta, sed omnium maxima extitere, quæ Bessas reliquerat, ut qui uelut omnium perditissimus homo, infaustum illud diuenditi frumenti pretiũ Totilæ ad insigniorem prǫdam accumulasset. Estq; eodem tempore Rusticiana, siue Iustiniana mulier nobilis arrepta in iudicium, quæ Theoderici Regis statuas frangi, delerique fecisset, in patris Symmachi, & Boëtij coniugis ultionem, qui Theoderici iussu fuerant interfecti: factum adeò notũ omnibus erat, ut nulla poterat excusatione negari. Cæterùm mulieris pietas & amor in defunctos, plus ualuit apud clementem Totilam, quàm Regia maiestas: estq; à Rege absoluta non minore benignitate, quàm antea Amalasuenta liberis Boëtij & Symmachi patrimonium paterna seueritate ademptum restituit.

Deinde cum Totilas attenderet, suorum animos ad seueritatem proniores esse, quàm clementiam, omnibus ad se conuocatis, adeò benigniter & perhumaniter pro Romanis locutus erat, ut uix credi potuisset, ipsum unquam hostilem animum in eos habuisse: Videte, inquiens, commilitones instabilem rerum humanarum conditionem, cernite fortunǫ mutationem. Paucis anteactis annis ducenta Gothorum millia septem millibus expugnauit & uicit Bellisarius: ego uerò non totis quatuor millibus uiginti Græcorum millia superaui, & iam urbem Romam, orbis quondam dominam, sub pedibus tenemus. Proinde nequaquam nobis superbiendum, sed magis oportet ut Deum timeamus, uictoriamq; non superbè & crudeliter, sed perhumanè potius & clementer exerceamus, mutationemq; fortunæ, quæ nobis superiore bello totam Italiam, præter Veronam, Ticinum, Taruisium, ademit, ante oculos continuè habeamus. His et plerisq; alijs humanissimis uerbis apud suos propositis, uim omnẽ atq; iniuriam, à deuictis populis prudenter atq; efficaciter auertit. Deinde Romanos pro concione affatus, uehementer eos reprehendit, quòd non minus stultè, quàm ingratissimè Græcorum gentem omnium leuissimam Gothis prætulissent, per quos primò ab Odouacris tyrannide, grauiq; seruitutis iugo liberati essent, deinde sub summa Theoderici clementia multos annos, & feliciter, & otiosè egissent, tantaq; beneficia ab eo suscepissent, quanta uix sciuissent optare: demum uerò nulla iniuria, nullaq; cõtumelia accepta, contra fidem, ac iusiurandum ad Græcos defecissent, homines uanissimos, & sine ulla uirtute: qui statim obsessi à Vitige, nunquam prodire in aciem ausi fuerint, sed intra mœnia inclusi, ac fame macerati, omne dedecus tolerauerint: qui postquã non armis, sed proditionibus,

& fallacijs facti sunt domini ciuitatum, publicanis, exactoribusq́; & delatoribus omnia re-farserunt: qui ciuitates, populosq́; Italiæ inhumana acerbitate ad solutionem eorum tributorum compulerint, quæ iam multis annis à Theoderico, cæterisq́; Regibus fuerant eis condonata, atq; remissa: qui rationes administratorū sub eisdem Regibus à populis, priuatisq́; hominibus poposcerūt, ut Imperatores sui inexplebilis auaritia impleretur. Dicite, inquit, Romani si quid unquam mali à Gothorum Regibus passi fueritis: dicite rursus, si quid boni à Græculis istis unquam accepistis, qui uobis amicis plura mala, q̄ hostibus intulerunt. Genus uitiosum, ac maleficum, & nulla re magis quàm mentiendo efficax. Atqui Gothi in Italia nati, & unà uobiscum educati sunt: uobis autem peregrini & ignoti magis placuerūt, quàm uestrates & noti. Nulli igitur mirum uideri debet, si Romanus populus suæ inconstantiæ pœnas luat, ut in reliquum discat præstitam fidem & iusiurandum non uiolare, & gratitudine non iniurijs accepta beneficia compensare. Atq; his dictis Totilas, cum nullus erratorum ueniam peteret, sine spe ulla melioris status concionem dimisit. Procopius tamen affirmat, Pelagium etiam tunc, ut prius, pro Romanis supplicem Totilę factum fuisse, nec prius precari hunc desijsse, quàm ille clementiorem se in omnes Romanos fore pollicitus fuisset.

Post hæc Totilas legatos ad Iustinianum mittere decreuit. Fuerunt autem legati idem Pelagius, cuius nunc meminimus, & Theodorus quidam Romanus orator. Hos Totilas grauissimis iuramentis obligauit, quòd mandatis suis fideliter executis, q́; celerrimè ad se in Italiam redeant. His deinde præcepit, ut totis uiribus niterentur, pacem & amicitiam inter se & Imperatorem conciliare, ne cogeretur (si pace infecta redirent) urbem Romam ad solum diruere, interfectisq́; patricijs uiris, in Illyrios bellum transferre: literasq́; in hanc sententiam Imperatori scribendas curauit: Quę in urbe Roma ad hunc diem contigerint, cum tibi comperta esse non dubitem, silentio prętereunda uidentur. Ea uerò, quorum de causa ad te hos oratores miserim, paucis intelliges. Pacis bona optamus & suscipere, & exhibere, ut nuper sub Anastasio Romanorum Imperatore cum Rege Theoderico fuit, quorum concordia & pax tranquillitatem illorum temporum, & maxima commoda utrisq; peperit. Si igitur hęc tibi placita erunt, meritò meus pater uocabere, & belli nos socios in quoscunq; libitum fuerit habebis. His cognitis Imperator mandatis, ea secordia (ut ait Sabellicus) qua fuisse traditur, respondit, Bellisarium in Italia esse, illi totum belli negotium à se commissum: nec ultrà uerbum addidit. Vnde mirum uideri non debet, ipsum à Blondo durum & stupidum appellatum fuisse, cum permiserit tantę urbis, & totius Italiæ fatum ex unius satellitis, uidelicet Bellisarij sententia dependère. Quo responso uehementer territi Pelagius & collega, non destiterunt plures dies ambire, & cum lachrymis obsecrare eos, qui charissimi erant Iustiniano, ut Principis animum flecterent, ne bellandi studio eam urbem perderet, qua euersa, nulla imperij dignitas in posterum amplius futura esset.

Hanc legationem cum Totilas frustra attentatam fuisse, sibiq́; pacem tam iustè petitam negari intellexisset, de euertenda urbe Roma consilium sumpsit. Hic tamen Procopius Græcus, qui in castris Bellisarij erat, scribit Totilam tantę fuisse moderationis, ut etiam ab inimicissimo Bellisario persuasus, nullum urbis ædificium publicum, uel priuatum incenderit, nec desolatam Vrbem reliquerit, sed aliquam murorum, siue mœniorū partem solo æquasse contentus, cætera ædificia inuiolata permiserit. Sunt autem hæc uerba Procopij: Totilas sępe perlectis literis Bellisarij, ut bene monentibus magnificatis, suasus demum Vrbem inoffensam seruauit, & integram. At longè secus Leon. Aretinus, & qui eum sequuntur affirmant: Insurgens, inquiunt, Totilas mirabili crudelitate, mœnia Romæ pluribus locis ad solum euertit: Capitolium deinde incendit. Fumabat Quirinalis mōs: Auentinus flammam incendij euomebat: fragor ruentium domorum ubique audiebatur. Inter hęc incendia multitudo Vrbana cum coniugibus, & liberis sedibus patrijs educebantur, ne deplorandi quidem miserias suas libertatem habentes. Et populum quidem, ac turbam per oppida Campaniæ dispersit, Senatores uerò, ac Patricios obsidum loco circa se retinuit. Roma post hæc cum toto exercitu egressus, eam desolatam penitus, ac uacuam dereliquit, ut neq; uir quispiam, neque fœmina in illa remaneret. Hæc illi quidem dicere uolunt: quibus utique minorem fidem adhibendam puto, quàm Procopio tunc præsenti, contrarium affirmanti. Certum enim apud me est, quòd si ita penitus desolata & euersa fuisset, nequaquam Bellisarius eius mœnia (quemadmodum mox fecit) paucissimorum dierum spatio restituere potuisset, nec ædes, in quas suum exercitum reciperet, inuenisset. Esto tamen ita collapsa fuisset, ut omni humano cultu deserta iaceret, quis non uidet eam ruinam iustius Græcis, quàm Gothis summoperè pacem petentibus imputandam esse? Plus enim auarus, & imprudens Iustinianus temerarium unius Bellisarij uerbum, quàm importunissimas omnium Romanorum

manorum lachrymas, & iustissimas Gothorum preces attendens, Vrbem (quam facilè conseruare potuisset) desolauit, aut desolari permisit.

Saluam deinde, siue euersam Romam Totilas egressus, exercitum suum in duas partes diuisit: quarũ unam Bellisarij copijs in loco, qui dicitur Algedone, obiecit, ne quicquam per eius absentiam moliri ualerent: ipse cum altera parte aduersus Ioannem Vitalianum properabat. Ille autem cum compertum habuisset, Totilam contra se uenire, turpiter fugiens, omnibusq; desertis, non prius expectauit, donec intra Hydrunti mœnia se recepisset. Est autem Hydruntum ultimum Calabriæ oppidum, unde breuissimus est in Epirum & Græciam traiectus. Itaq; Totilas ubi ad eas partes peruenit, facili negotio Lucanos, & Brutios, ac Calabros omnes, præter Hydruntinos, recuperauit. Interea uerò cum Gothis in ea parte cuncta prosperè succederent, Spoletum in faucibus Vmbriæ ab eis ad Græcos defecit. Custodiebatur tunc solummodo arx, quę facta erat ex amphitheatro, quod antiquitus in ea urbe ædificatum fuerat: mœnia tantum urbis, ne hostibus præsidio essent, Totilas euerterat. Fuit ea defectio dolo cuiusdam Martiani Byzantini procurata: qui consensu Bellisarij se transfugam simulãs, ad Totilam peruenit, & confestim à Rege Gothorum (quemadmodum etiam hodiè fit) inter præcipuos arcis custodes deputatur: arcisq; præfectum, facta cum decem & octo coniuratione, perfidè trucidauit. Itaque Bellisarius turpi turpissimi hominis uictoria Spoletum acquisiuit. Eodem ferè tempore Calabri, & his finitimi domo profugi Tarẽtum, quod aliquandiu omni cultu desertum, desolatumq; iacuerat, instaurarunt, non ueterem urbis aream, sed partem complexi portui propinquam, quam in Chersonesi speciem mare utrinq; alluit. Quocirca eius aditum à tergo faciliter muniuerunt. Deinde Totilas postquã Lucaniam, & Calabriam in suam potestatem redegisset, præsidiumq; militum apud Acherusiam urbem reliquisset, Rauennam cum reliquo exercitu petere contendit. Inter hæc Bellisarius audax facinus (quod multi temerarium putassent) aggressus est. Vrbẽ enim Romam non euersam, aut desolatam, sed ciuibus destitutam tanta acceleratione occupauit, atq; muniuit, ut incredibile apud omnes uideretur, tantum laboris paucissimo dierum numero absolui potuisse. Siquidem tumultuario opere mœnia refecit, fossas profundas ante muros egit, aggeres præacutis arborum ramis ab stipite sub terram fixis, & inter sese connexis communiuit, turres ligneas, & propugnacula ad tutelam refecti muri imposuit, insuper ingentem tribulorum uim undiq; secus mœnia sparsit. Hæc omnia per summum omnium militum ardorem, & desiderium, atq; accelerationem perfecit.

Tum multi mortales patriæ desiderio moti, ex finitimis locis in Vrbem rediere: pleriq; etiam laxitate annonæ illuc recurrerunt. Siquidem Bellisarius Vrbe à se occupata, cõfestim sibi adesse imperauit naues, quæ tritico onustæ in portu stabant: quo accidit, ut Totilas, qui magnis itineribus Romam recurrerat, certa spe Vrbis primo accessu recipiendæ, aliquoties conatus uallum transcendere, semper sit cum suorum strage à munitionibus reiectus. His Bellisarij successibus Gręci audaciores effecti, extra Vrbem ad pugnam egressi, Gothos pręlio fatigant: interfectoq; signifero, parum abfuit quin Gothorum sint signis potiti. His actis Totilas, quia se frustra conari uidebat, prælium diremit, ac postridie q; uenerat abiens, Tybur accessit. Eam quippe tenebat urbem, ut supra diximus, maioremq; in modum munita eius arce contra Græcos utebatur. Romani quoque assiduas eius incursioues formidantes, cunctos Anionis pontes euerterunt. Anio flumen in Hernicis oritur, decurrensq; ex altioribus montibus, planitiem inter Tybur & Rômam secat, nusquam ferè uadatu facile. Deiectis igitur pontibus, quibus uia Salaria, & Numentana, & Tyburtina superabilis erat, Gothi, ne Vrbem infestarent, prohibiti fuerunt. Bellisarius post Totilæ digressum muros Vrbis ualidius restituit, portas reposuit, claues Constantinopolim ad Iustinianum misit, ut sciret Vrbem iterum à se occupatã. Et cum his euolutus est duodecimus Gothici belli annus. Nec Totilas est diu Tyburi commoratus, sed cũ robore copiarum in Vmbriam profectus, Perusiam decreto petijt. Fuerat ea urbs multo conatu à Gothis impugnata, sed diligenter interim defensata: at grauior oppugnatio sub Regis accessum Perusinis illata est: ferebant tamen illi fortiter omnem inimicorum impetum, intrepideq; illorum conatibus obuiabant. Sed dum Gothi Perusiam grauius obsidendo molestant, Ioannes Vitalianus ex Hydrunto cum suo equitatu erumpens, Campanię fines tumultuosè irrupit. Custodiebantur municipatim Totilæ iussu Romani senatores cum precipua nobilitate, habuitq; persuasum ipse Vitalianus fore, ut hi perculsis suo aduentu hostibus custodia liberarentur.

Totilas uerò per idipsum tempus hęc eadem suspicatus, parte copiarum in obsidione Perusiæ relicta, ipse cũ reliquo exercitu magnis itineribus per Picentes, & Marsos, & Pelignos in Apuliam admirabili uelocitate properauit, transuersisq; uijs profectus, non prius destitit, q; Ioan. Vitalianum in Calabria repertum repentè inuasit, & cum toto exercitu profli-

gauit,caſtráq; diripuit:& niſi noctis beneficio Græci ſeruati fuiſſent,uix aliquis eorũ uiuus à Gothorum manibus euaſiſſet. Siquidem Ioan. Vitalianus,& Arnulphus Herulorũ dux, qui cum Græcis militabat,Hydruntum fuga delati fuerunt,quò etiam milites,qui nocturno metu diſiecti fuerant,poſt paucos dies tanquam ad ſigna frequentes conuenere. Reddidit ea uictoria Totilę nomen ualde inclitum. Præclarũ quippe omnibus uidebatur,Regem cum exercitu magnam Italiæ partem emenſum tanta celeritate,quanta ne expeditiſsimus quidem curſor potuiſſe crederetur:nec ipſe lectica,aut rheda delatus , ſed pari cũ militibus labore equo profectus,armiſq; ſuis oneratus inceſsit. Nec multò poſt id prælium,aliæ à Iuſtiniano copiæ in Italiam miſſæ,Hydruntum peruenere. Imperator enim aſsiduis Belliſarij literis,quibus auxiliares copias poſtulabat,permotus reſcripſit,ut in Calabriam ad excipiendos milites ſe reciperet,ibiq; bellum aduerſus hoſtes aggrederetur. Duces uerò nouarum copiarum erant Valerianus qui Armenos,& Verus qui Herulos ducebat. Quocirca Belliſarius cum Imperatoris literas mandatáq; ſuſcepiſſet, partem copiarum ſuarum,Romæ & apud portum ſub cura & gubernatione Cononis legati reliquit: ipſe cum nongentis militibus delectis,quorum ducenti pedites,ſeptingenti equites fuerũt,mari delatus, Calabriam petere contendit. Erat uerò propoſitum eius Tarenti copias exponere,quod ab Hydrunto bidui itinere abeſt,eóq; in loco relictum exercitum cogere:ſed uento aduerſante coactus eſt copias in portu Crotonis exponere:ubi quoniam pabulandi facultas non erat,equites à peditibus ſeparatos ultra progredi iuſsit,& in finibus Thurinorum conſiſtere, ubi Ruſtia, locus ad res gerendas opportunus, Grecorũ præſidio tenebatur. Beſſas Hiberius,& Barbatio Thrax,prefecti equitum circa Ruſcianum loco ſatis munito conſederunt: ubi ſub primum acceſſum Gothos ex improuiſo adoriuntur,& facilè ſuperant imparatos. Sed cũ de parta uictoria ſe ſatis ſecuros putarent,& negligenter omnes hoſtiũ aditus obſeruarent,utpote qui nec ſaltus explorabant,nec ſtationes ordinabant,nec ſpeculatores diſponebãt, deniq; uelut omnia circa ſe pacata eſſent,procul à ſignis euagabantur. Id ubi Totilę compertũ eſſet, pari (qua nuper)celeritate ſaltũ occupat, Græciſq; ex improuiſo terrorẽ inijcit. Beſſas cum una equitum parte Gothorũ impetum aliquantulũ ſuſtinuit,ędidítq; interea pręclara belli facinora. Cęterũ eo cadente,fuſi fugatíq; ſunt alij,ac paſsim à Gothis teterrima cęde profligati. Barbation tamen duobus tantum equitibus comitatus aufugit:cęteri uel capti,uel interfecti fuerunt. Belliſarius autem tantæ cladis nuntium ualde moleſtè accepit,præſertim ob illam florentiſsimi equitatus iacturam,credebátq; uictores Gothos haud multo poſt affuturos. Proinde confeſtim & trepidè cum ſua uxore(quam ſuarum expeditionũ plurimum habuit comitem)nauim conſcendit,temeréq; ſe uentis permittens, Meſſanam caſu delatus eſt. Nec Romæ interea res meliore ſtatu erant,Conone,qui ad Vrbis præſidium relictus fuerat,militari ſeditione interfecto. Cędes à ducis auaritia orta eſt,qui cum in re frumentaria negotiaretur,arctiorem reddidit annonam. Miſerunt milites ad Imperatorem, qui ab eo peterent,ut huiuſmodi motus nemini imputaretur,quæ res niſi impetraretur, futurum dicerent,ut breui Roma à militibus Totilę traderetur. Fecit hæc minaciſsima legatio,ut uenia ſit militibus data. Obſeſsi uero Græci apud Ruſcianum oppidum,cum defectu annonę premerentur,ſermone cum Totila habito,certi temporis inducias paciſcuntur,intra quod tempus niſi ueniant ſubſidia,oppidũ dedere promiſerunt. Ex hoc iam apparatus fiebant, à Gręcis quidem ut illis opem ferrent,à Totila uerò ut prohiberet. Inter hæc Belliſarius ex Sicilia Hydruntum uenerat,& Valerianum militeſq; nouos à Iuſtiniano miſſos ſuſceperat. Itaque cum nec militum copię,nec nauium claſsis,qua ueherentur,deeſſet,omnibus confeſtim paratis Ruſcianum nauigant. Obſeſsi uerò claſſem cernentes (nam oppidum celſo loco ſitum mare proſpicit)ingenti lętitia exultantes ,conſtituta die deditionem facere noluerunt. At priuſquam littoribus naues appellerentur,ſubita ſunt tempeſtate diſiectæ. Deinde cum in Crotonis portu ſimul conueniſſent,& rurſus inde mouentes Ruſcianum redire diſpoſuiſſent, Totilas antequam naues appropinquarent,Gothos armari fecit:qui per littus contra proras nauium diſpoſiti,haſtis & ſagittis,ne claſsis appelleret,prohibebant. Quorum apparatum cum Græci conſiderarent,ac periculum horrerent,commorati aliquo tempore iuxta littus,quaſi mox deſcenſuri,tandem re deſperata,conuerſis retro proris abierunt.

At Belliſarius ad auertendum Gothos ab ea Ruſciana obſidione,Ioan. Vitalianum in Picenum agrum cum Valeriano et parte copiarum ire iubet,ibiq; res Gothorum ſubita ui bellica infeſtare:ipſe cum reliquo exercitu Romam ad militarem ſeditionem comprimendam abſceſsit. Totilas etſi bellum ex Piceno nuntiabatur,perrexit tamen Ruſcianum oppugnare,duobus millibus equitum miſsis,qui Picentes à Grecorum armis tuerentur. Nec qui Ruſciani erant diutius hoſtẽ tulerunt,quin omni ſpe ſubſidij abiecta,cum Totila incolumitatẽ paciſcuntur:quã non ſolùm à clementia Principis impetrarunt,ſed ut omnia ſua haberent,

benigno

benigno fauore permisit, si cum Gothis militare uellẽt: sin minus, ut cum singulis uestimentis præsidio decederent. Magna pars militum elegit potius apud Gothos, quàm Græcos remanere. Vnus Cologerius præsidij præfectus, qui autor fuerat ut oppidum post primum fœdus contra fidem retineretur, Totilæ iussu mutilatus est, atq; interfectus: oppidanorũ bona militi prædæ fuerunt: uirorum & fœminarum corpora libera Rex esse iussit. Hoc modo res Italiæ se habebant, cum Bellisarius à Iustiniano est in Græciam reuocatus. Hic enim cum omnia Imperatoris negotia per Italiam desperata haberet, effecit ut sua coniunx Antonina ab Imperatore enixius postularet suum ex Italia in Byzantium reditum: quod ideò facilius erat, quia bellum, quod Medi Iustiniano tunc inferebant, maximæ prudentiæ ducem optare uidebatur. Ita Bellisarius ex Italia reuocatus, quinquennio ferè postquàm uenerat, in Græciam rediens, nõ eadem fortuna fretus in hac ultima expeditione, qua in prima. Enimuerò non tam facilè potuit Totilæ prudentiam, sicut Vitigis credulitatem perfidè capere, & illaqueare, sed eo ipso toto quinquennio per Italiam, nõ ut dux exercitus, sed ut fugitiuus, & sibi undiq; ob praue conscientiæ labem formidans, huc illucq; diuertendo confugit. Imò non nulli fide digni affirmant, ipsum ante ultima fata sua à Iustiniano oculis orbatum, & omnibus fortunis usq; ad extremam inopiam spoliatum, per itinera publica obsoleto habitu stipem implorasse, & tandem in fata commiseranda concessisse. Relicturus tandem Romam, tria millia delectorum militum in eius presidio, quibus Diogenem legatum, uirum prudentem, & in rebus bellicis satis expertum, præfecit reliquit. Sub Bellisarij profectionem Gothi Perusiam longo tempore obsessam, ui & armis expugnauerunt.

Deinde Totilas expeditis Calabriæ Apuliæq; rebus, ad obsidionem urbis Romæ redire constituit. Faciebant enim ei animos Bellisarij recessus, & res Gothorum ubiq; per Italiam prosperæ, Grecis interim multa aduersitate confractis. Igitur contracto undiq; exertitu, Romam ueniens Vrbem obsedit, sed legati et militum maxima diligentia portæ, et muri custodiebantur. Itaq; in longum tempus obsidio protrahebatur, nec spes ulla Gothis relicta fuit nisi ut obsessi fame expugnarẽtur. Durante ea Vrbis obsidione, permulti ex Italia uiri, qui tunc Constantinopoli erant, summo studio Iustinianum precabantur, ut Bellisarium cum maioribus copijs in Italiam remitteret, ad obsidionem urbis Romæ dissoluendã, alioquin res ad manifestam ruinam tendere ostendebant. Hæc eadẽ Godingus ob id ex Vrbe missus, publico nomine postulabat. Iustinianus autem, etsi responderet, res Italiæ sibi curę esse, attamen differendo & procrastinando nihil efficiebat, donec importunissimis precibus infestatus, Liberium quendam ex nobilitate Romana Italico bello ducẽ pronunciaret. Sed quemadmodum ab initio in apparatibus bellicis faciendis uehemens fuit, ita facile alijs superuenientibus curis cõfestim intermisit. Quocirca irrita expectatione inter moras & apparatus tempus abscessit. At Roma interim durius obsidebatur. Gothi enim expugnata urbe Portuensi, ne quid per Tyberim ad obsessos importari posset, effecerant. Oppida quoq; Vrbi finitima ferè omnia in potestatẽ suã redegerant, ne quid auxilij inde Romam deferretur. Fuissetq; Vrbs facilè, inualescente fame, à Gothis superata, nisi Diogenis & eorũ, qui in obsidione premebantur, industria, tempestiuũq; consilium futuræ inopiæ præcauisset. Quicquid nim soli intra muros fuit uacuum ædificijs, frumẽto conseri fecerant: quo contigit, ut priusquã cõmeatus deficeret, matura sit seges intra Vrbis mœnia collecta. Erãtq; per hoc Romani diu laturi obsidionẽ, nisi aliquot Isauricorũ militũ astutia ad manus Gothorũ peruenissent.

Cum enim illi Isaurici milites portã Capenam (quæ est in uia Ostiensi, qua itur ad S. Paulum) custodiendam accepissent, atq; inter se cõquererentur, quòd multorũ annorũ stipendijs fraudarentur, simulq; grandia sperarent præmia, clàm ad Totilã profecti, pollicentur se eum in Vrbem introducturos. Qui etsi iã de tempore, & loco conuenerant, ueritus tamen Totilas, ne qua uis interueniret quominus sibi porta aperiretur, tale commentus est ludibriũ, ut duo tubicines fluuiali scapha sedẽtes nocturnò tempore aduerso Tyberi subuecti, Vrbi sese occultè insinuarent, inde repentè terribile classicũ ederent. Ipse uerò cum exercitu silentio profectus, non longè ab ea porta (quã diximus) consedit. Omnia successere Totilæ optata. Romani enim rati hostes esse ad eam partẽ, qua tubarũ clangor audiebatur, ad eum locum undiq; conuolarunt, & qui uigilias circa Vrbem obibant, eò trepidi concurrerunt. Dumq; omnes concursant, & cętera negligunt, Isaurici soli relicti, porta refracta Totilam & Gothos intra Vrbẽ receperunt: statimq; Gręci non de resistendo, sed de fugiendo cogitabant. Diogenes etiam præfectus, quando nulla remedia superesse uidebat, cum parte militum Roma egressus, Centumcellas petere contendit. Sed Totilas hoc fore suspicatus, insidias eo itinere collocauerat: in quas Diogenes incidens, magna suorũ militum parte amissa ipseq; grauiter uulneratus, uix atq; anxiè euasit. Est quoq; in Vrbe aliquot locis satis atrociter dimicatum: sed uir unus Cilix genere Paulus, equitum alæ præfectus, prælio pluribus

locis commisso, usque ad lucem memorabilem pugnam ædidit circa Hadriani molem, quo omnis Gothorum impetus incubuerat: alibi aut tantum fuga fuerat, aut breui certamen remiserat. Insederat ille pontem, molesque à tergo nonnihil opitulata est: insigniter hic certatum est, Gothis indignantibus, quod tam pauci uictoriam iam partam interpellantes, magnam stragem in uictores ædérent. Quod cum Totilas attenderet, receptui cani iussit, testatus stulti & dementis ducis esse, à uicto quæ gratis assequi posset, uelle suorum sanguine redimere. Teneant, inquit, locum, dum fames eos nobis tradat hic assidētibus intra biduum, aut triduum: nam ne in crastinum quidem paratum habēt, unde uiuant. Quibus uerbis apparet, ad id tempus Hadriani molem (quam nunc castellum Angeli uocant) sine commeatu & præsidio fuisse. Erant cum Paulo Cilice equites quadringenti fortissimi, qui postridie remissa pugna consultabant quid sibi potissimum agēdum esset. Erant qui equorum carnibus sustentandam obsidionem suadebant. Hoc rursus consilium horrorem quendam insoliti cibi habere uidebatur: fugæ uero spem circunfusa Gothorum agmina auferebant. Restabat igitur deditio, quæ eis uidebatur plena dedecoris, & terroris.

Tum Paulus ad eos uerba in hunc modum fecisse memoratur: Quocunque, inquiens, nos uertamus cōmilitones, extrema nobis adesse uidetis. Nam fugæ quidem nulla facultas est, circumfusis hostium copijs, ac nos impigrè obseruantibus: deditio autem supra turpitudinem, uilitatemque consilij, etiam Gothicam seueritatem pertimescit: durare uero in obsidione, ac carnibus equorum pasci, eorum forsan esset, qui auxilia sibi uentura expectarent: nobis autem ea spe carentibus, nulla ratio suadere hanc tolerantiam potest, nisi uilissima detractio mortis, ceu pueri formidolosi dolore confici malunt, quam ferro secari. Ego uero dedi hostibus, & tabescere inedia, eorum esse puto, qui cor & sanguinem non habent. At nobis manu strenuis, & præliorum non insuetis, gloriosa mors est complectenda. Sic enim moriamur, ut sanguine hostium madentes, non inulti cadamus. Nec rideat hostis nostro interitu, sed fleat: nec iugulum nostrum præbeamus hosti, sed iugulum suum ferro nostro perfringamus. Quid enim paucorum annorum accessio nobis prodesset, cum etsi nunc seruati, paulo post simus morituri? Gloria extendere uitam hominibus potest, natura non potest. Ite ergo mecum ad gloriosam mortem, quam ciues simul & hostes admirabuntur, ac laudibus perpetuis in cœlum ferent. His dictis equites uehementer incensi, sese morti deuouerunt. Quare complexi sese inuicem, & osculati, certissimo moriendi proposito ad dimicandum sese parant. Consilium erat in proximam Gothorum stationem impetum facere, ac cum totum exercitum in se uertissent, fortiter dimicando occumbere. Sensit id Totilas, ac simul ut uidit hostem ad extremum se casum preparare, ueritus ne desperatio, & uirtus paucorum maiorem Gothis cladem afferret, caduceatore ad eos misso conditionem obtulit, uellent'ne equis & armis relictis incolumes abire, an omnia retinentes secum militare. Lætati eo nuntio equites, præter ipsum ducem, qui cum Mindo Isaurico ad Iustinianum, ob coniugis & liberorum affectum, redire maluit, cæteri conditionem accepere.

Totilas, quemadmodum semper anteà ex Gothica pietate facere consueuit, Romanos qui in templa refugerant, incolumes præstitit: nec Vrbem aliquo modo uiolauit, sed summam diligentiam adhibuit, ut in pristinam dignitatem assurgeret. Aedificia uetustate, uel alio casu collapsa studiosè restituit: mœnia Vrbis, quæ Bellisarius semiplena reliquit, sine mora consummauit: ludos equestres, ac cætera magnificentiæ opera, quæ florentibus rebus celebrabantur, restituit, quo Romani ciues per ciuitates dispersi, maiore in patriam desiderio redirent. Iamque se non secus ac pater cum charissimis filijs inter Romanos modestissimè uiuebat, oblitus pristinæ seueritatis, qua in eos, dum pertinaces hostes essent, uti consueuerat. Hęc tanta uarietas, incredibilisque in moribus eius benignitas, ab illo prouenisse credebatur, qui corda Regum in manu sua continet, & quocunque uult ea conuertit. Alij ex uoto Apostolis facto processisse credunt, alij ad utilitatem, opportunitatemque belli totum referebant: alij arbitrati sunt eum permolestè tulisse, quod se Francorum Regis filiæ nuptias petente, esset uulgo à Gallis iactatum, non esse Totilam Italiæ Regem, cum Vrbem Romam ciuibus uacuauerit: qua suggillatione permotum ferunt, ad ciues reuocandos animum conuertisse. Sed uerisimilius est quod scribit beatus Gregorius, post primam Vrbis captiuitatem Totilā cum S. Benedicto Abbate congressū in Bauro, ubi ille uetustū Apollinis templum in monasterij usum uerterat. Volens enim Rex experimenta sumere sanctitatis, si Benedictus incomperta nosset, & famam prophetici spiritus operibus adimpleret, & uno ex comitibus (quem Regia ueste sua ornauerat) præmisso, ipse inter commilitones ad subornati Regis obsequium sequebatur. Prodierat in templi uestibulum Benedictus, magnanimum Regem humillime excepturus, cū turba illi obuia sese in duas partes scidens medium reliquit illum, qui superbissimo incessu gradiens Totilam simulabat.
Sed

Sed uir Deo plenus, quem nunquam uiderat cognouit, & ad reliquum comitatum abire iusso, Totilam oculis manuq; indicatum euocauit, hortatusq; fuit, ut Deum timeat, sanctimoniam ueneretur, iustitiam sectetur. Prędicit quòd Romam denuò caperet, & Siciliam in suam potestatem redigeret, & demum nono anno regni sui superatus occumberet. His itaq; beati Benedicti suasionibus effectum esse credebatur, ut Totilas deinceps se omnibus benignissimum demonstraret.

Expeditionem post hęc in Siciliam parauit: cuius rei gratia permagnam longarum nauium classem effecit: cui etiam multas onerarias naues adiecit. Dumq; ea parat, Centumcellas in ora Hetruriæ, terra mariq; obsidere constituit. Sola enim ea urbs in ea parte erat, quę nondum in Gothorum uenerat potestatem. Præerat eidem urbi Diogenes, quem nuper fugisse Roma ostendimus, erantq; circa illum milites haud cõtemptibiles. Totilas igitur, missis ad Diogenem legatis, uel pugna decerneret, uel urbem dederet, postulabat: at utrunq; est illis negatum. Respondit enim pugnam sibi in animo non esse, dedere uerò urbẽ (salua existimatione ac fide sua) non posse, nisi Imperatore commonefacto, ac auxilijs postulatis. Atque ita cum honesta & iusta dicere uideretur, conuentio quædam fit inter utranq; partem, nisi Iustinianus Imperator certior factus per se, uel per alium opem tulerit, ad cõstitutam diem Centumcellas Diogenem esse traditurum. In hoc pacto dantur utrinq; obsides, ut interim Rex nihil in urbem moliatur. Post hæc Totilas obsidione soluta, ad bellum Sicilię conuersus est, tentauitq; obiter Rhegyum expugnare: est id oppidũ in Calabria Siculo freto proximum. Termundus, qui urbis præsidio pręerat, ualida manu impugnationem Gothorum auertit. Igitur Totilas inde profectus Tarentum inuasit, estq; ea urbe breui potitus. In Siciliam deinde transgressus, post aliquot parum munita loca partim ui capta, partim dedita, Syracusas terra mariq; obsedit. Per idem tempus Gothi, quos ante secundam Vrbis obsidionẽ Totilas in Picenum aduersus Græcos miserat, militum supplemento aucti Ariminum cepere. Nec procul Rauenna conserto pręlio, Verum Herulorum ducem cum omnibus copijs deleuerunt. Et qui apud Rhegyũ obsidebantur, deficiente commeatu urbem Gothis tradiderũt.

Hæc cum in Italia fierent, Cethegus, Albinus, & Basilius uiri Consulares, Roma profugi, apud Iustinianum erant. Horum assiduis precibus Iustinianus fatigatus, ad Italicũ bellum reparandum, Germanũ patruelem suum ducem aduersus Gothos creat, magnosq; subinde apparatus fieri iussit. Huius rei fama cum in Italiã peruenisset, Gothos ad maiorẽ rerum gerendarũ curam excitauit. Obtinebãtur adhuc à Gręcis Hydruntum, Ancona, & Centumcellę, cętera uerò loca per totam Italiam & Siciliam, erant in potestate Gothorum: quę etiã multum inclinari cœperunt ad partes aduẽturi Germani, quòd Mathasuentam Theoderici neptem post mortem Vitigis uxorẽ acceperat. Cum aũt esset Germanus in Illyrico, Sclauinorum gens transmisso Danubio Romani imperij prouincias inuasit, tantumq; metũ Iustiniano intulit, ut Germanum iter in Italiam cœptum intermittere iuberet. Quæ res magnã prębuit Gothis facultatem, ut rebus suis ubiq; prudentius prouiderẽt. Præterea Germanus cũ adhuc in Illyrico esset, fato defunctus est. Exibãt interea dies, quos sibi Diogenes ad tradendum oppidum Centumcellas præstituisset, & iam tradere monitus, respondit, rem esse non sui iuris, esse ducem in itinere, cuius arbitrio res gerẽdę essent. Ignorabat enim se ab homine mortuo auxiliũ expectare. Imperator deinde factus de morte Germani certior, filios, quos secũ duxerat puberes, iussit patris loco exercitus curã suscipere, quòd per illos nõ minus, q̃ per patrẽ sperabat gentẽ Gothorum sibi conciliare, accedente procuratione Ioan. Vitaliani, qui Germani gener erat, & iam per Italiam rerũ gestarum magnitudine notus. Is cum adolescentibus exercitũ Salonas perduxit, inde aspirante primo tẽpore ueris Rauenã traiecturus.

Interea Imperator periclitanti Siciliæ opem allaturus, Liberium cum magnis copijs illuc emisit: qui non resistentibus Gothis Syracusas ingressus, maiori oneri q̃ commodo obsessis erat: nam aucta hominum multitudine, fames indies magis augebatur. Quamobrem pauco dierum numero euoluto, clàm inde egressus, & Gothorum insidias frustratus, Panormum euasit. Sed non diu in eodem proposito Imperator perseuerauit. Confestim enim ut Liberius cum adiunctis sibi copijs enauigasset, Artabanem in eius locum tradita denuò classe constituit, dato præcepto, ut Liberium remittat, & ipse cuncta per Riciliam disponat. Præterea mutato iterum atque iterum consilio, Narsetem Eunuchum suum ducem Italici belli declarans, Ioanni scribit, ne ex Salonis soluat, priusquam Narses in Illyricum peruenisset, penes quem totius belli summa futura erat. Valebat Narses plurimum gratia apud Imperatorem, cuius aulam suo arbitrio administrabat, uir ad omnia uirtutis opera natus, magnus quidem consilio, sed religione & pietate maior, qui multò plura sit uigilijs, & orationibus apud Deum consecutus, quàm cæteri armis conficerent. Erat præterea natura munificus: quæ uirtus in primis apta est ad fauorem conciliandum. Iuuerunt proinde

ducem

ducem in comparando bello conciliata hominum ſtudia, atq; omnium maximè Regũ quorundam amicitiæ, populorumq́; clientelæ, quos ille perpetuò apud Principem patrocinio protexerat. Exercitu itaq; opulentiſsimè inſtructo, ex Byzantio in Thraciam tranſijt, fuitq́; nonnihil Philippopoli de Hunnico tumultu ſolicitus. Enimuero ſub id tempus gens ipſa Macedoniam & Thraciam cæde, incendio, rapinis affligebat. Fortuna ducis, quæ ad res maiores eum trahebat, effecit, ut diſsipato Hunnorum exercitu, terror ille breui ſit diſcuſſus.

Narſes deinde in Italiam ducere perſeuerauit. Nec Totilas terribilẽ hoſtium apparatum contempſit, quin copiarum parte ſub ducibus ad Siculum bellum exequẽdum relicta, ipſe de minaciſsimi belli euentu ſolicitus, in Italiam transfretauit. Hic omnia circumſpiciens, primum omnium opulentam claſſem ad uexandam Græciam emiſit, & ad oſtentandã Gothorum potentiam id pertinere ratus, & ad hoſtium conſilia euertenda, ſi priuſquã Italiam inuaderent, audirent ſua domi ferro & igni deflagrare. Diripuit Totilana claſsis Corcyrã, inſulasq́; Corcyræ circumiectas: inde in continentem tranſgreſſa, Epirum, Acarnaniam, & Aetoliam incendio & rapinis deuaſtauit. Obſeruabant adhæc Gothi maris anguſtias, pluribusq́; Græcorum nauibus interceptis, omnia illis infeſta reddebant. Cæterùm dum hæc alibi geruntur, Ancona interim in Italia à Gothis terra mariq́; oppugnabatur. Valerianus Rauennæ præfectus, cum auxiliũ Anconitanis ferre proponeret, & uiribus ſuis diffideret, Ioanni Vitaliano periculum Anconæ urbis per literas aperit. Ille etſi præceptum Imperatoris haberet, Salonis ante aduentum Narſetis non moueri, tamen in tanto ſociorum periculo nihil cunctandum ratus, claſſem armis uirisq́; ſatis inſtructam educit, fitq́; in mari obuius Valeriano cum ſua claſſe proficiſcenti. Colloquiũ inter duces eò contendit, ut iunctis uiribus ferantur in hoſtem, ſocijs obſidione periclitantibus ſuppetias allaturi. Nec Gothi, qui à mari etiam Anconam premebant, pugnam detrectarunt. Fit igitur nauale bellum magnis utrinq; uiribus, & pertinaciſsimis animis: diuq́; anceps pugna fuit, donec Græci maritimarum rerum expertiores, Gothos ad talem pugnã inſuetos ſuperarunt. Naues aliquot cum militibus merſæ perierunt, nonnullæ fuga elapſæ ad littus peruenerunt: quas Gothi, ne in uſum hoſtium uenirent, igne immiſſo combuſſerunt. Deinde relictis caſtris, obſidionemq́; ſoluentes, ad Auximum urbem conſternato animo abierunt. Græca claſsis portum ingreſſa, ingenti Anconitarum lætitia, mutuaq́; gratulatione excepta eſt, hoſtium caſtra direpta, ac quicquid in eis commeatuũ fuit, in urbem eſt delatum. Ipſi duces Ancona digreſsi, Valerianus cum ſua claſſe Rauennam, Vitalianus Salonas diuerſi petiere.

Hæc pugna uehementer effregit Gothorum animos, ut ex hoc tempore magna fuerit inclinatio rerum Gothicarum. Totilas enim hac aduerſa pugna concuſſus, magnã copiarum partem ex Sicilia reuocauit. Itaq; Artabanes Iuſtiniani pręfectus (qui Liberio ſucceſsit) potentior per Siciliam factus, non ſolum liberauit obſidione ſocios, uerũetiam Gothos pluribus locis per oppida obſedit. Nec multò pòſt Crotoniatas longa obſidione Gothorũ fatigatos, claſsis Gręcorũ ex improuiſo ſuperueniens liberauit, ac hoſtes multa cæde perfregit, & profligauit, quibuſdam ex Gothis ad urbem Tarentinam, quibuſdam ad Scyllęum montem propinquum ſe recipientibus. Quę quidem ſtrages ſuperiori cladi adiuncta, multò magis Gothorum animos afflixit. Etiam præfectus Tarenti Regnaris inter Gothorũ duces pręclarus, alterq́; Morras, qui Acheruſiæ præerat, cũ oppidis quæ cuſtodiebãt, & cum militibus qui erant in pręſidijs, à Totila ad Imperatorem defecerũt: & motus quidam in Sardinia aduerſus Gothos excitatus nuntiabatur. Cùm hic eſſet rerum per Italiã ſtatus, Narſes per brumam copijs congregatis, ſe ad iter comparauit, ducto ſecũ tanto exercitu, quantũ uix alij ſimul omnes duces in Italiã hoc bello adduxerãt. Erat enim pecunijs abundans, & in largiendo munificus. Multa undiq; arma non ſolùm ex Thracia & Græcia, uerũetiam ex alijs locis copias ingentes contraxerat. Nam & Alboinus Longobardorum Rex, qui Pannoniam ſub armis regebat, duodecim millia lectorũ militum ad id bellũ in Narſetis gratiã miſerat. Procopius tamen non amplius q̃ quinq; millia prodidit. Paulus uerò, & Sigisbertus, & Guido Rauennas, numerũ maiorem poſuere. Affuerunt etiam Narſeti tria millia Herulorum, Hunnorũ quoq; maior numerus, & Perſarũ multitudo haud contemnenda. Acceſſerunt & Gepidarum copiæ, ne aliqua illarũ Orientalium partium natio defuiſſe uideretur. Erant pręterea in Illyrico cum Ioanne Vitaliano ingentes copię, quę ſimul cum alijs coniunctæ, exercitum innumerabilem effeciſſe uidebantur, aut certè multò firmiorẽ & inſtructiorem, q̃ ullus unquã antea ex Byzantio miſſus fuerat. Viſaq́; ſunt omnia Orientalis imperij regna ſuis ſedibus auulſa, cõtra Gothos properare. Iuſtinianus quoq; (ait Procopius) miſſo oratore Leontio, Theudibaldũ Francorũ Regem in Gothos ſolicitauit: quę omnia ſummè neceſſaria fuiſſe affirmat Sabellicus: nũquam enim (ut ille inquit) à principio Gothici belli maiores fuere Gothorum opes in Italia, nec cum acriore hoſte erat bellatum, aut ſolertiore, q̃ erat Totilas.

Narses igitur ut primum uer aduentaret, ex Dalmatia per Liburniam, Histriam, & Iapidiam Italię fines ingressus, circa Aquileiam consedit. Inde duo itinera erant, quę Rauennam ducebant, aliud breuius per maritima, sed ibi paludes, & stagna, & fluuiorum ostia difficultatem plurimam præferebant: aliud mediterraneum per Veronam, & fluminum uada, ubi pauci multorum transitum facilè impedire possent. Sicut enim ripæ, ita & aquæ in altum descendunt, ut difficilè transeantur. Totilas eas sciens itinerum difficultates, Teiam ex ducibus præstantissimum misit, ut apud Veronam consistens, Narseten transitu Athesis prohiberet, aut si uiribus ea fluuiorum impedimenta superasset, propè sequens quocunque uaderet à tergo infestaret. Hęc cum Narseti insinuata essent, duodecim millia equitum Longobardorum per mediterranea misit, ut hostem detineant, donec ipse cum cęteris copijs maritimo itinere Rauennam perueniret. Itaq; Longobardi, gens Gothicam originem & fortitudinem referens (ut suprà memorauimus) ab Aquileia profecti, nullo prohibiti impedimento ad Athesim peruenerunt. Erat autem tunc mensis Iulius (teste Agnello) quando Narses Rauennam intrauit. Quare tunc facile fuit Longobardis uado, aut ponte facto Athesim transmittere. Exinde Tartarum & Mincium, qui amnes per æstatis sydus parum aquis tument, transgreßi, nullo prohibente ad Padi ripam è regione Brixillæ peruenerunt.

Teias paucitati suorum diffisus, hosti tot copijs succincto congredi non audebat. Narses autem nauibus Venetorum adiutus, fossas ac paludes, lacus & ostia fluminum transiens, Rauennam cum toto exercitu intrauit. Ibi postquam nouem diebus recreandi exercitus gratia consedisset, Romam adire contendit. Euntem Vsdrilas Gothus, uir impiger, cum esset Arimini præfectus, impedire conabatur. Dimicatum est acriter ante urbem. Sed cum Vsdrilas uehementius in hostes irrueret, telo transfixus occubuit. Amisso duce milites animo perculsi in urbem refugiunt. Caput Vsdrilæ ad Narsetem relatum est. Narses uerò tali est lætatus augurio, quòd primo congressu dux aduersæ partis à suis interfectus esset, atq; in maximam spem erectus iter ad Romam accelerabat. Quamuis enim facili negotio Ariminum in suam potestatem redegisset, noluit tamen tantas copias unius oppidi obsidione occupari. At Longobardi, qui iam ad Brixillæ mœnia consederãt, multam ex uicinis agris prædam congerebant. Quo comperto Totilas ultionis cupidus, atq; illatarum iniuriarum impatiens, ex Circumpadanis, & tota Cisalpina Gallia milite euocato, præceps in hostem fertur, ne Teia quidem fortißimo duce expectato, quem ex Verona accersiuerat. Longobardi, quia equitum numero præstabant, etsi magnus erat Gothis peditatus, pugnam ferociter capessunt. Totilas (quod plerisq; summorum ducum accidit) nullum eo die, ut qui sibi esset ultimus omnium humanorum operum, optimi ducis officium prætermisit, aut in disponenda acie, aut subsidijs locandis, prælioq; reparando: nec unquam circumspectius, fortiusq; pugnauisse uisus est. Sed tum fortuna fuit, ut Totilas Gothorum Regum fortißimus, à Longobardorum gente superatus occumberet, quasi in fatis fuisset, Gothicam gentem à nullo populo, nisi qui ab eorum prima patria erupisset, superari potuisse. Enimuero hi & illi (testantibus ueris historijs) Septentrionalem insulam Scandianam primam suæ originis patriam (ut dictum est) agnoscunt. Perijt itaq; Totilas nono anno postquam regnare cœperat, quod ei in Baura à beato Benedicto (ut diximus) longè antea fuerat præmonstratum. Fateor tamen Procopium aliter de obitu Totilæ scripsisse, eiusq; occisionem postquam undecimum annum regni sui attigisset, non Longobardis, sed Græcorum copijs attribuisse. Sed ego in hac re maiorem fidem tribuo historijs Italorum, qui affirmãt Procopium longè antea cum Bellisario ex Italia discesßisse, & ob id Totilæ cædem minus compertam habuisse. Vtcunq; tamen fuerit, certum est, clarißimum atq; potentißimum Regem, post plurima & admiranda fortitudinis opera uita decesßisse, ut sit toto memorabilis æuo, siue ipsum origine Gothum (prout erat) affirmauerimus, siue etiam Venetum dixerimus: quia natus erat Taruisij in sua paterna & hæreditaria urbe, quæ inter clariores Venetiarum ciuitates famam & gloriam obtinet immortalem.

Adhuc de exercitijs militaribus.

CAP. XVI.

SOlent etiam Septentrionales equites præstantiores equos nominibus proprijs, signis, & coloribus certis ad se uocare, ut canum more in inuijs, deuijs, rupibus, ac paludibus liberè gradientes, habeant adiutores, ut iubis eorum manibus innixi, subita lassitudine non succumbant. De quibus Saxo libro

14. ac alibi plurima atteſtatur: ſed intimius adhuc Solinus de miro affectu, & ingenio equorum aliqua enarrat, & inter alia ex Plinio allegat: Regem Scytharum, cum ſingulari certamine interemptum aduerſarius uictor ſpoliare uellet, ab equo eius calcibus, morſuq; laniatus eſt. Præterea cum prælio Antiochus Galatas ſubegiſſet, Centaretrij nomine ducis, qui in acie ceciderat, equũ ouaturus inſiluit: isq; adeò ſpreuit lupatos, & tyrannicos ſeſſores, ut de induſtria curuatus ruina & ſe & equitem affixit, et peremit, ut ſequenti cap. dicetur. Profectò talium equorum pretium præſenti æuo mereretur magnum gradum, ſi eorum arte, uel natura tot impij, ac crudeles tyranni præcipitari, ac confici poſſent, quot parturiunt nimium fœcundi parentes ad irreparabilem multorum calamitatem.

De quorundam equorum doloſitate.
CAP. XVII.



CVm apud Veſtrogothos equi reperiantur non minus pulchri, quàm animoſi, atq; ad omnia ſubeunda certamina, & onera præſtantiſsimi, quia à ferociſſimo equorũ genere hyemalibus paſcuis ut plurimum enutrito producũtur, ideoq; importunius ab omnibus preſertim nobilibus, & militaribus uiris, ſatis caro pretio comparantur. Cum uero caſu aliquo tales equi raptu, uel furto, aut alia quauis negligentia à iuſtis poſſeſſoribus auferuntur, nunquàm, aut rarò nouis ſeſſoribus adeò uiuacem ſpiritum, aut firmam ſecuritatem in periculis exhibent, quemadmodum priſtinis alitoribus ſuis mira agilitate præſtare ſolebant. Signis enim ſecretis in uoce, ſono, tactu eos inſtruunt, quibus admoniti hilarius ad imperata, quàm ſi calcaribus urgerentur procedunt: imò ſignis huiuſmodi à ſeſſoribus non perceptis, duo præcipuè mortis pericula, uel mortem ipſam, inferunt eiſdem. Aut enim freno mordicus ore apprehenſo, capiteq; inter tibias ſubmiſſo, & clunibus in altum leuatis à dorſo antrorſum equitem excutiunt, aut ſeſe in poſteriores pedes erigunt, & in tergum ſupinè caſuros exponunt, ut impoſsibile ſit ſeſſoris ceruicem non diſrumpi, aut caput non excerebrari. Volens hic ſileo caſos quorundam Principum, & illuſtrium uirorum Aquilonarium, qui ſic periere. Qui enim equos tales à primis educatoribus uiolentia, uel licentia extrahunt, contemnentes petere qualibus ſignis uenient dirigendi, illicò quàm impetuoſi ſint, experientur. Verum pro recentioribus annis opportunius, quàm aliàs ullo priori æuo remedium domandi tam feroces equos repertum eſt, ut nunquàm, uel rarò, niſi negligentia turpiter interueniente, aliquis præcipitetur ab equis, præcipuè etiam quia omnia equitandi inſtrumenta modis omnibus proportionata, afferunt ſecuritatem.

De externis exemplis malignorum iumentorum.
CAP. XVIII.

QVia gentibus Septentrionis uix notitia eſt, qualis fuerit equus ille Seianus, de cuius forſan uſitato nomine magis, quem maligno euentu, plurimi plura referre nouerunt. Igitur talis erat, ut quotquot ob eius eximiam præſtantiam eum equitare uolebant, tot in præcipitia, mortemq; ruebant. Aſſeritur enim fuiſſe magnitudinis inuſitatæ, ceruice ardua, colore phœniceo, flaua & comanti iuba cæteriſq; equorum laudibus inſignis: hunc tamẽ quiſquis poſsideret cum omni domo,



domo & familia, ac fortunis in perniciem deduceretur. Itaq; Cn. Seium primum eius dominum, à M. Antonio capitis damnatum, miserabili supplicio uitam constat finiuisse. Eodem tempore Dolabellam consulem in Syriam proficiscentem, fama eius equi permotum, Argos diuertisse, emisseq; sestertijs centum millibus, sed ipsum mox in Syria bello ciuili obsessum, atq; interfectum fuisse. Deinde eundem equum C. Cassium qui Dolabellam obsederat, adduxisse: quem Cassium posteà uictis Parthis, fusoq; exercitu suo, miseram mortē oppetisse manifestum est. Deinde Antonium post interitum Cassij parta uictoria, nobilē illum equum quæsiuisse, & mox eo potitum, uictum, atq; desertum miserabili exitio interijsse. Vtcunq; sit, annectendum hic puto, & ualde cauendum, quod equi in prælijs aut alibi sagittis in latere, uel umbilico, uel coxis icti, sæpius in posteriores pedes eleuant, dorsotenus cum sessore casuri, prout Herodotus plurimis in locis de Parthorum equis attestatur. Est etiam in pari prouerbio communis relatio de auro Tolosano, quod quicunq; illud attigit, à templis exportando, ille misero, ac cruciabili exitu perierit, prout Strabo lib. 4. reliquit manifestum. Aurum igitur Tolosanum, teste Iustino lib. 32. fuere argenti pondo quinquies decem centum millia, auri pondo cētum decem millia, quod sacrilegium causa excidij Cæpioni, exercituiq; eius fuit. Pondo, interprete Budęo de Asse, continet libras decem.

De militaribus exercitijs.
CAP. XIX.



INter alia Septentrionalium bellatorum seu equestrium exercitia, unum erat pręcipuum, ut quicunq; tentaret ea ingredi, et prosequi, haudquaquàm ambigeret sub ardua se patientia ferream disciplinam subiturum: primum quòd contra sæuissima elementa cunctorum certaminum initia esset ingressurus, uidelicet hyemales uigilias in glacialibus castris facessere, nec à loco quocunq; frigore, uel tempestate sæuiente auelli: deinde famem, æstumq; die ac nocte necessitate urgente pati: præterea equos ad omnem pugnandi insultum, & motum agitare, contos circum humeros gyrare, equosq; in saltum, per fossata, sepes, ac trabes cogere, ut in bellicis simulachris sub florida pace, quæ rarissima apud Martiales cernitur, continuè addisceret quæ postmodum in acerrimis certaminibus pro patria libertate pugnando, uelut regulam obseruaret. Qua industria militantium animos assidua exercitatione lex militaris corroborabat: nam & decurrere eós cogebat, & in equum agiliter desilire, armatosq; tripudijs agitari, & tuba classicum personante obtundi, ne forte ex quiete, & otio bellorum obliti, uel ignari in ueris prælijs remollescerent, aut in turpem fugam laberentur. Vt enim otium in omni re perniciosum est, ita in militaribus disciplinis noxium, & abhorrēdum. Quippe sub eo militare genus hominum suapte natura ad res optimè constitutas commouendas, & conturbandas promptum, in mille seditiones & proditiones illicò ruit: primumq; proprios Principes, quorum negligentia otiari, uel lasciuire permittuntur, uel hostibus domestica fraude instructa produnt, uel in aperto prælio crudeliter perimendos ostendunt. Sed longè detestabilius otium est, quando ab ipsis Principibus supremis ad subditorum eneruationem assumi uidetur, prout infame poteris argumentum magni autores tradunt Heliogabalum reliquisse: qui peractis infinitis ineptijs, tandem per scurras occisos est, ac per plateas, et cloacas sordidissimè tractus & in Tyberim submissus. Idem de Galieno homine socordissimo

dissimo, alij sq́ similibus naturæ potentis, infinita patent exempla.

De Galieni Socordia & ignauia
Ioan. Mag. lib. 6.

Respa & Veduca, pluresq́ alij insignes principes in Gothorum gente, regnante adhuc Cinna (si uera sunt antiqua Gothicarum historiarum fragmenta, quæ uideram) emerserunt eo potissimum tempore, quo Valerianus ob grauissimas persecutiones, quas innocentibus Christi seruis intulerat, ad ignominiosam Saporis Persarum Regis seruitutem redactus fuerat, ita ut illi equum ascendenti tergum pro scabello subnixus præberet. Deuenerat interea Romanum imperium ad turpissimum quendam filium eius Galienum, otio & luxuria deditum: sub quo nulla pars Reipub. fuit, nec ulla prouincia (una duntaxat Italia excepta) in qua non sit tumultuatum: totq́ rebelliones eodem Galieno Principe extiterunt, imò tot tyranni, qui Imperatoris nomina tulerunt, quot à Cæsare Dictatore ad id tempus in tam longa Imperatorum serie nunquam inuenti fuere. Assignantur à Trebellio Pollione triginta numero, qui uno tempore alius alijs terris exercuere imperium: in quibus fœminæ etiam quædam Romano nomini illusere. Adeò uel Galieni inertia ludibrio fuit omnibus, uel fato quodam id fieri contigit, ut quando omnia orta intereunt, imperium tot fortium uirorum uirtute propagatum & auctum, quia mox paulo fuerit inclinaturum talibus fortunę ludibrijs, pręsagio quodam futuri excidij labefactari cœperit. Igitur Gothi supra licentioris euagationis audacia, (ut Eusebius breuiter commemorat) Pontum, Asiam, Macedoniam, & Gręciam populati fuerunt. Simili breuitate Orosius eandem cladem perstringens ait: Græcia, Macedonia, Pontus, & Asia Gothorum inundatione deletur. Alij uero, in quibus est Iordanes, latius rem explicant, asserentes ipsos ductu Principum prædictorum classem bellicam uiribus et armis munitissimam usq; ad Hellespontum promouisse, deinde Asiam minorem peruasisse, Ephesum cepisse, & deuastasse, incenso illo famosissimo in omni terrarum orbe Dianæ Ephesianæ templo, quod olim suæ gentis fœminæ Amazones fundauere, uolentes fortè exemplo illius primi incendiarij ex ea conflagratione nomen assequi sempiternum.

Qui rursus prouecti in Bithyniam, Chalcedonem claram urbem subuerterunt, quam postea Cornelius Abitius aliqua ex parte reparauit, uisaq; fuit nonnihil reflorescere, attamen ueteris ruinæ uestigia diu præferebat, Troiam, Ilium'q;, quæ uix à bello illo Agamemnonico aliquantulum respirabant, rursus hostili mucrone deleuerunt, uicinisq; urbibus aut euersis, aut populatis in Thracias abierunt: ubi ad radices Hemi montis urbem inuadunt Anchalitanam, quam dudum Sardanapalus Parthorum Rex (teste Iordane) ex fundamentis erexerat intra limbum maris, & Hemi montis radices. Ibi Gothi calidarum aquarum balneis plurimum delectati, multorum dierum mansionem continuauerunt. Illæ enim quinto decimo milliario ab ea urbe distantes, ab imò sui fontis igne scaturientes tam salubres esse creduntur ut uix in uniuerso orbe æquè salutares pro reparandis hominum membris inueniantur. Tandem omnibus pro uoto potitis, præda ingenti locupletati in suam regionem redierunt. Emersit demum inter tot negligentes Romanæ Reipublicæ præsides unus magnanimus capti Imperatoris Valeriani dux Martianus, qui cooperante Balista pretorio præfecto etiam postea imperauit. Hic collectis undiq; copijs, duxit in Gothos per Mæsiam & Thraciā digrassantes, conatusq; est eos extra Romanas prouincias effugare. Sed maiores tunc erant Gothicæ gentis uires, quam quod possent dispersis imperij uiribus superari: auctaque fuit eorum potentia totis quindecim annis, quibus Romana Respub. uel ob Valeriani captiuitatem, uel ob Galieni socordiam infeliciter laborabat. Testatur id Trebellius Pollio in uita Galieni Gothi, inquiens: Occupatis Thracijs Macedoniam uastauerunt, Thessalonicam obsederunt: quæ omnia contemptu Galieni fiebant, qui publico Romani imperij malo natus, nulli honestæ & pręclaræ rei utilis uidebatur. Cætera eiusdem Galieni gesta Palphurius Curas, & Trebel. Pollio referant. Attamen insignem ineptiam, quam idem Trebellius eidem Galieno tribuit, silere non possum. Galienus, inquit, quasi aliquam rem grandem & triumpho dignam fecisset, simulatas gentes, utpote Gothos, Sarmatas, Francos, Persas in triumphum duxit, putans se Romano populo eludere posse.

Adhuc



Adhuc de eisdem militaribus exercitijs externis.

CAP. XX.

MEminit præterea Fran. Irenicus lib. 2. cap. 24. Germanis fuisse familiare, in gyrum equos uertere, ac in altum leuare: uerum ego assero primùm apud Gothos Septentrionales equos in gyrum uertere plurimum in usu fuisse, perpetuaq; disciplina durare. Sed abolita est, & in contemptum redacta consuetudo, equos in altum ob rationes supradictas leuare, dum æquè aptum attenderent, ex equo in duos posteriores pedes erecto pugnare, uelut bipedem armatum manibus ac pedibus humi serpentem, hostem impetere conto. Sicut enim natura unicuiq; animanti uires in singulis membris pulchrè præscripsit, ita & eis ornatius est utendum. Quam periculosum autem, & inutile sit, ex equo sursum eleuato pugnare, uideatur superius cap. 18. & cap. 17. Ceterum Vegetius lib. 1. de Re militari hæc asserit: Equorum salitio non solum à tyronibus, sed etiam à stipendiarijs militibus districtè semper exacta est: tantaq; cura huius rei solet esse, ut non solum à dextris, sed etiam à sinistris partibus & insilire condicerent de silice. Hoc enim assidua meditatione faciebant, ut scilicet sine mora in tumultu prælij ascenderent, qui tam studiosè in pace se exercebant. Idem lib. 3. Equi cataphracti propter munimenta, & arma, quæ gerunt, à uulneribus quidem sunt tuti, sed propter impedimentum, et pondus armorum, facilè est ipsos capi, quia frequentius contra dispersos pedites, quam contra equites in certamine sunt obnoxij. Melius tamen ante legiones positi, uel cum legionarijs mixti sunt, quando cominus (hoc est, manu ad manum) pugnatur, quia aciem hostium sæpe rumpunt.

De multiplici genere bellatorum.

CAP. XXI.



VErtitur inter militares homines sæpius admiratio, quomodo nonnulli bellis acerrimis implicati, uel uiui, uel saucij campum, seu pugnam exeunt, qui primi uidentur, & permanent in prelio, ac ultimi sunt in exitu, uel fuga; frequentiusq; ad interitum impetuntur: & ob id aduertendum est quatuor esse genera bellatorum. Primum eorum, qui fortitudinem modestia temperantes, rebelles acrius cedunt, fugientibus instare erubescunt. Hi siquidem diuturna armorum experientia certiora uirtutis testimonia prosequentes, gloriam suam non in uictoriam fuga, sed uincendorum expugnatione constituunt, cuneos in acie condensantes. Alij, qui corporis, animiq; uiribus freti, sed nulla miserationis parte præditi, in hostium tam terga, quàm pectora communi cædis atrocitate deseuiunt. Hiq; iuuenilis animi calore prouecti, tyrocinij rudimenta bellorum auspicijs ornare contendunt, tamq; ætatis, quam laudis ardore inflammati, in fas nefasq; ruunt, nulla periculorum discretione pensata. Tertij, quibus inter metum & pudorem anxijs, progressum terror adimit, recursum ruboris obstaculum tollit: qui sanguine clari, inaniq; tantum proceritate conspicui, aciem numero, non uiribus densant, hostemq; umbra potius, quàm armis feriunt. & in bellatorum grege solo corporum spectaculo censentur: qui licet sunt magnarum opum domini, genere quàm animo prestantiores, plus tamen ignauiæ, quàm nobilitatis uiribus indulgere uidentur, nihil preclari audentes atten

tare. Quarti, qui speciem, non rem in bellum perferunt, seq; extremis sociorum agminibus inserentes, primi fugam, postremi prælium gerunt: in quibus imbecillitatis habitum certi pauoris indicium detegit, cùm semper quęsitis de industria subterfugijs, pugnantium terga timidioris progressus pigritia subsequuntur. Hæcq; bellatorum quatuor genera Saxo clare commemorat lib. 4.

De differentia Ducum.
CAP. XXII.

Attenditur prætereà ducum differentia, ubi unus tardus, & timidus est: alter ferox, & perspicax: unus ingenio, atq; militari disciplina instructus: alter uagus, temerarius, & pertinax: unus prospicit commeatum, præcauet insidias, uires hostium ponderat, tempus pugnæ eligit, arma perlustrat, aciem instruit, & subsidijs firmat: alter ordinem militum non attendit, locum non explorat, signa non distribuit, impedimenta non remouet: unus graues, & cunctabundos pugnatores hostibus obijcit: alter tyrones, aut mala disciplina institutos exercitus accipit, quorum fæda fiducia ductus, paucissimis hostibus circumseptus occumbit. Plurimum nanq; in bellis pollere uidentur militum copiæ uiribus, exercitijsq; instructæ: prȩterea ducum ingenia, & experimenta humanæ fortunæ coniuncta: quę potentior uis est in bellicis rebus. Verum uel tanta nobilitas militum, uel fortunę uarietas incidere solet, ut uicissim nunc exules, nunc Reges uidentur: & ita de uniuscuiusq; incerto euentu cogitandum erit. Prȩterea quòd exercitus propter inconsueti aëris incommoditatem plerunq; dissenterię morbo grauiter exagitari possit, atq; illico interire. Deinde quòd bellatores prȩcipuè sacrilegos, aduersus sublime numen prȩliantes (ut Iustinus attestatur) elementorum uis, tempestas scilicet, & grando, & frigus, multos absumere solent, quasi uulnere sauciatos. Insuper & assidui imbres, gelu, nix concreta, fames, lassitudo, pecuniarum defectus, murmuratio afferentium necessaria, & absentia ducum, discordia militum, & pessima susurratio seditiosorum, ac portensa deceptio adulatorum, qui apertis auribus ficta pro ueris suggerunt, uariant, atq; uictoriam adesse promittunt, & in exitu plus lingua, quàm ensis hostilis sublatis opibus, & Principis uitę nocuisse uidebuntur. Væ igitur illis, qui talibus delectantur malis.

De armis, & cautelis equestrium.
CAP. XXIII.

Ingressuri Septentrionales equestre certamen grauibus lanceis, & densis, earum cuspides non serico (ut dictum est) aut aureis filis exornant, sed caudis uulpium aut luporum, in despectum quorumcunque inimicorum. Nunquàm etiam uexillatis hastis more Persarum, aut Grȩcorum utuntur, qui eo apparatu præstigioso, ueluti primo stratagemate, satis acriter putant fugare, uel saltem territare quemcunque uenturum hostem. Ballistis tamen, seu arcubus chalybeis, atque corneis, ob maximum ictum, & uehementiam eius robore concitandam, utuntur: sunt etenim fidelissimè fabricati, prout omnimodæ sagittæ eis coniunctæ. Demum gladijs tam longis, quàm strictis, & incuruatis: quibus, perfractis lanceis, punctim, uel cesim utuntur. Similiter & latis ensibus, utraq; manu uersatilibus. Item malleis ferreis unco incuruatis: quibus districtius galeas penetrant, & infringunt, quàm quouis alio præliari instrumento: imò huiusmodi malleis aut equitem à iumento extrahunt, aut ipsum equum excerebrant, ut sessorem exturbent. Item cominus pugnando, multo ac uario genere utuntur pugionum, & telorum, stricto uidelicet & lato, bicipiti, curuato ac hamato, prout in parte superius est expressum. Tegmina equorum chalybea sunt, aut ferrei thoraces, uel coriarij,

coriarij, calce uiua macerati, et ferreis filis ob gladiorũ sectiones prǣmuniti. Eoq; modo instructi, acies plures à seinuicem paululum, si opus sit, distantes, prouidentius instaurãt, ut una alteri hoste ingruente mox aduolatura succurrat: summeq; nituntur, ut hostem instar turbinis circulo includant, ne eius astutia, aut longis stratagematibus ipsimet inuoluantur: utq; id opportunius faciant, certis signis speculatorum, tibicinumq; diriguntur.

De alijs cautelis.
CAP. XXIIII.

CAuent etiam diligenter, ne hostem cauillosè fugientem celerius, quam cautius (rapina quauis relicta) insectentur. Fuga nanq; simulata & tectis insidijs plures quandoq; perimi solent, quam Marte truculento. Neq; etiam si hostis necessitudine, uel uoto campum exierit seipsos continuo dispergere solent. Nouere etenim eò inimicorum studium ferri, ut quos fortiter unitos, & mutua defensione securos disturbare nequierint, modis omnibus disgregatos insiliant, & confringant. Nec etiam armis, thoracibus præsertim, durante certamine se denudant, ut lectis more mollium incumbant: sed primam, præcipuamq; de iumentis suscipiunt curam, ut saltem arborum ramis, quibus etiam assueti sunt alio non occurrente pabulo, reficiantur. Interim ipsi equites dulcius in saxis, uel humo nuda quiescunt. Nec desinunt continuis speculatoribus explorare, an hostiles insidiæ per syluarum latebras præmissæ sint, aut post tergum propè, uel à longe relictæ: etiam an pontes uiciniores abrupti: aut sustentacula eorum mediotenus per limam scissa, cum id insidiandi genus nõ ignorant prǣsentissimam afferre mortem Notant etiam signis diligentibus, quæ saxis, uel arboribus imprimunt, ubi facilius uel aggrediendo, uel declinando hostem, uada fluminum celeri transitu sunt tutiora: item iniqua loca, uoraginosum solum, paludem limosam, & montium asperitatem, præterea strictos saltus, & nemora obscura, ac ignem scintillantem: quas quidem cautelas, aliasq; eisdem similes, etsi diligenter obseruant, transfugarum tamen dolis, quibus Saxo Sialandicus in tota sua historia Danos abundare meminit, pluries circumueniuntur: quia et ij adulterino signo præliantes, quasi sociorum uti solent, maximè ut aduersarios turbent ab equestri ordine, et disciplina, dum contentio oriatur de ueritate uexilli. Summeq; cauent Aquilonares, ne solaribus radijs pariter, & hostibus ab Austro imminentibus (ne oculi eorum hebetentur) sese opponant, sed procurato ex industria loco obliquo, & duro, eisdem inimicis occurrant.

De certis breuibus cautelis à Iordane in conflictibus Gothorum annotatis.
CAP. XXV.

NOuerunt Gothi confligere cum superbis, quia etsi loca inhabitant diuersa, uniti tamen consilijs ad bella procedunt.
Sicut famosum prælium, ita multiplex, & perplexum.
Loci opportunitas non paruam uictoriæ partem pollicetur.
Facile assumit pugnandi necessitate, qui fugiendi non inuenit locum.
Audaciores sunt, & insolentiores, qui inferunt bellum.
Dissonæ gentes pauorem immittunt, uel pariunt.
Abscisis membris, membra relabuntur.
Nec corpora persiant, quibus ossa sunt subtracta.
Morituros in otio fata præcipitant.

In formidine belli præsentia Regis sortitur spem meliorem.
Fragile munimentum quandoq; uitæ subsidium præstat.
Hostis fractꝰ quãdoq; tubis territat inimicos, ueluti loco uenabulis pressus.
Fatigandus est obsidione, qui annonæ copia caret.
Sellis equinis construitur agger.
Fortibus uiris digna debentur funera.
Modestum regimen non parit in competitore certamen.
Indignum facinus priuatum malum publico resarcire.
Astuti Principes alibi minantur, alibi arma inferunt.
Par fraus, & astutia, spem uictoriæ alit.
Incomposita regnandi initia, surreptionis opportunitatem promittunt.
Generosi animi est, post uictoriam non sæuire.
Degener animus nec libertati studet, nec fidem præstitam seruat.
Sentiet iratum, qui proprium dominum crediderit contemnendum.
Suadetur bellum in uicinos, ut in proprijs pax habeatur.
In eis sæpe regna deficiunt, à quorum nominibus inchoant.
Vitam truculentam sæuissima mors imitatur.
Attila uino, somnoq; grauatus, fluxu sanguinis è naribus obijt.
Fatales exitus nullus uindicare præsumit.
Diuersis insignibus ornatur aulicum decus.
Dum multi imperare cupiunt, omnes simul imperium perdunt.
Regnum plus grauat copia quàm inopia successorum.
Facilè omnes appetunt, quæ pro cunctorum utilitate tentantur.
Per discordiam ex uno corpore exurgunt diuersa.
Non æquè filijs, ac parentibus fortuna fauere solet.
Dissidium perniciosa res est, præcipuè fratrum.
Diuisi corruunt, qui uniti alios territare solent.
Armenta rapiens, nisi corripiatur, regna inuadere præsumit.
Inaccessibilia humana diligentia peruia fieri possunt.
Melius est hostem præuenire muneribus, quàm sustinere obsidentem.
Melius est sponte, & liberaliter elargiri partem, quàm amittere totum.
Madentibus armis in cruore, sæuitia remanet infracta.
Victoria non hominum potestate, sed Dei uirtute donatur.
Pro gloria libertatis acrius certatur.
Necessitas consilium quęrit, & inuenit.
Sibijpsi non hosti nocet, qui insidias struit in loco ignoto.
Solatium est calamitosis pręcognoscere fatum.

Quòd autem tam attentissimę cautelę in prælijs, pręcipuè penes Principem, & ductorem exercitus, habendę sint, mirum non est, quia dux omnium uices in se gerit, ubi exercitus quasi animal quoddam homini persimile reputatur: cuius caput est Princeps, acies uerò instructa ut pectus ac thorax, pedites manus, equites autem pedes. Consequens ergo erit, ut commoto capite membra reliqua nullum officium pręstare possunt, sic perturbato ductore, omnis exercitus fluctuat, periclitatur, & perit: expositus enim est fortunę, ueluti nauis reflantibus cõtrarijs uentis, si gubernator ab officio suo torpescit nec clauum pro fluctuum motu forti animo huc atq; illuc uersat, impellitq;. Nullum igitur constantis ducis, aut fortissimi militis munus omittat oportet ille, qui rei bellicę præest: sed occurset timentibus retineat cedentes, adsit fortibus, spe, consilio, manu, nutu, uoce: hostibus semper insignis sit, suis autẽ conspicuus appareat, & ardore, præsentiaq; animi in omne feratur: flagrantes oculos circumuoluat, truci uoce increpet, & nunc minacibus, nunc blandis uerbis milites appellet, ut magis è re arbitrabitur. At cum à pugna otium erit, arma paret ductor oportet, alloquatur exercitum, militem ferat, in ore uulg.



uulgi agat, rumores hauriat, præterita, inſtantia, futura pari diligentia meditetur, ſecreta umbracula fugiat, in propatulo, atq; aperto ueſcatur, literas diligenter legat, nuntios audiat, neq; illos perterreat. Ignaui quidem Principis eſt, nolle aduerſa audire, & nuntijs adeò perturbari, ut à ratione diſcedat. Magnæ quidem conſtantiæ eſt, aduerſis nuntijs non commoueri, & animi effectum, ſubitumq; motum ex uultu non prodere, iuxta illud Virgilij:

Spem uultu ſimulat, premit altum corde dolorem.

Expedit enim ut aliquando principes ſimulent, uel diſsimulent: ſic tamen ut omnia contrahant ad obſequium approbabilis ueritatis. Qui uerò nuntiũ unum atq; alterum percutit, aut malè tractat, conſequens eſt, ut armatos ſuſtinere debeat legatos: qui etſi pauci uidẽtur accedere, tamen ob peritiam militarem facilè opprimens effœminatam multitudinem, & inordinatam colluuionem. Vera etenim uictoria ſperanda, ac conſequenda erit in exercitatione militari, ab ineunte adoleſcentia principis, ducis, aut Regis introducta, et quaſi connata, ut aliter ſciat ſe gerere in priuata, aliter in publica pugna, aliter in pedeſtri, equeſtri, in nauali, & aliter in glaciali, ſeu niuali, prout inferius lib. 11. diffuſius oſtendetur. Imò ad uerã militiam capeſſendam alia quædam ratio habenda eſt, ubi in aciem deſcẽditur, & cum hoſte concurritur, illic puluis, æſtus, ſudor, ſitis, clamor militaris, hoſtium incurſus, timor, ſpes, & alia multa adeò animum perturbant, ac diſtrahunt, ut uix illi ipſi, qui à teneris annis talia perpeſsi ſunt, eadem perferre ualeant. Magnis itaq; laudibus extollendus eſt princeps, qui milites quotidie bellicis laboribus exercet, ne per ignauiam, & deſidiam tabeſcant, ut cum opus fuerit, pro iuſtitia, & patria libertate certando eneruare poterint uiolentiam tyrannorum: quod ſolum inter præclariores triumphos perpetuam mereretur laudem, & memoriam ſempiternam. Nec efferatur aliquis inanibus titulis, quòd artem calleat militarem, niſi (ut dictum eſt) aliquid pro tuenda æquitate, & innocentia defendenda, demonſtret ſe ſtrenuè exercere. Commendatur miris modis Alexander ætate 33. annorum moriens, quòd inter cęteras heroicas uirtutes clementiſsimus extiterit in oppreſſos, ita ut â barbaris nationibus lugeretur extinctus. Vita tamen ſpirans 30. millia puerorum è diuerſis nationibus uictis, ſub præceptoribus diuerſarum artium inſtrui fecit: quorum prouecta ætate, & prudentia, ſi ſuperuixiſſet, totum orbem iuſtè regnando gubernaſſet.

De præfectis prouincialibus.

CAP. XXVI.



IN ſeptentrionalibus regnis uti multæ, & potentes ſunt prouincię, ita & in illis dirigendis diuerſę ſortis, & linguarum præfecti à principibus conſtituuntur, tanquam radij à ſole emiſsi, ut in toto terrarum circuitu æquitas & iuſtitia cuſtodiatur, ſecuritasq; permaneat omnibus populis inuiolata. Falſus enim dolor eſſe non creditur, ubi tanti laboris incommoda ſubeuntur, quando ſcilicet defectu bonorum aut grauamine malorum præfectorum apud regni iudicium ex ultimis finibus afflicti ſubditi coguntur afferre querelas, ueluti ab Islandia, ac Finmarchia apud Regem Noruegię, & de Scricfinnia, Bothnia, Finlandia, ac Dalacarlia, ad Regem Suetię: qui tamen nullam deteriorem querelam ex omnibus potentatibus ſuis, quàm à Moſcouitarum limitibus ſufferre ſolet, idq; ob inſatiabilem collimitaneorum rapacitatem, & Gręculum dolum. Attamen Regius pręfectus autoritati ſatisfaciens, ho-

micidia resecat,furta condemnat,abactores animalium legitima seueritate coërcet,quietosq; incolas à sceleratis Moscorum ausibus reddit, uindictamq; malignis eorum moribus semper opponit,& proditores,exploratoresq; (crimine confesso) corripiendos constringit. Talibus enim excessibus,publica uiolata pace,sæpius notantur Moschouitæ. Iiq; præfecti,qui ita innocentes defendunt, & insolentes corripiunt,à bonis iustisq; Principibus constituuntur: quos & conseruant in longæua pace beatos.

De tyrannica seueritate,& exactione præfectorum. CAP. XXVII.



VErum ne diuturna permaneat hæc fœlicitas regiminis æquitate parta, malignorum hominum cōsilijs alibi per regnum tales constituuntur præfecti, qui auaritia,& malitia obcæcati, innocentes torquent,sceleratos exaltant,iura omnia peruertunt,totum regnum in ruinam, se ipsos in calamitatem,& Regem in ludibrium,infamiam, miseriam, & exilium breui momento transmittunt. Verum ne res hæc careat documento,inter cæteros sanguinarios,& auaros præfectos,quos Ericus Rex Suetiæ ex ducibus Pomeraniæ ortus &c. euiscerandæ Suetiæ præfecerat,erat quidam Danus Iusse Ericson: is super Dalacarlorum regionem constitutus,tam crudelem se omnibus exhibuit ut putarentur omnes omnium malignorum tyrannorum spiritus, qui unquàm anteà fuerant,in hunc perditissimum nebulonem confluxisse. Narrat Cicero crudelem Verrem fumo ex putridis lignis educto,unum hominem innoxium perdidisse: at hic Iusse eiusdem malignitatis spiritu obsessus,non unum innocētem, sed ex Dalacarliæ incolis sine numero innocentissimos fumo suspensos (licet uiribus sese rebellando liberare poterant) occidit. Quo pacto ne non satis ingeniosus carnifex in exquirendis nouis tormentorum generibus uideretur,uxores maritorum tam crudeliter occisorum, in locum iumentorum trahendis aratris applicari non erubuit,imò inter primas delicias duxit,uidere, & audire eas inter tātas angustias fœtus ex se mortuos abijcere,& rursus aratro apponi, donec mortuæ,aut semianimes collaberentur. Possent hic horribiliora eiusdem Danicæ tyrannydis facinora adduci,quæ tunc non solum per illum,sed per omnes Regios præfectos committebantur: at satis est dixisse eos his artibus ultima fata in se, & exilium in Regem suum impijssimum procurasse. Rusticorum nanq; furore crudeliter occisi sunt,quādo audaciores erant ad prędandum,quam pręliandū. Rex uerò Ericus Pomeranus à Danis,quorum consilijs in suam, multorumq; ruinam usus fuerat,derelictus,urgente uiro potenti Engilberto,centum millibus incolarum ad arma prouocatis stipato,ad paruam Gotlandiæ insulam uelut profugus in miserabili senecta se recepit. Sed quia de his, & similibus dilectissimus frater, & antecessor meus D. Ioannes Magnus Gothus,in uita eiusdem Erici diffusius tractat,pium lectorem ad hunc remitto,intereà cunctis principibus fideliter suadens attendere responsum Alexandri Magni: qui interrogatus,ubinam thesauros haberet,respondit,apud amicos cautè sibi seruari. Et rectè: beneuolentia enim & sui,& alieni æris domina est. Nec distonat huic consilio uerbum Tyberij Cæsaris: qui suadentibus subditos grauandos esse tributis, respondit,Boni pastoris esse tondere pecus,non deglubere.

Adhuc



De Rege Erico Pomerano, & tyrannide præfectorum suorum, ut Iussonis Ericsen: ac ob eandem causam rebellione, rebusq; præclarè ab Engilberto gestis. Ioan. Mag. lib. 22.



Ericus ex Pomeraniæ ducibus, & Margaretæ ex sorore nepos (ut dicere cœpimus) Gothorũ & Sueonum Rex ab his, qui plus Margaretam, quam publicam patriæ felicitatem curabant, electus est. Huic omnes patriæ nostræ historiæ inter seueriores Principes, quos unquam pertulit, locum assignant. Siquidem anno Christi M. CCC. XCVI. corona Regia insignitus, uario fortunæ euentu, & multiplici subditorum incommodo, totis quadraginta tribus annis regnauit, donec ab omnibus Aquilonaribus regnis ob suam suorumq; tyrannidem uno impetu exclusus, ad paternam domum (in qua consenuit) remearet. Incidit eius coronatio in præsignato anno ad diem uigesimumsecundum mensis Iulij, sub Pontificatu Henrici Archiepiscopi Vpsalensis: in cuius manibus grauissima pręstitit iuramenta, quæ à Christianis Regibus ab antiquissimo tempore præstari consueuerũt: uidelicet, ut fidem Christianam fideliter, firmiterq; seruaret, atq; ab omnibus suis subditis integrè faceret obseruari. Præterea Pontificum, sacerdotumq; autoritatem & libertatem in nullo uiolaret: nec se in iura ecclesiastica quocunq; modo implicaret, sed ius suum unicuiq; tribuens, nihil Regium esse putaret, nisi quod iusti & æqui rationem haberet. Prouideret quoq; ex indigenis uiros sapientes, & timentes Deũ, in quibus esset ueritatis amor, & auaritiæ odium, atque ex eis iudices populi constitueret: nullis insolitis tributis, aut exactionibus subiectos populos oneraret: bella in uicina, aut remota regna, nisi grauibus iniurijs coactus, non transferret: neq; ea sine senatus consensu, dum pax nullo alio modo haberi posset, exequeretur: aliaq; q̃ plurima iuramenta præstitit, quæ si effectui mancipasset, modo apud Deũ, & homines gloriam haberet immortalem. Coniugem autem duxit Philippam illustrissimi Anglorum Regis filiam: quę tandem solutos mariti mores perosa, monasticę solitudini in monasterio S. Brigittæ in Vasteno se totam mancipauit, atq; in eo uitæ genere ibidem consenuit, & sepelitur. Post Margaretæ fata, hic Ericus Sueonum, Gothorumq; Rex, Noruegiam, Daniamq; suæ potestati subiecit. Sed quid profuit Principi multis uitijs subiecto, multa sibi subiecisse regna? Quippe (ut Sueticæ historiæ tradunt) solutis, & uanis moribus deditus, parum rectè de Christiana fide sentire uidebatur: eratq; admodum promptus ad hæreses, & schismata, paruipendens se à Catholicæ Ecclesiæ unitate separari. Proinde omnia illa, quæ prius per diuinum numen iurauerat, non solùm nihil curare, sed penitus contemnere cœpit, factus similior duris tyrannis, quàm Regibus modestia, & benignitate conspicuis. Prima siquidem audacia inuiolabilem cleri libertatem ferebatur. Quicquid enim libertatis, aut priuilegiorum ipse clerus à diuina lege, aut humano iure, uel publico Christianę Ecclesię consensu, siue Principum, ac Regum indulto habebat, id uel cassauit, uel ad suum modum interpretatum tenuiter obseruauit. Quod cùm proceribus regnorum pergratum esse uideret, imò cum nonnulli eorum ipsum ad cleri persecutionem multis persuasionibus inducerent, ad suos consiliarios cõuersus: Bene (inquit) habet, quòd hi Suetici homines sese mutuis odijs insectantur: quibus si mutuus amor inesset, forsan difficile negotium nobis aliquando generarent.

Postquam igitur Ecclesię autoritatem in ordinem redegit, consilia apud suos disquirebat, quibus etiam proceres, totamq; regnorum suorum nobilitatem uel exterminaret, uel omnino extenuaret, ne qua illi ad rebellionẽ facultas relinqueretur. Proinde suscitatis hinc inde, præsertim apud Holsatos, & Teutones, maximis bellorum occasionibus, effecit, ut omnes equestris ordinis uiri suis proprijs stipendijs continuè, & absq; ulla excusatione militarent, eaq; militia nullo tempore interpolata, ad extremam inopiam redigerentur. Neq; enim arces, aut præfecturæ, imò nec uicus, aut uilla aliqua Sueticis proceribus pro sustinendis militiæ oneribus assignabatur, sed suis prędijs, & possessionibus uenditis, uel impigneratis, prius sibijpsis, & liberis suis perniciem afferre, quàm hostibus bellum inferre cogebantur. Sed & coloni eorũ interim, cum ipsi in longinqua militia occuparentur, damnaq; et

captiuitates

captiuitates paterentur, nihil minus à Regijs præfectis domi uexabantur, adeò ut ſæpe ob intolerabilia onera, quæ eis ſine intermiſsione imponebantur, prædia deſolata relinquere compellerentur. Nec rarò accidit ipſos nobiles in tot importunis bellis captiuari. Sed cum nulla captiuitatis eorum ratio apud Regem haberetur, in duriſsimis uinculis conſenuerũt, & tandem ſine omni ſpe conſolationis, in alienis terris occubuerunt. Qui uerò propria induſtria, uel pecunia ſe ab hoſtium captiuitate abſoluerunt, nec obolum quidem à Regio fiſco, quo perpeſſæ captiuitatis expenſas ſoluerent, impetrare potuerunt. Imò nõ rarò Ericus dolere uidebatur, quod à carcere, & uinculis ſalui, ac liberi rediſſent, quorum libertatẽ ſibi inſidioſam exiſtimabat. Narrat quidem hiſtoria Suetica, ipſum aliquãdo trecentos nobiles & militares uiros, grauiſsimo præcepto impuliſſe, ut inſurgente ſæuiſsima atq; perhorrẽda tempeſtate, ſe in naues confeſtim conferrent, & in quempiam locũ ſubito nauigarent. Tum ex eis quidam cæteris audacior dixiſſe fertur: Vrges nos, ô Rex, ad indubitatam mortem: at tamen ut intelligas nos pro te mortem ſubire paratos, paremus duriſsimis præceptis tuis, mox morituri: tu autem miſerere coniugum et liberorum noſtrorum, à quibus tua iuſsione auellimur. His ore omnium dictis, uela uentis cõmittuntur, & ſubita tempeſtate obruti, omnes pariter in ipſo portu ſubmerguntur. Res profecto incredibilis eſſet, niſi à ſanctis, & integerrimis uiris in hiſtoricam ueritatem relata eſſet. Sed nunquid nobilium procerum coniuges, aut liberi, tot charis parentib. orbati, à Regia clementia aliquid gratię, aut conſolationis reportarint? Nihil profecto, pręter duriorem, atq; intolerabilem ſeruitutem: de qua magis obſtupeſcere, q̃ ſcribere poſſunt. Scribã tamen modeſtius quoad potero, ne ſola Roma ſuos Tarquinios, aut Sicilia ſuos Dionyſios, uel Aegyptus ſuos Ptolemęos habuiſſe uideatur.

Siquidem poſtquam bellum Holſaticum, ſiue Teutonicum, maiore ſubditorum, q̃ hoſtiũ ſtrage peregerat, ciuitates Vandalicas temerè ad arma prouocauit, nulla alia ratione (ut putabatur) adductus, q̃ quod ſuos fideles ſubditos ita aſsiduè opprimeret, ne contra inuectæ tyrãnidis iniuriam ſaltem mutire auderent. Quo facto palàm oſtendit, ſe malle miſeris, & ad extremam inopiam redactis, q̃ potentibus & felicibus ciuibus imperare. Quod etiam ſatis oſtenditur per illa intolerabilia tributa, quæ Suecis & Gothis continuè imponebat, nihil prorſus à priorum tyrannorum inſtituto diſcedens, qui ob inexhauſtas metallorum effoſsiones, quæ in montibus Sueonum inueniuntur, putant, etiam infimę ſortis homines argento, & metallis undiq; circumſeptos, nec poſſe tot onera, uel tributa eis imponi, quin plura, & maiora ſufferre poſſent. Quocirca ſæpe mecum cogito, ipſam uicinã Daniam, ob ſuarum fortunarum tenuitatem, uel mediocritatem, longè felicius ſub tyrannis uiuere, q̃ Sueonum regnum, quod ob diuitiarum abundantiam ſæpius, & acrius ab illis impugnatur. Certum quippe eſt, felicia regna bellis aſsiduis uexari, quando minus opulenta ob ſoli infelicitatem contemnuntur. Sed hoc rurſus euenire ſolet, quod fœcundiora regna negligentes, ſterilia uerò aſtutos homines producant. Quo fit, ut Dani ingenijs, Sueones diuitijs confidãt: Dani aſtutia, Sueones, ſiue Gothi potentia pugnẽt: Dani multiloquio, Gothi taciturnitate res arduas aggrediantur. Et ſi unquã Danica aſtutia Sueticam crudelitatem ſuperauit, profecto huius Erici tempore id uerìſsimè accidit. Maxima ſiquidem importunitate Dani, qui in conſilio Erici frequentius uerſabantur, ipſum induxerunt, ut continuis tributis Sueciam ad inopiam redigeret, præfati, facilius eſſe terram inopem regere, q̃ opulentam. Credidit Ericus aſtutius, quàm utilius ſuadentibus, duriſsimosq; ex Dania quæſtores & præfectos elegit, quorum opera omnem pecuniam à Suetia ita corraſit, & in Daniam tranſtulit, ut nec teruncius in toto regno aliàs locupletiſsimo inueniretur. Et nihilominus Sueonum proceres cõtinuè (ut diximus) pro ſuo Rege naualem, & longinquam militiam exercentes, durius domi à Regijs prįfectis, q̃ foris à crudelibus hoſtibus uexabantur: idq; Dani prætextu fidelis erga Regem obſequij peregerunt, cum tamen graui admodum odio in ipſum ferrentur, uellentq; eum à Sueonibus ad iracundiam prouocatis expugnari, & à ceruicibus omnium regnorum magis Suetica, quàm Danica ope amoueri.

Inter cæteros autem ſanguinarios, & auaros præfectos, quos Ericus euiſcerandæ Suetiæ præfecerat, erat quidam Danus Iuſſo Ericſen. Is ſuper Dalacarlorum regionem cõſtitutus, tam crudelem ſe in omnibus exhibuit, ut putarentur omnes omnium malignorum tyrannorum ſpiritus, qui unquam antea fuerant, in hunc perditiſsimum nebulonem cõfluxiſſe. Narrat Cicero crudelem Verrem fumo ex putridis lignis educto, unum hominem innoxiũ perdidiſſe: at hic Iuſſo eiuſdem malignitatis ſpiritu obſeſſus, non unum innocentem, ſed ex Dalacarliæ incolis ſine numero innocentiſsimos fumo ſuſpenſos occidit. Quo peracto, ne non ſatis ingenioſus carnifex in exquirendis nouis tormentorum generibus uideretur, uxores maritorum tam crudeliter occiſorum, in loca iumentorum trahendis aratris applicare non erubuit: imò inter primas delicias duxit, uidere, & audire eas inter tantas angu-

ſtias

stias fœtus ex se mortuos abijcere,& rursus aratro apponi,donec mortuæ, aut semianimes collaberentur. Possent hic complura,& horribiliora eiusdem Danicæ tyrannidis facinora in medium adduci,quæ tunc non solum per illum Iussonem, sed per omnes Regios præfectos committebantur: sed nolo meos Sueones tam ingenti dolore,& Danos tam enormi lætitia afficere. At diceres: Absit Danos esse tantæ feritatis,ut de tam belluina crudelitate aliquam lætitiam concipiant. Deberet quidem non modo ab eis,sed ab omni homine procul esse tanta seueritas:sed si eorum Saxonicam historiam (quæ uidetur in suggillationem omnium gentium composita) inspexeris,uidebis atrociora ibi conscripta,de quibus forsan multi eorum sibi plus nimio applaudunt. Inter cętera autem uidebis Pomeranos olim à Danis comprehensos, & crudelissima morte ita consumptos, ut Dani eos,reuinctis post terga manibus,primùm palis affigerent,deinde uentrium caua cultro rimati,nudatis extis, primaq; uiscerum parte protracta,cætera stipitibus explicarent:nec ante supplicium remiserunt,quàm tortos,extis funditus aluo egestis,spiritum profundere coëgissent. Præterea uidebis Frotonem eius nominis quartum Danorum Regem,adeo insolenter Saxonibus imperasse,ut pro quolibet membro indicem seruitutis stipem quotannis pendere cogerentur. Nec mitior erat Iarmericus in Teutones,quorum quadraginta principes captos,applicatis totidem lupis, laqueo adegit: deinde reliquos eorum optimates,primo tibias loris traiectos,moxq; immanium taurorum ungulis alligatos,molossisq; incessentibus raptim in cœnum,uoraginesq; pertractos,lachrymabili spectaculo consumpsit. Sed nolo diutius in re omnibus exposita,& notissima immorari: hoc dixisse contentus,quod fortasse Danicæ Reipublicæ conducibilius fuisset, Saxonis libros in angulis latuisse,donec pari ingenio,quo primùm scripti erant,ante omnium ora deuenissent. Quippe non leue negotium ex eorum contextu (ni fallor) aliquando in eam ipsam Danicam Rempublicam generari possit. Nulli enim generosi animi homines libenter patiuntur se contemni,& improperijs tam liberè affici. Sed nunc de his satis:ad Iussonem Danum tyrannum reuertar:cuius inhumanam feritatem quicunque attenderit,nihil mirabitur, si ego, uel alius quispiam, uices afflictę patriæ meæ turbatiore animo commemorauero. Si enim originem,& incrementa sempiternæ discordię inter potentes nationes Gothorum, & Danorum inquisiuerimus,deprehendemus profecto nullos in causa esse,nisi tam inhumanos Regum consiliarios,& præfectos,in quibus de congreganda pecunia summum studium habetur,de honore uerò nulla penitus cura inuenitur. Quocirca Dalacarli,postq; totis triginta annis tam huius Iussonis,quàm aliorum similium sanguinariorum præda fuissent,consilium à suis sacerdotibus acceperunt,ut toto corde diuinã opem implorarent. Tandem propitiata diuinitas,quæ filios Israël à Pharaone durissimè oppressos liberauit,etiam Christianam plebem suam à iugo intolerabilis seruitutis eripuit.

Erat eo tempore in Dalacarlorum regione Engilbertus quidam mediocri nobilitate conspicuus,utpote libertino patre natus. Hic ueluti alter Moses,se nõ semel,aut bis,sed sæpius coram indurato Rege pro populo Dalacarlorum magnis periculis exposuit. Et tandem à facie Erici perinde ac Moses à conspectu Pharaonis eiectus,magna, & memorabilia prælia contra omnes tyrannos, qui libertatem patriæ euerterant,feliciter,& summa omnium admiratione peregit. Cùm enim uideret Christianum populum durius à tyrannis tractari, q̃ si fuisset de lapide emptus,aut in terram hostilem transportatus, humana compassione ductus,secum constituit pro libertate patriæ,& ciuiũ mori uelle. Itaq; multo,& difficili itinere se à Dalacarlorum regione ad Regem contulit,eiq; sine formidine omnes afflicti populi calamitates exponens,ostendit,quomodo ille Iusso Danus,euersa iustitia,seueriter atq; inhumanè regnaret,nec aliquod discrimen inter fas & nefas duceret,imò tam importunum omnis innocentiæ persecutorem se palam exhiberet,ut subiecti populi securiorem uitam sub publico hoste,aut inter sęuissima bella sese agere posse putarent. In primis siquidẽ insolenter,indomiteq; se gessit,ut cõstupratis aliorum nuptis,ac filiabus, proscripsisse pudicitiam, atq; in prostibula relegasse uideretur,corruptisq; matronarũ fulcris,ne toris quidem uirginalibus abstineret. Præterea omnium subditorum fortunis ita insidiaretur,ut non ad regendam,sed depręđandam patriam positus crederetur,imò post direptas omnium fortunas,uitam,ac salutem omnium ad extrema pericula expeteret. Iamq; q̃ plurimos optimos ciues fumo,flamma,gladio ad ultima fata perduxerat,apertè ostendens,se totam patriam in solitudinem redigere uelle. Proinde supplicant Regię clementię omnes eius regionis incolæ,ut tam furiosus tyrannus quantocyus ab eorũ ceruicibus amoueatur,dignãq; tam enormibus factis mercedẽ accipiat. His ab Engilberto animosius, q̃ efficacius propositis, Ericus ad tã graues ciuium suorum querelas uerba dedisse contentus,iussit,ut Engilbertus, cęteriq; Dalacarli bono animo essent,nec dubitarent,quin propediẽ uisuri essent crudelẽ illum sanguinarium

narium

narium aliquo ſingulari & horrendo mortis genere conſumptum. Sed quam longe illa uerba à Regio corde diſtabant, ſatis ex litteris Regis, quas Engilbertus ad ſenatum Sueonum reportauit, apparebat. Scripſit quidem Ericus, ſe Engilberti & Dalacarlorum querelas audiuiſſe: proinde curaret ſenatus eam controuerſiam ita examinare, ut Iuſſo Danus in ſuo officio conſeruaretur. Paruit ſenatus Regio mandato, & ferocem præfecti animum magis precibus, & muneribus, quàm præcepto Regio mitigauit. Ad eam enim infelicitatem tunc res Suetica corruerat, ut nullo exiſtente iuris remedio, cogerentur iniuriam paſsi, gratiam & miſericordiam à ſuis calumniatoribus poſtulare: quemadmodum aliquando mihi euenit, qui Goſtaui Regis præfectos, ne me, & clerum meum iniurijs obruerent, datis muneribus mitigare cogebar. Sed de illa tragœdia alibi latius.

Iuſſo autem, poſtquàm ſibi paululum ab illa tyrannica rabie temperaſſet, ad priſtinos mores, imò longe crudeliores reuerſus, non iam ſe hominem, ſed immanem, & furioſam harpyiam ubiq; exhibuit, ita ut in quamcunq; domũ uenturus putaretur, mox omnes inhabitatores confeſtim fugerēt, & à ſyluarum latebris ſalutem mutuarent. Ipſe uerò uacuas domos ingreſſus, omnia, quæ in eis inuenit, deuaſtauit, & penitus deſtruxit, atq; incendio conſumpſit, ut omnibus modis ſe Danum eſſe monſtraret. Quibus uiſis Engilbertus iterum ſe ad Ericum celerius quo poterat contulit, & audacius, quàm unquam prius, miſeriam ſuæ gentis exponit. Sed ſurdo fabulam narrans, nihil effecit, niſi quòd poſt multam ſolicitudinem, quam pro aſſequenda iuſtitia impenderat, à conſpectu irati Regis eiectus audiret, ſibi extrema quæq; comminari, ſi amplius redire tentauerit. Sed ut erat corpore paruo, ita animo imperterrito, atq; conſtanti, ſubmurmurans inquit: Aliquando reuertar. Videntes igitur Dalacarli penitus induratum eſſe cor Regis Erici, nec aliquod eſſe humanitatis ueſtigium, quo poſſet ad aliquam clementiam inclinari, ſtatuerunt potius honeſtè moriendum eſſe, quàm turpiſsimæ ſeruituti diutius ſuccumbendum. Quocirca Engilbertum in Principem erigentes, unanimiter decreuerunt, non ſolum illum Iuſſonem, ſed omnes alios eiuſdem crudelitatis miniſtros à toto regno amouere: decretoq; ſuo ſtatim ſatisfeciſſent, niſi quidam ſenatorij ordinis uiri, comperta illorum uoluntate ſeſe quantocyus inter Regem & eos, arbitros obtuliſſent: quorum interuentu & prudentia, Dalacarli iterum pacati, ad propria redierunt, palam affirmantes, ſe nequaq; in Regiam dignitatem inſurgere uelle, ſed id ſolum totis uiribus conari, ut Ericus ſuos præfectos à tyrannica uiolentia ad modeſtiam reuocaret. Sed cum uiderent animum Regis ita in ſuo propoſito firmatum, ut putaretur prius omnia regna, quàm tyrannicos mores deponere uelle, non ultra expectandum rati, ſed inſuperabili multitudine egreſsi, primo impetu impium illum carnificem Iuſſonem Danum in arce Aroſienſi adoriuntur: qui mox more tyrannorum, ex rugiente leone fugax lepus effectus, in ſola fuga ſalutis ſuæ remedium ponens, ad ſuā Daniam quam celerrimo curſu aduolauit. Aqua tandem reuerſus, & à ruſticis propè Vaſtenum comprehenſus, admota ſecuri diſsectus eſt. Cęteriq; tyranni hincinde per Gothorum, & Sueonum terras diſperſi, audita Dalacarlorum potentia, & firmo ad recuperandam libertatem propoſito, nequaquam auſi ſunt contra eos arma præparare. Non enim ad præliandum, ſed ad prædandum docti erant. Itaq; intra arces ſe claudentes, ancipitem belli euentum pauidi expectabant: nec erat difficile ipſos ab inermibus agricolis ſuperari, & ſub iugum mitti, qui enormium ſcelerum ſuorum conſcij, nequaquam dubitabant, ſe iuſto Dei iudicio, ob diu perpetratam ſæuitiam, confeſtim exterminandos.

Enimuerò Engilbertus tam potens, & formidabilis repentè euaſit, ut omnibus regni ſenatoribus & proceribus mandauerit arma in quoſcunq; tyrannos aſsumere, præfatus, ſe nihil aliud, quam patriæ libertatem optare: cuius uiolatores ita uiolare, aut reprimere intenderet, ut futuris ſeculis compertum fieret, maximos tyrannos maxima ſuſtinuiſse ſupplicia nec omnino gratis Chriſtianos populos tot iniurijs, atq; ludibrijs affeciſse. Reſpondit uerborum magnitudini operum magnitudo. Pluribus nanq; ex ſenatu regni in ſuam ſententiam clam adductis, tam potenter, & feliciter pugnauit, ut paucorum dierum numero plus quam triginta arces natura, arte, & præſidiario milite ſatis munitas expugnauerit, tyrannoſq;, à quibus occupatæ fuerant, uel occiderit, uel proſcripſerit. Interea uerò cum ei pugnanti omnia feliciter, & pro uoto ſuccederent, accidit ſenatum utriuſq; regni, Sueonum & Gothorum, apud Oſtrogothos in oppido Vaſtenenſi conuocari: ad quem locum accedens Engilbertus, cœpit uniuerſos & ſingulos proceres diligenter adhortari ut uices deſolatæ patriæ doleant, ut innocentium ciuium calamitates perpendant, ut iniquas tyrannorum leges abrogent, ut tam fœdam, indignamq; ſeruitutem amoueant, libertatemq; nimis diu amiſſam reſtituant. Cui Canutus Lincopenſis eccleſiæ Pontifex, qui tunc, abſente Olauo

Archiepi-

Archiepiſcopo Vpſalenſi, in ſenatu præſidebat, tam ſuo, quam cęterorum Pontificum, & procerum nomine reſpondens, inquit: Honeſtum quidem, & pium negotium eſt, ô Engilberte, patriam à ſeruitute, innocentiam ab oppreſſoribus, incolas ab iniurijs liberare: attamen iuſiurandum uiolare, fidem Regi pręſtitam infringere, crimen læſæ maieſtatis incidere, inter turpia facinora ſemper fuerat reputatum. Proinde conſtanter negamus nos tali modo ad reſtituendam libertatem cooperari uelle, ne, dum liberi eſſe quæramus, parum honeſti inueniamur. Ad hæc rurſus Engilbertus: Scio (inquit) reuerendi Pontifices, & illuſtres proceres, Regibus, & Principibus, imò omnibus hominibus, etiam hoſtibus ſeruandam eſſe fidem. Proinde nunquam in animũ induxi, rebellionem in Regem excitare. Nec mihi nomen Regis, aut Principis aſſumo, ſed libertatis aſſertorem me profiteor: eiq; nomini ita ſatisfacere conabor, ut qui hactenus noſtram patriam, atq; innocentiam tanto tempore, tamq; crudeliter, & impiè oppreſſerant, addiſcant, aliter regendos eſſe liberos homines, q̃ iumenta: quorum tyrannorum nefaria facinora ſi Rex Ericus tot importuniſsimis precibus, & obſecrationibus monitus repreſsiſſet, nequaquam illi nobis moleſti fuiſſent, nec nos eius Regiæ maieſtati aliquod negotium faceremus. Cæterum de iureiurando erga Reges obſeruando, hoc à nobis reuerendi Pontifices ſcire uelim, an aliqua lex diuina uel humana, Chriſtiana uel Ethnica, tam ſeuera & crudelis eſſe poſsit, quæ nos cogere poterit omni tyrannorum libidini obtemperare, uidelicet, ſi filium in conſpectu patris dilaniarent, ſi coniugem in conſpectu mariti conſtuprarent, ſi ciues ſine legibus & iudicijs trucidarent, ſi diuinas & humanas leges, perinde ac aniles fabulas æſtimarent: nec licitum eſſet, tam atroces omnis humanitatis hoſtes reprimere, & percutientibus dicere: Cur me cęditis? cum tamen diuina & humana lex uehementiſsimè in tyrannos, & nequaquã contra innocentes feratur. Propterea tam apud Ethnicos, q̃ apud omnes Chriſtianos, maximis præconijs tyrannicidæ extolli conſueuerũt. Igitur ſi plus Regi q̃ patriæ, ſi plus tyrannidi q̃ innocentię, ſi plus prædonibus quàm incolis fauere contenditis, ego uos non ut ciues, ſed ut publicos patriæ hoſtes habendos ſtatuam: iuroq; per ipſum Deum omnium innocentum defenſorem, quòd parem mercedem cum atrocibus hoſtibus, quos defendendos creditis, recipiatis.

Quibus in ſenatu liberè propoſitis, deliberauerunt proceres potius pro patria, quàm tyrannorum defenſione periclitandum eſſe: ſeq; cum Engilberto ad omnem rerũ gerendarum euentum coniunxerunt. Deinde iuxta exemplar ab eo præſcriptum, ſignificabant Regi, ſe non poſſe liberandę patriæ negotium omittere, niſi uelint una cum eius Regia maieſtate ad extrema pericula ſine aliquo fructu deuenire. Iam enim eò proceſſerat Regiorum præfectorum audacia, et uiolentia, ut ob eorum intolerabilem ſeueritatem uix aliquis ex Sueonibus aut Gothis inueniretur, qui ſe iratis Dalacarlis pro Rege obijcere auderet. Aderant quoq; in his comitijs complures nobiles, & generoſi Veſtrogothi: inter quos etiam aduenerat paternus auus meus Petrus Store, quod Latinè magnum ſiue robuſtũ ſignificat. Ii omnes ob grauiſsimas iniurias ab Erici præfectis acceptas, in Engilberti militiam pro patriæ liberatione iurauerunt. Petrus autem Store, cum cęteris maiorem à tyranno iniuriam accepiſſet, utpote tota paterna hęreditate ab ipſo ſpoliatus, uehementiore ſtudio ſeſe Engilberto addixit: factusq; eius indiuiduus comes uſq; ad ultima illius fata, non ſolum ordines duxit, ſed ad ſupremi uexilliferi gradum peruenit. Idem quoq;, mortuo Engilberto, nobilẽ uirginem Helenam, ex nobili Biſianorum apud Oſtrogothos familia coniugem accepit. Nec diu pòſt ſuperuiuens, genitum ex ea patrem meum Magnum conſanguineo ſuo Catillo Epiſcopo Lincopenſi educandum commendauit. Mortuo autem Catillo, ad familiam Epiſcopi Henrici, qui illi ſucceſſerat, adſcriptus eſt: in qua totis duodecim annis ſub liberali ſtipendio militauit. Demum ad eiuſdem optimi Pontificis interuentum, cum nobili uirgine Chriſtina ex generoſa Cuſonum domo, matrimoniũ conſummauit, primosq; uigintiquatuor annos una cum ipſa ſatis feliciter tranſegit: in reliquis autem ſedecim annis ipſam fortunam nimis aduerſam expertus eſt, quemadmodum etiam mea olim feliciſsima conditio corruerat, qui iuxta eiuſdem patris, auorumq;, & atauorum meorum exemplum, ex primo regni ſenatore & feliciſsimo Archiepiſcopo, propter tuendam fidem Chriſti, factus ſum humilis exul, et peregrinus. Sed his in aliud tempus remiſsis, ad Vaſtenenſem conuentũ reuertor. Quo per regni ſenatores feliciter acto, Engilbertus ad exercitum, quem in expugnãdis arcibus reliquerat, reuerſus, quicquid Danicũ in toto regno erat, obruit, & deleuit, factus totius regni Princeps, & publicæ libertatis aſſertor. Imò ſi grati eſſe uoluerimus, ipſum ſempiternis laudibus perinde ac patrię patrem extollere obligamur. Quippe ut tyrannorũ memoria, cum eorum inextinguibili infamia, ad poſteros tranſmitti conſueuit, ita honeſtum eſt, ut optimè de publica omnium ſalute meriti, gloriam apud Deũ, & homines aſſequantur immortalem. Nec Sueones, & Gothorum partem liberati reſtituiſſe contentus, totam belli molem in Hallan-

diam,&Schoningiam transferens,nullam arcem,nullam ciuitatem,imo nullum tyrannum ibi resistentem inuenit. Tanta siquidem nominis eius formido omnes tyrannos inuaserat, ut quocunq; uenturus nunciaretur,mox illi perinde ac meticulosa animalia ad solitudines confugerent. Parta igitur tam gloriosa contra tyrannos uictoria, Engilbertus in Suetiā est regressus, mirantibus omnibus seculis,inermem agricolarum multitudinē potentissimis hostibus tam facilè præualuisse,atq; de eis incruentum triumphū reportasse. Veruntamen illud omnē humanam admirationem excedere uidetur, quod tam numerosus Engilberti exercitus, qui centum mille homines in se habebat,nullum penitus ex incolis,per quorum fines toties eundo,& redeundo discurrebat,læserit,aut damnum aliquod intulerit,ut in publico prouerbio adhuc commemorari soleat, Engilberti exercitum nec ualorem quidem unius gallinæ alicui uiolenter abstulisse.

Interea Rex Ericus,uidens tantam imperij sui partem ad arma consurrexisse,& ubiq; prosperè pugnauisse,nec facilè ad obsequium reuocari posse,uehementer suos præfectos increpare cœpit,quòd Suenones tam stupida crudelitate ad iram prouocassent, quos debuissent callidius oppressisse. Coactus igitur erat ingentem ex Danis,& alijs confœderatis principibus exercitum comparare,atq; immensum thesaurum in onerosam,& parum utilem militiam profundere,qui amotione unius sanguinarij præfecti tam grauem belli materiam anteà auertisset. Sed ex tam perniciosa huius Erici imprudentia instruimur, maximum esse diuinæ iracundiæ signum,quando à Regibus,& Principibus prudentiam auferri permittit confestim enim,& necessario omnium subditorum salus in summum aliquod discrimen adduci consueuit. Nam cum totum illum exercitum classi impositum ad Suetiam transportaret,e uestigio horrida tempestas cœlum commouit,& undas:ex qua tandem ægrè ereptus amissa'q; maxima commilitonum parte,ad ciuitatem Stocholmēsem peruenit:in qua mox durissima obsidione conclusus est. At cum uideret suam potentiam longè minorem esse, quàm quod posset Sueonum uires superare,erecto per caduceatorem signo fœderis,in colloquium cum Engilberto,& cæteris Suetiæ proceribus,qui tunc aderant, descendit. Primumq; expostulat,cur uiolato iureiurando arma in proprium Regem suscepissent. Cui postulationi Engilbertus perhumaniter respōdens,ait: Non est nostra intentio, ô serenissime Rex,tuum detrectare imperium,aut tuam maiestatem in aliquo lædere: neque ut iusiurandum uiolaremus,ad arma confugimus:sed cum uideremus tuos præfectos nullam tuorum iuramentorum rationem habere,imò semper,& ubiq; ea agere,quibus palàm ostendebant tuam maiestatem nihil prorsus de iureiurando nobis præstito curare. Iurasti enim,te Sueticas,& Gothicas leges,præscriptasq; consuetudines,& libertates nobis inuiolatas obseruare uelle:at præfecti,quos nobis imposuisti,cùm Dani sint,nostras leges nūquàm didicerūt: sed ea seueritate,qua Dani in suos seruos,& deditítios utūtur, in nos quoq; abuti contendunt. Nos Gothi,& Sueci sumus,& Danicum nomen,aut leges minimè agnoscimus. Proinde liberi sumus,& libertatem nostram à maioribus nobis relictā, iuxta eorum exempla usq; ad sanguinem,& mortem defensamus. Et si in Dania tam infelix seruitus esset, ut eius proceres uiuere nequirent,nisi seruorum suorum sanguinem absumerēt, nobiscum tamen alia,& humanior libertas esse deberet,quippe apud quos nullus nascitur seruus. Sunt nobiscum prouentus satis liberales,quibus & Rex,& proceres absq; ciuium iniuria honestè, ac magnificè uiuere possint,nec coguntur ob terræ inopiam humano sanguine pasci. Quocirca,ô Rex,parati sumus tibi,ut nostro uero Regi,obsequium præstare,& prius omnia aduersa pati,quàm fidem tibi præstitam uiolare,præsertim si tua maiestas suam fidem & iusiurandum nobis rursus præstitum,integrum inuiolatumq; conseruet:alioquin nūquam tam imprudentes erimus,ut putemus illa iuramenta inter te,& nos uicissim præstita, plus nostram fidem,quàm tuam obligasse. Præterea si putaueris nos sine iusto dolore, & sine iure omnium gentium ad arma confugisse,parati sumus coram æquis iudicibus,& arbitris sufficientem nostrorum operum rationem assignare:etiam,si opus fuerit, causam nostram in theatro totius orbis iustam,& æquam fuisse probabimus.

Qua Engilberti oratione audita,Ericus ad suos Danos conuersus,& ab eis consultus respondit,Indignum esse,quod subditi suorum Regum,& Principum facta ad iudicium reuocare contendant,cum potius parendi necessitas subditis competat,quam resistendi facultas. Parumq; abfuit, quin exemplo impudentissimi Caracallæ,aut nouercæ eius dixisset: Quicquid libet,licet:quia Imperatorem legem dare, non accipere conuenit. Imò iuxta consilium imprudentissimi Roboam respondisset: Hactenus uos cæcidi uirgis,amodo cædam uos scorpionibus:præfecti à me positi aggrauauerunt iugum uestrum,ego autem addam iugo uestro. Erat enim Ericus ita in suo proposito firmatus,ut omnino nequiret iustissimis Sueonum querelis quicquam pacificè respōdere. Proinde Sueones uidentes animum

eius

eius nullo ingenio mutari posse, non secus ei responderũt, quàm filij Israël ipsi Roboam, cui dixerunt: Quæ nobis pars in Dano? uel quæ hæreditas in Pomerano? Reuertere in tabernacula tua Suetia, redde te tibijpsi: frustra ab illis iustitiam, & salutẽ postulas, qui tibi extremã perniciem parant. Itaq; eo tempore nihil aliud pro tollenda illa controuersia fieri poterat, nisi quod positis unius anni inducijs, Rex Ericus ea uia, qua uenerat, in suam Daniam remearet, relictis in arce Stocholmensi militibus septingẽtis, qui illam ab hostium insultu defensarent. Deinde Suecones una cum Gothis, ne sine Principe in tam dubijs Reipub. temporibus diutius manerent, Engilbertum in summum Principem, et gubernatorem elegerunt, comitiaq; in oppido Sictuna celebrantes, multa pro restitutione collapsę patriæ prudenter statuerunt. Accessit etiam in eum locum Ioannes Kropelinus, qui Regis Erici locum in arce Stocholmensi tenebat, comitatus uno ex Commendatoribus Prussiæ. Hi multa agere cœperunt pro concordia inter Regem Ericum, & Suecos restituenda: ad quam Sueonũ, & Gothorũ proceres se paratissimos offerebãt, asserentes, sibi nihil magis gratũ esse, q̃ quòd Rex eis, & ipsi rursus Regi promissã fidem integrè conseruent. Quo audito Kropelinus, & Commendator, offerebant se fideles inter utranq; partẽ cooperatores. Datisq; ab Engilberto pro securitate ductoribus, ad Regem Ericum in Daniam descenderunt: quem cũ Danico senatu in oppido Halmstadensi inuenientes, omnia, quæ à Sueonibus pro concordia dicta fuerãt, proposuerunt. Estq; ibidem decretum, quod Ericus ad calcem futuri mensis Iulij, se ad ciuitatem Stocholmensem conferat, accepturus ibi eas concordiæ partes, quæ ex ratione, & æquitate inueniri possent. Iam enim Olaus Archiepiscopus Vpsalẽsis ad suam sedem reuersus, cœpit pro publica totius patriæ pace, & tranquillitate diligenter laborare, oblitusq; omnium grauissimarum iniuriarum, quas diu, & multum ab Erico sustinuerat, plus omnibus alijs pro eo solicitus erat, ut proceres regni cum illo in gratiam redirent, seq; tales erga ipsum præstarent, ut innocentia, atq; integritas eorum omnibus regnis, & nationibus comperta fieret, & commendata.

Aduenit igitur Ericus ad ciuitatem Stocholmensem in capite mensis Septembris, magna pompa, & potentia succinctus: à quo Sueonum, & Gothorũ proceres, nihil nisi iustissimum, atq; honestissimũ postulabant, uidelicet, quod leges, & consuetudines patriæ, ac Regiũ iuramentum in omnibus partibus obseruaret, Regẽq; gratiosum, & clementẽ sese omnibus regni incolis exhiberet. Quod cum ille omnino se facturũ polliceretur, & denuo per Regium iuramentũ promissa sua cõfirmaret, Engilbertus regni gubernator, cæteriq; senatores & proreres admiranda quadam magnificentia, & magnanimitate erga ipsum, à quo tot incommodis affecti fuerant, usi, totum Gothorũ, & Sueonum imperium ei liberaliter restituerunt, facta prius amnestia, hoc est, lege obliuionis omnium iniuriarũ. Ericus igitur recuperato tã amplo imperio, confestim ad pristinos mores suos reuersus, cœpit cum suis Danis consilia inquirere, quomodo Sueones grauiore seruitute opprimeret, q̃ unquã prius oppressi fuissent: statimq; castra, arces, præfecturas, ciuitates, oppida, territorria Sueonum nobilibus adẽpta, crudelioribus sanguinarijs, quàm priores fuissent, assignauit. Quo uiso Suetię proceres etsi uehementer dolerent, sibi tã indigne illusum fuisse, atq; ex magnis periculis ad maxima pericula sese iterum deuenisse, attamen lætabantur suam innocentiam per summam Erici ingratitudinem omnibus manifestari. Quis enim non uidet hunc Ericum summam ignauiam, & quandam stupidam ingratitudinem à suis malignis cõsiliarijs contraxisse? qui eũ prorsus ab omni Regia dignitate destitutum optarent. Tum Sueticus senatus primo per Danos, qui primas partes apud Regẽ habebant, ipsum admonere curabat, ut in conditionibus pacis, ad quas tanto labore, & post tot discrimina rerũ peruentũ esset, perseuerare dignaretur. Verum postquam senatores regni ea uia nihil proficerent, accesserunt & ipsi Regẽ suppliciter orantes, & obsecrantes, ne à suo Regio iuramento, & promissionibus deficeret, sed illis constanter obseruatis, publicam regnorum pacem tot bellis, & cædibus nimis diu labefactatã, ac tandem magno labore restitutã diligentius custodiret. Ad quæ consilia, quamuis saluberrima, & necessaria essent, Ericus seuerius, quam modestius respondens, inquit: Vester assentator esse nolo. Statimq; Ioannem kropelinum Teutonicum ab arce Stocholmensi, eo quod Sueonum æquitati fauere uideretur, amouit, atq; in eius locum quendam Ericum Nielsen à Iuthonia Danorum terra, cum quingentis præsidiarijs militibus surrogauit. Sicq; in suam Daniam discessit, & in omnibus Gothorum, & Sueonum litoribus, quæ nauigando legere cogebatur, spolia, & incendia exercebat. Nam inter cæteras iniurias, quas egit uillas, & terras monasterij Vastenensis incendio dedit. Plurimi igitur incolarum uarijs iniurijs, incommodisq; affecti, Engilbertum adeuntes acceptas ab Erico iniurias gemebunda uoce prosequebantur. Quippe non minus crudeliter ab eo, quam à crudelissimo hoste sese afflictos fuisse commemorabant.

His auditis, Engilbertus senatum regni ad oppidum Arbogense conuocauit: ubi loco omnes regni proceres magno consensu Regem enixius rogabant, obsecrabant, obtestabanturq;, ut suorum iuramentorum memor, ad animũ reuocaret, quam inuiti pridem ad arma consurrexissent, & cum quãto desiderio pacis ea rursus deposuissent. Proinde nollet eos ad similia negotia amplius coarctare. Et ut sciret, ipsos in firmo proposito conseruandæ libertatis perseuerare, conditiones literis addiderũt, quibus asserebant, quod nisi infra duorum mensium terminũ ostenderet, se maiorẽ sui Regij iuramẽti rationem habere, deinceps sciret se non cum subditis, sed cum hostibus negotiũ habiturum. Interea uerò cum hæc legatio, & hæ literę in senatu decernerentur, aderat quidam occultus Stocholmensis ciuitatis nuntius qui Engilbertum seorsum de imminentibus ciuium suorum periculis, qui pro Sueonũ partibus inclinati erãt, informabat: formido nanq; uehemẽs ipsos Sueones, qui Stocholmiam incolebant, inuasit, ne illa, aut similia, quæ alij Sueones post captiuatum Albertum in ea ciuitate passi fuerant, denuo paterentur. Quo cognito Engilbertus, sumptis secum omnibus regni consiliarijs, qui Arbogis aderant, confestim ad ciuitatem Stocholmẽsem maximo comitatu sociatus accelerauit, præmisso ad Regales ministros nuntio, se ob publicam pacem aduẽturum. Sed Dani, qui in ciuitatis pręsidijs collocati erãt, cum satis conscij essent Regem à pactis discessisse, portas ciuitatis aduentantibus clauserunt. At cæteri ciues, qui Gothi uel Sueci erãt, indignam rẽ rati, suos proceres à propria ciuitate excludi, præsertim cũ nulla hostilitas inter Regẽ, & eos adhuc publicata esset, facto unanimi cõcursu, portas per uim clausas uiriliter aperuerunt. Ingressi itaq; proceres, uexilla regni in publico foro collocant, edictũq; proponũt, ut quicũq; ciues sub suæ patriæ signis pro libertate militare uellẽt, quantocyus suã uolũtatẽ declararẽt. Quo uiso, tota ciuitas se cum senatu regni cõiunxit, exceptis aliquot Danis, quib. maior erat cura de Suecorũ seruitute, quã libertate. Proinde sine mora à turribus, & ꝓpugnaculis ciuitatis sunt deiecti, atq; in eorũ locũ fideliores incolę surrogati.

Deinde Engilbertus, & regni senatores, missis ad præsidem arcis Stocholmensis Ericum Iuthonem nuntijs, expostulant, cur eis aduenientibus portas clauserit, sagittasq;, & bombardarum globos in ipsos immiserit, cum ad nihil aliud, quam ad tractandum de publica pace aduenissent. Quibus expostulationibus cum Iutho nihil, quod honestè respõderi posset, haberet, ad minas, & conuitia se conuertens, perpetuam Sueonibus hostilitatem indixit. Quocirca Engilbertus duobus à senatu præcipuis, Carolo Canuti, & Erico Puche, negotium obsidendæ, & impugnandæ arcis Stocholmensis imponit, cum ipse interim totius regni curam gereret, & assiduam operam recuperandis castris, & restituendæ libertati accommodaret. Et quod summa admiratione dignum est solis tribus mensibus tam Gothorum, quam Sueonum regnum à manibus potentissimi Regis Erici potenter & prudenter eripuit: imò nisi freto Oeresund (quod Gothos à Danis separat) prohibitus fuisset, totum Daniæ regnum sub suam potestatem redegisset. Tanta siquidem illi in rebus bellicis industria, arbue experientia erat, ut quocunque se uerteret, omnia pro uoto obtineret: nullam arcem quantumuis fortissimam impugnauit, quin continuò expugnaret: tamq; uelociter à uictoria ad uictoriam peruenit, ut fulminis impetum imitari uideretur. Nomina autem aliquot fortissimarum arcium, quas an fortius, an mirabilius breuissimo temporis spatio expugnauerit, hic placuit annotare.

Borganes	Stocholm	Stegeholm
Eedzholm	Vardberg	Kœpung
Oerebo	Rumblaborg	Agaaholm
Falchenberg	Saxaholm	Nykœpung
Trulleborg	Dalaborg	Oesthammar
Castelholm	Ringstadaholm	Piksborg
Apesten	Staek	Gripsholm
Stegeborg	Axeual	Oeresten
Korsholm	Brymshuss.	

Sed accidit ei id, quod frequentissimè, atq; in omni terra euenire solet, uidelicet ijs, qui se totos pro patria, & incolis in mille pericula cõijciunt. Postquã patriã non semel, sed bis imò pluribus uicibus ab intolerabili tyrãnide, et turpissima seruitute liberasset, nihilq; restabat, nisi quod publico omnium ciuium consensu patriæ pater, & liberator, imò conseruator & fundator appellaretur, ecce quidam Magnus Beuctson ipsum in quadam insula non procul à curia Goxholm insidiosius, quam honestius impetitum trucidauit, non sine acerbissimo, atque inconsolabili totius patriæ luctu. Eius nanque funus ab omnibus incolis non secus exceptum erat, quam si tota patria ad sepulturam efferenda fuisset. Ipseq; occisor ad animum reuersus, tantum de commisso facinore doluit, quantum Magnus Alexander

Macedonum

Macedonum Rex de Clyto, quem per ebrietatem occiderat doluisse commemoratur. Hic enim Magnus, nisi ab amicis prohibitus fuisset, uim sibi ipsi ob patrati paricidij conscientiam intulisset. Mansit tamen in eo usque ad uitæ exitum grauissima animi pœnitudo, pluresq́; ex Danis, quos sceleris autores habuerat, occidit, sibiq́;, & toti posteritati suę sempiternum cū Danis odium indixit: quod etiam posteri eius usq; in præsentem diem fouere non desinunt. Noui ego eius filium Ioannem Magnum, arcis Calmarnensis præsidem, qui adeò insigni Danici nominis odio tenebatur, ut uix potuerit Danos sine conuitio & contemptu nominare: continueq́; eos maledictis & execrationibus insectatus est: filiumq́; Magnum Ioannem nihil à paterna probitate, & amore patriæ degenerantem, & adhuc, dum hæc scribo, uiuentem post sua fata reliquit. Cuius præclaram indolem bonis literis, & optimis moribus aliquando instituendam curaui.

Adhuc de eisdem pessimis præfectis.
CAP. XXVIII.

Etsi superiore cap. uisa est tota regio purgata tyrannide crudelium præfectorum, tamen damnabiles reliquiæ simili astutia, & arte in eorum complicibus & alumnis uelut toxico perseuerarunt: qui quanto mentitis obsequijs magis fidem principibus ostentare poterant, tantò putabant se Regijs secretis, & officijs præ ceteris omnibus fieri superiores. Nec opinione fallebantur. Dum enim primùm supplices, ac humiles Danica disciplina, ac in municipalibus scientijs expertos sese Regibus exhiberent, maximè in exactione tributorum, & multarum, mox ad præfecturas sine ulterioribus meritis super simplicem populum erigebantur: taliumq́; præfectorum tyrannide cooperante, potentissimus Gothorum, Suecorum, ac Noruegianorum Rex Carolus, prædicti Regis Erici successor, coactus est fidelissimæ gentis suę sustinere rebellionem, ac tandem exilium sufferre, prout mox dicetur. Ii etenim præfecti auarè, & atrociter subiectum populum opprimebāt, quia ad omnem nequitiam erant audacissimi, & ad omnem uirtutem, resq́; præclaras imbellissimi. Erant etiam in legibus patriæ taliter eruditi, ut magis iuris, quàm iustitiæ consulti haberentur. Nullus erat patrię legis titulus, quem non cogerent suæ inexplebili auaritiæ inseruire. Omnia uerba legis ita interpretabantur, ut nihil prorsus ad legislatoris intētionem accedere uideretur: summum enim ius summam æquitatem esse dicebant. Seueritas uoluit iustitia uideri: imò ut consuetissimus mos tyrānorum est, omnibus nefandis sceleribus nomina summarum uirtutum imponebant, dicentes se omnia ob publicam totius patriæ salutem facere, cum tamen totam patriam desolare, & funditus euertere contenderent. Cumq́; Rex ipse ob tam immania suorum præfectorum scelera, atq; sacrilegia, obsidione grauissima in sua regia incolarum potentia clauderetur, frustraq́; à suis præfectis, qui liberius per regnum uagabantur, expectaret auxilium, hærebat quid in tanta perplexitate pro remedio conduceret tutiore, misitq́; denuo secretos nuntios antedictis præfectis, mandās ob eorum honorem, & fidem, ac præstitum iuramentum, ut eius calamitati subuenirent. Sed frustra: nihil enim aliud didicerant, quàm superbe dominari supplicibus, pecuniam extorquere ab incolis iniurias irrogare miseris, supplicio afficere innoxios: at arma pro suo Rege assumere, aut uires uiribus opponere, nunq́; didicerunt, imò seipsos Regijs aduersarijs sponte captiuandos exhibuerunt (prout in simili Procopius in suos Gręculos conqueritur, contra Gothos pro Iustiniano Imperatore nil facientes) digni profectò ita captiuari, ut similibus traditoribus sempiterno terrori essent, & exemplo. Tum Rex in arcta necessitate positus, tutissimum præsidium in fuga prouidens, naues aliquot in horrendissimo frigore mensis Ianuarij celerrimè diuitijs ingentibus impositis, adaptari iussit. Cumq́; iam anchoræ leuandæ restarent, quidā ex præfectis Regē interrogat, an aliquid in terra neglexisset: quo audito Rex suspitās, respondit: Neglexi sanè ante plures annos te, & tui similes in furcā suspendere

quod tunc si fecissem, nunc quietius in tranquilla Republica remanerem. Moxq; erectis uelis in Gedanum Prusiæ celeberrimum emporium, magis grata, quã iucunda nauigatione peruenit, â Casimiro Rege Poloniæ humanissimè exceptus, donec 7. annis euolutis, in pristinam dignitatem, & potentiam reciperetur, factus omnibus charissimus, qui anteà publico odio laborabat. Præfectos nanq; instituit, qui uirtutes uitijs, iustitiam iniurijs, honestatem utilitati præferebant. Quid uerò Rex Daniæ Christiernus eius nominis secundus, in regnis Aquilonaribus ob sæuitiam crudelium præfectorum passus sit, nemo qui acta eius legit, ignorat. Inter cæteros autem quendam impium sanguinarium præfectum habuit, Nicolaum Holste appellatum: cuius unica uoluptas erat, Regem seuerũ præcedendo, eleuare excelsas furcas, quib. infelices regnicolas immani morte afficeret nisi certo auri, argentiq; pondere quantocyus redimerent uitã: asserens longos fures altas decere cruces. Nec defuit præconi iustum fatum. Regia namq; sententia, quòd à multis innocentibus pecuniam extorsisset, condemnatus, & in eadem furca, quam alijs parari iusserat, ipse suspensus fuit: licet nihil magis securitatis à furibundo populo Regi partum est, quin fugeret omni momento. De hoc autem Christierno Rege, & gestis eius, nonnihil oculata fide inferius scribam, quia præsens horrenda uidi.

Potentißimi Gothorum, Suecorum, & Noruegianorum Regis Caroli, Erici successoris, uita, propter præfectorum tyrannidem exilium, tandem etiam restitutio (quorum hic fit mentio) plena historia: ex Ioan. Mag. lib. 22. & 23.



Post mortem uerò Engilberti consensu procerum, Carolus Canutus utriusq; regni Gothorum & Sueonum Princeps & gubernator surrogatus est. Hic ex Finlandia natus, illustrissimum parentum suorum sanguinem clarissimis uirtutibus, atq; insigni eruditione illustrauit. Qui si tunc in Regem assumptus fuisset, quemadmodum postea & nimis tardè accidit, profectò aliquod Reipublicæ uestigium relictum fuisset. Sed adhuc restabat aliqua grauissima pernicies, quam Suetia ab exteris Principibus sustinere debebat, antequam ad innati Regis consolationem peruenire sineretur. Sed non deerant Carolo æmuli, qui potius sibi, q; illi principatum cessisse uoluissent: inter quos præcipuus & primus apparuit Ericus Puche, uir in militari disciplina admodum strenuus, qui cum Engilberto res magnas & præclaras pro liberanda patria peregerat, ob quas non minorem mercedem, quàm ipsum regnum reposcere uidebatur. Nec parua erat plebeiæ cõmunitatis multitudo, quam sibi ex Dalacarlorum gente attraxerat: qua suffultus, in bellum contra Carolum nõ procul ab Arosiensi ciuitate descendit. Commissoq; prælio, Olaus Archiepiscopus Vpsalẽsis, & Thomas Episcopus Strengenensis, nonnulliq; regni proceres, suadebãt utriq; parti ad cõcordiam potius deueniendum esse, q; propriam patriã ciuili & pernicioso bello cruentare. Annuit Ericus salutaribus illustrium uirorum consilijs, præfatus, se ad patriæ salutem, et non ad perniciem natum esse. Erant tamen nonnulli sub signis eius militantes, qui omnino dissuadebant, ne se aduersariorum fidei leuiter committeret, sed ex omni parte suæ consuleret securitati, anteq; inciperet in alterius potestatem deuenire. Quorum consilia Ericus, cùm esset magno atq; imperterrito animo, non multum curans, affirmabat, inter nobiles & illustres uiros, non secus atq; ex iusto & æquo agi posse. Proinde ad procerum conuentum in Arosiam descendens, non solum liberè, sed insolenter quæcunq; in animo habebat contra Carolum loquebatur. At Carolus non omnino ab astutia alienus, clàm fumũ, & fœtores in eo loco, quo comitia agebantur, fieri procurauit: quibus excitatis, monuit reliquas negotiorum partes in propinqua arce explicandas. In quam cum peruentum esset, Ericus liberius, q; securius, quæ prius dixerat, denuo iterauit. Tum Carolus, accepta ex eius uerbis occasione, ipsum captiuauit, captiuatumq;, & ad Stocholmiã missum capite plecti procurauit.

uit. Quo facto, præfati Pontifices, Olaus Vpsalensis, & Thomas Strengenensis, tantum do
luerunt se illis comitijs interfuisse, ut nunquam postea sanctum Domini corpus consecrare
auderent, rectè existimantes, ab illo ore tantum sacramentum confici non debere, a' quo
occasio mortis contra tam illustrem uirum (quamuis præter eorum intentionem) emana-
uit. Imò neq; amplius, ut senatui regni interessent, induci potuerunt.

Deinde alius ex præcipuis senatoribus Christiernus Nicolai regni Dapifer, contra Caro
lum insurgens, occultisq; uijs plebeiam communitatem sibi attrahens, meditabatur ipsum
à principatu ipsum amouere: atq; interim summam amicitiam, quæ est patris ad filiū, simu
lauit. Carolus autem rei ueritate cōperta, missis satellitibus ipsum captiuauit, arcesq; & feu
da, quæ à Regio fisco habebat, ab ipso extorsit, antequā eum pristinæ redderet libertati. Egit
tamen cum illo ciuilius, q̄ sperabatur. Magnam namq; Finlandiæ partem una' cum arce, &
ciuitate Viburgensi ei in feudum permisit. Tandem Nicolaus Stenonis, quamuis Caroli so
rorem in coniugem haberet, negotium tamen non satis facile contra ipsum suscitauit. Cum
enim Ostrogothiam nimis seueriter, & auarè administraret, Carolus plus iustitiam q̄ affini
tatem attendēs, ipsum frequentius admonere curauit, ut ab omni ciuium iniuria sibi tempe
raret, nec contra se leges & iura patriæ tam audacter prouocaret. Sed cum minimè tam pijs,
& honestis præceptis parêret, statuit Carolus arma in rebellē & contumacē conuertere. Ni-
colaus autem celeri fuga elapsus, ad Regem Ericum tunc circa Gotlandiam commorantem
accessit: acceptisq; ab eo aliquot militum copijs, redijt ad Ostrogothos. Sed ab exercitu Ca
roli superatus, & captus, ad Norcopiam oppidum, cum suis est deportatus, dieq; tertia mor
bo ex dolore cōtracto, expirauit: magnaq; pars familiæ eius, quæ pridem rapinis, & iniurijs
ciuium uixerat, gladio percussa occubuit. Sed neq; his omnibus sublatis permissus est Caro
lus regnum in pace administrare. Erat enim nobilis quidā illustrissimo sanguine natus Bro
derus Suenson, qui unà cū Engilberto plurima & præclara pro libertate patriæ gesserat. Hic
cum importunius apud Carolum de diuisione feudorum expostularet, confestim à Carolo
perinde ac rebellionis autor comprehēditur, & decollatur. Interim autem cum Carolus tot
domesticis periculis à patria, & Repub. amouendis necessariam operā impenderet, omnem
etiam diligentiam adhibuit, ut Rex Ericus amissos patriæ fauores recuperaret, atq; in regnū
restitutus, se talem exhiberet, qualem se futurum iurauerat. Et in ea causa celebrata fuerunt
multa comitia, multæq; legationes hinc inde missæ. Sed ea summa & superabundanti cura
nihil aliud effectum est, q̄ quòd Ericus indignum putaret, Regiam maiestatem iuramentis
obligari, qui (ut ei uidebatur) omne, quod libêret, sibi permitti deberet, alioquin se iureiu-
rando, & literis continuo astrinxisset: uel fortè quia à Danis persuasus erat, ut apud Sueo-
nes nomen regni unà cum præscriptis eorum legibus aboleret. Est quippe admodum ue
risimile, ipsos Danos, cum considerent sui regni prouentus adeò tenues esse, ut nequeant ex
eis sui Regis maiestatē satis cōmodè sustentare, magno & perpetuo desiderio ferri, ut Sueo-
num thesauris (quos forsan nimios esse putant subfulciantur. Sed illud eorū propositū nec
hactenus feliciter, nec ámodo felicius succedet. Proinde prudentius facerent, si sibi ab eo co
natu temperarent. Erat tamen Olaus Archiepiscopus Vpsalensis uehemēter pro salute, &
honore Erici solicitus: impetrauitq; à senatu regni tū autoritate, tum industria, tum etiā mi-
nis, ut ipso in Archiepiscopatu uiuente, Ericus tanquā uerus Rex obseruaretur, imò si uellet
iureiurando satisfacere, liberū ad regnū haberet ingressum. Eoq; cōstanti proposito Olaus,
sumpto secum Magno Episcopo Aboensi, & pluribus Pręlatis, ac proceribus regni, ad Lun
densem Metropolim in terrā Schoningię descendit, reducturus secū Regem Ericum, si ad pa
cta seruāda se induci pateretur. Sed erat omnis ille labor inanis, expensæq; sumptuosissimę,
quas Olaus Archiepiscopus ex bonis ecclesiæ Vpsalensis faciebat, omni utilitate caruerūt.
Iam enim Dani Erico grauissimum negotiū facientes, eiusq; tyrannidem apertè detrectan-
tes, fidem illi præstitam reuocabant. Quocirca Archiepiscopus ad sua reuersus, effecit, ut in
oppido Calmarnensi comitia pro publica omnium Aquilonarium regnorū tranquillitate
indicerētur. Ad quæ dum ex Vpsalia descensurus esset, in Nicopiam diuertit: ubi à quodam
Magno principante uenenū in amygdalino lacte propinatum accepit: statimq; mortuus in
Vpsaliam refertur. Quibus insidijs nequaquā impetitus fuisset, nisi pro Erico tam cōstans
permansisset, quem tamen suum suæq; Metropolitanæ ecclesiæ, & cleri acerrimum hostem,
atq; inexorabilem persequutorem semper expertus erat, prout in nostra Metropolitana hi-
storia latius est deductum. Conuētus igitur procerum Calmarnię institutus, ob pręmatura
Archiepiscopi fata, sine aliqua utilitate absolutus euanuit. Venerāt quidem in eum locū Re
gis Erici legati, nullas alias conditiones Sueonibus afferētes, nisi quòd Regē sine iurisiuran-
di obligatione in regnum admittant: quę quidem legatio per Danos proposita, eò tendere
uidebatur, ut Sueonum animi in Ericum magis exacerbati redderentur, & aliquando desi-

nerent cum eo de concordia tractatus habere. Ex altera autem parte Dani Erico suadent, ut se in Suetiam conferat, uerbaq; cum Carolo gubernatore, & proceribus faciens, meliorem rerum euentum per se, quàm per legatos experiatur. Itaq; Ericus à Danis persuasus, ad Suetiam nauigauit. Nec multi dies effluxerant (teste Erico historico Vpsalensi) antequam Dani post tergum abeuntis literas mittunt, quibus significant, se ei nequaquam amplius subesse uelle. Causa defectionis eorum ea potissima fuisse uidebatur, quòd Ericus thesauros regni Suetiæ in Daniam illatos, postea in Pomeraniam & paternam ditionem transtulisset, quasi iustius fuisset Danos ex spolijs Suecorum uiuere, quàm Pomeranos. Tum Ericus in littoribus Ostrogothorum positis tentorijs quiescens, Carolum gubernatorem ad se ob publica negotia uocare curabat. Carolus autem respondit, id ad se solũ minimè spectare, sed totum regni senatum de rebus publicam omnium salutem concernentibus, presentem esse oportere: proinde paululum expectandum esse, donec senatus regni ob tam ardua negotia conuocetur. Ericus autem conscius sui mali erga Carolũ propositi, classem ex Ostrogothia in Gotlandiæ insulam confestim retraxit: in qua desperato ad regna reditu, maiorem reliquæ suæ etatis partem agens, magnis calamitatibus omnium Aquilonarium regnorum incolas, qui per mare illud nauigabant, affecit, maximè autem Suecones & Gothos, quorum littoribus nimium uicinus habitabat.

Christophorus deinde prædicti Erici ex sorore nepos, & Bauarię dux, post exactum Ericum, uel spontè secedẽtem, hoc modo ad Aquilonaria regna peruenit. Dani (qui primi omnium ab Erico defecerunt) legatos ad hunc Christophorum Bauarorum ducem mittentes, regnum Danię ei obtulerunt. At cum ipse illud non satis magnifacere uideretur, promiserunt se efficaciter cooperaturos, quòd etiam Gothiæ, & Suetiæ, ac Noruegiæ regna assequeretur. Ea itaq; magnifica promissione animatus, & multo Bauarorum agmine stipatus, ad Daniam se contulit. Sed cũ uideret Danos longè minora efficere posse, quàm promiserant, toto triennio apud eos ancipiti sententia fluctuabat, nesciens prorsus, quid rerum aggrederetur: putabat enim amœnissimas Bauariæ terras non satis commodè, aut prudenter, Danicæ telluris angustijs commutari, prout olim Frotoni Danorum Regi regni Angliæ splendor commutari uisus est. Nec aliquam spem de Gothis, aut Suecis, ut ab eis in Regem assumeretur, habebat. Quippe dum ad eos legatos, super eo negotio aliquid persuasuros, destinaret, durioribus uerbis affectos recepit. Quippe uehementer displicuit Suecis, quòd Dani de eis, etiam nescijs, quasi tutores de pupillis, cum externo Principe conditionem adduxissent. Habemus, inquiunt Sueci, Regem Ericum: cui, si legibus obediuerit, libenter obediemus: ad quas si redire noluerit, & nobis de sufficiendo Rege cura incubuerit, non desunt nobis, qui dignè ad Regiam dignitatem eligantur. Proinde Dani sibi habeant Regem, quem nobis ignorantibus elegerunt. Digna quidem hæc uox erat, quæ à Suetico senatu in Danicam temeritatem, uel prudentiam obijceretur: sed deerat Sueonibus in tam iusto proposito diligens perseuerantia, quę non tam faciliter fuisset per Danicam astutiam superata. Cum enim præcipua cooperatione Nicolai Archiepiscopi Vpsalensis, omnium Aquilonarium regnorum senatores ad Calmarniam in negotio publicæ pacis restituendę conuenissent, spesq; Sueonum esset, ut Ericus omnium procerum exhortatione ad meliorum morum instituta conuersus, patriæ restitueretur: aderant quoq; in eisdem comitijs Danorum legati à Christophoro & senatu eiusdem regni destinati: quorum præcipui erant Archiepiscopus Lundensis, & magnificus princeps Nicolaus Nicolai, ipsius Caroli Canuti Suetiæ gubernatoris gener. Hi cum ex consanguinitatis necessitudine pro Erico Christophori auunculo, omnem uim persuadendi adhibere debuissent, mutata sanguinis obligatione, ut Ericum penitus destituerent, & Christophorum in omnia eius regna instituerent, magnoperè contendebant: nihilque omittebant, quo sui Christophori laudes non solum ad sydera, sed super omnes cœlos extollerent: imò inter alia præconia ad suum propositum accommodata, hos uersus astutius, quàm doctius compositos, omnium auribus inculcabant:

Si linguæ centum resonarent, oraq; centum,
Ferrea Christophori uox laudes dicere nescit.

Demum postquam credebant Sueonum proceres & populos, qui tunc aderant, abundè persuasos, totam suæ legationis uim & industriam ad Carolum gubernatorem conuertentes, affirmabant adhuc lõgè maiores Christophori laudes omissas, quę nullis humanis uerbis satis explicari possent. Deinde Nicolaus ipsum Carolum (cuius gener erat) secretius admonens, inquit: Vides, Carole frater, taliter agi apud Danos contra Ericum, ut ipse tandem ob maligna suorum consilia, in summa pericula seductus deficiat: estq; illud destitutionis eius negotium tam remotum ab omni honestate, ut qui in ipsius locum tali modo fuerit substitutus, plus dedecoris, quam honoris, plus laboris & difficultatis, quam quietis aut

utilitatis

utilitatis inde aſſequetur. Proinde, quamuis tibi, ut mihi ipſi, omnia felicia faueam, uelimꝗ tuam fortunam ad eam ſublimitatem efferri, ut nullus in toto orbe Rex, aut Princeps te felicior & ſublimior exiſtimari poſsit, tamen nequaquam uellem te cum tanta tui honoris iactura in locum uiuentis Regis extolli. Meo igitur conſilio prudentius egeris, ſi hoc negotium adeò odioſum in Chriſtophori perſonam transferri patiaris: quod utique cum tuo ſummo commodo, & ſempiterna nominis tui gloria efficies. Is enim ſolo nomine Regio contentus, ſub tua poteſtate totum regnum gubernari permittet: tu ipſum in omnibus regni negotijs, perinde ac pater filium, diriges, & ille tibi non ſecus ac obſequentiſsimus filius optimo patri parebit: nullus contra nutum tuum in toto regno quicquam attentabit. Quę igitur maior gloria tibi accidere queat, quàm Regi, & toti regno imperare? Nec putes iſta ſine ſolido fundamento dici, aut me tibi, cui tam arctiſsima affinitate coniunctus ſum, uerba dare uelle. Chriſtophorus me arbitro, & autore, te literis & ſigillis Regijs in omnibus his certum, ſecurumꝗ efficiet. Carolus autem, etſi optimè ſciret, quantam uim Danica uerba haberent, aut quorſum tenderent, prudenter diſsimulauit, & omnia quæ dicta, promiſſaꝗ fuerant, ſeſe magnifacere oſtendebat. Veruntamen neceſſarium fore aſſerebat, tam arduum difficileꝗ negotium in ſequentem procerum conuentum differri, cum bona eorum pars ad Calmarniam non peruenerat, erantꝗ adhuc non pauci in regno, qui pro Erici reſtitutione laborarent.

Itaque Danorum legati bene ſperare iuſsi, ad ſua, unde uenerant, redierunt. Chriſtophoro tamen omnia pro eius uoto neceſſariò futura pollicebantur, ſummoperè curantes, ne crederet Sueones aliter, quàm Dani uellent, facere poſſe. Celebratis illis comitijs Calmarniæ, & omnibus ſenatoribus ad ſua redeuntibus, Carolus quandam ſanctimonialem in arcto pœnitentiæ loco incluſam adijſſe fertur, ipſamꝗ de futuro Rege, & regnorum ſtatu conſuluiſſe. Quæ reſpondit, eum omnino futurum Regem, quamuis non pauci pro Chriſtophoro aſſumendo laborarent: qui etiam ad paucum tempus pręualerent, darentꝗ occaſionem diuino furori, qui ſolet Sueonum & Gothorum regna, ob aſſumptionem extraneorum Regum, uehementer affligere & punire: quemadmodum confeſtim poſt coronatum Chriſtophorum euenit. Vbique enim tam apud Gothos, quàm apud Sueones grauiſsima peſte, & fame laboratum eſt. Sunt etiam qui ſcripto prodiderunt, infantulum quendam in monaſterio Vaſtenenſi dixiſſe matri ſuæ, Se uidere coronam auream in caput Caroli gubernatoris. Elapſis deinde aliquot diebus, totus Gothorum & Sueonum ſenatus ad oppidum Arbogenſe conuenit: in cuius medio Carolus exurgens, orationem ſuccinctam, & luculentam de publicis regni negotijs habebat, atque in eius calce omnium ſenatorum iudicio conſiderandum propoſuit, quos labores, & quantas difficultates pro publica totius patriæ ſalute ſuſtinuerat, poſtquam eorum præcepto regni gubernationem aſſumpſiſſet. Iamꝗ regni libertas eius opera eò peruenerat, ut ipſi ſenatores liberam haberent facultatem Regem, quemcunque mallent, eligendi: imò quicquid uellent, de tota ſua Republica liberè diſponere poſſent. Quocirca rogabat, ſuos diuturnos & difficiles labores, ea ſenatus gratitudine compenſari, ne ipſe, & ſui poſteri, ob publicam patriæ ſalutem, quam multis laboribus reſtituerant, ad extremam inopiam redacti fuiſſe uiderentur. Placuit ſenatui tam iuſta & honeſta Caroli petitio. Monituſquè ſpeciatim explicare, quæ poſtularet: reſpondit, ſe terram Finlandiæ, in qua natus erat, ad tempus uitæ ſuæ, ſub nomine feudi poſtulare: & inſulam Elandiæ pro tota ſua poſteritate, quæ tamen poſſet ad coronam regni, ſolutis quadraginta millibus marcarum Stocholmenſium, redimi. Non fuit hæc Caroli petitio aliter, quàm iuſta & æqua à ſenatoribus terræ exiſtimata. Quippe æquiſsimum erat, ut ei talis regni portio concederetur, qui totum regnum ſuis præclaris operibus meruerat, & quem fata toti regno potius, quàm parti regni genuiſſe uidebantur. Fit igitur in ſenatu decretum, ut Carolus eas terras, quas poſtulauerat, poſsideat, eisꝗ iuxta legem, quam appoſuerat, utatur.

Deinde ijdem regni proceres, non quòd aliquid boni ab externo Rege ſperabant, ſed mutuo odio excæcati, ne quem innatum Regem aſſumerent, legatos ad Chriſtophorum dirigunt, legationiꝗ conditiones & articulos addunt, quos per Chriſtophorum iureiurando, & literis, ac ſigillis confirmari petunt. Quo facto, nihil dubitaret, quin proximis comitijs Calmarniæ celebrandis, in Regem Suetiæ aſſumeretur. Omnibus itaque Sueonum articulis æquè citò propoſitis, & per Chriſtophorum confirmatis, Sueones plurimum exhilarati, putabant iam certum omnium calamitatum ſuarum finem aduenisse: ſeꝗ ad conuentum procerum Calmarniæ indictum accingebant. Interim autem Chriſtophorus, ſciens omnes arces, & terras, imò totum regnum à Carolo occupari, ipſum ad oppidum Halmſtada amiciſsimis literis, & importunis nuntijs inuitat: aduenientemꝗ tantis obſequijs, & beneuolentiæ

uolentiæ

uolentiæ officijs excepit;ut uix maiora obsequia ab aliquo mortaliũ expectari potuissent. Ibi enim Carolus à Christophoro in patrem cum Regio iuramento eligitur:obsignanturq́;, & promittuntur,ac confirmantur à Rege omnia, quæcunque Carolus postulabat. Deinde tam Carolus,quàm cæteri regni senatores Christophorum diu in oppido Calmarnensi expectatum,& tandem circa principium mensis Septembris aduenientem, cum summo honore excipiunt:exceptumq́; ab eo loco,usq; ad ciuitatem Stocholmensem,cum Regio apparatu,& magnifica pompa deducunt:deductumq́; primo in ecclesiam primariam S. Nicolai, deinde in arcem Regiam inducunt. Sed silendum non est iudicium præsentis populi,quod tunc Carolo acclamatum fuit. Cum enim ipse ad sinistrum Regis latus, & Archiepiscopus pro dignitate ad dextrum incederet,auditæ sunt uoces confusę multitudinis, Carolũ Regia corona digniorem,quàm Christophorũ esse. Quæ uox ad aures Regis perueniens, nonnullum odij fomitem subministrauit. Incidit autem huius Christophori coronatio ad profectum Exaltationis sanctæ Crucis,circa annum Christi M. CCCC. XLII. celebrata in Metropoli Vpsalensi per Nicolaum Raualdi eiusdem loci Archiepiscopum, & supremũ regni consiliarium:cuius historiam inter Pontifices Vpsalenses alias per nos scriptam,modò (ut breuitati consulamus) præterimus. Quanta autem fuerit gloria & magnificentia in coronatione huius Regis, ex eo probari potest,quòd post militares ludos,& torneamenta,ac plurima Regij apparatus spectacula,septuaginta illustres proceres cingulo militari decoratos ad equestrem ordinem promouit.

Erat hic Rex à principio sui regni erga omnes suos subditos benignus & perhumanus:et fortè in eà benignitate usq; ad ultima fata perseuerasset,nisi per Sueonũ dissensiones in mores longè diuersos ductus fuisset. Cum enim uideret, Sueonum nobiles in mutuum odium & perniciem continuè ferri,cœpit eos perinde ac parum ualidos contemnere. Quos si mutuo amore unitos considerasset,perpetua dilectione complexus fuisset,timuissetq́; eos iniuria afficere,quos uidisset ad propulsandas iniurias concordibus uotis animatos. Siquidem ille Christiernus Nicolai,quem superius à Carolo captiuatum meminimus, reuocatis ad animum iniurijs,quas à Carolo sustinuerat, omnem operam tum per se,tum per amicos apud Regem adhibuit,ut Carolus ab eius fauore & gratia penitus separaretur: separatusq́; potentum inimicorum insidijs continuò exponeretur. Nec parum in eo proposito profecit. Quippe ipse Rex à Christierno persuasus,animum,amicitiamq́;,quam paulo ante iureiurando confirmauerat,à Carolo reuocauit,multasq́; occasiones, quibus ipsum perderet, diligenter inquisiuit. At Carolus,sentiens se longè aliter ac promissum fuerat, à Rege æstimari,prudenter omnes insidias,quas sibi pręparari uidebat, euasit, summoperè cauens, ne talem filium experiretur,qualem ille Romanus Cicero, quem Octauianus Augustus loco patris uenerari uidebatur. Præterea cum Christophorus satis consideraret, Sueonum nobiles quadam importunissima ambitione pro feudis, & prouentibus coronæ contendere: nec sibi inuicem deferre,sed occultis suggillationibus sese mutuò lacerare:nec inter eos erubescerent filij,uiuentium patrum præfecturas inuitis parentibus, & ignorantibus,à Rege postulare:nullamqúe,aut nimis tenuem consanguinitatis & necessitudinis rationem inter tot generosos nobiles haberi. Quocirca tales suæ cancellariæ regulas ędidit,ut omni poscenti feudum,confestim,& sine quocunq; præuio examine concederetur, literęq́; latę & amplę, quibus gratia Regia confirmaretur,in promptu expedirentur, ut imprudens regni nobilitas saltem tam confusa,uel ancipiti concessione disceret,non decere gratiam alteri collatam præripere,aut reuocare. Sed cum neque ea industria poterat animus imprudentum hominum compesci,addidit aliam astutium non obliuiscendam, utpote, quòd literę super concesso feudo conscriptæ,tanto auro à Regia cancellaria redimerentur, quantum uix à toto feudo corradi potuisset. Nec diutius ea gratia durauit,quàm alter, data maiori, aut pari auri summa,in idem feudum induci postularet:factumq́; est cæca contendentium importunitate,ut sæpe uno anno,imò uno mense,uel uno die complures, data ingenti pecunia, in idem feudum instituerentur,nec quicquam prouentuum ex eo reportarent. Sed neque eo modo poterant à mutua supplantatione deterreri,donec magna eorum pars nec aurum,nec feudum, imo nec ullam possessionem reliquam haberet. Quo euenit, ut Christophorus eis non iniustè,& palam tam impacabile,atq; inhumanum odium, quo se mutuo desolabant, exprobraret.

Enimuero cum in senatu regni rogaretur,ut piraticam exacti Regis Erici,qua Sueonum, Gothorumq́; littora continuè & atrociter uexabantur, reprimeret, respondit, se nec commodè,nec securè contra eorum hostem arma induere posse, interim cum ea inciuili,atque perniciosa controuersia domi laborarent. Quis enim non crederet,complures eorum ob odium,quo in conciues suos ferebantur,ad hostem facilè defecturos? Proinde nunquam

ſperarent ſe, aut domi, aut foris, tranquillam uitam agere poſſe, niſi domeſtica concordia penitus reſtituta, ſe magis in hoſtes, quàm in conciues armatos eſſe monſtrarent: alioquin nullum unquam Regem inuenient, cuius ope conſeruari poſſent: atq; interim cum mutuis armis ſe confodiunt, permittant ſuum auunculum Ericum, & quoſcunque alios hoſtes liberè in Suetiam & Gothiam digraſſari, ut habeant ex Sueonum bonis unde paſcantur. Incidit quoq; grandis hoſtilitas inter hunc Chriſtophorum, & Anglorum Regem: peruentumq; eſt ad naualem pugnam: ex qua Chriſtophorus uictor excedens, magnam Anglicanorum mercatorũ claſſem inuaſit, & diripuit: ex cuius ſpolijs admodum locupletatus, ſtatuit Vandalicis ciuitatibus, præſertim Lubicenſi bellum inferre, idq; magis per inſidias, quàm aperto Marte. Quippe contracta ingenti claſſe, nuntios ad Lubicenſes mittit, qui affirmarent, ipſum ex uoto peregrinationem ad ſanctum Chriſti cruorem in Viſnacho inſtituiſſe, & ob id liberum tranſitum pro ſe, & quinq; millibus armatorũ poſtulare. Sed prudentiores erant Lubicenſes, quàm quòd tales peregrinos, qui magis ob effundendum Chriſtianorum ſanguinem, ꝙ uenerandum Chriſti cruorem peregrinabantur, admitterent. Interea tamen non parua militum multitudo à ſuperiore Germania emiſſa, ſub ſpecie negotiatorũ Lubecam intrauerat, ibiq; tempus, & occaſionem, qua Chriſtophorus copias muris admoueret, expectabat. Suboritur interim fortuitò incendium ad ciuitatis portas. Quod cum iſti inſidioſi negociatores à Chriſtophoro iniectum putarent, confeſtim armis, quæ in uaſis magnis ſub uinorum ſpecie inuexerant, induuntur, ſeq; ad locum incendij celeri curſu conferũt. At cum eam ſpem inanem fuiſſe deprehendiſſent, retrocedunt. Interrogati autem, cur arma in ciuitatem intuliſſent, dixerunt, ſe militaris exercitij cauſa arma ſemper in promptu habere. Iuſsi igitur ſine mora ciuitatem egredi, & alibi ſuos militares ludos exercere: ea uia, qua uenerãt, abiuerunt. Quo comperto, Chriſtophorus claſſem in ſuas terras reuocans, animum ab expugnandis Germaniæ urbibus pro eo tempore deſpondit. Nec longo pòſt tempore inter Gotlandiam & Calmarniam naufragium paſſus, ægrè in littus ſaluus euaſit, ſubmerſis com pluribus Aquilonarium regnorum nobilibus, & plebeis. Viſa eſt propitia diuinitas eum taliter præmonuiſſe, ut ad meliores mores reuerſus, abominandæ libidinis infamiam, quam, cõtempta illuſtriſsima Regina Dorothea, filia Marchionis Brandeburgenſis, inciderat, abolere conaretur. Creditum enim fuit à ſapientibus, & pijs uiris, famem, & peſtẽ, aliaq; complura aduerſa, ab irato Deo ob Principis peccata (quæ nec parua, nec occulta erant) toti regno irrogata fuiſſe. Refert tamen Crantzius in hoc loco, ipſum Chriſtophorum ingentem theſaurum ex Suetia, & priorum Regum Suetiæ promptuarijs extractum, atq; illi naui impoſitum, amiſiſſe. Sed non diu pòſt ſuperuiuẽs, regna pariter & uitam amiſit. Incidit autem obitus eius in annum Chriſti M CCCC. XLVIII. ad diem Epiphaniȩ, qua Trium Regum feſta à populo Chriſtiano celebrantur, in arce Schoningiano freto appoſita, quam Helſingburgum etiam noſtro tempore appellant. Comperta autem Regis morte, duo gubernatores, qui regnis Gothiæ & Suetiæ uſq; ad noui Regis electionem præeſſent, à toto procerum ſenatu inſtituuntur, Benedictus Ienſon, & Nicolaus Ienſon: qui ut erãt Germani fratres coniunctiſsimi, ita etiam ad res præclaras nulli Sueticorum procerum ſecundi habebantur.

Carolus Canuti ex antiquis Gothorum Regibus originem ducens, poſt Chriſtophori fata ad Gothorum & Sueonum regna, procerum, populiq; electione in difficillimis, & penè deſperatis Reipub. temporibus peruenit. Enimuero poſtquàm totis quinquaginta annis, & amplius, regni Suetiæ conſiliarij ſeſe nimis imprudenter cum Danico regno implicaſſent, eaq; implicatione neutri parti bene conſultum fuiſſet, imò parum aberat, quin eadem regna ſe mutua impugnatione penitus deſolaſſent: tandem aperti ſunt Sueonum oculi, ut prudentius perpenderent, quid commodi, uel incommodi ea Danica ſocieras in ſe haberet. Si enim uerum fateri liceat, nunquam ab omnium rerum exordio Suetia peius ualuerat, quàm eiſdem quinquãginta annis, quibus uiſa fuerat Danis confœderata: quod non una ratione, ſed integro hiſtoriarum uolumine probari poteſt. Hæc tamen nunc quieſcant. Et nos ad Caroli electionem redeuntes, conſideremus eum non ſine magna difficultate ad regni ſolium conſcendiſſe. Cum enim antea gubernator regnorum exiſtens, multas procerum inſolentias iuſtè caſtigaſſet, multi potentes proceres ſe eius electioni obiecerunt. Et cum uiderent maiorem ſenatus, populique partem pro eo inclinari, tentabant electionem (quàm facilè caſſare non poſſent) in longius tempus differendam eſſe, ut interim ad illas pernicioſas Danorum intricationes conuerſi, occaſionem haberent, qua denuò totum Suetiæ Reipublicæ ſtatum ſurſum, deorſumque ferrent, atque omnibus periculis inuoluerent. Præualuit tamen ea pars, quæ erat patriæ amantiſsima: & electus eſt Carolus, iuſtitia, æquitate, probitate, & rerum gerendarum prudentia conſpicuus, imò, quod rarius eſſe ſolet, in Philoſophicis diſciplinis, præſertim quæ mathema-

ticæ dicuntur, excellenter instructus. Hic igitur post acceptam in ecclesia metropolitana Vpsalensi coronam, confestim prævalidam classem insulæ Gotlandiæ litoribus sub ducibus Magno Green, & Birgero Trolle aduehendam curauit, exacturus inde Ericum Regem qui totum circum positum mare piratico terrore uexabat. Tentabant quidem Erici milites aduenientem Caroli militiam repellere, sed cæsi, fugatiq; intra mœnia ciuitatis Visbycensis, se una cum suo Erico obsideri permiserunt. Durauit ea obsidio à media æstate, usq; ad caput mensis Decembris: in quo Sueci admotis quàm occultissimè scalis, ciuitatem incruenta uictoria occupauerunt: occupassent etiã arcem, si se paulò prudentius, imò si fidelius se gessissent illi duo Suetici exercitus ductores, qui sub Suetica chlamyde animum Danicum abscondebant. Quippe cum Ericus consideraret in proximo esse, ut capta arce ipse quoq; caperetur, inuenit idoneum modum, quo Sueonum credulitas frequentius capi consueuit, ut pote inducias aliquot mensium: quibus positis, uictualia in arcem omnino exinanitam abundè importari fecit: missisq; clàm literis, & nuntijs, auxilium à Danis implorabat, promittens, quod eos totius Gotlandiæ dominos efficeret, si in tanta rerum angustia opem quantocyus contra Sueones afferrent.

Dani igitur, quamuis de semetipsis, & suo regno satis soliciti essent, timerentq; noui Regis Caroli potentiam, ne tota in uniuersam Daniam diffunderetur, attamen, missis legatis, sese arbitros inter eum, et Regem Ericum offerebant, asserentes, Ericum de Gotlandia prout uellet, disponere posse. Neq; deerat eis animus contra apertam ueritatem loquendi, & affirmandi, quod Gotlandia ad suam Daniam iure pertineret. Quod quam ueraciter dixerint, satis ostendit eorum historicus Saxo, qui Daniæ terminos describens, Gotlandiam inter eos ponere non audebat: imò in toto historiæ illius contextu sæpissime apparet, Gotlandiam Gothico regno, non Danico adscribi. Obstat etiã nominis etymologia, quę dicit, Gotlandiam terram esse Gothorũ. Obstat præterea loci propinquitas, præscriptionis diuturnitas, morum, linguæ, ac legum, & religionis sub eodem Episcopo Lincopensi conformitas: & si aliæ rationes deessent, ipsa Danica seueritas satis probaret, Gotlandiam ad Gothos & Sueones pertinere. Dani enim toto tempore, quo eam insulam occupauerant, ita ipsam uexauerant, ut nõ ueri patroni, aut domini, sed grauissimi hostes eius uideri potuissent. Quippe, quę antea omnium ciuitatum Germaniæ felicissimum emporium habebat, & ab illa ius maritimum petebatur, nũc in quam miseriam deuenerit, quis satis deplorare queat? Enimuerò talis iam effecta est, ut nulli principi usui esse queat, nisi ditissimus esset, & qui posset, & uellet miserabilibus incolis eius, ne prorsus fame intereant, eleemosynas elargiri. Negauit igitur Carolus se exercitum ab ipsa Gotlandia reuocaturum, sed totis uiribus id efficere uelle, ut in pristinam libertatem restituta experiretur, se ad ueros patres, & protectores suos rediisse. Nec quicquam eorum, quæ magno animo promisit, omisit. Sed erat magna, & non sufferenda culpa in præfectis, qui nec animo Regis, nec suæ ipsorũ fidei militari satis responderunt. Dani igitur, uidentes Carolum uerbis eorum minime moueri, domum reuersi, arma in suam, & sui regni defensionem præparabant, futurum rati, ut Carolus Gothorum, Sueonumq; potẽtia succinctus, insuperabilem belli molem in eos transferret. Sed cum considerarent ipsum applaudente fortuna non ita efficaciter uti collectas, quas habebant, militum copias, classi impositas ad terram Gotlandiæ aduexerunt, liberoq; ingressu in arcẽ Visbycensem admissi, Regem Ericum cum omni thesauro, quem apud se ingentem habebat, frustrata, omni Sueonũ intentione, extraxerunt. Deinde impositis in arcem præsidijs, Ericum in Daniam deducere constituerunt. Sed is prudentius de se cogitans, occulta fuga eorum insidias euasit, reuersusq; in Pomeraniam, reliquum uitæ suæ (ut diximus) in paterna domo peregit. His itaq; artibus Dani arcem Visbycensem adepti, Regi suo, Christierno nouiter assumpto nuntios dirigunt, quibus tam ei, q̃ senatui regni persuadent, mittendum esse quantocyus potentem exercitum in Gotlandiam, ne Carolus etiam arcem inuaderet, & occuparet. Quo audito Danicus senatus, cum arma in promptu non essent, ad ingenia (quę eis promptissimè adesse consueuerant) conuersi, Olaum Absolonem equestri ordine insignitum, confestim in Gotlandiam expediunt, dantq; præceptum, ut uerbis admodũ placidis Sueones aggrediatur, omniaq; tranquilla, & optima eis polliceatur: fiant induciæ, eligantur arbitri, decernatur conueniendi locus ex Sueonum beneplacito, transigatur causa, & controuersia sine cæde & sanguine. Parati sunt Dani ob publicam pacem etiam de suo iure cedere. His, & similibus præceptis Olauus abunde instructus, ad portum Gotlandiæ Vestragarnum peruenit, primumq; exercitus ductorem Magnum Green ad familiare colloquium inuitauit: qui mox eius suauissimis sermonibus superatus, inducijs, aliquot mensium, quas Olaus callidè postulabat, ignauissimè, ne dicam perfidissimè, cęteris belli ductoribus minimè consentientibus assensit.

Quo

Quo factum est, ut Olaus Danus commeatum, & populum, quem classe aduexerat, in arcem quoq; libere inueheret, castraq;, & propugnacula, quę Sueci ad impugnandā arcem ērexerant, consentiente prædicto Magno Green, flamma deleret: præfatus, nulla hostilia amodo formidanda esse, sed omnia tranquilla, & pacata sine ullo dubio expectanda. His itaque astutius, quam honestius peractis, Olaus occultissimis literis, & nuntijs apud Regem suum Christiernum egit, ut potenti classe instructus quantocyus adueniret, & non modo arcem, sed ciuitatem, & totam terram pro uoto occuparet. Christiernus igitur, omnibus acceleratis citius, quam Sueonum credulitas opinabatur aduenit: statimq; exercitus eius armatus imparatos Sueones (utpote, qui se ob positas inducias securos æstimabant) adortus, quoscunque obuios habuit, trucidauit. Tum Sueci merito suam imprudentiam accusantes dixissent: Nos insensati, & toties anteà illusi, fidem Danicam constantiorem esse putauimus. Sed quænam prudentia tanta esse potuisset, quę per tantam astutiam, ne quid durius dicam superata non fuisset? Sueci autem, ne sic morerentur inulti, arma subitò corripientes, sexcentos Danicę militiæ stipendiarios in ipsis plateis ciuitatis primo impetu occiderunt. Deinde munitioribus domibus se includentes, stragem non paruam in subeuntes hostes peregerunt. Dani uerò, uidentes eos à domibus sine magna sanguinis effusione extrahi non posse, ad solita sua remedia, utpote inducias confugerunt. Pactis itaq; inducijs, Sueones amissa per summam imprudentiam Gotlandia, circa finem mensis Iulij anno Christi M.CCCC.XLIX. ad Suetiam redierunt. Dani uero suis ingenijs usi, alienam terram maiore iniuria, quam iustitia occupantes, possederunt, possidentq;, donec Sueonum, Gothorumq; oculi iterum aperiantur, discantq; eos exercituum duces constituere, qui sciant, & uelint potius honestum bellum cum hoste gerendum esse, quam turpem, & infamem pacem admittendam.

At Carolus ad unius insulæ amissionem, turbatus quidem fuit, sed nequaquam perturbatus: nam forti atq; inuicto animo ad maiora progrediēs, uix euoluto bimestri post amissam Gotlandiam, totum Noruegiæ regnum suæ coronæ adiecit. Susceptus ab illius regni incolis per summam omnium beneuolentiam, & in metropoli Nidrosiensi corona Regia insignitus. Qua festiuitate peracta, & omnibus eius regni negotijs optimè constitutis, duos gubernatores ex Noruegiano senatu, Aslacum Turonis, et Enarum cognomento Muscam elegit: quibus totam illius regni administrationem addixit. Deinde in Suetiam reuersus, quemadmodum omnibus bonis amabilis erat, ita non solum domesticis, sed extraneis hostibus ob adeptum Noruegiæ regnum formidabilis apparebat. Quocirca tam ipsi Dani, quam nonnulli ex Sueonibus cogitabant, quomodo eius potentia uel tolli, uel minui posset. Quod quamuis prudentissimum Regem non lateret, attamen dissimulandum putabat ne contra nobiles uiros iudicium ex sola suspicione ferre uideretur. Interea cautissime se in omnibus gerens, maleuolorum insidias cum summa omnium admiratione cassauit: nihilq; commisit, quo putari poterat, præparatas insidias cognouisse. Nam confestim postquám ex Noruegia redijsset, comitia in oppido Arbogensi celebrauit, ex qubus duodecim proceres ad comitia, quæ Dani in oppido Halmstadensi mox celebraturi erant, mittendos curauit, ut de omnibus ad publicam regnorum pacem conducentibus informati redirent, consiliaq; subministrarent, quibus uni parti ita fieret satis, ut altera in sua iustitia non periclitaretur. Sed cum postea consideraret, eos non ita syncere pro Suecorum, & Gothorum libertate egisse, quemadmodum Dani pro sua Repub. quam in extremos orbis terrarum fines extendi uellent, iussit, ut se domi suæ interim continerent, cum ipse ea comitia cum Danorum Rege Christierno, quæ Calmarniæ celebranda consenserant, celebraret.

At Christiernus, considerans maiorem esse in Carolo prudentiam ad cauendas insidias, quam in eius inimicis astutiam ad inferendas, substitit in oppido Rotnaby, non longè à Calmarnia: nec ultra processit, donec illum nusquam insidijs opportunum aduerteret. Tunc inde rediens, & frustra se uenisse putans, in suam Daniam se recepit. Sed non longo post tempore Olaus Absolon Danicæ classis præfectus, littora Suetica prope Stockolmiam, nullo premisso hostilitatis indicio, flamma, ferro, direptionibus deuastauit. Tum deniq; Carolus deposita illa singulari modestia, qua semper præditus fuerat, prægrandem exercitum ex Gotis et Suecis eduxit, totamq; Schoningiam, Blechingiam, Hallādiam, latissimas quidem terras, ita desolauit, ut omnino in solitudinem redactæ, diuq; sine cultore manentes, horridę uastitatis situm induisse uiderentur. Hoc loco Laurentius Arosienses historicus affirmat, Carolum numerasse decies octies centena millia ex Gothis, Suecis, & Finnis, ad bellum cum opus esset, idonea. Christiernus igitur tā graui bello impugnatus, statuit confœderatorum principum auxilio arma in Carolum promouere, et acceptam ab eo stragem grauiori strage uindicare. Quocirca multos inferioris Germanię principes in oppidū Vilsnacū cōuocatos,

D instantissi-

instantissimis precibus rogat, ut contra Carolum Sueonum, Gothorumq́; ac Nõuegianõrum Regem, arma suscipere uellent. Quibus assentientibus, & maximas militũ copias præbentibus, Christiernus Vestrogothiam inuasit, eiusq́; præcipuũ portum Ludosiam interceptum, presidiario milite cõmuniuit. Deinde uastata Vestrogothia, cogitabat arma in Ostrogothos transferre: sed Nicolaus cognomento Koning, Episcopus Lincopensis, sua familia, & nonnullis incolis adiutus, potenter occurrit uenienti, insidijsq́; in sylua Holueden collocatis, magnam stragem in Danos commisit: & nisi Christiernus subita fuga in Daniã properasset, eisdem insidijs obrutus interijsset. Interim autem, cum Nicolaus tam preclaram uictoriam de Danis reportaret, Rex Carolus Christierni classem, quæ, ductoribus Olauo Absolonis, & transfuga Magno Green, superiores Suetiæ partes inuaserat, effugauit. Deinde misso ualido exercitu cum Tordone Bonda milite strenuissimo, Ludosiensem portum & arces, quæ apud Vestrogothos à Danis occupabantur, eripuit, captiuatis pluribus eorum sub media noctis tempore, qui se putabant satis securè in aliena, & hostili terra dormitare.

Parta igitur ea uictoria, Carolus ad plures annos amplissimis regnis quietè, & feliciter imperabat, donec necesse fuerit ipsum non ob propriam causam, sed pessimorum prefectorum flagitia periclitari. Habebat enim prefectos ad omnem nequitiam audacissimos, & ad omnem uirtutem, resq́; preclaras imbellissimos. Hi tam auarè, & atrociter subiectum populum opprimebant, ut tandem coactus fuerit fidelissimã subiectionem pertinaci rebellione commutare. Erant in legibus patriæ taliter eruditi, ut magis iuris, q̃ iustitię cõsulti haberentur: nullus erat patrij iuris titulus, quem nõ cogerent suæ auaritiæ inseruire: omnia uerba legis ita interpretabantur, ut nihil prorsus ad intentionẽ legislatoris accedere uideretur: summum ius, summam æquitatem esse dicebant. Seueritas uoluit iustitia uideri: imò, ut consuetissimus tyrannorum mos est, omnibus nefandis sceleribus nomina summarum uirtutum imponebant, dicentes se omnia ob publicam totius patriæ salutem facere, cum tamẽ totam patriam desolare, & funditus euertere cõtendant. Igitur postq̃ incolæ ad plures annos à Regijs prefectis tã inhumaniter tractati, spoliati, uexatiq́; fuissent, ut iam nihil præter sanguinẽ residuũ haberent, quem ne tyranni impunè ebibituri essent, diligentius prouidere uellent. Quocirca preces, & lachrymas corã Ioanne Benedicti de Salestada Archiepiscopo Vpsalensi, quẽ scribant eam tyrannidẽ in summo odio habere, sæpe, & importunè effundunt, rogantes, & obsecrantes, ut eorũ extremæ calamitati de aliquo opportuno remedio consulere dignaretur. Factus igitur Ioannes oppressi populi ductor, statuit non modo in Regios præfectos, sed in ipsum Regem, cum quo longo tempore in graui controuersia steterat, patratę tyrannidis iniuriam uindicare: ipsumq́; Regem multitudine incolarum succinctus, in ciuitate Stocholmensi obsedit. Obsessus itaq́; Rex spem totam in suis prefectis, qui adhuc liberi per regnum uagabantur, reponebat. Sed frustra: nihil enim aliud didicerant, q̃ superbè dominari supplicibus, pecuniã extorquere pauperibus, iniurias irrogare miseris, supplicio afficere innoxios: at arma pro suo Rege assumere, aut uires uiribus opponere, nunquam didicerunt: imò statim ut audirent Regem obsidione inclusum, supplices Archiepiscopum accedunt, seq́; captiuandos sponte offerunt, digni profecto ita captiuari, ut similib. traditoribus sempiterno terrori essent, & exemplo. Tum Rex in arcta necessitate positus, ad memoriã reuocabat amicitiam, quam aliàs in principatu Viburgensi cõstitutus, cum Casimiro magno Lituaniæ duce iniuerat, consiliumq́; cepit, se ad ipsum iam Regem Poloniæ effectum, pro auxilio conferre. Dispositis igitur nauibus, cum iam sola anchora leuanda restaret, quidam ex prefectis Regem interrogat, an quicquam in terra neglexisset. Quo uerbo audito, Rex suspirans respondit: Neglexi profecto ante plures annos te, & tui similes in furcam suspendere: quod si tunc fecissem, nũc quietius in tranquilla Repub. remanerem. Deinde erectis uelis in Gedanum celeberrimũ Prussiæ emporium magis grata, q̃ iucunda nauigatione peruenit: exceptusq́; est à Rege Casimiro summa humanitate: à quo bene sperare iussus, mãsit in ea ciuitate, aut eius uicinis locis, aliquot annis. Interea Archiepiscopus, cõperto Caroli discessu, cogitare cœpit, sed periculosum belli negocium contra prudentissimum Regem suscepisse: proinde maximè sibi prouidendũ esse, ne à redeuntis potentia, & fortitudine obruatur. Mittit igiturq́; occultissimum nuntium ad Christiernum Danorum Regem, polliceturq́; se effecturũ, ut si quantocyus cũ potenti classe aduenerit, regni diadema eius capiti imponat. Christiernus autẽ, cum esset in rebus gerendis admodũ circumspectus, eam Archiepiscopi oblationem à principio nõ magnoperè curauit, sciens parum utilem, aut honestã fore eam coronationẽ, quę uiuente adhuc Rege Carolo per seditiosos proceres sine publico senatus, & populi decreto exhiberetur. Sed erant in eius consilio, quibus plus placuit, quòd Rex fieret, q̃ quòd iure fieret: suadebantq́;, quòd parum ad illius regni cõsiliarios attenderet, sed satis putaret, si à complicibus Magni Green eligeretur, & à Ioanne Archiepiscopo coronaretur.

Ea

Ea igitur facultate Chriſtiernus perſuaſus, potenti claſſe ad Stócholmiam nauigationem
accelerauit, nuntiosq́; ad Archiepiſcopum, & ſuæ factionis proceres, qui ibi aderant, mitten
dos curauit: quibus ſignificabat, ſe compertum habere, quomodo Rex Carolus maxima
Polonorum Regis ope ſuffultus, intenderet totam Suetiam manu hoſtili recuperare, aut
deuaſtare: ſeq; ideo aduenisse, ut Suetiam à tanto periculo preſeruet.

Tunc confeſtim Archiepiſcopus cum ſuæ factionis ſocijs Chriſtiernum in ciuitatem Stó
cholmenſem introductum corona Regia donat: idq; nimis temerè, ſine aliquo ſenatus, aut
populi decreto, nulla lege, nullo ordine, nullo deniq; maiorum more obſeruato. Itaq; incer-
tum apud pleroſq; erat, illa ne coronatio plus ignominiæ, an honoris Chriſtierno contu-
liſſet: imò nihil in ipſa, honore aut laude dignum inuenio, niſi quod eorum, à quibus tam te
mere coronatus fuerat, intolerabilis perſecutor euaſit, eoſq́;(cũ nulla alia ſubeſſent delicta)
ob rebellionem, quam in Carolum commiſerant, ſeueriter caſtigauit, aſſerens eos perfide
proprium Regem excluſiſſe, & ſe magis ad ludibrium, quam ad regnum inuitaſſe. Cũ enim
uideret maximam regni partem Caroli reditum expectare, Ioannem Archiepiſcopum pro
conciliando ſibi incolarum fauore emittere curauit. Sed cum is nihil, aut parum proficeret,
ipſum quamuis optimum, & integerrimum Pontificem hactenus apud ſe eſtimatum, inter
præcipuos hoſtes reputauit: imo ignominioſe captiuatum ſecum in Daniam tranſporta-
uit, perpetuoq́; carceri mancipauit, et iureiurando ſe aſtrinxit, ne ipſum inde uiuum eripi pa
teretur. Ita ſatisfactum fuit nobiliſsimo Archiepiſcopo pro regni titulo, quem in Danum
imprudenter transferre contendebat. Silendum quoq; non eſt, Chriſtiernum ingentem the
ſaurum à Carolo apud fratres Prædicatores, & Minores in Stocholmia derelictum, proden
tibus fratribus accepiſſe, & ſeptem magnis uaſis incluſum in Daniam ſecum adduxiſſe: non
ut ipſum tanquam rem alienam contra æquitatem conſeruaret, ſed ut in aculeos ſagittarum
conuerſum rurſus Sueonibus (qui neſcirent ſuis fortunis felicius uti) reſtituat. Interea dum
Chriſtiernus ea ſeueritate, imò ſumma ingratitudine in Ioannē Archiepiſcopum ferretur,
Catillus Lincopenſis Epiſcopus, eiuſdem Archiepiſcopi nepos, ſumma prudentia, & ſtre-
nuitate preditus, collectis undiq; copijs, omnes Chriſtiernianę factionis homines à Gotho
rum, Sueonumq́; finibus potenti prælio ſuperatos eiecit, miſsiſq; literis, & legatis, Caro-
lum ex Pruſsia in patriam, & ad regni adminiſtrationem reuocauit. Eſt quidem memorabi-
le & ſempiterna laude dignum, quomodo is Catillus, uiſa Danorum tyrannide, & patrię de
ſolatione, nec non ignominioſa ſui Archiepiſcopi captione, omnia pontificalia indumen-
ta, præſente ſuorum Canonicorum collegio, induit, quaſi rem diuinam ſolenniter peractu-
rus: eaq; rurſus, & ſine mora ſingillatim exuens, & ad ſummum in eccleſia Lincopenſi altare
reponens, uotum uouit Deo, ſe non prius ea recepturum, quam oppreſſam patriam à tyran
norum ſeruitute liberaſset. Deinde ex eodem loco omnibus militaribus armis inſtar cata-
phracti militiam extra eccleſiæ ſepta egreſsus, comites habuit Canonicos, eā rei nouitatem
lachrymis, & gemitibus proſequentes: ad quos conuerſus, uix ſalutationis uerba, ob ſolici
tudinis magnitudinem, exprimere poterat: imò ductis ex alto pectore ſuſpirijs, in calce om
nium uerborum dixiſſe fertur illud, quod in Pſalmis cani conſueuit: Propter miſeriam in-
opum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.

Deinde quamuis eſſet ualido exercitu munitus, ſugam tamen ſimulans, Chriſtierni exer
citum ad loca inſidijs opportuna ſeduxit, Haracher uillam uocant, ubi ſtationem firmauit,
& uenientes Danos glaciali pugna excepit, atrociq; bello ſupra lacum latè congelatum com
miſſo, clariſsimam, & memorabilem uictoriam adeptus eſt. Cæſos nanq;, & fugatos hoſtes
ita inſequebatur, ut fulmine, ac turbine diſiecti uiderentur: uixq; aliud præclarius officium
ab aliquo Pontifice in patriam unquam collatum fuiſſe memoratur. Ea enim pugna effe-
ctum eſt, ut ſecluſa Danorum factione, tota patria in libertatem, & Carolus (ut dicere cœpi-
mus) in patriam, atq; Archiepiſcopus in ſuam metropolim reſtitueretur. Chriſtiernus enim
comperto Regis Caroli in Suetiam reditu, mox Archiepiſcopum à captiuitate liberum ad
Vpſaliam redire permiſit, ea potiſsimum ratione inductus, quia ſciuit odium eſſe impaca-
bile, quo in Carolum ducebatur. Proinde ſpem maximam habebat, ut ambo ad ueterem
controuerſiam reuerſi, totam Gothorum, & Sueonum Rempub extrema pernicie implica
rent. Sed ſua opinione deceptus, nullum amplius commodum poterat ex Sueonum diſcor
dia reportare: & ita oportuit eum in ſua Dania contemptum permanere. Carolus autem
circumſpectius agens, populares fauores (quos præfectorum imprudentia amiſerat) pauco
tempore recuperauit, factus omnibus chariſsimus, qui antea publico odio laborabat: prȩfe
ctoſq; inſtituit, qui uirtutes uitijs, iuſtitiam iniurijs, honeſtatem utilitati præferebant. Præ-
terea quicquid ad augendam, conſeruandamq́; patriæ libertatem, & commoditatem ſpecta
bat, infatigabili animo exequebatur. Nullus enim priorum Regum tam diligentem curam

pro agricultura, pro extēdendis pratis, pro excidēdis syluis, pro noualibus ampliandis, prō extruendis oppidis, & uillis adhibuit, quantum hic Carolus: qui si Ecclesiæ libertatem pari diligentia cōseruasset, paucos meliores Reges Gothi, uel Suecones antea, uel postea habuissent. Sed sunt præfinita à Deo tempora, & Principes, sub quibus Christianæ Ecclesiæ pastores in uarias persecutiones exponuntur, qui deinde rursus sub magnificis, & pijs Principibus, ad omnem honorem, & gloriam extolluntur. Tandem Carolus post multa gloriosa facinora, quæ tum ante adeptam Regiam dignitatem, tum postea peregerat, in senium, & ultima fata deuergens, uocatum ad se Stenonem ex sorore nepotem, uirum utique non solum sanguine illustrissimum, sed omni morum probitate conspicuum, ita alloquitur: Scio te post mea extrema fata, quę imminere sentio, à proceribus, et populis in Gothorum, et Sueonum Principem assumendum. Placeat igitur tibi consilium meum, ut oblatum principatum ad Dei gloriam, & publicam patriæ salutem assumas. Sed omnibus modis dissuadeo, ne coronam, aut Regium nomen tibi imponi patiaris. Vides enim quanta iustitia, æquitate, & modestia his populis præfuerim, & tamen à plerisq; mihi obijcitur, quod tyrannidem, non Regiam maiestatem in liberam patriam exercuerim: à quibus quidem calumnijs te omnino liberabis, si optimum Principem te sine Regio nomine omnibus incolis præbueris, præsertim cum Gothi nostri nomen Regium non minore odio, quàm olim Romani insectantur. Post hæc Carolus, acceptis Christiano more sacramentis, uitam & regna morte commutauit, anno à Christo nato M.CD.LXX. circa principium mensis Maij. Sepultus Stocholmiæ in monasterio Fratrum, quos S. Francisci, siue Minores appellant.

De pessimis Consiliarijs Principum minorennium.

CAP. XXIX.



SAxo Danicarum rerum celeberrimus scriptor, asserit Regi Frothoni eius nominis 3. adhuc minorenni, cunctorum procerum unanimi consensu plures ex illustribus uiris nedum in tutelam, sed eius nomine regni regendi amplam fuisse tributam potestatē: qui expectato Regis robore, uicaria officia tutabantur. Duo igitur horū Vestmarus, & Colo fratres, eiusmodi regiminis, & tutelæ præcipui erant. Colo uxorem habuit tantę procacitatis, ut quamlibet disertos eneruare solebat. Altercando quippe, ac disceptando, & quærendo peruicacissima extitit, & imbellis: nam à lingua spicula mutuabat, quibus uelut fallaciarum laqueis, incautos strangulabat. Cæterum condere pacta, aut rescindere, prępotens erat, utriusque horum efficaciam oris aculeo gestans. Attamen ad ultimum tam nefarijs artibus, & atroci crimine deprehensa, quod Regio honori turpiter illusisset, lapidibus obruta fuisset: documentum cæteris relinquens, mulierem omnem oportere esse sensatam, tacitam, & pudoratam. Vestmaro erant 12. filij, Coloq; terna filiorum sorte gaudebat. Hi pariter cum & ætate puberes, et animis acres essent, fiducia in temeritatem uersa, ad obscœnos ritus inquinatam flagitijs indolem contulerunt. Adeo enim insolenter egerunt, ut constupratis aliorum nuptis, ac filiabus (quemadmodum Iustinus de Dionysio tyranno meminit) proscripsisse pudicitiam, atque in prostibulum relegasse uiderentur. Corruptis quoque matronarum fulcris, ne toris quidem uirginalibus abstinebant. Suus nullum thalamus securitate donabat, nec quisquam ferè patrię locus luxuriæ eorum uestigijs uacuus erat. Mariti metu, coniuges corporum suorum ludibrio uexabantur: iniurijs obtemperatum est: cessit copularum respectus, uiolentusq; amplexuum usus extabat: publicata est Venus, coniugiorum reuerentia pereunte: raptim luxuria petebatur. In causa otium erat, quod expertia agitationis corpora, amica uitijs, quiete diffluerent.

Adhuc

Adhuc de eiſdem.

CAP. XXX.

HOrum itaq; filiorum libidine & inſolentia, præcipuè unius Grep appellati, perterrita ſoror Regis, quo tutior ab iniuria foret, ſeptum uallo cõclaue, ad hibitis 30. ſui corporis cuſtodibus, petiuit. Verum quod in Regia ſorore turpiter efficere nequijt, paululum poſteà in Regis legitima conſorte, Hunnorum Regis filia concubitu nefandiſsimo adimpleuit. Dum enim humili Venere haud contentari potuit, eò ſe temeritatis effudit, ut cum Regina commercio libidinis habito, tam Regi perfidus quàm cæteris uiolentus exiſteret. Adoleuit deinde paulatim infamia, tacitoq; gradu criminis ſuſpicio ſerpſit antè uulgò comperta, quàm Regi. Grep enim in omnes, qui uel modicam huius ſceleris mentionem egiſſent, animaduertere ſolitus, accuſationem ſui formidabilem fecerat: opinio tamen criminis primum ſuſurris alita eſt, dehinc excepta rumoribus. Difficilis ſiquidem apud conſcios alieni criminis occultatio eſt. Interea tamen dum tantis flagitijs fœtidus is adulter æſtuaret, Regis ſorori coniugij uinculo aſſociari inſtabat. Sed uilitate infamis uitæ repulſus, cunctos uirginis procos, ac petitores conuiuij ſimulatione contractos, capitibus truncauit: quibus & conclaue ſororis Regiæ cæteris in terrorem, & crudele ſpectaculum cinxit. Nihil tamen eius apud Regem gratiæ detractum eſt, quominus conſueta familiaritate fungeretur. Conſtituit enim, ne quis Regem allocuturus, ſine muneribus aggrederetur, Regiæ charitatis ſimulatione crudelitatis ſuæ infamiam leuaturus. Taliter laceſsitum uulgus afflictionis ſuæ querelam tantis gemitibus agitabat: nulli miſeriæ tempora culpandi palam animus erat: nemo ingruentem calumniam apertis querimonijs proſequi audebat: internus omnium præcordia dolor hoc acrius, quò occultius lacerabat. Et hæc omnia impunè ſub rege puero quauis annexa temeritate perpetrata ſunt.

De portentoſis ſceleribus contubernalium eiuſdem Regis Daniæ.

CAP. XXXI.

QVi etiam, ut idem Saxo refert, contubernales eiuſdem Regis otio petulantiam nacti, partã quiete laſciuiã improbiſsimis extulere ſceleribus. Quoſdam enim reſtibus in ſublime pertractos, more agitabilis pilæ pẽdula corporum impulſione uexabant: alijs hædinum incedentibus corium ſubſternentes, lubrici tergoris offendiculo per occultum funis raptum incautos ſubegere greſſus: alios ueſte nudatos, uarijs uerberum ſupplicijs lacerabant: alios clauo affixos, laquei more ſuſpenſionis multauere ludibrio: quorundam barbæ, & uerticis pilos facultis torruerunt: alijs pubem, atq; inguina ſubiecto torre cremabant: uirginibus nubere nõ licebat, niſi quarum caſtitas eis antè delibata fuiſſet: aduenas oſsibus conuerberabant: alios ad intemperantiam compulſos, immoderata potione rumpebant: nemini filiam nuptum dare licebat, niſi gratia ipſorum, fauoreq; mercato: nulli matrimonium contrahendi fas erat, ſi eorum non pretio præmiſſet aſſenſum. Prætereà non in uirgines modò, uerùm etiam in matronarum turbam paſſim diſſolutiſsimę libidinis ſuæ flagitia porrexerunt. Mixtam petulantiæ rabiem duplex furoris ſpecies agitabat. Conuenis, hoſpitibusq; receptuum loco conuitia præbebantur. Tot ludibriorum irritamenta à petulantibus, & laſciuis reperta ſunt. Adeò ſub Rege puero temeritas libertate nutrita eſt. Nihil enim tantum peccandi licentiam protrahit, quantum ultionis, pœnęq; dilatio. Tam effrenata militum procacitas, non exteris tantum, ſed etiam Danicę patrię inuiſum fecerat Regem. Dani tamen dolenter ferebant, ſuperbè ſibi, ac crudeliter imperari. Sed

quomodo omnium horum autor Greep dictus (id est, cloacaria furca) fuerit punitus, autor uix ostendit.

De uafris consilijs, & iniquis Consiliarijs &c.
CAP. XXXII.

PRincipibus cùm (ut in plurimum sint suspiciosissimi) diuersimodè consilia tribuuntur, alius miris technis de moneta intendenda, uel eleuanda, dum fuerit eroganda, & rursus deijcienda, dum fuerit corroganda, ut & multum æris paruo dissoluat, & pro paruo multum recipiat. Alius suadet ut bellum simulet, ut pecuniam conflet. Alius facit pacem sanctis cerimonijs, ut plebeculę pręstigium fiat, ac si pius Princeps ab effusione sanguinis horreret. Alius antiquas leges tinea rasas, quas nemo latas meminit, contra trangressores ad multas extrahendas adducit, quasi nullum haberet uberiorem prouentum, nullum magis honorificum utpote qui iustitię personam prę seferat. Alius, ut grauia primùm tributa fiant, & posteà interpositione bonorum uirorum ad mitiorem summam relaxentur: quo casu quęstores suas capsas ditare possunt. Alius suadet uendere priuilegia tantò pluris, quantò melior fuerit Princeps, populum offendere timens. Alius suadet examinare iudices, ut adulatione, uel ignauia cedant uotis Principum, & trepidam in tribunali ferant sententiam. Necq; enim deest pretextus pronuntianti pro Principe, nempe satis est aut ęquitatem à sua parte esse, aut uerba legis, aut contortum scripti sensum, aut grandem prudentiam, & autoritatem iudicijs. Alius allegat Crassi diuitis dictum: Nullam auri uim satis esse Principi, cui sit alendus exercitus. Pręterea nihil iniustè Regem facere, ut maximè etiam uelit, posse: quippe omnia omnium eius esse, ac homines etiam ipsos. Tantum uerò cuicq; esse proprium, quantum Regis benignitas ei non ademerit: quod ipsum quam minimum sit, Principis uultum referre, ut cuius tutamentum in eo situm sit, ne populus diuitijs, ac libertate lasciuiat, quod hę res minus patienter ferant dura, atcq; iniusta imperia: quin contrà egestas, atcq; inopia rotundat animos, ac patientes reddit, adunatcq; presis generosos rebellandi spiritus. Vtcuncq; sit, multi Principes his, et similibus consilijs, & consiliarijs, facti sunt exules, miseri, infames, & inhabiles in se, & posteritate sua, amplius gubernandi.

De bonis consilijs, ac Consiliarijs.
CAP. XXXIII.

QVantum profuere in omni ętate salubria consilia Principibus, ac populis, nemo est qui non exultat, hæc memorans, ac sciens maximè, quod honor, & securitas illis, scilicet Regibus & Principibus, frequētius euenit ex populi opibus, & grata obedientia, quàm infelicibus fortunis, in quibus rixæ sunt connatæ. Principis itacq; officium est, ut secus non curet subditos, quàm fidelis pastor oues ut dirigat, foueat, & conseruet. Nam populi egestas non pacem, sed rixas nutrit. Qui secus agunt, mutationi student, quasi fastidium habentes bonę securitatis, ut promptiores sint ad uiolandum, rapiendūcq; alienas fortunas, ubi domi nil habēt quod perdere possunt. Itacq; infelicissimus est Rex, qui aliter suos in officio continere non potest, quàm contumelijs, compilatione, & sectione uexare: cui magis utile est regno se abdicare, quàm his artibus possidere. Neque enim Regia dignitas est mendicis imperare, sed opulētis, ut Fabricij uerbum est, Malle se diuitibus imperare, quàm diuitem esse. Absurdissimum est enim, aliquem uoluptate, ac delicijs fluere, dum alij undicq; conteruntur lamentis, & egestate: & hoc quocq; non est regni, sed carceris esse custodem. Prætereà imperitissimus ęstimandus est medicus, qui morbum nescit, nisi morbo curare: ita uitam ciuium per bonorum abla

tionem



tionem tutari, impijssimum est, aut improborum admissis iniquis consilijs permittere, quòd pauci ad se omnia trahant, & rapiant, atque in priuatum usum conuertant: quòd à publicis prędonibus, & sicarijs parum differt: quos ciues etsi dudum sustinuit rebellantes, amodo æstimet fideles, & obedientes. Non enim est Regium munus, meminisse iniuriarum, quas priuatus accepit: nam quos prius hostes habuit, posteà clientes, ut patronum, tutorem, & patrem decet, tueri debet: nec præterita, sed sequentia delicta cognoscere, & si opus est, punire. Tyrannorum uerò hæc est conditio, aut tyrannis similium, ut suis ciuibus, nec absentibus, nec præsentibus confidant: & si confidere necesse habent, plerunque cùm res in periculum uocatur, ab alterutris cladem accipiunt, & defectionem: & forsan iusta ratione, cum Valla dicat, quosdam non officium Regum, aut gubernatorum suscepisse, sed carnificum munus: ideoquè & ipsi plerunque in macello mactantur.

De proditoribus cognoscendis, & cauendis.

CAP. XXXIIII.



VAriæ prouinciæ uarios huius tituli habent artifices, & professores: quorum non exigua pars etiam in Septentrionalibus terris (heu dolor) inuenitur. Sed uix eos ea astutia præditos, ueluti Plutarchus cõtinuè citat Arabes, & Afros: quos excellentiores omnium reputat, qui sunt in toto orbe. In una tamen re, uidelicet tradendi, prodendiúe conueniunt, ut dominos, uel eorum secreta turpissimè prodãt. Ideoque deprehensis illis uix uenia conceditur, quia arguente proprio iudicio de sua causa diffidunt, quoniam dominos insidijs occidere satagunt, aut arces eorum nocturnis temporibus occupare conãtur, uel finitimos ad arma solicitãt, uel externos principes inducere nituntur, uel se Reges facere intendunt, uel structis contumelijs contra proprium dominum cũcto crimine insimulandum, ab hostibus eius auxilium poscunt. Ideoque raro, aut nunquàm clementiam petituri Principem, nisi ueneno sibi, uel alteri inferendo, accedunt. Sed & tunc infelicissima meditatione agitati, etiam si accesserint pacis inquietes, perseuerant, nisi materiam grassandi inuenerint, qua denuo perniciem ostendant, necessitati magis, quàm uoluntati consulentes. Si tamen hi principes sunt, qui à rebellione cessarunt, & in gratiam recipiendi, tunc gladijs pendentibus ad humeros more ueterum heroum, & extra iactum lapidis equo descendunt, primo adorant genu posito, iterumquè progredientes paulu-lum, & tertio non procul à Rege, uel Principe, qui uix eis assurgit clementiæ signum ostensurus, licet nuper competitores fuerint regni, uel alterius eminentiæ suscipiendæ. Scriptum etenim norunt: Si inimicus tuus incuruauerit se super poplitem, non credas illi, quia liuore, ultione, & scelerata machinatione, nouarumque proditionum plenus, incessanter cupit eum interimere, à quo redemptus fuerat, & libertate donatus, ut plerunque accidere solet. Quo fit, ut aliquando morte subita, uel longo exilio, ut prolixiorẽ mortem subeant, puniuntur. Sed frequentius iusto, et inscrutabili Dei iudicio euenit, ut eo loco, quo atrocius deliquerunt, illo quoque modo, & asperitate plectũtur, prout multi fideles historici diuersarum regionũ conformiter attestantur, & inter alios Saxo Grammaticus, qui miranda de proditorum ingenijs, ac crudelitatibus suæ gentis explorata, ferè per totum uolumen suum exponit, præcipuè de quodam Biccho & Blaccho, Cheto & Viggo,

cum similibus, quibus barbarica fraude, & ferina rabie proprios dominos ab hostibus diuersitate tormentorum illusos, ad ultimum perdiderunt, & ipsi quoque, licet longè iustius, periere.

De externis exemplis.
CAP. XXXV.

QVI astutiam insignium proditorũ, ut caueat, intueri uelit, uideat inter alios huiusmodi crudele negotium annotantes, ipsum Plutarchum in uita M. Crassi: qui duorum Arabum fugitiuorum subdolosissimis ingenijs ad inenarrabilem afflictionem, & calamitatem perductus, turpissimè cum suo potentissimo exercitu periit. Hi etenim stultè credulum Principem in inuia, & deserta loca, speluncas ferarum, & horridam solitudinem sæpius deducentes, atque ad ultimum in conspectum Regis eorum statuentes, interemerunt. Quocirca hinc cordati principes, quemadmodum & ex alijs præclaris autoribus, inanibus ludis, & turpibus exercitijs penitus omissis, uidere, uel audire non omittant simile infelicitatis suæ spectaculum præcauendum, & hanc diabolicam fallendi artem, ne capti, tormentisque cõstricti, pœnas neglecti consilij luant, quo talium proditorum dolos, & insidias prospicere non studuere. Meæ quidem humilitatis syncera exhortatio est, ut Principes prudenter hũc autorem Plutarchum uideant in hoc puncto, nec unquam uidisse, & aduertisse pœnitebit. Similiter & Albertum Crantzium Germanum historicum generalem lib. 11. cap. 7. qui breuiter consilium præstat, ut principes Ecclesiastici, uel seculares sibi caueant, ne nimium ijs, quos uel in propria, uel alterius eis sanguine seu affinitate iuncta personis lęserunt, fidant, ut eis rerũ summam præsertim in bello, imprudenter credant. Sunt enim uiri ad fallendum aptissimi, qui ob facilem offensam, liuorem ulciscendi retinent sempiternum: de quibus etiam generaliter, & specialiter hoc tempore meminit clarissimus uir D. Conradus Brunus lib. 1. cap. 13. de Seditiosis. Quidam etiam more obiurgantium mutuis armis sese tumultu inter conscios excitato, quasi furibundi impetunt dominos, & innoxios lites dirempturos, occidunt. Et hoc desperatorum ultimum ingenium esse creditur, ut mutua nece quamlibet absoluant proditionem. Nec decet extensius, aut secretius ad exempla descendere, cùm omne genus proditorũ adeò multiplex, uersutum, & uarium sit, ut neque diuini timoris, neque naturalis uinculi, aut ætatis, uel commiserationis respectu, aut propriæ mortis horrore, uel propriorum membrorum mutilatione à scelerato proposito auerti soleat. Quod cùm Mithridates (referente Iustino uolumine 37.) timeret, ne inimici, quod equo feroci, præcipitijs, aut ueneno in necem eius efficere nequierant, ferro peragerent, uenandi studium finxit: quo per septem annos neque urbis, neque ruris tecto usus est, sed per syluas uagatus, diuersis montium regionibus pernoctabat. Ignaris omnibus, quibus esset in locis assuetus, feras cursu aut fatigare, aut persequi, cum quibusdam etiam congredi solebat. Quibus rebus & insidias uitauit, & corpus suum ad omnem uirtutis patientiam indurauit: etiam exercitum hyeme media fortiter hæc, & similia tolerare docuit.

De causis perpetuæ discordiæ, quam Sueci siue Sueones, & Gothi, contra Danos gerunt.
CAP. XXXVI.

SVeci ac Gothi, cur tam ferocibus animis, & armis contra Danos ferantur, ipse Danorum diligentissimus historicus in 16. libris suis hincinde usque ad summum horrorem apertissimam reddit rationem. Vbique enim meminit gentis suæ tam uiolentum, & truculentum regimen in subditos, ac dolosam amicitiam in uicinos,







cinos, & utrunq; in omnes confœderatos ut quilibet prudens, & sensatus homo merito cauere debeat, quàm tutus in eorũ societate, aut naturali uinculo, uel alia iurata confœderatione fieri posit. Asserit namq; primo libro, Lotherum Regem illustrissimum quenq; uita, aut opibus spoliare, patriamq; bonis ciuibus uacuefacere, probitatis loco duxisse. In 2. libro quòd Helgo Rex adeò proiectus in Venerem extitit, ut ambiguæ existimationis esset, tyrannide magis, an libidine arserit: unde & Thoram uirginem stuprum pati coëgit, quæ postea tam detestabile nefas excogitauit, ut contra eam mirè exclamat Saxo. Tertio libro Fengonem testatur insidijs positis fratrem trucidasse, eiusq; uxore abusum, incestuosam libidinẽ parricidio adiecisse. Quam atrocitatẽ quanta beneuolentiæ simulatione texerit, parricidiumq; pietatis nomine colorarit, satis exponit ipse Saxo. Fœminam enim à se oppressam, omni mansuetudine plenam, nullum lædentem, & sine felle fœminã, ad hoc induxit, ut confiteretur suum maritum Regi insidiantem, à se interfectum fuisse. Nec irrita persuasio fuit, dum apud Principes fides mendacio non deest, ubi scurris interdum gratia redditur, & obtrectatoribus honos. Lib. 4 fol. ult. Saxo testatur, Danos suos mentiri & fallere, inter uitia & sordes non ducere, quemadmodum mos est apud Parthos. Libro 5. fol. 2. quàm fœdi mores, ac turpissimæ petulantiæ simul & uiolentiæ aulicis inesse monstrantur, sanè totus orbis, & uniuersa barbaries horret. Lib. 6. in Saxones post eorum pugilis cædem adeò Danorum insoleuit imperiũ, ut pro cubitalium membrorum quolibet indicem seruitutis stipem quotannis pendere cogerentur, donec quidam Suertingus ciuium afflictione motus, se, & Regem conuiuij simulatione susceptum, incendio consumpsit. Lib. 7. in principio Frotho proprium fratrem à quodam familiarium occultè interfici iubet. Et ne scelus à conscio proderetur, eundem insidiarum ministrum tacite trucidandum curat. Sed â filijs occisi fratris canum specie nutritis, tandem incendio consumptus, pœnas parricidij luit.

De Lothero Danorum Rege, eiusq; regni initio. Cum autem mox in subsequente 38. cap. etiam Anglici regni fiat mentio, cuius initij & nominis ratio hic describitur, non uisum fuit, hanc historiæ partem, quæ breuis est dissecare, sed cohærentem & integam ex principio secundi libri Ioan. Mag. apparere.



Originem Gothorum, & initium rerum per eos ab antiquissimo tempore gestarum, superius descripsimus. Deinceps autoribus quos in principio nobis proposuimus imitandos innixi, ad Gothiam redeuntes, inquiramus labore, an otio medios annos post memorabilem Bericonis exitum transegerint: primamq; rationem sumamus de Rege Humulpho, Regis Bericonis primogenito, quem pater domi & in patria Regem constituens, iussit ut uiriliter sapienterque omnia commissi regni negotia tractaret. Qui paternæ iussionis obseruantissimus executor, mox post patris egressum ciuiles illas discordias, quas ipse pater alioquin prudentissimus

dentissimus penitus tollere nequiuerat, ita repressit & pacauit, ut sublatis odijs tranquilla ubiq; pax ac securitas inter omnes Gothiæ incolas appareret, uiderenturq; bella & seditiones relicto Gothiæ regno ad exteras nationes commigrasse.

Euolutis deinde aliquot annis Humelus Humulphi nepos, ad auiti regni sceptra peruenit. Cuius tempore cum Dani animaduertissent maximam Gothorum multitudinem cum Rege suo Bericone olim in alienas terras emigrasse, eoq; exitu potentiam Gothorum, qui in patria remanserant, & ad mutuas dissenisones redierant, plurimum extenuatam, non distulerunt Gothicum imperiũ, cui per multa secula paruerant, à suis ceruicibus excutere. Quod cum Saxones prudentius cõsiderassent, mox arma in Danos duce quodam Iuthone (à quo Iuthia uel Iuthonia nomen accepit) conuertebant, nihil dubitantes, quin sicut principatui Gothorum se incautè subduxerant, ita etiam eorum necessaria ope se non satis prudenter spoliauerant. At Dani in eas difficultates adducti, cum uiderent se Saxonum potentiæ nequaquam resistere posse, Humelum denuo supplices adeunt, impetrataq; erratorum uenia in gratiam recipiuntur: eisq; duos filios suos, Danum & Angulum, quos ex Gesilda nobilissima coniuge Suetica suscitauerat, pręficiendos curauit. Qui ualido exercitu muniti, commisso acerrimo pręlio, Daniam (quæ tunc primum à Dan nomen accepit) fugatis inde Saxonibus liberauerunt.

Hic enim est ille Dan Humeli Gothorum Regis filius, quem pater Danis primum Regem constituit. Duoq; præcepta eidem tradidisse memoratur. Primum ne in aliqua parte Daniæ delubra construeret, sed apud Vpsalam Sueonum metropolim diuinitatis cultum uenerabundus prosequeretur: Alterum, ut considerata Danicæ telluris angustia, nulli nisi grauissima lacessitus iniuria, bellum inferret. Angulus autem Dani frater, cum ad regni cõsortium admitti contenderet, à fratris insidijs uix elapsus, in Angliæ regnum fuga seruatus euadit. Crediderim tunc parum abfuisse, quin Danicum regnum fraterno sanguine fundatum fuisset, quemadmodum Romanum, quod longè posterius surrexit: de quo scriptum est, Fraterno primi maduerunt sanguine muri. Attamẽ Saxo Danicus affirmare uidetur, Anglum Angliæ regno præfuisse, nomenq; suum prouincię, cui præerat, aptandum curauisse. Nunc ad Humelum reuersus, animaduerto ipsius potentiam non minorem fuisse quàm ataui Bericonis, qui uidebatur toti orbi bellum indixisse. Ille enim Vandalorum gentem uiribus & armis ualidam: hic fortes & pugnaces Saxones deuicit, atq; fugauit. Ille suum imperium in Vlmerugos, Pomeranos, Polonos, Magnopolenses extendit: hic Gothis, Sueonibus, Helsingis, Biarmis, Bothnijs, Lappijs, Finnis, Scricfinnis, totiq; Scandianæ insulę pręfuit. Illisq; uicinis Danorum insulis non solum imperauit, sed etiam Regem super ipsas (ut diximus) constituit. Imò in nonnullis historijs inuenio, quòd Norum tertiogenitum Noruegiæ Regem pręfecisset, nomenq; ex eo patrię indidisset: quanquam mihi probabilius uidetur, Noruegiam à uia Septentrionali situm & nomen suscepisse.

Gothilas deinde mortui Humeli filius in paterni regni solium procerum consensu surrogatur. Qui suscepto tam amplo super Gothos, Sueones, aliasq; Septentrionales gentes imperio, nihil à paterna uel auita magnanimitate degenerauit. Enimuero postquam domi & in patria omnia quieta reddidisset, rogatus ab Amalo consanguineo suo, qui tum Gothis in transmarina militia occupatis imperabat, prægrandem exercitum in Estones, Magnopolenses, & Curetes eduxit, commissoq; in mari & terra prælio, ex rebellibus obsequentes effecit, geminumq; eis iugum (ut antea diximus) imposuit, qui unum impatientius, quàm eis expediebat, sustinebant. Deinde controuersia inter suos nepotes, Humelum uidelicet & Lotherum, quos Dan ex Gyritha Siggonis Suetici Regis nepte procreauerat, super regni Daniæ successione suborta, tumultuosum hominem Lotherum, amoto modestiore Principe Humelo, præficiendum curauit, sagaciter considerans ex domestico Danorum tumultu finitimorum pacem fieri. Neq; dubitandum est plurima & præclara huius Gothilę (quemadmodum aliorum multorum magnorum Principum) facinora fuisse, quę ingrata uetustatis obliuio obliterauit. Quocirca eius historiam alijs, qui plura de ipso inquisierunt, describendam relinquo.

Ad idem.
CAP. XXXVII.

INter alia satis diffusè Saxo prosequitur portentosam Iarmerici Regis crudelitatem, à pueritia usq; in prouectam ætatem truculenter continuatam: quæ sicut omnem beluinam rabiem excedit, ita & à quouis sensato homine sine graui horrore

horrore legi nequit,uel audiri.Inaudita etenim tyrannide exquiſitiſsimis tormentis ſępe afflictos trucidauit.Regem nanq;,& Reginam eorum,à quibus iure belli captus,& ſummæ libertati reſtitutus,atq; in numerum amicorum,& primum familiaritatis locum translatus , & ſublimatus extitit,admoto furtim incendio,per ſummã ingratitudinem occidit:deinde XL.Teutones captos,applicatis totidem lupis laqueo adegit.Nec ſic poterat eius ſanguinaria mens ſatiari. Quippe optimates eorum primò tibias loris traiectos,moxq; immanium taurorum ungulis alligatos,moloſisq; inceſſentibus raptim in cœnum , uoraginesq; pertractos , lachrymabili ſpectaculo conſumpſit.Demum comites,Duces,Principes Teutonicæ gentis captos,traiectis fune tibijs,equis in diuerſa raptantibus præbuit lacerandos.Sed nec in ea ſumma feritate ſibi ſiſtendum putauit.Nam propriam Reginam Hunnorum Regis filiam,quamuis innocentiſsimam & pudiciſsimam,humo alligatam equinis obterendam calcibus prębuit:cuius corpus adactus iumentorum grex crebris ueſtigijs confodit,& lacerauit.Imò etiam ſuis ex ſorore nepotibus inſidiosè comprehenſis,laqueo ſpiritum eripuit.Optimates quoq;, qui eorum tutores erant,conuiuij ſimulatione contractos,eodem exemplo conſumendos curauit.Deinde eodem libro Haquonis cuiuſdam Dani crudelitas adeò infanda conſpicitur,ut meritò cunctos mortales terreat,ne pactis,aut uictorijs eius gentis ſe tutos agnoſcant.Nono lib.in prin.idem autor notat publicam pietatem priuato furore Regis fuiſſe laceratam,& poſt multa Regem Haraldum ex ſplendido ſanctitatis autore infamem factum apoſtatam,& deſertorem. Lib.10.quod Dani Sembia potiti,necatis maribus , fœminas ſibi nubere coëgerunt, reſciſſaq; domeſticorum matrimoniorum fide,externis auidius inhærentes,ſuam cum hoſte fortunam communi nuptiarum uinculo partiti ſunt.Demum quod Rex Haraldus pecudalibus iugis humanas alligaſſet ceruices.Deinde quòd diuũ Olaum Noruegię Regem ſicarijs pecunia corruptis,& poſtremo Blacchonis proditoris opera S.Canutum occidiſſent.10.quod Sueno Rex potius ſacræ religionis,quàm inceſtæ nuptæ deſertor ſit inuentus.12.quod uiolentiore morte captiuatos Teutones Iulinenſes Dani conſumerent:reuinctis poſt terga manibus,palis primùm affigendos curabant:deinde uentrium caua cultro rimati , nudatis extis, primaq; uiſcerum parte protracta,cętera ſtipitibus explicabant:nec ante ſupplicium remiſerunt,quàm tortos extis funditus aluo egeſtis,horridæ rapacitatis ſpiritum profundere coegiſſent: quod ſpectaculum ut ſpecie triſte:ita re noſtris per quàm utile extitit:non ſolum enim reis pœnam inflixit,ſed etiam cæteros conſimilem cruciatus cauſam uitare permonuit.Itaq; non minori uiſentibus documento,quam afflictis ſupplicio fuit.In reliquis,uero libris,quia ſatis multa,& horrenda inter pauca bona commemorantur,potius iuſto lectoris arbitrio,quàm huic onerosæ oſtenſioni meę,quatenus opus fuerit,perſcrutanda relinquo,ſatis legitimam exiſtimãs cauſam,cur Sueonum,ac Gothorum,imò aliarum nationum inſecura ſocietas ſit cum illo populo cui ob præmiſſas cauſas(ut uerbis Saxonis lib.12. utar) quiſquis humanitatem, atque obſequium erogat,ingratis beneficium præſtat.

De Iarmerici huius Danici Tyranni fine & turpi obitu.Ioan.Mag.lib.8.
Quomodo autem ad regnum peruenerit,
aliàs dictum eſt.

Adelus deinde Gothari per domeſticas & fraternas inſidias trucidati filius, uel nepõs, à proceribus populisq; adminiſtrando regno præficitur.Hic primum omnium à prudentibus conſiliarijs perſuaſus,nobiles illos,qui pridem ob patris ſeueritatem Danici Regis auxilium implorauerant,in gratiam reuocauit,ne deſperata erratorum uenia, plures ſecum in deſperationem adducerent,resq; illas deſperando attentarent,quæ uniuerſam Rempublicam in ruinam irreparabilem præcipitarent.Attamen odium,quod inter patrem,ſiue patruum ſuum,& Iarmerum Danię Regem,ſeminatum propagatumq; fuerat,nequaquam extingui ſuſtinuit,ſed ad plures annos occaſionem , qua patris iniuriam , uindicaret , expectauit,

pectauit. Tandem cum compertum haberet, Iarmerum malignis consiliarijs primum familiaritatis gradum secum tribuisse, omniaque ad eorum peruersa consilia atrociter agēdo, communibus in se locum odijs dedisse, statuit non diutius expectādum esse, sed confestim illum perdere, qui hominibus perdendis continuè inuigilaret. Nec deerat occasio, qua facilè uoti compos euaderet. Quippe iam Vandalos, siue Sclauos, Pomeranos, & Liuones multis, magnisque & enormibus iniurijs lacessitos, in se prouocauerat. Qui missa legatione Adelum solicitant, ut secum arma in sanguinarium tyrannum suscipiat. Nec grauatè postulatis assensit qui forsan ea ab his postulaturus fuisset. Collectis igitur aliquot ex Suetia copijs, quibus Haraldum Vestrogothiæ Principem præficere curauit, Sclauorum (quos hic Saxo Hellesponticos uocare uidetur) exercitum auxit. Tum accidit Iarmero, quod omnibus tyrannis in extremam necessitatem collapsis, frequentius & iustius euenire solet, uidelicet ab omnibus subditis contemni & derelinqui. Proinde non ausus in publicam aciem contra irruentes hostes prodire, ad arcem quandam, mirifico opere pridem à se constructam confugit, credens se in illa tutum præsidium habiturum, quæ natura & arte fortissima uidebatur. Sed fortis non erat, quæ per tyrannidem, & ex sanguine pauperum erecta erat. Interea tamen quum obsidione premeretur, læto aspectu ex arcis fastigio prospicit, quomodo Suenones & Sclaui, partitionem prædæ acturi, sese mutua clade conficerent: constituitque in ipsos tam discordes, repente irrumpere, nisi quam primum in concordiam reuersi, sese ad arcis expugnationem præparassent. Quorum insultum ut Iarmerus intolerabilem animaduerteret, ad uoca conuersus, Othini dæmonis auxilium implorat: aderatque uocatus Othinus, & ita Iarmerum in re bellica instruxit, quemadmodum pridem Heraldum contra Ringonem centuriandi artem docuisset. Enimuero hūc & illum ad infelicem exitum & turpissimam mortem adduxit. Huic quidem præcepit, ut hostium acutas bipennes lapillorum iactu repelleret. Quod quam minime profuit, secutus belli euentus ostendit. Siquidem hostes, postquam admota testudine & ariete, primos portarum aditus occupassent, conuulsis hostibus, irruptaque æde, Danos usque ad unum obtruncant. Iarmerus uero, qui se Othini presidio & instructioni crediderat, utraque manu, ac pedibus spoliatus, trunco (ut ait Saxo) inter cadauera corpore rotabatur. Parta hac cruenta uictoria, amissisque militum copijs, Haraldus maiore spoliorum, quam militum numero sese Adelo restituit, sublatumque æmulum, non sine ingenti audientis lætitia nuntiauit. Tum Adelus cum pro adepta uictoria Deo uero gratias agere debuisset, ad idolorum templa sacrificaturus, cum magna equitum pompa accessit. Quo cum peruenisset, ædemque Dianæ (cuius cultum Gothi à Græcis persuasi admiserant) ingressurus esset, subito equi lapsu corruens expirauit. Nec longe ab eo loco Regias sortitus est exequias, & monumētum. Verum ego eam Dianā nō Asiaticam, sed Scythicā fuisse existimo.

De S. Olai uita, rebus gestis, uirtutibus & pietate, morte denique, ac Suenonis etiam tyrannide: ex Ioan. Mag. lib. 18.

Paterno fatō Amundus (quem alij à uitæ diuturnitate cognomen sortitum fuisse affirmant) in paterna regna consentientibus proceribus & populis peruenit. Hic adolescentiæ suæ annos apud diuum Olauum Noruegiæ Regem agens, in Christiana fide pie instructus, & forte (ut aliqui asserūt à Bernardo Anglicano Episcopo, qui pridē in Noruegiā uenerat) baptizatus est. Ego tamen credo eum prius apud patrem in Suetia baptismum subijsse: tantaque inter hunc Amundum, & Olauum sororis maritum, amicitia confirmata fuit, ut nulli fratres sese intimius amare potuissent: quam nisi Olaus assecutus fuisset, nequaquam se tanto tempore ab insuperabili hostium multitudine defendere ualuisset. Enimuero post soceri sui Olaui Sueonici Regis fata, tam domi à suis Noruegianis, quam foris à Danis continuo bellorum insultu impugnabatur. Cuius impugnationis præcipua causa erat susceptæ fidei Christianæ defensio, pro qua dilatāda Olaus omnem operam nauans, potius uoluit uitam & regnum, quam fidem in Christum amittere. Nec satis esse putabat, quod Pontifex, & sacerdotes continue, & ubique in eius regno Christi Euangelium prædicarent, sed nouo rerum ordine ipse Rex Apostoli uice fungens, circuibat ciuitates, uicos, uillas, salutarem Christi doctrinam ubique disseminans, nulli eius transgressori parcendo, sed illos, qui ab ea semel acceptа resilire parabant, acriter punire non distulit, ne quisquam Regem Regum, per quem Reges regnant, impunè offendisse uideretur. Quo euenit, ut plerique proceres Noruegiani, cum considerarent sibi illicita non licere, decreuerint ipsum regno & patria exturbare. Ad quod externam opem adhibere uolentes, Canutum Danorum regem accedunt, eique supplices facti

ces facti ostendunt, se, & totam Noruegiam grauibus iniurijs ab Olauo Rege affici, qui patrias leges, & maiorum statuta, ac consuetudines abrogare contendit, inducta religione importabili, atque anteactis seculis incognita, à qua nullum sine mortis periculo, & omnium bonorum publicatione deficere pateretur. Spectasset profecto tunc ad Canuti pietatem, magis fauere Christiano Regi pro amplianda Christi gloria laboranti, quàm ueritatis aduersarijs proprium Regem, eundemq; optimum Christianum perfide impugnare uolentibus: quorum perditis conatibus tantum fauit, ut non modo opem efficacem pollicitus fuerit, sed se ab eis in Regem Noruegiæ eligi pateretur, ausus per literas optimo & innocentissimo Regi Olauo præcipere, ut regno cederet, aut ipsius administrationem à se suscipere curaret. Quo comperto, Rex Olaus ad Amundum Sueonum Gothorumq; Regem, à quo in omni aduerso casu opportunum auxilium assequi consueuerat, se conuertit: nec sua spe frustratus, quicquid optauit, inuenit.

Interea autem, cum Canutus tam indignas insidias in maiestatem Olaui instrueret, non longè aberat, à quo Canutus insigni cõtumelia, siue infamia uicissim inureretur. Erat enim quidam Vlpho cognomento Sprochaleg, natione Suecus, admodum obscœna commixtione (ut mox dicemus) procreatus: qui in familiaritatem Canuti tunc in Anglia commorantis assumptus, astutam operam adhibuit, ut à Canuto ad eius sororem Estritam in Dania manentem literas acciperet, quibus à fratre præciperetur, nec ipsa facere omitteret, quæ Vlpho per eam fieri postularet. Persuaserat enim Canuto, se acceptis ab ea militum copijs bellum aduersus Noruegianum Olaum, & eius confœderatum Amundum Sueonum Regem promouere uelle. At cum ad Estritam peruenisset, & illa interrogaret, quid postularet, tum Vlpho eius coniugium perseuerantissimis precibus petens, facilius quam putabat uoti compos euasit, cum ipsa crederet, eam petitionem ex arcano fratris cõsensu prodijsse. Peractis igitur nuptijs, Vlpho, ne Canutum patratæ perfidiæ uindicem in Dania expectaret, sumpta secum coniuge in Suetiam redire festinabat, factus ex uersutissimo satellite acerrimus Canuti inimicus: deditq; Amundo, & Olauo ea idonea consilia, quibus Canutus, & tota Dania facile expugnari posse uidebatur consilio & opera tres fortes exercitus aduersus expugnandam Daniam eductos fuisse: quorum primus ex nauibus quadringentis constabat, quem Olaus Noruegianus in Selandiam, Danici regni partem, exponendum curauit: cum alterum Amundus in Schoningiam, & tertium ex quadringentis nauibus collectum, Vlpho in quendam Blechingiæ sinum eduxit. Visa sunt in primo accessu omnia per Daniam Olauo feliciter successura. Ipse enim ut erat pij cordis, ita etiam Danorum animos dispositos esse credebat: qui (ut eorum historiæ fatentur) benignissima responsione insidias quas in eum moliebantur, contegebant. Erat enim eorum intentio, ipsum alternis sermonibus et promissis occupatum tenere, donec Canutus ex Anglia contracto ingenti classis numero superueniens, incautum opprimeret, atq; interim ad omnia, quæcunq; Olaus imperaret, se promptissimos dissimulabant: fuissetq; confestim à Canuto nauigationẽ in Daniam acceleranti oppressus, nisi quidam Noruegianorum Danicæ astutiæ commenta præsentientes, Olaum salubriore consilio ab imminenti periculo eripuissent: qui utiq; in hunc modum credulitatem eius alloqui potuissent: Heu fuge crudeles terras, fuge litus auarum. Vix enim in classem suam fugiendo peruenerat, & Canutus eidem portui appropinquans, pene intercepisset fugientem. Sequenti uero die naualem exercitum, quẽ ex Anglia satis grandem, utpote mille nauium eduxerat, contra Olaum, qui se cum Vlphonis exercitu cõiunxerat, sub duce Haquino expediuit. Ipse autem Canutus Amundo Schoningiam deuastanti occursurus, terrestre ductabat agmen: fitq; inter eos præliũ acre & pertinax, neutra parte uictoriam assequente: quamuis Danica historia Amundum insigni pugna superatum fuisse affirmet. Sed ut Dani sibi licere uolunt, suos autores sequi, ita ego meos pari libertate imitari constitui. Post eam pugnam Schoningianam uentum est ad prælium nauale, in ostio Helge fluminis non longe à Calmarnia, in quo Vlpho præfectus erat, homo astuti & uafri ingenij. Qui cum præsentiret Danicarum nauium aduentum, aquas ita in hostem armauit, ut earum uiribus Danorum uires non solum obruere, sed penitus delere potuisset. Aggerem nanq; prę ualidum aquarum cursui obijciens, eas prorsus à solito impetu cohibebat, donec subeunte in fluminis ostium Danica classe, easdem rursus rupto aggere relaxaret, simulq; rates uario ignium fomento accensas dimitteret. Quo euenit, ut ferè tota Danorum classis, prę ter duas naues, quę Dracones uocabantur, aqua & flamma penitus submergeretur, quemadmodum in Noruegianis historijs apparet: quamuis Danici scriptores asserant, Danos à ponte quodam per Vlphonem deturbatos perijsse.

Vtcunq; hæc se habeant, nihil dubito, quin pleraque magna flumina ex Occiduâ & Australi Gothia in Hallandiam, Schoningiam, & Blechingiam deferantur: quæ si à suo cursu

(quod haud difficulter fieri posset)ad maiorem Gothici regni commoditatē diuerterentur, nequaquam oppida præmunirent,a' quibus Gothico regno nō raró grauia damna irrogari consueuerunt. Quod forté tūc fiet,cum Suecorum & Gothorum proceres desiuerint uti cō silijs exterorum,qui ob enormia flagitia apud Danos,uel Teutones commissa,iusté proscripti,importunius ꝙ utilius se in ipsorum familiaritatem intrudunt,pacēq; domi a' ciuibus, & foris a' uicinis regnis ac populis ita auferunt,ut maiora damna a' potentissimis Regibus, & hostibus minimé inferri possint,q̃ ab eis,quos stulti præsides sibi constituunt cōsiliarios, & rectores. Prius enim talium ingenijs Sueci & Gothi uinci solent,antequam a' fortibus Regibus,aut populis superantur. Quod etiam eo tempore non ignauiter attendit Danorum Rex Canutus: cui cum alia consilia deessent,submisit eiusmodi astutiæ uiros in exercitum Olai & Amundi,qui ob simulata obsequia ad intimam ipsorum familiaritatem admissi, quicquid fraudium in proposito habebant,facilé deducerent ad effectum. Siquidem occultius quo poterant,omnes exercituum duces,promissis ingentibus stipendijs,ab illorū Regum militia ad Canutum auerterunt:quem affirmabant nō modó aurum,sed aureos montes in suos milites erogare. Erat enim ex Anglicano auro ditissimus, & in militares homines liberalissimus. Quocirca accidit,ut trecente naues ab Amundo,& totidem feré ex Olaui classe ad Canutum subitó deficerent. Quibus copijs Canutus fortior effectus, totā suam potentiam ad exuperandam Noruegiam conuertit. Quo comperto,Amundus quāuis plurima & grauissima damna pro Olauo hactenus sustinuerat,tamē quia constituerat nunquā deserere amicum,adeó intima amicitia coniunctum,obtulit ei partem regni Suetiæ,quamcunq; eligere uellet,ut in ea securius,q̃ inter tot domesticas insidias uiuere posset. At Olaus ut leo absq; terrore manens,classis suæ reliquijs Calmarniæ relictis,per Vestrogothiam in Noruegiam remeauit:in qua non secus ac publicus patriæ hostis a' proceribus & populis exceptus est. Erant enim eius mores diuinæ legi conformes,quā ipsi toto conatu explodere contendebant. Ad quod negotium tam impium,nusquam opportunius auxilium,ꝙ apud Danos denuó circumspiciebāt. Siquidem eorum Rex Canutus mille ducentarum nauium classe secum aduecta,regnum Noruegiæ,non tam ui & armis , ꝙ incolarum erga optimum Regem perfidia,facilius quám honestius occupauit:cum interim Olaus unico & paruo nauigio,perinde ac profugus,intra scopulos Noruegiani maris hinc inde iactaretur,nusquā de uita securus,imó ubiq; ad mortem quæsitus,donec relicta naui per deserta Noruegiæ ad Neritiam, regni Suetiæ prouinciam, difficili & periculoso itinere perueniret. Deinde in Russiam diuertens,non paruo tempore apud Regem Ierizleuum,qui eius sororem habebat,commoratus est.

Interea,submerso duce Haquino,quē Canutus Noruegiæ præfecerat,Noruegiani proceres in nouam cōtrouersiam redierunt,cum alijs præsens rerum status placeret,alijs uero uehementer displiceret,quód tota patriæ libertas ablata esset:alijsq; placuit,optimum Regem Olaum ab exilio ad regni solium restituendum. Qui suam sententiam efficaciter executuri, legatos ad Olaum mittūt. Quibus ipse persuasus classem,militesq; ope Ierizleui comparat: quibus succinctus,ex Russia ad Gothlandiæ insulam celeri nauigatiqne accessit: unde uelis ad Suetiam cōuersis,ad ciuitatem Arosiensem peruenit:in qua per summam omniū Sueonum,coniugisq; suæ,& filiæ lætitiam atq; amorem exceptus est. Aderat etiā Amundus,qui maxima congratulatione redeuntem amicum amplexus, omnia fraternę charitatis studia in ipso honorando & adiuuādo superabundá impendit,datis ei in auxilium mille quadringentis armatis. Aduenit quoq; in occursum eius illustrissimus Noruegianorum procerum Dagerus Ringonis,mille ducentis equitibus comitatus. Nec parua erat militum manus, quám frater Olaui Haraldus,alijq; amici ad eū in Suetiam adduxerunt. Quibus copijs subnixus,reditum in Noruegiam parat. Quo cōperto,Noruegiani in diuersa ac contraria uota ferebantur,cum magna pars eorum optaret ipsum in regnū restitui:maior veró imprudentium ciuium numerus erat,qui ne in patriam admitteretur,bello uenientem excipere decreuerūt:quorum princeps erat quidam Episcopus Trugillus,natione Danus. Hic enim nihil omisit,quo omnes & singulos indigenas,& alienigenas in caput innocētis regis Olaui exacerbaret. Itaq; cum periculosa,& plus ꝙ ciuilis pugna inter Noruegianos confestim subortura uideretur,Canutus Danorum Rex non satis honesto prælio sanctissimum Christi amicum,& innocentissimum Regē superauit,& occidit. Nam(teste Saxone Danico)ipsum per quosdam pecunia a' se corruptos,domestico bello opprimendum curauit. Indignum profecto facinus,& inexpiabile flagitium,quod nulla unquā excusatione quātumcunq; astuta aboleri queat,quodq; solum Noruegianos impellere posset,ut Danicum imperium a' suis ceruicibus perpetuó remouerent. Tum Haraldus Olaui frater, cōsimilem Canuti militiam ueritus,adito Byzantio,suspectam Danorum,uel Noruegianorum fidem longinquo declinauit

nauit exilio. Noruegianis autem post fata S. Regis Olaui (quem pro amplianda Christi fide
glorioso martyrio coronatum confitemur) impositus erat à Danis Rex quidam Sueno, Ca
nuti Regis filius, qui adeò seueriter subiectis populis imperabat, ut apertè deprehendi pot-
rat, iratum Deum tam crudelem tyrannum illis hominibus præfecisse, quorum crudelis im
pietas summæ sanctitatis uirum tam acerbo odio impugnauerat, & tandem absq; omni hu
manitatis respectu trucidauit. Proinde coacti sunt Noruegiani ea arma in tyrannum iustè
conuertere, quæ pridem in Olaum patriæ patrem iniustè comparauerāt. Sed ab eo uicti rur
sus grauiori iugo adigūtur: quod ad plures annos continuo gemitu, & suspirijs sustinebāt,
donec Magnum diui Olaui filium ex Rusia reuocatum, in paterni regni solium collocarēt:
qui adeò prudenter & feliciter patriæ ignominiam abstersit, ut Danorum colla Noruegia-
no imperio subiugaret. Interea Amundus (quem nonnulli Annosum, nonnulli uerò Car-
bonarium, quia domos delinquentium combusit, uocauerunt) comperta integerrimi ami
ci, & educatoris sui S. Olaui Regis Noruegiæ occisione, uehementi dolore affectus, diu æ-
grum spiritum ducere nequiuit, sed tædiosam uitam optatæ mortis solatio commutauit.
Crediturq; in Cathedrali ecclesia Lincopensi tumulatus.

Amundus à uilitate cognomen adeptus, ad Regium sceptrū post fata Amundi Annosi,
aliàs Carbonarij peruenit. Cuius origo, quia contra leges erat, silentio supprimi consueuit.
Erat enim præmortui Amundi ex concubina filius: quod tūc adeo uile existimatum fuit, ut
qui ea illegitima commixtione nati erant, perpetuo rubore suffusi, uix audèbant inter hone
stos comparere, etiam si Regum filij fuissent. Quod etiam usq; ad nostra tempora apud Go-
thos obseruatum fuisse didicimus. Nondum enim elapsi sunt septuaginta anni à morte Ca
roli, Sueonum, & Gothorum, ac Noruegianorum Regis, qui optimæ spei adolescentem ex
concubina procreauerat, eamq; in lecto extremæ ægritudinis agens, ut filium legitimū effi-
ceret, desponsauerat: attamen idem filius non solum paternis regnis, sed ab omni alia hęredi
tate seclusus, infami cōditione uixit, & consenuit. At presbyterorum filij in Gothia semper
fuerant uilissimi æstimati, patresq; eorum ob læsæ honestatis infamiam, nō minus contem-
ptibiles effecti, uelut sal infatuatum conculcabantur. Sed his omissis ad Amundum Vilem
reuertamur. Qui etsi defectum natalium summa probitate redimeret, tamen nunquam ua
luit perfectam obedientiam à subiectis populis assequi. Quod cum Canutus Daniæ Rex,
Sigrithæ Sueonum Reginæ filius, attenderet, cœpit uarias occasiones inquirere, quibus ip-
sum à regno exturbaret: & cum alię deessent, ad ueterem illam maximorum bellorum occa
sionem se conuertit, quæ ob Schoningianam terram infinitas lites parere consueuit. Hanc
enim Schoningiam Canutus sibi uendicare constituens, ualidum exercitum non solum ex
Danis, uerumetiā ex Saxonibus, Anglis, Scotis, & Frisijs contraxit: ducemq; ei præfecit Vl-
phonem Sprochaleg, Estritæ sororis maritum, iam per coniugis intercessionem in gratiam
receptum. Sed non quieuit Amundus, qui Sueonibus & Gothis in militiam cōscriptis, sese
uenienti Danico exercitui obijcere festinauit. Commissum est cruentum, & pertinax, ac tri-
duanum prælium, prope uillam, siue pontem Stangapellæ, ubi antea contra Amundū Car
bonarium fuerat dimicatum. Tandem Amundus, qui à suis parum dilectus erat, superatur,
& rursus in Suetiam, uictoria amissa, refugere cogebatur.

Vlpho uerò totius Danici agminis dux, ad Canutum reuersus, in summam eius indigna
tionē denuò incidit, siue quòd uictoriam in Sueones minus perseueranter executus fuisset,
siue quòd Schoningiam nullis præsidijs muniuisset, siue etiam quòd ebrietate suffusus, fata
Danorum à se pridem subuersorum licentiosius, q̄ utilius ad pocula cecinisset. Quocirca à
Canuto comprehendi, & interfici iussus, ad templum diui Lucij, quod Roschildiæ in præci-
pua ueneratione habebatur, confugit, in quo sine respectu sacris locis debito, trucidatur: ob
quod facinus toti ciuitati à diuinis officijs, & sacramētis est interdictum, donec ipse Rex, so-
luta ingenti pecuniæ summa, in gratiam offensæ Ecclesiæ, cuius libertatē temerè uiolauerat,
reciperetur. Hic quoq; silentio implicanda non est quędam insignis fabula, quam nonnulla
Danicarum historiarum fragmenta prę se ferunt, de terminis (ut dicere uolunt) positis inter
Schoningiam, Vestrogothiam & Smalandiam, tempore huius Amundi Vilis, & Suenonis
eius nominis primi Danorum Regis. Quæ quidem assertio non solum Saxoni Danico, ue-
rumetiam rationi temporum, & ipsi ueritati omnino repugnat. Dicit enim Saxo, duos po-
tentissimos Reges successiuè in Suetia regnasse, toto tēpore quo Sueno primus nomen Re
gium in Dania sustinebat: Ericum Victoriosum, qui ut dictum est) Suenone in diuturnum
exilium expulso, totā Daniam diu & pacificè occupauit: deinde Olaum Schotkonung Erici
filium, qui non minoris, imò maioris potentiæ Rex, non permisisset sibi eum ludum à Sue
none Danico inferri. Nec Suenoni tanta libertas unquam permissa fuit, qui toties à Slauis
captiuatus, toties exhausto patrię thesauro redemptus, toties infelicē belli aleam expertus,

toties aliena regna profugus adijt:à Noruegiano Principe repulſus, ab Anglo indigne exceptus,& indigniſsime tractatus:tandem apud Scotos (quos in eo loco Saxo Danicus efferatos barbaros uocat)utcunq; conſolatus diuturno exilio permanſit.Nec unq; has miſerias facile euaſiſſet,niſi in ſpecialem Olaui Sueonum Regis gratiam,ducta in coniugem matre eius Sigritha,ut diximus,perueniſſet:ante cuius obitum Sueno in fata conceſsit,relicto filio Canuto,qui etiam tempore Olaui Schotkonung regnabat in Dania. Quocirca hic Amundus cognomento Vilis,nulli Suenoni in Dania regnanti contemporaneus erat, ſed eidem Canuto ſecundo Suenonis filio,& ipſius filio Canuto tertio:niſi fortè inuincibile argumentũ pro Danis faciat,quod ſextus lapis limitaneus poſitus fuiſſet inter Blekingiam, & Noruegiam. Quod quam ineptè dictum ſit,facile nouit,qui longiſsimam diſtantiam inter eas terras nouit.Proinde nulli prudentes & cordati uiri induci poſſunt, ut eos limites unq; poſitos fuiſſe credant.Igitur uehementer doleo,talibus commentis ſimplicitati patriæ meæ illudi,quæ ſemper de omnibus uicinis regnis optimè mereri contendit. Cæterum ad Amundum reuerſus,conſidero ipſum poſt multos & difficiles labores,quos pro omnibus ſubiectis populis diu & continuè ſuſtinuit,uiam uniuerſæ carnis ingreſſum,& Lincopiæ in ſepulchris Regum tumulatum.

De S. Canuti pietate & Sanctitate: cui tamen hiſtoriæ multa ſunt inſerta multáq; cohærent : ex Ioan. Mag. lib. 18.

Halſtanus præmortui Ingonis frater,à proceribus & populis plurimum dilectus, ad Regale ſolium digniſsimè ſublimatur. Is tantæ modeſtiæ atq; benignitatis erat,ut omnia quantumcunq; temere dicta,uel facta eſſent,benigne interpretaretur,eosq; apud iudices excuſaret,& in iudicijs defenderet,à quibus etiam grauiſsimas iniurias ſuſceperat. Magna profectó,& heroica erat illa patientia,& manſuetudo in Rege,quem tot,tantiq; non ſolum milites,ſed exercitus circunſtabant. Sed ea erat tunc nouellæ fidei Chriſtianæ uis,ut quiuis Rex, etiam potentiſsimus,cũ ſanctiſsimo Iob dicere nõ dubitaret:Si contempſi ſubire iudicium cum ſeruo meo,& ancilla mea,cum diſceptarent aduerſum me:in utero enim fecit me, qui & illum operatus eſt. Quocirca Rex Halſtanus omnia publica & priuata negotia non modò faciliter,ſed cum magna tranquillitate adminiſtrabat. At longe ſecus in regno Denemarchiæ eodem tempore euenit,quando Danicæ Reipublicæ ſumma ſub diſcordia duorum fratrum,Haraldi & Canuti,maxime periclitaretur,ipſeq; Canutus optimus Princeps (qui poſtea ob ſua præſtantiſsima merita in numerum Sãctorum digniſsime eſt relatus)ſalutem à fuga in Suetiam(teſte Saxone)ad Halſtanum mutuaret:à quo maximis auxilijs & copijs adiutus,bellum in Rusſiam,& Orientales terras extendit,cum interim Haraldus in Dania per ſummam ignauiam,& Halſtanus in Suetia per maximam prudentiam omnia adminiſtraret. Ille enim,ut Regiam maieſtatem popularem efficeret,leges magis libertati,quam religioni conformes promulgauit:noxas quoq; non modo uenia,ſed etiam licentia proſequebatur:tamq; inopem iuris Daniam reddidit,ut omnis iuſtitia & æquitas omnino proſcripta uideretur. Hic autem Halſtanus præcipuus Chriſtianæ fidei amator,nihil in ſuis legibus immiſceri patiebatur,quod ſanctiſsimi Euangelij inſtitutis contrarium eſſet, aut à bonis moribus alienum. Quocirca infinito amore ab omnibus incolis amabatur, maximoq; luctu eius funus omnes affecit. Quippe nullus,aut rariſsimus in tam amplo imperio inueniebatur,qui non potius præcipuum amicum ſibi ablatum uoluiſſet. Conſiderandum tamen eſt,in nonnullis hiſtorijs contineri,Ragualdum Ingonis filium,poſt paterna fata in paterna regna ante hunc Halſtanum ſucceſsiſſe:cuius geſta quia ab antiquis prætermiſſa uideo,ſolam nominis eius memoriam hic inſerere curaui. Quo autem loco Halſtanus mortuus, aut ſepultus fuerit,nondum ſcriptum inueni.

Philippus deinde defuncti Halſtani filius, in paterno imperio digniſsime circa annos à Chriſto nato M.LXXX. ſurrogatur. Siquidẽ in nullo prorſus ab illa ſumma Halſtani probitate degenerans,effecit,ut omnes qui in funere patris maxime doluiſſent, uiſa ea optimi filij benignitate,acerbum dolorẽ magnopere temperarent,firmiter credentes,diuinã maieſtatem,per quã Reges regnant,omnia proſpera,& felicia illi regno conceſſurã,cui Regẽ tam benignũ præficere curauiſſet. Sub cuius tempore omnia inter Gothos,& Suenones,atq; uicinas terras in ſumma quiete,& concordia, atq; ſecuriſsima pace uerſabantur. Enimuero apud Danos eodem tempore totius Reipub. ſumma ad Regem Canutum ſummæ ſanctitatis uirum deuenerat:qui ita terreni regni curam gerebat,ut ſatis oſtenderet,ſe maiore,atque excelſiore animo eſſe,quam quod uellet Danicæ telluris anguſtias cœleſti, & æterno regno præferre. Proinde Chriſti miniſtros(quorum ductu cœleſtis regni incolam ſe futurum

ſperabat)

ſperabat)ita uenerabatur,ut nihil,quod ad eorum honeſtatem, utilitatemq́; augēdam, tam diuinæ q̃ humanæ leges præſcribunt,unquam prætermiſiſſe uideretur:lege quippe pie, & rationabiliter ædita decreuit,ut Pontifices perinde ac principes,& Duces,proximo poſt Regem loco uterentur.Nec ſolum erga Pontifices ea Regia benignitas apparuit,ſed etiam priuatorum clericorum ordinē benigniſsimis decretis adornare ſtudebat,ſeuerius prohibens, ne quis militiæ clericali adſcriptus,ad uulgaris fori iudicium traheretur. Indignum quippe eſſe cenſuit,Chriſtianæ Eccleſiæ paſtores ab illis iudicibus iudicari, quibus uice Dei præficiuntur.Nec leuis eſt erga diuinam maieſtatem offenſa,alienum ſeruum,præſertim Deo conſecratum,tam temere iudicare.Sed hęc Deus,qui noſtro æuo in ſuis miniſtris tam grauiter contemnitur,tandem reſpiciet:& aliquos Reges tandem excitabit,qui ſe homines peccatores,& non Deos eſſe confiteantur,quemadmodū hic Canutus erat:qui cum ſummo,ac pio ſtudio cōtenderet,ut Chriſti miniſtris liberalius, & cōmodius de decimis,& primitijs prouideretur,inſigni cuiuſdam Blacconis perfidia traditus,a conſternata plebe trucidatur.Quo facto,tanta frumentorum penuria uniuerſam Daniam inuaſit,ut maxima populi pars, alimentorum inops,inedia conſumeretur.Nec prius Danicis agris fœcunditas reſtituta eſt, q̃ populus ad cor reuerſus,pœnitentiam ageret,ſe tam ſanctum Regem occidiſſe,qui tam iuſta & honeſta pro Chriſti miniſtris poſtulaſſet: iamq́; experimento didicerant,ſe iuſte nouem frumentorum partes amiſiſſe,qui decimam ex eis Deo,& Dei miniſtris reddere noluiſſent.Interea omnia proſpera,& felicia per omnes Gothorum,& Sueonum fines Philippi Regis prudentia agebantur:qui morte ſublatus,gloriam apud omnes poſteros aſſequutus eſt immortalem.Sed hic conſiderādum eſt,quod tempore huius Regis Philippi,anno Chriſti M.LXXXVI. una ex filiabus ſancti Canuti Regis Daniæ Ingertha, tradita fuit nuptui cuidam nobiliſsimo Sueonum Folchoni:quem primum Folchungorum parentem fuiſſe putamus.

Ingo in defuncti patris Philippi imperium concordibus eligentium ſuffragijs ſublimatus,talibus auſpicijs ſuum principatum inchoauit,atq́; ad ultimum uitæ exitum continuauit,ut non ſolum nomen,& regna,uerumetiam illos probiſsimos mores a priore Ingone quadam hæreditaria ſucceſsione aſſumpſiſſe uideretur.Erat enim tunc feliciſsimū tempus, ob illam optimam educationem, qua Regum filij apud Gothos,& Sueones,in ueris fidei Chriſtianæ moribus inſtituebantur,præſertim a patre,& atauis huius Ingonis, quibus regnantibus,magna ubiq́; tranquillitas in illis terris,tam domi q̃ foris, omnem iniuriam ab innocētibus auertebat.Crediderim ego firmiter,diuum Canutum Danorum Regem, illos ſanctiſsimos mores ſuos ab optimo,& Chriſtianiſsimo Halſtano Sueonū Rege(ad quem a fratre Haraldo ad mortem quæſitus aufugerat)contraxiſſe.Habuit hic Ingo cōiugem nobiliſsimam Raguildem:quæ quantæ fuerit ſanctimoniæ,ſatis oſtendunt eius reliquiæ in oppido Telgenſi depoſitę,atq́; in ſumma ueneratione hactenus ab omnibus pijs incolis habitę. Nec minor erat ſanctitatis opinio in eorum illuſtriſsima filia Chriſtina, quæ poſtea meruit cōiunx effici diui Erici Regis & martyris,ut infra dicemus.Præterea unam filiarum ſuarum Margaretam,ex altera coniuge Helena genitam,Nicolao Danorū Regi matrimonio ſociauit,qui ex ea filium Ingonem,in puerilibus annis equi caſu mortuum, genuit. Hanc Saxo inter optimas Danorum Reginas ſummis laudibus extollit. At Margareta,inquiens,nō ſolum diuinarum ędium opes latifundijs auxit,ſed & totis uiribus ad augēdum earum ſplendorem incubuit,ſacerdotaliſq́; cultus inopiam exquiſito ornamentorum genere permutauit.Enimuero quo rem diuinam ornatiore efficeret,pallas laticlauias, cæteraq́; ſacerdotum inſignia condere,atq́; ſacrorum uſibus erogare curæ habuit. Erat quippe Margareta admodum diues,non modo in theſauris,ſed ampliſsimo numero prædiorum,& terrarum, ac patrimonio plurimū locuplete,& exuberanti.Quod quia Magno filio,& neptibus ſuis in Dania nuptis,nimis prodigie, & cum maxima cæterorum conſanguineorum ſuorum iactura erogauit,occaſionem dedit maximæ inter Sueones & Danos diſſenſionis:quę poſtea compluribus inimicitiarum incrementis coalita,ad poſteros per multa ſecula ueteris odij tenaciſsima perſeuerabat,& forte adhuc in nonnullorum animis pertinacius perſeuerat. Cæterum Margareta magnam ubiq́; curam adhibuit,ut omnia odia inter ſubditos proceres, & populos tollerentur,effecitq́; ut grauiſsima odia,quę eius filius Magnus in uirum integerrimum,& patruelem ſuum ducem Canutum pertinaciter fouebat,ad effectum minime peruenirent,quamdiu ipſa ageret in humanis.At ſublata ipſa benigniſsima conſanguineæ charitatis altrice,datus eſt locus,quo maxima ipſius Magni perfidia innocentiſsimū Canutum inſigni tradimento trucidaret. Interea Ingo,dum omnia pientiſsimi Regis filia diligentius quàm ſecurius exequeretur,domeſticis inſidijs impetitus opprimitur.Tanta ſiquidem erat inter nonnullos proceres malignitas,& perfidia,ut benigniſsimo Regi, cui ſe & omnem ſa-

lutem suam per summam gratitudinem impendere debuissent, indignissimã mortem præpararent. Enimuero cum regnum propter publicam omnium salutem, & pacem conseruandam circuiret, uenissetq; in eum locum, ubi nunc erectum est monasterium uirginum in uilla Vretensi, ecce à quibusdam perditissimis hominibus ueneno impetitus occubuit.

Ragualdus deinde cognométo Knaphofde, ab irato Deo in uindictam occisi Ingonis impositus, ad sceptrum peruenit. Deus enim postquam Sueci, & Gothi tam ingrati erga optimos Reges fuissent, dedit eis talem Regem, qualem habere merebantur. Siquidem primum diuini furoris indicium erat, quòd discordantibus incolis assumptus, totam Gothorum & Sueonum Rempub. perniciosissimo dissidio inuoluit. Gothi enim (ait Saxo) Sueticarũ partiũ Rege Ingone absumpto, summam Magno Nicolai Danorũ Regis filio deferentes, ostenderunt, se non minus iuris habere in regum electione, quàm alia regna, & nationes. Quorũ Sueci autoritate contempta, electo hoc nouo Rege Ragualdo, Magni electione cassare cõtenderũt: qui mox à Gothis trucidatus, morte Magno imperium cessit. Erat enim Ragualdus (ut nonnulli asserũt) præmortui Ingonis filius, giganteo corpore procerus, animo ferox, oculis toruus, aspectu minax, incessu superbus, plus audax quàm prudens, plus fortitudini quàm consilijs inhærens. Quocirca non solum procerum & sapientũ consilia, sed ipsas quoq; patrum leges, & probatas regni consuetudines temerè contemnens, nunc huc, nũc illuc uelut furijs agitatus per subiectas terras, & populos ferebatur. Quicquid in nocte somniando excogitauerat, hoc pro lege obseruari uolebat: semper nouas, & nunquam bonas leges inuenit; uoluitq; suę temeritatis arbitrium, perinde ac Deorum oracula, summam autoritatem habere, ut nulli prorsus licitum esset illi dicere: Cur ita facis? Interea accidit, ut ipse ad terras Vesgothorum descenderet, negotia priuata, uel publica dispositurus. Quod cum præter consuetudinem patriæ illius attentaret, uniuersorum incolarum indignatione excipitur. Habebant enim uetusta consuetudine præscriptũ, ne quis regum ad eos accederet, nisi præmissis nuntijs, & literis, quibus causam sui aduentus declararet, ut præscirent, an gratiosum Regem, an crudelem tyrannum deducendum admitterent. Igitur antiquarum legũ & consuetudinum contemptorem, non secus ac temerarium totius patrię hostem excipientes, publicumq; contemptum publicis armis uindicantes, in uilla Carlaby occiderunt, ut qui contra eorum uoluntatem intrauisset, sua uoluntate exire non posset, & qui contra leges ingredi non debuisset, armis oppressus egredi prohiberetur. Probabile tamen apud me est, Vestrogothos uindicare uoluisse sui amantissimi Regis Ingonis mortem, quam fortè putabant cooperatione huius Ragualdi acceleratam, idq; circa annos à Christo nato M. C. XXXIX.

Magnus igitur ea occasione, quam diximus, à Gothis in Regem assumptus est: nõ quòd eis externus aliquis plus, quàm innatus ciuis acceptior esset, sed quòd etiam ab inferioribus terrę partibus auxilia aduocassent, quibus iniuriam à Suecis illatã uindicassent. Quamuis enim firmiter persuasum haberent, quòd Sueonum societas Gothicæ Reip. admodũ necessaria esset, tamen omnia alia prius sustinere maluerunt, quàm suũ, & suæ patriæ contemptũ. Proinde non quieuerunt, donec Ragualdum, quem Sueci elegerant, trucidassent, Magnumq; in utroq; regno potenter collocassent: quasi dicere uoluissent: Quia Sueci super nos insensatos tyrannos imponere contendunt, nos uicissim seueriores sanguinarios capitibus eorũ imponemus. Quę enim alia ratio prudentes proceres, & patriæ suæ amantissimos impellere potuisset, ut tyrannum contra tyrannum ad summam utriusq; regni calamitatem eleuarent? Quemadmodum enim uniuersas Danię partes cruentissimis bellis implicauerat, ita Sclauiam, Poloniam, Sueoniam & Gothiam, ut atra quędã tempestas peruasit, atq; inter cætera spolia, malleos Iouiales, quos Sueones pagana superstitione seducti (ut prius diximus) coluerant, sacrilego ausu abstulit, & profanauit. Deinde occiso innocentissimo consanguineo suo Canuto duce, tot bellorum procellis se, suosq; inuoluit, ut patri suo Regi Nicolao, omnibusq; amicis, & subditis populis irreparabilem ruinam acceleraret. Filiam Polonorũ præsidis Bogoslaui in coniugium, et infinitorum dolorum societatẽ assumpsit. Sepe ad bellum progressus, totiesq; bello uictus excessit, ut omnibus facilè persuasum esset, ipsum ob trucidatum pridem Canutum, Dei & hominum iram meritò cõtraxisse. Confestim namq; post impiæ cædis euentum, profuso in gaudium animo urbem Roschildiam repetit, regnumq; Daniæ, quasi iam sublato ęmulo, spei firmitate complexus, erubescendam facinoris fortunam tripudio prosequi deforme non duxit. Sed breue admodum erat gaudium, in quod cõscientia tam enormiter lęsa cõsentire nequiret. Quippe ab Erico, occisi Canuti fratre, uiuẽte adhuc Nicolao Rege trucidatus occubuit, duplicesq; pœnas una morte persoluit: & quòd uirum omni sanctitate cõspicuum oppressisset, & quod sacra solennitate Pentecostes acies in prælium eduxisset. Cætera huius Magni facinora apud Danos, quibus non minorẽ perniciem, quàm Suecis attulit, inquirantur.

De causis

De causis, cur Danorum Reges ambiunt uicina regna, & parta celerius perdunt.

CAP. XXXVIII.

Diuus Canutus propagaturus regnum suum Daniæ (ut Saxo refert) recolebat bellicam maiorum gloriam cum opibus imperij, atque latis finibus, nullo magis, quàm Anglicis creuisse titulis, maioremque eis ex unius insulę, quàm totius Orientalis Rusiæ spolijs incesisse splendorem: à quorum imitatione deficere stolidi, ac degeneris animi esse, satiusque regno carere, quàm inter paruulę telluris Danię angustias inclusum maiestatis usum habere. Et ita reuera est, prout alias in geographicis descriptionibus à multis reperitur ostensum. Et hinc euenit prę ter enumeratas rationes, cur Aquilonaria regna, præsertim Noruegia, Gothia, & Suetia (quæ alias in opulentia argentifodinarum præcipuè excellit) incessabiles uexationes sustinent ea uicinitate Danorum, magnam maiestatē non potentium fouere in pluribus insulis Blathico mari disgregatis. Fuerant plerique tractatus superioribus seculis, super unione prędictorum regnorum cum Dania, in pluribus principum comitijs habiti, ut successiuo tempore uno ex his regnis electo Rege, ac coronato, moderarētur: sed inexplebilis auaritia, ac ambitio locum, tempusque pati non potuit, ut bona concordia susciperet, & pareret diuturnū incrementum. Præterea sæpius naturæ uincula, ac affinitatis fœdera per connubia fuerant attentata, ut parta cōcordia in utrisque gentibus pro publica salute stabilior permaneret: sed neque sic insatiabilis Danorum sublimitas contenta quieuerat, quin incessanter aspiraret ad potentatus, & principatus uiciniorum regionum. Hoc tamen & eis, & alijs attendendum erit, quòd qui duo regna bello, uel affinitate quæsita gubernare student, maius habebunt ingenium in conseruando, quàm acquirendo. Assidua nanque pullulant discordiarum semina, uel internę rebellionis, uel externæ incursionis in deditos. Ita semper pro illis, uel contra pugnandum, semper fouere exercitum, compilari interim se, efferre foras pecuniā, alienæ gloriolæ suum impendere sanguinem, pacem nihilo tutiorem, domi corruptos bello mores, latrocinandi indubitatam libidinem, confirmatam cędibus audaciam, leges esse contemptui, quod Rex duobus, uel pluribus regnis distractus, minus ad utrumuis intendere potest. Cumque regni consiliarij tantis malis nullum finem uident, inito consilio Regi utrius regni regendi imperium habere uelit, optionem præstare solent: nam utriusque non fore potestatem, cum dimidiari nequit. Si regno amicum & fidum pręfecerit Viceregem, citius eijcitur, oportetque ad unum uerum regnum commigrare. Considerandum etiam est, quot nationes tumultuantur, quot thesauri exhauriuntur, quot populi perimuntur, quot denique in summa mala fiunt, pro uno regno seruando: nemo ignorat quantò plura, peioraque fierent pro pluribus acquirendis, & conseruandis. Item auitum regnum colendum, ornandum, & fortificādum est. Rex ergo, aut princeps, amet suos, & ametur à suis: cum his una uiuat, imperetque suauiter, atque alia regna ueluti continuos cruciatus ualere sinat.

De seueritate Regis Christierni.

CAP. XXXIX.

Horum & similium, imò maiorum consiliorum, ac cautelarū immemor Rex Daniæ Christiernus eius nominis secundus, qui diuersis temporibus & ingenijs, procuratæ per quosdam Danicę factionis in regnis Suetię, & Gothiæ proceres, Danorū consanguineos, & affines, (inter quos erat infelicissimus Gostauus Trolle Archiepiscopus Vpsalensis) aditu in regna prædicta, adeo ferox, & seuerus euasit, ut nullo pręstiti iuramenti, aut sigillatarum literarum aut acce-

ptionis tremendi Dominici corporis habito respectu, aut cuiusuis commiserandæ rationis compassione, una die, scilicet 8. Nouembris M.D.XX. diuersorum ordinum principes, magnates, consules, ac ciues numero XCIIII. me uidente, ac trepidante, impio ferro, impijssimo malignorum consilio stimulatus, detruncari iuberet, atque triduo ante prætorium urbis Holmensis inhumata eorum corpora, donec extra ciuitatem comburenda deportarentur remanere. Profecto horrendum spectaculum, quod ipsi Christierno procul dubio mille miserijs postmodum uexato occurreret, sic instigante crudeli consilio ad gratiam receptos, quos perendie amicabiliter inuitatos hospites ad Regale conuiuium habuisset, atrocissime puniuisse: idque non usitato sæuiendi modo, sed cruci affixum quendam Magnum Ioannis præfectum, patriæ suæ ualidissimum defensorem, humi in terra tabulaque ligatum, ut primum pudendis, demum corde excisis, & in uultum patientis contumeliosorum uerborum insultu proiectis, ad maiorem rabiem, & perpetuum horrorem actum fuisse ostenderetur. Postea eiusdem diei insequenti nocte infelicissime uiduæ, quarum mariti ferro consumpti ante ora bestiarum in publico foro iacebant, pecunia, & omni suppellectili per insatiabiles Daniæ præfectos spoliatæ, inconsolabiliter ingemiscebant. Certe turpissimi, & immanissimi erant officiales illi, solo terrore Regij nominis, uel pendentis crudelitatis, cunctos maxime innoxios, usque pudicitiæ & omnis uerecundiæ honestatem deprędantes. Nec melior erat pupillorum, & orphanorum conditio, qui in parentibus torquebantur, & omnibus fortunæ bonis spoliabantur. Longa, & terribilis per me, tanquam singula lachrymose uidentem, texenda foret historia, si singulas huius calamitatis partes enarrare uellem, quomodo uidelicet diuina, & humana confundebantur, nulla promissę fidei ratio, nullus religioni respectus, omnia temeritate sacrilega agitabantur, ubique gemitus, ubique cædes, ubique mors, nullibi concessum effugere, uiuere inter districtos gladios, & efferos homines impossibile. Seruabatur uigilantissimo custode ciuitas, ne quis ex eo communi omnium ciuium carcere erumpat, ut regni incolis patratæ crudelitatis seriem denuntiet: quam si libera populi multitudo subito persensisset, nihil commissi facinoris inultum remansisset.

Adhuc de seueritate eiusdem Regis.
CAP. XL.



QVod cum Rex aduerteret, in sola fuga salutem suam reponens paucis postmodum diebus inde uersus suam Daniam se recipere est coactus: in quo itinere plures rotis, furcis, aliosque horrendæ mortis genere quartando mortificari iussit, prę sertim apud Ostrogothos in Vasteno, terra S. Birgittæ: demum in Nydalensi monasterio Nouæuallis dicto: ubi licet humanissimo hospitio susceptus esset, tamẽ die Purificationis diuæ Virgini dedicato, Abbatem cum 7. monachis peracto altaris sacrificio, manibus a tergo ligatis in rapidum flumen submergi iussit; unde cum Abbas naturali fortitudine funibus ruptis ad littus enataret, a Regijs satellibus ferro excerebratus interijt. Ita & paruuli illustris familiæ Ribbingorum Vestrogothiæ, quibus hostilis barbaries ignoscere solet, ante eius conspectum gladio sublati sunt. Quo factum est, ut sub eo congregatis 30. millibus incolarum armatorum, ipse sibi conscius per deuia, ac inuia potius nocturno, quam diurno tempore præcipiti cursu se reciperet intra limites suę Danicæ ditionis: ubi neque diu sine simili formidine securior est relictus. Adeo

uelox

uelox fama factum eius ante aduentum ubique monstrauit, maximè apud subditos Ces.Maiestatis in terra Batauorum,Brabantorum,ac aliarum nationum: ubi dudum cum in honore esset,& sublimi gloria,ante tam immanem stragem in plerosq; innocentes commissam,habitus erat gloriosus. Dicat hic Saxo Danorum historicus libro 12.in omni circumspectione sua,uti superius cap.37. allegatum est, an hoc spectaculum ut specie triste,ita re ipsa Danis utile extitit,an crudelium pœnarum,ac torturarum inflictione,an clementia,modestia,æquitate,& reliquis uirtutibus Regijs quærantur regna,& maneant parta:certè per experientiam agnoscet,Danicam seueritatem superioribus libris,& hoc Christierniano facto ad memoriam reuocatam,plus infamiæ,& horroris,crudelitatis,& despectionis regno & Regibus eius parere,quam si humani,& iusti essent: nisi forsan gloriari uelint in malitia,quando adhibitis fraudibus potentes se putent in iniquitate, ut nouacularum more faciant dolum:quod absit. Quis etenim securè commercium cum his intētare,& firmum manere cogitat? qui(ut Saxo ultimo cap.lib.4.asserit) mentiri & fallere,inter sordes & uitia non ducunt. Sit ergo sermo eorum,Est,est, Non non,et omnes credent eis. Nec credant me boni homines hęc supradicta propter odium,aut simultatem in Danicam nationem illam,& uetusta eius gesta,aut Regis Christierni seueritatem,in omnibus ostendisse,sed longè terribiliora ex industria,quæ sine suspirijs,& horrore legi nequeunt,& multò minus in libros referri, reliquisse. Danica tamen nobilitas post exactum Regem Christiernum antedictum 44.articulos in Vrbem,& totum orbem,pro sua excusatione,cur ab eodem Rege defecerat,publicè legēdos emisit. Ita & Senatores regnorum Suetiæ,& Gothię,ac Noruegię,tam antea,quàm posteà repetitis uicibus libris,& literis sese excusarunt. Quod autem ego amarius cæteris,uerius tamen,& parcius scribo, audax testimonium facit,quia cum graui meo periculo,& mœrore omnibus ijs tragœdijs inspiciendis interfui,ut dolenter uiderem mala gentis meæ,quæ nunc millies aucta uidentur,& insuperabiliter,ob impias legum constitutiones, & subditorum oppreßiones,deteriora.

De hoc Christierno secundo Danorum Rege.
Ioan.Mag.lib.23.& 28.

Suanto deinde nostra ætate hoc modo post fata Stenonis,ad Gothorum & Sueonum regna peruenit. Cum enim Steno in loco,quem diximus,animam exhalaret,aderat ipse Gaddus Lincopensis electus,qui mox præsentibus militibus sub pœna capitis cominatus est, ne cuiq; eam Principis mortē patefacerent,donec ad regiam Stocholmensem peruenissent. Si enim fama eos præueniret,non solum a' Regia arce secluderentur,sed omnium pręteritorum annorū stipendio priuarentur. Persuasi igitur proceres & milites funus Principis q; occultißime ab eo loco usq; Stocholmiam,itinere sedecim dierum deducunt,posito in eius loco uiro corporis habitudine non dißimili. Erat in media uia Suanto Ostrogothorum Princeps,hūc Gaddus clanculo de Stenonis morte informatū admonet, ut sub specie comitādi Principem se in Stocholmiam conferat,facile totum Sueonum & Gothorum Principatum (si consilijs paruerit)assecuturus. Grata erat Suantoni amicißimi Antistitis admonitio. Perueniensq; in arcem Holmensem, à Gaddo, & à tota caterua Princeps regni consalutatur. Quod etsi præter leges,& patriæ consuetudinem factum fuisse uidebatur, attamen approbante regni senatu,in locum defuncti Stenonis surrogatur. Erat enim de tota patria optimè meritus,natusq; ad res præclaras & magnificas,utpote qui animum excelsum,& Regiū semper & ubiq; prę se ferebat. Tota quoq; eius familia splēdida,& bonis moribus ornata incedebat:nullus in ea mimus,nullus scurra. Quippe quemadmodum ipse morū grauitate pollebat,ita nullos effœminatæ leuitatis homines in suam familiaritatē admittebat,sed audaces, fortes,ualidos,& ex aliorum procerū curijs electos. Erat enim publico prouerbio receptum quod nullus in familiam Suantonis ascriberetur,qui securi in faciem cęsus conniueret. Erat præterea in suos familiares adeò liberalis,ut sæpe uestes sibijpsi detraheret,& illis donaret. Plus enim in homines militares indulgēs erat,q; in se ipsum:sæpeq; in largiendis stipendijs,

fiscum exinaniuit. Neq; enim ullã diuitiarum curam habebat, sed uirtutẽ, & gloriã sordidis diuitijs longè præferendo, potius fame perijsset, q̃ ex incolarum iniurijs, aut ecclesiarũ, siue clericorum spolijs uictitasset: rectè existimans, Suetiam adeò opulentum regnũ esse, ut eius Princeps satis magnificè uiuere possit, absque eo, quòd cogatur rapinis & sacrilegijs uitam infelicem, atq; infamem sustentare.

Sed silendũ non est, q̃ acerrimo odio insectatus sit mendaces & detrectatores. Cum enim aliquem absenti obloqui audiuisset, iussit cõtinuò absentem aduocari, ut detractor, qui absentem suggillauerat, coram proponeret, quæ uellet, & probare posset. Quo facto optimorum ciuium innocentiam mirificè est tutatus, & immortalem gloriam apud omnes bonos est adeptus. Erat pręterea in delinquentes ualde clemens & mitis, quamuis uerba eius summam seueritatem præ se ferre uidebantur. Non enim loqui, sed fulminare uisus est, cum milites suos neglecti officij argueret, & obiurgaret: quibus etiam nonnunquam alapam inflixit. Sed continuò, quos duris uerbis affecerat, mox singularibus donis & beneficijs afficere non omisit. Quo euenit, ut feliciores se putarent, qui ab eo tam benigniter reprehendi merebãtur. At in templis, cum diuino officio intenderet, uix minores lachrymas, q̃ Dauid Hebræorum Rex effudit, ut nullus id cõsiderans dubitare potuisset, quin totam spem suam in Deo, per quem Reges regnant, collocasset. Estq; à diuina clementia consecutus, ut illis octo annis, quibus regnauit, nullum atrox pręlium fuerit in Suetiæ incolas illatum, quamuis Ioannes Danorum Rex ipsa Gothorum & Sueonum litora classe bellica nõ rarò insiliuerit, & spolia nonnulla in mari, & terra reportauerit, ipsumq; Moscouitarum Principem, ut Sueones impugnaret, summoperè solicitauerit. Sed maior erat in Moscouita pactorum & iuramentorum ratio, q̃ quòd pateretur se à Danis in aliquod nefarium bellũ rupto fœdere induci. Quin potius cum didicisset Reipub. summam ad Suantonẽ, qui pridem dux belli contra Moscouiam fuerat, deuenisse, solennes oratores ad ipsum in Stocholmiã mitteret, & fœdera, quæ antea cum Stenone iniuerat, renouare curauit. Itaq; Suanto ab Orientalibus Suetię partibus securior effectus, totas uires suas ad Occidentalem Daniam conuertit. Nec diu moratus, antequam copijs ex Suetia & Vestrogothia contractis, bellũ in Hallandos & Schoningianos transferre contendit, ut iniurias, quas Dani paulò antè, uiolatis inducijs, intulerant ciuitati Aboẽnsi ulciscatur.

Primum igitur belli impetum in propinquius Vardbergiæ oppidum mouens, comperit incolas illud ob Sueticæ potentiæ terrorem nouiter uallo, & propugnaculis communiuisse. Quocirca ex eo loco progressus, totam Hallandiam & Schoningiam cæde, flamma, direptionibus conculcauit, exercitumq; spolijs onustum, & incruenta uictoria ouantem reduxit. Deinde in Suetiam regrediens, negotium lacessendæ Daniæ nobilissimo Vestrogothorum præsidi Achoni Ioannis imponit: qui sequenti anno in Hallandiam descendens, duas munitissimas arces, Lagaholm & Vallen, uno eodemq; die, admirabili quadã celeritate occupauit, occupatasq; incendio consumpsit: & cum nullus contra eum in campum prodiret, nobilem uirum, & Regiæ arcis præsidem Mauritium Ipson captiuatum, unà cum incolumi exercitu in Vestrogothiam reportauit. Sequentibus etiam annis idem Acho continuo bellorum insultu Danos lacessiuit, donec ab ipsis in terra Schoningiæ ad insidiosa loca pertractus, in floridæ iuuentutis ætate trucidatur: dignus profectò, cui fata longiorem uitam concessissent. Erat enim natura benignissimus, & in re militari peritissimus, imò etiam patriæ suæ, pro qua obijt, amantissimus. Incidit autem mors eius in annũ à Christo nato M.D.X. Post cuius occasum, cum Rex Danorum Ioannes putaret Vestrogothiam omni pręsidio uacuam esse, constituit ipsam in suam redigere potestatem.

Collegit igitur tam ex Danis, quàm Saxonibus & Vandalicis ciuitatibus præualidum exercitum, quem filius eius Christiernus Vestrogothorum terris maiore apparatu, quàm felici bellorum successu inuexit. Suanto enim, quamuis magno & potenti exercitu succinctus, ex Suetia in Vestrogothiam Christierno congressus descendisset, attamẽ à pugna prudentius abstinens, retro ad syluam Tiueden abijt, sperans se Christiernum ad insidias perducturum. Sed Christiernus nihil minus cautus, à Vestrogothia per Smalandos ad Ostrogothiam ire contendit. Ostrogothi autem, quos imparatos putabat, maxima multitudine ad arma consurrexerant. Quod cum Christierno, dum in oppido Ionacopensi moram traheret, nuntiaretur, subita fuga in suam Daniam remeauit. Nec longe pòst Cæsareæ ciuitatis Lubicensis senatores, cum compertum habuissent Danos tam potenter à Gothis profligatos, expedita ad Suantonem Principem legatione, opem cõtra Ioannem Danorum Regem postulabant. Ad quam quidem legationem, cum in Gothorum, ac Sueonum senatu proposita esset, Hemmingus Gaddus Ostrogothus, ecclesiæ Lincopensis Antistes, palã omnibus respondẽs, perorauit: cuius quidẽ orationem in calce huius uoluminis annectendã curaui.

Obtinuit

Obtinuit enim eadem oratione, ut Suecones cum Lubicensibus & Vandalicis ciuitatibus statim confœderarentur. Estq; bellica clasis pro eis cõtra Danos ex Suetia sine mora expedita: cui idem Hemmingus Gaddus Principis & senatus decreto præfectus, tanto animi ardore bellum in Danicam gentem assumpsit, ut nihil unq; suæ fortunæ fœlicius accidisse fateretur. At cum educendæ clasi inuigilaret, literas Iacobi Archiepiscopi Vpsalensis celerrimo nuntio allatas accepit: in quibus sic scriptum fuisse memoratur: Syncerissima salute pręmissa. Orationem illam, quam R.P.V. nuper in senatu regni contra Danos, & pro Lubicensibus, eorumq; confœderatis proposuit, cupidè ad nos mitti postulamus. Nec minus gratum esset nobis, illas Saxonis Danici historias quantocyus uidere, ut ex eis sufficientius informari posimus, quomodo de cætero à Danorum artibus nos, nostramq; Rempublicam prudentius pręseruare & tueri ualeamus: Valete. Ad quas quidem literas Gaddus ęquè breui Laconismo in hunc modum rescripsit: Syncerissima reuerentia præmissa: Orationem illam non tam pro Lubicensibus, quã pro nostra Republica, factam, tradidi serenissimo Principi: is eam, cui uoluerit, permittet. Saxonis Danici historias apud præfectum curiæ meæ in Lincopia Dominum Torchillum prębendatum deposui: cui etiam pręcipuam, ut nũtium Reuerendiss. P. V. ipsas, cum illuc uenerit, libere transcribere permittat. At mea commentaria, quæ tam de Sueticis, q̃ de Danicis antiquitatibus longo tempore collegeram, usque ad meum in patriam reditum, in abditis repositorijs cõseruari mandaui. Felicissime ualete Pater Reuerendissime. Extant præterea complures aliæ orationes, quas idem Gaddus tam in patria, q̃ Romæ apud Summos Pontifices, præsertim Alexandrum sextum pro patria sua, contra Danos perorauit. Erat enim orator non parum uehemens, & multa audens, utpote qui aliquando coram eodẽ Alexandro Papa in pleno Cardinalium Consistorio uniuersos Danos, nullo excepto, canes rabiosos appellauerit, quod fœdus cum schismaticis Moscouitis contra Christianissimos Suetiæ incolas pepigissent. Sed nunc his omissis, ad expeditionem bellicã, cui Gaddus præerat, me conuertã. Is enim ferè ad medium lustrum pro patria militans, nunc Danicas insulas uario bellorum apparatu uexabat, nunc ciuitates Vandalicas ut socias & amicas uisitans, quietem à bellicis laboribus captabat. In Lubicensiũ autem conuersatione plurimum gauisus, diuturniorem apud eos mãsionẽ elegit. Deditq; operam periclitantibus patriæ rebus, ut ex turbatis tranquillæ fierent, & felices, cũ interim Ioannes Brascho Præpositus Lincopensis ecclesiam Lincopensem (eo à sede Episcopali excluso) occuparet. At pugnax in Gaddo animus plus bella, quam Pontificias insulas curans, se totum in uitam, & militares mores coniecit. Nam classem Sueticam cum Lubicensi coniungẽs, impetuq; in Daniam facto, damna plurima innocuæ plebi inferebat. Eodemq; tempore ipse & Lubicenses Lalandiam, & in ea monasterium diuæ Birgittæ incendijs & direptionibus uastauerunt, affirmantes se illis patria referre, quæ Dani nuper in terrã Finlandię commiserũt. Putabant quidem Sueci ea Lubicensium confœderatione se satis securos: sed cum illi seclusis, uel inconsultis Suecis, denuo in Danorum amicitiam consensissent, occasionem pręstiterunt pertinaciori inter Sueones et Danos hostilitati: quæ utiq; in publicam Aquilonarium regnorum perniciem emanasset, nisi futuri belli strages, q̃ Suanto in Danos meditabatur, eius præmaturo fato intercepta fuisset. Euenit autem huius optimi principis Suantonis mors in Principio anni à Christo nato M.D.XII. in ciuitate Arosiensi: in qua etiam sepultus, nominis sui gloriam ad posteros transmisit immortalem.

Steno Sture iunior pręmortui Suãtonis filius, post patris funera difficulter ad paternum principatum peruenit. Erant enim in comitijs Stocholmensibus, quæ pro cõstituendo Principe celebrabantur, multæ, & uariæ, ac penitus contrariæ senatorum sententiæ, quibusdam asserentibus operæpretium fore, Regem, aut Principem aliunde accersendum: quibusdam id nequaquam Reipublicę expedire dicentibus, sed ex procerum senatu iuxta maiorum decreta, & patrię consuetudinem assumendum. Quo factum est, ut nobilissimus Sueonum Ericus Trolle, à magna senatus parte Princeps designaretur. Erant in hoc Erico plurimę partes, ob quas non solum Princeps, sed Rex creari meruisset. Nullus enim iuste negare poterat, quin moribus esset integerrimus, & in rebus gerendis prudentissimus: imò, quod rarum in nostræ ætatis nobilibus esse solet, eximiam in diuinis & humanis legibus eruditionem cum summa laude, & multorum annorum studio sibi comparauerat. Sed hæc omnia non tantum ei prodesse poterant, quantum illi oberat, quod Trollorum familia publicum patriæ odium, ob Danicæ factionis studium contraxisset. Habebat enim hæc familia non paruum apud Danos numerum prædiorum: quæ ne amitteret, Danorum partibus studiosius, quàm utilius inseruiebat. Quocirca Vincentius Episcopus Scharensis, cæteriqúe Prælati, & proceres, qui se magis Sueticæ, quàm Danicæ Reipublicæ debitores considerabant, eam Erici nominationem magno

consensu

consensu cassauerunt, affirmantes se nulla ratione induci posse, ut aliquem sibi præficiant, in quo etiam minima Danicæ factionis suspicio inueniri posit, præsertim cum nullo unquam tempore Danicæ originis homines Sueticis rebus fideliter, atque ex animo consuluissent. Tanta etiam est in Sueonum & Danorum moribus disparitas, ut qui eos coniungere uelit, nimis imprudenter, aut contra patriam insidiosum se esse probabit. Sed de his alibi, nunc ad comitia Stocholmensia redeamus: in quibus Steno, tum ob paterna merita, tum etiam quia patriæ amantissimus habebatur, à maiore & saniore senatorum parte, Gothorū Sueonumque Princeps efficitur. Eodem anno Christi M.D.XII. quo pater uiam uniuersę carnis intrauit, incidit inter hunc Stenonem & Gostauum præfati Erici Trolle filium, Archiepiscopum Vpsalensem, discordia nimium perniciosa: ob quam non solum illi duo, sed tota patria ad extremam ruinam deuenit. Erant ambo iuuenes, ambo illustrissimo sanguine nati, ambo uehementis spiritus: sed Steno iustior, & modestior in sua causa uidebatur, utpote qui legibus ecclesiasticis, & bonorum uirorum arbitrio se parere uelle affirmabat. Fecitque Gostauum tam per Leonem Papam X. quam per regni Suetię Pontifices sufficienter admoneri, ne patriæ transquillitatem tolleret, aut turbaret. Sed durior erat in Archiepiscopo animus, quam quod permitteret sibi aliquam concordiam persuaderi cum Stenone, qui patrem Ericum à tam amplo principatu seclusisset: spemque maximam in Danorum Rege Christierno se reponere ostendebat.

Tum Steno, considerans Archiepiscopum nullo ingenio, nullaque admonitione ab illo impacabili odio reuocari posse, collectis militum copijs ipsum in Castro Almerstech inclusum obsedit, exercitumque Danici Regis (qui ut eū obsidione liberaret, aduenit) debellatum profligauit. Deinde obsessum, & Danica auxilia frustra expectantem, ad deditionem coëgit, euersaque funditus arce, ipsum in monasterio Arosiensi (quod Insulense uocant) inclusit. Quo facto causam eius coram Summi Pontificis legato Ioanne Arcimboldo, in comitijs Arbogensibus exponi fecit. Estque, intercedente legato, & regni senatu, à Stenone sub ea conditione in gratiam receptus, ut de cętero se in Vpsalensem Archiepiscopatum non ingereret, sed in paternis bonis paci & tranquillitati studens resideret. Patrem quoque eius Ericum ut nonnullos alios Danicę factionis proceres, in arce Stocholmensi captiuum inclusit. Deinde regnum circuiens, publico omnium incolarum fauore excipitur, seque illis, & illos sibi iureiurando obstringit. Factus enim erat in oculis omnium subditorum suorum gratiosus, & maximè popularis, quia aliàs patri Suantoni, cum populum tributis oneraret, ad genua procubuit, & tributorum laxationem impetrauit. Quocirca iam in Principem assumptus, nō modò tributa à beneuolis subditis, sed ipsam eorum uitam pro sua ipsius salute in mille mortis pericula paratam & promptam expertus est. Itaque tot populis suffultus, tam potens euasit, ut multorum Regum, ac Principū uiribus resistere potuisset, præsertim si parem prudentiam in suis quotidianis consiliarijs cū magnitudine potentiæ suæ coniunctā habuisset. Sed erant in eius Camerario cōsilio ad assentationem plurima, ad publicam uerò utilitatem minima loquentes, quippe qui nec satis prudētes erant, nec alios prudentiores in Principis consilium admittebant, sed detractionibus, susurrationibus, suggillationibus cęteros innocentes apud iuuenem Principem lacerabant. Vnde breui effectum erat, ut ob eorum malignam imprudentiam, & imprudentem malignitatem, plerique optimi & prudentes uiri ab eo se remouentes, alium rerum statum, quàm præsentem expectarent.

Quod cum Christierno Danorum Regi compertum esset, cogitabat idoneum tēpus aduenisse, quo Danicę telluris angustias erumpere, & spatiosa Gothorum, Sueonumque regna potenter subiugare posset. Magnū igitur, & potentem exercitū ex Saxonibus, Frisijs, Vestphalis, Scotis, Danis, Gallis educēs, Stocholmiam Sueonum regiam ualida manu obsedit. Sed non poterat Steno tot populorū fauoribus, & obsequijs præmunitus a' Dano superari, cuius nomen apud Sueones publico odio laborabat. Imò Christiernus in ea obsidione, qua Stenonem obsidere uidebatur, tam duriter a' fame, a' commeatuum penuria obsidebatur, ut magna exercitus pars inedia periclitaretur. Proinde reuocatis ab obsidione copijs, classem, qua uenerat, in Daniam reducere parat. Sed postquam se ad reditum parasset, et uentis uela committenda essent, uentus uehemēs & cōtrarius eius profectioni obiectus est: qui cū totis quatuor mensibus pertinacissime flaret, Christiernū ad intolerabilia incommoda adegit. Nā regredi in terrā, obsistente Stenone, & progredi in Daniam resistente uento, impossibile erat. Tum Steno generosi, & magni animi Princeps, cōperta extrema inimici necessitate, rarissimæ humanitatis officio in ipsum usus, tantùm commeatuū, & expensarum ad eū liberalissima donatione misit, quantū sustentādo toto eius exercitui sufficiebat. Christiernus autem, percepto eo beneficio, legatos ad Stenonem dirigit, asserens se cum eo ad familiare colloquium super publica pace descendere uelle. Parum aberat, quin Steno Danica astutia

astutia persuasus, ad ipsius classem se contulisset. Sed suorum fidelium consilio reuocatus,
Hemmingum Gaddum, & nobilissimum adolescentem Gostauum Ericson, ad eum pro pa
ce, aut inducijs inter utranq; partem componendis emittit: quos ipse confestim erectis uelis
secum in Daniam captiuatos deportauit. Et hic quidem erat finis belli, quod anno Christi
M. D. XVIII. contra Stenonem, & ciuitatem Stocholmensem per Christiernum gestum
erat. Qui deinde euoluto anno exercitum maiorem, q̃ unquam antea cõgregatum, per con
gelatas aquas in Suetiam direxit. Quem Steno animosius, q̃ circumspectius in terris Ve-
strogothorum pugna glaciali excipiẽs, primasq; in acie partes strenuissimè agens, ictu bom
bardæ in femore accepto uulneratur, statimq; uehiculo impositus ad Stocholmiam defer-
tur: ad quam cum ferè peruenisset, animam super constrictum glacie lacum Meler exhala-
uit, dignus profectò longiore uita: quam utiq; habuisset, si imprudentes, & malignos consi-
liarios à se longius remouisset. Interea Stenonis relicta uidua Christina, paucorũ procerum
partes eius tuentium persuasa consilio, per speciales nuntios, liberali promisso stipendio,
pro ulciscendi mariti sui morte, frustra à Rege Poloniȩ Sigismundo eius nominis primo co-
pias postulat auxiliares. Mortuo igitur Stenone, numerosus Sueonum exercitus, cum à nul
lo dirigebatur, dissipatus est. Dataq; est proceribus, qui Danico Regi fauebant, occasio, ut
mox eum in Suetiam aduocarent, & Regia corona in ciuitate Stocholmensi insignirẽt. Sed
cum consideraret se à minima procerum parte in regnum accersitum, atq; ob id suam coro-
nationem à cæteris in libertatem restitutis cassari posse, plurimos regni senatores, & proce-
res eadem coronationis die, scilicet ipsa Dominica infra octauas Omnium Sanctorũ, anno
Christi M. D. XX. conuiuio contractos, & se ob Regiam fidem securos putantes apprehen
dit, & nimis seueriter trucidari fecit. Quæ quidem seueritas cum iam in omnem historiam
diffusa uideatur, nolo me in enarranda huiusmodi tragœdia diutius occupare: quæ non mi
nora incommoda Danis, & eorum Regi, q̃ Sueticæ Reipublicȩ inferebat. Quippe ipse Rex,
in tanto procerum numero, bonam eorum partem occidi fecit, per quos fuisset in amplissi-
mo principatu diu conseruandus: à quo confestim, & eodem mense, quo uenerat, exclusus,
in suam Daniam est reuersus, documentum singulare omnibus Regibus, & Principibus ef-
fectus, qui seuerius imperare, quàm clementius præesse contendunt.

*Oratio Hemmingi Gaddi Ecclesiæ Lincopensis antistitis, pro fœdere Suecorum cum Lubi-
censibus, & eorum confœderatis ineundo, in senatu regni proposita:
de qua suprà præsenti libro facta est mentio.*

Quando mecum cogito Reuerendissime Archiepiscope Iacobe Suetiæ Primas, & Sere-
nissime Princeps Suanto, cæteriq; Reuerendi Pontifices, & Illustres Proceres, ac Nobilissi-
mi Senatores, q̃ graue, & perplexum negotium sit, de nostræ Reipub. salute consulere, præ-
sertim cum in consultationem uertitur, ferre ne debeamus nostris ueteribus amicis Lubi-
censibus, & eorum confœderatis necessariam contra Danos opem, an cum eisdem Danis in
pacem, siue inducias cõsentire. Vellem potius hanc dicendi prouinciam in alicuius alterius
humeros, q̃ meos impositam esse, cum fortasse nonnulli in hoc amplissimo consessu inue-
niantur, qui sub pallio Suetico animum planè Danicum agere non uerentur, quasi eis pro
hoste cõtra patriam sentire, absq; sempiterno infamiæ opprobrio, liceret. Verum ego ita ab
adolescentia institutus sum, talemq; me annis ferè triginta Romæ in legatione patriæ, con-
tra inimicos patriæ, exhibere curaui, ut omnibus mecum cõuersantibus plenè compertum
foret, me nunquam pro Danico nomine uel in minimo sensisse, imò semper meditatum fu-
isse, quomodo tam infesti nominis fautores è medio nostrȩ patriæ (quam nimis impiè pro-
dere contendunt) explodantur, suoq; exterminio, uel exilio, cæteris Danicȩ factionis com
plicibus, ne amodo similia audeant, terrores incutiant. Sed hic fortè operæprecium fuerit,
apertioribus argumentis ostendere, quibus ingenijs, moribusq; Danica astutia Sueticã sim
plicitatẽ perpetuò irretire, & euertere conatur, ut, si nostri temporis homines à perniciosa
Danorum uicinia sese minus cautè seruare uoluerint, saltem nati natorum, uel qui nascẽtur
ab illis, nostro malo addiscant, quàm parum fidei, & societatis, apud ipsos reponãt. Possem
hic plurima nimis uera nostri ȩui testimonia adducere: sed ne uidear illorum hominũ odio
calumnias struere, ipsas Danicas historias contra eos pro nobis assumam: idq; satis idoneo
exemplo diui Pauli Apostoli: qui cum Cretenses, ut malas bestias, reprehẽdere uellet, pro-
prium ipsorum prophetam Epimenidem Cretensem conuenienter assumpsit. Ita enim ex
ipso ad Titum scripsit: Cretenses semper mẽdaces, malȩ bestiæ, uentres pigri. Testimonium
hoc uerum esse de Danis, satis probat eorum historicus Ioannes de Saxonia, quem adole-

lescens, dum Rostochij bonis literis operam nauarem, una cum Alberto Crantzio Hamburgensi inspexi, ac transcripsi. Ille enim in fine libri quarti de se, & suis Danis ait: Nos mentiri & fallere, inter uitia sordesq; non ducimus. Sublato igitur apud eos humanæ societatis fundamento, quod fidem (quæ fieri dictum iubet) uocamus, quis prudens eorum fidei (quam idem Saxo in plerisq; locis fluxam confitetur) securè se committere queat? Quo effectum est, ut Dani, deprehendentes se, perinde ac perfidos, à uicinis populis euitari, ad iuramenta nimis uana se conuertant, ut eorum magnitudine, assiduitateq; mentiendi consuetudinem tegant. Et si omnia alia argumenta deessent, quibus probari possit, ipsos Danos mendaces esse, profecto illa horrenda eorum iuramenta, quæ ad singula ferè uerba nimis impio & blasphemo ore annectunt, satis declararent, ipsos à corrupta natura ad mentiendum impelli. Enimuerò, quemadmodum ueraces homines sine iuramento loquuntur, & eis semper integra fides adhibetur, ita mendaces semper nomen Dei in uanum, ut uanitati suæ aliquam ueritatis speciem concilient, assumere non uerentur. Nec tamen quouis modo assequi possunt, ut prudentes uiri se eorum fidei cōfidant. Ego iam ad eam ætatem prouectus sum, qua mihi condita sit septuagesima messis, magnamq; totius Europæ partem peragraui, atq; interim in nulla eius regione fui, quæ tot sanguinarijs iuramentis passim assueuisset, quemadmodum uniuersi Daniæ incolæ. Quippe si agricolam & ciuem, si proceres & principes, si sacerdotes & Pōtifices eorum, etiam in re minima alloquaris, mox tibi cum terribili iuramento respondentes dicent: Per Deum uiuum sic est: per quinq; Christi uulnera non est: per diuinum sanguinem: per Dei mortē non feci: plurimaq; sanguinaria iuramenta his similia, & horribiliora, tā frequenter ingeminant, ut nullus prudens dubitauerit, ipsos esse homines ad omnia mendacia promptissimos. Nec rarius est apud eos, stupenda mille dæmoniorum attestatione, in re etiam minimi momenti, uti. Nec ut cæteri homines loqui dignantur, imò more tussientium, aut uerba in medio guttere formantium, ita de industria proloquuntur, ut superius labium in sinistrum, inferiusq; in dextrum latus distorquentes, ex singulari oris deformitate, singularem gloriam sese assequi posse existiment. Teutonicam linguam (quam ignorant) balbutiendo resonare gestiūt. Gothica uero adeo contemptim, & corrupte utuntur, ut à nostris Gothis uix intelligantur. Nos siquidem Iacobum, Iacob appellamus: quem Dani Ippum, Ieppum dicunt. Ioannesq; à nostris Iohan uocatur: quem Dani Iusse, Iesse nominant. Nicolaus autem à nobis Claus, & à Danis Niss, Nesse dicitur: qualis etiam corruptio est in alijs compluribus uerbis, à Danica uanitate corruptis. Sed ista nunc sileantur, illæq; perfidę, & nimis multæ artes mentiendi, quas Saxo eis non raro tribuit, dissimulentur uideamus qualem, & quantam crudelitatem eisdem artibus coniunctam habeant. Primum tamen ex eodem autore nos aduertere oportet, quam crudeles inter se semper fuerant, ut minus mirum uideri debeat, ipsos in extraneas, & hostiles gentes, nullo tempore non fuisse crudelissimos. Documento est in primis Haldanus Frothonis primi Danorum Regis filius, de quo Saxo sic habet: Frotho in Suetia strangulatus interijt, Haldano, Roë, & Stacho filijs relictis. Horum maximus Haldanus, Roë, & Scato interfectis, naturam scelere polluit: regnum paricidio carpsit. Et ne ullum crudelitatis exemplum omitteret, comprehensos eorum fautores prius uinculorum pœna coërcuit, mox suspendio consumpsit. Idem ante ipsum fecit Lotherus, Dani primi Regis filius, qui fratrem suum Humblum insidioso bello captum, regni depositione spiritum mercari coēgit: regnumq; scelere partū ita auspicatus est ut nequaquam tolerabiliorem Regem, quam militem agere uideretur. Siquidem illustrissimum quenque uita, aut opibus spoliare, patriamq; bonis ciuibus uacuefacere, probitatis loco duxit, regni æmulos ratus, quos nobilitate pares habuerat. Simili quoque fraternæ felicitatis inuidia Fengo in fratrem suum Horuendillum Regem accensus, eum insidijs trucidare constituit: at ubi datus paricidio locus, cruenta manu funestam mentis libidinem satiauit. Trucidati quoq; fratris uxore potitus, incestum paricidio adiecit. Deinde atrocitatem facti impudentissimo mendacio excusaturus, affirmabat se fratrem occidisse, ut innocentissimam eius uxorem Gerutham, Rorici Sueonum Regis filiam, ab eius tyrannide liberaret: cum nec maritus illam, nec illa maritum unq; exosum habuerit. Erat quippe illa coniunx tantę mãsuetudinis, ut neminem uel tenui lęsione cōmouerit: sed mitissima, & sine felle fœmina (teste Saxone) omnibus complacebat. Præterea Frotho quintus, cum fratris Haraldi Regis claritate deformem se fieri, contemptumq; sibi strui iudicaret, à quodam familiarium occulte eum interfici iuber, ne quem ætate uinceret, ab eo uirtute superari uideretur. Posthæc, ut innocentiæ sibi fidē pararet, notamq; sceleris euitaret, fœdissimo mendacio usus, latere inuestigari præcepit, quisnam rerum casus inopina rerum clade fratrem sustulisset. Deinde eiusdem fratris liberos uix infantiam egressos, ad mortem corripuisset, nisi ab eorum tutoribus callidior seruandorum pupillorum ratio excogitata fuisset.

Item Rex Ericus cognomento Emundus, ut ad regni ſolium perueniret, non erubuit infami paricidij nota ſe crudeliter implicare. Enimuero fratribus, & nepotibus abſq; ullo humanitatis reſpectu trucidatis, momentaneum regnum, & ſempiternũ opprobrium ſibi uno eodemq; ſcelere infeliciter comparauit: qua etiam arte, atq; impietate ſceleſtiſsimus Abelus fratri ſuo Regi Erico admirandæ ſanctitatis uiro, uitam pariter & regnũ eripuit. Nec ſilet Saxo Haraldi Regis cognomento Blotham tyrannidẽ, qui pecudalibus iugis Danicas ceruices alligauit. Proinde exercitus eius tam probroſi officij contumelia laceſsitus, pro quo pecudũ more iugũ tulerat, arma capere recuſauit. Neq; enim maieſtatis imperio, aut prece adduci potuit, ut eius capiti incolumitatem quæreret, qui omnium ceruices erubeſcenda iuſſione damnaſſet. Sed quid tantum impiorũ, & crudelium hominum catalogum, qui ad immenſum uolumen creſcere poſset, commemorem? Taceatur igitur impijſsima ſanctiſsimi Canuti Regis, atq; eiuſdem nominis Ducis occiſio, tam indigne ab ingratiſsimo populo perpetrata, ut nihil ad ipſum infandum ſcelus addi potuiſſe credatur. Taceatur quoq; quod ſanctiſsimi Reges, Olaus Noruegiæ, Edmundus Angliæ, Ericus Suetiæ, truculenta Danorum machinatione interempti ſint, & inter diuos Martyres relati, ſuos occiſores ſempiterna infamia dignos oſtendunt. Sileantur preterea complures aliæ crudelitates, quę per omnem Danicam hiſtoriam diſperſæ occurrũt, præſertim q; ſeuere ipſi Daniæ proceres in miſeram plebem ſuam dominentur. Quippe ut apud noſtros Sueones, et Gothos nullus omnino naſcitur ſeruus, ita apud Danos tota communitas plebis ad perpetuã, & miſeram ſeruitutem nata eſſe uidetur: adeoq; ab illis nobilibus illa infelicia mãcipia contẽnuntur, & opprimuntur, ut ſæpe accidat, unũ colonum pro uno cane uenatico inter eos per ludibrium uenundari: cogiturq; is, qui ſic uenundatus eſt, cum uxore, & filijs in poteſtatem emptoris concedere omniaq; contemptiſsimi mancipij opera perpetuo ſuſtinere. Hæc autem quomodo uera, & mihi comperta ſint, paucis oſtendam. Cum enim paulo ante mortem Chriſtierni primi Regis, quæ apud Danos in annos Domini M. CD. L X X X I. incidit, per ipſam Daniam ad Germaniã, & Italiam, urbemq; Romã proficiſcerer, ſatis deprehendi, q; miſerã ſeruitutem Daniæ incolæ ſeruire cogerentur, paneq; puluerulento, & potu adeò inſipido uterentur, ut cibus crudeliſsimi Pharonis in oppreſſos Iſraëlitas collatus, ſi Danico uictui compararetur in numero deliciarũ ęſtimari poſset. Imò neq; in nobiliũ curijs delicatior uictus pręparatur, ſed ex Vandalicis ciuitatibus panis potuſq; perenni cõmercio comparatur: quando interea nobis ex noſtris Sueticis, & Gothicis terris, diuinaq; liberalitate omnia pro uoto, atq; abunde ſuppeditãtur. Sufferrent forte infelices Dani patiẽtius tam durę ſeruitutis locũ, ſi eorum nobiles ſaltem à conuitijs abſtinerent. Paſsim enim, et contemptim patrio ſermone Trellos & Trellas appellãt: quod parũ modeſtius ſonat, q; ſi Latine per cõtumeliã dicerent, Fleccos flaces floces: cum tamen ipſimet fœdiſsimę ſuperbię deditítij, atq; ob non ferendã eorum arrogantiam, per cũctas Teutonum terras adeo inſigni odio habeantur, ut Danũ uocari inter grauia conuitia æſtimetur. Danus quippe Cimbrũ (quem Galli latronẽ, & Itali giottonem dicunt) exprimere uidetur. Proinde non raro accidit, ut Dani Teutonũ terras prætereuntes ſeſe non Danos, ſed Noruegianos, uel Gothos, aut Sueones eſſe fateantur. Prouenit profecto tam pertinax odium in Danos, non ob inciuiles Teutonum mores (quid enim Teutonibus ciuilius?) ſed, ut credo, ob hiſtorias Danicas nimis ſuperbe ad æternam Teutonici nominis ſuggillationẽ ſcriptas, in quibus Teutonum ęſtimationem ita abiectam efficere contendunt, ut prorſus indigni putentur, qui cum Danis comparẽtur. Inquit enim Saxo inter cætera plurima, quomodo Helgo Rex Danus apud Saxoniam ingenui, ac liberti necem pari ſumma rependendam conſtituit: perinde ac liquido conſtare uolens, quod cunctas Teutonum familias æqua ſeruitus teneret, omniumq; corrupta libertas parem conditionis ignominiam redoleret. Sed longe grauior, q; ea ignominia, erat ipſa Danica crudelitas, quæ Teutones nouis, & horrendis ſupplicijs ſæpius affligebat. Narrat Saxo de Rege Nicolao, qui ad preces cuiuſdam Haraldi ſanguinarij uoluptatis loco duxit, Teutones abſciſsis naribus deformes efficere. Similiq; uoluptate affectus Valdemarus eius nominis tertius Rex, non ſolum nares, ſed aures à magna Teutonũ multitudine abſcindens, ſummopere lætari uidebatur, quod cruenti tyranni nomen à tã cruento, atq; infami facinore contraxiſſet. Nec ſilet Saxo atrociſsimam Iarmerici Danici Regis tyrãnidẽ, qua Teutones exquiſitiſsimis tormentis ſæpe afflictos trucidauit. Regem nanq;, & Reginã eorũ, à quibus in adoleſcentiæ ætate iure belli captus, & ſummæ libertati reſtitutus, atq; in numerũ, & primum familiaritatis locum translatus, admoto furtim incendio per ſummam ingratitudinem occidit. Deinde Rex Danorũ factus, XL. Teutones captos, applicatis totidem lupis, laqueo adegit. Nec ſic poterat eius ſanguinaria mens ſatiari. Quippe optimates eorũ primo tibias loris traiectos, moxq; immanium taurorũ ungulis alligatos, moloſsiſq; inceſſentibus raptim in cœnum,

uoraginesq; pertractos, lachrymabili spectaculo cõsumpsit. Demum comites, Duces, Principes Teutonicæ gentis captos, traiectis fune tibijs, equis in diuersa raptantibus præbuit lacerandos. Sed nec in ea summa feritate sibi sistendũ putauit. Nam propriam Reginam Hunnorum Regis filiam, quamuis innocentissimam, & pudicissimã, ac pulcherrimã, humi alligatã equinis obterendã calcibus præbuit: cuius corpus adactus iumentorũ grex crebris uestigijs confodit, & lacerauit. Imò etiam suis ex sorore nepotibus insidiosè comprehensis, laqueo spiritum eripere non dubitauit. Optimates quoq; qui eorũ tutores erant, conuiuij simulatione contractos, eodem exemplo consumendos curauit, nihil minus Teutonico nomini infestus, q̃ Frotho quartus Danorũ Rex, qui in Saxones adeo insolẽter (inquit Saxo) imperabat, ut primo pro quolibet homine, deinde pro cubitalium membrorũ quolibet, indicem seruitutis stipem quotannis pendere cogerentur. Demum pro singulo mẽbro tributa pendentes, non minore ignominia, quã seruitute à Danis opprimebãtur. Nec silendum est Gotrici Gormonis superbum imperiũ, de quo Saxo sic scribens ait: Gotricus inter cętera factorũ monimenta, hãc quoq; Saxonibus tributi legẽ indixit, ut eorũ duces, quoties apud Danos regni mutatio obuenisset centũ equos niuei coloris suffecti Regis initijs dedicarent. Quod si nouũ Saxonibus ducẽ uariata rerũ successio peperisset, is quoq; prędictę pensionis obsequio potestatis principiũ Danicę maiestatis titulis inclinaret, eiusdemq; gentis Danicę fateretur imperium, & subiectionis suæ solenne præberet initium. Idẽ quoq; Gotricus Frisonibus adeò inusitatum, & intolerabile tributũ imposuit, ut nihil enixius uoluisse uideretur quam per inauditam crudelitatem omnem eorũ terrã omni ære spoliatam, penitus desolare. Miorq; Saxonẽ historicũ non erubuisse, tam fœdã tyrannidẽ in sua scripta retulisse. Sed nec tolerabilior tyrannus erga eandem Frisicam gentẽ erat Haraldus secundus Rex, qui eius Principem Vbbonem compedibus constrictum, in triumphũ duxit, Germaniamq; usq; ad Rhenum uarijs cladibus afflixit. Canutus quoq; eius nominis VI. Danorũ Rex, Prutenos, Pomeranos, Ditmertzios, & Holsatos, nõ minus ignominiosa, q̃ durissima, diuturnaq; seruitute oppressit. Pręterea Rex Valdemarus secũdus, prędicti Canuti frater, Liuonię, & Estię incolas ad perpetui tributi pensionem adegit. Sed quid intolerabilia tributa, & miserã seruitutem à Danis in uniuersam Alemanniam, & singulas eius partes commemorare contendam: cum illa inhumanissima feritas, qua Ericus secundus Alemannos discruciatos trucidauerit, omnẽ fidem excedere uideatur. Nam Dani, quo uiolẽtiore eos morte (inquit Saxo) consumerent, reuinctis post terga manibus, palis primum affigendos curabant, deinde uentrium caua cultro rimati, nudatis extis, primaq; uiscerum parte protracta, cætera stipitibus explicabant: nec ante supplicium remiserunt, quam tortos, extis funditus aluo egestis, spiritum perfundere coëgissent. Item nunc quicunq; estis, Danicę societatis consultores & crudele Danicæ feritatis ferrum in uestra, atq; innocentium ciuium uestrorum uiscera accelerantes, confœderationem cum ea gente, quę publicũ totius Europæ odiũ in se contraxerat, sine mora contrahatis. At fortassis hic nonnulli Põtificum mihi respondentes, dicant: Esto quod Dani sint cruẽti, sint sanguinarij, sint omniũ, quos totus orbis produxerat, pessimi, & sceleratissimi: tamẽ nõ audebũt in Christi Ecclesiã, & clerũ, multo minus in Põtificiam dignitatem tã cruentas manus extendere. Sed audiant illi, qui sibi tantam libertatem persuadent, non quid ego, sed quid Saxo de Danorum Regum in Christum, & Christi Ecclesiam impietate dicat: & primum de Erico primo, quem omnes Danicę historiæ cognomento impium uocant. Hic (inquit Saxo) utinam in abolendo Christianismi cultu temerarium Regneriani spiritus non egisset hæredem. Siquidem religiosissimum quenq; aut supplicijs insequi, aut rebus exuere, exilioq; multare perseuerauit. Cæteræ autẽ Danicæ historiæ, quarum autoribus pulchrum & egregiũ uidetur, atrocia suorũ tyrannorũ facinora atrocioribus scriptis extendere, ita habent: Ericus fidei Christianæ persecutor, ecclesias desolauit, altaria subuertit, ecclesiarum prouentus fisco applicuit, Episcopos occidit, tyrannidem in Gallos, & Alemannos exercuit, Cæsarem Ludouicum, & Brennonem Brunsuicensem ducem trucidari fecit, Frisiosq; ad turpem seruitutem, & grauissima tributa pendenda coëgit. Præterea Rex Gormo (teste Saxone) semper infensi erga religionem animi existens, Christicolarum, perinde ac teterrimorum hominum, respectum extinguere cupiebat, omnesq; huiusce normę participes, uarijs iniuriarum generibus fatigatos, quibus potuit calumnijs insequi non quieuit: quinetiam templa à religiosis condita, tanquam aliqua sacrilegia impietatis domicilia, ab imis fundamentorum partibus demolitus est. Deinde Sueno eius nominis primus Danorum Rex, prosperam (ut testatur Saxo) in diuina sæuiendi occasionem sibi uenisse gauisus, totam religionis stirpem ab radice conuulsit: eoq; autore Dani susceptum diuinitatis cultũ repetita superstitione mutarunt. Nec Sueno tertius in Christi Ecclesiam, & Dei ministros minus seuerus fuit, de quo idem Saxo sic habet: Sueno properantẽ à Lundensi urbe

Aeschillum

Aeschillum archiepiscopum subsecutus comprehendit, captūq;, quia publica custodia non suppetebat, sub excelsam Laurentianæ ædis testudinem in corbe, perinde ac gallum gallinaceum attollit, eiq; templum ergastulo fecit. Similiq; impietate fraternam charitatem uiolās, Canutū Regem dolis, & insidijs circumuentū trucidauit. Nec modestioris animi erat Christophorus primus, quem Danicę historię affirmant nihil prudentiæ ad regni administrationem attulisse: sed omnia per summam temeritatem, atq; impietatem cōfundendo, Iacobum Archiepiscopum Lundensem, uirum utiq; innocentissimum, ignominiosè captiuatū indigno carceri, & uinculis mancipare non dubitauit. Post cuius fata filius eius Ericus Clippingus, omniū tyrannorum pessimus, in Danico regno successit: qui etsi omnium ordinum hominibus intolerabiles iniurias inferret, attamen in illos, qui in clericalem militiam ascripti erāt, adeò crudelis persecutor, & sacrilegus prædo erat, ut filij Israël tutius sub durissimi Pharaonis iugo, quàm infelices Danicæ Ecclesiæ sacerdotes sub hoc Clippingo uixisse credantur. Neq; minore persecutione ab eius fratre Erico, qui illi immediatè in regno successit, opprimebantur. Is enim arbitratus se perpetuæ gloriæ famā ob cleri oppressionem assecuturum, non quieuit, donec insignem pietate uirū Ioan. Grand Archiepisc. Lundensem, fraudibus & dolis circumuentū captiuaret, tetroq; carceri inclusum multis iniurijs afficeret, & cruciaret, quando interea nihil omitteret, quo Magnopolenses uarijs iniurijs, & cladib. afficeret, perinde ac si decorum, magnificumq; esset, cruentam tyrānidem in uicinos & innocentes homines crudeliter exercere. Deinde æquè aduersa fortuna, & sinistra fata dedere Danis Regem Christophorum secundum, qui fœdissimam patris, & fratrum suorū crudelitatem ita superauit, ut ne uestigium quidem humanæ discretionis in se relictum esse ostenderet. Siquidem Daniam, quam ab eis miseram accepit, miserrimā effecit: nobiles quippe, & proceres regni ita oppressit, atq; in ordinem redegit, ut ipsos nihil, aut parum amplius, quàm empta mancipia ęstimare uideretur. Pręterea toti plebeię cōmunitati adeò molesta, atq; intolerabilia tributa imponebat, ut uix nudam carnem turpissimæ seruituti obnoxiam eis relinquere cogitarit. Nec minus seuerus in Pontifices, & totum ordinem clericalem existens, quosdam eorū, qui eius pessimis facinoribus obuiabant, capi, & carcere affligi pręcepit: in quorū numero erat Tycho Burglanēsis Antistes: qui etsi tot uirtutibus illustris esset, quot abominandis sceleribus ipse tyrānus obscurus habebatur, nequaquā tamen euadere poterat, quin ignominiosę captiuitatis incōmoda sustineret. Hic tādem animū, atq; orationem à tam inhumanissimis portentis reuocans, credo abundè satisfactū esse illis, qui asserunt, Danicos Principes nihil prorsus in Ecclesiæ libertatem ausuros. Et si hæc minus sufficiant, offero me ex Danorum historijs iustū uolumen (quod iam paratum habeo) allaturum: quo demū toti orbi persuasum fiet, uniuersos Daniæ Principes (paucis admodū exceptis) semper crudeles fuisse bonorum hominū persecutores. Nec lac lacti tam simile dici potest, quàm ipsi Caligulis, Neronibus, Domitianis, Heliogabalis, Dionysijs, Pharaonibus, cæterisq; similibus, qui sub specie humana feritatem exercuere belluinam. Pręcipuè aūt fuerant Pontificū & sacerdotū carnifices, Christianęq; Ecclesiæ persecutores. Eoq; facto palàm declarauerant, se nequaquam in tam tenui regno sine sacrilegijs, & rapinis uiuere potuisse: cum interim nostris Suetiæ & Gothię Regibus, omnia à diuina libertate, & regionum felicitate, adeò abundè suppeditētur, ut nequaq̄ necesse habeant clericorum, & monachorum semicinctia pro suo statu conseruando perscrutari: tantumq; abest, ut ob egestatē aliena regna, nulla lacessiti iniuria, contra ius, & fas inuadere cogantur. Probat eam Danicam inopiam Saxo, cum asserat, ipsam Daniā esse paruulā & angustam tellurē, passimq; ostendat, eius præsides sine piratica, hoc est, marino latrocinio uiuere non posse. At si quis mihi obijciat, dicatq;: Tu'ne illos inopes, atq; miseros affirmare audeas, qui sibi in suis chronicis tam uulgaribus, quàm Latinis, tantam rerum gestarum claritudinem ascribunt. Siquidem illic apertè deprehendes, quomodo omnes nationes tam remotas, quàm propinquas, magno, atq; præstanti animo sui cōparatione contemnant. Illic quippe uidebis Germanos, Teutones, Sclauos, Vandalos, Saxones, Obotritos, Holsatos, Pomeranos, non modò ut tributarios, sed ut uilissima Danorū mancipia ęstimari: ibi Curetes, Pruteni, Samogethi, Liuoni sępe sub iugum, uti abiecta pecora, à Danis missi leguntur: ibi Flandros, Hollādos, Fresios, Vestphalos, perinde ac imbelles homunciones sępe subactos, & ad intolerabilia tributa Danis pendenda compulsos, inuenies: pręterea Scythas, Moscouitas, Estios, Tauestios, Finlandos, Carelos à Danis in triumphum ductos cōspicies: ibi Carolus Magnus superatus, & tota Francia non semel, sed sæpe manus uictas uictricibus Danorū armis porrexisse legitur: ibi Valentinum Imp. à Danis occisum, urbemq; Romā funditus euersam, & totam Italiam desolatam aspicies. Quinetiam eædem historiæ uniuersas Europæ nationes usq; ad mare Mediterraneum, Danis tributa præbuisse commemorant. Nec silentur Scoti, quos Saxo in uita Suenonis primi efferatos barbaros per contemptū uocat. Anglos

quoq;, & Hybernos talibus historijs prosequuntur, ut eos in primo imbellium hominum loco æstimasse uideantur. Et ne omnia adducere uelle uidear, unum saltem Danicæ historiæ uersum summatim adducam: Vincit opus famam, nec sermo suppetat actis. Illudq; Ouidianum carmen ex primo Fastorum libro sibi attribuere uelle uidentur:

Quicquid ubiq; uides, cœlum, mare, nubila, terras:
Omnia sunt nostra clausa patentq; manu.

Est igitur attendenda Danici sermonis consuetudo, qua homines illi rerum à se gestarũ gloriam petulantius iactare, ac facinorum suorum memoriam uerboso laudum relatu incessanter ostentare consueuerunt. Proinde, quantum in me fuerit, non patiar æquo animo, ipsos inanem suam gloriam cum tãto cæterarum gentium uituperio exaggerare, præsertim quia (ut ex testimonio Saxonis dicere cœpi) mentiri & fallere, inter uitia sordesq; non ducunt. Fatetur quidẽ ipse Saxo in suis historijs, Danos a' Sueonibus sæpe subactos fuisse, totiesq; fidem præstitam turpiter uiolasse. Primò cum Hotbrodo Sueonum Regi manus uictas porrexissent, seq; iureiurando illi obligassent, præsides ab eo immissos, missis per oppida satellitibus, insidiosè, ac perfidè trucidauerunt. Deinde altera uice Dani à Suecis sub iugum missi, Hiartuarum Gothorum satrapam sibi medio iureiurando Regem constituere, & non longo pòst tempore rupta fide occiderũt. Ob quod facinus Saxo suis Danis egregiam laudem tribuit, eosq; ad sydera usq; extollit: at in alio loco Saxones simili clade Frothonẽ quartum Danicum tyrannum afficientes, multo uituperio afficere non omisit: Etsi, inquiens, patriæ libertatem quærere perutile uidebatur, ad hanc tamen dolo, ac proditione contendere non licebat. Nec tertiæ deditioni, qua Hotherum Suetiæ Regem sibi præfecerant, integriore fide satisfecere. Eo siquidem per summam perfidiam secluso, Balderum quẽdam promptissimis suffragijs sine cęde, & sanguine substituerunt. Tam ancipiti (inquit Saxo) censura maiorum nostrorum sententia fluctuata est. Verebatur fortè dicere, corruptam esse suorum Danorũ fidem. Secuta est posthac quarta Danorum subactio, quando Sueones sibi, & eidem suo Regi Hothero ipsos denuò subiecerunt: in qua subactione etsi usq; ad ultima fata Hotheri nimis inuiti perseuerassent, tamen eo sublato, impudentissimum mẽdacium Saxo de Sueonibus scribit: Mortuo, inquiens, Hothero, Sueones perinde ac tributarię sortis onere liberati, Daniam, quam annuis uectigalium obsequijs amplecti solebant, armis aggredi animum induxerunt. O Danice Saxo, hic tecũ iure expostulo, qua impudentia asseras, Sueones Daniæ tributa soluisse, cum ipsi eam tribus suis Regibus, Hotbroto, Hothero, & Rorico successiuè in Suetia regnantibus, & nihil Danici sanguinis in se habentibus, manu armata subiecissent. Deinde tres successiuè Danorũ Reges, siue uerius pręfectos, Horuendillũ, Fengonem, Amlethũ, tributa ad Roricũ in Suetia regnãtem illo ipso tẽpore misisse asseruisti. Itaq; si quis rectè eas Saxonis historias inspexerit, deprehendet ipsas aut cõtradictorias esse, aut Danos Sueonibus tributa, saltẽ per tempora sex Regum, quos nominaui, attulisse, exceptis aliorũ Regũ tẽporibus, qui sparsim per Danicas historias continentur. Quinta deinde Danorũ subactio à Saxone ponitur, qua Atislus Sueticus Rex totã Daniam, usq; ad Slesuicũ penetrãdo, subiugauit: prostratoq; in singulari certamine Frouino Slesuicensi duce, non quieuit, donec priuatæ uictoriæ publicã iungeret, passimq; diuulsa Danorũ agmina profligaret. Sed cũ putaret uictos promissę fidei rationẽ habituros, fraudibus & dolis eorũ, nisi in Suetiam reditum accelerasset, circumuentus occubuisset. Idẽ quoq; Erico Frothonis filio, Sueonũ Regi, apud Danos cõtigisset, postq; eorum Regem Haraldum tribus deuictũ prelijs, quarto occidisset, Daniamq; Sueonũ imperio sexta uice subiugasset. Proinde Hacho Sueticus atrocissima iniuria prouocatus, sempiternã Danorum subactionẽ (teste Saxone) tanta seueritate prosecutus est, ut occiso eorũ Rege Sigaro, uictoriaq; in crudelitatẽ uersa, promiscuę cędis auidus, nihil conditioni, aut sexui deferendũ putaret. Sed neq; miserationis, aut uerecundiæ respectui indulsit, quominus fœmineo ferrũ cruore respergeret, matresq; cum liberis cõmuni stragis sæuitia uiolaret. Præterea Haquinus Ringo Suetiæ Rex, cui Saxo octauã Danici regni subactionem attribuit, antequã Danos sub iugum mitteret, triginta millia nobiliũ Danorum, excepta plebeia multitudine (cuius numerus comprehendi nequiuit) uno prælio extinxit. Deinde cum ad memoriã reuocaret, quòd duo Dani pridem contra singularis certaminis legem Atislum Regem per insidias turpiter trucidassent, & nihilominus se tam superbè efferrent, ut unũ Danum duobus Teutonicis cõgredi, & præualere posse iactarẽt, iussit ut, perinde ac effœminati uiri, Hethã uirginem loco Principis obseruarent. Sed nec Ringoni, nec Hethæ diutius paruerunt, q̃ Danica fides (quę citius quauis araneæ tela rumpi consueuit) integra permanebat. Postremò Ericus Victoriosus Sueonum Rex, cum ad nouam subactionem Danos (teste Saxone) coẽgisset, toto septennio illis imperabat. Sed cũ tandem eorũ fluxam fidem suspectam haberet, nec placeret ei in tam tenui regno cũ maximo uitæ periculo com-

morari,

morari, ad Suetiam reditum accelerauit. Itaq; ex confeſsione, & teſtimonio Saxonis (quem obiter inſpexeram) ſatis probatum habemus, quod Dani, ſaltem nouies à Suecis uicti, ſubactiq; ſint: quanq; dubium non eſt, quin apud Saxonem, & cæteras Danorum uulgares hiſtorias ſæpius inueniantur à Suecis ſubiugati. Imò etiam in Gothicis, ac Sueticis geſtis paſſim intueri licet, quomodo Dani plusq; triginta apertis, & iuſtis bellis ſub iugũ Sueonum miſsi legantur: at uiciſsim Dani, ſi unquam Sueonibus pręualuiſſe, aut eos uiciſſe deprehendantur, id nunquam aperto, & honeſto Marte, ſed dolis, inſidijs, mendacijs ſuperiores euaſiſſe, adeo ut aliquando per tales technas coëgerint Attilum modeſtiſsimum Suetię Regem quod eis latrantẽ belluam in Regem præficeret. Quo facto quid aliud eum aſſequi uoluiſſe putemus, ꝙ ut plenus ſuperbię populus, inſolentiam ſuam manifeſtius puniri cognoſceret, dum obnoxius latranti uertices inclinaret? Et ne quid contumelię deeſſet, ſatrapas procurauit, qui ſub eius nomine (eſt enim Raccho appellatus) priuata ac publica negotia tuerentur: cuius etiam iugi, conſtantiq; cuſtodię diſtinctos procerum ordines applicabat. Statuit inſuper, ut ſi quis aulicorum ducis ſui deſpicabile duxiſſet obſequium, uarioſq; diſcurrentis inceſſus plenis uenerationis obſequijs inſequi ſuperſediſſet, mẽbrorũ clade ſupplicia lueret. Hæc etſi Saxo diſsimulet, aſſeratq; iſta illi cani, quem Gunuarus Sueticus Noricis prępoſuit conuenire, attamen uerius de Racchone Danis præfecto affirmantur, qui iuxta alias, et uetuſtiores Danorum hiſtorias, à canibus diſcerptus interijt. Quibus autẽ ingenijs patriam noſtrã Suetiam oppugnare & expugnare contendant, paucis (ſi potero) aperire curabo. In primis igitur apud omnes nationes tã remotas, ꝙ propinquas, perſuadere nituntur, ipſum Daniæ regnum adeò amplum, inclytum, potens, ac forte, & inexpugnabile eſſe, ut nullũ ſit in tota Europa, quod ei merito poſsit comparari. Afferunt ad id probationes cõplures, atque inanes titulos ſuper gentes & nationes, à quibus nec hilum, nec pilum in ſubiectionis teſtimoniũ aſſequũtur. Qui enim Sueci, ſiue Sueones? qui Gothi? qui Vandali? qui Sclaui? qui Ditmertzi? qui Holſati? qui Oldemburgenſes? qui Delmenhorſtij? qui Sleſuici non detrectent, imò etiam ꝙ maxime contemnant, Danico nomini uel in minimo obſequi? ut ſuam arrogantiam teſtatiorem efficiant, eorum titulis ſuperbius, ꝙ uerius abutantur. His ſibi miris modis complacent: his imprudentium Principum confœderationes ſibi conciliant: his illuſtriſsimas Regum affinitates, & magnifica matrimonia importune impetrant: his deniq; ſe inclytos, glorioſos, inuictos, & ex omni parte beatos exiſtimant. Nec deſunt eis aliæ artes, quibus Daniam ſuam apud exteros & ignaros populos amplificent: inter quas etiam locum habet illa impoſtura minimè negligenda, qua apud eos religioſi Franciſcani, & Dominicani noſtras terras inurunt. Nam cum primum ex Danicis inſulis ad nos perueniſſent & hic nonnullos ſui ordinis homines inuexiſſent, cœperunt noſtras regiones Danicæ prouinciæ nomine defœdare, arbitrantes ſe titulos regnorum noſtrorum, cum aliquot gurguſtia in eis extruxiſſent, tollere poſſe, perinde ac in Moſcouiam, Poloniam, Tartariam, Scotiam duos, uel tres ſuæ regulæ conſortes immiſiſſent, mox Dania ex rana Aeſopiana in Lucam bouem excreuiſſet, & tot nationes, & regna ſuo nomini aſcripſiſſet. Cenſeo igitur ad uos Pontifices & proceres ſpectare, ut titulus ille Dacicus parum honeſtus, à noſtris terris penitus explodatur: ſintq; illi fratres, qui nobiſcum commorari uelint, appellatione Gothicæ, uel Sueticæ prouinciæ contenti: qui autem ſecus fecerint, confeſtim cum ſuo Danico nomine in Daniam retrudantur, uicturi ibidem iuxta Danicas leges & conſuetudines, quæ à noſtris moribus, & iuribus adeò alienæ ſunt, ut citius cœlum terræ miſceatur, quàm Gothi Danicas leges, quæ nil niſi tyrannidem ſapiunt, uel in minimo imitari, uel æſtimare uelint. Sunt præterea non paucæ aliæ artes, quibus Dani ſibi longe plura arrogant, quam tolerari, ignoſciq; poſsit. Quamobrem operæpretium fuerit eas ita reprimere, ut de cætero ſuos terminos, ſiue illos inanes titulos, abſq; uicinarum gentium iniuria extollant, cum nullus ſit Suecus, ſiue Gothus, aut Teutonicus, qui non potius uelit Tartarus, uel Scytha, ſiue Turca aut neſcio quis immanis barbarus, quam Danus appellari. Diſtribuit quidem Saxo ſuam Daniam in tres partes, quarum Ortiuas Schoningiam, Occiduas uero Iuthoniam, quæ à Iuthonibus habitatur, affirmat, mediãq; Selandiam collocat: nõ negat tamen idem Saxo, eandem Iuthoniam ad Saxoniam uerius, quam ad Daniam pertinere, cum aſſerat, Helgonem Daniæ Regem ipſam olim à Saxonia eripuiſſe, & Daniæ adieciſſe. Eademq; imò debiliore ratione Dani Schoningiam à regni Gothiæ integritate abreptam occupant. Quod autem in medio eſt, adeo exiguam Danicam oſtendit, ut ne nomen quidem regni mereatur, præſertim cum nullam in ſe Metropolim, ſine qua regni titulus eſſe nequit contineat. Fatentur enim Dani in ſuis titulis, Lundenſem Metropolim ad Gothiæ regnum pertinere. Quos enim alios Gothos, quàm Schoningianos habent, à quibus ſibi titulum Gothicum minus iuſtè arrogãt? Oportebit igitur, quod aut deſinant ſe de illo alieniſsimo titulo efferre, aut fateantur ſe nullã in Dania Metropolim habere. Sed nequaquam credendum eſt, quod Dani

talem ſuæ patriȩ anguſtiã confiteri uelint, quin potius ipſam callidè diſsimulantes, ampliſsi
mam, potentiſsimamq́;, & omnibus in circuitu regnis iure dominari, quantum poterunt,
perſuadere contendant. Deinde cum ſe id ſatis perſuaſiſſe crediderint, nõ ui leonina, ſed aſtu
uulpino noſtros Sueones, ſiue Gothos adoriuntur. Nam cum compertum habeãt, nullam
prorſus gentem tam liberalem in aduenas & peregrinos eſſe, q̃ ſunt noſtri Sueci & Gothi,
ut idem Saxo Danicus confitetur, cuius hæc uerba in uita Regis Suenonis tertij inueniun-
tur: Neq; enim, inquit, ulla gẽs exules promptius recipit, quàm Suetica. Idemq́; ſocius meus
Albertus Crantzius in principio ſuarum hiſtoriarum teſtatur, dicens: Quamuis omnes Hy
perboreæ gentes hoſpitalitate ſunt inſignes, præcipui tamẽ ſunt Sueones, quibus eſt omni
probro grauius, hoſpitium negare tranſeuntibus, ita ut ſit certamẽ, quis aduenam hoſpitio
excipiat: cui gratuita liberalitate omnia exhibent hoſpitalitatis iura, quotquot diebus per-
manſerit: egredientem commendant amicis in itinere, quod inſtituit, cõmorantibus. Proin
de tria hominum genera, & ea quidem pernicioſiſsima, frequentiſsimè in Suetiam à Dania
commigrare ſolent: in quibus primi ſunt adoleſcentes ſcholaſticis diſciplinis addicti, qui
paſsim, ac magno numero ad noſtra gymnaſia accedunt, prȩtextu quidem, ut bonis literis
operam impendant, re autem uera, ut exploratis noſtrarum regionum ſemitis & diuerticu-
lis, ad ſuas terras reuertantur, ducesq́; hoſtium noſtrorum effecti, arma in nos, pro noſtra im
prudentia, ne dicam ſtulta beneficentia, conuertant. Secundi uerò nõ minorem in noſtram
Rempub. perniciem afferunt milites illi, qui maximo numero ad nos ex Dania omni tem-
pore, prȩſertim cum nullis bellis urgemur, perueniunt: hi cum ſciant ſe nequiter humiliare,
omnia pro ſuo uoto à nobis, ô proceres, facilè conſequuntur: his prima fides & familiaritas
apud nos tribuitur: his publica & ſecreta negotia, ac conſilia, à quibus maxima regni ſalus
dependet, committuntur: his deniq; (cum ſint crudeles ſanguinarij, & maximè nouerunt
ſubſtantiam fidelium ſubditorum ueſtrorum uſq; ad carnem & oſſa extorquere) amplæ ad-
miniſtrationes, ſiue prȩfecturȩ creduntur: in quibus quàm ſuperbè, auarè, ſceleratè uiuant,
piget, pudetq́; dicere. Et demum poſtquam per illam ſummam, & non ferendam crudelita-
tem ſuam ex fidelibus ſubditis ueſtris rebelles, ac pertinaces hoſtes uobis effecerant, diſcor-
diasq́;, & ſeditiones, ac impacabilia odia inter nos ſeminauerant, cõfeſtim in ſuam Daniam
eorũdem ſubditorum ueſtrorum ſudore & ſanguine locupletati, auolant, auerſum ſcutum
de cȩtero, quoad uixerint, in noſtram imprudentiam, noſtrasq́; terras geſtaturi. Prȩterea ter-
tij generis homines ex illa magna monachorum multitudine conflantur, qui cateruatim &
quotidie ex Dania ad nos accurrunt: hi noſtræ Reipub. tanto magis nocent, quanto maiorẽ
pietatis ſpeciem prȩ ſe ferunt. Quippe interim, cum ſuorum ordinum monaſteria circum-
ſpiciant, & nobilium, ac procerum regni conſcientias per confeſsionis ſacramentum exami
nent, quicquid ſecreti uſquam in ſenatu, uel alibi latitat, aſtutè deprehendunt, ſuisq́; Danis
(ut non rarò compertum eſt) aperire feſtinant. Nec ſilenda ſunt illa meritoria ſcorta, quȩ in
modum magni & fœdiſsimi gregis ex Danicis inſulis ad nos erumpunt, nec prius quieſcũt,
donec noſtros nobiles & adoleſcentes ſuis illecebris irretitos, ad rapinas, ſacrilegia, homici
dia, paricidia, proditiones, cȩteraq́; abominanda & nefaria facinora, prout prȩceptum à Da
nis acceperant, pelliciant. Sed hic aduertendum eſt, nullum hominum genus ex his, quȩ nu
meraui, pernicioſius in nos, & Rempub. noſtram eſſe, q̃ illos, qui matrimonia, affinitatesq́;
inter Sueones & Danos perſuadent. Enimuero ex hac peſtifera radice, quicquid bellorũ &
diſſenſionis, quicquid odij & rancoris cum Danis gerimus, originem, fomentumq́; trahit:
hinc illa ingens multitudo proditorum in patriam conſurgit, qui ſub pallio & nomine Sue
tico animum Danicum occultantes, plus detrimenti, quàm reliqui omnes extranei inimici
nobis afferre conſueuerunt. Proinde Reuerendiſs. Pontifices, & Illuſtriſs. Proceres, oro, ob-
teſtorq́; uos uniuerſos, et ſingulos, ne minorem prudentiam adhibere uelitis, ut patriam no
ſtram, fidelesq́; ſubditos ueſtros defendatis, quàm Dani omnem calliditatem inquirunt, ut
nos circumuentos expugnent: & quemadmodum illi dolis, fraudibus, mendacijs, periurijs
uos adoriuntur, ita uos uigilantia, diligentia, domeſticaq́; concordia eis reſiſtere curetis, &
ante omnia decernatis, ne tãta exploratorum turba, pernicioſaq́; hoſtilis gentis colluuies in
uiſcera noſtræ Reip. & ſuper capita fidelium ciuium ueſtrorum ámodo admittãtur: ſitq́; lex
firma, & ſempiterna, ne quis ſcholaſticus ob diſciplinam, neq; miles ob militiam, neq; ullũ
monachorum genus ex Dania ſine ſpeciali Principis gratia terras noſtras unquã ingredia-
tur: at illæ lamiæ, ſiue harpyiæ Danicæ, quæ corrumpendæ Sueticæ iuuentutis cauſa aduen
tare ſolent, ſine ulla mora fuſtibus affectæ reijciantur. Coniugia uerò noſtræ gentis cum Da
nis tanta legum ſeueritate prohibeantur, ut quicunq; uir, ſiue mulier ex noſtris Suecis, ſiue
Gothis, uel Finnonibus, matrimoniũ cum eis cõtraxerit, mox omni nobilitatis titulo, & ho
nore priuatus habeatur, omniaq́; prædia & poſſeſsiones eius ipſo facto ad coronã regni de-
uoluta

uoluta cenſeantur. Hic fortè aliqui ſe mihi obijcientes dicant: Ergō nobis cōtinua bellā &
odia cum uicina Danorum gente perſuadere contendas. Quibus reſpōdeo, me nequaquam
id moliri, ſed quòd Dani ſuis terminis contenti, tandem deſinant noſtra patientia, & noſtri
populi ſimplicitate abuti. Vobis tamen, ô Senatores, omnibus modis conſulo, ut potius cū
eis honeſtum bellum, q̄ turpem pacē habeatis. Enimuero quotieſcunq; inter Suecos & Da
nos aperto Marte pugnatū fuerat, toties Sueci uictores euaſerant, & Dani uicta colla iugo
eorum ſubmiſerant: ſi uerò controuerſia per comitia, & conſilia tranſigenda fuerat, ſemper
noſtri populi, cum nihil niſi ex candido, & bono animo agere uoluerant, Danicis artibus
decepti, & deluſi fuerant: confeſtimq; ad arma proſilientes, pacem, quam imprudente credu
litate amiſerant, acerrimis bellis recuperant. Itaq; longè utilius, honeſtiusq; nobis ſemper
fuerat, nullos pacis tractatus cum Danis habere, q̄ fluxa eorum fide, literisq; & ſigillis, ſiue
magnificis promiſsis, quibus nos miro artificio, & frequentiſsimè irretire conſueuerant, cir
cumueniri. Sunt apud eos tam uafra ingenia, tam aſtuta ad fallendum conſilia, tam intrica-
tæ fraudes, omneſq; artes, quibus bonarum mentium homines facilè capi ſolent: & hęc om
nia blandiſsimo colloquio, præſertim quando nos fallere intendant, abſcondunt. Cū enim
nobis, & noſtris dixerint: O gratioſi domini, ô ſuauiſsimi fratres, ô dulciſsimi amici, ô chariſ-
ſimi uicini, confines, & affines, nullis mortalibus poſtponendi, nos una caro, uīa gens, una
ſocietas ſumus: ſi confœderati fuerimus, nullus hoſtis nobis reſiſtet, omnes inimicos no-
ſtros facilè ſuperabimus, & quicquid nobis obuiam iuerit, ſine aliquo negotio obruemus.
Hæc palam omnibus loquentes, plurimos in ſuam factionem ſeducunt: de quibus, clam in-
ter ſe ridentes, dicunt: Cum plenam occaſionem nacti fuerimus, confeſtim abciſa iſtorum ca
pita, quo turpiore eos morte cōſumamus, igni ſocianda curabimus: literas, ſigilla, promiſ-
ſa, iuſiurandum, & quicquid nos ipſis obligare poteſt, callidè contra eos interpretabimur:
crimina horrenda mortuis imponemus, & eadem noſtris hiſtorijs tanquam ueriſsima aſcri
bemus: coniugeſq; eorum unà cum liberis ab omni hæreditate ſecluſos proſcribemus, aut
inter uiliſsima ſcorta proſtituemus: & demum omnem occiſorum ſupellectilem inter nos
diuidemus, ut Sueticis diuitijs onuſti, in noſtram Daniam reuertamur. Hæc autem occultè
inter ſe conſtituentes, uehementer cauent, ne quis Sueonum ſubdolas eorum machinatio-
nes deprehendat, ipſaſq; in autores retorqueat, donec ſcelerata conſilia ſceleratiſsimo effe-
ctui manciparint. Nec putandum eſt illam gentem Danicam alijs armis terras, & regna un-
quam expugnaſſe, uel impugnaſſe, ſed ſemper in regnis expugnandis domeſticas diſcor-
dias prius ſuſcitaſſe, aut ſuſcitandas expectaſſe, deinde potentiori parti ſe coniungentes, alie
na manu magis, quàm propria uirtute deuictis hoſtibus præualuiſſe. Quis enim credere po
teſt, Angliam, Hyberniam, Scotiam, Franciam, Normanniam, Noruegiam, Alemanniam,
adeò inualidas fuiſſe, ut ſolis Danis nulla aliena ope ſubnixis ſuccubuiſſent? quinimò mini
ma harum terrarum tribus Danorum regnis tam multitudine populorum, q̄ armorum, &
diuitiarum potentia, ſi concordiam in ſe habuerit, & ſuis uiribus integrè fideret, præualere
poſsit. Nec putandum eſt Danos tam forti & præſtanti animo eſſe, ut ob aliquam immorta
lis nominis claritatem bella in exteras nationes promoueant: ſed quia nimis macera rura
poſsideant, cōtinuè, & ſine ulla intermiſsione cogūtur ex rapto uitam infelicem ſuſtentare.
Si autem quærat quiſpiam, cur in tot diuerſas marium & terrarū partes ſe diffundant? pro-
fecto inde uenit, quia plurimi eorum, qui Daniam incolunt, aliunde in ipſam aduenire ſo-
lent. Siquidem illę ampliſsimæ nationes, Germania, Anglia, Scotia, Hiſpania, Gallia, Flan-
dria, non rarò magnum malefactorum numerum, tanquam pernicioſam peſtem ex ſuis ui-
ſceribus euomere & proſcribere conſueuerunt: tum omnes illi ſic proſcripti ad alienas ter-
ras commigrare coguntur: eorumq; non pauci ſe ad Danias inhabitandas conferunt, intra
quas perinde ac in ſtrictas, ac miſeras inſulas relegati, uitam utcunq; poſsint conſeruant, &
in omnium nationum incolas, à quibus extorres iudicati fuerant, deſæuiunt, nunc in has,
nunc in illas claſſe bellica inſultando, continuaq; piratica (ut Saxo de eis ſcribit) tam Occi-
duum, q̄ Orientale, ſiue Gothicum mare infeſtant, palamq; ſe Cimbros oſtendūt. In hoc au
tem loco dies prius me deficeret, q̄ iuſtæ querelæ, ſi omnes illas inhumaniſsimas uexatio-
nes commemorare uelim, quibus mercatores omnium nationum ultro citroq; nauigantes,
quadam belluina feritate diſpoliant, uectigalq; adeò intolerabile ab eis extorquent, ut nul-
libi immanius extorqueri poſſe credatur. Imò plerunque accidit, ut totas naues pretioſiſsi-
mis mercibus onuſtas occupent, conficta aliqua culpa in naucleros, qui pro magno mune-
re ducunt, ſi albo baculo in manus dato, uiui abire permittantur. Sed reſtat adhuc alia in-
credibilis Danorum crudelitas (quæ nec inter ullos ferociſsimos barbaros, neque inter
immaniſsimas & rabioſas belluas parem habere poteſt) quam in miſerrimos naufragos
ſine omni humanitatis reſpectu exercent. Enimuerò quemadmodum inter uaſtiſsimum

Oceanum

Oceanum,& nostrum Gothicum,siue Germanicū mare habitant,ita omni tempore impor tuosa eorum littora infelicissimos naufragos iactari cōtingit:quibus cum ex humana com passione opem ferre deberent,extremam perniciē confestim afferre non erubescunt. Siqui- dem ipsi Dani ferocissimi & nefandi nominis,Deo,hominibusq; inuisi,ad eos,qui desperа tis omnibus fortunis semimortui iactantur,tam atrocibus animis turmatim adnauigant, ut lupi in agnos ferocius insilire non possent. Et si illi infortunati naufragi nondū undis un dequaq; obruti,spem aliquam sese ab arenis,& syrtibus explicandi habuerint, nequaquā id eis permittitur:sed à Danis in proram,puppim & foros insilientibus cōtinuò trucidantur, uel in mare,omni spe salutis adempta,præcipitantur:nulla alia culpa cōtra eos adducta,nisi quòd arenæ Cimbrici littoris inhæsissent. Tum desperati nautæ tabulas(ut sors cuiuis faue rit)corripientes,undas insiliunt,infelices uitę reliquias natādo seruaturi. At si fortè in littus uiui peruenerint,mox ab armata Danorū turba inermes,nudi,semianimes,& uix ullas spi- ritus reliquias habentes captiuantur,cęduntur,trucidantur,tantumq; ab immanissimis san guinarijs in miserrimos naufragos desæuitur,ut nullus,cui humani cordis compassio affue rit,tam horrēdam miserorum cladem sine uberrimis lachrymis cogitare posit. Nec rarum est hoc apud Danos exercitiū. Pauci enim dies in singulis annis prætereunt, in quibus hanc militiā in calamitosos non exercent:gaudentq; magnoperè se talibus triumphis diuites,no biles,inclitos æstimari. Ventus enim Circius,omnium uentorum uehementissimus, illuc ferè quotidie adeò magnam naufragorum multitudinem impellit,ut facilè credi posit,tan tum hominum numerum in illis Cimbricis arenis per aliquot secula sepultum,quanti sunt hominū,qui hodie in uniuersa Europa uiui inueniantur. Quippe nō una,aut altera nauicu la,sed ingens nauiū multitudo ex sola Gallia,siue Hispania, ad Cimbricas terras quotannis adacta periclitatur. Simili quoq; fato Angli,Scoti,Hollandi,Flādri,Noruegiani illuc maxi mo numero,et sępe nauigare coacti,uix unquam sine grauissimo hominum,& nauium,om niumq; rerum periculo inde euadūt. Taceo maximas & frequentissimas Frisiorū,Hambur- gensium,Lubicensiū,Magnopolēsium,Prutenorū,Gedanensium, cæterarūq; Vandalicarū terrarum classes,quę sæpissimè infeliciter,rarissimè aūt feliciter Cimbrica littora legūt. Om nes enim,qui ad ea perueniūt,mox illam horrendam uocem sese mœstis auribus audire pu tant:Heu fuge crudeles terras,fuge littus auarū. Propterea firmiter credo,quòd omnes illæ nationes,quarū incolæ,& cōsanguinei tam crudeliter,& per multa secula à Danis spoliati, trucidatiq; fuerant,aliquādo illas atrocissimas iniurias ad memoriam reuocent,seq; mutua & indissolubili confœderatione cōtra Danos componant,ut tandem ipsos una cum omni- bus eorum confœderatis extra illas insulas,quas ob publicam omnium nationū perniciem occupare uidentur,exterminent,& explodant. Tunc(ni fallor)ualde proderit nobis,& uni- uersæ Reipub. nostræ,nullam prorsus societatem cum Danica gente contraxisse,quam nun quam de nobis,uel maioribus nostris bene meruisse deprehēdi,sed omnia mala,quę unquā nos,uel patres nostri passi sumus,ex eius damnosa uicinitate in nostram Rempub. plus ni- mio erupisse. Quamobrem Reuerendi Pontifices,& illustres proceres,satis abundeq; ex prę missis persuasum existimo,q; minimè deceat,aut conueniat,nos cum Danis aliquam socie tatem inire. Quis enim,nisi omnino imprudens,se,& suam uitā,publicasq;,uel priuatas for tunas talibus moribus confidat? Quis dextras suas illis dextris tutò cōiungat, quę à corde, & humana ratione adeò remotissimę sunt? Quis sapiens tot artibus ad fallendum,mentien dum,circumueniendum institutis se committat? Quis mortaliū non summè exhorreat, tan tam non modò in exteros & peregrinos,uerumetiam in proprios eorum ciues, imò in Chri stianam Ecclesiam,Christiq; ministros crudelitatē intolerabili superbia cumulatam? Quis etiam securam cum ea gente societatem cōponere queat,quę tot potentes hostes habere pu tatur,quot sunt in toto orbe Christiano Principes & Magistratus? Quis deniq; Suecorum, uel Gothorum cum illis hominibus honestam confœderationem inibit,qui summæ uolu- ptatis loco ducunt,nos & maiores nostros,patriamq; nostram in suis historijs tanto,& tam miro mendacio fuggillare? Et si nulla alia exēpla essent,quæ uos à Danica societate penitus auertere deberent,saltem illæ atrocissimæ iniurię,quas Dani Noruegiano regno (postq; se illis infelicissimo fato coniunxit)irrogarant. Siquidem Noruegiani,qui pridem diuites,lo- cupletesq; & felices fuerant,nunc ad Danicam societatem adducti, amissa prorsus omni li- bertate experiuntur,quàm miserrimum sit,sese miseris hominibus credidisse. Profectò si minimum uirtutis,aut humanitatis uestigium in Danis fuisset, nequaquam Orchades in- sulas à Noruegia abstractas,Scotico regno dotis nomine in tempore adolescentiæ meæ ad- dixissent, factumq; suum ridiculosius, quàm iustius in suis historijs excusantes,dixissent: Christiernū Danorum Regem,Ioannis,qui ibi in præsentiarum regnat, patrem,cōsensu Da nici senatus Orchades Noruegianas abstulisse:quasi Noruegicus senatus indignus fuisset, qui



qui de abstractione tertiæ partis sui regni requireretur. Si hoc est Regem esse, quid rogo tandem erit tyrannum agere? Consulo igitur, & etiam atq; etiam rogo, & obtestor omnes Suetiæ & Gothiæ incolas, ne unquam fluxę, ac uaferrimæ Danorũ fidei se credere uelint, etiam si illi sese usq; ad poplites submiserint, lachrymasq; crocodili suo more, ut ipsorũ fidem sibi obligent, ubertim effuderint. Si uerò neq; hæc mea consilia, neq; meæ iustissimæ preces admissæ fuerint, tunc omnium ordinum hominibus, qui has nostras regiones incolunt, prædico, quòd illa mellita Danicę linguę promissa in summam & amarissimam amaritudinẽ, non solum eis, qui nunc uiuunt, sed omnibus eorum posteris, conuertetur. Nunc tandem ad orationis calcem accelerans, nõ solum eos, qui in hoc celeberrimo cõuentu assunt, uerumetiam uniuersos & singulos, qui eam unquam lecturi sint, rogo, ne putent me ipsam concitatiore, q; iustiore animo in Danos pronuntiasse, sed plurima eorum facta longè atrociora ex industria siluisse, ne dum ipsis digna dixissem, me prorsus indigna attulisse uiderer. Nec me quisquam quasi nimis prolixa oratione utentẽ increpet: sed ad memoriam reuocet Romanum Ciceronem, qui multò extensioribus actionibus in unum Verrem, atq; alterum Catilinam usus fuisse probatur, totq; Philippicas in solum M. Antonium exaggerat. Ego autem cum innumerabilibus Verribus & Catilinis, Antonijsq; adeò ingens bellum assumpsi, ut si integra uolumina adducerem, nequaquam omnes scelerum formas comprehendere possem, quas Dani in nostram Rempub. intulerunt, aut se illaturos comminantur: qui propterea meritò sustinere debent, se saltem libera uoce perstringi: quãdo sibi liberè permitti uolunt, ut omnibus mortalibus nocere, nullis autem prodesse possint.

LIBRI OCTAVI FINIS.

OLAI MAGNI GOTHI ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS DE BELLIS CAMpestribus

LIBER NONVS.

PRAEFATIO.



VTVMANT plurimi bonę spei homines, expeditis regionũ, ac Regũ truculentissimis prælijs, quibus ferè totus orbis occupatur, propter ingentes prouinciarũ ruinas, ac alia infinita stragiũ incommoda, stabilem quandoq; posse fieri pacem. Sed rursus quàm incerta, ac anxia sit hæc spes, quæ sui mora infinitos affligit, nõ est quòd multis probetur argumentis, cùm ab initio bella, & seditiones semper coaluerãt, atq; (nisi Deus auerterit) mundum nunquam sint relictura, sed aucta maioribus malis, perpetuò quoad hæc humana natura perstiterit, permansura: quam rem tam sacrę, quam profanę historię, atq; poëses, quę bellorũ plenæ sunt, semper fuisse testantur: imò quibus armis, machinis, locis, tẽporibus, ducibus, periculis, & cautelis facta perhibentur, tam generaliter, quàm particulariter passim à multis, tum ueteribus, tum recentioribus fuerat demonstratum. Cùm itaq; in regnis Septent. horrenda semper, tanquam in domo Martiali, ab initio seculi nõn solum cõmuni more cõtra armatos homines fuerant cõmissa certamina, sed & aduersus elementorũ asperrimas qualitates, & tẽpestates oppositę uires, prout annexa tabella, quomodo in uallibus, mõtibus, syluis, campis, aquis, & glaciebus arduissima exercentur prælia demonstratur, successiuisq; libris & capitibus, prout septimo & octauo factum est, ámodo ostendetur. Nec optimus inspector inania hæc iudicet, donec causas intelligat, an talibus calamitate, & cruciatu plenis instrumentis, querẽda sit intima securitas: an paci, quę nihil insidiarũ habet, per amœniora cõpendia Dei uirtute, & uictrice patientia sit consulendũ. Verè tamen fatendũ est, quòd ipsius armis prima facie terretur inimicus, & incipit animo cedere, si se cognoscit similia non habere: quę ueluti in bello sunt necessaria, ita & in pace decora uidentur: attamen imbelles, fragilesq; mortales cunctis beluis efficiunt ferociores.

De gladijs

VALLES.



MONTES.




SILVAE.



CAMPI.



AQVAE.



GLACIES.



De gladijs uersatilibus in rotis.

CAP. I.



ANtiqui Gothi similes rotarum machinas, & gladios uersatiles aciebus equestrium, & pedestrium sæpius infringendis, præcipitem structuri accessum uel recessum, obiecisse reperiuntur, modernoq; tempore, licet rarius solito, ubi locus expostulat, diligenter opponunt: cuius tamen machinæ ratio sic capiatur. Videntur in primis tres rotæ, duæ altiores in axe uolubiles, & tertia inter has media, quæ uni earum mutuis coniuncta dentibus, motum necessarium sua agilitate in bicipiti gladio anteriori stipiti affixo causat: quo quidem gladio sic uersatili lateraliter à peritis motoribus eleuato, & admoto non parum obiectæ acies lacerantur, ac infringuntur. Attamen id caueri solet, ut rotarum radij sint asserculis, seu planis tabulis in latum cooperti ne hastis inter eos inimicorum industria proiectis, rotæ destituantur à cursu. Quantò etiam rotæ sunt altiores, ac agiliores, tantò extensior ipsius gladij ampliatur scissura. Suntq; stipites, seu ligna, quibus dirigitur ensis, trium, aut quatuor pedum longiora, quàm quæuis lancea militaris, ut ab insultu equestrium tutiores eius sint, directores, qui à tergo ballistarijs, seu bombardarijs turmatim muniuntur. Axes uero rotarum pro faciliori cursu citando, inungi solent pinguedine phocarum, seu uitulorum marinorum, igne purgata, ac bene defecata, qualis superabundat apud mercatores Septentrionales: unde diligentia negotiatorum comparata, per uastum mare in uasis magnis incomparabili quantitate tam ad inferiores, quàm superiores Germanos, quæstus & lucri causa deportatur, prout infra lib. de piscibus, præsertim piscatura marinorum uitulorum ostendetur. Hac igitur machina hostili robur plerūq; ueluti uastissimum lignum acuto, & robusto cuneo, uel infringi solet uel in ipsa statione turbari.

De curribus falcatis.

CAP. II.



HAc similitudine curribus falcatis, & hamatis inter præcipuos bellorum apparatus olim usi sunt Sueonum, & Gothorum pugnatores, præsertim in acrioribus prælijs contra ualidissimos exercitus Teutonum, Danorum, & Ruthenorum, eo uidelicet modo, ut exploratis hostium accessibus, quibus uidebantur uenturi, uacuos currus axibus bene unctis in decliuibus montium lateribus firmis trabibus alligarent, saxisq; repletos uelut pendulos pontes in funibus statuerent, folijs uirentibus, aut ramis undique cooperientes, donec hostes præcipiti accessu, trepida simulata fuga, ad obducta discrimina inciterent, atque curuum dissolutorum celeri cursui uel lacerandos subijcerent, aut aciales cuneos infringerent dispergendos. Quo facto & qui prius usi sunt fugere, & aliæ sociales turmæ, siue equestres, siue pedestres, agminatim irruere sole-

bant indispersos, aut resistentes. Curribus demum eisdem ueluti propugnaculis mobilibus, ubi opus fuerat, in reliquis certaminibus semper utētes, eo moderamine inuiolabiliter obseruato, quod curuum directoribus, seu aurigis, duplo maius quam equitibus stipendium, & spolium redderetur. Itidem & his, qui bigas, siue curricula stipitibus lateraliter antrorsum ferratis cuspidibus, hisq; mucronatis inter hostes discurrendo in inuia, ac pręcipitia coarctabant, ueluti de gestis Curtij historiæ hoc modo testantur: Aliorum turbati equi non in uoragines modo, lacunasq;, sed etiam in amnem pręcipitauere curricula. Quod autem antiqui in bigis, aut quadrigis hostes uicerunt, meminit Suetonius in uita Augusti. Quadrigas, inquit, bigasq;, & equos disultorios agitauerunt iuuenes nobilissimi, carros etiam pro uallo obiecerunt.

De eodem.
CAP. III.

QVomodo autem Rex Antiochus Soter dictus, talia Galatarum instrumenta uicerit, apud Fran. Ireni. lib. 6. cap. 45. diffusiua inuenitur. Ait enim, Antiochum cognouisse Galatarum fortitudinem, & ingentem multitudinem, eorumq; phalangas strenue prouisas, ac congruentes: quarum frontes ęrei thoraces protegebant, cum quatuor et uiginti armatis à tergo pręordinatis, cornua uerò equitatus infinitus in medio, cc corpore exercitus eorum currus uidit 80. falciferos, aptos ad insiliendum hostes, & in quolibet curru bis totidem equos coniugales. Hęc itaq; animaduertens Antiochus, omni spe destitutus, dum hostes inexpugnabiles existerent, ipse uerò neq; magnifice, nec secundum belli debitum apparatum proficisceretur, ac ualde modicum duceret exercitum, peltis consuetum, ac leuis armaturę pręditum, in cęteris nudum, ut penè uix midium eius exercitus fuerat, doloribus captus, conditionem pacis cum Galatis eisdem gratis mirè disposuit. Interim à uiro militarium rerum expertissimo illi suadetur, ut 16. suos elephantes seorsum absconderet, donec tibicinibus utriusque canentibus concurrerent exercitus pugnaturi, & pręsertim equites, tunc in eorum medium quatuor elephantos immitteret, ac octo contra falcatos currus: quo consilio euenit, ut Galatarum equi horrido aspectu, & barritu elephantorum perterriti, priusquam iacula attinguerent, quàm celerrime sunt repulsi, & mutuò percussi, peditum spiculis ac hastis confossi, alij equorum ungulis conculcati. Currus uerò stragem in proprios dominos, & seipsos diuerterunt. Hinc uerificatur carmen Homeri:

Currus cum sonitu uerbo sunt tramite ducti.

Sed neq; sacra litera de curribus falcatis tacere uidetur, ubi Iudi. 4. dicitur, Sisaram habuisse nongentos falcatos currus, & per 20. annos oppresse Israël. Præterea in exercitu Alexandri Magni quadrigę equorum omnes falcatę. bigæ 1200. equitum turmæ 30. peditum 300. millia 50. multorum castrensium ad sarcinas portandas duo millia, camelorum dromedariorum, & boum 2000. ad ferendum frumenta, & carnes. In exercitu autem hostis sui Pori Regis Indiæ, 14 millia octingentę quadrigę falcatę, elephanti turrigeri 400. in equis, mulis, & elephantis frena aurea, ita etiam signa militaria, & uexilla ex puro auro. In domo eius solidę columnę aureę: quę omnia uictor Alexander rapuit, & militibus dedit.

De



De æreis equis igniuomis.

CAP. IIII.



NEcq; hoc loco omittẽdũm est, quod Saxo de Regis Regneri astutia, & stratagematibus eius lib. 9. meminit. Inquit enim, Hellesponti Rege Dian post uaria bellorum discrimina occiso, Regnerum à duobus filijs interemptum Dian uidelicet & Daxon, seuera certamina sustinuisse. Ii etenim filij olim Rutheni Regis filias maritali sorte complexi, impetratis à socero copijs, ardentissimo spiritu paternæ uindictę negotium rapuerunt. Quorum Regnerus immensum animaduertens exercitum, diffidentia copiarum habita, equos æneos ductilibus rotulis superpositos, ac uersatilibus curriculis circunductos, in confertissimos hostes maxima ui exagitari pręcepit: quę res tantum ad relaxandam aduersariorum aciem ualuit, ut uincendi spes magis in machinamento, quàm milite reposita uideretur: cuius intolerabilis moles, quicquid impulit, obruit. Potuit fortè Rex iste Regnerus dicere de suis ęneis equis, quod supradictus Antiochus Soter (Luciano teste) de suis elephantibus contra Galatas pugnando, testatus est. Dum enim eiusdem Antiochi principes conuenissent, & uictoriosum Regem nuncupassent, Rex respondit: Verecundiam habemus milites quod nostra salus tantum in 14. animalium terrore sita fuerit. Si autem rem copiosius tractare uolumus, diuina uirtute Galatę conciderunt, quia somnio bono confortatus, audacter ingressus sum prælium, atq; uictor euasi.

De bello isto Ruthenico, Regnero & Daxone.
Ioan. Mag. lib. 17.

Olaus cognomento Tretelia, quamuis per ingentes & penè insuperabiles difficultates ad paterna regna post infelicia patris Ingelli fata peruenit, attamen debile principium melior fortuna secuta, finem regni reddidit gloriosum, cuius initium omnia aduersa polliceri uidebatur. Siquidem Biornus & Iuarus innumeris militum copijs succincti, uniuersam Gothorum & Sueonum Rempublicam tunc pene subuertissent, nisi Olaus singulari prudentia præditus, procerum populorumq; animos, laxatis quàm pluribus tributis & oneribus, quæ priores Reges imposuerant, prudenter & efficaciter sibi reconciliasset. Quo facto & domesticam pacem penitus labefactatam restituit, & uictoriam hostibus (ad quos inclinari uidebatur) potenter confestimq; eripuit. Enimuerò omnem militem, quem pridem pater tumultuariè coëgerat, simulq; auxiliares copias undiq; post patris occasum contractas, in Biornum & Iuarum educere properauit, commissoq; acerrimo & pertinacissimo prælio, uictoriam reportauit. Effectumq; est ea felici pugna, ut Dani uicti, cæsi, profligatiq; in suam patriam reuerterentur, diuq; & ad multos annos Sueonum terras impugnare non auderent. Interim Olaus pacifica tempora nactus, leges & iustitiam ita obseruari mandauit, ut nullus in tota patria diu uiuus esset, nisi qui iustus & innocens esset. Sunt etiam nonnulli, qui affirmant hunc Olauum ad doctrinam Euangelicam, & Christianam fidem peruenisse, & multa pericula, dum eam propagare contenderet, à suis sustinuisse, atq; in finem minimè perseuerasse, proinde offensam diuinam maiestatem ipsum in uarios bellorum casus denuò exposuisse. Vitsercus enim Regneri Danorum Regis filius, exemplo Biorni & Iuari fratrum suorum, ius regnandi in Suetia, quod inde maternum genus duceret, usurpare proponens, non paruam solicitudinem Olauo, qui ob pacis diuturnitatem ab armorum usu desuerat, incussit, faciente illi animos madnitudine Rusiæ principatus, quem nuper paterna uictoria assecutus administrabat. Erat igitur Olaus in graui periculo constitutus, cum ab Oriente Vitsercum, & ab Occidente Regnerum, potentissimos utriq; Reges sibi ingentem

belli molem opponere uelle didicisset. Constituit tamen prius omnia aduersa sustinere, quàm coronam suam in alium, quantumuis potentem transferre. Itaq; magnam Sueticorum militum multitudinem Vitserco ab Ortiuo latere impugnanti obijcere festinauit, ipseq; quàm maximis copijs ex Gothorum regno comparatis Regnero ab Occidua parte irruenti occurrit: in qua quidem parte etsi uaria fortuna pugnauisset, nunc uictori similis, attamen in fine belli superato fugatoq; Regnero, cum gloriosa uictoria in Suetiam remeauit. Sueonum uerò exercitus non æquè feliciter contra Vitsercum Rutheno milite succinctum pugnans, superatur & profligatur.

Deinde Vitsercus partam feliciter uictoriam prosecuturus, prægrandem exercitum ex Russia ad interiora Finningiæ, siue (ut nunc dicimus) Finlandiæ adduxit, omniaq; ferro, flamma, cædibus, direptionibusq; inuoluit. Cuius conatibus Olaus potenter obuiaturus, omnem per Sueoniam, & Finningiam militiam armauit: estq; ad atrox & cruentum prælium deuentum: in quo postquam multum sanguinis hinc inde effusum esset, in has pacis conditiones utrinque consenserunt, uidelicet, ut Olaus filio suo Ingoni filiam Regneri in coniugem assumeret, & Vitsercus Finlandiæ partem Ruthenis collimitaneam possideret. In qua cum se satis securum putaret, dolis Ruthenorum circumuentus occiditur. Daxon enim Orientalium Russorum princeps, cum Vitsercum armis superare diffideret, ad dolos conuersus, pacem cum eo (ut uidebatur) integerrimam effecit. Qua facta, à Vitserco intra confinia sui principatus ad conuiuium inuitatur: paruitq; inuitanti, non ut uices gratitudinis, sed ut mortem illi inferret. Quippe omnia ex fœdere se agere simulans, sub specie mercatorum multos suorum secum introire iussit. Nemo dolos sentiebat: excepti in urbem omnes aduenæ, quasi merces uarij generis importantes: eoq; modo infinita hominum multitudo confluxit: at ubi uespertinum tempus aduenisset, confestim Daxon, & sui arma, quæ occultè inuexerant, corripientes, Vitsercum, & eos, qui cum illo erant, ex insidijs adoriuntur, passimq; in omnes sæuiunt, prosternunt, captiuant, occidunt. Vitsercus admiranda militaris disciplinæ experientia præditus, prius incredibilem hostium multitudinem prostrauit, antequam ab irruentibus Russis poterat comprehendi: cum quo duodecim fidelissimi milites captiuantur: quibus redeundi in patriam permissa optione, eligunt magis cum suo Principe mori, quàm illo deserto uiuere. Deinde Daxon uictor Vitserco uitam ea conditione permittit, si patiatur se parem in imperio habere. Cui ille: Antequam precariæ uitæ usum à te exposcam, aut meum honorem in te transferam, mortem potius, & si quid morte durius fuerit perferam. Igitur Daxon extructo rogo Vitsercum cum captis comitibus uiuum superiecit, & concremauit. Talisq; erat Vitserci exitus, quem Saxo non rectè inter Suetiæ principes adnumerauit. Post cuius fata Olaus diu feliciterq; regnauit, & tandem senio atque ægritudine deficiens, Vpsaliæ moritur, & in Regijs monumentis honorificè sepelitur, relictis post se duobus filijs, quorum primus erat Haldanus cognomento Huitben, hoc est, albi ossis: quem Noruegiani concordibus uotis in Regem elegerunt, gloriantur q; se ab illo Regum suorum posteritatem, siue generationem suscepisse. Alter uerò Ingo, cuius memoriam nunc subijciemus, in paterno regno successit.

Ingo igitur Olaui Regis filius, non solum patris, sed unanimi procerum consensu in regnis Gothiæ & Suetiæ surrogatur. Hic (ut meminimus) accepta in coniugem filia Danorum Regis Regneri Lodbroch, effecit, ut sopitis inter Sueones & Danos prælijs pax, & tranquillitas, quæ hactenus non sine infinita hominum strage fuerat interrupta, restitueretur. Ipseq; Regnerus ob eam pacem de se, & suo regno Daniæ, ne à Suecis impugnaretur, securior effectus, constituit bella ad Occiduas Europæ partes transferre. Itaque præualidam classem uiris & armis instructissimam educens, primum Galliam, deinde Britanniam, Scotiam, Hyberniam uictricibus armis penetrauit. Postea longinquam militiam ingressus, Hispaniasq; præteruectus, non quieuit donec ad mare Mediterraneum longo circuitu peruenisset, omnesq; circumpositas regiones una cum ipsa Constantinopoli diuexasset, & tandem eodem remenso itinere in suam Daniam cum admirabili uictoria redijsset. Interea etiam cum Ingo à Danorum armis securus esset, nec sui Gothi, aut Sueci à bellis quiescere didicissent, ne domestico bello cruentarentur, collectum ex eis exercitum in Russos emisit, qui omnes eius regionis partes ferro, flammaq; ita deuastauerunt, ut à sinu Venedico usq; ad Tanaim paucę domus relinquerentur inustę. Cętera huius Ingonis gesta eodem tumulo, quo corpus eius, obruta fuisse uidentur.

De eodem



De eodem.
CAP. V.

ASserit etiam Vin. in spe. histo. lib. 31. cap. 10. Indorum Regem, qui uulgò Presbyter Ioannes dicitur, grauissimo Saracenorum Aethiopum, uidelicet Christianæ fidei persecutorum, exercitu hostili impetitum, stratagemate prædicto non dissimili sese liberasse. Fecit enim imagines cupreas hominum, & unamquanque posuit super equum: retro quam imaginem in eodem equo hominem directorem collocauit, follem habentem, quo ignem per ordinata foramina excitaret in fumosa materia, intus in prędicta imagine prius immissa. Itaque multis equis, & imaginibus eo modo dispositis contra hostes antedictos (quos & Mongalos, siue Tartaros uocat) strenue processit. Cumque ad locum prælij peruenisset, equos cum imaginibus, ac eorum directoribus (ut præmittitur) ordinatos unum lateraliter iuxta alium in hostilem exercitum pręmisit, pręcepto dato, ut mox ante eorum aciem follibus sufflarent ignem intus fumãtem, aëremque tenebris continuo flatu densarent, quatenus caligine quasi palpabili hostes circumfunderentur: quo euenit, ut sagittis frequentibus impetiti plures perimerentur, aut in fugam repentinam laberentur. Imò refert multos homines, ac equos, igne Græco ibidem fuisse inter tenebras incineratos, aut combustos: qui ignis componitur ex his rebus, mò do suis artificibus noto.

Aspaltum, nepta, dragantum, pix quoque Gręca,
Sulphur, uernicis, de petrolio quoque uitro,
Mercurij, sal gemmæ Græci dicitur ignis.
Item: Sulphur, pętrolium, colopho, resi, terebinthi,
Aspaltum, camphora, nepta, armo, benedictum.

Versibus his etsi quis adhibuerit operam interpretandis, tamen rarò puto uerum eorum sensum comprehendi posse: nec opus arbitror in eorum interpretatione immorandum esse, cum atrocissimum exitum habere uidentur in sui executione.

De pontibus comburendis.
CAP. VI.



INgruentibus bellis acrioribus penes pontes, & flumina terrarum Septentrionalium Gothorum, & Suecorum, hęc prouisio per diligentiores bellorum præfectos celerius opponi solet. Dum etenim impossibile sit hostem æquis armis à pontibus eijcere, uel arcere posse, parantur superiori fluminis situ maximè trabes, lateraliter uiminibus colligatæ: super quas ingentes aridorum lignorum strues, cæteraque combustibilia insigni magnitudine, & horrore reponuntur: quibus succensis, rapido casu fluminis usque pontes dimittuntur continuè comburendos. Nec facilè ardentes illę moles hostium conatu extingui possunt: qui enim struxere flammam, mox sagittas in sublime directas, uiolentius in eos descendere cogunt. Occurrit & aliud ingenium, quo pontes post tergum, uel in insidijs latitantes, uel fugam simulantes disrumpere solent, subtus interscindendo serra, more Cæsaris lib. 2. qui & asserit lib. 6. tantam fieri ducum contentionem propter pontes, ut nedum quotidiana prelia propter eos

subeant,sed & fluminis ripis appropinquantes,coangustati præcipitentur, ut alteri alteris non solum morti mortem exaggerent,sed tumulos tumulis submersorum exequent. Quo casu magno honore ij satellites remunerandi sunt,qui dominos, uel principes suos capillis trahentes,littori restituunt,& libertati.

De materia pontium,& natura uadorum.
CAP. VII.

OMnes ferè pontes in publicis itineribus Aquilonarium regnorum è trabibus potius fabricati uidentur,quàm ex saxis:non quod lapides,aut cementa desunt,sed quod hostium ingressus subita demolitione pontium citius per incolas ad præliandum imparatos arceantur,aut impediantur. Statis tamen territorijs apud Ostrogothos marmorei,aut alterius generis lapidei pontes, mirabilem antiquitatem attestantes inueniuntur. Vada autem fluminum,uti ibidem rarissima sunt,ita & singulari incolarum industria accessuris hostibus immeabilia dispo nuntur. Inuoluunt enim ramosis iuneperorum ramis portatilia saxa, quę instar corbium ad plura millia sub aquas immittunt. Sed ne fluctuum, aut fluminum, uiolentia è loco pellantur,sudibus acutis,ut fundo fortius adhæreant,& hostibus asperius noceant,eadem saxa,ramosq; cōnectunt. In aquis uerò tranquillis longas submergunt abietes,aut pinos semisectos,& acutos habentes ramos, saxorum pondere deprimunt,ut eorum attactu hostes periculosius offendantur. Quidam etiam in angustioribus uadis, ad quę ex insidijs prouocant inimicos, falles ferreas pice linitas,triangularibus saxis alligatos,immergunt.

De bombardis Septentrionalium populorum.
CAP. VIII.



FRequenti satisfacturus quæstioni,an in Aquilonaribus regionibus usus sit bombardarum,atq; an magnæ sint &c. dico singulis hac inutili quęstione curiosius quam discretius uexatis,apud eos homines dura propagine genitos,atq; continui certaminis usu uersatos,nullum deesse tormentum,quo frequentius,ac fortius extero,uel infelicius, ac miserabilius domestico hosti inferant nocumenta : quæ perniciosius in hunc, & iustius in illum (concordia refutata) uertuntur. Sunt autem bombardæ in plerisque ciuitatibus, ac arcibus Suetiæ, & Gothiæ,tantę magnitudinis,ut uas ligneum barile Romanū latitudine,ac longitudine superās,ferreo globo,ac ferreis crustis instar pugilli manus librarum DC. & amplius repletum puluere, & igne excitatum, uehemētissimo impetu ueluti tempestuosus turbo,uel imber emittitur, ut quodcunq; obstaculum uim eius sufferre non possit:idq; nedum in terrestri,sed nauali,ac glaciali (prout infrà dicetur) certamine,quoties opus fuerit,intentatur. Sunt & mediocres,ac longissimæ bombardæ,ferreos globos euomētes. Præterea petrariæ,quæ lapides sub limiori ictu casuros emittunt:eoq; formidabilius fit certamen, quo talibus bombardis(quæ uastitate,& uiolentia cęteras pręcellunt) non uno impetu,atq; horribiliori crepitu,sed succesiuis ictibus in loca quassanda soluuntur: atq; ad earum impulsum pulueres ex disiectis parietibus,uel alijs obstaculis,turbineos uidētur excitare fumos. Quo horrore euenire solet,ut illustres,nobilesq; matronæ ut hostem ab ictu, & sonitu bombardarum auertere ualeant, dicunt se prægnantes, uel in





uel in proximo parituras. Sed respondetur, ut partem arcis eligant, ad quam ictus nullus fiat, lege seruata, quòd cum marito hoste nullam habeat communionem. Verùm hoc negant fœminæ, tanquam conditionem impiam, & turpem, omni periculo acerbiorem. Non enim in periculis modò, sed nec in morte maritum deserere solent, nec quicquam sibi iucundum, nisi cum illo commune, cuius incolumitatem cupiunt, etiam sua calamitate depacisci.

De bombardis triangularibus. CAP. IX.



Bombardarum triangularium apud Sueones, & Gothos, maior aliàs in earum inuentione usus erat, quàm modò reperitur. Poterat enim hac tripartita machina immanis hostilitas acie reparata, sæpiusq; admota dispergi, ubi rotarum obiecta uolubilitate quiuis equestrium impetus condensato agmine accelerans, exigua manu impediretur. Sed fraude doloq; bõbardalium magistrorum quãdoq; euenit, ut pro ferreis globis stupã, uel chartã bombardis imponant, uel hostes audaci aggressu radios rotarum solius hastæ immissione impediant, ne è loco moueantur. Cessatum est ideò ab eo compendio, quo rarior uictoria parta, & frequentior ruina fuit accelerata. Sicut enim nullo instrumento bellico celerior, uehementiorq; more fulgurum, ac tonitruorum in bombardis fieri solet impetus, ita etiam mille dolosis artibus, periculis, & impedimentis, ne effectum habeat, momentaneo casu intercipi solet. Quæ autem, & qualia sint hæc impedimenta, custodes bombardarum expertiores haud ignorant: quomodo scilicet fraudes fieri soleant, siue per hostes, siue per proditores, qui igniuomum spiraculum clauo mox ante congressum occludere tentant, satis est manifestum: imò inter bombardarios altrinsecus se persequentes similes doli frequentius fiunt, ut nimis onerent, uel plurimum subtrahant, uel eleuent, aut deprimant machinas exonerandas, præsertim nouas, nullius examine probatas, aut reprobatas. Igitur triangularibus, aut cuiusuis formæ bombardis, parum spei tribuendum arbitror, cum inscrutabile bellatorum ingenium opportuna remedia opponere nouit, ut sumptuosus ille terror facilius deficiat, quàm feriat in momẽto. Attamen directoris sagacitas, locus, & tempus sunt attendenda.

De bombardis petrarijs. CAP. X.



Similibus tormẽtis saxa iactantibus, obsessi premuntur, & plerũq; oppugnantur: quia nec noctibus, nec diebus aliquid quieti relinquitur, quo tantillulum quid respirationis consequãtur obsessi, imò quod ad immanitatẽ tendit, fimũ, ac peiora fimo, q̃ teterrimũ odorẽ remittunt, sæpius quàm saxa in arces, uel ciuitates iaciuntur. Ne aũt uideatur antiquitas similibus caruisse tormentis, Paul. Diac. Long. hist. lib. 5. cap. 8. machinã petrariam adducit qua uiri cuiusdam insignis, & intrepidi (ob indicibilem constantiã domino proprio inter mi-

nantes mortem exhibitam) excisum caput ab obsidentibus proiectum est in urbem. Præterea apud Gothos aliud proiectionis genus est, ligneum uidelicet, & sublime, quo instar libræ depressæ, uel eleuatæ, pondere saxorum repleto, uiolentissimoq; impetu, & iactu dimisso, intra arces & mœnia grossos lapides, uel putrida animalium cadauera immittunt. Et hoc uulgari Suecorum, ac Gothorum Blida uocatur, quasi neminem lætificans. Blyd enim gentis usu lætus dicitur. Eius itaque machinæ ictu circa annos Domini M. D. Meridionales Gothi in oppido Calmarnensi uehementer premebant præsidia Regis Daniæ Ioannis relicta ibidem, & tandem superarunt, prout sæpius antea factum fuisse annales attestantur. Ibi enim ob collimitaneum regnorum situm, cuiuslibet belli initium, medium, & finis sæpius, quàm in aliqua Aquilonis parte intentatur, ueluti in Italia apud Ianuenses, uel Mediolanenses: rarò tamen armis, aut uiolento obsidentium impetu, uel insultu, sed inducijs, pactis, literis, promissis, tam diuino, quàm humano iure firmatis, sed rarissimè obseruatis, decipiuntur obsessi. Armis tamen fortiter resistendo uincunt: sed ad pacta seditione magis, quàm necessitate respicientes, illicò defraudati superantur. Quòd terreantur emissis globis, exiguus horror, aut metus est. Plures enim urbis, aut arcis uacua receptacula sunt, quàm immissi globi. Veruntamen referente quodam bombardario Gotho stipendiario, didici, Imperatorem Carolum in Africano bello missis in summa 14. millibus globorum distincto tempore, multum terra mariq; obsessos afflixisse, atq; ad ultimum ui armata potentissimo aggressu superasse, quemadmodum non dubito alios eius rei professores dudum in annalibus annotasse.

De organicis bombardis.
CAP. XI.

HAbebant etiam inter alias bellorum machinas populi Septentrionales, hostibus præcipuè equestribus congressuri, bombardas collaterales, more organorum, aut coniunctarum fistularum colligatas, ut eas uel pariter, uel successiuè excitato igne in inimicos relaxatas, citius iterum pulueribus globisq; immissis, opponerent ad omnem motum eisdem inimicis: quibus etsi uili sunt, sereno præsertim tempore, grauia intulisse bella, propriaq; perstrenuè defendisse castra: tamē quia frequentiora, acerbioraq; prelia (prout infra dicetur) euenire soleant in Aquilonaribus regnis tempore horribilis brumæ, dum niues excidunt densiores, quibus bombardarum usus in excitando igne prohibetur: idcirco rarior factus est earum usus in campis, & nihilominus frequentior in castellis, ad arcendos obsidentes. Militaribus etiam uiris ignotum non est, quot ingentissimi bellorum apparatus, & terribiles acies ordinatæ, repentino superueniente imbre, seu nimbo, coruscatione, tonitru, niue, pruina, grandine, tum in faciem, tum in dorsum, dextrorsum leuorsumùe utrinq; cadentes, impediri solent, etiam montanis aquis, & amnibus ex industria resolutis. Præterea quòd ijs malis euentibus etiam pestis, dissenteria (ut supradictum est) pecuniæ, & annonæ defectus accedit: quinimò, quod omnium pessimum est, seditio, proditio, simultas, inuidia, liuor in ducem exercitus, atq; fuga ad inimica castra, & loca insidiosa: quod ij præcipuè student facere, imò pessimis sceleribus inclarescere, qui non possunt, aut cupiunt gloriosis imminere facinoribus, uti plurimorum extant perpetrata monimenta.

De curri-



De currilibus bombardis.

CAP. XII.



IN planis, ac campestribus locis, ubi uel ex condicto, uel electione hostium uel euentu temporum, ac occasionum exoritur præliandi facultas, incolæ terrarum ut fortius inimicum aggrediantur, uel cautius ad tempus declinent, currilibus utuntur bombardis, quæ & currilia castra uocantur: quorum aurigæ non minus, quàm uexilliferi, uel alij exercitus ductores sunt armati, imò & ipsi equi indurato boum corio in collo, & tergore. Quatuor itaq; hac arte periti bellatores, uel plures, exonerandis ex utroq; latere, bombardis deputati, impetum, quem sors dederit, aurigę concurrente ingenio & audacia exercent in hostem, ut à fronte, uel latere discissus, equestribus armatis perfacilè non resistat. Si uerò curriles directores fugere, uel obliquare coguntur, eo situ solis curribus se collocant, ac interpositis clypeis muniunt, ut non aliter, quàm robustissima propugnacula armatis uiribus penetrari ualebunt. Interea tamen iumentis retrorsum alligatis prouident, ut inimicorum sagittis, ac ictibus non lædantur, imò potius eorum agilitate, & usu, ut pecora ab hostibus rapta resumant, incessanter attendunt. Sępeq; euenit, ut hostiles turmæ armenta abacturæ, insidijs structis rapiantur, raptęq; miserabilem captiuitatem incidentes, suam libertatem (si et hæc indulta fuerit) graui ęre redimere constringantur, uel damna damnis aliorum captiuorum relaxatione recompensare. Hæc nanq; uidentur unica bellorum solatia, ut magnitudine prædarum, aut restitutione captiuorum inimicus exultet, uel nimia auiditate pereat, uel stupida custodiendi negligentia confusus abscedat. Carri igitur ante exercitum ut muri, turresq; ante ciuitates, & castella statuuntur, hac sola opportunitate mirabiliores, quod sua mobilitate uel in grauiora præcipitia (quod frequentius accidit) uel in triumphum (quod rarò contingit) efferantur in campum. Iumenta etenim sagittis impetita, diu non permanent illæsa, nec currus sine prædatore.

De portatilibus bombardis, ac militibus clypeatis.

CAP. XIII.

MOs erat frequentior uetusto tempore, quàm nunc est militibus in acie, seu aggressu castrorum & exercituum, quasi muris aut propugnaculis, uti clypeis oblongis & cuneatis, ut pro opportunitate, ac necessitate celerrime currendo, eos cōtra sagittas fundasq;, dextrorsum uel sinistrorsum, in forti aggressu, uel prudenti fuga obiectarent. Dum autem bombardarum portatilium repertus est usus clypeis his dupla quantitate diminutis, superadditæ sunt ligneæ tripodes oblongę: super quarū eleuatiore capite positis bombardis, omnem hostilem motū, & locum auertere poterant, uel impedire. Isq; modus adhuc seruatur in campestri planitie saxis carente, & littoralibus arenis arbusculas, aut frutices non habente. Hiq; clypeati, & loricati milites, cęteris statura proceriores, Viui aggeres denominantur: quorū opera etiam super aperta glacie triangularibus stylis pedibus alligatis, aut nudis sotularibus indutis, præliorū duces prę omnibus uti solēt, quemadmodum in annalibus Principum Suetię, & Gothię plerunq;, sed pręcipue contra Russos, ac Moscouitas in lacubus Finlandię (belligerantibus antiquo Stenone Sture, & Suantone) factum fuisse reperitur. De quibus, et similibus, extensiora nonnulla in historijs charissimi fratris, & antecessoris mei, omnibus exhibentur.

De externis exemplis.
CAP. XIIII.

HAec scuta, seu clypeos, antiquitas Catheias appellauit, ut Virg. lib. 7. in his carminibus apertius attestatur.

Teutonico ritu soliti torquere catheias.

Sidonius etiam Apollinaris lib. 20. de eisdem catheis loquitur:

Quondam fracte subis Cimber, gladijsq; grauatus,
Ante manus solas iusse portare catheias.

Quę scuta pręlonga sunt, penè totam corporis inferioris partem tegētia, ligno tiliæ, aut betulæ contusis, bituminatisq; neruis diligenter compacta. Præterea obtinuit mos antiquus conficiendorum scutorum, ut alij extremi orbis populi ex iuba, seu humerali duritie piscium rotunda conficerent scuta, alij ex urorum, aut taurorum corijs, alij certarum arborum crispatis radicibus, alij ferreis laminis in umbilico cuneatis: uarijsq; coloribus hæc distinguerent, rubeo, glauco, nigro, & candido. Sed huius, scilicet candidi coloris, rarissimus usus est, ne hostes præuiso signo albo, celerius properent & cautius agant, uel fugam simulent, ut crudeliores reuertātur, ueluti sunt uiciniores inimici Russi, Liuoni, Moschi. Sed nec omittendum hic est, familiare fuisse Cimbrorum mulieribus, ex capitis earum crinibus scuta, ac tela imbuere: quem usum ualidissimum Vegetius Frontinus, alijq; tenuerunt: hocq; casu Maximinus Cæsar utroq; parente Gothus, fertur fœminarum crines telis adhibuisse, ut Iulio Capitolino, & cæteris placet. Quamobrem Romani deæ Veneri Caluę templum constituerunt, ut mulierum comis ipsis uti liceret. Estq; compertum, Mauros, Afrosq; passim uti coriarijs scutis.

De montanis arcibus demoliendis.
CAP. XV.



ARces etiam quædam sunt in Aquilonaribus terris, quæ naturali munitione sua insuperabiles æstimantur: idq; propter arduū accessum, ut iusto Marte nedū adiri nequeant, sed nec incendio, aut dolosis artibus, quę bellorū sunt compendia superari: quod potissimū ex eo ꝓuenit quia superadditum opus artis, naturæ munimē inexpugnabile pſidiū reddit: & præsertim sub duce strenuo, cuius acerrima calliditas in arduissimis bellis ęstimari solet. Attamē his omnibus, & similib. nimia fiducia nō est adhibenda. Ea etenim securitatis prę sumptione extrema incautis pernicies sæpius accidere solet: quinimò nihil ita situ, aut astu munitum esse creditur, quod non itidem callidis ingenijs, & iunctis uiribus euerti poterit, & funditus desolari: & esto quod in rupibus usq; ad nubium uertices pręsidia extollantur, omniaq; mōtium cacumina transcendant, aditusq; formentur angusti, fortiq; milite, tormentis, & armis corroborentur, ut omnino uideantur inexpugnabilia, quæ tot, ac tantis difficultatibus superandis credantur esse munita: sed nunquid impugnatoribus plures non suppetunt uires, & consilia in præsidijs huiusmodi demoliendis, quam ipsis inclusis in defendendo? Imò non uno, sed uarijs modis eorum altam securitatem perstringere solent. Aut enim ex industria ab eorum congressu, ob prædictam munitionem, diutius cunctando abstinent, ut inualescente fame, grassante inter humidas petras, morbo, sæuiente insolentium



insolentium seditione, accedente tristi tædio, uel spontaneo motu (pactorum interpositione) se dedant, uel alias seipsos mutua crudelitate conficiant, prout infelici rabie frequentius actum fuisse ferè omnes historici attestantur.

De eodem, & causa sæuiendi in obsessos.
CAP. XVI.

NEc desunt præsentis seculi ad hoc explendum dura instrumenta, duriores milites, et durissima ulciscendi uindicta, qua celerioribus compendijs, bombardis scilicet, & ęreis tormentis, arces huiusmodi demoliendas aggrediuntur, eo uidelicet modo, ut obliquo montium latere cõtra fortalicia ad id congruente, tractorias machinas statuant: è quibus fortiores bombardas funibus alligatas, ad directam præsidij concussionem sublimius, uel depressius atrahunt, eoq́; situ eas dependere sinunt: summeq́; frondium, aut atrorum uestigium adumbratione cauent, ne quæ geruntur ab arcium uigilibus conspiciantur, ne opem (si poterint) afferant rebus illicò perituris: quo facto, igne in eisdem tormentis idoneè præparatis immisso, ferreos globos ea uiolentia eijciunt, ut eorum contactu muri, compagines q́; arcis repentè dissoluantur: quam iacturam ne resartiant inclusi, incessanter obsidentes reiterant bombardarum ictum, simulq́; è latere turmas immittunt armatas, ut quos saxea moles non obruit, ipseq́; cõtinua oppugnatione perturbent, donec inclusos intercipiant, & captiuatos abducant. Est præterea alius modus præsidia demoliendi, hostico furori modernis seculis augendæ hominum calamitati solicitè preparatus, tantò truculentior, quantò celerior antedicto existimandus: quo uidelicet bombardali puluere fundamentis arcium suffosso, ac clauso, igneq́; subtilius filis per rimas paulatim adhibito, uelut fulmine repente arces ipsę quasi in cinerem comminui solent. Quod plerunq; acrius arces expugnantur, & forsan atrocissimo cruciatu indifferenter occiduntur obsessi, inter alias causas non exilis hęc est, quòd obsessi inhonesta, opprobriosa, ac contumeliosa uerba, scommata, ac irrisiones, honorem principum obsidentium tangentes, sine respectu turpissimè fundunt: quo fit, ut nullus, uel rarus sit uenię locus, uel paciscendi tempus, quia maior est plerunq; culpa, quàm quod ueniam mereatur, aut faciliorem pœnam.

De machinis, & bombardis castrensibus.
CAP. XVII.



QVanta compēdia mutuæ destructionis parant obsidentes, ac obsessi, satis prouide pręter hanc imaginem consyderat qui bellorum incommodis fuerat humiliatus, ne frustra per beatum Iob scriptum uideatur: Fiat illi sicut Regi meditanti bellum &c. Cernuntur hic primò ex altioribus muris obsessorum immensæ trabes funibus ligatę, ad leuem funiculorum incisionem super capita aggredi præsumentium ad casum relaxandæ. Pręterea in suburbijs arcium maiores bombardæ sitæ uidentur, pręsertim ad infringendum, uel impediendum quarumcũq; machinarum intrusionem, uel admotionem Sed quę secretius ex arcibus, aut propugnaculis in obsidentes eijcienda per calcem uiuam & bullientem, picemq́; ardentes, resinam inflammatam, cuspides ferreas & hamatas, circulos igniferos, & harpagines ferreas, ac indissolubiles tripennes

cum

cum asperrimis tribulis, & quadratis stylis ferreis, atq; ignitis sagittis excogitata, & callide eijcienda sunt, nil amplius eorundem malorum expertis opus erit inserere declarationem, cùm alibi de fundis, & telis ignitis, pro parte uideatur ostensum. Quid uerò obsidentes pro sua securitate, speq; uictoriæ consequendę ex opposito meditantur, & agunt, satis deprehenditur ex rotatis machinis in obsessos pertinacius admouendis. Tegminibus enim tabularum quercinarum cuneato ordine in machinis eleuatarum, locum demoliendum inuasuri accedere solent, eò præsertim animo, ut uel uiribus obsessos inuadant, uel minacibus armis exterreant, & fatigent, aut eorum inanem fiduciam adimant, aut seditionibus eos angustiatos inuoluant, aut ab impetu cedendo remisśius agant, aut aliquem euentum expectent, quo tepido aggressu uideantur nil agere uelle, aut posse amplius in obsidione manere, ut sic tergiuersando, & cunctando (donec occasio emergat) unanimi insultu insuperabiles fiant: quo casu non trabibus, calcino pulmento, tribulis, aut ferreis stylis, sed ensibus, scutis, & contis cominus adhibitis, obsidio tantoperè firmata, & tantis angustijs seruata, necessariò est dirimenda: taleq; spectaculum illicò eueniet, ut alij intereant, alij ferro stringantur captiui, alij uitam mercaturi fide militari obligentur, alij irrumpentes retrudantur, alij clamoribus dissonis in pręcipitia ruant, uel extrudantur. Nec parum miseriæ adaugent circumstantiæ omnium calamitatum, nutrices & paruuli, senes & infirmi, aut ardor intensus, uel frigus horrendum, caligo densata, glacies rupta, hostis immitis & crudelis, aut incidere inter bestias, aut cauernas, aut præcipitio, uel suffocatione, & his, ac similibus perire malis, uel longo liuore præter famem, sitim, languorem, & uulnera excogitatis.

De cuniculis cognoscendis, & restringendis.

CAP. XVIII.



RAtio agendorum cuniculorum breuis, & tuta uidetur, ne hostis aliquid præparet ex aduerso, sed incautus, & dormiens facilè defraudetur. Attamen diligentissimè caueri solet, ne insidiæ propter terræ egestionem, & sonum suffodientium, ac strepitum fabrorum deprehendantur. Vnus quidem introitus esse consueuit, sed cuniculi uariātur hincinde in terra per uias diuersas: quia subterraneum opus, ob latentia saxa, uix fieri potest directò ordine, quemadmodum fossores mineralium antrorum in Septentrione peroptimè cauere norunt, Ideoq; ad arduum facinus perpetrandum ipsi præcipuè, quia audaciores, & peritiores sunt, ad hoc opus deputantur, ubi molles, uel tædio laboris, uel affectu mulierum domi relictarum instabiles, & perfidi reperiuntur. Sed talium exigua uis est, tanquā fraudulenter agentium: quibus & ipsa fortuna aduersatur, ubi fortissimi milites attenti fuerint, & concordes: tales tamen fossas uix faciunt, si machinis, bombardis, ueltis, arietibus, testudinibus, harpaginibus, & scalis irruptiones efficere possunt: sin minus, tunc subterraneos dolos, fallacesq; recessus pro diuersitate ingeniorum effodiunt, & incuruant, ut mœnia, muros, turresq; deijciant præcipiti casu. Veruntamen ne soli uideantur hoc impunè facere, solent obsessi super aggeres militaria tympana, ac pisa, seu globulos rotundos desuper eminentius apponere, ut minimo, leuissimoq; subterraneo motu cunctis pateat, quòd subtus, uel nō longè abinde dolosi sint effossores: contra quos illicò obliquè fodientes, è periculo se liberant, uel hostem inuentum interimunt, uel interimuntur.



terimuntur. Quandoq; etiã retrofugiunt, ut insidijs structis in lateralibus cauernis facilius capiantur, quàm occidantur: & hoc ex causa cognoscendorum secretorum super necessitatibus inclusorum. Quandoq; etiam pugionibus sese mutuo sub terra interimunt, dum casu magis, quàm proposito concidunt in cuniculos solis hostibus preparatos. Retrofugiunt & alij quandoq; bellatores ad angustias uallium, ut ex insidijs, quando campestre certamen committitur, interimant hostem, quem ferro, fame, flumine urgere, uel occidere nequierunt. Veruntamen apud collimitaneas arces regnorum Aquilonarium sic pugnatur, ut inter acerrima prælia, quæ cum Danis, uel Moscouitis, seu Ruthenis, aut Germanis frequentius fiunt, statis diebus bellorũ duces conuiuia, tripudiaq; instruant, & alternent, præcipue ut appareat non odij, sed dignitatis, ac militię gloria accensos donis, muneribusq; inter ipsa bella contendere. Magnanimi etenim principis est, non propter prædam, sed nominis excellentiam quęrere bellum, & rursus turpissimum est scelere, non gloria, & ratione impetere regna: sed omnium detestabilissimum est, ueneno potius, quàm humanitate reconciliandum hostem opprimere, ubi forsitan fidelissimus euasurus esset amicus, & auxiliator. Sępe etiam euenit, ut filius ueneno, & pater morbo pariter è medio auferantur. Estq; notatum in historijs, Philippum Macedonem Regem insidijs, & filium eius Alexandrum Magnum aperto semper Marte, & militari gloria triumphasse. Et hoc est prelium humanum, reliquum bestiale.

De rebus necessarijs ad obsidionem tolerandam.
CAP. XIX.



QVod arces Septentrionalium regionum contra quoscunque hostes potenter arcendos optimè prouisę uidentur, hoc efficit, quòd turribus partim altis, partim imis, densisq; muris, prætereà fossatis perennes, aut factitias aquas habentibus, in locis tam natura, quàm arte dispositis, sunt munitæ. Omnium tamen turrium robustissima est, qua sceleris suspicione, aut maleficiorum truculentia deprehensi, ad iustitię rigorem saluandi, uel puniendi cautissimè reseruantur, ne carcerem callidius euadentes, flagrantissimo uindictę appetitu priuatam iniuriam publico dispendio pensent, prout in simili casu Appianus Alexandrinus de quodam Spartaco meminit, & complicibus eius. Pretereà portarum claues frequentius renouant, uel immutant, pariterq; custodes. Similiter & canalia aquarum aliunde per uenas deductarum, ne hostili ingenio, uel uiribus intercipiantur, attẽdunt, ut eo casu quantocyus (ut infrà de defectu aquarum dicetur) utile ac necessarium remedium afferatur. Item de lignis combustibilibus, & presertim carbonibus superabundantem prouisionem ante imminentem obsidionem preparatam conseruant, ne tigna, trabesq; domorum, aut necessariarum ædium intra arcem urgentibus fabris, pistoribus, & frigoribus exigẽtibus (prout aliquando expertus sum) tectis destructis comburantur. Item de leguminibus diuersorum generum, annona, & carnibus salsis, ac fumigatis, pręcipue porcinis, latrantem stomachum sine decoctione refecturis. Carnibus etiam bouinis, uerueci nis ac caprinis, sale, sole, & aëre uernali, uel fumo hyemali dudum siccatis, etiam sine pane per milites fortissimos comedendis, prout superius libro 6. de sobrietate gigantum ostendebatur. Insuper attendunt, ne linteamina, uel alterius lucidi coloris panni, uel lucernę ardentes è tectis, uel turribus, aut fenestris pendeant uer-

sus hostes: quia uel signa sunt inimicis placentia, uel fidelibus incolis nonnihil amarę suspicionis ingenerant, ne forte cum hostibus habeant collusionem: & ob id multa attentione de die, sed maiore de nocte occupantur custodes in arcibus, uel oppidis conseruandis. De pulueribus, globis, pecunia, potu, aceto, scalis, funibus, & ferro, ac alijs, notum relinquitur quid sit habendum. Insuper omittendum non erit, quomodo arcium muros frequentioribus sagittis obiectos, obsessi tegere solent cilicijs, storijs, centonibus, stragulis, culcitris, pręterea propugnacula contabulatis prædisponere, ac omnibus tormentis humana ope requisitis anteà communire.

De obsessis omnimode superandis.

CAP. XX.



RVrsus obsidentes, ne sine ingenio, uel stratagematibus, tanquam rei bellicę ignari, permaneant, ad astuta ingenia se conuertunt, ut quos armis, & uiribus superare nequeunt, ad seditionem ductos facilime uincant) sicq; inter alia procedunt, ut fumos artificiosos certa distantia ab urbibus, aut castellis excitent: deinde alicuius manum, qui obsessis fauet, & compatitur, adulterant, celeriq; sagittę applicando alligant, ac in urbem trajciunt, ut quicunq; ex sorte talem scripturam inuenit, pręsidi ciuitatis illico consignet, adesse uidelicet circa fumum præsidia noua, quę tali loco, & tempore ciuibus irruptionem, & direptionem comminantur, ut ibi per extremam potentiam intenti ciues alia loca mœniorum, aut arcium, à serioso obsidentium impetu non tueantur, ut eisdem obsidentibus pateat introitus per alia loca minus custodita. Solent etiam obsidentes summè pręcauere, ne nocturni uigiles castrenses stationes obseruantes, uerbis insolentibus, aut opprobriosis principibus detrahant, aut honestis cōiugibus eorundem. Vno etenim uerbo calumniosè, mordaciterq; prolato, ut superius dictū est, excessus alioqui uenia dignus, ita amarè suscipitur, ut inextinguibili liuore excitato, irremissibilem causare uidebitur ultionem. Quid enim pariunt, nisi cędem, rabiem, iram, & truculentiorem compressionem? ubi præclarius discordia militaris silentio, quàm impari comminatione tollenda putaretur. Solent demum obsidentes uario colore uestium, & frequenti transitu hincinde apparere, ut numerus obsidentium plus solito uideatur adauctus. Prætereà speculantur è uicinis collibus, ne equitatus, aut peditatus suppetias obsessis inferendi certas inueniat itinerum, aut semitarum opportunitates: hocq; negotium non quibuslibet, sed certis hominibus assignatur.

De frequenti impugnatione Gothicæ urbis Calmarnensis.

CAP. XXI.

OPpidum est in littoribus Meridionalis Gothiæ, à nauigantibus è Germania in Septētrionem Calmer dictum, eò quod longo tractu maris frigidius mare, cœlumq; reperiunt, quam in eorum Germanica terra, unde nauigarūt: imò ab Hispania, Gallia, Anglia, & Hollandia eò diriguntur frequentes, & lucrosę nauigationes. Hæc igitur ciuitas, quia situ (nempe super littus maris posita) & antiquitate







quitate reliquis in Meridionali Gothia uetustior est, ac multorum principum conuentibus, imò maximis bellis in ea gestis illustrata, ab ultramarinis principibus, præsertim Teutoniæ, & Daniæ acrioribus pręlijs, & frequentioribus astutijs impeti solet, maximè ut ea tanquam firmiori Gothorum portu primùm obtento, in reliquas Septentrionales regiones facilius cædes, & rapinas extendant. Sed reuera quantum annisi sunt alienas diripere, laniareq́ fortunas, & libertates, tantum more aranearum, pręsertim Dani, melioribus bonis sua, uel maiorum industria partis, sese euiscerarunt: cuius rei apertius documentum posteris Regibus inter alios Rex Ioannes circa annos Domini M. D. reliquit. Hanc namq́ urbem, & arcem magnis, difficilimisq́ bellis, & grauibus expensis potitam, maxima totius Danici regni sui iactura aliquot annis, commeatu, & pecunia pro milite alendo nauigijs à Dania importatis, seruauit. Non enim à Gothica gente, quæ prædictæ arci parêre solet, aliud tributum ulla ui, aut pactis obtinere potuit, quàm omni momento porrigere consueuerunt inexorabilibus inimicis: quo factum est, ut non tam annua proprij fisci iactura, & exinanitione grauatus, quàm incolarum tumultu, & uexatione attædiatus, eam urbem, & arcem, impositis aliquot militum præsidiarijs turmis, reliquerit expectationi melioris euentus, ne forte seditiones inter nobiles uarijs ingenijs suorum fautorum procurata, uel aliter exorta, hanc arcem tanquam asylum haberent præconcepti liuoris sui in æmulos Danorum cooperatione peramplius extendendi, ac ulciscendi.

De Ioanne Danorum Rege, cuius hic Olaus meminit: & quædam de Hemmingo Gaddo, de quo capite sequente Ioan. Mag. lib. 23. in uita Stenonis Sture.



Steno Sture Caroli (ut diximus) nepos, post auunculi fata maximo omnium procerum, populorumq́ consensu Gothorum, Sueonumq́ Princeps eligitur. Hic totis triginta annis subiecta regna tranquillitate & felicitate administrabat, ut Traiano melior, Augustoq́ felicior dici potuisset. Sed non deerant potentissimi aduersarij, quos diuinæ prouidentiæ permissio idcirco eius felicitati obiecisse uidebatur, ut Steno ipsis deuictis, magis illustris redderetur. Primus autem hostis, qui hunc lapidem (nam Steno Gothica lingua lapidem significat) adoriri tentabat, erat Christiernus Danorum Rex, qui fortè putans sibi nonnihil iuris ad Suetiam, ob illam quorundam factiosorum coronationem, de qua diximus, accessisse, exercitum pręualidum collegit, eumq́ bellica classe in Stocholmiam Suetiæ regiam perduxit. At Steno futuri belli non ignarus, copias ex propinquiore Suetia contrahit, eisq́ suffultus, aduentantibus Danis obuiam uadit. Concurrit igitur uterq́ exercitus in monte Brunchonis, qui Stocholmensem regiam à Septentrione spectat. Nec leuis pugna inter fortes gentes cōmittitur. Dani, ut diuites fierent, proprium sanguinem in periculum ponebant: Sueci uerò, & pro fortunis, & pro libertate certātes, importunius & uehementius pugnabant: ad quos uictoria tandem conuersa, Danos in præcipitem fugam conuertit. Plurimi ex eis occisi, multi fugati, et complures captiuati. Nec paruus erat Danorum numerus, qui se in proximam aquam immergentes suffocabant. Ipse quoq́ eorum Rex ictu muralis tormenti, quam bombardam uocitant, impetitus, quatuor anteriores dentes unà cum magno, & ferè toto exercitu amisit. Dani igitur tam insigni iactura

affecti, in ſuam Daniam redierunt, atq; in Danicas hiſtorias retulerunt, eam aduerſam belli fortunam ſibi non tam uiribus Sueonum, quàm magicis artibus cuiuſdam doctoris Ryttingi proconſulis Stocholmenſis obueniſſe: quaſi nulla alia ratione ſummam illorum ignauiam, qui ſe ſponte ſubmerſerant, excuſare potuiſſent.

Tum Chriſtiernus, poſt acceptam eam ſtragem, animum ab occupanda Suetia penitus deſpondit. Compertum quippe habebat, ſummam inter Stenonem & Sueones cõcordiam eſſe, qua perſeuerante, temerarium admodũ eſſet, illos homines impugnare, qui ſola domeſtica diſcordia ſuperari conſueuerunt. Quod etiam in ea principum Germaniæ confœderatione, quam contra Suetiam ſub ipſa Romana peregrinatione ſua iniuit, ſatis oſtendit, aſſerens ſe confœderatorum auxilium inuocare nolle, priuſquam Sueci domeſtica diſcordia laborarent: tunc enim diligentiſsima adhibenda eſſet opera, ut concordes Principes diſcordes populos facilius ſuperarent. At Steno ſummoperè & prudentiſsimè cauit, ne uel tenuis diſcordiæ ſignificatio intra Sueticæ Reipublicæ uiſcera ſuboriretur. Vix enim credi queat, quanta beneuolentia, & moderatione, ac prudentia in omnibus moribus ſuis utebatur. Legimus complures Reges & Principes ita fuiſſe populares, & à ſubiectis populis dilectos, ut patres patriæ, & humani generis delitiæ meritò appellarentur. Imò quidam eorum in numerum Deorum referendi putabantur, quòd ſuam ipſorum ſalutem, & quicquid fortunarum uſquam habebant, ſponte & promptiſsimè pro ſuis impenderent. Sed hic Steno talem ſe ſuis ſemper & ubiq; præbuit, ut inter quoſcunq; pręcipuos & optimos heroës cum immortali laude connumeretur. Quippe ſi pietatem eius erga Deum, & Dei miniſtros attendimus, nulli in Chriſtiana religione ſecundus erat. Pontifices & ſacerdotes Chriſti tanta ueneratione proſequebatur, ut ſe nunquam (quamuis tot populorum Princeps eſſet) prętulerit infimo Pontifici, imò inter pios & pręclaros mores ęſtimabat, minores Eccleſiæ Prælatos, utpote Prępoſitos, Decanos, & ſimiles, ad dexteram ſuam uenerando obſequio deducere, & primas ſedes nedum in templis, ſed in pętorijs, & alijs publicis locis eis concedere. Feudalia quoque bona libenter & liberaliter ipſis aſsignauit, rectè exiſtimans, eos regendis hominibus aptiores eſſe, qui diuino obſequio mancipati, diuinam legem (ſine qua humana iura conſeruari nequeunt) continuo ſtudio profitentur. Sciebat enim ſuam, & totius patriæ ſalutem, cõſeruationemq; & honeſtatem in ſumma Pontificum ſalute & autoritate conſeruari. Sciebat præterea à maioribus ad poſteros traditũ eſſe, ipſum ſacerdotium in Suetia nunquam ſine uniuerſali totius patriæ ruina corruiſſe. Neque Pontifices ingrati erga eum erant: quippe qui omni ſtudio prouidebãt, ne aliqua domeſtica, aut extranea bella in ipſum præualerent. Sæpeq; unà cum cæteris ſenatoribus nomen & coronam Regiam ei offerebãt, etiam ſupplices rogantes, ut qui omnem Regiam autoritatem haberet, nomen quoq; & maieſtatem Regiam aſſumere uellet.

Sed erat tanta moderatio in illuſtriſsimo Principe, ut omnia mallet, quàm nomen Regium (quod ob ſeueritatem priorum Regum, ad publicum patriæ odium deuenerat) ſibi adaptari pateretur. Quin potius gaudebat, ſe infimorum ciuium & incolarum amicum, ac fratrem ęſtimari. Non erat aliquis tam humilis conditionis paterfamiliâs, in cuius domum cum hoſpitij gratia introijſſet, quin ipſum unà cum coniuge, & liberis porrecta manu officioſiſsimè ſalutaret, ſecumq; tam hanc, quàm illum decentiſsimè ad menſam collocaret, & de eorum ſalute, ac proſpero rerum ſucceſſu diligenter interrogaret. Summaq; ſolicitudine prouidit, ne ſui præfecti quenquam iniurijs afficerent, aut affici paterentur. Habebatq; in omnibus regni angulis fideles exploratores, qui præfectorum fidem & æquitatem erga ſubiectos populos inquirentes, omnia eorum facta ad ipſum occultè & fideliter deferrent: tamq; ſcrupuloſa examinatione de ſubditorum quiete inquirebat, ut potius ſibi ipſi uitam, quàm ſubiecto ciui unam ouem contra iuſtitiam auferri permiſiſſet. Quo factum erat, ut nullus inter Gothos & Sueones inueniretur, qui nõ libentius pro eo fortunas & uitam expoſuiſſet: imò ubi aliqua bellorum opinio emerſit, & Steno unum ex tota familia pro defenſanda patriæ libertate ad bellum euocaret, confeſtim non unus, ſed omnes, quotquot armis idonei erant, armati ad pugnam prodibant. Erupit igitur uerax in omnes regiones fama, Stenonem nulla humana potentia ſuperari poſſe, qui in tam ampliſsimo principatu, quotquot incolas, totidem haberet milites in omnem caſum pro eius defenſione præparatos. Erant tamen duo potentiſsimi Principes, qui hanc ſolidam petram à loco, cui firmiter inhærebat, amouere contendebant, utpote Ioannes Danorum Rex, & Baſilius Magnus Moſcouitarum Princeps, eidem Danico Regi confœderatus. Nec paruus, aut imbecillis erat eorum principum numerus, qui cum eiſdem Danis & Moſcouitis contra Sueones & Gothos conſpirabant: ſed totus eorum conatus, ut ſpecie terribilis apparebat, ita inani exitu diſparuit. Tentabat quidem Danus aliquoties arma in Veſtrogothiam inferre, pręſertim cum di-

dicisset

dicisset Stenonem longo terrarum spatio ab eo loco separatum: sed cum prima Vestrogothorum limina intrauisset, & iam arcem Erby (quæ est in Marchia Vestrogothorum) obsidere cœpisset, ecce Steno ualido Sueonum agmine suffultus, adeò celeriter ex Stocholmia aduenit, ut uolasse potius, quàm equitasse putaretur: signumq; sui subiti aduentus tubarum clangore dari præcepit, ne dolis, aut insidijs, sed aperto Marte se pugnare uelle significaret. Tum Ioannes ad suos proceres conuersus, dixisse fertur: Commendanda profectò est in hoc hoste tanta magnanimitas. Cum enim nos dormientes, & imparatos facilè adoriri posset, uult tamen ea uirtute pręliari, qua palàm ostendat, se illam militarem gloriam in memoria habere, quam maiores nostri à dolis & fraudibus alieni, diligentius obseruabant.

Deinde Steno suis ex ordine constitutis, prçcepit, ne prius in hostem ferantur, quàm uideant ipsum dispositis agminibus undiq; præparatum. Itaq; Ioannes periculosam belli moram ratus, confestim suos perarmat, atq; in hostem educit. Pugnatum est utrinq; diu, & acriter, donec Steno insigni sagittariorũ ope adiutus, uictoriam reportaret. Cęsi, fugatiq; sunt Dani: quorum etiam plurimi per Sueones in captiuitatem redacti fuerunt: quos Steno liberaliter habitos, Regi Ioanni gratis, & nullo redemptionis pretio interueniente remisit, apertè sui animi magnanimitatem eo facto ostendens, quòd didicisset arma in hostes, & non in calamitosos exercere. Quo magnifico officio Ioannes prouocatus, cœpit in hoste non solum fortitudinem, & in rebus bellicis industriam admirari, sed eximiam morum probitatem uenerari. Transiueruntq; complures anni, in quibus, ob constitutas inter Sueones & Danos inducias, pax & securitas seruata fuit. Quibus durantibus, Steno Hemmingũ Gaddum Ostrogothum Lincopensem, ad Summum Pontificem in urbem Romam legatum designauit, ut ibi circumspectius prouideret, ne Dani, cum ipsis arma deficerent, ad callida Romanorum ingenia conuersi, Suetiam molestarent. Erat hic Gaddus homo ad omnem astutiam natus, tanquam ad Romanos mores idoneus, ut nullus eo aptior ex tota Suetia in Romam emitti potuisset. Nec solum apud infimos & mediocres Curiales, sed apud Summos Pontifices, & amplissimum Senatum Cardinalium summam gratiam inuenit: multaq; & memorabilia opera in laudem sui illustrissimi Principis Stenonis in eo Christiani orbis capite peregit, quibus ostendit, se patriæ amorem omnibus huius uitæ fortunis prætulisse. At Danici nominis odium tam pertinaciter imbibisse uidebatur, ut uita comite illud minimè abijcere potuisset. Interea uerò Rusi, siue Moscouitæ, Danorum confœderatione inducti, arma in Sueones transferre contendunt. Quorum conatus Steno repressurus, magnas undiq; copias contrahit: quas, ductore Suantone, nobilissimo regni consiliario, in hostilem terram emittit. Progressus Suanto, omnia pro suo uoto egit. Nam etsi Moscouitæ satis potentem exercitum coëgissent, tamen postquam ad pugnam deuentum erat, & aliquandiu acribus animis certatum esset, Sueones uictoriam adepti, in magnam Moscouiæ partem se diffundebant, cunctaq; obuiantia ferro & flamma cõculcantes, eam stragem commiserunt, quæ etiam hodie in hominum memoria perseuerans testatur, ipsos ad impacabilem iracundiam prouocatos pugnauisse. Enimuerò complures arces, oppida, uillæ, quę tũc funditus euersæ fuerunt, satis admonuisse uidentur Moscouitarum proceres, ne amplius Sueonum potentiam ad arma compellant. Quippe post eum diem Sueones ab illorum impugnatione securi degentes, gratias Stenoni agunt, quòd tam uiriliter agendo, posteris tam gratam & necessariam, ac diuturnam pacem procurasset.

Parta ea uictoria, Suanto ingentem thesaurum ex ditissima præda congessit. Cuius partem cum Steno ad se pertinere affirmaret, Suanto ab eo deficiens, nõ paruum procerum & militum numerum in suæ defectionis societatem allexit. Factumq; est, ut Gothica & Suetica Respublica, quæ tot annis sub optimo Principe florentissima & pacata fuerat, ad ciuilem & perniciosam discordiam collaberetur. Nec diu moratum est, antequam Ioannes Danorum Rex, exemplo patris sui Christierni, à factiosis quibusdã proceribus inuocatus, ad Stocholmensem ciuitatem peruenit. Estq; eodẽ iure & ordine, quo pridem pater eius, à suæ partis proceribus corona Regia insignitus. Sed Steno extenuatas domestico dissidio uires resumens, ipsum Danum ad suam Danemarchiam redire coëgit, breuiq; tempore totũ regnum in pristinam libertatem restituit. Ad quod nõ parum cooperatus est Hemmingus Gaddus, de quo antea diximus. Hic enim cum Romæ cõstitutus audiuisset, periculosas in patria controuersias suboriri, cõfestim inde in patriam remeauit, primamq; curam adhibuit, ut Steno & Suanto, deposito omni odio, in ueram amicitiam redirent. Quo facto ipse Gaddus, ab utroque in maximam gratiam receptus, meruit præcipua eorum cooperatione eligi in Episcopum Lincopensem. Nec facile fuit Danicæ factionis hominibus, hunc triplicem funiculum dissoluere. Hic enim Lincopensis ecclesiæ Prælatus infulam galea, baculum gladio, togam pelta commutans, tam formidabilis erat inimicis, ut plus eum, quàm Stenonem regni

Principem formidare uiderentur. Erat enim animo audax, conſilio prouidus in philoſophi
ca eruditione præcipuus, & in re militari inſtructiſsimus: ſed parum religioni & Eccleſiaſti-
cis rebus inclinatus. Hoc enim autore Steno, depoſita illa eximia patientia ſua, bellum in
Pontifices & proceres, qui Danici Regis introductionem procurauerant, promouit, effe-
citq; facili negotio, ut ſeipſos patriæ, & patriam antiquæ reſtituerent libertati: humaniter
quippe bella gerẽs, oſtendit ſe nimis inuitum arma in ciues conuertere. Siquidem deuictos
Pontifices non minore reuerentia, quàm antea cum liberi eſſent, tractabat, contentus, quod
ſe ad unitatem patriæ reductos faterentur. Paſsimq; de eo canebatur:

Parcere ſubſtratis eſt nobilis ira Stenonis.

Accidit etiam eodem tempore, ipſum non paruum exercitum ad debellandum Iacobum
Archiepiſcopum Vpſalenſem, quod Danis inclinatus uideretur, coëgiſſe: & iam ad locum
deuentum erat, in quo non minores copiæ pro Archiepiſcopo pugnaturæ conuenerant.
Tum Steno benignæ ſuæ naturæ memor, clàm inſcijs proceribus ad Archiepiſcopum in
propinqua uilla Nees apud arcem Stecham commorantem acceſsit, & confeſtim ſine arbi-
tris cum eo in gratiam reuerſus, admirabili lætitia omnes, qui in mutuam cædem parati ſta
bant, affecit. Volebat enim potius optimus Princeps, ſe coram integerrimo Pontifice ſup-
plicem exhibere, quàm quod tot innocentes ciues, ob cauſam ſatis dubiam, præſentiſsimo
periculo inuoluerentur. Nec ſilentio implicandum eſt, quod alio tempore non minus pru-
denter egiſſe uidetur. Cum enim conſideraſſet, complures regni proceres fortunis eccleſia-
rum, & clericorum inceſſabiliter inhiare, conuocato regni ſenatu, ſimulabat ſe Pontifices, &
Eccleſiæ autoritatem in ordinem redigere uelle. Quod cum ipſi proceres magno applauſu
annuiſſent, mox uehementi obiurgatione eorũ temeritatem reprehendens, inquit: Iam non
miror hanc patriã noſtram ad plurima incõmoda corruiſſe: ſed magis miror, quod ſaltẽ ali-
quod Reip. ueſtigium relictũ habeamus, cũ impoſsible ſit, ipſam Chriſtianę Eccleſiæ autori
tatẽ corruere, niſi totũ regnum pariter collabatur. Proinde quicũq; uelit regnũ penitus deſo
lare, is primo in terris noſtris manũ apponat, ut Eccleſiaſticus ſtatus (qui in toto orbe Chri-
ſtiano ſuos propugnatores habet) deſoletur. Præterea eius ſyncera in Deum fiducia, maxi-
me ex eius literis in publicũ miſsis, apparuit. Quippe ad omnia publica negotia ſanctę Tri-
nitatis nomen pręmittere conſueuit. Tandem poſtquã tantam patriam tot annis tam bene
& feliciter rexerat, ipſamq; Danica factione labefactatam rurſus liberauerat, memorabile
ſuę magnanimitatis teſtimonium ad poſteros tranſmittere uolens, Danici Regis coniugem
Chriſtinam, quam in arce Stocholmenſi captiuauerat, non ſolum ſumma ueneratione ab
omni iniuria liberam conſeruabat, ſed comitante tota Sueonum & Gothorum nobilitate,
ſaluam uſq; in Hallandiam deduxit, mirantibus multis, quod acerrimo hoſti libere, & gra-
tis coniugem reduxiſſet, quæ forte ante confirmatas publicæ pacis conditiones liberanda
non fuiſſet. Sed erat in Stenone magnus atq; excelſus animus, quo didicerat uincere in bo-
no malum, quamuis per illam ſuam eximiam bonitatem extrema fata ſibi accelerauit. Nam
in eo ultimo conuiuio, quod cum Regina in terris Smalandiarum celebrauerat, peſtiferam
ęgritudinem, qua infra paucos dies in uilla Scheflingaryd mortuus eſt, cõtraxit, anno Chri
ſti M.D.III. circa principium menſis Decembris.

De ſtratagemate Henningi Gad Electi Lincopenſis.

CAP. XXII.

CONditionibus igitur Danorum præſidibus rationabiliter ut abirent exhibi
tis, & contemptis, non impigrè aderat aſtutiſsimus uir in hoc titulo præ-
nominatus, quin & ipſe (Romæ ſub Alexan. 6. educatus) aliquem arriperet mo-
dum, eam ciuitatem ad Gothicam reducendi coronam, unde & iuſsit, tibicines
medię noctis tenebris ſub ambitum murorum ad Meridionalem partem tacitè pe
netrare, ibiq; aſtantes clangorem tubarum, quàm terribilius poſſent, emittere: ip
ſe uerò ſingulis bellorum inſtrumentis Occidentaliori parte admotis, ualidorum
armatorum agminibus aggreſſus, facilè ſcalis adhibitis muros plurimis in locis
tranſcendit, dum obſeſsi ad tubarum ſonitum ſubito terrore perculſi, urbem de-
fenſuri coirent, ueluti eo loco de ſumma ſalute certamen adeſſet. Sed cum hoſtes
in medijs plateis turmatim aduolare uiderent, prout poterant, eos exturbare ni-
tebantur. Verum quia reſiſtendo nil poterant, fugiendo ad arcem Regiam ſeſe
tuendos accelerarunt. Nec ibi diu ſine uexatione fuere: nam præter cædem, & in-
felicem



felicem famem, graui ęgritudine ducti, arcem honestis conditionibus anteà spretis, iamq́ petitis & acceptis, ipsi Electo nomine Gothorum, ac Suecorum Principum sese dediderunt. In hac urbe defendenda sæpe mulieres pari fortitudine cum uiris è mœnibus proijciendo saxa lethaliter excipiunt hostes, uti Spartanę mulieres (teste Iustino) uexarũt potentissimũ Pyrrhum. Ideo Plutar. uisum est, nè principes, aut illustres uiri, uel nobiles arces, uel ciuitates oppugnaturi, muros accedãt: quia à uilissimis personis, ut seruis & mulierculis, ęquè occidi possunt, ut à fortib. uiris: sed memoria propè infami, qui à talibus temerè se ingerentes occidebantur. In hac Calmarnia quondam Magnus Rex Suetiæ grauissimas discordias inter Regem Danię Ericum, & Regem Noruegię subortas, per summam prudentiam terminauit. Deinde abnepos eius Rex Magnus, ob temerarium, ac insolens regimen à proprio filio Haquino Rege Noruegiæ ibidem extitit captiuatus. Prætereà in hunc locum uenit Guido Cardinalis, atq́ post eum Nicolaus Cardinalis Anglicus, posteà Papa factus, ac Adrianus 4. nominatus, deinde Guilielmus Cardinalis Sabinensis, & deinde multi Legati Apostolici: quorum ultimus erat Ioannes Angelus, nunc Archiepiscopus Mediolanensis.

De exigua utilitate, & triumpho externorum, Sueciam & Gothiam impugnare contendentium.

CAP. XXIII.



ARces præterea plures sunt & fortalitia nobilium, tam apud Occidentales, quàm Meridionales, & Orientales Gothos, ubique contra externorum insultus miro naturæ, & artis opificio fabricata, eaq́ diligentia armis, militibus, pecunijs, & abundantia expensarum communita, ut nihil ad eorum conseruationem uspiam deesse putetur. Quibus Gothi, Sueciq́ confisi, audentius inimicis undecunque confluentibus se opponunt, eaq́ animi magnitudine, & uiribus defendunt, ut nullum commodum, sed irreparabilem ruinam assequatur, quicunque pręsumpserit eorum uiolare libertatem. Verum ne domestica hac securitate, & quiete glorientur se semper immunes, insolescentesq́ in uicinos, uel amicos euadant, satis opportunè concurrere solent, qui tentent, acuantq́ eorum animos præsumptuosos: inter quos pręcipui Germani, Dani, Cimbri, ac Moscouitę sunt, impigrè, ut seditiones forsan motas augeant, uel auctas cumulent, accurrentes: aut opulentam prædam ab incolis rapiant, & exportent: aut castra, ciuitatesq́ue obsidione pressas, suæ possessioni coniungant. Imò plures tanta temeritate ducuntur, ut credant solo tumultuario insultu muros (defensoribus despectis) transcendere posse, ac deuincere inclusos. Alij uerò acriori



disciplina militari incedentes, iaculis, sagittis, fundis, & omnigenis bellorum instrumentis adhibitis, ut uoti compotes fiant, extrema quæque tam equestribus, quam pedestribus turmis attentant: quibus etsi multa conati sunt rapere, prout in oppidis, & castellis ad prelium imparatis aut defensore carentibus: fieri solet tamen, & sępius acciderat, ut gloriantes in hac uiolentia sua, rapinis pariter & uita (ultoribus incolis) fuerint spoliati. Tutius ergo erit, ut quisq; terrarum suarum pacifica sorte sit contentus, diuesq; reputetur, & felix, quàm quod more tabescentium aranearum sese euiscerare cogatur, ut rapiat muscas. Si dux est, & nomen bonum habet, amicis & creditoribus satisfacit. Si Rex unius regni erit, suspicione plenus paucos amabit, & mutuum capiet, sed uix concredita soluet. Si Rex duorum, trium, quatuor, aut plurium regnorum dominus euader, præ magnitudine debitorum, aulicam pompam, adulatoresq;, & susurrones fouendo, contractorum, uix ulli satisfaciens rapere, uel mendicare cogetur, & presertim quando mendicitatem eijcit à monasterijs, tunc eam (teste Theoderico Rege Gothorum) inuenit in aula, ut etiam infrà 16. lib. ostendetur.

De Gothorum, Sueonumq; resistentia.

CAP. XXIIII.



E Contra Gothi, è turribus, ac arcibus, & muris coëuntes, haud segnius iaculando, sagittasq; emittendo prelian-tur è mœnibus: etiam magnę molis saxa manibus prouoluunt, sudes securesq; demittunt in subeuntes, armorumq; genus omne, quod ab ea necessitate uidetur non alienum, hostesq; oppugnando, sequé tuendo, tormentis & machinis utuntur, ita ut nihil omnino intermittatur, quod ualeat ad se tuendos afferri, donec obsidentes defectu commeatuum, uel incolarum armato congressu pellantur, aut ultro recedant: imò sartagines è sublimioribus locis, antequàm campestre, uel equestre prælium experiantur, subiecto igne pultibus calcis repletas, super hostes scalis ascendentes infundunt obsessi. Omne genus tormentorum ea uis superat: quia eo ardore in armis suffocantur: tormenti genus importabile. Sed celeritas, & temeritas ferina hoc tormentum incautius quasi primum honorem excipit, dum inimicorum socię manus ueluti subsannando rei euentum expectant. Si res equestri prælio ueniet dirimenda, necessaria existente causa, tam uiribus quàm insidijs omnimodè conantur indigenę, ut à temerario hoste se liberent, signoq; non uulgari id uel resistendo, uel fugiendo, uel hostes captiuando, uel detruncando, exercitus duci quàm strenuè sese fecisse demonstrent, quemadmodum sępius factum fuisse annales meminere. Ideoq; mirari non congruit, cur exteræ gentes in Gothia, & Suetia capita maiorum euulsa repetant, donec integra, uel saucia sua corpora ibidem quasi in uniuersali sepulchro relinquant.

De fun-



De fundamentis arcium comburendis.

CAP. XXV.



VEteris ruinæ uestigia in Aquilonaribus regnis satis clarè demonstrant quomodo quàm plurima fortissima loca rupibus, ac inuijs accessibus imposita, artificialibus flammis è subterraneis specubus excitatis, uelut tonitruis concussa, dissolutaq́ reperiuntur. Cum enim fortalitia huiusmodi ob continua latrocinia ex his, limitaneis pręcipuè, prouinciarum locis suscitata deprehenderentur, communibus armis unanimi gentis consensu, iudiciisq́ decreto incolæ conuocati, ea adorti miris ingenijs demoliebantur, eo scilicet modo, ut loca montium magis ruinosa introeuntes, eadem malleis, dolabris, cuneis, cæterisq́ instrumentis ad lapides excidendos, murosq́ demoliendos accommodis, ualidissima manu perfregerint, aut si spelunca fuit naturalem habens concauitatem, usu similium instrumentorum sensim eius fastigia ex ea parte præciderint, qua præsidiorum fundamenta denudarentur, erectas trabes ex ordine subijcientes, quibus murorum innixa moles sustineretur, ne statim compages ipsa corrueret, aut dissolueretur. Vt autem decisorum atq́ cadentium lapidum fragor haud exaudiretur, ex altera arcium parte armatis turmis cum clamore, & strepitu horridiorem, uel simulatione, uel seriò inferebant insultum. Verum ubi iam murus eo spatio, quo supra specum porrigebatur, pendulus totus est factus, ita ut lignis duntaxat incumberet, aridiore undequaq́ collecta materia, igneq́ iniecto confestim ipsa sustentacula correpta perfringebantur, & imposito ponderi concessere. Presidij autem pars omnis, quæ tignis subleuata detinebatur, in uacuum collabendo subsedit, turresq́ ea è regione, & propugnacula celerrimè à cętera compagine diuulsa, in decliue deferebantur, foribus atq́ portis arctissimè cohærentibus, simili ruina concussis: quibus artibus etsi Agathius de bellis Gothorum Narseti talia conanti, nihil pręter damna aduersus Gothos expugnandos cessisse commemorat, eò quòd Gothi in unum coëuntes ualidè se tuebantur: in Gothicis tamen regnis maxima pars hostium, siue domestica, siue foranea hęc fuerit, hoc igneo commento deletur, prout olim potentissima præsidia sub uarijs temporibus, & tyrannis funditus sunt euersa, fortè quia acrioribus præliandi uiribus fortissimę gentes mutuò se collidebant, facilioriq́ compendio uastas lignorum congeries sine pretio ad eum effectum comportare ualebant.

De suffocatione arcium tyrannorum.

CAP. XXVI.

IGne superius, hic aqua contenditur, quid fieri solet contra impios, aut inhumanos, qui legibus se reputant ita exemptos, ut mitius bestias, quàm homines tractent. Quocirca unicum, extremumq́ remedium aliquando etiam apud populos Septentrionales, ut concurrente natura loci instar diluuij, inuincibiles tyranni cum omnibus impijssimis ministris suffocandi corriperentur, quando pręsertim nullo commouebantur sceleris horrore, ætatis commisera-

tione,



tione, priuata amicitia, publica calamitate, generis propinquitate, locorum aut perſonarum reſpectu, numinis reuerentia, diei uel temporis obſeruantia, iuſta cõfœderatione, concordia, uel ſocietate pacto, precibus, uel pretio, lachrymis, uel cruciatibus, oppreſsionibus, aut miſerijs, honeſtate, aut pudore, innocentia, aut imbecillitate, incendiorum conflagratione, aquarum depopulatione, agrorum & annonæ ſterilitate, terrarum deſolatione, hominum mortalitate, prudentium conſilio, propria euitanda morte, infamia ſtirpis, aut generis, & reliquis cauſis non obſtantibus: ſed perſeuerabant duri, pertinaces, obſtinati, incorrigibiles, ſtupidi, inſenſati, intractabiles, feroces, auſteri, rigidi, contumelioſi, opprobrioſi, elati, inflati, mordaces, uindicatiui, iniurioſi, minaces, crudeles, atroces, impij, impari, periuri, blaſphemi, irriſores, inſolentes, omnes deſpicientes, & denicꝫ in omni diabolica rabie deſperati, nullam admittere, uel audire uolentes concordiam, quietem, aut tranquillitatem: ſed ita cunctis ſuperbè reſiſtebant, donec uel exirent ad patrandum horribilius malum, uel morbo, famecꝫ more beſtiarum ſe mutuo lacerarent.

De eodem, ſed ſpecialius.

CAP. XXVII.



QVocirca ne populus tot malis afflictus, longiore obſidione cum publico, & priuato grauamine premeretur, maioracꝫ incommoda tędioſius pateretur, & ipſe quoque in furiam, furoremcꝫ atque irreuocabilem ferociam uerſus, ualles circumquacꝫ ceſpitibus, arenis, terris, ſaxis, aggeribus uno impetu congeſtis claudebat, lacuscꝫ, & amnes, ac ſcaturigines, & indeficientes uenas (quę ubicꝫ ob reſolutas niues ſunt reperibiles) aperiebat & ita finem ſuis calamitatibus, ærumnis, & laboribus quiſcꝫ in ſua reuerſurus imponebat. Ne autem nobilis, diuescꝫ ſupellex, & opulenta prędа (quam populus uix attendit) arcibus incluſa periret, Principis edicto confiſcabatur, canalibuscꝫ adaptatis aqua in commodiore exitu, partim pro molendinis relaxanda, partimq́ue ad prata irriganda, uel ſteriles campos, effluere ſinebatur. Qualem uerò modum Cimbri, gens Dytmerſia præſertim, in aperiendis claudendiscꝫ riuis, canalibus, & foſſatis ſingulari ingenio natura concurrente, ad integros equeſtres, pedeſtrescꝫ ſuffocandos exercitus in prompta mutatione retinent, qui uidere uelit hiſtorias Danorum, præcipuè Regis Ioannis circa annos Domini M. D. intueatur. Sed necꝫ fortiſsimi Gandauienſes admirabili aquarum munitione contra quemcuncꝫ bellicum inſultum uidentur à natura, uel arte ſecluſi. Ex his ergo infertur, nullam uiolentiam tyrannorum perpetuo manere impunitam.

De im-




De impugnatione arcium, ac urbium per rates.
CAP. XXVIII.



VT bellorum multiplices sunt causæ, & origines, ita & ducum ingenia, loca, & opportunitates prouidētius sunt attendendæ. Cum igitur arces, aut ciuitates in fluminibus, aut aquis stagnalibus collocatæ sint, sudibus, palisq́ꝫ, & trabibus ac ferreis catenis circūquaq́ꝫ in uertice palorum pendentibus premunitæ, similiter & in accessi aggeres, ac portę, tunc fideles, ac ingeniosi pręfecti, seu duces, ratibus latissimis, ac robustissimis petrarias bombardas imponere solent, ut & ignem in obsessos eijciant, & occupatos in eius extinctione globis lapideis occidant. Præterea longioribus, densioribusq́ꝫ machinis, seu bombardis ferreos globos inijciunt plerunque geminos, aut quaternos, prout situs admittit: diligentissime cauentes, ut hic bombardarum usus expertissimis, simul & fidelissimis dirigendus committatur, quia sicut in campestribus prælijs spes maxima uictoriæ est, ut fideles, & periti habeantur duces, ita in aquis nulla uictoria, imò damnum, & confusio à proditoribus exercituum, & bombardarum sunt formidanda. Quomodo autem perfidi possint, aut soleant proditorie agere, præsenti, aut altera pagina (licet aliquid horum non penitus ignorem) haud exponam, ne forte ignotum, aut abditum aliquorum tradimentum noxia publicatione commune subiungam. Satis est enarratum, si duces attendunt, qualiter artis huius magistri eleuent, uel deprimant ipsas bombardas, insuper & quantitatem, qualitatem, ac proportionem puluerum, & globorum, prout superius cap. 9. dictum est: & quo liquore, aut quàm cito, uel tarde leuentur, aut purgentur, & præcipuè quomodo os igniuomum in ipso aggressu bellico sit apertum, uel occlusum: alioquin euenire poterit, ut qui uictoriam multo labore, expensis, ac periculis nancisci desiderant, turpi paucorum perfidia hostium seruituti, ludibrio, aut morti, aut quod deterius est, longissimæ captiuitati (quę immortalis uidetur) subita mutatione subdantur. Sępe tamen accidit, ut omnibus bellorum apparatibus instar urbis, obsidio multorum millium armatorum, tam aquis quàm terris composita, & ampliata, uno ictu bombardæ confusissimè labatur dissoluta, quemadmodum superioribus annis extra nobilissimam Frisonum urbem Groningam accidisse memoratur: ubi puerulus bombardarij filius, artem parentis imitari uolens, igne immisso in maximam bombardam, caput Illustrissimi ducis in obsidione foris milites exhortantis, ferreo globo euulsit, totum exercitum confusum, ac uagum illico reddens, & obsessos utcunque quietos. Imperia etenim tam citò, uel citius forsan amittuntur, quàm facilè acquiruntur. Spes tamen uictorię est, si exercitus caret proditoribus, & alias uincere consueuit.

De campestribus scalis duplicatis.
CAP. XXIX.

IMago hæc magna non indiget declaratione, cum seipsam manifesta operatione declaret: solum satis est hic uidere milites Septentrionales, Gothicæ præsertim regionis, ingenio & uiribus non carere, ad arces quomodolibet debellandas. Vnum tamen hic uidetur de longitudine scalarum consyderandum, quod tale est: Si muros, & mœnia sui eleuatione triginta, uel quadraginta pedes,



pedes, aut magis uel minus habere intuentur obsidentes, secundum hoc rotatas adaptant scalas mensuratæ longitudini, & amplius correspondentes: quas diuersis in locis collocant, maiorem obsessis curam, & formidinem, quòd eo, uel his locis fortiorem insultum assumere non retardent, incutientes. Sed neq; sine suspicione sunt obsessi, quin hęc manifesta indicia maiores insidias alibi tectas afferant, quàm hic terrores emittant: licet paucissimis ex obsidentibus ante ipsam aggrediendi horam, animus ductoris quid, & ubi aliquid efficere uelit, apertus fiat, ut obsessos inuadat. In negotijs enim arduis, domesticis parcè fidendum est, donec bene digestæ rei effectum felicior euentus ostendit, propter nefandissimos proditores, qui tempore belli in machinis, & scalis impediendis, quando commodè utendæ sunt, & admouendæ, secretius adesse solent, ut Principis, seu ducis occultum propositum in nihilum ruat. Quod si in bellicis instrumentis propter diligentem eorum custodiam manibus aliquid efficere nequeunt, dicunt incommodum fore tempus, locum, trepidos milites, annonæ defectum, aquæ, pecuniæ, & instrumentorum, quibus sperandus est triumphus: quæ omnia hęc fermenta sunt seditionum, ut principes, ac duces, nisi caueãt, in optimo proposito, & occasione eludantur: quia eò sceleratorum audacia tendit, prout sæpius in expeditione contra inimicos Crucis Christi deprehenditur attentatum.

De modo arcium obsidendarum.

CAP. XXX.



TAmetsi funibus ferreos hamos alligatos habentibus, turri, muro, uel fenestris ingeniosa eleuatione hastarũ affigendis, in obsidionibus utuntur armati, quasi flexibilioribus, ac commodioribus ad portandum instrumentis, more scalarũ interpositis nodis, ut pedetentim fiat ascensus: tamen communior modus obseruatur in scalis, siue simplicibus, siue duplicibus, aut triplicibus, iuxta mœniorum altitudinem eleuandis: idq; nedum æstiuo tempore in terra, sed & hyberno in glacie fieri solet. Duplices tamen, seu triplices scalæ adhibentur, dum magna militum multitudine celerius, ac fortius muri sint ascendendi. Agitur namq; seriosius, & audentius eo casu, quàm alibi in quocunq; militari congressu, ubi milites ascendẽtes, uéluti signa ante sagittas, donec cominus deueniatur, ad pugnam positi conspiciuntur. Sicq; ascensuri galeis utuntur rotundis, & latis, similitudine pluuialium pileorum: & hoc propter effusionem ardentis calcis, quasi pulmenti in sartaginibus ad eum effectum decocti: quod omnium tormentorum (ut superius libro eodem 24. cap. dictum est) terribilius est, propter naturalem urendi uim, quæ unquam excogitari possit. Habent enim Septentrionales calcifodinas ferè ubiq; copiosas: de qua calce uiua quilibet præfectus castrensis ex consuetudine militari tenetur esse prouisus, sicuti de carbonibus: licet de ijs minutis rebus postrema memoria uidetur haberi, uti superius lib. eodem cap. 19. est ostensum, titulo de Rebus necessarijs in obsidione. Galeis etiam latis sublimiori loco positi bellatores è capite amotis, tanquam clypeis contra infernas sagittas utũtur, dum super eorum

eorum capita nullum immineat periculum, uel discrimen. In campestribus rotunda habetur galea, sicuti in equestri congressu flexibilis, ac cuneata. Sed hæc exigua est securitas, ob emittendum sputum, quia anteriori eleuata parte ori aperto infiguntur ferreę sagittæ, dum instar imbrium emittuntur: quo casu scio nobilissimos uiros in exercitu Danorum Regis Christierni 2. in Suetia M. D. XX. perijsse. Sunt etiam squamatæ galeę, quali usus est olim strenuissimus uir montanus Engilbertus: qui ob tyrannidem crudelium pręfectorum Regis Daniæ Erici Pomerani, centum millium armatorum ductor descendit in Schoningiam, ut domesticam iniuriam (nullo iuris inuento remedio, longa patientia quęsito, & expectato) in alienam ultionem propulsaret. Nec erat in tanto exercitu querela ab incolis rapti oui, uel gallinæ, ubi iter agebat, quemadmodum charissimus frater, & antecessor meus Ioannes Archiepiscopus Vpsalensis in historijs Sueticis, ac Gothicis de eiusdem Engilberti gestis attestatur. Congruit etiam hic adducere magnificum opus Serenissimi Ferdinandi Hispaniarum Regis iuxta relaxationem doctissimi historici Laurentij Vallæ, quod ipse Rex unam scalam procerem habuit, quam super machinam in sublimi erigi fecit, latitudine decem pedum ab imo ad superius: in qua centum armati stare potuerunt, & post hos in machina latebant alij centum, & deinde totidem cum rebus medicinalibus per uices sagittantes, ne quem in muris sinerent prospicere. Et hæc merebatur dici, & esse militaris scala.

Adhuc de alio modo arcium, & ciuitatum per rates impugnandarum. CAP. XXXI.

RAtes hoc casu appellantur densissimę trabes longitudine 35. uel 40. pedum ferreis, uel ligneis ligaminibus lateraliter perforatæ, atq; certo ordine, & numero coniunctæ: quæ ut a terra, ubi fabricatę sunt, ad usum prædictum dimittuntur, rotundis lignis quasi altioribus rotulis priori, posterioriq́;, & media parte supp ositis, facilime in aquas fossales, uel fluuiales submouentur: idq; sub nocte longiore, ut necessarijs instrumentis pro perforandis aggeribus uel rumpendis muris adhibitis, facilius, celeriusq; bellatorum uiribus ad hoc opus debito ordine, loco, & numero conuocatorum, ubique obsessos circumuenire, & ad deditionem constringere possint. Attamen hæc aliquo loco aptiore pertinacius, quàm alio fortissima deputata cohorte intentare solent, licet plerunque frustra, maxime quando prouidi defensores ęque fortes, uel fortiores custodiunt arces suas, prout superius fuerat enarratum, & adhuc infrà loco opportuno ostendetur. Ex his igitur ratibus diligenter gubernatis, fortitudine, & impulsu tormentorum fieri solent insignia damna in obsessos, donec elucescẽte die remedia opponant cõuenientiora.

De cautelis cominus congredientium. CAP. XXXII.

SI prætereà eò deuentum fuerit, ut obsessi & obsidentes, quando cominus sint bellaturi, prius (si furor admittit) qualis hostis occurrit, quam gladius stringatur, explorent, ne fortè tam nobilis, grandis, opulentus, splendidus, magnificus, & illustris sit, ut loco, tempore, signo, ac nomine, militari uirtute, & lege constrictus, facilimo compendio uel integros bellorum sumptus reficiat, aut optimis conditionibus absoluat, ac dirimat bellum, uel diuini æquitate iudicij in eo loco superatus intereat, quo furibundus accedens, omnia uastare cupiebat, quatenus in malis conatibus uideatur oppressus, quòd simul aduẽtum suum iunxisset, et exitum, quasi salutaris ferri excęcatione purgatus, ut iniquè præsumentis uindicaretur ac

cessus, & excessus, & obsessorum periculum leuaretur, & incommodum. Quo casu uel reperitur hostilis refrenata, uel castigata temeritas, uel uia reducta, qua obsessis in angustia succurratur: imò tunc ab hoste securiores exultant, quando de famis periculo conspexerint se liberatos. Arduam tamen fideles obsessi patientur famem, uel mortem, antequàm dominum suum inimicis præbeāt illudendum & se bonis, & uita spoliandos, ac in despicabilem seruitutem redigendos: & si qui milites tam delicatuli sint, ut ob defectum usitati potus, uini, uel ceruisiæ, aut escarum, uel fructuum recentium, obsidionem continuare noluerint, liberari quidem poterint ab instantibus incommodis, sed nunquàm in cœtu militari, uel aspectu Principum sine nota infamiæ, multominus nouo honore acquirendo præponendi, audebunt comparere. Igitur in obsidione equorum, cattorum, glirium, follium calceorumq́, etiam sine condimentis delicatus cibus ijs est, qui fidem, & honorem collocant in summa æstimatione: ubi prouidentia attenta omnia prius ad necessariam opem importassent, ne hostili ludibrio subderentur, & periculo propriæ uitæ.

De commendatione uirorum fortium bellatorum.

CAP. XXXIII.



QVanta sint laude digni fortes uiri, ac constantes bellatores in re militari, non paucis præconijs, ac titulis exponi posit: qui in extremis angustijs proprios Principes constitutos non deserunt, aut debita fide non defraudant: quemadmodum illi degeneres, & sceleratissimi sunt, qui uilissima transfugæ conditione ad alienos dominos fugiunt proprij domini fingentes odium, uel morbum imò propriorum membrorum mutilationem, ut alterius sibi procurent affectum, & utilitatem, prout superius de natura immanium proditorum in parte uidetur expressum. Igitur ipsi fortes uiri digniori laude reputandi sunt, qui diuina iudicia aduersitatis proprij domini expectant, antequam euolent ad alienos ijsq́ ut merentur, largius à nouo domino



premium expectant, & consequuntur, qui fidelius eius hostibus seruierunt: nec aliqua nouitate, uel terrore moti, alium Principem adierūt, donec ad animam proprio domino in mortem usq́ assistere non formidarunt. Non deessent hic præclarissima scriprorum exempla, nisi apertum esset, quàm excelsi nominis, ac meriti, & reputationis sint uiri fortes, fideles, & militares, quos & iustos Ambrosius uocat. Prudenter enim sequi solent communes casus, ac diuinę operationis effectum, ut humana fide commendatiores habeantur. Et hinc euenit, ut credita sibi negotia tanta integritate disponant, quòd in admirationem cadat eorum perfecta fidelitas, quę aliàs tam pertinax fuerat in uaria contrarietate. Insuper quod infatigabili cura male dispersa per adulatores (qui pluribus dominis potius illudunt, quàm seruiunt sagaci industria resarcire, augere, & conseruare conantur, maxime ut

mè ut ita domini coalescat utilitas, quòd priuatæ subditorum commoditati non inferant damnum: imò in summa uiri fideles, & fortes (licet ualde rari sunt) ad hoc laborant, quod inter subditos sit concors affectus, ut termini siue in censu, siue in possessionibus constituti, & præscripti, pro publica omnium quiete maneant inuiolati. Tales etiam uiri fortes plurimum audacię habent, in periculis capessendis, plurimumq; consilij in difficultatibus euadendis: quia animus eorum nulla afflictione uinci, nec corpus infringi laboribus poterit, aut ęrumnis: dura humo, uel silice potius ad quietem quæsita contenti, quam molli lecto, qui delicatulo seruit non armato.

De adulatoribus aulicis.

CAP. XXXIIII.

LOco superiori huius libri rectius iste titulus inter proditores promeruisset speciale capitulum, quam hac retardata positione. Ea etenim horum artificum connexio est, ut uterq; ueluti nouacula acuta, antequam sentiatur, anticipet dolum: qui illico detectus ingeminat cruciatum. Tres igitur regiones in Septentrione sunt, continua terra coniunctæ, Gothia, Suetia, Noruegia: quæ licet austeritate suæ originis, & proprietatis nil minus, quàm adulari norunt, aut nosse uolunt tamen ex Aquilonari Moscouia, Græca calliditate instructa, & ab Australi Cimbria, proprio & naturali ingenio prædita, frequentius prouenit, ut in prędicta regna plures perueniant adulatores, & detestabiles adulationes: quę pro tanto pessimæ reputantur, & uirulentissimæ, quòd (teste Isidoro) ab amicitia relegantur, ab ipsaq; ueritate longè abesse dignoscuntur, & coguntur: eiusq; rei inopia laborant magna fastigia, ac omnia possidentibus deest qui uerum dicat. Vna enim horum est contentio, qui blandissimè fallant, & quodcunq; dixeris, feceris ue, sine discrimine laudant, & assentando extollunt, uultum fingendo, & nutum, non autem mentem, & uoluntatem loquentes. Astat enim, teste Terentio, turba Gnatonum, Ait quis, aiunt: negat is, quoq; negant. Et ut ex Plutarchi Moralibus colligitur, ij chameleonis naturę assimulantur: is enim omnem imitatur naturam, pręter album. Sic adulator in turpibus nihil non imitatur, solum quod honestum est, imitari non potest. Vt etiam pictores illustrant lucida appositis umbris, & obscuris: sic adulator laudans diuersa uitia, nutrit, ac fouet, quę adsunt. Et ut aspides, quem percusserunt, corpore somnoq; necant, cum harum uirus sit omnium maximè insanabile: ita certissimam perniciem afferunt adulatores, qui sic inficiunt hominis animum, ut illi sensum sui adimant. Vt igitur pestiferum hunc morbum quis effugiat, ab his adulatoribus animum ad rationem traducens, ex Thaletis Milesij sententia seipsum noscat. Hac enim ratione perfacilè intelliget, uerum ne sit, quod illi prædicant: quo cognito adulatores huiusmodi ignominia notatos, quisquis sanę mentis extiterit, longè abigendos censebit. Sunt & alia multorum militum aulica scelera, teste Pompo. Læto uidelicet rapere, stuprare, necare, incendere: in quibus & ipsi Principes pleriq; usquequò delectantur, ut taliũ insolentia non punita tandem perimantur, tanquam à furiosis alumnis, quibus ansam prębuere peccandi. Accidit etiam sępe, ut multitudo imperita bene de se meritos uiros iniurijs quàm maximis afficiat, & ex secundis rerum gestis cæco quodam impetu feratur, ut æquè domino ac hosti nocere uideatur.

De crudelitate prædictorum adulatorum, proditorum, & aduenarum, sæpius in Regia ciuitate Stocholmensi sæuissimè perpetrata.

CAP. XXXV.



STocholmia celeberrimum emporium totius regni Suetiæ, imo Septentrionis est: in quod ex omni gente & natione, maximè autem ex Germania inferiore (ut uerbis charissimi fratris, & antecessoris mei Io. Magni Archiepiscopi Vpsalensis in uita Regis Alberti utar) ciues conscribi consueuerunt: & inter eos non rarò miscentur illi, qui uel ob æs alienum, uel turpe aliquod facinus in sua patria nequeant commorari: hi crescentibus diuitijs solent sæpe naturam, quam paupertas occulerat, aperire, & patriæ, à qua benigna hospitalitate excepti fuerant, extremam moliri perniciem, maximè quando principem talem assequuntur, sub quo omne libitum licitum esse putauerint. Tales igitur Teutones in ciuitate Stocholmensi tempore Regis Alberti 170. inuenti fuerunt: qui occulta conspiratione colligati, se Cucullatos fratres appellitabant: creuitq; posteà eorum numerus ultra mille quingẽtos. Horum studium præcipuum erat, coniectis in Suecones, & indigenas conuitijs, ad rixas, & lites prouocare, ut demum apud Regem delatos uita, aut fortunis, uel pariter utrisque spoliarent, prout posteà actum est. Nam ut eos exquisitis tormentorũ generibus crudelissimè dilaniarent, aptabant ex ligno serras, quibus eorum præstantiores ita usque mortem tormentabant, ut magis ad horrorẽ tam crudelis facti ingemiscere, quàm scribere oporteret. Tandem reliqui ciues Sueci sub mediæ noctis silentio ex arce Regia, ubi captiui detinebatur, per naues ad proximam insulam iactu ballistæ distantem, Cheplinge dictam exportati uiui, in domo quadam inclusi digitis in perforato pariete cuneorum impressione afflixis, superiecto igne combusti fuerunt, maiore quidem numero, quàm affirmari possit: nam ut oues colligati plures intrudebantur comburendi. De hac urbe Albertus Crantzius in hunc modum meminit: Stocholm insigne Suetiæ emporium, insigni clade afficiebatur: nam de cœlo fulmine tactum, penè totum conflagrauit. Perierunt mille sexcenti homines. Sed miserabilius, quod sequitur: Fœminæ proles, & sine numero puellæ nauibus res suas inuexere cum paruulis, at ob nimiam confluentium pressuram, incendium fugientium, in ictu oculi pariter suffocati, periere.

De origine, & situ huius regiæ.

CAP. XXXVI.

PRæcipuam hanc Sueonum ciuitatem, Regiam Stocholmiam à fundamento illustris, & fortissimus uir Regius tutor Birgerus Ierl à fundamentis erexit, murisq; & mœnibus fortissimis communiuit, in loco adeò opportuno, & necessario, atque inuincibili, ut nihil unquam commodius per eum excogitari potuisse credatur. Est enim locus torrentibus undique munitus (quondam solis piscatorum usibus usurpatus) atque inter aquam salsam, & dulcem ita positus, ut porta totius Suetiæ appellari possit. Prius enim Estones, Moschouitæ, Rusi, Tauesthi, per eas

per eas fauces continuè ingrediebantur, & clandestinis incursionibus Sueones, nullam hostilitatem suspicantes adorti prædabantur: factaq; ingenti hominum strage, liberè, & impunè, atq; maximis spolijs onusti, in suas terras euaserunt: quo incursu Ioannem secundum Archiepiscopum Vpsalensem in sua propria mansione Almersteck occiderunt, & nonnullos alios clarissimæ stirpis, & memoriæ proceres. Sed hac Stocholmia extructa, omnes & singuli diuturnam pacem assecuti fuerunt, hostes uerò sempiternam formidinem: qui uiso tam insuperabili præsidio contra quoslibet inimicos in reliquum tempus erecto, à diripienda Suetia abstinuerunt. Quam tamen Holmiam si quis obsidione cingere, uiribusq; superare præsumpserit, nunquam proficiet, etiam si pertinax perseuerare posset in omnimoda eius obsidione. Sita enim est in profundissimis aquis, & rapidissimis fluminibus, duas solùm portas longis interpositis pontibus ex Austro & Aquilone tenens: quæ portæ, pontesq; plus Regibus Daniæ constant in frustrata impugnatione, quàm decem maiores sui regni ciuitates. Nec obsideri poterit, nisi tribus fortissimis exercitibus in insulis solida terra, & aqua distinctis: qui tamen exercitus nullo tempore à sagittarijs terrarum subitò congregandis securi uidebuntur. Probet qui uelit, & inueniet terribiliora.

De Birgeri Ierl uiri Illustrißimi uita, Stocholmiæ fundatione, & Ioannis Archiepiscopi Vpsalensis interitu: Ioan. Mag. lib. 19. in uita Valdemari 131. Regis interni. Plura aliâs habes de Stocholmia in uita Alberti suprà pag. 78.

Valdemarus Birgeri ducis filius, cum pater in Tauestia contra Christi inimicos feliciter (ut diximus) militaret, ipseq; Rex Ericus auunculus eius sine liberis mortuus esset, ad Gothorum & Sueonum regna concordi procerum electione assumptus est: ad quod pręcipuè cooperatus est quidā inter Sueonum proceres nobilissimus, nec minus in rebus gerendis prudens, Iuarus Blao, non longè ab oppido Enecopensi in castro, quod Viridemburgū cognominauere, mansionem complexus. Hic defuncto Erico, cum primum inter regni senatores locum, & autoritatem haberet, cōtractis in concionem proceribus, & populis, docet Regem uacanti regno quantocyus pręficiendum esse. Cuius exhortationi tantum ab uniuersis concorditer tributum erat, ut Regem, quem uellet, liberè designaret. Eo igitur Valdemarū pręmortui Regis Erici ex sorore nepotem (quamuis minorennē) nominante, mox cōcors procerum, & populi consensus, Regium iuuenem à tam prudente senatore nominatum approbauit, circa annum Christi M. CC. LI. Interea Birgerus ex Tauestia cum gloriosa uictoria, & integra classe ad Suetiam reuersus, didicit filium suum in defuncti Regis locum surrogatum. Quod etsi grato, atq; iucūdo animo audire debuisset, animum tamen suum ambitioni permittēs, satis ostendit, sibi potius, quàm filio regni diadema imponi uoluisse. Proinde coram conuocato regni senatu, quasi electionē cassaturus, expostulat, quòd se non expectato noui Regis suffectionem accelerassent. Deinde interrogat, cuiusnam audacia effectum sit, ut is eligeretur in Regem, qui nōdum per ætatem seipsum regere posset. Ad hæc inquit Iuarus: Ego sum huius electionis autor, qui singulari beneuolentia in te usus, nolui te hominē senio confectum, quamuis optimè de nostra Repub. meritum, tam graui onere administrandi regni obruere, quod ego ipse in me collatum recusassem. Attamen si tibi electio, quæ de tuo filio facta est, displiceat, tu tibi recipe filium tuum, tuæq;, & eius saluti, uti uolueris, & potueris, melius consule, & nos interim facilè inueniemus, in quem Regię dignitatis honorem & officium imponemus. Cui Birgerus, nondum deposita spe assequendi regni, dixit: Certum est, regnum sine Rege subsistere non posse: quem ergo, cassata filij mei electione, eligetis? Desub hac tunica, inquit Iuarus, qua induor, Regem extrahemus. Quo audito, Birgerus magis timuit, ne tam ipse, quàm filius à Regio honore deijceretur: consensumq; factæ electioni confestim præbuit, pręfatus, se omnia dixisse, ut intelligeret, an omnium suffragia conformiter in filium collata fuissent: egitq; singularibus uerbis gratias tam Iuaro, quàm senatui, quòd filium suum tanto honore extulissent, & ornassent.

Tum ex senatusconsulto datus est Regi iuueni tutor, seu curator, unus ex optimis regni proceribus, cuius nomen historiæ per negligentiam, ut multa alia, omiserant. Hic omnia domestica Regis negotia ita fideliter, & diligenter curabat, ut nec Regi, nec eius familiæ quicquam deesse pateretur, quod sua solicitudine poterat comparari. Interim Birgerus regnum

circuiens, omnia publica negotia prudenter administrabat, legesq; multas, & bonas constituit, uel pridem constitutas emendauit, summoperè curans, ne quisquam earum prætextu innocentibus iniuriam inferre auderet, sed ubiq; iustitia inuiolata seruaretur. Omnesq; liberos suos ad iustitiam, & omne genus uirtutis educari fecit. Habebat enim post Valdemarum genitos, Benedictum, qui creuit in Episcopum Lincopensem, & ducem Finlandiæ: prę terea Magnum, postea Regem: & Ericum præmatura morte sublatum. Creuit itaque huius Birgeri autoritas in utroq; regno non minus, quam si Rex esset. Nec erant aliqui in toto populo, qui ei resistere auderent, excepta una familia Folchungorum: qui etsi suę generationis principium ad nobilissimum, atq; integerrimum principem Folchonem referrent, nihil tamen paternæ, aut auitæ probitatis in eis relucebat. Erant enim ad omnia nefaria opera parati, contemptisq; legibus non ut nobiles, sed ut prędones huc illucq; ferebantur: quasi dicere uoluissent: Quid ad nos de isto Birgero Ostrogotho, aut eius filio? Quocirca Birgerus tot atrocibus iniurijs lacessitus, constituit eorũ uiolentiam uiribus, & armis reprimere: collectoq; exercitu, in apertam pugnam contra eos descendit. Nec illi pugnam detrectabant, sed coactis undiq; militibus, ducem Carolum in suę factionis principem eligentes, se aduẽtanti obiecerunt. Et cum fluuius inter utrunq; exercitum medius pugnã impediret, Birgerus ad stratagemata non satis honesta se conuertens, conabatur Folchũgos ad se sub spe reintegrandæ pacis aduocare. At illi eius fidem suspectam habentes, persuaderi non poterant, ut se ad eius colloquium conferrent, donec Colo Episcopus Lincopensis de Birgeri integritate confisus, iusiurandum de eorum saluo accessu, & regressu præstitisset. Sed cum transito ponte in castra Birgeri peruenissent, confestim comprehensi trucidantur: quod Episcopus Colo adeo grauiter tulit, ut nunquam deinceps eo ore sanctum Christi corpus consecraret, quo nobiles uiri ad interitum deducti fuerant: sed relicta ecclesia Episcopali, & patria, ad Christi sepulchrum profectus, uitam peregrinatione, & exilio finiuit.

Carolus autem Folchungorum dux eo tempore, quo cæteri decepti fuerunt, aberat. Susceptus tamen in Birgeri amicitiam, non magis posteà, quàm antea se securum putabat: fuitq; necessarium, ut, si diuitius uiuere uellet, patriam ipsam exilio commutaret. Veniens igitur in Prutenorum terras, incidit in quoddam graue bellum, quod Pruteni aduersum idolatras Lituanos committebant: ad quod se ob defensionem sanctæ religionis immiscens occiditur. Neq; enim, ut ab eo bello abstineret, quocunq; modo à Cruciferis militibus persuaderi poterat: tantus quippe fidei feruor inuictissimum cor eius accenderat, ut se felicem beatumq; existimaret, si pro Christi honore transitoriæ uitæ reliquias erogaret. Sed non inultus obiuit: nam ingenti numero barbarorum sua manu protestato admiranda fortitudinis opera ædidit, cunctis Christianis, qui funestæ pugnæ supererant, ob eius præmatura funera, collachrymantibus. Nec Birgerus, comperta eius morte, se à gemitu continuit, quamuis mixtum dolore gaudium haberet, quod à tam potente aduersario liberatus esset: quẽ etiam deposito omni uetere odio honestis exequijs prosequendum curauit. Egitq; grauem pœnitentiam à Laurẽtio Archiepiscopo Vpsalensi impositam, quod stragem nobilium Folchungorum (fracta fide) perpetrasset. Deinde clemẽtius cum omnibus incolis agens, omnia publicæ pacis negotia studiose exequebatur. Nec minor in diuino cultu propagãdo erat. Quippe monasteria, & templa plurima erexit, sacerdotijsq;, & prouentibus auxit, rectè existimãs, quod ad piorum Regum, & Principum officium præcipuè spectet, diuinam maiestatem in Christianæ Ecclesiæ ministris honorare. Interea etiam, habito illustrissimæ coniugis suę, & procerum consensu, Sophiam Danorum Regis Erici filiam, Valdemaro in coniugem accepit, restituta cum ea magna parte Schoningiæ dotis nomine, quę (ut prius diximus) semper fuerat inter Gothos, & Danos maximorũ occasio bellorum. Celebratæ fuere hæ nuptiæ in oppido Ionacopensi, quod situm est in Australi Gothia ad litora uastissimi lacus Vether: in quod Gothorum, & Sueonum, ac Danorum ingens multitudo confluxerat, pompam nuptialem immenso apparatu instructam contemplatura. Qua peracta, Birgerus magno studio, maximaq; prudentia sese ad regni administrationem conuertens, nouas denuo leges, approbantibus incolis, condidit, præcipue de hęreditate inter sororem & fratrem, ac pace domestica non uiolanda, compluresq; alias non minus necessarias, quam utiles, quæ ob singularem earũ æquitatem, etiam nostro tempore, publico omniũ consensu obseruantur.

Sed omnia eius præclara, & magnifica opera excedere uidetur, quod præcipuam Sueonum ciuitatem, & regiam Stocholmiam à fundamentis erexit, murisq;, & mœnibus fortissimis communiuit, in loco adeo opportuno, & necessario, atq; inuincibili, ut nihil unquam commodius per eum excogitari potuisse crediderim. Est enim locus torrentibus undiq; munitus, atq; inter aquam salsam, & dulcem ita positus, ut porta totius Suetiæ appellari possit. Prius enim Estones, Moscouitæ, Rusi, Tauesti, per eas fauces continuè ingrediebantur,

& clandestinis incursionibus Suecones, nullam hostilitatem suspicātes, adorti prædabantur factaq; ingēti hominū strage, libere, et impune, atq; maximis spolijs onusti, in suas terras euaserunt: quo in cursu Ioannē secundū Archiepiscopum Vpsalēsem in sua propria mansione Almerstech occiderunt, & nonnullos alios clarissimæ memorię proceres. Sed extructa Stocholmia, ciues perpetuā pacē assecuti fuerunt: hostes uero sempiternam formidinem, uiso tam insuperabili præsidio, contrahentes, in omne reliquū tempus à diripiendo agro Suetico abstinuerunt. Sunt pręterea q̄ plurima alia per Birgerū Ostrogothū magnifice gesta, quę ostendunt, ipsum plus utriq; regno præfuisse, q̄ multos ante eius tempora Reges. Inter quę silendum non est, quod semper prudentes præfectos per totū principatum ordinauit, à quibus populi magis ad publica, & priuata commoda instruebantur, quàm actionibus opprimebantur. Quod si nostro tempore seruaretur, felicem Rēpublicā haberemus, qui uix eius uestigium cernimus. Ego audeo polliceri, quod si sapientes præfecti per terras illas constituerentur, qui scirent & uellent commoditates à natura concessas, ad publicam patrię utilitatem conuertere, infra finem decem annorum tam felicia efficerēt illa duo regna ut ad multa centena millia increuisse uiderentur. Quot enim commoda accrescerent ex sola deriuatione aquarū: quę possent ab ingratis uicinis auerti, & ad cōmunem utilitatem, defensionemq; patriæ facili negotio conuerti. Taceo de illis uastis nemoribus, & saltibus cum magno dedecore & damno desertis, in quibus terra est optima, & serendis frugibus aptissima. Nec desunt homines, si à prudentibus Principibus recte in omnes partes terrę distribuerentur. Esseq; ante omnia prouidendum, ne mancipia ex Finlandia, uel alia parte Suetiæ, in exteras terras cum graui totius regni opprobrio deportarentur. Quis sapiens unq̄ mihi negauerit quin nimis ineptum sit illud ignauorū præfectorū præceptum, quo prohibent equos extra patriam efferri, homines uero passim, & libere in alienas terras ad turpem seruitutem deportari permittunt: quasi non esset Regi summus rubor, plus curare equos, & bestias q̄ homines in spem patriæ genitos, & educatos. Taceo similes utilitates quasi infinitas, quibus optimæ patriæ per sapientes Principes prudenter, & efficaciter consuli posset, modo suo officio magis, quam coaceruandis pecunijs intenderent. Sed de his alibi latius.

Tandem hic clarissimus dux Birgerus currente anno à nato Christo M.CC.LXVI. non sine publico omnium bonorum plāctu diem clausit extremum. Sepultus apud suos Ostrogothos in monasterio Aluastra, in Regum monumētis, ad latus suæ consortis biennio ante defunctæ. Eodemq; anno Guido S.R.E. Cardinalis, & summi Pontificis Vrbani quarti legatus ad Calmarniam peruenit. Cuius negotia quę fuerint, & quem effectum acceperint, opportuniore loco dicemus. Interim res Sueticas continuaturi, inuenimus regnum Valdemari post prudentissimi patris occasum, multis uarijsq; modis ad ruinam irreparabilem, pręcipitatum fuisse, ad quod nimium cooperata fuit superbissima illa Danica Regina Sophia, à qua cum tres ipsius Regis fratres, Magnus, Benedictus, & Ericus, non solum nō amarentur, sed ut uiles homines contemnerentur, de hęreditarijs bonis diuidendis cogitare cœperunt. Diuiso igitur patrimonio, quod eis amplissimum à patre Birgero relictum fuerat, ad feudalia bona ex æquo & iusto diuidenda se conuerterunt. Itaq; Benedictus, cum esset in Episcopū Lincopensem designatus, nihil præter ducatum Finlandiæ ambiuit. Erico etiam ad bonorum uirorum arbitriū non contemnēda regni portio attributa est. Magnus autē dux Sudermānię, aliarūq; terrarum Princeps effectus, cœpit se in omnibus operibus ita magnifice, & sapienter gerere, ut omniū oculos in se cum summa admiratione conuerteret. Cum enim uideret Regem fratrem suum ignauos consiliarios admittere, atq; in pretio habere, ipse diuersa uia incedens, prudentiores, qui in toto regno inueniebantur, in suam familiaritatem assumpsit: factumq; est, ut aula ducis in nullo uideretur Regia Maiestate inferior. Quocirca Rex, concepta indies maiore in fratrem inuidia, non solum occulte, sed palam ostendit, sibi fraternæ fortunę felicitatem uehementer displicere. Regina quoq; (ad cuius probitatem spectasset, odia inter fratres extinguere) non modo conceptum odij fomitem non extinxit, sed additis maioribus fomentis acrius imprudentem Regem in fratres accendit. Nec id occulte fecisse contenta, sed palam, & ubicunq; sermo de eis incidebat, conuitijs, contumelijs, & improperijs eos afficere uoluptatis loco duxit, mimam se potius, q̄ Reginam ostendens. Enimuero ducem Magnū, quod parū candido, & flauo capillo esset, faciemq; subnigrā, et macram præ se ferret, cacaborum reparatorē, Ericū uero ineptum, atque insulsum contemptim, & scurriliter appellare consueuit, exemplum cæteris Regis satellibus idem audendi relinquēs. Nec eos in colloquiū admittere dignata, inextinguibili odio se in eos ferri patefecit. Sed Deus omnia iuste dispensans, permisit eam unà cum suo marito ad eam infamiam corruere, quam nulla unquam tempora poterunt abolere. Magnum autem tam gloriosum regem effecit, ut ante eum pauci, post uero nulli tam probi, & magnifici fuisse memorentur.

Accidit enim Reginæ sororē, Iutham, uirginem speciosissimam, ex Dania in Suetiã cum magnifico apparatu, & Regia pompa aduenire, uisendæ sororis causa: quam Rex Valdemarus, missis in occursum eius nobilissimis proceribus, & matronis, tanta beneuolentia excepit, exceptamq́; in palatium suum induxit, ut maior honor alicui uirgini, quantumuis illustrissimæ, à Rege impendi nequiuisset. Sed suberant maligni dæmonis insidię, quibus Regi, & Reginæ extrema pernicies parabatur. Rex enim familiarius, quàm honestius cum ea conuersando, ad nefarij stupri libidinem infelicissimo casu deuenit, prolemq́; ex ea in perpetrati flagitij testimonium suscitauit. Quo uno, & enormi scelere, seipsum omni honestatis opinione exuit, legitimi tori iura corrupit, illustrissimam uirginem uiolauit, sororem sororis pellicem effecit, Deumq́; in publicam totius regni uindictam prouocauit. Tum infelix illa, & nimis superba Regina, satis habebat suæ faciei rugas (ex acerbissimo dolore contractas, omisso alienæ nigredinis iudicio, contemplari. Erat tamen mater trium liberorum ex Valdemaro susceptorum: quorum ptimus erat Ericus, quem præmatura fata (fortè ob paterna flagitia) eripuerunt. Filia uerò Richesa tradita est in matrimonium Primislao Pomeraniæ duci, qui postea factus est Rex Poloniæ, ipsaq́; Regina: & filiam ex eo genuit, Poloniæ & Bohœmię Reginam: postquam ea generatio (ut historiæ Polonorum testantur) cessauit. Altera autem filia Marina maritum sortita est illustrem Principem de Deuenholt. Celebratæ sunt utriusq́; filiæ nuptiæ pariter in oppido Nicopensi: à quo loco, post abundãtissimam dotem à patre acceptam, cum Regia, & sumptuosissima pompa ad terras maritorum suorum honestissimè ducebantur. Interea crescentibus annis, fraternum illud odium inter Regem, & fratres eius, maiora incrementa suscepit, quàm quòd posset aliquo humano ingenio extingui. Habitus tamen est maximus in ciuitate Strengenensi conuentus anno Christi M. CC. LXXV. in quo præsentibus eisdem Rege, & fratribus, omnes regni Pontifices, unà cum tota procerum multitudine, summoperè nitebantur illam fraternam necessitudinem tam periculosè collapsam, & quasi radicitus auulsam, resarcire: maximè autem ad id totos animi sui neruos frater eorum Benedictus Episcopus Lincopensis extendit, qui ducatum Finlandiæ, & omnia sua patrimonialia bona in eorum manus obtulit, ut in mutuam, & fraternam gratiam redire uellent. Sed inane erat, quicquid illi Regi suadebatur, quem Deus ne ámodo regnaret, abiecisse uidebatur.

Magnus itaq́;, desperata penitus cum obstinato fratre cõcordia, sese, accelerato per Ostrogothiam itinere, recepit in Daniam, datisq́; liberalissimis stipendijs, maximum Danorum, Teutonumq́; exercitum conflauit, anno Christi M.CC.LXXVI. Danico etiam Regi Erico pro centum armatis mille puri argenti libras rependit, repensurus post uictoriam duplum. Deinde tot militum copijs subnixus, Vestrogothiam ingreditur, palam affirmans, se aut in eo pręlio moriturum, aut regnum Sueonum à manibus tam ingrati Regis erepturum. Quo audito, Valdemarus, resoluta immodico risu bucca, respondit: Aliquid minus in eius sortē, q̃ regnum aduenlet. Congregata igitur infinita populi multitudine, cõstituit in Vesgothia belli fortunam experiri: quam etiam sibi unà cum certa uictoria firmiter polliceri potuisset, si prudentiam cum tanta potentia coniunxisset. Præmisit enim satis imprudenter magnam populi multitudinē, cum ipse interim electissima militia succinctus, nimis lento gradu, & & cunctabundo animo incederet, pausamq́;, & somnos, ac crapulam (ingruente Marte) in Romundaboda captaret. Interea enim multitudo, quæ sine ductore pręmissa fuerat, ab exercitu ducis Magni in uilla Houa anno Christi M.CC.LXXVII. superatur, & repellitur. Magnusq́; uictoria potitus, uiriliter & animosè processit, cuncta resistentia prosternens, præfatus, se uenturum, ut fractos Reginæ cacabos repararet: occupassetq́; ex improuiso Regē dormientem, & Reginam ad scacos ludentem, nisi quidam equitum ex amissa pugna ad Regem præcipiti cursu aduolasset, uulneraq́; accepta ei ostendens consuluisset, ut paululum regressus exercitum repararet. Sed ille, ut erat improuidus, & meticulosus, atque in rebus bellicis minus expertus, confestim ad fugam se conuertens, non quieuit, donec clàm deserta sua electissima militia, ad deserta Vermelandiæ perueniret. Quo comperto Magnus ex suis expeditissimos post terga fugientis emisit: qui ipsum in quadam uilla cœnantem, & omnia quasi securè agentem comprehenderunt, atque ad ducem, qui interim sibi regnum subijcere festinabat, celerius adduxerunt. Quò adductus Valdemarus, primùm supplex effectus, misericorditer secum agi rogabat: deinde regnum ad manus fratris reponens, asseruit se priuatæ uitæ sorte contentum, dummodò sibi saltem medietas ex paterna hæreditate permitteretur. Tum dux Magnus suæ innatæ bonitatis rationem habens, respondit: Scio quia fratres sumus, & nimis inhumanum esse, fraternam necessitudinem uiolare. Quocirca si me in meo iure liberum permisisses, nec me tam graui odio ad tuæ coniugis suggestionem persecutus fuisses, nequaquam hoc bellum in te suscepissem.



Agam tamen tecum ea, ad quæ me deducit humanitas, ut omnes cognoscant, me maximis beneficijs maximas iniurias compensasse. Statimq; conuocatis proceribus, & regni consilia rijs, assignauit ei totum regnum Gothorum, contentus in regno Sueonum, sopitis illius domesticæ discordiæ fomentis, regnare. Itaq; restituta fratrum concordia, tota patria cumu latissimo gaudio affecta exultauit.

De situ montis Bruncaberg extra regiam Holmensem, & prælijs in eo factis.

CAP. XXXVII.



EXtra hanc Regiam urbem uersus Aquilonarem plagam mons est, seu collis eminens, & arenosus: super cuius uerticem, & obliqua latera, multorum principum, nobilium, ciuium, & plebeiorum acerrima certamina tam uetustis, quàm recentioribus seculis, tamq; per internos, quàm externos hostes sunt commissa. De quibus, quia charissimus frater meus D. Ioannes Archiepiscopus Vpsalensis com plurima uerissimè, nominatimq; in Sueticis, ac Gothicis tangit historijs, non est, quòd ijs repetendis fastidio afficiam lectorem: uno tamen saluo, quòd Christiernus Rex Daniæ eius nominis primus, fugiendo ex hoc monte urgentibus Dalacarlis in acerrimo prælio ad præsidia suę bellicæ classis, quatuor supremos dentes ictu manualis bombardę amiserit, prout inde progrediens ætas in cantionibus, & compotationibus meminisse gloriatur. Prætereà Christiernus 2. fame, & morbo laborantem exercitum suum ęgerrime ex hoc monte transferre potuit per aquas, ad classem retro montes ante hanc Holmiam Meridionali situ conseruatam. Sed nec ibi eundem famelicum exercitum reficere potuit, nisi subdolis pactis ipsius urbis, & regni Principi, & incolis sub fide uiolanda oblatis, sumptus, & escas necessarias à stulte credulis ciuibus pro eodem exercitu, imò sua Regia mensa liberalissima donatione recepisset. Quomodo autem honori suo Regio pro ęterno ęuo consulens satisfecit, dudum ante hanc relationem per alios relinquo pro parte enarratum, quòd scilicet rupta fide sex nobiliores regni obsides secum in Daniam pertraxit inuitos. Hic etiam mons à quodam Brunchone regni proditore, & turpi adultero, nomen ab euentu sortitus est, licet plurimis prouincijs (teste Lau. Valla) mos est, à lętissimis, charissimisque rebus locis ipsis imponere nomen, prout superius de fluminibus, & portubus est ostensum. Erat etiam in hoc monte olim subterranea specus, ubi aliquo tempore uictitabant heremitæ: qui monita salutis prębebant exeuntibus ab ea urbe, donec superueniente hostilitate (qua frequentissimè ea ciuitas uexatur) aliorsum emigrarent, & locus ille in speluncam latronum uerteretur: quibus iterum purgata, repleta iacet humo, ne cuiquam deseruiat homicidę, uel scelerata negotia meditanti.

De

De etymologia montis Brunchaberg & Brunchone Birgeri dapifero: ex Ioan. Mag. lib. 20. Cuius Birgeri, qui fuit 133. Rex internus, uitam ideo totam huc retulimus, quod in eius actis non solum crebra Holmiæ, sed etiam reliquorum insignium Gothiæ & Sueciæ locorum, iuxta tamen conflagrationis Holmiæ (de quo hic agitur) fiat mentio.



Birgerus præmortuo patri Magno (quemadmodum antea electus fuerat) in utroque regno succeßit. Sed quia minor erat eius ætas, quàm tanti principatus magnitudo postulabat, Turgillus regni gubernator à patre designatus, totam imperij molem in suos humeros assumpsit: tantaq; prudentia, ac diligentia omnia Reipub. negocia exequebatur, ut nullam eius partem neglexisse uideretur. Toto namq; tempore, quo regnum gubernabat, maxima ubiq; concordia erat, nullis in toto principatu uel audentibus, uel uolentibus pacificum populi conuictum euertere, aut in aliquo perturbare: eratq; omnium necessariarum rerum tanta abundantia, quantam priora secula uix uidere meruerunt. Superuiuēs autem Valdemarus olim Rex, post fraterna fata, tolerabiliorem indulgentia Turgilli captiuitatem expertus est. Enimuero permissus est liberè, & sine uinculis intra mœnia arcis Nicopensis quocūq; uellet deambulare, & in omnes partes ad mare, uel terras prospicere: familia quoq; decens, & necessaria est ei assignata, à qua nō ut captiuus custodiebatur, sed ut Princeps obseruatus est. Enimuero necessarium erat ipsum ab arcis egressu reprimi, ob summam animi eius inconstantiam. Quippe nec literarum, nec promissionum, nec iuramentorum ullam rationem habere consueuerat, quemadmodum literæ senatorum regni prius adductæ satis ostendunt. Ob cuius etiā demerita Ericus filius eius cōprehensus, atq; in arce Stocholmensi inclusus, similem cum imprudentissimo patre sortē, & captiuitatem experiri cogebatur. Videtur enim iure gētium permitti, ut tyrannorum filij pro paternis sceleribus castigari poßint, ne paternę tyrannidis imitatores effecti, innocētem patriam euertant. Rarò quippe tyrannus dissimilem à suis moribus filium educare consueuit, quemadmodum Suetonius de illo tyranno C. Caligula asserit: qui cum uideret filiam suā paruulam coætanearū oculos ludendo eruere uelle, exultans dicebat: Hæc uerè est filia mea. Quocirca Turgillus regni gubernator ualde necessarium fore putabat, ut consentientibus proceribus, pater & filius à tyrannide pridem amoti, diligenter custodirentur. Eaq; diligentia factū est, ut omnis dissensio, & dissensionis occasio, ab omnibus incolis penitus tolleretur, respicientibus cunctis ad unum Regem Birgerum, & eius tutorem Turgillum Canutum, qui constituta domestica pace, prægrandem exercitum contra Moscouitas, & Carelos per mare, & terras eduxit.

Sunt autem Careli populi limitanei inter Moscouitas & Sueones, qui hactenus gentilitatis errore decepti, idolis sacrificia offerebant, omniumq; uicinorum Christianorum persecutores erant acerrimi, & pertinaces. Hos igitur Sueones potenti manu aggreßi superauerunt, atq; regno Sueonum adiecerunt, erecto in eius confinibus munitißimo præsidio, uidelicet oppido & castro Viburgensi, contra insultum Sarmatarum & Moscouitarum: quæ omnia Turgillus consilio & prudentia Petri Episcopi Arosiensis feliciter consummauit. Hic enim Petrus, cum esset in omnibus rebus gerendis prudentißimus, eodem tempore geminam, & memorabilem utilitatem effecit. Quippe totam Careliam baptizauit, eandemq; munitißimis præsidijs confirmatam, Sueonum imperio subiecit. Sed id mercedis consecutus est, quod pleriq; alij nostro infelici tempore assequuntur. Est enim huius Turgilli persecutione coactus ad Nidrosiam Noruegiæ Metropolim in exilium commigrare: ubi etiam mortem ex dolore contrahens, in fata concesit. Erecta igitur arce Viburgensi, & commeatu, ac hominibus bene instructa, Turgillus cum uictore exercitu in Sueciam remeauit, relicta aliqua parte copiarum, quæ bello acerrimo cum Moscouitis commisso, pręclaram uictoriam referebat: expugnatumq; castrum Kokesholm occupauerunt. Quod cum minore commeatu prouisum esset, & qui in Sueciam aduectandorum uictualium causa transiuerant, nimium tardarent, Moscouitæ intolerabili multitudine collecta aduolabant, paucosq; milites, qui

ces, qui in eo præsidio relicti fuerant, obsidentes, pertinacissimis animis impugnabant. Nec minore conatu, qui intus erãt, se defendebant, donec exhausto penitus commeatu, uiribus omnino destituerentur: traxerunt tamen uitam in extrema fame sex diebus continuis pugnando, & nihil degustando: quibus finitis, & nulla spe apparente, conglobati in Moscouitarum castra irrumpunt, atq; admiranda fortitudinis opera exercentes, maximam hostium stragem peregerunt: inter quos nequaquam ignaui, aut inulti corruerunt.

Deinde elapsis paucis annis, Birgerus Rex nuptias suas cum uirgine Merita in ciuitate Stocholmensi magnifico & Regio apparatu celebrauit, suamq; sponsam tanta dote locupletem effecit, quantam Danorum Rex Ericus uicissim in ipsius Birgeri sororem Ingeburgem conferre uellet. Quibus quidem nuptijs peractis, decreta est bellica expeditio in Moscouitas, & Carelos. Quamuis enim priore bello contra Carelos satis feliciter dimicatum fuerat, tamen restabat adhuc magna pars, quæ Sueciæ regno obedire recusabat. Quocirca Turgillus, assumpta secum instructissima classe, ad ipsorum terminos felici uento aspirante peruenit, ibiq; arcem fortissimam inter duo maxima flumina, Ny & Suarta, circa limites Moscouitarum erexit: quam Landzcronam, hoc est, Terræ coronam appellauit. Quo comperto Moscouitæ, ut præsidium constructum destruant, exercitum trigintaduorum millium eduxerunt: eumq; in naualem & terrestrem diuidentes, constituerunt classe per mare album (quod Carelos a Moscouitis separat) Sueones adoriri, cum interim reliquum agmẽ terrestrem pugnam cum eis attentaret. Factumq; est, ut quiescente Sueonum classe in portu, qui ab omni uento tranquillus, & ab omni hostili insultu securus uidebatur, subitó uterq; exercitus Moscouitarum apparuit: specie quidem terribilis, effectu uerò inanis euanuit. Quamuis enim primo accessu satis contenderunt Sueticam classem flammis absumere, demissis per torrentem ratibus, quę ignem copiosum, & uehementer accensum in ipsam aduexerunt, attamen ducis Turgilli diligentia prudenter obuiatum est periculò imminenti, positis in flumine palis, qui igniuomam congeriem impediebant. Itaq; ea uia non succedente, confestim ferocibus animis naues exiliunt, Sueonumq; agmina maiore impetu, quàm conflictu insiliunt. Continuo namq; superati, cęsi, captiuati, uictoria caruerunt. Supererat tamen ex eis equestris exercitus, qui accensis latè ignibus per campos, & nemora, ingentem militum multitudinem ostentabat. Tum unus Sueonum militum præstantissimus Mathias Chetelmundi, impetrato ducis consensu, hostium stationes accessit, eosq; uerbis militari audacia plenis prouocabat, ut unum, quemcunq; uellent, ex totis agminibus eligerent, qui secum singulare certamen iniret: idq; à meridie usq; ad noctem importunissimè postulans, timorem, atq; imbelliam eis sine intermissione exprobrabat: tantumq; unius ualentis militis audacia effectum est, ut tota Moscouitarum castra sequenti nocte penitus desererentur, nullusq; sequenti aurora ex tanta hostium militia cõpareret. Itaq; superatis, & fugatis Moscouitarum agminibus, castroq; Landzcrona præsidijs trecentorum militum, sub Stenone arcis præfecto, & uictualibus abundè instructo, Turgillus reliquum exercitum classi impositum in patriam primo aspirante uento reducere cogitabat. At postquam contrario uento obsistente tempus sine aliquo militiæ fructu consumeretur, reuocatis ex classe militibus, Mathias Chetelmundi duas hostium terras, Nigram & Vatlandiam, ferro ac flamma uastauit. Quo facto, Sueones optatum uentum assecuti in Sueciam redierunt, adeptamq; ex uictoria lætitiam noua primogeniti Regis natiuitate cumulauerunt. Natus enim erat Birgero ex Merita Magnus, futurus (ut sperabatur) in regno successor, nisi paterna demerita ei regnum (ut infrà dicetur) ademissent.

Cæterum qui in nouello castro Landzcrona remanserant, primam, & extremam perniciem ex corrupto cibo contraxerunt. Quamuis enim erectæ arci de uictualibus satis abundè prouisum esset, tamen humor ex nouitate muri euaporatus, ita omnia infecit, ut humano usui penitus contraria, & pestifera redderentur. Quotquot enim ex eis gustauerunt, grauissimos, atq; incurabiles morbos inciderunt. Proinde maxima parte præsidiariorum militum morte sublata, parte etiam fuga se à præsentissimis periculis eripiente, arx penè deserta remansit. Erant tunc nonnulli prudentiores, qui suadebãt, celeriore nuntio admonendum esse Regem, aut Turgillum, de magnitudine periculi imminentis: quorum consilia quidam imprudentes ita exceperunt, ut reclamarent, nequaquam negotium faciendũ esse Regibus, & Principibus, cum Deus alia uia subuenire posit. Interea Moscouitæ, siue Rutheni, considerantes summum toti patrię suę exitiũ ex ea arce imminere, admirandę multitudinis exercitum coëgerunt: à cuius ducibus quidam exploratores præmissi, ipsos castrenses ad pugnã prouocabant: cõfestimq; soli uiginti, qui in castro remanserant, egressi, pugnam fortissimo animo conseruerunt. Sed insidijs infinitæ multitudinis occlusi, admiranda fortitudinis opera peregerunt, antequã de tam insuperabili periculo erepti, in uacuam arcem restituerentur.

Itaq;

Itaq; soli tredecim uiri salui in arcem reuersi, ab innumerabili hostium multitudine obsidentur. Nec tamen incruentam hostibus uictoriam de se relinquere uoluerunt. Quippe ædita incredibili hostium strage, non tam ab hostibus occisi, quàm hostes occidendo fessi occubuerunt: & interim à quodam corruentium fortissimo improperatum erat Stenoni arcis præfecto, non faciendum esse Regi negocium: quasi innuere uoluisset, eius negligentia rem ipsam ad extremam desperationem corruisse: idq; anno à Christo nato M. CCC. I. Deinde anno sequenti in Ostrogothia, & portu Sudericopensi Rex Birgerus, & eius coniunx Regina Merita Pontificum consensu, & officio, in Regię maiestatis dignitate confirmantur, & coronantur: ubi etiam Valdemarus Regis frater militiæ cingulo decoratus est, matrimoniũq; cũ filia Turgilli Canuti consummauit: quod tamen Archiepiscopus Vpsalensis Nicolaus, ob spiritualis cognationis impedimentum, postmodum irritauit. Peractis his nuptijs, Ericus Birgeri Regis frater ad Haquinum Noruegianorum Regem in ciuitatem Asloënsem literis, & nuntijs inuitatus, cum magno illustrissimorum procerum comitatu accessit: exceptus à Rege, & Regina, omnibusq; Noruegiæ proceribus tanta liberalitate, & magnificẽtia, ut maior ab hominibus uix præstari potuisset. Redijtq; inde in suam Gothiam, admodum lætus, se summam apud Noruegianos beneficentiam inuenisse.

Nec longo pòst tempore Rex Birgerus comitia in ciuitate Stocholmensi, præsentibus fratribus suis Erico, & Valdemaro ducibus, totaq; Gothorum & Sueonum nobilitate, peregit: sub quibus comitijs Turgillus Canutus priore coniuge orbatus, nuptias cum illustrissima filia Comitis de Rauensborg terræ Saxoniæ in maxima pompa celebrauit: in quarum termino Regem, & eosdem duces fratres eius, præsente procerum multitudine, rogat, ut administratione rerum publicarum, quam hactenus cum maximis laboribus, & periculis sustinuerat, absoluatur. Qui etsi tunc à Rege, & ducibus esset multis nominibus commendatus, & bene sperare iussus, tamen eo tempore ab ea cura liberari nequiuit, ducibus ad magis necessaria negotia animum intendentibus. Contendebãt enim sui iuris esse, habereq; bona hereditaria, & partem regni, quæ filijs Regum assignari solebat. Elegerant autem suorũ negotiorum gestorem Arbernum regni dapiferum, cum interea Turgillus consilia, & negotia Regis pro suo uoto ordinaret, & exequeretur. Facta igitur hac rerum diuisione, cœperunt singuli suis priuatis rebus magis, quàm publicæ, aut fraternæ concordię consulere. Tunc etiam precipua cura animum Turgilli inuaserat, pecuniam undiq; per fas & nefas sub nomine Regio coaceruandi: non tantum ut illum inexplebilem fiscum Regis impleret, sed ut fastui suo, qui nuper ducta fastuosa coniuge nimium excreuerat, abundantius indulgeret: effecitq;, ut omnis laus, quam priore administratione acquisiuerat, penitus aboleretur, Rex quoq; in publicũ totius populi odium collapsus, passim, & ubiq; contemneretur. Hic enim Birgerus primus Rex erat, qui huius Turgilli suggestione ecclesiã regnorum Gothię & Suetiæ tributis, atq; oneribus grauare non uerebatur: archiepiscopũq; Vpsalensem Nicolaum, & reliquos Episcopos pro ecclesiastica libertate respondentes, eodem autore captiuasset, nisi se ad tutiora loca à conspectu tyranni confestim recepissent. Sed quem fructum tunc assecutus est Birgerus, ex rebus Deo pridem consecratis, & postea in Regium fiscum sacrilega audacia translatis? profectò nullum alium, nisi ut ad pericula insuperabilia deiectus, se, & omnes suos, atq; utrunq; regnum ad extremam ruinam præcipitaret, & tandem post infamem uitam infami morte periret. Primò namq; ad inextinguibile odium cũ fratribus suis deuenit: sub quo totis sedecim annis adeò periclitatum est totum Gothorum & Sueonum imperium, ut nihil ultra ad illarum terrarum desolationem addi posse putaretur. Cũ enim annus à nato Christo quartus supra millesimum trecentesimum ageretur, Turgillus malorum consiliorum autor, & executor, Regem Birgerum, & fratres eius in Vestrogothiam ad arcem suam Aranes (cuius fortitudinem alibi perfecuti sumus) inuitauit: finitoq; magnifico conuiuio, Rex utrunq; fratrem indignabundus alloquitur, affirmans se certa relatione didicisse, quòd intenderent se extra patriam recipere, insidiasq; tam in ipsum, quàm in regnum machinari. Proinde si illinc salui abire uellent, literas (quas nunc paratas habebat) confestim sigillarent.

Itaq; illustrissimi duces in arcto positi, cum multa ad suam innocentiam declarandam dicere pararent, nullam gratiam poterant inuenire, nisi quòd literis subscriberent, quibus iureiurando se astringerent, ne patriam sine obtenta Regis licentia egrederentur, quòd ad Regis conspactum, nisi uocati, non adirent, nec familiam multiplicarent, aut aliquas insidias in personam Regis, Reginæ, uel eis adhærentium procurarent. Quibus literis datis, minus liberi, quàm aduenerant abscedere permittuntur. Nec multi dies interuenerant, antequam à Rege ad insulam Visingianam uenire iubentur, responsuri articulis, quos popularis fama contra eos disperserat. Sed cum dux Valdemarus Regis fidem suspectum haberet, solus

Ericus,assumpta secum pauca clientela,Regis conspectui se præsentauit,multa præmittens obsequiosæ salutationis,& uenerationis officia:erat enim magnæ eloquentiæ,& in honore Regi exhibendo ualde solicitus,& urbanus. Rex autem,contemptis omnibus obsequijs, & humanissimis uerbis eius,toruo uultu uenientem excepit:habebatq; in promptu articulos quos præsenti cuidam Episcopo recitandos tradebat:at is,quia in infamiã,& periculum ducis conscripti erant,legere recusauit,præfatus se uitæ,non mortis autorem à Deo constitutum esse. Tunc à quodam præsente milite lecti,hęc summatim continebant: Quod dux contra Regis mandatum uictualia extra regni limites transportari fecerat. Transiueratq; per terras Regis armata manu,uiolentiam faciendo populis Regi subiectis. Deinde quod famulus ducis alapam Regis portario intulisset,quod in aulã Regiam non admitteretur. Postremò quod curiam suam tanta magnificentia instituisset, ut Regia curia eius comparatione contemptui haberetur. His adductus,Rex non admisso ducis responso,subitò surrexit, & nimia ira concitatus dixit:Nisi meo saluo conductu aduenissetis,mercedem meritorum uestrorum continuè reportaretis. Induciæ tamen uestræ cum præsentis diei occasu finientur.

Duces igitur nec iustè,nec humaniter à fratre proscripti,præcipitato cursu ad Ericũ Danorum Regem confugerunt:à quo ita excepti fuerunt,ut confestim pœniteret eos se Danicę fidei credidisse. Spectasset utiq; ad Danum pro concordia fratrum & affinium suorum,quorum sororem in coniugem habebat,fideli intẽtione laborare:at cum oppositum fieri deprehenderent,iamq; in proximo esset,ut per tyrannum tyranno traderentur,subita fuga ex Dania in Noruegiam elabuntur:à cuius Regè Haquino per integram,& non simulatam beneuolentiam collecti,securitatem,quam quærebant, inuenerunt:acceptoq; ab eo in feudum castro,& oppido Cungella,inter Noruegianos,& Vestrogothos limitaneo,ita utebantur, ut Birgeri Regis subditos eidem oppido uicinos,utpote qui Daliam,Vermelandiam, Vestrogothiam incolebant,continuis bellis,cædibus,incendijs,direptionibus molestarent:essetque ob id Birgerus coactus,præsidiariam arcem (quam Aureum montem appellant) ibi cõtra eorum importunissimum insultum extruere. Sed obiecto illo fortissimo præsidio duces nihil remissius egerunt,imò arcem Daliæ non minus fortem molientes,magis potentes euaserunt,semperq; Birgeri copijs congressi,uictores redierũt:nonnũquam etiam decem proceres,cum totis eorum copijs,à Birgero in Daliæ præsidium missos captiuabant. Proinde Birgerus exercitu decem millium pugnatorum educto,statuit eos ex tota Noruegia explodere. Sed prudentum uirorum interuentu tam atrox bellum interceptum erat,ut Birgerus fratres suos in pristinam,& fraternam gratiam reuocaret,reuocatisq; omnia hæreditaria bona,& partem regni eis debitam assignaret.

Deinde currente anno Christi M.C C C.VI. in medijs diebus mensis Septembris, cum duces Ericus,& Valdemarus in uico Bielbo terræ Ostrogothorum,nuptias quorundam familiarium suorum magnificentissimo apparatu celebraret,magnam suorum militum multitudinem occultius quoad fieri poterat,ad superiora regni Suetiæ limina præmiserunt,pręmissosq; ex media nuptiarum pompa clãculo sequebantur,& priusquam rumor de eorum transitu diffundi posset,ad uillam Hatunam,in qua Rex Birgerus morabatur,peruenerunt, ipsumq; Regem in penultima eiusdem mensis Septembris die unà cum Regina, & duobus filijs,& filia captiuabant. Pręterea Nicolaum Episcopũ Arosiensem,duosq; & uiginti Sueonum nobilissimos in captiuitatem redegerunt. Interim tamen,cum hic tumultus fieret,quidam Regius,& fidelis seruus Aruidus de Gothia Australi oriundus, Magnum Birgeri Regis primogenitum ex præsentissimis periculis ereptum,in humeris suis usq; ad Ericum Daniæ Regem eiusdem pueri auunculum,deportauit,atq; in eius gremium cum multo lachrymarum profluuio iniecit. Tum Rex Birgerus ad eam extremæ infelicitatis sortem delapsus totum Sueonum,& Gothorum imperium Erico duci assignauit,cui pridem nec minimam eius partem permittere uoluisset. Duces igitur captiuum Regem secum usq; ad castrum, & oppidum Nicopense ducentes,arctissimę custodiæ tradiderunt. Deinde utrunq; regnum infra unius anni terminum ad suam obedientiam adducẽtes,ita se in eo firmauerunt,ut difficilimum esset ipsos humana potentia inde amoueri. Attamen Ericus Danorum Rex captiuo Regi auxilium laturus,ingentem exercitum comparabat:qui cum ad limites Vestrogothię circa Bosund peruenisset,fortissima ducum agmina ad pugnam paratissima inuenit. Actum tamen est prudentum uirorum industria,ut inducię unius anni inter eos firmarentur: quibus durantibus, Valdemarus Finlandię dux peregrinationis causa ultra mare transiens,multa Sanctorum loca uisitauit,& in reditu octingentos equites in arte militari instructissimos,secum ex Teutonum terris in Suetiam aduexit.

Interim dux Ericus Haquinum Noruegię Regem accedens, postulabat cum filia eius sibi alias desponsata matrimonium consummare. Sed cum ipse Ericus castrũ Vardbergense

reposcenti Haquino restituere nollet, eo tempore illud affinitatis uinculum perfici nequiuit. Proinde Ericus ab Haquino ad oppidum Cungellam reuersus, magnificos illos sumptus, quos ibi pro nuptiarum apparatu magnificè congesserat, liberalissimo conuiuio consumpsit. Quo peracto, duces, cum induciarum finis inter eos, & Danos adesset, atque interea Dani pacem non postulassent, non solum domestica, sed Teutonica militia subnixi, contra Daniam procedunt: totamque Schoningiam a' Danis occupatam ferro, & flamma deuastantes, fratrem Erici Regis ibi in præsidijs constitutum, cum centum proceribus, & armigeris, excepta gregariæ militiæ multitudine, captiuabant: terram uero' Hallandiæ, quòd minimè ad Danos pertineret, sed esset cuiusdam comitis Iacobi, a' Danico nomine & societate penitus alieni, minus uastauerunt. Enimuero' flamma, & cædibus abstinentes, uictualia cuncta consumpserunt. Quocirca Ericus Danicus, quamuis ingentia agmina ad bellum parata haberet, prudentius tamen egit domi quiescendo, quam tantum exercitum per terras educendo, in quibus nulla omnino uictualia residua essent. Itaque duces ab Australiore parte Schoningiam ingressi, & per Borealem partem in suas terras regressi, incruentam uictoriam reportarunt. Sed erat ea uictoria tam Gothis, quàm Sueonibus satis onerosa. Quippe illa Teutonica militia per oppida & ciuitates collocata, non parum molestiæ circumpositis agricolis inferebat, abiato per uim commeatu, quem debebat iusto ære comparare: parumque aberat, quin incolæ regni ea uiolentia prouocati, in duces arma mouissent, eosque una' cum tota eorum Teutonica militia regno eiecissent. Deinde sequenti anno, qui a nato Christo erat octauus supra mille trecentos, Ericus Danorum Rex potentissimus damna, & iniurias superiore anno a' ducibus acceptas uindicaturus, simulque amicum Regem Birgerum a' captiuitate liberaturus, immensum exercitum tam ex Teutonicis, & Holsatis, quam ex Danis coactum, in Suetiam contra duces direxit: præfecitque tantæ multitudini duos potentes principes, uidelicet Holsatiæ comitem, & Slesuicensem ducem Valdemarum, quos etiam alij complures principes, & proceres comitabatur. Sed nihil aliud ea multitudine effectum est, nisi cum uiderent Dani Sueones promptissimis, & pertinacissimis animis in bellum prosilire, inducias unius anni, & dimidij constituerūt, ut duces medio tempore cogitarent, quomodo Rex Birgerus a' captiuitate liberari posset.

Duces igitur cum Sueonum, & Gothorum proceribus primo' in comitijs oppidi Orebroënsis, deinde in Nicopia, in qua Rex captiuus detinebatur, ita conuenerunt, ut libertati restitutus maximam regni partem possideret, si iureiurando se obligaret, ne præteritorum temporum iniurias sibi illatas quacunque occasione uindicare uellet: quæ omnia Birgerus æquè promptè, ut petita fuerunt, iurauit. Sed mox ut suæ libertati restitutus esset, primo' in Gotlandiam, deinde in Daniam aufugit. Exceptus a' Rege Erico perhumaniter, & benignè, beneque sperare iussus, apud eum aliquantum temporis absumpsit. Interea Ericus dux ab Haquino Noruegiæ Rege ad colloquium inuitatus, confestim se ad iter accinxit, sperans se filiam eius in coniugem accepturum. Sed præmonitus ab amicis, quòd non ad filiam accipiendam, sed ob arcem Cungellam restituendam uocaretur, subito' ab incepto itinere destitit. Haquinus autem arcem obsidione cingens, tentabat si fortè eam recuperare posset: sed sua intentione frustratus, arcem alteram fortiorem Bouahus non procul ab eo loco erexit. Proinde Ericus, quasi fuisset ob non traditam sibi sponsam ab Haquino illusus, grauissimum bellum intulit Noruegianis: magnamque Noruegianorum multitudinem prosternēs, complures proceres secum captiuos abduxit: sequentique æstate nauale prælium cum Haquino iniens, uictor euasit. Deinde sine intermissione cum eo pugnauit, donec accepta in coniugem filia perpetuam pacem inter se, & Regem confirmaret. Tandem Ericus Danorum Rex, ut Birgerum in amissa regna omnino reducat, sexaginta millia bellatorum ex Dania, & uicinis Teutonum terris collegit: quibus copijs ambo Reges subnixi, bellum graue, & atrox Sueonibus, & Gothis inferre contendebant. Sed post multos bellicos labores, & grauissima damna, quæ frustra sustinuerant, nihil aliud assequi potuerunt, nisi quòd Rex Birgerus pacta, & iuramenta, quibus se antea obligauerat, obseruaret', haberetque regni Suetiæ partem, quę pridem ei decreta fuerat publico senatorum regni consensu. Parta igitur tam necessaria concordia, & pace, dux Ericus, antequam extraneę militię multitudinem a se dimitteret, curiam magnificentissimam apud Vestrogothos Lodosię instituit, in qua Regio more liberalissima stipendia suis commilitonibus, præsertim Teutonicis, erogauit. Erat enim amantissimus Teutonicę urbanitatis. Quocirca comites, barones, proceres, omnesque militares homines, qui ad eum ex Teutonum finibus aduenerant, lęti, & locupletes ad suas terras redierunt. Quibus autem pactis, & conditionibus ea fratrum concordia stabiliretur, restabat in comitijs oppidi Helsingborg terræ Schoningię inquirendum. Ad eum namque locum conuenerunt Birgerus Rex Suetię cum duobus fratribus suis, & Rex Daciæ Ericus cum

cum Chriſtophoro fratre ſuo:aderant etiam Gerardus Holſatiæ,& Henricus Magnopolenſis duces:qui in medijs diebus menſis Iulij anno Chriſti MCCCX. hoc modo omnibus fis duces:qui in medijs diebus menſis Iulij anno Chriſti MCCCX. hoc modo omnibus controuerſijs,quæ hactenus inter Regem Birgerum,& fratres eius inualuerant,finem impo ſuerunt,ut Birgerus tertia parte regnorum Gothiæ,& Suetiæ,una cum inſula Gotlandię,et eius ciuitate Viſbycenſi contentus eſſet:reliquæ autem duæ Erico,& Valdemaro permitterentur. Adiectæ ſunt huic concordiæ complures conditiones, de non uindicandis iniurijs, de immunitate colonorum,de nunquam uiolanda alterius iuriſdictione. Cæterum de mutuo auxilio contra quoſcunq; hoſtes ſubminiſtrando,omnes Principes,qui aderant conſen ſerunt,nihilq; prætermiſſum uidebatur,quo firma pax,& integerrima cōcordia reſarciretur.

Conciliata igitur pace,dux Ericus,ne in paternis laribus ignauiter conſeneſcere uideretur,ſumpto ſecum magnifico comitatu,ad exteras nationes,& loca Sanctorum uiſitanda diſceſsit,peruenitq; ad Papam Clementem quartum,qui tunc in Francia reſidebat:à quo non ſecus ac magni Reges,& Principes excipi conſueuerunt,exceptus eſt. Deinde ab eo reuerſus celebriores Germanię ciuitates adiuit:in quibus tanta beneuolentia ſuſceptus,atq; ornatus eſt,ut nihil amplius ab humaniſsimis ciuibus addi potuiſſet:nec minore familia, & pompa inceſsit,quam ſi aliquis Rex potentiſsimus aduenìſſet. Erat enim in expenſis ſumptuoſiſsimus,in operibus magnificus,& admirandus in donis erogandis liberaliſsimus. Tandem in patriam reſtitutus, nuptias Lodoſiæ (quæ eſt Veſtrogothorum portus, & emporium commodiſsimum)celebrauit,ducta in cōiugē filia Haquini Regis Noruegiani. Valdemarus quoq; filiam Erici Regis Noruegię antea defuncti in tori conſortem accepit,eodemq; loco,& tempore unà cum fratre,in magnifica pompa nuptialia feſta peregit. Erant quidem hi duces in apparatu,& ſumptu ſplendidiſsimi,quia fortunati erant eorum ruſtici,à quibus etiam maior faſtus continuè ſuſtentari potuiſſet. Eodem tempore incidit quædam controuerſia inter Regem Birgerum,et ſubditos eius in terra Gotlandiæ. Nam cum eos inſolitis tributis grauare uoluiſſet,ad rebellionem conuerſi,Regem bello ſuperatum à ſe fugauerunt, ſeruata nihilominus erga idipſum obedientia priſtina,cum ſolita eorum libertate. Silēdum etiā nō eſt,quod poſt tot domeſtica bella ſecutus eſt per totam Suetiam magnus annonæ defectus:eſtq; modius frumenti pro uiginti ſolidis Holmenſibus emptus,qui antea uno ſolebat comparari. Sequenti uero anno,qui à Chriſto nato erat decimuſquartus ſupra mille trecentos,Birgero comitia in oppido Sudercopenſi celebranti, ſenatores regni iuſiurandum, quod fraterno bello interruptum fuerat,renouantes,obligarunt ſe,& ſuam fidem Regi, ac Reginæ,& Magno primogenito eorum in omnem caſum,& fortunam.

Interea duces,ut commodiorem uitam ducerent,ſumptuoſam illam familiam à ſe remouentes,ſeparatim in terris ſuis habitare cœperunt. Accidit autem Valdemarum ex Elandia, in qua manſionem elegerat,ad ciuitatem Stocholmēſem tranſire:ex quo itinere paululum diuertit ad Regem Birgerum in arce Nicopenſi conſtitutum:qui uenientem tot beneuolentiæ officijs excepit,ut pene ex Rege & fratre,ſeruum ac mancipium ſe factum eſſe monſtraret. Regina quoq; in excipiendo hoſpite ad incredibilem humilitatem tam uerbis,quam operibus deſcendit. Quo euenit,ut Valdemarus Erico perſuaderet,Regem Birgerum nullas omnino moliri inſidias,ſed omnia ex ſyncero pectore operari,ac meditari. Proinde non uerendum eſſe eius congreſſum, nec quicquam ex eius ſocietate formidandum. Ericus igitur à Valdemaro perſuaſus,& à Birgero benigniſsimis literis inuitatus,tam humaniter inuitanti obtemperabat. Itaq; ambo ad Regis conſpectum in Nicopiam peruenientes, tanta beneuolentia excipiuntur, quanta uix poterat ab ullo mortalium exhiberi:oſculorum,amplexuum,obſequiorum,quibus fratres à fratre excipiebātur,nullus erat modus. Præterea cum ad conuiuiū deuentum eſſet,nullus in apparatu menſæ,aut ferculorum numerus, aut menſura:quicquid oblectamenti pro gula,pro uiſu,pro auditu optari poterat,abunde ſubminiſtratum fuit. Sed erat immanis feritas,quam Birgerus,& ſui ſub tam inſolitis blandimentis, & inſidioſis obſequijs occultabant. Siquidem aduenīēte nocturno tempore,ducti ſunt magna,ſed pernicioſa ſocietate in cubiculum,in quo putabant ſe optatam requiem acceptu:os Sed mox à tergo aderat ſanguinarius Rex,qui ipſos celeriter inde extractos,in profundiſsimam,& teterrimam totius arcis turrim præcipites deijci mādauit,multamq;,& inauditam crudelitatem in eos exercens excruciauit:imò in eos tanta feritate accenſus erat,ut proiectis in profluentem clauibus,iuraret,ſe nequaquam permiſſurum,quod ab illo carcere uiui egrederentur. Quod cum uelociſsimo rumore in uniuerſos Gothorum,& Sueonum fines erupuiſſet,cuncti,qui tam horrendum facinus patratum fuiſſe audiuerunt,autorem,& conſcios adeò execrabantur,ut iurarent ſe nunquam toleraturos tam perfidum ſanguinarium in regni ſolio reſidere. Quocirca eiſdem diebus properanti ad Stocholmenſem ciuitatem Birgero,ciues collectis armis ipſum,ne ad eos ingredi poſſet,repulerūt:cæteriq; fideliſsimi

milites,& familiares ducum,comperta tam crudeli dominorum ſuorum nece, militum copias undiq; ex omnibus regni finibus contra crudelem paricidam in Nicopiam eduxerunt. Quod cum Birgerus fieri uideret,ſalutem ſuam in ſola fuga reponens,à Suetia ad Oſtrogothiam fugaci curſu properauit,ſtatimq; filium ſuum Magnum ex Dania, in qua tunc apud auunculum ſuum Regem Ericum agebat, reuocauit, ut Gothorum, & Sueonum regna quantocyus ſub ſuam poteſtatem reducta occuparet.

Filius igitur paruit literis paternis,& acceptis ab Erico Danorum Rege ſexcentis equitibus optimè inſtructis,ad patrem in Oſtrogothia commorantem accelerauit.Quibus copijs quamuis exilibus,ſtatuit Birgerus cum ducalibus belli aleam experiri:ſed primo aggreſſu ſuperatus,ad Veſtrogothos fugere cogebatur:à quibus pari indignatione ſuſceptus, cogitabat eorum arma(quibus impar erat)aſtu & dolo ſuperare.Enimuero trium dierum inducias cum eis pactus,occaſionem dedit,ut complures eorum pro aduehendo commeatu domum remearēt:ipſeq; interim reliquam multitudinem adortus,ſtragem populi maximam peregit,proximamq; uillam incendi præcepit,ne occidendi noctis beneficio ſalui elaberentur.Deinde ad Oſtrogothos reuerſus,pari infelicitate ut prius,pugnauit.Ducales enim ſub præfecto Canuto Poſe agentes,facto in ipſum impetu,uerſus Gotlandiam fugere coēgerūt relictumq; filium eius Magnum in arce Stegeburgenſi obſidione cinxerunt:nec prius ab arcis impugnatione quieuerūt,donec ipſa expugnata,filium captiuum ad ciuitatem Stocholmenſem deſtinarent:in qua tandem ob paterna ſcelera trucidatus occubuit: uitaq; propter eum priuatur,& regno,qui regnum bonis ciuibus priuare non uerebatur. Anteà tamen Birgerus ex Gotlandia claſſem magnam,ut obſeſſo filio ſuccurreret,expediuit. Qua per Oſtrogothos ſuperata,ſecundam non minoris potentiæ(cui Brunchonem dapiferum ſuum præfecerat)denuo emittendam curauit.Sed hæc ſecunda ęquè infeliciter pugnans,exemplo primæ ſuperatur.Quamuis enim milites ſatis ſtrenuos,& in re militari inſtructiſsimos habuerit,attamen fortitudini ducalium cedere coacta captiuatur.Præcipui autem inter captiuos fuere Bruncho,Vlfo,Luderus,Valramus:qui ad Stocholmiam miſsi,uinculis conſtringuntur,donec rotis impoſiti occiduntur:nomenq; monti Brunchonis ex illis apud Holmiam inditum eſt.

Birgero igitur ob enormia crimina à regno ſecluſo, præſtantiſsimus procerum Mathias Chetelmundi ſenatorum conſenſu in regni gubernatorem ſurrogatur:qui per ſuam ſingularem prudentiam totum Gothorum,& Sueonum principatum ad tranquillum ſtatum reuocauit.Intereà Regis Birgeri ſatellites,qui in Nicopia à ducalibus obſidebantur, corpora ducum in carcere mortuorum extra portam arcis deponentes,hortabantur obſidentes, ut à bello domeſtico deſiſterent,cum extincti eſſent,quorum deſiderio tantam belli molem ſuſcepiſſent. At illi magnificis exequijs Principum corpora in eccleſia diui Nicolai Stocholmiæ procurantes,conſtanter negabant, ſe aut tyranno, aut tyranni filio regni ſolium permiſſuros,ſed pro filio ducis Erici ſe uſque ad extrema fata pugnaturos. Quocirca pertinacibus inſultibus obſeſſos ita urgebant,ut caſtro manibus eorum relicto, ſalutem corporum pacti egrederentur.Ducales autem paricidij enormitate permoti,deuictam arcem funditus deſolatam reddiderunt.Deinde arce Stegaborg(ut diximus) in ſuam poteſtatem redacta, atq; funditus deſtructa,Mathias regni gubernator prægrandi exercitu ſuffultus, bellū graue,et atrox in Schoningianos transferebat,quod hi antea Veſgothos una cum Birgero contra pacta,et fidem trucidaſſent. Tum Dani copias ingentes tam ex Teutonum terris,quam ex ſua Dania contrahentes,obuiam procedunt hoſti aduentanti: factaq; pugna, Gothi uictoriam aſſecuti,trecentos militares ex Danis captiuabant,cęteris omnibus aut fugatis,aut occiſis.Deinde direpta tota Schoningia,prædaq; maxima congeſta,uictores in Suetiam & Gothiam redierunt.Quibus compertis Birgerus,& Regina ex Gotlandia in Daniam ſeſe recipere feſtinabant,depoſita omni ſpe amplius ad Suetiam redeundi. Tunc Chriſtophorus Rex,qui nuper defuncto fratri Erico ſucceſſerat,manſionem quādam in caſtello Spicaborg Birgero,& Reginæ eius conceſsit:in qua poſt paucum infelicis uitæ tempus,incomparabili dolore deficientes,morti,quam diu optauerant,ſuccubuerunt.

Hactenus de tragica hiſtoria Birgeri,& fatrum eius:nunc paucis illa attingamus, quę eorum temporibus acciderunt. Annus Chriſti M.CC.XCI.fuit apud Gothos & Sueones admodum grauis,& infelix.In primis enim extinxit illud clariſsimum lumen totius eccleſiæ Suecanæ,Benedictum Epiſcopum Lincopenſem,Finlandiæ ducem,duorum Regum Valdemari & Magni fratrem:deinde Amundum Epiſcopum Strengenenſem uiolenta morte abſtulit,qui eandem eccleſiam conſecrauit. Sed uiſum eſt portento ſimile, quòd eccleſia uno eodemq; die conſecrata fuit,& igne caſuali conſumpta.Simile quoq; fatum Bono Epiſcopus Vexionenſis,pluresq; alij tam eccleſiaſtica dignitate,quàm ſeculari poteſtate prędicti ſuſtinuerunt.

ſuſtinuerunt. Duo enim rapidiſsimi,& profundiſsimi torrentes apud Oſtrogothos in Motala,& Norcopia à ſolito curſu contra omnem naturæ diſpoſitionem quieuerunt. Nec diu poſt, uidelicet anno Chriſti M. CC. XCIIII. frigus hyemale tantum inualuit, ut equites à Iuthia, ſiue Cymbria Danica per mare congelatum in Noruegiam itinere longiſsimo tranſirent. Nec longo poſt tempore Nicolaus Alonis, accepta à Bonifacio Papa octauo conſecratione,& pallio Archiepiſcopali, ex Roma in Vpſaliam eſt reuerſus. Sed multa aduerſa ſub illa pernicioſiſsima Birgeri, & fratrum eius diſcordia pati coactus eſt, nunc ab una, nunc ab altera parte impugnatus, quemadmodum in noſtra Metropoli extenſius inuenitur. Eodemq́; tempore duo præcipua emporia combuſta fuerunt, Stocholmia apud Sueones,& Lodoſia apud Veſtrogothos, fortè ut fatali incendio oſtenderetur, neutrum ſine altero periclitari poſſe. Cæterum anno Chriſti M. CC. XCVII. Nicolaus Archiepiſcopus Vpſalenſis Concilium prouinciale in oppido Arbogenſi celebrauit: de quo alibi latius eſt enarratum. Præterea cum immineret horrenda calamitas in totum Gothorum & Sueonum imperium, ob intolerabilem Birgeri,& fratrum eius diſcordiam, nolens Deus ſuos fideles ad ea futura mala imparatos eſſe, ſuſcitauit in ſanctiſsima uidua Birgitta ſpiritum prophetiæ: quam ſi incolæ diligentius audiuiſſent, profectò à maxima tunc,& nunc imminentium periculorum clade præſeruati fuiſſent. Anno Chriſti M. CCC. XV. Olaus Sapiens, mortuo Nicolao Catilli, in Archiepiſcopum Vpſalenſem ſurrogatur,& à Ioanne Papa 21. confirmatur. Anno uerò ſequenti Finlandenſes, poſtquã uiderent ſe à Sueonibus plus iuſto grauari, nullumq́; finem inſolitis oneribus imponi, ut ſuæ tandem conſulerent libertati, Buggonem quendam ex ſuis in Regem elegerunt. Sed eò per Birgerum Regem occiſo, ad duriorem ſeruitutem redierunt. Nec ſilentio implicandũ eſt, quòd anno Chriſti M. CCC. XVII. ille ſanctiſsimus eccleſiæ Scarenſis Pontifex Brynulphus, poſt multos labores, atq; eximia ſanctitatis opera, hoc tranſitorium ſeculum felici curſu conſummauit. Sepultus in ſua eccleſia Scarenſi,& tandem miraculis clarus, in numerum Sanctorum digniſsimè eſt relatus. Præterea hoc loco diſsimulandi non ſunt quidam nouelli patrię ſuæ calumniatores, qui affirmant Regem Birgerum abſtuliſſe quandam legem de uenditione mancipiorum: quaſi id antea lege conceſſum fuiſſet. Nunquam enim uel gentilium, uel Chriſtianorum temporibus ad eam ſeruilem conditionem depreſsi fuere Gothi, uel Sueones, qui ab initio rerum ſuam libertatem gladio,& armis tutari conſueuerunt. Abeant igitur illi ſoli ſcioli in turpem ſeruitutem, ad quam ſe ſua ignaua ſuperbia, ut totam patriam euerterent, temerè ſubmiſerunt.

Quandoquidem hoc loco non ſolum de ſitu & magnificentia Stocholmiæ Sueonum regiæ agit Olaus: ſed etiam eius extruendæ & fundandæ fuiſſe cauſam, Eſtones, Moſchouitas, Ruthenos, Thaueſtios, qui crebris incurſionibus populationibusq́; Suetiam infeſtarunt, ut eſſet firmum contra eos præſidium & fortalicium, refert. Placuit ex hiſtoria Ioannis Magni aliquot exempla ſubijcere, quorum primum ſumptum eſt ex lib. 4. in uita Grimmeri 32. Regis interni & filij ipſius Tordonis, etſi propter ſacrilegia ſua fuiſſet producendus in medium, infra libro 16. Sed quia ibi (proh dolor) ſatis ſuperq́; exemplorum erit, noluimus hic hiſtoriam cohærentem, mutilare, maximè cum Grimmerus anſam dederit, ſua tyrannide huic bello.

Poſt aliquot temporum interualla succeſsit in Gothorum & Sueonum principatu Grimmerus: cuius animus adeò à recto atque honeſto tranſuerſus erat, ut uix inter homines, tantum abeſt ut bonis Regibus, connumerari mereatur. Sicut enim plerunque cum optimis Principibus ab infantia creſcere ſolent omnia uirtutum ſemina, ita cum iſto tyranno omnis improbitas & nequitia concreuit, tantumq́; inualuit, ut praui eius mores in naturam tranſiuiſſe uiderentur. Siquidem nulla erat uerecundia, nullaq́; lex, quæ poterat ipſum à perditiſsimis facinoribus abſtractum, ad ſaniorem mentem reuocare, quin ſemper & ubique diuina ſimul,& humana confunderet, & conculcaret, ſimilis per omnia illi Dionyſio Siculo tyranno, cuius creditur fuiſſe contemporaneus,& in omnibus flagitijs & ſceleribus imitator. Ille enim templa Deorum tam auarè compilauit, ut facinoroſi ſacrilegi cognomine ab omnibus inureretur: hic templum Deorum ſuorum apud metropolim Vpſalam (quod antea ditiſsimum,& catena aurea undique cinctum fuiſſe, oſtendimus) tam fœdo ſacrile-

gio ſpoliauit,ut quemadmodum ante ipſum nihil erat intus aut foris in eodem templo,
quod non undique auro tegebatur,ita poſtea per eius ſacrilegam atq; inſatiabilem famem
nihil uſquam relictum fuit,quod ſaltem colorem præ ſe ferret,auri uel argenti.Ille multis ca
chinnis,& ſcurrili irriſione ſua ſacrilegia extollere non erubuit:hic uero ut in omnibus alijs
ita etiam in ſuis enormiſsimis ſacrilegijs,ſe ſcurram ſcurrarum,& protominum inuerecun-
de oſtendit.Nec modeſtiorem erga ſubditos,quam erga Deorum templa ſeſe exhibere cura
uit.Quippe omnes proceres,totamq́; utriuſque regni Gothorum et Sueonum nobilitatem
quæ per multa ſecula libera fuerat,ad tributa pendenda coëgit.Præterea agricolis,negocia-
toribus,ciuibus,omnibusq́; omnium ordinum hominibus adeò intolerabiles exactiones
impoſuit,ut longè præſtitiſſet ipſum fuiſſe totius patriæ hoſtem,quam Principem. Tan-
dem poſtquam ſacrilegio & ſanguine ſubditorum ſuorum ſe ſatis diuitem & potentem cre
didit,non ſolum domeſticos,uerumetiam alienos in ſe temere prouocauit.Miſſa nanque le
gatione ad Eſtones & Curetes,tributa exemplo priorum Suetiæ Regum ab eis poſtulabat.
Sed cum illi conſideraſſent eum publico odio domi laborare,totamq́; patriam ad ipſius per
niciem aſpirare,exercitum confeſtim contraxerunt,contractumq́; littoribus Sueticis,in qui
bus Grimmerum uerſari didicerant,impoſuerunt.Verum cum ipſe ſuos ad arma contra im
prouiſos hoſtes excitare contenderet,reſponſum tale,quale meruerat, accepit: uidelicet ut
theſauro pugnaret,qui plus uanos theſauros,quam fideles ciues conſeruare curaſſet.Itaque
ab offenſis ciuibus iuſtè derelictus,& à prouocatis hoſtibus comprehenſus, omniq́; theſau-
ro,quem ſacrilegio pepererat,ſpoliatus,eas manus ſuas uinciendas tradidit,quas pridem
perplexus auaritiæ laqueus colligaſſet:deinde inſpectantibus ciuibus,parumq́; ingemiſcen
tibus,hoſtes ipſum in ſublimem furcam eleuatum, catena ferrea ſtrangulauerant, non ini-
quum rati ipſum ferrea catena perire,qui torquem auream à Deorum templis impudenti
latrocinio abſtulerat.Cuius turpem atque infelicem exitum ſi infelices noſtri temporis ſa-
crilegi conſiderarent,profecto quorum fata abhorrerent,etiam opera ſequi formidarent.

Tordo prædicti Grimmeri filius,poſt miſerrima fata parentis in principatu paterno ſuc-
cedens,optimã ſpem de ſe omnibus incolis polliceri uidebatur: præſtitiſſetq́;, niſi à facino-
roſo patre genitus,animum ob paterna demerita & flagitia deſpondiſſet. Siquidem illud
publicum odium,quo pater domi & foris laborauerat,non parum impedimenti præclaris
filij facinoribus,quæ meditabatur,obiecit.Peruenerant iam omnes theſauri, quos impru-
dens tyrannus Grimmerus ex Gothis & Suecis nimis auare coaceruauerat, ad manus ho-
ſtium,in perniciem patriæ ſine mora conuertendi:nec ſatis prompti erant populi ad pen-
denda Regi tributa,cum memoriæ ſubijcerent,qualiter prioribus annis magnitudine tribu
torum magis aucta fuerat Grimmeri tyranni uiolentia,in patriam & proprios ciues,quam
contra potentes aduerſarios & inimicos.Plures enim ciues magnitudine diuitiarum con-
fortatus extinxit,quam hoſtes occidit,aut ſuperauit.Quocirca Tordo ſumma cum difficul
tate ampliſsimi principatus adminiſtrationem executurus,cogebatur domi & in patria,a-
pud proceres & plebeiam multitudinem,tanta modeſtia ſe ſubmittere,ut ſua eximia probi
tate omnem paternæ improbitatis memoriam ſe abolere uelle monſtraret.Sed altiores radi
ces in cordibus ciuium patris iniquitas firmauerat,quàm ut facilè eradicari potuiſſent.Mul
tum tamen boni filij uirtus profecit: quandoquidem ad eius uirtutis opinionem tota pa-
tria ad arma conſurgens,Eſtones,Curetes,Vimigeros,qui potentiſsima claſſe Suetiam ua-
ſtaturi aduenerant,magno impetu effugauit.Qui tanto terrore ad ſuas terras repulſi redie-
runt,ut ſpem omnem,quam de alienis terris inuadendis conceperant,penitus abijcerent,&
ſecum optimè actum putarent, ſi non & ipſi præda fierent eorum, quos conſtituerant
deprædari.

Cæterum eodem tempore Saxones,ſiue Obotriti (duce Geldero) claſſem armis uiriſq;
inſtructiſsimam per totum ſinum Gothicum (quem Mela, & Plinius, uel eorum corrup-
tores Codanum uocant)circumferebant:nec ſolum Cimbros & Danos, ſed Pomeranos,
Vandalos,Rugianos,Curetes,Eſtones,uaſtatis eorum terris,graui iniuria affecerunt. Ve-
runtamen cum ſe in terras Oſtrogothorum effudiſſent,bellumq́; acerrimum contra Tordo
nem commiſiſsent,uicti tandem ab eo,fugatiq́;,ad nauium præſidia redierunt: tantumq́; ui
res eorum eo bello confractæ fuerunt,ut ſe ad proprias terras,auxiliares copias contracturi,
recipere cogerentur.Sed nec ob ea damna à piratico exercitio abſtinendum putabant.Siqui
dem geminato nauium numero,eiſq; præſidio longè ualidiore impoſito,denuo bellum in
Gothos mouent:quibus Tordo nihil ſegnius quam prius obuiam progreditur: fitq; bel-
lum acerrimis, utrinque animis, donec Martis alea Gothorum partibus adiecta,cogeret
Saxones ſalutem à uelocitate fugæ mutuare, atque in ſuam claſſem lacerato uictoq; exer-
citu re-

citu remeare. Itaque hoc triumpho Tordo & potentes hostes potenter repressit, & subditorum populorum fauores sibi prudenter feliciterq́; conciliauit. Enimuerò quantum ei prius paterna nocuerat improbitas, tantum ipsi postmodum propria & excellens uirtus suffragata est. Quieuitq́; sub eo Sueonum Gothorumq́; principatus diuturna pace & tranquillitate securus.

Alterum exemplum irruptionis Estonum &c. ex eodem 4. libro hist. Ioannis Magni in uita Lindormi 38. Regis interni.

Lindormus, siue (ut alij scribunt) Lidorus, post fata patris sui Erici ad paternum regnum consensu procerum & populorum assumptus est. Hic etsi paternam probitatem ac prudentiam in omnibus morum suorum institutis imitari conaretur, attamen non æquè feliciter filio ac patri omnia successere. Enimuerò Dani, quamuis ab Erico patre multis beneficiis affecti fuissent, rursumq́; ipsum dum uiueret qualicunque obsequio coluissent, tamen à filij principatu defectionem meditantes, expectabant occasionem, qua sine periculo se in libertatem uindicarent. Interea accidit Estones, uocatis in belli societatem Rutenis, classe numerosa & potentissima Gothiæ littoribus applicuisse, omniaq́ue hostilia Lindormo repentè denunciasse. Qui licet ad tantam, tamq́ue inopinatam belli molem se nimis imparatum animaduerteret, egit tamen magno confirmatoq́ue animo, quæcunque rei gerendæ magnitudo postulare uidebatur. Siquidem milite (quem necessitas, accelerationq́ue permisit) tumultuariè congregato, sine mora hostibus Ostrogothiæ littora populantibus, potenter occurrit, eósque uelocem fugam ad naues captare coëgit. Sed neque ea fuga hostile propositum mutauere. Nam postquam abducta in altum classe reditum in proprias regiones astutè dissimulassent, subitò uelis mutatis, ad prædanda Sueonum littora iter institutum deflexerunt. Quo euenit, ut Rex non solum copias, quas in eorum abscessu dimiserat, ad militiam reuocaret, sed longè maiores conscriberet, eisq́ue comitatus hostium potentiæ securius obuiaret.

Igitur cum adhuc atrocius bellum in terris Sueonum gerendum restaret, ipseq́ue Lindormus nimis remotam à Dania militiam exerceret, Danorum proceres ad apertam rebellionem prodeuntes, quendam Fridleuum priscorum Regum sanguine illustrem, cognomento Celerem, ipsius Lindormi consanguineum, in suum Regem celerius quàm debebant erexerunt. Ita dum Lindormus Orientalia littora sui regni ab hostium incursu uiriliter tuetur, Occiduas eius partes domesticis insidijs auulsas experitur. Nihilominus bellum Rutenicum, & Estonicum, summa animi constantia aggressus, uictoriam in mari & terra de potentibus hostibus feliciter reportauit. Deinde ad animum reuocans iniuriam, qua fuerat à Frideleuo affectus, eundem exercitum à Rutenis in Danos transferre contendit, uocato etiam in societatem belli Noruegico Rege Gethero, quem Saxo Gotharum uocat. Nec defuere Frideleuo Princeps, & populi confœderati, in quorum numero erant Saxones, Frisij, Hollandi, & horum Princeps Heruillus. Itaque Lindormus ualidam classem armis uirisq́; instructissimam educens, certam sibi uictoriam polliceri uidebatur: quam etiam facilè asse cutus fuisset, nisi suborta inter Noruegianos & Gothos controuersia, tam potentem militiam, & bellicam classem labefactasset. Igitur Lindormus, qui contra hostes Danos arma comparauerat, ne ea sanguine ciuium, aut sociorum cruentaret, receptui cani iussit, totamq́; classem ex Gothis Sueonibusq́ue coactam, secum ad propria incolumem reuocauit, malens sui nominis gloriam à seruatis ciuibus potius, quàm à trucidatis hostibus ampliari. Noruegiani tamen propositum belli pertinacius amplexi, statuerunt aut bello cadendum esse, aut iniurias à Danis crebrius acceptas, iusta uindicta puniendas esse. Nec parum idoneo ingenio ad illud propositum utebantur. Siquidem clam immissis in Danorum exercitum exploratoribus, seditiones, rixas, ac mutua odia inter eos excitabant, multosq́ue præmiorum magnitudine in suam partem alliciebant, quorum præcipuus erat Heruillus Hollandorum, Frisonumq́; Princeps, cuius ductu totius Danici exercitus robur nitebatur. Is magna militum caterua comitatus, Danorũ societatem perosus, ad Noruegianorum partes et militiam se conuertit, pugnamq́; contra Danos cõseruit, cuius euentum Saxo prope calcem quarti libri describit. Lindormus autẽ inter suos Gothos Sueonesq́;, omissa Danici regni cura, in paternis auitisq́; regnis diuturnũ ac felicẽ principatũ agens, se talẽ omnibus suis ciuibus exhibere curauit, ut dignus esset in cuius funere infinitæ bonorũ hominũ lachrymę funderẽtur.

In qua autem Gothiæ aut Suetiæ parte sepultus fuerit, sicut antè minimè scriptum inueni, ita nec meis scriptis ad posteros transmittere possum. Restat tamen hoc loco commemorandum, quòd hic Lindormus est ille Sueonum Rex, de quo Cornelius Nepos scribens ait, quòd mercatores Indiæ in Germaniam per Septentrionale mare delatos, Celeri Metello Galliarum præsidi donauerit: quemadmodum etiam in libris Pompeianis, quibus Plinius, & Hermolaus Barbarus, & Otto Frisingus subscribunt, continetur. Ex eo autem quòd Saxo circa hoc tempus affirmet Frideleuum Celerem apud Danos regnasse, quo Metellus Celer apud Gallos præsederit, coniecturam sumo ex ea nominis conuenientia, nonnihil consanguinitatis uel affinitatis, inter Hyperboreos Reges & Romanos Principes tunc temporis intercessisse. Verissimum tamen est Romanam potentiam, rerum terrarumq; dominam, nunquam ausam fuisse arma contra Septentrionales Reges conuertere: sed se satis felicem fore putabat, si saltem paruulam illarum gentium portionem, Gothos uidelicet, qui relicta patria Romanas terras, demum ipsam urbem Romam expugnarunt: à suis ceruicibus auertere potuisset. Iulius uerò Cæsar usque ad mare Germanicum (ut nostræ historiæ fatentur) perueniens, cum illis Gentibus congredi formidabat. Quocirca confestim inde reuersus, hoc solum quod suo currui triumphali præscriberet, habebat: Veni, uidi, fugi. Est tamen a magnanimitate Aquilonarium regnorum & populorum precario assecutus, ut ad perennem eius memoriam unum diem festum in mense Decembri instar Saturnalium dierum, qui tunc Romæ agi solebant, celebrarent, in quo conuiuijs, tripudijsq; quàm maximè indulgerent: uocatus est dies ille Iulius, perseueratq; usq; ad nostra tempora. Sed Christianæ religionis pietate nunc multò solennior est, quàm tūc pagana superstitione institutus erat. Siquidem natalem Christi Saluatoris nostri diem, eo ipso die, qui Iulio adscriptus erat, cum summa omnium lætitia celebramus.

De indigna Ioannis Archiepiscopi Vpsalensis morte, ex historia Ioan. Mag. libro 19. in uita Canuti 126. Regis interni.

Canutus (quemadmodum diximus) diui Erici Regis filius, non solum procerum, & populorum electione, sed publico omnium desiderio, ob eximia patris sui beneficia, quæ cum uiueret, in omnes contulerat, ad utrunque regnum sublimatur. Hic etsi a paterna pietate ad tolerandos omnes aduersos casus instructissimus esset, tamen omittere non poterat, quin tam optimo patre orbatus, contenderet omnem animi, & corporis, ac omnium fortunarum suarum uim, in tam cruentos homicidas effundere. Quamuis enim, moriente patre, uix adolescentiæ annos egressus esset, tamen omni solicitudine (cui uix uirilis ætas sufficere potuisset) effecit, ut tota Suetia in illos sanguinarios consurgens, uindictam (ut narratum est) de innocentis sanguinis effusione sumere properaret. Nec cessauit, donec post Noruegianum exilium, uariosq; fortunæ casus, quibus iactatus fuerat, Regem Carolum (ut diximus) regno, & uita priuaret. Fatendum tamen est, optimo Regi Carolo nihil plus ad interitum nocuisse, quàm illam affinitatem, & confœderationem, quam cum Danis habebat. Erat enim diligentissimus Christianæ religionis propagator, ciuium amator, æquitatis & iustitiæ obseruator. Nec se in aliquo secus, quàm patriæ patrem exhibuit, attamen, quia Valdemari Danorum Regis gener erat, publicum Sueonum & Gothorum odium in se contraxit, suoq; exemplo satis ostendit, quàm periculose in Suetia & Gothia uiuunt, qui etiam sola Danicæ factionis suspicione notantur, ob quam nonnunquam innocentissimæ uitæ homines periclitantur. Gemina igitur causa, eademq; satis efficaci, Canutus in Regem potentissimum euasit: una, quia optimi Regis filius: altera, quia acerrimus erat extraneorum hostium inimicus, præsertim Danorum, contra quos prægrandem exercitum denuò eduxit, acerbiorem ultionem paternæ cædis de eis in ipsorum patria sumpturus, quàm pridem in Suetia apud Vpsalensem Metropolim sumpsisse uidebatur. Præfecit autem toti militiæ suæ Haraldum quendam, illustrissimo & Regio sanguine genitum, sed in re militari minus expertum, quàm gerendi belli necessitas exigebat. Erat enim in prosequendo bello nimis cunctabundus, & quod celerius, ac felicius efficere potuisset, tardando differendoq; elabi permisit. Veruntamen confestim ut Schoningiæ partes irrumperet, Rex ab Achone Schoningorum duce, atq; omnibus incolis salutatur. Erant tamen non pauci nobiles, qui eius imperium subire detrectantes, ad Danos, transmisso freto, confugerant: quorum possessiones, & prædia ab Haraldo direpta, combusta, desolataq; fuerunt.

Quocirca Canutus in Danorum Regem nuperrimè post fata patris Valdemari assum-

ptus



ptus, uehementem animi molestiam ex ea Sueonum irruptione contraxit. Nondum enim in regno confirmatus, potentes regni impugnatores sustinere cogebatur. Coactus itaque copijs, Haraldo obuiam ire contendit: fitque atrox & cruenta pugna in campis Schoningianis: in qua dum Haraldus imprudentius pugnat, superatur: superatusque, in Suetiam Achone sociatus remeauit, uiresque auxilio Canuti Regis, & Birgeri Ostrogothorum ducis reparauit: nec ab impugnanda Dania animum remisisset, nisi prudentissimus Archiepiscopus Lundensis Absolon (cuius præclara opera ad nos cum immortali eius laude peruenerunt) tum armis, tum consilijs, tum denique alijs honestissimis medijs, ipsum à Danorum ceruicibus auertisset. Tempore huius Canuti, tres successiuè Archiepiscopi in Metropoli Vpsalensi præfuerunt, Stephanus, Ioannes, & Petrus: quorum optimis monitis ita piè, ac perseueranter obediuit, ut paternam pietatem in omnibus operibus suis æquare, uel imitari uideretur. Siquidem à Ioanne Archiepiscopo non pauca salutaris doctrinæ monita accipiens, uigilantissimum Christianæ religionis obseruatorem sese exhibuit: nihilque omisit, quod ad subiectorum populorum salutem, ac pacem, æternamque felicitatem necessarium uidebatur. Diuini cultus augmento ita insudauit, ut nō solo nomine, sed uita, moribus, legibus, Rex Christianus diceretur. Pœnitentiam quoque, quæ sibi ob necem Caroli Regis ab hoc Pontifice imperata erat, reuerenter excepit, pieque, ac efficaciter expleuit. Nouit enim Christianus Rex, diuina obsequia non uiribus propitianda esse. Proinde offensæ religioni satisfacturus, duo præclara monasteria, Saba uidelicet (quod uulgariter Iulitha dicitur) & Varnhem, pridem à Rege Carolo inchoata perfecit, & prædijs sui patrimonij liberaliter dotauit. Nec ista in augmentum diuini honoris fecisse contentus, diuini cultus ministros honoribus, prouentibus, priuilegijs, cumulatissimè prouexit, sacerdotia instituit, ædes sacras reparauit, aut de nouo erexit. Felix Rex talem sortitus Pontificem, cui obediendo diuinam clementiam, & diuturnam pacem mereretur: sed felicius regnum, & felicissimus populus, cui contigit tam glorioso, & pio, ac sapiente Rege gubernari. Verum hic Pontificatus, quamuis numero annorum angustus extitit, tamen ingens eius gloria memoriam sortita est laudabilem, & sempiternam. Quarto enim anno à principio sui Pontificatus, ab Estonibus, qui piraticam usque ad interiora Suetiæ exercebant, in proprijs ædibus Almerstech, circa principium mensis Iulij, anno à nato Christo M. C. LXXXVIII. trucidatus occubuit. Cuius successor Petrus, auxilio huius Canuti suffultus, totum Suetici regni populum ad ciuiles mores, & Christianam pietatem toto corde amplexandam induxit. Interea hic memorabilis Rex Canutus, post multa & præclara facinora, mortis necessitati succumbens, regnum pariter & uitam amisit. Sepultus in monasterio Varnhem, anno Christi M. C. XCII.

De pascendis pecoribus in tectis obsessorum.

CAP. XXXVIII.



Accidit præterea urbes obsessas adeò duris, & pertinacibus armis, terra marique comprimi, ut nihil solatij, aut alimentorum pro restauratione obsessorum inuehi concedatur, pręter quod extremo discrimine, ac armata potentia ab hostibus ipsis uiolenter eripitur, ac importatur: fitque multoties ea occasione tā atrox prælium, ut pro raptu aliquot paucorum pecorum, plura millia pereant armatorum: dumque funestius certatur pro bestijs, campi replentur funeribus militum occisorum. Sed nec eo cruore, furoreque reprimuntur obsessi. Viribus etenim primis annis, demum (milite stragibus continuis diminuto) artibus, dolis, & insidijs obsidentium surripiunt commeatum, præsertim pecudes, quas secum abductas, in herbosis domorum tectis pascendas imponunt, ne defectu carnium recentiorum morbum incurrant, quibusuis ęgritudinibus tristiorē, patria lingua Schorbuk appellatum, hoc est saucium stomachū, diris cruciatibus, & diuturno dolore tabefactum. Frigidi enim, ac indigesti cibi auidius sumpti, morbū huiusmodi causare

ſare uidentur, qualem medici cachexiam uniuerſalem appellant. Sed alibi latius: de quo, & ſimilibus lib. 16. nonnihil erit oſtendendum. Quòd autem in tectis commodè paſcuntur pecora, ritus Gothicarum gentium in primis eſt attendendus. Aedificant enim domus lapideas, ſublimes, ac amplas, ligneasq́ꝫ: quas tignis abietinis, & corticibus arboris betulæ exquiſita induſtria tegunt, terram herbiferam quadrata figura à campis exciſam ſuperimponentes: quam ſubmiſſo auenæ, uel hordei ſemine, firmioribus radicibus nectunt: quo fit, ut tecta huiuſmodi pratorum uirentium ſpeciem, & uirtutem æmulentur. Sed ne herbæ tectorum, priuſquam euellantur, areſcant, uiciſsim cum pluuijs domeſtica diligentia aquas aſpergunt. Ita neceſsitas homines fortes inſtruit, ut ſupra humanas uires obſidentibus reſiſtant, & illudant, ac penuriam omni contempta aduerſitate ſuperent.

De eodem.
CAP. XXXIX.

HAncq́ꝫ artem, quotieſcunq́ꝫ arduiſsima hoſtilitas, & obſidio diuturna occurrerit, reitare non omittunt. Nulla quippe rapina taliter incluſis opportunior eſſe creditur, quàm armentorum, dum omnibus alijs neceſſarijs ſumptibus ſunt prouiſi, ut ſuperius de obſidione caſtrenſi dictum eſt. Frumentum habent, quod ſole in ſigno Cancri currente toſtum, purgatúmue, per ſeculũ durat. Patrio etiam potu, ceruiſia uidelicet recenti, ac uetuſta, imò & exoticis uinis, medone, melicrato, mulſa, ac pomorum pyrorumq́ꝫ muſto, pyreto dicto, & reliquis ſolatijs non omnino carent: & ſi carerent, felicem eam reputant calamitatem, qua domini ſui honorem, & uitam, ſeq́ꝫ tueantur ab hoſtica crudelitate: cuius comparatione anguſta fames, ægritudo, & ipſa mors ſuauior eſt obſeſsis. Agnoſcunt enim quam inſolens, ferox, impius, inuerecundus, inſatiabilis, truculentus, perfidus, atrox, & furioſus eſt hoſtis, qui ita ſæuit, ut uictis ignoſcere neſciat, & ſi ignoſcit, uerbis: utique factis crudelius ſæuire conſueuit. Quantum igitur ad ſimile ſtratagema pecudum, tradit Saxo lib. 5. quoſdam nautas leniendæ famis cauſa diſcurrentes, per littora pecus conſtrauiſſe: aut enim leuanda eſuries, aut fame periclitandum erat. Armento cæſo, nudata in nauim cadauera, detractis coniecêre tergoribus. Quo comperto poſſeſſores pecoris claſse prædones inſequuntur: cumq́ꝫ nautæ ſe impeti cognouiſſent, cæſarum boum corpora ſignatis funibus alligata, fluctibus occultanda proſpiciunt, deinde ſi quid apud ſe quæſiti cadaueris eſſet, ſuperuenientibus poſſeſsoribus perluſtrandi licentiam tribuunt, affirmantes occultandis rebus anguſtos nauium angulos eſſe. Illi cadauere nuſquam reperto, ſuſpicione in alios relata, reos prædæ innocuos arbitrati ſunt: dum nulla rapinæ ueſtigia patuiſsẽt, alios ſibi nocuiſſe putantes, ſontibus ignouerũt. Hæc Saxo. Fortè ſi ſpiritum, & clauam Herculis poſſeſſores illi habuiſſet, ex funibus depreſsis, ut Hercules à boum mugitibus de Caco abigeo, ſaltem cadauera reſumpſiſſent, ut Liuius 1. Deca. lib. 1. aſſerit. Sed longè periculoſius ſtratagema eadem Deca. lib. 9. in prin. à Samnitibus contra Romanos aſſumptum commemorat: dicitq́ꝫ decem milites paſtorum habitu ad diuerſa loca prope Romana caſtra tranſmiſſos: quorum conformi relatione ijdem Romani in loca inſidioſa, & tandem ſub iugum, & ludibrium, ac mortem miſsi ſunt. Quo terribili exemplo rebus ſuis diligenter prouideat omnis ſuperbus, & inſolens hoſtis. Igitur locum herbidum Aquilonares obſeſsi ſupereffuſa aqua reddunt tecta domorum, interim cum alij abigant ab hoſtilibus paſcuis iumenta: quæ cum pinguia, atq́ꝫ ualida ſint, plurimumq́ꝫ neceſſaria obſeſsis releuandi ſumptus cauſa, confeſtim mactantur. Prædatoria tamen manus, ut pecudes abigat, ſemper erumpit in obſidione: alioquin inceſsis omnibus uijs, per quas commeatus è terra & mari ſubuehi ſolet, ſame domantur obſeſsi.

De aqua-



De aquarum defectu subleuando.

CAP. XL.



OCcasione insuper hic orta super defectu recentium carnium & forsitan grauiore aquarum, hic ostenditur modus Septentrionalium obsessorum, quomodo inter cętera necessitatis remedia etiam curam ineant de aquis inueniendis. Euenit nanque obsessis tanta scaturientium, aut putealium aquarum (ob hostile impedimentum) penuria, ut uel se dedere cogantur obsidentibus, uel incurabili morbo, uel ineuitabili nece perire. Quocirca prudentes arcium, aut ciuitatum præfecti, uelis, uel telis concaua flexura, longaq; extensione è superioribus tectis suspensis, ac dilatatis, & funibus cuneato situ uersus ima depressis, desuper casuras pluuias, aut rores præstolari disponunt. Nec frustra: quia imbres frequenti niuium resolutione adeò copiosos torrente sole è montibus descendentes excipiunt, ut cunctis tam hominibus, quàm bestijs sufficiant ad optatum usum, & necessitatem. Nec ea prouidentia Cæsar ipse in classica expeditione lib. 3. Commentariorum dignoscitur caruisse, dum obsessos ita coarctaret, ut neq; lignandi, neq; aquandi, neq; naues ad terram colligandi potestas fiebat. Erat enim res in magna difficultate, summisq; angustijs rerum necessariarum premebantur, adeò ut cogerentur sicuti reliquum commeatum, ita ligna, atq; aquam nauibus onerarijs supportare. Atq; etiam uno tempore accidit, ut difficilioribus uexati tempestatibus, ex pellibus, quibus erant tectę naues, nocturnum excipere rorem cogerentur inuiti: quas tamen difficultates patienter & æquo animo sufferebant, neq; sibi nudanda littora, & relinquendos portus existimabant. Demum qui uenas salsi maris arciũ fundamẽta, uel fontes intrantes habent, per uasa arenis plena pluries distillando purificãt, & inueniunt aquam dulcem, & tractabilẽ ad omnem usum, & æquè bonam per hanc simplicem artem, prout ante paucos annos quidam patricij Veneti (qui in salsis aquis, & alga habitant) talem distillãdi modum à quodam alchimista sunt mercati: quòd fortè uti paucis dubiosè prodesse uisum est, ita parum releuare potuerit publicum defectum, & querelam: quam augere uidentur in summa ęstatis siccitate, qui aquas uenales è terra firma in nauibus reportant, in quibus calcem non coctam recenter conduxerant in urbem. Sæpe & uidi, & condolui super hoc iniquo, & pernicioso quæstu, quòd nulli, uel pauci eum considerarunt.

De panum defectu subleuando.

CAP. XLI.

INgressuri Gothi, Sueciq; hostiles terras Moschouitarum, sæpe reperiunt eos ob aduentum formidabilis exercitus, nedum ad latebras syluarum, ac rupium repentè fugere, sed & quęcunque ad usum humani uictus necessaria sunt, domibus incensis secum in uastam solitudinem asportare, nil penitus, quod mandi poterit, uenturo hosti relinquentes. Quo casu prouidi exercitus præsides more ueterum Gothorum, ne prius fame, quàm ferro numerosus exercitus corruat, bonam siligineæ farinæ quantitatem in saccis ad hoc dispositis, retro sellas equitum unà cum lamina ferrea alligare solent: confestimq; ubi res postulat, igne structo, laminæ ferreæ superpositæ pastas imponunt panum tanquam in clibano conficien-



conficiendorum: qua nihilominus lamina more clypei (in cuius modum formata est) corpora sua protegẽtes, geminam ac summe necessariã militaris industriæ opem ex una re prudentissimè mutuare uidentur. Faciunt etiam panes subcineritios ex farinæ massa subtilibus arborum populearum corticibus, & folijs inuoluta, ignitisq́ cineribus cooperta: qui etsi uiles esse uidentur, primum tamen uoracitatis ardorem eligibilius tollunt, plusq́ durioribus stomachis conueniũt, quàm quiuis alter primarius, uel secundarius panis. Est præterea tertius modus facilior supradictis, quo in planis montibus, qui sępius occurrunt, panificia fiunt. Struunt enim copiosum ignem in una, atq́ altera, & tertia montis parte (quia undiq́ gratis habent ligna) donec sufficienter calefacta, purgataq́ eadem parte, pastam rotunda, lataq́ forma superimpositam citius decoquere possunt. Interim tamen propinquam, & continuam montis partem eodem igne auctis combustibilibus succensam, pro noui panis decoctione disponunt, eamq́ priori modo purgatam, simili usui commodissimam reddunt, eoq́ compẽdio plura millia panum breui conficiunt: quorum satietate integer exercitus à mortifera fame diebus multis liberatus, terras inimicas ingreditur, & ubilibet easdem (nisi pactis obuiatum fuerit) cædibus, ac flammis euertit: tantisq́ onustus rapinis egreditur, ut nulla, uel exigua reputetur perpessa calamitas, quam tantis solatijs, & diuitijs uiderint compensatam. Quòd autem milites bellatores sine mulierum ministerio (quibus hoc officium apud omnes Septentrionales conuenit) panes conficiunt, nemini uideatur absurdum, cum hoc casu, & similibus publica cõstringit necessitas, & fortium uirorum arbitraria uoluntas, prout Plin. lib. 18. cap. 11. latius exequitur, asserens, pistores Romæ non fuisse ad Persicum usq́ bellũ. Annis ab Vrbe condita D.LXXX. ipsi panes faciebant Quirites. Cæsariani milites contra Pompeium pugnaturi, herbaceo pane usi sunt, ut Pompeius diceret se contra bestias pugnaturum, & fugandum, prout accidit: erant enim multi à paucis superati. Quales autem Aegyptij decoquunt panes ex aquaticis lilijs, uel potius earum radicibus lotis nuncupatis, pomi quantitatem habentibus, breuitatis causa uideat, qui uelit, Herodotum lib. 2. historiarum: cuius exemplo non dubito etiam in Septentrione tales inueniri radices, & frutices, unde panis necessarius pro extrema fame arcenda formari possit, etiam radix iuniperi, quam Iob 30. cap. pro cibo tradit.

De Græco ingenio conficiendi panes.

CAP. XLII.



QVantum stupida ignauia, ac detestabilis auaritia perfidorum præfectorum obesse solet Principibus, arma præcipuè tractantibus in campestri, siue classica expeditione, inter alia celebris autor Procopius libro 3. Vandalici belli demonstrat. Refert enim Belisarium Iustiniani potentem præfectum, dum uenti non flarẽt, bellicam iussisse classem in anchoris persistere saluam, ut milites interea plures conscriberet, nouoq́ ordinę collocaret, ac reliquos duces ornaret. Quibus administratis, cum aliquandiu expectando uentos moraretur, plures

morbis



morbis correpti, ex causa interiere. Ioannes quidem præfectus prætorij erat cum in alijs detestabilis, tum uehemens in ea commentando, quę publicè sint ad hominum perniciem per auaritiam accessura. Panem, qui in exercitu fertur, bis est consuetudo in clibanum ponere, ut diligenter coctus diu duret, ne breuiter corrumpi posit. Verum eundem pondere à primo deficere, è quarta saltem parte necesse est. Ioannes itaq; cogitans, quonam modo artoptis, ac pistoribus minus lignorum, ac mercedis daret, nec tamen pondere deficeret, crudum adhuc panem in publicum balneum ferre, ac in locum, ubi ignis uigebat, collocare iusit, donec uehementer coctus uideretur: deinde in culeis positos nauibus immisit. Postquam uerò clasis apud Methonem fuit, panes soluti omnes rursus in farinam reuersi, marcidam quidem & tabidam, ac uiritim minutatimq;, illis uerò qui indignatione aliqua essent, per medimnos & modios, distributi fuere. His itaq; milites æstatis tempore in loco etiam æstuoso pasti, in morbos facilè inciderunt, periereq; non minus quadringenti: plures etiam interijssent, ni Bellisarij prouidentia his prohibitis in regione conquisitos alios panes dare iusisset. Imperatori deinde de hoc conquerendo scripsit. Ille quanquam rem detestari uisus est, attamen artificem tam truculentum, & auarum, nulla tunc pœna plecti iusit.

De pœna defraudantium annonam.

CAP. XLIII.



TAlem tamen Reipublicę defraudatorem, teste Casiodo. lib. 6. Theodericus Gothorum Rex præfecto annonæ sacratisimę urbis Romæ scribens, ut publicum hostem, defraudatorem, & furem punire iubet, dum non licet aliquid furari de populo. Nam quod in ciuitatis damno committitur, silentio non celatur. Nescit plebs tacere, quando interdum & hoc loquitur, quod à nemine perpetratur. Iubet ergo, ut pœnam distringat in fraudulentos, & panis pondera uelut æquus examinator intendat: solicitius auro pensetur, unde à Quiritibus uiuitur: quia gratior est lętitia fauentis populi, quàm copia pretiosisimi metalli. Vbiq; redundet panis copia, ut tam magnus populus tanquam una mensa satietur. Officina pistorum, cibiq;, & munditia panis exigatur. Nam si querela panis, ut assolet, concitetur, prouisio ubertatis seditiones ciuicas momentanea industria soluet. Ideoq; prospiciatur, ne quid à populis conquerentibus excedatur. Non immerito Pompeius uocatus est Magnus, quia sagacitate populum à penuria liberauit. Nec minor laus est dispensationem probabilem facere, quàm frumenta colligere, quando in quauis abundantia querela non tollitur, si panis elegantia nulla seruetur. Quid interim leges decernunt contra crudeles dardanarios, publicę uitę oppressores, uideant Reipublicæ conseruatores.

De pabulorum defectu subleuando.

CAP. XLIIII.

FIT quandoque ob intolerabilem solis ardorem, aut niuium repentinum casum & densitatem, tanta inopia communis pabuli iumentorum, ut neq; fœnum neq; palea, aut alia legumina nascantur, quibus hominum, & iumentorum consulatur necesitati. Quo euenit, ut incolę huiusmodi penuriæ occurrere uolentes, omnimodam diligentiam faciant, quo talibus angustijs omne genus tor-



mentorum superantibus, uitamque auferentibus, opportuna remedia opponantur, præsertim cum hæc omnia propè mortifera sint, & nimium onerosa: obsidione tamen clausis intolerabilissima: intus nanque omnium rerum penuria, forisque impacabilis hostilitas obiecta uidetur. Quo casu plurimum proderit inhabitantes anteacto tempore æstatis more formicarum fuisse solicitos, ut arborũ folia, ramos, frutices, thyrsos, fungos, muscos, suberes, & cortices arborum cauta prouidentia in priuatis horreis, pro simili uenturę hyemis penuria, habeãt recollectos. Experientia enim elapsi temporis agricolas docuerat, ut de talibus haud negligant assumere prouisionem. Nec frustra: quando enim hyems sine procellis, uel sine temperie uer, aut æstas sine ardoribus semini congruentibus, aut autumnus sine pluuia notatur ab incolis, & præsertim duobus elementis frigoris perpetui, & contrariæ siccitatis, non dubitant, quin ardua terrę nascentium penuria sit uentura. Qui uero foris equestres sunt, & in obsidione continua præliaturi, multo faciliori remedio gaudent, quàm obsessi, quod ruricolæ de supradictis frondibus, fruticibus, ac folijs sunt prouisi, imò & de futuro semine pro agricultura continuanda: in quo tamen uim quandoque ab impijs præsidibus, & Regibus, equos potius saginari, quàm agros seri cupientibus, præter omnem æquitatem patiuntur. Hocque impietatis facinus Regi Christophoro Bauaro attribuitur, ut toto euo Rex caristiæ (ne quid deterius de corticibus arborum dicam) appellaretur. Plus enim uisus est equos, & canes suos ęstimare, ac magnificare, quàm omnes fideles incolas suorum dominorum: potiusque in Suetia, ac Gothia Christianis hominibus alimoniam tempore publicæ famis eripi passus est, quàm equis, & canibus Regię aulæ. Igitur ad præsentem iumentorum famem, bonum lectorem remitto ad historiam clarissimi fratris, & antecessoris mei Io. Magni Archiepiscopi Vpsalensis lib. 14. cap. 21. de fortissimo Rege Gothorum Teia in Italia prę liante, quòd positis castris iniquo loco, & tempore inter Ariminum, & Cæsenam tanta nix cecidit, quantam nulli homines anteâ meminerunt, diuque durans terram contexit, ut necessarium fuerit equos, & iumenta alere culmis tectorum: quare tum pabuli inopia, tum frigorum magnitudine, magna equorum uis hyeme illa consumpta est. Nec dissimile incommodum Cæsar ipse meminit lib. 3. contra Pompeium eo modo: Erat summa inopia pabuli, adeò ut folijs ex arboribus strictis, & teneris arundinum radicibus contusis, equos alerent: frumenta enim, quæ erant intra munitiones sata, consumpserunt &c. Et quod infelicius aliquando uisum est, nec pabulandi, nec frumentandi tempus, aut occasio permittebatur.

De Illustriss. & fortissimo Gothorum Rege Teia & fame hac, Ioan. Mag. lib. 14.

Teias deinde Fredigerni filius à Gothis, qui funestæ pugnæ superfuere, & Ticinum se recepere, Rex creatus est, Erat enim is bellicæ rei ualde peritus, & assuetus, atque in dubijs rebus consilio circunspectus. Bellum igitur impigro animo, & uigilanti studio reparare contendens, uicinas gentes in societatem belli acciuit: factique sunt eius opera belli apparatus, quos Narsetem oportuit formidare. Nam Bucelinum, Aningum, & Lotharium Francorum & Burgundionum duces, quos Theobaldus Rex in Ligustia, & Alpibus, ac prouincia Narbonensi collocauerat, liberali ac magnifico promisso stipendio aduocauit. Vocatique maximas aduehentes copias, ad Clastidium agri Papiensis oppidum Pado uicinum consedere, quo facilè ad eos commeatus undique apportari possent. Teias autem quam primum Rex declaratus fuit, thesauros, quos Totilas Papiæ congesserat, accepit: quibus acceptis, Gothorum ani-

rum ani-

rum animos in pristinam et maximam spem erexit. Interea nūciata est Narseti Totilę mors cum oppidum Luceolos, inter ciuitates Vrbinum & Eugubium collocatum, oppugnaret. Eo oppido Narses in potestatem redacto, Narniam quoq; occupauit: apud quam paucos dies consedit, ut priusquam Romam iret, ciuitates & oppida, quæ in potestatem uenerant, ordinaret, prouideretq; ijs, quæ Gothorum præsidijs defensata post terga remanebant, Spoletinis militem ad præsidium (dum muros reficerent) concesit. Est & Perusia in deditionem accepta à Narsete: qui post hæc Romam profectus, eam obsedit. Sed ad primum eius obsidionis tempus, molestissimus ad eum nuntius est allatus de belli societate à Burgundionibus & Francis cum Gothis inita, & copijs quas Teias Rex supra omnium opinionem reparauerat. Quare in maximas ductus difficultates, quid primo uel ultimo loco ageret ignorabat. Iam enim Longobardorum gentem, quam de Italiæ occupatione suspectam habebat, magnis donatam muneribus domum remiserat: quæ secum omne fere robur copiarum traxerat. Cæterum fortuna (quæ in omni re multum posse putatur, ut uulgus existimat, sed in re bellica plurimum) iacentem Narsetis animum in spem pristinam erexit, oblata illi ex insperato Sisualdi Herulorum Regis societate, ea conditione, ut si Gothi Italia eijcerentur, ipse partem eius terræ, unde illi eiecti essent, circa alpes sortirentur. Erat Sisualdus ab eo procreatus, quem Theodericus post occisum Odouacrem cum Herulorum manu in Taurinis & Eporedijs collocauit, atq; in generum & filium adoptauit. Sed tunc Gothus uideri poterat seruasse eos, à quibus Gothi tandem perderentur.

Narses itaq; nouo subnixus fœdere, Valerianoq; ex Rauenna Brixellum, & Tannetum cum suis copijs occurrere iusso, ut Gothos procul distineret, omni metu, qui à tergo impendebat, liberatus, Romam aliquāto etiam arctius, quam antea urgebat. Conditio uero urbis Romæ per ea quidem tempora hæc erat: Ciues superioribus calamitatibus afflicti, non admodum multi in Vrbe uersabantur. Solitudo nonnullas uias totas habebat: ædificia in pluribus locis collapsa cernebantur. Neque enim Totilas reparationi suffecerat, & (ut credere par est) ciues ipsi, ne toties famem, & alia obsidionis mala experiri cogerentur, priusquam Vrbs à Narsete obsideri cœpta sit, multi in uicina oppida dilapsi, Vrbem admodum infrequentem reddidere. Itaque Gothi magnitudinem Vrbis tueri posse diffisi, locum delegerant non magnum iuxta Hadriani molem, quem egregiè uallo, fossaq; munitum ad cætera mœnia coniunxerant. Custodiebant tamen mœnia, sed modica spe tanti ambitus defensandi, si ualidior aliqua oppugnatio mœnibus immineret. Nec illi sua decepti opinione fuere. Siquidem Narses, dum pluribus est locis Vrbem expugnare adortus, facilius quàm putarant expugnauit: ea potissimum parte qua muri (uirorum defectu) propugnatores non habuere. Inde clamor factus captam Vrbem ostendit, Gothiq; omissa defensione, alij Portuensem urbem fuga petierunt, alij in arcem Hadriani se receperunt. Per hunc modum Narses Romam occupauit: arcem uerò tunc obsessam, haud multo post tempore pactione, non armis accepit. Ita fortuna hunc nouum ludum lusit, ut paucis annis Vrbs omnium clarissima sæpius sit capta, quam obsessa. Gothi autem post amissam Vrbem ira atque indignatione succensi, nonnullos Romanos Senatorij ordinis, & Patricij generis, quos tanquam obsides in Latij & Campaniæ urbes antea transtulerant, occiderunt. Nec Narses post captam Vrbem in otio fuit, sed solerti hostium insectatione primo Portuensem urbem illis ademit, inde Centumcellas, & alia loca urbi finitima.

Per id tempus Ragnerius, qui Tarento præerat, cum Teiam factum Regem, Francosq; in societatem uenturos audiuisset, pœnitentia ductus, quod ad partes Iustiniani transisset, ad Gothos redire constituit. Vt uero obsides reciperet suos, hac incesit astutia: Ad Macurium Hydrunti præfectum mittit, & auxilium poscit aduersus Gothorum copias, quas contra se uenturas cognouisse simulauit. Misit Macurius nihil fraudis suspicans quinquaginta milites. Hos Ragnerius in potestatem redactos custodiri iusit, misitq; ad Macurium, ut sibi suos obsides restitueret, si milites quos Tarentum miserat, cuperet esse incolumes. Sensit ille sibi grauiter illusum, ac simul ira accensus, paucisq; militibus in præsidio Hydrunti relictis, ipse cum cæteris copijs aduersus Ragnerium profectus est: quem etiam in pugnam descendere ausum in fugam conuertit. Milites tamen suos à periculis eripere nequiuit: omnes enim à Ragnerio ante congressum trucidati fuerunt. Deinde Ragnerius, cum omnes uiæ ab hostibus præclusæ essent, nec in Tarentum regredi posset, Acherusiam ad suos delatus est. Eodem tempore Sisualdus ex Alpibus in Gothorum loca nullo pręsidio munita impetum fecit: & quia Gothi ab ea parte nullas insidias metuebāt, urbes, oppida, castella die noctuq; patere sinebant. Asportatum est itaq; ex Gothorum finibus quantum Sisualdus uoluit, aut potuit. Potuit autem multum, quando fraudibus pugnando, magis latronum quam strenuorum militum morem imitaretur. Vertisset Teias in Sisualdum tātam belli molem, nisi

eodem tempore circa Ariminum suos obsidione teneri, atque in Piceno bellum instauratum, accepisset. Quare non Gothorum modo, sed Theodebaldi Regis copiarum ducibus concione contractis, in hunc modum uerba fecit:

Quamuis multa sint, uiri fortissimi, ad rem bellicam necessaria, nihil tamen æquè ac consilium ualere putandum est. Id enim non solum publico omnium consensu, sed ipsa experientia, quæ rerum est omnium magistra compertum habemus. Equi, arma, opes, naues, classes, exercitus, corporis robur, animorum magnitudo, fortuna denique ipsa, quæ in bellicis rebus plurimum posse existimatur, nisi bono consilio dirigantur, tâquam fluxa caducaque euanescunt, sæpeque illis perniciem afferre solent, qui eis uti nesciuerunt. Stulti quoque illi milites censendi sunt, qui omnia à fortuna potius, quam à prouidentia dependere affirmant. Nihil est enim tam necessarium in re militari, nihil tam salubre, quam prudentia, quę est omnium consiliorum mater. Quæ cum ita sint, considerandum est nobis, quòd cum uiribus abundemus, simusque multò superiores hostibus copia & uirtute armorum, ne imprudenter & temere pugnando ab eis superemur. Quid enim uirium est in Græcis, quod possit nobiscum comparari? Auxiliares copias permodicas habent, easque parum beneuolas, aut obsequiosas Longobardos confestim post prima bellorum auspicia, quia suspecta erat illorum fides, tanquã sibi potius uellent uincere, quàm Græcis abire iusserunt. Itaque multo maxima copiarũ pars ex Græco milite constat. Quod autem genus hominum sint Græci, satis uobis compertum existimo Loquax profecto & garrulum, plusque uerborum secum ferens in prælium, quam audaciæ. Quando enim per tot annorum spatia cum Gothis feliciter pugnauerũt, quin semper uicti sint, & uelut uilissima pecora à nostris ad satietatem cæsi, fusi, fugati, quamuis multo plures numero fuissent? Vna naualis pugna illis prospere cessit, nõ eorum sed sociarum nauium uirtute. Paucos præterea ueteranos milites habent: cætera multitudo tyronum est, ut uix deprehendi queat, utrum dux illis, an illi duci minus noti sint. His itaque consideratis, quis nisi stultus illam Græcorum imbelliam cum Gothorum uirtute, quis tyronum exercitum cum ueteranorum fortitudine, illaque modica & infida illorum auxilia cum his quæ nobis assunt, fide, uirtute, armis multo præstãtiora compararet? At forte quispiam uestrum dicet: Apud nos quidem cætera potiora sunt, dux tamen apud illos fortior, & prudentior est. Sed cum eo duce nobis est res, uiri fortissimi, qui ne uir quidem iure dici possit, sed mollissimus eunuchus, cui in tota uita speculum pro parma fuit, pro ferro calamistrum, pluma pro lorica, pro sudore unguentum, ut merito timeri possit, ne cum mollissima fœmina, & non cum uiro bellum gessisse uideamur Cum igitur Narses sit talis, quis illum cum uestro duce compararet, quem in armis natum, atque in rebus bellicis à pueritia uersarum non ignoratis? aut quis ex nostris tyronibus (si qui sunt, tali duci non pręferatur? cui non ars, non uires, non experientia adest ulla: qui præter mollitiem nihil ad bellum tulit. Quocirca cum in cæteris omnibus hosti præualemus, conandum est nobis, ne consilium nobis defuisse uideatur. Considerate ergo quid sit illud, de quo ad uos referendum duxi. Cum enim hostes modò res nostras non uno in loco impugnant, nosque partim per latrocinia Herulorum infestant, partim circa Brixellum ad nos impediendos castra collocata custodiunt, Ariminum diuersa obsidione molestatur, Picenus ager indignè uexatur, Romam Narses eunuchus tenet. Proinde decernẽdum est per uos, uiri fortissimi, utrum in unam partem tota uis belli conuertenda sit, an diuiso exercitu omnibus locis occurrendum, lateque tota Italia bellandum. Hoc (ut libere dicam quod sentio multò tutius mihi uidetur, atque honestius ad nostræ fortitudinis opera ostendenda: sed uos in medium consulite, & quid magis expedire uidebitur declarate.

Fuitque deinde plurimorum sententia conclusum, omnibus simul locis subueniendum esse, quemadmodum Narses suas copias in diuersas partes diuiserat, ad uexandas omnes Italiæ regiones. Placuit itaque Francos & Burgundiones trans Padum aduersus Sisualdum gerere bellum, Teiam uero, ut cæterã Italiam liberet, reliquas copias educere contra Narsetem. Deliberauerat autem Teias apud se solum, nullo penitus conscio, Ariminum ab obsidione Fagę ducis liberare: sed in diuersum iter abiens, uisus est uelle in Herrùriam proficisci. Quam profectionem Valerianus Tanneti præfectus irridens, putabat Teiam ad apertas Græcorum insidias peruenturum, sed Teias prudentius rebus suis consulens, Bononię præter omnium opinionem appropinquabat. Qua ex re Valerianus perterritus, risum in timorem conuertit, atque ut insaniens cum copijs aduolauit. Sed Teias interea tanta celeritate iter confecerat, ut prius ipse Ariminum, quam Valerianus Bononiam applicuerit. Fagas autem præsentiens Teiæ aduentum, obsidione soluta in proximos montes fuga saluatus euasit. Teias Ariminum ingressus suos confirmauit. Deinde castris in medio inter Ariminum & Cæsenam positis, utranque urbem ab hostibus tuebatur. Ioannes autem Fagas

tempora

tempora & occasiones obseruabat, quibus posset Cæsenam occupare. Quo effectum est, ut Teias infelici usus consilio, in illis locis nimis diu moraretur, temporaq; parum utiliter conteretet, quibus in Picentes ante brumam, quæ imminebat, ducere potuisset. Tanta enim nix interim cecidit, quantam nulli homines antea meminerunt, diuq; durans terram contexit, ut necessarium fuerit, equos & iumenta alere culmis, calamisq; tectorum. Quare tum pabuli inopia, tum frigorum magnitudine magna equorum uis hyeme illa consumpta est, & Græcorum arma liberius per Picenum euagata, maximam eius terræ partem ad Iustinianum protraxere. Narses enim tam diuturnam ab hoste quietem nactus, omnes Campaniæ ciuitates, præter Cumas, multasq; in Lucanis, nonnullas in Brutijs per duces suos occupauit. Tumq; captæ fuerant in quibusdam Campaniç locis aliquot nobiles Gothorum fœminæ, quarum una Totilç quondam amica, rem prius Narseti incognitam indicauit, Totilam dum uiueret, pecunias partim Papiæ congregasse, partim Cumis in arcem seposuisse. Quamobrem Totilæ frater eidem arci per id etiam temporis præsidebat. Id cum intellexisset Narses, illico copias expediuit, quæ Cumas obsiderent.

Vere autem exorto, Teias Cæsenæ obsidionem sponte dissoluit, & Ariminum delatus per ea loca exercitum reparare curauit. Equi enim partim fame, partim frigore interierant, & qui supererant, inutiles erant. Proinde non ante summum æstatis in Picentes peruenit, cum hyemem totam ad Cæsenam perdidisset. Interea uero cum rebus suis satis strenuè in Hetruria atq; Picentibus intenderet, Sisualdus Brenthorum, alias Herulorum, Rex, in citeriore ab Vrbe Gallia res Gothorum, occupata urbe Eporediensi uel Hipporegiensi, multis affecit incõmodis, cum nemo se illi ex integro animo opponeret. Duces enim ipsi, quos Teias ex Francia, & Burgundia in belli societatem aduocauerat, occultam pactionem cum Sisualdo iniuerunt, fœderaq;, quæ Sisualus cum Narsete, & Bucelinus, atq; Amingus, & Lotharius cum Teia Rege solenniter constituerant, perfidè uiolauerunt, partiti inter se uniuersam Transpadanæ Italiæ regionem. Nec solas eas ciuitates, quæ Gothis parebant, sed quç Iustiniani partes sequebantur, maximis iniurijs afflixerunt: imo maiora populis incommoda sub amicitiæ nomine intulerunt, quàm si hostes aperti fuissent. Deinde Cumis obsessis Teias opem ferre properauit, cum thesauros ibi reconditos non ignoraret. Narses autem ad primos rumores de Teiæ aduentu, parte una copiarum, ab Hetruria reuocata, ex urbe Roma in hostem celeriter mouit: qui licet multum properasse uideretur, prius tamẽ Teias Nucerinos ad deditionem compulit, quàm Narses appropinquare diceretur. Qui ea spe frustratus, ex Campania ad Gothum ire contendit, ut cum eo acie confligeret. Nec Teias à prælio abhorrebat, qui Nuceria potitus, in animo habebat in Campaniam contra hostem progredi, si ab eo præuentus non fuisset. Castris igitur circa Nuceriam constitutis, aliquot dies intercessere, priusquam in aciem sit descensum. Suntq; interim quædam leuiora prælia ex alterutrius partis occasione commissa, eaq; Gothis plurimum prospera.

Interea Gothorum classis, qua commeatus in castra uehebantur, contra publicam fidem à Brundusinis intercipitur: estq; ob eam rem non parum in castris Teianis rei frumentariæ inopia laboratum: fameq; periclitati fuissent Gothi, nisi terra in circuitu maturas fruges prçbuisset, quas miles prius quam demetererentur desecuit. Cæterum Teias ueritus ne his deficientibus ad extremam famem redigeretur, præterq; quod sua sponte pugnæ cupidus erat, necessitate adactus signum pugnæ proposuit. Gothi igitur quia potius ferro, quàm fame periclitari decreuerant, acie ex improuiso instructa, ex mõte, quem occupauerant, in subiectos Græcos in morem uehementissimæ procellæ cum strepitu & fragore descendunt, & primo quidem impetu Narsetis milites loco pellunt, adiuti montis decliuitate. At Græci collectis animis redeunt in prælium acriter decertantes. Dimicatum est à prima luce ad noctem, tanta hominum strage, quanta ullo unquã memorabili prælio maxima. Eratq; hæc pugna non modo ferox, sed inhumana, cum nullus hostis caperetur, nullusq; modus, aut ulla clemẽtia in cæde haberetur. Teias uerò in hoc prælio optimi Imperatoris, & fortissimi militis operam pariter ædidit. Ille enim heroica quadam fortitudine præditus, inter primos pugnatores esse uoluit. Erat autem sagulo, armisq; egregiè conspicuus: sinistra scutum, dextra pilum quatiebat, à quo plurimi interfecti ciciderunt. Cumq; in eum tela undequaq; uolitarent, uigore animi, ac corporis robore incredibili ea repellebat. Cum tandem in scuto eius permulta pila infixa cohæsissent, atq; ob id uersare scutum nequiret, stans ad hostẽ conuersus, aliud sibi scutum (uocato nominatim armigero suo) afferri clamitauit: id ubi allatum est, priore scuto dimisso nouum assumpsit. Sic ad tertiam diei partem strenuè prælians, duodena iam pila scuto cum affixa gestaret, nec mouere id quidem quo uellet satis posset, denuò alium ex armigeris, qui scutum sibi aliud afferret, accersit, atq; interim non loco motus ne ad uestigij spatium, nec retrocedens, uel hostibus progrediendi locum permittens, uel ad suos fortè

conuersus, nec scuto incumbens, sed solo perinde affixus eodem se uestigio tenuit, dextra quidem obuios obtruncando, leua strenuè repellendo.

Sed contigit fortè, ut dum toties scuta mutaret, pars pedis inferior illi denudaretur, quā allapsum telum lethaliter uulnerauit. Quo uulnere accepto, multoq; sanguine effuso, nihilominus fortissimè pugnans, & in hostem conuersus dimicans, tandem ad extremum in faciem corruit moribundus, uir utiq; dignus, qui fortissimæ gentis regno potiretur. Nec Gothi ad mortem Regis territi, sed pugnam usq; ad noctis tenebras pertinacissimis animis continuauerunt. Quibus superuenientibus, in montem denuò se recipientes, tota nocte in armis quieuerunt. Redeunte aurora iterum in bellum cruentissimum redierunt, totumq; illum sequentem diem pari ferocia (quemadmodum priorem diem) consumpserunt, nec pedem ex loco referentes, tam pertinaciter contra maximam, imò (teste Procopio) infinitam Grecorum multitudinem pugnabant, ut hostibus admirabiles & formidabiles uiderentur. Secunda demum nocte iterum in sua castra redierunt. Deinde tertia die oriente, nihil remissius in prælium redierunt, donec in utrisque castris pacis mentionem fieri contigit: nimium enim cruoris erat utrinque haustum. Gothi tamen uisi sunt magis ad pacem inclinari, quamuis inter eos complures essent, qui indignum putabant, pacem cum fidifragis Græcis constituere. Proinde plusquam mille ualidiores Gothorum equites ex Gothicis castris pacem detrectantes abiuerunt. Ceteri uerò cum Narsete pacem ineuntes, permissi sunt quò uellent, abire, facta promissione, quòd prius in suas ciuitates non redirent, donec illæ in potestatem Imperatoris peruenissent.

Erant enim intra septuagintaduos annos ab introitu Theoderici omnes in Italia geniti, iamq; illam priscam corporum uim ob Italici cœli naturam remisisse uidebātur. Subortum est nihilominus Narseti nouum bellum cum non contemnendis Gothorum reliquijs, quæ illi maximo prælio Nucerino superfuere: ad quas debellandas Narses præcipuos sui exercitus duces misit, qui Forum Cornelij, & Lucam obsiderent. Quod cum Burgundionum, & Francorum ducibus compertum esset, cœperunt magno terrore concuti, existimantes sibi proximum imminere periculum, si Narses tota Italia pacifice potiretur, qui eos tandem nedum Liguria, sed & Alpibus, & prouincia Romana deturbaturus esset. Quamobrem rati consultius fore, bellum aliena in terra gerere, non expectata uocatione, sed sponte sua in auxilium Gothorum aduenere. Nec tam facile fuit Gręcis Ostrogothorum gentem, & nomen post Teię occasum abolere, quemadmodum Procopius, & qui eum sequuntur, affirmant. Supererat enim non paruus numerus eorum: qui quantum negotij Narseti, & Græcis attulerint, satis ostendit Agathius longo & copioso uolumine, quod de Gothorum gestis post Teiæ fata conscripsit. Ex quibus satis apparet, ipsorum hostes negotium habuisse cum gente, quæ mortem seruituti, turpitudiniq; anteponebat. Imò adhuc in pluribus Italiæ ciuitatibus hauddubiè Gothorum generatio, quamuis sub nomine Italorum abscondita, perseuerat, præsertim in illis locis, in quibus ciues erga peregrinos sese exhibent benignos, atq; humanos. At qui sibilos, & ronchos post terga aduenarum effundunt, uidentur tam corruptos mores ex Græcorum leuitate nimis tenaciter, ne dicam turpiter, imbibisse.

De crudelitate Domaldri Regis, & maxima fame, & exitu Longobardorum.

CAP. XLV.



QVātum igitur ad gesta Regis Christophori superiori capitulo allegata attinet, notandam esse uelim similem crudelitatem cuiusdam Domaldri 63. Regis Suetiæ interni, lib. 7. historiarum D. Archiepiscopi Vpsalensis annotati: sub quo extrema felicitas regni erat, quando eius satellites in speciem defensionis patriæ, atq; innocentiæ comparati, ore quidem iustitiæ & ęquitatis ministros se affirmabant, re autem uera hostes erāt ciuium omnisq;

omnisq; honeſtatis, & uirtutis. Quicquid enim uſquam in frumẽtis erat, id ſuis equis deuorandum apponebant, cum interim infelices parentes uiderent liberos ſuos non ſuppetente ad panẽ frumento, fame atq; inedia perire, ipſiq; pariter cum eis in fata concedere cogerentur. Non enim in loculis, unde emerent, habebant, nec qui uenderent, inueniebantur. Tãtum quippe ab huius Regis patre Visburo ſpoliati fuerant, ut nec agris ſeminandis, nec liberis in uita conſeruandis ſufficerent. Quocirca cum fames non modò Gothię regnum, ſed & Suetiam (quę omnibus rebus ad humanum uictum neceſſarijs abundare conſueuit) tam acriter inuaderet, unicum remedium à templorum Pontificibus, qui Othino idolo Vpſaliæ miniſtrabant, contra præſentiſsimam omnium terrarum Septentrionaliũ ruinam perſuadebatur, uidelicet quòd Regem Domaldrum, tanquam atrocem humani generis hoſtem, uinculis conſtrictum apud Vpſaliam deæ Cereri (cuius cultus illuc ex Græcia peruenerat) immolarent. Quod quaſi ex deorum oraculo prodijſſet, ęquè celeriter factum, ut dictum erat. Siquidem à cõſternato populo Domalder compeditus alligatur, deinde ex Gothia in Vpſaliam ductus, grata uictima Cereri, ſiue genero eius Plutoni immolatur. Poſt cuius fata frumentum, rerumq; omnium abundantia lõgè lateq; ſucceſsit. Refert præterea idem Archiepiſcopus lib. 8. hiſtoriarum ſuarum cap. 17. famem fuiſſe ualidiſsimam in Suetia, & Gothia: non tamen ob terræ ſterilitatem, quę ſuperabundantem panem, & potum cultori rependere conſueuit, ſed quia agricolę uomeres in gladios continuis annis pugnantes, conuerterant. Et hinc eſt, quòd ſortibus in urnam tranſmiſsis, maxima pars populi ſedes nouas quęſitura emigraret à proprijs terris, atq; deinceps in Italia conſtitueret regnum Longobardorum.

De Domaldri Regis crudelitate & maxima fame in Gothia & Suetia: ex Ioan. Mag. lib. 8. De altera fame & exitu Longobardorum habes ſupra pag. 128. lib. 4. cap. 6.

Viſbur in patris Valandri regnum ſuccedens, quemadmodum parum idoneus erat, ita exiguo tempore ſolium clariſsimo Principe dignum occupauit. Fuiſſet quippe aptius inter ſordidi quæſtus mercatores collocatus, quam inter præclaros & magnificos Principes, quibus ſumma cura erat, honeſtatem utilitati præferre. Siquidem ut omnes tyranni conſueuerunt, auarè ſimul & crudeliter imperabat. Quicquid auri & argenti uſquam in toto regno erat, id ſuum eſſe dicebat. Proinde nunc mutuo, nunc dono, nunc minis, omnium ciuiũ bona in ſuum inexplebilem fiſcum congregauit: nulla erat concio, nullus procerum, aut populi conuentus, nulla publica, aut priuata placita, nulla comitia, in quibus non conquerebatur de inopia Regiæ coronæ, quam omnibus modis adiuuandam affirmabat: imò ſub ſpecie conſeruandæ Regiæ dignitatis tot rapinas tot ſpolia, tot furta in ciues, totq; ſacrilegia in Deorum templis commiſit, ut publicus patriæ hoſtis exiſtens, minus nocere non potuiſſet: & tamen nihil unquam præclari per eas ingentes diuitias ſudore & ſanguine pauperũ comparatas, efficere curauit. Erat in bellicis rebus omnium imbelliſsimus, at pacifici & optimi ciues ipſum omni tigride truculentiorem experiebantur. Proinde in ſummum omnium incolarum odium adductus, etiam proprijs ſeruis contemptui fuit. Nec poterat à proprijs filijs non deſpici. Qui cum conſideraſſent ſe poſt eius fata nihil præter infamiam ex turpiter acta uita eius aſſecuturos, ſtatuerunt prægrandẽ eius theſaurum in primis occupare. Obſeruato igitur opportuno tempore, cum ille ſibi nihil prorſus timeret, ſed uti eſſet ditiſsimus, ita ſe putaret ſecuriſsimum, ecce eius filij (ut ait Ericus Vpſalenſis) ipſum cum tota ſua ſordida familia immiſſo igne combuſſerunt. Et nihil únquam melius feciſſe uidetur, quàm quod genuerat eos filios, à quibus tam iuſtè fuit trucidatus.

Domalder ingratiſsimus Viſburi filius, quemadmodum patri à ſe pridem combuſto in regno ſucceſsit, ita in ſecordia, & omni crudelitate eius eſſe imitator nõ erubuit. Cumulaſſet etiam ſuam atrocem ſęuitiam inſigni auaritia, niſi pater omnia, quæcunq; pretioſa erant in toto regno, ad ſe rapuiſſet. Quo factum erat, ut quum filius nihil uſquam rapiendum inueniret, rapax & auarus uideri nequibat. Fuit tamen ſubiectis populis non ſolum inutilis, ſed pernicioſus Princeps: familiamq; ſibi ſimilem, & ad omne flagitium audacem

fouebat, cui non ſolum permiſit omnia nefaria in obſequioſos ciues inferre, ſed præceptum addidit aulicis ſuis, non quidem palam, ſed occultè, ut cautè opprimerent quoſcunq; uiderent in populo gratiores. Ita nullus erat in tota militia eius, qui non commendauerat ſe illi aliquo enormi facinore; & ſi qui inuenti fuiſſent ad honeſtatem quàm crimina proniores, mox ſtipendijs defuncti, extra aulam præcipites eijciebantur. Proinde multi ſe apud tyrannum de rebus atrociter geſtis extollebant, qui omnem uiolentiam, & atrocia facta ſummoperè horruerunt. Erat igitur extrema infelicitas regni, quando Regij ſatellites in ſpeciem defenſionis patriæ, atq; innocentiæ comparati, ore quidem iuſtitiæ & æquitatis miniſtros ſe affirmabant, re autem uera hoſtes erant ciuium, omniſq; honeſtatis & uirtutis. Quicquid uſquā in frumentis erat, id ſuis equis deuorandū apponebant, cum interim infelices parentes uiderent liberos ſuos, nō ſuppetente ad panē frumento, fame atq; inedia perire, ipſiq; pariter cum eis in fata cōcedere cogerentur. Non enim in loculis unde emerent habebant, nec qui uenderēt inueniebantur: tantū quippe à Viſburo ſpoliati fuerant, ut nec agris ſeminandis, nec liberis in uita cōſeruandis, ſufficerent. Quocirca quū fames nō modò Gothię regnū, ſed & Suetiam (quæ omnibus rebus ad humanum uictum neceſſarijs abundare conſueuit) tam acriter inuaderet, unicum remedium à templorū Pontificibus, qui Othino idolo Vpſaliæ miniſtrabant, cōtra præſentiſsimam omnium terrarum Septentrionalium ruinam perſuadebatur, uidelicet quòd Regem Domaldrum tāquam atrocem humani generis hoſtem, uinculis conſtrictum apud Vpſaliam Deę Cereri (cuius cultus illuc ex Græcia peruenerat) immolarent. Quod quaſi ex Deorum oraculo prodijſſet, æquè celeriter factum ut dictum erat. Siquidem à conſternato populo Domalder compeditus alligatur, deinde ex Gothia in Vpſaliam ductus, grata uictima Cereri, ſiue genero eius Plutoni immolatur. Poſt cuius fata frugum rerumq; omnium abundantia longè lateq; ſucceſsit.

Domarus præmortui Domaldri filius, ſiue (ut alij dicunt) ex fratre nepos, ad paterni regni ſceptra conſenſu procerum (qui magis ad Regij ſanguinis ſucceſsionem, quàm eius, aut patris merita attendebant) peruenit. Veruntamen ad Gothici regni gloriam reſtituendam nihil efficere poterat. Quum enim fauore ciuium nimium deſtitutus eſſet, eius quoq; imperium minus efficax reddebatur. Tanta ſiquidem pertinacia in Gothorum animis paterni odij reliquiæ confirmatæ fuere, ut priuatas offenſas reſtituendæ Reipublicæ præponderarent, ſalutemq; patriæ potius periclitari, quàm auſpicijs huius Domari reſtitui paterentur. Difficile quippe adulta odiorum ſeminaria radicitus euelli queunt: raroq; humana mens quem ſemel graui faſtidio proſecuta eſt, ſyncero amicitiæ ſtudio amplexatur. Itaque quum Domarus uideret ſe à Gothis contemptui, aut odio haberi, nec bella in alios intulit, nec ſubditos ad imperata cogere audebat, ſed animo parum Regio incedens, eos ubique metuebat, quibus (ſi conſcientia paterni, auitiq; demeriti non fuiſſet) formidini eſſe debuiſſet. Sed non erat is animi angor in eo diuturnus. Siquidem ultima fata (quæ ſolent ſæpe à mœſtis inuocari) uitam pariter, & mentis anxietatem ab eo poſt breuem imperij curſum abſtulerunt.

De maxima fame Longobardiæ, & aliarum nationum Italiæ, & Hiſpaniæ.

CAP. XLVI.



PEractis demum aliquot annis (referente prædicto autore ex Datio antiſtite Mediolanenſi) tam arcta caritate annonæ in ſua diœceſi laboratū eſt, ut præterquàm quod fœda, & obſcœna multa ederentur, reperta ſit mulier, quæ fame adacta, à filij carnibus non abſtinuerit. Laborabatq; per hæc tempora duplici malo Italia, Vrbis obſidione, & fame teterrima, publicaq; terrarum & populorum diſcordia. Preualeſcente autem fame, præcluſis itineribus diu tolerari non potuiſſet, niſi milites noctu iam maturis ſegetibus furto aliquid frumenti ex agris corripuiſſent, magnoq; pretio uendidiſſent. Hinc ſecuta peſtis Romam afflixit: nata etenim erat ex cibis abominandis, ad quod coēgerat obſeſſos

famis

famis magnitudo: quam, ſicuti & aliam afflictionem, paſſa eſt Roma, quòd toties à fide Gothorum ad Græcas glorias defeciſſet. Ideoq; res Romana in tantis difficultatibus, & anguſtijs uerſabatur, ut ciues potius mortem optarent, quàm uitam inter ipſos Græcos tot miſeriarum generibus cumulatam, diutius prorogare, bellumq;, famem, peſtem, & omnem miſeriam cum ſummo dedecore, & horrore ſuſtinere: ubi non ignorarent Gothos in tota illa obſidione nec templum, nec ſacerdotem uiolaſſe, ſed liberè eos rem diuinam agere permiſiſſe. Quanta etiam fames in Hiſpania ſub tribus Gothorum Regibus, Fridigerno, Alatheo, & Safra fuerit, ipſe Archiepiſcopus Gothus Vpſalenſis clarè meminit in princ. lib. 15. Deinde 16. lib. cap. 23. eadem natio Hiſpanica intolerabili alimentorum, & frumenti penuria, tantaq; fame premebantur incolæ, ut plurimi eorũ relicto patrio ſolo, nouas per orbem ſedes quærere cogerentur. Meminit etiam Liuius lib. 1. belli Punici, licuiſſe ad Erycem populo Romano, ſi uoluiſſet, ultimo ſupplicio humanorum, fame interficere. Demum 3. lib. Romanos Caſilino ſuis concluſis militibus fame preſsis, per dorſa fluminis frumentaria uaſa miſiſſe, imò illuſa cuſtodia Hannibalis, nuces cratibus exceptas pro fame leuanda deſtinaſſe: ijsq; non ſufficientibus, ad hoc uentum eſt, ut lora, detractasq; ſcutis pelles, ubi feruida molliſſent aqua, mandere conarentur, nec muribus alioue animali abſtinerent. Omnium tamẽ miſerrimum genus mortis eſt, frigore, & fame perire. Tanta enim (teſte Mechouita) quondam in Polonia erat fames, ut raptis è patibulis furùm cadaueribus incolæ ueſcebãtur.

Deſcriptio huius miſeriæ, quam pertulit Longobardia, & aliæ Italiæ nationes atq; urbes, præcipuè Mediolanum, Neapolis, & ipſa deniq; Roma. Afflicti enim fuerunt bellis, diſcordijsq; ciuilibus, fame horrenda, peſte, alijsq; innumeris malis, quæ bella ſecum trahere ſolent. Occaſionem autem huic bello dedit impietas & perfidia Theodati Regis, qui Amalaſuentam pientiſsimam & prudentiſsimam, ac de ipſo ſupra modum benè meritam Reginam innocenter & perfide interfici curauit: de quo ſupra lib. 5. cap. 32. Ad quod uxoricidium & necem uindicandam, Iuſtinianus Imperator, hanc expeditionem, nullis parcens ſumptibus ſuſcepit. Eſt autem longa hæc & memorabilis tragœdia, deſumpta ex lib. 10. 11. & 12. hiſtoriæ Ioan. Magni. Huius autem hiſtoriæ continuationem inueniet æquus Lector in uita Totilæ, ſupra lib. 8. cap. 15.

Imperator autem ubi iam didiciſſet, quemadmodum cum Amalaſuenta actum fuiſſet, cõfeſtim ſe ad bellum parabat, uindictam de tam nefario uxoricida ſuſcepturus. Quod cum Theodatus animaduerteret, cœpit more omnium tyrannorum trepidare leuis & inconſtans homo, nunc per legatos pacem deprecari, nunc, ſi bellum inferat, minari ſe defenſurum, atq; ita ſe tum uerbis, tum factis gerere, ut facilè intelligeret Iuſtinianus, ſe bellum ſuſcipere in hominem qui minari ſciret, uincere autem neſciret. Pœnituit tunc Theodatum (ſed erat pœnitentia nimis ſera) quòd optimæ Reginæ pro gratia odium, pro beneficijs iniurias, pro regno necem rependiſſet: attamen cum conſultius exiſtimaſſet, Imperatoris gratiam quàm uindictam expectare, multos nuntios, plures literas, ſedulasq; interceſsiones, quibus inſtãs bellum auerteretur, adhibuit: atq; inter multas, quas ad Imperatorem, uxoremq; eius epiſtolas dedit, unam diligentius ornatiusq; ſcripſit, in qua Romam, Italiamq; loquentes facit, pacẽ optimo Regi, doctiſsimo Principi, Romæ & Italiæ amantiſsimo patri, mitiſsimoq; domino implorarent. Tantusq; erat illi timor, ut parũ putaret Senatores mittere oratores, niſi etiam Agapitum Summum Pontificem pariter emiſiſſet, quem tamen nullo prorſus commeatu, ſiue uiatico iuuit, ut bono Pontifici neceſſarium fuerit aurea argenteaq; uaſa, ſacrorum uſui deputata, ex beati Petri ſacrario accepta, apud uſurarios collocare, quò itineris expenſas ab eis acciperet. Qui à Iuſtiniano non ut malè meriti Regis legatus, ſed ut Dei in terris uicarius exceptus, atq; cum ſumma ueneratione in Conſtantinopolim introductus eſt. Paſſusq; eſt Imperator ſe ab eo exorari, ut iniuriam nefariæ cædis in Amalaſuentam illatæ, quam Agapitus deprecandam aduenerat, Theodato remitteret.

Egit

Egit deinde Iustinianus cum Agapito, ut Eutycianam opinionem comprobaret: à qua sapientissimus Pontifex labe cum magnopere abhorreret, instaretq; Imperator minas precibus miscens: Putabam, inquit Agapitus, uenisse me ad Christianissimum Principem, sed ut deprehendo, ueni ad Diocletianũ. Tam libera uoce delectatus Imperator, uel quia Deus id fecit, in cuius manu sunt corda Regum, Anthemio huius hæresis fautore eiecto, Mennam in Constantinopolitanum Episcopum ordinauit, tantum abfuit, ut ob eam rem iam inde aliquo modo Agapito infestus fuerit. Nec multo post Agapitus Cõstantinopoli mortuus est. Deinde corpus eius loculo plumbeo Romam delatum, & in Vaticano sepultũ est: quamuis alij affirment, ipsum in Vrbem reuersum, continuo decessisse. Quo defuncto, Theodatus Rex clerum Romanum (quod nullus ante eum tyrannus facere ausus est) in electionem, quam faceret, illata ui consensum promittere coëgit, & pecunia per pactionem accepta, Syluerium Pontificem creauit. Quod factum adeo displicuit Imperatori, ut propter eam iniuriam accensus fuerit ad inferendum bellum Theodato, cui iam intercedente Agapito (ut diximus) mortem Amalasuentæ remiserat. Considerans igitur Theodatus se in publicum & periculosum odium propter sua temeraria facinora deuenisse, incepit melioris uitę speciem ostentare, tributa & Regios prouentus in plerisq; locis imminuens, alibi uero in totum tollens: liberauitq; omnes fisco obnoxios, & qui ob delicta in Rempub. commissa, in publicis uinculis tenebantur. Ille tamen inuisi Regis conatus semper minor reputatus est comparatione flagitiorum prius commissorum, ideoq; nullam autori gratiam poterat cõciliare. Maximum uero odium ob annonę penuriam, quę per uniuersam Italiam suborta fuit, contraxit, quando maiorem uinorum, q̃ frumentorum curam se gerere patenter ostendit. Cum enim compertum haberet, in Veronensi agro Accinaticum esse uinum, odoris saporisq; suauissimi, magnam eius uim summo cum fisci impendio Romam adduci curauit. Vinum etenim illud asserit Cassiodorus colore fuisse purpureo, sapore præcipuũ, cuius dulcedo ineffabili suauitate sentiebatur, cũ tamen & tactus eius densitate pinguesceret, ut carneus liquor, aut potio edibilis uideretur. Sed annonæ penuriam subleuaturus, ad tribunos maritimos Venetiarum epistolã dedit, quæ nouæ urbis Venetæ paulo antè, ut in historia Attilæ diximus, inchoatæ, prima incrementa qualia fuerint, ante oculos ponit, & haud secus designat, q̃ si ad tanti populi, tamq; excellentis urbis ostendendam originem, tunc à Cassiodoro Rauenna oriundo, & qui locum inspexit, perscripta fuisset.

Cum enim Theodatus Rex Larentium quẽdam misisset in Istriam procuraturum annonam, quæ Rauennam adueheretur, exercitibus & Italiæ populis distribuendam, dictis Venetiarum tribunis in hæc uerba Theodatus scripsit: Data pridẽ iussione, censuimus ut Istria prouincia uini, & olei species, quarum pręsenti anno copia indulta perfruitur, ad Rauennatem feliciter dirigeret mansionem. Sed uos, qui numerosa nauigia in eius confinio possidetis, pari deuotione grata prouidete, ut quod illa parata est tradere, uos studeatis sub celeritate portare. Similis erit quippe utriq; gratia profectionis, quando unum ex his dissociatũ, impleri non permittit effectum. Estote ergo promptissimi ad uicina, qui sæpe spatia transmittitis infinita: per hospitia quodãmodo uestra discurritis, qui per patriam nauigatis. Accedit etiam uestris commodis, quod uobis aliud iter aperitur, perpetua securitate tranquillum. Nam cũ uentis sæuientibus mare fuerit clausum, uia uobis panditur per amœnissima fluuiorum: carinæ uestrę flatus asperos cum expauescunt, terram cum summa celeritate contingunt: putantur eminus per prata ferri: contingit alueum non uideri: tractę funibus ambulant, quę stare rudentibus consueuerant, & conditione mutata, pedibus iuuant homines naues suas: uectrices sine labore trahunt, & pro panno uelorum, utuntur passu prosperiore nautarum. Iuuat referre quemadmodum habitationes uestras sitas esse prospeximus. Venetiæ prædicabiles quondam plenæ nobilibus, ab Austro Rauennã, Padumq; contingunt, ab Oriente iucunditate Ionij littoris perfruuntur, ubi alternus ęstus egrediens, modo claudit, modo aperit faciẽ reciproca inundatione camporum. Hic uobis aquatiliũ auium more domus est: nãq; nunc terrestris, modo cernitur insularis, ut illic magis existimes esse Cycladas, ubi subito locorũ facies respicis immutatas. Earum quippe similitudine, per ęquora longè patentia domicilia uidentur sparsa, quæ non natura protulit, sed hominũ cura fundauit. Viminibus enim flexibilibus illigatis terrena illic soliditas aggregatur, & marino fluctui tã fragilis munitio non dubitatur opponi, scilicet quãdo uadosum littus moles nescit eijcere undarũ, & sine uirib. fertur, quod altitudinis auxilio nõ iuuatur. Habitatorib. igitur una copia est, ut solis piscibus expleãtur. Paupertas ibi cũ diuitibus sub ęqualitate cõuiuit: unus cibus oẽs reficit: habitatio similis uniuersa cõcludit: nesciũt de penatibus inuidere: & sub hac mensura degentes, euadunt uitiũ, cui mundũ constat esse obnoxiũ. In salinis aũt exercendis, tota cõtentio est. Pro aratris, ꝓ falcibus, cylindros uoluitis: inde uobis fructus omnis enascitur,

quando

quando in ipsis,& quæ non facitis,possidetis. Moneta illic quodāmodo percutitur uictualis: arti uestræ omnis fructus additus est. Potest aurum aliquis minus quærere, nemo est, qui sal non desideret inuenire: merito', quando isti debet omnis cibus, quod potest esse gratissimus. Proinde naues, quas more animalium uestris parietibus illigastis, diligenti cura reficite, ut cum uos uir experientissimus Laurentius, qui ad procurādas species directus est, commonere curauerit, festinetis excurrere: quatenus expensas necessarias nulla difficultate tardetis, qui pro qualitate aëris, compendium uobis eligere potestis itineris. Hæc de Venetijs ex epistola Theodati Regis adduxisse uolebamus, tum ad ostendēdam illorum temporum simplicitatem, quæ ut in uerbis parum astutiæ, ita plurimum fidei in factis habebant, tum etiam ut ob oculos poneremus tam inclitę urbis primordia. Eramus enim, cum has nostras historias meditaremur, Venetijs apud Reuerendissimum & optimum Patriarchum Hieronymum Quirinum liberalissimo hospitio recepti, expectantes generalis Concilij in Vicentinam urbem conuocati, exitum diu desideratum.

Interea uero' cum Theodatus Ostrogothorum Rex, Romanum simul & Italicū regnum minus prudēter administraret, cœpit annonæ penuria terras omnes ei subiectas multis modis opprimere. Quocirca Iustinianus idoneam occasionem ad Italiæ recuperationem se assecutum ratus, expeditionē in Italiam destinauit: quę etsi diu durauerit, uarioq; Marte hinc inde pugnatum fuerit, attamē breuius quoad fieri queat, eam exponemus. Postquam enim Bellisarius Patricius bellum Parthicum prospere' gessisset, Africamq; expulsis inde Vandalis, imperio restituisset, triumphumq; ob id Byzantij celebrasset, cœpit Theodatus maiore affici anxietate, sciens Imperatorem non minus Italiam, quàm Parthiam, aut Africam ad suum imperium reuocare uelle, utpote terram, qui esset prima imperij sedes: attamē ut erat ingenti ignauia, aut tarditate obrutus, nihil solito prudentius efficere curauit, nulla negotia capessebat, non arma parabat, non pręsidia firmabat, quibus Italia ab instantibus bellorum periculis liberari potuisset, sed se talem omnibus ostendit, ut de eo uere' dici potuisset, quod multa Philosophiæ studia ipsum ad stupidam ignauiam deduxissent. Confugit tamen ad suas solitas ineptias, legatos ad Iustinianū mittens: multasq; epistolas ad eum dedit, in quibus pacem ab eo impetraturus, Romam & Italiam inter cætera dicere fecit. Etsi Africa libertatis parte frui cœperat, non tamen debere Iustinianum optimum Principem Italiam, à qua imperij nomen decusq; acceperat, in eandem libertatem animis erectam, motibus exponere, qui inter oppugnandum, defendendumq; necessario' orirentur.

Iustinianus uero' respondens Regi, præ se tulit desiderium urbis & Italiæ liberandæ, missisq; legatis Theodato mandat, ut Italia, & insulis Italiæ adiacentibus ad imperium restitutis, Constantinopolim se conferret, magnas ibi diuitias habiturus, uicturusq; in literario otio, quod ab ineunte ætate fecerat: aut si id facere recusaret, bello (quod ex tunc sibi indictum esset) necessaria præpararet. Verum ille nimium imprudens homo, nec ea, quę Iustinianus postulabat, facere curabat, nec se contra uim magis solito communiuit. Fuisset itaq; continuo' bellum Ostrogothis illatum, quando satis constitit, cum quali hoste res futura esset: sed ut sine maiore Italiæ motu bellum illud expediretur, legati in Galliā à Iustiniano missi sunt ad Clodomirum, Chilbertumq;, & Clotharium, Francorum Reges, quibus literas in hanc sententiam (teste Procopio) scripsit: Nostræ ditionis Italiam per uim Gothi ceperunt, nec solum restituere hanc nobis haudquaquam decernunt, sed iniuria insuper nos affecere, nec toleranda quidem, nec mediocri. Quocirca exercitus aduersus hos mittere cogimur: uos uero' par fuerit nobis hoc bello ut auxilio sitis. Quod utiq; utrisq; nostrum commune, rectior illa ac uera de Deo fides facit, in Gothosq; odium, qui ob Arrianam perfidiam detestandi sunt, & castigandi. His literis Imperator perscriptis, & Francorum Regibus magna pecunia condonatis, maiorem se pollicetur daturum, ubi bellando rem gesserint. Franci uero' hoc pacto illecti, bellū se promptius gesturos promittunt, effeceruntq; ut Theobertus eorū nepos, ex Narbonensi Gallia (quā armis obtinebat) nihil moueret, dū in Italia pugnaretur.

Hac itaq; cura leuatus Iustinianus, Mundum Illyriorum præfectum, in Dalmatiam Gothorum imperio subiectam, quantotius immittere curabat. Qui Dalmatiam ingressus, Salonas occupauit, belloq; & tumultu partes illas inuoluit. Gothi autem contractis undiq; copijs, ad urbem Salonas duxerunt. Cumq; in propinquo essent, & bellum hinc inde pararetur, pugna tandem committitur, non ex proposito, sed præter expectationem utriusq; exercitus. Occasio uero' pugnandi hoc modo euenit. Habebat Mundus, qui Iustinianis pręerat, filium Mauricium adolescentem egregium, & in disciplina militari satis instructum: is à patre aliqua copiarum parte accepta, speculaturus Gothorū castra exierat. Huic casu quodam nōnulli Gothorū obuiauere, confestimq; ut sese mutuo' cōspexissent, in prœliū pertinacibus animis ruūt: ubi pugnatū est aliquādiu ita uehemēter, ut nihil uehementius fieri potuisset.

Multi

Multi præstantissimi milites ex utraq; parte corruerunt, ipseq; Mauricius ad extremum Gothorum telis transfixus occubuit. Senserãt utraq; castra armorum, & præliorum fragorem, & utriq; suis opẽ ferre properabant. Constitutus in ea acceleratione Mundus, didicit filium gladio inimicorum occubuisse. Quo comperto, cum contemptu propriȩ uitæ non ut bellicosus, sed ut furiosus, & rabie quadam percitus in hostes fertur. Aduenerant interea omnes Gothorum copiæ, atq; in tota undiq; castra certamen extendebatur. In hac tandem pugna, quæ cruentissima & asperrima fuit, Mundus dum occisi filij ultionem insatiabili desiderio quærit, ab imminentibus hinc inde Gothorum copijs trucidatur. Verificatumq; fuit illud Sibyllinum dictum, quod multos eatenus terruerat, uidelicet cum Africa iterum à Romanis recuperata esset, tunc Mundus cum prole sua periret. Conterriti enim mortales eo uaticinio, formidabant ne cœlum, & terra cum uniuersis hominibus periret.

Dum autem Mundus interim in Dalmatiam contra Gothos mitteretur, Bellisarius cum classe ex Græcia profectus, Siciliam ex proposito accessit: nec ibi quicquam hostilitatis ab initio ostendit, sed alia atq; alia dissimulans, tanquam inde totius belli molem in Africam deportaturus, tempus deducebat. Nacta deinde occasione ciuitatem Cathanensem (quȩ inter prȩclaras Siciliæ ciuitates tunc putabatur) adortus, repentè occupauit, aliasq; nõnullas urbes, natura magis quàm humano præsidio communitas, sine aliquo negotio in potestatem redegit, ac tum demum alienam personam gerere cessauit, confessus se Italiã & Siciliam à Gothorum potestate eximere uelle. Causa igitur aduentus eius cognita, confestim ciuitates, castella, oppida, uillȩ, in quibus magis præualuit ratio assequendæ libertatis, quàm fidei erga Theodatum conseruandæ, à Gothis defecerunt. Quorum defectione Gothi, qui in Sicilia erant, perculsi, Panormum se conferunt, quòd is locus situ & mœnibus esset munitissimus: firmiterq; secum statuebant, nullo pacto se permittere uelle Bellisarij potestati. Tum idem dux peritissimus urbem in circuitu contemplatus, animaduertit ipsam à continentis regione minimè capi posse, quamuis satis ualidum equitatum secum adduxisset, cui Valentinianum, & Magnum, ac Innocentium præfecerat, cum pedestres copiȩ, quæ etiam satis magnæ erãt, à Constantino, & Bessa, atq; Herodiano ducerentur. Proinde suis iussit, ut classem confestim intra portum dirigentes, murum ad mare situm subirẽt, qui forte tunc erat defensoribus uacuus. Animaduersumq; fuerat à Bellisario, quibusdam in locis malorum nauium altitudinem celsius attolli, q; mœnia. Quare sagittarij per malos dispositi, subiectos hostes sagittis & telis undiq; ferientes, mœnia defensoribus nudauerunt: tum alij subeuntes, absq; ullo metu muros rumpere cœperunt. Quo periculo territi Panormitani, sese ultimo loco post omnes alias Siciliæ ciuitates Bellisario subdiderunt.

Perculsus hac aduersa fortuna Theodatus, legatos ad Iustinianum misit, qui dicerent se pacis studio ultro Siciliæ possessione cedere uelle: & si Italia abstineret, quoties opus esset, tria millia militum ex Romana, uel Gothica iuuentute ei ad bellum daret, tributumq; in subiectionis signum, coronam auream librarum triginta. Insuper in Episcopos, uirosq; Senatorios iurisdictionem permitteret, enixiusq; curaret, ut breui Roma cum tota Italia in antiquum libertatis statum sibi restituta uideretur. Futurum præterea, ut Italici Regis statua, nõ nisi post Imperatorem locaretur: atq; id statim factum esse creditur. Blondus autor est, spectari Rauennæ in æde D. Martini in Cœlo aureo, quam olim (ut diximus) Theodericus ædificauit, musæo opere Iustinianum cum Theodora cõiuge figuratum, Theodatumq; inferiore loco stantem, tam eleganti artificio, ut Italia tunc nihil habuerit ea arte elegantius. Has igitur futurȩ pacis conditiones Theodatus non solum per proprios legatos pridem missos, sed etiam per Petrum Rhetorem, ipsius Iustiniani oratorem, ad Byzantium transmittere curauit. Verum postquam Petrus emissus esset, statim ingens trepidatio Theodatum cepit, & in uarias quasdam formidines egit, eiusq; animum nunc huc, nunc illuc distorquebat, soloq; belli nomine territabat, ne fortè si Imperatori haudquaquam placerent, quæ inter se & Petrum fuissent concepta, bello mox agendum esset. Quocirca abeuntẽ Petrum, & usq; ad Albanos profectum, ad se reuocauit, perinde ac alia cum eo acturus. Hunc seorsum ductum rogabat, num existimaret Imperatorem illis pactis, in quȩ nuper cõsenserant, stare uelle. Ego, inquit Petrus, suspicor, quòd stare uelit cõuentis. Quid igitur agendũ, inquit Theodatus, si eas pacis cõditiones minimè admiserit? At Petrus: Belligerandũ tibi est, ô strenuissime Princeps. Tum Theodatus: Num id consultum, & æquum fuerit? Omnino, inquit Petrus, æquũ est, ut studia animo cuiq; insita obseruẽtur, & artes. Quid enim sibi uult ô Theodate, ut ipse studij plurimum Philosophiȩ impendas, Iustinianus uerò Romanorũ Imperator animi magnitudini studeat, strenuè ut omnia peragat, in eo tamen differat plurimum, quòd eum qui Philosophiȩ operam dat, mortem afferre hominibus, & his quidem tam multis, haudquaquam sat deceat, & ex Platonicis prȩcipuè disciplinis, quarum tu professor esse cognosceris,

quauis

quauis cęde uacare profectò nil sanctius sit: sed illum pristino, ac suo imperio loca sedulo addere, atq; identidem uendicare, nil prorsus dedeceat?

Hac tam callida persuasione, Theodatus cessurum se Iustiniano Imperatori principatum una cum uxore iurauit: Petrumq; oratorem adegit, ut iureiurãdo polliceretur, non se prius id æditurum in uulgus, quàm Imperatorem cognouerit priores illas conuentiones non admissurum. Vnde & Rusticum quẽdam sacerdotem in numero ciuium Romanorum, ad eam rem cõfirmandam cum Petro Byzantium transmisit. Qui postquam Iustinianus priora pacta inter Petrum, & Theodatum concepta reiecisset, posteriores literas à Theodato scriptas ostendunt. Literæ uerò hanc sententiam præ se ferebant: Non ego, inquit Theodatus, ad Regiam maiestatem ut aduena & peregrinus, sed ex auũculo Rege genitus perueni, nec meam uitam aut ætatem in disciplina militari, sed in optimis disciplinis, & literis audiendis contriui. Proinde indignum duco, ut pro terrestris imperij, et bonorum pręsentium cupiditate, in uitę pericula me coniјciam, sed ut ab illis procul absim, summo perè contendo. Ipse igitur si modo mihi prædia sint, quæ aureos ducentos & mille quotannis ferant, parui equidem sum regnum facturus, tibiq; statim Gothorum & Italorum permissurus imperium, ut qui longe malim terræ cultor sine negotio esse, quam Imperatorijs curis uitam hanc ducere solicitam, atq; infelicem. Imperator acceptis his literis, gaudio ingenti affectus ita respondit: Sapientem te esse antehac auditu & fama cognoueram, nunc uero experientia doctus intelligo, quum in animum tuum induxeris, paci potius quam bello consulendum esse: nec te quidem pœnitebit, ex hostibus nos tibi amicos fecisse. A nobis uero quæ postulas, impetrabis. Ad hæc quoq; adijciemus, quod honoris causa Romanorum omnium Princeps deinceps scribi & nominari queas. Quocirca Athanasium, Petrumq; ad te misimus, ut res inter utrunq; nostrum utiliter inchoatæ, felicius efficaciusq; confirmentur. Aderit & mox Bellisarius, qui omnibus rebus inter nos conuentis finem imponet. Hęc itaq; erat legationis summa, in qua Petrus, & Athanasius à Iustiniano ad Theodatum mittebantur. Eodemq; tempore Imperator Bellisario ex Sicilia ad se reuocato, custodiendam tuendamq; Italiam commendauit, eiusq; fidei quæ iam restituta essent, commisit.

Interea uero dum hæc inter Græcum & Gothum agerentur, nuntiatum est Theodato suos Gothos satis feliciter in Dalmatia contra Iustiniani copias pugnasse: primo siquidem prostratis duobus magni nominis ducibus Mundo & Mauricio, de quibus diximus, deinde (duce Grippa) Solonas, & totam Dalmatiam, exclusis omnibus Imperatoris militibus, recuperasse. Id cum Theodatus plenè compertum habuisset, creuit ei animus, ut iam confideret bello se uel parem, uel superiorem futurum. Cœpitq; oratores, qui ad se ex Byzantio aduenerant, uilipendere, perq; sui animi inconstantiam palam ostendere, se propensiorem esse ad uitium, quàm ad uirtutem; quippe qui neglectis præteritis, omissaque futurorum consideratione, solam præsentem fortunam temere semper, ac præter decoris & officij dignitatem sequeretur, sæpe in nimiam formidinem, uel in audaciam inenarrabilem pręcipitatus. Cum enim audiuisset suos Gothos Mundum ducem prostrauisse, mox se totius mundi uictorem reputari uidebatur. Proinde nullam prorsus conuentarum rerum rationem cum Iustiniano habere constituit, oratoresq; ad se adeuntes eludere haudquaquam duxit indignum. Petrus autem qui inter eos facundior, & præcipuus erat, liberius loquens ostendit, quam minime deceret datam Imperatori fidem uiolare, promissaque & pacta, literis & nuntijs deducta rescindere. Non tulit hanc loquendi libertatem diutius Theodatus, sed uocatis ad se reliquis legatis unà cum Petro, inquit: Magna quidem est apud omnes gentes oratorum dignitas, magna libertas, maximaq; autoritas, debentq; publico gentium iure honorari, atq; inuiolati conseruari: sunt tamen nonnulli casus, quibus iure licet oratores pœnis & morte afficere, utputa si Principem, ad quem mittuntur, contumelijs affecerint, uel alienum torum commisso adulterio uiolauerint, aliaq; enormia facinora, quæ humanis legibus puniri solent, perpetrauerint.

Cui oratores confestim respondentes: Nequaquam, inquiunt, ô Gothorum Princeps ita se res habet, ac ipse disseruisti: nec tibi sub tali prætextu persuadeas, ut contra homines oratores quicquam impiè agere queas: neq; tam liberè apud te uiuimus, ut uolẽtibus mœchari liceat, nimirum quibus nec aquam quidem gustare sine permissione custodum facile sit. Oratores qualiacunq; Principum mandata perferentes, nullo iure pro alieno delicto culpandi sunt, sed qui miserint, fortè culpandi. Tu ab Imperatore, ut huc ad te mitteremur, impetrasti: quæ iussi sumus coram te explicauimus. Conandum igitur tibi erit, ut ea potius, quæ Imperatori te facturum spopondisti, feliciter præstes, quam in animo uoluas, quomodo legatos nihil male meritos uioles: nam ut fidei tuæ satisfacias, huc ad te missi sumus. His elegantius quam efficacius à Iustiniani oratoribus adductis, Theodatus nihil eorũ, quæ an-

tea Imperatori pollicitus fuerat, exequi curauit, ipsosq; oratores sub custodia seruari præcepit. Quod quum uehementer displicuisset Gothorum proceribus, & populis reclamantibus, ne ius gentium quocunq; modo uiolaretur, ad promptas tyrannorum artes conuersus, cœpit multas contra innocentes confingere culpas. Est enim apud omnes tyrannos usitatissimum, ut primum innocentes torqueant, & perdant, deinde sparsis in uulgus libellis, ipsos sempiterna infamia afficere contendant: præterea ut popularem fauorem commodè assequantur, uel recuperent, pecuniam rapinis et sanguine pauperum cōgestam, ignauæ plebi dispergunt. Hoc modo, postquam Theodatus comperisset se in publicum odium deuenisse, ad conciliandam beneficentię famam, sacra ex argēto & auro uasa, quę Agapitus Pontifex pecuniarum inopia oppignerauerat, ex fisci pecunia redempta, Vaticanæ basilicæ restituere curauit. Insuper regiones quasdam Italiæ, quæ ob frumentorum inopiam inedia laborabant, remisso tributo, uel data annona subleuabant. Nemo tamen erat, qui nouum in Rege ingenium, insolitamq; in auaro homine liberalitatem non necessitati potius, quam naturæ ascriberet. Proinde occulta odia in eum, ut antea, remanebant.

Interea Iustinianus in Dalmatiam alium subministrat ducem Constantianum, sui Regij stabuli magistrum. Qui Epidamnum profectus, ibi aliquandiu moratus, copias coëgit. Deinde omnibus egregiè comparatis, cum uniuersa classe ex Epidamno discedens, in Epidauri portum (quod oppidum per Ionicum nauiganti ad dexteram iacet) inuehitur. Ibi tunc forte Gothorum speculatores à Grippa transmissi aderant, quibus iam naues & exercitum prospectantibus, uisum erat, omnem in circuitu terram milite innumerabili repleri. Itaq; ad Grippam propere redeuntes, nuntiant Costantianum infinita hominum multitudine succinctum aduentare. Tum ille ingenti timore affectus, eo quod tot, tantisq; copijs longè inferior esset, nec Salonarum muris, quorum magna pars iam corruerat, confidebant, neque etiam incolis sese credere audebat, qui magnum in hunc modum Gothis suspecti erāt. Proinde Grippa cum uniuersis Gothorum copijs Salonas egressus, Rauennam incolumen reduxit exercitum. Bellisarius autem compositis in Africa rebus, quas Storsia uir obscuri nominis contra Iustiniani Iudices concitauerat, in Siciliam redijt: & quum diutius suum transitum in Italiam (urgente Imperatoris præcepto) differre nequiret, militum pręsidio Syracusis & Panormi relicto, ipse cum reliquis copijs Messanam petijt, atq; ibi trāsmisso freto Rhegyum uenit, susceptusq; est à Rhegynis, bellum deditione præuenientibus. Quorum defectionem finitimæ urbes, & populi magno studio secuti, non paruam formidinem Embrino Thendati genero, qui Brutijs præsidebat, incusserunt, ut ultro se cum his, qui adhuc in fide erant, Bellisario commiserit. Quem Bellisarius in fidem receptum, ad Iustinianum misit: à quo magnis donatus muneribus, in Patriciatum est assumptus. Moturus deinde pedestri itinere ex Brutijs Bellisarius, classem iussit pari spatio littori proximam nauigare, quousq; Lucania omnisq; Picentinorum ora manus uictas Iustiniano porrexisset. Tandem uentum est in Campaniam ad Neapolim, cuius ciues quemadmodum nobilissimi, ita ad seruādam fidem quam Gothis promiserant, paratissimi erant. Potuissent utiq; eandem causam defectionis prætexere, quam Rhegynenses, & alij habuisse uidebantur, sed honestatem utilitati præferentes, potius pro uirtute pericula, quam pro perfidia pręmia assequi uoluerunt.

Itaq; Bellisarius extra sagittæ iactum in portū iussit ex alto naues subduci. Ipse uero non procul ab urbe castris collocatis, suburbana omnia in deditionem accepit. Deinde ne bellum à temeritate auspicari uideretur, potestatem Neapolitanis fecit, ut ex suis quosdam delectos ad se mitterent, qui pro usu ciuitatis loquerentur, & uicissim suam uoluntatem ad suos fideliter referre possent. Missus confestim erat Stephanus, uir magnæ in ea urbe autoritatis, qui (ut Procopius habet) ita Bellisarium alloquitur. Non iure, inquiens, id agis, præfecte, ut Romanos uiros, & nihil iniuriæ inferentes, traducto exercitu oppugnatum uenias, qui ciuitatem paruam incolimus, & dominantium Gothorum sic in arce præsidium habeamus, ut si his repugnare quocunq; pacto uelimus, haudquaquam in nostro arbitrio sit. Accedit etiam, quod Gothi liberis, cōiugibusq;, & pretiosissimis rebus in Theodati potestate relictis, ad nos tuendos huc uenerint. Quocirca consultius fuisset, ut prius Romam recuperasses, deinde ipsa Neapolis sine ullo negotio in ditionem Imperatoris concessisset. Quo fit, ut frustra nos obsidendo tempus conterere uidearis. Si enim Roma (x lusus fueris, nec si Neapolim habeas, eam retinebis. Itaq; Romam aduersum Gothos qui ibi sunt, tibi ducendum fuisset, non Neapoli tardandum. Ad hæc Bellisarius, Nihil dubitare se inquit, quin si Neapolitanorum consilio ea in re uti uoluisset, prius Romam expugnare, q̃ Neapolim impugnare debuisset, uerum ut eorum præscripto ad illud factum non indigebat, ita neque ipsorum sententiam sciscitari curauisset. Proinde eam curam omittant, & de seipsis prudentius consulant, utrum magis conducat Romani Imperatoris exercitum pro salute & li-

te,& libertate propria recipere,an sub Gothorum imperio(amissa libertate) permanere, & tandem expugnari,atq; deleri. Hæc dicta sint Neapolitanis. Gothis uero,qui nunc intra urbem sunt,optionem damus,alterum duorum eligant,aut sub Imperatoris signis pari cum cæteris conditione militare,aut acceptis rebus suis,ad propria impunes & liberi confestim abscedere. Quod si has tam æquas conditiones,siue Gothi,siue Neapolitani neglexerint,aut sic fuerint in nos arma efferre,necessarium erit(si Deo id placitum fuerint) ut nos seueros hostes experiantur,qui pacatis amicis uti noluerunt. Constituimus enim non prius hinc abscedere,quàm urbem expugnatam cęteris Italiæ urbibus & oppidis in exemplum prępo namus,quo digni sint supplicio,qui confractis iam ubiq; Gothorum armis, Romanorum Imperatoris beneuolentiam non præponant. Sin uerò Neapolitani ad Imperatoris partes accedere maluerint,& ex Gothorum seruitute in libertatem se tandem uindicare, eas conuentiones(data fide)uobis pollicemur,quas cum uolentibus Siculis pepigimus & ita obseruamus,ut nos periurij nequeant insimulare. Hæc palam. Clam uero Stephanum hortatus est,ut de Imperatore bene speraret,eiusq; gratiam potius,quam indignationem promereri,ac ciues suos ad deditionem faciendam inducere conaretur.

Quæ cum Stephanus à Bellisario persuasus,blandiore,quàm audiuisset oratione Neapolitanis retulisset,ducta est res in cousultationem: ubi Stephanus rogatus suam sententiam dicere,respondit. Nimis periculosum sibi uideri,tātam belli molem in urbem Neapolitanam suscipere,postquam Imperator Africam,Siciliam,magnamq; Italiæ partem sibi subiecisset. Proinde pactis aliquibus,siue conditionibus, publicæ omnium saluti prouidendum esse censebat. Aderat quoq; in concione Antiochus quidam genere Syrus, mercatoriæ artis peritus,homo diues,& magnæ apud Neapolitanos fidei: hic in sententiam Stephani consentiens,multaq; bellorum pericula adducens,non solum suasit, sed persuasit optimatibus & populis deditionem facere. Vniuersa igitur urbanorum multitudo clamabat portas aperiendas Bellisario. Quod cum Gothi audirent,grauiter tulerunt se à multitudine populi deseri. Sed quid agerent pauci contra plurimos,exteri contra indigenas,peregrini contra ciues? Proinde sese quantotius contrahentes,cogitant quomodo salutem suam non minus à ciuibus quam ab hostibus defendant. Sunt tamen nonnulli nobiles ciues inuēti,qui se pro Gothis furenti plebi obijcerent,affirmantes sic deditionem fieri debere,ne proditio facta fuisse uideretur. Memorabant Gothos satis moderatum & ęquum imperium in subiectos populos exercuisse,alienosq; à tyrannide & uiolentia semper extitisse,ab iniurijs & rapinis abstinuisse,uitam pro ciuium salute libenter exposuisse,nihilq; omisisse,quo se ciuium,& ciuitatis amantissimos comprobarent. Esto tamen quòd tyranni fuissent,nequaquam ob id continuo essent hostibus prodendi. Maior enim à nobilibus ciuibus,& maioribus nostris fides seruari consueuit,etiam inimicis,tantum abesse conuenit, ut fidem nostris dominis semel præstitam corrumpamus: maior est iurisiurandi ratio, quàm quod liceat eam primo impetu uiolari. Nondum aries mœnia concussit, nulla adhuc testudo muris admota est,nulla machina turres inuaserat,nec telum quidem ullum in hanc urbem iniectum est, nullius cruor effusus apparuit,imò nec pilus à quoquam auulsus est,& iam nondum uiso hoste cogitamus dedere urbem,amittere libertatem,inducere seruitutem? Hæc imbellium non fortium,effœminatorum non nobilium,obscurorum nō illustrium uirorum studia esse uidentur. Proinde iustum & æquum est,ut non solum nobis & nostræ ciuitati, uerumetiam Gothorum incolumitati consulamus,talesq; conditiones pro nostra & eorum libertate apponamus,ut intelligat hostis nos intra mœnia concordes esse,nihilq; aliud quam salutarem pacem,uel honestum bellum exoptare.

Visi igitur erant illi ciues pro publico omnium partiū honore & uisu loqui, decretumq; in suam sententiam confici obtinuerunt: cunctaq; pacta,quæ à Bellisario fieri uellent, in libellum diligenter redacta,Stephanus à ciuitate missus Bellisario detulit. Qui cum illa legisset,singula postulatorum capita perbenignè probauit,adhibuitq; suum iusiurādum pro his obseruandis,Stephanumq; statim domum remisit. Quo legationis summam referente, Neapolitani statim persuasi,& Bellisarij dicta suis gratificantia uotis suscipiendo, Imperatoris exercitum in urbem sine mora admitti iubent,omnia felicia ex ea re sibi pollicentes, sumpto exemplo ex Siculis,qui recens Gothorum principatum in Iustiniani imperiū commutarunt,eaq; commutatione liberi & felices euaserunt. Iam itaq; ingēti tumultu delati ad aperiendas Græcorum exercitui portas processerant. Intereà Gothi,qui ista nimis grauate ferebant,cum cœpta furētis populi interpellare non possent,ab ea tumultuante turba procul rei exitum expectabant. Hæc igitur cum duo,qui inter Neapolitanos pręcipui habebantur,Pastor & Asclepiodotus animaduerterent,mox Neapolitanos ciues in unum conuocatos docent temerarium esse,tam inclytam urbem inconditę plebis multitudini perdendam

 permittere.

permittere.Quis enim prudens,inquiunt,nõ intelligat fluxam eſſe Græcorum fidem, apud quos iuſiurandum pro ioco habetur?Si eorum Dux Belliſarius aliquam habuiſſet capiendæ urbis fiduciam,nunquam ea poſtulata,quæ ad illum miſimus,ſe ſeruaturum conſenſiſſet:nunc autem omni ſpe deſtitutus,in ea pacta conſentit,& iuramentis confirmat, quæ minime ſeruare intendit,ut nos noſtro periculo proditionis reos efficiat.Si enim ea beneuolentia,qua ſe tantum extollit,teneretur,nequaquam hic manens nos in fraudem, atq; infamiam impellere,ſed ultra progreſſus,contra Theodatum,& Gothos prælio decernere conaretur.Hæc & huiuſmodi perſuadentes,ad reſiſtendum hoſti hortabantur,Gothisq; animos addiderunt ad urbem defendendam.Intereà quoq; Iudæos in medium producunt, qui aſſerebant nihil ſe in rebus neceſſarijs ciuitati defuturos:dataq; fuere ipſis Iudæis arma, quibus mœnia urbis tuerentur.

His itaq; conſilijs Neapolitani ad defenſionem ſuæ urbis reuocati,iubent Belliſarium ut quàm celerrimè inde abſcedat.Ille igitur ad bellum ſe diſponens,ipſos terra & aquis obſidione fatigabat.Nam Græca claſsis proximum littus legens,terreſtrium copiarum proceſſum obſeruabat.A terra itaq; & mari eodem tempore urbs circumſepta à Belliſario tentabatur:ipſe tamen magno ſuorum fortiſsimorum militum detrimento repellitur.Mœnia enim Neapolitana partim mari circundantur,partim locis arduis ſaltuoſisq; eleuãtur, difficilesq; acceſſus præbent.Aquæductum deinde, quo aqua in urbem inferebatur, Belliſarius cum pauco ciuium damno intercepit.Erant enim complures in urbe fontes,qui aquam abundè ſubminiſtrabant.Qui uero obſidebantur,crebros nuntios Romam ad Theodatum miſsitabant,celerem opem pro periculorum magnitudine poſtulantes. Sed ille quemadmodum erat in colligandis diuitijs auarus,ita etiam in præclaris negotijs ignauus apparebat. Quis enim unquam uidit hominem auarum,qui etiam non eſſet ad omnes uirtutes ignauus?Itaque Theodatus omnibus auaris tyrannis ſimilimus,nec auxilia mittere,nec ullum belli apparatum facere curabat,ſed conuerſus ad magicas ſuperſtitiones(ut habet Procopius) futuros belli euentus à Iudæo talium rerum perito exquirit.A quo cum didiciſſet futurum ſuæ Gothicæ gentis exitium,omnia ſatis fatuè relinquebat.

Belliſarius autem cum Neapolitanos acrius obſideret,mœrore maximo afficiebatur, ut qui nec illos unquam ad ſe conceſſuros,nec ciuitatem adeò munitam ſe poſſe ſuperare ſperaret.Sed cum ea de re in animo fluctuaret,fortuna mirabili modo ſibi uiam aperuit.Iſauricus quidam Belliſarij miles erat,qui dum intelligeret ducem deſperata urbis expugnatione obſidionẽ ſoluere uelle,decreuit ante abſceſſum conſiderare,qua arte aquęductus ille,quem antea Belliſarius obſeſsis interceperat,aquam ciuitati ſubminiſtraret,forſan ut ad ſuos reuerſus,ſimilem aquæductus commoditatem aliquando demonſtraret. Proinde aquæductum iam ob aquę deriuationem arefactum ingreſſus,uſq; ad mœnia urbis penetrauit.Erat autem in ea parte,qua mœnibus inferebatur,petra quædam non arte,ſed natura poſita, per cuius foramen aqua in urbem influere conſueuerat:hoc foramen prudens miles contemplatus,intellexit,ſi petra illa magis aperiretur,aditum in urbem haud difficulter accommodaret.Hęc cum Belliſarius intellexiſſet,ſtatim prę nuntij uoluptate reſpirans,magna eius rei indici pollicetur.Deinde iubet ut petra illa confeſtim latius aperiatur,idq; adeo occulte fiat ne quiſquam hoſtium quę gererẽtur audiret.Quod cum factum eſſet,& iam uictoria hauddubiè in manibus erat,miſertus tamen Belliſarius urbis clariſsimæ,in unius horæ momento ferro & igni perituræ,experiri conſtituit,an ciues ſponte eſſent imperata facturi. Verum ubi ſe,& ſua ſalutaria conſilia contemptim audiri uidit,obſtinatiusq; urbem defendi, quadringentos ex omni exercitu delegit,qui per ſaxeum aquæductum in urbem noctu ingrederentur,clamq; ad eam muri partem,quæ aquęductui ſupereminabat,ſcalas admouere fecit. Ipſe interea dux cum reliquo exercitu diuerſa parte inſultũ ſimulabat alia atq; alia prætendens,quæ ad oppugnationis uſum uideri poterant opportuna.Quocirca maxima pars Gothorum & ciuium eò confeſtim ſe confert,ubi uanũ urbi periculũ à Belliſario oſtendebatur.

Interea illi lectiſsimi quadringenti milites per aquęductũ difficilia urbis mœnia importuno conatu penetrauerant:iamq; quarta pars noctis præterierat, & in urbis muros ſuperatis grauiſsimis periculis conſcendunt,cuſtodesq; nullum prorſus periculũ præſentientes,obtruncant.Sed ea è regione,qua in Boream mœnia uergunt,Belliſarius cum Beſſa, & Focio manens,diu iam expectabat,ut quæ per ſuos geſta eſſent,agnoſceret. Tum illi uicina mœnium parte poſiti,clangentis tubæ ſonitu ubinam eſſent ſignificabant. Quo ſigno repentè ædito,confeſtim pluribus locis ſunt ſcalæ mœnibus admoræ Belliſarij iuſſu:tertiaq; noctis uigilia una portarum refracta,exercitus ea parte, qua minimè putabatur, in urbem irrupit.Moxque per urbem diſcurſum eſt, cædibusq; & rapinis omnia fœdata, matronæ uirginesq; ad ſtuprum raptæ. Præcipuè uerò ſæuiebant hi milites, quorum fratres uel

agnati

agnati ſuperioribus prælijs circa urbem commiſsis, interfecti à **Neapolitanis** fuerant: hi tunc urbe capta, uictoria ſeuerius utebantur, nulli neq; ætati, neq; generi hominum parcentes. Iudæi uero, qui partem urbis ad mare uerſam defendebant, etiam capta cæteris in locis urbe, ipſi tamen acerrimè repugnabant, quaſi qui capta urbe nullam ſibi ueniam futuram ſperarent. Itaq; pertinaciſsimè reſiſtebant, nec prius ceſſauerunt, quàm diſcurrentes ab urbe milites eorum terga inuaſerunt. Verum poſtquam illuxit, totus Romanorum exercitus patentibus portis inferebatur: quem Belliſarius pro concione ita alloquutus eſt:

Cepimus, inquit, urbem clariſsimam milites, magis conſilio quàm uiribus. Cæterum quo uictoria minus cruenta nobis obtigit, eo magis clementer, & moderate ferenda eſt, ne non ad Italiam ſeruitio liberandam à Iuſtiniano miſsi uideamur, ſed ferro & igni deuaſtandam. Negari non poteſt, quin Neapolitani plurimum deliquerint, quando paſsi ſunt curſum uictoriæ noſtræ tanto tempore impediri: quo conatu non tantum nobis, quantum toti Italiæ, ob cuius libertatem reſtituendam aduenimus, nocuerunt. Sed uidenda eſt eorum neceſsitas, qua coacti fuerunt nos ſuos liberatores armis potius quàm amicitia excipere. Habebant apud Theodatum chariſsimas coniuges, dulciſsimos liberos, quos dudum obſides ad eum miſerant, qui illic pœnas grauiſsimas hauddubie dediſſent, ſi hæc ciuitas alterius imperio ſe facilè ſubdidiſſet, aut fidem temerè uiolaſſet. Præterea erat in ciuibus integra erga ſuum Regem fiducia, quæ etiam ab hoſte commendari meretur. Vtcunq; tamen eorum pertinacia, uel conſtantia ęſtimanda fuerit, hoc ad Imperatoris noſtri Iuſtiniani clemētiam pertinere exiſtimo, & ad liberationem Italiæ facilius proſequendam, ut ciuitates & populi Italiæ quocunq; modo in deditionem recepti, ab omni clade & iniuria à nobis conſeruentur. Quemadmodum enim apud omnes gentes, nihil tam inuiſum atq; odioſum eſt, quàm crudelitas, ita nihil magis populare, & omnibus hominibus gratum eſſe ſolet, quam clemētia. Si Neapolis à nobis conſeruata, & non euerſa fuerit, nulla erit in tota Italia ciuitas, quæ non lætabitur nos ſuos liberatores aduenisse: nosq; ut ſuæ libertatis aſſertores ultro excipient, neq; ut hoſtes formidabunt, ſed prompto obſequio nos ad ſe inuitabunt. Præda ueſtra eſt, ferrum, & omnem uim à ciuibus abſtinete. Sit muliebris pudicitia procul ab omni labe: filiæ & uxores ut ciuibus reſtituantur edico. Pecuniam miles, & ſi quid eſt translatu facile, habeto. Tali enim modeſtia egregiam laudem, & proſperū ubiq; militiæ curſum experiemur.

Paruit imperio miles, reſtitutiſq; captiuorum corporibus, ab omni deinceps iniuria temperauit. Obſidio itaq; per dies ferè uiginti continuata, hunc aſſequuta eſt finem. Gothi uero qui in urbe ad octingentos numero capti fuerunt, nō modo non uiolati ſunt, ſed in magno etiam honore à Belliſario habiti. Paſtor autem, qui uiſus fuerat enixius Gothorum partibus fauiſſe, populumq; contra Belliſarium animaſſe, poſt captam urbem apoplexia percuſſus repente interijt. Aſclepiodotus quoque, qui pari fide erga Gothos permanſerat, à furēti plebe trucidatur. Hactenus Procopium ſecuti, clariſsimæ urbis Neapolitanæ obſidionem expugnationemq; oſtendimns. Iordanes uero, & Pandulfus, pluresq; alij, qui de ea re ſcripſerunt, Neapolitanos aiunt cum Romanis & Gothis, qui inerant, ab irato hoſte trucidatos, urbemq; crudeliter direptam fuiſſe. Interea cum Theodatus apud urbem Romam ignauia torpeſceret, Gothi, qui Romę, & in circuitu degebant, cum antea Theodati Regis ignauam auaritiam occultis uerbis damnare conſueuiſſent, auditis his, quæ apud Neapolim geſta diximus, apertis maledictis tam pudendam eius imbelliam proſequebantur, alijq; alios hortati, caſtra ad Regetam oppidum (quod nunc Ruglatę dicitur) trigeſimoquinto ab Vrbe milliario munierunt: ubi magnitudine imminentis periculi ſuadente, poſt maturam deliberationem, Vitigem ſibi, & Italiæ Regem creauerunt.

Gothi igitur Vitigem, poſtquam eorum Reſpub. per intolerabilem Theodati ignauiam pene ad irreparabilem ruinam conciderat, in Regem aſſumpſerunt, magis in eo attendentes rerum geſtarum claritudinem, magnamq; in re militari experientiam animi magnitudini coniunctam, quàm blandulam illam humani fauoris cōciliatricem (quam dicimus ſanguinis nobilitatem) quæ ſæpe minus bene inſtituta, Reſpublicas maiorum prudentia prudenter erectas, imprudenter euertit. Quo euenire neceſſe eſt, ut ſæpe infimę ſortis homines, ad Regiam uſque dignitatē ob res præclare geſtas dignè conſcendant, quando Regius ſanguis patrum uirtute relicta, ad ſeruilem conditionem deſcendere coactus, nimis uerum eſſe demonſtrat, quod doctus Plato ſcribens inquit: Omnes ſeruos ex Regibus, & omnes Reges ex ſeruis originem ducere. Itaq; Vitiges conſiderans, quantam Reipublicæ molem in ſuos humeros aſſumpſerat, uniuerſos Gothos, qui tunc conuenire poterant, ad ſe conuocauit: quorum conſenſu mox Optarem præſtantiſsimum inter Gothos militem, contra Theodatum iam Gothicę Reipub. hoſtem declaratum, direxit. Qui noui Regis præceptum nequaquam ſegniter exequens, nec interdiu quidem, nec noctu intermiſſo itinere fugiētem illum in Rauennam

enixius insectatur. Quem tandem in uia assecutus, ac solo fœdè resupinatum, ut uictimam nihil reluctantem occidit. Perijt hoc modo Theodatus tertio anno quàm regnare cœperat, meritasq; luit pœnas Amalasuentæ manibus, ut qui nobilissimam fœminam consortem pati nequiuerit, non regni consortem, sed percussorem breui inuenerit. Quod cum Vitiges factum didicisset, ingenti lætitia ob sublatum æmulum affectus, adiecit etiam Theodati filium Theodisclum custodiri, ne quid ob paternam cædem innouare posset.

Deinde præsentibus Gothorum proceribus & populis, orationem pro magnitudine rerum gerendarum idoneam habuit, in qua maximas suæ prudentiæ partes ita omnibus declarauit, ut cuncti ad bene sperandum confestim erigerentur. Damnauit in primis eorum militiam, qui uel per ignauiam remissius agendo, uel per temeritatem præpropere præcipitando, publicam seruandæ Reipublicæ salutem euertunt: Res, inquiens, quæ maximæ sunt, non temporis celeritate, sed bonis consilijs rectius dirigi consueuerunt. Plerunq; enim cunctando restituitur Respublica, & sera dilatio, cum se demum opportunitas obtulerit, plurimum utilitatis affert: nimia uero properatio, multis rei bene gerendæ spem penitus abstulit. Facilius quippe aliqua imparata multitudo, uiribus oppugnata hostilibus uincitur, quàm qui cum minoribus copijs, sed aliquando quàm bene instructis, in certamen se conferunt. Est præterea alia causa nos uehementius impellens, ut cunctando potius quàm accelerando, futuri belli exitum prouideamus. Non enim ignoratis omnes Gothorum uires, & uniuersum fere armorum apparatum, in Gallijs ipsis, simul & Venetijs, alijsq; quàm procul hinc distantibus locis commorari. Deinde non minus nos considerare oportet, quàm graue belli pondus aduersus Francorum nationem sustinemus: quo nondum recte disposito, uelle aliud aggredi, magnæ esse uesaniæ affirmauerim. Quocirca ne utrunque latus nostrum potentibus hostibus impugnandum præbeamus, operæpretium fuerit, ut nos Rauennam quantocyus accedamus, indeq; aduersus Francos, bello absoluto, in cæteris rebus quàm optime dispositis, tandem cum Bellisario contractis omnibus Gothorum copijs confligamus. Neque aliquam formidinem de huius urbis Romæ captiuitate concipiatis. Quippe ut Romanorum nullum hactenus ulla iniuria affecimus, sed omni fauore & amicitia, perinde ac nos ipsos prosecuti sumus, ita nunquam suæ gratitudinis immemores, sese à nobis alienari patientur: quibus etiam, ne hostem formident, electos propugnatores relinquemus, qui sanguinem & uitam pro eis, eorumq; Republica in omne periculum libenter exponant.

Gothi uerò collaudata Vitigis prudentia, sese ad iter accingebant. Interea uerò Vitiges Sylurium Pontificem, Senatumq; & Populum Romanum multis est uerbis adhortatus, ut in fide perseueraret, testatus tantas esse Gothorum opes & uires in Italia, ut res nouas nemo moliri posset, nisi in suam, & suorum perniciem. Præterea commemorabat Theoderici Regis in urbem Romam & eius incolas, multa & ampla beneficia: quorum si memor esset ciuitas, si grato in defunctum Regem animo, si grata memoria, omnia Gothorũ causa uelle deberent. Demũ Romani, ut Gothos securiores efficerent, grauissimo iureiurando sese (teste Procopio) obligauerunt, ne defectionem ab eis ad hostes molirentur. His peractis, quatuor millia electorum militum ad custodiam Vrbis reliquit, quibus Luderum præfecit, hominem sanè ut longa ætate prouectum, ita magnæ prudentiæ opinionem assecutum. Deinde cum reliquis copijs Rauennam uersus iter aggressus, multis secum Senatorij ordinis obsidum loco abductis. Quò ubi tandem peruenit, Mathasuentam Amalasuentę filiam, Theoderici Regis neptem, quę à Theodato captiua tenebatur, in matrimonium suscepit, ut Regio sanguine Regiam dominationem honestaret. Gothorum autem copias undecũq; uocare, parareq; non destitit, armaq;, & equos, ac militaria stipendia inter suos liberaliter partiri, omniaq; ad bellum necessaria diligenter & prudenter prouidere. Et quia Iustinianus Imperator nuper Francos, ut bellum aduersus Gothos capesserent, induxerat, Vitiges ob eam suspicionem oratoribus ad Francos missis, delere ab ea parte formidinem studuit, quod & tandem assecutus est, fœdere cum illis icto, amicitiaq; firmata.

His curis dum Vitiges occuparetur, Senatus populusq; Romanus unà cũ Pontifice Sylurio nullis bellorum incommodis affecti, sed sponte à Gothis deficiũt. Misso oratore quodam Fidelio Mediolanensi, Bellisarium precibus urgent, ut suum in Vrbem aduentum acceleret, habiturus pro uoto omnia, quæ desideraret, nulla ei porta clauderetur, nullas insidias formidaret, sine cæde, sanguine, & sudore omnia occuparet. Nec clàm illa fiebãt, sed passim & publicè inter Romanos iactabantur. Quocirca Gothi sese in graue & anceps periculum deuenisse considerantes, deliberant, quomodo se melius efficaciusq; à tot insidijs eripiant. Quippe ut facile factu existimabant, Bellisario congredi, & de Græcis uictoriam reportare, ita difficillimum esse perpendebant, Romanorum potentiam cum hostibus consentien-

tem

tem superare. Proinde consultatione habita, urbem Romam potius egredi statuerunt, quam inter tot insuperabilia pericula uersari. Quod ut assequi possent, publicam fidem à Romanis implorare cogebantur. Qua demum impetrata, Rauennam uno agmine omnes se contulere, Ludero præfecto relicto, qui fortè præsentis fortunæ pudore affectus, in Vrbe permansit, uel quod Vitigis sæuitiam ueritus, Romæ esse maluit, quam indubitatum uitæ discrimen adire. Accidit autem ut die una, eodemq; tempore & Bellisarius cum Imperatoris exercitu per portam Australem (quam Asinariam, siue Cæliomontanam uocant) Vrbem ingrederetur, & Gothi per portam Aquilonarem Flaminiam excederent. Quo factum est, ut urbs Roma à Gothis tum primum capta annum post sexagesimum, Iustiniani uero undecimum recuperata est. Bellisarius igitur Ludero Gothorum præfecto, portarumq; clauibus Imperatori Byzantium missis, restituendis mœnibus plerisque in locis collapsis incubuit, prominentioraq; propugnacula fecit, profundioresq; fossas muris adiunxit: frumenti quoque magnam uim nauibus importandam, & publicis horreis seruandam curauit.

Romani uero, quanquam ingenium ducis admirabantur, tamen hanc eius sedulitatem in Vrbe munienda non probabant: magnum enim ducem cum Imperatoris exercitu Romam ingressum, non de sustinenda obsidione, sed de inferenda cogitare debere. At ipse paucitatis sui exercitus conscius, magnas Gothorum uires non facilè superabiles animaduertit. Nec tamen interea segnis, sed præfectos suos Bessam & Constantianum, partitis inter eos copijs, ad opportuna Vmbriæ, & Hetruriæ loca recipienda emittere curauit. Bessa primo accessu Narniam, sese uoluntaria deditione submittentem in fidem accepit. Constantianus quoq; Spoletum, & Perusiam, sine magno belli negotio Imperatoris potestati subiugauit: quanquam Perusini sese uirilius, & diutius, ac fidelius tuebantur. Ad quorum oppugnationis famam, cum Nilla & Pissia, Gothorum duces, cum ualidis copijs occurrissent, à Vitige missi, ut Perusinos obsidione eximerent, priusquam ad hostem uentum est, urbem deditam audiuere. Nec Constantianus audito Gothorum aduentu, se intra muros continuit, quin pugnæ auidius, eductis copijs cum hoste confligit. Fit atrox prælium, diuq; anceps Mars inter utranq; aciem uolitabat. Demum Gothi superati, procul effugere cogebantur. Capti in eo prælio Gothorum duces, à Constantiano Romam ad Bellisarium mittuntur. Ipse interea Vrbem ualide mœnibus, & fossis, omnibusq; necessarijs propugnaculis, conscius paucarum uirium suarum communiuit. Fama enim erat Vitigem sub signis habere CL. millia armatorum. Tam numerosi exercitus autor est Procopius: alij C. millia scripsere: Leonardus Aretinus CC. millia numerauit.

Vitiges igitur, cum præter defectionem urbium hanc insuper cladem accepisset, non differendum ratus, cum totis prorsus Gothorum copijs in bellum descendere constituit. Itaq; Rauenna mouens, Romam ducere perrexit, habens plurimos in tam copioso exercitu loricatos equites, quos Cataphractos appellant. Cumq; his tantis copijs Romam petebat, nihil magis uereri uidebatur, quam ne Bellisarius non expectaret. Quare nec ad Perusiam, nec ad Spoletum, nec ad Narniam diuertit, sed Romam petere festinauit. Cumq; in ipso itinere ex sacerdotibus quempiam obuium habuisset, sciscitatum hunc tradunt, num Romæ Bellisarius esset, perinde ueritus haudquāquam se posse hunc Romæ deprehendere, uel non statim eo se peruenturum, quo is fugam cepisset: illumq; respondisse, nil curę sibi eam rem fore debere, & ad hęc adiecisse, identidem affirmando, nunquam prærepturum Bellisarium fugam, sed adhuc in Vrbe manere. Tum Vitigem ferunt rursum ipsum id rogitasse, & uehementius, ut maximè cupidum Vrbem prius inuisere, quàm Bellisarius inde quocunque pacto euaderet. Bellisarius itaq; ubi primū Gothos accepit uniuersis in se uiribus aduentare aliquandiu fluctuans animo est, deinde Anieni fluuio non procul à Roma pontē imponit, collocatis hinc inde propugnaculis, & turribus, quibus pręsidia immittere curauit, ut eo conatu saltē hostiū aduentū per dies aliquot impediret, interimq; importatis in Romā frumentis, alijsq; rebus ad perferēdum obsidionem necessarijs, paratior Gothorū potētiæ obuiaret.

Gothi igitur in agrum Romanum per uiam Numentanam descendentes, ad pontem illum castra collocauerunt. Bellisarius autem, postquam uidit hostes ad suas munitiones ponti trans Anienē impositas consedisse, utile existimauit, castra ad easdem munitiones, quę dirimerētur fluuij alueo, hostium castris opponere. Igitur postridie quam Gothi consederant Bellisarius sumptis secum aliquot copijs, ut locum metandis castris accommodum inquireret, & quid hostes agerent exploraret, uix orto sole Roma est profectus: at cum prope pontē peruenisset, pręter spem expectationemq; suam, Gothorum equites habuit obuios. Illi enim milites, quos pōtis & castellorū custodes cōstituerat, siue minis & apparatu hostium territi, siue pecunia corrupti, sese et pontē nocte illa hostibus tradiderāt. Quę res ut improuisa, ita Bellisario penè exitio fuit. Perculi enim inopinata res haud aliter Bellisarij equitatum, q;

ſi in inſidias incidiſſet. Cœpit itaq; equos cõtinuò circumagere, atq; ad fugam ſpectare. Sed Belliſarius ut erat forti animo, atque in ſubitis rebus imperterrito, ſuos alta uoce hortatur, Gothosq; ait eos eſſe, quos ipſi toties uiciſſent, nouiſsimeq; apud Peruſiam grauiſsima clade affeciſſent. Adiecit & illud fore, ut ſe conſpecto, ſuſpicaturi eſſent hoſtes Romanum populum cum ſuo duce ad pugnam prodijſſe, atq; ita euenturum, ut pauci innumeros ſuperarent, aut ſi multitudo ſuſtineri non poſſet, Vrbis uicinitate incolumes in tutum abirent. Fit itaq; prælium ut inopinatum, ita & atrociſsimum. Eſtq; ſæpe Belliſarius agnitus hoſtium cuneo petitus, qui ab initio quidem ducis munera tantummodo obibat, iubens, & adhortãs, & quid agendum eſſet oſtendens. Cum uerò ſui importunius ab hoſtibus premerentur, tũc neceſsitate cogente ſubitò ex duce ſtrenuiſsimus miles euaſit, nec amplius ducis officium, ſed militis exercebat. Aduolans ſiquidẽ inter primos pugnatores, manu & uiribus ſtrenuè rem gerebat, quamuis in maximo periculo, eò quòd à Gothis cognitus eſſet, uerſaretur. Tutata uerò eſt fortiſsimum ducem tum uirtus propria, tum maximè domeſtica familia circa illum ſedulò obuerſata. Niſi enim egregia familiarium manus ſe circa eum conglobaſſet, ac impetum irruentium hoſtium ipſi excepiſſet, corporibusq; & armis equum, & Belliſarium inter mille telorum ictus protexiſſet, nullo modo ſaluus euadere potuiſſet. In hoc loco multi atq; optimi ex Belliſarij familiaribus ceciderunt: in quorũ numero erat armiger eius Maxentius, qui egregia in hoſtes opera præ ſe tulit. Tum Romana iuuentus Vrbem egreſſa, & exercitum Belliſarij adauxit, & Gothos uſq; ad caſtra retrocedere coëgit.

Sed cõtra Gothorum pedites uiribus integri, & præualidi, impetu facto facilè Romanos repreſſerunt, atq; in proximum collem fugere compulerunt: à quo cõfeſtim præualentibus Gothorũ equitibus effugati, ut Salariam portam, ſiue (ut Leonardo Aretino placet) Pincianam, impetu facto confugerũt. Cęteri uerò Romani, qui muris cuſtodiendis præerant, cũ uiderẽt Gothos ante ſe Belliſariũ, omnesq; eius copias uictrice manu cõpellere, ueriti, ne cum ſuis una & hoſtes inuecti intra Vrbem reciperẽtur, portã fugientibus aperire nolebant, uel Belliſario ipſo iubente identidẽ aperiri, et minaciter inclamante. Non enim è turribus deſpiciendo internoſſe hominẽ poterãt, ut cui facies prorſus, & caput cruore & puluere cõtegeretur: neq; in ea fugitantiũ denſitate ſpectari quiſpiã pro certo poterat, pręſertim ſole ad occaſum uergente. Pręterea Romani ne uiuere quidẽ Belliſariũ credebãt. Qui enim primi à fuga ſeſe in Vrbẽ receperãt, occubuiſſe iã Belliſariũ egregiè inter primos pugnantẽ renuntiarant. Proinde Belliſarius in grauiſsima perplexitate conſtitutus, quid potius eligeret ignorabat, cũ Romani portas aperire negarẽt, & Gothi intolerabili impetu à tergo inſtarent. Tum Belliſario cogitatio ſubijt, & audax in tanto periculo facinus, quo res Romana ex deſperata in ſpẽ meliorem eſt reuocata. Iuſsit namq; qui circa ſe erãt, ut agmine uno ſubitã irruptionẽ in hoſtes facerent. Quod cũ Gothi fieri uiderent, ſuſpicabantur alias ex Vrbe copias his opitulatumueniſse, magna formidine, pręſertim quia atra nox ingruebat, capti, retro abiuerunt.

Hoc demum pacto Romani Belliſarium ipſum, & milites in Vrbem recipiunt. Præliũ id oriente ſole inceptum, in noctem productũ dimittitur. In hac pugna inter Gręcos egregiè ſe Belliſarius geſsit, ex Gothis uerò quidam Viſius (quod Regem apum in lingua Gothica ſignat.) Hic primas in acie partes agens, haud prius ſtrenuè pugnare deſtitit, q; tribus ac decẽ uulneribus corpore toto exceptis, ut moribundus collaberetur: unde cũ uiſus eſſet iam interijſſe, neglectus à ſocijs, & his quidem uictoribus, cũ mortuis cæteris proiectus iacebat. Poſt tertium diem cum iuxta muros Vrbis caſtra Gothi poſuiſſent, quoſdam qui ſuos mortuos ſepelirent, miſerũt, legitimaq; his & pia pro eorum conſuetudine funera procurarent. Dum itaq; mortuorum corpora iſti perquirunt, Viſium adhuc ſpirantem inueniunt: quem cum ex ſocijs quiſpiam compellaſſet, reſpondiſſe ſat cõſtat, & ſimul iuſsiſſe aquam ſibi in potum afferri, atq; in os infundi (ut licuit) innuiſſe: qua ex potione refectum, & in ſe redeuntem, cõmilitones elatum in caſtra protinus retuliſſe, & cum diu ſuperuixiſſet, maximam apud Gothos famam, & gloriam ſibi comparaſſe. Cum autem Belliſarius in Vrbem redijſſet, milites ac Romanos ciues per mœnia uigilias agere nocte illa iuſsit: pręfectis etiam ſuis portas attribuit, ut ſinguli ſingulas tuerentur. Præterea præcepit, ut ſi quid tumultus oriretur, nemo ex eo loco, in quo collocatus eſſet, abiret, neq; ſe cõmoueret. Per eã noctẽ pluribus locis tumultus excitati ſunt, & plerịq; inanes. Clamatum eſt enim per Vrbem, ad Ianiculi portã hoſtes inuaſiſſe, & arma trepidè ob hoc ſumpta: nec prius ceſsatum à tumultu, q̃ nuntij inde redeuntes retulerunt: omnia ad Ianiculum quieta eſse, nec hoſtes per ea loca uiſos, uel auditos.

Ad portã uerò Salariã alius tumultus exortus: nec is quidem temerè. Gothi enim nocturno tempore, ſub ipſam portam uenientes, Romanos ciues, qui in mœnibus ſtabant, uocauerunt: atq; ibi unus eorum Bacchius nomine, uir Romę notus, quẽ Vitiges Rex ad hoc ipſum miſerat, uerba (teſte Aretino, & Procopio) talia faciens: Quid eſt, inquit, Romani, an nõ iam

pudet

pudet uos stultitiæ uestræ? qui Græcis hominibus, nautis, prædonibus, & histrionibus, ac nulli protinus alij rei gerendæ idoneis, uos ac salutem uestram commisistis, spreta Gothorũ potentia, quæ primo statim aduentu illos fudit, atq; obsedit. Atqui non ita meriti de uobis erant Gothi, ut tantam proditionem (uiolato iureiurando) aduersus eos moliri debuissetis. Sed adhuc uobis resipiscendi tempus conceditur: unica enim hæc euadendi uia est, si portas Gothis aperiatis, non aduersum uos, sed aduersum Græcos ingressuris. Quòd si perseueraueritis in amentia uestra, impacabile bellum à Gothis uobis inferetur. Hæc Vitiges Rex denuntiari uobis iubet. Quibus uerbis nihil responsum est à Romanis: sed cum significaretur Gothos adesse, concursum est ad Salariam portam, à qua iam Gothi post aliquantam moram in castra Regis, quæ inter Vrbem, & Anienem fluuium posita erant, redierunt. Et prima quidem nox in hunc modum transacta est. Sequentibus diebus cum Gothi neminem ad prælium egredi uiderent, ad Vrbis obsidionem se præparabant. Fuit uero hæc ratio obsidionis: Castra circum Vrbem in sex locis posuerunt, à Flaminia uia usq; ad Prenestinam: his castris quinq; Vrbis portæ obsidebantur, & uiæ, quę trans Tyberim ferunt, per ea impediebantur. Castra autem ipsa uallo & fossa, ac ligneis turribus munierunt, & tam citra q̃ ultra Tyberim omnia occupantes, crebris incursionibus peruadebant.

Contra uero Bellisarius pro defensione Vrbis hæc prouidit: Pincianam portam, quæ cõtra maiora Gothorum castra maximè erat opposita, & Salariam huic dextrorsum proximã, & quicquid circa illas muri est, sibi ipsi assumpsit defensandum. Prenestinam uero portam Bessæ, Flaminiam, quę est sinistra Pincianæ, Constantiano attribuit. Cæteris quoque portis alios præfecit. Interea Gothi auspicia belli à publica Romanorũ pernicie inchoantes, aquæductus omnes interruperunt. Erant hi quatuordecim aquęductus, mirabili arte erecti, & cõsummati, per quos aqua in urbem labi consueuit. Afficiebat ea aquarum interruptio Romanos, & Græcos non paruo rerum incommodo, pręcipuè tamen in necessario usu pistrinorũ, quæ sine illis aquæductibus penitus inutilia reddebantur. Quippe ex eo aquęductu, qui ex summo Ianiculo per Transtyberim defluebat, utpote decliuo ac rapido, magna uis pistrinorum conficiebatur. Cęteri quoq; aquęductus quibusdam in locis ad eandem pistrinorum commoditatem instituti, tunc uero interrupti, magnas obsessis difficultates afferebant. At Bellisarius tot incommodis occursurus, remedia excogitauit. Bini lembi paruo inter se distantes spatio tignis coniuncti, molas in medio continebãt, quę rapido fluminis cursu uoluebantur, funes uero ab utraq; ripa q̃ maximè intenti, lembos in flumine sustentabant: huiusmodi lembos secus pontem, qui trans Tyberim ducit, collocauit. Post eos lembos alios eodem ordine posuit: quibus ne hostes mittendo de superiore loco materiam, & ignem, officere ualerent, catenæ in flumine ad ipsum pontem obiectę, omnem materiam excipiebant, exceptam autem homines ab utraque ripa dispositi auferebant. Itaque lembi pistrinorum usum largissimè (ut etiam hoc nostro tempore fit) compensabant: aquarum uero defectum Tyberis abundè sustentabat.

Bellisarius interim his imminẽtibus periculis, equo circumuectus Romanos ad bene sperandum hortabatur. Qua exhortatione Romanis (ut inquit Procopius) immodicum risum de se præbuit, quòd cum nuper hostes ipse uix effugisset, ad bene sperandum alios hortaretur, Gothosq; cõtemnendos affirmaret, quorum primum impetum uix potuerit sustinere. Deinde non longè post imprudenti risui grauissimus dolor subsecutus est. Erat enim in Vrbe ob diuturnum otium tota populi multitudo bellis inepta, atq; adeò bellorum incõmodis nihil penitus assueta. Vnde cum corpora nec curare balneis posset, nec sordes abstergere, preterea necessariarum rerum inopia premeretur, cogereturq; acrius insomnes ducere noctes, mœnia (ut in peruigilio fit) custodiendo, uenissetq; in suspicionem, Gothos tandem Vrbe necessario potituros: ad hęc omnia immodico mœrore afficiebatur, egreq; ferebat, quòd qui nihil deliquissent, obsidione premerentur, & in tantam periculi magnitudinem peruenissent: unde agmine facto Bellisarium apertè increpabant, quòd cum ab Imperatore nihil uirium, quod superandis hostibus sufficeret, acceperit, ausus sit in Gothos exercitũ ducere. Hæc eadem etiam Senatorij ordinis uiri clàm exprobrabant. Persensit Vitiges à transfugis hanc cõtrouersiam intra mœnia Romana subortam, statimq; ut eam foueret, Sallem quempiam magnę autoritatis uirum, ad Bellisarium mittit: qui magno legatorum comitatu stipatus, ad Bellisarium, Senatumq; Romanum perueniens, huiusmodi uerba proponit: Qui bellum alijs inferre contendit, alterum è duobus necessariò sibi proponit: aut enim per audaciam, aut fortitudinem se prosperè pugnaturum confidit. Vtrum igitur ex his duobus, ô Bellisari, te ad Gothorum impugnationem induxerit, significes uelim. Si enim fortitudine confisus aduersum nos uenisti, erumpe aliquando ex Romanis latebris, & quid utriusque nostrum exercitus possit experire; si autem audacia, & temeritate te in has difficultates

præcipitatum

præcipitatum attenderis, age quantocyus pœnitentiam, ut à nobis erratorum ueniam cõsequi merearis. Preterea noli Romanis istis haudquaquam de cætero miseriam protrahere, quos Theodericus Rex per delicias, & ut liberè uiuerent educauit. Nos quoq; ut tibi, ita & tuis nunc sumus liberam abeundi potestatem facturi, uestra omnia possidendi: his namq;, qui ad pœnitentiam, & sanam mentem redire cupiũt, hostiliter insultare uelle: nec sanctum equidem duxerim, nec humanitatis officio dignum. Vos uero Romani, quodnam crimen habuistis aduersum Gothos, aut quid unquam in uos commiserunt, ut non solum nos, uerumetiam uos ipsos prodere cogeremini? Vobis tamen adhuc, si resipueritis, nostra benignitas de erratis clementer ignoscet.

Cui quidem Gothorũ legationi Bellisarius ita respondit: An audacia, an fortitudine fretus ad pugnandum descenderim, superuacuè à me hostes inquirunt, cum non soleant prouidi duces ex hostium uoluntate dependere. Romam uero occupantes, nihil alicui abstulimus, sed quod nostrum erat recuperauimus: & quicunq; uestrum putauerit se rursum hanc urbem (uiuo Bellisario) recepturum, uehementer fallitur, & errat. Romani uero etsi proditionis per Gothos acriter accusarentur, eorum tamen legatis in nullo contradicere audebant, fortè illud animo uoluentes: Victi quandoq; resurgent. Legati deinde in castra Gothorum reuersi, sciscitanti Vitigi, qualisnam uir Bellisarius esset, qualemq; animum ad discessum haberet, responderunt eum esse constanti, atq; imperterrito animo, neque aliter quàm præualidis armis ab adepta semel Vrbe amoueri posse. Hac itaq; spe Vitiges destitutus, enixius de expugnanda Vrbe consultare cœpit, omniaq; bellica instrumẽta & machinas ad expugnationẽ Vrbis aduehebat. Machinæ uero huiusmodi fuerũt, primum arietes quatuor. Est autem forma eorum talis: Columnæ ligneæ quatuor in altitudine erectæ, æqualiter inuicem oppositæ collocantur, hæ columnæ tignis octo uinciuntur, quatuor ad imum columnarum, totidem ad summum: efficiturq; ueluti quadratæ cuiusdã ædiculę forma. Hęc rursus corigijs obtegitur, ne feriri de mœnibus, qui intus sunt, possint. Introrsus uero non paruæ molis stipitem, siue trabem supernè suspendũt, huncq; catenis laxatum, in medio machinæ cum opus fuerit dimittũt. Habet uero trabs in capite ferrum ingens, & quadratum ad incudis formam. Machina tota quatuor rotis ad bases columnarum impositis defertur. Mouent aũt eam milites intus existentes nõ pauciores quinquaginta: qui postquam eam mœnibus admouerunt, trabem illam suspensam machinamento quodam retrotrahunt, moxq; cũ impetu dimittunt. Trabs aũt uiolentia, et pondere in murum delata, omnia quassat, ac frangit, ita ut aries crebra diuerberatione incussus, penetrare, in quęcũq; inciderit loca, queat. Quocirca hęc machina cognomentũ est nacta, quòd stipitis huius cacumine, dũ prominet, haud secus ac arietes inter se solent, dum collisione decertant, illidendo & quatiendo uniuersa disturbet. Fecerant etiam Gothi turres ligneas, ad parẽ mœnibus altitudinem, accepta uera muri dimensione ex lapidum interuallo. Suntq; eisdem turribus ad basem in angulos singulos submissæ rotæ, quarum uolutione, quocunq; milites uellẽt, facilè circumagebant. Scalæ præterea plurimæ, & ad pinnas usq; pertingentes, in promptu his aderant. Parauerãt etiam infinitam quãdam uim fascium ex uirgultis, & stipula, quibus fossas replere, & solo ęquare cogitabant, ut machinationes, quas mox producturi erant, re nulla transitu prohiberentur. Itaq; omnibus paratis, Vitiges ad primam lucem omnes armatos adesse iubet, agminaq; distribuit, & quid his, uel illis agendum esset, insinuat. Fit alacritas magna in Gothis, & incredibilis pugnandi ardor, cum alij fasces, alij scalas ferrent, alij machinas admouerent. Bellisarius uero instructam hostium aciem ex aggere cõtemplatus, simulq; Romanos pauore concussos attendens, immodicum risum patulis buccis emisit, iussitq; milites nihil prius attentare, quàm ipse signum dedisset. Romani autem (ut inquit Procopius) ægrè ferebant eum cum irrisione loqui, & sibi illudere: oderant simul & increpabant impudentiam eius. At ille, ne eorum odio exponeretur, sese Gothorũ simplicitatem risisse simulabat, quòd adiunctis bobus machinas aduehere posse sperarent, quasi boues inermes, aut extra machinam præcessissent: cum tamen à capitibus usq; ad tibias satis muniti incederent. Quod cum magis formidandum putaret, iussit ut omnes & singuli milites tela in pedes iumentorum sine ulla intermissione torquerent. Quo euenit, ut collapsis bobus, milites, qui machinas intus admouebant, subsisterẽt, donec lixę & calones fossas uirgultis, ac fasciculis (prout præceptum acceperunt) replerent. Verum cum replendis fossis intenderent, multitudine telorum ab aggere emissorum repulsi, nec fossas implere, nec mœnia adire, nec arietes admouere ualebant.

Stabat nihilominus Gothorum acies immobilis, atq; inuicta, quanquam nunquam potuerit aggerem pręrupto ascẽsu munitum superare: tantũ quippe sagittis, & tragulis, & omnium telorum genere certabatur. Pręceptumq; (ut Procopius affirmat) à Vitige habebãt, ut nullos facerent in muros insultus, sed ordine suo manerẽt, & sagittas in propugnacula adeò

crebras

crebras iacerent, ut nullam temporis remiſsionem Belliſario permitterent, ne forte' in alteram mœnium partem, in quam ipſe ingentibus copijs eſſet inſultaturus, ſuppetias ferret. Cum enim hæc ad Pincianam, & Salariam portam geruntur, tribus alijs locis Roma oppugnabatur. Vitiges quippe nullum ſtrenui impugnatoris officium prætermittens, ad Præneſtinam portam multitudine militum comitatus, Vrbem acrius impugnat: eodemq; tempore alia Gothorum multitudo contra portam Fontinalem impetum faciebat: alia inſuper hoſtium manus portam Aureliam (quæ eſt ad ſummum Ianiculum) expugnare nitebatur. Ita quatuor ſimul locis Roma acriter impugnabatur, ad Pincianam, & Salariam portas, quas Belliſarius tuebatur, ad Præneſtinam, cui præerat Beſſas, ad Aureliam, & Fontinalem portam. Sed hi Gothi, qui ad Ianiculum pugnabant, facilè repellebantur, quòd ibi loca ardua et ſaltuoſa difficile iter ad mœnia etiam nullo repugnante permittant. Erat tamen ibi Paulus à Belliſario præfectus, quo ſtrenuè reſiſtente, conatus hoſtium in irritum abiuere. Ad uiam uero' Caſsiam maius periculum fuit. Via ſiquidem porticu contecta fuit, per quam ad templum beati Petri Apoſtoli aditus erat. Sub ea igitur porticu Gothi latitantes, cum tempus rei gerendæ aptum exiſtimarent, ex inſidijs repente' egreſsi, ad molem Hadriani occupandam conuolabant, ſcaliſq; admotis, primum ambitum, qui figura quadrata molem cingit, repentino impetu ceperunt.

Hæc moles Hadriani Imperatoris ſepulchrum fuit, ſpectatu procul dubio dignum. Pario namq; ex lapide ædificatum eſt. Saxa quadrata illi inuicem uexa, alia nulla commixta materia, & quaternis partitum pari dimenſione lateribus. In medio uero' huius quadrati, moles rotunda inſurgit, excelſa quidem altitudine, latitudine uero' tanta, ut in ſuprema eius parte area ſit, cuius diameter uix iactu lapidis tranſigatur. Habet uero' pontē ſuper Tyberim amnem, qui ab ipſa mole ad aliam ripam extenditur. Hoc ædificiū licet extra Vrbem eſſet, nam Vrbs quidem ad Tyberim finitur, tamen quia pontem habet ad mœnia uſq; pertinentem, & erat ueluti arx, & propugnaculum quoddam, Belliſarius militibus ſuis occupandum, cuſtodiendumq; prouiderat: eiuſq; rei curam Conſtantino mandauerat, & ut contigui muri curam ſuſciperet aſſeruandi, ut leuiori & non magni momenti cuſtodia indigentis. Siquidem ea ex parte nequaquam murus (flumine ſubterlabente) poterat oppugnari. Itaq; Conſtantinus nullum eo' loci hoſtes inſultum facturos ratus, non ſatis ualidis cuſtodijs ipſum munire curauit, cum paucos haberet milites, eorumq; maiorem partem in locis admodum neceſſarijs diſtribuiſſet, ipſeq; eodem tempore Gothis ad campum Martium, uel Aureliam portam inſultantibus occurſurus, ex ea ſtatione exiuiſſet. Gothi ergo per abſentiam præfecti, capto inferiori ambitu, molem ipſam expugnare nitebantur. Milites autem de ſuperiori parte repugnantes, deficientibus alijs telis, permagnas ſtatuas hominum, equorum, quadrigarum, excellenti artificum opere confectas, partim integras, partim confractas, in ſubeuntes hoſtes deiecerunt. Inter hæc Conſtantinus audito molis periculo, per pontem ſuccurrere feſtinat, additq; ſuis animos, dum ipſe hoſtes ab inferiore parte inuadit: illiſq; fugatis, ſeſe ſeruauit, & arcem.

Ad Præneſtinam quoq; portam, ubi Vitiges Rex, & qui cum illo erant Gothi pugnabāt, ingens periculum fuit. Erat enim non procul ab ea porta locus, quem Viuarium appellabāt: is locus mœnia habebat duplicia, aliquo ſpatio inter ſe diſtantia. Solum inter bina mœnia planiſsimum erat, ipſa uero' mœnia non ſatis munita. Vitiges igitur, & Gothi prima aggreſsi mœnia, etſi egregiè repugnabatur, ualidiſsimè impugnabant. Quocirca Beſſas Paraniuſq;, ad anceps periculum deducti, confeſtim Belliſarium ad ſe aduolare precantur. Ille uero' ſine mora adeſſe feſtinat, relicto quodam ex fidelioribus amicis ad Salariæ portæ tuitionem. At ubi Belliſarius hoſtes uidet Viuarium ſuffodiſſe, & diuerſim mœnia impugnare, quicquid roboris in exercitu habebat, apud ſe continuit, atq; in prælium deſcendit. Gothi iam murum ab inferiore parte refregerant, ac magna eorum uis ingreſſa, inter bina mœnia uerſabatur: pugnatumq; eſt eo in loco & acriter, donec Gothi per eum ipſum locum quo fuerant ingreſsi, accepta graui ſuorum ſtrage, euadere cogerentur. Sed nec Græcis incruenta uictoria ceſsit, quamuis Gothos a' mœnibus ſubmouiſſent, eorumq; machinas & caſtra incendio tradidiſſent. Interea uero' dum hæc agerentur, eadem belli fortuna ad Salariam portam fuit. Ex ea namq; Græci ex improuiſo in Gothos impetum facientes, eos in fugam conuerterunt, deinde incenſis eorum machinis & caſtris, in Vrbem uictores redierūt. Per hunc igitur modum Roma eodem die et oppugnata pluribus locis fuit, & defenſata. Ceciderunt autem in his prælijs Gothorum tria millia. Eo tamen damno nihil territi fuere Gothi, quin Vrbem acrius obſiderent. Romani uero' etſi Belliſarij uirtutes admirari uiderentur, tamen grauem aduerſus eum querelam faciebant, quòd funeſtæ ubique domus per Vrbem eſſent, multis ex Romana nobilitate & populo deſideratis, quodq; contra tantas

Gothorum

Gothorum copias, exiguis ipſe uiribus concitato bello Romanam urbem in præſentes difficultates conieciſſet.

Quod cum Belliſarius compertum habuiſſet, maiorem in modum commotus, mox uehementius quàm aliàs Iuſtiniano in hunc modum ſcribere curauit: Venimus, inquiens, ut iuſſeras in Italiam, & ad cætera loca per nos recuperata: Romam quoq; recepimus, Gothorum multitudine inde propulſata, quod nuper ad te miſſo eorum præfecto Ludero ſatis declarauimus. Et quoniam in multis Siciliæ Italiæq; locis, quæ noſtræ ditionis effecimus, maiorem militum partem neceſſariò collocauimus, ad legionem unam, eamq; ſemiplenam redacti ſumus. Hoſtes uerò intolerabili multitudine aucti, nos oppugnatum uenere. Ipſi uerò cum explorandi gratia circa Tyberim obequitaremus, cogebamur uel inuiti cum hoſte confligere, nec multum abfuit, quin telorum & miſsilium multitudine obruti in fata concederemus. Muros deinde Gothi cum expugnatum ueniſſent, & machinas his applicuiſſent, impetu undiq; facto, non plurimum abfuere, quin Vrbem ſubita irruptione, & nos pariter occupaſſent, ni fortuna nos quædam proſpera his imminentibus malis ſubtraxiſſet. Ea namq; quæ excedunt rerum naturam, non humanæ uirtuti, ſed Deo ſunt attribuenda. Quæ uerò ſiue uirtute, ſiue fortuna ad hoc tempus geſsimus, quàm optimè habent. At ea quę poſthac geſturi ſumus, peruelim equidem tuis ut rebus ſint plurimum conductura. Quæcunq; demum uel explicanda per me decentius ſunt, uel per te facienda, nequaquam te latere permittam, eius rei nihil ignarus, humana omnia ita procedere, ut Deo placitum eſt. Veruntamen (quæ ſummæ rerum ſunt) Principes ut ſe geſſerint, uel ignominiam, uel laudem perpetuò referunt. Arma itaq;, & milites per te ſunt ad nos, & ea multitudine tranſmittenda, ut aduerſus potentiſsimum hoſtem poſsimus paribus uiribus hoc bello conſiſtere. Non enim omnia fortunæ ſunt permittenda: quandoquidem non eadem hæc ſemper offertur. Te uerò, ô Imperator, ea ſubeat cogitatio uelim, idq; animo agites, quòd ſi nos Gothi ſuperauerint, & de tuę Italiæ poſſeſsione nunc exciderimus, profectò ad militum ex eo caſu iacturam accedet & dedecus ex re malè geſta non mediocre, quod nobis aſsiduò inhęrebit. Præterea uidebimur Romanis perniciem attuliſſe, non libertatem, qui ſuam minoris fecere ſalutem, quàm fidem erga te præſtitam: & quandoq; eueniret, ut parta ad hoc tempus felicitas, in calamitatem & infortunium deſiuiſſe uideretur. Si enim ab Vrbe Roma, & uniuerſa Campania, Siciliaq; pelleremur, omnium illud nimirum, quod utiq; leuiſsimum eſſet malorũ, nos fortè morderet, quòd haudquaquam ex alieno diteſcere licuiſſet. Atqui & illud tibi conſiderandum, Romam quondam tanta amplitudine urbem, multis hominum millibus cuſtodiri haud ſatis potuiſſe, locum ſanè maximo ambitu, & nimia uaſtitate, & ut nequaquam maritimum, ita & rebus omnibus neceſſarijs interclusum. Præterea Romani, etſi modo nobis beneuoli ſunt, malis tamen in longius tendentibus, nulla interpoſita mora ſibi (prout melius poterunt) conſulere cogentur. Nam qui recens in amicitiam uenerint, non infortunio, ſed beneficijs decenter affecti, ſeruare fidẽ conſueuere. Accedit prçterea, quòd penuria rei frumentariæ, ſimul & fame cogentur, quæ minus uelint, ut faciant. Ipſe uerò cum me ſatis intelligam tibi mortem debere, profectò cum uita nemo me hinc deturbabit. Aduerte tamen quidnam ſit tibi gloriæ Belliſarij mors hęc allatura.

Iuſtinianus his literis acceptis, ualde commotus eſt, ſtatimq; copias, quas paratas habebat, nauigare in Italiam iuſsit, & maiores alias parare conſtituit. Valerianus igitur & Martinus, qui iam paratis copijs præerant, tranſmiſſuri in Italiam, primùm ſeſe in Aetoliam, & Acarnaniam contulere. ubi ob inualeſcentis hyemis incommoda, hyemare cogebantur. Romani uerò ea ſpe confortati, leuius belli obſidionisq; moleſtias tolerauere, aduẽtum eorum primo quoq; tempore expectantes. Interea dum hæc agerentur (ut autor eſt Procopius) patricij quidam Romani quędam Sibyllę dicta Romæ in medium proferebant, aſſeuerantes ad Iulium uſq; menſem ciuitatem in diſcrimine fore, & neceſſarium poſtea, ut Imperator tunc quiſpiam Romanorum exiſtat, quum demũ Roma nil Geticum extimeſcet. Geticam quippe Gothorum hi nationem eſſe affirmant: quod apertè eſt contra eos, qui Gothos à Getis ſine ratione & autoritate ſeparare contendunt: eſt quippe una gens, ut tunc Romani patricij conformiter, & uerè ad Sibyllę dicta aſſeruerunt. Dum autem Romę hęc aguntur, Aſiarius & Sigislaus, Gothorum duces, qui iampridem à Vitige cum exercitu miſsi fuerant, prę ualida claſſe, maximaq; Gothorum multitudine contracta, Salonas Dalmatiæ ciuitatẽ terra mariq; obſederunt. Conſtantianus enim eius loci præfectus, cum tantis hoſtium copijs longè impares uires haberet, ab eorum congreſſu prudentius abſtinebat, contentus in urbe ſatis munita obſidionem tolerare, euentumq; obſeſſæ urbis Romę expectare. Quamuis etiã aliquando clàm egreſſus, cœpit hoſtes urgere, ut qui alios inuaderent, ſe quoq; inuadi experirentur: ſed erant leuia prælia, quibus nihil memorabilium rerum ſucceſsiſſe uidebatur.

Inter hæc Roma acrius obſidetur. Vitiges enim, quoniam oppugnatio prius intentata non ſatis feciliter ſucceſſerat, commotior inde factus, cuncta rimari, ac diligenter perſcrutari curauit, quibus obſeſſos quàm maximè affligeret. Portus erat iuxta mare à dextera Tyberis fluuij ripa, ſuperq; eo urbs ualido muro cincta: eo in loco naues cuncta, quæ mari feruntur, deponebant, inde rurſus terra, uel fluuio Romam portabantur. Vitiges igitur facto agmine eam urbem Portuenſem ex improuiſo adortus occupauit, cum ciues contra ſubitam hoſtium uim imparati nequaquam reſiſtere poſſent: Ex qua occupatione intolerabiles mox difficultates Roma perſenſit, ſublata omni facultate, qua frumentum, ac cęteræ res humano uſui neceſſariæ, importari conſueuerunt. Gothi enim ualido militum præſidio ibi relicto, oppidum ac fauces Tyberis omni ſtudio obſeruabant, nec quicquam Romanis inferri patiebantur.

Quocirca Romani querelas in ſuam ipſorum imprudentiam exaggerantes, ſeſe grauiter accuſabant, quod Gothis excluſis, Græcos nihil uirium habentes intra Romanæ Reipublicę uiſcera facilius, quam prudentius admiſiſſent. Creuit itaq; in Vrbe fames, & extrema omnium neceſſariarum rerum inopia: cui mox adiectũ eſt grauius, & irreparabile malum. Nam Vitiges dum ſe pertinacibus Romanorum animis à Roma excludi uidet, miſsis percuſſoribus, omnes obſides, quos à principio à Romana nobilitate ſecum Rauennam abduxerat, interfici curauit, exceptis admodum paucis, qui ſalutem fuga inuenerunt. Qua rei acerbitate Romani plurimum conturbati, uehementius ingemuerunt ſeſe imbecilli Græcorum fidei credidiſſe, à quibus conſolationem nullam, perniciem uero plurimam, euerſa penitus Republica, & libertate recipiebant. Nec ſatis erat ad cumulum Romanæ miſeriæ, quod pręſtantiſsimos ciues, chariſsimos liberos, & conſanguineos Rauennæ trucidatos audiuiſſent, addita eſt eis per Belliſariũ grauior, & uix toleranda afflictio. Quamuis enim paſsim per Vrbẽ funeſtæ domus inſpicerentur, uixq; aliquis locus ſine publico, uel priuato luctu ob amiſſos amicos eſſe uideretur, Belliſarius tamen nimis ſeuerum & crudele edictum Romanis propo nit, ut neceſſaria primum mancipia, deinde ſuauiſsimos filios, tandem chariſsimas coniuges extra Vrbem confeſtim emitterent, ne cæteri in commeatus penuriam, uitęq; diſcrimen peruenirent. Quo facto, adeò tenuem remanentibus uictum indulſit, ut ęgrè uitam multis miſerijs affectam ſuſtentarent. Tum ingens mortalium turba cum fletu & eiulatu à chariſſimorum fratrum, patrum, propinquorum, maritorum, amicorum amplexu auulſa, noctu per uiam, quæ ab hoſtibus uacua erat, in Campaniam ſe recepit, patria in manibus Græcorum, propter quos extrema pati cogebatur, derelicta.

Belliſarius autem, quum ſuorum militum numerum ad murorum ambitum obſeruandum minime ſuffecturum putaret, cum ciuibus eos, & priuatis hominibus, qui militiam exercerent, immiſcuit, diuiſitq; ſingulos per cuſtodias, in mercedem certius aliquid priuato cuiq; etſi imbecilli, pollicitus. Inuenti tum fuere non pauci, nec infimę nobilitatis uiri Romani, qui præſentem Reipub. ſtatum, & priſtinę libertatis euerſionem grauiter ferre putarentur: ob quam ſuſpicionem à Belliſario in exilium pulſi, experimento didicerunt, Gothorum modeſtiam Grecorum tyrãnidi cum publico Romanę urbis excidio ſuccubuiſſe. Quorum è numero fuit Maximus, cuius proauus poſt Valentiniani mortem imperium arripuerat. Pręterea uenerat in eandem ſuſpicionem Syluerius Papa, quem quondam Theodatus (ut diximus) uiolentius, quam honeſtius ad Pontificatum aſſumi procurauit. Huic Pontifici auſa eſt Theodora Iuſtiniani uxor pręcipere, ut Menna Conſtantinopolitano Antiſtite pulſo, Anthemium ab exilio reuocet, qui ob Eutycianam ſectã fuerat in illam cladem compulſus. Negat Syluerius id ſe facturum, quod Pontificia pietate incolumi pręſtari non poſſit. Excanduit fœmina inſolens, quę nihil ſibi non licere putabat, ſcripſitq; Belliſario, ut Syluerio pulſo, Vigilium Diaconum, cuius impulſu petitum erat à Theodora, ut Anthemius reſtitueretur, in eius locum ſubſtituat. Belliſarius, ſiue quod bellicę rei intentus eſſet, ſiue plane ſciret, cauſam Pontificis ad ſe minimè pertinere, negotium è muliere acceptum, ad ſuam mulierem Antoninam transferre curauit: quę ſubornatis à Vigilio teſtibus, qui Syluerium dicerent conſilia agitaſſe de Gothis in Vrbem inducendis, hominem coëgit ſeſe dignitate abdicare, pallioq; depoſito, monaſticam ſibi cucullam inducere. Sicq; in Pontias inſulas relegatus, in ſanctitate uitę dies concluſit extremos.

Deinde ueritus Belliſarius, ne quis etiam cuſtodum inſidias ad portas moliretur, uel externus quiſpiam pecunia corrupturus, ad hos clam uentitaret, bis in ſingulos menſes deſtructis omnibus portarum clauibus, in aliam formam, & à priore longè diuerſam, alias denuò facere curauit. Nec ſecus in muro, & cuſtodijs ipſis, in ſingulas noctes alios pręficiebat quibus id erat iniunctum, muros frequentius obeundo, nomina uiciſſim cuſtodum deſcriberent, & ſi quis fortè abeſſet, alium mox ſubſtituerent, ſibiq; nominatim referrent, qui fortè

tunc à custodijs abfuisset, ut decenti uelocius pœna afficeret negligentem, & ut ad uigilias essent attentiores. Iusserat musicis instrumentis ut artifices ipsi per noctem in mœnibus uterentur. Milites preterea quosdam noctu emittebat, quibus ad fossas erat assiduo pernoctandum: cū quibus erant & canes, ut nemo uel è longinquo mœnia inuasurus lateret. Hoc modo Roma intus & foris periclitante, Martinus et Valerianus (quos à Iustiniano missos suprà diximus) mille quingentorum equitum copias in suo exercitu adducentes, Romam peruenêre. His fretus uiribus Bellisarius, mutata belli ratione, primo leuibus prælijs, & per occasionem commissis, hostem sollicitare, inde cum aliquot bella feliciter cessissent, uideretur miles suo successu, audacior factus, acie decertare ausus, tam prosperè ab initio dimicauit, ut sub Gothorum castris sit aliquandiu certatum. Ad postremum superante Gothorum multitudine, Romani præsidiarijq; in Vrbem compelluntur: tantoq; impetu fugiendo ruebant, ut multi portis & muro exclusi, ac maiore ex parte inermes, mœnibus miserabiliter hęrentes, ægrè seruati fuerint. Estq; uno tempore non solum circa castra Regia, sed uia etiā Cassia, uario atq; ancipiti Marte dimicatum. Gothi enim uisa aduenientium contra se Romanorum multitudine, ad proximos montes se extra castra retrahentes, pauorem simulabant: tum Romani diripiendis eorum castris nimis imprudenter intenti, à redeuntibus facile superantur, prædaq; exuti, salutem fuga captare coguntur. Perierunt, eo die ex Bellisarij militibus permulti, & hi omnium strenuissimi: esset q; multò maior clades accepta, ubi aperte à Regijs castris ad Vrbem inclinauit, nisi duo uiri fortes, qui ambo ordinem ducebant, sua irruentibus Gothis corpora obiecissent. Principio & Taruunti illis nomina fuere. Ille multis uulneribus confectus pugnando corruit, Taruuntes ad Pincianam portam multo consper sus cruore concidens animam efflauit.

Hac pugna infeliciter peracta, uario modo trepidauere Romani: ipseq; Bellisarius ab hostium congressu plures dies abstinuit, contentus sola mœnia defensare. Laborabatur interim intolerabili frugum inopia. Illudq; malum non tantum attigit eos, qui obsidione premebantur, sed & Regia castra, uniuersamq; Italiam horrenda fames inuaserat. Scribit nanq; Datius Mediolanensis Antistes, qui per ea tempora fuit, tam arcta caritate annonæ in sua diœcesi laboratum, ut præterquam quod fœda & obscœna multa ederentur, reperta sit mulier, quæ fame adacta, à filij carnibus non abstinuerit. Laborabatq; per hæc tempora duplici malo Italia, Vrbis obsidione, & fame teterrima, publicaq; terrarum & populorum discordia. Bellisarius autem post acceptum ex inuasione Regiorum castrorum apud Pincianam portam incommodum, confirmatis paruo tempore militum animis, rursus educere illos cœpit: nec tamen de summa rei una acie decernere audebat, suorum paucitati diffisus. Tum Gothis obsidionem in longum trahi cernentibus, unica peruincendi spes reliqua uidebatur si fame Roma continuè premeretur. Quamuis enim portus Romanis ablatus, magnas difficultates eis attulisset, tamen (ut est hominum industria, præsertim in indigentia solers) onerarię naues, quę portum solebant petere, Antium petebant: & inde expositum frumentum, & alia necessaria pedestri itinere Romam deferebantur. Volentes igitur Gothi commoditatem quoq; istam Romanis auferre, octaua circa Vrbem castra inter uias Latinas & Appiam posuerunt. Sunt enim in his locis aquęductus duo altis fornicibus, qui se intersecantes, quasi in duo brachia scinduntur, relictoq; in medio aliquanto spatij iterum coniunguntur. Distat autem ab Vrbe hic locus millia passuum circiter quinq;. Gothi igitur hunc medium locum occupantes, murum inter columnas arcuum undequaq; fecerunt ex lapidibus & luto castraq; in hunc modum munitissima habuerunt, in quibus septem millia equitum statim collocauerunt, qui supra infraque Latinam, Appiam, ac Ostiensem uiam infestantes impediebant, omnemq; importandi facultatem Romano populo præcidebant.

Præclusis itaq; itineribus fames multo maior q̃ antea obsessam ciuitatem inuasit: nec diu tolerari potuisset, nisi milites noctu iam maturis segetibus furto aliquid frumenti ex agris corripuissent, magnoq; pretio ciuibus uendidissent. Sed cum annona arctior fieret, tum grauis pestilentia ciuitatem affligebat, nata ex abominandis cibis, ad quos famis magnitudo obsessos coëgerat. Res enim Romana iam in summis difficultatibus atq; angustijs uersabatur, optantibus ciuibus potius mortem, quàm uitam inter ipsos Græcos tot miseriarum generibus cumulatam, diutius prorogare. Proinde apud Bellisarium grauiter cōquerebantur suam (teste Procopio) dementiam, quam prouidentiam putabant, iterum ut prius accusantes, quod ipsius fidem secuti in tantas calamitates incidissent: ciues suos Rauennæ à Gothis interfectos, Vrbem non minus ignominiosè quam pertinaciter obsideri, totum agrum suum, & cætera loca hostium manibus occupata, esseq; ab omnibus bonis interclusos, nec aliquam spem (quæ miseros consolari solet) reliquam haberi. Præterea se liberis, uxoribus, & omnibus quæ mortalibus charissima sunt, priuatos, arctissima obsidione teneri, bello,

fame,

fame,pestilentia,misera ciuium corpora iam consumpta,uel mox cōsumptum iri. Demum cum mortem ipsam,& quoduis mortis genus uoluptatis loco ducerent,rogabant Bellisarium,ut se in hostem ducat,inermesq;(si ita libeat)armatis hostibus obijciat:satius fore sibi honesta morte occumbere pro patria dimicantibus,quam ad tantam miseriam, & sæuissimos cruciatus seruari.

Bellisarius uero hæc audiens,non satis clemens(ut inquit Leonardus Aretinus) illis respondit.Eos quidem temerè inconsulteq; deferri asserebat,quod ea sit natura populorum, ut impetu magis quàm ratione moueantur:se consilio ac ratione, non impetu animi regi cōsueuisse:expectare ab Imperatore copias,quibus adiunctis,si pugnandū fuerit, certā suis uictoriam polliceri ualeat:easdem illas copias infinitam quandam uim frumenti secum afferre.Proinde abirent,& sibi curam belli relinquerent.Romani per hunc modum ab homine Græco acriter obiurgati,uehementius doluerunt,sese Gothos sub quibus omni felicitate gaudebant,à suis mœnibus exclusisse,& rursus in eorum locum Græculos quosdam, ad irreparabilem Romanæ Reipublicæ ruinam,facilius quam felicius(ut diximus) admisisse. Sed quid facerent,cum nihil nisi parendi necessitas restare uideretur?Deinde Bellisarius cogitare cœpit,quomodo Gothis quàm plurimas difficultates rei frumentariæ inferret. Cuius rei causa ex suis ducibus aliquot,ad impediendos hostium commeatus,Tybur,Taracinam,Albam cum suis equitibus dimisit,ut omnia itinera hostibus redderent infesta: & ad Paulinam ædem Ostiensi uia constituit,ut suburbana tecta ab omni hostium incursu tutiora essent. Affirmant Procopius & Leonardus Aretinus, Gothos in tota illa obsidione nullum templum, neq; ullum sacerdotem uiolasse,sed omnes sacerdotes liberè, ut prius, in illis permanentes, rem diuinam exequi permisisse.

Interea cum hæc circa urbē agerentur,nouæ à Iustiniano copię terra mariq; ad Bellisarium uenere:equites Thraces octingenti,alterius generis mille & trecenti, quos ductabant Alexander,Maxentius,Zeno:pedites nauibus aduecti ter mille & trecenti.Pręter hos quingenti alij,quos Procopius Cæsariensis congregatos adduxit.Hæ omnes simul copiæ in unum conuenientes Romam petere constituerant. Afferebant uero secum multum ac magnum commeatum.Iter equitibus erat iuxta mare,classis autem pedites deferebat.Ex eadē quoq; classe,magna uis frumenti per terram magno uehiculorum numero portabatur. Veritus autem Bellisarius,ne si hostis illorum ad Vrbem aduētum pręsentiret, priusquam Romam ueniretur,subita ui interciperet:igitur sub id tempus quo hi erant in Vrbem ingressuri,hostium castra adortus est.Factaq; est eruptio per portam Flaminiam,quam a' prima obsidione Bellisarius obstruxerat.Est & ars alia huic consilio addita. Equites leuis armaturæ iussi sunt Gothorum castris adequitare,tumultuoseq; hostem ad pugnam elicere, mox conserta pugna paulatim cedere,hostemq; procul a' castris distrahere. Quod cum illi nauiter fecissent,essetq; iam prope ad Vrbem uentum,tum simul ab his qui per Flaminiam emissi fuerunt portam,a' tergo oritur clamor:& equites qui fugam simulauerant, subito equorum circumactu ferociter in pugnam redeunt.Itaq; Gothi ancipiti Marte perculsi, ad castra unde imprudenter exierant,uelociter redierunt:simulq; auxiliares copiæ,& commeatus in Vrbem tuto recepti fuerunt. Vitiges hoc graue,& infaustum prælium expertus,& quia nouas uenisse Bellisario copias intellexisset,laboraretq; in castris fame & pestilentia,cum Bellisario egit,ut in tres menses induciæ fierent,quoad legati irent ad Iustinianum Imperatorem & redirent,totum componendi belli negotium se illi permissurum pollicitus. Nec Bellisarius respuit Vitigis postulata,pactæq; sunt utrinq; ad id tempus induciæ:quibus stantibus, auxilia,& commeatus,quæ Ostię conuenerant,terra & fluuio Romam tuto peruenerunt.

Sed hic locus postulare uidetur,ut expostulationem, quam Gothorum legati cum Romanis habebant,ex Procopio Cæsariensi adducam:Iniuriam, inquiunt Gothi, ô Romani, nobis intulistis,quippe qui in amicos,& socios arma desumitis.Sed dicturi iam sumus quę singulos uestrum non ignorare existimamus.Gothi quondā loca hęc Italię sibi pepererunt, cum Romanis uobis nil uiolentius ademissent:sed Odouacer olim,Imperatore sublato, in tyrannidem Rempub. hanc immutatam obtinuit.Zenon interea,qui Orientis tunc temporis potiebatur imperio,cum uindicare alterius uellet,& amoti Imperatoris iniuriam & has terras tyrannide liberare,Odouacrisq; uires dissoluere de se minimè posset,commemoratis Theoderico Gothorum duci honoribus,quos ab se accepisset,(fuerat nanq; inter Romanos patricios,& Consulares adscriptus)facilè suadet,etsi obsessurus is Byzantium erat, ut depositis erga se odijs,ex Odouacre pœnas ob iniuriam Augustulo Imperatori illatam exigeret quibus exactis,& de tyrannide Odouacre eiecto,ipse sibi,& Gothi hæc loca recte iusteq; parta haberent. Hunc igitur in modum ipsi Italiæ suscepto imperio,leges simul & Rempublicam saluas non minus reddidimus,quam superiorum alius quispiam Imperatorum. Theo

clerici uero', siue alterius qui Gothis antea imperasset, mille nunc extant uel scriptæ, uel sine scripto leges. Quę autem ad diuinum attinent cultum, fidemq;, sic integrè Romanis seruauimus, ut Italorum opinionem Gothorum nemo in id, quod ipse sentiret, uel uiolenter, uel ultro transtulerit: quin potius in eorum plerunq; cōcedentibus Gothis sententiam, nil prorsus per nos curę adhibitum. Accedit etiam, quod Romanorum sacraria eo in honore sint apud nos habita, ut à nullo nostratium hominum sit, qui ad ea confugerit, uiolatus. Omnibus pręterea Vrbanis antehac magistratibus Romani perfungebantur, Gothus uir nemo eorum particeps factus. Vel procedat in medium qui profari nos ista non uere' existimet. Addat & Consularem quispiam dignitatem, qua etsi Gothi ab Orientis Imperatore donati, Romanis tamen perfungi libere permiserunt. Vos uero cum hæc ita se habeant, Italiam quidem per Odouacris barbaros male tunc habitam, haudquaquam tuendo uestri ut iuris uendicabatis, prȩsertim cum ad decimum annum grauissima illi in Italos, ac nefanda exercuissent: nunc uero iustè hanc possidentibus, cum uestra nihil intersit, inferre uim uultis. Abite ergo à nobis hinc procul, & uobis quæ uestra sunt habetote, ac cætera item, quæ depopulando diripuistis, nuda saltem quæ reliqua sunt, nobis relinquite.

Necessario igitur trium mensium inducijs utrinq; confirmatis, ut oratores utriusq; partis Byzantium ad Iustinianum Imperatorem ire, & redire possent, adiecta est conditio, ne interea incursiones ullas inter se facerēt, aut quicquam dolo uel fraude in mutuam perniciem molirentur. Bellisarius tamen suæ Græcaniæ fidei haud oblitus, pacem quam publice extollebat, occultis machinationibus, ubicunq; occasio dabatur, uiolauit, nihilq; alienum ab illis moribus præstitit, quos Tullius Cicero in Grȩcorum leuitate dudum antea reprehenderat: Iusiurandum, inquiens, apud Græcos pro ioco habetur. Verum ne affectione talia loqui uidear, Antonium Sabellicum inter præcipuos Italorum historicos iure connumerandum adducam. Hic enim inquit: Vicit Bellisarius magis fraudē, quam uiribus, cum parum sancte fœdus cum hoste ictum custodiuisset. Bis enim illud non satis candide interrupit, primum Romæ, deinde Rauennæ. Cum enim Gothi, qui in Portuensi, præsidio constituti fuerant, sese ad Vitigem fiducia induciarum contulissent, consulturi de importandis in eam Portuensem urbem uictualibus, mox Bellisarius astutius quam honestius illum locum per suos occupauit, iniquitatem suam Græca uanitate excusans, quasi Gothi illinc discessissent, deinceps non redituri. Eisdem quoq; ingenijs circa alias Gothorum ciuitates, & terras uti non uerebatur. Vnde factum est, ut etiam urbem maritimam & magnificam Centumcellas, ciuitatemq; Albanā interciperet, & communiret. Pręterea ut Datius Mediolanensis Antistes, & totius eius loci populus à Gothis deficerent (ut mox dicemus) effecit. Hæc autem stantibus inducijs, uafri ingenij dux contra pacta manifeste' moliendo, arbitrabatur se à nullo posse de uiolato fœdere accusari.

Proinde Gothi legatis ad Bellisarium missis, conquerebātur se tempore induciarum grauibus iniurijs ab eo affectos, quòd nequaquam ipsi ob conditiones, quæ inducijs appositæ erant, licuisset: itaq; ablatorum locorum restitutio omnino fieri deberet. Sed iam eo processerant illæ Bellisarij artes, ut denuò Gothorum simplicitatem tumens irrideret, dicens se illas Gothorum ciuitates minime occupare potuisse, si milites intra earum mœnia resistentes inuenisset. Proinde Gothorum oratoribus abscedere iussis: Redite, inquit, ad Regem uestrum, eiq; dicite, quod quia Gothi eas urbes pro derelictis habebāt, licitum mihi fuit ipsas etiam tempore induciarum tali modo occupare. Igitur cum Gothi attenderent, Græcos nullam recti & ęqui rationem habere, aut curare, sed omnia perfide agere, cogitabant & ipsi paria Bellisario referre. Sed iam nimis munitus erat, & permagnas assecutus fuerat ad gerenda prælia opportunitates, captis illis tribus urbibus, in quas suam militiam, quæ iam aduectis nouis copijs plurimum creuerat, distribuere curauit. Misit & in agrum Picenum equitum duo millia, præfecto illis Ioanne Vitaliano, quem admonuit, quid in his locis fieri uelit. Esse quidem in Picentibus uxores, ac filios Gothorum, qui urbem Romam obsiderent: si maneant induciæ, nihil moueat. Quod si Gothi quicquam noui moliantur, ipsum omnia prędari, & diripere, & oppida quot posset capere mandauit. Si quod oppidum repugnet, id obsidere iussit, nec ulterius progredi, priusquam id ceperit. Neq; enim tutum fore, post se hostium oppida relinquentem ulterius proficisci.

Quibus mandatis à Bellisario acceptis, Ioannes in Picētes peruenit. Sunt et alij alio missi ne futura hyberna essent Romanis ciuibus grauia. Sub id tempus Mediolanenses (uti prius occultè machinatum fuerat) ad Bellisarium legatos misere, & in his Datium suæ urbis Antistitem (cuius nunc memini) uirum utiq; magnæ prudentiæ, ac autoritatis: qui ubi Romam uenere publico nomine, defectionem pollicebantur, si modicum ad se præsidium mitteretur. Quos Bellisarius benigne auditos, iussit bono & cōstanti animo essent, remq; ob quam

aduenerant,

aduenerant, occultam haberent, quoad præsidium mitteretur. Quod ut maturè fieret, se curaturum affirmauit: qui deinde in apertum discrimen uitæ incidit. Cum enim apud unum ex suis proceribus Constantinum acrius instaret, ut gladium pretiosè ornatum, uiq; Romano ciui ablatum, domino restitueret, idq; Constantinus iniuriæ autor, se facturum negaret, orto super ea re iurgio, accersitisq; à Bellisario apparitoribus, ratus ille fore, ut ad supplicium trahendus esset, stricto ferro Bellisarium paululum infra stomachum consauciauit: & nisi circunstantes subito accurrissent, ac ui extorto pugione, ipsum in manus apparitorum tradidissent, suprema dies illa Bellisario fuisset. Nec Cōstantinus impunè tulit illud facinus qui paucis deinde diebus iussu Bellisarij interfectus est. Igitur cum Gothi compertum haberent, Græcos ubiq; insidias struere, fœdera frangere, pacemq; & inducias eorum quouis bello perniciosiores esse, tentauerunt & ipsi Romam occultis insidijs occupare, primo per aquæductum quendam uia noctu quęsita, deinde occulto Tyberis traiectu, circa Martij campi regionem. Sed utrūq; consilium fuit illis irritum. Nam per aquęductum conspecta lumina insidias detexerunt, & obstruso aquæductu facultas eis adempta est inuadendi. Quod autem ad fluminis traiectionem attinet: quia duo Romani pecunia corrupti, sopiferum pharmacum à Vitige acceperant, ut nocturnos uigiles commodius fallerent, re unius indicio patefacta, proditionis socius grauibus pœnis afflictus, in castra Vitigis, ut testis esset patefactę proditionis, emittitur.

Vitiges igitur considerans graue bellum, & suis uiribus impar, post uiolatas utrinq; inducias imminere, legatos duos (ut autor est Procopius in historia Persica) ad Cosroem Persarum Regem emittere curauit, suasuros ut cōtra Iustinianum bella moueat: & hos non quidem Gothos, sed Ligures sacerdotes, multa pecunia ad id inductos, quorum alter quidem Episcopi nomen præferebat, quem alter tanquam minister sequebatur. Per Thraciam uero iter facientes, quendam inde in amicitiam sibi conciliant, Syræ Græcæq; linguæ peritum, ac interpretem futurum. Qui ut ad conspectum Cosrois uenissent, hęc dixerunt: Cęteros quidem legatos, ô Rex, plerunq; de rebus calamitosis ad te uenire contingit, nos autem Vitiges Gothorum & Italorum Rex misit, uti sermonem de his, quę ad tuum regnum faciant, habeamus: tantumq; ea de causa nos hæc loqui existima. Si quis enim te, regnumq; tuum à Iustiniano impugnari affirmauerit, rectè sentit. Quia is ea est natura, ut res nouas, quæ nihil ad eum pertinent, semper quærat, præsentibus uero, ac pacatis minimè contentus, uniuersam terram, & singulorum imperium certatim inuadere cupiat. Postquam enim Vandalorum regnum nuper euertit, contra Gothos deinde arma conuertit, quos si de medio tollere poterit, nulli dubium, quin uires suas contra Persas extendat. Sed diligenter attendendum est tibi ex nostris malis, quanta paulo post Persas sequentur incommoda. Cogita etiam Romanos illos tibi, tuoq; regno nunquam fore beneuolos, si maioribus uiribus potirentur. Vtere igitur præsenti facultate, quam desinentem nunquam recuperabis. Opportuna enim consilia semel elapsa, nunquam aut raro redire solent. Pręstat enim præuenientem in tuto esse, quàm bene gerendi rei occasione amissa, turpius aliquid ab inimicis sustinere.

Hęc cum Cosroës audiuisset, bene & prudenter Vitigem monuisse affirmans, sese ad rumpendum fœdus, quod cum Iustiniano ictum erat, adaptabat. Interea dum hæc apud Persas agerentur, Bellisarius ad Ioannem Vitalianum scripsit, rem prout antea præmonitus fuerat, exequeretur. Tum ille duobus equitum millibus comitatus, Picenū agrum peruadens, uxores natosq; Gothorum cepit, prædisq; & rapinis regionem totam inuoluit. Vlitheū uero Vitigis patruum, cum Gothorum copijs sibi obuiam profectum, prælio superauit, ipsumq; ducem cum magna parte copiarū occidit. Ita uictor factus omnia peruadebat, captis permultis agri Piceni oppidis. Cum autē Auximo copias admouisset, cognouit id oppidū non magno Gothorum pręsidio custodiri, sed esse locum ualde munitum. Itaq; nequaq; in eo obsidendo tempus terendū existimans, ad ulteriora processit. Idem quoq; statuit de Vrbini obsidione: in celeritate enim omnem spē collocauerat. Fanum, & Pisaurū cepit. Deinde Arimino copias admouit: indeq; Gothorū pręsidio amoto, ad Iustiniani fidem reuocauit. Persuasum habuit ab initio Vitalianus fore, ut Arimino capta (quia ea urbs Rauenę propinqua esset) Gothi urbē obsidione soluerēt. Nec ille sua est opinione deceptus. Enimuero Vitiges audita Arimini alenatione, Rauenę timēs, ubi summa rei Gothicę erat, incensis castris Romā obsidione soluit. Bellisarius autē Vitigē abeūtē secutus, ubi mediū copiarū pōte trāsmissū uidit, extremū agmē à tergo inuasit, magnāq; stragē intulit improuisis. Habuitq; obsidio illa Romanę urbis hūc exitū, quę in eū annū incidit, qui humanę fuit salutis quingentesimus atq; undequadragesimus, mundanę originis nonagesimusnonus supra quadringētesimū, ac quater millesimū, ex quo Romę imperari desitū erat sexagesimus octauus. Durauit autē hęc obsidio urbis Romę anno integro & diebus nouē, cū ad nonū Kal. Martij incepisset.

Post solutam Romæ obsidionem, quæ ab utraq; parte facta & prouisa fuerint, prosequemur. Vitiges enim licet Rauennam ire properaret, urbes tamen Hetruriȩ, & aliarum prouinciarum, continere in potestate studebat. Quamobrem mille equites Clusium, totidem Vrbem ueterem misit. Tuderti quingẽtos, Auximi quatuor millia collocauit, Vrbini duo millia, Cæsenæ quingentos, Montisferetri totidem: ipse cum reliquo exercitu ad obsidendum Ariminum profectus est. Bellisarius autem post recessum Gothorum, Martinum & Ildigerum cum equitibus mille festinare Ariminum iussit, indeq; Ioannem Vitaliani, & equites qui cum illo erant, abducere, pedites uero ibi collocare: quod ea ratione faciebat, quod optimum equitatum nollet ab hostibus circunsederi. Si enim peditum copiæ Arimini forent, uix putabat Gothos eam urbem obsidere uelle: & si obsiderent, facilius pedites obsidionem, quam equites toleraturos existimabat, cum equos in obsidione nutrire difficillimum sit, pedites autem ex Ancona (quæ urbs nuper à Gothis ad Belisarium defecerat) mari Ariminum deferri commodissimè posse. Ildigerus autem & Martinus, profecti celerius Gothis, qui tardius ob suorum multitudinem diuerso itinere incedebant, Ariminum peruenerunt. At Ioannes neq; ipse Bellisarij præceptis parere uoluit, neq; Damianum patruelem cum suis equitibus, qui quingenti erant, parere permisit. Quare Ildigerus & Martinus Arimino abeuntes, omnem equitatum, quem Bellisarius Ioanni dederat, abduxerunt, relictis solummodo peditibus, & equitatu proprio Ioannis & Damiani. Inter hæc Vitiges Ariminum, obsidere adortus est: statuitq; in primis turrim ligneam ante muros, unde propugnatores incesseret: & iam statutæ oppugnationi intentus erat, cum nocte una agger & fossa ingens est Gothis ea ex parte obiecta. Irruptione deinde in præsidiarios facta, atrox prælium est æditum circa hostilem machinam, cecideruntq; ex utraq; parte quàm plurimi.

Mediolanenses uero interim dum Vitiges expugnando Arimino intẽdit, acceptis à Belisario copijs, à Gothis deficiunt. Secutæ eam defectionem illustres urbes, Comum, Bergamum, Nouaria, & aliæ quædam, sed minus clari nominis. Permotus Vitiges Mediolanensium defectione, Vraiam nepotem suum ex fratre cum ualido exercitu in Cisalpinam Galliam mittit, ut loca quȩ adhuc in fide erant, in officio contineret, quæ autem ad hostem defecissent, summa ope niteretur, ut ad obsequium retraheret. Affirmat Procopius, quod Vitiges à Theodemberto Francorum Rege, cum quo ictum fœdus habebat: auxilia petiuisset. Blõdus uero ex Liguria mauult, petita, quam ex Gallia. Sed neutrum à uero discrepat: Iam enim satis constat Theodembertum ex Francorum gente ortum, atq; alpes Coccias cũ Liguribus illius armis subactas, eiusq; præsidio retentas. Quin illud meritò in dubium uenit, à Theodemberto petita sint auxilia, an à Theodebaldo eius filio, qui haud multo post extincto patri successerat. Verba autem Procopij hæc sunt: Occupato per Romanos Mediolano, Vitiges maximas eodem copias mittit: cui & Francorum dux Theodebertus, ut eius auxilio indigenti, uirorum decem millia suppetias misit, non tamen Francos, sed Burgundiones, ne uideretur Imperatoris rebus (cui etiam iam confœderatus erat) iniuriam intulisse. Hi nanq; sua sponte perinde ac Theodeberti iussa non curantes, aduersus Romanos exijsse uidebantur. Quos cum Gothi suis copijs coniunxissent, Mediolanum confestim aduolant, urbemq; adeò stricta obsidione undequaq; cingũt, ut nullibi necessaria Romanis inferri possint. Quorum intolerabili inopia magis, quam ab hoste premebãtur. Nec sane iam militum satis erat, qui in muris custodias facerent. Mundilas nanq; Romanorum præfectus, quas secum duxerat copias, in circumiecta Mediolano oppida, utpote Comum, Nauariam, & munitiora alia quædam castella in potestatem redacta, partitus dimiserat, ita ut non paruifaciendam militũ manũ in singulis his custodiȩ gratia collocarit. Ipse uero cum trecentis duntaxat, quos sibi reliquos fecerat, Mediolani manebat. Vnde & ciues necessario cogebãtur per uices, & assiduè custodias facere, multaq; aduersa, quȩ pridẽ minimè cogitauerant, sustinere.

Bellisarius uero, ubi primum segetes flauescere uisæ sunt in agris, ex Vrbe cum exercitu profectus, aduersus Vitigem, & Gothorum copias contendebat, præmissis nonnullis Tudertum, & Clusium, qui castris locum pararent. Sed erant debilia intus præsidia, quæ sua paucitate considerata, impugnationem deditione prȩuenerunt. Interea Vitiges alias copias cum Boche præfecto dimisit, iusso in primis Auximum ire, & se cum alijs ibi præsidiarijs militibus coniungere, atq; una cũ his aduersus hostes procedere, qui tũc Anconæ essent. Tunc Cono Anchonæ præfectus, ubi Bochis exercitum in se aduentare accepit, ne procul abesse, suȩ mentis ignauiam palam ostendit. Quippe munitissimo loco custodijs destituto, milites omnes ad stadium unum procul inde, & in partem inferiorem deducit, ac in aciem instruit, phalangeq; parum densa collis radices uenantium more militum corona circundat: qui ubi hostes uiderent ingenti hominũ multitudine superare, terga uertentes, fuga se in prȩsidium recipere conabantur. Quos Gothi acerrimis animis insectantes, ferè omnes fœdè obtruncarunt, sca-

runt,sca-

funt, scalisq; admotis, parum aberat, quin præsidium occupassent, adeò ingens periculum fuit, quod ipse Conon prefectus per funem supernè demissum intra muros reciperetur. Nec multo post Bellisarius Picenũ agrum uenit: affueruntq; sub id tẽpus, Iustinus Illyrici limitis dux, & Narses ille, penes quẽ finiti belli huius decus fuit. Venerunt & duo Herulorũ millia, Sandro & Phanateo ducibus, qui circa Firmum cum Bellisario copias cõiunxerunt. Hic de summa belli consultatio inter duces anceps incidit, esset ne Ariminensibus, & his qui in presidio erant, succurrendũ, an Auximum oppugnandum. Sed Ariminũ obsidione leuandum primum omniũ uisum est: quoniam satis constabat, qui obsidione tenebantur, rerum omnium inopia subactos, breui in hostium potestatem uẽturos, nisi maturè subueniretur: Adiuuit Iustini Narsetisq; sententiam, qua censuerant Ariminum quantocyus liberandũ quod literæ Ioannis ad Bellisarium scripte, per hoc ipsum tempus uenerunt, quibus fame confectos milites pepegisse morã septem dierũ significabat, opemq; sibi properè ferri postulabat.

Considerans igitur Bellisarius Gothorum copias suis uiribus insuperabiles, censebat ingenio potius & astu esse utendum aduersus eos, quam iusta acie dimicandum. Proinde in montibus prope Ariminum se collocans, operam dedit, ut aliquot ex Gothis incaute incedentes apprehenderet, apprehensosq; & in faciem uulneratos, ad castra Gothorum remitteret. Qui ad suos reuersi, Bellisarium cum toto exercitu adesse nuntiarunt. Ad fidem uero huius rei, uulnera recens accepta ostendebant. Erat uero meridies, cum hæc in Gothorum castris nuntiarentur: statimq; miles arma capere iussus, & in suos quisq; ordines redactus. Duces uero structa acie, descensum Bellisarij expectabant, oculos continuo ad montes, unde uenire dicebatur, conuersos habentes: ea tamen die ad hostes non descendit. Itaq; Gothi frustra expectantes, tandem ad occasum solis aciem dissoluerunt. Sed cum aduenisset nox ignes ualde multos in littore diuersa regione, qua Bellisarius uenire nuntiabatur, intuebantur. Erant autem ignes, quos Martinus Bellisarij armiger, atq; eius castra ad ipsius Bellisarij præceptum faciebant, magno hostibus terrori, ut nullus eorum esset, qui somnum caperet, uel arma exueret. Die autem facta, classem insuper conspiciunt structã & paratam, Armino propinquantem. Itaq; à duobus simul exercitibus, & à classe mari terraq; circumuentos se arbitrati, soluta obsidione Rauennã petierunt. Ildigerus cũ classe primus Arimino applicuit, egressusq; in terrã Gothorũ in castra quæ deserta erant, irrupit, & quos ibi forte morbis correptos deprehendit, in numero seruitiorum habuit, bellicaq; instrumenta, si qua Gothi reliquerãt, collegit. Bellisarius autẽ meridiano tẽpore Ariminũ ueniens, ubi Ioannẽ, ac cæteros apud hunc milites, pallenti ac squallido uultu animaduertit, eius audacię temeritate increpitu, subiunxit, quod magnas gratias Ildigero deberet. Ioannes uero non illi, sed Narseti obnoxium se esse fatebatur. Intellexerat forte Bellisariũ non libenti admodum animo sibi suppetias attulisse, sed hortante & persuadente Narsete. Vnde euenit, ut hi de cętero suspectiores sibi inuicem essent. Vnde & Bellisario aliquid imperante, tergiuersando, & alia item atque alia causando, quæ iubebantur repudiare, & insolenter reniti. Quæ omnia Bellisarius ubi demum persensisset, principibus omnibus ad se conuocatis, Iustiniani, mox literas profert ad principes datas, & hanc in sententiam scriptas: Narsetem pecuniæ nostræ, & bonorum custodem, non ut exercitibus præsit, in Italiam misimus, quippe qui Bellisarium uolumus omnibus, & solum præesse, & quo illi sit satius uisum ductare. Hunc itaq; uniuersos uos sequi & eius consilijs parere iubemus.

Statim Bellisarius post hæc Perannium cum non parua militum manu ciuitatẽ Vrbeuetanam obsessum dimisit. Ipse uero Vrbinũ copias duxit Vrbem sane prępualidam, & Gothorum pręsidio non mediocri munitã, quę ab Arimino unius diei itinere elongatur. Hanc igitur duriore obsidione cingit: & iam bellica opera urbi admouebãtur, cũ repente fons, unde ciuitas adaquabatur, sua sponte exaruit. Quo uelut prodigio territi Vrbinates, cõtinuo deditionẽ fecere. Cęsena inde oppugnata capi nõ potuit. Multi enim, qui audacius muros subierũt, telis, molibusq; saxorũ superne deiectis sunt atrociter afflicti. In ea quoq; oppugnatione Phanotheus Herulorũ dux interijt, plurimis ex suis antea desideratis. At Forum Cornelij, dedentibus se incolis, sub iugum Imperatoris sine bello accessit. Per idem tempus Mundilas, & qui cum illo Mediolani erant, maximis difficultatibus inuolui cœperunt. Theodebertus enim Francorum Rex, à Vitige (ut diximus ex fœdere postulatus, decem millia Burgũdionum ad Vraiã miserat: qua ille multitudine fretus, non procul à Mediolano castra faciebat, & importationẽ frumenti, cæterisq; commeatus omnem impediebat. Mundilas copias suas (ut dictũ est) in uicinas urbes diuiserat, nec magnum equitum numerũ secum habẽbat: incepit tamen in periculosa ciuitate, ad quã nihil inuehebatur, fames acrius quam ullus hostis præualere. Quod Bellisarius intelligens, Martinũ & Vliarium cũ magnis copijs misit ut Mundilę coniuncti Gothos submouerent. Hi cum ad flumen Padi peruenissent, (quod à

Mediolano unius diei itinere distat)non ausi transire flumen timore hostium,diu in his lo-
cis desederunt,spem Mundilæ,& obsessorum dietim frustrantes. Polliciti enim sese transitu
ros esse Padum,& Mediolanum accessuros,nihil promissorum exequebantur. Obsessi ue-
rò indies ad extremam famem redacti,maiorem in modum doluerunt,se a' Gothis ad Græ-
cos defecisse.

Non desunt qui scribant legatos ob id a' Mediolanensibus ad Iustinianum missos,& in
his Datium Antistitem. Qui cum Corinthũ uenisset(ut Gregorius in Dialogo scribit) do-
mum omni humano cultu destitutam,malorum dæmonum incursu liberauit. Tandẽ cum
Mundilas,& milites omnia extrema paterentur,neq; eis posibile esset diutius in tanta mi-
seria spiritum sustentare,Mediolanum Gothorum uoluntati tradiderunt,pacti,ut salua in-
columitate sibi abire liceret. Gothi autem urbem ingreßi longè humanius uictoria usi fue-
runt,q̃ Aretinus tradit,qui affirmat eos nulli ętati pepercisse,sed trucidatis paßim ciuibus,
non modo' qui arma ferre possent,uerumetiam senibus,& impuberibus,mulieres in serui-
tutem Burgũdionibus tradidisse. Insuper urbem ipsam ad solum usq; euertisse,& quosdam
ex Romanis minuatim concisos canibus tradidisse. Quæ omnia Blondus ex ueriorib. histo
rijs falsa esse conuincit,præsertim quę de Gothorum seueritate commemorantur. Nos qui-
dem,inquit Blondus,tam seueram destructionem nequaquam tunc a' Gothis factam fuisse
constànter asserimus. Datius nãq; Mediolanensis Antistes multa de sui seculi calamitatibus
sæpe in Epistolis commemorat,Mediolanumq; patriam suam,pro cuius salute Romam, &
Constantinopolim accelsit,a' Gothis quidẽ obsidione pressam,& occupatam dicit,sed solo
æquatam,aut direptam,nusquam refert. Paulus etiam,qui Longobardorum historiam scri
psit,captam & possessam ab Alboino eorum Rege urbem Mediolanũ narrat,& nihil de ea
euersione dicit. Si enim a' Gothis funditus destructa fuisset ea ciuitas,nequaquam potuisset
in quindecim annorũ spatio(quod inter Gothorũ & Longobardorum tempora intercesse-
rat)ita instaurari,ut a' ciuibus eam dedi potius,q̃ pro derelicta permitti oportuerit. Facit
item,ut nihil de hac nostra opinione quin sit uera dubitemus,S. Pontifex Gregorius,qui sæ
penumero multa narrat de ijs,quæ seuerius facta sunt in Italia,uel paulo' supra ætatẽ suam à
Gothis,uel se Pontifice a' Longobardis,& tamẽ eam ciuitatis opulentißimæ direptionem,
excisionemq;,& occisa ciuium triginta millia,nec tenui quidẽ indicat coniectura. Quocirca
considerare possumus,multa crudeliter facta ipsis Gothis nõ satis iustè imputata esse, quip
pe cum testimoniũ à plerisq; illustribus scriptoribus habeant,quòd semper fuerint in deui-
ctos hostes humanißimi,nec unquã,nisi magna ratione cogente, bellũ in alios susceperint.

Postquam igitur Bellisarius audiuisset Gothos Mediolanũ recuperasse,de bello diligen-
tius contra eos gerendo consilium cepit. Et quanquam omnis eius cura in Vitigem, & Ra-
uennam erat conuersa,tamen duo oppida prius Gothis adimenda statuebat,q̃ aduersus Vi
tigem exercitum duceret. Erant uero' hæc oppida, Auximum,& Fesulę,ambo situ locorum
munitißima,ambo ualidis Gothorum præsidijs custodita. Neq; enim Auximũ post terga
relinquere uolebat,cum essent in ea urbe supra tria millia delectorum militũ,permagna im
pedimenia socijs inferre ualentium:neque Fesulas,quoniam tenẽtibus eam urbem Gothis,
nihil per Hetruriam fore quietũ existimabat. Exercitu igitur trifariam partito, unam partẽ
cum Cypriano & Iustino pręfectis,Fesulas misit,alteram copiarũ partem Martino & Ioanni
Vitaliani ducẽdam cõmisit,iubens,ut circa Padum cum his copijs castra faciant, Vraiamq;
& copias eius in illis locis q̃ maximè fieri potest distineant, ne in Tuscos, uel in Picenes,ad
dissoluendas obsidiones uenirent:quòd si continere illũ ab aduentu nequirent,uenientem
ponè consequantur. Martinus igitur & Ioannes cum ea (quam diximus) copiarum parte in
Galliam profecti,Dertonam urbem iuxta Padũ sitam occupauerunt:indeq; Vraiam,& Go
thos infestare cœperunt. Cyprianus uero' & Iustinus cũ alijs copijs Fesulas adeuntes,quan-
quam difficillimè poterat ea urbs obsideri,propter naturam asperitatemq; situs,tamẽ de su
periori loco,quâ planior est aditus,castris q̃ proximè admotis,eam urbem obsederunt. Bel
lisarius deinde 11000. hominum exercitum ductans,ad Auximum urbem cõtendit: quam
satis constat in agro Piceno præstantiorem cæteris esse,quippe quam Romani Metropolim
uocant. Abest autem hæc ab Ionico sinu ad summum stadijs octoginta, & in ædito colle est
sita,aditum ad se nullũ à planitie habens,unde & hostibus est omnino imperuia. Eo in loco
Vitiges,quicquid inter Gothos roboris erat,in præsidium collocarat, ratus Romanos,nisi
prius hanc occupauerint urbem,nequaquam contra Rauennam copias educere ausuros.

At postquam Romanorum copiæ Auximum peruenissent,castra undequaq; ad collis ra
dices collocabant:in quas Gothi eadem die è regione urbis in Orientem uergẽte, impetum
facientes,ad improuisum certamen prouocabant:deinde subitam fugam uersus urbem si-
mulantes,hostilem exercitum ad insidias protraxerunt, plurimosq; è Romanis ex æditio-
re loco

re loco ferientes, tamdiu obtruncant, quoad nox ſuperueniens cædem interpellauit. Sic demũ prœlio intermiſſo diremptoq;, per eam noctẽ utrique in peruigilio perſtitere. Belliſarius uero cum animaduerteret Auximum præualidam eſſe, ac munitiſsimã urbem, & eius ſe nõ alicunde poſſe muros inuadere, haudquaquam exiſtimabat ſe hunc locum ui unquam occupaturum: ſperabat tamen arctius obſidendo, redacturum ſe tandem hoſtes ad rerum neceſſariarum inopiam, fameq; non lõgo poſt temporis interuallo ſubacturum. Et erat fortè haud procul à muris ager irriguus, in quo herba plurima oriebatur: hic locus quaſi campus fuit quotidianorum certaminum, cum obſeſſores, & obſeſsi pabulationẽ ex eo quærerent, & accenſis hinc inde animis, nõnunquam penè totis caſtris eò concurrentibus certaretur. In his prelijs Belliſarij milites, quamuis multitudine præualere poſſe uidebantur, tamen à Gothis ſitu & armis præualentibus repellebantur. Hæc eadem certamina Feſulis erant. Nam & inuaſiones frequentes & quotidiana propè prælia inter obſidentes & obſeſſos committebantur, & unica ſpes obſidentibus erat, fame ac defectu rerum neceſſariarum obſeſſos ſuperare: nam ui expugnare mœnia Feſulana, nulla erat ſpes. Quare undequaq; circumdãtes urbem, ſtationibus militum opportunis locis diſpoſitis, omnem importandi facultatẽ abſtulerant.

Interea circa Padum magnus eſt rerum motus ſecutus. Franci, & Burgũdi cum Ligurum appendicibus, à Theodobaldo per Apenninum emiſsi, ex improuiſo in Placentino agro conſederunt. Habebat tamen Vraia Gothorum dux caſtra circa Padũ ſeptem millibus paſſuum Belliſarij ducibus propinqua. Habuitq; Vraias ab initio perſuaſum, auxiliares eſſe copias, quæ à Theodobaldo aduentare dicebantur: nam ſuperiore anno fuerat talibus auxilijs uſus in expugnando Mediolano: ſed illi non magis Grecis hoſtes, quàm Gothis, ad utriuſq; gentis perniciem feſtinabant, ut prouinciam, de qua diſceptabatur, Theodobaldo uendicarent. Is quidem iniquo animo ferebat, ullius gentis opes in ea terra, quæ Liguriæ, & alpibus contigua eſſet, plus creſcere, quàm ſibi, et ſuis tutum putaretur. Erat ijs, qui tum miſsi ſunt, galea, & ſcutum ad tegenda corpora, gladius præterea ad feriendum, & bipennis, qua ad ſtuporem uſq; refractis hoſtium ſcutis & galeis, profunda inſtigebant uulnera. Primo itaq; acceſſu (ex propoſito an ex caſu, parum compertum habetur) cum Gothis manum conferunt: qui uicti, fuſiq;, ac Græcorum caſtra fuga præteruecti, primò hoſtibus miraculo fuere: nam de earum copiarum tranſcenſu nihil adhuc erat his exploratum. Inde Belliſariũ rati ex improuiſo ad hoſtem inſinuatum, eos occidioni dediſſe, armis temerè arreptis, cum nonnihil à caſtris proceſsiſſent, in Francos & Burgundiones incidunt. Perculit res ſubita Græcorum animos, coactiq; manũ cum nouo hoſte conſerere: ſed multò minore negotio, quàm nuper Gothi funduntur, & profligantur. Sic eodem die duobus exercitibus, biniſq; caſtris Franci & Burgundi potiti fuere.

Vraias cum his copijs, quæ ex fuga colligi potuerunt, Rauennã properauit. Græci quoq; fuga dilapſi, per Placentinorum, & Parmenſium fines, Apennini iugo ſuperato, in Hetruriam conceſſerunt. Procopius, qui horum autor eſt, triginta millia armatorum fuiſſe prodidit, qui duos exercitus improuiſo acceſſu uno die deleuerunt. Sunt tamen qui dicant Francos non in Gothos, ſed tantum in Græcos impetum feciſſe, eoſq; profligaſſe. Vtcunque ſit, ſatis conſtat ipſum Procopium ſatis concitato animo in Francos ex hac occaſione improperia exaggeraſſe. Eſt, inquit, ea hominum natio ad fidem prodendam cæterorum mortalium longè promptiſsima. Quod ſi de ſuis Grecis dixiſſet, longè ueriorem ſermonem protuliſſet. Hi enim q̃ integra fide bellum in Gothos geſſerũt, ſatis apud æquos iudices probari queat. Sed nunc ad Belliſarium redeamus. Qui quum Gothos Auximi pertinaciſsimè reſiſtere uideret, omniaq; duriſsima, quæ taliter obſeſsis euenire ſolẽt, inuicto animo ſufferre, animum ad adimẽdam eis aquæ commoditatem adiecit: quod & ſe facilè facturum opinabatur. Erat fons Auximi quidam in Boream uerſus, & loco prærupto exortus, procul ab urbe ad lapidis iactum, modico curſu inuectus, aquæ receptaculum influens, à quo licet eius influxus pertenuis eſſet, aquam tamen oppidani ad neceſsitatem hauriebant. Belliſarius igitur uolens eam fontis commoditatem obſeſsis adimere, hunc modum excogitauit: Omnes in primis copias armat, haſq; circa muros in pugnam conſtituit, ſpeciemq; hoſtibus præbuit, ſe protinus mœnia undequaq; aggreſſurum: unde & Gothi Græcorum inſultus iam ueriti, in propugnaculis taciti conſtitere, tanquam hoſtem inde repulſuri.

Belliſarius interim Iſauros quinq; architecturæ peritos, cum dolabris, alijſq; inſtrumentis ad lapides excidendos idoneis, in illud aquæ receptaculum prælatis clypeis tectos immiſit, demoliriq; illud, & intercidere omnibus uiribus, & quàm celerrimè iuſsit. Itaque Gothi quamdiu ſuſpicabantur hoſtes mœnia aggreſſuros, quieti manebant, ut ſubeuntes quàm proximè facilius cæderent. At poſtquam Iſauros intra aquæ receptaculum proſpexere, confeſtim ſaxa, & omne telorum genus in eos conijciunt. Vnde Græcis omnibus territis,

& curſu

& cursu citato in castra se recipientibus, soli illi quinq; Isauri in tutum deducti, operi demoliendo incubuerunt. Tum Gothi præ indignatione se mœnibus continere nequeuntes, statim ex ea regione portula patefacta, aduersus Isauros uno agmine omnes indignabundi feruntur: quibus Græci Bellisario adhortante, celeri studio occurrẽtes, atrocem pugnam committunt. Pugnatumq; est utrinq; pertinacissimis animis, dum Græci ob præsentiam Bellisarij, fuga salutem quærere recusarent. Quo euenit, ut plurimi eorum à paucis Gothis trucidati interirẽt. Bellisarius quoq; sagitta impetitus, graui in periculo uersabatur. Tandem postquam à prima aurora usq; ad meridiem acerrimè præliatum esset, Romani in sua castra redierunt, æstimantes aquæductum per illos Isauros omnino demolitum. Compertum tamẽ postea habuerũt, ne lapidem quidem ex eo detractum fuisse. Veteres enim opifices maximam artem fabricandis operibus impendentes, ipsum tam ualidè strinxerant, ut nec facilè posset temporis diuturnitate corrumpi. Cum igitur labore irrito id certamen susceptum appareret, Bellisarius quod reliquum erat, & maligno herbarũ succo, & cadaueribus iumentorum, & lapide, quem Asuestum uocant, inficiendam eius fontis aquam curauit, donec eam penitus inutilem reddidisset. Gothi iam penuria aquarum laborantes, ægrè atque anxiè puteis quibusdam, exiguam corruptamq; præbentibus aquam sustentabantur.

Post hæc Bellisarius neq; prælio amplius lacessere obsessos, neq; ullas molestias inferre curabat, sed quiescendo, asidendoq; finem expectabat. Orta tandem est deditionis mentio, postulantibus Gothis incolumitatem, & asportationem rerum suarum, in urbem Rauennam profecturis. Quæ audiens Bellisarius, secum ipse ambigebat: nam tot, tamq; egregios homines dimitti, & augeri hostium uires, qui Rauennæ conuenerãt, alienum à publica utilitate æstimabat, & sedendo ad Auximum, tempus in longum terere, periculosum arbitrabatur, præsertim cum Franci dicerentur in auxilium Gothorum uenturi: maximè uerò refragabantur milites, qui ex longa obsidionis ærumna, prædam ex oppido affectabant, nec ullo pacto se illa priuari patiebantur. Tandem cum Gothos omnium necessariarũ rerum inopia, Bellisarium uerò temporis importunitas urgeret, composita res est magno Bellisarij labore, ut dimidia rerum pars militibus in prædam daretur, reliquam Gothi retinerent, militaturi deinceps sub signis Imperatoris, æqua cum cæteris conditione. Itaq; Auximo & Fesulis, fortissimis urbibus, in deditionem assumptis, Bellisarius Rauennam properauit, Gothorum regiam ac sedem. Hic primum omnium utranque Padi ripam insedit, quâ Rauennæ proximus Hadriæ interfluit, ne commeatus secundo fluuio ex Gallia deueherentur. Spineticum dicitur id Padi ostium, à Spina urbe uetustissima, quam Diomedes dicitur condidisse. Ferunt prodigij loco acceptum, quòd Padus sub eo tempore tantum exaruit, ut frumentariæ naues, quæ secundo Pado uehebantur, in sicco uado relictæ, prædæ fuerint Græcis militibus. Nec à mari spes interea ulla Gothis prętendebatur, Bellisario hinc Ariminum & Anconam tenente, inde Venetis à Pado ad Istros totam maris oram accolentibus, qui erant in fide Imperij. Itaque omne robur copiarum Rauennæ mœnibus asidebat.

Rauenna itaque per hunc modum erat circumsessa, cum Francorum legati ad Vitigem peruenerunt, offerentes Gallorum in Italiam transitum, ac liberationem obsidionis, copiarumq; Bellisarij certissimam cladem, si quam Italiæ partem Gothi Francorum dominationi permitterent, qui iam in promptu haberent quingenta armatorum millia in Italiam transitura: quę Bellisarius, si sapiat, nunquam sit expectaturus: uel si expectaret, securibus Francorum cum suis omnibus, confestim mactatum iri prędicabant. Quibus intellectis Bellisarius, sibi suisq; Græcis uehementius timere cœpit, nihilq; hactenus in tot bellorum discriminibus actum fuisse dicebat, si ámodo contra unitam Gothorum & Francorum potentiam pugnandum esset. Proinde cum uires suas ad tantam belli molem longè impares attenderet, cogitauit quibus ingenijs, ne dicam fraudibus, Vitigis credulitatem à Francis alienaret, alienatamq; illaquearet. Nec diu moratus, misit & ipse suos legatos Rauennam, qui & concordiam Gothis cum Imperatore Iustiniano offerrent, ac infidelitatem Francorum commemorando, ab illorum societate deterrerẽt. Gothi igitur Francorum, & Bellisarij legatis hinc inde auditis, quid optimum esset consultantes, post longam disceptationem Imperatoris concordiam prætulerunt. Posthac frequentes cum Bellisario tractatus habiti, crebriq; hinc inde nuntij, oratoresq; commeabant. Denique tractatarum rerum hic utriusque partis consensus (interposita fide) fuit, ut omnes controuersiæ ad arbitrium Iustiniani Imperatoris delegarentur, & quicquid ille rescriberet, firmum stabileq; apud utranque partem permaneret. Huius rei gratia oratores ad Iustinianum missi, & inducię inter obsessos, & obsidentes constitutæ fuere: quæ æquè sanctè ac pridem Romæ à Bellisario, & à Gręcis seruabantur. Illic enim Gothorum oppida insidiosius, q; honestius occupauerunt: hic uerò complura & fortissima Gothorum præsidia, in Alpibus situata, allectis in suam partem Gothis, qui in eis erant,

eis erant, ſuæ ditioni ſubiecerunt, omniaq́; alia præſtiterunt, quæ ab hominibus magis utilitati quàm honeſtati deditis, præſtari conſueuerunt. Siquidem Procopius Belliſarij conſiliarius, ſatis apertè eius fraudem oſtendit: Belliſarius, inquiens, cum magnam uim frumenti Rauennæ in publicis horreis adhuc recondi cognouiſſet, ex incolis quempiam pecunia corrupit, ut horrea cum frumento occultius concremaret. Quo concremato, Vitiges & Gothi multa ſecum in animo uolutabant, ante omnia dolentes, ſe magis æſtimaſſe Græcorum, quàm Francorum fidem, iampridem à Græcis toties circumuenti.

Belliſarius enim, mox ut publica horrea incendio perijſſent, per Thomam quempiam ex ſuis militibus, omnia Gothorũ præſidia in Alpibus collocata occupauit. Siſigis enim unus ex Gothorum proceribus, qui in Alpibus caſtella quædam habebat, primus omnium Imperatoris & Belliſarij poteſtati ſe ſubmiſit, & alijs præfectis idem facere ſuadebat. Eo tempore Vraias exercitum in citeriori Gallia parabat, ut obſeſſæ Rauennæ ſuccurrere poſſet. Collegerat autem quatuor millia, quorum magna pars Alpini erant: qui comperta Siſigis defectione, cœperunt coniugibus, liberisq́; ſuis in uicinis caſtellis collocatis plurimum timere. Proinde ante omnia Vraiam eò ducere compulere: qui confeſtim eis conſentiens, ſeſe Alpibus inſinuauit, ut ui & armis, ſi hortatione nequiret, Gothos ad officium reuocaret. Sed iam Belliſarij milites nimis præualuerant in caſtella, ac uxores, & liberos eorum. Qui cum Vraia erant, deuictos tenebant: ea res in cauſa fuit, ut Vraiani milites ſuorum charitate adducti, alij alio in ſua oppida relaberentur. Itaque Vraias militum auxilio deſtitutus in Galliam reuerſus, ſpem omnem, qua obſeſsis ſuccurri poſsit, abiecit. Interea dum in hoc rerum ſtatu Italia uerſaretur, ex Byzantio Imperatoris ad Belliſarium legati, Dominicus & Maximinus, Senatorij ordinis uiri, Romanorum in caſtra perueniunt, & cum his quidem Iuſtiniani mandatis, ut Vitiges dimidiam Regiæ opulentiæ partem ſibi haberet, & illis locis, quæ trans Padum fluuium ſunt, imperaret: alteram uerò partem Romanorum Imperator teneret, eiq́; cis Padum omnia uectigalia penderent. Legati itaque traditis Belliſario literis, Rauennam contendunt. Vitiges uero, & Gothi comperta cauſa aduentus eorum, profitentur ſe libenti animo in conditiones à Iuſtiniano præſcriptas conſenſuros.

At Belliſarius quàm maximè angi cœpit, uidens ſe non ſolum Imperatoris præcepto, ſed publica fide ad compromiſſa pacta urgeri. Fluctuabant in Græco homine & gemini, & nimium diſcordes affectus: hinc fides, illinc perfidia: hinc honeſtas, illinc apparens utilitas: hinc gloriæ appetitus, illinc infamiæ remorſus. Vnde redeuntibus ad ſe ex Rauenna Imperatoris legatis, egregiè tergiuerſari, & planè abnuere ſuis ex ſcriptis conditiones ſe ullas cum Gothis firmaturum. Quod ubi primum ſenſere Gothi, iterum uehementer accuſabant ſuam imprudentiſsimam credulitatem, quòd omiſſa Francorum ope, ſeſe Græcorum perfidiæ credidiſſent. Erant tamen complures eximiæ uirtutis proceres apud Romanos, qui non modò clàm, ſed apertè damnabant tam iniquam ſui ducis intentionem, qua fraudibus magis, quàm uiribus uictoriam aſſequi uolebat: ualdeq́; Belliſarij factum indignabantur, uidentes eum Iuſtiniani decretis minimè obedire: quod tunc inter nefaria opera iure exiſtimatum erat.

Belliſarius itaque cum accepiſſet ſibi tam enorme crimen apertè per principes exprobrari, omnibus ad ſe in concionem conuocatis, multa pro utilitate, paucíſsima uero pro honeſtate ſui Imperatoris in medium propoſuit: tantumq́; longa & inſidioſa oratione (quam in Procopio inuenies) effecit, ut qui alias ſolus fidei uiolator æſtimari potuiſſet, nunc cæterorum principum conſenſu, nefarium facinus aggrederetur. Sciuit enim Vitigem, & Gothos fame oppreſſos, in quaſcunque conditiones potius conſenſuros, quàm diuturniore inedia cruciari uellent. Igitur Gothi, uafro Græcorum ingenio, non uiribus ſeſe impugnari conſiderantes, miſsis legatis Belliſarium adhortantur, ut Imperatoris decreto, ſi pacem fieri uelit, ſubſcribat. Tum Belliſarius ſolita ſimulatione uſus, reſpondit omnia utilia fore, quæ proponebantur, ſi cum ſapientia dirigantur. Verum cum adhuc intelligeret, tam uafrum propoſitum ſuum uehementer diſplicere maximis in exercitu principibus, Ioanni Vitaliano, & Beſſę, atque Arato, eos confeſtim in diuerſa loca cum ſuis quenq́; copijs ablegauit, ſimulata cauſa, quaſi tantę ſimul copię difficilius alerentur, alibi uerò pabuli & commeatus maior facultas præberetur. Hæc fingebatur cauſa, inquit Leonardus Aretinus. Cęterum illi ablegabantur, ne pręſentes doloſam Belliſarij molitionem impedirent, utpote in quibus eſſet maior honeſti, quàm utilitatis ratio. Deinde Belliſarius omnibus, qui ordines ducebant, in unum uocatis, poſtquam de Gothorum difficultatibus multa diſſeruiſſet, Quid diceretis, inquit, ſi non ſolum ea, quibus imperator noſter cõtentus eſſe uidetur, ſed etiam multò maiora pręſenti bello adipiſceremur? Tunc pro ſe quiſq́; laudauit maiora, ſi fieri poſsint: exiſtimabant

mabant enim quod nihil contra honestatem moliri intendisset. His itaque dictis, & auditis, re non aliter patefacta, consilium dimisit. Nec multo post quendam è suis Rauennam mittens, significauit Gothis se constituisse ea facere, quæ essent ex illorum sententia. Eosque hortatus est ad rem accelerandam.

Gothi autem sine ulla mora legatos cum autoritate publica ad Bellisarium miserunt, fidem, promissionemque, ac iusiurandum ab eo suscepturos. Iurauit igitur Bellisarius se legitimam gubernationem, institutaque Gothorum conseruare uelle, ac nemini succensendum esse pro his quæ superiori tempore facta essent: & alia huiusmodi quàm plurima, quæ minimè seruare intendebat, iurauit, uerbaque in hac parte (inquit Leon Aretinus) Gothis dedit. Tunc igitur his ita gestis, Bellisarius uolentibus Gothis in urbem Rauennam uocatus est. Ille autem ornato exercitu, classeque parata, qua commeatum omnis generis abundè deferret, magna Gothorum exercitusque lætitia Rauennam ingreditur. Cum uero ingentes Gothorum copię Rauennę essent, uolens Bellisarius eas imminuere, paucis post ingressum diebus, licentiam omnibus, qui citra Padum incolerent, dedit domum remeandi: qui longa militia defessi, libentissimè ad suos redierunt. Ita Gothorum copijs, quæ maximæ intra Rauennę mœnia erant, extenuatis, Bellisarij exercitus longè potentior, ac planè dominans intra Rauennę mœnia remansit. Hac apparente pace confecta, siue uerius conficta, Gothorum proceres, qui ubicunque per Italiam erant, uel ipsi ad Bellisarium Rauennam peruenerunt, uel suos oratores miserunt, omniaque diu desideratæ pacis studia sincero animo præstiterũt, parati etiã regnũ Bellisario (si ambiret) deferre. At ille Græcus erat, cui (ut superius ex Cicerone diximus) iusiurandum inter iocos existimatum erat. Quippe postquam Rauennam & proceres Gothorum in sua potestate habebat, Vitigem in primis per summã perfidiam captiuabat, deinde arctius quàm honestius custoditum seruabat, nec principes Gothorum, quos ad se fiducia pacis allexerat, Rauennam ingredi permisit.

Tum Gothi uidentes se apertis fraudibus toties deceptos, uehementissimè indoluerũt, suam fortunam ad tam infelicem, ne dicam turpem conditionem deuenisse. Vnde et eorum coniuges, quæ prius audiuerant Græcos magnitudine corporum præcellere, contemptim primò de Græcis loquendo, suos uiros conspuere, & tantulæ staturæ homunciones illis ad ludibrium & digito ostentare, eorumque increpitare secordiam, qui à tantulis uiris superati fuissent. Deinde Bellisarius Regios thesauros Rauennæ repertos, apud se cum magna cura seruauit, ut eos Imperatori paulò post Byzantium delaturus offerret. Parata igitur classe, cum Vitige, ac cæteris Gothorum principibus, atque eisdem thesauris Regijs Byzantium nauigauit, quinto anno postquam bellum in Gothos inchoarat. Cumque Byzantium peruenisset Bellisarius, magna Imperatoris, & omnium lętitia exceptus est. Gothi quoque, quos secum adduxerat, humanè benigneque à Iustiniano excepti fuere, & cum admiratione quadam cõspecti. Nec id quidem immeritò eis contingere uidebatur. Erat enim Vitiges Gothorum Rex, qui nuper urbem Romã tanta multitudine obsederat, & Mathasuenta eius uxor, quondam Theoderici Gothorum Regis, qui Italiam possederat, neptis. Præterea Ildouadi tũc Regis filij duo, quos Rauennæ penes Vitigem repertos nõ dimiserat Bellisarius, sed unà secum in Græciam abduxerat. Erant & alij Gothorum proceres, quos omnes magna cum admiratione ob eximiam corporum speciem, ac magnitudinem intuebantur. Interea tamen tam Iustinianus, quàm senatores, & proceres occultè damnabant eam Bellisarij uictoriam, tam insigni perfidia partam.

Deinde opulentissimi Theoderici gazæ, dignæ quidem spectaculo, Iustiniano offeruntur, uirisque senatorijs seorsum uisendæ exponuntur. Veruntamen Iustinianus nequaquam permittere uoluit, ut Bellisarius triumpharet, rectè existimans indecorum agi triumphum post uictoriam talibus & tam indignis artibus procuratam. Vitigem quoque Patricio honore donatum, omni humanitate toto biennio quo superuixit, prosequebatur: eiusque relictam coniugem Mathasuentam idem Imperator suo germano Patricio sociauit. Interea cum hęc in Græcia agerẽtur, putareturque Gothicam gentem in Italia ita oppressam, & exterminatam esse, ut nullo modo amissam libertatem recuperare, aut spem recuperandi habere posset, cõfestim magna ignauia eorum ducum, quos Bellisarius regendæ Italiæ abiens præfecerat, effectum est, ut quàm maximo tædio, ne dicam odio, tota Italia erga Imperatorem afficeretur. Erant enim duces post Bellisarium relicti, Bessas, Ioannes, Constantianus, in quibus nulla erat comitas, nulla abstinentia, nullum consilium, nulla humanitas, nulla rei militaris disciplina: unum erat omnibus illis studium commune, exatiandæ uidelicet auaritiæ Imperatoris. Nec priuatarum suarum quisque rerum immemor fuit. Exhaustæ urbes ære Gothis promisso: exacta seueriter ratio ab omnibus, qui per tempora Gothorum in aliqua administratione fuere: tanta sæuitum emunctione pecuniæ, ut omnes Gothorum imperium,

etiam

etiam Itali iterum inuocarent. Nec melior erat ratio rerum in exercitu Imperatoris. Stipendia male, & auarè soluebantur: in ærarium, & marsupia quisq; sua congerebat. Itaq; milites pariter atq; Italici tantis iniurijs compulsi, ruinam imperij affectabant. Creuere (ut fit) Gothis animi ex hostium imperitia, ac negligentia. Et ne sine Rege essent, primo Regiũ nomen in Vraiam deferunt: eoq; non recipiente, excusanteq; necessitudinem, quæ sibi cum Vitige intercedebat, inhumane impieq; se facturũ affirmante, si patruo adhuc uiuo, Regiam appellationem in se transferri pateretur. Pergrata fuit omnibus Vraiæ modestia, laudatusq; est à tota concione, ut minimè ambitiosus, & pietate egregia in suos: conuersisq; in alium suffragijs, Ildouadum, qui inter Transpadanos Gothos dux clarissimus erat, autore Vraia, nomen Regium contulere. Is ergo tunc ex urbe Verona Papiam euocatus, purpuraq; indutus, Rex Gothorum appellatur, ac de salute gentis suæ cogitare iubetur.

Ildouadus igitur, qui ab alijs Ildibaldus uocatur, per hũc modum factus Rex, statim post Bellisarij ex Italia discessum, summa cum diligentia Rempub. sibi commissam restituere curabat. Gothos enim omnes & Italicos, qui cum Gothis sentiebant, arma capere, & ad præscriptum diem Papiæ conuenire iussit. Initio quidem paruus erat exercitus, & qui facile ab Imperatoris contemneretur: cum enim primum regnare cœpit, non ultra homines mille (teste Procopio) hunc sequebantur. Cumq; unum duntaxat in agro Piceno oppidum Gothi residuum haberent, paulatim tamen eorum uires tantum adauctę fuere, ut iam nõ contemptibiles, sed formidabiles uiderentur. Adiuuabat (ut diximus) uehementer Gothorum partes, acerbitas exactorum, & auaritia Imperatoris, ac intolerabilis Theodoræ Augustæ superbia, quæ pro arbitrio mulierosum Imperatorem in quam uoluit partem facilè flexit. Ait enim Blondus, idq; sæpius ex suis autoribus, quos sequitur, affirmat, hunc Iustinianum maximè auarum, & socordis ingenij hominem extitisse: qui præter illos tres Italiæ uexatores, quorum meminimus, etiam quempiam Alexãdrum in Italiam misit, procurandæ Reipub. causa. Is ubi primum Rauennam se contulit, multa absurda: & ab humana ratione, atq; omni æquitate aliena animo agitare cœpit: quippe qui Italos homines, qui Regiam pecuniam nunquam attigerant, nec ulla Rempub. uel iactura, uel iniuria affecerant, ad pœnas luendas ad se euocabat, peculatusq;, & fraudis siue in Theodericum quondam, siue in alios Gothorum principes nuper admissæ insimulabat: unde & sine mora dependere cogebat, quodcunq; is affirmasset illos der fraudem occupasse, uel in suum lucrum uendicasse.

Igitur cum omnes ferè Itali publico malo experti deprehendissent, se in locũ moderatissimæ gentis Gothicæ, auarissimos Græcos non satis feliciter admisisse, facilè se à Græcorum imperio retrahentes, Gothorum opem denuò implorauerunt. Proinde cæteris Imperatoris præfectis quiescentibus, solus Vitalius, qui in Venetos tunc forte abierat, ut militum multitudine fretus, & Herulorum ingentibus copijs stipatus, audebat cum Ildouado manus conserere. Prælium hoc non procul à Taruisio fuit: Victorq; Ildouadus tanta strage Vitalij exercitum oppressit, ut solus ipse cum paucis euaderet, reliqui omnes uel interficerentur à Gothis, uel captiui ducerentur. Cecidit in ea pugua ingens Herulorum cum suo duce Visandro multitudo. Hac itaq; tam magna, & præclara uictoria parta, mirabile quantum Gothorum animi creuerint, quantumq; fractę sint aduersariorum uires, ut non solum trans Padum per Venetias & Galliam, uerum etiam citra Padum partes Gothorum confirmarentur, nomenq; Ildouadi celebre fieret apud Iustinianum Imperatorem, aliasq; nationes. Nec multo post grauis & admodum perniciosa controuersia illi cum potentissimo inter Gothos homine Vraia incidit: quæ tandem utrique interitum irrogauit: euertissetq;, & radicitus euulsisset totam Gothorum Rempub. si aliqua in Iustiniani ducibus rerum gerendarum prudentia apparuisset.

Erat autem hæc inimicitiarum occasio ex superba contentione uxoris Vraiæ cum Regina coniuge Ildouadi orta. Illa enim Reginam, quod non satis in uestibus, & ornatu culta incederet, non solum reprehendit, & despexit, sed contemptim de ea postea loqui audebat. Quocirca Regina ob acceptam iniuriam ingenti perculsa dolore, ad uirum lachrymabunda accessit, petiuitq; ut se ab iniuria uxoris Vraię uindicaret. Ildouadus itaq; his querelis ad indignationem prouocatus, multas contra Vraiam causas, exemplo tyrannorum, quando innocentes perdere quærunt, prętexere cœpit, hoc uidelicet modo: Vraias est Reipub. proditor: Vraias sentit cum hostibus: Vraias omnia interturbat: Vraias diuina & humana cõfundit: Vraias cœlum & terram commiscet: demum nisi Vraias de medio uiuẽtium auferatur omnes simul cum uniuersa Repub. subitò euertemur. His uerborum præstigijs, maligna illa humani generis portenta (tyrannos dico) innumerabilem innocentiũ multitudinem, quotidie cruciare, & enecare consueuerunt. Hac etiam arte moderatissimus dux Vraias qui Regium honorem à se in Ildouadum pridem transtulerat, rursus ab ingratissimo Rege circum-

uentus occiditur, nomen & fortunam referens illius Vraiæ, siue Vriæ, qui olim à Dauide Hebræorũ Rege ob indignum mulieris facinus fuerat trucidatus. Igitur Gothi tam tetrum Ildouadi facinus ægre ferentes, graui deinceps odio ipsum prosequebantur. Multi eorum inter se coeuntes, aperte tam nefarij sceleris autori cõuitia ingerebant: exegissentq; ab eo patratæ cædis pœnas, nisi timuissent, quòd ea priuatæ iniuriæ uindicta secum omnia in publicam ruinam præcipitaret. Erat tamen inter hos Buillas quidam, qui Vraiæ uxorem iam marito orbatam in uxorem postulabat: Ildouadus autem eius intẽtioni obluctans, ipsum contra hostes misit, illam q; interim alteri cuipiam, quem sibi fideliorem fore putabat, coniugio sociauit. Quocirca cum Buillas è castris rediisset, ut erat suapte natura ad iram propẽsior, acceptam ex ea re contumeliam minimè ferens, Ildouadum obtruncare animo destinat, ratus se eo insigni facinore omnibus Gothis gratificari. Itaq; eum cum Gothorum optimatibus epulantem nactus, quod antea per insidias agendum duxerat, tunc & apertè tam audax facinus exequendum decreuit. Sed aderant circa cõuescentem ex Regio more circumfusi satellites. Iamq; Rex stratis incumbens, manum cibis admouerat, cum ipse Buillas ex improuiso cibum adhuc detinentibus digitis, inopinanti illi caput ademit: quod fermè supra mensam statim collapsum, cõuiuas exterruit, & planè obstupefecit. Ita Ildouadus ob eam ipsam mulierem, ob quam innocentem & egregium ducem Vraiam occidit, tandem iusta fatorum necessitate succedente trucidatur, ut consideremus à diuino numine fata fatis, peccata peccatis, uindictam uindicta compensari.

De fame in Hispania sub Fridigerno 48. Alatheo 49. Safra 50. Regibus externis: hæc enim ad secundam huius capitis partem pertinent, ac contigit hæc fames temporibus Valentis Imperatoris, ideò reliqua præcedentia et consequentia maioris lucis gratia apposuimus, ex principio libri 15. Ioan. Mag. Reliqua ex Ioanne de Armanarico habes lib. 8. cap. 83. præsentis operis, pag. 163.

Est igitur ad memoriam reuocandum, quomodo Vestrogothi post mortem Armanarici potentissimi Regis (de quo in sexto libro locuti sumus) ab Ostrogothis in Hunnorum societatem assumptis, siue uerius in potestatem redactis discedere, & suæ libertati consulere cogebantur, cum Hunnorum armis se resistere posse desperarent. Quocirca missa legatione ad Valentem Imperatorem, quem Valentinianus Augustus Imperij consortem fecerat, postularunt, ut trans Danubium Thraciã, Mœsiamq; inhabitare permitterentur. Simul etiam ut sub umbra Romani nominis quietius agerent, polliciti sunt Romano Imperatori contra Hunnorum incursum militare. Et ut illis maior fides esset, promisere Christi religionem accipere, si doctores, quorũ linguam intelligerent, ad eos Imperator mittere uellet. Quam legationem cum Valens gratulabundus accepisset, permissi sunt cum liberis, & coniugibus Danubium transire, & in Thracia Mœsiaq; sedes, quas petiuerat, occupare. Vidit enim Valens tantam esse eius gentis fortitudinem, ut si ei petitas regiones negasset, armis uendicare potuisset, quemadmodum posteà sæpe uendicauit. Militiam uero, quam pro Romana Reipub. pollicebantur, grato animo Valens agnouit. Dedit quoq; illis Arrianæ hæresis Episcopos, & doctores, non sine maximo Christianæ Reipublicæ & Romani Imperij detrimento. Inde enim infinitus fidelium numerus crudeliter enecatus est: plurimi Pontifices in exilium missi, & quod omnia exuperat incommoda, etiam innumerabiles animæ perierunt. Serpsitq; hoc perniciosum dogma in omnem Gothicã nationem. Enimuero Vesegothi non tam Christiani, quàm Arriani effecti, Ostrogothos, & Gepidas congentiles suos fermento quod eruxerant, corruperunt: idq; per Vlphilam suæ gentis Episcopum, quem etsi credebant esse uerum Christi Apostolum, erat tamen sub pelle ouina ueræ fidei hostis, & indubitatus antichristus. Hic ut suam insignem impietatem efficacius stabiliret, primum omnium diuinarum literarum sacratissimum thesaurum in Gothicam linguam transfudit, immixto quod imbiberat pernicioso ueneno, per quem Vlphilã & eius sequaces gente Gothica pessimum seminarium citius, quam salutiferum late germinabat, perueniens usq; ad Vandalorum latissimam nationem, quæ & ipsa in Arrianam perfidiam collapsa, Catholicos seuerissime tam in Hispania, quam Africa persequebatur. Tantum ualuit error semel in animum admissus, & posteà pertinaciter radicatus, donec sanctissimi Hispaniarum Pontifices (ut infrà dicemus) Reges pio, ac diligentissimo studio à tam perniciosa labe liberauerint.

Fridigernus, Alatheus, Safra, Principes Gothorum tunc erant, quando Valentis permissu in Thraciam, Mœsiamq; transmigrabant: quibus statim euenit (quod assolet gentibus

necdum

necdum bene loco fundatis) penuria famis. Quocirca Valens ducibus ſuis, Lupicino ac Maximo præcepit, ut curarent aduenis neceſſaria importari. At duces ſtupida quadam atq; inhumana auaritia excæcati, cœperunt (inquit Iordanes) non ſolum ouium, boumq; carnes, uerum etiam canum, & immuudorum animalium morticina eis pro ingenti pretio uendere, adeò ut quodlibet mancipium pro uno pane, aut carnium libra redderetur. Nec longè poſt mancipiis, & ſupellectili deficientibus, filios & filias, imò & uxores (teſte Blondo) pro parua eſca uendiderunt. Contigit interea Fridigernum à Lupicino ad conuiuium doloſè inuitari. Sed Fridigernus doli neſcius, paucorum ſuorum militum numero comitatus acceſsit: dumq; ſe ſatis ſecurum putaret, atq; interim comitum ſuorum in alio triclinio morientium clamorem exaudiret, illico apertas inſidias agnoſcens, euaginato gladio è conuiuio exiliit, ſuosq; ab imminenti morte ereptos ad necem Romanorum inſtigat: qui uotiuam occaſionem adepti, elegerunt uiri fortiſsimi bello magis quàm fame deficere. Igitur Romani illi duces cum commilitonibus ſuis ad unum omnes necantur. Gothi mox ad prædã egreſſi, cœperunt rebus undiq; contractis abundare, imperantes prouincialibus importare gratis, quod antea uel magno, uel nullo pretio poterant obtinere. Iamq; non ut aduenæ & peregrini, ſed ut potentes domini totas partes Septentrionales uſq; ad Danubium ſuo iure poſſidere. Valens autem hæc audiens, mox armatum exercitum ex Antiochia in Thraciarum partes educit. Iamq; in eo tranſitu ad ſeram ſuorum ſacrilegiorum pœnitentiam conuerſus, Epiſcopos, cæterosq; ſanctos uiros ab exilio reuocari mandauit. Itaq; quintodecimo imperii ſui anno lachrymabile illud bellum in Thracia cum Veſtrogothis tunc exercitatione uirium, rerumq; abundantia inſtructiſsimis, geſsit. Vbi primo ſtatim Veſtrogothorum impetu perturbatæ Romanorum equitum turmæ nudo peditum deſeruere præſidia, mox legiones peditum undiq; equitatu hoſtium cinctæ ſunt: ac primum nubibus ſagittarum obrutæ, deinde tanquam amentes metu per deuia fugientes, gladiis inſequentium, contiſq; perierunt: fit miſera Romanorum cædes. Imperator poſtquàm diu & uiriliter pugnaſſet, graue ex ſagitta uulnus accepit: deinde amiſsis copiis, & uictoria, mœſtus ac ſaucius in quoddam prædiolum iuxta Hadrianopolim aufugit, ſeq; in uili quadam caſula, ne ab inſequentibus hoſtibus interciperetur, abſcondit. At Gothi poſt adeptam de Romanis uictoriam omnia longè lateq; uaſtantes, inciderunt in caſam, qua illis ignorantibus Imperator delitebat: illi immiſſo igne Valentem nihil reſiſtere ualentem cum conſortibus cremauerunt. Hic erat illius Arriani Imperatorrs exitus, Deo ſic uolente, ut ab illis igne conſumeretur, quos Arriani dogmatis perfidia, cum ueram Chriſti fidem poſtularent, interere nõ formidauit. Ita uno eodemq; incendio & diuinæ maieſtatis offenſas, & atroces iniurias ſibi per intolerabilem Romanorum ducum auaritiam illatas ſeueriter (etiam neſcientes) uindicauerunt, primo Decium cum filio, inde Valentem cum exercitu contrucidantes.

Hac igitur uictoria Arriani de Arriano Principe potiti, mox iuſto Dei iudicio ſe contra Imperatorem Conſtantinopolitanum erigere ſtatuerunt. Solet enim Deus ea uia Principum ignauiam punire, ut ab illis acerbius puniantur, per quos diuinam maieſtatem impunè blaſphemari permittunt. Obſeſſa per Gothos Conſtantinopolis ad grauia pericula deuenit: fuiſſetq; ab hoſtibus penè occupata, niſi Dominica relicta Valentis uxor ingenti in populum pecunia diſtributa ciues ad urbis conſeruationem adduxiſſet. Deinde Veſtrogothi ampliſsimas ſortiti regiones, tam potentes euaſerunt, ut maxime terrori eſſent Gratiano Imperatori, Valentis nepoti, & in imperio ſucceſſori. Hic enim uidẽs eos Thraciam, Mœſiam, Daciamq; poſsidere, atq; indies fieri potentiores, quamuis de ſua potentia diffideret, tamen afflictis imperii rebus prudentiſsimè conſuluit, cum Theodoſium, ingenti uirtute uirum ex Hiſpaniis accerſitum, imperii conſortem declararet. Nec fuit poſtea cauſa, aut occaſio, qua Gratianum pœnituerit conſilii tam neceſſarii, & prudentis. Siquidem Theodoſius quàm primum Imperator eſt declaratus, purpuramq; apud Sirmium indutus, ſummo Principe digna geſsit. Veſgothis enim multis magniſque præliis congreſſus, eos magis repreſſit, quàm ſuperauit. Deinde Conſtantinopolim ingreſſus, militarem diſciplinam in ueterem & meliorem ſtatum reponere curauit, excluſa priorum Principum ignauia, & in rebus gerendis trepiditate. Erat enim acri omnino ingenio, prudentiaq; & conſilio clarus. Quo euenit, ut præceptorum ſeueritate, & ſtipendiorum liberalitate, ſingulariq; morum dexteritate, remiſſum exercitum ad fortia & præclara fortitudinis opera reuocauerit. At uerò ubi milites Principe meliore mutato fiduciam accepiſſent, Gothos impetere tentant: eosq; fortè ex Thraciæ finibus pepuliſſent, niſi tunc Theodoſius in periculoſam ægritudinem uſq; ad deſperationem collapſus fuiſſet: ob quam Gothis maiores animi increuerunt, ut diuiſo exercitu Fridigernus ad Theſſaliam, Epiros, & Achaiam, Romani imperii prouincias bello uexandas, diripiendaſque aggrederetur, cum interim Alatheus & Safra, reſiduis copiis in-

ſtructi Pannoniam impugnarent. Quod cum Gratianus Imperator, qui tunc ex Roma in
Gallias ob incurſiones Vandalorum receſſerat, comperiſſet, quia Theodoſio fatali deſpera-
tione ſuccumbenti Gothi liberius imperij terras uaſtarent, mox ad eos collecto magno exer
citu diuertit. Sed cum attenderet eorum uires non facilè ſuperari, aut reprimi poſſe, non ar-
mis, ſed amicitia, & muneribus cum eis agere decreuit. Itaq; percuſſo cum eis fœdere libera-
liſsima munera, & copioſa uictualia eis diſtribuēs, pacem utriq; parti utilem ac neceſſariam
prudentiſsimo conſilio reparauit.

Atanaricus autem tunc in regno Gothorum Fridigerno ſucceſſerat, quando in Romano
imperio duo prudentiſsimi Imperatores, Gratianus & Theodoſius præſidebant: quibus
etſi nulla militaris diſciplinæ experientia deerat, tamen plus paci conſulendum putabant.
Cum enim ex præteritis Gothorum geſtis attendiſſent, eorum potentiam difficillimè ſupe
rari poſſe, ambo pariter cum illis amicitiam & fœdus coniunxerunt, muneribusq; liberaliſ-
ſimis tam eos, quàm eorum Regem ſibi gratiſsimos effecerunt. Tantaq;, & tam firma ſocie-
tas inde prouenit, ut Theodoſius Atanaricum ad ſe in Conſtantinopolim inuitauerit; qui
omnino libenter acquieſcens, Regiam urbem intrauit magnaq; adductus eſt urbis illius ad-
miratione, & laxatum omnibus curis animum ędificiorum, operumq;, & portuum magni-
ficentiam attendit. Vrbis præterea ſitum, nauiumque inſtructiones contemplatus, ac dein-
ceps regiam Imperatoris ingrediens, & obſequia, ariaq; officia conſpiciens, quaſi in ſtupo-
rem uerſus, Ego, inquit, cerno, quod ſæpe incredulus audiebam. Sine dubio deus terrenus
eſt Imperator, & ſi quis aduerſus eum manum erexerit, ipſe ſanguinis ſui reus erit. In tali
ergo admiratione maiore à Principe hono- affectus eſt. Et non multis menſibus interie-
ctis, graui ægritudine oppreſſus in fata co- ceſsit: quem Imperator affectionis gratia penè
plus mortuum, quàm uiuum honorans, dignæ atque honeſtiſsimæ tradidit ſepulturæ. Ipſe
quoque in exequijs feretrum eius præcedebat. Quæ humanitas Gothorum animos Impe-
ratori mirificè conciliauit, ut in fide perſeuerare, etiam ſine Rege, ſub Imperatore diu feliciter-
que militarent. Paulò pòſt accidit Gratianum apud Lugdunū in Gallijs ciuili bello trucida
ri. Quocirca Theodoſius uiginti (uelut Oroſius dicit) decem millibus Gothorū aſſumptis
in Gallias profectus eſt, geſsitq; aduerſus Arbogaſtum, & Eugenium tyrannos ciuile illud
bellum Claudiani poëtæ literis celebratum, in quo adeò cruentam uictoriam aſſecutus eſt,
ut maior Gothorum pars pro Romana Repub. pugnans occideretur. Vltio tamen de prædi
ctis tyrannis exacta, tantam militum iacturam tolerabiliorem effecit.

De altera fame in Hiſpania, Ioan. Mag. lib. 16. cap. 23.

Tempore Eurigij 83. Regis externi laborabat Hiſpania intolerabili alimento-
rum & frumenti penuria, tantaq; fame premebantur incolæ,
ut plurimi eorum relicto patrio ſolo, nouas
per orbem ſedes quærere
cogerentur.

LIBRI NONI FINIS.

OLAI





OLAI MAGNI GOTHI ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS DE BELLIS NAualibus

LIBER DECIMVS.

PRAEFATIO.



OLERABILIA satis uiderentur præmissa campestria certamina, latè per rura inter montes, ualles, rupes, cauernas, abrupta præcipitia, paludes, uoragines, syluas, insidiosas speluncas, & feroces bestias (quandoq; ob leues offensiunculas) in mille tormentis perpessa, quòd infelices bellatores periclitentur, & sanguinem fundant, nisi & reliqua uiscera in classicis congressibus uastissimi gurgitis impacabili stimulante furia, & ferocia, inter monstra marina recolligerent dilanianda: quod eò formidabilius plerunq; euenit, quò periculosius igniuomis armis, elementorumq; potenti bello pugnatores huiusmodi medijs in aquis obijciuntur interimendi. Nec locus, aut natio reperitur in orbe, quo non grassetur hoc infelicissimum malum, quemadmodum infinitis exemplis ostẽditur ubiq; fuisse factum, atq; impacabili furore timetur agendum. Meminit horum naualium præliorum egregius Danorũ historicus Saxo Sialandicus, in uita Frothonis, & præcipuè Regis Haraldi, quòd hæc contra Ringonem Suecorum Gothorumq; Regem, nedum cruentissimo, sed infelicissimo congressu, & exitu fuissent assumpta. Similiter & Albertus Crantzius in historijs Aquilonarium regionũ, ac post omnes alios charissimus antecessor, & frater meus Ioan. Magnus Gothus Archiepiscopus Vpsalensis, qui atrocissima bella facta meminit in Aquilonaribus regnis, prout ipse testatur, & infrà pro parte referuntur exempla, quomodo scilicet robore nauium, uirtute militum, agilitate & arte rectorum, & scientia remigum, maximo terrori bellici conflictus inimicis esse solent, præsertim naues igniferæ: quæ magis ad incendendum obliquo rostro deputantur, quàm ad præliandum. Quo fit, ut ignibus haud absumpta, clade tristiore suffocentur in aquis.

De prælijs palustribus, & ruptis pontibus.

CAP. I.



TOta Septentrionalis regio ferè montosa, ac nemorosa est (ut superioribus duobus primis libris extitit declaratum) habetq; loca plurima naturaliter tã aquis, quàm rupibus ab hostium incursibus præmunita, ita ut contrà equestrem, uel pedestrem exercitum paucorum manu securitatem inueniat ferè ubique optatam: imò & plurimę paludes ita inuiæ, ac cœnosę sunt, ac profundæ, quòd uix etiam in algidissima hyeme cõgelari uideantur, ut peditem sufferant leuiter gradientem. Talisq; inter cæteras, alioquin ualde uoraginosas, locus Rotabro, id est Pons ruptus, appellatus, itinere horarum duarum à Regia ciuitate

uitate Stocholmensi prędicta distat: de qua ciuitate cum remotius prædandi causa hostilis exercitus ab exernis inimicis, Germanis, uel Dacis aduectus in terras opulentas exire præsumpserit, illicò medijs syluis incolarum congregatorum munitionibus, & sagittis retrusus, unde exierat, reuertitur, uel uiribus auctis incolas ipsos cedere cogit in aliũ, quem poterunt, locum: sicq; (quod rarò accidit) ad hunc palustrem pontem profugientes, immobiles in quocunq; acerrimo certamine perseuerant. Rupto nanq; longissimo ponte ligneo, ac stricto, utroq; latere uoraginoso, non est quòd hostis ullam inueniat occasionem naturæ uim inferendi, for tissimis uiribus premunitæ.. Habita sunt hoc in loco sæpius atrocissima bella diuersorum Principum tempore, prout cantiones patrio rhythmate passim usq; in hunc diem conuiuali more exhilaratis uocibus, & iubilo fieri solitæ attestantur, uidelicet quòd arte, natura, uiribus, & experientia ueteranorum militum, præfectorumq; industria & fide, parta sit uictoria, & ampliter augmentata.

De forma & usu antiquarum nauium Septentrionalium.

CAP. II.



PAlustrium bellorũ progressus & exitus in Septentrionalibus regnis hanc sortem & uicissitudinem circa externum hostem retinent, ut rebus infeliciter (quemadmodum frequentius ob locorum ignorantiam accidit) gestis, per inuia, ac deuia, syluarumq; compendia ad nauigia certo loco reposita, refugium habebat duces: dumq; ab initio, quoties unus alterum, aut pariter ambo alterutrum se mutuò leui for san ratione ad prælia prouocabant, continuum iter habuerunt, utputa propter raptas uirgines, aut arripiendas (prout Saxo Danorum historicus in Aquilonaribus regnis inter potentissimos Principes frequenter meminit, etiam interueniente cruentissimo bello, fuisse factum) inglorij, & non sine clade redierunt. Forma igitur uetustarum nauium iuxta fluctuum breuem, uel spatiosum cursum, lata, uel oblonga fabricatur: ueluti in mari Oceano uersus Nortuegianos, ubi spatiosę, sicuti Hispanici maris, unde longas, latasq; recipiunt naues: quemadmodum in mari Gothorum, Sueonumq; littora alluente, breuia, lataq; nauigia, oneraria præsertim, obstrictas, sæpiusq; reflexas undas, adesse oportebit. Antiquitus unaquæq; prouincia, etiam à mari distans, penes littora in aliquo tuto portu, & plerunq; in littore, sub tecto seruabat naues suas, & earum singula armamenta: quales in littoribus Noruegiæ, & demum Suetiæ uidi. Quæ quidem naues ingruente necessitate, subito motu ad usum impositis instrumentis, commeatu, & hominibus armatis, quantum ea ætas tulit, in aquam, & expeditionem in magno, uel paruo numero, iuxta Principis edictum emittebantur: quæ tamen ita signis, coloribus, & nominibus distinctæ erant, ut quocunq; classico surgente cum hostibus congressu, semper sine confusione nutu suorum præfectorum dirigerentur: nisi rapida uertigine uentorum, pręsertim Circij, plusquàm aduersa classe disgregentur in mari: is enim uentus quasi exitialis hic est, ut Hellesponticis Subsolanus.

De alia

De alia specie nauium Septentrionalium.

CAP. III.

OMissis pluribus nauium generibus, forma quidem cum alijs quarumlibet aquarum nationibus ferè congruentibus, sed nomine patrio discrepantibus, de his solis hic mentio fiet, quæ communiori uocabulo generali notitia demonstrantur, ut sunt naues actuariæ, onerariæ, lembi, lintres &c. Hippagogę, quæ ob multitudinem equorum ab Aquilone ultra mare ad Germanos euehẽdorum maximæ, ac multæ sunt. Prætereà bellicæ naues, quarum una Gostaui Regis Suetię tantę magnitudinis erat, ut mille armatos, nauclerosq́ue trecentos, qui optimi bellatores sunt, unà cum alijs ingentissimis nauibus classico certamini deputatis emittere posset. Pręterea idem Rex primus usum biremium, triremium, ac quadriremium circa annos Domini M.D.XL. in mari Gothico, ac in Suetico, manu artificum Venetorum liberali stipendio conductorum, introduxit, maximè ut prędones Moschorum, ac Esthonum pluries uiolatis inducijs terras suas inuadentium, celerius corripiat, uel captiuet. Iamq́ue gens sua Finnonica lignarię artis peritissima ea compagine & robore, uel forsitan meliore, triremes conficere nouit, uti insigni industria apud Venetos fieri uidi: sed uix ea celeritate, ut omnibus necessarijs ad nauigandum, uelificandumq́ue cum armis, & bombardis, ac commeatu 60. uel amplius ex rudi ligno spatio unius mensis more Venetorum, & fortè Ianuensiũ, usq́ue ad bellicum congressum educere possunt, prout primo Punico bello classem Duilli Imperatoris ab arbore excisa 60. die nauigasse memoriæ proditum est. Contrà uerò Hieronem Regem, teste Pli. lib. 16. cap. 40. 220. naues effectas diebus 45. tradidit L. Piso. Secundo quoq́ue Punico bello Scipionis classis 40. die à securi nauigauit. Tantum tempestiuitas etiam in rapida celeritate pollet. Verum his dimissis exoticis, licet pulcherrimis exemplis unum certum est compendium, propter omnigena fabricandarum nauium reperabilia instrumenta, celerrimè conficiendi nauigia in Aquilone, ut uix melior, aut opportunior sit in alia parte Europæ, si ita artifices in promptu essent ad cætera festinanter dirigenda. Habebant prætereà lembos, cymbas, parones, celoces, myoparones, scaphas, & similes. Lintres prætereà plurimum in usu apud Septentrionales sunt, eò quòd facilè è grandibus lignis abietinis, & quercinis cauantur, 20. uel 30. hominum capaces: sed qui minoris quantitatis sunt, piscatorio usui deputantur. Meminit etiam Perottus in Commentarijs suis, quendam Triphonem cognominatum ad quinquaginta longitudine (ut etiam Plutarchus refert) ducentorum octogenum cubitum, latitudine quadragenum & octonum ratem, seu nauigium habuisse: in qua remiges fuerunt usque ad quatuordecim millia, nautæ quadringenti, armatorum tria millia. Sed hæc nauis ut magnæ molis, ostentationi potius, quàm usui fuit.

De impugnatione nauium, uel arcium per promones.

CAP. IIII.

GEnera horum nauigiorũ Gothica, ac Suetica lingua uocantur Promer, uel Promones, cum ficta declinatione flectantur, Græcoq́ue uocabulo Dromones, uel Dromades. Sunt autem Promones subductiores naues, tabulatis undique ad propugnaculi, castriue speciem communitæ, cæteris grandibus nauigijs fortitudine remigum in tranquillis aquis uelociores. Vel secundum Procopium lib. 3. de bello Gothorum, Dromadas Græci appellant naues, mœnia undequaque lignea habentes, opportunis locis perforata, ad sagittas, ac cætera tela in



hoſtes emittenda. Vel ut alibi aſſerit, quòd ex foraminibus ipſis hoſtem poſſent è tuto ferire. Ducentas igitur dromadas Belliſarius in Tyberim miſit, quibus frumentorum ſolatium diutina obſidione incluſis Grecis, licet non incruenta uictoria, ſubuenit. Habebat etiam Iuſtinianus ſubſidiarias naues ex Aegypto 92. longas, supernè tegminibus contectas, ne remiges ab hoſtibus lædi poſſent, teſte eodem Proco. eodem libro. Quãtum uerò ſtudiũ Theodericus Rex Gothorum circa huiuſmodi dromones habuit fabricandos, Caſsiodo. lib. 5. Epiſtolarum teſtatur his uerbis: Cum noſtrum animum frequẽs cura pulſaret, naues Italiam non habere, ubi tanta lignorũ copia ſuſtragatur, ut alijs quoq; prouincijs expetita tranſmittat, Deo nobis inſpirante, decreuimus mille interim dromones fabricandos aſſumere, qui & frumenta publica poſſunt conuehere, & aduerſis nauibus, ſi neceſſe fuerit, obuiare. Nec ſegnius executum eſt, quã Regio edicto commiſſum. Affuit enim claſsis tãta præfectorum, & artificũ induſtria celeriter conſumata, quæ uix æſtimari poterat inchoata, Rege affirmante: Qui peregrinos claſſes optabamus aſpicere, nunc mittamus alijs & terrorem pariter, & decorem: Non habet quòd Grecus nobis imputet, aut Afer inſultet. Illud apud nos inuidi uigere reſpiciunt, quod illi arduiſsimo pretio uix obtinuere. Vnde ut tam ualidam, claſſem apud Rauennam congregatam, & numero, & uiribus ampliemus, publico edicto decernimus, omnia ligna pro dromonibus fabricandis neceſſaria per utranq; Padi ripam, nullo obſiſtente, iubemus abſcindi. Vtilitas nempe publica, ſicut ad conſeruationem reſpicit omniũ, ita perfici debet ſtudio, ac labore cunctorum. Volumus etiam hoc exemplum à noſtris prędijs inchoare, ut nulli grauis ſit iuſsio quæ iuſtis legibus Principis autoritatem non abſoluit. Volumus etiam, ut nihil ad lędendum poſſeſsorem ſtudioſè uideatur inquiri, niſi quod ad noſtram & publicam utilitatem neceſſario præſumatur acceptum. Nec exquiratur aliquis à domino, quod poſteà publico nõ dicatur acquiſitum. Ligna ſylueſtria iubemus cædi, non aliquid de alienis facultatibus uiolenter abſcindi. Talia nobis proſunt, qualia noſtros grauare non poſſunt. Quantum igitur ad dromones Gothicos antinet, hoc conſyderandum eſt, eos uix aquis ad duos, uel quatuor pedes immergi, etiam ſi multis, grauibusq; æreis bombardis totaliter onerantur: quia longi, latiq; ſunt, & ex fortiſsimis lignis, conſtructi, & ferreis clauis compaginati, ſpiſsiſq; tabulisq; cuneato tecto dependentibus muniti, & ob id quibuſcunq; denſiſsimis inimicorum nauibus neceſsitate urgente, obijciuntur, ut emiſsione ferreorum globorum tabulas uicinores aquis in hoſtili claſſe perforent, & ſubmergant. Horum etiam dromonum lateralia foramina appenſo atro panno aperiuntur, & more catarrhactarum ianuæ claudũtur, contra inimicorum proiecta uel proijcienda ſaxa.

Bellum Iuſtiniani, & geſta Belliſarij nauiumq; apparatum, quorum hic Olaus meminit, habes candide Lector in fine præcedentis libri, ex Ioan. Mag. copioſè deſcripta: quare ſi horum pleniorem cognitionem deſideras, eò recurrendum erit.

De nocturnis inſidijs inferendis, & præcauendis.

CAP. V.

ETſi pro ſecuriori munitione arcium & ciuitatum, turres, muri, ualles, ageres, paliq; tam erecto, quàm obliquo ſitu in aquis hoſtium machinationibus, ac uiribus diligenti prouiſione opponi ſoleãt, imò ſufficienti ſpatio præter alias munitiones extra loca inimicis obiecta, uaſtiſsimas trabes ferreis contis ſeu ſudibus acutis firmatas, atq; ad palos fundo impreſſos, ac natantes opponere & ob hoc ab

omni



omni hostium incursu ignauius dormientes sese reputare securos,otijsq́, & abominandis artibus immergere,usq; ad contemptum inimicorum. Tamen euenit ut subitò præparatis insidijs super eos insiliant hostes obsidentes,ea scilicet arte, uel simili,aut fortiori,ut plures oblongas scaphas bombardis munitas, uariato pondere tam prora,quàm puppi numero 20. uel 30. armatorum eleuantium, uel deprimentium,alterutram partem librent,magnoq; silentio seruato, aptiorem locum antea pręuisum,uel ab aliquo inclusorũ ostensum,impetuosius quò possunt inuadant,locumq; raptum illico sequentibus armatis,ac multiplicatis obfirment furtiuo aditu intempesta nocte hæc omnia perficientes:ad quorum aditum ut insolito tempore strepitus tumultuantium excitatur,ita clamor aliorum alios inclamantium auditur,& inter miseros obsessos infelicior trepidatio surgit. Plus etenim timoris nocturna uociferatio,& lachrymosa fuga hostiũ (etiam paucorum) excitat,quàm si diurno insultu à pluribus contingeret impugnari. Quo fit,ut multi exanimati,ac perterriti prę timore reddantur, præsertim belli autores,non urbem,non fortunas,sed uitam amissuri,maximè ubi pręsidium seruat muliebris metus,ut pudori consulatur honesto:& quò dignitate maiores,eo in fuga quandoq; celeriores,quasi in stadio pro corona currentes:sicq; effusa fuga maiorem imaginationem incutit,tanquã hostis semper hæreret à tergo:quia inter deliberandum ac festinandum uelut incendio,celeberrimo discursu opus est. Nox etiam,atq; sceleris conscientia timorem inducit,ac animos debilitat,ita ut gemina uexentur calamitate,noctis scilicet,& timoris. Sed neq; Biantis sententia de tali hostium nocturno insultu frustrata redditur,ubi dicit: Sic nauigantes ad nocturnum pręlium neq; inter uiuos,neq; mortuos computari posse. Etiam euenit, quòd plerunq; dolus inprosperè cedit,unde intentatur:quemadmodum causa iustior,ita & fortuna superior ut plurimum adesse solet. Sed iterum accidit,ut dum fortunam aliquis inconsultius sequitur,in insidias deductus,uel lapsus occumbat. Qui enim militares,ut fortes & expertos uiros condecet,in castris,uel struendis insidijs occupati sunt,adeò taciti,immotiq; permanent,ut nec transeant,nec spiritum, nec sputum, nisi magno silentio pressum,emittere soleant.

De nauibus serratis.
CAP. VI.



VIso superiori cap. qualiter nauiculis uastissimę trabes pro arciũ,ciuitatũq; munitione in aquis firmatæ,penetrantur,iam alius Aquilonarium militum ostenditur ordo,qualiter maximæ, densissimęq; catenæ ferreæ simili ratione ad arces,uel ciuitates muniendas, uti predictæ trabes, littoribus ac portubus alligatæ rumpuntur,ut amicis obsidione reclusis cõmodius, & uiolentius contra conspectum obsidentium succurratur. Præparari solet fortissima nauis cum longis ligonibus instar gladiorum, ex utraque parte nauigij sub firmis tabularum ordinibus(ad arcendum hostiles sagittas)collocatis,atque subtus ferrea serra inusitatæ magnitudinis,ualde firmari,ut concurrente ualidissimo flatu,uelis erectis accurrendo uiolenta incisione rumpantur catenæ:ea tamen seruata industria, ut nautę se recipiant in partem puppis,ut prora eleuata facilius penetretur supposita serra: quę si illico uim sufficientẽ efficere nequeat,à puppi conglomerati nautę,apportatis ponderibus grauitate catenam dirumpunt,aut relaxant:idq; celeritate uentorũ(qui in Aquilone continuè perflant)cõmodissimè perficere possunt,

prout

prout aliquando Gothorum, Sueonumq́ annales pro liberatione inclitæ ciuitatis Lubicensis commemorant fuisse factum. Quod autem superius uidentur in lateribus nauis præacutæ falces affixæ, causa est, ne hostes turmatim insiliant, uel interrumpant ipsam nauim: quæ etiam ob eam rationem antrorsum rostrata est, & retrorsum in puppi munita. Necq́ in campestri exercitu inuisum est, ut acies ferreis catenis firmetur, quatenus caput aciei disijci, uel infringi non posit, sed longo ordine ad saltum deprimi, uel obijci aduersus hostilem insultum, prout Albertus Crantzius lib. 11. Vandaliæ Bohœmos fecisse tradit.

De nauibus istis sufferratis & liberatione Lubicensium.

Ioan. Mag. lib. 19.

Præterea circa annum Domini M. CC. L. urbs Lubicensis graui obsidione à Danorum Rege, & Holsatiæ duce impugnabatur, catena ferrea per fluuium Traue exitum, & aditum impediente: quam clasis Suetica sufferratis nauibus per medium secans, amicam urbem ab obsidione liberauit, meruitq́, ut in omne reliquum tempus à ciuibus Lubicensibus simili officio iuuaretur.

De nauibus insidiosis.

CAP. VII.



CVM Ericus Disertus (de quo infrà plura dicentur) uarijs, mirisq́ ingenijs Regi Danorum Frothoni Aluildam Gethari Regis Noruegiani speciosissimã filiam, sub nuptialibus pactis in cõiugem procurasset, eamq́ in Daniam cunctorum applausu eduxisset, oritur in ipsis sponsalitijs festis & tripudijs, hostilis irruptio Sclauorum in Regem, et regnũ eius: quod ob effœminatissimos, & insolentes aulicorum mores (contra quos eorum historicus Saxo ad sydera clamat, ut superius libro 9. cap. 31. dictum est) ac Regis rudem ætatem in re bellica, defensore uacuum putabatur. Verum ne sic morerentur inulti, Ericus cum octo nauigijs ad eam irruptionem coërcendam Regia petitione inclinatus, subitò se, suosq́ perarmat: ne uirilem unquam operam detractaret, susceptum gratulanter officium fortiter exequendum curauit: qui cum piratas septenis nauibus esse cognosceret, una tantum è suis aduectus, reliquas ligneis propugnaculis cingi, tonsisq́ arborum ramalibus obduci iubet. Deinde cum hosticæ clasis numerum plenius speculaturus procederet, insequentibus se Sclauis, ocyus ad suos fugere cœpit. At hostes, ut insidiarum ignari, ita fugientem comprehendere auidi, crebro, incunctatiq́ fluctus remigio concussere. Naues enim Erici liquidò cognosci non poterant, frondentis syluæ speciem præferentes. Qui cum angustioris se maris flexui tradidissent, subitò Erici classe conclusos se uident. Sed primum inusitata facie stupidi, nauigio nemus agi putabant: deinde fraudem folijs subesse cognoscunt. Seram ergo incuriæ pœnitentiam agentes, habitam incautius nauigationem remetiri tentabant. Sed dum puppes obuertere parant, ab hoste eas insiliri conspiciunt. Ericus uerò subducto in littus nauigio, funda procul in hostes saxa torquebat. Igitur Sclauorum plerique cæsi: quadraginta capti fuere: qui postea uinculis, ac fame coërciti, inter uarios cruciatus spiritum deposuerunt. Post hæc Ericus socijs patientius præstolari iussis, actæ iam cladis famam Frothoni nuntiare perrexit. Cumqúe nauigando puppim piraticam uadosis, ac nimis altis gurgitibus inflictam hærere cõspiceret, quòd res fortuitas dictorum



rum grauitate prosequi solitus erat, Obscura est, inquit, sors ignobilium, fortunaq; uilium sordida. Deinde naue propius applicata, piratas proprium contis nauigium expedire, atq; in altum educere connisos, & circa eius seruationem impensius occupatos oppresit. Quo peracto rem gestam Regi nuntiat, eumq; florentissimæ pacis autorem eo omine uaticinatur: testatus eò ueriora à se dici, quò paruula uictoria felicioris ominis progressum, & triumphum sæpissimè sit paritura: & sicut primam militiam quisq; feliciter gesserit, consimilem de cætero fortunam candidè sperare posit. Difficile enim res magna geritur, quæ signorum præcursione minimè declaratur.

De Erico Diserto suprà lib. 5. pag. 183.

De effossione aquarum, ne naues exeant. CAP. VIII.



FLumen Helga nominè, non procul ab urbe Calmarnensi Meridionalis Gothiæ distans, cuidam Vlfoni eiusdem urbis nobilissimo præfecto, uiro Suetico, subiectum erat: qui Vlfo homo erat astuti, ac uafri ingenij: sine cunctatione aquas in Danicarum nauium aduentum ita armauit, ut earum uiribus Danorum uires non solum obrueret, sed penitus eneruaret. Aggerem namq; præualidum aquarum cursui obijciens, eas prorsus à solito impetu cohibebat, donec subeunte in ostium fluminis Danica classe, easdem rursus (rupto aggere) relaxaret, simulq; rates uario ignium fomento accensas dimitteret: quo euenit, ut magna pars Danicæ classis quadringentarum nauium aqua, ac flamma periret: inter quas duæ præcipuæ erant Dracones appellatæ. Præterea dum aliam eorundem hostium machinationem noui pontis erectione in se, suosq; præparari conspiceret, proprium exercitum, ne hostem cœpto turbaret, admonuit, futurum ratus, ut primum eminus, deinde propinquius ex aduersa ripa fluminis fundis, ac sagittis pugnans, efficacius conficeret inimicos, qui se auderent magno agmine infirmo ponti committere, omniaq; maiori furia, quàm militari ordine attentare. Nec secus euenit. Dum enim Vlfo acrioribus sagittis hostes in fugam repelleret, dissidente ponte inter undas, auidum pugnæ spiritum deposuerunt: eoq́ue miseriores effecti, quò nullis ingenijs, nec auxilijs à morte poterant liberari. Dum enim fluctu aliquis emergeret, mox alterius amplexibus in profundum periturus abstrahebatur: nec quisquam armatus enatare poterat, qui tantis angustijs reprimebatur. Ita Vlfo felicius hostem cunctatione, & astu, quàm impetu contritum uidit. Deinde sentiens Danorum ultionem summis uiribus sibi pro tanto facinore præparari, simulato metu classem propriam reliquit, totumq́ue exercitum minoribus nauigijs proximo littori imponendum abduci iussit, ut insidijs per latebras structis, hostem susciperet temerè aduentantem. Nec mora, præterijt: aduenere Dani sociæ cladis ultionem audaciore spiritu, & uiribus resumpturi: Vlfonis classem insiliunt: dumq; eam propugnatore uacuam intuentur, simili se furore in ripam hostem quæsituri recipiunt. Nec longe aberat, quem quæsierunt: insidijs namque Vlfonis illicò excipiuntur, ac trucidantur. Tandem Canuto Danorum Regi, ob prolem masculã, Suenonẽ uidelicet, ex Regia sorore Estrita suscitatam, & forte ne amplius Danos molestaret, recõciliatus est, atq; ad extremũ odio renouato, inter ipsa mensę sacra

occisus.

occisus est. Interea Canutus Olaum optimum Regem Noruegiæ, quem uiribus, & armis bello superare nequierat, teste Saxone, sicarijs procuratis, pecuniaq; corruptis facilè interemit.

De hoc Vlphone & S. Olao, nec non memorabili hac clade uide suprà lib. 8. cap. 37. De mirabili etiam huius Vlphonis origine uide infrà lib. 18. cap. 30.

De externis exemplis insidiatum cauendarum.
CAP. IX.

EST apud Strabonem lib. 14. notabile experimētum tàm mercatorum, quàm pugnatorum in mari, uel terra uersantium, diligenter præcauendum, uidelicet de quibusdam Coryceis, qui nouum (fortè pro ea ętate, sed nunc ualde tritum, & commune) insidiandi genus adinuenerunt. Dispersi enim per portus accedūt ad mercatores (ut nunc proditores faciunt, accedentes ad uiros militares) qui applicuerūt, auscultantes quid rerum ferant, & quò nauigent, uel ad quam militiam tendant. Posteà cùm illi soluerint, & in altum se receperint, congregati eos adoriuntur, ac diripiunt. Et hinc prouenit, quòd omnes curiosi, & occulta ac secreta auscultare conantes, Corycæi appellantur, & in prouerbio dicitur, Hunc Corycæus auscultauit, cùm quis aliquid dicere, uel facere secretò uideatur, quod minimè est secretum, propter eos qui speculantur, & scire student, quę non conuenit. Cui ualde similis est quiuis ardelio omni momento inquietus, huc atq; illuc semper uolitans, saliens, manus iactans, omnibus negotijs se immiscens: quod uitium eò turpius est, quò constat in sene notari, prout Martialis in Afrum inuehens ait:

Condita cùm tibi sit iam sexagesima messis,
 Et facies multo splendeat alba pilo,
Discurris tota uagus urbe, nec ulla cathedra est,
 Cui non mane feras irrequietus, aue.
Et sine te nulli fas est prodire tribuno,
 Nec caret officio consul uterq; tuo.
Et sacro decies repetis palatia cliuo,
 Saturiosq; modos, Partheniosq; sonas.
Hæc faciant sanè iuuenes: deformius Afer
 Omnino nihil est ardelione sene.

De classe hostili à littoribus reprimenda.
CAP. X.



PRO arcendis hostilibus nauigijs à littore, ubi portus, uel profundior introitus à natura relictus est, petrarius murus sine calce communi omnium manu fortissimus in primis instauratur, uel lignea propugnacula terris affixa sufficienti ordine pro usu sagittariorum, uel bombardariorum statuuntur. Deinde urgente necessitate, si ingens immineat bellorum motus, & metus, quasi uiritim exiens populus, iussu Regij præfecti cum multis, & electis milibus sagittariorum descendit in littus: ubi inuenta inimicorum classe, uelut imbres per sublimiorem aërem super eam casuras sagittas emittit, pro certa experientia habens, acutissimas sagittas arte excellentissima per eundem aëra libratas, uariatasq;, rarissimè emitti



emitti incassum: fitq; desuper tanta strages hostium ex frequentia sagittarum, ut nullibi nisi in infimis nauigiorum sentinis securus inueniatur locus: quo casu qui littora defendunt, scaphas paratas è uicinis fluminibus humeris, uel iumentis adductas, aquis cum armatis immittunt, eoq; contendunt, ut funes nauium in anchoris affixarum abscindant & uentis, atq; præsentissimo naufragio inuoluant: quod frequentissimè in scopulis marinis, ob angustos scopulos, aut in lacubus, et stagnis aquę recentis, fieri contingit. Vel hostilis exercitus classis plenus pauoris & fugæ, funibus abscissis horridę tēpestati potius se recessurus committit, quàm importunis sagittis uulnera spectet, uel mortem. Sed nec solum sagittis huiusmodi quasi grandinibus impetuntur hostiles classes, sed & ignivomis fundis, & ballistis globos, sagittasq; eiicientibus ualde ardentes, uti superius lib. 7. cap. 14. de sagittis ignitis copiosius extitit declaratum, uidelicet quòd tales sagittæ è sublimi cadentes triplicem faciunt læsionem, ut ibidem notatur.

De remedijs liberandę classis.
CAP. XI.

VIso tali periculo sagittarum descendentium è sublimi in capita classicorum militum, uelis, pannisq; nauigia quasi cuneatis tectis cooperiunt nautę, maximæ dissolutæ ligatis uelis: quia si strictè, contorteq; ligata sunt, nulla flaccitas prodesse poterit, quin rigidum obiectum naucleris maximè noceat, ut graue damnum suscipiant sagittarum penetratione: non autem à latere de terra in telis emissis: quia longa distantia etiam propter oppositas in classe tabulas, suis uiribus priuatę redduntur otiosæ. Verum neq; solis sagittis uexantur hostiles classes, sed plerunq; in anchoris firmatæ, globis ignitis è fundis, uel æreis tormentis emissis: quibus, quia directè, & à latere proueniūt, facilis fiet resistentia oppositione similium tabularum. Si uerò ui tempestatum ruptis anchoris, & iniquo loco dimissis, effugere cogatur inimica classis, nisi mare apertum per liberum sinum tetigerit, nunquàm uel rarò, ut superius lib. 2. dictum fuerat, ob mille pericula superstes aut incolumis euadet. Tot enim cęca, atq; latentia saxa in gurgitē subsunt, ut uix, nisi uehemens undarū collisio agitāte procella mōstrauerit ea infelix liberabitur classis.

De nauibus incendiarijs.
CAP. XII.



EST præterea Septentrionalium pugnatorum cōtra littoralia castra, seu propugnacula pręliandi, modus, ut multis attentatis congressibus, sed frustratis, incendiarias naues quouis combustibili imposito, expectatoq; tempestuoso uento (directione alicuius audaculi è puppi tandem fugientis) uersus propugnacula maximis trabibus constructa, separatim uel coniunctim dirigere soleant, alioq; loco, uel littore machinis, seu tormentis aduectis castrorum custodes lacessant, ut ui flammæ, fumiq;, & ardoris, ita oppressos se sentiant, ut nullo, uel difficillimo remedio sibijpsis prospicere possint. Plura etenim unico tempore, locoue forsitan angusto pertolerant mala, hac potissimum ratione, quia tales incendiariæ naues à peritissimis militibus exquisito semper ingenio, & uncis ferreis præparari solent. Sed nec minus conductitiæ naues, quæ frequenter maximæ sunt, ad comportandum combustibilia, seu ignium alimenta, prædictis si opus fuerit connectentur. In

quibusdam etiam nauibus, ut dolus dolo compensetur, solis remigantibus uisis preparatorum militum multitudo ad arma seruatur inferiori loco, ut furtim in speculatores curiosè accedentes irruant, uel eo situ in littora diuisi permaneant, ubi non amplius dissimulatione, sed seriò sit aggrediendum: quo casu impigri, & fortes uiri sese, suaq́ ingenia, ac uires demonstrant, quibus artibus inimicorum castra sint attentanda, ac demolienda. Quædam etiam naues, eo ingenio integras hippagines, plenas equorum, armorumq́ ornamentis, & insigni spoliorum genere repletas arripiunt. Aduolant præterea ex improuiso nonnullæ naues quæstuariæ multa, magnaq́ liquidę, uel durę picis uasa ferentes: quæ etiam eò deducuntur, ut igne immisso admoueantur in propugnacula supradicta. Maximus etenim incolis (qui ex pice huiusmodi, & corticibus betulinis uiuunt) quæstus est: quia pix pro nauibus, cortexq́ pro tectis aptatur, uti infrà de structuris lib. 12. cap. 3. ostendetur.

De nauibus igniuomis.
CAP. XIII.



NOtum satis est, sæpissimè eodem loco aperti maris fore nauium igniuomarum acerrima prælia, ubi bruma præcedenti eodem loco super glaciem in plurimis equorum turmis, & bombardis fuerant atrocissima bella. Hoc tamen nauali congressu eò terribilius enascitur periculum, quò saucius aliquis factus, atque è naui deiectus, locum recuperandi uires non habeat, aut inueniat exigua ope releuantem: & ita geminata miseria, igne scilicet ambustus, & aqua prefocatus, extinguitur in instanti. In glacie uerò cadens, facilimè ad littus amicum extrahitur, medicina sanandus. Si igne in nauali bello quis tactus fuerit, uix unquam se integrę sanitati restituendum agnoscet. Ignis enim non uulgaris, sed incendiarius est, & eo penetrabilior, quò acrioribus fomentis sentitur eiectus: cui aqua etiam resistere nequeat, nec madidum corium, aut humore quodcunq́ uelatum, imò strepitu horrisono, quo celeres sagittæ mitti nequeant, assiduis flammis, & globis ignitis humano capite maioribus, quasi pilis accensis eleuatur in altum: unde celerius descendens, uel alta nauigia urente flamma mox corripit, uel eadem aquis infecta sua uoracitate consumit. Quo fit, ut ardoribus his oppressi, uel uictos se doleant, uel pertinacissima resistentia se statuant triumphatores. Intereà mens misera dum hac sæuitia illuditur, orta cœli tempestate, strepentiq́ horribili sonitu taliter oppressa, inter fragores, & crebrò micantes ignes, auribus oculisq́ capti, quasi semimortui proijciuntur in aquas, maximè accedente sæuissima tempestate, tonitruis plena, uernali, æstiualiq́ magis, quàm reliquo anni tempore (prout lib. 1. dictum est) formidanda.

De cautelis congrediendi.
CAP. XIIII.

QVia maior uis residet in arte, peritia, audacia, & aggressu nauarchi, qui circumstantijs consyderatis in hoste nouit, an loco spatioso, an angusto eligibilius uelifico, an angusto nauigiorum cursu sit pugnandum. Preterea an à latere aut à tergo mutuum damnum sociæ naues inferant, prouidere solent, ut obuersis proris aduersas proras imbre sagittarum excipiant, & non tam sagittis, ac iaculis, quàm



quàm pilis: & hoc pro gloria, pro libertate, uita, & religione alacriter attentant, & sepius robore, & numero uictores euadunt, ubi hostes trucidantur, cæduntur, capiuntur, merguntur aquis, lato cruore infectis. Qui uero ob iniquum cõgressum cedere coguntur, naues effusa fuga terram petentes, arenis proras impingunt, malentes uitæ, quàm clasi, famæq; consulere, & demum naues comburere, ne usui sint inimicis, aut cum omni armatura capiantur. Contingit etiam ut naues iusta magnitudine, militumq; magno numero in nauibus existentium, ob loci angustiam classes inimicarum nauium simul constipatæ, ac collisæ, maximo sint periculo ducibus bellorum: tuncq; solent gubernatores, cæteriq; nauarchi, & bellatores, contra iniquum locum, & irruentes tempestates, ac hostes simul uno tempore pugnaturi, insignem uirtutem ostendere. Nam & alta uoce utuntur, ubi alias semper tacendo pugnare solent, & contis, ac armis pariter uti, ut harpaginibus in alterutram nauim immissis, uel retineant constrictas, uel ordinem inueniant, quò diuisę rarefiant: alioquin uehementiore surgente flatu, et tempestate, ac hostili uersutia, & forsitan proditoribus in eadem classe latentibus, uix salui, minus uictores euadent. In mari tamen aperto, ubi uentus est mollis, tardus, uel remissus, ferè simile periculum imminet, ubi uelorum, uentorumq; beneficio locus aggrediendi, uel declinandi non offertur: tuncq; solent horrendum subire discrimen, tedis, pice stupa, sulphure, ceterisq; igniuomis rebus laxare flammam: sicq; maior pars transactæ crudelitatis, & sceleris in gurgite pœnas pendit. Quandoq; etiam tota nocte sibi illudunt bellicæ classes, donec albente cœlo diutius fallere nequeunt, tunc illico, quo uirtus emerget serioso congressu monstratur.

De mutua strage mercatorum pro portubus Islandię. CAP. XV.



Miserabile spectaculũ negotiatorum mutua strage sese ob quæstum usq; ad uitæ periculum, & discrimen bonorum omnium, etiam ulciscendæ stirpis siue domi, siue foris impetentium, ut oculis apertis & clara luce intueri non ualeant, quantis deprędationibus ubique sint subiecti, nisi & ipsi arma acuere scirẽt: & in propriã extendere calamitatem. Inter quos Vandalicarum urbium Bremenses, Rostochienses, Vismarienses, ac Lubicenses principales existimantur: demum Anglorum, Scotorumq; mercatores, qui de primatu, & priuilegio Islandensium portuum occupandorũ adeò pertinaciter instar naualium bellorum litigant, & mutua strage ob quæstum lacerant, ut siue is, siue alter se strenuum uictorem existimet, semper fisci speculator asistit, qui utranq; partem tam ordinaria quàm extraordinaria exactione, tam in ære quam corpore grauisimè corripere nouit. Longè tutius eis foret, ut iudicio maritimę legis Visbycensis altercationes marinorum portuum quoad antiqua priuilegia ex æquitate dirimerent, quàm sese ita insatiabili pręfectorum rapacitate deijcerent laniandos. Est & alia longè imprudentior mercatorum insania ut bellum indicere, militemq; conscribere, arma, nauesq; componere audeant aduersus potentisimos Reges, qui prouincias, territoria, urbes, castella, & deniq; infinitam multitudinem plebium, continua tributa ad neruum belli afferentium habent: ubi etiam si prudentisimi mercatorum senatores sint, nil penitus præter ambiguum quæstum undequaque ex dominijs principum cum indicibili formidine, ac trepidatione prædonum in terra, & piratarum in mari, conquirere habent, Et esto conniuentibus ad-

uersarijs Principibus hæc uno, duobusúe annis quasi terriculamentis inanibus sic conficere posint, nonne his spectrosis minis præmeditari norint? quod Principum potentia tandem excitata magnitudine, & certitudine Regiorum prouentuum, & tributorum, atrocißimum bellum mari terraq;, rapinis & cædibus plenum inferat: ubi alij ob inopiam desinunt, ipsi per opulentiam surgunt. Quocirca consultius erit Euangelicum sequi consilium, legatos mittere, & petere, quæ pacis sunt, ac ea obtenta fideliter adimplere: quæ rursus si ex altera parte, uti promissa sunt, non obseruantur, Deo (qui non irridetur) exitum causæ ulterius perficiendum committant: qui debitoris, & creditoris æquitate concessa, misertus erit. Si uerò utraq; pars non uero, sed superstitioso iureiurando (à fidei unitate uacillando) aliter & aliter suo sensu causam iniuriarum iudicare præsumit, non mirandum erit, si mille incommodis reseruati peramplius, & perplexius in omnem irreparabilem ruinam lapsi perpetuo ingemiscent, quòd aliam, quàm Deus præstat, stabilem opinantur fore pacem.

De punitione rebellium nautarum.

CAP. XVI.



QVemadmodum in cũctis hominum statibus, & generibus, constitutæ sunt leges, & regulæ, quibus honestius, iustius, ac cautius uiuatur: ita in nauticis officijs rationabiles usus, & cõsuetudines conditæ, ac rigidè obseruatæ reperiuntur. De quarum speciebus (licet innumeræ sint) nonnullas saltem generaliores ostendere existimabitur opportunum. Qui igitur seditione mota gladio patronum, aut rectorem nauis inuaserit, aut inuadere præsumserit, seu malitiosè nauticum gnomonem, aut compassum, & præcipuè portionem magnetis, unde omnium directio dependet, falsauerit, & similia horroris scelera in naui commiserit, ut in plurimum (si uitæ parsum fuerit) gladiolo, uel cultello firmatam manum (cuius officio frequẽtius utitur) ad malum, seu principale lignum nauis, mediam scindendo retrahere oportebit. Qui uerò tumultuarius, aut iniuriosus fuerit, funiculo ligatus uno latere nauigij subtus immersus, ex altero sub dorso nauigij retrahitur, atq; si propter absorptam in gurgite aquam opus fuerit, supinus reponitur, aut pronus, ne intereat suffocatus. Quidam uero enormitate sceleris, aut rebellionis, proditionisúe, præsertim in bello nauali manifestè notati, totaliter uiui mittuntur in mare, ne totam classem uersuta machinatione disperdant. Reliqui pro minutis facinoribus immunitatem in prora celerrimè petita, repositam habent, uel antequàm eam intrauerint, sociorum manu apprehensi, ternatibus ad antennam, uel malum torti, eum impetum sentiunt, ut quasi meridie suscipiant stellas. Hę & similes pœnę, imò grauiores, ex constitutionibus uetustißimæ urbis Visbycensis in insula Gotlandiæ, dominio Regis Suetiæ & Gothię perpetuo iure subiecta quatenus opus fuerit, extensiori modo repetentur. Et licet urbs illa (ut superius lib. 3. dictum est) potentißima, ac opulentißima quondam fuerit, & pro minima occasione, nempe fractione unius fenestralis uitri, uix ualoris obularis, humiliata sit: tamen leges maritimæ, & decisiones omnium controuersiarum singulariter longè lateq; usq; ad columnas Herculis, & ultimum mare Scythicum ex ea petuntur, & datæ obseruantur, ut cuncta sub debita tranquillitate peragantur, quæ pacificis commercijs ualeant, & debeant conuenire.

De cau-



De cautelis obseruandi maritimas leges.
CAP. XVII.



OFficialibus marinis, ut nautis, uel alijs populis pręfectus non uno consilio prǽditus inuenitur, sed pluribus ac circumspectis, iuxta delinquentium exorbitatem. Feroces districtione premendi sunt, mansueti ciuiliter admonendi; dolosi cautè, simplices sub leuitate tractandi sunt. Et ideò ubique probatur esse necessaria prudentia, quoniam rebus omnibus adhibere uidetur accommoda. Ideoq̀ue contra nullum erigi, stringiq; leges congruit, nisi qui eisdem parere contemnit: nec ad forum trahendus, nisi qui iustitiam despexerit, aut inobediendo contradixerit ueritati, ut tandem coactus faciat, qui iusta sponte complere recusat. Is culpa caret, qui imperata complere cōnatur. Tanta etenim est in peruersissimo hominum congressu diuersitas, ut nemò poterit leges defendere, nisi terrorem, & fortè cruorem admisceat in temperamento. Aegris non una causa salutis est: alter nanq; cibis reficitur, alter per abstinentię beneficia tenuatur: hic lauacra mellia, hic ferrum quærit ad uulnera, & uariū poscit remedium diuersa qualitas passionū. Viri fortes semper in mari, terra, paceq; modesti sunt, & iustitiam ualde diligunt, qui plurima pericula, ac prælia tractauerunt: quia hi inter cauos maris sinus, charybdes, scyllas, syrtes, rupes, tempestates, & naufragia, ac mille pericula, ut iusta perficiant, & pœnas euadant, admonentur: ubi aduocati, causidici, iudices, per solitudines legum euntes, perrarò conformem legem inueniunt, quò breuiter, aut compendiosè subueniant angustiatis. Igitur præfecti clasiarij, ac subpræfecti in aquis iustitiam exerceant, quia eam difficulter obnoxia instrumenta in terra uidebunt. Insuper notandum est, his plerunq; plura, maioraq; gubernandi nauigia amplius dirigenda committi, qui plures difficultates, & infortunia quandoq; euaserūt: prudentia hos longè magis præstare, qui nondum infelices fuere. Et hæc solet pręcipua Batauorum, siue Hollandorum, esse circumspectio in nauibus ad fortunam (ut aiunt) committendis.


De pessimis artibus factiosorum præcauendis.
CAP. XVIII.

VIdentes uiri nefarij, scelerati, ac temerarij fortunam alicuius strenui ducis, ac præfecti, ob sinistrum & insuperabilem rei militaris euentum, labefactari posse, mox eius honori potestatiq; insidiantes, infinita mēdacia conflant, quibus eos pertinaci militum tumultu, & temerario applausu, & iudicio ab honore, imò uerius onere destituant, & sese surrogent in locum eorundem. In primis igitur sicarios, proditores dominorum propriorum desertores, Reipúblicæ fures, & contemptores, quasi commilitones alacriter salutatos conuocant, simulantes se eorum misereri, quòd magnis bellis, maioribus periculis, & maximis denique laboribus sint implicati, quasi nullus modus, nulla usquam requies fatigatis eorum animis concedi possit, sed ubique bellando, pererrando, bellis bella addendo, miseram uitam terant: nullam tam onerosa militia dignam suscepturi mercedem, ut non milites armorum, sed iniqui & auari domini thesaurorū custodes reputentur præterea in niuibus, pluuijs, pruina, gelu obruti, per uasta deserta sequi oportere infortunati principis castra, quasi alicuius profugi hominis incommoda seme-

per accepturi. Quocirca suadent, hortantur, & fictis additis lachrymis tumultuarios milites praua consuetudine ductos blandiendo, magna pollicendo (quod difficile non est) inducunt, ut infortunatos dominos deserant, ac se, ut splendidiores, fortunatiores, uictoriosiores omnibus ditissima spolia, & immensas libertates completa militia reddituros. Quo fit, ut hac peste corrupti milites, sæpe uerso clypeo (de perfidissimis, & effœminatis dicitur, non fortibus uiris) optimos dominos deserant, ac eorum aduersarijs adhærentes, quæcunque pessima excogitare poterunt, uetustis suis patronis infligãt. Tales autem desertores, & proditores, quocunque demum disgregati effugerint, digna ultione non carebunt.

De communibus cautelis diuersorum hostium. CAP. XIX.





Contra classem saluandam, uel perdendam.	Nautę utuntur ligneis clauis, terebratis nauigijs, extractis, uel clanculum immissis.
Contra fossas urbium.	Deriuare aquas per plures partes.
Contra inexpugnabilẽ urbem.	Simulare ducem mortuum sub signis exequiarum, & in specubus seruare milites.
Contra diligentes custodes.	Fingitur transfuga puella, uel uir, ut exploratam portam stato tempore aperiat.
Contra sagittariorũ magnum numerum.	Solent expectare telorum euacuationẽ per clypeos, & demum telis utendum in hostem.
Contra hostẽ à tergo, & fronte imminentem.	Præda diues spargenda est, ut mutuo dissidio hostis intentus pœnas incurrat.
Contra lõgam obsidionem dirimendam.	Fingatur dux belli mortuus, petatur nouus ab hoste: in cuius electione tumultus orientur.
Contra domesticos insidiatores.	Donis liberalibus utendũ, pecuniam & iocalia dando cum bonis promissis.
Contra perfidiam infidelium uxorum.	Vtenda est fides, & gratia ancillarum, & fidelium seruitorum.
Cõtra regni insidiatores.	Promittẽda feuda, castra, & gubernacula ciuitatum.
Contra insatiabiles præfectos.	Danda uis auri, dissimulando tributi defectum.
Cõtra tumultuarios, & seditiosos.	Est utenda affabilitas, & quęstio, quomodo hostibus resistatur.
Contra hostes incendiarios	Vbi ultioni locus non est, redimendæ sunt domus communi pecuniarum contributione.
Contra suspectos, & exploratores.	Deputantur opulenta conuiuia, ut exhilarati secreta reuelent.
Adhuc contra eosdem castra explorantes.	Retinendi quotquot successiuè ueniunt, ne reuertantur ad suos.

Contra



Contra pesſimos milites, & uitioſos.	Maximis pollicitationibus ad prælia mitti ſolent, quorum minima pars promiſſa petitura reuertitur: ſed reuerſis liberè datur, ut aliàs credant.
Contra grauantes Rempublicam.	More Catilinæ fæces ſceleratorum educi ſolent ad caſtra, ut terræ purgentur.
Contra timidos, & ignauos.	Ponendi mixto ordine inter fortes in claſſe, uel mœnibus, ubi fugere nequeant: ſæpe enim extrema neceſsitas uirtutem operatur.
Contra ſeruos maleuolos, & duros.	Tortura, compedes, & flagella.

De ſubita perplexitate ducum fugiendi, uel reſiſtendi.
CAP. XX.



ACcidit plerunq; exploratores ab hoſtilibus caſtris pauciores, quàm emiſſi fuerāt (alijs ſcilicet interemptis, uel interceptis) citatiſsimo curſu ducibus nuntiare, non ſolum ſe uix hoſtium manus effugiſſe, ſed & eoſdem hoſtes magno impetu ad pugnandum paratos ſubitò irruere, & numero, & robore formidandos: quo caſu eò maiori ſtupore, ac perplexitate duces recenter lacerati, uixq; reparati exercitus, maximè propriorum militum exorto tumultu, ſolent concuti, quo uix mente quicquam proſpicere, aut rectè quaſi furibundi conſulere poſsint. Nam & de tumultu ſedando, ac progreſſu totius exercitus metuūt euentum. Attamen uti ſubitus caſus eſt, ita remediū apud exercitatos, & fortes uiros reaſſumitur in inſtanti. Igitur primùm milites uirtute fidei præſtitæ in ordinem redactos, quàm citiſsimè in aciem extenſos collocant, ne circumueniantur.

II. Equites in cornibus utrinq; collocant loricatos.

III. Viſa opportunitate, exercitum contrahunt, ſpatia militibus uacua tāquam portas pluribus in locis relinquentes.

IIII. Vniuerſam aciem in plures ordines diſtribuunt.

V. Vnicuiq; ordini turmam equitum, ne ſine auxilio ſint, tribuunt.

VI. Acierum cornibus cum uexilliferis fortiſsimos quoſq; præficiunt.

VII. Vt in acie ſtantes cibum capiant, ob neceſsitatem perurgent.

VIII. Ne horriſono hoſtium clamore terreantur, aut habitu. Solent enim irruentes hoſtes aliquot incompoſito ordine ante aciem præmittere, pellibusq; ſuperiniectis armorum fulgorem occultare: quod & paſsim faciunt latrunculi inferioris Germaniæ, atris & picatis utendo thoracibus in mercatoribus ſpoliandis: de quibus alibi alius erit ſermo.

IX. Vt milites ad ſoluendum militares ordines, & reintegrandos, ad omnem hoſtilem circumuentionem ſint paratiſsimi.

X. Ne ſic conſtricti in acie, aut ordine maneant, quòd non habeant liberam ſagittandi facultatem, imò niſi ſe dilatauerint, hoſtium ſagittis corruent plures.

XI. Vt ſpectent hoſtilium ſagittarum euacuationem.

XII. Ne ſtatim fugientem hoſtem ſpolij cauſa inſequantur: quod alacritatis cauſa generoſi adoleſcentes contra ducum uoluntatem ſæpius indiſcretè facientes, mortem incurrūt, aut captiuitatē: prout miſerabile ſpectaculum de filio M. Craſsi Plutarchus (unde hæc ſupradicta pro Gothorum ſimilitudine pugnatorum extracta ſunt) calamitoſiſsimo ordine meminit: quomodo ſcilicet Parthica fraude et crudelitate Romani uicti ſunt, quòd uix ſimilis inueniatur: ad quam hiſtoriam re

spiciant omnes strenui bellatores, ut circumspectius cum hoste pugnantes, ludibrium euadant inimicorum.

De dolosa hostium fuga cauenda.

CAP. XXI.



PRosequitur demum idem autor Romanorum miserabile infortunium, & stragem, in persequendis hostibus Parthis simulantibus trepidam fugam, his uerbis: Magno igitur impetu equitibus Romanis hostes insequentibus, ne pedites quidem otiosè sequebãtur, sed alacritas, & spei magnitudine incẽsi, illorum penè celeritatem adęquabant, & ad omnes casus paratissimi aderant, ac se iam fudisse hostes, ac uicisse arbitrãtes, eousq; persecuti sunt quoad non ultrà fugientibus Parthis tãdem illorum dolos, ac fraudes agnouere. Conuersi enim in eos Parthi, qui eatenus fugam simulauerant, atq; undiq; superuenientes alij sese ad pugnam parauerunt, atq; equites cataphractos Romanis equitibus opponentes, reliquum equitatum nullo ordine passim Romanis circumfudere, & ita undiq; per planitiem discurrentes ingentem uim pulueris excitabant, ut neq; se mutuò uidendi, nec adinuicem colloquendi Romanis facultas esset, sed mutuis etiam uulneribus seipsos interimerent. Multi etiã attrahendi spiritus angustia penè suffocati, & sagittis insuper confossi, miserabiliter in puluere uolutabantur. Nec uulneratis eximendi teli potestas aderat: siquidem curuatis uncis instructæ sagittarum cuspides non sine maxima neruorum, & carnium laceratione diuelli poterant. Cumq; multi admodũ eo pacto interficerentur cæteri metu, atq; horrore torpebant, nec impetum pedites in cataphractos facere poterant, implicitas manus clypeis ostẽtantes: pedes uero arenę cumulis altius inherẽtes neq; ad pugnandum, neq; ad insequendum satis idoneos se esse monstrabant. Erat enim pugnandi forma omnino dispar: quia Romani milites utebantur paruis, & debilibus hastis, quib. ferreos thoraces, aut ex corio fabrefactos, incassum pererẽt: ab hostibus uerò grandioribus cõtis petiti nuda penè corpora aditus pręberẽt. Qui uerò grauiter armati pugnabant, cunctorũ ictibus ex equis deiecti, immobiles humi iacere cogebantur. Multi etiam sponte sua ex equis disilientes, media illorum uiscera perfodiebant: qui uulneris dolore perciti, huc illuc furibundi currentes, se pariter & hostes conculcando perimebant: nec minori asperitate ardoris, & sitis premebantur. Tandem multis fraudibus Parthorũ pater post filium illusus interijt: quod notent qui (pace contempta) similibus ludibrijs se immittunt.

De causis sumendi belli, & hostis in fuga dimittendi.

CAP. XXII.



ETsi periculosa hominum uoluptas sit, pro gloria sepius tanquã inter delicias (præcipue ut dici solet, homini inexperto) uersari in atrocissimis bellis, tamen necessitatis causa, quo se, suosq;, ac amicos ab incursu hostium, & populum à tyrannide tueatur, atque ne innocentes iustitiæ colore grauamen, & calumniam patiantur, cruentum quantocyus assumitur bellum: quod sæpe ita nouis nouisque sub. ortis cau-



ortis causis coalescit, ut pro paucorum ultione repellenda, impræmeditatè sumptum multorum, imò innumerabilium hominum irreparabili ruina ampliatum, deditione & seruitute finiatur. Grauiori tamen periculo Principes in hac causa premuntur, quia cunctos habent suspectos, ut uitæ eorũ maximè proditores insidientur, dum uili quandoq; pretio (operante liuore) uitam Principis, ac totius populi salutem mercari solent, quemadmodum & alij stipendiarij milites, qui obliti generis, & amicorum, pro exigua pecuniola se mutuò cõfodiunt, & rursus, si uiui campum exierant, misero luxu eam consumunt. Quantum uerò ad fugientes, obtenta uictoria plures captiuari congruit, quàm uita priuari, ne fortè (uti superius dictum est) eorum respectu priusquàm dimittantur, diu optata pax utrisque aduersarijs restituatur. Reseruato etiam exercitu in acie sub uexillis potius plerunq; permittendus est hostis aufugere, quàm ambiguo belli euentu peramplius amicum exercitum in perditos, & sceleratissimos homines relaxare. Sæpe namq; præsumptuosa securitate uictores superantur à uictis: quibus proprium est insidias struere, uix cauendas. Nec insolitum est hostibus iniquo loco pressis, clàm nocte fugere, aut interdiu seruato ordine se transferre, ut ab insequentibus sint securi: qui etiam si urgeantur natare per aquas, ea arte plerunq; præditi sunt in disciplina militari, ut hac fuga & se, & dominos suos, ne trucidentur, aut captiuentur, eximere possint. Ideoq; nandi scientia neutiquàm prætermittenda est, etiam à Principibus: quibus & usui, & saluti plerunq; esse potest, prout aliquando in laudabili usu fuit in Italica natione, ut filios suos applicaret huic disciplinæ.

Durum à stirpe genus natos ad flumina primùm
Deferimus, sæuoq; gelu duramus, & undis.

De equestrium natatione.
CAP. XXIII.



QVamuis non minus infaustum, quàm temerarium sit, armatum equitem, uel peditem gurgiti natando se committere: attamen quia Gothi omnia temporum momenta ad excolẽdam militiam collaturi erãt, nullas partes militari exercitio idoneas experiri omiserunt. Quocirca artem, & usum aquis innatandi, adeò perfectè calluerunt, ut plerunque armis onusti, atq; equis inuecti, magna fluminum spatia inter hostiles exercitus ad resistendum, uel fugiendum tranatarent. Nec minori equos industria, quàm seipsos, ad natandi consuetudinem instruebant, prout Cornelius Tacitus asserit de Germanis: quorum nobilissimum institutum erat, equos ad natandi studium informare, audacterq; (ut Herodianus lib. 8. testatur) sese fluminibus cum equis natare peritis, immergere. Nec testimonium Saxonis in hoc casu omittendum est. Is enim dicit, Biornonẽ quendam Noruegianum insignem pugilem, equum habuisse præstantem corpore, præpetem uelocitate, adeò animosum, ut indefessus obstrepentem uorticem superaret: cuius aquæ lapsus tam incito, ac præcipiti uolumine defertur, ut animalia nandi uigore defecta, plerunq; pessundare soleat. Eo tamen equo tum Fridleuo pugile fortissimo (de quo superius in 5. lib. dictum est) urgente, tum scrupeo, atq; iniquo loco, priuatus est, & ad ultimũ hostili stratagemate equi errore captiuatus. Ita nullibi terrarum species, aut natura uidetur deficere equi Seiani. Quòd autem Gothorum equi eiusmodi natandi artibus perhibentur instructi, necessariam causam magnitudo, latitudoq; immensorum fluminũ ubilibet administrat.

Vix enim ulla certamina apud Orientales, Occidentalesq́ʒ Gothos, aut Finnos, Ruthenos, & Moschos instaurari, uel perfici possunt, nisi aquarum uastitas, & uorax impetus superetur.

De industria natantium.
CAP. XXIIII.

CAstra etenim hostilium exercituum ita naturæ pręsidio sæpius quàm in scopulis & campis statuuntur, ut operæpretium sit exquisita calliditate, & astu non minus contra naturæ munitionem, quàm hostis potentiam decertare. Nec dissimili, aut minori sagacitate opus est, ubi longiores amnium pontes æstu, uel hoste subitò destructos intuentur: quia tunc uti nequeunt noctis beneficio ad euitandum lignea fragmenta, aut palos ripis infixos, sed prima aurora radios lucis immittente, quando equi iumentaq́ʒ uegetiores nocturna quiete resumpserant uires. Interiora uerò regni uada tempore hostili acutissimis sudibus sub aquis muniunt, ne equites natando suscipiant ripam. Verum ne subnatantibus equis ullam uim sessores huiusmodi inferant, regulas adhibent singulares, uidelicet ut genua, & pedes dorsotenus eleuent in equis, ut aërem in respirando, quàm breuissimum capiant, ueluti suffocandi: utq́ʒ immobiles se contineant, frenaq́ʒ liberrima, & longa iumentis relaxent, lanceasq́ʒ, & tela aquis innatãtia ducant, & popismate, quo inter pabulandum uti solent, stimulent ad celeritatem. Reliquam equorum non inutilem disciplinam require inferius inter animalia cap. de equorum pullis edomandis. Etiam quæ Virgilius meminit de bonitate equi:

> Primus & ire uiam, & fluuios tentare minaces
> Audet, & ignoto sese committere ponti.

Equos uerò non assuetos, aut doctos ad natandum, saucios poplite absciso, ne hostibus sint usui, eneruant, domumq́ʒ natando corporeis uiribus sese recipiunt ad aliud littus, ubi noui, recentesq́ʒ caballi ad prælium aptissimi, semper occurrunt: nec minus liberale stipendium illicò paratum est pro recreatione tot difficultatum perstrenuè superatarum.

De natatione pedestrium armatorum, & præsertim pinguium.
CAP. XXV.



TAlis etiam apud Septentrionales milites seruari solet usus, ut qui minus arte natatoria sunt instructi, aut nimia crassitudine distenti, quòd proprijs uiribus urgente necessitate nec seipsos, nec socios ad meliorem certaminis euentum reseruare possint, illis ipsis ita cõsulatur, ut funibus utraque ripa fluminum agiliori quopiam milite firmatis innitentes, una manu sese transferendo teneant, altera uerò contorta aqua statim locum artis compẽdio enixius quò ualuerint pręripiant. Quidam uero tanta natandi industria callent, ut inter ęstuantis freti procellas, longo maris tractu nando salutem redimant, complurimosq́ʒ præsentis periculi socios littori restituant, durioribus forsan fatis reseruandos. Libet hic ex Saxone huius rei singulare exemplum afferre de quodam Siuardo Noruegiano: qui post multa, pręclaraq́ʒ facinora in bellis edita, ab hostibus interceptus, cum naui in alto mergendus ueheretur, quasi funus suum inferijs præcessurus,

furus, empta de industria potione remiges onerauit: quibus exhilaratis, gubernandi potestatem supremi beneficij loco impetrauit: nautasq; impensius edere remigium hortatus, cum uehementissimum nauigij cursum animaduerteret, proiecto gubernaculo præceps undas insilijt, priusq; littori, quàm concitata ratis impetum correxisset, restitutus, Regem Haraldum improuidum occidit. Deinde nauali prælio dimicans incredibili, & prestātiori humanis uiribus fortitudine, solus aliquandiu consumptis socijs, nauigium ab hostibus uindicauit: quorum multitudini tandem cedere coactus, singulari nandi peritia fretus, quanquam hybernum tempus instabat, armis militaribus onustus profundo se credidit, atque sub undis enatans, dubium effecit, maioris audaciæ specimen in puppi præbuerit, an inter undas agilitatis ediderit. Siquidem loricā, qua corpus muniebat, quò liberius enaret, cum reliquis armaturis sub undis sibi detraxit, ac demum cum capessendi spiraculi gratia fluctibus emersisset, à quodam familiari suo per habitum hostibus indicatus, tunicam, qua se prodi suspicabatur, rursum corpus aquis occultando deposuit. Sed cum ne sic quidem proditoris notitiam fefellisset, ad extremum se ueste nudauit. Nec tamen adhuc indice ludificato, cum solus ex socijs superesset, seq; hæc omnia, quæ & callidè, & animosè tentauerat, frustra expertum animaduerteret, tandem fati simulatione profundo diutius immorans, insidiatoribus, an uiueret, dubium reliquit. Ad ultimum cum humanæ respirationis consuetudine supernè aërem capessere debuisset, cuiusdam fortè nauigij gubernaculum pertinacissimis brachiorum amplexibus apprehendit, eiq; aliquandiu tacitus inhæsit, donec cuiusdam curiosius cultum contemplantis indicio deprehensus intercipitur, & morti adiudicatur. Plura tamen elapsionis genera animi firmitate tentasset, si hyberni frigoris immensa sæuitia corporis eius robur haud deseruisset. Nec prætereundus est nobilis Romanus Fronditius, qui præclara facinora, teste Plin. lib. 17. capite 1. Vulturnum transnatans, fronde capiti imposita aduersus Hannibalem edidit.

De extrahendis hostibus ab aquis.

CAP. XXVI.

EST & aliud cuiusdam Erici Diserti nobilissimi Noruegiani memorabile exemplum, singulari uincendi genere admirandum. Is enim Ericus uidens se impacabili inuidentia domesticorum heroum Regis Daniæ Frothonis, propter insuperabilem facundiæ facultatem, ad quoduis crudele fatum circumdari, etiam ab ipso Rege gladium aduersus eum proijciente, sed obiecto obstaculo non lædente. Quocirca circumspectis hincinde remedijs, nullum efficacius oblatum est, quàm quod securitatem celeri compararet fuga: cui dum solicitus sub tenebris nocturnis intenderet, classem Regiam anchoris firmatam, diffisa laterum parte nauigationi inhabilem reddidit, insertisq; rursum asserculis sarsit, quominus ab intuentibus læsio agnosceretur. Deinde nauigiū quo se, comitesq; receperat, haud procul à littore depelli curat. Quem Rex laceratis insequi nauibus parans, mox fluctu foros æquante, quanquam armis admodum onustus existeret, enare inter alios cœpit, propriæ salutis seruandæ, quàm alienæ lacessendæ cupidior effectus. Præcipitatis in altum proris, sedibus suis remiges stagnans introrsum æstus excussit, nullum in horrenda calamitate solatiū inueniens, nisi remigia brachiorum, prout Cassiodo. lib. 8. de Tholo Principe Gothorum in simili casu meminit: quo infortunio Ericus, fraterq; eius Rollerus conspecto, cum contemptu periculi incunctanter se profundo dedêre, natabundiq; fluctuantē excepere Regem. Iamq; eum ter superfusa unda subruerat, cum Ericus cæsarie comprehensum pelago leuat. Cætera naufragorum turba aut aquis obruta, aut ægrè littori restituta est. Rex

humido

humido nudatus cultu, sicca circumamictus ueste contegitur. Multus illi ab ore liquor crebra pectoris ructuatione manabat: uox quoque eum continuis lassata singultibus deficere uidebatur. Tandem calore spiritum uehementiorem ad obsequium turbatæ rationis restituente, Rex pensatis insignibus fratrum meritis, Erico sub sponsalium fide in publica concione sororem, atque centuriatum dedit Rollero: etiam Reginam ob arduas causas repudiatam, cum nouam sponsam è Noruegia expectaret, simili sponsione coniunxit. Ita ergo fratres coniunctas egere nuptias, altero sororem Regis, altero repudiatam Reginam ducente. Regi deinceps eò chariores habiti, quò præ cæteris eorum uirtute, & uiribus regno, uitæque fuerat restitutus. Sed præcipuè Ericus Disertus (Ciceronis contemporaneus) Rex Sueonum posteà factus: cuius prudentissimo consilio idem Rex Frotho suos principatus admirabili pace auxit, ac direxit, & conseruauit. Tales Rex Aripert Longobardorum (teste Paul. Diaco. libro 6.) auxiliatores non habuit, quando auro onustus fugere uoluit: natando suffocatus est, quia fortè nulla experientia artis natatoriæ prius usus est, &c.

De hoc Erico Diserto, totaque huius capitis historia, uide suprà lib. 5. cap. 24.

De primis instrumentis natatoriæ artis.
CAP. XXVII.



NAtatoriç artis instrumēta, & disciplina in utribus, seu uesicis inflatis, uel manipulis leuiū arundinū fungosarū hic apposita sunt, ut pueri, adolescentesque maiorē præ cæteris ætatibus aquis se immergendo, & exercendo habeāt uoluptatem, ne fortè tacitis procedentibus annis, harum rerum ignari nec se, nec alios à præsentissimo mortis periculo ualeant liberare. Modus is apud ueteres Septentrionales homines diligentissimè obseruabatur, ut non minori industria suos admouerent stridulis fluminibus, aut altis gurgitibus se immergere, atque respiracula capere, quàm furiosis equis sursum deorsumque directis incessere, & horrenda præcipitia declinare. Putabant enim se, suosque milites parum fortes, aut gloriosos existimari, nisi etiam tali casu sese, patriæque salutem ab hostibus redimere possent. Sæpius etenim pedestris, seu campestris pugna in naualem, seu stagnalem, aut paludineam commutari solet, uti Herodianus lib. septimo meminit de Maximino Imperatore Gotho: qui cum ad ingentem, uastamque paludem deuenisset, intra quam Germani peritissimi natandi (ut qui tantummodò in fluminibus lauentur) fuga se receperant, uerentibus Romanis eosdem insequi, primùm Maximinus equo paludem ingressus, cùm quidē etiam supra aluum equus uoragine hauriretur, magna ui hostes cōtrucidauit. Quare exercitus reliquus pudore instinctus, ne prodere pro se pugnantem Imperatorem uideretur, ausus & ipse est paludem ingredi, atque fortiter pugnare. Cæsar etiam multitudine hostium iniquo loco obrutus, sese (ut libro quarto testatur) ex nauigio eiecit, atque ad eas, quæ longius constiterant naues, adnatauit. Hinc suis laborantibus subsidio scaphas mittens, nonnullos conseruauit. Nauigium quidem eius militum multitudine depressum, unà cum hominibus interijt. Prætereà paulò antè eodem libro dicitur, quòd Cæsaris multi milites fuga, cædeque suorum perterriti, 30. pedum altitudine in ædificijs consistere ausi non sunt, sed per molem se in mare præci-

pitauerunt,

pitauerunt,& octingentorum passuum interuallo ad oppidum destinatum enatauerunt. Meminit etiam Diones Casius, Imperatorem Hadrianum adeò peritos,& laborum patientes habuisse exercitus,ut olim equites,qui uocantur Bastai Danubium armati tranatarent.

De Maximino Imperatore Gotho, & bello Germanico. Ioan. Mag. lib. 6. in uita Ostrogothæ, 26. Regis externi. Poterat etiam Maximinus propter robur suum immane, fortitudinemq; stupendam, annumerari gigantibus & pugilibus: de quibus suprà lib. 5. aliâs de heluatione ipsius & ingluuie infra lib. 13. cap. 37. quo cum peruenerit æquus Lector, huc recurret.



Ostrogotha Gothorum Rex effectus, diuturnum felicemq;,& amplum obtinuit principatum,estq; inter præcipuos Reges qui ante eum fuerant, iure collocandus. Nec frustra sibi proprium nomen, quod omnibus Ostrogothis commune erat,assumpsisse uidebatur. Quippe quum Ostrogotha Orientalem Gothum patria nostra lingua significet,illi rectisime applicatum uidetur, cuius auspicijs Gothorum regnum iterum oriebatur,atq; in immensum excreuit,terroremq; Romanæ potentiæ(ut mox dicemus)incutiebat. Cur autem Ostrogothi uel Vestrogothi dicantur,& quod Gothi & Getæ eadem gens sit, supra commemorauimus. Sed de his alias. Nunc ad Ostrogotham redeamus: cuius historiam mox subijceremus, nisi in memoriam Maximini Imperatoris incidissemus, qui quum genere Gothus fuerit, inter magnos Gothorum Principes, aliquam historiæ partem sibi iure uendicabit, ut ex hac gente etiam aliquem mundi dominum, & ad summam in terris dignitatem euasisse monstremus. Eius historiam tradidere complures, inter quos præcipui sunt Iulius Capitolinus, Cordus, Herodianus, ex quibus paucula excerpenda curaui, reliqua in suo fonte quærenda relinquens.

Maximinus sub Alexandro Imperatore enituit, militare uero sub Seuero cœpit. Hic de uico Thraciæ uicino barbaris loco, ignobili etiam patre & matre genitus: quorum alter ex Gothis, altera ex Alanis geniti esse perhibentur, & patri quidem nomen Micea, matri Ababa fuisse dicitur. Sed hæc nomina Maximinus primis temporibus ipse prodidit: postea uero ubi ad imperium peruenit, occuli præcepit, ne utroq; parente barbaro genitus Imperator esse uideretur. Fuit ab initio pastor, mox prima stipedia sub Seuero fecit Alexandri auo. Forma staturaq; fuit uirili, decorus facie, ingenio ferus, superbus atq; omnium contemptor interdum etiam iustitiæ & æquitatis fautor: Seuero ab initio est conciliatus campestri certamine, quo lixas sedecim, unum post alium prostrauit, cum quibus ob ignobilitatem est primo luctari iussus: mox altero sudore totidē milites. Quare aurea torque ab Imperatore donatus, accitusq; inter laterum stipatores, ac tum demum illustrari cœptus est, corporis uastitate & candore insigni, oculisq; uegetis sua sponte cōspicuis. Miratur Capitolinus ipsum sæpe uno die bibisse uini amphoram. Comedit & libras carnis quadraginta. Cordus (autore eodem Capitolino) sexaginta scripsit. Sudorem sui corporis ubertim fluentem calice excipiebat, ut interdum ex eo tres impleuerit sextarios. Tironum legionem, quam sub Germanico bello accepit instruendam, quotidie exercuit, unaq; ipse exercebatur. Quinos senosue milites quotidie sternebat. Tum tribunorum unus, uir spectatæ uirtutis cauillabundus: Quid mirum, inquit, si tribunus milites uincit? Hunc ex prouocatione congressum primo impulsu ad terram deiecit, exclamans: Date alium, sed tribunum.

Fuit (ut Cordus scribit) octonis pedibus, atq; uno digito maior: pollice ita pingui, ut uxoris dextrocherio pro annulo uteretur, ui tanta, ut equum pugno percussum nudaret dentibus, crura calce perfringeret, Topazios lapides fricaret digitis, maiusculasq; arbores dimidiaret. Quæ uirium multiplex experientia effecit, ut Antheum quidam eum uocarent, alij Herculem, aut Milonem Crothoniatem. Ego huius uiri fortissimi gesta ex Romanis scriptoribus libentius adduco, quia in ueteribus Gothorum historijs multi similes pugiles, imò

præstantiores, & gigantea fortitudine præditi passim describuntur. Eodemq; tempore, quo Maximinus suæ monstrosæ fortitudinis opera hincinde exercebat, ille admirandi roboris gigas Starcharerus pugil Sueticus (cuius paulo antè meminimus) aliiq; quàm plurimi, in prima Gothorum patria editis ubique clarissimis & memorabilibus facinoribus uiguerūt. Erat Maximinus Seuero semper charus, Caracallæ charior, sub quo magnos ordines duxit. Macrino abstinuit, tanquam sui Imperatoris occisore: Heliogabalum Aurelium impuram beluam contempsit, interim in Thracia apud suos Gothos familiariter conuersatus. At postquam comperisset rerum summam ad optimum Imperatorem Alexandrum deuenisse, Romam rediit, magnisq; honoribus ab illo est exceptus. Primum ordines duxit, multaq; fortiter gessit, tandem Alexandro apud Gallias militari tumultu occiso, ad imperium peruenit, indignante Senatu, quòd sine sua autoritate imperaret. Bella grauissima contra Germanos gessit, eo consilio ut ad Oceanum usque Sarmaticum Romanum propagaret imperium, omni Arctoa plaga longè lateq; domita. Sed nūtiata sibi Africæ defectione, in Italiam rediit, occupatusq; in Aquileiæ oppugnatione à suis (ob seueritatem) deseritur, deinde unà cum pulcherrimo filio eiusdem nominis à militibus trucidatur. Hæc ex Romanis historiis idcirco adduximus, ut ostenderemus saltem duos Maximinos Imperatores ex Gothis prodiisse, imò inferius in uita Athaulphi ostendemus, tantam huius gentis potentiam extitisse ut Romanum Imperatorem aliquando pro uoto constitueret.

Nunc ad Regem Ostrogothā stylum conuertamus: cui in omnibus bellicis rebus felicissimi fuere successus. Eratq; eo tempore huius gentis possessio satis ampla, & in plura regna diffusa. Nam ultra Thracias etiam Scythica Ponti litora tenuit: in quibus tanta terrarū spacia protenduntur, tot sinus maris, tot fluminum excursus, tot hominum mansiones, & populorum examina reperiuntur, ut iam etiam Romano imperio terrifica uideretur. Primum igitur & difficile bellum inter hanc Gothicam gentem, & Vandalos, Marchomannos, Quados incidit: qui tunc maximam in rebus bellicis gloriam assecuti uidebantur, ideò quod inter omnes hostes quibus Gothi congressi fuerant, uix maiores uires, quam in gente Vandalorum experiebantur: quę tunc in Germania longas latasq; sedes occupabat: Gothis tamen sub auspiciis huius Ostrogothæ Regis pugnantibus cedere cogebatur. Deinde Gothica arma in Romanas prouincias, accepta à Romanorum auaritia occasione, extēdebantur. Cum enim tunc sub duobus Philippis Cæsaribus patre & filio, millesimus conditæ urbis Romæ annus magno atq; incredibili apparatu, ingentiq; cunctorum lætitia celebraretur, Gothi tum ob societatem, qua Romanis coniuncti erant, tum ob sua maxima in Romanam Rempublicam merita, sperabant sibi egregia munera, & donatiua militaria iuxta cōsuetudinem maiorum porrigenda esse: id enim fuerat in pactis, ut Gothi duo maxima obsequia præstarent Romanis, unum uidelicet ne Romanas prouincias inuaderent: alterum ut alias fortissimas gentes ab earum inuasione coercerent: Romani uero & stipendiis, & muneribus ipsorum merita compensarent. Quod cum diutius facere distulissent, Gothi subtracta sibi stipendia indignè ferentes, ad prælia Romanis inferenda animos intendunt, non passuri se ab illis negligi uel contemni, quorum fortitudini uel pares, uel parum inferiores essent.

Igitur Rex Ostrogotha armata suorum magna multitudine, fines Romani imperii inuasit, Mœsiamq; & alias uicinas prouincias ferro, flammis, rapinis deuastauit. Tum Philippi Cęsares considerantes quorsum Gothicus populus suam militiam extendere conaretur, statuerunt eam in radice supprimere, ne consecuta longi temporis incrementum inuicta permaneret. Itaq; Decium ex ducibus suis Reipublicæ peritissimum, multis & ualidis militum copiis subnixum, contra Gothos confestim emittunt. Qui super ipsos (cum magis prædandi, quàm præliandi negotio hincinde dispersi intenderent) irruens, haud difficile eos ut transito Danubio in sua redirent coēgit. Deinde magnum numerum limitaneorum militum, qui Gothorum inuasiones prohibere debuissent, exautorauit, quasi ipsorum dissimulatione, aut negligentia Romanæ prouincię hostium irruptionibus patuissent. Quibus à militia & stipendio amotis, alios quos fideliores, & animosiores existimabat, limiti custodiendo prefecit. Reduxitq; tunc Romam exercitum incolumem, ratus se non solum bella, sed omnes bellorum occasiones prudenter auertisse. Sed erat monstrosæ hydræ caput, quod absciderat quodq; statim ex se insuperabilem perniciem in Romanam Rempub. propagabat. Hi enim, quos Decius ut inutiles aut negligentes à militia non satis prudenter amouerat, grauiter tulerunt se pro diuturno ac difficili labore eam ignominiam atq; atrocem iniuriam reportasse. Proinde sine mora sese ad Gothos & eorum militiam conferunt, publico totius Romanę Reipublicæ damno suas priuatas iniurias uindicaturi. Nec secus quàm sperabant à Rege Ostrogotha excipiebantur, qui eorum consiliis persuasus, statuit omne robur suæ gentis in Romanorum terras effundere, confestimq; trecenta millia Gothorum perarmata denuo in fines Ro-

fines Romanorum eduxit. Quæ multitudo facile limitaneorũ militum præsidia penetrans, ad omnes prouincias quas uolebat peruenit, ingentemq; prædam ubique nullo resistente contraxit. At inter cætera illustria loca quæ tũc depopulabãtur, erat Martianopolis natura & arte munitissima, quã ferunt Traianũ ad honorem suæ sororis Martiæ condidisse cum dixisset, ex ipsius manibus in præterfluentem amnem auream peluim excidisse, & rursus se dolenti dominæ ex profundo sponte reddidisse. Itaq; Traianus numini loci gratificaturus, eam condidit ciuitatem, quam tandem florentem, & magnis diuitijs affluentem Gothi diuturna obsidione cingebant, uolentes eum à Romanorum imperio alienatam suæ subijcere potestati. Ciues autem tot & tam diuturnis incommodis affecti, tandem multo auro redimunt libertatem. Itaq; Gothi accepta ab ea ingenti pecunia, spoliatisq; ipsius suburbijs, locupletem atq; incolumen exercitum in suas reduxere regiones.

Interim uero dum Gothi foris & in Romanis prouincijs prædarentur, non sinebant aduersa fata ipsos domi à prædonibus liberos permanere. Siquidem uicina gens Gepidarum eandem uiolentiam illis domi inferre conabatur, quam ipsi in longinqua militia alijs inferebant. Gens autem Gepidarum ea est, quæ in postrema classe, dum Gothi (duce Rege Berico) Gothiam exiuere, uehebatur: quæ à præcedentibus ob tarditatem & inexperientiam rei nauticę, Gepe conuitioso nomine inclamabatur. Gepa enim in nostra Gothica lingua tardum & stolidum designat. Quo quidem conuitio effectum est, ut Gepidæ se à Gothis alienarent, regnumq; non contemnendæ uirtutis ex se suscitarent, quod postea non solum gentibus inferiori Pannoniæ (quam incolebant) uicinis, sed & suis consanguineis Gothis grauissima belli negotia procreauit, notamq; tarditatis & stoliditatis sibi à principio inustum præclaris facinoribns aboleuit. Huius gentis Rex Fastida, cum Ostrogotha Gothorum Rex Romanas prouincias deuastaret, collectis suorum ualidissimis copijs, duxit in Gothorum terras, siue quod illum inuidia Gothicæ uictoriæ stimularent, siue aliæ causæ ipsum ad ea bella concitassent. Sunt enim qui scribunt Gepidas cum angustius in magna suorum multitudine habitarent, optauisse à Gothis consanguineis suis partem illarum terrarum, quas habebant amplissimas: sed cum diu eis negatæ fuissent, armis ipsas occupare uoluisse, præsertim dum Gothi in longinqua militia impedirentur, quos etiam (ut alij scripsere) putabant in deuictis prouincijs sedes collocaturos. At Ostrogotha nuntiatis sibi Gepidarum irruptionibus, indignè tulit suos gladios à ceruicibus malè meritorum hostium in uiscera consanguineorum reuocari. Proinde compositis in alieno solo rebus, ad propria se recipere contendit. Conueniunt igitur fortissimæ Gothorum & Gepidarum acies apud oppidum Galthis iuxta flumen Ancha: certatumq; est diu & pertinacissimis animis inter eos, quos inuicem armorum similitudo, & similis pugnandi consuetudo in mutuam perniciem concitabat. Demum uictoria ad Gothos conuersa, Gepidas (quamuis usq; ad nocturnas tenebras perseuerantissimè pugnantes) uictos, cæsos, ac prostratos profligauit. Tum Fastida Gepidarum Rex accepta grauissima suorum strage, trepidus in suam regionem se recepit. Neq; Gothi fugientem insequi curabãt, rati ipsum satis pœnarum ob temere attentatum bellum pependisse. Reliqua tempora Gothi in summa transquillitate sub hoc Rege Ostrogotha deduxerunt: qui etiam pacifico fine quieuit.

De eodem per externa exempla.
CAP. XXVIII.

PRæterea Imperatori Seuero (teste Herodiano) Britanni non minus sese opposuere in paludibus, per quas ipsi natãt, excursantq;, ad ilia demersi nudo corpore cœnumq; contemnentes (neq; enim uestis usum cognouerunt) quàm apertis campis, ubi uentrem atq; ceruicem ferro incingunt, ornamentum id esse, ac diuitiarum argumentum existimantes, perinde ut aurum. Corpora pingunt omnifariam formis animalium. Ideoq; non induũtur, ne picturam adoperiant. Insuper Suetonius Iulium Cęsarem testatur nando transnatasse flumina, uel innixum inflatis uiribus ea uelocitate usum fuisse, ut sæpe nuntios de se præuenerit. Præterea Alexandriæ circa oppugnationem pontis eruptioue hostium subita compulsus, in scapham pluribus eodem precipitantibus, cũ desilijsset in mare, nando per CC. passus euasit ad proximã nauem, elata leua, ne libelli, quos tenebat, madefierent, paludamentum mordicus trahens, ne spolio potiretur hostis. Herodotus insuper dicit, in exercitu Xerxis plures Græcos natandi peritos euasisse saluos, quàm

barbaros. Demum Liuius dicit Chlœliam uirginem unā ex obsidibus cum agmine uirginum per Tyberim inter sagittas Romam uenisse saluam. Meminit præterea Saxo prædictus, nobilem quendam Herbortum exercitus ducem, armorum onere retento se credidisse profundo: quosq; gradu non poterat, incredibili nandi uirtute præcessit in Sclauorum irruptionem.

De natatione armati militis per coriarium saccum fistula inflatum.

CAP. XXIX.



SOlent pleriq; milites prouidi in locis marinis, seu stagnalibus belligerantes, dum artem natandi non habeant, secum comportare coriarium saccum cum fistula affixa, qua culeum ipsum sub brachijs ad collum ligatum insufflare poterint, ita ut grauior pars corporis sit infra saccum: qui è corio ceruino (unde pila conficitur) debet consui amplitudine palmari, in forma rotunda, quasi pectoralia trahentium equorum in curru. Fistula autem subtilis sit in parte anteriori, dum sufficienter saccus ille fuerit aëre impletus, & colligatus: eoq; modo securissimè homo nudus, uel armatus modica manus, & pedum motione sese, quò uelit, transferre possit. Sed cauendum est, ne caput incliner deorsum, ne fortè uentus culeo inclusus grauiori mole succumbat. Qui obsidione strictiori marino situ inclusi sunt, uel latis fossis, ne exeant, impeditos se uident, eo remedio suæ libertati consulunt, ubi omnis spes adempta est euadendi per scaphas.

De pueris instruendis in arte natandi.

CAP. XXX.

NAndi tamen usum & peritiam, si quis anteacta ætate per habitum susceperat, plurimam sibi, & Reipublicæ reseruatus afferre poterit utilitatem, prout Iulium Cæsarem plures historiæ feliciter fecisse confirmant, præsertim cū Alexandriam impugnaret, ubi hostium irruente multitudine nando fugere sit coactus, ut superiori capite demonstratur. Meminere prætereà diligentes historici mirabile robur Sertorij, qui in bello Cimbrico grauiter uulneratus, equum amisit, & indutus thoraca, & scutum, atque arma tenens, Rhodanum fluuium rapacissimum per aduersos fluctus plurimum nando traiecit, & non sine magna hostium admiratione ad suos peruenit: cuius laudes Italicus poëta Silius his uersibus egregiè laudat:

Ipse inter medios uenturæ ingentia laudis
Signa dabat, uibrare sudem, transmittere saltu,
Muraleis fossas, undosum frangere nando
Indutus thoraca uadum, spectacula tanta
Ante aciem uirtutis erant, sæpe alite planta
Ilia perfossum, & campi per aperta uolantem,
Ipse pedes præuertit equum, sæpe arduus idem
Castrorum spatium, & saxo transmisit, & hasta.

His

His pauculis uersibus omnes ferè militares exercitationes complectuntur, ut quiuis intelligere posset, inter castrenses industrias nandi peritiam primum, licet periculosiorem, obtinere locum.

De peritia natandi, & eius utilitate.

CAP. XXXI.

QVA quidem arte, & experientia nandi se carere, iniquo animo ferebat Alexander. Is etenim, cum aliquando maximum flumen cum omni exercitu transmittere opus esset, paucos equitum ad tentandum uadum præmisit: cuius altitudo primò summa equorum pectora adæquabat: mox ut in medium alueum uentum est, ceruicetenus equi abluebantur. Tum milites omnes pauore torpebant, & nemo audebat in fluuium se mergere. Hoc cum cerneret Alexander, O me deterrimum, inquit, qui nunquam nare didicerim. Deinde confestim rapto incumbens clypeo, audacter traiecit. Cuius exemplum alij secuti, partim nando, partim equitibus hærendo, partim autem sublatis in uerticem sarcinis, hastisq; nitentes, pedibus transmisere adeò, ut ex tanto exercitu nihil, præter pauculas sarcinulas, desideratum sit: sed sic omnes madidi undique ripis, aggeribusq; fluminis expositi sunt, ut facilè exercitus omnis deleri potuisset, si pares hostium copiæ illum aduenientem excepissent. Est & aliud admirandæ fortitudinis exemplum cuiusdam Scæuolæ, qui apud Britannos præualente multitudine, atq; adueniente nocte, in profundum pelagi se deiecit, duabusq; loricis, & graui scuto onustus, ad Cæsarem nando peruasit: à quo laudatus pro concione, & ex gregario milite centurio factus, uitis honore donatus est. Quanto etiam usui fuit nandi peritia in primo Punico bello, testatur T. Liuius in multis historijs suis. Ideoq; nandi disciplinam acquirant homines per artem, quam omnibus alijs animantibus exhibuit ipsa natura.

LIBRI DECIMI FINIS.

OLAI MAGNI GOTHI ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS DE BELLIS GLAcialibus

LIBER VNDECIMVS.

CAP. I.





REperiũtur in annalibus Septẽtrionalium regionum tam uetusto, quàm recenti tẽpore, inter Ruthenos, seu Russos, aut Moschouitas, & Sueones, siue Finnos, ob diuersas, sed arduas causas, tã in mari quàm in terra, atq; plana glacie, & densis altisq; niuibus, sæpius atrocissima fuisse cõmissa certamina, forteq; militari, & fortuna uariata, nunc uni, nunc alteri parti (ut fieri solet) strenuam uictoriam adiecisse: quæ rursus deuicta, in horribilem prolapsa sit calamitatem. Huiusq; discriminis causa est loci, temporisq;, ac gubernatorum circumstantiæ, quæ in talibus celerrimam accelerant occasionem. Cernuntur hic duæ fortissimæ arces: quarum altera interiecto profundo, & uerticoso gurgite, dominio magni Magistri Liuoniæ (sic enim maximæ prouinciæ Princeps appellatur) subdita est: altera uerò magno Principi Moschouitarum pertinet. Vna tamen Naruen regimini Christianorum Liuoniensium, & altera schismaticorum Moschouitarum subiecta est: quæ arx Moschouitis subiecta, tanto naturæ munimine, ob circumcurrentes aquas, & armatas uires, se tuta perenniter dudum credidit, ut nullius etiam potentissimi hostis insultum expauescere uellet. Sed hæc insania uti fallax extitit, ita & repentinam, & ineuitabilem experta est calamitatem. Nam Suecorum, Gothorumq; illustrissimi Principes, Steno Stur antiquior, & Suanto, multis & grauibus Moschorũ iniurijs, ac perfidijs prouocati, post arduissima bella, ac damna eorundem Moschorũ potentibus prouincijs, ac populis illata, exercitum quinquaginta millium armatorũ, prædictamq; arcem Moschouitarum aggredientes, ferro, flammaq; (speculãtibus amicis Liuoniensium castris) insuperabili furore expugnarunt, ut Moschi cruciabiliter uulnerati, multis interemptis, ac combustis, uix fuga sibi peperere salutem. Hacq; arce superata, inæstimabile spolium argenti, & pretiosarum pellium zebellinarum Principibus Suecis, & Gothis antedictis, & exercitui eorũ cessit in prædam, ut inde perpetuò gloriarentur pro grauibus arduorũ præliorum molestijs, tam æstu, quàm frigore perpessis, maximis spolijs onustos triumphasse. Sed hæc optima spolia, uti superatis hostibus irrecuperabili damno, dolorique fuerunt, ita & Principibus prædictis, & amicis, ac terris eorum, ob discordiam pretiosissimæ prædæ hincinde usurpatæ, perniciosum, ac inextinguibile odium (unde postmodum regnorum ruina orta est) excitarunt. Hanc itaq; arcem ab hostibus militari fortitudine erutã, cum magnus Magister à Suecis uictoribus gratis, & dono oblatam, suo dominio formidaret adiungere, flamma imposita, exportatisq; ingenti-



bus spolijs per Finlandiam in Suetiam, & Gothiam, uictor exercitus est reuersus. Tanta tamen copia ceræ (quę Orientalium negotiatorum immensus quæstus est, & dominorum diues tributum) in eadem arce, ob importabilem grauitatem, relicta est, ut flammis resoluta, nauigabile iter per magna locorum spatia exundatione sua reddere posset.

De conflictu glaciali.

CAP. II.



NEQVE minori bellandi impetu Sueci, ac Gothi contra Moschouitas, seu Ruthenos, pacta constitutæ pacis ob ardorem rapinarum in finibus Finnonici maris uiolantes, super aperta glacie, quàm in ipsa solidissima terra confligunt: imò, ut prius dictum est, ubi anteà æstiuo tempore acerrima commissa sunt bella naualia, eisdem in locis glacie concreta aciebus militari modo instructis, bombardisq; ordinatis, habentur horrendi conflictus. Adeò solida glacies est in equestribus, ac pedestribus turmis sufferendis, ampliter uel strictè collocatis. Neque mirum, aut incredibile cuipiam, Latiali præsertim homini uideatur, quomodo equorum ungulæ in lubrica glacie firmari poterunt, ut nedum impetuosissimè cursitent, sed & in gyrum uersi, atque ad cursum agitati, armatum sustineant pugnatorem. Equi etenim adeò firmati sunt in pedibus adunco ferro, & clauis acutis, ut nusquam, quantumcunque plana sit glacies, sessori de lapsu sit formidandum: imò talibus equorum ferramentis glacialia frusta impetu fugientis excisa, in faciem immittuntur insequentis, ut illicò moribundus corruat, uel uulnus recipiat, non facilè curandum.

Exemplum habes in uita Caroli, suprà lib. 8. cap. 28. pag. 315.

De irruptionibus Moschouitarum, seu Ruthenorum.

CAP. III.

MAgno gentis suæ numero non tantum ad præliandum, quantum prædandum pro maiori parte exiguo, uel nullo seruato ordine militari, ad bella proficiscuntur Moschouitæ, præcipuè qui limites regni Suetiæ, ac magni ducatus Finlandiæ præliaturi, aut prædaturi accedunt, prout in annalibus eorundem regnorum, præcipuè circa annos Domini millesimo quartocentesimo nonagesimoquinto, uiribus sexaginta millium hominum factum fuisse commemoratur. Causam motæ irruptionis posuere trium parochiarum collimitanearum, scilicet Egrebpe, Iasche, & Saualax, atq; de fluminibus earum repetitionem: quasi æquius ad eorum pertinerent ditionem, quàm regni Suetiæ iurisdictionem. Sed reuera stimulatione Ioannis Danorum Regis tãta colluuies eò ingressa est, ut maxima regni Suetię prouincia subiugata, partem iuri & dominio Moschorum subijceret, & partem dominio eiusdem Regis Danorũ subiugaret: quemadmodum paucis inde euolutis annis, anno M. D. posteà in Regia ciuitate Holmensi legati

Moſchouitarum eidem Regi Ioanni in quadrageſima propoſuerunt, aſſerentes pactum hoc oſculo S. Crucis inter utroſque principes pro humilianda, ac uſurpanda corona Suetiæ, ſolenniter fuiſſe ſtabilitum. Sed utraq; pars in meditationibus ſuis ſubitò fuit exinanita, ut Rex Ioannes in ſuam Daniam (relicta Regina Chriſtina, de Ducibus Miſniȩ, muliere optima) fugere ſit coactus, & ipſa Moſchorum turma hoſtiliter humiliata, atq; more prædonum repulſa ad patrias redire habitationes, ea memoria cladis accepta, ut Danorum perſuaſione nunquam dominia Regis Suetiæ aliena ſtimulatione, uel proprio auſu præſumpſerit impugnare. Vtcunq; ſe res habet, cum Daniæ regnum paruulæ telluris anguſtijs (teſte Saxone) clauditur, importunè, & aſtutè prouidere ſolet, ut ampliſsima uicinorum regnorum Suetiæ, Gothiæ, & Finlandiæ dominia multorum principum confœderationibus, & auxilijs uſurpare poſsit, præcipuè Moſchouitarum, ſeu Ruthenorum ex Oriente, Scotorum & Gallorum ex Occidente, & Germanorum ex Meridionali plaga: quæ nationes ſimul coniunctæ, in Suetiam ſubiugandam uenientes, citius tumulum inueniunt, quàm triumphum.

De Ioanne Danorum Rege, & prælio Moſchouitarum, necnon Stenone & Suantone principibus, quorum primo huius libro capite mentionem Olaus fecit, Vide lib. 9. cap. 21. pag. 363. & ſequentibus.

De ſpecu horriſono, Smellen uulgariter dicto.

CAP. IIII.



Viſum eſt ſuperiore capite, glaciei tantam ineſſe fortitudinē, ut equeſtres, pedeſtresq; bellatrices turmas facilimè ſufferre poſsit. Iam q; intuendū erit, ſpecum ſubterraneam fore prope littoralem urbem, Viburgum appellatam, eiſdem Moſchouiticis terris plurimum uicinam: quæ eius ſecretæ uirtutis eſt, ut animali uiuo in ipſam proiecto, tam horribilis ſonus excitatur, quòd ſua excellentia aures propè poſitorum ſuffocat, ne audire, aut loqui, uel ſtare poſsint: qua uirtute multò plures, quàm uehementiſsima bombarda interimit, uel debilitat in momento. Sed neq; hoc naturæ opificium uidetur eſſe otioſum. Ingruente enim hoſtilitate præfectus terræ iubet omnium aures concludi cera, cellarijsq;, ac antris abſcondi uicturos: & demum ſe muniens, animal aliquod uel haſta, uel fune præcipitat in os ſpeluncæ: unde tam horridus excitatur ſonus, ut hoſtes obſidentes in circuitu, quaſi mactanda pecora collabantur, lapſiq; (ſi incolis uiſum eſt) longo interuallo remaneant ſpoliandi. Sed nulla uoluptas ultionis ſumendæ uictoribus ineſt, quando naturæ potentia tam fortiter opprimi uidentur inimici: qui mox ut ſenſum ceperint, non prœliandi, ſed fugiendi tempus aſſumunt, ne ſono iterum excitato, tandem moriantur, uel mortifera ægritudine contracta, paululum etiam fugientes ſuperuiuant. Quo caſu euenit, ut qui armis, & uiribus à bellico furore reprimi non poterunt ſolo terrore mugientis naturæ tabeſcunt, priſtinum uitæ robur tardè, uel nunquam recuperantes.

De eodem



De eodem.
CAP. V.

Miserandum, & infelix huius calamitatis exemplum, plus ceteris hostibus Rutheni, seu Moschouitæ, multis millibus suorum amisis, quandoque ad posteros reliquerunt, ne uicinas gentes, maximè Finnos, superba multitudine gratis opprimere pergāt. Hi etenim Finni & mutuis presidijs, & Gothicis, ac Suecicis armis, magicisq; artibus, & elementorum secretis uiribus sese, suasq; terras inconcusse seruare solent. Huius autem specus ratio undecunque constat, à prouido semper uiro dirigi, ac custodiri debet, etiam intra plures, ut hic cernitur, circumpositos muros: quia eius, ut aliarum rerum secreta natura in maxima potentia sita est, ita leuiter haud ueniet percipienda, prout Plin. libro 2. cap. 95. miracula terre potius appellat, quam scelera nature: quibus cœlestia uix sunt narratu difficiliora, ignium scilicet tot locis emicantium, perpetua tot seculis incendia: spiritus lethales alibi aut scrobibus emissi, aut ipso loci situ mortiferi, alibi mortiferū spiritum exhalantes, alibi locū esse, quē qui intrauere, moriuntur: alibi fatidici specus, quorum exhalatione temulenti futura præcinunt, ut Delphis nobilissimo oraculo: quibus in rebus quid posit aliud causæ afferre mortalium quispiam, quàm diffusè per omnem naturæ ordinem subinde aliter atque aliter disponere erumpens numen? Surgunt etiam naturales uenti in profundis hiatibus terræ geniti: qui licet ad propositum parum faciunt, tamen ob similitudinem adducuntur. Asserit enim Plinius alibi, in Dalmatia specum esse, uasto hiatu precipitem: in quem deiecto leui pondere, quamuis tranquillo die, turbini similis emicat procella. In domibus etiam multis manufacta, inclusa opacitate, conceptacula auras suas habent: quæ & generali appellatione uenti sunt.

De prælijs Finnorum contra Moschos.
CAP. VI.



Qvemadmodum amplissimus, ac potentissimus sit principatus maximi Ducis Moschouitarum, ac Ruthenorum, ita & titulum sue ditionis amplificat, & extendit, prout litere eius nouissime per quendam Demetrium Clementi 7. transmissæ, attestantur in hunc modum: Magnus dominus Basilius Dei gratia Imperator, ac dominator totius Russiæ, nec non magnus Dux Volodemariæ, Moschouiæ, Nouogrodiæ, Plescouiæ, Smoleniæ, Isferiæ, Iugoriæ, Permniç, Vetchę, Bolgarię, &c. dominator & magnus Princeps Nouogrodię inferioris terræ, Cernigoniæ, Razanię, Volotchię, Rozeuiæ, Blechię, Roscouię Iaroslauiæ, Belozeriæ, Vdoriæ, Obdoriæ, Condinięq; &c. Datum in ciuitate nostra Moschouia anno ab initio mundi septimo millesimo tricesimo, tertio Aprilis. Verum hunc titulum tam magnum, & amplum, uicinæ nationes plus mirantur, quàm eius uires formidant, maxime Finni, qui sępius prouocati, non desinunt tam potentibus eius titulis, & populis insidiari. Sed non tam frequenter in campis (nisi asperrima hyems fuerit) quam aquis in plurimos amnes, lacusque diuisis: uerum ut plurimum latrunculi sunt pro utraque parte ardore (ut supradictum est) rapiendi preliantes Sed neque ob hanc minutam rationem principes Aquilonis in apertam hostilitatem ruunt. Pręscriptæ enim sunt causæ, quibus irretiti

pro utraq; parte satis aspero cruciatu plectuntur, prout superius libro 7. de transgressoribus, seu falsarijs monetarum, fuerat declaratum.

De modo latrocinandi Moschorum.
CAP. VII.



RVtheni, seu Moschouitę, quàm perniciosam in piratica, seu latrocinandi studio peritiam, ac astutiam habēt, paululum suprapoſita figura declarat. Dum enim Carelos, siue alias uicinas gentes latronum more inuadere prædisponunt, societate congregata, atq; certis legibus & pactis instructa, lembos abietinos longos, ac leues, 20. aut 25. hominum capaces, in solitudinibus diligentius asseribus planis & subtilibus fabricant, eo uidelicet ordine, ut pars dolabris eos cauat: pars picem in subterraneis specubus (ne fumo prodantur) ex pineis stipitibus, aut scandulis concoquit: pars cuspides iaculorum, ut indurescant, adurit: pars arcus, & neruos, sagittasq; adaptat. Pro omnibus enim similibus instrumentis materiā aptissimam habent solitudines illæ. Quibus uidelicet lembis paratis, pariter eos in aquas uelut classem latrunculi immittunt, & armis instaurant. Deinde uicos, uillas, castella, nauesq; onerarias in Albo lacu, uel Venedico sinu, uel Liuonico mari sub anchoris stantes, spolia rapturi aggrediuntur. Nec bona spoliasse, aut diripuisse contenti, sed etiam innata crudelitate sine quocunque discrimine, & discretione, homines talibus ingenijs superatos, in gurgitem mittere suffocandos satagunt.

De eodem.
CAP. VIII.

TAliquę prosperitate freti adeò insolentes euadunt, ut naues maiores marina tranquillitate retardatas, circa tabulas aquis uiciniores, obterebraturi aggredi, & molestare nō formidant: sagittis enim, ne supernè à proprijs defendantur, nauigia satis acriter auertere contendunt. Attamen rarissimam pro tantæ præsumptionis audacia uictoriam consequuntur, quia tormentis, ballistis, & iactilibus saxis frequentius repelluntur. Deinde dum consyderant se non satis diu post illatam uiolentiam, & rapinam inter homines afflictos permanere securos, aut ulteriori omnium dispendio publicam exercere piraticam, lembos humeris impositos, in abdita syluarum referunt, quorum secretiora loca intimius cognoscunt: ut rursus eisdem pro similibus latrocinijs exercendis, opportuniore tempore uti possint, interim præsidia in nemoribus firmantes, ut in his tanquam secretioribus heremi locis, spoliorum abundantia se nutriant, ac armis tueantur. Verum uti facinus eorum horridum est, & perniciosum, ita promptissimos uindices illicò inuenit in sui ultionem. Venatorum namque diligentia, & sagacitate primùm latronum syluestria præsidia explorantur: deinde turmatim exeunt populi furuis armis induti, hostium uires usque ad extremam internecionem deleturi. Neque tamen id sine cruenta uictoria uenit, dum latrones sceleris conscij, pro uita tuenda quasi agonizantes decertant. Ad extremum tamen uiribus fracti, partim ad montium antra, partim ad terrarum cauernas, partim ad densos arborum ramos scandendo se recipiunt, eò securiores se putantes, quò secretiora hæc loca anteà ad tantum facinus perpetrandum prælegerant in ea solitudine uasta.

Sed

Sed Dei uindicta exigente, neq; eo modo aut loco uitam, aut emunitatem merentur, qui tam diris cruciatibus innocentes opprimere consueuerunt. Omnes enim sine ulla clementia lembis, & præsidiarijs ædibus impositi, comburuntur. In cauernis uerò, & antris latitantes, grandibus admotis saxis, & palis uiui, miseriæ prolixiori, fame uidelicet relinquuntur interimendi. Qui densis arborum frondibus se tutos opinantur, latratu canum proditi, nisi de uita redimenda paciscantur, mox sagittis opplentur, ut decidant in terram morituri. Nec alia apud eos efficacior uis est inuestigandi syluestres grassatores, & fures, quàm odoratu, & latratu canum uenaticorum.

De externis exemplis.
CAP. IX.

ITerum exurgit mirabile facinus in simili casu nauium trahendarum, prout in Reginonis historia refertur, uidelicet Nortmannos duorum millium pasibus naues per terram traxisse, ut Burgundiam spoliarent, & Parisios: & demum in Sequanam immersisse. Præterea Iustinus uolumine 32. asserit, Regis Colchorum ministros, Argonautas raptores filiæ, insequentes, naues suas humeris proprijs per iuga montium usq; ad littus Hadriatici maris transtulisse. Si uerò ijdem equestres Colchi bellare contendunt, tunc indisciplinata multitudine, ac clamore concurrunt, quemadmodum Damianus à Goës Lusitanus, Indianarum rerum fidelis scriptor, in Aethiopum prælijs fieri attestatur: qui etiam, ubi ceciderint equo, sicut Parthi, & Moschouitæ prædicti, fuga non euadunt, impediente cursum fluxa, longaq; ueste ad pedes usq; deducta. Præterea non pauca loca reperiuntur in Septentrionalibus regnis, in quibus incolæ, ut arceant hostilem classem, modico collium spatio naues attrahere, & inimicis opponere solent, præcipuè circumquaq; per regiam Holmensem, ubi salsi maris, atq; aquæ recentis plures sinus sunt: per quos, si prouidi ciues sunt, facilimè hostes opprimere, uel abigere possunt. Loca autem ea uolens hic taceo, ne innotescant inimicis: qui cum ea inciderint, insidiasq; posuerint, plus sibi, quàm aduersarijs nocuisse deprehendent, prout superius de militaribus cautelis discretius est notatum. Natura tamen Moschorum, ueluti & Parthorum est, leuibus armis, & equorum celeritate prædam abripere, & fugam intendere, dum forti animo cataphractos habentes equos, potius pugnam decernere, quàm accipitrum instar hostem euolando ferire contendant. Vbi uerò classe, lembis, scaphis, uel myoparonibus agendum est, mira celeritate regnicolæ uti solent, ut opportunis locis Moschos, Russosq; spolijs omnibus exutos interimant, uel in fugam conuertant, uel captos arcibus uicinis dura seruitute premendos includant, aut persequi non desinant, donec consumantur in fuga, uel sese loco munitos defendentes, ad turpem deditionem (tametsi efferatè resistant) compellere posint. Eoq; modo expectata securitas reducitur ad incolarum diuturnam tranquillitatem.

De modo recipiendorum oratorum apud Moschouitas.
CAP. X.

PErhibent nonnullæ Septentrionalium regnorum ueteres historiæ, quosdam Principes Moschouitarum miris præstigijs Regum & Principum legatos excepisse, atque adhuc excipere solere. Siquidem elegerunt, nuncq; pro tempore ex plebeia multitudine quamplurimos procerioris staturę uiros, insigni canitie, & prolixioris barbę forma spectabiles, elegantisimo cultu, uestitu scilicet Principis, eos exornantes, eligunt, ut in amplisimo nobilium cœtu hincinde cum silentio



ſilentio ſedentes, ſui ornatus ſplendore, & multitudine oculos perſtringant ingredientium oratorum: qui tanto apparatu faſcinati, aut territi, nihil auſterũ proponant, uel propoſitum communibus eorum ſententijs annuant concludendũ. Sed is apparatus, uti mentitam magnificẽtiam continet, ita & frequentius in ſuo exitu uileſcere iudicatur. Longè etenim ab ea æſtimatione aberrãt, quam ſe putauerant conſecuturos. Nam expertioribus legatis, qui latius arduis deductis negotijs penetrauerant orbem, totus ille ſplendor, præſtigioſusq; cultus, contemptibilis apparet, & pudendus. Præterea mos eſt apud Tartaros, ut legati, antequam eorum Imperatori cõmiſſa proponãt, inter duos ignes ire cogantur, ea potiſsimum cauſa, ut ſi uenenum portauerint pro intoxicando Principe, ardore ignis in portitorum necem prius diſſoluatur. Noluntq; aliter eoſdem legatos audire, niſi munera ferant, flexiſq; genibus commiſſa loquantur, cæteraq; cœlicolis debita homini mortali impendant: & hæc facere recuſantes, uix ſine uitæ periculo abſoluuntur, prout latiſsimè Vincen. in ſpe hiſto. lib. 31. cap. 21. & ſequenti atteſtatur. Vt autem hic ritus recipiendorum legatorum apud Moſchouitas, clarioribus oſtendatur exemplis, inſerendã eſſe uolui Sereniſsimi Regis Poloniæ legationem, anno Domini M. D. LI. ad Ducem Moſchorum, ordine quo ſequitur, inſtitutã. Orator Regis Poloniæ Matthæus Barthlomieuicza Kneze Gedroitzki, uir nobilitate inſignis, per milliaria Germanica CC. à Vilna ciuitate celebriori Lithuaniæ, ad Moſquam Moſchouiæ metropolim perueniens, Moſquam ingreſſurus conſummato prædicto itinere, aliquot equitibus ad hoc à magno Duce deſtinatis ſuſceptus eſt: ac poſteà paucis diebus elapſis, ad tradendum Regias literas ſolemni pompa (uti Moſchouitis uiſum eſt) in arcem per duo atria, quæ homines proceræ ſtaturæ, ac prælongam barbam nutrientes, & plerunq; ſeruilis conditionis, in ſubſellijs orbiculatim ſedentes, ſplendidiſq; ſatis amictos ueſtibus, ad magnum Ducem pertinentibus, ut poſsint ſolummodò ex longinquis oris uenientibus oſtentare ſuæ aulæ magnificentiam, continebant: ad palatium tandem, in quo magnus Dux unà cum ſuis principibus, etiam eiuſdem formæ indutis ueſtimentis, morabatur, introductus eſt. Magnus autem Dux in ſella aliqua, ab alijs principibus multum ſeparata, longa talari tunica ex ſerico uilloſo, cuius extremæ oræ margaritis unionibusq; prætextæ, indutus ſedebat, ac ſcipionẽ, ſiue baculum, ſuperiori ex parte inauratum, inferiori uerò argento inductum, cui innitebatur, manu tenebat: deniq; in capite ſuo mitra (quod illi ſua lingua Kalpack appellant) de præſtantiſsimis ſubnigris uulpinis pellibus (quæ iſtis in terris maximo in pretio, longeq; ſuperant zebellinas pelles, quoad æſtimationem) impoſita erat. Quando autem legatus palatium ingreſſus eſt, illicò qui eum adduxerunt, ac Magno Duci præſentabant, in pauimentum coram eo ſe proſternebant, ac capite terram terq; quaterq; (quemadmodum Moſchouitis moris eſt, hoc modo reuerentiam ſupremam ſuo domino exhibere opinantibus) quatiebant. Verùm oratori ad fores diſtanti 50. pedum à magno Duce, unà cũ famulis ſuis, quorum 12. cum illo aduenerãt, conſiſtere, per procuratorem ſibi (quem illi Prziſtauu uocant) conſtitutum, iuſſu magni Ducis iniunctum eſt, nec propius ad eum progredi permiſſum: ibiq;, donec ad magnum Ducem orationem haberet, ac Regias literas ſecretario ad hoc deſtinato traderet, perſtitit: cuius quidem Regis literas, orator magni Ducis, aliâs dum in Polonia eſſet, quòd ſuum dominum Czar Ruſki (hoc ſonat Cæſarem Ruſsiæ) à Metropolitano iſtius terræ ſic creatum, minimè compellarent, atq; hanc ob cauſam idem Dux proprium oratorem poſtmodum

miſit,



misit, recipere recusarat. Posteà dictus Regis Poloniæ orator à procuratore iterum in hospitium satis magna pompa, ostentandi gratia deductus est. Hæcq́ de modo recipiendi oratores apud Moschouitas sufficiant.

De Italico oratore crudeliter occiso.
CAP. XI.

INsuper Albertus Crantzius historicus Germanorũ insignis, in sua Vandalia asserit, oratorem Italum, eo quòd caput suum totaliter corã Principe Moschouitarũ uerba facturus nõ nudaret, crudeliter fuisse interemptum. Cum enim orator patriæ suæ consuetudinem (qua nullius dignitas, uel maiestas tecto capite orantis offendi putaretur) allegaret, efferus Princeps ferreo clauo tegumentum cerebro coniungi iussit, irrisoriè asserens, se ritum huiusmodi tali memoria non uiolaturum, sed confirmaturum. Quo crudelissimo facto tantam infamiam, & uilem opinionem sui nominis omnibus in orbe Principibus, ac eorum oratoribus intulit, quòd etsi pro tempore quiuis potentissimus Moschorum Princeps nunquàm ad similem insaniam, & barbariem, ob euitandam detestabilem horrendi sceleris ad memoriam, sit peruenturus: tamen suspicio inauditæ crudelitatis perpetratæ, plena terroris, perenniter inualescet, ne fortè sopitæ absurditati successor regiminis adhuc superadderet deteriorem, quemadmodum de quodam Cardinali propagandi Christiani nominis, unitatisq́; in ecclesia Dei reparandæ studiosissimo, memoriæ proditum est: qui cum Ruthenis, seu Moschouitis concordiæ ineundæ, unionisq́; fidei suscipiendæ fidissimus autor esset, ab illis indignè excoriatus est. Propterea prudentis uiri, præcipuè Principis, officium erit, ut peregrinas, & nondum cognitas nationes beneuolentia, & humanitate concilier: quia ex hoc necessario crescet suauis concordia, ut opus non sit de uicinitate collidere, aut truculenti regiminis horrendum nomen incurrere, uel tam ferocem, barbarum, et inhumanum cæteris omnibus obijci, ut potius, & tutius feris, ac bestijs communicandum sit, quàm talibus spectris omne malum agentibus sub humana forma. Sed admirabile est, quod magna pars Principum Aquilonis antequam uenerint ad principatum, coronam, aut maiestatem, tam humani, benigni, & modesti uidentur, qua si ad delicias, & aurea secula geniti, exaltatiq́; uideantur. At habita autoritate, & potestate omnibus importabiles, paucis exceptis, stupidi, auari, feroces, & inhumani fiũt, ut qui prius reputati sunt intimi, posteà omnium suspectissimi reddun tur, et in omni momento sub formidine seuerissimæ mortis expauescendi. Vnum tamen omnibus commune remedium est, quòd eorum regimen, & gaudium est instar puncti ad æuum transiens, nullo fine claudendum.

De ingenio negotiatorum Moschouiæ.
CAP. XII.



HAc imagine propè cum titulo cõcordãte, qualiter Moschouitæ negotiantur, satis apertè monstratur: etiam ex prioribus lembis latronum humeris, ut cernitur, deportatis. Negotiatorum tamẽ huius gentis alius mos est, nouas scilicet diuersis occurrentibus stagnis, & fluminibus fabricare naues, & merces eisdem immitere comportandas. Iter enim questus causa in Septentrionalibus terris institutum, ad 300. uel 400. leucas se extẽdit: in cuius spatio cum

 syluæ, atq́;

syluæ, atq; longi amnes, uel lacus frequenter occurrunt, comportatis rebus, nauibus iam fabricatis, aut fabricandis utuntur. Nec est qui de iniuria, aut incisione syluarum, uel piscatione talium mercatorum querulatur, modo ultra hæc naturę dona alia non usurpauerint, patronis ignorantibus, aut inuitis, ueluti iumentis pro eorum nauibus pertrahendis, aut edendis pecoribus: loco quorum carnibus ferinis inter itinerandum sagitta quesitis, abundè utuntur. Merces autem eorum sunt pelles pretiosę, & omnigenæ sortis apud eos in pretio, uidelicet zebellinæ, mardurinæ, & uarolinæ, alias uulgari Italico Dossi dicti: de quibus superius, ac inferius nonnihil est annotatum, & annotandum.

De diuersis modis prœliandi Finnorum.

CAP. XIII.



CVm apud Finnos, seu Finlandos populos Septentrionales, ob eorum nimiam ferociam, grauibus pœnis censura Regia edictum sit, ne domi in mutuam perniciem bellicis armis utantur, uidelicet lanceis, telis, iaculis, gladijs, aut pugionibus oblongis: attamen securium, dolabrorumque usum pro domestica necessitate leuanda omnimodè permissum habent: quibus etiam conficiunt structuras admirandas. Verum ne defensorijs armis, quibus sese à Moschouitis latrocinantibus nimium uicinis, opportuno tempore defendant, carere uideatur, hastatis fundis primos insultus sufferunt, aut repellunt. Deinde cominus certaturi, iactilibus saxis cingulis eorum alligatis se tuentur. Fortissimi enim sunt brachiorum, atq; plurimum iaciendo experti, ita ut nullus frustra pereat iactus. Habent etiam longissimas hastas abietinas, sole arefactas: quarum cuspides clauis, uel sudibus acuunt. Hicq; uelitum, seu leuium equorum impetum primi repellunt. Quidam restibus instar retium ferinorum ductilibus sublimi iactatione utuntur. Vbi enim cum hoste congressi sunt, inijciunt eos restes quasi laqueos in caput resistentis, ut equum, aut hominem ad se trahant. Quidam etiam lapide pugillaris quantitatis funiculo quatuor palmorum longitudinis (quibus ferrei, uel plumbei globi, uel catenulæ ferreæ non sunt) baculo alligato equitum brachia, uel equorum pedes inuoluunt, trahẽdoq; in casum repentinum retorquent. Nec minus eisdem Finnis adiutorio sunt maximi, ac mordacissimi canes: quos non minus equi Moschouitarum horrent & fugiunt, quàm Persici equi camelos. Hi etenim canes saltu, et morsu (prout disciplinati sunt) naribus equorum insidiantur: quo euenit, ut ea formidine subitò se in posteriores pedes erigant, equitem abijcientes, illico interimendum, uel captiuandum.

Adhuc de eorundem armis, & munimentis.

CAP. XIIII.

VTũtur & ijdem Finni pro corporum munitione, partim thoracibus è corio phocarũ calce macerato, partim corio alcium iubato: quod superfusa aqua (si hyeme bellandũ sit) congelari permittũt, nec glacies pilis forinsecus adhærens sudoribus portantis à concepta duritia relaxatur. Galeis quidem eorũ instar squamarum piscium ex ungulis alcium, siue rãgiferorum (de quibus inferius lib. de animalibus plura dicentur) aut boum ingeniosè connexis utuntur: quidam uerò certarum uolucrum exuuijs intrinsecus filis ferreis diligenter contextis: quidam coriarijs ga-

riarijs galeis ex ſpiſſa, humidaq; cute calce decocta, ſuper ligno ad formam capitis, contracta, eaq; aëre ſenſim ſiccata, tutiſsimè muniunt caput. Verum galeas huiuſmodi, ne capite incaleſcente flacceſcãt, ſubtili cortice arboris populeo intus piſcium uiſco (qui liquoribus reſiſtit) confirmant. In ſimili etiam caſu refert Herodotus lib. 7. uni ex ſupremis pręfectis, ſeu ducibus Xerxis Perſarum Regis accidiſſe. Ait enim: Tertius horũ collega Pharnuches, Sardibus erat relictus ægrotus: nam cum Sardibus proficiſceretur, in calamitatem incidit inſciens: equitante enim eo, canis ſub pedes equi intercurrit. quo equus improuiſo deterritus, atq; erectum ſeſe attollens, Pharnuchem excuſsit. Hic collapſus ſanguinem euomuit, nactusq; morbum, qui in phihiſim euaſit. Equo autem à caſu ſtatim domini, fecerunt famuli, ut ille iuſſerat. Abducto namq; in eum locũ, ubi dominum ſtrauerat, crura cum genibus abſciderunt. Nec omittendum eſt hoc paſſu, quòd Regem Armenię Tiridatem (de quo Ioſephus lib. 6. belli Iud. cap. 42.) ſupradicto artificio propè captum quidam miſſo laqueo circundatum tracturus fuerat, niſi celeriter gladio rupiſſet laqueum, atq; ita fugiſſet.

De præfectis Septentrionalibus Regis Suetiæ.
CAP. XV.



QVemadmodum ſuperius dictum eſt de præfectis Islandiæ, id eſt, terræ glacialis, qualiter edicto Regis Noruegiæ iura reddendo lites pro portubus illius terræ molas auerterẽt, aut inter mercatores Germaniæ flagrantes, iuſta pœna corriperent eò nauigantes, ne uel ipſi negotiatores legitimo quæſtu, uel ipſi incolę ſuo commodo uel ipſe fiſcus debito tributo, & omnes amœna commutationis pacifica ſocietate priuarentur: Ita & in his Finnonicis terris populoſiſsimis, & opulentis, Regis Suetię pręfecti, uiri ſagaces, & prudentes ſtrenui, & manſueti, ut iurgia tam indigenarum, quàm alienigenarum recto iuſtitiæ tramite auferant, & pacem unicuiq; adiudicent, conſtituuntur. Quantò enim ferociores, auſterioresq; eo ſub climate reperiũtur populi (prout reuera ſunt) tãtò prudentioribus uiris opus eſt, qui magis ſuadeant (ſalua iuſtitia) quàm rigidè cogant, ſpolient, uel tormentent: eoq; caſu nedũ præſcripta tributa alacriter exhibent, ſed ad quæuis imperata, etiam ſi periculis mortiferis annexa ſint, ut eis obediant, ſeſe promptiſsimos reddũt. Talibus præfectis prudẽtibus, iuſtis, & moderatis, ſemper floruerant Aquilonaria regna cũ Regibus, et principibus ſuis, ut ſuauiter recordari cõgruit antiqui Stenonis Sture. 24. annis duriſsimum populum ſpatio bis mille Italicorum milliariũ ſtrenuè, & pacificè moderãtis, & rurſus Regis Caroli ob auaros, contumelioſos, ac uiolentos omniũ ſuarum prouinciarum præfectos, 7. annis exulantis. Quid etiam cęteri ante eũ Reges in extrema calamitate ob inſatiabiles officiales paſsi ſunt, ex annalibus eorundem (quatenus opus fuerit) curioſus inquiſitor teſtimonium ſumat, & inſuper ab externis, uidelicet Caroli Magni inuictiſsimi Imperatoris ſicuti et Alexandri Magni, ac Pompeij Magni, & Cõſtantini Magni geſtis, quòd eorũ ſemper maximũ augebatur imperium, & glorioſum nomen, opera prudentiſsimorum officialium, ac præfectorum: quorũ, uti etiam mãi ſuetorum Pontificũ, conſilio & præſidẽtia idem Carolus Magnus uſus, auſteriſsimã gentẽ Saxonicam, infinitis diſcordijs, & ruinis attritam, conſtitutis optimis legibus ad optatiſsimam pacem, concordiam, et omnem felicẽ conditionẽ reduxit.

De Stenone, uide lib. 9. cap. 21. pag. 363. De Carolo, lib. 8. cap. 28.

De arcibus uiolentorum præsidum comburendis.

CAP. XVI.



RVricolæ, seu communitates, sentientes se quandoq; incessabili uiolentia ab iniquis præsidibus præter omnem æquitatem uexari, ad amaritudinem prouocati, fortissimas arces ampla glacie circundatas cohortibus ac turmis, quasi uir unus, modo quo sequitur, aggrediuntur debellandas. Quoties enim in Septentrionalibus regnis intolerabilia uulgi onera (nulla exigente necessitate) uel aliæ crudelissimæ oppressiones inducuntur, toties ui publica armorum grauaminibus tam atrocibus perpetuè infringendis obuiatur, ita uidelicet quod incolæ, seu rustici (qui semper potentes, & uniti ibidem sunt) huiusmodi fortalitia demoliturí, condicto tempore plura millia eiusdem territorij in sylua ac glacie arcibus uiciniore conueniunt, communi ferocia repētè quid faciendum sit consulentes, & concludentes. Inter quos uiri acrioris ingenij, breui exhortatione ad multitudinem furentem super passis, ac patiendis grauaminibus exposita, unicuiq; agmini sub ductoribus seuerioribus officia distribuunt opportuniora: alijs, ut machinas fortissimas, ac altas subitò è lignis super glaciem cōstruant: alijs, ut multa millia fasciculorū penes eos è sylua excisa comportent: alijs, ut magistros operis ballistis, & armis per excubias à tyrannicis incursibus tueantur, donec omnibus paratis unanimiter institutum negotium aggrediantur: quo fit, ut primum machinas, siue propugnacula, contra hostium tormenta, uel sagittas securissimè antrorsum in lubrica glacie trudant, manipulatimq; fasciculos infinita multitudine & humeris, & uehiculis cōgestos, super muros, & mœnia iactēt, donec eorum altitudine uel superata, uel æquata, ignibus immissis flamma, & fumo absumantur inclusi: qui neq; periculum hoc auertere, neq; sese ob immensam combustibilis materiæ molem defendere possunt, aut æquis conditionibus apud inexorabiles, & furiosissimos hostes inuenire: neq; fugere conceditur, ob multitudinem ad omnem cædem, & truculentiam excitatam. Nec aliter quàm stupa exardescens, comburuntur hæc fortalitia: quæ incendijs obnoxia sunt. Maiori enim parte non latere cocto, aut campestribus saxis, sed ex densis sylujs (ob arcendum frigus) coagmentatis lignis concamerata ædificia constituuntur, prout infrà dicetur de domibus Aquilonarium regionum.

De eodem.

CAP. XVII.

QVot autem, & quando, ac ubi sæuiens communitas Gothorum & Suecorum combusserat arces, & qua ratione, aut necessitate id faceret, in historijs Sueonum Gothorumq; clare describit charissimus frater meus Io. Magnus Archiepiscopus Vpsalēsis in uita Regis Alberti, & Erici, quorū præfecti ferina rabie ubiq; sæuiebant in incolas earum regionum, & rursum tot iniurijs & uiolentijs prouocati incolæ, nullo humanitatis respectu ulti sunt in impios, & crudeles ipsos præfectos, exemplo ad posteros relicto, ne prouocent crabrones aculeata cauda concertātes. Nō enim Aquilonares gētes aliter hostibus cōgrediuntur, quam furiæ quædā ex inferis prouocatæ. Nec eo modo in cāpos, aut glaciem exeunt, ut spectrorū imagine territēt inimicos, ut Liuius Deca. 1. lib. 4. de Fidenatibus refert:



quorum portis erupit noua acies inaudita eo tempore,& inusitata. Ignibus nãq; armata ingens multitudo,facibusq; ardentibus tota collucens,uelut fanatico instincta cursu in hostem ruit,formaq; insolitæ pugnæ Romanos parumper exterruit. Tum Dictator,magistro equitum,equitibusq;,tum ex montibus Quintio accito,prælium ciens,ipse in sinistrum cornu,quod incendio similius, quam prælio territum cesserat flammis,occurrit,claraq; uoce,Fumône uicti,inquit,(uelut, examen apum loco uestro exacti,inermi cedetis hosti? non ferro extinguitis ignes? non faces has ipsas pro se quisq;,si igni non telis pugnandum est,ereptas ultro inferetis? Agite nominis Romani & uirtutis patrum,uestræq; memores,uertite incendium hoc in hostium urbem,& suis flammis delete Fidenas,quas uestris beneficijs placare non potuistis,Legatorum hoc uos,uestrorumq; colonorum sanguis,uastatiq; fines monent. Igitur ad imperium Dictatoris mota cuncta acies,faces partim emissæ excipiuntur,partim ui eripiuntur,utraq; acies armatur igni. Magister equitum & ipse nouat pugnam equestrem. Frenos ut detrahant equis imperat,& ipse princeps calcaribus subditis euectus effreno equos,in medios ignes infertur,& alij concitati equi libero cursu ferunt equitem in hostem. Puluis elatus mistusq; fumo,lucem ex oculis uirorum,equorumq; aufert. Ea quæ militem terruerat species:nil terruit equos. Ruinæ igitur similem stragem eques,quacunque peruaserat dedit. Tandem Fidenates uicti,fugaq; pauidi ceduntur,ac obtruncantur,partimq; gurgitibus nando lassati suffocantur.

De Alberto & Erico Tyrannis,suprà lib.2.cap.24.

De machinis glacialibus.
CAP. XVIII.



VTuntur etiam Gothi,ac Sueci in aggrediendis,diripiendisue fortissimis arcibus,castellis,& urbibus,machinis, seu propugnaculis obliquis, è trabibus abietinis ualidissimè fabricatis:quas quidem machinas facilimo compendio super ipsam glaciem impetuosa manu admotas, mœnibus opponunt, earumq; præsidio muniti, omnem saxorum, trabiumq; iactum directe,uel superne emissum, ne noceat, auertunt. Nihil enim uel altitudinis impetu, uel grauitatis impulsu, quantumcunque uiolenter demissum fuerit, machinas ipsas propter earum obliquitatum infringere,uel dissoluere potest,imo nec ignibus immissis ab obsidione clausis comburi:quia continuè aquam in uehementi frigore desuper effusam,spissius congelari procurant, paulatimq; propinquius ad portas,& mœnia ui armata protrudunt,ac turmis militaribus firmant,eadem ferè sub machinis,& castrensibus præsidijs utentes commoditate,qua perfrui solent uiatores in glacialibus casis(prout primo lib.dictum est)ubi pro frigoribus arcendis copiosa suppetunt ligna,itidem & commeatus sufficientes, ac stipendia liberaliter distribuenda:& ob id atrociorem obsessis inferunt difficultatem. Quo uiso trepidum militare agmen obsidione clausum,intra muros,& mœnia acrius se tueri compellitur,dum nullus insidiarum locus pro conficiẽdo,uel abigendo hoste undique attentatus occurrit. Non enim combustilibus fomentis hostiles machinas propter circundantem glaciem comburere possunt,nec dolosis cuniculis ob terram saxea duritie congelatam erumpere, nec bombardis, aut tormentis minimo saltem loco hostes cõijcere,uel sagittis aut fundis deturbare,nec aperto cõgressu

eisdem tute resistere, nec arcibus relictis syluarum latebras ob asperrimum gelu fugiendo recipere. Constantibus tamen armis, & animis ijdem inclusi sese defendunt, donec obsidentes formidine glaciei resoluendæ machinas ipsas aut sponte comburant, aut longè remotius in littora fugientes secum abducant. Neq; sic ab eorum atroci impugnatione securi redduntur obsessi. Machinas enim easdem subito in latissimas rates conuersas, eodem loco super apertas aquas, quo alias in solida glacie steterunt, facilimè reponunt, aut sinunt eas maiori super inducta amplitudine in ipso gurgite liquefcta glacie firmiter permanere, additis lembis, seu lyntribus, alioq; nauigiorum genere, quo peritissimi sagittarij rates huiusmodi ualeant defensare, & nocturnas uigilias, ne quisquam obsessorum euadat diligenter obseruare. Idemq; faciunt campestribus propugnaculis ubiq; præsidentes. Pari enim atrocitate persequuntur obsessos, quorum impia crudelitate ad tantum uindictæ ardorem diutius fuerant prouocati. Quo fit, ut pro maiori parte tam duris custodijs constricti, sæpe imaginantur an gladio, an laqueo, an aqua, an igne, an præcipitio, an ueneno, an mutuo iugulo seipsos occidant, exemplo Romanorum quos L. Florus secundo bello Punico urgente Hannibale his uerbis commemorat perijsse. Interim iam nouem mensibus fessi fame, machinis, ferro, & igne, uersa deniq; in rabiem fide, immanem in foro excitant rogum, tum desuper se, suosq; cum omnibus opibus suis ferro, & igne corrumpunt.

De uehiculis igniferis.

CAP. XIX.



CVm Gothis, ac Sueonibus glacialis pugna per equestres, uel pedestres turmas à Moschouitis, Danis, Germanis, uel internis hostibus intẽtatur, ijdemq; hostes diutius ad uim inferendam suas munitiones in faucibus montium, uel uallium collocare disponunt, unde irruptiones faciant in regnicolas, qui pro sui defensione simili proposito in armis congregati, ne eisdem hostibus tantillulum digrassandi spatium temporis, uel locum concedant, ingenijs & uiribus utuntur opportunis: tunc uehicula oblonga aridis sarmentis, & cæteris combustibilibus materijs replent, ut aterrimum fumum, intolerabilemq; foetorem igne (directorum audacia) accenso, attractuq; equorum syluestrium, & furiosorum inimicis opponant: idq; celerius committitur, quò collateraliter equi ligati ardore ignis retropositi stimulantur ad cursum, nec currere desinunt, donec hostilem aciem turbauerint, ut uel eo loco, uel alibi à latere armatis incolis impetuosissimè insultantibus cedãt, uel eosdem fugam simulantes, quasi certi uictores insequantur, ut sic educti, dispersiq; potius secretis glacierum uoraginibus, quàm armatorum insidijs interimantur. Hisq; ex alijs syluarum angustijs (si opus fuerit) agminatim populus erumpens, ballistis, & telis armato hostium certamini sese immittit, & opponit, nec persequi cessat, donec hostem abegerit seuerissima ultione. Glaciales uero hę pugnæ, ubi fieri soleant, aut in quibus lacubus, aut locis, sequentibus capitulis diffusius ostendetur.

De eo-



De eodem ab externis exemplis.
CAP. XX.

Liuius lib.2.deca.3.prædicto stratagemati non admodum dissimile per Hannibalem contra Romanos excogitatum, ac commissum facinus meminit, idq; eo modo: Dum urgeretur armis Romanorum intra saxa, arenas, & stagna perhorrida situ hybernare: nec eum fefellit suis se artibus peti, ut nec montes transcendere, nec hosti rupibus incluso congredi potuit. Ludibrium igitur oculorum specie terribili, ad frustrandum hostem commentus principio noctis furtim succedere ad montes statuit. Fallacis consilij talis apparatus fuit: Faces undique ex agris collectæ, fascesq; uirgarum, atque arida, sarmēta preligantur cornibus boum quos domitos indomitosq; multos inter cæteram agrestem prædam agebat. Ad duo millia ferme boum effecta, Hasdrubaliq; negotium datum, ut primis tenebris noctis id armentum accensis cornibus ad montes ageret, maximè, si posset, super saltus ab hoste insessos. Primis tenebris silentio mota castra, boues aliquantò ante signa acti: ubi ad radices montium, uiasq; angustas uentum est, signum exemplo datur, ut accensis cornibus armenta in aduersos concitentur montes, & metus ipse relucentis flammæ ex capite, calorq; iam ad uiuum, ad imaq; cornuum adueniens, uelut stimulatos furore, agebat boues. Quo repentè discursu, haud secus quàm syluis, montibusq; accensis, omnia circum uirgulta ardere, capitumq; inquietatio excitans flammam, hominum passim discurrentium speciem prebebat. Qui ad saltus insidendos locati erant, ubi in summis montibus ignes conspexerunt, circumuentos se esse rati, presidio excessere, qua ingens emicabat flamma, uelut tutissimum iter, petentes summa montium iuga: ubi attoniti nouo miraculo, cōstitere. Deinde ut humana apparuit fraus, tum uero insidias rati esse, cum multo maximoq; strepitu concitant se in fugam. Hisq; ludibrijs Hannibal meliorem locum sortitus, opportunius pugnauit.

De bombardis, ac globis euehendis, & modo sagittandi.
CAP. XXI.



Hac imagine satis apertè ostenditur, quibus ingenijs & artibus Septentrionales populi in promouendis prelijs, siue super campos, siue glaciem, intrepidè aduersus inimicos iniuria uexati uti consueuerunt. Cernuntur hic uehicula (sic enim hyemalia, seu glacialia plaustra uocantur) oblonga antrorsum ob maiorem flexibilitatem, & agilitatem cuneata, seu incuruata: quorum tanta commoditas, & firmitas est, ut obiectos uiarum gibbos, siue tumentes glacierum, aut niuiū colliculos, uno uel pluribus equis trahētibus plusq; oneris ponderisúe sustineat, quàm quinq;, uel sex rotati currus in itineribus complanatis, & communitis. Tamen uno potius utūtur equo in lubrica glacie, tritaq; niue, quàm duobus, ut occurrentibus plaustris in uijs strictis, parūper declinando cedere possint imò propter altitudinē niuium totum uehiculum lege pœnali constituta, & grauiora plaustra, euertere teneantur. In glaciali autem itinere ob infinitam latitudinem nulla difficultas occurrit, nisi in certis rupturis glacierum, uehemētia inferioris exhalationis, quasi ui tonitruorum, ob pinguedinē fundi causatis.

Dico quasi ui tonitruorum, quia tantus sonus, tamq; horrendus mugitus subtus glaciem longo tractu ueluti in lateribus densarum nubium hincinde auditur, ut necessarium sit quasi fulgurum uehementia generari scissuram unius pedis, duorum, trium, uel sex in amplitudine exhalationis impellentis, & spiritus à fundo excitati.

Adhuc de eodem, & modo penetrandi rupturas glacierum. CAP. XXII.

QVas quidem rupturas ut pertranseant uiatores, subitò ex obliquo latere integras partes glacierum repertas, dolabris, & securibus adaptant, & reponunt, quasi petras redactas in pontes. Si uerò iumentum non præuisa ruptura in uastis tenebris immersum fuerit, tunc illicò chordis, & lignis subtilibus, semper cōportatis, assueta agilitate extrahitur uiatoris. Si uerò homines inter glacies (ut sæpius accidit) inciderint, mox eruti iucunda memoria prosequuntur adiutores. Nec terrorem exinde concipiunt, quòd illico circumstante frigore glaciantur in ueste: motu enim, cursuq; cōtinuo causante, celerius restituitur calor. Igitur in his uehiculis tempore glacialis prælij commeatus, globi, pulueres, ac alia ad usum præliorum necessaria, constituto laboris pretio ab incolis facilimè comportantur, quemadmodum æstate usu nauigiorum in eodē maris, uel aquarum sinu, uel curribus rotatis, industria aurigarum, uel nautarum fieri solet: imò uehicula hęc in maximo numero multiplicata, ueluti propugnacula, aut aggeres ipsis hostibus opponuntur (uelut carri in Cimbricis bellis) sagittæq; arcuales, uel bombardales, ex ijs in hostem facilimè excutiuntur, donec uel interposita pace, mutua concordia abeant, uel timore glaciei resoluendæ præproperè cedant, aut in pertinacia perseuerantes, uelut plumbum in aquis uehementibus dimergantur.

De impedienda aquarum congelatione. CAP. XXIII.



MVnitissimæ ciuitates, & arces hyberno tempore dum omnia loca inuia, ac peruia glacie constricta sunt, arcta obsidione premuntur: quæ aliàs æstiuo tempore quasi insuperabiles, & inaccessæ uidentur. Quocirca monstratur hac tabula, quomodo se muniunt, qui talibus angustijs, & periculis sunt subiecti. Imminente igitur publica, uel priuata hostilitate, si loca sita sunt in medijs aquis fluuialibus, uel stagnatis, ualde soliciti sunt inclusi, ut dolabris, ac ligonibus in modum circumdantium fossarum aperiant glaciem, ad minus spatia 24. uel 30. pedum, glacialia fragmenta introrsum trahentes, ut super glaciem relicta, aucto gelu, & frigore in modū aggeris congelentur: eaq; apertura confecta, mox pinguedinem balenarum, phocarum, uel uitulorum marinorum infundunt, hastisq; sufficienti, & magna quantitate infusum commouēt, & dilatant. Quo fit, ut aquæ sic congelatæ, hostibus spem adimant, ne propius accedentes diu cupita uictoria potiantur: imò sæpius euenire consueuit, ut prius glacierum uoragine temerario ausu, & accessu suffocati intereant, quàm conspiciant, uel accedant obsessos, uel obsidione claudendos: non quòd glacies ipsa in profundo lacu, uel flumine debilis sit, sed eo forsan loco audax, et minax inimicus aggreditur, ubi labentibus è littore paludinoso riuulis, glacies ipsa subtus exesa sit, & debilitata.

De eodem




De eodem ab externis exemplis.

CAP. XXIIII.

ITA etiam L. Floro aſtipulante, Minutius Romanus in bello Thracico dicitur plurimos bellaces,& ſtrenuos milites amiſiſſe. Hoc tamen caſu,ſeu euentu,de quo hic agitur,clarè monſtratur,quanta diligentia,modo, & ingenio cuſtodiendus ſit locus,cui omnis afflictio,diſsipatio,calamitas,cædes,rapina,& omnigena bellorum incommoditas præparari uidetur. Ideoq; incluſi,uel includendi,nunquam intermiſſo labore ſe mutuò iuuant. At ex aduerſa parte, quem contemplantur inter aduerſarios ſingulariter eſſe ueſtitũ,præſertim candido,rubeo,uel glauco corporis tegumento,uel pluribus uallatum miniſtris, hũc exquiſitis ingenijs, globis teliſq; ſuper uniuerſos ac ſingulos infeſtant,ualidoq; clamore ſocios excitant,ut illi,uel huic ſic ueſtito,equoúe pallido, aut díſcolorato inſidenti inferant manum,uel ſagittam: quo ſigno aliàs M. D. XIX. in glacie ictu bombardæ Sereniſſimus Gothorum & Sueonum Princeps Steno Sture iunior,aliàs Suanteſon omnium mœrore fortiſsimè pugnans dicitur perijſſe: idq; nulla glaciali fragilitate, ſed proditione ſatellitis Danici,quem indiſcretius,quàm cautius præ cæteris indigenis diligebat,& ornabat,exemplo ad poſteros relicto,ne talibus ſe confidant cuſtodibus,à quibus(teſte Saxone Danorum hiſtorico)plurimi Reges clariſsimi millenis fraudibus illuſi,proditi,atq; crudeliter fuèrant interempti: de quibus ſpeciale & ingens uolumen ueraciter conſcribi poſſet,ſi alicui fideli ſcriptori otium cum experientia foret, & uellet contra tam nequitioſos,& domeſticos inſidiatores,ac proditores extendere.ueritatem, prout ſuperiori libro nonnihil eſt demonſtratum. Boni tamen ductoris eſt ſtrenuè ſemper agere,ſcilicet inter bellatores uolitare,ac fortiter exhortari,ut acriter pugnent,& dimicent,alioſúe ſegniter procedentes increpare,& forſitan caſtigare,ut properent,ne uno ſocorde,ac leuiter moto,fugamq; capiente,cæteri pecudum more in fugam lapſi uictoriam, & uitam ſibijpſis,ac domino adimant in momento.

De mœnijs glacialibus.

CAP. XXV.




EST præterea alius in obſidione glaciali ſeruatus,uel ſeruandus muniendi modus,is uidelicet,ut cũ pertinax hoſtis equis dimiſsis,uel uoragine aquarum perditis, aperturam aqueæ foſſæ pinguedine prædicta(ne congeletur)impletam, tranſilire uelit, trabes longiſsimas ſuprapoſitis tabulis, ſeu aſſeribus in modum ampliatæ ſcalæ connexas, nocturno præſertim tempore, impetuoſius quò poterit per aquas uerſus obſeſſos,uel obſidendos,ut marginem glacialem penetret,præcipiti ſeruato curſu intrudit, quaſi ſolido ponte uſurus. Contra quem impetum ubi ſagittarum, bombardarumq; reſiſtentia præ nimia hoſtium feſtinatione ac ferocia non attenditur,tunc incluſi aquas ſuper mœnia,atq; ad latus infundunt,quæ ſubitò magis magiſq; adaucta, aſperrimo gelu cooperante,longiſsimo urbium tractu ueluti ſpecula conſpiciuntur: quæ mœnia uti ab imbellibus fœminis,pueris,iuuenibuſq;,multiplicatis & apportatis aquarum urnis, hyeme & glacie conſtricta ſunt: ita & frigore durante quemcunque

globorum

globorum iactum infracta fortitudine sustinere non horrent. Mulieres etiam subductis supra genua uestibus, inter glaciatas aquas porrigunt urnas aquarum plenas. Ita in angustia inuentionis necessitas cogit omnia audere, & attentare. Sed dum homines huiusmodi stratagematibus inter se dimicāt, finem tandem, quem Deus uoluerit, uel una, uel altera pars, etiam noua suborta difficultate, consequetur, licet non incruenta uictoria, quę tot tropheis, quot funeribus inuicta cohorte bellicis cincta legionibus conquiri solet. Itaq; suspensis super glaciem machinis, tam foris quàm intus constituti, ad complusculos dies, septimanas, uel mēses mutuo conflictu sese molestant, donec resoluenda glacies indomitos obsidentes (si propriam uitam seruare uoluerint) celerius abire, quàm alias aduolare, compellat. Dignum risu spectaculum, si cui in tali casu ridere uacaret, & alienum periculum, & turpitudinem spectare uoluptati foret, præsertim ubi maius certamen contra aquas, quàm arma subeundum erit: quod etiam eo terribilius adesse, & urgere dignoscitur, quò repentina suborta tempestate, & rupta glacie, quasi in abyssum di mergi uidentur, ubi paucis anteà diebus instar triumphantium uictorem aggredi, & ingredi continuò credebantur.

De glacialibus excubijs, & nocturnis.
CAP. XXVI.



ARcium, & ciuitatum, castrorumq; obsidionem Aquilonares armati milites, tam equestres, quàm pedestres, in campis, uel aquis solidissima glacie rigentibus, seruaturi, uigilias longissimæ noctis 20. ferè horarum in medium diuisæ, diligenter attendunt, atque custodes mutant, non cornibus, aut campanulis, quasi dormitare uideantur personantes, sed signis secretis retentis, ut nocte aliunde accedentes ex uerbo responsionis unde, & qui sint, intelligere queant: quo uerborum signo forsitan per obliuionem amisso, non secus ac proditor à Principe (si ius militare extendi debeat) in uita, uel bonis omnibus cōdemnari meretur: quod adeò rarissimè euenit, ut pro portento reputandum ueniet, si quispiam ea negligentia inculpetur. Vigilantissimos etenim semper oportet esse castrenses custodes, ob proditores, qui caligine periculosius nocent, quam quoduis asperrimum frigus, quo sunt assueti, nō autem proditoribus, quos abominantur. Sed maior uis est in equorum impatientia, propter frigus, quo stridor pedum in collisione glacierum, unde sonus excitatur altior, cōtinuè causatur: ubi sessores armatos, etiam pellibus indutos, in frigore portāt, licet hi per uigiles, exomnesq; custodiunt commissam stationem: eoq; diligentius, & cautius, quò nox progreditur ad auroram, circa quam uiolentiores committi solent insidiæ, dum humanæ uires stupore, somnoq; grauiore ligantur: tuncque insidiatores omnium temporum quasi ex constitutis articulis sunt attentiores. Quomodo uerò fortissimus Gedeon sæpius antelucano tempore tales superauerit, ex sacris historijs relinquitur manifestum.

De fortunatioribus prelijs matutinis.
CAP. XXVII.

MOs igitur fortissimorum militum est in diluculo obequitare, aut in classe naualiter pugnare, nec grandinum, nebularum, pruinarum, niuium, frigorum nec hostium expauescere iniuriam: & hoc non tantum Principis charitate, sed æmu-

ſed æmulatione fortium uirorum dura quæq; pati,& iureiurando ſtatuere,ac firmare ſeſe nullo terrore locū deſerturos,pœna addita.Si eques diſceſſerit, nedum armis,& equo exuitur,ſed & legali fama,honore,ac fideli exiſtimatione priuatur, imò & circumſtantijs ponderatis,grauiſsima pœna multatur.Si pedes, certo plagarum numero cunctis aſpicientibus caſtigatur,pœna nihilominus perpetuę infamiæ penes utroſq;,quaſi cicatrice indelebili,remanente. Ad hunc paſſum militaris pœnæ non incongruè Iuſtinus uolumi.32.inuitandus aſſerere poſsit in hūc modum:Daci quoq; ſoboles Getharum ſunt:qui ubi cum Orode Rege aduerſus Baſternas malè pugnaſſent,ob ultionem ſegnitiei capturi ſomnum,capita loco pedum ponere iuſſu Regis cogebantur,miniſteriaq; uxoribus,quæ ipſis fieri ſolebant,facere. Neque hæc antè mutata ſunt,quàm hanc ignominiam bello acceptam uirtute delerent. Hæc ille. Si uerò fortiſsimè pugnando,uel conſtantiſsimè ſtationem ſeruando,aduſtione frigoris perpetuò debilitatus fuerit,tunc unicuiq; iuxta qualitatem honoris, & generis, liberale ſubſidium, quo in reliquum tempus commodiſsimè uiuat,more ueteris militiæ deputatur à fiſco: quod & Principis munificentia fauorabiliter ampliatur. Pro remedio tamen aduſti corporis in frigore,utuntur medicina ſpeciali, cinere ſcilicet combuſtæ pellis leporinæ,quo optimè linitur infirmitas pedum applicato: de quo etiam aliquid de medicinis ſimplicioribus Aquilonarium gentium infrà dicetur.

De externis exemplis mollium uirorum in frigore.

CAP. XXVIII.

PLutarchus in uita L.Luculli, aſſerit eum adeò magna uictoria deuictis Parthis barbaris elatum fuiſſe,ut animum eleuaret ad ſubuertendum penitus reliquos barbaros,ſuo imperio rebellare,aut contradicere præſumentes. Sed autumnale tempus tunc erat,& ęquinoctium,omniumq; illuſa ſpe celerius frigidiſsima è cœlo frigora cecidêre,omnia niue obruta,& ſi quando ſerenus aderat aër, tum gelu,tum pruina humana corpora perrigebant. Difficilimus erat equis ob extremam frigiditatem fluminum potus,difficilimus erat eorum tranſitus: quia concretis in glaciem aquis,glacies ipſa tranſeuntium grauitate confracta,aſperitate ſua equorum tibias,neruosq; cruentabat.Syluestria deinde,ac anguſta itinera tellus humiditate abundans,cadentes è cœlo niues, & ipſa in madidiſsimis locis acerba pernoctatio,difficilimam, ac propè intolerabilem militiam faciebant. Quo factum eſt,ut milites ob aſperitatem itineris licentiam abeundi petentes, & non obtinentes,murmurare,ducem crudelem inſimulare, omniaq; infeſtiſsimis uerbis,fœdoq; tumultu replere cœperunt,nec à Principe ſuppliciter petiti,à ſeditione ceſſare,etiam quòd coram eis collachrymabat. Verecundia tamen magis, quàm uirtute,& fide eius ruinam ſpectaturi,pactis interpoſitis ſequebantur.Similem etiam difficultatem Cæſar ipſe ſæpius ſeſe expertum fuiſſe in hybernalibus bellis affirmat,ut cum ultro clariſsima uictoria eius uiribus, & ingenio arriſiſſet, nequaquàm milites ob frigora forſitan leuia,ut ſecum confoderent hoſtem,inducere præualebat.Neq; in aquis ſemper ea ſtrenuitate,ut frequenter uoluit,inimicis congredi fas erat:quod & Procopius,ac Herodotus cum pleriſq; alijs atteſtantur,milites ſcilicet delicatulos dixiſſe,Nequaquàm oportere ſimul cōfligere cum hoſte,& elementis,ſcilicet aquis,frigore,tempeſtate,& ſimilibus. Quàm friuola, & effœminata querela hæc eſſet:ſi in Aquilonaribus regnis ex multis præmiſsis exemplis non illicò ob intenſiſsima frigora corriperetur. Imò quantò acriora ſunt frigora,tantò auſteriora certamina geruntur,& continuantur.

De oppugnatione arcium in glacie munitarum.

CAP. XXIX.

EST & alius pugnandi modus super glaciem ualde tritus, & usitatus in Septentrione. Vbi æstatis tempore ob aquarum uoragines, accessus hostilis intentari nõ possit, orto demum immenso frigore, glacieq́ concreta, ultionem contra arces immanium præfectorum assumere uolentibus, in glacie lubricissima, castra seu munitiones imponere, facilimus offertur accessus: in quo non segnius in arcem, & hostem emittuntur sagittæ, quàm si in campo fortissimo firmata præsidia forent. Vbi uerò arx est insularis, admotis machinis quadrato agmine sine intermissione oppugnari uidetur: eoq́ acrius proficiũt obsidentes, quò magis uniti fuerint, & concordes, unius scilicet gentis ritus, & mutuæ confortationis: quod exercitus ex diuersis hominum generibus collectus, sibi inuicem nondum uel lingua, uel usu uiuendi notus, alter alteri diffidens, efficere sit ineptus: quoniam exinde discordia nascẽs, fictum aggressum, uel fugam apertam, aut proditionem ostendit, maximè quia tales extranei milites (ut proximo capite dictum est) frigoris impatientes, ita assueti non sunt, ut incedere, uel accurrere ualeant, eminus aut comminus pugnaturi. Longè etenim alia ratio est in glacie, uel niuibus (ut alibi etiã ostendetur) quàm montibus, campis, syluis, uallibus, uel arena præliandi. Glacialis congressus fit in laneis calceis, non pellibus, aut corijs unctis. Vis etenim frigoris, quodcunq́ sit unctuosum, euestigiò conuertit in lubricitatem glacialem. Vsus tamen armatorum est, ut tribulis, siue triangularibus ferreis, seu triplicato stylo pro firmiori cursu, uel statione muniantur. Quidam uerò præmeditato congressu, uel insultu, in medio noctis silentio cineres super glaciem latè dispergente, securissimam efficiunt præliandi stationem, aut cursum.

De oppugnandis nauibus inimicorum congelatis.

CAP. XXX.



ACcidit plerunq́ in littoribus Gothici maris, ut inimici naues, tam rostratas falces, quàm harpagines, aliasq́ terribiles munitiones, & noxia instrumenta habentes, contrario flatu diutius uexatæ, repentino gelu superueniente, quasi in muris intra angustias glaciales fortissimè concretę perstringantur, nec se eruere, neq́ transmarina auxilia petere, aut expectare, aut assequi, neq́ sociales naues eadem causa tempestatibus interclusas, commeatum ferentes accipere possint. Quare difficultatibus his, uel similibus, præcipuè caristia lignorum in asperrima hyeme constricti, necessitate mortifera urgente, se dedunt, uel præsentissimam mortem incurrunt. Veruntamen sceleris immanitate (quia inter circumpositas gentes in cædibus, spolijs, & crudelitatibus ultra morẽ humanum sæuierunt) obstante, multoties ad extrema uitæ remedia concurrentes, infatigabili labore in medijs tenebris glaciem confringere student, ne fortè succisa glacie interstitio quatuor, uel decem milliarium, uel plurium Germanicorum, ad apertum mare euadere possint. Intereà tamen incolarum (ad debellandum, spoliandumq́ eos) accedentium sagittis, quasi imbribus per aëra sublimius ad eorum nauigia directis, & cadentibus, in periculo occisionis uelut desolati consistunt, imò frigoris horrore plerunque mortui sociorum manu, dum terra sepeliri nequeunt, urna inclusi



inclusi perforata glacie dimerguntur in aquas: uel si nobiles, aut alterius reputationis insignes uiri sunt, sine horrore fœtoris, quasi ligna uirētia saxea duritie congelati, socijs à periculo euadentibus, ad honestiorem tumulum, ne in hostili terra permaneant, reseruantur. Attamen petitis, & obtentis inducijs, si cadauera sua humo sacra recondere poscunt, nunquam eis denegatur, imò nobiles, & præstantiores terrarum incolæ adsunt in eorum honorabili sepultura: quod & in campestribus prælijs hostilis terræ satis cærimoniosè seruatur: ueluti recentius exemplum est de quodam potentissimo equite aurato D. Achone Hanson Vestrogotho anno M. D. X. in Schoningia haud satis feliciter pugnante, ac lancea ueteris sui familiaris Dani transfosso: qui totius terræ nobilibus accurentibus, honestissimæ traditus est sepulturæ. Quòd homines moriantur gelu, nonnihil naturæ uim attestari uidetur Vincen. in spe. histo. lib. 27. cap. 127. & dicit: Mirabile non est, nec quòd foueæ glaciales tam tristes aspectu, ut aspicientes in circumgelata naui terreant: sed mirabilius est, quòd potentissimæ naues triumphante natura deueniunt in prædam inermium ruricolarum, dum nullum superstit remedium, nisi fuga, quæ ob glaciem durissimè constrictam ubiq; denegatur: & forsitan, nisi iusto Dei iudicio ita permitteretur, omnia prædatoribus conculcarentur, ac occuparentur, dum in malis successibus uictores dicaces, petulantes, & in omni sæuitia importabiles, & crudelissimi redderentur. Ideoq; tam acriter in omnibus aquis, & terris resistitur prædonibus illis, maximè ob sceleris immanitatem, quam ulciscitur ipsa natura: quæ etiam abhorret hanc crudelitatem nauigantium prædatorum, qui sæpius fame, & frigore, ubi nusquam peramplius comparêre poterunt, moriuntur.

De pœna infidelium seruitorum per aquam gelatam inflicta.

CAP. XXXI.



PVtabat Paulus Iouius Episcopus Nucerinus externarum regionum curiosus scrutator, & scriptor, furū latronumq; & similium malefactorum grauissimā fore pœnam, quòd frigidis aquis guttatim super colla eorum dimissis, tanquam durioribus tormentis commissa flagitia confiterentur. Ita enim in Sarmatia sua testatur: Fures, sicarios, latrones per quæstionem examinant Moschouitæ eo modo, quòd aquam gelidam super caput ex alto paulatim dimittant: hocq; habent pro intolerabili tormento. Hæc ille. Sed reuera uel ludibriosè bonus præsul à uersuto Moschouitici principis nuntio, Demetrio dicto, tempore Clementis VII. informatus est Romæ, uel alijs rebus curiosioribus intentus, non integrè referentem patrios mores intellexit, hoc scilicet pro terribili tormento in ea durissima gente reputari, quę flammis & eculeis adhibitis, uix ut acta reuelet, tantillulum commouetur. Hos tamen Moschos in robore exuperāt Sueones, & Gothi, qui Calendis Ianuarij solum in rebelles, discolos, & insolentes has pœnas infligunt, ea præsertim causa, quòd qui principes, & dominos suos in sacris Christi natalitijs primùm nocte, demum die accedentes, secuti non fuerint, ac permanserint, imò etiam quicunq; in aliqua priuata æde, uel familia idem non fecerint, aut turpia uerba, scandalosaq; facta commiserint, hos socij, testes, accusatores, & iudices sonoroso æris, tympanorumq; strepitu, longo ordine ad congelatas aquas eductos, genibusq; innixos, nudato collo, & prono uultu in genua pressos, guttatim gelida aqua omnium applausu perfundunt. Quibus tamen com

pendiariam pœnam (promissa erratorum emenda) celeriter infligere decreuerint, ea gratia conceditur, ut simul & semel tot nudato capite, iustæ quantitatis, & mensuræ urna totaliter perfundantur. Soli Aethiopes ob uerticis nimiam nuditatem, hanc pœnam horrescunt. Licet rarò perueniunt ad Aquilonares regiones, ueniunt tamen inter subsidiarios milites à Rege Galliarum, Regi Danorum ad impugnandum Suetiam & Gothiam missos: quibus plerunq; Aethiopibus, pariter & Danis infeliciter pugnantibus, non frigida aqua infligitur, sed dura captiuitas, & ineuitabilis sepultura.

De eisdem pœnis.
CAP. XXXII.

EST & alius modus omni alio tempore hyberno contumacibus & obstinatis à maioribus decretus, scilicet ut perforatis glacierum foraminibus 20. uel 30. pedum ab inuicem distantibus, chorda sub brachijs ligati, quòd uno foramine subtus glaciem immissi, fune altero prætenso ad aliam pertrahuntur glacialem aperturam. Si celeriter id factum fuerit, gratiam referunt amicis, quòd festinanter, & fideliter expedierint eorum causam: sin autem protractius (sic forte exigentibus demeritis animi pertinacioris) tunc extractus experitur se habuisse censores, & fautores rigorosos, quia in graui periculo fuit suffocationis. Quòd super glaciem instar speculi lubricam agiliter hæc fieri uidentur, mirandum non est, quia triangularibus uncis ferreis sotularibus, aut calceis affixis, non tantum ad hunc, sed quemlibet actum in glacie perficiendum, securè (prout superius de bellis, & infra de piscaturis glacialibus dicendum erit) utuntur. Moschouitis tamen schismaticis hæc aquarum submersio pro religionis cultu deputatur, quia sub glaciem perforatam infantulos suos immergentes, ritu suo baptizant: qui si rapido fluminis impetu sub glacie deferuntur in longum, arbitrantur eos ad superos illicò euolaturos.

De scalis super aquas in obsidione leuandis.
CAP. XXXIII.



Licet titulus cum sua imagine uideatur magnam in se præmittere declarationem, tamen ut appareat explanatior, nonnihil adhuc uidebitur superaddendum. Solent Septentrionales pugnatores, præcipuè Sueones & Gothi, in stagnalibus fossis, aquis, aut amnibus, quietiori silentio circa arces, & mœnia labentibus, rates, seu tabulas super longas abietinas trabes componere scalasq; certis adhibitis funibus, & ferreis rotulis instar chalybeorum arcuum tortuoso quasi tractu in densis tenebris, & pluribus locis decliuioribus erigere, atq; bona opportunitate silenter, & celerrime defensore ullo non attendente, uel dormitante, ascendere, ac in tanto numero citissimè se coniungere, ut socijs hincinde simili industria scalatim mœnia ascendētibus, & cōcurrentibus, in obuios quosq; faciant irruptionem, quatenus portas uiolenter aperiant, et teneant donec omnis exercitus, uel robustior eius pars, impetu stringēte ualeat introire. Et licet præsumptuoso magis, quā prouido ausu idipsum impunè quandoq; fecerant, faciūtq; eadem seruata temeritate: tamen plerunque falluntur in accessione portarum, dum super easdem è sublimiori loco simplex, uel gemina dependet ferrata, uel ferrea





crates,ut hæc,uel illa facilimè ad casum soluta, prę sumptuosos portarum perfractores pro parte,uel toto comminuat,aut intermendos manifesto ludibrio uulneribus laceratos excludat. Similiter & fieri solet in ascendentibus mœnia tabulata,ut cum credant se(somnum simulante custodia)positos in tuta statione, ruptis infernis tenaculis,uigilium diligentia uno impetu decidunt interituri. Eoq; casu cum sese reprimant à præmeditato insultu,sagittis post tergum emissis uel occiduntur,uel laceri,uulneratiq; in castra difficillime relabuntur.

De scalis,uel fundis igniuomis.
CAP. XXXIIII.



SAtis terribile,atq; inusitatum uidetur hoc bellicum instrumentum, horribiliusq; fieret,si quoduis eius secretum pro loco,tempore,quomodo,ac quãdo, & ubi applicandum foret,declararetur. Verum cum multa sint,quę nequeant, aut congruant,uel expediant,etiam si liceant,manifestari,uolens hic prętereo malum interpretari, ne cuiquam perniciosum, aut noxium fiat: satis esse reputans, apud Gothos, & Sueones talia tormenta inueniri, quibus hostis crudelis accedens arceri poterit,aut ita humiliari, ut discat quietius domi uiuere,quàm alienam infringere libertatem. Est & aliud tormenti genus bellicum,longè uetustius,inter duas sublimes,& eleuatas trabes per modum libræ in medio suspensum:cuius altera pars humi,uel deorsum ligata,bursam habet duabus,uel tribus bouinis cutibus,& chordis,instar proiectilis funde coriarię adaptatam:quam putridis cadaueribus,equorum scilicet,uel canum, aut lapidibus, uel ferreis globis repletam,solutis tenaculis altera pars immensi ponderis alligati,uehementissimo impetu ad destinatum arcis,uel urbis locum in obsidione per aëra fundit. Hocq; instrumentum uulgari Gothico Blida dicitur,quasi alacritatis nomen per contrarium,omnibus incutiens terrorem,& ruinam. Blid iucundus dicitur,sed minimè in hoc casu. Vetus relatio est,ante urbem Calmarnensem Meridionalis Gothię anum quandam pausandi gratia sese in huiusmodi bursam immisisse,atq; incautè baculo tenaculum resoluisse,etiam ob id per aëra iniectam fuisse, ut cadens in pyramidem recenter collecti fœni, in hostili urbe reciperetur illæsa: demumq; pro miraculo cęteris eam intueri uolentibus,per plures annos reseruata. Sed de his igniuomis fundis superiori libro,nonnihil diffusius est monstratum.


De cursu equorum pro pallio,uel brauio.
CAP. XXXV.



QVid sibi titulus,& annexa figura uelit,satis ostenditur sine ulteriori declaratione. Repletis enim uehiculis(sic enim gens hyemales rhedas,aut currus appellat) pluribus hominibus uno tãtũ pręmisso equo,cursum impetuosissimũ ad.5. uel 6. milliaria Italica intendũt homines ut non currere,sed uelocissimè uolare uideantur,maximè quia uncis acutissimis, & ferreis clauis in ungulis firmati sunt equi.

Brauium uerò (ut primo libro in simili cursu hominum monstratum est) uestis, siue equus uictus, aut certa mensura salis, aut annona seminanda, illicò soluenda taxatur ad certum tempus: quo nunquam (nisi soluerit obligatus) habebitur liber.

De onagris, seu alcibus, in niuosa glacie currentibus.
CAP. XXXVI.



ONagrorum, siue alcium, uehementissimus etiam cursus in niuosa glacie est apud Suecones Septentrionales, maximè ultra regiam Holmensem uersus superiores partes Aquilonis. Inferius uerò ad plagam Meridionalem, etsi in magna multitudine uastorum nemorum sunt, ob Regium tamen edictum in usu non habentur, ne scilicet eorum currendi celeritate (quæ longè superat omnium equorum uelocitatem) proditores utantur in secretis regni, inimicis quàm ocysimè reuelandis. Famis etenim, ac sitis, laborisq́ patientissima est hæc bestia, ut diem noctemq́ immensa spatia ducentorum milliarium Italicorum currendo ualeat perficere, priuata cibo. Cæteras eius animalis uirtutes, infrà de animalibus liber hic monstrabit.

De rangiferis in niue currentibus.
CAP. XXXVII.



MAgna etiam multitudo alterius generis rangiferorum est in Septentrionalibus locis: quorum usus est nedum pro curribus trahendis (ut infrà de animalibus ostendetur) sed etiam in onerarijs uehiculis super cacumina niuium pertrahendis. Et hi quoq; rangiferi (à tractorijs instrumentis ita appellati) edicto regni prohibentur à ministerio, Meridionales partes inhabitantibus quouis modo exhibendo. Mirę etenim uelocitatis, ut onagri, sunt in absoluendo breui tempore longum, ac difficile iter. Vehicula autem eorum ab aliorum formis differunt, quia antrorsum instar calceorum sunt cuneata, ad penetrandum niues, ueluti marina nauigia ad diuidendum fluctus, & undas.

De suffocatione hostium in uallibus niuosis.
CAP. XXXVIII.

CVm superioribus primis libris abundè ostensum sit, quàm immensæ moles niuium tota hyeme, magnaq́ parte ueris & autumni, campos Septentrionalium regnorum occupant, ut & montes, & colles partim æquare uideantur, & ob id præsentis figurę series facilius demonstratur. Dum itaque Sueci & Gothi hyemale certamen aduersus Teutones, Danos, aut Moschouitas, grauibus prouocati iniurijs, instaurare coguntur, modis omnibus hostilem exercitum, quanta equestri, uel pedestri potentia preditus sit, explorant: compertoq́ quòd egregijs, ac

grandibus





grandibus equis, maiori parte cataphractis, numero & apparatu quasi inuincibili accedunt, quæcunq; resistentia suis uiribus prostraturi, in eorum occursum non tam armati, quàm animati uiritim incolæ exeunt, maximè ut hostes tam atroces, uirium atq; locorum congressibus attritos, iugulēt, ac prædentur. Certa enim experientia norunt, talem hostem haud difficulter, aut trepidè superandum fore, qui pluribus grauis armaturæ impedimentis inter altas niues, opacas syluas, abdita præcipitia, & niuales glacialesq; uoragines irretitus, & illusus, etiam si aduersarius aliquis patriæ defensor non obstaret, necessario corruet urgente natura: eoq; celerius idipsum eisdem inimicis euenit, quò delicatius enutriti sunt, & locorum ac periculorum ignari, dum ipsi Aquilonares populi, cœli terræq; iniuriæ assueti, per montes, & deuia in ipsa sæua hyeme niuibus densatis, uel occurrentibus inimicis congredi non formidant: unde & bello imminente superbos hostes simulata fuga, uel in loca niuosa, ubi grauitate armorum uelut in limosa uoragine immersi more ferarum retibus constrictarum, ab inermibus ruricolis interimuntur, uel in paludes, stagna, lacus, & amnes, propter latentem sub niuibus aquam, educunt, ut casu continuo ruant submergendi. Apparet quidem uix solida in superficie, sed subtus secreto fluminum esu adeò infirma, ut uix lupum, minus hominem, & maximè armatum sufferre posit. Prospiciat ergo hostis, quàm infeliciter cum elementis pugnare præsumit.

De globis niualibus equorum ungulis impressis.

CAP. XXXIX.

EST præterea equestribus inimicis aliud spectaculum, seu periculum, ineuitabiliter formidandum, quòd ungulæ equorum ferratæ, ob frigiditatem niui connexam, accedente inferius aqua, uel desuper pruina, citò generantur niuei globi in forma pilarum, usque ad magnitudinem capitis puerilis, & ita rotundati, ac congelati adhærent, ut impossibile sit quin eques à iumento, uel cum eo concidat occidendus, uel captiuandus. Non enim quartum, aut sextum saltum, ob globos niueos pedibus adhærentes, in rectum uel obliquum efficere potest, quin illicò cadet: quantoq; magis calcaribus equum stimulauerit, ut currat, aut saltet: tantò uelocius fatū accelerat, ut subito lapsus, corporeq; fractus expiret, uel in aliam emigret miseriam, nece forsitan deteriorem. Talis autem globorum congelatio omnibus indifferenter ubique in campis, & uijs hyberno tempore accidere solet, quando uentus Australis tepidiores reddit niues, ut citius iumentorum pedibus congelentur, & corruat eques. Qui uerò pro defensione patriæ militant, in ipso certaminis aggressu equos ferramentis sub pedibus totaliter denudant, ut niueis globis nō adhærentibus expeditius irruant in hostem: qui hac commoditate, ac securitate non audet uti, quia refugium non habet, quemadmodum incolæ regni locum habent, & amicos. Neq; minus periculum hostibus eisdem imminet, quando uallium montiumq; latera lubricis glaciebus, ueluti speculum micantibus, circumfusa ascendere, aut descendere constringuntur, quin adhuc maiorem collisionem incurrent, quando præcipuè glacies huiusmodi cooperitur tenuissima niue, uel ipsa ui uentorum coacta, fauces, & præcipitia claudit, uoraginesq;, & specus profundas ueluti campestrem planitiem coæquat: in quam Teutones, & Dani, Moschouitæ locorum ignari, præcipiti cursu illapsi, pari calamitate ac nobilitate

confœderantur: imò & quam plurimi milites bellicosissimi, qui cædibus, & flammis alibi concusserunt orbem, ibidem in niuibus facilimè conficiuntur. Adeò cœli rigore, & elementorum asperitate, sine indigenarum formidoloso pauore ab armis ulterius inferendis arcentur. Est & alia inimicorum ruina in densissimis syluis imminens, ubi casu niuium à ramis arborum magna mole elabentium, in se, et iumentis infestantur, prout superius dictum est, de exigua niuium mole, passerculo ab alto monte mota: quæ opprimit augmento suo suppositam ciuitatem, aut uillam.

De diuisione spoliorum.
CAP. XL.



TAndem tot generibus bellorum in terra, mari, paludibus, glacie, niuibus (ut proximis capitulis uisum est) quacunque sorte deductis, maxima, hæcque pretiosa quæsita spolia in omnium conspectu militari more ac lege distribuuntur. Sed ut iustius id faciant, super extenso arcu ballistę, atque iaculo apposito, & ante cor eorum tēto, ut nulla re suppressa argui debeant, uitam, & mortem (uti superius dictum est) per acinacem, & uentum (quæ ijs tormentis interpretantur) quòd nullum mendacium dicant, aut rem aliquam fallaciter seruent, iurant. Itaque obseruari solet, ut stipendia militaria ante omnem prædarum distributionem ijs reddantur, qui fortius, & expeditius uictoriam peperere. Ita & saucijs, pro Republica incurabiliter uulneratis, pręterea ductoribus, capitaneis, primipilis, uexilliferis, & tibicinibus (fugitiuis & crapulosis exclusis) multo plus quam cæteris ex æquitate præstari solet. In reliquis, ubi par periculum, labor, uigilantia, & audacia, & similia reperiuntur, par erit distributio spoliorum. Bellica uero tormenta, Regumque, ac ducum ornamenta, ipsi Principi bellorumque domino cedent, cum eorum coniugibus, & filiabus: de quarum pudicitia tuenda diligentior & honestior habetur cura: ne quis eis sub pœna capitis, & bonorum omnium confiscatione, uim inferat, aut conamen affectibus iniquis. In quo etiam casu Saxo Danicus asserit, Frothonem Regem constituisse legem in tali forma: Si quis uirginis stuprum ui petere ausus esset, supplicia abscisis corporis partibus lueret, alioqui mille talentis concubitus iniuriam pensaturus. Si tamen Principi uisum est captiuatæ uirginis, ob utiles & honestas rationes, inire legale connubium, antiquo ritu mitius quàm raptu quęsitum, utique licebit ei, quemadmodum Athaulpho Gothorum Regi, qui Gallam Placidam Theodosii Imperatoris ex alia uxore filiam, Vrbe captiuam abduxit, quam tamen ob generis nobilitatem, formęque pulchritudinem, et castitatis integritatem, apud Forum Cornelij suo matrimonio copulauit, eiusque prudenti consilio omnia modestissimè gubernabat. Nec prætereundus est Totilas, eius Regis antecessor: qui deuicta post biennalem obsidionem Neapoli, præcepto uetuit, ne quis suorum sub pœna capitis, uiolaret pudicitiam uirginum, aut matronarum, aut molestaret fugientes ad loca Deo dicata. De huiusmodi pręcepto Totilæ Regis Gothorum ne pudicitia uiolaretur, uideatur suprà lib. 8. cap. 15 ex historia Io. Magni Archiepiscopi Vpsalensis lib. 13.

De Gal-

De Galla Placida Theodosij Imperatoris filia, quæ primo Athaulpho 54. Gothorum Regi externo, deinde Constantio Imp. designato matrimonio fuit copulata. Ioan Mag. libro 15.

Athaulpho deinde mortui Alarici consanguineo publica Gothorum sententia regni Gothici administratio defertur: qui etsi proceritate staturæ minus conspicuus erat, tamen forma & mentis uigore nulli cedere uidebatur. Hic suscepto regno iter denuò Romam reflexit, eamq; denuò spoliauit, Imperatore Honorio nihil resistere audente, cuius & germanã Gallam Placidam, Theodosij Imperatoris ex altera uxore filiam, Vrbe captiuam abduxit: quam tamen ob generis nobilitatem, formæq; pulchritudinem, & castitatis integritatem, apud Forum Cornelij suo matrimonio copulauit, ut gentes hac societate comperta, quasi adunata Gothis Repub. efficacius terrerentur. Honoriumq; Augustum, quamuis opibus exhaustum, quasi cognatum grato animo prosequebatur, plurimum ad id per prudentem coniugem Placidam inclinatus. Tradit enim Orosius e beatissimi Hieronymi testimonio, Barchinonensem uirum nobilem narrasse: Concupiuit aliquando Athaulphus, Roma funditus euersa, alteram ædificare Vrbem, quæ in locũ demortui nominis Romani Gothicum referret, & quemadmodum ea ciuitas Gothia Romæ suffecta esset, sic & ipse nouæ conditor Vrbis in Augustorum surrogatus locũ, posteris imperij cognomẽtum relinqueret Athaulphorum. Sed Placidæ coniugis consilio persuasus, quod mente cõceperat omisit. Hæc enim maritum à proposito reuocatura, ad eius memoriam reuocauit, quomodo Romanum nomen multis & præclarissimis gestis ad tãtam sublimitatem ascenderat, ut nequaquam possit aliqua gens eius gesta superare, aut æquare. Proinde Athaulphus intantum mutauit sententiam, ut Romanæ dignitatis, cuius nequiret esse imitator, fore optauerit restitutor. Præterea ne quicquam omitteret, quod Galla Placida ab eo postularet, Honorio Imperarori libertatem & pacem cõcessit, Romamq;, & totam Italiam, quam in manibus habebat, ei per summam & nimiam amicitiam, ac libertatem restituit, aut potius donauit. Itaq; constituta cum Honorio pace, Italiaq; relicta, Athaulphus tot. Gothorum gente comitatus in Gallias transitum accelerauit, inimicos Romani imperij Sueuos, Alanos, Francos, Vandalos, qui tunc eas transito Rheno iuxta Stiliconis machinationem occupauerant, expugnaturus. Cuius aduentum Sueui, & Alani formidantes, iunctis uiribus in Hispanias transiuerunt. Franci uero ad Parisios translati sunt: ubi nomen suum inuehentes, regnum fundauerũt, quod per incrementa plurima hodie quoq; floret. Sed Vandali audito Gothorum ex Italia transitu, memores adhuc ex relatione maiorum suorum, quid incommodi dudum à Gothis, & Rege eorum Geberico (de quo antea diximus) sustinuerunt, non expectato eorum aduentu, in ulteriora Hispaniarum contenderunt.

Tali ergo modo Galliæ uenienti Athaulpho paruere, ipsiq; ut domino & Regi paruerunt. Sed Athaulphus quamuis iam confirmatus esset in regno Galliarum, attamen quemadmodum prius Romam, & totam Italiam in manus illius Honorij Imperatoris, quem historici inertissimum fuisse affirmant, liberè restituerat, ita nunc Gallias suorum Gothorum laboribus & periculis acquisitas, expulsis inde fortissimis gentibus, ad manus eiusdem Imperatoris gratis donare non dubitauit. Deinde cum compertam habuisset Vandalorum in Hispania tyrannidem, statuit oppressæ Hispaniæ tam contra Vandalos, quam contra quoscunq; barbaros opportunum auxilium afferre. Itaq; imbelli turba Barchinone relicta, mouit in Vandalos, sæpiusq; manus cnm illis conseruit, antequam eos importune pugnando superaret. Interim euenit, ut quædam conditiones, quæ in pactis habebantur, ab Honorio minimè præstarentur. Cœpit in Italiam respicere, ut eo remearet, armis recuperaturus, quod per imprudentiam amiserat. Sed audiens post suum abscessum Alpium claustra ab Imperatore communita, tacitam in corde indignationem reprimens, in Hispaniam ulteriorem transire disposuit, inde in Africam transmissurus. Sed hoc eius propositum multæ uariaq; difficultates undecunq; emergentes impediuerunt. Nam Imperator Honorius, cum iam Athaulphi beneficio liberam teneret Italiam, & Gallias, cogitauit per summam ingratitudinem quomodo Athaulphũ ex Hispanijs eijceret, Gothorumq; nomen penitus inde amoueret. Sed non erat tam fluxa fides Hispanorum, ut sinerent Gothos tanta iniuria per ingratissimum Imperatorem affici. Iam enim sedes ibi fata quietas pro sempiterna Gothici regna gloria disponebant. Igitur Constantinus ab Honorio magister militum designatus, magno apparatu exercitum in Athaulphum expediuit. Quo comperto Athaulphus indignatione

non mediocri perculsus, quòd Romanus Imperator, cui ipse pepercerat, cui libertatem reddiderat, cui Romam, Italiam, & Gallias subiecerat, in se mitteret exercitum, nullo germanæ (quam coniugem tenebat) respectu, nullaq; fœderis, aut tantorum beneficiorum contemplatione. Igitur autoritatem, & fauores pro euertendo tam ingrato Principe sibi comparaturus, Athalum quendam Romanum in Imperatorem (teste Blondo) erexit: qui Athalus in Hispaniam usq; Bethycam nauigio aduectus, iudices in Africam misit. Sed cum non satis prudenter sibi prospiceret, ab Honorianis superatus, ad infelicem fortunam est reseruatus. Attamen hanc eandem Athali sublimationem Procopius Alarico tribuere uidetur. Deinde Athaulphus potentem exercitum conscripturus, Gothorum proceres, ut secũ in bellum proficiscerentur, conuocauit. Sed minimè parêre uoluerunt, asserentes ipsum unius mulierculæ blandimentis delinitum Imperatori Romano, quem in manibus habuerat, eiusq; delendi facultatem acceperat, pepercisset, & omnem Gothicæ militiæ fructum in eum imprudentissimè transtulisset. Igitur tali Gothorum indignatione paulatim gliscente, tumultus exoritur, & eousq; eorum animi excreuerunt, ut ad caput Regis perueniret. Ille enim à concitatis simul & indignantibus proceribus impetitus trucidatur: qui si potius sapientes uiros, quàm suæ mulieris blanditias attendisset, diu feliciterq; regnasset, & Romanum imperium Hispanorum nationi subiecisset.

Sigericus, absumpto fatorum uiolentia Ataulpho, Rex à Gothis constituitur. Hũc enim, quia semper uisus fuerat Romanorum conatibus obniti, præcipua ueneratione colebãt, existimantes ipsum potius honesta bella, quàm turpem pacem cum Romanis ingredi uelle. Tunc enim comes Constantius, etsi maximis Romanorum armis instructus ad bellum contra Gothos procederet, conabatur tamen omnibus ingenijs efficere, ut Gothi aliquas pacis conditiones admittere uellent: in quas cum Sigericum propensiorem attenderent, pœnitentiam egerunt, se Regiam dignitatem ad ipsum deuoluisse. Magnopere enim à pace & quiete abhorrebant, dudum experti, maius damnum ab insidiosa Romanorum pace, quàm ex acerrimis bellis, quæ cum potentissimis Principibus gesserant, prodijsse. Proinde Sigericum, cum se mollius, siue remissius in re militari gereret, pacisq; conditiones enixius amplecteretur, primum insidijs, deinde aperta ui eum circumuenientes trucidauerunt. Ita exosa Gothicæ genti quies erat, quòd ad summa queq; comprehendenda belli ardor, & fiducia uirium illam animaret: imò tantos animos illi fecerat Vrbs occupata, & Italia in manibus habita, quam se sponte, & tam faciliter deseruisse dolebat.

Vallia deinde in demortui Sigerici locum concordibus Gothorum suffragijs Rex surrogatur: qui etsi pronior ad pacem, quàm ad bellum esset, ueritus tamen priorum Regum casum, deliberauit potius suos proceres, & populos in bellorum discrimina educere, quàm ab eis (cũ tam pertinaces quietis & pacis osores essent) ad aperta uitæ pericula deduci. Quocirca magnam eorum manum classe armisq; instructam, in Africam transmittere contendit. Sed hi omnes in Gaditano freto periclitati (nullo ex eis euadente) perierunt. Territus ergo eo maximo & aperto Dei iudicio Vallia, non est ausus denuò bellum in Africam transferre, memoriæq; subiecit illam insignem cladem, quam Gothi pridem sub Alarico in Siciliam transituri sustinuerunt. Proinde persuasis Gothorum proceribus, & consentientibus, pacem cum Honorio Imperatore datis hinc inde lectissimis obsidibus constituit, & Gallam Placidam, quam post Athaulphi mortem honorificè apud se, honesteq; habuerat, fratri reddidit, societatem belli contra cæteras gentes, quæ Hispanias occupauerant, pollicitus. Ea pace firmata, Honorius Constantio Cæsari designatò eandem Gallam Placidam sororem matrimonio copulauit: ex qua Valentinianum eius nominis tertium suscepit. Exinde Vallia & Constantius (ut in fœdere constitutum erat) coniunctis copijs in Alanorum gentem ducentes, eam apud Emeritam Lusitaniæ metropolim incolẽtem inuaserunt. Proditum enim est in Romanorum historijs, complures gentes (duce Constantio, Constantini tyranni filio) Pyrenæi claustra prodentibus Honorianis ingressas, & illico ulterioris Hispaniæ prouincias inter se sortitas fuisse: solisqu'e Vandalis Bethyca, Alanis Sueuisqúe Lusitania forte obuenit. Et forte iterum inter Alanos, & Sueuos ducta, hi Vlixbonam, siue Olysipponem, & quicquid ultrà pertinet ad Bethycam: illi Emeritam cum omni Gallicia obtinuerunt. Soli tamen Cantabri & Astures, Galliciæ prouinciæ populi, in Romanorum fide permanserunt.

Vnde satis apparet, quantis calamitatibus & uexationibus opprimebatur inclita natio Hispanorum ante Gothorum imperium: sub quo non solum liberata fuit ab omni exterarum gentium incursu, sed in eam amplitudinem & gloriam ascendit, ut nunc aut præcipua, aut inter præcipuas totius orbis nationes meritò existimetur. Primum igitur bellum Valliæ, post inita cum Romanis fœdera, erat contra Alanos & Sueuos, in quos unà

cum Con-

cum Constantio Honorij genero ualidum exercitum eduxit, eosq; graui prælio apud Emeritam (interfecto eorum Rege Achace) superauit. Fuit autem ea uictoria cæteris gentibus Hispaniam diuexantibus maximo terrori, ut solicitè cogitarent, quomodo se à Gothorum potentia cum Romano Imperio coniuncta defensarent. Quamobrem missa ad Honorium legatione postularunt, ut à Gothorum societate discedens pacem secum constitueret, ipsosq; inter se sineret bellorum euentum experiri, & se inuicem lacerare, futurum prudentisime memorantes, ut apud quemcunq; fuisset uel cladès, uel uictoria, Romanæ Reipublicę instaurationi, amplitudiniq; accederet. At tunc Honorius prudentior erat, quàm quòd sibi tam perniciosam à Gothis alienationem persuaderi pateretur. Constantius enim consors Occidentalis imperij ab Honorio assumptus, Augustus constituitur: qua dignitate prouectus, nihil magis utile & necessarium duxit, quàm cum Vallia & Gothis fœdera dudum inita renouare, ut in Hispanijs reliquam gentium multitudinē delerent, aut effugarent. Itaq; eidem Valliæ Tolosam cum aliquot Auxitanæ prouinciæ ciuitatibus subiecit: quæ tota regio Vasconia Gothica lingua appellata fuit, id est Latinis uerbis (teste Blondo) Gothia Occidentalis. Ego autem puto Gothos Vasgothiam, non Vasconiam à principio dixisse: quod uocabulum quamuis usq; ad nostram ætatem tenuerit, tamen magnam (ut conijcimus) mutationem in prouinciæ finibus fecit temporis longitudo.

Deinde Vallia duodecimo anno regni sui (teste Iordane) uidens Vandalos in suis finibus, id est, Hispaniæ solo, audaci temeritate ab interioribus partibus Galliæ, ubi eos dudum fugauerat Athaulphus, egressos, cuncta deprædando uastare, mox contra eos grandi contracto exercitu procesit. Quod cum rescissent, timerentq; Vandali, de mutandis sedibus cogitare cœperunt. Iamq; Romani imperij fato exposcente, à Bonifacio comite Gizericus Rex Vandalorum in Africam inuitatur: à quo etiam multa prece exorati sunt Vandali, ut siue mallent stipendia, siue pręsdam urbium, siue ipsas Africæ urbes, in pręmium acciperent, ut opem illi aduersus Imperatorem, pręsidiaq; afferrent. Itaq; Gizericus oblatam illico conditionem amplexus, Vandalos cum uxoribus, & liberis, omniq; supellectili, factaq; per tot annos in Gallijs & Hispanijs præda, nauibusq; imponens, per fretum Gaditanum transmisit in Africam, non magis Bonifacio auxilium allaturus, quàm nouas sedes in ea regione occupaturus. Alani autem, & Sueui mansere apud captas in Lusitania regiones, donec distinctis postea temporibus ad suos protectores Vesgothos cōfugerent in Bethycam, quam ipsi Gothi discessu Vandalorum uacuam obtinuerunt. Sed fortè operæpretium fuerit ostendere, qua necesitate ductus fuerit Bonifacius, optimus quidem Romanæ militię in Africa dux, Vandalos in auxilium contra Imperatorem inuocare. Erat enim origine Thrax, sed morum humanitate præclarus, quem in Africa tribunum & comitem beatus Augustinus Episcopus Hipponensis summè dilexisse uidetur. Sed inter hunc Bonifacium & Castinum Consulem Romanum, tanta controuersia ob æmulationem uirtutis incidit, ut necesse fuerit, uniuersam Rempub. ob priuatum eorum odium periclitari. Extant complures ipsius S. Augustini Episcopi epistolę ad Bonifacium, & Castinum, quibus summoperè conatur eos ad concordiam reuocare. Sed quemadmodum transitus à gratia in odium quàm facilis esse solet; ita difficilè ab odio reditur in gratiam. Similis quoq; inimicitia inter eundem Castinum & Aecium suborta, occasionem præstitit, ut Aecius Attilam, & Hunnos ad extremam Italiæ ruinam (ut suprà diximus) inuitaret.

Et quia Alanorum nomen hoc tempore multam in historia memoriam habet, quòd Sueuis frequenter iuncti fuerint, siue cum Rhenum transirent, siue cum Gallias infestarent, siue cum Hispanas prouincias inuaderent, nonnulla de eorum origine commemorabimus. Sueuorum quidem natio in Germania usq; hodie notisima est: quamuis etiam dubitari posit, an ipsa ex Suconia Septentrionali originem ducat. Inquit enim Lucanus:

Fundit ab extremo flauos Aquilone Sueuos.

Non enim Sueui, qui uulgò Suaui dicuntur, in extremo Aquilonis habitant. At Alani qui fuerunt, aut unde uenerunt, maius dubium est. Ptolemæus in Asia longè ad Orientem inter Scythicas nationes describit Alanos mōtes, & populos: sed an ea gens populariter egressa nouas sedes quæsiuerit, nemo dicit. Gothorum, Gepidarum, Hunnorum, Bulgarorum, Vngarorum, Longobardorum, Turcorum, Tartarorum irruptiones tenemus certis autoribus, tempora signantur, nominantur duces, & quò uenerunt commemoratur: de Alanis autem, quando, & quibus ducibus sunt egresi, dubitatur: nisi quòd Moscouitæ à nōnullis Roxalani dicuntur, quasi dicendum esset Rusi Alani. Aut si ad illam gentiū uaginam, Scandianam insulam, referenda fuerit Alanorū origo, credi potest eos Alandos fuisse, qui in insulis inter Scandiam & Finningiam habitāt, & in uicinam Rusiam antiquisimo tempore cōmigrasse. Facit inopia scriptorum antiquorum, ut diuinare oporteat in his & similibus rebus,

in quibus

in quibus libenter sum cessurus probabiliora afferenti. Procopius tamen dissimulandus non est, qui in 3. libro de bello Vandalico Alanos Gothicum esse genus apertè fatetur. Iosephus autem 7. lib. belli Iudaici, cap. 42. affirmat ipsos Scythas esse, & iuxta flumen Tanaim, & Mæotides paludes sedes habere. Sed ad propositum redeamus. Vallia Gothorum Rex adeò cum suis Gothis (teste Iordane) in Vandalos concitatus erat, ut uoluisset etiam eos in Africa persequi, nisi eum casus, qui dudum Alarico ad Africam tendenti contigerat, reuocasset. Quocirca contentus eos incruenta uictoria superasse, & profligasse, Tolosam reuertitur. Deinde post diuturnum, sed parum tranquillum regnum, rebus excessit humanis.

De inducijs, & pace constituenda.
CAP. XLI.



ETsi belli administratio, & pacis constitutio, præ omnibus alijs ad Principem spectat, ut maturius, citiusq; de rebus arduis consultatio, ac executio fiat: tamen opera fidelium præfectorum, ut nunc cernitur, arduissima tam belli quàm pacis negotia, utcunq; cōstituuntur: qui eò prudentiores, utilioresq; tam dominis suis, quàm Reipub. iudicantur, quò promptiores fuerint ad inducias constituendas, ubi solida, ac longæua pax nequeat stabiliri, ne fortè seditiosis exclusis, talia pręter spem reperiantur media, unde utriq; discordantium parti, & eorum posteris, ac subditis, amor & concordia dulcis generetur, ac roboretur. Nil enim utilius, ac decentius, uel antiquius inter claros Principes est, quàm bella potius arcere, quàm promouere, odia claudere cum sepultis, irarum obliuisci, seditiosos abigere, tumultuosos ac insolentes corripere, ut concordiæ constituendæ aliquando (pessimis amotis consiliarijs) placidissima sternatur uia: in qua gloriosius, securiusq; semper regnabitur, ubi omnia fundantur in charitate. Cuius rei etsi innumera hic adduci possent exempla, unum tamen cæteris recentius, & iucundius sufficiat hìc afferre, quod supra 60. annos accidit in Suetia, inter Principem regni antiquum Stenonem Stur, & Iacobum Archiepiscopum Vpsalensem: qui seditiosis, & truculentis persuasionibus utrobiq; decepti, minus prouidè ad acerrima bella, ob exiguas quasdam offensiunculas, procedentes, à Principe fortissimo milite cincto, Archiepiscopus arctissimè obsidetur. Quo uiso, etsi potentissima defensione non careret, nempe in arce insuperabili Almersteck dicta, uiribus, & expensis, ac naturali munitione prouisa: tamen ipse Archiepiscopus, sciens Principem uirum prudentissimum, ad omne salubre cōsilium ualde propensum, eleuata galea ab alto muro, solitarium Principis colloquium obtinuit: quo obtento, mutuis rationibus, & totius regni periculis imminentibus examiatis, nedum in una hora pacem mutuis amplexibus, utriusq; castris intuentibus, soli confecere, sed ne uerbum in contrarium ab utraq; parte fieret, seuerissimis pœnis prohibuere. Quo factum est, ut malis contristantibus, bonisq; exultantibus, amœnissima pax est constituta: quæ & utriusq; durante uita, indissolubili amicitia seruabatur. Si hac prudenti modestia erga iuniorem Stenonem Sture in ortis controuersijs, ob publicam patriæ suæ quietem usus fuisset Gostauus Trolle, eiusdem Iacobi immediatus successor, infinita strages, & cædes auersa, tranquilliorem regni & Ecclesiæ causam reliquisset. De pacificatione inter Principem Stenonem & Archiepiscopum Iacobum, habes plura supra lib. 9. cap. 21. pag. 366.

De obsessorum

De obſeſſorum petenda pace.

CAP. XLII.

POſtquam pertinacibus armis,ſtrenua defenſione,morborum patientia aëris & frigoribus duritia,uulnerum cruciatu & tolerantia,inceſſabili uigilia,inutili expectatione uenturi præſidij,illuſione continua,importabili ſtipendorum caristia,omniúmque preſſurarum anguſtia,fame, & inedia, omniumque preſſurarum, ac ſtratagematum uarietate,ac cunctarum neceſſariarum rerum penuria, arcibus incluſi nil amplius efficere,aut inimicis obſidentibus reſiſtere queunt,galea è ſublimiori loco propinquioris propugnaculi hoſtibus indicant pacis conditiones petere,ac ſuſcipere uelle,ne fortè de rebus ſuis iam prorſus deſperatis,pactis interuenientibus,armis,& ueſtibus,uel ipſa uita retentis,in tuta recedant: quod forſitan ipſi obſidentes ſimilibus anguſtijs,aut maioribus ſub inclementia cœli ſolique uexati,non ægrè concedunt.Sępiſsimè etenim huiuſmodi conditiones quæruntur ac reperiuntur,ut niſi ab hoſtilibus incommodis utriuſque partis abſtineãt, nedum ipſi fortè ob uiliſsimam alicuius deſpecti ſermonis,uel turpis rei originem altercantes,ſed & eorum amici,confœderati,ac ſoboles ſucceſſuræ perpetuo odio contabeſcant.Itaque ne patiantur,& hęc fiant,interuenientibus ſanis conſilijs,literis, ſigillis,iuramentis pœnarum grauitate firmatis,ſæpe in gratiam & concordiam redeunt,ut obſeſsi cum omnibus,quæ quiſque ferre poſsit,in tuta,quieta pace fruiturus abſcedat.Quo caſu ibi pax fida,tuta,ſtabilis,& perpetua erit,ubi uoluntarij fuetant concordati:fallax autem non permanet diuturna.

De ſceleratis mediatoribus,& quæſtoribus pecuniarum.

CAP. XLIII.

SCeleratiſsima ac peſsima mediatorum conſuetudo eſt,deſpicere uel intercipere uelle ueritatem.Qui enim ſine lege rationeque agere diſpoſuerint, conſtat eos regna,populoſque,& urbes citius diſtruere uelle,quàm ſeruare:ubi melius eſſet,maximè inter bellorum initia,diſcordiarum radices reprimere, quàm priuata ultione publicam inducere calamitatem,& diſcrimen:& quid tandem diſcordantibus ad ultimum eueniet?niſi quòd auitos in manus uiliſsimorum hominum ex pendent theſauros:quos uel à negotiatoribus ſub iniquo fœnore,uel ab amicis ficta doloſitate mutuatos,uel forſitan ab Eccleſijs,& pijs locis impia rapacitate extortos,uel à ruricolis contemplatione pacis procurandæ emunctos,uel theloneorum,ſeu gabellarum augmento quæſitos,uel ui ctualium humano uictui neceſſariorum intolerabili exactione corraſos,uel miſerabili mãcipiorum mercede congeſtos,uel à numero pecudum,eorundemque membrorum taxatione contributos in uaferrima crudelium conſiliatorum aſtutia, quaſi iuſta conſcientia gloriantur ſe congregaſſe.Sed reuera deteſtabilem memoriam, imò ſempiternam infamiam in ſe,& ſtirpe,ac poſteris ſuis,in eorũ annalibus deprehendent ſe lõgè incautius, quàm prudentius theſauriſaſſe,omnemque maledictionem accumulaſſe: quã patientiſsimus Iob dicit Regi euenire,qui meditatur bellũ.Quod quanta incõmoda habet,lib.3.cap.3. de ſeditioſis D.Brunus Germanus uir clariſsimus,his uerbis atteſtatur:Religio neglecta iacet,ſpretus Dei cultus,tẽplorũ direptiones fiunt,& ſacrilegia,horrendęque audiũtur blaſphemię,uariæ eduntur cędes,rapinæ, populationes agrorũ deprædationes domorum,carceres,uincula,auulſi à ſinu matrum filij, raptæ ad ſtuprum uirgines,incendia pagorum,urbiũ,&c.Arma etenim non ſeruant modum:

modum: non temperari facilè, nec reprimi potest strictis ensis ira: bella delectat cruor. Belluarum enim est iste furor, unde bellum nomen accepit, inquit Festus. Veruntamen ob reprimendam uiolentiam, defensionem oppressorum &c. iustè suscipitur bellum, ut ibidem pulchrè diffusius narrat idem autor Brunus.

De comitijs insularibus, & consiliarijs.

CAP. XLIIII.



ACciderat præterea temporibus antiquis intantum præualuisse mortalium luem in Septentrionalibus regnis, ut sublatis principibus, imò Regia stirpe, & potiore nobilium prosapia, longo temporum interuallo quasi acephalus populus coalescens, discordi regimine, atque tumultuario gubernio disponeretur, ut penes nullum solida potestas lege uel autoritate roborata maneret: quinimò eò sors infelix deuenerat, ut nemo alteri in concilio fideret, nemo obtemperaret, nemo attenderet, quid ex hac detestabili discordia exurgere posset, dum domi ruinam, & rapinam, forisque contemptum, & infamiam incolæ ampliarent. Quocirca seniores populi emeriti uestitu, & barba horridiore, ob experientiam, & naturæ bonitatem, citra ullam scientiam, & citra literas conuenientes, ne amplius totam regionem periclitari sinerent, consilia quæsituri in insulam aliquam sese transtulerunt, ut potius sub aperto cœlo quàm tectis, de concordi atque utili regimine prouideret. Et ita fuisse commemorat antiquitas. Nam paucorũ, & bonorum sagaci iudicio eò res perplexa deducta est, ut uni omnium consensu gubernandi traderetur autoritas, qua tanquam electus supremus Princeps subiecta dominia moderaretur, optimeque diebus eorum, atque subsequentium ętatum successiuis temporibus prouideretur: hac tamen lege amnestię, seu obliuionis relicta, ut nullus retroacti temporis iniurias, uel offensas ullo unquam æuo reuocaret in ultionem. Eaque lex pro tanto semper fuit habita utilior, quò eius imitatio tenacior fuerit in executione.

De eisdem euentibus, & procerum consilijs similibus.

CAP. XLV.

CVM uero proceres successiuè de simili calamitosa regionum ac incolarum reparanda unitate, ac auertenda desolatione, coguntur inire consilia, simili prouidentia strictiori compendio in arcibus, uel angustis insulis omnibus à se nauigijs abductis inclusi, breuissimo temporum curriculo quæ salubriora uidentur concludunt. Nec cuiquã instante quacunque necessitate, excepta ægritudine mortifera, inde exire permittitur, donec quid prudentius agendum sit, unanimi sententia constituatur. Quo facto tempus affigitur, ut quisque procerum in sua reuersus, constitutionem subiectis populis aperiat illicò exequendam. Nec segnius factum quàm dictum, uita & bonis oblatis deducitur ad effectum, scilicet quòd libertatis uiolatores, & hostes, uel capiantur, aut exturbentur à regno. Tandemque potestas, & autoritas ut deinceps penes unum caput, ad omnia iustè prudenterque moderanda, remaneat, simili consensu stabilitur. Neque hic modus in insulis cõsultandi contrarius illi est, qui Regiæ electioni deseruit in campis, duodecim circumpositis saxis, ut nono libro fuerat declaratum. In horum etenim medio super latum, & ingentem



gentem lapidem Rex electus ſtans, populi conſenſu fauſta acclamantis, approbatur. Idq; fieri ſolet triplici uia. Prima, ne dolo, blanditijs, aut inſidijs: ſecũda, ne promiſsis, aut terroribus: tertia, ne minis, ac ui eligendus extorqueat ſuæ præſidentiæ, ac eminentiæ dignitatem.

De fidelibus ſecretarijs, & eorum utilitate.

CAP. XLVI.

SEcretariorum, ſiue ſcribarum officium, ſecuritas eſſe ſolet uniuerſorũm: quia ius omnium, eorum ſolicitudine & fide ſeruatur. Alios forſan depopulantur incendia, alios denudat furtiua ſurreptio, nonnullis negligentia perit, quod integra diligentia ſit quęſitum: ſed de fide ſecretariorum fidelium facilimè reparatur, quicquid à priuatis perditum fuerat, aut malè probatum. Solent uigilatiores eſſe in alienis quàm proprijs. Armarium enim eorum fortuna cunctorum eſt, & meritò refugium omnium eſſe cenſetur, ubi omnium ſecuritas frequentius inquiritur, & habetur, ac quaſi ueritas incorrupta cuſtoditur: quia nullum permittit in ſua utilitate fraudari. Præcipitur ergo, ut tanti officij ſint fidi cuſtodes, nec uariari ſe ſinant in ſilentio, qui prouida cenſura abundare teneantur in lingua. Eis enim committitur antiqua fides, & quotidiana diligentia, ut dirimant iurgantium deteſtabiles lites, uincula rumpant, & adductis euidentioribus cauſis innocentes abſoluãt. Et hoc honorabile decus eſt, quando indiſputabili teſtimonio uocem afferunt antiquarum chartarum, quibus improbi litigantes ratione conuicti, obedire coguntur. Ament ergo iuſtitiam (de qua nemo conqueri poterit) ut indiſſolubilem in omni obiecto & euentu, ac neceſſariam ualeant firmare ueritatem, qua publica tranquillitas inducitur: quæ omnibus exhibebit accommodam utilitatem. Tales itaq; ſecretarios domini terrarum habeant, & diligant, non aſſentatores & adulatores, qui regna citius euertunt, & principes eneruant, quàm quiuis truculentiſſimus hoſtis.

De prudenti commiſsione Principum.

CAP. XLVII.



REceptum eſt à maioribus, atque rectè obſeruatur ab omnibus, quòd illa dominia, ſeu regna, optimè gubernantur, quando Reges bene imperare didiciſſent, imò & tranquilliter, quando ſubditi fideliter obediant Regi iuſta imperanti. Verùm ut prudentius, & ſecurius utrobiq; agatur, utrumque ſemper ſeruare neceſſarium eſt. Quis enim parêre ei poteſt, qui imperia neſcit, aut unquam addiſcere curat? Subiectorum quidem obedientia à Principis prudentia, atq; doctrina proficiſcatur oportet. Itineris duces, qui rectè antecedunt, ex ſuis ueſtigijs hoc præſtant, ut qui eadem terunt, nunquam oberrant. Qui uerò errabundi ducunt, & ſeipſos perditum eunt, & alios in præcipitium rapiunt. Atqui ut equeſtris munus militiæ habetur, manſuetum equum reddere, nec reſpuentem frena, nec duriore ceruice obluctantem, ut infrà de conditione bonorum equorum lib. 17. cap. 10. & 11. dicetur: ſic Regium officium eſt, populum ultro obſequentem reddere, & gratia, beneuolentia, ęqualitate, benignitateq; ſic homines ſibi deuincire, ut ſponte ſua parêre ſtudeant, nec imperata detrectent, aut iniquo animo obſequantur. Contrà autem uidendum erit, ne facilitate Principis ciues in petulantiam,

lantiam, & sæuitiam (ut superius lib. 8. cap. 31. dictum est) conuertantur. Sic qui mites ingenio principiò erant, cum se contemni uident, acerbiores fiunt, & durius regnant. Principes enim, dum sibi ab insidijs subditorum cauere cogentur, clementiæ, misericordiæ, & beneuolentiæ obliuiscuntur, ut de Alexandro Magno, & similibus plurima redduntur exempla. Cogitandum ergo erit, Regem quasi theatrum esse, in quo omnes uirtutes præbeantur, uitia autem explodantur. Magna, præclaraq; res est, coram eo agere, penes quem premij, pœnæq; arbitrium sit. Et ita uidentur ante oculos Principum acriora fieri spectacula in quouis exercitio militari, ubicunq; fuerint intentanda. Iucundius quoq; est, Regem habere iudicem, quàm communitatem, quia non auro, argentoúe, aut similibus corrumpitur, aut frangitur minis.

LIBRI VNDECIMI FINIS.

OLAI MAGNI GOTHI ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS DE STRVCTVRIS Aquilonaribus

LIBER DVODECIMVS.

PRAEFATIO.



TRANSCRIPTIS superioribus XI. libris de secretioribus naturæ effectibus, deorum inani cultura, minerarum opulentijs, Regum electionibus, armorum præparamentis, atque campestribus, syluestribus, naualibus, & glacialibus bellis, sereno tandem fœdere compositis, atq; firma pace corroboratis, ordo necessarius exigit, ut ad ædes hostili furore consumptas, artificis industria properet, & restauret: quod eò facilius efficiat, quò materialia gratis inueniet bonitate naturæ, præsertim in saxifodinis, accommodata. Quales autem sint hæ partes ædificiorum componendorum, illicò primo capite sequenti dicetur. Nec desunt uires quin arduas ædificent ædes, licet ordine uariato ab Italicis structuris, insigni magnificentia ac altis operibus elaboratis.

VErùm ut moderni temporis Aquilonares architecti, insigniores structuras prisci seculi latè per orbem diuisas, magis admirari, quàm imitari ualeant, præstat intelligere, septem tantùm terris loco miraculi fabricas fuisse relictas,

1 Ephesi uidelicet Dianæ templum,
2 Regis Mausoli pulcherrimum monumentum,
3 Rhodi Solis æneum signum,
4 Olympici Iouis simulachrum,
5 Cyri Medorum Regis domum,
6 Babyloniæ muros, quos Regina Semiramis latere cocto, sulphure, ferroqúe construxit, &
7 Pyramides Aegypti.

Sed quis illa ulterius putabit esse præcipua? cùm in una urbe Roma Iulij III. Pontificis Max. pretiosum, & admirabile theatrum, atq; decorũ fontem pro publica cunctarum gentium salute, incomparabili naturæ & artis pulchritudine excogitatum,

tatum, diuersicolorumque lapidum concordi uarietate conspexerit fabricatum: ut merito totius orbis octauum spectaculum æternis laudibus asserat prosequendum, ac extollendum. Habuerunt honorem ueteres fabricæ, quia tempore in rudi seculo præcesserũt, dum quicquid emergeret insolitum, ore omnium, & iure quidem, ferebatur eximium. Nunc autem eò clarior, ac excellentior æstimatur antiquitas, quò nouo uestita decore ornatum adauget, & utilitatem: quæ uti longis ætatibus retroactis ignaræ uetustati non patuit, ita nunc stupenda pulchritudine aquarum necessariam abundantiam, cunctis seculis clausam, gratis, & perenniter infinitis ætatibus, & creaturis administrat.

IN VINEAM IVLII III.
PONT. MAX.

QVi maris & terræ grandi sub pondere pressam
Nauiculam, summi patris regit inclitus orbi,
Vt consurgentes ualeat superare procellas
Iulius: hic rerum moderator maximus, omne
Extento ut possit pelagus decurrere linteo,
Sustineat curas, & tanta negotia, quorum
Maius onus non est humeris torquere carinam,
Curatum: ut præstò ualeat prudentibus uti
Consilijs, extruxit opus: cui mira salubri
Temperie, cœli loca præstant apta quieti,
Ad Flumentanam portam: cui copia rerum
Cunctarum, cedunt cui magna palatia Romæ.
Collibus hinc inde est pulcherrima uinea tanti
Pontificis, passim quocunque in tempore cultu
Percelebris: sunt læta die, sunt omnia nocte
Grata, & amœnus ager secessibus undique septus.
Perpetui fontes labuntur, celsa theatri
Atria marmoreis exurgunt plura columnis.
Vt ualeant superare orbis miracula septem,
Quæ tot magniloquis buccis iactare Pelasgi
Non cessant, statuis circumdata machina surgit
Antiquis, subeunt memoranda insignia uiuis
Vultibus: inde latex latebris emanat abundè,
Exilit, & properat terras cùm Sirius urit,
Vt defessa leui requiescant membra labore.
Parua cano, nam mira nimis spectacula cultu
Multiplici, atque auium concentus æthera pulsant.
Vt diuisa homines possint sua tempora uitæ
Pertrahere, assiduo populus stupet anxius ore.
Propter iter summa de mole hinc uisitur ædes,
Marmore tum Pario erecta in fornice celso,
Andreæ apostolica cum Petro puppe uocato.
Hoc testudineum templum radiantia templa
Insignita auro exuperat, pietate flagranti
Pontificis summi: loca, quæ celebrare per æuum
Sic merear, nũquam excipiat mea lingua quietem.

Angelici ut proceres foueant sua uota salutis,
Atque decus cumulẽt, seruentque in honore perenni,

Culminis excelsi cœlorum exercitus omnis
Pontificem associent, fruiturum monte superno.

Et quoniam heroum sanctè sunt gesta canenda,
Hoc placuit nobis scribere mente pia.
Viuunt artifices sub tanto Principe egeni,
Quos facit assiduos res uariata bene.

De muratoribus, ac uarietate, & forma saxorum.

CAP. I.



MVratores quidem sunt fideles, & ingeniosi pro conditione fortissimæ gentis, hoc est, quòd densos ob infinitam materialium abundantiam quasi in omni opere construunt muros: maiori tamen fortitudine, ut infrà dicetur, quàm pulchritudine, contra quemuis impetum corroborantes. Sed nec excellentissimi artifices desunt, tam indigenæ quam alienigenæ: qui ob ingentem mercedem eò aliunde proficiscũtur quiq; utriq; & firmitati & decori satisfacere norunt, & possunt. Nam pręter eorum manualem artem, reperiuntur in plerisq; montibus Septentrionalium prouinciarum lapideæ moles, ita à natura in diuersitate figurarum, præcipuè quadratarum, & oblongarum formatę, ut uix aliquid præter politum splendorem ad ornatum pulchriorem eisdem superaddi possit, prout apparet in uasto quodam monte Amaberg dicto, non procul ab insigni monasterio Vastenensi, per Illustrissimam mulierem S. Birgittam (cuius corpus in celeberrima memoria, & filiæ eius beatæ Catharinæ primæ Abbatissę ibidem requiescentis, habetur) ædificato imò & alio quodam cœnobio diui Benedicti Aluastra appellato: ubi lapides uarij coloris, præsertim atri, ad quæuis ædificia incolarum gratia extrahuntur, ac ratibus, seu promonibus deportari, in pulcherrimum et commodissimum usum à fundamentis fenestrarum interpositione ad culmina tectorum redigũtur, hoc opinabili relicto iudicio, quòd uel natura artem, uel ars ipsa naturam superare uideatur. Dixi gratis, quia nec pretio, nec precibus emitur à possessoribus loci, ob inexhaustam huiusmodi saxorum abundantiam, uel deputentur ad publicam, & priuatam utilitatem. Nec mons ille, omni amœnitate plenissimus, latus & sublimis, à longe nauigantibus aliter, quàm ciuitas aliqua turrita, mœnibus cincta, apparet. Extant hodie plura ædificia prædicti cœnobij Aluastra, atq; ciuitatis Lincopensis, eius generis saxorum uetusto tempore, quadrato opere satis polita, sicut & alibi fabricata. Sunt pręterea alij montes Ostrogothorum uersus Orientaliora littora maris Gothici, lucidos lapides adamantinæ speciei, forma hexagoni, instar crystallorum, longo ordine hincinde producentes e quibus (si superuacaneus luxus ęstimatorem haberet) splendidi parietes, admiratione pleni, formari possent. Pręterea apud Vestrogothos mons est eminentissimus Kindaberg dictus (de quo supra lib. 2. cap. 22. mentio facta est) in circuitu marmorea saxa adeò pulchro colore naturaliter uariata habens, ut cuiuis structurę applicata plurimum decoris afferant, & utilitatis. Demum in suppolaribus insulis magnetum montes reperiuntur, quorum fragmentis ligna fagina certo tempore applicata, in saxeam duritiem, & uim attractiuam conuertuntur. Deinde tam uiui campestres lapides diuersarum formarum, quàm cocti in maxima quantitate, nedum pro tectis, sed & muris, ubiq; applicabiles reperiuntur.

De domi-



tulæ, uel tegulis
quercu, uel fago
laminis, quema
ficiosè contra ui
& ualde necessa
tum pro supelle
plurimum raræ,
tiantur. Quadra
combinatione
tur) coaptatæ: &
introrsum supe
proportionatas
ues. Nam si mai
bus uento ualic
illicò casuræ rep

FEnestræ co
sunt in obl
autem, uel tela
propter uicos a
rum extremos l
sunt, ne prædor
tando resistant
fossis, culmo, u
ciant hostem.
rum particulari
ticibus popule
co auenæ, uel h
uerius ut super
prout superius
loca ędium str
sex lateralibus
fortissimam p
modum in reg

De domibus fabricandis, & earum uaria forma.

CAP. II.



Diuersitates ædificiorum miræ, multæq; sunt in Septentrionalibus regnis, uidelicet pyramidales, cuneatę, arcuales, rotundæ & quadratæ. Pyramidales scilicet ex solis hastis sursum connexis, deorsumq; ampliatis, idq; pro tempore æstiuo, ne fumo & flamma pariter cum solis ardore molestętur operarij manuales. Cuneatæ ædes ferè omnes in altum porrectę sunt, ut densæ, onerosęq; niues citius uento arceantur, ne deprimant tecta: quæ corticibus betulæ, uel tegulis, uel fissilibus scandulis è pino, ob innatam picem, uel abiete, uel quercu, uel fago confectis, diuitum uerò tecta uel cupreis, uel æreis, aut plumbeis laminis, quemadmodum templorum, sunt cooperta. Arcuales structuræ satis artificiosè contra uim uentorum, casumq; niuium, tam muro quàm lignis, ad uarium & ualde necessarium usum fabricantur. Talesq; reperiuntur in ædibus magnatum pro supellectilibus domesticis, aut rusticanis conseruandis. Rotundæ, & hæ plurimum raræ, ut diuersi artifices pari luce è culmine reflexa, in exercitijs suis potiantur. Quadratæ autem domus frequentiores sunt, sed lignis grossissimis mira combinatione in angularibus iuncturis (quibus magistrale artificium ostenditur) coaptatæ: & hæ quoq; fenestras habent plurimum in tectis eleuatas, unde lux introrsum super quemlibet descendere posit. Mutatæ autem ædes portas habent proportionatas, sed strictas fenestras, ob intensissimum frigus, & pruinosas niues. Nam si maiores, amplioresq; more Italico essent, confestim minutissimis niuibus uento ualido (ueluti pulueribus turbine) agitatis, ædes ipsæ importabili mole illicò casuræ replerentur.

De fenestris in tectis.

CAP. III.

Fenestræ communiores Aquilonarium ædificiorum, præsertim in uaporarijs, sunt in obliquis firmatæ tectis, per quæ purior lux è cœlo descendit. E uitro autem, uel tela picata, pro pluuia arcenda ponuntur. A latere uerò in urbibus, propter uicos angustiores, ferreas habentes craticulas, & clausuras, portæ incolarum extremos limites regnorum inhabitantium, ex industria strictæ, depressæq; sunt, ne prædonibus pateant, & inimicis. Imò ut eisdem & apertis hostibus sagittando resistant, parietibus utuntur perforatis. Similiter & egestæ terræ secretis fossis, culmo, uel stipitibus frondosis, seu aridis contectis, ne fortè eo modo conficiant hostem. Sed hæc superioribus libro septimo cap. 21. de pœnis incendiariorum particularius enarrata uidentur. Tecta uerò trabibus, & tabulis abietinis, corticibus populeis, & germinantibus terreis glebis, gemino ordine, interiecto pauco auenæ, uel hordei semine, combinantur: & hoc ne fulgure comburantur, imò uerius ut supereffusa aqua tempore hostili pascua præbeant ouibus, & agnellis, prout superius reperitur ostensum. Quidam etiam in urbibus eò constringunt loca ędium struendarum, ut mutuo sumptu, & consensu, coniunctis quinque uel sex lateralibus ædificijs, constituunt unum castellum, unicuique portam ferream fortissimam præfigentes, ut etiam si hostis muros, & mœnia superarit (quemadmodum in regia Suetiæ Holmensi à culmine domorum ubique arcetur) resiliat

 ab incepto.

ab incepto. Materiem autem ædificijs aptam & fidelem, ad uetustatem inducendam, & conseruandam, periti architecti nouerunt inuenire, imò ab arboribus abstinere, quę ędificijs impositæ, difficultatem parientibus ingerunt, & miseras mortes, ut Plinius etiam testatur lib. 13. cap. 19.

De maxima multitudine, & magnitudine arborum in Septentrionalibus terris.

CAP. IIII.



ABietum, & pinorum, ac iuniperi, laricisq; maxima abundãtia est in Aquilonaribus syluis, tantæq; proceritatis, ut altis turribus æquari possint: & ob id quæ mari sunt propinquiores, ad antennas, malosq; magnarum nauium adaptantur, & præcipuè pineæ arbores: quæ ob cognatam resinam, et picem, sui natura imbribus ne cito putrescant, sed diutius durent, resistere solent. Abietum tamẽ fructus, uel pinorum, in nullo usu sunt, quemadmodum in Italicis oris, unde uoluptuosa medicina conflatur. Arbores pineæ nauigiorum tabulatis operimentis serrarum sectione, dolabrisq; aptantur. Harum etiam dulcibus medullis in cacumine (quæ cerebrum uocantur) regnicolæ, præsertim Lappones, in principio æstatis recollectis, loco panis, ut Parthi palmis, utuntur. Rami abietum pro uasorum circulis, imò & sepibus agrorum, ac arcubus ballistarum, sicuti & larices, quasi flexibiliores, coaptantur. Trabibus uerò abietinis perpetuus honos attribuitur, quia tecta templorum durabili earum firmitate & leuitate teguntur, eoq; proceriores sunt, quò locus natiuus sabulosior inueniatur: macro tamen corpore, quia arenosis fomentis haud nutriuntur, unde pinguissimus succus resinam, seu picem emittens, connasci uidetur. Pręterea betulæ arboris copia maxima est in toto Septentrione: cuius hæc est uirtus, ut incisa infrà corticẽ & librum lachrymas portabiles emittit, uti fructus eius tempore famis habentur pro pane, cortexq; tegumento. Similiter & iuniperi legumina, imò & radices eius, beatissimo Iob teste, loco panis habentur, licet anxium accessum ob aculeos præbent: in quibus aculeis, seu spinis, prunæ uiuaces, ignisq; per annum durat: quem nisi restinguunt incolę, suborto cœli turbine, ac tempestate, syluestre incendium excitatum, quasi uagabundum, circumiacentes agros depopulatur.

Adhuc de arboribus Septentrionis.

CAP. V.

QVercus incorrupta sub aquis durat, & ob id utilissima nauium costis. Corticibus uerò eius coria præparantur, & perficiuntur, uti infrà de glacialibus structuris ostendetur. Sunt & aliæ arbores durioris naturę, è quibus detornantur annuli pro usu antennarum, ac utres, & amphoræ, resina, ne intus putrescant, liniendę. Præterea aliæ ignoto nomine sponte nascentes, quę tamen ob effectum in pondere, colore, duritia, rotunditate, proceritate, & fructibus utiles æstimantur. Cotoneæ autem, & sambuci cum iuiubis dulcissimis, ibidem reperiuntur. Itidem & salices duplici genere annotatæ: quibus ad premendam famem lepores utuntur. Et hæc licet steriles sint, densissima tamen sobole excisis ramis, & plantatis renascuntur,



naſcuntur, ut reliquæ lignorum cæduæ ſyluæ germinantes, rurſus à radice ſucciſæ. Multæ etiam arbores inueniuntur, quæ quia altas, multasq; radices habent inextricabiles, niſi turbine, uel fulmine tangantur continuè perſeuerāt: quarum facilis ratio non datur, dum aliæ, alibiq; naſcantur. Hedera prætereà ueluti adulatrix adeò communis eſt, & onerosa, ut niuium fomento paulatim muros & mœnia, niſi extirpetur, abſumat.

De diuerſitate arborum.

CAP. VI.



SVnt prçterea multiplicis generis arbores in eiſdem frigidis locis, & hæ præcipuè, præter ſuperius dictas, ut populeæ, fraxineæ, & altarum iuniperorum, quç ob proceritatem commodè propter annexum odorem quaſi cypreſsinum, aptantur ad electas manſiones, & ignea fomenta, tam tempore peſtis, quàm alio quotidiano uſu. Sponte enim huiuſmodi arbores genitæ perpetuitate ſtirpis indeſinenter accreſcunt, et inextirpabiles coaleſcunt ita ut productæ ad robuſtam ætatem (ut iam dictum erat) ſublimibus, & imis ſtructuris, tanquam fortiores trabes, coaptantur. Quercus uerò, & fagi, ultra ſeptuageſimum eleuationis poli Arctici gradum, uerſus zonam frigidam non reperiuntur: imò paucæ reliqui generis, niſi betuleæ, ueluti incuruati frutices in extremis Oceani Scythici littoribus, ob frequentes tempeſtates. Verum in terris uerſus Meridionalem plagam, maximus eſt prouentus arborum fructiferarum: quarum fructu, glandium ſcilicet, & corylium nucum, ac fagorum, tempore ſterilitatis incolæ loco panis pariter cum cæteris animantibus utuntur: quæ tamen animantia, ut mures, glires, & aues, futuræ famis arcendæ ultra humanam ſagacitatem hoc habent, ut hos fructus ad antra, cauernasq; comportant: unde & prouidi terrarum incolç imminere famem futuram cognoſcentes, diligentius ſolito proſpiciunt euentibus ſuis. Fagorum nuces triangulæ ſunt, rubeo cortice munitç, ſubintra barbatum calicem habentes: quarum eſu, ſicuti glandium, mirè impinguantur porci, ſola inſpecta differentia, quòd laridum his durius, illis uerò mollius, ſeu fluidius reperiatur.

De fructuum qualitate.

CAP. VII.

NVces corylinæ adeò abundanter ibidem creſcunt, ut indigenis, & aduenis ſufficiant ad omnem optabilem uſum: quo fit, ut quæſtus cauſa, ac mercatorum lucro aliquot millia uaſorum è Septentrione in Germaniam exportantur: etiam ſtipites corylini, quorum tortuoſa flexibilitate ferè omnia uaſa commodiſsimè colligantur. Poma uerò, ac pyra diuerſorum generum ibidem, uel ſeminata, uel transplantata, ſatis abundè creſcunt: quorum etiam aliquod genus generoſiſsimum eſt, ut (inſtar oliuæ, quæ nuſquam in Aquilone creſcit) in ſummo frigore matureſcat: etiam ſylueſtria poma, quæ ſibi ætatem à natura retinent propagatam, ut in Decembri primum matureſcant, & hæc uinoſum ſaporem habent, ideoq; in potum muſti nomine, torcularium preſſura diſponuntur. Aliqua etiam tantç acerbitatis reperiuntur, ut aciem gladij ſucco ſuo perſtringant: ijsq;

loco aceti utũtur. Quædam rotunditatẽ habent mali, quędã turbinationem pyri, quædã figuram ouatam: quibus natura honorẽ tribuit peculiarem. Sed quę exotica sunt, & ultramarina, quia carnosiora, dulcioraq; iudicantur, pretio maiori ęstimantur. Similiter & pyra, ac pruna siccata: non enim, nisi duo genera, in Aquilone nascuntur: alba scilicet, & nigra. Cerasa etiam in duplici genere, syluestria scilicet, & hortensia: quæ tamen nimia acerbitate edentibus generãt stuporem, aceti loco deputata: & hoc, quia in opacis, umbrosisq; locis, sine solis attactu enascuntur. Quæ uero sole tanguntur, satis grato sapore placere solent. Sunt præterea quędam arbores ignotę uirtutis, quę sine floribus producunt niuales fructus, ut Plinius lib. 13. cap. 5. opinatur. Fructiferę tamen arbores gaudent mutatione, & dulcescunt. Syluestres uero ferinum habent saporem, forte propter canos arborum uillos, solis ardorem excludentes: alioquin aliqua possent blandiri suauitate uescentibus.

De Gummi abietino, siue Resina, & origine Ambrę, seu Succini.

CAP. VIII.



QVia maxima uarietas in scriptoribus de origine, et natura, ac qualitate succini, seu ambræ reperitur, præcipuè Perotto referente, qui insigni diligentia concordare nisus est multorum opinionem singularem, unde, & quomodo nascatur hic liquor gracilis, & mirandus, idcirco quid uerisimilius est ex Aquilonariũ sententia, hic ueniet attendẽdum. Abietes, seu pineæ arbores, natura sua resinosę excelsa proceritate siue super littora maris, siue super riuos, uel alias syluarum decliuitates crescentes, succinum sudant, maximè dum maturis frugibus solis feruor (ut infrà præsenti lib. cap. 20. latius dicetur) torrentibus ipsis Iunio, Iulioq; mensibus incendiosior, Cancri atq; Leonis tetigerit metas, tum istæ arbores æstu ualido fissis corticibus, succinum sui liquoris in subiectos latices, seu fluuios, indurandum emittunt: sicq; stillando, quodcunq; obiectum corpus sui tenacitate tanquam glutinum inuoluit: quo fit, ut ranæ, mures, culices, araneæ, muscę, aristæ, legumina, & his similia, in resinoso hoc uisco (ut infrà lib. 18. cap 12. patebit) rapta inuoluantur, ac indurentur, etiam si in arenam ceciderint continuatę guttæ, quia imbre supereffuso ad riuos, inde flumina, & tandem in mare deferuntur: ubi instar aliarum arborum tantum certo tempore indurantur, ut saxosa duritie coctum, dira tempestate per mare Gothicum, seu Finnonicum, ac Liuonicum euomatur in Prutenicum littus, scilicet Meridionale, directè oppositum Septentrioni: & hoc omni tempore, quo flatibus undę uoluantur ad Prutenicam terram: in qua ob Principis edictum, nulli nisi deputati, & iurati laboratores, succinum huiusmodi colligere possunt.


De quæstu, & usu Succini.

CAP. IX.

HVius autem succini non exiguus quæstus est primum Principi, in cuius littore ad plura millia uasorum quotannis colligitur, & mercatoribus in ipsa grossitie uenundatur: qui politiori superinducta purgatione, in uarijs formis tum terrestri, tum marino itinere, sic splendidè purgatum, in longinquas deportant re-

tant regiones,ut indurati liquoris ſplendorem admirantes, pulcherrimam rarita=
tem apprетientur. Vbi enim naſcitur,ob aſsiduitatem parum uoluptatis allicit,uel
uileſcit:ubi alienigenis in maxima auiditate ſeruatur. Adeò nulla uoluptas eſt,
quæ non aſsiduitate ſui faſtidium mortalibus pariat,ubi raritate,& temperamen=
to affectuum,ac uſuum,in maximo deſiderio poſtulatur. Ex hoc ſuccino gẽtilium
ſuperſtitioſa uanitate,ob mirum ſplendorem,ſimulachra,imò & latæ meniæ fuſo
rum ſingulari artificio fabricantur. Ideò pretium eius per occaſionem euentuum,
ac utentium uariatur,& eò auidius,quò in ſe contineat omnium colorum diuer=
ſitatem,atq; formam,ſeu corpuſcula animalium prædictorum minutorum, origi
ne diſtillationis incorporata,ueluti nonnullæ arbores,quæ aſperitate aquarum la
pideſcunt,prout alibi relinquitur enarratum. Sunt igitur artificum huius ſuccini
maximę ſocietates,quæ eo quęſtu partim ſubdominio Regis Poloniæ in opulen
tiſsimo oppido Gedanenſi,partim ſub Duce Pruſsię liberaliter uiuunt, largũq;
tributum principibus,ac magiſtratibus eorundem pendunt: & fortè opulentior
ſors eiſdem artificibus proueniret,ſi fragmentorum ſuccineorum fuſoria cõgluti
natione minutias igneo feruore conflare ſcirent. Et licet hæc ars auidè ſatis deſide
ratur,ibidem tamen adhuc,ut apparet,nondum adepta,et forſan uix ut fuſilis,aut
malleabilis fiat,adipiſcetur. Pompeia Neronis uxor ſuccinei coloris capillos in=
ceſſanter nutriens,omnes fœminas habuit in ea uoluptate ſequaces.

De palis intra glaciem firmandis.
CAP. X.




MAxima pręterea commoditas fun=
damentorum ſub arcibus,turribus,
aut muris firmandorum,præbet ipſa plani
ties,& fortitudo glacialis, ubi rotulis,& fu
nibus inter altas trabes diſpoſitis,pali præ-
dictorum lignorum ferreis cuſpidibus mu
niti, uiolento caſu grauiſsimi ponderis ſu-
ſpenſi,ac artificum manu laxati,ad ima tru
duntur,longoq; ſitu & ordine, quomodo
& quantum ſufficere uidetur, diligentiſsi=
mè collocantur. Nec lubricitas glaciei labo
rantibus obſtat,ne trabes,ſeu palos plurimum magnos,& ponderoſos extollant
in altum:quia plantis ferreis,triangulis ſub pedibus alligatis,greſſum uel regreſ=
ſum,iuxta exigentiam intenſi laboris,moderantur:imò talibus ſuffulti ferreis ſty=
lis,tantum trahunt bini homines in glacie,quantum iumenta decem in plana tel=
lure uix amouerent. Nec indiget probatione uis iſta,dum homunculi quouis im=
pulſu facilimè mouetur in aquis uaſtiſsima nauis. His igitur,& ſimilibus palis in=
nititur regia ciuitas Stocholmenſis regni Suetiæ,in profundiſsimis aquis magni=
ficentia , & ſumptibus antiquorum in Meridionali latere ac littore fundata,
& ita portubus,ac pontibus dictincta, ut nullæ naues, quantumcunque in toto
Oceano uaſtę ſint,uelis laxatis illicò ad pontem ſine anchoris ſolo fu=
ne ad omnem uſum mercium exponendarum,uel imponen=
darum firmari poſsint,prout ſuperius de eius ma=
gnifico portu,& emporio eſt
oſtenſum.

De congelatione aquarum impedienda.
CAP. XI.

NE autem longissimæ noctis gelu glacies contra palos intrudendos constringatur, aqua perfunditur uiscosa pinguedine marinarum belluarum, qua supernatante omnis congelatio aquarum prohibetur, quemadmodum superius in libro de glacialibus bellis cap. 23. satis est ostensum. Super hos etiam palos taliter aquis fundoq; immersos, ædificatur domus ligneę magnarum trabium, tabulisq; abietinis, uel pineis superpositis, populeis, siue betuleis corticibus, & subtilibus truncis rotundis conteguntur, maxime ad effectum mures, uermesq; arcendi, ne grana, uel alia esui necessaria corrodantur, uel igne domestico indiligenter custodito consumantur. Attamen domus illæ quandoq;, etsi super aquas firmatæ sint, tamen fulgure, uel hostilibus insidijs aliquando incenduntur, quemadmodum in medijs aquis Venetijs multoties fieri uidi, scilicet domestico foco male sopito optimas, ac ornatissimas ædes concremari. Quòd si ignis non fecerit depopulationem, tunc uis uentorum adeò sæuire solet in plerisq; portubus marinis, præcipue regiæ Holmensis in Suetia, ut maxima nauigia multigenis referta diuitijs, ad uela parata in uno momento submergantur. Nec plus ex eo naufragio, ob inscrutabilem profunditatem, conspici permittitur, quàm summitas mali maioris, seu antennæ, uel candidi ueli. Crediturq; propterea diuersis temporibus eo in gurgite maiorem auri, argenti, æris, ferri, cusęq; monetæ thesaurum fore quàm habeant pronunc ditissimę arces, & ciuitates: cuius euidens testimonium, & exemplum si quis admirari uelit, uideat historias charissimi fratris & antecessoris mei Io. Archiepiscopi Vpsalensis.

De fundamentis super glaciem constructis, uel construendis.
CAP. XII.



VOlentes insuper architecti sagaces in aquis supponere fundamenta, & erigere sublimes ędes, tempus obseruant, quo stagna, uel flumina glacierum fortitudine unius saltem palmi (cum aliquando ad 10. palmos, & ultra) sunt cōstricta: tuncque ligna ui aquarum imputrescibilia, saxis annexis gurgiti conuenienti ordine immergunt, omniaq; mensuratim adaptant, ut glacies solis ardore resoluta, super littora, uel remotiores aquas habeant fundamenta firmissime collocata, ea præsertim causa, quòd tutius ab incendijs, fulgure plerunq; suscitatis, meliores res suas ualeant obseruare. Ligna autem eisdem imposita fundamentis, alnus, fagus, pinus palustris, & quercus sunt: quæ tantum aquis immersa indurescunt, ut ferè in ferream duritiem conuertantur. Ideoq; huiusmodi ligna, præsertim quercus supradictas, magno numero & quātitate aquis annuatim immersas, donec ædificandum sit, diligenter obseruant: imò etiam, ut apud Heluetios (Suecorum Gothorumq; soboles, & aborigines) passim cernitur, ipsa quercina ligna uasta magnitudine & multitudine in aquis tanquam hereditarius & dotalitius thesaurus, perpetuo custodiuntur: nec posteà ab aquis ad usum extracta, absque infusione aquarum terebrari, uel dolari ualebunt.

De eo-



De eodem.
CAP. XIII.

AEdificia uerò lignea super aquas in altum eleuanda, ex trabibus fissilitatem rimarum non habentibus, commodius (ne obliquo imbrium, uel niuium casu, & impressione putrescant, construuntur. Quo autem tempore ex nemoribus artificum industria secari, & extrahi debeant, breuitatis causa curiosum lectorem ad Plinium lib. 16. cap. 39. remittendum puto: qui & alibi lib. 36. cap. 15. ædificia sine clauo & ferro fieri probat: quod in Septentrionalibus locis (minimè indigēs probatione) fieri solet: ubi spatiosæ ædes sine ferrea compagine solidissimè fabricantur, præsertim in extremis terris Bothniæ, uel Septentrionis, ubi rarus est usus ferramentorum, ob defectum eius metalli, & propter excellens artificum ingenium, qui non secus ædes, quàm arcas bituminatas (ut ne aquarum guttula instillet) perfectè construere norunt. Ab his autem lignis cauere coguntur, quæ intus lapides nutrierant tacitis incrementis, ne ferris, & dolabris sint nocitura. Attamen ut pontibus in paludinosis uoraginibus, uel calcibus coquendis inseruiant, diligenter aptantur. Sunt & certa liguorum genera, quę forinsecus ad structuram ob scabrosos cortices omnino uidentur incommoda: sed duobus, uel tribus digitis à cortice depositis, optima redduntur ad quemlibet artificis usum: imò tota arbor ex incisione, uel fissione, quàm apta sit, architectorum experientia manifestatur, prout etiam toti fontes ex uenula cognoscuntur, quemadmodum superius de scaturigine fontium est ostensum.

De portubus expurgandis.
CAP. XIIII.



QVia littora, ac portus marini, ubi nauigia uel ingredi, uel egredi, aut in anchoris stationes habere solent, uentorum uiolentia, & arenarum egestione in graue damnum Reipub. sæpius obstruuntur, uel limo è fluminibus egesto eleuatiores, & angustiores constringuntur, prouisum est ueterum sagaci industria, ut modis hic depictis, uel alijs similibus remedijs contra tam insignia damna publico stipendio occurratur, eo uidelicet modo, quod aliquot peritioribus, uel pluribus in populo operis magistris, ducenti, trecenti, uel plures, aut pauciores stato tempore deputantur laboratores, qui non segniter ordine & pretio constituto, exequantur imperata. Hi igitur per decades distincti, ut pars in littore, pars super aquas, ordinatè laborant: idq; per sarculum ferreum dentatum, siue ungulatum, qui inter duas nauiculas suspensus à littore educitur, ac inter disiunctas hastas in fundo fixas, recto descensu grauitate urgente dimittitur in momento, sicq; dimissum arena, uel limo repletum, fune fortissimo eius caudæ alligato, per littorales laboratores magna uiolentia extrahitur, eò quòd plus molis in littus reducitur, quàm in curru trahentibus octo equis educi posset.

De fossis

De fossis, & canalibus repurgandis.
CAP. XV.

CAeterum stipendio publico, ac denario diurno plures homines, ut aqueas fossas, siue canalia distincto ordine, & loco purgent, cum nauiculis à presidentibus conducuntur, hoc scilicet modo, ut unusquisque longum, siue protensum fossorium cauum, & curuatum habeat, idque in fundum purgandum demissum, arenaque, uel limo repletum extrahat, ac nauiculæ propriæ, qua more piscatorum uehitur, donec repleatur, immittat, sicque repletum, ad locum præsidētium iussu ad iustam distantiam extra mœnia designatum, comportet: qui locus si palustris, & mollis est, longo & lato tractu ordinatis firmatur palis, diurnoque aquarum fimo, & platearum luto repletur, & eleuatur, ut sole uentisque desiccetur: tandem primum oleribus, inde plantis, & fructiferis arboribus, postea solatiosis ędibus pro hominum conuictu distinctis plateis, siue regionibus adaptantur. Talesque ædes regimine præsidum multiplici modo & iure, secundum prouidam obligationem eorum, qui ædes, & hortos huiusmodi inhabitandos suscipiunt, disponuntur. Plateæ uerò, uel uici publici, eo ordine distinguuntur, ut decorum, utilemque aditum habeant ad principalem ciuitatem, uel castellum, cuius leges, & mensuras ac onera comportare teneantur. Si uerò arida, ac plana extra mœnia uidentur loca, congestum nihilominus limum super ea componunt, donec foraminibus distinctis, apta sit pro defensorijs tormentis sustinendis. Mira itaque industria soliciti sunt laboratores prædicti, ut aucto numero nauicularum, quibus fimum exportant, auctam recipiant mercedem, continuò labore cumulandam. Sed mirabilior, ac discretior presidentium est industria qui ciues indigentes eo compendio releuant, ciuitatem incolis habitandam amplificant, ac fiscum sine quorumcunque iactura prouidè adaugent. Reliqua qui uidere uelit, in simili Reipublicæ bono multiplicando, Strabonem legat lib. primo in uerbo Sarbonicus lacus, ubi plurima recenset de inundatione, & decursione maris, lectu non indigna. Etiam Cassiodorum lib. 2. in epistola directa Senatui Vrbis, hoc modo: Theodericus Rex, Grata nobis est &c. Et sequenti Iustitiæ ratio &c.

De nauibus extrahendis.
CAP. XVI.



LIcet sola inspectione figura hæc uideatur se, suamque causam sine quouis ulteriori interprete manifestare: attamen nonnihil addendum erit, quo deprehendatur, humano ingenio desolatis admodum rebus succurri posse. Euenit enim aliquando, quòd tempestatum ui, uel alia quauis negligentia, etiam in sereno uento, & tuto portu, excelsa nauigia submergantur: quo casu duo, uel quatuor eximiæ naues aquis repletæ, trabibusque desuper connexæ, in utroque latere adhiberi solent, urinatorumque ingenio fortissimis funibus subtus erigenda nauis colligari, ac desuper dextrorsum & sinistrorsum in trabibus firmari, & demum omnibus ritè dispositis, atque aquis è nauibus exhaustis, paulatim suo ascensu exoneratis, submersum nauigium eleuatur. Si autē uicino littori submersa uidetur nauis, funibus ac rotulis inter palos, siue machinas ligneas affixis, uirtute robustorum hominum (quorum numerus illic infinitus est) facilimè eleuatur, et educitur



educitur extra aquas. Nauium uerò bellicarum æneis ferreisq; bombardis, & tormentis, lapideisq; globis repletarum, inter multas quomodolibet submersas, uix una saluatur: non quòd uires, sumptus, & ingenia pro eisdem extrahendis in Principe, & populo deesse uideantur: sed quia inter cæcas (ut uocant) rupes, ueluti, turres, aut antra cauernosa, demersæ tenentur: eiusq; rei periculosus casus ferè continuis annis in Septentrionalibus aquis incidẽs, memoriam ad posteros mittit, ne putent se uel à tempestatibus, uel naufragijs, uel alijs horrendis incommodis, uel seuera Dei ultione securos, & immunes, quando tales res in nauibus portant, unde offensus Deus ultionem emittit, sicuti sunt campanæ diuino obsequio dedicatæ, quæ sub colore defendendæ religionis, & patriæ, contemptibiliter uertuntur in bombardas. Nec negandum erit defensionem fieri debere: sed non cum iniuria diuini honoris, propter quem in Ecclesia Catholica ad excitandum populi deuotionem, campanæ sunt institutæ. Quid etiam lucri Lubicenses, & eorũ complices anno M.D.XXVI. ex talibus profanatis Ecclesiæ rebus habuerunt, eorum annales sicuti & uicinarum regionum, unde fuerunt uiolenter extractæ, quasi de auro Tholosano occupato, nil profuturo, perpetuè attestantur.

De trabibus, marinis fluctibus in littore opponendis.
CAP. XVII.



QVàm uehemens, & tempestuosus ab Aquilonaribus spiraculis exurgit uentus, superioribus primis libris cap. de natura Tiphonis, uentiq; Circij, extitit demonstratum. Nunc autem quale commodum, uel damnum in portubus saluandarum nauium efficere soleat, paucissimis exemplis ostendetur. Extant in Occiduis littoribus Cæs. Maiest. Zelandiæ, Hollandiæ, ac utriusq; Frisiæ, altissimi arenarum montes & colles, solũmodo è uisceribus profundi maris Germanici, dudum ui uentorum integro anno aut plus, à Septentrione perflantium, recollecti: qui nec herbam, nec fruticem, nec uirens aliquod, ob solis adustionem, & continuam uentorum asperitatem, gignunt: attamen eminentissimo aspectu suo multis instanti naufragio perituris, indubiam spem afferunt, ut sinum umbramq; eorum arripientes, salui fiant: hocq; solum commodum est, ut à longè hos montes prospicientes, & accedentes, directius inueniant portuum securitatem: & forsitan uno, aut altero mõte infelices, ac trepidos nautas nõ excipiente, tunc ordine naturæ sese alij montes offerunt, eosdem continuò in portu tuto recepturi. Neq; tamen turres in portubus melioribus ostendendis desunt, in montibus his fabricatæ, aut alia signa gibbosa montium, ne periclitentur nauigantes.

De uehementia uentorum, & fluctuum in multis portubus Aquilonis.
CAP. XVIII.

VIs etiam uentorum tanta est in littoribus Germaniæ, Septentrionalibus regnis oppositis, ut robustissimos lapideos aggeres, lignis lapidibusq; quasi impenetrabiles muros instar montium cõgestos, fluxu & refluxu stridẽtibus continuè undis (ueluti stupas) diuisos infringit, secumq; in profundum extrahit, ac

dēmergit, nec ullum uestigium tam uasti aggeris, & fortissimę compaginis post se relinquit. Quocirca maritimi præfecti, seu portuum conseruatores, urbium scilicet magistratus (ad quos depopulati portus cura pertinet) immensam lignorum struem craticulato, uel retiario opere connexam, uacuis dolijs, seu uasis suppositis quasi natantem, in locum exesi aggeris ardua manuum multitudine, & magnis sumptibus apportari procurant, infinitisq; lapidibus diuerso nauigiorum, pręsertim promonum, uel dromonum genere, adportatis & impositis, ad ima disposito ordine dimergunt, ferreisq; iuncturis multarum millium librarum ita connectere conantur, ut nulla uis humana unquam credatur opus illud resolutura: attamen ne rapax elementorum uis redeat, in continua formidine pendent. Vasa autem moli illi subiecta, uel alligata, funibus excisis, uiolentoq; pondere liberata, adeò repente ab aquis in altum exiliunt, ut fulminis impetu uideantur eiecta.

De portubus per signa littoralia petendis.
CAP. XIX.



TVrribus altis in littore, & portu urbium, ignis copiosus, maximè in latissimis lucernis multitudine cādelarum in loco eminentiori repositis, in autumno, hyemeq; in mari Germanico, Sarmatico, ac Gothico, sub continuis noctibus refouetur, ut nauigantes securius, cōmodiusq; optatos portus ualeant inuenire: quia in nonnullis eiusdem maris littoribus importuosa loca, uel rupes sub aquis latitantes, uel arenosi colles ui tempestatum (ut prædictum est) coacti reperiuntur, ut naues his obstantibus, nunquàm dirigi poterunt in tutas stationes, pręsertim tempore densarum tenebrarum decrescentis autumni, & hyemis, quando negotiatores ob classes hostiles frequētius quàm commodius, causa ingentissimi quæstus & lucri nauigare consueuerunt: & ob hanc rationem communibus mercatorum expensis continuò hæc luminaria nautis intrare uolentibus, super portuum turres incenduntur. Sed rursus cauere solent, ne nauis aliqua hostilis è sublimiori culmine mali, uel antennę, pro insidijs instruendis ardentes habens lucernas, latitet obliquo latere dextrorsum, uel leuorsum extra communem uiam. Verum his, & similibus occurrentibus malis, periti fidelesq; nautę ex industria, & experientia, uirtute adhærentis arenę, bolide in profundum dimissa, cognoscere possunt, an propè, uel procul petendus sit portus, ut aliorsum insidias fugiendo declinent. Præterea cernuntur ingentia dolia, intus et foris picata, ferreis catenis, et anchoris in profundo ligata, quę diurno tempore, uel hyemali plenilunio trepidantibus nautis securum ingressum ostendere solent, quemadmodum in portubus Venetorum cuneatis lignorum, uel saxorum turriculis demonstratur. Veruntamen post sęuas tempestates nouos semper introitus anxiè scrutari coguntur, quemadmodum Romani in hostijs Tyberinis, uel potius aliundè adnauigantes, ne fortè affluxus & refluxus maris, ac Tyberis ore obstructo, aliquando limo saxoq; congestis, uel innauigabilem, uel periculosum, aut flexuosum efficiat portum. Quomodo autem id fieri credatur, supraallegatus Strabo capite, huius libri 15. in uerbo Sarbonicus lacus, ostendit.

Adhus



Adhuc de origine Succini, uel Ambrę, superius non notatum.

CAP. XX.

DE Succino, seu ambra, & eius origine, ac quęstuosa collectione, licet multi graues autores minimè conueniant, tamen eius naturam uerius quàm alij, Cassiodorus lib. 5. Epistolarum cap. 2. Hæstis scribens, attigisse uidetur. Ait enim: Hęc quodam Cornelio scribente, legitur in interioribus insulis Oceani ex arboris succo defluens, unde & Succinum dicitur, paulatim solis ardore coalescere: fit enim sudatile metallum teneritudo perspicua, modò croceo colore rubens, modò flammea claritate pinguescens, ut cum in maris fuerit delapsa confinio, æstu alternante purgata, littóribus tradatur exposita. Hæc ille dicit, uidelicet ex arboris succo, nimirum abietis, uel pini, uel utriusq; succinum nasci, ut defluens uiscosa tenacitate sibi quodcunq; obuium, ut sunt ranunculę, araneæ, uespæ, formicæ, uel uermes, sibi incorporet, atq; diuerso colore decoret. Imò eiusdem autoris opinioni superaddendum erit, apud pictores uix coloribus res ita depingi posse, sicuti natura colorem uariauit in ambra, seu succino, arte peritorum artificum elaborato. Ex Sueticis, Finlandicis, ac Estonicis littoribus succinum indeficiens perpetuò uenit in Prussiam, & inde in remotiores regiones effertur, sed præcipuè ex Prussiæ emporio Gedanensi. Talisq; ambra, seu succinum, omnium colorum capax est, & uermiculorum. Nec solum in littore hoc marino post diras tempestates colligitur, sed et duobus, tribusúe milliaribus à mari in agris uomeribus exaratis. Sed hoc quod quasi atra flamma resplender, semper ad ornatum plebeiarum fœminarum uenundatur.

De incendijs extinguendis.

CAP. XXI.



CVm maiori parte totius anni ob intensum frigus homines Septentrionales perpetuum enutriant ignem, mirum non est si illic grassentur incendia usq; ad extremam omnium rerum depopulationem. Aliquando enim populis magnis laboribus & uigilijs fatigatis, aliquando potu somnoq; sepultis, aliquando hostilibus insidijs, aliquãdo coruscantibus tonitruis, aliquando secretis naturę fomentis tempore nimij æstus, & continuarum balnearum & clibanorum, quandoq; bombardalium puluerum incautè custoditorum, quandoq; etiam pistorum, cocorum, coctorumq; ceruisiæ, & fusorum metallicorum pigritia, uel alio quouis fortuito casu excitantur ignes, uel extincti tenuissima relicta scintilla, maioribus flammis erumpunt. Quo euentu quicquid occurrit (citius tamen res uilissimæ, quàm pretiosæ) turbata ratione saluatur: nec alio periculo magis, citiusq; ostenduntur affectus, aut passiones, quàm in simili miseria, & repentina calamitate, ubi interuallum non admittitur consulendi peritos, uel expectare amicos. Prima tamen cura debilium parentum, imbecilliumq; infantum, tãquam melioris substantiæ, periculo eruendorum adesse consueuit. Deinde suppellectilium pretiosarum, atq; literarum, & iurium quarumlibet possessionum. Insuper thesauri: cuius amori perplexo, uel difficili extractioni plurimi intenti cadentibus incendio tectis, parietibus, portisq;, & fenestris flamma præclusis, ibidem inter-

eunt, uel parte infelicis pecuniæ, auri, et argenti humeris suspensa, præcipitio et grauitate sese saluare cupientes, uel illicò obeunt, uel membris confractis sempiterno dolore tabescunt.

De fidelibus amicis tempore incendij probandis. CAP. XXII.

MVltis tamen prosunt fideles amici, qui subita præsentia tam homines, quàm thesauros, ac quicquid pretiosum fuerit, congregantes, ad omnimodam restitutionem seruant, eaq; omnia præter spem patronis saluata consignant. Sed neq; negandum erit, quin rapaces, & furtiuæ manus adsunt, quæ occasione quæsita, & inuenta, magnam partem diripiunt, & exportant: quos ideò recenter apprehensos, uelut incendiarios non fortuitos, ignibus cremandos immittunt. Veruntamen subortis flammis, mox signo sonoq; prætorianæ campanæ, & si fortius urget, maioris Ecclesiæ, cuncti excitati, ad incendia restinguenda harpaginibus, atq; coriarijs urnis arreptis, celerrimè accurrunt. Statuto enim urbico quisque ciuis 10. uel 20. 30. aut amplius ad eum usum reseruat urnas: quia ab alto effusa aqua, illæsæ iactantur, & subitò repletæ redduntur. Mos erat fratribus religiosis, uiris satis ualentibus, primum præ omnibus cæteris (quia uigiles sunt) ad reprimendum ignium incrementum concurrere, & sese extremis periculis alacriter pro ciuibus, quorum eleemosynis uiuerent, exponere, ubi reliqui inspectores quasi otiosi astabant.

De naufragantibus, & naufragijs restituendis. CAP. XXIII.

SEd nec minor cura adhibenda est in naufragantibus consolandis, aut eorum bonis restituendis, omni iure, æquitate, & pietate id suadente, ac legum ueneranda potestate sanciente. Dicit enim Iureconsultus l. qui leuandæ. ff. ad l. Rho. de iact. Qui leuandæ nauis gratia res aliquas proijciunt, non hanc mentem habent, ut eas pro derelicto habeant: quippe si inuenerint eas ablaturos, & si suspicati fuerint, in quem locum iactæ sunt, requisituros: ut perinde sit, ac si quis onere pressus in uiam rem abiecerit, mox cum alijs reuersus, ut eandem auferat. Preterea paragr. fi. Insti. de re. di. Alia sanè causa est earum rerum, quæ in tempestate maris, leuandæ nauis causa eijciuntur. Hæc enim dominorum permanent: quia palàm est, eas non eo animo eijci, quod quis eas habere nollet: sed quò magis cum ipsa naui maris periculum effugiat. Constat ergo eos Principes in Aquilonaribus regnis, ne dicam latius per orbem, nimis impiè miseros naufragos, non solum ademptione bonorum affligere, uerum aliquãdo etiam, ut eorum bonis potiantur, uita priuare. Quo autem illud celerius & opportunius admittant, speculas, seu limites, signáue littoralia, ad omne naufragium euitandum posita, abscindi, destrui, & auferri procurant. Nec tantum ingemiscendum est, multis retroactis temporibus hæc nequissima lucra talibus ingenijs quæsita fuisse: sed quod & abominabile, hoc infelicissimo seculo, etiam ab illis, qui istis in locis Christianos meliores se esse profitentur, omni iustitia, imò Dei timore posthabito, tales rapinas, quasi bono titulo quæsitas summoperè sine formidine amplectuntur.

De pœni

De pœnis bona naufragorum diripientium.

CAP. XXIIII.

HAnc autem maleuolam præſumptionem, & execrabile factum, qualiter iura tam diuina quàm humana, ſacratiſsimis conſtitutionibus deteſtentur & puniant, aut punire præcipiant, his uerbis oſtenditur: Nauigia enim (inquit Fridericus ſecundus in ti. De ſtatu. & conſue. & immuni. loc. relig.) quocunq; locorum peruenerint, ſi quo caſu contingenti rupta fuerint, uel aliter ad terram peruenerint, tam nauigia ipſa, quàm nauigantium bona illis integrè reſeruentur, ad quos ſpectabant, antequam nauigium illud periculum incurriſſet, ſublata omnium locorum penitus conſuetudine, quæ huic aduerſatur ſanctioni: niſi talia ſint nauigia, quæ piraticam exerceant prauitatem, aut ſint nobis, uel Chriſtiano nomini inimica. Tranſgreſſores uerò huius noſtræ conſtitutionis, bonorum ſuorum publicatione multentur, & ſi res exegerit, eorum audacia iuxta mandatum noſtrum modis alijs compeſcatur. Inſuper per textum in uerſ. ſi. Inſti. de re. di. hoc modo puniuntur: Qua de cauſa, ſi quis res fluctibus expulſas, uel etiam in ipſo mari nactus, lucrandi animo abſtulerit, furtum committit. Deinde l. ſi quis. ff. de incen. rui. nauf. ra. na. expug. taliter corripiuntur: Si quis ex naufragio, uel ex incendio, ruinaue ſeruatam rem, & alio loco poſitam ſubtraxerit, aut rapuerit, furti ſcilicet, aut aliàs bonorum raptorum iudicio tenetur, maximè ſi non intelligebat ex naufragio, uel incendio, ruinaue eam eſſe. Iacentem quoq; rem ex naufragio, quæ fluctibus expulſa ſit, ſi quis abſtulerit, plerique idem putant: quod ita uerum eſt, ſi aliquod tempus poſt naufragium interceſſerit. Alioquin ſi in ipſo naufragij tempore id acciderit, nihil intereſt, utrum ex ipſo mari quiſque rapiat, an ex naufragio, an ex littore.

LIBRI DVODECIMI FINIS.

OLAI MAGNI GOTHI ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS DE AGRICVLTVRA & humano uictu

LIBER XIII.

PRAEFATIO.



BONAE, & tranquillæ, ac securæ uitæ quantum præstat agriculturæ conditio, nemo ignorat, qui uarijs agitatus lucripetis questibus, nil præter inane fastidium reperiens, ad ultimum se contulerat securissimo exercitio agrorum colendorum: quale etiam nôrunt in Septentrionalibus terris, tempus alternantes secundum syderum, & hyemis qualitatẽ, prout inferius ostendetur. Quæritur & inuenitur in Aquilone maxima opulentia ex metallis, in uisceribus montium, & pretiosæ pelles ex uerticibus arborum, ac pisces diuersorum generum in uasto gurgite: idq; coniunctim, uel diuisim summo discrimine exercetur. Sed ex facie terrę nil nisi tranquillum, & suaue rogatur, ac offertur. Producit enim incredibilem annonæ utilitatem, cuius amore necessitas omnem pretiosam in supellectilem, uires, uitamq; reparando profanat. Testatur hoc ipsum Cicero de Senec. Veniam, inquit, ad uoluptates agricolarum, quibus ego incredibiliter delector: quę nec ulla impediuntur senectute, & mihi ad sapientis uitam proximè uidentur accedere. Habent enim rationem cum terra, quæ nusquam recusat imperium, nec unquam sine usura reddit, quod accepit: agroq; ornato, & bene culto, nihil potest esse uberius, nec specie ornatius. Præterea lib.1. Offic. Omnium autem rerum ex quibus acquiritur aliquid, nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius. Catonisq; sententia uir bonus ab optima agricultura dignè laudabatur, uelut locuples à locis, id est, agris plenis: & econtrà probrosus ab agro malè culto, & deserto (quo nihil est damnosius) iudicabatur, etiam scriptura testante, quæ pigrum damnat, cuius agrum spinæ, & urticæ in superficie repleuerunt: quem doctus & impiger agricola, ut à dumosis sentibus purgare deberet. Laus enim excolentis est, si agreste solum dulcissimis fructibus amœnetur, eò quòd talibus (teste Saxone) uitæ subsidia iusto laboris commercio repetuntur: qualem nimirum quæstum non nossent, nisi quem fusi sudoris impendio peperissent. Nec immeritò ruralis uitæ habitus, etiam excellentissimis opibus præferendus putatur, cuius integerrimi fructus inter splendidam, abiectamq; fortunam mediocritatis gremio orti, educatiq; uiderentur. Hoc tamen considerandum est, longè robustioris ualetudinis iuuenes in agris fieri, quàm in urbana umbra: in qua somno, & libidinibus indulgentes, imbecilles fiunt: quales in militia strenui duces rarissimè conscribere solent. In eorum enim numero computantur, qui superius lib.7. cap.19. enumerantur.

De impinguatione agrorum.
CAP. I.

VIx est gens in Europa, uel toto orbe, quæ diligentius & exactius agrarijs officijs intendere solet, quàm Septentrionalis: quæ temporibus, & instrumentis adeò nouit proprietate quadam singula disponere, ac distinguere, ut nedum pro sulcanda arandaq; terra, sed & ea impinguãda, aptissimum modum obseruet:





seruet: idq; eò magis, & attentius peragit, quò uitem nullam in toto amplissimo orbe Aquilonari, ob asperrimum frigus, habet fructiferam. Quocirca necessarium erit incolis earum terrarum in plerisq; locis ab eodem semine potum quærere, quo panem acquirunt: qua difficultate si Italicæ nationes premerẽtur, certè magna felicitatis ope carerent. Volentes igitur compendiosè impinguare latissimos agros, statuto die circa geminum æquinoctium plurimos uicinos cum bobus, & equis, ac hyemalibus uehiculis, modo hic depicto conuocant, aceruumq; fimosæ pinguedinis exportandum demonstrant: quem illicò plaustris onustis per niuosos campos, aut lubricas argillas conformi labore dispergendum educunt super agros: in quibus quantò densior nix iacuerit, tantò fertilior, lætiorq; multiplicanda seges æstate resurgit. Experto etenim agricolarum usu euenit, ut qui diligenti solicitudine, & sudore agros impinguando, præparando, seminandoq;, expectationem imbrium præueniunt, spe certa creduntur fructum suscipere uberiorem: ne parcè colligant, aut metant, ubi parcè seminarunt.

De modo impinguandi.
CAP. II.

NEc ignorant quo fimo aptius in arenoso, lapidoso, atque eminentiori loco utendum sit: quia alio pro tritico & siligine, alio pro hordeo & auena, alio pro pisis & fabis, alio pro lino, & canapo, & excellentissimis rapis, iusta distributione uti nôrunt: satisq; proceris culmis, & aristis omne genus seminum, præter linum & canapum, eleuatur. Nec alia semina sunt in usu Septentrionalium regionum, quàm hic enumerata: quia nec spelta crescit, nec surgum, nec milium, nec panicum, nec ciceres, nec faseoli, nec cucumeres, aut melones, aut cardi, uel carcioffi: qui forsitan debilioribus stomachis pro nutrimento reseruantur. Agros tamen prouidentius tempore autumnalis æquinoctii, quam uernalis impinguant, ut hostili imminente depopulatione, inter niues proiectas fruges ex industria seminantis, resurgente calore uernali in segete & fructu, resurgat & semen. Impinguatis igitur agris, pro mercede diurni laboris aliud non exigitur, aut datur, nisi hilaris liberalisq; cœna, qua membra fatigata restaurentur. Usus etenim ita ex antiquo suaui concordia seruatus est, ut mutuis laboribus alterutrius portando onera, sese inuicem consolentur. Idemq; fit in alijs subsidiarijs laboribus, pro fœno, grano, aliaq; messe ab agris colligenda, & sub tecta diligentius inferenda.

De præparatione agrorum.
CAP. III.

QValibus autem instrumentis utuntur Septentrionales agricolæ, pro parte præsens figura demonstrat, licet in tam amplissimis regionibus facilè non sit omnium applicare imagines: quia aliter agri saxosi, aliter argillares, aliter palustres & molles, aliter montani uomeribus & ligonibus, alternatis etiã tẽporibus, sicuti & instrumentis, præparantur ad semẽ. Habent ueteres agricolæ certa cœli signa in obseruatione seminum emittendorum, utpote crispatas, & raras nubes, tanquam aratro diuisas. Prætereà ex uepribus, & folijs crescentibus, siue casuris, uti astronomi fertilius ex stellarum inspectione seminari confidũt, quòd alibi tardius,



alibi tempestiuius emissum semen emergat:& hoc quoq; clementis naturæ (quæ nihil occultum esse uoluit) uerissimum signum, quod secum affert, ut se, terramq; peti suadet, promittitq; quandam stercoris et pinguedinis uicem, præcipue ex densitate niuium relictæ, & contra rigores terram, sataq; operiri à se nuntiat, & monet festinari. Siliginem tamen hyemalem seminant circa occasum Caniculæ, quam euoluto ferè anno colligũt fertilissima messe maturam. Vernali etiam tempore eandem in fine Tauri seminant, maturamq; colligunt in corde Leonis. Hoc idem de tritico, hordeoq;, & auena seruatur, similiter & de fructibus antedictis, in cãpestribus agris. Alia etiam uis est in noualibus, ubi excisis dumetis, & syluis, pariterq; combustis, fructus copiosus ascẽdit: sepibusq; oblongis contra feras depopulantes munitur: atq; ob hanc causam rusticorum turba quandoq; pigra, auiditate mira excitatur ad quęstum raptarum pelliũ ferinarum.

Adhuc de utilitate agriculturæ.
CAP. IIII.

EXtant in uulgari Gothico pauci rhythmi cuiusdam sancti Henrici Episcopi Lincopensis in commendationem agriculturæ, satis compendiose posteris pro memoria sempiterna relicti, his uerbis:


Haued draeper maangen man,
Haa iorden brukar sael aer han.

Id est, mare multos occidit, ubi felix est, qui terram colit. Et ita reuera compertum est, ut non tantum mare negotiatoribus fœneratur, quantum agrorum inde fessa fertilitas cultoribus suis: qui eò securiores sunt in colligenda messe, quò diligentius arte & labore præparauerant agros. Adeò potentis naturæ beneficio excellentissimis opibus præferenda sunt lucra aruorum: quæ nemo nouit, nisi qui labore sudoreq; solatium hoc peperisset. Sed his, & similibus felicis agriculturæ laudibus, præceptis, & instrumentis, suis autoribus, Catoni Romano alijsq;, relictis, unum annectendum hic erit, morem scilicet in populis Septentrionalibus fore, ut quotiescunq; ager, pratum, lacus, aut domus humani sanguinis effusione per homicidium polluitur, tunc illico fusa communi oratione gẽtis, & sacerdotali reconciliatione ubertati pristinę restituunt fertilitatem. Et insuper mos est populis illis, ut in uigilia diui Ioannis Baptistæ, tempore mediæ æstatis, circumeant agros florentes, eisdem certis precationibus adhibitis, frondes in modum crucis imponentes, ut diuini numinis uirtute segetes sine fulgure, coruscatione, & tempestate perueniant ad maturitatem. De quibus inferius lib. 16. in pluribus capitulis, pręcipuè 9. (si lectori placet) extensius aliquid intueatur.

De cinericijs, & syluestribus agris.
CAP. V.

VETVSTO tempore unicuique in funiculo distributionis ager proprius diuisus, & deputatus erat, censuq́ue descriptus, ut possessio sua nulli haberetur incerta, quam pro tributorum susceperat quantitate soluendam. Attamen oborto per occasionem latiore terrarum spatio, & fertiliori, nulli uiolentiam faciens, quisq; contendit prę ingenio & uiribus aliquid superaddere solo, quęsito. Et hinc est, quod uirgulta noxia importunitate in uicinioribus syluis nascẽtia euulsis ce-





euulsis cespitibus pro fertiliore agro formando igne supposito conatur auferre, ne radicum quidem capilli, & syluestres asperitates paulatim surgentes, agrorum uisceribus inserantur, & more uiperino prolem sibi fœcunditate contraria nutriat, unde se propago uentura corrumpat. Cineribus itaq; ex cespitum, uirgarumq;, & sarmentorum combustione super faciem terræ relictis mira fœcunditas exurgit, ut siligine prȩsertim, rapisq;, & papauere, lino, & canapo seminatis, multiplicatus enascitur fructus. Cauent tamen, ne sic solutus ignis, obuias populetur incendio syluas: & hoc circa rupes, & aquas: quarum obiectu, ne amplius coalescat, metas impermeabiles ponunt. Alioquin euenit, ut uiritim singuli domos exeant à toto territorio, pro restinguendis flammis, ueluti contra hostes, omnia incendijs & rapinis crudeliter deuastantes.

De fertilitate talium agrorum.

CAP. VI.

AGri igitur hi cinericij pro tanto cæteris sunt fertiliores, quòd siccitate superueniente secretis humoribus sunt abundantiores, sparsaq; semina solari accedente calore coalescere faciũt, ut ex læta segete felicissimus fructus exurgat. In alijs uerò campestribus agris communi more sulcatis, cum compluuntur iacta in eos semina, fortius ligantur. Sed rursum, si agros illos pluuia immoderatius irrigat, in culmo pinguedinem frumẽti, uirtutemq; mutat. Sin uerò iactatum semen post pluuiam gelu premitur, quò foris citius apparere repellitur, eo intus fœcundius radicatur: & quò magis uetatur progredi, cogitur multiplicari: quia cum ab immaturo ortu restringitur, ex conceptionis suæ tarditate laxatum, ad fructum uberius repletur, & ampliatur. Et hæc sint dicta pro seminibus hyemis, quando etiam ingruente hostilitate (ut superius dictum est) ruricolæ super faciem niuium seminant, supposito agro præparato, ut sine læsione auium sensim uento Australi cooperante, descendat in terram. Habent prȩterea Aquilonares populi agros suos saxosis aggeribus, similiter & obeliscis, rupibus, aquis, amnibus, & perennibus uenis scaturientibus, imò & carbonibus tilieninis imputrescibilibus, ubique distinctos: & qui talibus signis distiniri nequeunt, iudicio agri mensorum in hastis, aut pergulis, uel passibus, aut funiculis, uel iugeribus cedunt: imò in colligendis messibus sese alacriter, & mutuò iuuant, lætoq; conuiuio litem (si qua orta uidetur) pari terq; laborem absoluunt. Hacq; uia concordiæ plures agri redduntur pacifici, & fertiliores: similiter & noualia uirgultorũ extirpatiõe ampliata reddun tur: & inde tãquã ex optima terra, odor optimus exit, ut Plinio placet. lib. 17. cap. 5.

De trituratione per hyemem.

CAP. VII.

COllecta messe diuersarum frugum in amplissimis horreis, ad hoc specialiter fabricatis, aptiorem trituram omnem usq; in profundam hyemem, quando longiores sunt noctes, reseruant. Tunc etenim pacto pretij, uel frumenti loco mercedis interueniente, duo, tres, quatuor, uel plures, grana super amplo asserum pauimento contabulato, manipulorum positione ac concussione, picea in medio horrei lucente flamma, excutiunt, triturant, & expurgant, tempus diligenter ob-



genter obſeruantes, quo paleam à frugibus ſeparaturi uentos habeant, qui pulueres ſeorſum deferant, ne uitalibus membris triturantium nocere poſsint. Puluis enim ille quaſi imperceptibiliter ſui ſubtilitate os ingrediens, adeò conglomeratur in faucibus, ut niſi celeri remedio hauriendæ, ſeu bibendę recentis ceruiſię occurſum fuerit, nil amplius, aut exiguum de frugibus trituratis edet: ne Platonis ſententia fruſtra uideatur aſſumpta, qua dicitur, Omnem agricolam ſuas habere contrarietates: quia etſi tutus uidetur (ut ſupradictum eſt cap. 1.) habet tamen ulcera fortunæ, ſcilicet ſiccitatis, ardoris, pluuiæ, ac tempeſtatis: quibus interdum hoſtilis furor, ac depopulatio ſuperadditur, ut inde pro horreorum defenſione quandoq; oriatur impacabile bellum. Quando enim ruſtici intuentur huiuſmodi horrea ſua ab hoſtibus in uſum equorum, & ſtationem armatorum uiolenter aſſumi, obſeratis forinſecus ianuis, immiſſo igne, propria granaria, ſeu horrea, quaſi hyemalia latibula inimicorũ, repentina conflagratione abſumi procurant. Si uerò domeſtico furto è granorum aceruo ſic triturato, quocunq; modo uel ingenio aliquid ablatum fuerit, uix ulla emenda oblata fur ille, licet rariſsimus (patria appellatione Droſagump dictus) ſine graui ſupplicio abſolui ſolet: quia furari nec licet, nec opus erit, quando tempore famis, uel agri ſeminandi, mediante pretio, pacto, uel pia ſubuentione, nunquam ſubtrahitur indigentibus annona. Igitur in profundiſsima hyeme, ſicut beneficio ignis tempore longæ noctis triturantibus geminatur quæſtus, ita colonis uberiores accreſcunt fructus, ut in omni rerum euentu multis ſuccurrere poſsint. Iumentorum uerò uſu & calcatione, quemadmodum in Italia modus eſt triturandi, nunquam in toto Septentrione diſſoluuntur à ſpicis grana, ſed priuatis horreis (ut dictum eſt) in longiſsima nocte. Granaria etiam magna ſunt, & multa in Septentrione, uicatim diuiſa in maximis pagis, & uillis, ubilibet in prouincijs ſeparatis. Sed longitudinem, aut latitudnem horreorum Regis Theoderici, qualẽ in agro Rauennati habuit, nequaquam attingunt. Refert enim Procopius, ea fuiſſe trium milliarium Italicorum in longitudine, & amplitudine unius milliaris continuata menſura.

De diuerſitate meſsium colligendarum.

CAP. VIII.



ADmiranda naturæ diſpenſatio eſt, ut aliter, alioquê tempore, modo, & induſtria colatur terra Septentrionalis, ut dictum eſt: aliter Aethiopica, uel Afrorum: aliter etiam nouarum inſularum. Quoad Aquilonares, hoc certum eſt, in pleriſque agris Veſtrogothorum parte obiecta Meridionali plagæ, hordeum ſpatio 36. dierum à ſemine proiecto maturum colligi, hoc eſt, à fine Iunij uſq; medium Auguſti, & aliquando celerius. Ea namq; maturitas ex ſoli natura, aëriſq; clementia, ac humore lapillorum fouente radices, ſoleq; torrẽte, neceſſariò prouenit, ut ita naſcatur, ac maturetur, taleſq; ſpicę ſex ordines in numero ariſtę habent, alijs tamen communibus minores: quę ceruiſię coquendæ ſatis commodè adaptantur. Reliqua uerò ſemina in principio Maij proiecta,

circa






circa medium Augusti mutua ope ruricolarum, non tam labore, quàm alacritate, & uoluntario impetu colliguntur, ne superueniens frigidus flatus messem exurat. Nec aliam diurni laboris mercedem desiderant, quàm iucundam conuiuationem uespertinam: in qua iuuenes utriusq; sexus, ob fideles agrorum labores, prouidorum parentum iudicio, & assensu, ac promissione eliguntur futuro coniugio copulandi: non tamen ad delitiosa connubia, etiam si illustres sint, sed ad solicitudinem domesticę honestatis, & utilitatis, pro familia sagaciter, & suauiter dirigenda, quemadmodum inferius de coniugio nobilium, & plebeiorum sequenti libro cap. 8. ostendetur. Hoc autem capitulo ostendisse sufficit, quomodo ruricolæ nôrunt ex strenuo labore experientiam capere felicioris connubij suorum iuuenum, matrimonialiter coniungendorum: & demum quòd fortiter laborando, domesticam curam ad quemlibet honestissimum usum ualeant applicare.

De infantulis tempore messis à serpentibus custodiendis.
CAP. IX.



MEdio Iulij fœnum, tandemq; in Augusti medio messem collecturi Septentrionales agricolę, secum lactentes infantulos ad ubera pendentes comportant: quos interim matres, dum laboribus intendunt, cunis impositos, fascijsq; ligatos, ad arboris fraxineæ (dum haberi poterit) inclinatæ, seu reflexæ uerticem, 7. uel 10. palmis à terra leuatum, annectũt: hac potissimum ratione, ne fortè terra suauiter dormiẽtium ora uenenosi serpentes, aut noxij uermes (quorum magnus in Septentrione numerus reperitur) ingrediantur. Compertum enim est multorum indelebili memoria, ac dolore, quomodo serpentes, pręsertim paruuli longitudine palmares, ac bipalmares, rubei, cęruleiq; coloris tantum, se faucibus imbecillium infantium, humi dormientium, immerserant, ut caudæ difficulter extrahendæ tantummodò apparuerant extra ora. Quo casu mœstissimæ genitrices calido, mollíq; panno leuiter admoto, caudam sic prominentem fricãt, donec anguis se retrahat ab orificio, & gutture infantuli dormientis: deinde tyriacæ portiunculam (cuius copiam ad manus incessanter ab exoticis negotiatoribus emptam habent) ori immittunt, ut gutturi, præcordijsq; quantocyus pro toxici (si quod relictum est) expulsione iungatur. Quod uerò noxij, ac uenenosi serpentes in Aquilonaribus terris reperiuntur, infrà de eis ostendetur.

De frumentarijs ratibus, & lembis.
CAP. X.



ONerariæ rates, lembi, lyntres, scaphæ, dromones, & multiplex nauigiorum genus, ueris ac æstatis tempore in fluminibus Aquilonarium terrarum ad portandum frumenta, frugesq; in emporia marina, conflatum, & hic depictum, maximo usui ac lucro negotiatorum deputatur, præcipuè in opulentissima ciuitate Gedanensi, super littus Germanici maris Ducatus Prussiæ, dominio Regis Poloniæ

loniæ ſubiecta:ubi inæſtimabilis diuerſarum frugum & annonæ copia, per nobiles ac mercatores ſic apportata, aliquot centenis groſsiſsimis nauibus uendita ac diſtracta, in regiones remotas, Portugalliam, Hiſpaniam, Galliam, Angliam, Scotiam, ac Hollandiam, & Brabantiam, unà cum cæteris rebus opulentiſsimis maximis ſumptibus, ſed longè maioribus lucris deferuntur, eò quòd hæc Regia ciuitas inter potentes maritimas urbes pro omnigenis mercibus diſtrahendis, conuenarum habeat acceſſum, & receſſum, etiam maximorum Principum priuilegijs, & immunitatibus præmunitum. Quo euentu (licet alijs emporijs recentius ſit) in omni rerum affluentia, & multitudine ciuium, ac Senatorum (quorum ſupremus eminentiori gradu Burggrauius appellatur) adaucta, firmataq; uidetur: auctiorq; continuò fiet, ſi concordiam ſeruauerit, & ſcripturæ præcepto mercatores eius non alta ſapiant in abditis Eccleſiæ, & religionis ſacramentis, prout anno M. D. XXV. reperti ſunt erraſſe.

De uarietate molendinorum.
CAP. XI.



MVltiplici præterea genere molendinorum utuntur incolæ Aquilonares, uidelicet uariabili ui uentorum, decurrentium aquarum, equeſtrium rotarum ductu, manuum pedumq; quaſi truſatilium attractu & impulſu, rotarumq; pondere & menſura, more grandium horologiorum, quæ eleuatione depreſsioneq; uariata, motum continuant, & laborem. Quæ autem uentis agitantur, ſolito more ſitu ſublimiore in collibus camporum, aut littoribus maris collocata, aut in planitie inter uaſtos montes, frequentiſsimis ſpiraculis è montium cauernis ob uehementes exhalationes ſuſcitatis, reuoluuntur. Quædam ſuper foſſas infra maris aggeres, ut ui uentorum aquas tempeſtatibus infuſas, ſuper adaptata canalia eleuent, & in mare refundant, in maximo numero & ordine collocantur. Taliumq; molendinorum uſus nullibi frequentior, quàm in Hollandia prope inſigne emporium Amſtelredamenſe reperitur, eò quòd uentus Circius longiſsimo Oceani tractu uehementi impetu perflans, aquas & naues ſuper altos aggeres in foſſas immergit. Aquas quidem ui molarum (ut dictum eſt) exhauſtas, in mare remittunt: ſed naues minutim fractas, ad alios uſus exportant. Hæc urbs Amſtelredamenſis, niſi tam horribili maris inundatione in tremulo fundo quateretur, tam magnifica templa, & palatia, ac ædes, ob innatam populi magnanimitatem, ſumptuoſè conſtrueret, ut uix pares Europa teneret. Solida tamen uis legum exercetur in hoc loco, ut etiam Reges potentiſsimi impunè nõ præſumant eas in aliquo caſu uiolare. Et hæc ſufficiant incidenter è multis laudibus eius parcè aliquid tetigiſſe.

De eodem.
CAP. XII.

IGitur molendina impetu fluminum ducta, uario modo, forma, ſitu, & agilitate ſunt conſtructa. Situ, ſcilicet in aquis fluentibus, & refluentibus, ut in æſtu maris antrorſum retrorſumq;, uel ui uentorum in plerisq; fretis, præcipuè in urbe Regia Suetiæ Stocholmenſi, intueri licebit. Modo, ut alia deſuper, alia ſubtus aqueductu, uel naturali flumine impelluntur. Forma, latis ſcilicet ſtipitibus, unico

uel gemi



uel gemino ordine radiorum, latè uel strictè, longis uel breuibus canalibus ad uelocissimum cursum. Equestrium rotarum ductu in arcibus principum, & certis ædibus magnarum ciuitatū, pro necessitate obsidionis tolerandę, sumptuosa mole fabricantur: & hoc eò artificiosius, ac durabilius fieri uidetur, quò hostilibus ingenijs naturales aquæ in scaturigine auferuntur. Manuales etiam molæ, ac pedales, siue trusatiles, ubiq; frequentissimæ in Septentrione, tanquam celeriora leuandę necessitatis remedia, maximè in obsidione reperiuntur. Sunt & rotæ impulsu pedum usu mirabili cum ponderibus, celeriorem habentes motum, in arcibus constructæ: sed huiusmodi molæ oculis subiectæ, apertiorem fidem exhibent, quàm scripturæ. Pro molis autem, seu molendinis defendendis, prima solet esse cura in obsidionibus obfirmandis, & aquæductibus, atque secretis uenis, ne auferantur. Nec exemplo caret, quale remedium Belisarius in Tyberi molis multiplicatis statuit, in obsessa Vrbe per Gothos, licet Cassiodorus 12. libro dicat, Romanam magnitudinem cognoscendam fore ex uniuersitate molarum, quam specialiter contributam constat ad uictum. Hoc enim instrumentum (ut idem inquit) nisi fuerit usuale, necessarium non habetur, quoniam nec ornatui potest proficere, nec parti alij conuenire. Refert Munsterus, diebus 7. in Papia centum millia hominum caruisse pane, ob molarum destructionem, donec manuales restaurarentur.

De pistrinis, & decoctione panum.
CAP. XIII.



QVia receptum est apud ueteres, quòd modo Ceres frumenta inuenerit, & Pan conspersas fruges coxisse perhibetur: unde & nomine eius panis est appellatus. Ita & illa prædicata est quòd reperit, & iste laudatus, qui decenter humanis usibus applicauit. Ideoq; uidendum hic erit, quę frugum genera ad hunc necessarium usum afferuntur, & quibus hoc officium competit apud homines Septentrionales: qui ut in regiones multiplices tam situ, quàm moribus distincti differunt, & separata sunt: ita etiam terræ nascentia pro qualitate regionum, & climatum, uariata uidentur. Quantò igitur magis ad Aquilonem acceditur, tantò minor tritici ubertas, & maior ad Austrum ubilibet inuenitur. Sueonibus tamen, siue Suecis, immensa uis tritici, sed maior siliginis est concessa. Gothis uerò tam Orientalibus, quàm Occidentalibus, utentibus hordeo & auena, indeficiens abundantia pro cibo & potu propitio numine est largita. Omnium tamen harum frugum utrobiq; usus est. Sed diligentior siliginis præparatio apud Sueones: quorum fœminæ ita nouerunt purgare siliginem, ut colore, sapore, ac sanitatē exuperet frumenti bonitatem.

De torrendis frugibus, duraturis.
CAP. XIIII.

DIebus calidissimis feruente sole, pannos instar uelorum naualium, siue ipsa uela, latè super faciem terræ, uel planos, ac nudos montes extendunt, ac desuper torrendam frugem diebus sex, uel pluribus, aut paucioribus, iuxta solis ardorem imponunt: deinde eam purgatam, in quercinis repositorijs collocant, uel in farinam redactam simili custodia seruant: multosq; in annos sic torrefacta, integritate salua perdurat. Attamen si molita farina non sit, sed fruges, expedit ut inte-

rim soli obijciatur semel in anno retorrenda: eoq; modo noua fruges tosta, poterit illi, ne deficiat, quoties opus fuerit, sagaciter commisceri. Farina autem in quercinis uasis, aut cupis forti ligneorum malleorum impulsu intrusa, locoq; sicco reposita, sine quacunq; uermium corrosione pluribus annis durare solet: quod negotiatores ob quæstum, & domestici patroni ad escam, ac præfecti ad arces fame (in obsidione hostili) non premendas, diligenter obseruant: ne fame ob hanc causam, aut annua sterilitate inualescente, panes, aut fruges deficiant pro publico nutrimento, præsertim in arcibus obsessis, ubi deficiente pane potius se mutuò inclusi deuorant, quàm fidem dominis præstitam uiolant, aut hostium crudelitati sese tormentandos, & turpiter iugulandos permittunt, prout superius de obsidione fortissimè ferenda, dictum reperitur.

De Vestrogothorum frugibus, & fortitudine.
CAP. XV.

GOthorum uerò, præcipuè Occidentalium, usus est pro maiori parte in hordeaceo pane, artificiosa mulierum, quæ solummodò in toto Septentrione panes conficiunt) industria decocto: ex cuius esu tantum roboris, ac uirium obtinent, ut uix fortior gens reperiatur in omnibus Aquilonaribus terris, exceptis Finningis, siue Finnonibus, qui simili pane, & siligineo uescuntur. Auenæ etiam farinę usus est in plerisque locis illarum regionum: forsitan & spelta ibidem cum milio, & surgo cresceret, si aliquando seminaretur. Cernuntur pręterea in superiori imagine saltantes grylli, ea ratione insculpti, quòd in hyeme caminis inhærent, cantum importunissimum hospitibus pręsertim, dum indigenæ his assueti non turbantur, inferentes. Vermes augurij sunt, ut quantò frequentius saltu luminaria mensis imposita impetunt, tantò maiores indubiè sequuntur niues, & tempestates.

De uarijs modis formandi panes.
CAP. XVI.



HAc figura monstratur uarius modus formandi panes: qui tempore genitæ prolis formati, usque in diem sponsalitium suum sine putrefactione reperiuntur sat integrè cõseruati, dum tali modo decoquuntur, & conseruantur: Mulieres, præsertim regni Noruegiæ, littus Oceani, aut alios Sueticos, ac Gothicos montes regnorum Varmelandiæ, Daliæq; inhabitantes, clara luce diurna tempore ueris stato, loco, ac numero, ut mutuò se releuent, congregatæ rotũdas, sed subtiles ferri laminas, magnitudine ac latitudine clypei militaris, in modũ tripodũ fabricatas, comportãt: igneq; lẽto sub unaquaq; lamina instructo, continuèq; nutrito, pastã è farina hordei, fabarũ, uel pisorũ rotundis sustibus, seu baculis, instar subtilissimæ papyri, ad capacitatem ferreæ laminæ seorsum in tabulis extensam, celerrima alternatione in gyro sedentes superimponunt, citissimèq; (instar chartarum in prælo) ob tenuitatem, excoctum panem, & ereptum, in ordine reponunt, certum cumulum in altum eleuatum grauitate saxorum deprimentes, ut uix ferro, minus dente corrosiui animalis cumulus ille infringi, uel conteri possit: sicq; si uisum fuerit parẽtibus, modò sub tecto (ob imbrẽ, & niuem) permaneat, durare poterit ad 16. 20. uel plures annos: idq; efficit frigida natura regionis et

aqua Martialis,seu uernalis:qua,arte fœminarum conficitur pasta, prout in simili inferius de confectione ceruisiæ peramplius ostendetur.

Adhuc de alijs modis.
CAP. XVII.

PRæterea in domibus magnatum Vestrogothorum mos est,é siliginea farina, quasi niue purgata,panem cōficere orbiculari forma,sed latum, & minutum. Demum maiores instar clypei militaris,densos,& rotundos:quos laterali foramine relicto,in hasta,ut aëre indurescant,appendunt,palato fortium hominum plurimum gratos.In mollitiem tamen aqua respersi,atq; camino parumper immissi, repentè mutantur.Similisq; ferè mos est omnibus Ostrogothis, qui tritici copia abundantius prouisi,panes latissimos croco linitos,in ampla, sed rotunda forma conficiunt,ac honoratis hospitibus apponunt,liberaliterq; eisdem itinerantibus, ut in uehiculis hyemalibus eos secum pro solatio deferant, uelut munus pergratum elargiuntur.Ordinaria tamen triticei panis forma,est utroque fine cuneata: nunquam tamen panis pondere,sed æstimatione uendendus habetur. Est & alia forma rotunditate, densitate,& longitudine pueri quinquennalis: qui natalitijs Christi diebus dono omnibus,etiam ignotissimis hominibus,cum alijs delitijs gratis,& amore tantæ festiuitatis ubiq; communicatur. Est & alia mediocris forma,instar capitis pueruli,siligineæ frugis,oboli unius pretij:qui alibi uix asse quadruplici comparari possit.Est præterea panis melle & farina,adiuncto pipere confectus:quo uiatores hyberno tempore frequentius uescuntur. Deinde alius panis lacte,butyro,ouis,atq; zinzibere confectus,languentibus (uix cognita morbi causa) pręstari solet.Est & alius pro usu nautarum,& longa obsidione clausorum, biscoctus panis:in quo uetustate imminente,albissimi uermes(non tamen noxij) passim generantur, maximè reposito in humido loco: de quo superius satis dictum est,de castrensi obsidione fortissimè obseruanda.


De pane delicatissimo Illustrium fœminarum languentium in Septentrione, & forsan aliarum.
CAP. XVIII.

CVM nullus,uel rarus sit usus librarum in Aquilonaribus terris,aut unciarum in farina ponderanda, nec illarum terrarum mensura possit alibi comprehendi,nisi interpretatione facta in hoc casu communi librarum,aut unciarum: quæ ferè inter se conueniunt in omni regione, exceptis minutijs aliquot addendis,uel subtrahendis.Recipiunt igitur mulieres(quibus solummodò, licet paucissimis,hæc ars est)25.libras triticeæ farinæ ex prima cribratura,Flore dicta: demum sex oua recentia,duos cyathos Maluasiæ,(licet raro ibidem reperiatur)uel loco eius tantundem de uino Hispanico,Bastart dicto:item unam libram sacchari candidissimi,& unum cyathum aque rosæ:de quibus simul coniunctis,fit pasta,in qualicunq; forma placuerit ipsi pistrici:sed non densior grosso digito. Pasta ergo sic formata,ac in partes distincta,deponitur in patella ferrea, suppositis carbonibus uiuis,interposita craticula,& super patellam cooperta ferrea, uel ærea: in qua etiam uiui carbones positi,æqualiter torreant panes interius coquendos, sicuti infrà lento modo sunt positi carbones: & hoc faciendo, erit delicatissimus panis:qui solet languentibus secundum usum (ut dictum est) illustrium fœminarum permitti : quæ etiam lacte, ouis, saccharo, cinnamomo, & pauco zinzibere solent obsonia facere, ad lentum & temperatum ignem , pro uiri-

bus restaurandis, non animaduertendo causam languoris, & diætæ, cum cæteris regulis prudentum medicorum: qui rarissimè in toto Aquilone reperiuntur, prout infrà dicetur cap. de medicis, & medicinis.

De exoticis uinis, cum nulla unquam crescant in Septentrione.

CAP. XIX.



Sti regiones Septentrionales uino natiuo, ob extrema frigora, gaudere nequeant: tamen uinis exoticis, & domesticis ceruisiæ potibus diuersorum generum, admodum exhilarantur, prout aliæ nationes de suis delitijs, & rerum affluentijs in excellentissimis uinis, ut sunt Hispania, Italia, Gallia, & Germania, meritò gloriatur, imò insigniter ab omnibus cæteris prouincijs ob hoc commendantur. Siquidem uina sua cœli soliq; uberrima fertilitate producta, nedum pro uiu domestico abundanter accipiũt, uerumetiam opulentissimo omnigenarum rerum commercio ad exoticas regiones emittunt. Inter quas cum omnium remotissimę sint Septentrionales, locus hic exigit, ut antequam de ceruisiæ natura aliquid ostendatur, de uino, tãquam nobiliore hospite illarum frigidarum nationum, mentio fiat, cum minimè à natura concessum sit, ut producantur in frigida terra. Vina igitur Hispanica, etsi Bastarda nomine, à negotiatoribus in Aquilonem delata, appellantur: tamen sapore, colore, & odore, ob excellentiam dulcedinis, ab omnibus legitima reputantur. Est enim suaue, pingue, molliter crassum, uiuacitate firmissimum, nare uiolentum, colore quàm perspicuum: quod ita redolet ore ructatũ, ut meritò illi excellentior aliqua æstimatio debeatur: uiscera namq; defecta constringit, uulnera madida desiccat, lapsum reficit pectus, & quod uix ualet implere potus arte compositus, hic naturaliter præstat inuectus: imò alterius generis uina restaurat, quæ fulguris, tonitruumùe tempestatibus sunt corrupta. Alterius autem generis hîc appellantur è Gallia, Romenia dicta, duri austeriq; saporis, allata. Ita & Rhenensia uina, è diuersis Germanię prouincijs longissimo maris tractu in Septentrionem lucroso mercatorum quæstu producta. Sed hæc uina rijs tabernis soluta exigua gabella, omnibus honesto pretio uendenda inserũtur.

De diuersitate uinorum adductorum.

CAP. XX.

NEC exigua auiditate ob delicatum saporem emuntur, ac epotantur: sed ea sobrietate, ut nulla admixta aqua, alicuius excellentissimi, ac fortissimi uini deprauent, aut uiolent proprietatem: imò exorta Canicula stella, uinorum custodes diligentius attendunt, ne uina fulmine sæuiente, in sapore mutentur, uel illicò corrumpantur: unde pro remedio pellibus uitulorum marinorum cooperiunt uasa, quibus & ipsi cooperiuntur. Genera igitur uinorum in Septentrionales terras adducta, triplicia sunt, dulcia, austera, & tenuia. Prima, ut dictum est, ab Hispanijs, ubi olim Reges Gothorum, fortè 38. successiuè dominabantur, & uineas plantare iusserunt, afferuntur, solum suauem saporem soboli, ubi uitis penes matrem natiuam remanet, exhibentes. Italica autem uina, cum ob sui excellentiam ad alias nationes non exportantur, certum est plurimos in Vrbem passim concurrere, ut ibidem uoluptuosius ea bibant: nec amplius, ob uini bonitatem, exinde recedunt.

cedunt.

cedunt. Austera autem uina è loco Galliæ, Romenia forsan dicta, (quia durabiliora sunt, sic appellantur) frequentioribus usibus sacrorum Ecclesiæ ministeriorum deputantur. Tenuia etiam appellatione Galliæ Peitha dicuntur, rubeum colorem habentia. Sed paululum, quia parua sunt, nisi tempore caloris æstimantur. Attamen nullum uinum maioris pretij est, quàm Bastardum, ob dulcedinis nobilitatem, & inde Rhenensia: quæ generalius epotantur. Omnia tamen fisco plurimum tributum pendunt, eò quòd auidè sine aqua epotantur. Fœminis tamen nullus, aut rarissimus uinorum usus est, nisi dulcissima, tenuissima licet quantitate.

De durabilitate uinorum.
CAP. XXI.

SVnt & certa genera uinorum Rhenensium, quæ pro æuo hominis estimantur pretiosa, prout unicuiq; sapor placet: imò ducentorum annorū, prout magnificus Senatus Imperialis ciuitatis Lubicensis gloriatur se ostēdere Principibus, in eorum ditissimis cellarijs: quæ tamen longæuitate sua procedendo, conuertuntur in speciem asperi mellis, si Plinio credēdum sit lib. 14. cap. 4. Etenim natura hęc uinis in uetustate est, ne potari per se queant sine prouincię aqua, usq; in amaritudinem carie indomita. Quomodo autem falsificantur, eodem lib. Plin. cap. 6. & alijs declarat, multaq; de natura uinorum sequentibus subnectit, scitu non indigna, etiã de hydromeli: cuius frequentissimus usus est in frigidis terris, prout mox ostendetur capite sequenti. Fiunt tamē factitia uina è pyris, pomis, mespilis, sorbis, per succi torcularem expressionem: quibus piper, zinziber, & gariophylli adduntur, pro temperamento agrestis saporis. Præterea uinis imponuntur, alijs saluia, alijs absynthium, alijs ruta, alijs lauendula: & inde nomina sortiuntur, ut cæteris omnibus in esu, tanquam potus salubris & medicinalis, præferantur.

De conficiendo hydromeli, mulsa, uel medone, secundum modum Septentrionalium.
CAP. XXII.

REcipi solet una pars boni mellis, & quatuor partes aquę bullientis in caldari ultra teporem: deinde medietas aquę sic calefactæ, infunditur in aliquod uas ligneum, superius amplum, & latū, in quo mel crudum immiscetur, postea eadem aqua cum melle resoluto pariter imponatur ad caldare, supposito bono igne, ut competenter bulliat, usquequò appareat spuma: quæ lineo panno baculo longo alligato, uel cochleari perforato, paulatim deponetur. Hoc quoq; cōtinuè fiet, donec coctura mellis & aquæ appareat depurata. Cumq; ista fiunt, coquantur seorsum eodem igne flores lupuli in sacco lineo, proportionata quantitate, in olla cooperta, usq; ad decoctionem dimidiæ aquæ, & amplius, ut appareat eius amaritudo: qua temperabitur maior, uel minor dulcedo decocti mellis, & aquæ: ita tamē, quòd aqua cum melle taliter cocta, & despumata, prius infundatur ad prædictum uas ligneum, ac statim simul saccus lupuli imponatur, ut mutua uirtute mellis, & aquæ, ac coniuncti lupuli, temperamentum fiat. Quo facto, pannis densis cooperiatur uas, & stare permittatur, usquequò calor in teporem penè resoluatur. Deinde capiatur fex ceruisiæ (de qua infrà dicetur) iuxta quantitatem decoctionis: quasi coagulum superponatur, & iterum uas cooperiatur, donec tota mixtura uelut albissima spuma cooperiri uideatur: uel fermentum panis, fece deficiente. Quo facto, sequenti die coletur hæc mixtura per pannum lineum, & in aliquod uas nudum, in quo reseruari debeat, infundatur, & seruetur clausum: dieq; octauo, uel prius necessitate urgente, tutissimè bibi poterit: quantò tamen uetustior fuerit potus ille, tantò purior, melior, & sanior erit.

De cautelis materialium.

CAP. XXIII.

AT si flores lupuli deficiunt, tunc recipiuntur legumina myrti, instar iuniperorum: quæ maxima diligentia coquenda sunt, usquequò purus sapor cum temperata amaritudine relinquatur. Adeo omnia indigent temperamentis: opus enim est semina hæc myrti fortissimè coqui. Si etiam fex ceruisiæ defuerit, capiatur fermentum pistorum, illudq; resoluatur in aqua calida, ac superinfundatur, & ferè similem operationem faciet, uti fex supradicta. Ad hoc hydromel, siue medonem, uel mulsam, ut delectabilior in sapore, & uirtute fiat, poterit sacculus (adhærente lapillo) contriti zinziberis per filum (ut natãdo cum liquore semper descendat) interius in uase suspendi: mireq; proderit, præcipue tempore hyemis, contra uim frigoris coërcendi. Sed pro æstate seruentur quinq; partes aquæ, & una pars mellis: uel ut magis tenuis fiat, sex partes aquę, & una mellis: quia utraq; bona, & potabilis, & mirabilis erit in reprimenda siti, ac sanitate conseruãda. Sed hæc mixtura fidem uix mereretur apud fortunatas gentes, quæ abundantiam uitium, & uinorum habent, nisi tempestatibus grandinum uineis eorum desolatis, ad supra dictã mixturam, uel ceruisię decoctionem (si siti periclitari non uelint) sese totaliter conuertere compellantur, prout sæpius contingit in Austria, Stiria, Carinthia, & Germania, ubiq; prædictę tempestates incolas urgent ad hydromel, & ceruisiam conficiendam: quia utraq; potio est sanissima, eoq; melior (aqua tamen Martiali cocta) quo maiorem habuerit uetustatem, ut inferius de eius uirtute, & utilitate ostendetur.

De modo coquendi medonem Polonico, uel Lithuanico more.

CAP. XXIIII.

CApiatur certa quantitas boni mellis puri & integri, iuxta præmeditatam quantitatem conficientis, hoc scilicet exemplo: Decem librę mellis, & 40 libræ aquæ, aut plus aut minus, iuxta fortitudinem desideratam. Calefiat aqua in caldari, seu cacabo cupreo, uel æreo magno, melq; imponatur, ut bene coquatur & despumetur. Coquatur etiam lupulus seorsum in uno sacculo (modo superius dicto) ad quantitatem unius librę, uel minus, iuxta quantitatem mellis, & aquæ: quo decocto, & aqua bullita, ac expumata, deponatur, usquequò parum tepescat & imponatur saccus lupuli cum aqua suæ decoctionis, ac fex ceruisiæ (uel fermentum, ut suprà) beneq; cooperiatur, ut stet per unum diem, ac noctem: & demum hæc decoctio, siue mixtura, ualdè planè reponatur ad uas mundum, & erit delicatissimus, ac sanissimus potus, qui uel uino ęquiparari poterit, uel in necessitate uineis destructis, commodissimè deseruire, imò dignitatem suam inter pretiosissimos quosq; liquores merito obtinere. Omnem enim habet in suo genere colorem, saporem, odorem, & secretam sanandi uim, & fortificandi naturam in robustissima gente, qualem uix habet uinum in sua perfectissima æstimatione. Si uerò quis remissiorem medonem, uel fortiorem habere uoluerit, secundum hoc addat, uel subtrahat mel in appositione decoctionis. Et hæc ueraciter relata sunt mihi Romæ M.D.XLIII. per uenerabilem uirum D. Martinum Polonem Pœnitentiarium Gnesnensem, qui & sua manu talem medonem gratissimo sapore, & bonitate confecit: atq; ita caristia uini surgente, in Roma commodissimè fieri poterit.

Adhue



Adhuc de cautelis hydromelis, uel medonis, siue mulsæ conficiendæ more Gothorum.

CAP. XXV.

FActuri grandem quantitatem medonis, maximè ad quæstum & lucrum, Septentrionales populi, quandoq; capiunt mille libras, aut duo, uel tria millia librarum mellis purissimi cum aqua proportionata, & myrto: quę instar granorum iuniperi in humili frutice, ulnæ unius longitudinis in loco paludinoso crescit, & maturescit in Augusto: & sufficit apud prædictos populos loco lupuli, dummodò per integram horam & amplius, forti igne coquatur, prout aliàs lupulus: sed mixtura grandis mellis & aquæ, bullire solet ad diem, & noctem, & demum apposita fece ceruisiæ, uel fermento pistorum, quatuor, uel pluribus diebus dimitti in sua operatione, & coniunctione. Fit & apud Gothos, præsertim Meridionales, quidam potus Mulsum appellatum, ex ceruisia, & melle, ac myrto: qui quarta parte in sua appositione assumitur, id est, quatuor partes ceruisiæ, & quarta pars myrti: & decoquitur hæc composito igne forti, per unam horam, uel duas, donec mel fuerit despumatum: & tandem superposita fece cooperitur, & cooperta manet uno integro & dimidio die, & exit potus fortissimus: qui sicuti antiquum hydromel, aut medo, crateri, aut cyatho impletus, præ fortitudine radios mittit scintillantes, uelut candens ferrum. Eo liquore gens illa frequentius utitur in nuptialibus festis, & honorabilium amicorum, ac hospitum receptione. Neq; in hoc solo potu, sed fortissima ceruisia semper abundant: licet mulsum hoc mellis adulteratione artificiosa sit excogitatum, prout & aliorum cura semper ascendit, uel serpit in diuersorum fructuum musto conficiendo: quod opus ingenij est, & non naturæ. Vinum tamen omnibus his præfero in sua natiua terra, ubi genti suæ redditus proportionatum &c.

De præparatione hordei, & aliarum frugum, pro ceruisia decoquenda.

CAP. XXVI.



QVia inter præcipuos rerum naturalium scrutatores, & scriptores, maximè in his, quæ ad salubriorem hominis uictum pertinent, Hippocrates uidetur habere de hordaceo potu rationem, & censuram meliorem, prout in libris eius desuper confectis, clarissimè demõstratur: propterea magnam uim facit de natura hordei, & eius potione (cui multa, uariaq; imponit nomina) quòd omnib. annonis, seu frugibus sanior, & utilior sit, ubi eius usus habetur pro optimo potu decoquendo. Nec tamen modũ ob inexperientiam regionũ exprimere potuit, qualis saltẽ generaliter in cõficienda ceruisia reseruatur. Quocirca quibus placet, offeratur is modus Septentrionalium incolarũ: qui decocturi ceruisiam, quantò electius hordeũ inuenerint, & diligentius præparauerint, tantò saniorem exinde potum non dubitant euenturum. Sicq; præparant, iuxta exigentiam familiæ maioris uel minoris, publicę uel priuatę domus. Eligunt pauimentum tabulatum, longum, & amplum: super quo impositum hordeum 10. rugiorum, uel 30. aut plurium modiorum, aqua sparsum continuè uoluunt: unde fit, ut una nocte & die mollescat, & intumescat: hocq; secundò & tertiò simili

reuolutione uersum,quasi radicibus emissis germinare uidetur, ut conglobatis manipulatim granis,illicò concrescere uelit: triduoq; iam per pauimentum ampliatum,relinquitur exiccandum:quo uiso,clibanus adaptatur satis amplus::in cuius ampliore latitudine interpositis rarioribus pannis,suppositoq; lento igne,hordeum apportatur dipergendum,ac detorrendum. Induit enim eo torrore miram suauitatem,ut mellis uideatur habere saporem. Demum aquatili,seu trusatili, uel uentorum mola parumper attritum(unde Brasium dicitur)aquę calefactæ, atque in amplum uas ligneum continua motione paulatim immissum, multò maiorem dulcedinem spargit,& tumorem:hacq; commixtione remissius deferuente, uasculo pertuso,quasi cribro,uel craticulatis foraminibus, totus ille liquor fortiter coctus,exhaustus,& depuratus alteri imponitur uasi:in quo decoctio amari lupuli pro tertia,uel quarta parte admiscetur,iuxta maiorem suauitatem, uel amaritatem ceruisiæ conficiendæ. Illicoq; fex uetustioris ceruisię, quasi fermentum, non magna quantitate imposita,totalem formam,& perfectionem inducit:eaq; compositione,seu incorporatione horum trium,scilicet suauis saporis hordei, amaritudinis lupuli,& coagulantis fecis,lentè feruentibus sub coopertis ceruisia maturatur. De qua commixtione si quis pectorali strictura pressus,bonum haustum biberit,omnimodè restitutus euadet. Illeq; liquor uulgari Gothico Bulka dicitur, quasi hominem liberans ab oppilationum syluis. Similis etiam præparatio fit in tritico,& auena:sed rarò in siligine,quæ panibus excoquendis specialiter, reseruatur,ueluti frumentum delicatius omnium nutrimentum.

Adhuc de frugum pręparatione pro ceruisia in diuersis,& distantibus prouincijs conficienda.

CAP. XXVII.

NEq; tamen modus omnibus prouincijs in frugibus præparandis idem est: quia aliter apud Noruegianos in Occidēte aliter in Meridie apud Gothos aliterq; in Oriente uersus Moschos,& Finningos uersus Septentrionē:qui etiam optime pręparant hordeum,& ex eo conficiunt fortissimum potum: unde gens redditur robustissima,ad quodcunq; exercitium,uel arduum opus subeundum, & perficiendum. Quidam enim fruges præparant,ut ex ijs decoquant potionem amariorem,absynthium addentes contra uermes,seu lumbricos:quidam, ut dulciorem faciant,scilicet ex industria non integrè coquentes,ut qui ex lactis esu frequentius constipentur, uentris habeant liberiorem laxationem: quidam fruges parant,ut inde data opera conficiant maximam aceti quātitatem,pro arcibus conseruandis,ac curijs insignium dominorum:quidam præparata annona in Martio & Aprili,ceruisiam decoquunt decem,uel 20. annis pro medicina duraturam. Aqua etenim illius temporis(hyemalis dicta)ad panem, uel potum conficiendum admixta,nunquam acescere potum,uel putrescere panem sinit: hacq; prouidentia usi Gedanensis ceruisiæ plusquàm sexcenti coctores,seu braxatores,multa millia uasorum nobilissimæ ac sanissimæ ceruisiæ lucri causa, uel in suo portu honesto pretio exoticis negotiatoribus uendunt,uel marino euentu ad exteras & longinquas terras Portugallię,& Indorum emittunt. Tantæq; uirtutis est hic liquor, ut eo poto sanentur quicunq; corporis pessimi humores. Ideoq; quocūq; hęc ceruisia uenerit,nunquàm ingrata,sed ueluti efficacissima medicina illico comparatur:meritoq; palmam obtinet,ut in Septētrionalibus plagis omnibus cæteris præferatur. Non ita de quolibet genere uinorum,sicuti Plinius lib. 14. cap. primo attestatur:quorum aliqua hominem in rabiem uertunt,& fœminas partu infœcūdas & quædam fœcundas faciunt:quę diuersitas formidanda non est in genere ceruisiarum:nam in Finlandia adeò fœcundas facit mulieres,ut plerunq; gemellos pariant:è quibus,tanquam fortissima sobole,Rex Suetiæ nouas prouincias dato felici prin-



lici principio instituere posset, unde tributum fisco, & robur regno non modicum accrescere posset. Sed nescio qua stupida cæcitate prouenit, ut fortissimæ puellæ in maximo numero quotannis ad oras Germaniæ alienis miserijs seruituræ exeant, ubi domi reseruari possent ad utilitatem regni. Vtq; improuidentia notetur maior, certum genus equorum in regno Regis edicto remanet: at fœcūdę uirgines laxantur, ut in terris non satis amicis procreent inimicos. Domi desolantur agri, & ædes, ubi regni soboles foris ędificant ciuitates, & augent tributa.

De ceruisiæ decoctione uario modo.
CAP. XXVIII.



PRæparatis, ut prę missum est, frugibus, diuersę nationes proprium & peculiarem modum retinent, aliter & aliter ceruisiam conficiendi: quidam celerius, quidam tardius, quidam maiori, quidam minori quãtitate, uti etiam in uindemiantibus est usitatum. In Aquilone caldaribus, & uasis utuntur amplissimis: una tamen miranda cõditione inspecta, quòd solis mulieribus ceruisiam, panesq; coquendi, tanquam principalius officium, in toto Septentrione, exceptis curijs Principum, ac procerum, & magnorũ conuentuum est attributum. Fœminæ enim adeò mundè fideliterq; singula negotia sibi incumbentia tractãt, ut nulla suspicio oboriatur, quòd non omnia sint bene facta, etiam in præparatione ciborum, ut nedum patronis offerantur in escam, sed medicinalem præseruationem. Magnam nanq; experientiam habet cum arte coniunctam quomodo hordeum sit præparandum, aut aliæ fruges, quemq; effectum & uim sit habiturum. Similiter & lupulus: qui nisi naturali calore suo per decoctionem sufficientem purgatus fuerit, non sanitatem generat, sed tormina uentris, & ægritudines neruis nocituras. Quando autem lupulus (hortensis dictus) sufficienter coctus creditur, tunc probatio capitur per exiguum manipulum culmorum: qui immissus in decoctionem, & extractus, secum uiscositatem retinet cum amaritudine amarissima: & hinc emerget salubrius temperamentum in omnibus rebus dulcibus, humano potui profuturis.

De diuersitate ceruisiarum, & earum uirtute medicinali.
CAP. XXIX.

HOrdeacea ceruisia quantò antiquior, tantò purior, & sanior: & hæc pota in castrensi obsidione morbum intercutaneum tumore turgentem, atq; calculum mirè leuat, & sanat. Clausus ego in obsidione Regiæ ciuitatis Holmensis Suetię M.D.XX. bibens talem ceruisiam antiquissimam lapillos sine læsione, aut passione, singulo mane in urinali expulsos uidi, & instar granorum milij, ciceris, et piperis, quantitati nucis similes eieci, nunquàm calculi speciem posteà sentiens aut morbum. Pręterea butyro in bullitione coniuncta, & bibita, tussim tollit: imò in læsione costarum cum ouis, & zinzibere, ac saccharo per modum obsonij bullita, & ægro data, mirè prodest: etiam ad restaurandum ungulas morsu, uel ferro cum carne abscisas, pota iuuat, quemadmodum experientia comperitur apud Finlandenses in Aquilone, & Vratislauienses in ceruisia Suinicensi: quæ mirum effectum habet in sanatione læsorum intestinorum, prout ipse sum testis. Sunt & aliæ præ-

aliæ preclaræ urbes Germanię, suas peculiares dotes habentes in eo cereali liquore, ueluti Turgenses, Friburgenses, & Suabaccenses apud Nurembergos laxans, & Mumma apud Brunsuicenses: quæ cum recens sit, stranguriam usq; ad cruciatum excitat: quam uetus abstergit. Præterea Einbicensis: cui claritudinem simul et amaritudinem lupuli prædominans abundantia præbet: plurimum ęstati conueniens in restinguenda siti. Demum Hamburgensis triticea, admodum nutritiua, & oppilationum dissolutrix. Multa etiam genera ceruisiæ diuersarum ciuitatum alia nomina sortiuntur ex loco, euentu, operatione, terra, aquis, et syluis: ueluti uina uetusta ratione loci, et ætatis, per Plinium lib. 14. enumerata: è quibus omnibus pauca nunc in usu habentur. Ceruisiarum tamē genera nullibi diminuta sunt, sed indies arte & ingenio fiunt, hac relicta regula, quòd uti uersus Meridiem sunt potiora uina, ita uergendo in plagas Septentrionales, fiunt ceruisiæ meliores. Et in summa dici potest, plures esse orbicolas latissimè per mundum dispersos, qui ceruisia communius utuntur, quàm uino.

De Aethiopum, seu Indorum more ceruisiam conficiendi ex instructione D. Ioannis Baptistæ Habasciani Indorum presbyteri.

CAP. XXX.

CApiatur farina cribro non excussa tritici communis, uel hordei: inde enim melior fit ceruisia. Fiat pasta, & ingeratur fermētum, ueluti conficitur panis cibarius: maneat dicta pasta per decem dies, antequam coquatur: sed quotidie bene misceatur, & inspergatur singulis diebus exigua farina usq; ad decimum diem, ita ut dicta pasta acescat. Post decimum diem fiat inde panis: coquatur in furno, et fiat biscoctus: cum acuerit, frangatur in frusta, & ponatur in urna, superponendo pauxillum hordei germinati: impleatur dicta urna aqua: bene obturetur usq; in triduum. Post aperiatur, & manus protendatur usque ad fundum urnę, miscendo optimè, infringendo, & liquefaciendo biscoctum panem, qui non fuerit ab aqua liquefactus. Deinde statim ingeratur panis ex hordeo factus eodem die, incidendo in offas: & iterum immittatur hordeum germinatum, plusquàm prius: sed tamen oportet diligenti uti mensura, & ordine, pro quantitate ceruisiæ: quod nisi factum fuerit, ceruisia fiet asperi, & amari saporis: si uerò parcius immittatur, fit insipida, & insulsa. Necesse est igitur uti prudentia, in qua est omnis uis. Et cum omnia commixta fuerint, iterum obturanda est urna, usq; ad quartum diem: inde aperienda, & paulatim solidanda per pannum lineum: cumq; bene fuerit expressa, & cum fece purgata, infunditur in aliud uas bene purum: & qui uoluerit bibere eodem, hoc est quarto die, poterit, licet insipida sit usq; in uigesimum diem.

De eadem ceruisia alio modo conficiendo.

CAP. XXXI.

REcipiatur panis biscoctus, & hordeum germinatum, & mittatur in urnam grandem (ut supra dictum est) usque ad tertium diem: deinde capiatur olla magna, melle plena, unà cum fauis, & cera: posteà sumatur magnum uas, quod capiat quintuplicis liquoris plus, quàm ceperat olla mellis, & bene lauetur: dumq; adhuc humidum est, inuertitur ore inferius demisso, ut fumigetur aridis frondibus oliuarum: deinde infunditur totum mel prædictæ ollæ: eademq; olla bis impletur hordeo germinato, & pane biscocto mollito, tantūdem aquę in illud uas, ubi mel positum fuit, immittendo, etiam hordei germinati tantum, quantum oportebit. Cumq; hęc omnia simul commixta fuerint in uase fumigato, cum melle, aqua scilicet, & ceruisia prædicta obturetur uehementer creta in triduū: deinde aperiatur, & despu-

& despumata omni fece, quæ inuenitur in ore uasis, exprimatur, ut defluat, ut dictum est de superiore potione: panno nitido diuidatur in diuersa uascula pura, & speciosa: quæ bene obturentur. Et quoties uolunt bibere, aperiunt unum ex illis uasculis: quo exhausto, alia seriatim aperiuntur. Et hæc ceruisia longè melior est superiore: nam illa durat octo, uel decem dies: hæc uerò uiginti, uel triginta: hæcq; fit in locis calidioribus: & uasa pannis calidis teguntur: imò arceri debent procul homines scelerati, fœminæ menstruosæ, uiriq;, & fœminę polluti proximo concubitu: quod obseruatur per totam Aethiopiam. Illud autem, quod in superficie uasorum detrahitur, cum uoluerint ut defluat, ponunt ad solem, siccant, immittunt in ollam, siue ahenum, ut bulliat cum pauca aqua: deinde refrigerant, & remanet super aquam pulcherrima cera. Hordeum uerò molliatur in aqua ad unum diem, et noctem: hinc detrahatur, & mittatur in scyphum ligneum madefactum, superius & inferius compositis frondibus ficuum uel arundinum recentibus: & semper humectetur usquequó germinet: & postquam germinauerit, bene siccetur in sole, & molatur mola trusatili: sed non ita tenuiter, ueluti farina, sed tanquam far confractum in duo, uel tria frusta: sine quo bona ceruisia fieri nequit.

De diuerso usu ceruisiæ prouinciarum.

CAP. XXXII.

HAec supradicta instructio prædicti D. Ioannis presbyteri de Aethiopia, seu India, præsentibus inserta est, ut uideatur, quanta sit horum hominum, ac nostrorum in ceruisia decoquenda diuersitas: ibi scilicet in summo calore, & apud Septentrionales in extremo frigore, atque apud Germanos in optima temperie ut merito laudandus sit Deus ubique in benignißimis donis suis. De modo Anglorum, Britannorum, Scotorum, aut Hybernorum, puto ferè iudicandum fore sicuti Germanorum: qui ceruisiam optimo & compendiosißimo modo conficere norunt, multiplici sorte, tam principibus, quam nobilibus, & plebeijs congruentem. Apud Noruegianos satis est prolixus modus ceruisiam conficiendi, uti uidi, & gustaui ante quinquaginta annos. Islandenses uerò (de quorum moribus superius lib. 2. fuerat enarratum) non tantum domestica, quantum peregrina, hacq; pingui, & subfusca utuntur ceruisia: quam & piscium, butyri, rerumq; aliarũ commutationibus cæteris insularibus liberalius emercantur: idemq; fit apud Bergensem Noruegiæ ciuitatem nobilißimum Germanorum emporium: quibus tam ad quæstum, quàm domesticorum usum, multa millia uasorum ceruisię è Germanicis oris, Lubeco uidelicet, Rostochio, Vismaria, & Brema, quotannis emittuntur. Quòd uero exotica ceruisia deportatur per mare à Germania ad Aquilonares terras, causa est, quia fortißimo lupulo (qui humulus dicitur) ibidem cocta, & marinis fluctibus mota sapidior, potentiorq; redditur, ad maius robur, & conseruationem. Lupulus nanq;, siue humulus, in Aquilone crescens, propter multitudinem ferrearum minerarum, & rubiginem ex earum exhalatione causatam, in fine Iulij floribus expositus, ad imbecillitatem exhalat.

De Voluntaria suffocatione Regis Hundingi in medone uel hydromele

CAP. XXXIII.

PRemißis omnibus de uino, medone, hydromele, mulso, & ceruisia, in uirtute ac commendatione adductis, nonnihil addendum occurrit, quod ostendere poßit, quàm infelicißimi sunt numerandi, qui talibus Dei & naturæ conceßis donis, legitimè non utũtur. Quocirca adducẽdus est hic casus duorum



Regum Aquilonarium, Suetiæ ſcilicet, & Daniæ: quorum pactis adeò inuiolabilis quondam pax firmata erat, ut in ultimum uſq; finem mutata amicitia pactum confirmarent: nec aures, aut animum illis accommodaturi eſſent, qui inter ipſos fœdera rumpere, odia ſerere, concordiam labefactare molirentur: ſed alter alterius commoda, honorem, quietem, dignitatem, autoritatem defendere, & ampliare curaret, prout in hiſtorijs ſuis chariſsimus frater, & antecesſor meus, Io. Archiepiſcopus Vpſalenſis oſtendit. Accidit tandem falſam famam circumferri, quòd Hadingus Daniæ Rex inſidijs generi ſui Gutthormi (cui pridem ſororem ſuam Vluildam matrimonio coniunxerat) impetitus corruiſſet. Qua fama allata, Hundingus ſtatuit ſuam fidem Regiam ita declarare, ut omnis poſteritas intellectura eſſet, plus ipſam ualuiſſe, quàm uitam. Proinde conuocata totius regni nobilitate, conuiuium magnificum, tanquam mortuo amico parentaturus, inſtruxit: & ne quicquam Regiæ magnificentiæ deeſſe uideretur, iuſſus à Rege promus condus dolium ingentis magnitudinis cereali, ſiue melleo potu repletum, aulę in medio collocauit. Ipſe Rex pincernæ officio pocula circumferēs, pietatis miniſteriū implere putabatur: ſatagebat enim omnibus modis oſtendere, quòd non tam propter amici caſum, quàm ob ſeruandam præſtitam fidem, lętus & gaudens in fata cōcederet. Igitur poſtquàm omnes ebrietate ſuffuſos aduertiſſet, ſeipſum in dolium dulciſsimi liquoris præcipitans, oſtendere uidebatur, illud mortis genus dulcius exiſtimari debere, quòd pro amicitia & fide ſuſceptum, gloriam laudemq́; mereretur immortalem. Quo cognito, Hadingus cogitabat, quo genere mortis maiorē, uel parem fideliſsimo amico gratiam referre poſſet, (quanquam difficile crederet tam eximiam uirtutem pari uirtute, aut amicitia ſuperari poſſe) non coram ſatrapis, & proceribus ſuis, ſed toto populo inſpectante, ſeſe (ne perfidia notaretur) laqueo ſuſpendi permiſit: ut omnibus compertiſsimum fieret, ipſum plus promiſſam fidem, quàm caducam uitam, et tandem neceſſariò perituram exiſtimaſſe. Affirmat Albertus Crantz us hanc duorum Regum mortem per quàm ridiculam fuiſſe: at ego eam parem puto pręcipuè uirtuti magnorum Græciæ, & Latij principum, qui uoluntariam in mortem, ne fidem promiſſam uiolarent, ſe tradiderunt.

De Hadingi Daniæ, & Hundingi Suetiæ, regum, quorum hic Olaus meminit, uita & rebus: ex Ioan Mag. lib. 2. Quanquam de magia Hadingi etiam ſuprà lib. 3. cap. 15. commemoratum ſit.



Aſmundus Sibdageri filius, poſtquam in regnis Gothiæ, Suetiæ, Noruegiæ, patri hęreditario iure ſucceſſerat, primam curam habuit, quomodo uictorioſi Hadingi Danorum Regis potentiam a' ſe, & ſuis regnis auerteret: quanquam admodum difficile uidebatur, ipſum humana uirtute ſuperari poſſe, qui tot magicæ artis præſidijs, ſiue præſtigijs circumſeptus & munitus habebatur. Si enim Saxoni Danico credimus, ab incunabulis traditus fuit præceptorib. in arte magica peritiſsimis, uidelicet Vagnopro & Haphilo Sueticis gigātibus: à quibus ita inſtructus credebatur, ut ſi ſibi ipſi fatum non intuliſſet

nullis hu

nullis humanis armis uiolari potuisset. Quippe tam familiaris erat Dijs quos colebat, ut mox eorum nomine inuocato, præsentissimum sentiret auxilium. Ductus est ab illis niuus ad inferna loca, in quibus plurima arcana mortalibus incognita contemplatus est. Didicit quoq; ab Hartgrepa Vagnopti filia, quæ nulli in uanitate artis magicæ secunda erat, in dæmonum auxilio spem omnem collocare. Conuersatus est familiariter Othino omnium Magorum, imò dæmoniorum nequissimo, qui huic primum in humana specie apparens, bellum in Curetes mouere præcepit, uictumq; ex eo prælio suauissimæ cuiusdam potionis beneficio, fortiorem uegetioremq; effecit: deinde à sene quodam (quem puto spectrum magicum fuisse) cēturiandi exercitus industriam assecutus est. Quibus artibus se instructum munitumq; considerans, nihil tam arduum difficileq; putabatur, quod crederet sua uirtute insuperabile. Proinde fallacissima dæmonia ipsum plurimis ac uarijs bellorum casibus exposuerūt, expositoq; multis ac miris modis illuserunt, nunc uictorem efferendo, nunc rursus uictum omni ope distituendo.

Igitur aleam belli contra Asmundum Regem experturus, ualidum exercitum in Suetiam deducere parat. Quo apparatu præmonitus Asmundus, duos coniunctos exercitus eduxit: quos cum ad reprimendum aduētantis hostis impetum satis fortes putaret, uni filium Henricum, alteri seipsum præficiendum curauit. Inualescente prælio

Henricus inijciens dextram capulo, clypeumq; retentans,
Inq; hosteis ruit, & nullos expalluit ictus.
Ferro artus, faciemq; aurata casside tectus,
In medios fertur cuneos, ceu uincere certus,
Intrepidusq; fugæ, & nullo superabilis ausu.
Sed non respondit cœptis audacibus eius
Belli successus, qui primo flore iuuentam
Illius extinxit: quem chari cura parentis
Indoluit tantum, quòd eum fato comitari
Optaret, spernens extincto pignore uitam.

Tribuit Saxo mœstissimo patri carmina, quæ ostendunt eius eximiam erga amissum filium charitatem, animumq; ad moriendum obstinatissimum. Siquidem reiecto in tergum clypeo utranq; manum capulo iniecit, deinde furens & fremens Hadingum post peractam complurium necem ferocissimo impetu adoritur. At Hadingus uidens sibi ineuitabile fatum imminere, nec quacunq; humana ope illud auerti posse, mox sua numina, quorum cultui à cunis assueuerat, inuocat: aderat subitò dæmon Vagnopti forma indutus, suiq; cultoris & alumni partes in periculosam sortem inclinatas rursus erexit. Itaq; necessarium fuit, ut Asmundus, qui humanis uiribus superari nequiret, dæmonibus congressus occumberet, quanquam non omnino moreretur inultus. Nam cum Hadingus suis numinibus adiutus ipsum amentata hasta transfixisset, inter exiguas uitæ reliquias uulneratum interfectoris pedem perpetua claudicatiōe multauit, præmissa acri exprobratione, quod in magica arte totam opem ponens, miserandis criminibus obsitus esset, maculisq; & uitijs, ut infamis atq; putidus labeo, refertus. Subinde occisi Asmundi corpus solenni funere elatum, apud Vpsalā Regijs exequijs procuratur. At coniunx eius Gumilda imitata multas præclaras fœminas, quas Ethnicorum commendant historiæ, ne mortuo uiro super esset, mortem sibi ferro consciuit, atq; eidem (cum uiro) tumulo ab amicis demandatur, digna uiri cinerib. sociari, quę uirilem animum, & grande facinus sub muliebri sexu declarauit.

Vffo Asmundi filius post fatum patris in paternis regnis hæreditaria successione surrogatur: cui Hadingus non minus negotiū fecit, quam pridem eius patri, atq; auo, quos multis bellis fatigatos tandem extinxit. Pari enim fiducia, imò maioribus animis nunc insolescebat, postquam tot triumphos de multis ac potentissimis hostibus reportauerat. Quippe non contentus patrem & filium ope malignorum spirituum trucidasse, adiecit agrum Sueticum longe lateq; depopulari. Quamobrem Vffo collectis undiq; copijs sese ad arma parat deinde populatori acerrimum prælium inferens, coëgit in suam Daniam remigrare, secutus à tergo fugientem, cui in sua Suetia cessisse uidebatur. Non tamen ignoro Saxonem scripsisse, quod Vffo in Daniam cum nauali exercitu traiecisset, interim cum Hadingo ager Sueticus uastaretur, quemadmodum olim ab Agatocle simili astutia factum fuisse traditur: qui cum à Carthaginensibus in Syracusana urbe obsideretur, bellum in Africā transferens ciuitatem Carthaginensem obsedit. Nec dissimile fuit prudentissimi Scipionis Africani facinus, qui exercitu in Carthaginem ab urbe Roma abducto, pugnacem Hannibalem Romanos in Italia diuturno bello uexantem, ad suos proprios lares defendendos redire coëgit. Commisso in Dania prælio, Vffo nec uictus, nec uictor in Suetiam reuersus est. Hadingus

autem hyeme transacta, & uerni temporis calore redeunte, iratis sibi numinibus Suetiam tetro omine repetit, ibiq; lustrum infelicissimè militando confecit. Nam cum se sentiret Vffonis uiribus imparem, ad syluarum angustias, montiumq; & uallium saltus, ac latebras confugere cogebatur: ubi ab Vffone pertinacissimè obsessus, nec in bellum progredi, nec in Daniam regredi permittebatur. Quo euenit, ut ipse, & milites eius post tam diuturnam obsidionem, consumptis alimentis, ad ultimam miseriam redacti, primum syluestribus fungis & graminibus famem lenire cœperunt: deinde radicibus, corticibusq;, & herbis usq; ad nigrescentem terram consumptis, catorum canumq; uiscera ferro rimantur: quibus non suppetentibus, ad immunda equorum cadauera famelicorum rabies ferebatur: tandem equis, felibus, muribus, omnibusq; abominandis morticinis, quæ reperiri poterant, sordidius quam delicatius absumptis (pro nefas, ut ipsorum Saxo testatur) infelix illa infelicium Danorum ingluuies ad humanas carnes extremam famem propulsura conuertitur.

Itaq; complures eorum qui ab hostium ferro hactenus intacti fuerant, domestica framea mactati cibus fiebant cæterorum. Quæ igitur maior infelicitas obsessis Danis residua esse potuit, quando seipsos mutua cæde interemptos deuorarent? Quocirca non ab aliquo nocturno spectro carmen illud, quod Saxo inducit, Danis in extremas desperationis angustias compulsis, nocte media inculcatum fuisse existimo, sed à prudente quopiam monitore, qui Danorum imprudentiam ab impugnanda Suetia deterrere conatus est, quando sic afflictis Danis improperando loqui uidetur:

Terra uos patrios fortuna linquitis agros,
Et facilè hoc regnum uestro succumbere bello
Creditis: ast cæca hæc mens est, quæ talia credit.
Marte quati nescit latissima Suetia, Marti
Vos dabitis tergum, timor & fuga uos comitetur.
Nec uobis timidis gladiorum competit usus.
Libera uos cædet manus, & cædem geminabit.

Quod præsagium crebra Danorum strage non solum sequentis diei, sed multorum frequentium seculorum euentus impleuit, & quando necesse fuerit, amodo implebit. Mirum potuisset uideri, quòd Sueones ipsos Danos tam importuna & diuturna uexatione afflixissent, eosq; ad eam extremam desperationem coëgissent, nisi multiplices iniuriæ in Vffonem illatæ considerentur. Tenebat obsessum regni inuasorem, Suetiæ populatorem, patrię desolatorem, præterea patris auiq; occisorem: cui etsi clementia parcendum uoluit: tamen pietas erga parentes iniustè necatos uindictam postulare uidebatur. Igitur Hadingus postq; comperisset Vffonem pertinacissimo odio sibi insidiari, nullamq; aliam rem in uotis habere, quam suum caput & uitam, nocturna eruptione & fuga se saluans, concessit in Helsingiam: à qua demum per Noruegiam, superatis multis magnisq; periculis, peruenit in Daniam. In qua constitutus sensit sibi denuo bellum à Biarmiensibus præparari, duce quodam Tumingo ab Vffone ad id excitato: ex quo quidem bello, quia numinum suorum instructione ordines militares disponere didicit, uictor euasit, atq; potitus uictoria in metropolim Vpsalam se recepit, ut per colloquij simulationem Vffonem opprimere posset. Sed Vffo periculum præsentiens, illud in autores retorsit, Hadingo tam à noctis habitu, quam à syluarum latebris præsidiũ accipiente: è quibus denuo erumpens, Vffonem per insidias adortus oppressit: cuius corpus frater Hunningus amplissimo funere elatum apud Vpsalam in Regalibus monumentis sepeliuit.

Hunningo in locum defuncti fratris Vffonis succedenti prima cura successit, quod in Hadingum arma paranda essent, tum quod fratris & parentum occisor esset, tum etiam quod consueta sua importunitate uacanti regno præfici conaretur. Sed cum Hadingus recenti memoriæ subnecteret, quas calamitates in superioribus annis & prælijs ab Vffone sustinuisset, facile (ne in easdẽ aut maiores rursus incideret) permisit se ad eas conditiones per ęquos arbitros adduci, ut Hundingus paternis auitisq; regnis pacificè frueretur, promissa Hadingo, & mutuo ab eo accepta fide, quod inuiolabilem pacem amicitiamq; inter se usque ad ultimum uitæ spiritum conseruarent, nec aures aut animum illis accommodaturi essent, qui inter ipsos fœdera rumpere, odia serere, concordiam labefactare molirentur, sed alter alterius commoda, honorem, quietem, dignitatem, autoritatem defendere, & ampliare curaret. His pactis inter tam potentes Reges firmatis, quot præclara facinora secuta fuisse putamus, quæ longè digniora sunt ab eruditis & pijs ingenijs considerari, quàm arma, gladij, rapinæ, & huiusmodi uitiorum monstra, quæ bellicas furias comitari consueuerunt? Accessit in primis illa filia pacis, uidelicet legum ueneranda potestas, quæ secum omnia iustitiæ officia adduxit, à quib. nec animi fortitudo, nec in rebus bene gerendis prudentia abesse potuit:

quæ

quæ etsi omnibus syderibus pulchriores sunt, tamen eo tempore, quo Mars cum sua Bellona dominatur, ita cõculcantur, ut nec uestigium earum usquam appareat. Quocirca reddita terris pace, redit ille speciosissimus omnium uirtutum chorus, inter quas haud infimum locum habuit illa togata transquillitas horum duorum Regum, quorum constantem ac perpetuam amicitiam nulla uetustas aboleuit. Siquidem inter eos ita conuentum erat, ut alter alterius fato comperto mortem sibi quantocyus accelerarer, ne absq; comite solus ad infernas sedes properaret.

De indiscreta familiaritate Principum erga contubernales, aut seruos.

CAP. XXXIIII.

OCcurrit deinde alius casus, iustiori forsitan censura ridendus, ac damnãdus. Gothi in primæua patria Regem habebant, Fliolmum nomine: cuius uirtutes paucę, uitia uerò multa numerabãtur: inter quæ primum locum habuit nimia familiaritas apud suos seruos: propter quam Augustus Cæsar Iulium auunculum teste Eutropio, acriter arguebat: quòd milites, commilitones nouo blandoq; more appellasset, quando enim affectebat charior fieri, autoritatem Principis emolliuit. Fliolmus uerò milites suos indulgentius, quàm prudentius tractans, non solum commilitones, sed combibulones suos effecit, quotidianoq; conuictu ad exemplum Saturnalium festorum (quę seruos dominis in mensa coęquant) una cum eis comedere, & in longam noctem potare, utile honestumq; putauit: quo nimirum sub termino uitæ suæ expertus est, ut honestate uacuum, ita neq; ullam utilitatem afferre potuisse. Cum enim solito, & turpi more noctem cum eis potando deduceret, ac ipsis ebrietate suffusis, in ingens dolium cereali liquore repletum, quod pro explenda bibacium gula, aulæ in medio collocatum erat, per ludibrium præcipitatus interijt, relicto ad posteros Principes exemplo, ac documẽto, quòd quamuis fideles serui diligendi, iuuandi, promouẽdiq; sint: attamen à nimia familiaritate (quæ contemptum parit) prudentius coërcẽdi: ne uetus prouerbium, Ne quid nimis, frustra scriptum uideatur. Quocirca Reges & Principes attendant, ne ulli se tam familiares unquam præbeant, quin possint, si opus fuerit, eis sine periculo adhibita ratione succensere, aut sine rerum mutatione, sua securitate gaudere: imò cum amicis, & familiaribus ita uersandum fore, ut cogitemus eosdem aliquando inimicos nobis fieri posse. Præterea attendenda sententia est,

Nulli te facias nimis sodalem,
Gaudebis minus, & minus dolebis.

Hic erat exitus bibacis Regis admodum ridiculus, quem commemorãdo non minore rubore perfundor, quàm Saxo Danicus, quando cogitur suorum Danorum ebrietates ad memoriam reuocare, inductis uerbis equitis Britannici, qui asserit Danos facilius uitam, quàm uinum deserturos.

Reliqua de isto Fliolmo, quando scilicet & quomodo ad regia sceptra peruenerit, habes ex histo. Ioan. Mag. lib. 7.

Fliolmus, quem alij Siolmum uocant, in regno Gothorum iterum à Suetia diuiso, consentientibus Gothiæ proceribus, ad Regia sceptra sublimatur. Osteno nanq; subita fati uocatione, & sine liberis defuncto, suborta est inter utriusque regni proceres de nouo Rege substituendo controuersia: ob quam necessarium & opportunum uisum est, duos potius eligere Reges, qui se mutuo fœdere consouerent, quam per discordiam in apertum & perniciosum bellum prosilire. Igitur Suetia Attilum, Gothia hunc Fliolmum eligente, parum minus quadraginta annis distinctis Regibus gubernabantur. Imperabant medio tempore Gothis Reges sex, Sueonibus uero quatuor. Primum igitur illos sex, deinde reliquos quatuor breuiter perscrutemur. Quippe ut breuissimo tempore regnauerunt, ita nobis de suis gestis parum admodum reliquerunt, quemadmodum hic Fliolmus, cuius uirtutes paucas, uitia uero plura inuenio.

De diuersitate, & forma uasorum.
CAP. XXXV.



VAria uasorum genera, ut sunt æneę, seu cupreæ amphoræ, satis iusta magnitudine & multitudine reperiuntur apud Aquilonares: quę quidem uasa ut fortia sint oportet: tanta enim ingentissimi frigoris, & durissimi tactus hominum uis est ut nusquàm mollia uasa, aut fragilia uitra infracta seruentur, ut infrà de ritu epulandi dicetur. Præterea pelues, æneæ ollæ, mortariola, ac lauachra diuersarum figurarum: demum stannea uasa, & hæc plerunque exotica, ut Anglicana: quę negotiatores propter naturalem duritiem, et splendorem, nisi crimine falsi arcerentur, pro argento diuendere possent. Quòd autem ęnea, cuprea, aut ferrea sunt omnia, etiam alię rationes prę ter hyemis rigorem adsunt, nempe ut penes ignem pro liquoribus conficiendis, ne cōgelentur, pro tempore maneant, aut reponantur. Prætereà quia cæteris durabiliora sunt, ut numero dotis computentur. Et demum, ut per sobolem ad hæredes, ac tempore belli in terra custodiri, & pro arcenda fame, ac comparandis frugibus agrorum seminandorum, distrahi ualeant, tanquam argentea suppellex, diligentius custodiuntur: imò nisi potentissimus hostis aliter repressus fuerit, argenti oblatione placatur. Vasa uerò fictilia, quia liquore plena, glacieq; constricta, citissimè rumpuntur, in arte, aut usu non sunt, nisi quæ per mare quæstus causa à Germania afferuntur: similiter & uiridia uitra, cæteris fragilibus fortiora. Sed adhuc fatendum est, ollas reperiri lapideas apud Occidentales Gothos, et Meridionales Noruegos, quemadmodum Romæ uidentur in Agone uenales: quæ tantam uim ebullitionis ab igne super petram, uel frigidos cineres retinent, ut superuenienti inspectori appareant sine foco bullire: talíq; spe nonnulli Iuthones, seu Cimbri, decepti sunt: qui ut cibos sine lignis & igne decoquāt, huiusmodi ollas hilariter comparare festinant, gens alioqui in fictionibus ingeniosa. Sunt & uasa instar Regij diadematis, seu coronæ ex crispatis arborum radicibus subtiliter elaborata: quę uoluptatis causa solennioribus conuiuijs ad bibendum applicantur, uulgaríq; uerbo Kosa dicuntur. Prætereà aliud genus uasorum deauratis labris, & pedibus, è gryphonum ungulis bonam liquoris quantitatem tenentibus, fabricatum. Item scyphi, seu crateres argentei, lata forma (qui Schala dicuntur) ad modum cranij humani: qualem Albouinus Rex Longobardorum de cranio Cunimundi Regis Gepidarum, teste Paulo Diacono, craterem multo auro distentum, fabrefieri iussit: quo & in splendidis festis usus est: & demum Reginæ suæ insidijs interemptus, suum quoque cranium forsitan tradidit pro poculo deaurandum.

De ritu ueterum epulandi.
CAP. XXXVI.

VEtusto tempore (ut superius lib. 5. de pugilibus & gigantibus) qualem ritū epulandi habuere maiores, satis integrè uidetur ostensum, ac insuper hoc loco nonnihil exactius ostendendum. Sed ultra autores ibi allegatos, etiam accedit clarissimus autor Græcus Athenæus, qui Aquilonaribus populis eo tempore, & loco uicinus, ac Posidonius, Cornelius Tacitus, & similes, qui de antiquorum epulandi ritu plurima meminere in hac forma: Apponebant, & graminibus

prius



prius sternebãt ligneas mensas, paulum à terra eleuatas. Nutriebant autem modico pane, ac plurima carne in aqua elixata, ac carbonibus & uerubus assata: quam quidem non fastidiose apponebant, sed ambabus manibus eleuãtes, membratim manducabant. Dum uerò caro separatu difficilis fuerat, exili cultro eam discinderunt: qui culter & cum uagina in propria lance circumferebatur. Pisces quoque apponebant consuetos fluminibus marinis: quos sale, aceto, ac cymino assatos condiebant: quibus & ad potum utebantur. Oleo uerò non fruebantur, ob rarum eius usum: nam ob desuetudinẽ, oleum eis iniucundum uidebatur. Quando autem multi simul cœnabant, circuli instar consedebãt: in medio uerò corypheus præstantissimus, quemadmodum coryphęo conuenit: qui ab alijs differt, uel uirtute belli, aut genere, aut diuitijs. Inde ex utraq; parte, iuxta dignitatis ordinem & præstantiam, quam consecutus erat quilibet, sibi inuicem succedebant. Hi simul clypeos armatos à tergo sustinebãt. Satellites autem illorum è regione in modum circuli, quemadmodum & domini, conuiuabantur. Hæc Athenæus. Procedente uerò tempore, uti cultus hominum redditus est ornatior, & ciuilior: ita & luxus in rebus, & abominatio in moribus cernitur introducta: & hac appellatione ciuilitatis incessanter ostenditur, ut nihil antiquæ, sed probatæ simplicitatis ad uitæ compendium uideatur esse relictum. Nec opus est longa nomenclatura eos tortores, uel eorum instrumenta adducere, quibus angustissimus uẽter extenditur ad cruciatum. Olim Septentrionalibus populis, uti prædictum est, erat una suauis, & amœna, ac secura in edendo, bibendoq; simplicitas: quæ sanos, robustos, fortes, prudentes, & strenuos, in militaribus præsertim exercitijs, efficiebat: nunc autem peregrinis farcinatoribus, & coquis accitis, ea morum qualitas in uentrem introducta est, quæ adeò effrenem lasciuiam generat, ut sobrietate (quæ uirtutum custos est) lacessita, nihil utile, aut rectum corde cogitare poterit, aut inchoatum augere, uel manibus operari.

De ritu bibendi Septentrionalium populorum. CAP. XXXVII.



NEc displicet curiosis inspectoribus interpretationem admittere, qualis sit modus Septentrionalium gentium in bibẽdo. Inprimis, quòd religiosum sit stando pro reuerẽtia numinum, ac principum bibere, & quasi in agone per sudorem contendere, quis uno, uel altero, uel multiplicato haustu amphoram euacuet capitolinam, hoc est ingentem mensuram: qualem Imperator ille Gothus Maximinus, inter deuorandum 60. libras carnium, alacriter hausisse uidetur, uelut alter Vitellius, qui integram auium uenationem, alterũq; peponum latissimum campũ unico pastu absumpsit, & forsitan Milo aliquis, unius bouis comestione satietatem non relinquens. Sed transeant illa tanquam sparsa in gurgite spatioso. Videntur itaq; in mensa (suprapositæ imaginis) quasi coronati sedere, ac tali forma uasis potare: quod forsan inexpertis generare posset admirationem. Sed mirabilius esset longo ordine intueri ministros quasi cornutorum ceruorum pastores gregatim incedere, ut ea uasa cereali liquore repleta, propinent conuiuis. Sed neq; his contenti cærimonijs, etiam contendunt monstrare sobrietatem, ut uase tam alto, repletoq;, nudo capiti superposito, choream gyrãdo reducant: similiter & alia uasa manibus utrisque allata, uino, ceruisia, medone, aut mulso, uel musto repleta, conuiuantibus ad æquales haustus exhibeant epotanda.

Nec excusatio opponi solet, quòd in tali certamine prouocatus non exeat uictor: ut sententia Platonis lib. de legibus, bonus socius, & illustris appellari mereatur. Bonũ socium Plato appellat, qui bibẽdo, & iudicando nouit euitare ebrietatem.

Adhuc de uasis diuersarum prouinciarum.
CAP. XXXVIII.

CORnuta uasa suprapo sita, Finlandensium Aquilonarium artificiosa opificia sunt, Kosaq; (ut prius dictum est) appellantur. Nec eis naturæ, uel artis honor, & decus abest, cùm ex pulcherrimis abietis radicibus, ijsq; crispatis, intus cauatis, ac foris figurarum uarietate ornatis, formantur, imò & arte aurearum laminarum, siue alijs pretiosis coloribus depicta, sui decorem & affectum excitant, ut carius redimantur. Fiunt etiam ampla, sed rotunda uasa, ac oblonga pocula, è radicibus betulæ maculas discolores habentis, imò facies animalium, auium, atque aliarum imaginum, in una massa distinctas, miro naturæ artificio fabricatas: quibus uernisa linitis, ualde delectabilis color, ob discurrẽtes uenas, crispasq; lineas superadditur, ut aureo decori comparari uideantur. Isq; mos est pręcipuus apud certas prouincias Vestrogothorum, Kindia, ac Marchia dictas: ubi peritiores in opere tornatili artifices, quàm alibi in cũctis regionibus Aquilonis, reperiuntur. Eo nanq; quæstu pro maxima parte uiuunt, sicq; alterna æmulatione ligneorum uasorum, pulchritudinis inuentione contendunt, quemadmodum uitrifices in Murano Venetiarum. Miraculo etiam deputatur, quando tabulę radicum cupressini ligni, caudam pauonum distinctione colorum imitantes, uoluptatis causa à Prælatis ex Italia redeuntibus, in Aquilonem comportantur. Vitrorum autem uel nullus, uel rarissimus usus est in mensis illarum gentium, ob excessum ebriosorum: qui uoluptatis loco ducerent, perfringere uitra: quorum fragmenta neruos incidentia, nedum brachio incurabilem defectum ingerunt, sed præsentissimam mortem. Non ita in poculis abietinis: quorum duas decadas uno ictu perfringere solent.

De pœna potatorum.
CAP. XXXIX.



QVia facilis huius tituli, figurę q; apposite interpretatio aspicientibus ostenditur, exigua interpretatione indigere uidetur, cum temulentus, teste Platone, bis puer sit: ipsaq; temulentia cæde non consequente, pœna est digna, quantò magis si ea consequatur? Et quia aliqua ratio non admittit, ut quis se inebriet, multominus in exercitu militari, ubi capite, & cerebro, imò ratione turbata, temulentus ignorat, quem armis inuadat, dominum proprium uel imperterritum hostem: ideoq; hoc loco inusitata impalationis pœna, duobus Massagetis infligitur: quia hominem de ebrietate eos irridentem, interemerunt. Nam omnium maximè uino dediti Massagethæ sunt, manu ob id feroces, ut Parthi: nimio uino frequenter epoto, sunt ore fœtentes, Galli petulantes, Germani rixantes, Gothi rebellantes, ac Finni plorantes: & forsitan ebrius quisq; omnibus his uitijs deprehensus, uti turpissimus, & sordidissimus est, ita digna pœna mereatur affligi. Sed hac in parte cum serio non agatur, quomodo puniri debeant ebrij, arces & mœnia seruaturi, ac Principem & totam Reipublicæ summam perdituri: uerum

uerum qualiter stupidi, ignaui, garruli, nugaces, qui noctem crapulando uertũt in diem & econtrà, ut celerius compotationes expediant, sint corripiendi: ne cũ dormire, uel potare, uel silere, uel abire noluerint, ad rixas, & cædes, ac homicidia se conuerterint: tunc lege sociorum constitutum est, quòd illum, uel illos successiuè collocent super sedem cuneatã, ut funibus in altum leuent, cornu bene magno in manibus ceruisia repleto, sedenti dato, ut celerius ebibat, uel anxiè resideat in ea acuata sede, atq; experiatur artem hanc cõstare legibus ordinatis, & quæ sequuntur in prodigio uentris, & gulæ. Aurea fuisset lex ista, si dudum in Latio tempore portentosorum uoratorum, & potatorum ordinata, seruataq; fuisset.

De externis exemplis.
CAP. XL.

ACcedit adhuc alius (teste Sabellico in uita Aureliani) insatiabilis, & portentosus uorator Phagon: item Clodius, & Albinus autore Suetonio. Præterea Firmus, & Bonosus bibax: de quo (Paulo Vopisco teste) Aurelianus dixit, Bonosum natum, non ut uiueret, sed ut biberet. Tandem suspensus, dicebatur non homo, sed amphora pendere: quod & Sabel. lib. 7. Enne. 7. pariter attestatur. Imò Volater. lib. 32. cum sequẽtibus complurima dicit, & ante eum Plin. lib. 14. cap. 22. qui testes sunt Gothos, Germanosq; reputari excellentiores potatores, & ideò frequentius cæteris gentibus inebriari. Sed nec Ouidius hæc ignoraſſe uidetur, dum ait:

Ille mero somnoq; grauis, titubare uidetur.

Et fortè eò uehementius, quo potus ipse calidioribus excitatur incrementis, ut zinzibere, cinnamomo, ac gariophyllis, cum admixtione butyri: quorũ omnium infelicissimus uenter expectat seditionem, & cruciatum, solo somno, uel abstinentia reparandum. Quid autem Beroaldus Commen. 5. Tuscu. Quæst. de ebrietate Gallorum commemorat, inter alia sat est unum adduxisse, quod uidelicet, farti, ac sepulti Baccho, uinum nocturnum edormire non possint, nec orientem solem aliquando, nec occidentem contẽplari. Et ita qui corpori seruiunt, nunquàm liberi erunt, donec è medio subtrahantur, quemadmodum iussu cuiusdam Regis Septentrionalis quidam uorator illico suspensus est, cum diceret se Regibus, & Principibus pro spectaculo gratum fore, quod singulo die escam decem hominum deuorare posset, nec laborem honestum pro uno complere.

De turpissimis speciebus ebriosorum.
CAP. XLI.

PEr temulentiam quanta orbi mala illata sunt, neq; hac exigua pagina, imò nec uoluminibus grauium autorum usquam sufficienter exponi potest. Nec mirum: quia tanta solertia præter liberalem uini naturam reperta est, ut & arte mutato latice, calidisq; speciebus adiunctis, excitetur in homine uoluptas insatiabilis in bibendo: quæ consuetudinem adauget, & auiditatem, & illa necessitatem, ut quanto plus biberit, tanto plus sitire cogatur, prout Scytharum legatis imputatur: licet (Plinio attestante lib. 14. capite ultimo de Hispanis Gallis, & Aethiopibus loquẽte) nulla mundi parte cesset ebrietas: quæ & has ubique ineptias, & operationes habet, quod hominis mentem mutet, ac furorem gignat, ut nec sui, nec alterius respectum habere poterit in inferendo grauissimo dãno: quod sobrietate gubernante, nunquàm attentasset. Præterea mille scelerum species, admissa ebrietate, imo detestanda malorum irritamenta, & turpior effectus, quàm impura imaginatio præmittit, excogitantur, & committuntur inimica scilicet, exercitatio, scurrilis improbitas, uolutatio in cœno cum porcis, fœtidus an-

dus anhelitus ut cadauerum: insuper & uomitus cum canibus, uisusq; uertiginosus ut hircis. Demum ut uerbis Plinij utendum sit, alius quantum alea quæsierit, tantum bibit. Tunc auidi matronam oculi licentur, tunc graui produntur marito, tunc animi secreta proferuntur: alij testamenta sua nuncupant, alij mortifera loquuntur, rediturasq; per iugulum uoces non continent, quàm multis ita interemptis: uulgoq; ueritas iam uino attributa est. Hinc pallor, & pendulæ genæ, oculorum ulcera, tremulæ manus, effundentes plena uasa, furiales somni & inquies nocturna, portentosa libido, rerum omnium obliuio, morsq; memoriæ, & abbreuiatio uitæ. Attamen rapere se ita uitam prædicant, cum priorem diem quotidie perdant, alij præsentem, & uenturum, lege seruata non labasse sermone, nec leuatum uomitione, aut alia corporis parte, optima fide bibisse, in hauriendo non respirasse, neq; expuisse, nihilq; ad elidendum in pauimentis summum ex uino reliquisse ne fiat fallacia legi. De talibus etiam Plato lib. 34. pro leuanda turpitudine ebriosorum, & stupidis ineptijs, plurima scribit. Prætereà post eum plurimi clarissimi uiri, indignum putantes, hominem tam perniciosa uoluptate, uel sordida arte in brutum uerti, De arte bibendi extat cuiusdam Germani Vincentij Obsopœi, opus elegantissimo carmine conscriptum.

De Personatis, seu Mascharis.
CAP. XLII.



NOn breuis, aut exigua huius figuræ interpretatio fieret, si stultorum hominum laruas (Italicè Mascharas appellatas) tempus, aut pudor, tanquam uanissimam curiositatem admitteret extendendas: imò nec carri, nec nauigia ea uolumina euehere possent, quæ orbe condito in hac materia ad refrenandam hominũ stultitiam iudicio sapientum sunt conscripta, adeò quod ferè quæuis natio, Latina, Græca, & Barbara, sicuti peculiaribus est obnoxia uitijs, & (ut dictum est) inebriari solet, ita malorum usuum fideles consequitur increpatores. Cum autem frequentius quàm utilius, etiam à magnis hominibus ex me quæsitum fuerat, an mascharis utantur durissimi incolę Septentrionis. Sed responsione habita, facilè norunt, stultorum esse infinitum numerum: ideoq; ibidem in suo genere & numero stultitiam fore ampliatam: & forsitan eò simplicior, ac purior, quo signis cœlestibus Cynosuræ, Caudæ bouis, & similibus, in omni grosso edendo spectaculo sunt subiectiores, quemadmodum alijs maiori uersutia & fatuitate prędítis euenit, qui calidis regionibus sunt uiciniores. Igitur cum depictæ, subtilesq; maschararum facies, ob artificum inexperientiam, in Aquilone fieri nequeunt, nobiliores fatui atro serico faciem obnuptam uariato corporis uestitu, superadditis aureis zonis, & argenteis cingulis, uoce mutata, amicis scrutandam ostendunt: eorumq; exemplo reliqua fatuorum turba diuersitate formarum (Ouidiana Metamorphosi descriptarum) furit & insanit, pręcipuè tempore Bacchanalium societatum, quo unicuiq; iuxta suam conditionem pulchrius fore uidetur in suo genere insaniendum: ut laniones in cornutis boum, caprarumq; capitibus, uoce eorum simulata, uel suillo grunnitu: ita & piscatores retibus extensis, ut monstrent pisces: & sic de reliquis cunctorum ciuium exercitijs, alacriter fieri solet. Soloq; sex dierum spatio ante initium quadragesimæ de permissione magistratus hac utuntur licentia, & libertate. Neq; genus hominum inter laruatos mascharos est, quod petulantius turpitudine fœminearum imaginum se uestit, quàm exotici



exotici pictores: qui etiam extra hoc tempus lascivas mulierum formas turpitudi ne aperta depingentes, odio, & ostentui habentur incolis: qui nunquam hac inspe ctione letantur. Sunt enim pudore bono, & uerecundia casta firmati, ut nunquam hanc Diogenis Cynicam sectam sequantur. Miserrimi ergo arbitrãdi sunt in aliis terris, qui supremam quasi uoluptatem habent in inspectione nudarum imagi num fœminei sexus: quasi interior caro non sufficeret in deiiciendo homine in mille tentationes, fragilitate sua tandem collapsuro, nisi & externę augerentur prouocationes.

De diuersis modis coquendi salis. CAP. XLIII.



QVam uarius, & inusitatus modus co quendi salis seruetur apud Septentrionales populos, sequẽtibus indiciis exponetur. Noruegiani littus Oceani inhabitantes, sal decocturi, findunt cauantq; longissimas pinus, uel abietes, restibus for tissimis, quasi circulis eas iterum numero sufficienti resarcientes: atq; saxis alligatis, illas in profundum, foraminibus in arborum extremitatibus, ut salsior aqua ingrediatur, relictis immergunt, canale propius quo poterint, iuxta littus pluribus officinis extructis obfirmantes, unde aqua è profundo ingressa, extrahi possit, atq; in caldare supposito igne lento, transfundi, decoqui, & in sal conuerti. Quod hyeme coquitur, firmius est æstiuo sale: quia hoc molle, & fluidum: aliud uerò asperum reperitur. Et licet in hoc regno Noruegiæ tam ad domesticum usum, quàm quæstuosum extraneorum lucrum conficitur, & emittitur: tamen ita insulsę sunt carnes, & pisces, ut uel opera data id fieri credatur, uel tanta inclementia cœli syderumq; uideatur, ut nusquam non semiputres habeantur. Apud Sueones uerò, siue Suecos, & Gothos, nulla fit decoctio salis: non quia è fundo maris extrahi non possit aqua salsa, sed quia gens aliis rebus abundans, facilius exoticum sal comparat, quàm superfluis expensis id decoquat in littore suo. Aduentu enim grandium nauigiorum Hollandiæ, ac Germaniæ ab Hispanicis, & Gallicis, ac Britannicis portubus, Vlysbonico præsertim & Brouasio portu, sal acceptum iusto pretio uenundatur. In Polonia uerò montes profundissimi salis sunt, præsertim in Vielisca, & Bochna: ubi uidendi causa M. D. XXVIII. quinta Ianuarii, transcensis 50. scalis fui, & uidi in profundioribus locis laboratores nudos, ob calorem, ferreis instrumentis eruere opulentissimum thesaurum salis, ueluti aurum & argẽtum ex mineris inexhaustis. Vidi etiam, & allocutus sum pulcherrimam ac prudentissimam uirginem Heduigem, optimi Regis Sigismundi primi filiam, omnibus prædictis diuitiis meliorem, & sublimiori imperio digniorem. Aurum itaq;, argentum, & reliquas res pretiosas cuncti immensurabiliter arripere cupiunt: sed nemo est, qui non desiderat salem inuenire: & meritò, quando isti debet omnis cibus, quòd poterit gratissimus æstimari.

De difficultate aduehendi salis in Aquilonaria regna. CAP. XLIIII.

AT ubi inciderint maritima bella in Balthico mari, ut defectu salis uideantur ab hostib. premi posse Septentrionalia regna, tũc arte quęsita domesticũ sal conficiunt,

conficiunt,ne ea penuria suam libertatem subijciant inimicis. Vt tamen id expeditius,etiam ad perpetuum lucrum, continuè efficerent incolæ Norlandiæ, id est, Septentrionales,R.D.Io. Magnus Gothus Archiepiscopus Vpsalensis, charissimus frater & antecessor meus,aliàs M.D.XXIII. Hadriani 6.Pont. legatus, & demum Electus,euolutis duobus inde annis, Vpsalensem diœcesim uisitans, proprijs suis sumptibus,emptis scilicet & datis instrumentis ubiꝗ sufficientibus, modum & artem ab expertis acceptam,præcipuis in locis aptioribus incolis communicauit: quibus extunc, & in perpetuum necessario salis beneficio, quacunque imminente hostilitate, liberè & facili labore uti possent, prout etiam in alijs eius uoluminibus, & uita, ac actis, in Vpsalensi Metropoli ostendetur. Sed inexplebili auaritia quorundam mercatorum Regiæ ciuitatis Holmensis,eo compendio quæstum habentium, susurrus interpositis præualente, subitò in publicam ruinam corruit,quod tam prudenti consilio, & paterna benignitate, ac insigni liberalitate,ad publicam utilitatem synceriter fuerat institutum.Nec minor seditiosorum quorundam liuor,& furor affuit:qui ut scelera propria,rapinasꝗ, & horrenda sacrilegia impunita committerent, & defenderent, omnibus modis suadebāt, & præualebant, ut pater patriæ pro bono opere uel lapidaretur, uel in exilium (prout factum est illicò) extruderetur: in quo 20. annis exactis, in æterna patria perpetuò cōsolandus,Romæ M.D.XLIIII.moriens,ad superos est uocatus.Quocirca aliquando adhuc prouidendum erit, ne similes, uel fortè peiores ciues, in Deum contumeliosi, in Principem tacitè rebelles, & in publicam salutem & utilitatem crudeles,sic proprijs inhæreant commodis,ut successiuis annorum curriculis regnicolas tantis naturæ donis & bonis, in proprijs prouincijs & domibus priuent,& diuitias astuto commercio partas, ad regni hostes(prout sæpe compertum est) emittant.


De maxima copia butyri.
CAP. XLV.

TRanscurrendo singulas prouincias Septentrionalis plagæ à 52.usque ad 84. gradum eleuationis poli Arctici,ubiꝗ propter fertilissima terrarum pascua, & armentorum abundantissimos greges, maximam butyri copiam reperire licebit:non tamen ęquali uirtute, tum propter salis uarietatem,tum etiam propter floridiores, ac tenuiores herbas, longè à seinuicem distantium prouinciarum nutritiuas. Vbi enim pascua sunt grossiora, saleꝗ butyrum conditum grossiore,eius efficaciæ non est,ut alterius conditi in pascuis herbarum minutarum. Modus tamen conformis est omnium regionum uel sale grosso, uel tenerrimo & candido, multa magnorum uasorum millia negotiatoribus ultramarinis uel pretio,uel rerum commutationibus,nisi Regio edicto (instante, uel flagrante bello) prohibitum fuerit, distrahendi uel uenundandi,quemadmodum in annona,lardo,atque alijs necessarijs nutrimentis, ne hostibus afferantur, caueri solet. Insula præterea est Meridionalis Gothiæ,Oelandia appellata,ubi aeris salubritas cum pinguis arui fœcunditate consentiens,herbas producit dulcissima qualitate conditas: quarum pastu uaccarum turba saginata,lac tanta salubritate conficit, ut quibus multa medicorum auxilia uel consilia prodesse nesciunt, solus uideatur potus ille è butyro expressus, optabilem afferre sanitatem:hocꝗ butyrum tanquam aromaticum, & cæteris omnibus salubrius, appretiatur.

De



De magnitudine, & bonitate caſeorum.
CAP. XLVI.



SI Parmenſis, aut Placentina, uel aliæ terræ, ac uillæ Longobardorũ de magnitudine, multitudine, ac utilitate caſeorũ ubiq; commendari poterint, profectò origini ſuę natiuæ, ſcilicet Scandianæ peninſulæ, & præcipuè regioni Veſtrogothorum in regnis Septentrionalibus, gratias ſunt acturæ. Hi enim Veſtrogothi ſuper omnes incolas Aquilonares maximam commendationem obtinent, quòd nulla gens illis ſimilis eſt in confectione caſeorũ: quod prouenire uidetur ex uberrimis paſcuis: in quibus & militares equi, fortes, alti, & robuſti, bouesq; proceri innumerabili multitudine procreãtur. Caſeos itaq; tam magnos plerunq; conficiunt, ut duo ualentes uiri uix unum ad breue ſpatium deferre poſsint. Virorum tamen manu & arte nunquam fiunt, ſed mulierum: quæ uicatim ex pagis uicinioribus, adducta lactis multitudine, æſtatis tempore in domo uolentis caſeos coagulare, confluentes, magnis caldaribus lac calefactum adhibito coagulo ligneæ formæ, quadrangulari præcipuè, imprimunt, caſeolosq; aliàs ſole aëreq; ſiccatos, in particulas comminutos, eidem lacti quaſi feruenti imponunt, ueluti fit in grandibus muris, qui lapillorum & cementi infuſione cõpactiores exurgunt. Nec uir quiſpiam huic operi fœminarum intereſſe meretur, etiam ſi precibus hoc impetrare conaretur. Habent enim fortiſsimæ mulieres illæ diuiſa exercitia domeſtica ſeorſum à maritis, in quibus illi ſeſe nunquam intromittunt, ut nere, texere, panes & ceruiſiam coquere, cibos parare, & proles ornare, ac ueſtire, lectosq; & tegmina aptare, & agnellis, uitulis, aliјsq; minutulis animalibus prouidere: ubi uiris grauiores incumbunt labores, ut agros colere, meſſes triturare, equos domare (quod & fœminæ plerũq; faciunt) arma acuere, atq; ſepes agrorum, aratraq;, & agros diſponere. Oſtrogothorum uerò caſei lacte pecorino in maxima multitudine formati, mira commendantur bonitate: ita & ſuperioris Suetiæ, præterquam apud Helſingos, & Noruegianos: qui caſeos quaſi putres habentes, uermium ſcaturigine, & repletione uiſa, lętantur in eorum bonitate: imò exeſa interiori ſubſtantia, eorum corticibus loco clypei, inſtar indurati corij, utuntur in bellis. Eſtq; caſeorum laudatiſsimus ſapor apud Finningos, qui conſpicuos eos multorum millium pondo faciunt è lacte caprino: quibus laudem augẽt, & ſaporem, ſubmiſſo paululum myrtino fumo, ut ſine uermibus ſeruari ualeant ad plures annos, præſertim in obſidionibus (ut prius dictum eſt) caſtrenſibus tolerandis. Meminit Plin. lib. 11. cap. 43. Soroſtrem in deſertis caſeo uixiſſe uiginti annis, ita temperato, ut uetuſtatem non ſentiret. Apud Septentrionales ſcilicet Veſtrogothos, naturę beneficio ita temperati ſunt, ut aromaticis ſpeciebus ad ſenium uergentes, redoleant cum gratiſsimo ſapore. Talibus etiam utuntur nautæ, dum tempeſtatibus, ne alia coquant, arcentur ab igne.

De ponderibus, & menſuris.
CAP. XLVII.

DIctum eſt ſuperius de ritu Bothnienſium, ſiue gentis Lapponum, quomodo ſyncera fide & æſtimatione, numeros, pondera, & menſuras ignorantes, in rerum commutationibus uiuunt: hic uerò Sueonum, Gothorumq; modus oſtendetur, quo tutius uiuere, & iuſtius mercari uidentur: & hoc quia



uiciniores sunt hominibus alienigenis, ut sunt Dani, & Germani: qui ab Australioribus Hispanis, Gallis, Flandris, & Hollandis, siue Batauis, nimis acutam literaturam, & negotiādi astutiam (utinam seclusa fraude) didicerunt. Rebus ergo communioribus distrahendis, numerus, mensura, & pondus deputantur: numero, scilicet pelles pretiosæ per modum decadum diuendendæ, sicut & species quorūdam piscium Stocfisck appellatorum: de quibus infrà de piscibus multa dicentur. Imò & numero uaal, last, & cast halecum comprehenduntur, ut etiam uorda mulorum marinorum, & lapidum coctorū, ac lignearum tabularum, & trabium pro ędificijs erigendis. Mensura plurimum utuntur frumentaria, sed lege distincta, ut alia, eaq; minor sit ciuibus & oppidanis, ob lucrum quærendum pro solutione tributorum, & muris fortificandis: sed maior ruricolis ad diuendendum: & hæc supereffluens fit in omnium frugum uenditione. Pondere autem in omnium metallorum emptione, uel uenditione, ut est argentū, cuprum, ęs, ferrum internum, stannumq;, & plumbum aliunde allatum, utuntur: & utinam hoc infelici tempore, uersum non sit in stateram dolosam, & præcipuè in pondere florenorum, ut superius lib. 6. de falsis monetis est ostensum. Pecuniæ ipsę quāuis usu celeberrimo uiles esse uideantur, scrutandum tamen est (ut placet Cassiodoro lib. 1. de sententia Theoderici Regis Gothorum, quanta à ueteribus ratione collecta sunt. Sex enim millia denariorum solidum esse uoluerunt, scilicet ut radiantis metalli formata rotunditas ætatem mundi, quasi sol aureus conuenienter includeret. Senarium uerò, quem non immerito perfectum docta diffiniuit antiquitas Vncię, qui mensurę primus gradus est appellatione signauit, quoniam duodecies similitudine mensium computatam, in libræ plenitudinem ad anni curricula collegerunt. Meritò ergo libra dicitur, quę tanta rerum est consyderatione trutinata. Ideò eam uiolans ut crudelis hostis, & ueritatis oppressor, meritò est puniendus: quia cuncta turbantur, dum ponderis, & mensuræ integritas cum fraudibus admisceatur. Hæc ille. Quod uerò congelatum est, ut in carnibus, piscibusq; deprehenditur, recta æstimatione uendentis & ementis, consensu bono acceptatur, ne pondere ematur glacies inclusa. Graue etenim scelus iudicatur, aut mensuras modum excedere, aut libram æquissimi ponderis iustitiam non habere, aut pondus euanescens inter grauia computare: qui omni tempore & loco congruit, ne alter alterius lætetur incommodo.

De Textoribus, & Pictoribus.
CAP. XLVIII.



TExturis lineis laneisq;, Aquilonares fœminæ miro ingenio callentes, incumbūt, exceptis Lapponum mulieribus quæ ex neruis animalium (ut alibi dictum est) conficiunt telas, & de pellibus diuersarum bestiarum accommodas uestes: quia in ea regione extrema, linum non crescit, neq; oues gignuntur. Vbi uerò in calidioribus locis Septentrionis linum habetur, talia fila ex eo confecta colorant, & texunt ut opus in medio Latio ingeniosè contextum iu-

tum iudicaretur. Vidi olim apud eas gentes textile opus lineum, uarietate linearum cœlestini coloris pulcherrimè elaboratum: quale demum Italiam, & Romam ingrediens, quasi una manu reperi ad similitudinem illius omnimodè per texturam factum, & ordinatum, hoc solo discrimine uiso, quòd uti Romanæ fœminæ, uel potius uiri, textores sunt ingenio uiuaciores: ita & in opere manuum reperiuntur subtiliores: & fortè quia exemplaribus insignium pictorum utuntur, ubi mulieres Aquilonares ex floribus, iride, aut frondium umbris super aquas sole splendente reflexis, excipiunt formas. Retiaria tamen intexta filorum opera, qualia uidentur in domibus Principum Romæ, facilimè reliquos orbis artifices uidentur excellere mulieres Aquilonares, dum huic exercitio, etiam illustres personæ ad euitandum otium, quasi hereditario domorum ornatui præcipua sub utilitate intendunt. Aedes enim diurno usui deputatas, candidissimo illo opere retiario, quod Spraangning uocant, totaliter etiam sub tectis, perpetua communiq; consuetudine exornant, exceptis proceribus, sericeis pannis ornantibus palatia sua: & hoc quoad thalamos, & ornatum illustrium fœminarum, ac nuptialium festiuitatum.

De ædibus magnatum diuersitate armorum exornatis.
CAP. XLIX.

INter alios ædium ac palatiorum ornatus, nobiles ac illustres uiri, distinctas à legitimis coniugibus suis mansiones habentes, parietes ferreis thoracibus, galeis, brachiarijs, ac manicis micantibus longo ordine fulciunt, & exornant: etiam loricis, frameis, scutis, & arcubus chalybeis, haud remotè pendentibus à prædictis præter uetera armorum genera, quæ ex Gellio clarissimus doctor Brunus 6. lib. De seditiosis cap. 7. adducit, seorsum ad omnem defensionem, quoties opus fuerit, custodita: ut sunt hasta, pilum, phalarica, semiphalarica, soliferrea, gesa, lancea, spari, rumigestri, faces, tragulę, frameæ, mesanculæ, cateiæ, rumpheæ, scorpius, scibones, silices, ueruta, enses, sicæ, machærę, spatæ, lingulę, pugiones, climaculæ. Veruntamē fatendum est, quòd ad omnem uel ędium, uel corporum ornatum, ac uestitum pertinentes pretiosos pannos, tam laneos quàm sericeos, quæstu negotiatorum Germaniæ, interueniente pecunia, uel rerum commutatione, sortiuntur. Ast ubi grassantibus in mari uel terra acrioribus piratis, uel prælijs, pannos huiusmodi pretiosos non obtinent: tunc deaurato, argentato, & margaritarum ornatu splendidius, quàm sericeo incedunt. E patria enim lana, etsi pannus non ita subtiliter, ut exoticus à Flandria, uel Anglia importatus, conficitur: tamen illum non despiciunt fortissimi milites, ac nobiles uiri, dum duro ferro frequentius, quàm molli & delicata lana corporale munimen attendunt. Nullum enim proditoribus ad illudendum principibus in certamine positis, aptius indicium est, quam hostibus significare, quo uestitu, armis, uel equo colorato sint euecti, quemadmodum maximus Gothorum princeps Acho Hanson rubeo holoserico (morbo Gallico laborans, & pugnans) indutus, atq; à ueteri suo familiari Dano, Laffefrost dicto, proditus, et lancea transfossus interijt, ac pleriq; spectabiles duces eius familiares. Ita & Antoninus Imperator, dum sericeis, Phœniceisq; uestibus (despecto Romano panno) indutus, prœliando incederet, infelicissimè commemoratur perijsse.

Plura de magnifico ac generoso Achone Hanson Vestrogothiæ præside rebusq; præclarè ab eo gestis supra lib. 8. cap. 40. huius operis pag. 334.

Z Adhuc

Adhuc de Pictoribus Aquilonarium regionum.

CAP. L.

QVantum ad pictoriam artem attinet, rari sunt in toto Septentrione exquisiti, uel excellentes pictores: non quia ingenio carere credantur, sed quoniam ad artem non aptantur. Naturali tamen ingenio ita quidam pollent, ut pura simplicitate picturarum, quasi monstrando elucident apertissimam historiæ, uel rerum proprietatem: uti celebris, ac clara memoria adhuc habetur de quodam Augustino Vastenensi: qui tam deuota, quàm admiranda spectacula de passione CHRISTI, & sacris mysterijs circa annos Domini M. D. ubiq; arte, & pietate florens, & moriens reliquit. Habeo tamen pro uerisimili, quòd hac corrupta ætate sensati principes illarum regionum, ut in structuris sunt magnifici, ita & in hac arte, & honestis imaginibus inspiciendis, potiusquàm in turpibus admittendis, sunt animati, exemplum à gloriosis Regibus ueteris æui trahentes: qui uirtutibus heroicis, ac clarissimis rebus intenti, nusquam deprehenduntur nudas hominum imagines, præsertim mulierum, quacunq; excellentia depictas, & suis aspectibus præsentatas admisisse, uel ut eorũ subditis ostenderẽtur, sed sub pœna permisisse. Admirabili etenim uerecundia populus earum frigidarum regionum, & castitatis obseruatione tenetur, ut ne signum quidem appareat, unde excitari poterint ad brutalem lasciuiam, & commixtionem: qualem ut curiosi quidam ac impuri statuerent, nudas, turpesq; figuras conniuente superiori potestate, sub excellentia picturarum, & admiratione artis introduxerunt: quæ licet plures honestas personas turbarunt, nunquam tamen naturalem pudorem in gente castis moribus instituta, extinguere ualuerunt, imò nec impio ferro, flamma, uel exquisitis torturis pudicitiam uiolare mulierum, aut oblatione munerũ euertere castitatem, quemadmodum superius lib. 5. in aliquot capitulis uersus finem reperitur ostensum, & sequenti lib. cap. 4.

De admirabili effectu excellentium picturarum.

CAP. LI.

CVM autem multa sint in disciplinis & artibus, quæ nullis præceptis edoceri possunt, imò etiam uix ea proprijs uerbis exprimi, quę magno ingenio sublimes uiri, alta cogitatione, diurnoq; usu adepti sunt: ideoq; recurrendum est ad intimum eximiorum pictorum opificium, qui animi affectus penicillo, umbra, lumine, ac colorum uarietate rectius exprimere, & tutius patefacere possunt. Non enim satis est, pictorem corporum tenus laborare, sed animi quoq; sensus, ut exprimat omni cura, omniq; diligentia innitatur oportet, quemadmodum plurimi (teste Plinio) alijq; artium inuentores, excellentes fuisse cõmemorantur, ita ut alij, quales foris apparerent homines: alij, quales intus uiderẽtur, in affectu declararẽt: alij lineamenta membrorũ: alij gratiam, uenustatemq; eisdem adhibuisse probantur. Imò alij tanta arte penicillorum agilitate imagines statuunt, ut nihil illis pręter spiritum desit, prout bouem uiuum ad aspectum pictę bouis asseritur mugijsse, & pictis uuis nonnullos fuisse deceptos, auesq; ad pictã speciẽ sui generis excitatas. Pictura quoq; gratiam, & delectationem habens, præteritarum rerum memoriam seruat, resq; gestas ante oculos pręfert. Quinetiam recordãdo picturas obliuiosi, bona deperdita recolligere solent. Verũ ut sacris rebus suus honos attribuatur, aliquot D. Virginis imagines adeò perfecta arte, partim depictas, partim sculptas in Gothicis oris adesse phibeo, ut ad eas intuẽdas multi deuotissimi homines nõ grauentur



uentur 40. dietas, uel amplius, hilariter à Nidrosia Noruegiæ metropoli, ad Vastenum Ostrogothorum nobile oppidum, diuæ Birgittæ ueterem mansionem, peregrinari: unde ad propria reuertentes, magnalia Dei enarrant, atque ex uisis imaginibus, quasi uiuentibus, plurimos confortant bonos, & reuocant à uia pessima malignantes.

LIBRI XIII. FINIS.

OLAI MAGNI GOTHI ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS DE VARIIS CONDITIONIbus Aquilonarium populorum

LIBER XIIII.

PRAEFATIO.



MIRARI quispiam non debet, in amplissimis Septentrionalium terris, præsertim peninsulæ Scandianæ (quam Plinius, ob incompertam magnitudinem, alterum orbem, & Iordanes, ac Paulus Diaconus uaginam, siue officinam gentium appellant) diuersitatem fore habituum, ac uestimentorum, pariter & morum, ac conditionum, circa incolarum conuictum, & cohabitationem aduentantium alienigenarum, ac iudicia utriusque, & quàm syncera tranquillitate ueteribus institutis olim adhærentes, singuli concorditer uiuere dicebantur, ubi nunc crescente discordia, paucissimi sua sorte contenti uidentur: in quo rursus mirandum non est, dum eò processit astuta hominum pernicies, ut quisque suæ destructionis factus sit artifex ingeniosus, foris scilicet habitu discissus, & intus in mente corruptus: foris legibus parêre simulans, & ubique disseminans dolos: quorum tandem effectu, & exitu, ad ultimum infamia plenus, & omnibus odiosus è uita discedet.

De diuerſitate habituum.

CAP. I.



LOnge aliter olim ueſtitus in Septen-
trionalibus regnis, & populis, quàm
nunc eſt, formatus erat, præſertim in exte-
riori, interiorię ornatu mulierum. Exte-
riori inquã, quia uetuſto tempore illuſtres
fœminæ tunicis utebãtur, ad pectus, & bra
chia ſtrictiſsimis: ſed in extenſione fimbria-
rum mõnſtroſa uidebatur longitudo, adeò
ut uix una ſufficeret ancilla in fimbrijs hu-
iuſmodi comportandis: quæ etiam in hoc
abuſu aliqualiter dominæ ſuæ conforma-
batur. In capitibus uerò ſubtiliſsimis pannis lineis negotiatorum quæſtu ab exte-
ris regionibus longo maris circuitu importatis, ſub his tamen tegumentis aureas
coronas lapidibus pretioſis intextas, ſecundũ qualitatem ſtirpis, & opulentię por
tabant: ad umbilicum uerò pro cingulo, uel zona, aureis filis contexta, uel fuſa, ex-
tenſaq; in longum aurea, aut argentea lamina, latitudine duorum digitorum, ute-
bantur. Reliquę mulieres latiſsimas habebãt manicas, ſed has in medio cuneatas,
ac argẽteis, uel deauratis nodis quaſi tenaculis clauſas. Pręterea capitis ornamen-
tum erat de panno rubeo ſuperius ſtrictũ, ac cuneatum, ſimiliter argenteis nodis
claudendum, uel aperiendum: et hę quoq; coronis deauratis ſub lineis pannis, ual
de ſubtilibus, ornabantur: & uti earum togę, pręſertim nobilium, pariter & plebe
iarum (excepto ualore panni) erant ſtrictiſsimę, ac breuiſsimę: ita urbanarum lon-
giſsimę, deauratas et quadratas in anteriori parte laminas à collo uſq; pedes ſuper
fimbrijs ex utroq; latere dependentibus, habentes. Veſtis autem ſcapularis, qua
hic uirgo induta conſpicitur, ipſam pudicitiæ, caſtitatisq; obſeruantiam deſignat.

De pudico uirginum ornatu.

CAP. II.



VIrginum autẽ ornatus in pretioſis, &
ampliſsimis aureis, uel deauratis co-
ronis, in capitibus erat: & pro pudicitiæ cu
ſtodia, à collo antrorſumq; dependebat ſe-
riceum, uel lineum cãdidi coloris pallium:
quale nunc religioſi Scapulare, uel Patien-
tiam nuncupant: quo habitu, uel pallio, om
nia corporis membra, tanquam freni mo-
deramine incedendo, uel cõuerſando, cum
admirabili modeſtia & uerecũdia (uiſu, uel
colloquio uirorum nuſquam, niſi parẽtum
li[illegible] p[illegible]miſſo, utentes) dirigebant. Tantaq; inerat eis pudicitia, ut uix rogatę ui-
rum publico in cœtu, donec coniugali uinculo ſtringerentur, raroq; tũc, inſpicere
uellent. Adeò caſta celebritate oculos ubiq;, etiam à licitis, refrenabant. Olim glau
ci coloris ueſtitus, quaſi portentoſus in Aquilone uidebatur: nunc uerò & ille tan
quam ſplendidior, & aliæ petulantes ueſtium ſciſſurę, exotica uanitate admiſſę, ſi-
gnum infallibile ſciſſæ caſtitatis & pudicitiæ oſtendũt: quales ſunt ſuperuacuæ ue
ſtimentorum rimę, nunquam, niſi ab infamibus mulierculis, originem & abuſum
ſuſceperunt, & continuarunt. Quid obſecro Reginę, Ducisſę, & ita de reliquis, ua
niſsimus iſte ueſtitus ad oſtentationem, & impuritatem, ac perpetuam infamiam,
à ſcurris, nebulonibus, ac meretricibus ſolicitè quęſitus, repertus, & continuatus,
præter uenturę ſenectutis lachrymas laſciui habitus, ut æternę gratię pulchritudo
reparetur, deferre poſsit?

De nu-

De nuptijs Illustrium, ac Nobilium personarum.

CAP. III.

NVptiæ illustrium, ac nobilium personarum, magnis, & claris, ac arduis conditionibus uetustissimo more gentis, & generis celebrari solent. Inprimis ut prouidi parentes utrobiq; mores, & uitā ingeniosa charitate, & sagacitate considerent coniungendorum, scilicet an sponsus tali claritudine & conspicuitate genitus sit, uel auitæ uirtuti & strenuitati comparandus, aut optima opinione illustrior aliquando euasurus. Item an uir patiens sit in aduersis, moderatus in prospe ris, & quod difficilimum potestatis genus est, olim rector sui. Præterea an in eo sit eruditio literarum: quæ naturam laudabiliorem in eximia uirtute reddit, quia per eam prudens inuenit, unde sapientior fiat. Item bellator reperit, unde animi uirtute roboretur: & inde Princeps accipit, quomodo populos sub æqualitate componat. Nec enim aliqua in mundo potest esse fortuna, quam non augeat literarum gloriosa notitia. Hinc rectè iudicare poterit, bonum sapere, diuina uenerari, futura cogitare iudicia: hinc admonitio proprij, & alieni honoris eminet, ut iustè, & piè uiuat, atq; hospitalitate promptus, & commiseratione benignus euadat: & ita de reliquis boni uiri uirtutibus ostensio fiet. Quæ etiam bona suo gradu in ipsa sponsa, tanquam eximiori ornatu, & coniugali consortio copulanda, requiruntur, ut quasi ex duobus luminibus unus generetur, & seruetur aspectus, atq; honorabilius paritate morum ualeant uiuere, qui similitudine bonæ institutionis fuerint eruditi. Vera autem ornamenta matronarum, non uestes, sed pudicitia (Pythagora teste) æstimantur. Nec uisum est unquam in Septentrionalibus regnis, ut mulieres pendentibus margaritis in auribus ornarentur: quia ibi turpe in fœmina, turpius in milite, & turpissimum in Principe reputaretur. Insuper & fatuus diceretur, & esset, qui labijs gemmas, aut margaritas pro ornatu alligaret, prout Petrus Martyr in descriptione noui orbis meminit, uidelicet quòd Reges, & magnates Indorum in populo talem ornatum certatim gestant in labijs suis.

De rigore pudicitiæ, & armorum interpretatione.

CAP. IIII.

MIra etiam est, & pertinax Aquilonarium fœminarum suæ pudicitiæ custodia, ut etiam admisso honesto coniugio certis temporibus refrenent amplexus, ea scilicet constantia, ut in toro interpositione districti gladij mutuum sibi coarctent congressum, ueluti Saxo de quadam Thira Regis Angliæ filia meminit, & insuper de singulari castitate multarum uirginum illius æui, prout & superius in finalibus capitulis lib. 5. declarabatur. Nuptæ tamen à maritis obtinent dotem, ueluti hæc Thira regnum Daniæ, teste eodem Saxone in uita Gormonis Imperij. Sed quomodo hæc possessio exigui temporis fieri potuerit, ipse autor declarat. Dos quidem à marito offertur, sed non ad muliebres delicias, aut nouæ nuptæ comptum, uel fastum: ut significatione interuenientium armorum in nuptijs declararetur, quòd (sicuti in hasta, quæ signat prima ueterū connubia olim fuisse uiolenta ex raptu) etiam uxores fortibus & bellicosis coniunctæ, seuerum & minimè effœminatum, sed uirilem cultum magna operando probarent. Nam & hastam Iunoni consecratam esse ueteres Romani existimabant, & eius statuæ ut plurimum hastæ innixæ cernuntur. Hasta etiam significat nuptias olim ferro diremptas: framea uerò, & scutum, ut fœminæ meminisse debeant ex illustri, seu nobili stirpe (ut eam communiter cum marito defendant) prodijsse. Hisq; consummatis

cum pactione dotis, hasta solenni ritu eijcitur extra fenestram palatij nuptialis, in signum mutui fœderis, & perpetuę cohabitationis. Forma deinde honesta, & morum probitate mulier, à uiro diligitur, et uirtute progrediens, amabilior retinetur: quo plerunque euenire solet, ut talium coniugali amore & consortio, inextricabiles bellorum lites, & liuores, rapinæ, cædes, & denique infinita mala citius excidantur, atque ad pacē redigantur, quàm si multorū millium strage dubio Marte, & certo incommodo decernerentur: et hinc emergit pax stabilis, pretiosior cunctis opibus, quemadmodum in noua historia Gothorum Sueonumque charissimus frater & antecessor Io. Magnus Archiepiscopus Vpsalensis, de S. Olao Rege Noruegię & filia Olai Scotkonung Regis Gothorum & Sueonum, prouidè factum fuisse testatur. Supra, lib. 2. cap. 15. pag. 71.

Aliud exemplum. Quod olim ratione affinitatis & nuptiarum inextricabilium bellorum res compositæ sunt, inter summos etiam Monarchas, uidelicet inter Octauianum Augustum Cæsarem & Commositum 22. Gothorum Regem & Pontificem. Veruntamen huiusmodi pacta conuentionesque non semper sunt ratæ & firmæ. Cuius rei gratia, Augusti historiam paulo altius continuauimus. Nam & nostra secula exemplum exhibuere inter inuictissimum Carolum V. Imperatorem, & Inclitum Galliæ Regem Franciscum. Suntque hæc desumpta ex lib. 6. Ioannis Mag.

Nunc autem continuaturi res Gothicas, quas ex difficillimis antiquorum obscuritatibus erutas hucusque perduximus, indignanti simul & dolenti animo ferimus, tam fortem gentem, totque clarissimis triumphis inclytam, adeò paucos gestorum suorum scriptores inuenisse, donec ad tempora illorum Cæsarum, quibus conflictata est, perueniret. Tunc enim Romani scriptores suorum Principum laudes ampliaturi, non poterant commodè fortissimorum hostium uirtutem silentio præterire, quemadmodum Vatum præstantissimus AEneam summis laudibus extollere uolens, Turno eius hosti non paruam militaris fortitudinis experientiam tribuit. Credendum tamen est historiam Romano autore cōscriptam propensiore studio ferri in suorum, quàm alienorum hominum laudes. Verum tribuēdum est hoc affectibus humanis, qui etiam in uiris perfecta uirtute præditis nonnihil sibi concedendum putant. Prudentis lectoris est, ex plurima lectione quę probabiliora uidentur eligere. Nunc unde pridem digressi sumus redeamus. Diximus superius Augustum Cęsarem orbis domitorem, nullius gentis potentiam magis formidasse, quam Getarum. Ideoque idem poeta Virgilius libro 7. Aeneidos de Romanis aduersus hanc gentem bella mouere uolentibus perterritus cecinit: Siúe Getis inferre manu lachrymabile bellum. Et Augustus ipse postquam à principio imperij sui ipsam bellis acerrimis impetiuisset, parumque profecisset, uoluit potius eam singulari amicitia sibi conciliatam fouere quam eius fortitudinem ad bellum prouocatam experiri. Proinde (ut ex Suetonio Tranquillo diximus) Commosito eius gentis Regi filiam suam Iuliam despondit, petita uicissim eius filia in matrimonium. Qua quidem affinitate effectum est, ut per plures annos (imperante Augusto) Gothi quieti, & Romanis confœderati in Thracia Daciaque, & ad ripas Danubij permanserint, ac Cæsare Augusto morte sublato, Tiberioque ad imperium assumpto, quum non ea pristina amicitia colerentur, consilium ceperint, quo ostenderent se, suamque confœderationem à Romanis neque utiliter negligi, neque securè contemni posse. Igitur coactis copijs se in uniuersam Mœsiam Romano imperio subiectam effundentes, omnia ferro, flammis, rapinis deuastabant. Deinde post direptas urbes, depopulatos agros, multiplicesque hominum strages, pręda onusti se in sua receperunt. Voluit quidem Tiberius eam Gothicæ gentis uiolentiam reprimere & uindicare, sed prius in fata concessit, quam exercitus ad illud bellum comparatus expediri poterat. Neque eius successor Caius Caligula aliquid contra eam gentem agere audebat, quamuis minis maximis ipsam terrere conaretur. Sed timeri non poterat à fortibus hominibus, tam perditæ uitæ tyrannus. Quis enim illud monstrum nisi nimis propè positus timuisset? Mouit quidem exercitum in Germaniam, sed nihil fortiter contra hostes egit, qui in proprios ciues non solum fortis, sed uiolentissimus esse consueuit.

Dorpaneus Gothorum Rex erat in Thracia, siue Dacia, quando ille Domitianus sordidæ auaritiæ

auaritiæ mancipium, Romanum imperium, quod regendum susceperat, diuexabat. Huius auaritia effectum est, ut Gothos tæderet amicitiæ & confœderationis, quam sub priscis Imperatoribus ab Augusti Cæsaris tempore autore Agrippa inierant, deliberarentq; Romanorum terras sibi uiciniores ab auaro atq; indigno præside ad se armis & pactis, siue alio quocunq; modo pertrahere. Solent enim illæ terræ facilius ad hostes deficere, quibus ignaui atque auari tyranni dominantur. Nec diu deliberatum erat, antequam coadunatis copijs Danubium pertransirent. Conabantur quidem Romani milites, qui ibi in præsidijs collocati erant resistere traijcientibus, sed impossibile erat contra tantam hostium uim atq; importunitatem præualere. Igitur retrocedentes, & in aciem se colligentes ad iustam pugnam præparabant: pugnatumq; est acerrimis armis & animis, donec uictoria sese Gothorum partibus applicās, cogeret Romanos salutem à fuga mutuare. Sed nec fuga saluare poterat, quos Gothi tanto impetu insequebantur, sternebantq;, & trucidabant. Cecidit in eo cruento prælio Oppius Sabinus militaris industriæ peritissimus, totius Romani exercitus princeps: pauci admodum ex maximo exercitu Romam rediere, tristem bellorum exitum nuntiantes. Trepidatum est Romæ ne uictor exercitus post tantam limitaneorum præsidiorum, et militum stragem, ad interiora Romani imperij se liberè diffunderet, omnia pro uoto crudeliter uastaturus. Proinde Domitianus, qui se Deum & Dominum appellari mādauerat, ex ea suorum ruina satis doceri poterat, quam parum posset illa sua mentita diuinitas, quę peregrinorum hominum potentiæ cedere cogebatur: contra quam denuo ingentes copias (quibus Cornelium Fuscum in Republica expertissimum prędecit) comparabat, atq; in hostes, qui liberius Romanum imperium impugnabant, emittere curabat. Sed nihil felicius pugnatum est secundo bello quam primo. Quamuis enim tantus esset Romanę militiæ apparatus ut contra hostilem gentem certissimam uictoriam sibi polliceri potuisset, tamen post atrox & uehemens pręlium omnes Romanæ copię unà cum suo duce profligatæ, deletæq; fuerunt: tamq; dirum uulnus tunc Romana Respublica sibi inflictum putabat, ut (si Blondo Romano scritori Cornelij Taciti uerba afferenti credi oporteat) silentio prętereundum censuerint numerum suorum militum in ea pugna desiderationem, Sallustij historici exemplo, qui in simili casu inenarrabilem Romanorum stragem occultauit: imò ita uictus est Domitianus (ut ait Dion Græcus) quod tributa Gothis soluere fuerit compulsus.

Decibalus post fata Dorpanei in Gothorum Regem sublimatus, cœpit totis corporis & animi uiribus (quæ ei semper & ubiq; aderant) meditari, ut quemadmodum Dorpaneus transmisso Danubio, Gothicum imperium occupatis Romanorum prouincijs ampliauerit ita ea quæ parta fuerant, prudenter conseruaret. Neque eum meditatio fefellit. Tunc enim Romani sub superba ignauia Domitiani indignè conculcati, maiorem curam habebant, quomodo atrocem illum & domesticum tyrannum, quam quemuis extraneum hostem amouerent. Sed neq; illo (uti meruit) trucidato, & per uilissimos uespillones sepulto, Nerua qui ei successit, coërcendæ Gothorum potentiæ par esse potuit, tum quia incommoda senectute affectus impediretur, tum etiam quia breui tempore quo imperabat, ad omnia restituenda quæ perditus Domitianus amiserat, minus sufficere potuisset. At Traianus, qui eo defuncto ad imperium peruenit, efficaciores occasiones, quibus subductę Romanorum prouinciæ restitui possent, assecutus, nihil differendum putabat, quin inter cæteras etiam illæ quæ Gothorum uiribus occupatæ fuerant, rursus potentia & armis ad mutilatum Reipublicæ corpus reducerentur. Igitur collectis ualidissimis copijs, quas existimabat Gothorum potentiæ pares, arma in Decibalum promouit. Sed non erat tam facile gentem fortissimam à semel occupatis sedibus exturbare. Si enim Eutropio & alijs scriptoribus credimus adeo diuturnum erat illud bellum, quod Thracia siue Mœsia, Gothorum sedes, omnibus rebus humano uictui penitus exhauriretur. Tandem post multa acerrima prælia ad eas pacis conditiones deuentum fuit, ut Gothi transito Danubio in suas antiquas sedes remearent essentq; Romanorum socij & confœderati. Nec solum permissi sunt ueteres sedes incolere, sed additi illis fuere amplissimi agri, in quibus habitauerant Taiphali siue dicere mauis Tribali, & Vandali. Ea prouincia decies centena millia passuum in circuitu (teste Eutropio) continebat. Itaq; Romanæ prouinciæ, quas Gothi relinquebant, tam amplis sedibus compensari uidebantur, ut ex Romano bello uictores aut uictoribus pares redijsse uiderentur.

Denuo de Commoſiti Regis uita, eiusq; cum Auguſto Cæſare affinitate mutua, ubi propter ſequens Caput, hæc appoſuimus, quo innoteſcant Lectori familiæ, Regum atq; Principum, in Suetia & Gothia, necnon Noruegia, maioris lucis gratia, quandoquidem hic de ſolennitatibus & pompis eorum nuptialibus agit Olaus: ex hiſt. Ioan. Mag. lib. 3.



Commoſitus ob inſignẽ in armis claritatem atq; excellentem in rebus gerendis prudentiam defuncto Boriſta, non ſolum in regni ſolio, uerum etiam in Pontificia dignitate ſurrogatur. Quicquid enim ad optimum Regem, & ſapientem Pontificem, eorumq; officium ſpectat, id totum in hoc uno Commoſito excellẽtius eminebat. Quippe iuſtitiam (quę ſummè neceſſaria eſt in omni ciuili conuictu) ſummo ſtudio ubiq; & ſemper obſeruari uolebat. Pietatẽ erga Deos ita cõſeruabat, ut ſe mortalitati obnoxium ſemper fateretur. Igitur Cęſar Auguſtus contra nullum Regem, nullamq; gẽtem periculoſius bellum ſe ſuſcepiſſe aſſerebat, quam contra hunc Commoſitũ, & ipſius gentem. Quę quanto magis uitia, flagitiaq; & ſcelera uincere ac ſuperare contendebant, tanto difficilius humanis uiribus ſuperari poſſe putabantur. Ad quid enim Gothorum Philoſophi tam importuna doctrina animę immortalitatem ſuis populis prædicabant, omniaq; uirtutũ officia continuo ſtudio inculcabant, niſi ut firmiter perſuaſi, ſcirent ſe ad meliores ſedes poſt huius uitæ ſtadiũ commigraturos uitamq; pręſentem contemnentes, in ferrum, flammamq;, & omnia aduerſa ſine timore ſe ſponte obiectarent? Quocirca cum Cæſar hos Getarum mores conſideraſſet, nihil dubitauit edicto publico affirmare, Gothos eſſe uitandos: imo cũ ſe eos armis ſuperare poſſe diffideret, ad concordiam ſe conuertit, uolens benigna confœderatione tã fortem gentem ſibi ſociare, quam uiribus & armis difficile ceſſuram conſideraret. Hinc firmiter credo Suetonium Tranquillum in uita Auguſti ſcripſiſſe, ipſum deſpõdiſſe filiam ſuam Iuliam Commoſitoni Getarum Regi, ſibiq; inuicem filiam Regis in matrimoniũ petiuiſſe: ob quam affinitatem Getę Romano imperio confœderati, iuſſu eiuſdem Auguſti, & cooperante Elio Catone, ex Tranſiſtrana regione ad quinquaginta millia in Thraciam habitatura redierunt, uicturi de cætero in pace & ſocietate Romanorum.

Corillus in demortui Commoſiti locum, uergente ad calcem imperio Cæſaris Auguſti, ſuccedens, regnauit in gente ſua totis quadraginta annis: quorum annorum memorabilia geſta ita omittit Iordanes, ut plurimum admirer ipſum tam parcum fuiſſe in tradenda propriæ gentis hiſtoria. Quamuis enim tũc apud Romanos infinito optimorum ciuium cruore effuſo, ciuilia bella ceſſaſſent, pacemq; benigniſsimus Deus nuper ex munda Virgine natus uniuerſo mundo contuliſſet, nequaquam tamen credẽdum eſt ampliſsimum huius Corilli regnum eiſdem Romanis confœderatum, tanto tempore ocio, aut ignauia torpuiſſe: niſi fortè quia poſt tot bellorum tempeſtates, locorumq; mutationes, laborum moleſtias, deniq; poſt tot rerum & hominum diſcrimina placuiſſet pulcherrimæ pacis officia nimis diu intermiſſa, ad publicum exercitium reuocare. Idq; in terra Gepidarum, quam hic Iordanes ſatis extenſam, à Danubio uſq; ad Iaziges prope Liuoniam ad mare Sarmaticum habitantes deſcribit. Eſt quoq; credibile Gothos eo tempore ſapientum ſuorum (quorum magnam copiam ſemper habebant) conſilijs, doctrinis præceptisq;, longè plus intendiſſe, quam armis, militaribusq; exercitijs. Quippe cum à nemine ad bellum prouocarentur, nec ſolerent niſi iniurijs laceſsiti ad arma concurrere, eſſentq; Romani cum ipſis confœderati, quid honeſtius, uel commodius in tam diuturna pace & ſecuritate agerent, quam ſe totos ſapientum magiſterio erudiendos pręberent, ſummo ſtudio contendentes, ut omnes illos populos prudentia & ſapientia ſuperarent, quos uiribus & armis iam pridem ſuo imperio ſubiugarant, iuſte exiſtimantes uim & potentiam, ſecluſa ſapientia & morum probitate, non humanitatis, ſed belluinæ crudelitatis eſſe indicium?

Tradit Blondus in Hiſtoria declinationis imperij, quam paulo ante noſtram ætatem ædidit, ubi initium inclinationis à Gothis proueniſſe teſtatur: & inter cætera, quæ de Gothicæ gentis antiquitate cõmemorat, adducit Lucullum Conſulem Romanum eo tempore, quo contra Tigranẽ, Mithridatemq; pugnauit, Gothos ex Thracia expuliſſe. Quod quia apud Plutarchũ, qui Luculli res geſtas ſcripſit non inuenio, inter dubia reponerem, niſi crederem

Blondum

Blondum ex Ablabio eam hiſtoriæ partē collegiſſe:à quo fonte etiā Iordanes noſter, quem ſequimur,ſua deſumpſit,quamuis negligentius,aut ſtrictius,quàm rerum geſtarū magnitudini cōgruum eſſe putamus:qui deinde affirmat Gothos tertiam ſedem poſt Cimeriam terram,quam præcipuam habebant,atq; poſt Thraciam Mœſiamq́;, in quam ſecundò migrauerant,ad mare Ponticum collocaſſe:ſed nec ducem , nec tempus quando ea tranſmigratio facta fuiſſet,aſsignat,quanquam hoc nouum adijcere uelle uidetur,quòd in Pontico incolatu ciuiliores atq; humaniores mores didiciſſent. Proinde in ſuſpicionē uenio,quòd hic Iordanes loquatur de illa prima ſede,quam longè antea circa Pontum occupauerant:nūc enim adeò ciuiles euaſerant,ut totam barbariem dudum exuiſſe uiderentur. Quòd autem gentis diſtinctionem ibi factā fuiſſe commemorat in Oſtrogothos,& Veſtrogothos,id non ſolum ob illius regionis ſitum eueniſſe putandū eſt,uerumetiam quia in prima & originali eorum patria (teſte Ablabio,& poſt eum Blondo) à principio fundatę gentis eiſdem nominibus ſemper fuerant condiſtincti. Diximus enim ſuperius,Oſter Orientem, Veſter Occidentem in Gothica lingua ſignificare,atq; hinc liquidò patere,qui ſint Oſtrogothi,uel Veſtrogothi: in quibus duæ illuſtriſs.familiæ ſemper continuatæ fuerunt,uidelicet Amalorum apud Oſtrogothos,& Balthorum apud Veſtrogothos: ex quibus,ut prędictum eſt,ſibi Pontifices, Sacerdotes , Reges,ac Principes , & Duces eligere conſueuerunt , nihil minus ſacerdotium, quo diuina curantur,q̃ regnum,quo humana adminiſtrantur,conſiderantes: quos non ſolum uiuos ſumma ueneratione dignabātur,uerumetiam mortuis ferè diuinos honores impendebant.Siquidem præclara eorum facinora carminibus complexi,ad ipſorum gloriam & memoriam ſempiternam,frequenter templis & conuiuijs concinebant,ut ea ſaltem dulcedine laudis Reges & Pontifices à prauis operibus retraherentur,abhorrētes de ſe aliquod infame carmen ad æternam hominum memoriam propagari.Et hic tandem ſit finis tertij libri,quem Gothi extra patrium ſolum militantes tranſmiſere, hortantes nos ut in patriam eorum regreſsi,fideliter ac diligenter maiorum geſta perquiramus.

De ritu Regalium nuptiarum.

CAP. V.

QVibus autē pompis,& ritibus Regales nuptię in Septentrionalibus regnis fieri ſoleant,cum diſtincta ſint regna,Daniæ ſcilicet,& Noruegię à Sueonibus,& Gothis,ne magnificentiæ cuiquam earū regionum honoris amplitudinem denegaſſe uidear,ſatis ſolidè aſſeri poteſt,eas nuptias inſigni celebritate per multos laudabilesq; ritus,ac inæſtimabiles ſumptus,inuitatis cunctis utriuſque ſexus ſuarum,uel uicinarum regionum principibus,ſolere fieri.Inſuper quòd Rex, Reginaq;,ſi adſit,ab Archiepiſcopo,& Epiſcopis ſanctæ ſedis Apoſtolicæ cōmunionē habentibus,Dei inuocata benedictione , in ſingulis regnis prædictis præſenti communitate coronetur,atque ſceptro,pomo,& gladio inſigniatur,quemadmodum in Catholicis regnis,& Regibus, ab introducto Chriſtianiſmo laudabiliter fuit obſeruatum,tum Regem inungi oleo benedictionis: quo Dei præcepto unctus eſt mānſuetiſsimus Dauid,& alij fortiſsimi ac excellentiſsimi uiri, glorioſa memoria,perenniq; laude digniſsimi,quemadmodum ſcriptura ſacra in Eccleſiaſtico meminit de heroicis uiris: quorum uirtutes,& honores ardētius Reges imitari condecet,quàm crudelium tyrannorum:qui uti degeneres,puſillanimes, ac ſpurci ſunt:ita & in terra ſcripti perpetuā merentur cum ſequacibus ſuis ignominiam, & confuſionem:horum etenim memoria ſine honore manebit ęuo ſempiterno.

De benedictione Catholicorum Regum.

CAP. VI.

CAtholico ritu in populo fideli regnaturus , multis & magnis benedictionibus,ut Deo acceptior,& populo utilior,ac ſibiipſi ſecurior fiat,repleri ſolet. Sed in primis ſponte per ſancta Dei Euangelia iurat,& coram Deo,& angelis eius promittit,ut legem,iuſtitiam,& pacem Eccleſiæ Dei , populoq; ſibi ſubiecto cum obſeruatione iurium,& priuilegiorum, ac omnium bonorum cuſtodiat: & hinc benedictionem Eccleſiæ poſtulat,& illi tribuitur,ut in donis gratiarum multiplicetur , dextera potentiæ Dei ubique circumdetur, & protegatur: ut Abrahæ fidelitate,Moſis manſuetudine, Dauid humilitate , Salomonis ſapientia de-

coratus, Deo in omnibus complaceat, iustè incedat in hostes Crucis Christi fideliter triumphet, & optabilem pacem in omnibus seruet. Deinde uisibili oleo, sanctissimis uerbis benedicto, inungitur, ut dona inuisibilia percipere, & temporali regno iustis moderationibus executo, æternaliter cum Deo, Regum omnium Rege, glorietur. Insuper orat Ecclesia, ut efficacia illius sacræ unctionis principatus sit super humerum eius atq; ut sit iustus, fortis, fidelis, pro uiduis: & indefessus regni, & populi gubernator, infidelium expugnator, iustitiæ cultor, Ecclesiæ sanctæ & fidei Christianæ defensor, ad decus & laudem gloriosi nominis Dei. Demum uirtute Dei dato gladio ad uindictam malorum, & laudem bonorum, ut in hoc æquitatem exerceat, iniquitatem destruat, & sanctam Dei ecclesiam, eiusq; fideles propugnet, ac protegat, atq; falsos Christianos disperdat, uiduas & pupillos clemēter adiuuet, & defendat, desolata restauret, & ea conseruet, quatenus in hoc uirtutum triumpho cum mundi saluatore cuius typum gerit, sine fine regnare mereatur. Insuper corona capiti eius imposita: qua gloria, & honor, ac opus fortitudinis intelligitur, ut participatione ministrorum Ecclesiæ Christi in omni aduersitate defensor adsistat, regniq; à Deo dati, & Pontificalis benedictionis uice Apostolorum, qui per fidem uicerunt regna, omniumq; Sanctorum eius regimini commissi, utilis executor, perspicuusq; regnator semper appareat: ut inter gloriosos athletas uirtutum gemmis ornatus, & pręmio æternæ felicitatis coronatus, cum Christo sine fine glorietur. Deinde accepta uirga, seu sceptro intelliget se obnoxium mulcere pios, terrere probos, errantes reducere, lapsis manum porrigere, superbos disperdere, & releuare humiles: Postea intronizato Regi in solio sedenti, dicet Archiepiscopus, qui eum assistentia Coëpiscoporum introduxit: Sta, & retine à modo locum tibi à Deo delegatum, per autoritatem omnipotentis Dei, & traditionem nostram, omnium, scilicet Episcoporum, cęterorumq; Dei seruorum & quanto clerum sacris altaribus propinquiorem prospicis, tantò ei potentiorem in locis congruis honorem impendere memineris: quatenus mediator Dei & hominum te mediatorem cleri & plebis in hoc regni solio confirmet, & secum regnare faciat Iesus Christus. Vltimo Metropolitanus inter alia orationem super Regem ad Deum facit: Sis ei contra acies inimicorum lorica, in aduersis galea, in prosperis sapientia: in protectione clypeus sempiternus: & præsta, ut gentes teneant illi fidem, proceres habeant pacem, diligant charitatem, fugiant cupiditatem, loquantur iustitiam, custodiant ueritatem, ut semper maneant tripudiantes, & in pace uictores. Reginæ etiam mutatis mutandis, quæ sexui fœmineo congruunt, plurima ex supradictis à Deo reuerenter optantur &c.

De Equitibus auratis, & eorum iuramento.
CAP. VII.

FActa igitur iuxta pręmissas cærimonias (apud Deum & homines, omni ęuo commendabiles) coronatione, ipse Rex, secundum formam antiquarum legum regnorum suorum noua priuilegia diuerso hominum statui, quatenus, & quibus opus sit, liberaliter concedit, uel pridem ab antecessoribus suis concessa restaurat, & auget. Demum milites auratos, feudis abundanter distributis, cingulo, & ense, ac clypeo præstitis, tali tamen interueniente iuramento, in manibus alicuius Prælati assistentis facto, creat: Ego N. opto mihi ita Deum propitium, & beatam Virginem, ac sanctum Ericum, quod uolo iuxta extremum meum posse per uitam, & bona mea defendere fidem Catholicam, & sanctum Euangelium, et tenere, ac protegere Ecclesiam, & eius ministros in sua libertate, & immunitate & stare contra omne quod iniquum est, & confortare pacem, & iustitiam, & defendere pupillos & orphanos, uirgines, uiduas & pauperes, & fore fidelis & securus meo Regi, & regno, seu patrię meę, & iustè exhibere & exercere meum militarem statum



ſtatum ad honorem Dei, ſecundum ultimum poſſe meum. Sic me Deüs adiuuet, & omnes Sancti eius. Amen. Hocq; iuramentum adeò fideliter, & ſtrictè obſeruare ſolebant, ut audita proclamatione belli contra hoſtes fidei, maximè ſchiſmaticos Moſchouitas in Orientali limite regni Suetię, & Finlandiæ, imò & à Summis pontificibus prędicata Cruciata contra Turcas, illicò proprijs expenſis, armata & ualida manu alacriter prælia Domini bellaturi ſeſe in expeditionem contulerunt, uel ad terram ſanctam peregrinantes, accepto ad ſepulchrum Chriſti militiæ cingulo, ſe in numerum fidelium armatorum contra eoſdem Turcas pro religione præliaturi, uoluntariè immiſcuere: quo plerunq; euenit, ut glorioſi uictores redirent in terrenam patriam, & tandem coronam ſuſcepturi, in patriam cœleſtem ac ſempiternam. Eſtq; notatum in annalibus Germaniæ per Albertum Crantzium lib. 7. cap. 9. & ſequentibus, contra Saracenos terram ſanctam occupantes, geminum exijſſe ualidiſsimum exercitum, equeſtrem pedeſtremúe, & naualem, uoluntaria militia pro maiori parte pugnaturum: & ij erant è Dania, Friſia, Hollandia, Zellandia, Flandria, Francia, Hiſpania, & Anglia: magnaq; uictoria feliciter peracta, pro maiori parte in ſua quiſq; commemorantur redijſſe.

De nobilium nuptijs.
CAP. VIII.



NObilium nuptiæ gradu & ordine ſuo, præmiſsis ritibus in forma Chriſtiani coniugij ſub ſacerdotali benedictione, & annuli impoſitione, ac dotalitio munere (ex municipali iure, quod uolens hic ſileo) tam pro Regibus, quàm priuatis nobilibus, ac plebeijs conſtituto, celebrantur: ſcilicet ut matrimonialiter coniuncti, idem in pace, idem in bello, idemq; in proſperis, & aduerſis pariter uiuant, prout uterq; in facie Eccleſiæ annulo, ac oſculo ſuſcepus, inquirenti ac benedicenti presbytero, ſponte pollicetur: tantaq; uirtute, & mutua fide conſeruant ut nedum claritudine bonorum morum, ſed & utilium exercitiorum ſagacitate, aucta prole & familia, conuiuere uideantur. Viris tamen præcipua delectatio eſt in uenationibus, ac magnificis ſtructurarum ædificijs erigendis, & colonis, ut agros, & prata amplificent, inſtruendis, ac ſubditis pacificandis &c. Mulieres uerò etiam illuſtriſsimæ, nunquàm adeò uacant delitijs & otijs, quin manum ad aliquod honorificum opus, æterna memoria dignum, emittant (ut in uita 120. interni Regis Ingonis Suetiæ, nouæ Gothorum hiſtorię, de B. Ragnilda, Chriſtina & Margareta, ac prius de Giutha declaratur) pręcipuè pro ornatu Eccleſiarum, & miniſtrorum eius, quemadmodum in Septentrionalibus terris nedum magnifico exemplo oſtenditur, ſed et latè in Germania, ac Polonia: ubi in templo Regiæ arcis Cracouienſis tanto ſplendore, & pretioſo ſumptu M.D.XXVIII. uidi ueſtes ſacras Reginarum, Illuſtrium Dei ancillarum manibus elaboratas, ut nullius excellentiſsimi artificis ingenio, etiam in medio Latio, uel Damaſco, illuſtrius fieri potuiſſent. Præterea in dirigenda domeſtica familia, muliebri præſertim, tanta ſagacitas eſt, ut nuſquam niſi ordinata, ac honeſta iudicanda uideatur. Bona etenim materfamilias, quæ caſtitatem diligit, ancillas habet bonas, & pudicas: ſicuti princeps, qui libenter audit mendacia, omnes miniſtros habet impios, et crudeles.

De illuſtriſsimis & laborioſiſsimis reginis uideat candidus Lector ſupra lib. 8. cap. 37. pag. 239. in uita S. Canuti.

De nuptijs plebeiorum.

CAP. IX.



MOS est plebeiæ multitudinis apud Gothos, & Sueones, sponsalia contrahere cupientis, pluribus uti cærimonijs, diuerso tempore, modo, ordine, ac testimonio repetitis, præsertim hac ratione, ut stabiliores permaneant in mutua cohabitatione, ut nullo sit opus diuortio, etiam à lege permisso. Parentes namq; puellæ ad coniugium petendæ, cuius stirpis, honoris, famæ uel infamię, probitatis aut improbitatis, morum & industrię sit procus, imò an legitimo toro procreatus, diligenter inquirunt: compertaq; uirtute uiri, præsentibus duobus ex paterna maternaq; linea testibus, pater præsentat filiã sub his uerbis astanti proco: Do tibi meam filiam ad honorem, & uxorem ad medium lectum, ad ianuas, & claues, & ad omnem tertiam pecuniam possidendam in mobilibus bonis ac immobilibus, & ad omne ius, quod superior Suetia à S. Erico habet, & ipse S. Ericus dedit. In nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti. Amen. Quam si quis alius posteà uiolauerit, pace nunquam recuperanda cum amissione bonorum omnium, nisi sponsus illi indulserit, aut moriens uindictam reliquerit, perpetuò est cariturus. Eoq; casu sponsalitia pacta uigorem suscipiunt, & accelerata maturitate, melioribus superadditis solennitatibus absoluunt, talibus præsertim, ut affines, agnati, & consanguinei sub prudenti uirorum ductore, ac honesta mulierum ductrice, statuta die in equestri pompa undequaq; ornatius ad Ecclesiam confluant parochialem: ubi ardentibus faculis mirificè factis, & incensis, sacerdotali benedictione coronata sponsa producitur, atq; ante summum altare lateraliter cum sponso collocata, utriusq; solenniter requisito cohabitationis in prosperis & aduersis consensu, per annuli impositionem, & nuptialem benedictionem, omnes præmissæ cærimoniæ ratificantur. Nec silendum est, quòd sub ipsa annuli impositione dorsotenus pugno sese astantes impetunt, ut eadem ratione actum corroborent, uti alapæ impressione in sacramento Confirmationis, & Aurati militis creatione, ut memor sit, seruari solet. Moschouitæ autem, Rutheni, Lithuani, Liuonienses, præsertim Curetes, gentes his Septentrionalibus hominibus ferè conterminæ, quos ritus, maximè plebeię conditionis, in nuptijs celebrandis obseruent, quoniã matrimonia absque sponsalibus per raptum uirginum saltem contrahunt, paucis hîc ostendetur. Veluti enim Romanæ leges, Principumq; placita, has solas legitimas nuptias esse sanciunt, quæ per spõsalia, dotisq; interuentionem ritè celebrantur: sic hæ nationes legitima connubia fore, pro gentis cõsuetudine planè sibi persuasum habent, dum uirgines inscijs parentibus infelici auspicio, aut alijs parentum loco constitutis (haud aliter, quàm quondam apud Romanam gentem, cum inter eos penuria mulierum hominis ætatẽ duratura magnitudo erat, connubiaq; à uicinis populis denegata essent, quemadmodum Liuio placet) rapiuntur. Quicunq; enim paganorum, siue rusticorum, filius suus uxorem in animo habet, agnatos, cognatos, cæterosq; uicinos in unum conuocat, illisq; talem isto in pago puellam nubilem uersari, quam rapi, & suo filio in coniugem adduci proponit: hi commodum ad hoc tempus expectantes, ac tunc armati equites suo more unius ad ædes conueniunt, posteaq; ad eam rapiendam proficiscuntur. Puella autem quoad matrimonij contractionem libera, ex insidijs opera exploratorum ubi moretur per eos direpta, plurimum eiulando opem cõsanguineorum, amicorumq; ad

se libe-

se liberandam implorat: quòd si consanguinei, uiciniq; clamorem istum exaudierint, ipso momento armati adcurrunt, atq; pro ea liberanda prelium committunt; ut qui uictores ista in pugna extiterint, his puella cedat.

De honestate copulæ coniugalis.

CAP. X.

NEc ante completam hanc celebritatem mutua carnali copula, pacto parentum interueniente, se commiscere solent coniungendi: quia immane cũctis gentibus crimen apparere dignoscitur, si ante sponsalia sacra stupri illecebris uirgo temeratur: imò summoperè cauent puellæ, ne copulam anticipent, quia perpetuam cum prole sic suscepta infamiam luent, prout infrà de illegitimis ostendetur. Est & alia ratio continentiæ, quòd die desponsationis suæ coronata diademate imaginis diuæ Virginis (quod dono parochianorum pro tali effectu remanet) incedere ualeat inuiolato pudore. Pręthereà spe bona ducuntur, ut quæcunq; sponsa tali diademate amicta fuerit, nunquàm à fide mariti fœcunditate prolis, & morum honestate confirmata discedet: imò ut hæc à Deo noui coniuges consequantur, doctrina parentum admoniti, per aliquot noctes & dies à carnalibus lasciuijs sese refrenant: hęcq; nuptialia festa ut plurimum circa æstiuale solstitium in ædibus frondosis, floribusq; dispersis, insigni alacritate, & tripudijs frequentius fieri consueuerunt. Nuptias enim exornant circunstantiæ celebriores, tempus scilicet anni iucundius, natiua soli, cœliq; temperies, penè ad contrahendas nuptias nata. Hacq; ratione plures in amœnis insulis accessu nauicularum fiunt nuptiales festiuitates: quia tanta est elementorum clementia, ut sub aperto cœlo sine ęgritudinis incursione dormire ualeant æstiuo die, nulla existente nocte. Qui uerò talibus adsunt nuptijs, ut agnati, cognati, affines, & amici, dona plurima, uidelicet equos, boues, pecora, lectos, pannos, & fruges liberaliter offerunt: ut ijs felicibus auspicijs incipiant, & perficiant lætiorem cohabitationem. Specialibus tamen cærimonijs equus, ac bos, & securis traditur: ut sciant se uenire ad eum laborem, periculorumq; societatem, qua idem nolle, & uelle permanere debeat, donec uel diuortio si lex urserit, uel morte soluatur. Sunt & multæ cærimoniæ circa tori introitum, ut parochialis sacerdos, si adsit, uel clericus, canat hymnũ Veni creator spiritus, cum inuocatione diuini auxilij, ut nouis coniugibus prospera cuncta desuper elargiantur. Prætereà mos est, ut aliquot delicatiora fercula in lecto sedentibus nuptis exhibeantur, ut ijs cum astantibus breui mora uescantur: tandemq; ualedicentibus amicis sua pace fruuntur. Sequenti tamen die noua nupta crinibus absconsis affabili incessu conuiuis argenteos scyphos electiore liquore repletos, in signum quòd materfamilias effecta sit, liberaliter propinat, quemadmodum superius de proiectione hastę nobilium, & exhibitione dotis dictum est: quam & plebeij in moneta, uel rebus obseruant.

De casibus incidenter euenientibus.

CAP. XI.

EVenit aliquando, ut mulier, noua scilicet nupta, à domo paterna per sponsum (ut præmittitur) exportata, antequàm habitationem uiri attingat, in uia moriatur: tunc eo casu illius corpus reduci solet ad domum paternam, ut ibi funeralia fiant, ubi nuptię, uel sponsalitia festa sunt celebrata. Hoc ibidem de uiro in itinere moriente. Si uerò cohabitatione stante maritus emoritur, mulieri incumbit cum consilio proximiorum propinquorum gubernatio infantum, donec fuerit in uiduitate. Exinde altero suscepto uiro, retinebit uestes meliores, ac lectisternia cum tertia parte mobilium rerum: è quibus duæ partes cum patrimonio filijs relinquuntur.

quuntur. Similiter de rebus mobilibus, & immobilibus communiter emptis, diuisio fieri solet: at ea inuita nunquàm diuendere, uel alienare mulieris bona, sed meliorare licebit. Mortuo marito mulieri dantur decem menses, ut producto partu adeat hęreditatem cum filio, si ritu Christianorum fuerit baptizatus. Allegans abortum, probabit testimonio duarum mulierum, & iuramento 12. uirorum, & liberabitur à solutione spe partus distractorum. Verum post decimum mensem natus hæres secundum gentis rigorem minimè fiet: quod singulare uidetur contra iura, quæ 11. 12. ac 13. mense allegantur pro fauore parturientium mulierum. Si prętereà per cognatos defuncti partus, mulieri obiectum fuerit, quòd peperit abortiuum: tunc ei allegant foetum fuisse uiuum, & baptizatum, tanquam duorum uirorum testimonio statur, & hæres prolis fiet. Mulier à uiro per uim rapta, quadragesima hebdomada posteà pariens, proles illa suscipiet hæreditatem. Si uir, mulier, & filius in glaciali uoragine pariter suffocati fuerint, proximi consanguinei eorum hæredes fient. Proscriptorum filij in proscriptione manentes non hæreditabunt: Proscriptione tamen concepti filij parentibus restitutis hæreditabunt. Ante proscriptionem conceptus filius, ubicunque nascitur, hæreditabit. Fugitiuus maritus rediens domum, furtimq; generans prolem, hæc non hæreditabit patrem: qui si restitutus in patriam non fuerit, eius, & filiorum hæreditatem capient propinquiores in patria propria. Si occiditur foemina à defuncti mariti consanguineis, propter usurpandam hæreditatem, sepulta ea, rumor exit eam esse imprægnatam, aperto sepulchro & útero, foetuq; uel lineamentis humani corporis inuentis, foetus hæreditabit patrem, & mater defuncta foetum, ubi uiui puniendi retruduntur: quia nulli licitum est alium occidere pro acquirenda hæreditate. Filij adulterini, incestuosi &c. in nullo hæreditabunt, etiam si Principis beneficio fuerint habilitati.

De differentia legitimorum, & illegitimorum filiorum.

CAP. XII.



CVm magna sit honestas, & securitas propagabilis sacramenti coniugalis quod tam diuino quàm humano iure ab omnibus, qui eo confoederati sunt, honoratur: ideoq; tot cærimonijs, testibus, & solennitatibus fit, præcipuè inter Septentrionales gentes, ut salua omnium aliarum nationum laudabili consuetudine, uix crediderim sacramentum hoc fortiori uinculo, quàm in illis regionibus posse firmari. Non enim ignorant, quomodo inter cętera humani generis onera, coniugalis effectus curam præcipuam sibi uendicauit. Nec immeritò: quia in honore esse meretur, unde reparatio posteritatis acquiritur omne facinus autores solos insequitur, error matris transit ad filios, & nouę infelicitatis euentus, fit dedecus proprium, scelus alienum Ideoq; (ut dictum est) iura nexum coniugij tanta cautela pręcipiunt custodiri ut crimen sit magnum conscientię, alienos affectus in reuerentia non habere. Nec parentes truculentiorem inimicum reputant, quàm omnem hominem illum, qui domesticę eorum pudicitię, & irreparabili honestati insidiatur. Ideoq; talem lege, & ultione persequi non desinunt, donec læso honori quomodolibet satisfieri possit. Cuncta quidem iura detestantur scelera, sed ea maximè execrantur, quę domesticam maculant gloriã, et excitant infamiam, nullo æuo, ordine, aut modo delendam. Horror est genti sentire

fornicatores

fornicatores, horribilius illis conuersari: sed detestabilissimum omen sic genitæ proli eueniet, ut nunquàm, uel rarissimè, etiã si filius Principis sit, aut cuiuscunq; nobilis, nisi illegitimus, & per hoc quasi infamis, ab omnibus meretur reputari. Nec illi ad ętatem maturam peruenienti militare fastigium creditur, nec iudicijs officium exhibetur, aut testimonium deferendum permittitur, etiam si Principis autoritate ob heroica militaria gesta legitimitate donetur. Ideoq; de patre impio conqueruntur filij (ut Ecclesiastici cap. 41. dicitur) quoniam propter illum sunt in opprobrio.

De eodem.
CAP. XIII.

SEmper natiuus pudor, & uerecundia in facie, & corde remanent, ut extra legitimum matrimonium natus nunquam putet se gloriosum futurum, licet non suum, sed maternum crimen sibi fuisse, & esse opprobrio agnoscat. Nec plus dictamine patrię legis in petenda hæreditate, quàm dimidium Hungaricalem florenum obtinere licebit, ubi reliqui legitimi fratres 20. millium florenorum, si adsint, acceperint hæreditatem. Et hoc pręscientes puellæ, uel uiduæ tam irreparabilem uidelicet euenturam infamiam, & detestabile damnum, nunquam, uel rarissimè ante solenne tempus (parentum reuerentiali iudicio moderandum) sese à quoquam, nisi uis fiat, tangi, uel contaminari permittunt: quæ uis si probata fuerit, uita priuabitur lædens, uel corrùptam uinculo matrimoniali honestabit, uel ob disparem conditionem, dote sufficientissima data, eam alteri desiderãti coniunget. Raró tamen beata stirps oritur, quia patri pudori sunt, non honori, ut Ambrosio placet, alleganti illud Sapientiæ 3. Adulterorum filij in consummatione erunt, & ab iniquo toto semen exterminabitur. Asserit prætereà idem Ambro. Sermo. 45. de concubinarijs, Vxorem non habeò, ideo mihi ancillam sociaui: ad quod respondet scriptura, Eijce ancillam &c. Pręthereà neq; fornicatores &c. possidebunt regnum Dei. Igitur tales filij testes sunt paternæ, maternæq; turpitudinis, & demum iudex conscientia pudorosa. Ad hanc quoq; materiam, referendam duxi historiam charissimi fratris & antecessoris mei D. Io. Magni Archiepiscopi Vpsalensis, de Gothorum ac Sueonum Regibus, & gestis eorum nuper impressam, sequenti capitulo uniuersis hominibus insinuandam.

De internis exemplis.
CAP. XIIII.

AMundus à uilitate cognomen adeptus, post fata Amundi Annosi, alias Carbonarij, ad Regium sceptrum peruenit: cuius ori go, quia contra leges erat, silentio supprimi consueuit: erat enim præmortui Amundi ex concubina filius: quòd tũc adeò uile existimatum fuit, ut qui ea illegitima commixtione nati erant, perpetuo rubore suffusi, uix audebant inter honestos comparere, etiamsi Regum filij fuissent: quod etiam usque ad nostra tempora apud Gothos & Suecos obseruatum fuisse didicimus. Nondum enim elapsi sunt 70. anni à morte Caroli Sueonum, & Gothorum, ac Noruegianorum Regis: qui optimę spei adolescentem ex concubina procreauerat, eamq; in lecto extremæ ægritudinis agens, ut filium legitimum efficeret, desponsauerat: attamen idem filius non solum paternis regnis, sed & omni alia hæreditate seclusus, infami conditione uixit, & consenuit. At presbyterorum filij in Gothia & Suetia, semper fuerant uilissimi ęstimati, parentesq; eorum ob læsæ honestatis infamiam, non minus contemptibiles effecti, quàm si è genere furciferorum procreati fuissent. Nec dissimili infamiæ subiecta contemnitur infelix mulier, si uisco, cerussa, fucoq;, alijsq; pigmentis naturam uiolare uide-

bitur, dum paululum posteà ablutis coloribus adulterinis, ad formam pristinam redit, non sine irrisione omnium familiarium, & damno natiuæ uenustatis. Ex illis nanq; uenenis rugę ante tempus faciem arant, oculi caligant, dentes obscuriores fiunt, anhelitusq; pessimè olet. His commentitis coloribus fœditatem aspectus, et contemptum sibi comparant, odiumq; uiri, & præsertim cum miseri uiscantur labra mariti. Hæc tamen rarissimè accidunt in Aquilonaribus regnis.

De uili hoc Amundo 114. rege interno ac gubernatione ipsius, nec non quomodo ad regiam dignitatem peruenerit, uide supra lib. 8. cap. 37. pag. operis præsentis 327.

De adulteris, & pœna eorum.

CAP. XV.



QVemadmodum præclaræ urbes Italię, ob excellentissima hominum ingenia, uel facinora, pro eorum perpetuanda memoria, ingentes statuas posuere, ut Verona suis Plinij, Mantua Virgilij, Roma Herculi: ita & Germanicę, ac Gothicæ ciuitates, ob heroica gesta, statuas uirorum excellentium in locis publicis apponere non dubitarunt, ut Brema sui Rolandi, & Scheningia uetustissima urbs Ostrogothorum sui Thuronis longi: qui duobus concatenatis saxis rationabili causa ad clauam in humeris dependentibus, pingitur: quia honestum, et iustum illi (uti altero Starchatero giganti, de quo superius lib. 5. dicebatur) uisum est, lege multare, uel cęde corripere, qui matrimonialem pudicitiam spurca oppressione defœdare pręsumebant. Sed tractu temporis impunita libidine hæc statua deleta est, ne uel signo, uel terrore, uel pœnæ metu à scelerato opere, uel proposito eius aspectu reuocarentur impuri. Nullibi tamen in toto Septentrione seuerius puniri solent diuersorum generum malefactores, maximè adulteri, (rarissimè licet reperti) quàm in hac urbe: quia, ut Cassiodorus lib. 9. in edicto Alarici Regis Gothorum asserit, impium est iudices illis esse remissos, quos cœlestis pietas non patitur impunitos. Qualis enim fatuitas est, creatorem uitæ relinquere, & sequi potius mortis autorem? Si quis igitur in alienos thalamos dolosa machinatione sceleris aliquid attentare præsumpserit, facultatum suarum media portione priuetur, statim fisci iuribus applicanda. Si uerò prohibente paupertie in aliquorum substantia nequierit uindicari, pœna relegentur exilij: ne, quod dictu nefas est, ideò uideantur iuris publici comminationem euadere, quia uilissimæ cognoscuntur subiacere fortunę. Sed hęc de solicitatoribus affectus alieni, pietas Regis prædicti decreuit. Cæterum in adulteris omnium rerum amissionis censura procedit. Si superflua libidine etiam ingenua superinducta fuerit, iugo seruitutis cum filijs suis modis omnibus addicatur uxori, ut illi iustè subdatur, cui pollicitam libidinem credidit posse præponi. Si uerò ancilla ad tale flagitium peruenerit, (excepta pœna sanguinis) matronali subiaceat ultioni, ut illam patiatur iudicem, quam formidare debuisset absentem.

Adhuc



Adhuc de eodem.

CAP. XVI.

MVlier adulterans testimonio sex uirorum deprehensa, perdit dotem, & quicquid secum tulit in cohabitationem uiri: qui ea suscipiet: imò uitæ utriusq; potestatem habet, & hæreditatis eorundem uigore municipalium legum patriæ Gothorum, & Sueonum. Si uerò multa contentari uelit, etiam eam ex ijsdem municipalibus præscriptam habet: quam & uolens hic pertranseó, licet Regi, Episcopo, & fisco ciuitatis pars eius debeatur, cuilibet separatim. Si pœnam pecuniariam dare nequierit, adulter, tunc duo saxa superius dicta, mulieri humerotenus imponi debent, & ipsa uirilibus adulteri funiculo ligatis, ipsum per plateas ciuitatis aspicientibus cunctis, pertrahere, ac demum abiurare ciuitatem, deinceps non ingrediēdam, cogetur. Si unus coniugum simile scelus commiserit, eadem pœna partialiter fiat, altero innocuo declarato. Verum ministro ciuitatis in talibus seruienti, speciale pecuniarium munus, siue præmium deputatur. Ne autem hoc solum in gentibus his practicari uideatur, simile apud Plutarchum Problemate centesimo quintodecimo de Cumæis, quomodo Onobotim, mulierem sic appellatam, in adulterio repertam, in forum deductam, & saxo impositam, omnibus spectandam proponebant: inde super asinum collocatam, & circa urbem peruectam, in eundem locum restitui oportebat: unde infamis reddita est: et ab eo tempore lapis tanquam impurus, & detestabilis uitabatur. Prætereà legislatore Tuiscone, prioribus seculis inter alias scelestorum pœnas una fuit leuior, ut adulteræ uxori maritus abscisis crinibus nudæ uerbera inijceret, ut refert Cornel. Tacitus. Crescente tandē portentosæ libidinis lasciuia, ne & status matrimonialis sub uaga libidine, & incerto hærede procederet, inuentæ seruatæq; sunt contra quoscunq; honesti tori transgressores, seuerisimæ constitutiones: quæ etiam iubent custodire iuuenes uiduas, post recentem maritorum obitum, ne forté ob adeundam hæreditatem, collusionem inueniant cum sceleratis. Quàm seueræ etiam, & horrendæ pœnæ contra oppressores uirginum positæ sint, non est quod congruat ad præsens diffusius manifestare. Leges enim apertę sunt, si executioni demandarentur: quod sanctius & tutius esset, scilicet legibus, & iudicijs potius punire flagitium, quàm ferro, & cæde polluere manum. Lynceis tamen oculis circa coniugem, & filias custodiendas utatur maritus, ne sic uxoris dissimulando turpitudinem, sit negligēs, ut domi flagitia foueat, & foris incurrat uilissimam opinionem. Abutuntur enim fœminæ mariti patientia, donec uisa impunitate peccandi, portentosæ libidinis suę multitudinem excipiant testem, & infame nomen. A Deo ergo suppliciter pétere oportebit, ne cuiquam oppresio, & perpetua infamia fiat.

De Iudicibus, & Iudicijs campestribus.

CAP. XVII.



CErtum est primæua hominum ętatē Septentrionalis terræ inhabitatores sicuti cęteras gentes legum expertes, usu, & commutatione rerum securius uixisse, quàm hisce tēporibus anxijs, auaritia plenis, uiuere dignoscuntur. Tractu nanque annorum etsi ciuilioribus institutis, et legibus mutua commercia, ac consortia inciperent colere: tamen ætate ad malum procliua, pasim pręualente, in contrarium sic

itum eſt,ut tantum ſecuritatis in perſona,boniſq́; ſuis cernerent,quantum uis ipſa,uel potentia etiam noua quærendo defendere poſſet. Melioris tamen ſenſus, et rationis homines,etſi ultra mille annos ſine ſcriptis legibus uiuerent, tamen ea, quæ legis ſunt,naturaliter impleuerunt,iudices inter ſe cõſtituentes,qui iuſta præmiarent,& iniqua punirent. Vnde,ut hoc ſecurius,ordinatiusq́; fieret, conſtituta ſunt inter altas ſyluarum planities,apta tribunalia,(quæ & hodie rigoroſè ſeruantur)ubi per longa terrarum territoria,infinitæ populorum turmæ certis anni temporibus,Regio præfecto,ac 12.uiris electis præſidentibus,audiri & iudicari poſſint:qui etiam uiri in ſuo legiferatu(id eſt,præſcripta communitate, ubi iura dari ſolent)inquirunt principaliter,quæ cauſæ ortæ, uel prolatę ſint in diminuenda Regia lege,uel publica pace:& ita aſſumendi iurabunt: Nos petimus Deum ita nos iuuare,& has Sanctorum reliquias,quas tenemus,quòd nullum eſt debemus reum dicere,qui reus non,nec reum excuſare,qui reus eſt, ſecundũ conſcientiam & rationem,quam Deus nobis fauit,& conceſsit:& hunc non dimittere propter conſanguinitatem,affinitatem,uel timorem,amicitiam,uel fauorem &c. Quem autem hi.12.uel 7.ex his,ſaluant,uel condemnant,firmum erit ſecundum Regium iudicium in pœna amiſsionis manus,capitis,uitæ,bonorum,pecuniarum, Regio fiſco,uel lęſæ parti,aut legiferatui,ſeu communitati applicandarum.

De iuramentis diuerſorum Iudicum.
CAP. XVIII.

EST & aliud iuramentum Legiferi,ſiue Iudicis prouincialis,à 12.uiris electi, & à Rege,ſeu principe confirmati,tale in forma: Sic peto ego Deum mihi in adiutorem,& has Sanctorum reliquias,quas teneo,quòd debeam erga pauperes, & diuites in toto meo legiferatu,in omni iudicio iuſtitiam ſequi, & non iniuſtitiam,ſecundum menſuram conſcientię meę,et cognitionem legum,& nunquam fouere iniuſtitiam propter timorem,amicitiam,uel cupiditatem pecuniarum,nec propter inuidiam,uel odium,nec propter conſanguinitatem,aut affinitatem, uel amicorum confœderationem. Sic mihi Deus propitius ſit,ſicut dico ueritatem. Si uerò hic,& illi deprehenſi fuerint ſecus,quàm iurauerant(accipiendo ſcilicet munera)agere,graui pœna,uel multa puniuntur. Habent enim liberalem, & ſufficientem mercedem pro laboribus iudiciorum ſuorum à communitate,ne iuſtitiam quocunq́; colore uendant:ut oſtẽdatur apud eos plus ualere bonos mores,quàm apud alios multimodas,& intricatas leges. Et reuera ſic eſt:eligũtur enim ad hoc opus pium,& iuſtum,ruricolæ bonas poſseſsiones in domibus,agris, & paſcuis habentes,ſolius naturæ inſtinctu,bonitate,& ingenio, ac dotibus præditi: qui citra ullam ſcientiam,ac literas,ſagaciter iudicant, ut appareat ex homine natiuis bonis excellente,formari potius iudicia,& præcepta ſapientiæ,quàm ex præceptis ſapientiæ formari hominem excellentem. Ideóq́; miræ libertatis,ac nemini, niſi iuſtitiæ obnoxij exiſtimantur. Ius dictant in caſu perplexo,cum lege ſcripta,& eis lecta,ut quæuis eorum dicta per omnia innitantur æquitati:meritasq́; conſtituunt pœnas,& eas,ſi opus fuerit,uita & ſanguine (niſi læſæ parti ſatisfiat)ut executionem habeant,nulla attentata comminatione,proſequuntur.

De qua-



De qualitate pœnarum uirorum nobilium, uel plebeiorum.

CAP. XIX.

GRaues tamen caſus aliquando incidunt, ut non niſi Regio tribunali abſolui debeant, aut poſsint: uidelicet crimen læſę maieſtatis, uiolatio Regię ſecuritatis, proditio in Rempub. & reliqua ſimilia proditorum, ac transfugarum facinora: quos quadripartitos integros, uel diuiſos rotis imponunt, aut gratioſa Principis permiſsione gladio truncant: quæ indulgentia ſolis nobilibus, ob magnificam originem & ſtirpem, plerunque concedi ſolet: niſi tanta ſit atrocitas ſceleris, ut omniũ acclamatione, & iuris rigore, ſit ſuſpenſione plectendus: quo caſu torque argenteo, uel fune ſericeo, & frondoſo ligno (ne etiam in mortifero cruciatu ceremonię deſint) ſuſpenditur: ubi in arbore putrida, ac uermibus eſa, ignominioſum eleuari, & conſumi reputaretur. Genus tamen Regale, ob uim ſtupri, cõiurationis in patriam, ac Principem, quando morti condemnatur, ſubmiſſa purpura, id eſt excellentiſsimo panno rubeo, qui unquam reperiri poterit, gladio in eminenti loco tabulato detruncatur. Ita & Colonienſium mos uidetur, quando ſæuiunt in magiſtratum, prout recentiori eorum hiſtoria fertur. Polonorum nobiles in furto deprehenſi, cãdidiſsima camiſia, inſtar rochetti longa, in furca eleuantur. Moſchouitarum etiam nobiles arſuro, ſeu ceruleo, aut cœleſtino colore ſuſpenduntur, & Finlandenſes eorum uicini in rubro panno. Genera tamen mortis extraordinaria qualia ſunt ſtellionatus, non inquirunt, nec à crudelibus edocti admittunt, ſatis credentes puniendis mortalibus ea ſufficere omnia, quæ in ſuis municipalibus maiorum prudenti cenſura conſcripta leguntur, & ſeruantur. Nec caſus in toto corpore Iuris ciuilis inſertus eſt, cuius compendioſam in eiſdem ſuis municipalibus non habeant reſolutionem. Mulieres morti adiudicatas, nunquàm ſuſpendunt, ſed uiuas terra obruunt mortificandas, exceptis maleficis (quarum magnus in Aquilone numerus eſt, ut ſuprà monſtratum fuerat) flamma comburendis, aut ob aliud crimen lapidandis.

De temerarijs Iudicibus, & eorum pœnis.

CAP. XX.



QVia Regum, & principum corda in manu Dei ſunt, neſcit humana imbecillitas, diuina ope ſemper indiga, aliud ſuſtinendi regiminis remedium inquirere & inquiſitum agnoſcere, niſi quòd à regentibus bene gubernaturis, uerax iuramentum de ſeruanda iuſtitia expoſcat: quale & ipſi ſubditi per obedientiam ſyncerissimo animo præſtiterunt, & præſtitum ſeruant: ut cum ſubditorum ob iniuſtum & crudele regimen, tumultum & rebellionem imminere non timeant, ſaltem Dei ulciſcentis potentiã (quam euadere nequeũt) expaueſcant: quod quidã attendentes, optime regunt, & iudicant. Quidam uerò impotenti ſuperbia in tantam crudelitatem, & iniuſtitiã erũpunt, ut mitius feras, quàm ſubditos homines, alioqui obedientes, pertractẽt, nulla, uel leuiſſima cauſa audita, aut recto dictamine legis accepto: ſed ſui capitis furore ſubditis his quando, & quomodo uolunt, ſine quauis æquitate mortem infligũt. De quorũ numero, etſi plures in Septentrione reperti ſunt, & forſitan adhuc reperiuntur:

tamen unum,aut alterum adiunxiſſe ſat eſt, qui recentioribus annis horrendum ſpectaculum ad poſteros,ne iniquè iudicent,aut opprimant innocentes,ſuo fato tranſmiſere. Erat apud Veſtrogothos uir eximius & illuſtris,D.Ioannes Turſon nomine,pater D.Turonis Ienſon equitis aurati,ſupremi legiferi,ſeu iudicis:qui ſeuerius,quàm æquius iuſsit quendam regnicolam capite plecti: qui genibus innixus,gladioque truncandus,eidem domino dixit,En morior iniuſtè iudicatus,te uoco hac hora ante tribunal Dei,ut reſpondeas cur me innocentem morti condemnes.Moxque ſublimis ille uir homine ſub gladio,uel ſecuri (utroque enim ferro plectuntur Aquilonares)cadente,etiam ipſe corruit ab equo,ſocius factus ante tribunal cœli,qui temerè & iniquè iudicauit in terra:tam ſubita morte percuſſus,qui uirum innocentiſsimũ trucidare præcepit.Plura huius rei exempla ſi quis ſcire deſiderat,& cauere,ſcrutetur ſcripturas,& cautior,ac æquior euadet:& interim quiſque bonus iudex cogitet,potius moriendum eſſe, quàm alicui præter iuſtitiam ob odium,uel utilitatem,inferre mortem,aut uiolentiam irrogare, uel calumniatores legum admittere:qui non minùs quàm peſsimi medici,homines mortificantes,euertunt cauſas innocentum. Quàm uero temerarium atque peruerſum iudicium, Moſchouitarum gens inculta, hiſce Aquilonaribus hominibus multum uicina, etiam hodie obſeruet,paucis adijciatur. Quando enim duo,controuerſia inter eos orta,coram Magno Duce,alijsúe iſtius terræ iudicibus actione aliqua experiuntur,ac eorum more ſemper inter Chriſtianos execrabili, in iudicio proceſſum fuerit,uni tandem parti cauſa adiudicatur:non tantam autoritatem iudices ſibi attribuunt,neque ipſe Magnus Dux,ſententia quamuis iuxta gentis conſuetudinem prolata,ut rata habeatur: niſi etiam partes ipſam fortunam,ſummum illorum rebus finem imponentem,atque omnem iuſtitiæ executionem in ea potiſsimum conſiſtere ſibi perſuadentes, duello committendo experti eſſent. Quemadmodum enim Latini Rutulique,& ex aduerſo Hetruſci ac Troiani, controuerſiam eorum,ſi Aeneas,& Turnus,quorum cauſa bellum mouebatur, ſingulare certamen haud inirent,ſummamque fortunam præliando experirentur, componi ullis rationibus poſſe,ſibi perſuaſum habebant:ita etiam Moſchouitæ aliquam ſententiam,donec quorum intereſt,aut eorum pretio conductis militibus, ſupremam fortunam ſingulare certamen ineundo exploratam habeant, executioni minimè demandandam eſſe conſtanter affirmant.Quamobrem huic tandem res,de qua lis orta eſt,cedit,qui poſt dirum commiſſum prælium,aut eius nomine ſtipendiarius miles palmam pugnando obtinuerit,aduerſariumque aliquãdo uita priuarit,etiamſi per ſententiam à iudicibus latam,alteri cauſa prius adiudicata fuerat.Atque ſic apud eos iudicia peraguntur,ut innocens plerunque ab aliquo crudeliſsimo ſicario interimatur:quæ noſtris Chriſtianis auribus horrenda auditu uidentur, illi ſummis laudibus proſequuntur,maximiſque præconijs celebrant,ac ſuæ denique Reipub.(quanquam minimè Reſpub.appellari poſsit)incolumitatem ita commodè ſaluam permanere firmiter aſſerunt.

Exemplum mutui iuramenti inter Regem & ſubditos in uita Bambæ 82. Regis externi.

Bamba quemadmodum nobilitate ſanguinis illuſtriſsimus erat,ita in omnibus rebus gerendis prudens,ac moderatiſsimus uiſus eſt.Idcirco cum poſt mortem Recinſuindi magno omnium procerum conſenſu in Regem eligeretur,ægrè poſt longam deliberationem ad id induci poterat,ut ſuam libertatem tam graui ſeruitute permutaret. Nec paſſus eſt ſe Regem nominari,donec ſanctorum Regum exemplo per manus Pontificum inunctus, & coronatus eſſet.Facta erat ea coronatio Toleti per officium primatis Archiepiſcopi Toletani:in cuius manibus iurauit ſe fidem Chriſtianam,& Eccleſiæ libertatem, legeſque & conſuetudines patriæ integrè ſeruaturum:proceresque & populi uiciſsim ſuam fidem illi obligauerunt.Quo facto,cum ſe ex omni parte ſecurum exiſtimaret,bella in eum undique conſurgunt. Primum

enim

enim Vascones, deinde Nemausenses rebelles, præterea Narbonenses perdomuit. Ducem quoque Bitirreum in Gallia res Gothorum infestantem superauit. Saracenorum naues ducentas septuaginta ad Hispaniæ littus primum applicantes, magna ui animi (classe ingenti obuiam missa) partim cepit, partim depressit, prout extensius ostendunt historiæ Hispanorum, quæ à nobis summatim attinguntur. His bellis feliciter gestis, & pace undique restituta, Toleti (ut autor est Volaterranus) concilium decimumseptimum celebrandum curauit. Postremò ab æmulis medicata potione accepta memoriam amisit, regnoque administrando inutilis effectus, se monasticæ uitæ in cœnobio Pampligensi addixit, in quo uixit annos septē, cum prius octo regnasset: & tandem beato fine quieuit, in eodem monasterio traditus sepulturæ. Postea corpus eius per Alphonsum Regem decimum inde in urbē Toletanam translatum, in templo diuæ Leocadiæ collocatur.

Eurigius Recinsuindi consanguineus, amoto eius filio Theofredo, post funera Bambæ uiolentius, quàm iustius Gothorum Rex constituitur. Quamuis enim procerum electio illi plurimum suffragata fuisse uideretur, tamen præterito uero hærede non satis integra apparebat. Proinde regnum eius (quod septennio durauit) nullam clarorum gestorum memoriam ad posteritatis notitiam transmisit, nisi quòd eius tempore & cooperatione celebrata fuerint tria consilia Toletana, ad mandatum sancti Iuliani tunc Archiepiscopi Toletani conuocata, in quibus omnia priorum conciliorum decreta non solum Pontificia, sed etiam Regia autoritate robur & firmitatem acceperunt. Deinde Eurigius filiam suam Egitæ, qui Bambæ consobrinus erat, matrimonio coniunxit, ut ea affinitate Theofredus à legitima regni successione coërceretur. Laborabat eo tempore Hispania intolerabili alimentorum & frumenti penuria, tantaque fame premebantur incolæ, ut plurimi eorum relicto patrio solo, nouas per orbem sedes quærere cogerentur. Tandem Eurigius Toleti in fata concedens, regnum cum filia Cicilia, siue Cæcilona, Egitæ successori reliquit.

De ciuilibus Iudicibus, & bonis Aduocatis.
CAP. XXI.

IN Aquilonaribus regnis, quemadmouum & in alijs prouincijs, ob infinitam multitudinem, quæ ad malum prona est, diligenter obseruatur, ut quandoque prudentissima, seuerissima ac blādissima iudicia fiant. Dico prudentissima, quando in tumultuosis processibus ordine querelę, affectuum diuersitate cum incessabili clamore permixtæ, iudici fastidium, & horror generatur, ut quid & qualiter in tanta perplexitate dicere debeat aduocatus, & iudex moderatius iudicare, nesciat. Ideoque in hoc agone nunquam satis laudari poterunt fideles aduocati, uel mediatores, qui sic prudentiæ inseruire solent, ut dolores alienos subitis remedijs ualeant salua ęquitate alleuiare. Arduum enim est trepidantium, sed grauius calumniantium dicta componere, eaque coram peritissimo iudice posthabita formidine, uel obliuione referre. Si enim minus dixerint, illicò reputantur inimici: si magis, uel aliter, ueritatis oppressores habentur: quo tamen casu, domino causæ (si præsens fuerit) patrocinio timoris licere uidetur uerba subijcere meliori ueritati. Sed hæc exacta iudicia rarissimè fiunt in Aquilonaribus locis, quia ut plana fiant iudicia, & compendiosiora, (prout etiam Abbas de iudicijs suadet) recurritur ad arbitramentum, & demum quod iudex occurrat iniquitati per ęquitatem: quia multa consistunt in intellectu agentis, cum sit de sua conscientia, quæ per testes probari non possunt, sed per iuramentum: scilicet in causa dotis, hæreditatis, homicidiorum, & suspecta calculatione tributi prouincialium præfectorum.

De seuerissimis iudicijs.
CAP. XXII.

FIunt etiam seuerissima iudicia quando agitur de crimine lęsæ maiestatis, proditione Principum & prouinciarum, publicis incendiarijs, & falsificatione monetæ, atque limitibus agrorum, & possessionum, ac uirginum oppressione, & similibus causis, in municipalibus earum regionum (sub titulo uulgari gentis

gentis Edzoere dicto apertè contentis, ne inopia iustitiæ, & executionis eius, flagitia tam atrocia maneant impunita. Habent municipalia huiusmodi Gothica, aut Suetica, suas leges, usus, & consuetudines, satis compendioso uolumine per libros 15. ac singulos eorum titulos, & capita, ac paragraphos æquissima ratione, & prudentia diligenter distinctas. In primis uidelicet, quid Deo, religioni, & clero debeatur: quid denique Regi, principibus, & patronis: demum nuptijs, hæreditatibus, agris, & possessionibus, ac iudicibus, & reis &c. fieri debeat. Sed hoc partito ordine, & moderamine: communi tamen æquitate pro ijs, qui rurales prouincias incolunt, ac ciuicas constituunt inhabitationes. Omnibus tamen gratum, & utile, imò necessarium uidetur, interpretationem difficiliorum suarum legum sumere à Romanorum Principum prudentissimis rescriptis, & legibus: licet Imperatores, Septentrionales Reges obedientiam eis exhibendo non agnoscũt, nisi perniciosa discordia moti, stupido consilio auxilia petituri, sese incautius quàm utilius alieno moderamini subdant. Summo tamen Pontifici Romano post acceptam ante sexcentos annos Anglorum prædicatione Catholicam fidem, obedientissimæ fuerant illæ nationes. Scriptum enim audierunt, In omnem terram exiuit sonus eorum &c. Sed non ita edictum Imperiale, quemadmodum Gregorius VII. Vladislaum Bohœmorum Ducem specialibus literis informauit, ne ullo modo diuina officia populis idiotis in uulgari lingua, propter arcana, ac inscrutabilia mysteria in eis contenta, traderentur.

De blandissimo iudicio occasionaliter præferendo. CAP. XXIII.

OB austeritatem gẽtis, quæ procliuius alieno seducta errore exorbitat, quàm propria malitia, ratione addita delinquit, prudenter admodum, & blandè sapientes iudices legum seueritatem infringere solent. Melius enim modestia est, quàm ui agendum, maximè in re dubia, ardua, ac perplexa, ut potius suffragijs, quàm legibus terminetur: uel ad tam mites leges cuncta remittere, ut & actor, aut conquerens mereatur effectum, & reus nullam, uel tolerabilem se correptionem queratur sustinuisse, & præcipuè in causis subditorum à Dominis in ius euocatorum, dum humana imbecillitas semper metuit potentiorem: quia plerunque potentes armis, & pauperes rationibus sese defendere nituntur: imò quia in iudicio semper est suspecta potentia, dum uelle creditur, quod posse iudicatur. Quocirca semper est (uerecunda) pauperum querela, uel actio, ne uideantur ex iniuria prouocare. Deputantur ergo illis mediatores, seu aduocati, uiri prudentes, ac synceri: qui iustas eorum causas gratis defendentes, neque ex patrocinijs potẽtiorum, fauores neque ex humiliorum, gloriam, aut pretium captant. Et hi quoque non parua anxietate uexantur, quando nulli, aut pauci in populo iuri, sed amicitiæ fauent, & auaritiæ (quæ uitiorum parens, & magistra est) indulgent. Abolenda igitur erit talium suspecta in iudicio potentia, ut exemplo beatissimi Iob cum seruo, & ancilla iudicium subire non recusent: erat nanque is potentior principibus, sed humilitate certaminis conseruis æqualis.

De conditione iusti Iudicis, & Iudicij. CAP. XXIIII.

DEbet præterea Septentrionalis populi, sicuti & aliarum gentium, æquus iudex ad minus tres habere bonas conditiones: quarum una est, quòd discretionem habeat inter iustum & iniquum, & uelit quod iustum est, & nihil aliud ob quascunque causas iudicare. Altera, quod sciat, & uelit hoc exequi toto animo, & opere

opere adimplere. Tertia, quòd sententiam rectè, & clarè proferat, eiusq; iubeat fieri executionem. Demum daturus rectum iudicium, audiet equanimiter actorem, reum, & testes: sed primò actorem, quid, & quomodo, an scilicet ex petulantia, uel necessitate alium accuset, & an reus friuolè prouocauerat actorem, & testes subornauerat munere, pretio, sanguine, metu, fauore, uel odio corruptos: nulli tamen testi (ut præmittitur) corrupto, fidem adhibebit. Neque & ipse iudex idoneus est, qui aliquo præmissorum defectuum notatur, maximè odio, etiam si reus patrem iudicis occidisset, aut munere, aut opulentia totius mundi oblata, aut metu, illicò priuandus uita. Solet insuper prædici uolentibus coram Iudice deferre iuramentum, ut ualde caueant, ne periuri fiant. Circumstantiæ enim in eo actu concurrentes, plurimum ponderosæ sunt: quia iurans per librum tria facit. Primò, quasi diceret, Quę scripta sunt in libro, mihi nunquam proficiant, neq; lex noua, neq; uetus, si mentior in hoc iuramento. Secundò ponit manum super librum, quasi diceret, Nec bona opera, quæ feceram, proficiant mihi ante faciem Christi, nisi ueritatem dico, quę in Christo fundata est. Tertiò osculatur librum, quasi diceret, Nunquam orationes, neq; preces, quas per os meum dixi, mihi ad animæ salutem ualeant, si falsitatem dico in hoc iuramento mihi apposito.

De defensione iuratoria.

CAP. XXV.

Valde tritum, & usitatum est apud Septentrionales gentes, ut orta suspicione alicuius commissi grauioris criminis, ipse suspectus, uel accusatus, debeat se defendere suo, & alieno iuramento: utputa si alicui obijciatur, quòd societatem spoliando, occidendo, comburendo, ac captiuando habuerat cum hostibus regni, aut maleficium, sortilegium, & sacrilegium, aut domino fraudem intulerat, & ita de alijs: tunc solet illi deferri defensio iuramenti duodena, uel duplata manu, pro sui purgatione, modo quo superius (per librum iurando) dictum est, faciendisq; modus adhuc, quoties opus fuerit, fideliter obseruatur, imò & uetusto tempore per Gothos in Italia manentes, diligentissimè obseruabatur, quemadmodum euidenter ostensum fuit in quadam pecorina, seu pergamenica charta, quam clarissimus uir trium linguarum peritus, Ioannes Albertus Vueidmestadius, aliàs Lucretius, anno Domini M. D. XXXVIII. ex antiquissimo libro in ciuitate Perusina reperto, ut notitia ignotorum characterum & scripturarum fieret, R. D. Ioanni Magno Gotho Archiepiscopo Vpsalensi, manualiter tradidit interpretandam: quæ quidem charta quadrata, hoc in summa habuit: Si patronus uillicum, tanquam suspectum accusauerit, quòd tempore messis fruges deuidendo, aliquid alicui mutuauerat in patroni damnum, tunc uillicus ipse in iudicio duodecim legalium uirorum iuramento se purgare tenetur, uel geminata manu duodecim similium hominum, id est, 24. aut plurium pro qualitate criminum obiectorum. Et ita hodierna die in Gothicis regnis strictissimè obseruatur. Nec dubium est quin liber ille Perusiæ latens, eò deductus sit à regno Gothorum, dum ipsi dominium in Italia, ac Hispania, & alijs terris possiderent: argumento ad posteros relicto, Gothos ex ea terra originaliter exijsse, ubi tales leges, & characteres habentur, & in Perusia urbe clarissima adhuc reperiuntur: & insuper in Italia, ac Hispania aliquot centena uocabula (de quibus inferius nonnulla dicentur) in usu fore, quæ hodierno die in prædicto regno Gothorum perpetua hominum collocutione proferuntur.

De casti-

De castigatione insolentium puerorum.

CAP. XXVI.



ETsi uidetur quibusdam autoribus puerorum audaciam nec laudandam fore, nec uituperandam: tamen infallibilis sententia manet, quòd prona sit hęc hominum ætas ad malum, licentiaq́; accedente fiat deterior, & unum ex quatuor difficilimis sit, explorare uestigia iuuentutis. Quapropter extremis ingenijs & modis intendendum erit, instar agri, qui dumosis sentibus, & tribulis, ac zizanijs extirpatis, abundantius fructificare debet, ut ætas puerilis ab illicitis aspectibus, & officijs arceri, & abesse cogatur. Imò more peritorum medicorum sæuioribus morbis accelerata remedia tribuuntur, ut inde curationis fiat initium, ubi maius noscitur imminere periculum. Pereant soli nocentes, in correptione multorum, quando & hoc pietatis genus est, coercere infantiam criminis ne inuenescat augmentis: etiam receptatores sceleris, quales plagiarij dicuntur, seuerissima lege puniendi: similiter & otiosi, ac torpentes, quales in urbibus Italiæ tanquam omnium malorum artifices, sine numero & castigatione uidentur. Nec dici poterit, quanta mala proueniunt ex otio, & alieno cibo. Ideoq́; in ciuitatibus, oppidis, ac castellis, & maioribus pagis, ac uillis, præsertim in sacris cœmiterijs, legali usu cautum est, atq; diligenter obseruatum, ut quotiescunq; pueri, & iuuenes in chartis, taxillis, aut alia quauis arte pro pecunia ludunt, hos illico ministri præsidis per uim raptos, ac catenatos alligent statuis publicis, ad eorum insolentiam citius corripiendam fabricatis: quo fit, ut terra, nequitiosa stirpe liberata pacē sibi & peregrinis hominibus, ac uicinis amicis accommodet, ad adaugeat securitatem.

De mœstitia parentum leuanda.

CAP. XXVII.

MAxima interim mœstities bonis parentibus accedit, dum filios suos in deploratam conditionem corrupta societate, uel noxia seditione intelligunt incurrisse, ubi pridem eosdem ad quęuis uirtutum exercitia educarunt contineri, tamen ob sceleratam societatem à crimine non potuerunt eorundem insolentiam aliqua uel molli, uel seuera castigatione coërcere. Attamen dum infantis uteri sui pij parentes obliuisci nequeūt, iudicis autoritate uel illicò uirgis (semota infamiæ nota) eosdem pueros, & iuuenes corripi postulant, uel si contumaces remanserint in carcere strictissimo cibo fouendos includi precantur, donec rationis & discretionis accessu rectius intelligant, nequaquam honestum esse molestare parentes: qui demum eos tanquam de nouo semine paleis purgato productos, offerunt mansuetissimis pręceptoribus educandos. Nec frustra id effecisse cognoscunt. hos enim, ut ferrum igne mollitum, aqua densari solidariq́; consuetum, quouis genere uoluptatum exutos, bonisq́; moribus & disciplinis instructos, pijs mœstisq́; parentibus restituere solent.

De bo-



De bono modo educandi pueros.

CAP. XXVIII.

PRodeſt plurimum in educendis pueris (ut Epiſcopus Caietanus Patricius Senenſis refert) laudata induſtria, obiurgata deſidia, ſpes, metus, alluſio, & dolus omnis bonus, qui in curanda eorum ualetudine in medicis fieri ſolet, ut dulcedine decipiantur. Hoc quidem præclarè uerſibus exprimit T. Lucretius Carus in lib. ſuis de natura rerum:

Sed uèluti pueris abſynthia tetra medentes
Cùm dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci, flauoq́ liquore,
Vt puerorum ætas improuida ludificetur,
Laborum tenus interea perpotet amarum
Abſynthi laticem, deceptaq́ non capiatur,
Sed potius tali tactu ræ creata paleſcat.

Hoc optimo præcepto non modò corporibus, uerùm & animis puerorum melioribus reddendis, prodeſſe uidetur, ſcilicet præferantur æqualibus, & ab eis laudentur, à quibus inſtituuntur: ubi ſi bene geſſerint, plurimum acuit pueros in omnibus ſtudijs, ut etiam in addiſcendo fiant ambitioſi: ſed diſputatione uicti, uictori laudes reddant, contendantq́, ut melioribus inſtructi diſciplinis, uicti reſurgant.

LIBRI XIIII. FINIS.

OLAI MAGNI GOTHI ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS DE DIVERSIS HOMINUM EXERCITIJS

LIBER XV.

PRÆFATIO.



PARENTES puerorum ingenia experiri uolentes, quorſum naturali inſtinctu ferãtur, ad hanc, uel illam artem ſæpiſsimè prognoſticãdo inuigilant, quibus exercitijs, & utilibus officijs, innocentia dirigente, ad bonum Reipub. pueros illos applicent educandos. Vis etenim (teſte Cic. lib. 5. de felicitate & miſeria) humani ingenij à natura ſic generata eſt, ut ad omnẽ uirtutem percipiendã facta eſſe uideatur: ob eãq́ cauſam in tenera etiam ætate, pueri uirtutum ſimulachris, quarum ſemina in ſe habent, ſine doctrina mouentur: quocirca de eo, quod illis ſupereſt, alijs gratificari uolunt: idcirco æqualibus elargiuntur: animaduertũt etiam quę domi fiunt: curioſius conantur addiſcere, & prouidè multa interrogant, etiam nomina eorum, cum quibus uerſantur, ut cum paribus decertantes, uel uictores lętanter exultent, uel uicti erubeſcant, ut apposita diligentia perfectius ſtudendo reſurgãt. In quo certamine cum pudor ingenuus potius, quàm pallor exanimis appareat, bonę indolis eſt optimum ſignum. Quocirca prouidorum parentum cura eſt, ut natos interrogẽt, quibus artibus, aut ſtudijs maluerint applicari, ut artis & naturæ foueatur ingenium, quò ciuis, uel alumnus aliquis emergat, qui dijs, parentibus, & magiſtris ſit optimè profuturus. Verùm in Aquilone, cum à maioribus pueri nil præter arma, aruaq́ tractari proſpiciunt, communius ſpectaculum imitantur armorum, quàm literarum.

De puerorum exercitijs.

CAP. I.



NE autem Gothorum pueri, & adoleſcentes ignauia, & otio torpeſcere permittantur, aut damnatis artibus primos annos tranſigant iuuentutis, pro conſuetudine ſemper ſeruatum eſt, ut diuerſis exercitijs inſtruatur exilis ætas, præcipuè militaribus exercitijs reſeruanda, in ſagittatoria arte, iuxta uniuſcuiuſq; ętatis capacitatem, ut ſe diligenter exerceant: eo uidelicet modo, ut nō panis quidem pueris exhibeatur, niſi ſagitta prius tetigerint metam, inſtructorum induſtria collocatam, prout in ſimili caſu Strabo meminit lib. 3. de funditoribus Hiſpanorum. Hominibus uerò grandioris ætatis nulla pœna infligitur, quia mutua æmulatione ſeipſos inuicem artis perfectione omnimodè ſuperare contendunt, maximè ut rapaces beſtias continuè apud eos ſæuientes, interimere poſsint, & patriæ, ſuamq; libertatem hac arte tueri. Reperiuntur itaq; pueri uix 12. annos egreſsi, tanta peritia ſagittandi inſtructi, ut iuſsi telo traijcere caput, pectus pedesq; minimarum auium, à longe poſitarum, infallibiliter tangant: nec minus ſenes oculorum aciem adhuc retinentes. Huius rei monſtruoſum exemplum Saxo Danorum hiſtoricus de quodam ſene adducit: cuius balliſta tam portentoſo cornu protendebatur, ut denos neruo calamos adaptaret: hi uegetiore iactu pariter in hoſtem detorti, totidem numero uulnera confecerunt: quo facto in memoriam reuocatur Periclymenes Neleus, cui (ut inquit Ouidius) poſſe ſagittas,

Sumere quas uellet, rurſumq; reponere ſumptas,
Neptunus dederat, Nelei ſanguinis autor.

Ad idem.

CAP. II.

ADducit etiam diligentiſsimus Germanicarum rerum ſcriptor Franciſcus Irenicus, populos Septentrionales ſagittariorum nomen æquius ab antiquiſsimo tempore meruiſſe, eosq; ſolere ſpicula ueneno tingere: quod & Iordanes aſſerit, atq; Silius:

Dacus in armiferis Gethicæ telluris in oris,
Spicula qui patrio gaudet acuiſſe ueneno.
Ouidius etiam in Triſtibus idem habet:
Pars cadit hamatis miſerè confixa ſagittis.
Nam uolucri ferro tinctile uirus ineſt.

Quod Ouidius de hamatis ſagittis dicit, teſtatur hoc ipſum modernus uſus, etiam quod Plutarchus in Mario exprimit, Cimbros uidelicet tricuſpide telo uſos fuiſſe, prout ſuperius oſtenſum eſt latius cap. de diuerſis telorum generibus lib. 7. Præterea Procopius lib. 2. Gothos, ac Maſſagetas ſagittarios peritiſsimos aſſerit, eosq; eminus ualidiorem ſemper ſeruare uim iaculandi, præſertim cum ſagittas ſublimius ad aëra tendunt, ut citato curſu, & ferrei teli grauitate deſcendendo nocentius lædant. Sed hoc ſpecialius proprio cap. ſuperius eſt oſtenſum: ſolum præſens capitulum de tyrocinio puerorum in hac arte inſtitutorum nonnullis exemplis & exercitijs declaratur. Præterea aduertendus eſt Nazarius Mamortinus ad Diocletia-



Diocletianum asserens, Optimos sagittarios Bohœmos esse: etiam quod historia Scotorum meminit de Rege Iacobo eius nominis primo, qui seueris legibus & pœnis artem sagittandi subditis suis M.CCCC.XXV. regnans, seruare præcepit. Refert etiam Suetonius Domitianum Imperatorem peritissimum fuisse sagittatorem Similiter (ut charissimus frater meus, Io. Archiepiscopus Vpsalensis, in sua historia refert) Rex Suetiæ Stenchillus peritissimus sagittator erat.

De Stenchillo Suetiæ rege ipsiusq; Sagittariæ artis peritia, pietate, & fortitudine. Ioan. Mag. lib. 18.

Stenchillus deinde Olaui Schotkonung ex sorore nepos, quemadmodum ante inter Gothiæ & Suetiæ proceres concordatum fuerat, in demortui Haquini locum successit, inter optimos quosque Reges optimo iure connumerandus. Quippe non solum transitorij imperij negotia prudenter, diligenterq; curauit, uerumetiam totas animi sui uires ad augendam, propagandamq; Christi fidem ita accommodauit, ut prioris Stenchilli non solum nomen, uerumetiam eximiam pietatem in se transtulisse uideretur. Quippe ut ille missis ad Adagarium Archiepiscopum Bremensem legatis, sanctissimos, & in Christiana lege doctissimos Episcopos Adaluardum & Stephanum ad se mittendos curauit: ita hic secundus Stenchillus ab Alberto Archiepiscopo Bremensi diuinæ legis doctores & sacerdotes impetrauit. Quamuis enim S. Sigfridus Eboracēsis in Anglia Archiepiscopus (ut diximus) complures in lege Domini, & moribus Christianis instructissimos in Suetiam & Gothiam secum adduxisset, tamen quia messis illa Euangelica nimis multa erat, operarij uero pauci, necessarium fuit, non modo Anglorum & Saxonum, uerumetiam aliarum nationum nuper ad Christum conuersarum auxilium à pientissimo & Christianissimo Rege implorari, ne uinea Dominica necessarijs cultoribus destituta, atq; ab eo derelicta aresceret, qui se ueram uitem dignatus est appellare: & quia totum studium suum ad augendam gloriam Christi conferebat, contulit ei Deus tempora & annos ferè omnes quietos & tranquillos: in quibus optimas leges condidit, concordiam ubiq; in regno restituit, & quicquid ad componēdum Reipub. statum attinebat, ita instituit, ut nullus esset in tam amplissimo regno, cui præsens rerum status displicere potuisset. Omnes quippe ciues & incolæ ab eo magnopere diligebantur, præsertim Vestrogothi: apud quos credo ipsum continuam moram habuisse, nec se permisisse ad illum angulum Holmensis ciuitatis (quemadmodum nunc fit) coarctari. Erat enim eo tempore apud Vestrogothos opportunior Regum habitatio, tum quia Anglis confœderati erant, tum etiam quia uicinorum Danorum insidiæ repellendæ erant. Nam tribus prælijs eos ob regnorum limites superasse dicitur. Tribuunt autem Sueticæ historiæ huic Stenchillo insignem quandam corporis molem, & giganteam fortitudinem; atq; incredibilē sagittariæ artis industriam, de qua non minora referuntur, quam Suetonius Tranquillus de sagittaria arte Domitiani commemorasse uidetur. Tandem hic Stenchillus post multa clarissima gesta apud Vestrogothos uitam & regnum morte commutauit.

De singularibus exemplis eius artis.
CAP. III.



EXperientia autem in prædicto Domitiano (eodem autore Suetonio) erat, ut nonnunquàm in pueri procul stantis, præbentisq; pro scopo dispansam dextræ manus palmam, sagittas tanta arte direxerit, quòd omnes per interualla innocuæ euaderent. Nec minore artis excellentia commendatur Aster ille oppidanus apud Solinum, qui Philippo patri Alexandri Magni, sagitta oppido emissa oculum ademit dexterum. Erat etiam quidam Auo sagittarius cognomento, promptissima sagittandi opera utens: dum uideret in se

arcum sinuosum per aduersarium tendi, triplici sagitta fretus, eius impetũ præuenit: prima namq; cordis summa transfixit, altera medijs digitis impacta successit, tertiã in applicatam neruo sagittam immisit, in nullo cedens prædicto Domitiano. Ita tenso arcu sagittarum usum nouerat ad libitum moderari. Fuit & quidam Biarmiensis senex in ultima regione Arctico polo subiecta, adeò in hac arte peritus, ut tensa fortissima ballista, denos neruo calamos adaptaret, atque in hostem, aut quem uellet, rectissimè dirigere posset. Nec parua laus Darij ad posteros relicta est, ut in epitaphio eius ostenditur, quòd excellentissimus sagittator fuerit, & uenator.

Adhuc de alijs exemplis eiusdem artis.

CAP. IIII.

FVerat quoq; Gothis telorum usus semper acerrimus: nec alia gens potiore iaculandi peritia unquam instructa est grandibus, & latis sagittis: quarum duro acumine ita dimicant, ut clypeos iaculis transuerberent, galeasq;, & loricas perinde ac inermia corpora penetrent: nec alia res hostibus Gothorum unquam perniciosior fuerat: quorum plurimi adhuc præsenti æuo tam copioso sagittandi usu callent, ut pomum quantumcunq; exiguum, baculo certa distantia superpositum prima spiculi directione feriant. Quod cum quidam Tocho de se liberius, quàm securius olim polliceretur, Haraldi Regis improbitas filium eius loco baculi, imposito capiti eius pomo, statui imperauit: cui, nisi promissionis autor primò sagittę conatu pomum impositũ excussisset, proprio capite inanis promissionis pœnas lueret. Itaq; Tocho in arcto positus, consilium demendæ à filio formidinis circumspiciens, uultum eius, ne uiso telo terreretur, auertit: monuitq;, ut ęquis auribus, capiteq; indeflexo quàm patientissimè strepitum iaculi uenientis exciperet: ne leui corporis motu, efficacissimæ artis experientiam frustraretur. Tribus deinde sagittis pharetra expositis, prima, quam neruo inseruit, propositum obstaculum incidit: cui si fortuna caput adolescentis obiecisset, hauddubiè in patris periculum nati pœna recidisset, spiculiq; error percussorem percussi exitio sociasset. Interrogatus autem à Rege Tocho, cur plura pharetræ spicula detraxisset, cum fortunam arcus semel duntaxat experiri debuisset, Vt in te, inquit, primi errorem reliquorum acumine uindicarem, ne mea fortè innocentia pœnam, & tua uiolentia impunitatem experiretur.

De eodem.

CAP. V.

TRadit prætereà Saxo, Enarum quendam Noruegianum magno corporis, artisq; sagittariæ robore præditum, tanto rigore cuiusdam mirifici arcus tormentum intendere solitum, ut excussum ab eo iaculum nulla rerum duritia sisteret, quominus citato motu uniuersum penetraret obstaculum. In malum nauigij incidens, lignum uiolentia sua peruium habuit. Eodem interiecto Regis clypeo, tabulæ ratis illapsum, uix inter undas impetus sui finem reperit. Itaq; grauius hostem solus, quàm tota sociorum manus affecit: & adeò certo ictu destinata feriebat, ut quicquid impetebat, offenderet: quo euenit ut Sueno Rex tormenti monstro territus, plus metus in uno stipite, quàm tota hostium classe reponeret: cumq; solum in eius corruptione remedium animaduerteret, nõ tam sagittarium, quam artis sagittariæ instrumentum, ab eius rei peritis impeti iubet, uiolata arcus fortuna tutius bellum gerere cupiens, in quo delectis certatim tela congerentibus, unum fortè arcui impactum artificem ingenio, hostem uictoria spoliauit: cumq; latè ruptionis eius fragor obstreperet, stupens Olaus quidnam esset comminutum



comminutum, interrogat. Cui Enarus, Conuulsam, inquit, abs te Noruegiam puta. Plus nanq; opis in arcu, quàm exercitu repositum iudicabat, futurum pugnæ exitum abscisa responsi sagacitate complexus. Nec secus, quàm prædixerat, euenit. Fractio nanq; arcus insecutam Noruegianensium cladem ominata est: & illicò Olaus armis onustus, præcipiti saltu profundum petijt.

De sublimioribus metis, sagitta tangendis.
CAP. VI.



COmmunis apud Septentrionales, aliasq; innumeras gentes, eis tam ultramarino loco uicinas, uiuendi ratio est, ut in principio æstatis omnes sagittarij, tam urbani, quàm campestres diebus feriatis, uel festis in planitie specialiter ad id ordinata, conuenientes, sagittatoriæ artis omnimodam peritiam publico aspectui æstimandam ostendant: idq; uel in ęreis bombardis, uel ballistis, uel arcubus est permissum: ea tamen lege, ut talibus tormentis, & globis in plano contingant ligna. Fortissimis uerò ballistis metam instar auis Papagalli, ualde sublimi loco in hasta ferrea impositam, atq; uersatilem, obtusis sagittis ut incidat, dissoluunt. Quo facto, eius artis peritiorem magistratus insigni munere gratanter respicit, atq; inter optimos quosq; ciues singulari aliquo priuilegio concesso uiuere sinit. Reliquos etiam secundum uniuscuiusq; artis excellentiam decenti liberalitate collectos, conseruant, ea potissimum ratione, ut eorum singulari ingenio, paucarum sagittarum emissione, obsidione ingruente, hostilem Principem interimant, atq; eo compendio patriæ rapinas, & seruitutem auertant, prout superiore capitulo Asterille oppidanus Philippo oculum eruit dextrum. Eoq; exemplo plures apud Gothos, imò omnes alias orbis partes, sagittæ ictu olim in obsidionibus sublati sunt, recentiq; quidam solo capite, quidam dentibus euulsis, quidam oculis erutis, quidam gutture exciso, mox interiere, ita etiam, ut pueri artis peritia æreo tormento maximis principibus uitam ademerint prout superioribus annis extra Holmiam in Suetia, atq; Groningiam in Frisia, recens memoria attestatur.

De externis exemplis.
CAP. VII.

QVantum uero Commodus Imperator sagittis in bello, uel spectaculis ualuit, satis claret ex Herodiano lib. 1. Asserit enim eum adeò certum fuisse manu, ut quodcunq; destinaret, iaculo sagittaue contingeret. Erantq; cum illo assiduè Parthorum sagittarij lectissimi, ac Numidę iaculatores: quos ille tamen omnes longè artificio superabat. Publico igitur spectaculo ceruos, damas, & cornigera animalia, præter tauros, in paradromide currens, atq; insequens impetebat, ac preuenta fuga certissimis ictibus prosternebat: Leones uerò, & pātheras, aliaq; id genus nobilissima animalia, iaculis confodiebat, sic ut nec telum quisquam secundum, nec uulnus uiderit, nisi letiferum, quò bestiæ conficerentur: adeò telum certa manu eius missum, nunquàm aberrauit. Idem aliquando sagittas limatæ cuspidis in Maurusias struthios intorquebat: quæ & pedum celeritate, & alarū quasi uelis ocyssimè ferebantur, sic ut summum contingerent collum: atque ita capita amputaret, ut exectis ceruicibus (qui teli impetus fuerat) aliquandiu tamen uiuen

tibus similem cursum continuarent. Quin & pantheram, quendam scilicet in arenam deductum laniaturam, ita opportuno uulnere consecutus est, ut interfecta belua hominem seruauerit, ac dentium quoq; aciem cuspide ipsa iaculi præueniret. Leones item cauea centũ eductos, totidem missilibus uniuersos occidit: ita suo ordine iacẽtibus corporibus, ut numerari facilimè singula possent, nullo scilicet superuacuo incidente telo. Sed hic commodus nulli Commodus, ad ultimum ueneno extinctus est.

De ritu fugandæ hyemis, & receptione æstatis.
CAP. VIII.



POstquam Septẽtrionales populi communiter à principio Octobris ad finem Aprilis asperrimas hyemes, & longissimas noctes, sæuosq; flatus, pruinas, niues, caligines, tempestates, immensasq; frigora, & reliquas sæuientium elementorum mutationes, quasi concessa solatia alacriter transierant, mos est diuersus in gentibus illis remotissimè distantibus, nempe quod redeuntem solis splendorem singulari tripudio, præcipuè uersus polum Arcticum habitantes, excipere soleant. Qui enim montosa sublimioraq; loca incolunt: mutuis conuiuijs gaudia multiplicantes exultant, eò quòd uberior redit uenatio, atq; copiosior piscatura. Suecis autem Meridionalibus, & Gothis, longissimo prouinciarum spatio à polo remotis, alius ritus est, ut primo die Maij sole per Taurum agente cursum, duplices à magistratibus urbium constituantur robustorum iuuenum, & uirorum equestres turmæ, seu cohortes, tanquam ad durum aliquem conflictum progressuræ: quarum altera, sorte deputato duce dirigitur: qui hyemis titulo, & habitu, uarijs indutus pellibus, hastisq; focalibus armatus, globatas niues, & crustatas glacies spargens, ut frigora prolonget, obequitat uictoriosus: eoq; duriorem se simulat, & efficit, quò ab uaporarijs stiriæ glaciales dependere uidentur. Rursumq; alterius equestris cohortis præfectus æstatis, Comes Florialis appellatus, uirentibus arborum frondibus, folijsq; & floribus (difficulter repertis) uestitus, æstiualibus indumentis parum securis, ex campo cum duce hyemali, licet separato loco, & ordine, ciuitates ingrediuntur, hastisq; edito spectaculo publico, quòd æstas hyemem exuperet, experiuntur.

Ad idem.
CAP. IX.

VNde & acriter utraq; parte triumphare cupiente, illa uehementius alteram urget, quæ eo die ex aëris clementia, uel austeritate uidetur mutuare uigorem. Si hyemis asperitas adhuc suum gelu spirat, depositis hastis cineres uiuis ignium scintillis commixtos, urnis uel saccis extractos, obequitando hyemis persona, super aspicientes effundit. Similiter & hi, qui eodem cultu & habitu, quasi auxiliares turmæ adiuncti sunt, in equis igniuomos globos eijciunt in aspicientes. Ne autem æstatis persona ob defectum ramorum uirentium, florumúe, cum sua equestri cohorte priuetur honore cupito, longè antea betuleas frondes, seu tiliæ uirgas uaporarij calore, & irrigatione artificiosè uirentes, quasi è sylua productas, clanculo elatas, sed apertè reductas ostendit: quo casu ob defraudatam naturam hyemis propugnatores infestius instant, ne dolo quæsita uictoria emergat, aut si-

stat



stat in placida pompa: quę tamen fauorabili astantis populi, asperrimum hyemis dominium peramplius sufferre negantis, iudicio, digna iustaq; sententia conuincitur, ut ęstati pro publica lętitia uictoria cedat, uictoriamq; partam splendido instructo conuiuio æqualibus perficiat, & corroboret haustibus: quam assequi uix potuit hastis. Ne autē ritus is externo exemplo carere uideatur, Herodotus lib. 2. asserit Rhampsinitum, quendam Aegypti Regem, ob sui memoriam perpetuandam, è regione uestibulorum templum Vulcani ab Occasu spectantium, duo simulachra quinum & uicenum cubitorum longitudinis reliquisse: quorum quod Aquilonem spectat, id Aestatem: quod Austrum, id Hyemem Aegyptij uocant, præpostere facientes.

De Maialibus festis.
CAP. X.



DEmum omnibus tam syluis, quàm pratis, & campis uirescentibus, & florescentibus, sole per Cancrum transeunte, hoc est in Vigilia Natalitij ortus diui Ioannis Baptistæ, (quem diem miris festiuitatibus seruabat antiquitas, celebriq; cultu posteris seruandum docuit, & pręcepit) populus omnis utriusq; sexus & ætatis, turmatim in publicis plateis urbium, aut planitie camporum, ubiq; copiosis accensis ignibus, pro choreis tripudijsq; exercendis, concurrere solitus, uetustorum heroum domi, forisq; magnifica gesta ubilibet in orbe peracta, saltando decantat: etiam quid illustriores fœminæ pro æternis assequendis laudibus, amore seruandæ pudicitiæ perfecerunt. Prętereà quid degeneres, ignauiq; nobiles, crudeles, tyranni, & turpes fœminæ exclusa honestate fecerunt, patrijs cantionibus, & rhythmis sonantibus citharis, ac tibijs alternatim adductis, exoluunt. Insuper puellę matrum doctrina premonitæ, quot quantaq; mariti uitia, in lusibus alearum, rixa tabernarum, luxu uestium, societate scurrarum, & continua ebrietate, & crapula exerceant, psallendo resoluunt. Sed rursus ingeniosiores adolescentuli concinere norūt, quàm pigerrimę, fallaces, indomitæ rixosæ, garrulæ, nugaces, & infidæ sunt mulieres, ne sola querela maritos sugillent. Deinde quid perfidi ciues, uersuti artifices, uagi negotiatores, stertentes nautæ, rusticiq; infideles, & astutissimi proditores, ac blandiloqui adulatores, & auari crudelesq; terrarum pręfecti efficiunt, uarietate cantionum, & musicis instrumentis exponunt: ea potissimum ratione permoti, ut tenera iuuentus agnoscat, quàm excelsa, ac splendida uirtus sit, æternisq; laudibus digna, bonorum inhærere uestigijs, & à pessimis resilire, ac præcauere exemplis.

De turpibus cantilenis auertendis.
CAP. XI.

SOlent tamen pij parentes præcipuè cauere, ne proles eorum turpes addiscant cantilenas, aut turpes exhibere corporis gestus, neùe innocentes mille scandalis lædant. Nec uerò negandum erit, quin aliquis in tanta multitudine exiliens Hymenæus, uelut Veneris Bacchiq; filius, ex officio ad nuptias & thalamos psallere solitus, libidinosas & lascivias excitet imaginationes, ac operationes. Sed nunquàm uisum, nec auditum est, quòd ad turpidinem pop[illegible] ap plausu, uel abdito loco, aliqua mulier seipsam (contempta naturali uerecundia

monstrauerit inspiciendam: quia ea Diogenis Cynica secta, nusquam in Septentrionalibus populis repugnante pudore obtinuerat locum: quàm B. Augustinus alijq; graues autores, gentilitate Romanorum, uelut impurissimam & detestabilissimam, introductam fuisse attestantur: de qua etiam Perottus in Commentarijs suis, nescio quàm cautè, legentibus plurima exempla producit. Non fuisset contemnenda Platonis censura lib. 2. de legibus: ubi sub constituta pœna prohibet, ne turpes cantilenæ canantur, neq; infames picturæ monstrentur, prout superius cap. de Mascharis & personatis est enarratum. Vnum tamen in æternam commendationem Regiæ ciuitatis Gedanensis, terræ Prussiæ uersus Aquilonem, hic afferre licebit, quòd circa annos Domini M.D.XXX. quidam impurissimi mercatores, nimia licentia præsumptuosi facti, numero septem, cum tot meretricibus nudato sexu choream (quam Adæ Euæq; uocabant) præmissa turpissima saltatione instituere conantes, in ipso exordio iussu magistratus capti, & ad publicam statuam ignominijs plenam, uehementissimis chordis, ac asperrimis uirgis cæsi, bonisq; omnibus priuati, extra dominia eorum, & portam ciuitatis ministerio tortorum educti, perpetuò sunt proscripti, domusq; solo æquata, sub lege annexa, ne quis eam ullo unquam tempore inhabitaret. Fundus, & domus hæc cuidam famosissimo mercatori, Iacobo Campen nomine attinebat: hunc locum cum eo, sententiam prædicti magistratus approbante, aliquoties uidi.

De lusu aleæ, & Schacorum.
CAP. XII.



CVm nihil difficilius sit in humanis rebus, quàm mentes & affectus hominum, quo iudicio ferantur, intelligere, aut omnigenis uoluptatibus, uel tristitijs immersos, quomodo passiones moderari ualeant, perspicaciter intueri: mos est ergo apud illustriores Gothos, & Suecones, filias suas honesto coniugio collocaturos, procorum animos miris ingenijs & passionibus examinare, præsertim in ludo Latrunculorum, seu Schacorum. Eo enim ludo ira amor, petulantia, auaritia, socordia, ignauia, aliæq; plures dementiæ passiones, & animi motus, fortunæq; uires, & proprietates demonstrari solent: scilicet an procus agrestis animi sit, quod subitò triumphando indiscretè exultet, aut iniurias illatas cautius pati, uel modestius auertere norit. Sed in potu pro secretioribus cordis arcanis, & corporum uitijs detegendis, nullam existimant hac experientia uoluptatem commodiorem. Nam cum biberit quis (quod & Plato de legibus attestatur) primò alacrior fit, quàm prius erat: deinde quo plus biberit, eò meliore, maiori, ac fortiori spe, atq; insuper potentia pro sua opinione repletur: tandem quasi sapiens ea homo confidentia, libertate, audaciaq; tumescit, ut intrepidè & dicat, & faciat quicquid placet: & deniq; ea committit, quæ facilè futuræ uitæ progressum certioribus signis ostendant.

De eo-



De eodem.
CAP. XIII.

HIsq; uisis auspicijs, prouidi parentes charorum liberorum connubia discretius amplectenda, uel refutanda moderantur. Non enim fallitur suspicio, quin ex improbo ludo cuiuscunq; sit generis, siue Schacorum, siue aleæ, chartarum, & tesserarum, ad exhauriendam longi temporis quæsitam substantiam, & uictum, etiam usque ad uenditionem propriæ libertatis, intendatur uia: prout Cornelius Tacitus, & Beroaldus de aleæ lusu meminerunt, quòd peruersissima pertinacia cum adiuncta blasphemia, & sexcentis maledictionibus exercetur. Nec sibi blandiantur Ecclesiasticæ personæ, quod eisdem uideatur Schacorum ludus esse permissus: quia ludendo deperditur nobilissimum tempus, melioribus incrementis pro scelerum expiatione, & pauperum consolatione, ac communi bono distribuendum. Contrarium facientes, etiam si Antistites sunt, sequantur consilium Vincentij in speculo hist. lib. 25. cap. 52. de quodam Archiepiscopo Florentino loquentis: cui propter ludum Schacorum persuasum fuit, ut eleemosynarum largitione, manibusq; abolere curaret, quod turpiter, & temerè (ut eodem cap. dicitur) polluerat manibus suis. Asserit prætereà Valla, Regem Arragoniæ Ferdinandum, aleatores ut pestes habuisse exosos: nihil enim boni uiri adesse existimatur in aleatoribus, & blasphemis.

De uarijs exercitijs iuuenum.
CAP. XIIII.



CVm ex otio & torpore, presertim in re militari, detestabilis incommoditas enascatur, prouisum fuerat è uetusto tempore, duratq; in hunc diem, ut iuuenes freno militaris discipline ad bella domandi alij hastis, alij saxis, alij saltu, alij cursu, continuata agilitate exerceant uires suas. Hastis itaq; in primis, ut graues, densasq;, & fortes militares lanceas, intus non excauatas, in prælio ferant, & hostem duplici thorace armatum, si poterunt, transfigant. Siue enim grauis, siue leuis armaturæ suo tempore campum ingressuri sunt, semper utendum est grandibus, ac densis hastis, ut hostem gemino thorace, & lorica munitum penetrent aggressuri, prout superius de bellis fuerat enarratum. Lapides, seu saxa iactant, ut discant fortiori iactu obiecta admota repellere, uel tenere, quemadmodum uulneratis in conflictu accidere solet: qui fortium sociorum manu, ne corruant, tenti, ut celerius curentur, è prælio sint deferēdi. Saltu quoq; se uehementer exercent, ut crescentis aruinæ, uel abdominis incommoda restringant: ne fortè obeso uentre laxato, sibi, aut alijs iumenta ascensuri, uel descensuri, fugiendo, uel aggrediendo non succurrere possint. Vnum tamen atque alterum exemplum licet hic referre, Nobilem quendam ciuem fuisse Regię ciuitatis Holmensis in Suetia, natione Germanum, uel Cimbrū de Ditmersia, nomine Clauos Boya M.D.XX. qui cum præcepto seuerissimi Regis Danię Christierni 2. in carcerem, ut uitam amitteret, intrudendus esset, & ob nimiam pinguedinem, in carceris sublime ostiolum angustum nequaquàm intrudi posset, indignatione impiorum satellitum, ad aliorum torturam festinantium, seorsum ad angulum est eiectus, & denuò durante uita saluatus. Is ciuis nihilominus, ut aruinam olim peritorum medicorum

dicorum consilio reprimeret,cymino,& aniso cum tosto pane usus est:sed nihil in hoc naturæ conflictu poterat prẹualere,quia in adolescentia absq; exercitijs fuerat educatus.

De externis exemplis.
CAP. XV.

PRẹtereà alius quidam malitiosus histrio,ob nimiam pinguedinem, teste Alberto Crantzio,eò quòd singulo die decem hominum cibos deuorare soleret,ne utilium laboratorum escas quasi publicus depopulator consumeret, iussu alterius Danorum Regis est suspensus. De saltu,& commodis eius dictum est,scilicet quòd dominis suis mira agilitate fossas transiliendo,fideles ministri perticas, seu hastas,quibus hostem à tergo persequentem euadant, administrare posśint. Cursu etiam satis diligenter sese exercent Aquilonares,maximè urgente asperrimo gelu,quo ludus conuertitur in necesśitatem. Prætereà multis alijs seriosis exercitijs succesśiuo tempore,uti olim Cæsaris milites applicantur:scilicet aggeres componere,machinas trahere,naues reficere,agros demetere, frumenta succidere,remos ducere,dominũ humeris portare,equos adaquare,syluas incidere, uixq; nocturnis temporibus à laboribus quiescere,quemadmodum militaris disciplina requirit:ne detestabili otio,luxu,torpore,ignauia,stupiditate, & relis portentosis erroribus,& uitijs,optima adolescentia,uel militia turpisśimè corrumpatur,prout Iustinus attestatur, imò & Suetonius de Octauio Augusto: quod scilicet filias suas noluerit unquàm inani otio lasciuire,uel perire.

De exercitijs gladiatorijs.
CAP. XVI.



DEmum ut omnia alia,quẹ ad seruandas,acuendasq; uires attinebant,asśidua ingenij exercitatione tractabant antiqui Septentrionales:ita à gladiatoribus uitandi inferendiq; ictus consuetudinem studioso exercitij genere contrahebant: quorum quidam insigni dimicationis arte callentes, aduersæ frontis supercilium infallibili ictu ferire solebant: quo si quis recepto uersilitate palpebræ timidius conniueret,mox aula eiectus stipendijs defungebatur. Tãtum enim uirium animis eorum à natura,& uisu insitum erat,ut etiam receptis in uultum ictibus,ne leues quidem superciliorum nutus ederent,atq; aduersus omne percussoris irritamentum in eodem habitu animum continerent, in nullo mollius se gerentes,quàm pugiles Olympici:de quibus grauisśimi autores testantur,quòd durisśimas plagas excipientes,& cæstibus contusi, nihil omnino ingemuerint. Enimuerò Aquilonaribus uiris nullo unquam tempore iure dici potuit Ennianum illud. Vos etenim iuuenes animos geritis muliebres. Aut illud: Sal macida spolia sine sanguine et sudore. Sed tales erant,ut eis nullus labor insolitus, nullus locus asper,aut arduus erat:non armatus hostis formidolosus, non mors ipsa terrorem eis incutere ualuit,adeò ut quandoq; in duello morientes,soluto in risum ore,per summam doloris disśimulationem spiritum reddiderint,

De eo=





De eodem, ne precario uiuerent.

CAP. XVII.



TAmquè generoso animo fuerunt, ut bello intercepti, sæpe in libertatem restitui potuissent, si saltem preces quantulascunque pro ipsa uita porrigere uoluissent. Sed precariæ uitæ usum animi magnitudine floccipendentes, uitam perinde atque paruulum aliquod beneficium respuerunt, mortis sententiam sua sponte complectentes. Adeò salutem dedecore, uel dedecoris specie mercari uirtus ignorat. Enimuero nullus uult laudis titulos, aut præmia captans, ignauo torpere metu: sed fortibus ire obuius, nec gelidum expauescere ferrum. Quòd autem contemptores mortis perhibentur, multiplici ratione consyderatur, cum in Septentrione sana sit cœli influentia, & syderum bonitas: quæ robur his addunt, & mortis contemptionem pariunt, sicuti Ioannes Eschendensis in prima triplicitate sub Septentrione, & Occidentis angulo, ubi Iupiter & Mars imperia tenent, bellicosos, magnanimos, & fortes gigni, etiam cap. 5. distin. 8. ait: cui opinioni Lucanus lib. 2. innititur, dicens:

Certè populos, quos despicit Arctos
Felices errore suo, quos ille timorum
Maximus haud urget lethi metus, inde ruendi
In ferrum mens prona uiris, animæque capaces
Mortis, & ignauum est rediturae parcere uitæ.

Prætereà Aristoteles in problematibus asserit in locis calidis timidos esse, & in frigidis uiriles.

De hastiludijs, & torneamentis.

CAP. XVIII.



VEtus apud Septentrionales Principes ritus semper obseruatus fuerat, qui & moderno tempore ardentissimis exercitijs, & continuis studijs obseruatur, ut in publicis conuentibus Regum, & Principum, aut nobilium, nuptialibus festis, aut equitibus auratis procreandis, aut bellicis triumphis confectis uel conficiendis, aut natalibus Principum diebus celebrandis, aut certa alia suadente ratione, uel uoluptate, frequentius fieri soleant diuersi generis hastiludia, ac torneamenta: quandoque integris armis præliaribus, & contis acutis, uel causa læsi honoris reintegrandi, aut amplificandi: quandoque sola galea in capite, & thorace in pectore tectis, ob placidum clarissimarum, ac illustrium uirginum, & matronarum fauorem habitum, aut habendum: quandoque nudo brachio dextræ, uel sinistræ manus, sericeis fimbrijs circumquaque pendentibus, & expansis idque ob contentionē nobilium procorū dirimendā. His & similibus causis multipliciter

pliciter digladiantur, prout uoluptate trahuntur, lege militari seuerissima strenuè conseruata, ne quis præter decorem & honestatem alteri posteà siue inermi siue armato congrediatur, aut cadens membris ruptis insultet, aut fracta ceruice necis actionem transferat ad hæredes. Solent etiam equos & arma, auri & argenti non contemnendam summam mediocris nobilitatis aulici in præmium uictoris reponere, præsertim quando ex prouocatione singulare certamen subeundum erit.

Adhuc de eodem,

CAP. XIX.



ACcidit tempore Regum, Magni Gothorum ac Suecorum, et Erici Danorum, in publico Principum cõuentu, apud Vestrogothos in Scaris celebrato, quendam magnæ nobilitatis uirum, Magnum Dysauald nomine in medium exilire, uerbis potius quàm uiribus abundantem: qui Sueonum nobiles totus iactabundus ad singulare certamen expostulare contendit. Leoninam fortitudinem præ se ferre uisus, equum, & centum libras argenti puri in præmium certaminis reponebat, si uictus pugna excessisset. Quem ex Sueonibus Erengislus Plata uir taciturnus, primo impetu, & facili negotio procul ab equo deijciens, superauit: equumq́, & argentum in uictoriæ prẹmium reportans, documento Danis fuit, Sueones magis uiribus quàm uerbis instructos, ad prẹlia deuenire. Itaq; Dani uiso occasu sui Achillis, à torneamentis, & uerborum iactantia in longa tempora quieuerunt. Verum ut intereà sub publico Principum conuentu in Regia urbe Holmensi tempore Regis Christophori, insignius aliquod torneamentum ederetur, quidam Holsatus de genere Ransorum, excellentius quàm Dani Sueonum nobiles superare existimans, singulos magno fastu & contemptu ad singulare certamen prouocare non differẽs, exinde uerecundius quàm credidit, insolentis sui clamoris inuenit pœnas. Sueci nanq; iactantię eius potius quàm uiribus satisfacere cogitantes, monachum quendam ordinis S. Dominici, alias ueteranum equitem militia defunctum, Prioris sui conniuentia, equo ualido armis ornatum, galeaq́; tectum, ac hasta munitum, tubis concrepantibus loco ubi insignis iactator aderat, celerius sistunt. Nec moræ patiens Holsato congreditur, atq; eum ab equo deiecit: similiter & reliquos suæ insolentiæ sectatores, quotquot occurrere uidit, ab equis eiecit. Pluribus deinde restare non uisis, priusquàm loco abiret, iussus pro honore suo ab astantibus sublimiori culmine illustribus fœminis uultum exhibere, quis esset, galea deposita, equoq́; calcaribus citato, ad monasterium fugiens, cuius miles esset, monachali habitu & uita monstrauit.

De conuentu procerum in regia Holmensi, atq; torneamento magnificè sub Christophoro Rege cẹlebrato, uide supra lib. 8. cap. 28. pag. 310.

De



De Magni Ladalai 132. Regis interni gubernatione, eiusq; pietate & magnificentia ſub quo primum torneamentum, cuius capite præſenti Olaus meminit, fuit celebratum, tandem felici ipſius ex hoc ſeculo emigratione, de qua & honorifica ſimul ipſius ſepultura infrà lib. 16. cap. 49. huius autem hiſto. proximè præcedentia habes ſupra pag. 377. cohærentia uerò, pag. 382.



Succeſsit deinde in utroq; regno Magnus cognomento Ladalaos, anno Chriſti M. CC. LXXVII. poſtquàm eius frater Valdemarus inutilis, & pernicioſus Rex, publico, & iuſtiſsimo omnium ordinũ iudicio a' Regio ſolio amotus eſſet: regniq; diademate a' Folchone Archiepiſcopo Vpſalenſi die ſancto Pentecoſtes inſignitur. Deinde eodem anno in medijs diebus menſis Nouembris nuptias, in oppido Calmarnenſi, ducta in coniugem Heluige uirgine nobiliſsima, Gerardi Holſatiæ ducis filia, celebrauit: quæ tantum ob ſuas eximias uirtutes ab omnibus incolis commendabatur, quantum Sophia Danica ob non ferendam ſuperbiam, & morum difficultatem, a' cunctis contemni merebatur. Peractis his nuptijs, Magnus prægrandem exercitum aduerſus Ericum Danorum Regem educere feſtinauit. Cuius belli cauſam quidam inde prodijſſe affirmant, quòd Ericus argentum illud a' Magno pro centum equitibus ſtipendio promiſſum, nimis importunè extorquere nitebatur, cum interim Magnus aſſereret, numerum militum ad promiſſum pretium minimè aſcendiſſe. Præterea Schoningiam, Hallandiamq;, Gothici regni partes, ſibi ante ſolutionem reſtitui poſtularet. Verum quia illas ſine armis recuperare nequiuit, prælium in Schoningiam transferebat. Vaſtata igitur utraq; terra, uictorem ab incruento bello exercitum reuocauit, occaſionemq; & cauſam præſtitit, ut Ericus de uindicta in terras Sueonum inferenda cogitaret. Sed cum optimè noſſet, Suetiam hoſtilibus armis minimè ſuperari poſſe, niſi prius domeſtica diſcordia labefactetur, miſsis clam nuntijs, perſuadet Valdemaro, ſe uelle eum in amiſsi regni ſolium collocare. Qua uerſutia imprudentiſsimus Valdemarus iterum ſeductus, Danicæ factionis partibus ſe uelocius quàm felicius ſociauit, aperteq; ſe Magno opponens, ſignificabat ei, ſe de diuiſione regni pridem facta minimè contentum eſſe: ſed ſecum firmiter ſtatuiſſe, aut totum recuperare, aut toto carere. Deinde uenientibus Danorum copijs adiunctus, publicum totius patriæ hoſtem ſe exhibere non erubuit, Veſgothiam, Finuidiam, Verendiam, ferro, flammaq; deuaſtans. Nec ſacroſanctis eccleſijs, aut locis conſecratis pepercit, imò eccleſiam Cathedralem, & ciuitatem Vexionenſem incendio conſumpſit. Damnum tamen eccleſiæ, datis ei prælijs Tollagarn in ſempiternam poſſeſsionem, compenſauit.

Interim tamen cum Verendiam tam cruentis armis opprimeret, & auxiliares copiæ ex Dania aduenirent, aderant etiam ex improuiſo Sueci, quos ſtrenuiſsimus princeps Vlfo Caroli adduxit: ſubitoq; in Danos comeſſationi & crapulæ indulgentes irruerunt, & magna eorum parte captiuata, Valdemarus Daniam fuga elapſus acceſsit. Præcipui autem inter Danos captiuos erant, Palno Albus, & Benedictus de Alſne, antè multis uictorijs clari. Hos & cæteram captiuorum turbam, quæ non parua erat, Sueci in Daniam redire permiſerunt, data fide, quòd anno elapſo in Sudercopiam Oſtrogothorum oppidum, more captiuorum reuerterentur. Nec multo pòſt tempore Valdemarus Danico Rege Erico, & immenſo exercitu ſociatus, Veſtrogothiam intrauit, totamq; incendijs, direptionibus, cædibus inhumaniter deuaſtauit, & penè deſolauit, cum interim Magnus contra Danos ſe opponere non curaret, aſſerens, ipſam Veſgothiam in diuiſione regni ad Valdemari ſortem deueniſſe, qui etiam potuiſſet ſine Danorum auxilio terram propriam in ſolitudinẽ redegiſſe. Igitur poſtquam Valdemarus & Ericus conſiderarent, Magnum apertam pugnam detrectare, per eandem uiam, qua uenerant, pariter in Daniam redierũt. Adhibuere tamen utriuſq; partis proceres ſuas operas, ut Magnus ſoluto argento, ſiue ſtipendio, quod Danorum militibus debebat, in amicitiam cum Erico rediret. Interea cum hęc fierent, aut circa eorum principium, mortuus eſt Ericus, duorum Regum, Valdemari & Magni frater, & ſedes Archiepiſcopalis

ex antiqua Vpsalia in nouam translata, ibiq; Metropolis constituta, ubi quondam fuerat præcipua cultura idolorum. Cæterum Rex Magnus, quò magnificentius suam familiam augeret, & Regiam maiestatem clariorem efficeret, amplissima fortibus stipendia proponebat. Quo factum erat, ut militaris professionis homines, quorum honor maximè præmijs alitur, certatim in eius famulitium confluebant: inter quos non pauci ex Teutonibus, & Danis in eius militiam conscripti fuerũt. Qui quoniam adulando, & applaudendo plurimum ualebant, præcipuum familiaritatis gradum in aula Regia ante Sueonum nobiles, qui à talibus artibus omnino sunt alieni, assecuti fuerunt.

Sunt quippe nostri nobiles Sueci tardioris ingenij, at ueracioris, quàm sunt externi. Qui quidem externi, cum nec leges, nec mores patriæ norunt, ad consulendum de aliena Repub. imprudentissimè admittuntur: plerunq; etiam ob enormia facinora, aut ob insolubiles obligationes, apud suos locum honestum minimè inuenientes, in Suetia super capita nobilium, & prudentissimorum uirorum, ab imprudentibus Principibus statuuntur: quemadmodum huic Regi Magno euenit, ad quem quidã nobilis miles Petrus Porse, ex Dania ob sua enormia flagitia proscriptus, peruenit: qui confestim ad summum Regiæ familiaritatis gradum admissus, non solum regiorum arcanorum particeps effectus est, sed credita est illi arx fortissima: à qua etiam intolerabilem in subditos tyrannidem exercebat. Sed audiamus, quàm egregiè sese, quisnam esset, aperuit. Cum enim idoneam occasionem nactus esset, ut exquisitis uerborum blandimentis Regiam simplicitatem illaquearet, supplex orabat, ut in arcem sibi creditam se solatij causa recipere dignaretur: consensit generosi animi Rex perfidissimo proditori tam nequiter se humilianti: & paucis comitatus uernaculis, arcem intrauit. Tum Danus suæ malignæ naturæ memor, summam fraudem summis blandimentis primum occultabat: deinde Regem in omnem hilaritatem resolutum, inter hospitalis mensæ sacra captiuauit, captiuatumq; in arctum locum detrusit: nec eum inde egredi permisit, donec argentum Danorum militibus ratione stipendij debitum persolueret, seq; iureiurando astringeret, ne unquam hanc offensam ad uindictam reuocaret. Dura quidem hæc erant homini Regi, qui libertatem à fugitiuo & perfido mancipio redimere coactus, arcem Lodosiensem eidem cum omnibus Regalibus prouentibus assignauit, nihilq; de solito erga ipsum fauore, ne iusiurandum uiolaret, imminuit. Quo facto, heroicam'ne patientiam, an singularem ignauiam ostenderit, à plerisq; dubitatur. Nec inde cautior effectus, Ingemarum quendam Danum in tantam amicitiam & familiaritatem assumpsit, ut data ei in coniugem sorore, uel cõsanguinea sua Helena, omnibus regni nobilibus ipsum prætulisse uideretur: tamq; magnifica dote ornauit, ut ab omnibus prodigus poterat iudicari. Quocirca Sueonum nobilissimi, præsertim illi, qui de Folchungorum familia erant, Regem adeuntes, summoperè hortabantur, ut, habita suorum procerum ratione, ita externos promoueret, ne incolis, & benemeritis ciuibus iniuriam intulisse notaretur. Habet (inquiunt) Suetia & Gothia uiros ad arma magis, quàm ad blandiloquentiam natos, qui suam uitam pro te, ô Rex, quandocunq; necesse fuerit, uiriliter exponent. At isti homines, quos scelera, & crimina ad te ex proprijs eorum terris extruserant, nec uestigium fidelitatis erga te, aut nos, aut patriam nostram habere possunt, imò nec uolunt. Quippe mentiri, & fallere, inter sordes, & uitia nõ ducunt. Quocirca serenissime Rex consulimus, ut pro tua, & publica omnium tuorum salute, atque honestate, meliore, ac honestiore instituto hos tuos mores commutare contendas. His liberius, quàm efficacius coram Rege propositis, Rex ipse, perinde ac si fuisset importuno alloquio offensus, iram contraxit, unde saniorem animi sui affectum colligere debuisset. Ipsi tamen iustissimum dolorem suum, & totius nobilitatis, ac patriæ ignominiam auersuri, Ingemarum seorsum alloquuntur, monentq;, ut se modestius gerat, nec se tam superbè, & temerè alijs, quos nec sanguinis nobilitate, nec rerum gerendarum industria superaret, præferre conetur. Sed cum nullum modestius responsum ab eo, quàm pridem ab irato Rege assequi poterant, ad impacabilem iram prouocati discesserunt, opportuniora remedia contra extraneorum insolentiam quæsituri.

Interim uerò accidit eundem Ingemarum ad ciuitatem Scarensem in Vestrogothiam cum Regina Heluige ex Suetia descendere: ad quem locum etiam Folchungi conuenientes, omnia consilia sua eò conferebãt, quò possent se, & patriam suam ab exterorum iniurijs uindicare. Subitaq; irruptione in hospitium Gerardi Comitis, qui nuper ex Holsatia cum filia Regina locuturus aduenerat, facta, ipsum Ingemarum ibi in primo aggressu repertum, crudeliter trucidauerunt. Gerardum uerò Comitem captiuantes, uelocissimoq; cursu transportantes, in munitissimam arcem Impseborg incluserunt. Regina autem, dum hæc fierent, in uicinum monasterium Prædicatorum effugiens, periculum euasit. His peractis, Folchungi collectis bellatorum copijs castrum Ionacopense inuictissimum dura obsidione cinxerunt,

xerunt,atq; in suam partem Valdemarum Regem,antea a' regni administratione iustissimè
amotum,attraxerunt.Quo audito,Magnus uehementi dolore concutitur, tam ob casum
Comitis,& maximum reginæ periculum,quàm ob suam,totiusq; regni salutem, quam ui-
debat ad graue & pręsentissimum discrimen adduci.Nouit enim ingentem esse in regno po
tentiam Folchungorum,quę etiam ob Valdemari accessum formidabilis atque inuicta fieri
posset.Sed erant in consilio eius Dani,qui ipsum omnia feliciora sperare iubebant,si eorum
consilijs admodum opportunis obtemperaret.Sciebant enim Sueonum crudelitatem uer-
bis decipi posse,uiribus autem superari non posse.Quocirca Rex a' talibus consiliarijs per-
suasus,incepit Folchungos plurimum commendare,quòd opus fecissent sempiterna laude
extollendum,eosq; de medio sustulissent,qui regno plus oneris,q; honoris,aut utilitatis af-
ferebant:multaq; similia tum per literas,tum per nuntios apud eos agebat: quibus illi im-
prudentissimam credulitatem adhibentes,exercitum a' bello,& Comitem à captiuitate sol
uerunt.Tandem anno Christi M.CC.LXXX.suauissimis literis à Rege inuitati, ad ipsum
in ciuitatem Scarensem,& ad idem hospitium,quo cædem Ingemari peregerant(quod uul-
gò Gellaquisth dicebatur)conuenerunt:quos confestim ut aduenissent, Rex comprehendi,
comprehensosq; ad ciuitatem Holmensem duci mandauit:ubi duces eorum præcipuos,Io-
annem Philippi,& Birgerum fratrem eius,ac Ioannem Caroli,capite plexos trucidauit.Phi
lippus uerò de Rumbi difficulter mortem euasit:siquidem toto patrimonio suo confiscato
uitam redimere coactus est.Et ita Folchungorum familia,quæ ciuitates,& regna concutere
posse uidebatur,repressa & penè extincta defecit. Nunquam enim postea ad eam poten-
tiam,à qua tunc cecidit,ascendit. Prius tamen, quàm hæc fierent, Folcho Archiepiscopus
Vpsalensis in fata concesit: atque in eius locum Iacobus Erlandi anno Christi M. CC.
LXXVII.surrogatus est:quem etiam præmatura mors in quinto anno sui Pontificatus ab-
sumpsit,succedente in eius locum Ioanne Adolpho,quemadmodum nostra historia Metro
politana satis ostendit.

Magnus igitur a' domesticis illis,& nimis periculosis insidijs liberatus, adiecit animum,
ut etiam cum uicino Danorum Rege Erico ad firmiorem concordiam rediret: descenditq;
ad limites,quibus Vestrogothia a' Schoningia separatur, expectatus ibi a' Rege Erico, qui
ad eum locum totius Danici regni nobilitate comitatus præcesserat. Sed non minore Go-
thorum & Sueonum pompa Magnus sociatus accesit.Facta fuere in eo Principum conuen
tu multa pro publica Regum,& regnorum pace,ac concordia.Nec defuere militaris discipli
næ exercitia,quibus Sueones & Dani sese hinc inde ad hastiludia prouocabant.Erat autem
inter Daniæ proceres quidam Magnus Dysauald, qui uerbis,quàm uiribus abundantior,
singulos Sueonum nobiles ad singulare certamen expostulabat, leoninamq; fortitudinem
præ se ferre uisus,equum,& centum marcas puri argenti in pręmium certaminis reponebat,
si uictus pugna excesisset: quem ex Sueonibus Erengislus Plata primo impetu procul ab
equo deijciens superauit,equumq; & argentum in uictoriæ præmium recipiens, documen-
to Danis esse poterat,Sueones magis uiribus,quàm uerbis instructos ad prælia deuenire.
Itaq; Dani,uiso occasu sui Achillis,a' torneamentis,& uerborum iactantia quieuerunt.De-
inde ambo Reges,Magnus & Ericus, transacti temporis odia firmissimo amicitiæ fœdere
permutantes,uniuersos utriusq; principatus populos maxima,& diu expectata lætitia affe
cerunt.Egitq; Ericus apud Magnum,ut Valdemarus in gratiam receptus, de cætero ex solo
patrimonio suo uiuens,uitam ageret priuatam,& tranquillam:quod facilè fuit a' benignis-
simo Rege impetratum.Sed inane erat omne beneficium,quod in hominem illum, qui tam
inconstantis & perditæ mentis erat,conferebatur.Voluisset profectò Magnus totius regni
gubernacula eius administrationi restituisse,sed obstabat publica totius patriæ utilitas:ob-
stabant etiam omnes regni senatores, quemadmodum hæ literæ eorum de uerbo ad uer-
bum adductæ,satis ostendunt:Benedictus Dei gratia Episcopus Lincopensis, & Finlandiæ
dux,Magnus eadem gratia electus Vpsalensis, cęteriq; consiliarij. Sanè confitemur & pu-
blicè profitemur,nos illustri domino nostro,domino Magno Dei gratia Sueonum Gotho
rumq; Regi,salubriter consuluisse,& modis omnibus suggessisse,quòd dominum Valdema
rum fratrem suum(quia omni iure,quod in regno nostro dinoscebatur possidere,libere re-
nunciato,memoratum regnum nihilominus interdum per se,& suos,nec non alienos atten
tauerit immaniter perturbare:qui etiam dimissa uxore propria,& legitima,quasi mente ca-
ptus,& suæ famæ prodigus,& antiqui hostis suggestione,& instinctu,formidine diuinæ ul-
tionis minimè refrenatus,mulierculis uilibus,interdum per coitum damnatum,quandoq;
etiam sceleri adulterij publicè adhærebat,contemnens ad salutarem pręlatorum regni mo-
nitionem ab earum nefario consortio resilire:& ad tantam uergebat ignominiam,atq; ino-
piam,ut in alienis partibus degere cœpit uagabundus, in maximum suę animę prędi-
cium,

cium,& scandalum plurimorum) usq; ad emendationem uitæ suæ,& morum reformationem, deputatis ei seruitoribus competentibus, faciat custodiri. Datum anno Domini M.CC.LXXXV.

Deinde Magnus, habitis his literis a' toto regni senatu, non statim fratrem custodiæ mancipauit, sed in tertium annum, si fortè mores suos emendaret, expectandum putauit. Quo termino elapso, cum nullam spem melioris uitæ ostenderet, a' fratre comprehensus, atq; in arce Nicopensi inclusus, ex ignauo Rege captiuum mancipium fieri merebatur. Cæterum inter eosdem Reges, Magnum & Ericum, constitutum erat, ne alter alterius regni transfugas, & rebelles colligeret, aut ullo patrocinio adiuuaret, sed sibi mutuo auxilio contra quoscunq; hostes prouiderent. Præterea, ut inter regna aliquando firma, & perpetua concordia restitui, uel institui posset, affinitatis necessitudine eam procurare conabantur, promissa per Daniæ Regem filia in matrimonium primogenito Magni Birgero. Silendum quoque non est, Regem Noruegiæ Ericum una cum Erico Danorum Principe constituisse hunc Regem Magnum iudicem in causis grauissimis, quæ inter eos uoluebantur: quas Magnus in oppido Calmarnensi ita iudicauit, ut uterq; Rex iustè iudicatum fuisse fateretur. Tandem postquam Magnus domi & foris à diuina benignitate pacem obtinuisset, cogitabat reliquum mundani regni cursum ita ordinare, ut ab æterni regni felicitate minimè secluderetur. Quocirca plura monasteria, & ecclesias fundauit, sacerdotiaq;, & prouentus ecclesiasticos instituit, quàm omnes Reges, qui post eum usq; ad nostra tempora peruenerunt. Imò nisi ipse tam liberalis & magnificus in augendis ecclesiarum prouentibus fuisset, nequaquam nostri infelicissimi temporis Principes, ne dicam sacrilegi, tam diuites, & incliti ex ecclesiarum spolijs euasissent.

Primum igitur monasterium uirginum in honorem S. Claræ uirginis prope mœnia ciuitatis Stocholmensis fundaturus, magnam Principum multitudinem, etiam ex ultramarinis partibus, ad grande cõuiuium in eum locum inuitauit: exhibuitq; in loco fundandi monasterij plurima militaris disciplinæ spectacula: atq; inter cætera memorabilia opera, Birgerum filium suum primogenitum equestris militię cingulo decorauit: deditq; ei autoritatem, ut cæteros, quos dignos putaret, eisdem militaribus insignibus decoraret: qui continuò Albertum ducem Brunsuicensem in eo loco præsentem, simulq; alios nobilissimos proceres numero quadraginta ad militarem honorem prouexit. Deinde monasterio quàm celerrimè, & sumptuosissimè completo, diuinoq; cultui consecrato, uirgines S. Francisci regulam profitentes induxit: quarum sancto collegio filiam suam charissimam, uix septimum ætatis suæ annum ingressam adiunxit, collatis abundè in eum locum prouentibus, qui apud omnes posteros testantur, eum fuisse Regem magnificum. Similiq; erga Deum pietate ductus, circa aliud latus eiusdem ciuitatis, monasterium pro fratribus S. Francisci erexit: in quo tandem gloriosam meruit sepulturam. Tertium uerò eiusdem professionis fratribus in oppido Arbogensi erigendum curauit. Quartum quoq; in ciuitate Lincopensi ad usum eorundem fratrum ab ipso ædificatum aspicitur. Est & uirginum monasterium in honorem S. Dominici eius opera, atque impensa in oppido Scheningensi fundatum. Nec longe' pòst monasterium Montismariæ pro uirginibus erexit: cæteraq; multa, imò plurima templa, & sacra loca ab eius eximia in Deum, & diuinum cultum pietate constructa uidentur. Vix enim in amplissimo Gothorum & Sueonum principatu ecclesia, aut monasterium, imò uix sacellum, aut altare aliquod inueniebatur, quod non fuerat eius liberalitate ornatum, aut magnificè dotatum. Cæterum in clerum, & ecclesiæ libertatem pio, atq; integerrimo studio ferebatur, summopere' contendens Christianum sacerdotium per omnes terminos imperij sui adeò felix efficere, ut nec Dani, nec Teutones, nec alię terrę, liberaliores in Christi ecclesiam uideri potuissent. Fatendum tamen est, inter eum, & diuum Brynolphum Scarensem Episcopum, ex illustri Folchungorum familia natum, aliquando grauem controuersiam incidisse. Sed cum Rex multis argumentis considerasset eius sanctimoniam, & uitæ integritatem, prostratus ad pedes eius, suppliciter ueniam impetrauit. Quas autem, & quàm gratiosas literas sub suæ maiestatis sigillis in fauorem & conseruationem cleri, atq; Ecclesiæ libertatem ædidit, hic forte' in medium afferrem, ostenderemq; Gothorum & Sueonum Principes semper fuisse sempiterna laude dignos, quòd suæ gentes sacerdotes in summo honore præ cæteris nationibus habuerint, nisi hac nostra infelici tempestate tam infamis licentia subirrepserit, ut inter præclara opera habeatur, antiquorum Regum priuilegia in fauorem ecclesiarũ concessa, rumpere, aut rapidis flammis abolere. Sed an hæc bonum finem sortiantur, futura tempora palàm ostendent.

Tandem hic optimus Rex in senium uergens, comitia in oppido Scheningensi celebrauit, in quibus Birgerum filium suum natu maiorem, in utroq; regno successorem eligi pro-

curauit,



curauit, anno Christi M. CC. LXXXII. consentientibus omnibus utriusq; regni senatoribus: qui etiam suam fidem nouello Regi Birgero iureiurando obligauerunt, ut ipsum post patris fata in regni solio collocarent, & conseruarent. Quo facto, missi sunt solennes oratores, qui Daniæ Regis Erici nuper occisi filiam Birgero coniungendam adducerent: quæ cum nondum nubiles annos attigerat, in gynęcio Reginæ Heluigis ad idoneam ætatē educatur. Estq; uicissim filia Magni Ingeburgis data Erico Danorum Regi, prioris Erici filio, in coniugem: quę inter optimas eius regni Reginas meritò connumeratur. Testatur Saxo, & reliquæ Danorum historiæ, omnes Reginas ex Suetia in Daniam adductas, semper fuisse optimas, & maximam utilitatem Danico regno præstitisse, earumq; maritos ad summam rerum gestarum gloriam peruenisse: quemadmodum hic Ericus, qui in Magnopolenses & Pomeranos bellum prosperè gessit, erecta fortissima turri in portu Rostochiensi Vernamynne. Iisdem quoq; temporibus uixit in Suetia nobilissimus ille Prutenus Suantopolchus, cuius magnifica beneficia in Cathedralem ecclesiam Lincopensem, imò in totam ecclesiam Suecanam collata, etiam hodie cum summa laude memorantur. Huius Suantonis filiam Ingridem, quidam Folco Algothi Vestrogothorum legislatoris filius, raptam ad Noruegiā duxit: ob quod facinus amici & consanguinei eiusdem Folconis, multis periculis uexabantur. Captus enim pater Algothus, & frater Roricus, multa incommoda tam à Rege Magno, q; à patre uirginis Suantopolcho sustinuerunt, cæteris cognatis in Noruegiam elapsis, & à Noruegiano Rege conseruatis.

Lectori: *Inserenda hic fuerat iusto ordine, commemoratio beneficij, à Magno Suecorum Rege, Visbicensibus præstiti: sed ea ad uerbum suprà lib. 2. cap. 23. pag. 75.*

Deinde currente anno à nato Christo M. CC. XC. Rex Magnus considerans uitę suæ terminum aduenisse, complures regni proceres ad se conuocauit, eosq; ex lecto ægritudinis, quo decumbebat, multis, & saluberrimis consilijs adhortatus est ad publicam & domesticam concordiam, ac pacem, quæ sola atq; unica spes esset patriæ conseruandæ. Hac exhortatione præmissa, unum ex præsentium procerum numero, Turgillum Canuti Regium dapiferum, regni gubernaculis, usq; ad maturam filij sui Birgeri ætatem, admouit: cui etiam pręsentem Reginam, ac liberos, sub multa uerborum elegantia, & grauitate, per manus commendauit. Postremò non sine astantium lachrymis ueniam erratorum precatus, rogabat suum funus ad Pauperes fratres S. Frācisci in Stocholmia sepeliri. Sicq;, sumptis more Christiani Principis Christianæ fidei sacramentis, transitorij imperij solicitudinem æterna felicitate feliciter commutauit, portatus in humeris incolarum, ab insula Visingiana ad Stocholmensem ciuitatem, duodecim dierum itinere, non sine publico totius patriæ planctu, pręsertim eorum, qui innocenter uiuere uolebant, quorum ipse inexpugnabile fuerat scutum, & præsidium. Omnesq; utriusq; regni proceres tam memorabile funus prosequuti, fatebantur se patrem, non Regem sepulturæ commendare.

De torneamentis strabonum, & luscorum.
CAP. XX.



PVlchrius tamē, & iucundius inter duos equites strabones, seu luscos, hastis cōcurrere uolentes, exoritur spectaculum. Illi enim ut obliquum (equis licet directè concurrentibus) uisum in se mutuò dirigunt: ita & utrinq; lanceæ in obliquum directæ, impossibile creduntur habituræ contactum. Sed ipso equorum congressu cominus citato, facilimè mōstratur, haud difficile fore etiam strabonibus concurrere contis, maximè in patenti certaminis loco, ubi nullus contemnendus est hostis, etiamsi fuerit simpliciter cæcus, uti Cicero clarissimè recenset de Appio Cęco, & similibus alijs in Quæst. Tusc. &c. In Aquilona-

tibus uerò regnis, etsi rarissimi strabones, & lusci occurrunt: tamen ubi apparuerint, exercitatiq́ue fuerint, insigniter suis hostibus congrediuntur: adeò corporis defectus tollere, & subleuare nititur ipsa uirtus. Vbi uerò in curijs principum satellites huiusmodi, ob partam uictoriam cęteris euaserint insolentiores, non nisi hastiludijs, aut torneamentis, more militari dijudicant dissensionem: quæ quandoque unius, quandoq; amborũ horribili morte determinatur, uel unius fortunæ, arma, equi, & quicquid militaris ornamenti in auro, argentoq; tẽpore congressus ostenditur, mutuo consensu ipsi uictori non interimenti redduntur.

De confusione ignauorum militum.
CAP. XXI.



NEc dissimile luscorũ spectaculis abesse solet, quod garrulis equestribus, importuna dicacitate à lingua mutuantibus spicula, & uires, tanquam improbis, rixosis, & contentiosis, publica confusione corripiendis, aliquid opponi solet, ea præcipuè uilipensionis nota, quòd aliqua mulier cordata armis, galeaq;, ac hasta munita, uni alicui è prædictis garrulis hastam frangendo cõcurrat. Neq; inuitè eiusmodi gloriolam quærit hic sexus, cùm ab ineunte ætate solitus sit equos domare feroces. Stato igitur loco & tempore, cõgressione facta, garrulus mulieris hasta ab equo deijcitur, qui epotandis calicibus inuentus est non agnouisse fortiorẽ. Quo fit, ut alij satellites, seu equestres, nunquam proni sint ad inutiles proferendos garritus, more scurrarum, ac protomimorum. Nihil enim adeò necessarium est fortissimo militi, quàm abditum seruare silentiũ, & modestissimum pro tempore miscere sermonem, iuxta carmen usitatum:

Scire loqui decus est, decus est & scire tacere.
Hæc duo si poteris, sæpe peritus eris.

Summæ namq; leuitatis, & ignaui animi est, militarem uirum, garrulũ, nugacem, de exigua gloriola suscipere inanem iactationem, & se extollere, quasi fortunam sub imperio suo haberet, certusq; sit, eam nunquam in posterũ aduersari sibi posse: qua ex re omnibus irrisioni, & ludibrijs erit. Nimis etiã, & ineptè seipsum amat, qui gesta propria laudat, umbrã pro corpore uenaturus, ubi gloriosior expectanda sit laus, & commendatio aliena.

De hastiludijs nauticis, seu scapharijs.
CAP. XXII.



EST & aliud nauticum genus torneamentorum, generali spectaculo sępissimè intuendum: in quo scilicet clypeis, & hastis muniti naucleri, in puppi nauicularum stantes, sociorum remigantium impetuosissimo tractu se mutuò impingunt: ambo tamen uentrotenus laxato fune ligati seruantur, ut cadentes è gurgite, ne illicò suffocentur, educi possint: ubi pariter ceciderint ab utraq; puppi, denuò repositi, pro instituta priori uictoria pertinacius certet.

Nec



Nec cessant, donec alteri eorum uictoria cedat, uel pari casu certamen (composita causa) dissoluant. Causę uerò huiusmodi aquatici torneamenti hæc, aut similis esse solet, ut uel exercitij gratia id faciant: uel pœnis naualibus adacti aquis puniantur, qui uerbis, aut factis insolentius in aquis excedunt: uel etiam in portubus moroso sub anchoris uento nauigia retardante; uel Principis astantis aspectu uideantur, quàm fortes, experti, ac animosi sint nautæ in eorum torneamētis, atq; si opus fuerit, arte urinatoria, ut aliquid marino fundo illapsum recipiant, exercitati. Hi tamen in eo congressu semper audaciores sunt, quibus ars natandi quasi à pueris connata est, ut necesse non sit uti præsidio funiculi alligati.

De chorea gladiatoria, uel armifera saltatione.
CAP. XXIII.



HAbent prætereà Septentrionales Gothi, & Sueci, pro exercenda iuuentute alium ludum, quòd inter nudos enses, & infestos gladios, seu frameas, sese exerceant saltu: idq; quodam gymnastico ritu, & disciplina, ætate successiua à peritis, & prǽsultore sub cantu addiscunt: & ostendunt hunc ludum, præcipuè tempore carnispriuij, Mascharrarum Italico uerbo dicto. Ante etenim tempus eiusdem carnispriuij, octo diebus continua saltatione sese adolescentes numerosè exercent, eleuatis scilicet gladijs, sed uagina reclusis, ad triplicem gyrum. Deinde euaginatis, itidemq; eleuatis ensibus, postmodum manuatim extensis, modestius gyrando alterutrius cuspidem capulumq; receptantes, sese mutato ordine in modum figuræ hexagoni fingendi subijciunt: quam rosam dicunt: & illicò eam gladios retrahendo, eleuandoq; resoluunt, ut super uniuscuiusq; caput quadrata rosa resultet: & tandem uehementissima gladiorum laterali collisione, celerrime retrograda saltatione determinant ludum: quem tibijs, uel cantilenis, aut utrisq; simul, primum per grauiorem, demum uehementiorem saltum, & ultimò impetuosissimum moderantur. Sed hęc speculatio sine oculari inspectione uix apprehenditur, quàm pulchra, honestaq; sit, dum unius parcissimo præcepto, etiam armata multitudo quadam alacritate dirigitur ad certamen: eoq; ludo clericis sese exercere, & immiscere licet, quia totus deducitur honestissima ratione. Quod autem armati chorisent, Strabo de Curetibus Aetoliam habitantibus lib. 10. affirmat; quòd ab eis armifera saltatio (licet Persis contemptui habita) sit primum introducta. Sed econtrà in ipsa pugna inuicti habiti, & admirationi, dum fortiores cæteris uiderentur, qui uersatam in armis uitam haberent.

De arcuali chorea.
CAP. XXIIII.

ALia etiam iuuenum exercitatiò est, ut certa lege arcualem choream ducant, atq; reducant, alijs quidem instrumentis, sed eadem ut gladiatorum saltantium disciplina reducta. Arcubus enim, seu circulis inclusis, primum modesto cantu, heroum gesta referente, uel tibijs, aut tympanis excitati, gyrando incedunt, seq; dirigentis (qui Rex dicitur) sola uoce reducunt: tandem solutis arcubus aliquantulum celerius properantes, mutua inclinatione conficiunt (ueluti alias per gladios) rosam, ut formam sexangularem efficere uideantur. Vtq; id festiuius, sonorosiusq; fiat, tintinabula, seu æreas campanulas genutenus ligant. Est & alia

quædam choreæ, seu ludi species, qua machina quadam lignea homines per aëra rotarum more, & impulsu iactantur: uel alio modo agilitate corporum insignes ludunt: ut hastis, circa quas se uoluunt: funibus etiam, supra quos reciproci ambulant: item circulis, per quos se more piscium transmittunt: item tabulis, è quibus in aëra pendunt, uno brachio se sustinentes: hicq; ludus Petauristicus appellatur, quòd iuuenes leuioribus saltibus, mouentur. Sed neq; Cornelij Taciti sententia hic deerit: qui nudos iuuenes inter gladios se iactare ueterum more testatur, minimè quæstus, aut mercedis causa, sed sola gloriola audacis lasciuiæ, pretium ponentis in speculo uoluptatis. Pilarum etiam proiectilium, atq; fustium impulsu, aliarumq; infinitarum specierum ludi, secundum uarietatem temporum ibidem currendo, luctando, saltando, pedibusq; sursum erectis super manus ambulando, fiunt. Sunt etiam bellicrepæ armorum saltationes, quæ clypeis, ac ensibus, tibicinis moderatione tardius, uel celerius uariantur ad saltum. Qui uerò plura ludorum genera uidere delectatur, intueri poterit Commẽtaria Perotti, Plinium, & Liuium qui ultra 40. genera eorum ponunt, quæ minimè respondent, nec quadrant cum Aquilonaribus ludis &c. Habet & Herodotus lib. 2. habet etiam beatus Ambrosius plurima de uarietate ludorum, si cui otium fuerit in his, & similibus spectaculis perscrutandis.

De chorea hormica,

CAP. XXV.



SAltationem, seu choream similem à uetustissimo instituto seruarunt, seruandamq; docuerunt antiqui: in qua adolescens ductor erat armatus, militarem exercens peritiam, qua posteà in inuadendis hostibus uti posset. Sequebatur uirgo modestia quadam insignis, quæ fœmineum saltum decenter agebat: quæ quidem chorea tunc, & nunc permissa, non dissimilis est illi, quam inuenit Lycurgus, & Lucianus Hormum uocauit: uoluitq; ipsum ex duabus uirtutibus, temperantia uidelicet, & fortitudine constitui. Creditur mos ille olim ex Græcis in Septentrionales regiones translatus. Prisco enim seculo Gothi ethnici Græcis uiciniores, sacerdotium & uiuendi disciplinam ab eis, non secus ac nostra secula à Latio Christianam doctrinam, acceptam didicerunt. Ita uirtus temperantiæ, moderationis gratia, honesti cura, dedecoris consyderatio quæritur, & spectatur: cuius fundamentum est uerecundia, & mentis placiditas proteruiam fugitans, sobrietatem diligens, honestatem fouens: & omne decorum inducens, ut probatissimorum senum præeligantur tutiora consilia, licet adolescentium, uideantur esse dulciora. Vti etenim solertium, expertorumq; iudicio ignota loca penetrantur securius: ita ignauorum ductu arripiuntur infestius. Quærendum nanq; est in omni actu, quid personis, temporibus, & ætatibus conueniat, & singulorum ingenijs accommodum sit. Sæpe enim quod alterum decet, alterum non decet: aliud iuueni aptum, aliud in prosperis, & aliud in aduersis.

De co-



De eodem.
CAP. XXVI.

IN aduersis enim uirtus fortitudinis excitatur in gloriosam mortem,& resisten do celerius eam aggreditur,quàm alteri cuicunque assentiatur turpissimæ conditioni:quia à tergo mors sequitur,uelut à fronte prudentius ipsa uita tuetur.In fortitudine bellica non mediocris honesti,ac decori forma est,quod mortem seruituti præferat,ac turpitudini. Prouida tamen futuri consyderatio habenda est,quid possit accidere, & quid agi debeat,ac in ardua perplexitate,si sic acciderit, discretius diffiniri.Fortitudinis ergo est,non dissimulare cum aliquid immineat, sed in promptis habere,quod eligat,et perficiat:ne posteà dicat:Non putabam hoc posse euenire.Denique nisi explorentur aduersa,cito occupantur,& subuertuntur pro spera:unde in bello improuisus hostis uix sustinetur,& si imparatos inueniat, facile opprimit.Quod præterea superius dictum est de uerecundia,maximè ut in adolescentulis,& iuuenibus seruetur,instandum erit: ut illa ætas, præcipuè quod deerat,attendat,& rectè conueniat,& quadret in ordine sequentis uitæ: de quo qui Ciceronem lib.1.Offic.de decoro legerit, facile docebitur, si sequi uelit: imò quod Pomp.Læt.lib.2.ait,Felix qui uictoriam consecutus,temperatum se gerere nouit.Hic pręterea attendendum erit,quàm multos etiam fortissimos ab honore gloria,& fortitudine,laxata uerecundia disiecerit in illecebras,& ex his(dato erro ri loco)in derisum,& contemptum.

De Pyrrhica saltatione.
CAP. XXVII.



MOs est ante aulas Septentrionalium Regum & Principum,tempore frigoris copiosos ignes,ex arboribus abietinis præcipuè,quarum ibidem copia est,instruere:quia ex earum combustione tãtus enascitur sonus,& stridor, ut à longe non uidentes,sed audientes existiment corruere trabes,& tecta.Ne autem fragor ille naturæ uideatur otiosus,quasi tympanis excitati circũsedentes ignibus fortissimi quique uiri,in gyrum,saltumque se conuertunt,tantoque impetu saltando constringunt,ut necessum sit postremum quenque, quasi rupta fortissima catena,in ignem illabi: moxque exiliens saltantium applausu in sublimiori sede reponitur,ut illico pro Regij ignis uiolatione, amphoram unam atque alteram, bene magnam, fortioris ceruisiæ epotet. Eo enim potu sanissimo,sobriè tamen exhausto,animam uiresque resumẽs,celerrimè reuertitur ad suos congyrantes, & saltatores: qui similiter motu, igne, sitique agitati, non inuiti retrahuntur ad pœnas affixas,exceptis his,qui alias flammarum saltibus fuerant exercitati:quibus ars,& robur inest,ut amplius haud possint in ignem intrudi. Fortius nanque tenendo,per experientiam didicere in tali spectaculo subsistere cautiores. Ideoque maiori mensura bibendi honorantur, licet minime deliquerint in Regium ignem. Reliqui uerò successiua alacritate etiam in profundam noctem saltum continuantes,quasi omnes alternatim præcipitantur in flammam: talique modo roboris firmitatem, uarioque agitationis genere tyrones militiæ plurimum consequuntur, ut constantissimos mores in igne, saltu, & duro tactu firment, quatenus seriosis instantibus bellorum congressibus, æquanimiter suffer-

ter ſufferre, ualeant turbationes uehementiores. Sortiuntur etiam taxillis adhibitis, quis ignem ueſtibus trāſiliat. Si uero quis ianuam Principis malitioſa pręſumptione iocum excedens offenderit, uix ignem, quòd in eo non comburatur, euadet: prout Cæſar in fine primi libri de ſuo hoſpite Gallo lætatur, quod ignibus haud necaretur. Qualis autem Tartarorum mos ſit, oratores principum ad eorum dominos ducere per medios ignes, ſuperius de Moſchouiticis conſiliarijs fuerat enarratum. De ſuprapoſita tamen Pyrrhica ſaltatione, plurima, & hæc pulchra in uita Hadriani habentur. Similiter apud Herodianum de motu Pyrrhico, & numero currentium in orbem, multa narrantur.

De miris citharœdis.
CAP. XXVIII.



QVanta uis Muſicæ apud Septentrionales olim, admirabili arte, & uſu fuerit, paucis oſtendetur argumentis. Plurimi erant qui ſiſtro, barbito, lyraq́ꝫ, & chely, omniumq́ꝫ fidium modulatione ita callebant, ut ad quoſcunque uolebant motus uarijs modorum generibus humanos impellerent affectus, gaudio, mœſtitia, commiſeratione, uel odio mortales afficere nouerunt, auriumq́ꝫ uoluptate, aut horrore animos implicare ſciebant: quinetiam tantas fidibus uires ineſſe monſtrabant, ut perceptis earum modulationibus, aſtātes mente conſtare non poſſent. Quod cum quidam Muſicæ rationis peritus, de ſe apud Regem Ericum cognomento Bonum, pollicitus eſſet, tum precibus Regis, tum minis, ut operam fidibus daret, compulſus, inuſitatæ ſeueritatis Muſam edidit: cuius prima ſpecie pręſentes ueluti mœſtitia, ac ſtupore compleuit: qui poſtmodum ad petulantiorem mētis ſtatum uegetioribus lyrę ſonis adducti, iocabundis corporum motibus geſtiendo, dolorem plauſu permutare cœperunt: poſtremò ad rabiem uſqꝫ, & temeritatem modis acrioribus incitati, captum amentię ſpiritum clamoribus prodiderunt. Ita animorum habitus modorum uarietas inflectebat. Igitur niſi præſto affuiſſent, qui furentium ueſaniæ ualenter occurriſſent, lymphantes dementia in rixam uerſa, mutuis ſeipſos uiribus interemiſſent. Rex tamen, cuius eximias naturæ uires etiam rabies cumulauerat, arrepto enſe quatuor militum, continendi eius gratia propius accedentium, necem peregit, donec puluinarium mole, quę undiqꝫ à ſatellitibus cōgerebantur, obrutus, magno cum omnium periculo comprehenſus, & uix tandem menti reſtitutus eſt. Hieruſalem expiandorum homicidiorum cauſa adiens, in Cypro defunctus eſt, atqꝫ ibidem cum coniuge ſepultus, uti Saxo Danorum hiſtoricus lib. 12. atteſtatur.

De externis exemplis ſimilibus.
CAP. XXIX.

HAud diſsimilia ſcribuntur de Muſica Liberi patris: quem cum puerum Tyrrheni nauicularij tranſuecturi eſſent, & nymphis nutricibus redditurі, ſpe prędæ perdere uoluiſſent, ipſe hoc intelligens, iuſsit comitibus, ut ſymphonia canerent: quo cantu adeò oblectatos Tyrrhenos ferunt, ut ſaltare etiam cœperint, & nimis laſciuiendo ſeſe in mare proiecerint. Neqꝫ mirum eſt Muſicam tantam uim habere in homines, ſi Arionem citharœdum tergo delphini per maria ob dulcedinem ſymphoniæ, uectum memoratur. Natura, quę uidetur Muſicam hominibus ad tole-



ad tolerandos facilius labores pro singulari munere dedisse, ut labores, ita de laborum solatio illis, qui sub laborioso Aquilone morantur, benignè prouidit. Inde prouenit, ut fidibus assueti, optimè ludant, etiam qui à preceptoribus artem nunquàm suscepere: pro gloria, & artis perfectione, paulominus cum Nerone Imperatore certantes: cui ob huius artis peritiam à citharœdis, forsan mimis, scurris, & histrionibus plures coronę offerebantur. Sed nec omittendum est Procopij testimonium lib. 4. Gothici belli asserentis, Gilmerum potentissimum Vandalorum Regem, obsidione arctissima clausum, solum sibi pro solatio mitti petiuisse citharam, panem, & spongiam.

De tibicinibus.
CAP. XXX.



SVnt quoque tibicines, cornicines, liticines, lyricines passim in illis terris: etiam organa hydraulica, quib. amœnior sonus excitatur: quo & Neronem delectatum fuisse Suetonius affirmat. Peritiores tamen talium modulationum artifices, alienigenę sunt: eoque stipendia merituri, Septentrionales terras ingrediuntur: quæ & larga suscipiunt, atque hospitum more fauoribus incolarum recipiuntur, maximè à Principibus, ut in equestri expeditione acutiore tubarum sono homines, & equos ad hostiles insultus excitent: homines tanquam horribili præconis monitu: & equos ueluti naturæ instinctu ferociter prouocatos, quemadmodum Propertio placet:

Buccina cogebat priscos ad arma Quirites. Et Virgilio:
Tyrrhenusque tubæ mugire per æthera clangor.

Hæc enim à Tyrrhenis prædonibus inuenta dicitur, cum difficile per oras maritimas dispersi uento obstrepente ad prędam poterant conuocari. Hinc postea bellicis certaminibus adhibita est, ad denuntianda signa bellorum, ut ubi pręco præ tumultu exaudiri non poterat, sonitus tubę clangentis attingeret, teste Virgilio superius allegato: At tuba terribili sonitu. Cuius uarius sonus editur, ut bella cōmittantur, interdum ut insequantur fugientes, interdū ut canatur receptui. Cęterum fistularum, aut chordarum lenocinium in hebetandis ferocibus animis uirorū fortium, etiam in conuiuijs, parum efficax adhibetur. Adeò ponderosissimæ seueritatis sunt, qui militiam amplectuntur, ut Marte non Musa, lorica non ludo pulchrius se delectari testentur, in omnibus æquè pertinacem animi rigorem obseruantes. Imò plerunque accidit, ut tibicines, qui huiusmodi militares uiros dulcioribus sonis recreare gestiunt, ni moniti pręcauerint, celeri eorum seueritate lædantur. Adeò obseratas aures muniunt, ut nulli penitus dulcisonæ pateant uoluptati. Facile tamen in gratiam redeunt, dum dulces tibias horribiliore tubarum sono commutant, Tragica canentes. Quid autem bellicosissimus Gothorum Rex Vitiges de tubis omnibus Gothis scripserit, Cassiodorus his uerbis fideliter lib. 10. attestatur: Non enim in cubilis angustijs, sed in campis latè patentibus electum me noueritis: nec inter blandientium delicata colloquia, sed tubis concrepantibus sum quæsitus: ut tali fremitu concitatus, desiderio uirtutis ingenitæ Regem sibi Martiū Gothicus populus inueniret. De Vitige hoc & rebus præclare ab eodem gestis uide supra in historia eius belli quod Iustinianus duce Bellisario, in Italia gessit, lib. 9. cap. 46. maximè pag. 413. & sequentibus.

De Hi-

De Histrionibus, & Protomimis.
CAP. XXXI.



NEmo miretur quòd hac etiam pessima occupatione repleta sit hæc charta pusilla, nempe talibus hominum generibus, quorum numerus est infinitus, & tantæ reputationis in curijs, & mensis sublimium dominorum, ut ferè uel nullum, uel exiguum credatur adesse solatium, præter unicum hoc, quod emanat ab infamibus his protomimis: qui & suos omnibus retroactis seculis meruere scriptores; ut puta Laberium mimorum scriptorem, qui decimo mense post Cæsarem obijt. Item Publium mimorum graphicum, natione Syrum. Item Suetonium, Isidorum lib. 8. cap. 7. & libro 18. cap. 41. & 49. Item Volateranum. lib. 28. de parasitis, ac alijs stultis. Item Laurentium Vallam in uita Ferdinandi, de quodam mimo, Borra cognomento, qui mimica arte, adhuc ætatem 84. annorum agens, lucratus fuit centum millia aureorum: quem adhuc meretrix illa Rhodopis, Plinio teste, Regias opes accumulans, superasse uidetur. Speciale tamen testimonium histrionum, eorumque luxum, idem Plinius lib. 9. cap. 35. & 51. prosequitur. Refert etiam Trebellius, Galerum in tantum dilexisse scurras, & parasitos & id genus infame hominũ, ut poneret eos in secunda sua mensa. Si consiliũ Suetonij locum habuisset, tales mimi publico spectaculo uirgis, & flagris cæsi, remotiusque effugati fuissent: quod & Vincen. in spe. hist. lib. 29. cap. 41. de Rege Galliæ Philippo attestatur: quem asserit dixisse, Histrionibus dare, est dæmonibus immolari: & reliqua ibidem notatu digna.

De exoticis parasitis, mimis, & scurris.
CAP. XXXII.

QVia nulli, uel admodum pauci naturali rationis usu priuati, apud Septentrionales populos generantur fatui, qui simplicitatem originis super inducta malitia more mimorum ostendere possint: propterea aliunde per mare è Germania quæstus causa, uel ob proditionis affectum faciendæ, eò conueniunt, aut cum alijs principibus simul accedunt, aut aliena mercede conducti. Vtcunque sit, Martialis ille populus Aquilonis (ut superius de tibicinibus dictum est) nũquàm insidiosis huiusmodi artificibus recreari solet: quia castra replent, non aciem belli, nec utiles erunt: & præsertim quia illuc uenientes ut plurimum scelerati, proscripti, ære grauati, infames, dominorum & terrarum proditores, uiarum grassatores, parricidę, fures, sacrilegi, hæretici, & id detestabile genus horrendum: qui simulata stultitia, uel mimicis præstigijs, furto, uel proditione commissa opulentijs pleni exinde recedunt. Habuit ante 33. annos Rex Daniæ Christiernus eius nominis secundus, quẽdam protomimum nomine Suikart, id est, deceptorem, uersutissima arte insidiosum, à Brema oriundum, candida ueste more clericorum semper indutum: cuius portentosis mendacijs in euertendis omnibus honoribus, ac inferẽdis nocumentis, tanta fides adhibita fuit, ut eius, nutu, metu, & relatione, uel spoliarentur innocui homines, pręcipuè Danorum nobiles, aut necarẽtur: quo factum est, ut trepidi innocentes, præsertim Daniæ magnates, maximis muneribus datis, pręsidio huius abiectissimi scurræ bona redimerent, ac uitam haberent precibus et pretio comparatam. Tandem eo Rege (bimestri spatio uix in factioso regimine completo)

completo) è Suetia, & Gothia in Daniam fugiente, callidus iste scurra Bremensis, satis prolixę ætatis, muneribus opulentissimis repletus, etiam extra Regis castra per syluarum latebras fugere uolens, à rusticis rebus omnibus spoliatus, et uerberatus, uix uiuus euasit.

De naturalibus fatuis, & Musica muta.

CAP. XXXIII.

BOno lectori fastidiosum non sit adhuc intueri diuersitatem fatuorum: quorum aliqui ita astuti sunt in thesauris aliorum iactura (ut suprà dictum est) colligendis ut uix fiscus tantum in prompto ære habeat, quantum hi detestabili quæstu repositum seruant. Quidam uero, licet rarissimi, adeò applausibiles, ac frugi, ut dominis & principibus suis in mortifera perplexitate constitutis, Laconico more quędam uerbula proferant, unde uitam, patriam, ac totam secuturam stirpem secretius seruent. Ita duo illustrissimi uiri, Steno, ac Suanto, in Sueticis regnis dudum à potenti Principe, mortem eis machinante, fatuo credentes immunes abierunt. Quidam signis, dum muti sunt, adulteria detegunt, quatuor ponentes calceamenta in scabello grabati utriusq; sexus, ut rediens maritus eo mysterio uideat infamem fore in sua absentia numerum quatuor calceorum ante lectum. Quidam proditores mutatione uestium ostendunt: quidam furta absconsione, uel extractione rerum demonstrant: & ita de similibus multis. Quidam per signa composita quasi quibusdam literis edocent intuentis aspectum: inq; manu leguntur apices rerum: & non scribendo facit, quod scriptura declarauit: & hæc pantomimis, ac mimis annexa sunt, qui Principes curis edacibus æstuantes, lætissimis signis, & gesticulationibus alacriores efficere solent. Hancq; partem Musicæ disciplinæ, Mutam nominauere maiores, scilicet quę ore clauso manibus loquitur, et quibusdam gestibus facit intelligi, quod uix narrante lingua (teste Cassiodoro lib. 1. Epistolarum) aut scripturæ textu, possit agnosci. Pro talibus tamen simplicibus fatuis, nulli fiunt sumptus, sed astutissimis, & scandalosis: quibus & pretiosę uestes, aurei torques, ac splendidæ gemmę à Principibus donantur, ut aliquot adulatorijs scriptis, uel potius infamibus rhythmis amplificēt eorum acta: quæ multo præclarius à grauibus historicis paucioribus expensis, honestioribus exemplis, & uerioribus censuris, cum fide & laude perpetuari possent in toto terrarum orbe.

De abiecta commendatione mimorum, & utili laude prudentum.

CAP. XXXIIII.

SEd nec ignotum uniuersis relinquitur, quanta ignominia Principibus sit, aut laudis cupidis, à talibus commendari, quorum præcipua professio est infamibus colludere, turpibusq; colloquijs bonos mores corrumpere, eosq; effœminatos efficere, ac libidinosos reddere, & luxuriosos, prætereà comœdiarum more adulteria, & stupra repræsentare, uel concinere, unde spectandi enascatur uoluptas & consuetudo, ac turpissima quæq; faciendi licentia perniciosa: & deniq; ad omnium uirorum grauium obmutescere rationem, & censuram. Cuius rei testis est illa Messaliensis meretrix, quę in actu publico prostans, uestemq; deducens, graui Catone uiso descendere in spectaculum, à gestu se statim continuit, & alijs mirantibus ait, Seuerum uirum adesse: qua quidem uoce ostendit, longè pluris esse unius grauissimi uiri aspectum, quàm totius populi applausum. Quocirca etsi cuncti, maximè Principes, laudari appetant: tamen intimè caueant, ne id procurent, uel admittant fieri ab histrionibus, & protomimis: nisi similes illis æstimari, & forsan esse uelint. Vera etenim laus haberi debet, quę à laudato uiro proficiscitur:

scitur: quia à tali uiro emanat, qui uirtute præditus cum laude uiuit. Sed hæc per amplius uerior esse iudicatur, quæ ex rectè factis, & iustis meritis multitudinis etiam laude concurrente procedit: alioquin nihil aliud, nisi popularem auram, aut scurrarum fucum captant: quo nihil instabilius, aut detestabilius, inueniri potest. Igitur attendendum erit unicuiq;, maximè Principi in sublimiori dignitate constituto ne sic scurrarum, mimorum, histrionum, parasitorum, protomimorum breui tempore delectetur spectaculis, ut immemor salutis, perdito tempore, honore, laude, & bono nomine, in uno momento rapiatur ad æterna tormenta: quæ ab immundis spiritibus forsitan in umbra, & forma histrionum apparentibus, & flagellantibus importunius sustinebit: sentietq; perpetuò flendum esse cum Diabolis, sicuti in momentanea uita in consyderatè risit cum stultis. Exclamandum hic meritò foret contra quosdam alti nominis uiros, in sublimitate constitutos, qui pro summa uoluptate ducunt, scurras uidere, & audire, nudas mulierum picturas intueri, & ijs delectari, atq; alijs præbere uidendas: quasi propria caro, mundus, & demonia non sufficerent ad infatuandum hominem, creatum ad imaginem Dei, ni & studiosè in suam irreparabilem damnationem excitarent tot importunissimos hostes, ignorantes uerbum beati Gregorij dicentis, Talem te ostendis in corde diligere, qualem imaginem ante te geris in oculis.

De balneis, & uentosis, ac phlebothomia.

CAP. XXXV.



VSus balnearum etsi in plerisq; locis mundi uoluptatis causa, maximè in Italia, ut ruinę sumptuosissimarum thermarum Romæ, & in Puteolanis terris testantur maiori ex parte repertus sit: tamen nullibi in orbe adeò necessarius earum usus est, uelut in Septentrionalibus regnis: ubi tam priuatæ, quam communes optimo ordine cum omnibus requisitis instrumentis dispositæ reperiuntur. Priuatæ quidem illustrium personarum prope fluenta, & hortos amœniores fabricatæ: communes uerò in urbibus, ac pagis, quotquot opus fuerit, pro numero & qualitate personarum. Nulla tamen balnea naturæ ministerio, sulphureis scilicet uenis scaturientibus, ibidem sunt: neq; ad eorum usum in quacunq; necessitatis causa regnicolę proficiscuntur, eò quod ab expertis compertum habent, tales aquas tibiarum medullas dulciter penetrando consumere, et parum prodesse eorum domesticis morbis. Ideoq; utuntur balneis domesticis, & amplis, tabularum distinctione (licet sub eodem tecto) ob utriusq; sexus celãdum pudorem, separatis: non ut Poggius in epistola ad Leonardum Aretinum attestatur, quòd scilicet nudus sibi mutuò sexus obuiet sine suspicione inhonesti: nisi de superioribus Germanis, Badensibus uidelicet, ad audacem lasciuiam pronis, intelligi uelit: inter quos quidam honestatis prodigi, & effœminati reperiuntur, qui & potare, dormire, atq; reliquas ineptias in thermis ostendere, uel efficere solent. Si tamen huiusmodi petulantes homines in Aquilonaribus balneis delinquere uiderentur, mox extracti hyemis tempore, quasi suffocandi, inter profundas niues proijcerentur, aut æstiuo tempore in frigidissimas aquas, aliquanti sper cibo cariturì, truderentur. Fatendum tamen est, balneas nuptiales ibidem in usu percelebres fore, ut quotiescunque noua nupta tradenda sit uiro, longo transitu, distinctioneq; ætatum ante eam mansueto incessu transeunt uirgines, ac honestæ matronæ.



Adhuc de ritu uirginum ad balnea transeuntium. CAP. XXXVI.

SEd ante omnes magnarum amphorarum melioris ceruisiæ, uel uini portitores incedunt, ut æstu & ardore nimium præualente, cinnamomo, saccharo, atque tosto pane prælibato, repetant, & confortent lassatas uires: indeq; exeuntes serta, seu coronas è ruta confectas, in capitibus gestant: cœnantq; omnes, uel maior pars uirginum, & dormiunt cum eadem sponsa, quasi superis iam uirginitatem suam dedicatura. Vnguentis nullis omnino, uel in balneis, uel alias, aut alio loco utuntur indigenæ mulieres, nisi paucæ aduenis coniunctæ maritis: quæ tamen quanto ornatius, festiuiusq; se putant inungere, tantò turpiores apparent, & ab omnibus uelut monstra irridentur. Ventosis, seu phlebotomia, uterque sexus pro scabie (ex frigore genita) & intercutaneo pruritu depellendo utitur: sed frequentius phlebotomia: licet hac potius, & securius in ædibus barbitonsorũ. Multis etiam pingues fœminæ pro arcenda aruina utuntur remedijs, utputa comestione anisi, cymini, & potu absynthiaco. Sed nunquam, ut Pompeia Neronis coniũx quæ pro macerando corpore, & cute extenuanda, in balneo (teste Plinio lib. 11. cap. 40.) usa est lacte asinino, è quingentis asinabus diligenter collecto. Asini enim rarissimi, sed nunquàm asinæ, uel mulæ in Septentrionalibus terris (ob longam distantiam, & frigoris asperitatem, qualem hæ bestiæ tolerare nequeunt) conspiciuntur. Præterea hic annectendum puto pro bona cautela Paulum Diaconum Historiæ Longobar. lib. 5. cap. 30. asserentem, Grimoaldum phlebotomia perijsse in balneo: ubi & speciosæ puellæ (eodem autore teste cap. 37.) spectantur. Item Thorismundus Vestrogothorum Rex à seruo dum uenam sibi aperiri fecit, occiditur.

De hoc Thorismundo 58. Rege Gothorum externo, perfidè trucidato, cuius rei quomodo pœnas dederit frater Theodoricus, quanquam minimè firmum fuerit regnum perfidia, cohærentia adiungimus: ex Ioan. Mag. lib. 15. suæ historiæ. Cohærent autem hæc ijs quæ supra lib. 11. cap. 40. sunt inserta pag. operis præsentis 490. Præterea admonendus mihi uidetur candidus Lector tres fuisse Theodericos. Primus Theodericus Veronensis, de quo supra lib. 8. cap. 5. pag. 249. reliquorum duorum historiam partim hic habes, partim alibi.



Theodericus deinde post potentissimi Valliæ Regis fata à Gothis in regni solium sublimatus est, magna totius Romanæ Reipublicæ salute. Nisi enim talis, tantusq; Rex Gothis atq; Hispanis eo tempore contigisset, non solum de Hispania, sed Gallia, & Italia, atq; toto Romano imperio tunc actum fuisset. Enimuero ille Attila diuinæ iracundiæ flagellum, cuius supra meminimus, uolens Romanũ imperium aut sibi subijcere, aut penitus extinguere, missis legatis ad hunc Theodericum Gothorum Regem omni ingenio & astutia conabatur eum à Romano Imperatore Valentiniano in suas partes attrahere. Sed tunc Theodericus non solum Gothica fortitudine, sed Hispanica prudentia animatus, callidissimi hostis legatione contempta, sese partibus Imperatoris (cuius etiam tunc legati aderant) addixit. Quod si forte nõ fecisset, profectò illa Cathalanica pugna non libertatem sed perpetuam seruitutem Occidentali imperio peperisset. Erat hic Theodericus homo summa moderatione compositus, animi corporisq; dotibus insignis: qui etsi à Romanis, Romanorumq; Imperatoribus grauibus iniurijs affectus esset, utpote eorũ importunis bellis lacessitus, attamen cum uideret extremam ruinam Romano imperio, & toti Italiæ ab At-

tila Hunnorum Rege imminere, omnium præteritarum iniuriarum penitus oblitus seipsum, & totius Hispaniæ uires contra tam formidabilem hostem obiecit. Nam educto ex Gothis & Hispanis exercitu, tam uiribus ualido, quàm numero hominum uix comprehensibili, ad campos Cathalanicos pro Romani imperij libertate pugnaturus accessit: in quo quidem cruentissimo prælio quantum præstiterit, pugna illa Attilana, quæ à nobis superius est commemorata, satis ostendit. Cum enim Theodericus exercitum exhortaturus hinc inde discurreret, equo delapsus, pedibusq́ suorum conculcatus, uitam præmatura senectute conclusit, uictoria tamen apud Gothos & Romanos remanente.

Thorismundus autem Theoderici Regis filius, patrem in bellum Cathalanicum secutus, magna fortitudinis opera contra Hunnos, eorumq́ confœderatos, & belli socios ostendit. Nam sumpto secum Aecio Romanæ militiæ duce, primum Attilanos ab opportuno loco, in quo sibi felicem belli exitum polliceri uidebantur, eiecit: deinde eos pugnando insecutus, non antea cedentes cędere destitit, quàm atra nocte à pertinaci pugna cessare cogeretur. Qua irruente, cum crederet se ad propria agmina redire, ad hostium carpenta ignarus incurrit: quem fortiter dimicantem, quidam capite uulnerato, equo deiecit. Sed suorum, qui aderant, prouidentia liberatus, à præliandi proposito cessauit. Aecius uerò simili noctis confusione à suis castris auulsus, cum inter medios hostes uagaretur, magna formidine affectus est, ne ab hostibus circumuentus caperetur. Tandem ad socia castra perueniens, reliquum noctis scutorum defensione transegit. Postera die luce exorta cum campi cadaueribus pleni essent, & Gothi se uictores putarent, admirari cœperunt ubinam esset Theodericus. Quocirca diutius inter densissima cadauera inquirentes, tandem inuenerunt, inuentumque cantibus honorabant, atque inimicis inspectantibus abstulerunt. Videres Gothorum globos dissonis uocibus concrepare, atq; inter furentia bella Regio funeri piam reddidisse culturam: fundebantur quidem lachrymæ, sed quæ à uiris fortibus impendi solent. Mors itaque erat non tantum molesta, quantum gloriosa, ad quam etiam hostium superbia frangi putabatur, quando Regis efferri cadauer cum suis insignibus inspiciebant. Siquidem Gothi Theoderico adhuc iusta soluentes, armis insonantibus Regiam deferunt maiestatem: fortissimusq́ Thorismundus ad manes charissimi patris (ut decebat) exequias est prosecutus. Quod postquam peractum est, orbitatis dolore commotus, & uirtutis impetu, qua ualebat, in Hunnorum reliquias paternam necem uindicare constituit. Tunc Gothi tam pertinacibus animis Hunnorum cateruas inuadunt, ut Attilam penè trucidassent, nisi prouidus effugisset, & se suosq́ illico intra septa castrorum, quæ plaustris uallata habebat, inclusisset: in quibus etsi fragile esset munimentum, tamen quæsierunt subsidium uitæ, quibus paulò antè turres, & mœnia obsistere nequiuerunt.

Itaque Thorismundus non solum mortem patris seueriter uindicasset, uerumetiam Attilam, & totam eius potentiam deleuisset, nisi Aecij consilio in medio belli ardore à proposito reuocatus fuisset. Is enim metuens, ne Hunnis funditus interemptis, à Gothis Romanum imperium premeretur, persuadet Thorismundo, ut ad sedes proprias remearet, regnumq́ à patre relictum quantocyus arriperet, ne eius germani, sumptis paternis opibus, regnum Vestrogothorum occuparent, grauiterq́ dehinc cum suis, atq; infeliciter pugnaret. Quo consilio non ambiguè (ut datum est) sed pro sua potius utilitate suscepto, relictis Hunnis redit in Hispanias. Sic humana fragilitas dum se suspicionibus permittit, magnam magnarum rerum occasionem imprudenter amittit. Itaq; Thorismundus Regia maiestate subuectus, Tolosam ingreditur. Hic licet fratrum, & fortissimorum consanguineorum turba suffultus esset, attamen sui regni initia tam sapienter moderatus est, ut nullius reperiret de regni successione certamen. Nec longè post Attila non leuiorem belli molem in Alanos mouere contendit, ut illis superatis fortior in Gothos progrederetur. Sed Thorismundus fraudem Attilæ pari ingenio præsentiens, ad Alanos, collecto in eorum defensionem exercitu, iter accelerauit, ibiq́ superuenientis Attilæ motibus præparatus occurrit: confertoq́ prælio, penè similiter dè eo uictoriam, ut prius in campis Cathalanicis, reportauit: fugatumq́ à partibus suis, in sedes proprias omni spe uictoriæ frustratum profligauit. Sic Attila famigeratissimus, & multis uictorijs inclitus, dum quærit famam amissæ uictoriæ recuperare, geminatam contraxit infamiam, ingloriusq́ excessit. Thorismundus autem profligato tam acri hoste, ad Tolosam cum incruenta uictoria, & saluo exercitu remeauit. Deinde composita inter suos pace, tertio anno regni sui ægrotans, dum sanguinem de uena tollit, à proprio cliente (subtractis antea armis) trucidatur: una tamen manu, quam liberam habebat, scabellum tenens, aliquot ex insidiantibus repressit, & occidit.

Theodericus

Theodericus præmõrtui Thoriſmundi frater,& in regno Gothõrum ſucceſſor,etſi ad Re
giæ maieſtatis officia dignus ab omnibus iudicaretur,tamen hanc ſuæ claritatis æſtimatio-
nem plurimum imminuit illa eius ambitio,qua regnum occiſioni fratris cooperando præ-
occupare,quàm expectare malebat. Sed quod ille commiſit in fratrem,coactus eſt à cogna-
to ſuſtinere. Riciarius namq; Sueuorum Rex,cum conſideraret huius Theoderici regnum
per inſidias,atq; fraternam cædem occupatum,occaſionem dediſſe magnæ in Gothica gen-
te controuerſiæ,ſtatuit regnum eius domeſtica diſcordia labefactatum impugnare. Non e-
nim contentus eſſe uoluit Gallicia,quam à principio beneficio Gothorum poſſederat,Luſi
taniam uicinam,& omnes Hiſpanias ſibi ſubijcere cogitabat. Theodericus, comperta Sue-
ui Regis inſolentia,continuò miſsis legatis eum pacificè monere curauit, ut non ſolum ab
alienis finibus abiret,uerumetiam nec auderet ea attentare,quibus nihil præter perpetuum
odium,& irreparabile damnum aſſequeretur. Ille uerò animo prætumido reſpondit: Si hic
murmuras,& me uenire cauſaris, Toloſam,ubi tu ſedes,ueniam: ibi ſi poteris reſiſte. Theo-
dericus autem diſsimulanter iactabundi hominis uerba excipiens, mox contractis copijs
mouit in Sueuorum Regem. Ventum eſt ad certamen apud Vrbium amnem,qui inter Aſtu
riam & Iberiam fluit,ibiq; fortiter pugnans iuſtior Gothõrum pars uictoriam aſſecuta eſt,
Sueuorumq; gentes penè cunctas,uſq; ad internecionem proſtrauit.

Riciarius igitur cernens uictoriam ad hoſtes inclinari,fuga ſibi conſulturus nauiculam ar
ripuit. Sed tempeſtas nuſquam abire paſſa fugientem reiecit in littus: ubi à Gothis compre
henſus ad Theoderici manus uiuus peruenit: à quo mox ob ſuæ temeritatis perfidiam capi
te plexus occiditur. Sueuis tamen,qui poſt tam cruentam cædem ſupererant,indulgentiſsi-
ma clementia pepercit. Quibus fidelem hominem Athulphum præficiens,iuſsit ut pro-
miſſæ fidei rationem haberet,& quòd acceptum tantæ liberalitatis beneficium obſequio,
non ingratitudine compenſaret. Quod quamuis ſe integrè facturum polliceretur,tamen
cæca dominandi ambitione correptus,Theoderico Regi rebellans Sueuorum regnum oc-
cupauit. Quocirca Theodericus contractas denuò copias in rebellem,& eius complices
emittere curauit,exeuntemq; in pugnam facilè ſuperauit. Captus enim,& in triumphum
ductus,fortunæ ludibria pati cogebatur,qui maluit Rex eſſe ridiculus,quàm præfectus ſub
potente Rege magnificus. Igitur ob perfidiam uita pariter & regno priuatus, documentum
ad poſteros tranſmiſit,ne quis Principum humanitate & clementia facilè abutatur,aut do-
minorum manſuetudinem & longanimitatem contemnendam putet. Tunc Sueui rectoris
ſui nece comperta, pontifices, & ſacerdotes ſuos ad Theodericum pro uenia impetranda
ſupplices miſerunt: quos ille ob pontificalem reuerentiam ſuſcipiens, non ſolùm impuni-
tatem Sueuis indulſit,ſed ut ſibi de ſuo genere Principem conſtituerent conceſsit: quod &
factum eſt. Confeſtim enim Reſimundum ſibi Sueui Principem creauerunt: qui tranquilla
temporum pace gauiſus,ſuis quidem præfuit,ſed ſuperiorem Gothorum poteſtatem reco-
gnouit: per quæ tempora Theodericus decimotertio regni ſui anno occubuit,uitam pariter
& temporalis regni gloriam relinquens. Hic tamen attendendum eſt, Hiſpanam hiſtoriam,
quam Valerius ſcripſit,non rectè affirmare,quòd Eudoxa Imperatrix hunc Theodericum
ex Hiſpania,ad uindicandam ſui mariti Valentiniani Imperatoris necem,ad Romam uſque
aduocaſſet,ipſeq; uocationi ſatisfaciens,non modò Vrbi,ſed toti ferè Italiæ graues calami
tates induxiſſet. Sed erat Genſericus Vandalorum Rex,qui ex Africa per Eudoxam inuita-
tus urbem Romam intolerabilibus calamitatibus affecit.

Euricus deinde Theoderici frater,atq; in regno ſucceſſor,tempora minus turbata exper-
tus eſt. Quippe cum Romani eodem tempore ciuili diſcordia laborarent,aliorum Regum et
Principum quieti,quam turbare conſueuerant,melius conſuluerunt. Multi enim ad Roma
nũ imperium aſpirauere poſt occiſum Valentinianum,quem miles Aecij nuper iuſſu Impe
ratoris occiſi trucidauit. Maximus enim tyrannico more imperium inuaſit, Eudoxamq; Im
peratricem ſibi inuitam copulauit. Sed is audito Genſerici Vandalorũ Regis aduentu, dum
fuga euadere conaretur,ab Vrſo milite Romano occiſus eſt. Deinde Maiorianus Occidenta
le imperium occupans,parum imperauit,occiſus paulo poſt in bello,quod ſuſceperat in A-
lanos Galliæ uaſtatores. Inde Anthemius Martiani Orientalis Imperatoris beneficio in ſce
ptra Romana ſucceſsit. Nec multo poſt Olibrius quidam imperare contendit. Demum poſt
omnes Auguſtus(quem alij Auguſtulum uocant)imperium aſſumpſit. Vacabatq; exinde
Occidentale imperium per annos plusquam trecentos,uſque ad Carolum Magnum Ger-
manorum. Francorumq; Regem. Interea Euricus tam crebram Romanorum Principum mu
tationem conſiderans,Gallias ſibi ſubijcere contendit. Quod comperiens,Anthemius, qui
ſe Imperatorem geſsit,ad Britonum auxilia confugit: quorum Rex Riothinus cum duode-
cim millibus armatorum in Biturigenſem ciuitatem contra Euricum pugnaturus aduenit.

At Euricus innumerum ductans exercitum, diu contra eum pugnauit, & tandem (antequam Romani cum eo coniungerentur) superauit, adeoque prostrauit, ut maiore exercitus parte amissa, ad Burgundionum gentem Romanis confœderatam fugere compelleretur.

Euricus uerò Aruerniam Galliæ ciuitatem occupauit. Ita per quamcunque occasionem Gothi paulatim suum imperium propagauere, ut si non omnes, saltem potiores terras per Hispaniam, & Gallias, præter solam prouinciam Narbonensem, & nonnullas illi uicinas possiderent. Hoc est enim illud tempus, quo Romani Hispanias, Galliasq́; amiserunt, nec unquam postea recuperauerunt, & in Gallijs Francorum, Germanorum, Burgundionum, Vandalorum, & in Hispania Vestrogothorum orta sunt noua regna: quorum omnium præcipuum erat Gothorum, quemadmodum hoc nostro æuo ipsa Hispania, in qua sedes elegerant, nulli felici regioni secunda esse uidetur. Debent igitur uniuersa Hispaniarum & Galliarum regna Gothicæ gentis fortitudini non paruas gratias, quòd tunc primum per eam a' duro Romanorum imperio liberata, nunquam postea libertatem amiserunt, sed in maiorem gloriam conscenderunt. De obitu huius Eurici apud Didacum, siue Iacobum Valeram inueni, quòd conuocatis ad se proceribus suis prædixit, se ad nonum diem è uita mortali transiturum. Impetrauitq́; ab illis, ut Alaricum filium suum in regni solium collocarent, quem etiam multis optimis consilijs contra instantis temporis pericula præmunire curabat, in primis ut Deum super omnia diligeret, mandata eius custodiret, Dei ministros honoraret, sine fidelium procerum consilio nihil arduum tentaret, subditos amaret, iustitiam coleret, clementiam seruaret, omnibusq́; se benignum & liberalem exhiberet. Deinde superueniente nono die, ex temporali regno ad æternum gloriosa morte migrauit. Elatusq́; est cum summo honore, & publicis ac diuturnis lachrymis non secus ac patriæ pater, in ciuitate Arelatensi tumulatus.

LIBRI XV. FINIS.

OLAI





OLAI MAGNI GOTHI ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS DE ECCLESIASTICIS disciplinis

LIBER XVI.

PRAEFATIO.



PRAEMISSIS Septentrionalium populorum diuersis exercitijs, tum ad acriora bellorum certamina, structuras, & mutuos conuictus, tum ad alacriores eorum triumphos spectantibus, quibus ea gens rigidioribus subiecta planetis, recreatur, fastosq; dies suos more cæterarum gentium annuo cursu transigere solet: nonnihil præclarius subiungendum erit de Ecclesiasticis disciplinis, quomodo Aquilonares illi, suscepto ante annos D.C. baptismate, maximè à pueritia instituti sunt in moribus beatis, & optimis literis: in quibus à tenera iuuenta laudabiliter uixerunt, ad ultimam uitæ periodum, donec relicta boni nominis fama, & sanctis operibus, Catholica clauderentur sepultura. Contendebant enim docti præceptores, pro eo rudi seculo diuinitus dati, ut gentilium errorum sublatis superstitionibus, uirtutum semina paulatim inducerent, & austeritatem in mansuetudinem contra quoscunq; deprauatos affectus commutarent, uel saltem in malis habitibus mitigarent: tantumq; hac sedulitate profecisse notati sunt, ut populus ille Aquilonaris unitatem, & obedientiam Ecclesię seruans, nihil ageret in terra, mari, aut aliquo actu, sine benedictione suorum sacerdotum, prout inferius ostendetur etiam de gloria immortali bonorum principũ, & sempiterna ignominia, & infamia sacrilegorum: qui se, suosq; hæredes Deo, & hominibus odibiles, ac contemptibiles, ob hanc crudelitatem (nisi pœnitentia purgati fuerant) reddiderunt.

De scholis, & educatione iuuentutis.

CAP. I.



QVantum antiquis præceptoribus, pręsertim Platoni, diligens & fidelis puerorum, ac iuuentutis educatio curę fuerit, plurimis libris suarum legum euidentissimis rationibus attestatur, quos qui peruiderit, aut audierit, non satis admirari, sed nec imitari queat, quòd tam insigni prudentia præditus, sit solicitus ille homo pro ea ętate dirigenda, cuius uestigia difficilima (Sapiente teste) sint cognitu. Asserit etiam tales fieri magistratus in Republica, quales fuerint adolescentes in moribus educati. Quod dudum attendentes incolę Septentrionales, Gręcorum ingeniis, & gymnasiis iuuentutẽ suam, grata interueniẽte amicitia, mutuaq; opera, offerebãt instituendã. Habebãt nihilominus Gothi suos præceptores pro pueris partim educandis, partim pro Republica

dirigenda doctissimos, Græcis non impares in quauis eruditione, priuatim uel publicè demonstranda: ut erant Zenta, Diceneus, Salmoxes Pythagoricus. Præterea habebant Zarobos, Tereos, Pileatos: e quibus Reges, & sacerdotes eligebātur: ut Ethespanta, Hauale, Fridigerni &c. de quibus in superioribus libris non nihil est ostensum. Ex his igitur primi Gothi optimas hauserunt disciplinas, atq; continuo æuo, successiuisq; generationibus auidè obseruandas tradiderunt: arbitrantes ignauiam ab hominibus, & malignitatem arceri posse, ubi legitimi philosophi dominarentur, aut diuina quadam sorte philosopharentur. Philosophorum enim officium est, diuina nosse, & humana gubernare, primò per philosophiam contemplatiuam, deinde per actiuam. Et hæc quoq; duo requirit, ut quid humana natura sit, & quo pacto ad bonum dirigatur, & à malo remoueatur, agnoscat: hoc fit per prudentiam, secundum quod affectus se cohibeat, ut ad bonum, quod sapientia inuenerat, & prudentia direxerat, facilè tendat. Aliqui tamen in agendo plus, quàm disputando, experti sunt.

De eodem.

CAP. II.

Videtur Platoni lib. de legibus, puerum omnium animalium bestiam fore intractabiliorē, eò quòd multis causis bruto sit inferior, nisi diuina prouidentia, atq; cognatione diuinum cultum, religionemq; susceperit. Ideoq; eodē autore teste, nulli rei fidelior cura adhibenda erit, quàm ut pueri, & iuuenes bene instruantur. Longè etiam magis, quàm medicinales plantæ irrigentur, pueri conseruentur: ne generosa uirtus uerbo, uel facto corrumpatur. Imò asserit, nil diuinius fore, quàm quærere de educatione filiorum: quibus etiam uult imponi pulchra nomina, atq; sæpius eosdem interrogari, an tales esse uelint, scilicet sapientes: & ita naturali instinctu respondent fore uelle: & denique de alijs artibus, & exercitijs uario modo, ut agricultura, nautica, medica, militari, donec ad statutum aliquod perueniatur: & ibi per exempla, & inductiones confirmandi sunt. Attamen qui scholis applicantur, ea intentione fit, ut omnino Dei auxilio concurrente, in cleri militiam ascribantur, constituunturq; in Aquilone ab Episcopo, uel præsidente locorum magistri, seu pedotribæ, id est, exercitationum directores: qui tam per se, quàm suos substitutos, ducentos, trecentosq; diuersarum ætatum pueros et adolescentes, etiamsi filij principum sint, in uarijs bonarum disciplinarum rudimentis instituant, & adhibita uirga & ferula, ni probi esse uelint, corripiant, tanquam bestias flagris, & equos calcaribus ad cursum incitatos: ut ad uirtutum auiditatem accedere, & permanere constringantur. Qui enim licentiose pueros educat in uitijs, fures eosdem plectendos lugebit in patibulis. Hi tamen disciplinæ scholasticæ securiori spe deputantur, quibus à pueritia egregia indoles, eximium ingenium, atq; animus ad bonas artes, & scientias propensior esse probatur: etiam ad addiscendum peregrinas linguas, propter fideliorem interpretationem scripturarum, ne fortè bonorum librorum inæstimabilem sensum & fructum, ob inopiam & imperitiam irreparabilem, iacturam amissorum exemplorum, & consiliorum incurrant. Musicæ, ac Astronomicæ, & Arithmeticæ facultati, ac Geometricæ arti uehementer incumbunt. Audiunt enim à maioribus in uestibulo Platonicæ academiæ scriptum esse, Nemo huc Geometricæ expers ingrediatur: quòd non solum de literarum, sed etiam affectuum debita mensura idem Plato intelligi uoluit.

De paterna benedictione puerorum.
CAP. III.

CErnitur in superiori figura ueteranus homo, instruens paruulos ante se genuflexos: cuius sensum pius lector accipiat, in Aquilonaribus terris ab antiquissimis seculis inter laicos, & eorũ sobolem fuisse usitatum, uidelicet quòd pueri puellæq; somnum, seu lectum petituri, ordine ætatum recitata Dominica oratione, & Angelica salutatione, paternam benedictionem accipiebant: atq; adhuc sanctissimum eum morem, uetusta deuotione susceptæ fidei sic introductum, seruant. Maxima etenim cura parentum est, à maligna societate restringere filios, ne irreparabiliter corrumpantur. Fideles etiam amici non minus id prẽstãt, quàm ueri parentes, ut domi forisúe in bonis moribus, ac scientijs instituantur. Qualis autem benedictio hæc sit in forma, uel modo simili, laici discunt à prędicantibus Parochis, siue Plebanis, & Curatis suis, ex cap. Numeri 6, ubi dicitur: Sic benedicetis filijs Israël, & dicetis eis, Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Conuertat Dominus uultum suum ad te, & det tibi pacem. Inuocabuntq; nomen meum super filios Israël, & ego benedicam eis. Nec certè falluntur in hoc sanctissimo ritu, cum ita obedientes maneant parentibus suis, ut nec uerbo, nec opere, aut signis contraire uideantur paternis præceptis. Noui ego homines adhuc mea ætate, per patrem proprium ob insignem contumeliam, & rebellionem illatam, à paterna benedictione exclusos fuisse: & continuò omnem infelicitatem, inopiam, calamitatem, & infamiam sunt experti.

De præmio, seu mercede præceptorum.
CAP. IIII.

DE publico ærario, ut in præclarissimis aliarum regionnm, Italiæ, Hispaniæ, Galliæ, & Germaniæ studijs, præceptorum prẽmia non erogantur in Aquilonaribus scholis, sed à decimis Ecclesiarum, & Episcopali mensa, ac testamentali portione decedentium Plebanorum, seu Curatorum: qui tres, quatuorúe marcas argenti, uel magis, aut minus, siue earum æquiualens, pretium cistæ studentium, sanctione Pontificum & Capitulorum, relinquit moriturus. Hæcq; portio uelut debitum succedentibus agnatis, & hæredibus antefertur. Iuuat hic inserere generosam epistolam, uel aliquas partes eius ab Alarico Rege Gothorum Senatui urbis Romę per Cassiod. lib. 9. scriptam: Filiorum causas iure ad patrum cognoscimus remisisse personas, ut ipsi de eorum profectu debeant cogitare, quorũ interest studia Romana proficere. Neq; enim credendum est uos inde posse minus esse solicitos, unde & generi uestro crescit ornatus, & cœtui prouenit assidua lectione consilium. Nuper siquidem, ut est de uobis cura nostra solicita, quorũdam susurratione cognouimus, doctores eloquentiæ Romanæ laboris sui constituta præmia non habere, & aliquorum nundinatione fieri, ut scholarum magistris deputata summa uideatur imminui. Quapropter cum manifestum sit, præmium artes nutrire, nefas iudicauimus, doctoribus adolescẽtum aliquid subtrahi: qui sunt potius ad gloriosa studia per commodorum augmenta prouocandi. Prima enim Grammaticorum schola est fundamentum pulcherrimum literarum, mater gloriosa facundiæ: quæ cogitare nouit ad laudem, loqui sine uitio. Hæc in cursu orationis sic errorem cognoscit absonum, quemadmodum boni mores crimen detestantur externum. Si docilem parens filium cognouerit, & ingenij uiribus præstantem, nulla eum auaritia cogere debet, ut tanta laude filium fraudare uelit: adhibeat quamprimum puero optimos præceptores, ut liberalibus artibus, ac

disciplinis erudiatur, ad quas natura ipsa aptiorem genuit. Nihil enim optabilius parentibus esse debet, quàm filios habere eruditos: à quibus quidem uinci, & omni laudum genere superari, non modò æquo animo perpeti debent, uerum filiorum gloriam uictoriæ palmam sibijpsis existimare. Cicero ad filium sæpenumero ita loquitur, ut nihil magis cupere uideatur, quàm ab eo literis, si fieri posset, superari. Pessima nanque est quorundam nostri temporis sententia, qui nullo pacto sapientia à filijs superari uelle aiunt: rursus quàm detestabilis sit nimia parentum indulgentia erga filios, qua eos efficiunt torpentes, ignauos, & effœminatos, Plato ipse in Gorgia amplissimè execratur. Imò & horribile flagellum subditi sufferunt quoties eis Princeps lasciuis, effœminatisque moribus educatus, offertur habendus. Qualem enim iustitiam oppressis, qualem compassionem afflictis, quale denique uirtutis exemplum alijs unquam præbebit? qui prius imperium cum uitio sumpsit, quàm scire potuit, aut uoluit, quàm ardua uirtutis uia principatus sit acquirendus, ac omni modestia manutenendus.

De similitudine artium.

CAP. V.

NAm sicut Musicus consonantibus choris efficit dulcissimum melos, ita dispositis congruentibus accentibus, metrum nouit decãtare Grammaticus. Est Grammatica magistra uerborum, ornatrix humani generis, quę per exercitationem pulcherrimę lectionis, antiquorum nos cognoscitur iuuare consilijs. Hac non utuntur barbari Reges: apud legales dominos manere cognoscitur singularis: arma enim & reliquæ gentes habent, sola reperitur eloquentia, quæ Romanorum dominis obsecundât. Hinc oratorum pugna Ciuilis iuris classicum canit: hinc cunctos proceres nobilissima disertitudo commẽdat. Qua de re. P.C. curam habeatis, ut scholæ præceptores, tam Grammaticus quàm Orator, necnon Iuris ciuilis expositor, commoda sui officij percipiat sine diminutione. Et ne aliquid relinquatur incertum, mox ut sex menses exempti fuerint, statutę summæ cõsequantur prædicti magistri mediam portionem: residua uerò anni tempora cum annonarum debita redhibitione claudantur, ne cogantur de alieno pendere fastidio, cui piaculum est, uel horarum aliquo uacasse momento &c. Nam si opes nostras scenicis pro populi collectione largimur, qui necessarij non sunt: quantò magis illis sine dilatione præbenda sunt? per quos & honesti mores proueniunt, & palatio nostro facunda nutriuntur ingenia. Hæc autem præsentibus literarum magistris uenerando cœtui præcipimus intimari, ut sicut nos agnoscũt de suis commodis esse solicitos, ita à se profectos adolescentium enixius nouerint nos exigẽdos ut quandoque (referente Theoderico Rege 2. lib.) prudentia prædìti, publicis iudicijs, & legationibus, sapientiæ ministerio ualeant inseruire. Magna etenim ars est, contra artifices loqui, & apud illos aliquid dicere, uel agere, qui se putant omnia præuidere. Reliqua moderniora, ac meliora circa utilitatem scholarum, indignè uideri, & æstimari possunt apud clarissimum uirum D. Brunum de Hæreticis lib. 6. cap. 5.

De ritu diei Purificationis diuæ Virginis.

CAP. VI.

PRæterea inter alia bene instituendæ adolescentiæ remedia, hoc quoque à maioribus religiosa pietate inuentum est, & continuatum in Septentrionalibus regnis, uidelicet ut quemadmodum pagana superstitione ignis in eorum delubris semper seruabatur ad honorem suorum numinum, ac dæmoniorum: ita populus Christianus à paganismo ante DC. annos conuersus, tã detestabili euacuato errore, propio





pro pio ritu ſuſcepit, ac tenuit, ut die Purificationis diuæ Virginis cereos accenſos, orationibus ſacerdotum benedictos, uenerabili instituta proceſsione per Eccleſias, & cœmiteria reuerenti deuotione, & humilitate geſtarent. Is quoque laudabilis mos adhuc extat hoc die, ſtabitq; poſthac inuiolabili more in ſempiternum æuum: licet audax, & temeraria quorundam nouatorum præſumptio, ob tenebroſam eorum uiam, uitam, & uiſum, huius luminis ſplendorem irrutilantem habuerint odioſum, ne lumen fidei, & ſigna bonorum operum maneant in ardentibus lucernis, & eleemoſynarijs manibus Chriſtianorum. Sed nec præualuerant ubiq; in impijs meditationibus ſuis, Chriſto (qui lumen ad reuelationem gentium eſt) bona inſtituta conſeruante, quin hęc introducta deuotio (quã etiam omnes fœminæ enixa prole, ſpatio 40. dierum purificandæ, in oſtio Eccleſiæ lumen portantes exhibent ſacerdoti) maneat immota in Eccleſia Catholicorum: quia tanto tempore ad conſeruandum pacificum uictum, nulli penitus iniurioſum, fuerat obſeruata, ut crudelis meritò cenſeri debeat, qui tam honeſtæ, & ſanctę conſuetudini obtemperare contemnit. Omnem enim bonum uſum quaſi bonã poſſeſſionem, & mentem, ſcrutati ſunt antiqui, ne euaneſcentes umbras pro rebus ſolidis amplecterentur, aut fumos oſtenderent Chriſtianam uitam accepturis. Exemplis tamen, & ſimilitudinibus rerum, homines rudes pro obſequio fidei, ad uirtutem capeſſendam, & proprium periculum cauendum, non autem inducendum alienum, informare ſatagebant.

De diſtributione candelarum, ſeu cereorum benedictorum.

CAP. VII.

FActa igitur ſolenni proceſsione per templa, uel cœmiteria, cereus benedictus ad altare reponitur, unicuiq; familiæ finito officio in particulas diſtribuendus: quibus ſuſceptis domum quiſque regreditur, & ſequenti die conuocatis omnibus liberis ieiunis, ac genuflexis, parens iuxta formam prædictam Numeri 6. cereis accenſis impendit benedictionem: crematq; in modum Crucis extremitates capillorum capitis, ac ipſum cereum pro unoquoq; benedicto filio extinguit: cuius fumus ſi aſcenderit, ueluti iuſti Abel, ſignum bonæ obedientiæ parens adeſſe aſſerit: huicq; adoleſcenti, uel fœmellæ blanditur, exhortans, ut uirtuoſe uiuat, quia aſcenſus fumi longam, & bonam uitam ſignificat affuturam: quo uiſo alacriores effecti iuuenes, in optimis moribus, & obedientia perſeuerant, & progrediuntur. Cuius uerò fumus uerſus terram obliquatur, eidem timor incutitur, ut mores corrigat, & ſemper abſtineat à peſsima ſocietate: hacq; uia infiniti refrenantur à uitijs, & plurimi corroborantur in bono. Laudibus enim ducuntur ad religionem, mitibusq; minis depoſita pertinaci audacia, auertunt rebellionem. Si quis tamen contra bonam conſuetudinem hanc loquacius quàm prudentius dixerit, non tantum ob uiolatæ religionis culpam, ſed excitandi tumultus metum, ut ethnicus in ſociorum conſortio euitatur, maximè in menſali conuictu, ubi uerecundius talem effugere oportebit.

De uſu

De usu benedictorum cereorum. CAP. VIII.

ETsi cereorum usus multus, & magnus est in Aquilonaribus terris, maximè in ueneratione templorum, ac uisitatione Sanctorum, & susceptione sacramentorum: tamen cerei manu, & ore Pontificis (cuius speciale insigne est) benedicti, in alta reuerentia habentur apud eas gentes. Creduntur enim potenti uirtute uerbi diuini super eos effusi, uim habere fulgurum, ac coruscationum arcēdarum, ad eum effectum tunc incensi. Præterea ubi aërem corruptum sentiunt, ne tempore pestis, aut tempestatis sæuiat, bonarum precum adiunctione incensos habent, uel processionibus ab Ecclesia institutis in manibus gestant, ut uirtuti superessusæ benedictionis cedant elementa, alioquin asperrimè nocitura. Nec ista uideantur absurda, cum in ethnicis historijs dęmonū placatione per certa sacrificia, haud modo dissimili, uel altero reperiantur excogitata, ac usitata, quemadmodum Liuius 4. deca. lib. 10. asserit, ex Senatusconsulto Rom. ferias, & triduanas processiones per totā Italiam contra pestem, quę urbes euacuauerat, fuisse institutas. Imò refert de simili remedio aduersus eandem, uel aliam elementorum duritiam, dum ictos fulmine in prælijs equites armatos, & agros tempestatibus demolitos, ac pecudes, & armenta quassata cernerent, mox ad libros Sibyllinos, tanquam Aesculapij remedium quæsituri, diuerterunt. Ita & ante susceptam Catholicam fidem in gentibus Aquilonis factum memoratur, donec ueri luminis splendore illustrati, benedictis cereis redimerent urentes clades, & tandem animam efflaturi cereis uterentur eisdem.

De benedictionibus cunctarum rerum Birgeri Archiepiscopi Vpsalensis. CAP. IX.

PVlchrum, & sanctum, imò necessarium arbitrantur eædē gentes, benedictionem siue sacerdotis, siue sua inuocatione fundere super res omnes mortaliū usui applicandas, eò quòd Dei inuocato nomine ubique sentiunt adesse, uel mox affuturam omnium rerum ubertatem. Audiūt enim à prædicatoribus suis ex cap. 28. Deutero. allegato, quantis benedictionibus replentur seruantes mandata Dei, & rursus quàm infelices, & maledicti sunt, qui declinant ab eis. Habentur tamen communes cęrimonię in benedicendis seminibus, & segetibus, & esculentis tempore Paschæ, & in medio Augusti, die beatissimæ Virgini dedicato, ut benedicantur omnigeni fructus: quorum si qui ad usum domesticum deputati, maximè potus & ceruisia, incidentibus uenenatis & immundis animalibus corrupti uideantur, mox adhibita sacerdotali benedictione sub hac uerborum forma restituuntur: Deus, cuius immensæ pietatis est sordes abstergere, corrupta in priorem munditiam reuocare, & benedicendo sanctificare, te supplices exoramus, ut de hoc liquore quicquid in eo sordidum, aut immundum, siue noxium est, euacues, & adminicula, quæ seruis tuis utenda cōferre dignatus es, solita miseratione tua, & sanctificando purifices, & purificando sanctifices: ut liquor iste ab omnibus inquinamentis emundatus, tua diuina benedictione sit sanctificatus, & omnibus ex eo gustantibus existat immaculatus. Est & alia forma benedictionis annonæ die S. Stephani: Omnipotens sempiterne Deus, creator omnium elementorum, & sanctificator, qui es trinitas & unitas, precamur te Domine clementissime pater, ut annona ista per tuam misericordiam sit benedicta, & pręsta per inuocationem tui sanctissimi nominis, ut animalia quæ ex ea gustauerint, accipiant recreationem, et sanitatem, ac fortitudinem: ut quæ ad utilitatem nostram creasti, per tuam gratiam uiuant ad nostrum adiutorium. Per D. N.

Adhuc

Adhuc de benedictionibus peregrinantium eiusdem Birgeri Archiepiscopi.

CAP. X.

OBsecro memor esse uelit omnis lector pius, qui hęc dignabitur semoto fastidio legere, uitam hominis militiam, & peregrinationem esse super terram: ut cogitet qualiter ab Aquilone (unde omne malum pandetur) etiã uita emendata iter est ad cœlos. Vnde ex deuotione, uel uoto uolentibus peregrè proficisci ad Hierusalem, aut Compostellam, uel almam Vrbem, seu alia loca, prout multi Illustrissimi Reges, & fœminæ olim profecti sunt, Præsul, uel sacerdotes super eos, & sacculum, ac baculum modo sequenti stans benedicit: Domine Iesu Christe conditor mundi, & redemptor, qui beatis Apostolis tuis præcepisti, ut euntes in peregrinationem uirgas tantum sumerent, te supplici deuotione petimus, ut digneris hos sacculos, & fustes, seu baculos benedicere, quatenus hi, qui illos in signum peregrinationis, & sui corporis sustentationem recepturi sunt, tuæ cœlestis gratiæ recipiant plenitudinem, ut in eis munimen tuæ benedictionis percipere possint: ut quemadmodum uirga Aaron in templo Domini florens, à rebellium Iudæorum numero ipsius stirpem distinxit: ita & hos signaculo S. Petri ornatos, ab omnibus peccatis absoluas, quòd in die iudicij ab impijs separati, in dextera parte sint collocandi. Per D.N. Vers. Aduenerunt nobis dies pœnitentiæ, ad redimenda peccata, ad saluandas animas. Commendemus nosmetipsos in multa patientia, per arma iustitiæ uirtutis Dei. Vnde consignans peram dicit: In nomine Domini nostri Iesu Christi accipe sacculum, seu peram, in habitum peregrinationis tuæ, ut sanus peruenire merearis ad limina Sanctorum, quò pergere cupis, & ad nos cum gaudio & exultatione reuerti incolumis. Deinde dans baculum, dicit: In nomine Iesu Christi accipe & hunc baculum in sustentationem itineris, & laboris tui, ut deuincere ualeas omnes inimici cateruas, & peruenire ad limina Sanctorum, quò peregrinari desideras: ut peracto obedientiæ cursu, ad nos quoq; sanus cum gaudio reuertaris, & incolumis. Vers. Saluos fac seruos tuos &c. Mitte eis auxilium de sancto, & de Sion &c. Omnipotens sempiterne Deus, humani generis reformator, & autor, qui Abrahæ puero tuo, ut exiret terram natiuitatis suæ, & ueniret in terram repromissionis, quam ei te daturum esse promiseras, pręcepisti: necnon & populum Israëliticum in deserto te adorandum multis prodigijs uenire fecisti, hunc quæsumus ad Sanctorum limina pergentem, à periculis omnibus eruas, & à peccatorum nexibus absoluas, & tu qui es uera uia, in te confidentibus iter bene dispone, ut inter omnes huius seculi perturbationes tuo protegatur auxilio. Mitte ei sanctum Angelum tuum, quem Tobię famulo tuo comitem dedisti, ut ubicũq; manserit, sit illi defensor contra insidias omnium inimicorum uisibilium, & inuisibilium, quatenus lætus & incolumis ad nos iterum redire ualeat. Per D.N.

De benedictionibus eleemosynarum eiusdem Archiepiscopi, pro uiuis & defunctis.

CAP. XI.

ABscondite eleemosynã in sinu pauperis, & ipsa oret pro uobis ad Dominũ: quia sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum. Vers. Honora Dominum de tua substantia, & de primitijs frugum tuarum da pauperibus: quia beatus qui intelligit super egenum & pauperem. De profundis usq; ad finem. Kyrieeleys. Christeeleys. Kyrieeleys. Pater n. Et ne nos. Saluos fac seruos tuos & ancillã tuã, Deus meus spe. in te. Mitte eis auxil. & de Sion t. eos. Esto eis d. tur. forti. à fa. ini. A porta inferi erue d.a.e. Credo ui. bo. do. in terra ui. Requiesce

Ee in pace.

in pace. Domine exaudi. Dominus uobiscum, & cum spiritu tuo. Creator & conseruator generis humani, dator gratiæ spiritualis, largitor æternæ salutis, mitte spiritum tuum super hanc eleemosynam pro animabus famulorum famularumque tuarum, ut armata uirtute cœlestis defensionis, omnibus ex ea gustantium corporibus, atque animabus eorum proficiat ad æternam salutem, & prosperitatem. Deinde dicitur: Eleemosynam hanc sanctam facientibus retribue Domine in regno tuo, qui es remunerator omnium bonorum, & benedictus Deus per infinita secula seculorum. Huius etiam sanctißimi Birgeri Archiepiscopi Vpsalensis ordinatione, & consensu suorum suffraganeorum, factum est, ut penes singulas Parochiales ecclesias, latè per regnum extensas, essent domus refugij pro alendis egenis, per comportatas eleemosynas parochianorum. Præterea quòd decimæ Episcopales darentur hospitalibus leprosorum, & infirmorum, atque cum his liberales eleemosynæ diligentia quæstorum, tam remoto quàm propinquo situ distantibus, (determinato tamen modo) ab indigenis recollectæ. Est etiam talibus locis de magnis indulgentijs, & Principum priuilegijs, ut melius conseruentur, prouisum: attamen propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, aliquando exurget Dominus, ut uindicet in omnē pietatē sua inexplebili auaritia destruentes.

De hospitalitate Gothorum, ac aliorum Septentrionalium incolarum.

CAP. XII.



CVM natura mortales inuitet ad hilarioris uitæ mutuum subsidium (quod certè meritò facit, quia supra generis humani sortem est, ut solus quis sibi sufficiat, licet natura uniuersos ex æquo fouet, quos eiusdem formæ communione cōplectitur) eadem nimirum hominem etiam atque etiam obseruare nititur, ne sic suis commodis obsecundet, ut proximum (quem facilè iuuare poterit) angustijs obrui patiatur: imò detestabile est, susceptione hospitibus blandiri, & posteà pretij enormitate terrere: quoniam prędoni similis est, qui sub iniqua uoluntate, & execrabili lucro demonstrat se iustitiam non habere. Id enim uerum humanitatis, ac benignitatis officium est, quo quis sibi demit, & alteri porrigit: quod ipsum nunquam tantum infert commodi, quantum refert: nam & beneficiorum uicißitudine pensatur, & ipsa benefacti conscientia, ac recordatio charitatis eorum, & beneuolentiæ, quibus benefeceris, plus uoluptatis affert animi, quàm fuisset illa corporis, qua abstinuisti, præsertim quòd Deum ingenti præmio opus pium rependere non dubitatur. Quocirca ad eum effectum declarandum, suprapos ita figura adducta est, ostendens quàm immensa benignitas admirabili Dei munere Gothicis, ac Sueticis gentibus in hospitum collectione, ultra omnes Septentrionis populos indita est, ut omnem illū diem infeliciter perijsse existiment, quo non contingat peregrinis hominibus beneficium aliquod exhibuisse.

De externo testimonio eiusdem hospitalitatis.

CAP. XIII.

REfert Albertus Crantzius insignis nationum & historiarum scriptor, huiusmodi uerba: Quamuis omnes Hyperboreæ gentes hospitalitate sunt insignes, præcipui tamen sunt Suecones, & Gothi ijs coniuncti: quibus est omni pro-

bro grauius hospitium negare transeuntibus, ita ut sit certamen, quis aduenam hospitio suscipiat: cui gratuita liberalitate omnia exhibent hospitalitatis iura, quotquot diebus permanserit, egredientemq; cōmendant amicis in itinere, quod instituit, commorantibus. Hæc ille. Quinimò & iumentorum usum solicito uiatori, quousq; uoluerit, liberrimè præbent, ipsumq; per compita uiarum alacriter ducunt: utq; tali eorum beneficio utatur, obsequijs & precibus urgent: scientes plenum pietate opus esse, peregrinam gentem tali gratuito more consolari. Nec ignorant quantæ sint æstimationis reputandi fideles, & boni hospites, qui probos mores, usus, consuetudines, & reliquas uirtutes aliarum gentium (quas libenter audiunt) syncerius referre creduntur. Item & amicitias dolosa simulatione susurronum, uiolatas, in pristinum robur pijs consilijs reducere, atque pijssimis exemplis, & experimentis solidare. Prætereà qui de architecturis, & aliarum rerum naturis quæsiti, plurima per experientiam dicere norunt, quæ perpetuam utilitatem actiuis ipsis hospitibus sint allatura. Quocirca non contemnenda donaria recessuris in pellibus pretiosis, aut argenteis uasis liberaliter elargiuntur: quo fit, ut beneficij memores, simili gratitudine quandocunq; opus fuerit, omne bonum polliceantur, & præstent.

De humanitate & hospitalitate Gothorum ac reliquorum populorum Septentrionalium. Ioan in principio lib. 4.

Ad Gothiam deinde & Sueoniam reuersi, non solum nouas & ueteres patriæ historias, uerum etiam obeliscos, pyramides, quibus Regum, heroumq; gesta inscripta sunt, imò uetustissima patrij idiomatis carmina, & librorum fragmenta perquirentes nihil usq; non perscrutatum relinquamus, ut bonos Principes pro rebus bene gestis sempiterna gloria, malosq; immortali odio, perpetuaq; ignominia dignos ostendamus. Iustum quippe est, quemadmodum egregia optimorum Principum uirtus summis laudibus extollatur, ita improbitas tyrannorum perpetuo opprobrio inuratur, qui sub humana forma naturam gesserunt bestiarum. Primus itaq; post Botuildum Regem (de quo alibi dicemus) occurrit eius nepos Carolus, cuius adeò præclara, & magnifica gesta fuere, ut omni iure inter optimos Reges conscribi mereatur. Quippe quamuis in sceptra paterna, atq; in amplissima regna successerat, tamen memor paternorum casuum tam moderate se in omnibus gessit, ut non Rex, sed Pater patriæ ab omnibus putaretur. Proceres, à quibus honore Regio donatus fuerat, non aliter quam fratres habebat, eorumq; filios summis beneficijs efferre studebat, ratus se sine honore æstimandum esse, nisi contenderet honorem superare, & parua uel mediocria beneficia summis uel maioribus compensare. Nobiles ad inopiam uergentes, prouentibus Regijs sustentare curabat, communitati plebis non raro tributa laxabat, in legum transgressores, quando per ignorantiā aut fragilitatem peccauerant, clementissimus erat: qui tamen in eos, qui per malitiam deliquerant, summam seueritatem exercebat: & quemadmodum ipse in omnibus uirtutum officijs se continuè exercebat, ita subiecti populi læti & alacres sese uirtutibus sine intermissione accommodabant. Fit enim plerunq;, ut quales fuerint in Republica Principes, talis erit & populus. Hic Carolus inter maximas leges, & mandata constituit, ut Gothi ac Sueci inter se, & maximè in omnes aduenas & peregrinos hospitalitatē obseruarent, summumq; nefas ducerent, quicunq; uiatorem à tecto coërceret: quod si quis facere tētasset, & idoneis testibus ter negasse hospitiū cōuinctus fuisset, immisso igne ædes eius cōburi iussit, ut domibus proprijs iustè priuaretur, qui earū usum inhumaniter denegasset.

Hinc ego deductum puto, quòd uix alibi in tota Europa promptior liberaliorq; hospitalitas, quam apud Sueones et Gothos hodie inueniatur. Quippe aduenas non solum benignè admittunt, sed cuncta ad liberalem conuictum necessaria gratis & sine ulla nomismatis compensatione subministrant: deinde equis, uel iumentis ad uicinos deducunt, eisq; commendant. Fitq; non raro lis inter conuicaneos, quis peregrinum excipiat. Summa enim laude illeà cæteris efferri consueuit, qui plures aduenas liberali hospitio collegisset: quemadmodum ille publico odio iustè insectandus æstimatur, qui cibum, potum, hospitiumq; negauerit itineranti. Siquidem tanta ubiq; est cibi & potus abundantia, ut sordidæ auaritiæ mancipium reputetur, qui pro numerata pecunia cibauerit esurientem: nisi forsan in ciuitatibus

& oppidis, ubi omnia, sicut in aliis terris, nummo mensurantur: quanquam illic sine comparatione minus expenditur. Cęterum in uillis, quæ passim à fortunatis agricolis habitantur, omnia gratis distribuuntur, maiorq; ad hospites, quam ad proprios filios liberalitas habetur. His nanq; ad mensam uiliora apponuntur, quando aduenis pretiosiora reseruantur. Est nanq; in Gothis quidam laudabilis pudor innatus, quo maximè afficiuntur, quando nequiuerint se omnibus exhibere liberales. Fatetur hanc summam Gothorum Sueonumq; liberalitatem Saxo Danicę historiæ scriptor, qui alias Sueticis rebus non satis fauere uidetur, & post eum Crantzius Hamburgensis, qui affirmat in omnibus Septentrionalibus regnis magnam esse hospitalitatem, sed apud Gothos & Sueones præcipuam. Igitur cum Carolus domi & in patria totam sui principatus administrationem ad optimarum uirtutum regulam composuisset, diuturnam pacatam uitam usq; ad felicem senectutem deduxit, nullis audentibus imperium eius lacessere, quod erat tot uirtutibus propagatum & confirmatum nisi quidam Tordonus Noruegianus satrapa. Qui cum eius filiam coniugem, eandemq; nimis exosam haberet, monitus ab ipso patre fidei matrimoniali satisfacere contempsit, belloq; prouocatus, & in aciem progressus, manibus Caroli percussus occubuit. Reliqua nulla bella ab eo gesta inuenio: nec uidetur ad prælia promptum, aut paratum animum habuisse, qui legibus, optimisq; institutis, & moribus conatus fuerit se suosq; in omni tranquillitate & concordia conseruare.

De periculis hospitum ingratorum.
CAP. XIIII.

HAbet tamen natura populi huius hanc iustam seueritatem, ut si hospites tanta benignitate suscępti, inhonesta cupidine ducti (quòd rarò tamen accidit) consortem patroni domus, aut filiam, uel ancillam lasciuo ludibrio uiolare, præsumpserint, aut uim intulerint, tunc illico talem omni sęuitia adhibita, usque ad mortem infatigabili conatu, & impacabili iracundia persequuntur. Vident enim eorum gratuita beneficia nefanda nequitia compensari. Neque diu gratam stationem retinent hospites, qui graues odores secum in uestibus, aut sarcinis, ueluti moschum deferunt: quia fœminæ abortiunt eo odore hausto: imò ob tales odores peregrinos, incolis suspecti fiunt, ne sint proditores regni: unde plerunq; accidit odoriferos satellites, præcipuè collimitaneos Russos, seu Moschos, aut Danos, rusticorum ferocitate fustigari, quibus displicet ille odor. Præterea qui rixas, & odia atque contumeliosam ebrietatem nimis prodigo ausu, & haustu, lege discretionis oblita, exaggerant, aliosq; feroci spiritu nimio potus calore inflammati prouocant, subitò ad intensissima frigora expelluntur: quo demum euenit, ut propriam agnoscentes insaniam, prudentius conuersentur in ædibus alienis, ne abutantur benignissima hospitalitate. Aestatis tamē tēpore effugati, ut minus ab elementis ubiq; suauiter spirātibus, periculi sustinēt: ita infamis eorū memoria meretur, & efficit, ut nullibi uel hospitio, uel societate bonorū hominū recipiātur & foueantur.

De bono & utili moderamine erga hospites iniuriosos.
CAP. XV.

NOn parum ad hoc propositum facit doctrina beati Ambrosii de Offi. lib. 2. cap. 21. ubi de insigni hospitalitatis gratia & merito, plurima annotanda adducit & inter cętera, quod decet hominem hospitalem esse, benignum, iustum, non alieni cupidum, imò de suo iure cedentem potius aliqua, si fuerit lacessitus, quàm aliena iura pulsantem: fugitantem litium, abhorrentem à iurgiis, redimentem concordiam, & tranquillitatis gratiam. Siquidem de suo iure uirum bonum aliquid relaxare, non solum liberalitatis, sed plerunque etiam commoditatis est. Primum dispendio litis carere non mediocre est lucrum, demum augere amicitiam: ex qua oriuntur plurimæ commoditates, quæ suo tempore posteà prosunt. In hospitalibus autem omnibus officiis humanitas impartienda est: iustis tamen



tamen uberior honorificentia eſt deferenda, ut recipiens iuſtum in nomine iuſti mercedem iuſti accipiat, & pręmium calicis aquę frigidę &c. Suaue igitur eſt, non pecuniæ ſed gratiæ ſtudere. Verum exurgēs auaritia homines in eam ariditatem inducit, ut damnum putent, quicquid præter morem impenditur: licet ſcriptura aſſerat, Melior eſt hoſpitalitas cum oleribus, aut panis in ſuauitate cum pace. Non enim prodigos nos docet eſſe ſcriptura, ſed liberales. Liberale eſt hoſpitio ſuſcipere, nudum ueſtire, redimere captiuos, non habentes ſumptum iuuare: prodigum eſt ſumptuoſis effluere conuiuijs, & uino plurimo: prodigum eſt popularis fauoris gratia exinanire proprias opes: quod faciunt inanibus ſpectaculis intenti. Pulchra liberalitas eſt menſuram tenere, ut pluribus iuxta neceſsitatem diſtribuatur. Quicquid tamen ex affectu ſyncero promitur, hoc eſt decorum: non ſuperfluas ædificationes aggredi, nec prætermittere neceſſarias. Et maximè hoc ſacerdoti conuenit, ornare Dei templum decore congruo, ut etiam hoc cultu aula Dei reſplendeat: miſericordiam frequentare, quantum oporteat largiri peregrinis: non ſuperflua, ne ſumptu pauperum alienam ſibi quærat gratiam, & reſtrictior fiat apud clerum. Alterum enim inhumanum, alterum prodigum, ſi aut ſumptus deſit neceſsitati eorū, quos à ſordidis negotiationis aucupijs retrahere debeas, aut uoluptati ſuperfluat. Et hęc allegata ſint pro maiori parte propter Aquilonares ſtudioſos: ad quos uix unquàm perlatus eſt beatiſsimus iſte autor Ambroſius: qui et 3. lib. cap. 7. ait, tempore famis peregrinos ab urbibus nequaquàm pellendos, exemplo ferarum, quæ nunquàm expellunt catulos: quæ conformem ſui generis adiuuant, ubi homo impugnat. Canes ante menſam impaſtos non patimur, & homines extrudimus? Quid illum eijcis, qui te paſcit? Quid tam utile, quàm cultores agrorum reſeruari, non interire plebem ruſticorum? Quod igitur indecorum eſt, etiam inutile eſt &c.

De ritu Chriſtianorum conuiuiorum.

CAP. XVI.



Qvemadmodum lib. 5. cap. 3. de ſobrietate gigantum, & lib. 13. cap. 36. de ritu epulandi gentilium nonnihil oſtenſum eſt, qualem uſum, uictumq́ſ ſeruabant antiqui, nunc inſuper accepta Catholica fide enarrare congruit, quomodo per Aquilonaria regna, Suetiam præſertim & Gothiam, relicto maiori ex parte paganiſmo, & idolorum cultu, unanimes cœperint ambulare in domo Domini cum conſenſu, moresq́ſ tam concordes beneuola ſuarum rerum communicatione ducere, ut præter talem bonorum participationem etiam ad ritum conuiuandi religioſum rationabili ſeruato ſtatuto, ſeſe certis anni temporibus cònuertebant: ſicq́ſ multo tempore quaſi ſub aurea ætate, ubiq́ſ concupita, & adepta pace, alacriter conuiuebant. Attamen ut ordinatius id facerent, dictantibus Epiſcopis bonis, redactus eſt is conuictus ad tres dies Pentecoſtales, atq́ſ totidem ante caput ieiunij quadrageſimalis Eccleſiæ præcepto inſtituti: in primis undiq́ſ ad ſingularem parochiam uniuſcuiusq́ſ territorij, ſiue diſtrictus, cibos iuxta facultatem ſuam quiſq́ſ comportatos, in maxima æde penes Eccleſiam ad eum uſum fabricata, diſtincto menſarum ordine iuxta ſeriem ætatum, dignitatum, ac familiarum ordinarent, conuiuarentur, potu ceruiſiæ totius congregationis expenſis longè anteà ad hunc uſum reſeruato.


De causis huiusmodi congregationis.
CAP. XVII.

DVrante itaque hoc triduo ante ciborum sumptionem sacra à Plebano, seu Curato audituri, Ecclesiamq́; ingressi, (prout & nunc ingrediuntur) pro se, suisq́; charis parentibus, & amicis tam uiuentibus, quàm defunctis, fideliter (copiosis oblationibus factis) Dominum orant, ut pacem & sanitatem, ac omnia uitæ necessaria, & eorum mortuis antecessoribus misericordiam, & uitam præstet & ne unquàm sinat eos incidere in corruptam societatem, & iracundiam dominorum, atq́; hostium calamitates. Demum inde ad conuiuales mensas reuertentibus mos talis institutus est, ut Senatoribus tãtæ multitudinis per deputatos ministros stolis candidis indutos, ampla cornua electo potu repleta, pro summa memoria sanctæ Trinitatis more antiquorum ebibenda, successiuo ordine præsententur. Deinde eisdem cærimonijs in memoriam Deiparę Virginis, & tertiò patroni, cuius inuocationi Parochialis ecclesia dedicata sit, cornua simili liquore plena, & præsentata ebibantur. Quibus ritè peractis, ex alto legi solent ad latus Senatoris statuta conuiuantium, quid sanctius & honestius, tam ibi quàm domi, pro omni statu, & tempore, ac ætate diligenter sit seruandum, quasi in una compendiaria uita præsentis, & futuræ lætitiæ acquirendæ statuta hæc proponerentur. Sed neque pœna transgressorum est exclusa, quin & illi obnoxij sint ut soluant, scilicet tot ceræ libras sacris altaribus deputandas: & ita memoria Sanctorum continua reuerentia præsentibus suo tempore conuiuis instauratur, & frequentatur.

De utilitate conuiuantium.
CAP. XVIII.

PEractis igitur ijs mensalibus solatijs, pariter Ecclesias omnes utriusq́; sexus, & ætatis homines, Deum & Sanctos eius pro sua incolumitate, ac parentum salute inuocaturi ingrediuntur: diebusq́; aliquot in tam pijssimo ministerio deducendis, ualde soliciti sunt, ut si qui in medio eorum discordes sint, ad gratiam & amicitiam eosdem reducant. Si præterea immineant alicubi in limitibus regnorum hostiles insultus, ut stent paratissimi ad omnimodam defensionem. Si deniq́; uisis iuuenibus personis pro uinculo connubij coniungendis, eò quòd in cœtu hominum ob morum probitatem uidentur idonei, tunc illicò diem persuadent, & præfigunt parentibus utriusq́;, quo procus accedat pro uotis sponsalibus inchoandis. Et hinc euenit, ut unus fiat è pluribus, quoniam etsi plures amici sint, unum tamen fiunt, in quibus unus spiritus, & una sententia est, uel coniugali copula iuncti una caro. Præterea in tali conuictu, uel cœtu Ecclesiæ, teste Ambrosio lib. 1. Offi. cap. 33. fidei consortio, initiandi societate, percipiendæ gratiæ necessitudine, mysteriorum communione, amicitia, & beneuolentia augetur, & crescit. Hæc enim etiã appellationes necessitudinum, reuerentiam filiorum, autoritatem & pietatem patrum, germanitatem fratrum sibi uendicant. Multum igitur ad cumulandum spectat amicabilem conuictum necessitudo gratiæ. Adiuuant etiam parium studia uirtutum: siquidem conuictus morum facit similitudinem. Sed nihil tam consociabile, quàm cum æquitate iustitia: quę uelut compar, & socia beneuolentiæ, facit ut eos quos pares nobis credimus diligamus. Tantum igitur ualet beneuolus is conuictus, ut plerunque pignora naturę uincat.

De tur-



De turbatione bonorum conuentuum Regnicolarum.
CAP. XIX.

SED heu dolor hic conuiuandi, aut congrediendi pacificus modus, sæpe inualescente peste, sæpius annonæ caristia, ac bello, & sæpissime inuidia, & liuore falsorum Christianorum, & detestabili hæreticorum machinatione fuerat perturbatus: sed nunquam in toto sublatus. Quia etsi tyrannorum suspicione (qua nihil frequentius est) à mutuis congressibus & commercijs multitudo, ne in unum congrediatur, ubiq; restringitur: tamen ut uiolentum crudeleq; imperium, atq; intolerabile seruitutis iugum efficacioribus armis & consilijs quandoq; excutiant, tempus aptum inueniunt, quo uel in campestri iudicio conueniant, uel nuptialibus festis, funeralibusq; pompis, uel nundinis intersint, aut publicis uenationibus arcendarum noxalium bestiarum, præsidis præcepto, uel communi urgente necessitate congregentur, uel hostes à littoribus amoueant: quo casu, & modo suscepto, dum nulla meliora supersint remedia, impacabili furore succensi, in apertam proruunt rebellionem, ac quicquid atrocitatis ex ea dependet, impigerrimo labore deducunt: nec à furiosa ferocia desinunt, donec turmatim adaucti, arces & fortalitia tyrannicæ potestatis æquauerint solo, prout superioribus libris in parte uidetur expressum. Nolunt enim Gothi ac Sueci, seruili conditione nunquam geniti, tanquam noxales bestiæ præter legem & æquitatem, iusto reddito tributo, ad insolita uel impossibilia coërceri, prout ex ueterum immunitatibus illorum populorum licet intueri, quàm felices semper (æquitate defensa) fuerant, & præsides eorum miserrimi, qui magis feroci præsidentia timeri, quàm amari conabantur.

De ritu orandi in Ecclesijs.
CAP. XX.



GEntes Septentrionales ex pagis remotissimis ad Parochias baptismales profecturæ, aliud genus armorum, præter ballistam, gladium, & securim, non ferunt. Ballistas inquam, propter feroces bestias, ursos præcipuè immanes, & insatiabiles lupos: qui tribus mensibus, Ianuario, Februario, & Martio plus solitos ferociunt, quàm reliquo anni tempore: quod interimantur eo apud Deum præmisso uoto, atque seruata fide, ut pelles feræ percussę quasi pro sacrificio scabellis sacrorum altarium sub pedibus celebrantis offerantur. Et hinc est ortum, quod maximo, ac horrendo urgente frigore, super ursinam pellem stant sacerdotes celebraturi. Si uerò lupina pellis, aut lyncea, uel uulpina, aut alterius generis retibus excepta fuerit, pretium eius pro cereis Ecclesiæ fideliter adaptatur. Dixi præterea gladios, ut uim ui, si in insidiis occurrerit, repellant. Deinde secures, propter arbores diris tempestatibus per transuersam uiam eiectas, ut liberè transeant, excidendas, & amouendas, uel pontes subita inundatione perfractos celerius restaurent. Ferunt etiam lanceas loco baculi, ob aqueas fossas transiliendas. Habent nihilominus baculos annales, seu Calendarios (de quibus lib. primo cap. 34. dictum est) pro gestamine manuum: quibus docent, disputant, interrogant, & concludunt lunares coniunctiones, & oppositiones

tiones,ac curſus,feſta mobilia,ac fixa:pariter & ſigna dierum,infallibili experientia,quaſi è libro declarata legerent,exponuntur & interpretantur.

De ſecura poſitione armorum in atrio Eccleſię.

CAP. XXI.

TEmpla, ſeu Eccleſias parochiales ingreſſuri ruricolæ Septentrionis, ante ualuas,ſiue in atrio abſq; ulla furti ſuſpicione prædicta arma, donec diuina abſoluuntur præcipuè tempore pacis deponunt,rurſusq; ad propria reuerſuri reſumunt. Lege enim maiorum grauiſsima pœna ſacrilegi reperti puniri ſolent:nec eius horrendi ſceleris reus inuentus,ulla immunitate gaudebit: imo grauioribus affligi tormentis debet,dum contra Eccleſię libertatem,ſecuritatem, & priuilegia delinquit. Similiter & in uia Eccleſiarum itinerantibus,inſidias, aut uulnera inferentibus,ſingulari Principis lege infligitur pœna,quæ ueluti grauioribus delictis annumerata Regio tribunali caſtiganda ſeruatur,quemadmodum etiam ſacri Canones ſanciunt,& Imperiales leges. Satiſq; huic immunitati congruit 41. problema Plutarchi,quo dicit:Ita ſacerdotes olim uenerabātur,ut ante templa, uel aras poſiti,ſacram effigiem,& diuinum ſimulachrum repræſentarent:ad quod omnibus egenis,ac ſupplicibus tanquam ad aram confugere licebat: unde nec terreri, nec arceri omnino poterant. Quocirca in ipſo ianuę ueſtibulo,ac limine eiuſdem ponebantur lecticæ. Qui uerò pedibus huiuſmodi ſacerdotum ſe prouoluiſſent, eo die ab omnibus plagis,ac pœnis tuti erāt:qui ſi prius uincti fuiſſent,ac ad eum acceſsiſſent,eueſtigio ſoluebantur. Vincula uero non per ianuam,ſed per tectum ſublata foras abijciebantur. Nunc autem dolendum eſt impijs perſecutoribus uincula,catenaſq; non ſufficere, quibus atrocius Dei ſacerdotes mille contumelijs afflictos alligent,ſpolient,et occidant:per quorum deuotiſsimas preces miſericordia diuinitus acquiri conſueuit. Sed rurſus attēdant ſcriptum fore, Beneplacitum eſt Domino in populo ſuo,& exaltauit manſuetos in ſalutem: in quorum manibus gladij ancipites ſunt,ad faciendam uindictam, & ad alligandum Reges eorum in compedibus,& nobiles eorum in manicis ferreis, ut faciant in eis iudicium conſcriptum. Et hęc eſt gloria omnibus Sanctis eius.

De miſeria,& infamia ſacrilegorum.

CAP. XXII.

QVia nimium familiare ſacrilegis mentibus eſt,audaci impietate quæq; mala imaginari,& ea contra diuinam reuerentiam, & eius miniſtros atrocius exequi:fit ut in primis uel cultum diuinum totaliter auferant,uel in tantum bona diripiendo impediant,ut tandem omnem ſubſtantiam Eccleſię, & clericorum occupent,ac uertant in commodum,& hæreditatem laicorum:ignorantes, uel ſcire non uolentes,crudelius mortis genus fore,uictu neceſſario ſublato,hominem miſerabili ac longo interitu fame occidere,quàm leui,licet duro compendio, fune, uel gladio,quocunq; ſolatio, deſtitutum, & nudum mortificare: imò in tantum blandiendo ſibi mentitur eorum iniquitas, ut aſtutè dicant, Non expellimus clericos ab Eccleſijs,uel monachos,aut moniales à clauſtris : ſed bona eorum ſub fiſcum,& coronam mittimus,ut nihil amplius ab alijs exportandum relinquatur, ſed his peraugendis noua eleemoſyna diſtribuatur. Quod quàm execrabile, ac deteſtabile ſit,ipſi uiderint, qui hac ſcelerata malitia infamiā ſibi cōparant,& perpetuū cruciatum,ac ſtirpi,generationiq; ſuæ æternā egeſtatem:quæ in domo impij,ut lepra in leproſo,hæreditaria lege manet. Conſtat etiā referente Theoderico Rege Gothorum de libertate cleri,quòd qui mendicitatem tollit à monaſterijs,& clauſtris

claustris, eam inueniet in Principum aulis. Quod quàm uerum sit, secreta miseria plus docet, quàm minuta hac pagina congruit enarrare. Verè possent hic præter mille alia testimonia ex nomine ostendi potentissimæ Principum, ac nobilium familię: quæ ut olim sorte sua contentę sine sacrilegio, & uestium, & epularum inani luxu liberaliter in splendida opulentia (abundè propria egenis tribuentes) uixerunt: ita postmodum manus rapaces, ad sacra præsertim ęraria, prætextu fictæ necessitatis mittentes, inopia pressi, ad aratra, ut sudore uictum quęrerent, descenderunt: sub quo indies iam gemere, & inconsolabiliter plures uiuere non ignoro. Aurum, & argentum pia manu collectum dum Ecclesia habuit, ne corruerent in abiectam conditionem, multis & magnis hominibus uel dando, uel mutuando succurrit. At postquàm inde sublatum est, nec reparari permittitur, quisque in maxima infelicitate experietur, quàm miserabile sit uiuere absque mutua subuentione fidelium Christianorum.

De nimia pręsumptione sacrilegorum.
CAP. XXIII.

EXtant apud Cassiod. lib. 12. notabiles epistolę: quarum una sub titulo Edicti sic habet: Quid adhuc minimè audacia humana tentabis, si & ibi furta, ac sacrilegia porrigis, ubi te minimè latere cognoscis? ut illudas oculis fortasse mortalibus: quamuis iniqua, tamen aliqua uidetur pręsumptio. Quanta uerò cæcitate damnatur, qui se ęstimat perpetrare, quod diuinitas non possit aduertere? Sed ne similis ulterius grassetur præsumptio, aut diuinam patientiam frequens prouocare possit excessus, edictali programmate definimus, ut qui in hac fuerit ulterius fraude uersatus, & militia careat, & compendium propriæ facultatis amittat. Grauiore siquidem pœna plectendus, qui usq; ad iniuriam diuinam, suam nihilominus tetendit audaciam. Habeant pauperes dona regnantum: possideant aliquid, quibus nulla facultas est. Cur aliena substantia in Regali largitate posita peruaditur? Possessio eius, stabile munus principis est. Quemadmodum pręsumat subiectus contingere, quod Deo respicit humilitatem dominantis offerre? Additur, quòd talibus non dare tulisse est: & merito, quandò, qui potest esurientibus subuenire: si non pascit, extinguit. Pudeat illis tollere quibus iubentur offerre. Vltra omnes crudelitates est, diuitem uelle fieri de exiguitate mendici. Amentur honesta lucra, horreantur damnosa compendia, nullus audeat inde tollere, quod possit collecta dispergere: addendo perdit, qui retinendo collegerit, & paupertatem potius ad se trahit, si exigentium pecunias non repellit.

De restitutione sacrorum uasorum S. Petri.
CAP. XXIIII.

REfert idem Cassiodorus eodem libro aliquot sequentibus capitibus, quod postquam Rex Gothorum Alaricus urbis Romæ deprædatione satiatus, Apostoli Petri uasa suis deferentibus excepisset, mox ut rei causam habita interrogatione cognouit, sacris luminibus deportari manibus diripientium imperauit: ut cupiditas, quæ deprædationis ambitu admiserat scelus, deuotione largissima deleret excessum. Sed quid mirum? si reuerendorum Sanctorum uasa diripere noluit, qui tanta se Vrbis (à Stilicone lacessitus) uastatione ditauit, Roma etenim, ut antecessor meus D. Ioannes Archiepiscopus Vpsalensis lib. 15. historiarum suarum fo. 489, asserit gentium domina, Christianæ fidei domicilium, omni ope destituta capitur à Vestrogotho Rege, qui esset Arrianus, tamen longè mitius uictoriam in deuictos hostes exercuit, quàm complures nostri temporis Principes in subditos, & fideles ciues suam potentiam extendunt. Quamuis enim direpta

repta fuerat Roma, tamen sacris ædibus, & omnibus in eas confugientibus, quadam incredibili pietate parcebatur: imò ipsi Gothi plerosq; Romanorum suis humeris in templa portauerunt, ne in cæteros milites minus clementes inciderent, prout S. Augustinus, & Orosius, hanc historiam iam sibi magis compertam tradiderunt. Ille enim in 3. libro de Ciuit. Dei cap. 28. Gothis admirandam clementiam tribuens, inquit: Gothi tam multis Senatoribus pepercerunt, ut magis mirum sit, quòd aliquos peremerunt. Hic uerò Orosius lib. 7. cap. 28. miris exclamationibus in laudem Gothicæ gentis utitur. Ibi enim uidere licet, Gothos uehementer horruisse sacrilegia, & non solum sacra uasa aurea, & argentea, magnitudine, & pondere, ac pulchritudine pretiosissima, in sacras ædes retulisse: uerumetiam omnes tam ethnicos, quàm Christianos ad Sanctorum Basilicas confugere uolentes, è medio interiectu Vrbis, exertis undique ad defensionem gladijs, saluos & liberos deduxisse. Hæcq; contigerunt circa annos Domini CCCC. XIIII. teste Sigisberto.

De Alarici 53. Gothorum Regis externi, rebus magnificè gestis, pietate, inq; deuictos hostes clementia. Ioan. Mag. lib. 15. suæ historiæ, his autem proximè præcedentia, habes suprà lib. 9. cap. 46.



At postquàm Theodosius pacis, generisq; Gothorum amator, apud Mediolanum immatura Reipub. morte præuentus est, Arcadium & Honorium filios eius, & in imperio successores, multæ suorum perfidiæ atq; insidiæ agitauerũt. Pater enim eorum, cum adhuc in imperio floreret, tres habebat præcipuos exercituum duces, pares ferme opibus & autoritate, quibus totius imperij summam pro impuberibus adhuc filijs administrandam reliquit. Nam Rufinum Orienti, Gildum Africæ, Stiliconem Occidenti præficere curauit. Illi uerò uix dum defuncto Theodosio rapere sibi prouincias quisque suas adoriuntur. Siquidem Gildus, comperta Theodosij morte, mox sibi Africam, cõtempta puerorum Principum ætate, uendicare tentauit: sed in primo conatu ab illis, qui pro Honorij partibus stabant, occisus occubuit. Idem etiam Rufino Orientis imperium affectanti Arcadij iussu euenit. Stilico reliquus imperij dux gente Vandalus, militari disciplina excellens, successu rerum ingentes opes, amplissimamq; dignitatem sibi comparauerat, utpote factus bis socer Honorij Imperatoris, qui duas illius filias, Mariam & Erimantiam, cum prima obijsset intacta, in matrimonium accepit. Fuit et ipse parum erga iuuenes Principes fidelis, sed suam perfidiã maximis tegens dissimulationibus, nihil apertè contra Rempub. moliebatur: quin potius affectatum Eucherio filio imperium non prius inuadere constituit, quàm incautos Imperatores insuperabilibus calamitatibus inuoluisset. Ad quod nõ multis armis opus habebat, cum compertum haberet, quoscunq; imprudentes Principes nulla alia re citius destitui posse, quàm perniciosis consilijs sub specie pietatis adductis.

Itaq; primum omnium occultis machinationibus Sueuos, Burgundiones, Alanos, Vandalos proprijs sedibus excitos ad Romani imperij prouincias inuadendas concitauit. Alia uerò ex parte suadet Arcadio Orientem tenenti, ut missas faciat omnes Gothorum copias, quas in Mœsia firmissimas habebat, leuaturus ea missione ęrarium a' sumptu graui, & quotidiano: quæ omnia ad eius præscriptum potius, quàm consilium fiebant. Et nedum stipendia illis abstulit Arcadius, sed se eos contemnere, & a' proprijs eorum sedibus propellere, palam ostendit. Præsenserat enim Stilico, ipsos Vestrogothos rerum necessariarum indigentia compulsos, Romano imperio non leue negotium facturos, ut quàm primum profecti ex Germania Vandali, Burgundiones, Alani, & Sueui Gallias irrupissent, Honorius contra illos exercitum ducere cogeretur, & in tanto bello aut occideretur, aut destineretur, ne cæteris imperij partibus subuenire posset. Eumq; in euentum secum in animo constituerat, bellum Italicum aduersus Vestrogothos sibi assumere, & quicquid copiarum esset reliquum

Reipublicæ

Reipublicæ, secũ rapere, cum quibus Vestrogothos (quod sibi facillimum fore confidebat) deleret, atque eo impetu Roma, ac per ipsam imperio potiretur. Cœpit autem eius propositi executio in hunc modum: Anno imperij Arcadij & Honorij octauo, qui fuit salutis Christianæ septimus & quadringentesimus, Stilico ipse, & Aurelianus Consules sunt creati. Quo anno Vestrogothi stipendio commeatuq; solitis destituti, in Pannonias secesserunt: ubi de Rege creando cogitare cœperunt: caruerant enim proprio Rege post defunctum in Constantinopoli Atanaricum per annos uigintiquinque. Interea sub Gratiano & Theodosio simul sex annis, & postea sub Theodosio solo undecim, atque sub Arcadio & Honorio usque ad Stiliconis Consulatum, octo Reipublicæ stipendia meruerunt: & in eo tempore nullos gentis suæ Reges, aliosúe duces habere curauerunt, quàm ab Imperatoribus institutos.

Radagasius igitur in Pannonijs à maiore Gothorum parte Rex designatur, cum Alaricus à cæteris Gothis etiam in Regem eligeretur. Fuisset hæc controuersia toti genti nimis perniciosa, nisi prudentium uirorum consilio hoc modo pacata fuisset, ut Radagasius primo atque idoneo tempore coactis quàm maximis posset copijs in Italiam descenderet, Alaricus autem euentum rerum in Pannonijs expectaret. Itaque Radagasius non modò maximis Gothorum copijs, sed etiam Hunnis & Vandalis usque ad ducenta millia sibi coniunctis, per Venetianos saltus Italiam populabundus ingreditur. At Stilico, qui summæ rerum præerat, cognito illius aduentu obuiam procedit, consilia hostis explorat, & ad illud omni conatu intendit, ut incautum opprimat. Assecutus eum in Hetruriæ montibus, atque ad iniquum congrediendi locum per insidias perductum graui bello adoritur, usus singulari fortitudine illorum Gothorum, qui adhuc duce Saro imperio Romano militabant. Compulsus igitur per eos in montem Fesulanum Radagasius, inops consilij, & cibi, urgente undique timore concluditur, agminaq;, quibus antea angusta uidebatur Italia, latendi spe in unum ac paruum montium uerticem truduntur. Non disposita in bellum acies fuit, non cædes acta, non sanguis effusus est, sed ludentibus Romanis tanti illi, tamq; terribiles hostes, esurientes languentesq; confecti fuerunt. Rex uerò Radagasius solus spem fugæ concipiens, clàm suos deseruit, atque in hostes incidit: à quibus captus, & paulisper retentus, ac deinde interfectus est. Tanta uerò captiuorum Gothorum multitudo ab Italicis historijs fuisse refertur, ut in totam Italiam Gothica mancipia diffunderentur. Sed hic iterum cum historicis, quemadmodum superius in tempore Claudij, expostulo. Si omnes Gothi cum suo Rege Radagasio supra ducenta millia penitus deleti fuissent, quomodo rursus postea uix elapsis quatuor annis Alaricus alijs ducentis Gothorum millibus stipatus Romam, & Italiam expugnasset?

Alaricus enim ex nobili & antiquissimo Balthorum genere ortus, suscepto Gothorum regno, cum suis deliberando suasit, & facilè persuasit, suo potius labore regnum quærere, quàm alieno imperio subiacere. Statimqúe instructo exercitu, non minore quàm nuper Radagasius duxerat, uirtutis suæ specimen ædere instituit. Quippe hic Alaricus ducentorum millium armatorum agmine succinctus, Thraciam & Pannonias, omnemqúe Illyricum & Noricum, continentem quoque illi primam Italiæ partem magnis stragibus, direptionibusqúe, ob odium, quod in imperium conceperat, afflixit. Quod quidem beatus Hieronymus ad Paulam & Eustochium per id temporis scribens, in Sophoniæ Prophetæ expositionibus, in hæc uerba ostendit: Iram quoque Domini etiam bruta sentiunt animalia: & uastatis urbibus, hominibusqúe interfectis, solitudinem & raritatem bestiarum quoque fieri, & uolatilium, pisciumqúe: testis Illyricus est, testis Thracia, teste in quo ortus sum solo, ubi præter cœlum, & terram, & crescentes uepres, & condensa syluarum cuncta perierunt. Traxit igitur Alaricus in Italiam manum illam Vestrogothorum, Romanis stipendijs apud Constantinopolim assuetam. Cuius progressum quousque Romam irrupit, partim ex Guidonis Rauennatis, partim ex Iustiniani Veneti historijs exequi conabimur. Stilico enim (teste eodem Iustiniano) elatus ea uictoria, quam de Radagasio assecutus fuerat, quòd solus tam facilè omnia administraret, maiorem in spem imperij rapiendi exarsit, Alaricum ueterem amicum multis nuntijs hortatus, ut in Italiam armatus transcendat. Inde uerò Burgundiones, Sueuos, Alanos, qui Rheni ripas insederant, creberrimis nuntijs solicitat, ut in Gallias transmittant: ipse interim Consul designatur. Deinde cum quotidie nouos in Gallijs motus excitari nuntiaretur, suadet Honorio, ut ad eos sedandos proficiscatur: facilè enim sua autoritate omnia componere possit: sese interea Alarico occursurum, quem in Italiam iter instituisse asserebatur. Re igitur per Stiliconem ex sententia composita, eodem ferè tempore & Honorius in Gallias proficiscitur, & Alaricus apud Rauennam castra locat. Deinde colloquio inter eum & Stiliconem habito, pollicetur

Stilico daturum se operam apud Honorium, ut in Italia, aut Gallia habeat sedes, & stipendium. Grata erat Alarico conditio, quæ offerebatur. At callidus Stilico simulat se eius conditionis responsum ab Honorio expectare, illo tamen uafro consilio, ut si quid de Honorij casu interim intelligere posit. Postea uero quàm Alaricus bis aut ter Stiliconem de promissis appellatum rem differre animaduertit, fraudem aliquam subesse uereri cœpit, & importunius colloquij finem urgere. At contra Stilico trahere omnia, & alias, deinde alias moræ causas nectere. Sunt qui scribunt, toto triennio rem à Stilicone ductam, dum concepti sceleris tempus, & occasionem quærit. Imo sunt qui scribunt, Stiliconem, quia dux excellens, & rei militaris peritia præditus erat, facile Gothos uincere potuisse, si uoluisset.

Cum uero Alaricus ludos sibi liquido dari perpenderet, Honorium clàm per oratores docuit perfidiam Stiliconis, orans, obtestansq; sedes sibi in ea Galliarũ parte dari, in quam Sueuos, Alanos, & Burgundiones (ducibus Vandalis) breui irrupturos apparebat: contra quorum insultum se pro Romano imperio pugnaturum promittebat. Reiciuerat uero Honorius, plerisq; alijs deferentibus, quid Stilico moliretur. Quare ad eum scribens, iussit ut cum Gothis pacem faceret, illisq; diem statueret, infra quam Italia profecti in Gallias se conferrent. Literis itaque ab Honorio Imperatore acceptis, Stilico pacem cum Alariro, Vesgothisq; (prout iussus erat) illico firmauit, & profecturis quæcunq; itineri duxerunt necessaria, summa cum amoris liberalitatisq; simulatione concesit. Quos postea intelligens initæ pacis fiducia, & profectionis solicitudine omnem belli curam abijcere, nullis castris se omnino munire, sed salutem suam nimia securitate negligere, sacrum paschatis diem delegit, in quo partim religione otiosos, partim epulis et uino obrutos, ad unum omnes confodi posse confideret, imperat Sauli Hebræo homini, cui summam rerum apud castra demandarat, ut cum delecto copiarum flore sacrosancto paschatis die Gothica adoriatur castra. Ipse interim Romam proficiscitur. Iudęus autem, ut imperatum erat, primo die paschatis Gothorum castra inuadit. Oritur ingens in castris tumultus: quo Alaricus perculsus, primum cunctatur quid agatur: at postquam hostem esse armatum cognoscit, elata uoce deprecatur per Christi fidem, si humana non ualeat, ut eo die prælio abstineat, & in crastinam lucem expectet. Quibus uerbis Iudæus magis prouocatus, acrius insistebat, atq; urgebat. Romani uero in summam admirationem ducebantur, cum uiderent neminem Gothorum armatum progredi, sed uulnera potius, mortemq; pati, quàm arma capere, id quoq; unũ agere, ut uocibus & manibus in cœlum leuatis, diuinã opem obtestando, auxilium ex alto poscerent, admirandum cunctis seculis exemplum reliquentes, quòd potius mori, quàm se defendendo Christianæ ecclesiæ festum uiolare uoluissent. Cæterum impellente Iudæo, & pugnam magis atq; magis accendente, motus in uindictam Deus animos Gothorum tum impietate, tum perfidia Romanorum oppressos erexit.

Alaricus siquidem, posteaquàm tam impiam uidet hostis pertinaciam, cõuersus ad suos: Persoluimus (inquit) commilitones Domino Iesu Christo, quem debuimus honorem: ipse nobiscum pœnas de tam scelerato hoste requirat, qui nisi nostrum sanguinem biberit, nullo modo ualeat satiari. Agite signiferi, educite signa, negligite castra: non ad tuenda ualla nati estis, uirtutem patriam in acie sagittis, gladijsq; declarate. Hæc fatus ipse primus cum globo militum uix satis armatus in hostem fertur: tanta continuo animorum conuersio facta, ut Gothi uelut in rabiem uersi, ex omnibus castrorũ portis erumperent. Romani (ut diximus) prius incredibilem Gothicę gentis pietatem admirati, cum primum aduersa in se signa ferri conspiciunt, suspenduntur animo tum religione, tum metu. Sed quod consilium? quis conatus efficax esse poterat aduersus iratum & inuictum Deum, et pro innocentia Gothorum tunc agentem? Quamuis enim Romani perfidorum Iudęorum auxilio subnixi acerrimis animis pugnarent, tamen inualescentibus Gothorum uiribus & armis, in una pedum pernicitate salutis spem ponere cogebantur. Deinde quocunq; sors tulit disipati, palantesq; illi paucissimi, qui cęde supererant, ferebantur. Quippe ad internecionem pene deleti fuerunt. Castrisq; Romanorum occupatis & direptis, Gothi spolia diuiserunt. Profligati per hunc modum Romani infelicissima omnium pugna, quas octingentis ab annis fecissent, Stilico interim ad eius stragis nuntium animo erat plurimum consternato, pręsertim quia intelligebat Gothos, omisso transitu in Gallias, in se confestim exercitum cõuersuros. Proinde exercitum reparaturus, supplementum ab Imperatore postulauit. Immisit uerò Honorius duces, qui dignam ultionem de perfidia Stiliconis sumpserũt. Ecq; modo Stilico ipse, qui (iuxta Orosij uerba) ut unum puerum purpuram indueret, totius humani generis sanguinem dedit, cum Eucherio filio, cui parabat imperium, est occisus.

Quippe Alaricus aliquot dies tum recipiendis, tum subigendis urbibus absumpsit. Deinde superato Apennino Romam ducit, nullis obuiam factis. Tandem urbs Roma gentium

rium domina, Christianæ fidei domiciliũ, omni ope destituta capitur à Vestrogotho Rege: qui etsi esset Arrianus, tamen longe mitius uictoriã in deuictos hostes exercuit, quã complures nostri temporis Principes in subditos, & fideles ciues suã potentiam extendũt. Quamuis enim direpta fuerit Roma, tamen sacris ædibus & omnibus in eas confugientibus quadam incredibili pietate parcebatur: imò ipsi Gothi plerosq; Romanorum suis humeris in templa portauerunt, ne in cęteros milites minus clementes inciderent: quanquam Hieronymus in Epistola de obitu Marcellæ ex rumore scribens affirmet, hanc urbis Romæ direptionem non sine graui seueritate, & cum magna armorum licentia perpetratam. Sed audiendi sunt potius S. Augustinus & Orosius, qui hanc historiam sibi magis compertam tradiderunt. Ille enim in tertio lib. de ciuitate Dei, cap. 28. Gothis admirandam clementiam tribuens inquit: Gothi tam multis Senatoribus pepercerunt, ut magis mirum sit, quod aliquos peremerunt. Hic uero Orosius lib. 7. cap. 28. miris exclamationibus in laudem Gothicæ gentis utitur. Ibi enim uidere licet, Gothos uehementer horruisse sacrilegia, & non solum sacra uasa aurea & argentea, magnitudine & pondere ac pulchritudine pretiosissima, in sacras ædes retulisse, uerum etiam omnes tam Ethnicos, quam Christianos ad Sanctorum basilicas confugere uolentes, è medio interiectu Vrbis exertis undiq; ad defensionem gladijs saluos & liberos, deduxisse. Præterea diuinum furorem ob nimiam eorum clementiam prouocatum, eodem tempore clarissima Vrbis loca, quæ Gothi inflammare nequiuerunt, fulminibus diruisse: imo, ut nonnulli putant, ipsum Alaricum, quod superbam Romanorum lasciuiam, & blasphemiam non satis corripuisset, breui extinxisse, quemadmodum olim illum Saulem Hebræum, quod Amalechitis contra diuinam uoluntatem pepercisset.

Siue igitur paruo (ut inquit Orosius) negotio, siue post passam à Romano populo (ut alij uolunt) acerbissimam famem, Gothi sub ductu Alarici Regis urbem Romam rerum ad id temporis dominam occupauerunt, ab ea die (quam Calẽdarum Aprilis fuisse satis constat) destinata hactenus Romani imperij inclinatio inchoauit, anno uidelicet à Christo nato quadringentesimo duodecimo, ab Vrbe uero condita sexagesimoquarto supra centesimum & millesimum: fuitq; hæc secunda Romanæ urbis captiuitas post illam, quam à Brenno Gallo olim passa fuit. At si inuicem comparentur Brenni, & Alarici uictoriæ, superat profecto Gothus gloria Gallum. Ille modicam adhuc Vrbem cepit, & pastorales casas eius flamma consumpsit: hic gentium omnium Reginam. Ille arce frustratus, atq; inde repulsus: hic tota'potitus Vrbe, partim spoliatam, partim incensam reliquit. Profecti Vrbe tertia die, quam ingressi fuerant Gothi, Campaniam, Lucaniam, & Brutios populati sunt. Fretum postea traijcere, ut Siciliam diriperent, conatos tempestas exorta prohibuit, quæ nauibus allisis aliquot cohortes absumpsit. Ipsis interim in uarias sententias an regrediendum, uel progrediendum esset distractis, moritur Alaricus, morbo correptus apud Cosentiam, anno uix dum à Romana direptione circumacto: quem gens iacturam sepulchri plurimi facere solita, ne ultio aliqua in mortua ossa posit exerceri, in deriuati amnis alueo condendum curauit, locello ditissima Regis suppellectili completo. Et ne post eorum profectionem sepulchrum eius ab incolis sciri posset amne in cursum restituto, fossores qui operi interfuerant, trucidarunt.

De sacrilegijs, & differentijs, ac pœnis eorundem.

CAP. XXV.

NE autem quempiam lateat horrendi criminis huius sacrilegij, hæresis, ac schismatis execrabilis impietas, censendum est id fieri, quoties uel personis uel locis sacris (ut D. Brunus lib. 5. cap. ultimo de hæreticis integrè asserit) iniuria irrogatur, aut Ecclesiastica bona profanantur. Ac primum quidem, ut uarij sunt gradus, & dignitates sacrarum personarũ: ita uariæ quoq; pœnæ sunt sacrilegij, quod in personas Ecclesiasticas perpetratur. Siquidem alia pœna in eos statuta est, qui hostilem & sacrilegam manum in S. Ro. Ecclesię Cardinales iniecerint: alia in uiolatores Episcoporum: alia in eos, qui sacerdotes, & clericos uiolenter inuadunt: alia in raptores sacrarum uirginum, & rerum Deo ac Ecclesijs dedicatarum. De quorum pœnis infligendis satis iusta, & seuera prouisio in municipalibus regnorum Aquilonarium legibus facta est, si alias iura uigorem, & executorem haberent, iuxta criminum excessum, & atrocitatem. De D. Cardinalium rarissimè illuc uenientium, offensoribus, non minor pœna sumeretur, quàm si Regia maiestas læsa foret: hoc est, cõdemnatio ad truculentissimã mortem. Sed is casus nunquam

accidit in his terris,quin potius tam sublimibus personis omnis reuerentia,et obediencia exhiberetur,quæ summo principi ostendi posset,& deberet,prout charissimus frater & antecessor meus D.Io.Magnus Gothus declarat in sua Metropoli Vpsalensi.Pariter & aliis S.Rom. Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ legatis, ingenti honore & liberalitate semper susceptis,Deoq; propitio suscipiendis. Violatores uero Episcoporum uti plures,& grauiores sunt,ita & legibus humanis difficulter arceri,uel iudicari possunt:nisi Deus,qui pro ipsis corripit Reges(quibus & præcedit,ne tangerent christos eius)suo iudicio per legitima tribunalia iudicium fieri præcipiat, ut proscribantur, deponantur, ac degradentur: quemadmodum & multi imperatores,Reges,Duces,Comites,& Equites aurati pro enormibus delictis deponi,& puniri solent:ne alicuius effrenis impietas inulta linquatur, donec Deus arguet in æquitate pro mansuetis terræ.Ideoq; nullus in sublimi potestate constitutus præsumat alienum iudicare seruum,qui domino suo stabit.

De portentosis sacrilegis,& eorum infami uita, & horrendo fine.

CAP. XXVI.

COgitent ergo audaces sacrilegi non frustra summos Pontifices tam Canones,quàm ipsos Imperatores leges aduersus uiolatores communium sepulchrorum seueriter statuisse:quanto magis in eos, qui tumbas sanctorum Martyrum desolare præsumunt?Propterea perpendant,ac reuoluant ueteres,ac nouas historias, & nullibi inuenient sacrilegos aliter,quàm infami morte defecisse.Probat hoc sufficienter Trogus Pompeius,& eius abbreuiator Iustinus: ex quibus nonnullos adducere placuit,ut formident Christiani sacrilegia committere,quando tam infeliciter ea temeritas successerat,etiam illis,qui idola coluerunt. Cambyses(inquit Iustinus)Persarum Rex ad Ammonis templum expugnandum exercitum misit:qui tempestatibus,& arenarum molibus oppressus, interijt. Xerxes quoq; Persa quatuor millia armatorum Delphos ad templum Appollinis diripiendum misit:quę manus tota imbribus,et fulminibus deleta est.Philomenes Grecorum Phocensium dux,postquàm Apollinis templum spoliauerat,sequenti prelio primus inter confertissimos hostes dimicās cecidit,& sacrilegij pœnas impijssimo sanguine luit.Brennus Gallorum dux,quasi terrena spolia sorderent, animum ad deorum templa conuertit,scurriliter iocatus,Locupletes deos largiri hominibus oportere.Sed idem postmodum cum dolorem uulnerum ferre non posset, pugione sibi & infamem, & crudelem mortem consciuit. Antiochus Syriæ Rex sperans se sub specie tributariæ necessitatis excusatius sacrilegia commissurum,adhibito exercitu nocte templum Dindymæi Iouis aggreditur:qua re prodita,concursu incolarum cum omni militia interficitur.Totus etiam ille Brenni exercitus(qui Tholosam reuersus est)comprehensus pestifera lue, non prius sanitatem recuperauit,quàm aurum argentumq; sacrilegijs quæsitum, in Tholosensem lacum mergeret:quod longo post tempore Cæpio Romanus Consul abstulit: quodq; sacrilegium causa excidij Cępioni,exercituiq; eius posteà fuit.Romanos quoq; Cimbrici belli tumultus,uelut ultor sacræ pecuniæ,insecutus est.

De Xerxis Sacrilegio eiusq; pœna:ex hist.Ioan.Mag.lib.3.Quia autem Darius pater ipsius,huic expeditioni ansam dedit,paulo altius historiam præsentem repetiuimus.

Anthinus Gothorum,cum adhuc in Cimerijs habitaret,Rex erat,circa ea tempora,quando Romana Respublica ob uiolatam honestissimę Lucretiæ pudicitiam,ad illam memorabilem mutationem deuenit,qua Regum autoritas abrogata, & Consulum substituta fuit.

Nec

Nec tunc longe aberat tempus, quo ſanctiſsima mulier Iudith Holofernem potentiſsimum Perſicæ militiæ Principem (ne ab eo uiolaretur) occidit. Quo occiſo, tota Perſarum monarchia concuſſa eſt, & mutata. Darius enim unus ex ſeptem Perſicæ libertatis aſſertoribus (ut habet Herodotus libro 3.) cognomento Hyſtaſpis, ſumma aſtutia uſus, non diu diſtulit eandem monarchiam occupare: qui etiam cæco mulierum amore correptus, Anthini Regis filiam per legatos in matrimonium poſtulabat, adiectisq; legationi minis, bellum niſi petitis conſentiat, indicit. Cuius affinitatem Gothi ſpernentes, legationem illam fruſtrauerunt. Quem contemptum Darius tanta indignatione ſuſcepit, ut in eius uindictam totum ſuæ monarchiæ principatum ad grauiſsima & periculoſa bella conuocaret: magna ſcilicet ratione (inquit Oroſius) ut propter unius hominis libidinem ſeptingenta, ſiue (ut Diodorus ait) octingenta millia uirorum periculo mortis exponeret. Vix enim credibile uidetur, quantus fuerit ille bellorum apparatus, ut tot millia armatorum incederent. Ego huic relationi non crederem, niſi graues autores tantum numerum tradidiſſent, præſertim ipſe Diodorus Siculus, qui lib. 3. ingentes exercitus Nini, Darij Xerxis deſcribit. Inſuper ait Dionyſium ex unica Sicilię ciuitate Syracuſana exercitum peditum centum uiginti, equitum duodecim millium confeciſſe: naues quoq; magnas partim triremes, partim quinqueremes, ad quadringentas ex uno eduxiſſe portu: præterea Romanos ante bellum Hannibalis ex ciuibus, & ſocijs ſuis, decies centena millia ad bellum apta deſcripſiſſe. Quocirca nullus ex hac, quæ nunc eſt, urbium ſolitudine, priſcam illarum gentium expendat copiam. Sed nunc ad Darium redeamus: cuius ambitioni quem fructum tot labores, tot itinera, tot expenſæ tandem pepererint, declaremus: ingreſsi enim Perſæ in Cimerias terras, magis contemptibiles, quam formidabiles à Gothis putabantur. Quippe Gothi nec ad æquam pugnam, nec ad deditionem ſe conuertebant, ſed extrema copiarum lacerantes, plus negocij eis fecerunt, quam ſi aduerſa fronte eis congreſsi fuiſſent. Darius igitur admirans quod populus ad bella & arma natus nuſquam in aciem prodiret, miſsis ad Anthinum Regem legatis, inquirit cur Gothi ita latebras captarent, & qui fortiſsimas gentes, ac remotiſsimas terras & nationes importunis armis impetere atq; ſubiugare conſueuerant, nunc nec in aciem procederent, nec ſe uſquam ad apertum Martem paratos oſtenderent, ſed priſtinæ uirtutis immemores, ſe in ſeruitutem (nullo adhuc bello fugati) redigi paterentur. Si Perſarum imperium agnoſcere uellent, dona in ſignum ſubiectionis mittere curarent: ſin minus, ad pugnam ſe præpararent, libertatemq; ſuam armis defenſarent. Quibus Rex (teſte Valerio Maximo lib. 5. de Dario Rege) reſpondiſſe fertur: Gens hæc noſtra non conſueuit ſe ad arma, niſi eam magna ratio impulerit conuertere, cum nihil in hac terra poſsideat, pro quo uelit ſe diſcrimini uitę ſubijcere, prę ter ſola ſepulchra maiorum ſuorum: quæ ſi quis uiolare tentauerit, ſentiat ſe cum uiris negocium habere, qui religionem á maioribus traditam enixius, quam uitam propriam tueantur. Reliqua omnia, uicos, uillas, arces, oppida, urbes, parum æſtimantes, ne erigere quidem curamus, tantum abeſt ut pro eis mortis pericula ſuſcipiamus. Sedes noſtras ſæpe pro conſuetudine mutamus: idq; nunc propter aduenas facimus, non aliquo bellorum metu coacti ſed ut cedere ſolemus aëri corrupto, aut beſtijs noxijs. Cæterum quod Darius ſe noſtrum dominum uocet, minime ratum habemus: nam ſicut à ſeruitute remoti ſumus, ita plurimum à dominio eius diſtamus. Quod autem munera à nobis exigat, operam dabimus, ut opportuno tempore talia mittantur, qualia in his terris noſtra fortuna permittat.

Itaq; ea legatione Darius magis prouocatus, quam pacatus, ad interiora urget præcedentes. Viſi ſunt Gothi aliquando aciem oſtentare: quo comperto, Perſę ad bellum ſe continuo præparauerunt. Iam erant acies ordinatæ, nec aliud præter ſignum lituo dandum reſtabat, et ecce lepuſculus ex medijs dumetis accurrit. Tum Gothi ſubito clamore facto, cœperunt hoſtium præſentiæ non amplius recordari: omiſſa uoluntate pugnandi, cum pauci leporem inſectantur, alij dilabũtur: ipſiq; Perſæ hoſtes ſubito auolãtes admirari poterant, inſequi non poterãt, cũ Gothi equitatu & uelocitate ſemper pręualerẽt. Darius igitur aſſumptę prouincię pœnitẽtia ductus, ad ſuos proceres inquit: Ludificamur plane ab hominib. iſtis, et ut apparet irridemur, quãdo unius leporis curſus omnẽ eorum reſpectum à nobis, & tot fortiſsimis militibus noſtris auertit. Nec diu poſt Gothorum legati ab Anthino Rege miſsi, tria munera minime precioſa Dario Regi offerunt, auem, murem, ranam. Perſarum proceres Regem aſpiciunt, & Rex eos, dimiſſoq; in terram uultu, uiſus eſt dicere: Hæccine ſunt præmia tot laborum & itinerum, & periculorum noſtrorum? hæccine ſunt tributa, propter quæ oportuit ſeptingenta millia uirorum armari, & in pericula mortis per tot diſcrimina rerũ deuenire? Tandem poſt aliquantulum ſilentium, quod ridiculoſa munera conſecutum fuerat, Rex à legatis ſciſcitatur, quid ſibi uelint hę res Regi à Rege miſſæ. Ille ſe nihil earum rerum ſcire reſpondet, nec quicquam ſibi commiſſum fuiſſe, quam ut illa perferrent & pręſentarent.

Tum adulator quiſpiã, qui nunquam in domibus Principũ abeſſe ſolet, optatã occaſionem ſe aſſecutũ fuiſſe gauiſus, importunè ſe ingerendo Dariũ alloquitur: Rex (inquiens) optime maxime, quicquid usq; in cœlo, terra, mari, id totũ illa gẽs tibi ſubiectũ cõfitetur. Siquidem hoc declarãt hęc uiuẽtia: quorũ auis ex aëre, mus ex terra, rana ex paludibus producitur. At Gobries, unus ex ſeptẽ Perſarũ primoribus, capite canus, cõſilio fidelis, eloquio uerax, cum cõſideraret Dariũ in aſſentatoris ſentẽtiã cõſenſiſſe, nõ paſſus eſt ueritatẽ adulatiõe ſuperari, ſed libera uoce clamat: O Perſę, niſi aut cũ auibus auoletis, aut cũ ranis flumina trãſeatis, aut cum muribus terrę cauernas aperiatis, non erit quarta uia de manibus hoſtium elabendi.

Mouit ea interpretatio Regem, ut primam curam de ſaluo reditu ante alia quæcunq; negocia adhiberet, ratus quod tunc compertum haberet, nimis periculoſum eſſe cõtra eos pugnare, qui in armis & laboribus nati, nullam rem fortitudini militari pręferrent, diuitias ſordes putarent, magnificas urbium ſtructuras, ut inutiles occupationes æſtimarent, uoluptates contemnerent, delicias conculcarent, ocia fugerent, labores amplecterentur, hyemem & æſtatem iuxta paterentur, humi quieſcerent, & quicquid durum atq; aſperum eſſet, inuicto animo ſectarentur. Proinde formidans ne ſibi reditus, interrupto ponte Iſtri fluminis, negaretur, celerius quàm felicius ex terra hoſtili ſeſe abripere procurauit. Gothi enim explorata eius ad redeundum uoluntate, uelociſsimo curſu uiarum compendia quærentes, prius ad pontem, quem Darius ſub cuſtodia reliquerat, peruenerunt. Sed pontis cuſtodes iam à parte Scythici littoris ipſum, ne inſidijs aptus eſſet, diſſoluerant: ad Perſarum autem reditum mox repararunt ſuos: ut ſecura fuga ſalutem quærerent, tranſuecturi: fit in littore atrox prælium, in quo Perſę fuſi, fugatiq; ad irreparabilem ruinam corruerunt. Erat in eo Perſico exercitu Antenor Francorum Rex (ut ex Hunibaldo Francorum hiſtorico colligi poteſt) à Scandianis ſiue Gothis occiſus: cuius filius Marcomirus oraculo monitus eſt, ne temere Gothos ſolicitaret, teſte Irenico lib. 3. cap. 76. Rex tamen Darius per ſummam difficultatem elabitur, cum maiore exercitus parte, amiſſis octoginta millibus fortiſsimorum pugnatorum, quæ ille in damnis non computabat præ nimia militum multitudine, qua ſuccinctus aduenerat. Hic tamen Herodoti hiſtoria diſsimulanda non eſt, qui affirmat Gothos in Thracia à Dario ſuperatos. Sed non repugnat illam Getarum partem, quæ relicta Thracia reſederat, ab ipſo ſuperatam fuiſſe, & illam quæ relicta Thracia ad latiſsimas Cimeriæ terras redierat, rurſus Darium ſuperaſſe. Sed nec fuga, nec mors Darij finem Perſico bello imponere ualebat. Xerxes enim filius eius, & in Perſico regno ſucceſſor, paternam iniuriam à Gothis acceptam, tam tenaci memoria conſeruabat, ut prius omnium aliarum rerum quam ipſius obliuiſci poſſe, aut uelle crederetur: ſtatuitq; prius experiri omnia illa difficillima negotia, atq; incommoda, quæ Reges bellum geſturi ſufferre coguntur, antequam deponere poſſet tam uehementem animum uindicandi. Igitur ſeptingenta armatorum millia exemplo patris ſui in militiam conſcripſit. Sed cum nec tantum exercitum contra Gothorum potentiam ſatis eſſe putaret, adiecit trecenta auxiliarium copiarum millia: quæ tunc adhuc parum ſufficere uiderentur: adiunxit etiam mille roſtratas naues, ac tria millia nauium onerariarum.

Quibus copijs etſi non ſolum Gothis, ſed toti orbi formidabile bellum inferre poſſe putaretur, attamen ut principio terribilis, ita exitu inanis & contemptibilis apud omnes habebatur. Quippe Cimerias Gothorum manſiones aggreſſus, quum conſideraret ſuam Perſicam gentem & pompam ab animoſis hoſtibus non timeri, ſed apertè contemni, ſubſtitit, & quid conſilij capiat, inquirit. Tandem quum nec ſemel cum hoſtibus congredi tentaſſet, bellum in Græciam tanquam facile ſuperabilem conuertit: ubi infeliciſsimo prælio confecto, multiſq; ſine numero amiſsis, uix ipſe turpiſsima fuga ad ludibrium fortunæ reſeruatus euaſit, pœnaſq; perpetrati nuper ſacrilegij perſoluit. Enimuero (ut teſtatur Iuſtini hiſtoria) ante naualis prælij congreſsionem miſerat Xerxes quatuor millia armatorum Delphos ad templum Apollinis diripiendum, prorſus quaſi non cum Græcis tantum, ſed cum Dijs bellum gereret: quæ manus tota imbribus & fulminibus deleta eſt, ut intelligeret, quanto grauior offenſa Deorum eſſet, tanto nullas eſſe hominum aduerſus Deos uires: ipſeq; hoſtis infeliciter fugiens, piſcatoria ſcapha timens & trepidus elabitur. Erat res ſpectaculo digna, & ad æſtimationem rerum humanæ ſortis uarietate miranda, in exiguo latentem uidere nauigio, quem paulo ante uix æquor omne capiebat: carentem etiam omni ſeruorum miniſterio, cuius exercitus propter multitudinem terræ graues erant. Nec pedeſtribus copijs, quas ducibus aſsignauerat, felicius iter fuit. Siquidem quotidiano labori (neque enim ulla eſt metuentibus quies) etiam fames acceſſerat: multorũ deinde dierum inopia contraxit & peſtem tantaq; fœditas morientium fuit, ut uiæ cadaueribus implerentur, aliteſq; & beſtiæ eſcarum illecebris ſolicitatæ, exercitum ſequerentur. Hęc Iuſtinus in memoriam & ignominiam ſacrilegi tyranni ſempiternam; cuius turpem atque infamem exitum, ſi noſtræ ætatis

Principes,

Principes,qui se sacrilegio felices,& inclytos fore confidunt,attenderent,forsan rapta reportarent,& suos hæredes potius uirtutibus claros,quam uitiorum sordibus obscuros,post se relinquere curarent.

Adhuc de similibus sacrilegis.
CAP. XXVII.

ALexander Syriæ Rex,cum militibus stipendia deessent,in templo Iouis solidum ex auro Victoriæ signum tolli iubet, facetis iocis sacrilegium circunscribens:nam uictoriam commodatam sibi à Ioue esse dicebat. Interiectis deinde diebus in sacrilegio deprehensus est,& à suis desertus,à latronibus capitur,perductusq; ad hostem suum Gryphum,interficitur. Hi pauci ex tota multitudine sacrilegorum adducti,documento esse possunt,non semper uerum esse, quod sacrilegus Dionysius Siculus iocando dixit,Ecce quam securi nauigant sacrilegi. Profectò non omnes hactenus secura nauigauerant aura, præsertim in Suetia, & Gothia:de quibus mihi specialis sermo est:qui uel Ecclesiam oppresserant,uel auxiliares manus ab ea retraxerãt Noui enim aliquem ex Principibus regni Gothorum quingentos equites in quotidiana familia satis magnifice aluisse:cuius soror circa annum Domini M. D. XXXV. in ordinem plebeiæ multitudinis redacta, pœnam patitur,quòd maiores sui non satis pij fuissent in Ecclesiam,& Dei ministros in quos ne prædium aliquod conferrent,uoto pertinaci sese dudum astrinxerunt quo casu multi à summo culmine nobilitatis ad uilissimam conditionem sunt detrusi. Iustum quippe est,ut ignobiles fiant, qui Deum,à quo est omnis nobilitas, in Ecclesiæ ministris contemnere non uerentur. Neq; opus est ad confirmandum hoc argumentum,exempla à diuinis literis petere:nam sacra historia uix aliquid frequentius,aut horribilius inculcat,quam horrenda illorum tyrannorum, & sacrilegorum supplicia,qui ab initio institutæ Ecclesię,diuino sacerdotio iniurias, irreuerenti, & feroci ingenio irrogarunt. Dionysij Tyranni Siculi, nec non Grimmeri 32. Gothorum & Sueonum regis interitu,itidem tyranni. Sacrilegia habes suprà lib. 9. pag. 389 ex Ioan. Mag. lib. 4. Qui hos insignes Sacrilegos appositissimè inter se confert: & certè statueramus eam historiæ partem hic apponere sed præter uoluntatem, secus accidit.

De plagis sacrilegorum &c.
CAP. XXVIII.

VNum tamen hic ex Iosue 7. referre congruit de Acham: qui inter sexcenta millia pugnatorum,iussu Domini per tribus, familias, domos, & nomina quęsitus,repertus,& cõfessus est hoc modo:Vidi inter spolia pallium coccineum ualde bonum,& ducentos siclos argenti,regulamq; auream quinquaginta siclorum,& concupiscens abstuli,& fossa humo abscondi &c. Quæ omnia extracta, & proiecta ante Dominum,tulit Iosue,filios,filias,boues,oues, asinos, tabernaculum,& cunctam suppellectilem ipsius Acham:quem & duxit ad uallem Achor, & ait illi:Quia turbasti nos,exturbet te Deus in die hac. Lapidauitq; eum omnis Israël,& cuncta quæ illius erant,igne consumpta sunt lapidum aceruo id testante in hunc diem:locusq; uocatur Vallis Achor in sempiternum. Quo facto auersus est furor Domini ab Israël,ut denuò ad gratiam recepti,de inimicis triumpharent: paucíq; eorum percusserũt uno die 12. millia oppressæ ciuitatis,& Regem suspenderunt. Solq; & Luna ut uictores in cæteros hostes,quinque scilicet Reges potentissimos fierent,stationem sui cursus annuerunt. Prætereà cunctas gentes inimicas eis resistentes,in omnibus terris circumiacentibus,speciali numero Reges 31. gladio,furca,incendio,uel lapidibus deleuerunt. Domini enim sententia fuerat, ut indu-

tium, uel iniquorum fideliter pœnitentium, exemplis careant, nonnullorum nomina, mores, & exitus, pro augenda bonorum gloria perpetua, & malorum delenda æterna infamia, præsentibus apponentur.

Henricus Imperator eius nominis III. in primis annis largus, facundus, fortunatus, gloriosus, ingenio acutus: uerùm suscepto imperio elatus, Deo & hominibus ingratus, uel religionis contemptor, schismatum suscitator. Quocirca Regia administratione priuatus est, & anathemate notatus. Demum pœnituit, & absolutus, iterumq; relapsus, in Gregorium arma mouit, & fugatur, ac per principes ab imperio deponitur, & à filio in prælio uictus, ac graui ludibrio habitus, dolore & captiuitate in Leodio moritur, & Spiræ quinq; annis inhumatus, ad ultimum à sententia excommunicationis absolutus sepelitur, anno imperij 48.

Henricus IIII. ob conniuentiam libidinosæ familiæ, & turpissimos excessus, à ciuibus Rubeiaquensibus terribili facto tumultu, amissis Imperialibus insignijs, corona, uexillo, aquila, pomo, sceptro, lancea, ac alia opulentissima præda, uix fuga elapsus, à Gregorio VII. sæpius simulans pœnitentiam excõmunicatus & depositus miserrimè obijt. De cuius summario malo, licet calamitosissimo, Albertus Crantzius lib. 5. cap. 17. admiranda dicit, & cap. 24.

Fridericus eius nominis primus, Barbarossa dictus, uir magnanimus, largus, strenuus, facundus, ac in omnibus gloriosus, Romano Pontifici, præsertim Alexandro III. plurimos aduersarios, uiros pessimos, opponens: ideoq; excommunicatus, ac demum humi prostratus, inspiciente toto populo, ad gratiam restitutus est: & tandem pro expiatione suorum scelerum contra infideles pugnaturus, rapido flumine, quo æstum leuare uoluit, suffocatus interijt, anno Imperij 37.

Fridericus II. etsi gubernatione Innocentij III. enutritus, in lingua Latina, Vulgari, Græca, Sardinica, & Gallica doctus euasit, tamen luxuriosus, perfidus & periurus factus, ab Honorio ad emendam iterum atq; iterum monitus, resipiscere cõtempsit. Ab Innocentio IIII. excommunicatus, & depositus, subditos à iuramento fidelitatis absolutos inuenit, & principes autoritate Pontificis ad nouam procedere electionem. Tandemq; ueneno spurij sui nothi extitit interemptus.

Ludouicus Bauarus Papam Ioannem grauibus iniurijs uexans, excommunicatus pœnituit, ac doluit: & tandem à ducissa quadam in uenatione accepto ueneno interijt.

Guilhelmus Rex Siciliæ ab Hadriano Papa IIII. depositus, pœnitens in sua regna restituitur.

Nec omittendum est (autore Theodorito in Historia tripartita cap. 3. per D. Lipomannum modernum Episcopum Veronensem uniuersorum saluti insudantem, collecta) quomodo Theodosius Imperator per octo menses, ob offensionem Ecclesiæ irrogatam, beato Ambrosio iubente exclusus fuit, & pœnitentia facta Catholicæ Ecclesiæ cunctis congaudentibus misericorditer restitutus. Pax & benedictio super omnes imitatores eius in pœnitentia salutari.

Rex Angliæ Henricus eius nominis II. quia S. Thomam Archiepiscopũ Cantuariensem Ecclesiastica iura defendẽtem in exilium detrusisset, occasioneq; post eius restitutionem data, mortis eius causa fuisset, ad eam culpam eluendam, expiandamq;, ducentos milites ad sacrũ bellum contra infideles in Syriam suis sumptibus se missurum promisit, ac semet intra triennium eius expeditionis socium cum alijs principibus subsecuturum. Quinimò legem tulit, qua perpetuò cautum esse uoluit, neminem posterorum Regum in Anglia Regium nomen, insigniaq; deinceps gesturum, nisi quem Romanus Pontifex ritè iussisset, & designasset.

Ioannes Rex Angliæ, quia crudelissimus tyrannus erat, totiq; regno importabilis, anno M. CC. VIII. ab Innocentio IIII. excommunicatus, aggrauatus, & reaggrauatus, ac subditi iuramento fidelitatis absoluti, ut ipse ab omni administratione esset eiectus, & Principes deputati forent executores: fucosam agendo pœnitentiam,

tentiam, legato Papæ diadema tradidit, & demum reaſſumpſit: omnibus factus oneroſiſsimus, ob inaudita flagitia, & intolerabilem cariſtiam inde excitatam inuſſus, uitam miſerrimè, ueneno eidem in poculo ceruiſiæ propinato, cunctis collætantibus conſummauit.

Richardus, quia filios fratris ſuæ fidei cõmiſſos, ut ſolus regnaret, occidi iuſsit, & ipſe pœnitere contemnens, ab incolis eſt occiſus.

Henricus VIII. quantam impietatem in religionem, & inhumanitatem in ſubditos, ac innocentiſsimam filiam, ſæpius oblatam à Põtificibus pœnitentiam contemnens, etiam morti appropinquans exercuerit, ſatis fideliter oſtendent Anglorum hiſtorici, quibus uerior fides, tanquam teſtibus oculatis, ueniet adhibenda.

Sueno Rex Daniæ LXXVI. (teſte Saxone lib. 11.) quòd Principes aliquot ad Regale conuiuium inuitatos, ob leuem detractionis ſuſpicionem, in Eccleſia ſanctæ Trinitatis, tanquam loco ad homicidium perpetrandum ſecretiore, orantes, miſsis ſicarijs duplicato ſacrilegio interemiſſet, cum ab Antiſtite ſacra in feſto Circumciſionis celebraturo, ne Eccleſiam ingrederetur, repulſus eſſet, conſcientię rubore perfuſus, Regia ueſte depoſita obſoletam accepit, mœroremq́ deformitate cultus, quàm ſplendore contumaciam teſtari maluit, abiectisq́ Regiæ maieſtatis inſignibus, inſigne pœnitẽtiæ ſagulum ſumpſit: quin etiam cum ueſte potentiam exuit, atq́ ex ſacrilego tyranno fidus ſacrorum uenerator euaſit. Siquidem nudatis pedibus ad atrium regreſſus, in eius aditu ſe proſtrauit, terrãq́ ſuppliciter oſculatus, dolorem, qui ex contumelia acerrimus infligi ſolet, uerecundia ac moderatione compreſsit, &c. Tandem criminis confeſsione facta, religioni ſeſe ſatisfacturum promittens, remiſſa execratione lachrymis abſterſis, depoſitisq́ doloris inſignibus, Antiſtitis amplexu & uenia, in communionem Eccleſiæ (cui ob hoc ampliſsimas poſſeſsiones tribuit) eſt reſtitutus. Nec erubuit multorum auribus ſingularem flagitij ſui committere notionem. Hincq́ factum eſt, ut regni ſacerdotijq́ roboraretur concordia, quę utriuſq́ ſtatui, imò omnibus indigenis, pariter & alienigenis uiſa eſt profutura.

Tradit etiam idem autor Saxo lib. 14. duos Reges Daniæ ſceptratos, Magnum ſcilicet, & Ericũ, Regia ueſte mutata, monachos factos fuiſſe cucullatos, eò quòd abolendis piaculis pœnitentiæ religione nihil ualentius inquiritur, aut diligentius obſeruari meretur.

Poſſent hic eiuſdem Danię, aliorumq́ uicinorum Regum Aquilonarium, Sueciæ, Gothiæ, & Noruegiæ, longè plura adduci exempla, quomodo Dei miſerentis ope pœnitendo, & ſatisfaciendo, humaniſsimi, ac pijſsimi facti ſunt, dum ubique Eccleſias ad honorem Dei, & ſanctorum eius bene dotatas à nouo conſtruerent, uel deſolatas magnificis impendijs repararent: ſed breuitati conſulendo, reſeruabuntur in aliud uolumen Metropolis Vpſalenſis eiuſdem autoris D. Ioan. Magni Archiepiſcopi ſupradicti. Interea tamen modernos Principes Aquilonares, imò et reliquos admonuiſſe ſufficiat, ut potius pietatem, religionem, iuſtitiam, clementiam, magnanimitatem, liberalitatem, cæterasq́ uirtutes optimo cuiq́ Regi congruentes, pro conſecutione æterni honoris, amplectantur, quàm ſæuitiam, crudelitatem, impietatem, ferociam, & ſimilia portentoſa uitia, dæmonibus, beſtijs & apoſtat's inhærentia, pro deſpectione, increpatione, ac perpetua infamia ſuſtinenda ſequantur: memores ſeſe homines fore, ut manſuetudine, & commiſeratione ualeant aſsimilari Deo, cuius ſemper meminiſſe oportebit: qui etenim uti ſummus & potentiſsimus eſt, ita cuncta ſuauiter diſpõẽs, ac omnia contẽplans, uitę, uel mortis æternæ pro bene, uel malè tranſactis operibus dat retributionem, nullo unquam fine, etiam ſi per innumeras annorum myriades redierit, carituras.

Quod ſi his, & ſimilib. heroũ exẽplis, pijſsimisq́ exhortationib. errantes, uel ſeducti Principes admiſſos exceſſus, offenſa religione, & Chriſtiana uariata lege, celerius emendare noluerint, diſtulerint, aut contempſerint, ſaltem ne glorientur in

peccatis

peccatis,& dicant,ut habetur Ecclesiast. 5. Est mihi sufficiens uita: quis me subijciet propter facta mea? Deus enim uindicans uindicabit. Neque dicat: Peccaui, quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens retributor. Ideo non tardes conuerti ad Dominum, Et ita de similibus aureis literis annotandum.

Insuper attendere dignentur prædicti principes, quàm fideliter diuus Ambrosius inter alios sanctissimos Ecclesiæ doctores laborauerit pro salute omnium, maximè Imperatorum, Regum & Principum, ut ad Deum conuersi, gloriosa ad posteros emissa memoria, gaudijs fruerentur sempiternis. Nouit enim uir Dei, spiritusancto repletus, Regum conuersione facillimam omnium subiectarum gentium solere sequi reductionem, ueluti de Regibus à paganorum superstitione, uel postmodum ab hæreticorum uersutia liberatis, præsertim in Aquilone, ubi plurima extant gloriosissima exempla sempiterno æuo apud Deum & homines commendanda. Idemq; beatissimus autor Ambrosius in 17. capitulis Apologiæ S. Dauid cunctis pœnitentibus saluberrimum iter ostendens, quàm sanctè hortatur, ne disputemus otiosi de peccato Dauid, cum eius anima ob commissum peccatum turbata est ualde, ut laboraret in gemitu, & singulis noctibus lauaret lectũ suum, & lachrymis rigaret stratum suum. Demum subiungit: Vnusquisq; nostrum per singulas horas quàm multa delinquit, & tamẽ unusquisq; de plebe peccatum suum confitendum non putat. Ille Rex tantus ac potens (nempe undecies centena millia armatorum educens) ne exiguo quidem momento manere penes se delicti passus est conscientiam, sed præmatura confessione, atq; immenso dolore reddidit peccatum suum Domino. Quem mihi nunc facilè reperies honoratum ac diuitem, qui si aggrauatur alicuius culpę reus, non molestè ferat? at ille Regio clarus imperio, tot diuinis probatus oraculis, cum à priuato homine corriperetur, quòd grauiter deliquisset, non indignatus infremuit, sed confessus ingemuit culpę dolore, &c. Alij homines, cum à sacerdotibus corripiũtur, peccatũ suum ingrauant, dum negare cupiunt, aut defendere: ibiq; eorum lapsus est maior, ubi speratur correctio. Beatus autẽ est, qui se potuerit reparare post lapsum. Præterea cap. 4. infertur: peccauit Dauid, quod solent Reges, sed pœnitẽtiam gessit, fleuit, ingemuit, quod uix solent Reges: cõfessus est culpam, obsecrauit indulgentiam, humi stratus deplorauit ærumnam, ieiunauit, orauit, confessionis suæ testimonium in perpetua secula uulgato dolore transmisit: quod erubescunt facere priuati, Rex non erubuit confiteri: qui tenentur legibus, audent suum negare peccatum, dedignantur rogare indulgentiam, quam petebat, qui legibus imperabat: quòd peccauit, humanum erat: quòd supplicauit, correctionis lapsus communis, sed specialis confessio. Culpam itaq; incidisse naturæ est, delesse uirtutis.

Quod aũt Dauid interpellãti prophetæ Nathan de unica pauperis oue, quę secũ in sinu nutrita fuerat, & de calice eius biberat, per uicinum diuitẽ multis ouibus proprijs parcentem, pro cõuiuio uenienti peregrino exhibendo, rapta, ac deuorata foret, sententiã tulerit, quòd raptor ille reus esset mortis, & quadrupli restitutione constrictus: & audito, ac ostenso, quòd ipsemet Rex is diues, & raptor esset, in gemitum mox prorupit, ac ueniã continuis lachrymis, ieiunijs, orationibus, ęrumnis, & castigationibus proprij corporis, ac perturbationibus animi incessabili dolore à Domino postulauit, ac dixit: Tibi soli peccaui, qui me ad uirtutẽ prouocasti, legem dedisti, de manu Saul liberasti, coronari iussisti, & occulta sapientię tuæ manifestasti, & malum coram te feci &c. Auerte faciẽ tuam à peccatis meis &c. cum similibus sanctissimis obsecrationibus dignè pœnitẽtis peccatoris ex intimo cor de ueniã, & gratiã supplicãtis, ut cor mundũ habeat, quo Deũ uideat, & ne ꝓijciatur à facie eius. Grãde enim suppliciũ est ꝓijci à facie Dei, ut Adã, qui se abscondit, & Cayn, qui putabat fallere Deum, ac Ananias, & Saphira S. sancto mentientes.

Igitur exemplo Regalis huius pœnitẽtię, Reges & Principes, humanę imbecillitatis, ac stricti iudicij Dei memores, attendãt, ne occasione peregrinorũ dogmatũ

amplius

amplius offendant altissimum, qui coli uult, & debet purissima, ac castissima religione, ut aucto diuino honore etiam eorum securitas, & magnificētia gloriosior exinde resultet, utq; fide, & bonis operibus conuersi, salubrioris doctrinæ remedium suscipiant ingrediendi uias Domini rectas, in quibus erroris nullos anfractus, nulla diuerticula præcipitis lapsus offendant. Sicut enim bonæ uitæ uirtutis exemplar in uiris constantibus, quòd inoffensa uitæ suæ tempora percurrerint, iusteq; & sanctè uixerint, extollitur, ita eorum uita, qui perniciosis exemplis, ac uanis doctrinis illusi, seductiq;, ac flagitijs irretiti fuerint, erroribus, & moribus emendandis apud Deum, & homines sempiterna memoria, & laude illustrior ostendetur.

De Giuthæ Reginæ propter illicitum concubitum, necnon Suenonis Regis propter idolatriam & effusum innocentem cruorem, memorabili pœnitentia. Ioan. Mag. lib. 18.

Ingo post fata Stenchilli in Regem Gothorum & Sueonum sublimatur, nulli optimorum Regum postponendus: quippe qui summoperè cōtendebat omnes priores Reges, tam in rerum gerendarum magnitudine, quàm in omnibus uirtutum officijs superare. Nec minus, quàm intendebat, effecit. Erat enim in bellicis rebus incomparabiliter strenuus, nec minus in Christiana fide propaganda solicitus: plurésq;, clarissimarum uirtutum suarum exemplo, in magna morum honestate continuit. Præterea mores suos ad diuinas & humanas leges tanta seueritate castigauit, ut publico omnium Gothorum & Sueonum testimonio de eo affirmetur, ipsum nunquam contra leges patriæ deliquisse. Nec pauci erant, quos illa eximia liberalitate, qua passim in omnes utebatur, in Christianis legibus conseruauit. At ubi nec exemplo, nec exhortatione, nec liberalitate, aut alijs beneuolentiæ studijs se proficere posse speraret, tunc magno atq; excelso animo ad iustitiæ rigorem conuersus effecit, ut quos Regia mansuetudo, et benignitas ad bona opera minimè reuocaret, illos iustitiæ seueritas à morum prauitate, et malefaciendi licentia coërceret. Bella complura contra Valdemarum Ruthenorum Regem (quem sui Iarizlaum dixerunt) prosperè gessit. Schoningiam quoq; multis bellis afflixit, Gothorumq; regno restituit. Sueno enim Vlphonis Suetici et Estritæ filius, Danorū Rex, quia sæpe ab Haraldo Noruegiæ Rege (ut asserit Saxo) subactus, ad bella contra Sueones minimè prodire audebat, sed honestiore ac securiore consilio usus, sororem, siue filiam Ingonis Giutham (non præmeditato cognationis uinculo) missis legatis in coniugem impetrauit, quæ ad Danos non solum pacem, sed eximia uirtutum exempla secum adduxit: quam Saxo Danicus adeò profusis laudibus prosequitur, ut maiores laudes in aliquam summæ sanctitatis fœminam uix cumulare potuisset. Hæc, inquit, à Suenonis mariti toro Pontificum censura ob consanguinitatis uinculum amota, paternos penates repetens, susceptis uiduitatis insignibus, cum summa morum synceritate consenuit, castitatemq; uotis professa, uirilis concubitus experientiam abdicauit. Et quia iniusto se toro maculauerat, nullum sibi ulterius permittere decreuit. Sanctitatis siquidem amplexa propositum, reliquum uitæ tempus cœlebs exegit, ingentiq; pudicitiæ seueritate illiciti cō cubitus noxā licentis euitatione pensauit. Sed nec inerti otio effluere passa, quotidiana consuetudine exquisita sacrariorum ornamenta fingebat, inq; eandem operam continuam ancillarum curam cogebat: inter quæ chlamydem sacerdotalem subtilibus sigillis excultam, pretiosæq; materiæ impensa, ac mirifici operis arte elaboratam, Roschildensi sacrario doni nomine largita est. Alia quoq; cōplura diuini cultus insignia sacrorum usibus operata est. Hactenus Saxo. Ego autem cum pueritiæ annos agerem, atq; apud Vestrogothos bonis literis, & moribus operam darem, sæpe in monasterium Guthem ab ipsa fundatum, atq; eius sepultura illustratum, ob loci sanctimoniam, diuertere consueui.

Neq; parum cooperatus est ad optimos atque integerrimos huius Ingonis, cæterorumq; procerum mores, sanctissimus Pontifex Aeschillus, qui D. Sigfridum ex Anglia comitatus fuerat, aut postea Sigfrido in senium uergente aduenerat. Hic enim Aeschillus uicem ueri Christi Apostoli gerens, infatigabili animo Christianam fidem apud Gothos & Sueones, usq; ad ultimum uitæ spiritum (quem per insigne martyrium Christo commendauit) prædicabat. Quocirca à Rege Ingone, & omnibus bonis in summa ueneratione habebatur, donec eodem Ingone in Schoningia occiso, nefarij homines prosperam sibi in diuina sæuiendi occasionem redijsse gauisi, totam religionis stirpem à radice euellere cogitarent.

Quendam

Quendam enim Suenonem cognomento Sanguinarium, in Regem eleuantes, uictimas & libamenta denuo idolis offerebant, sanctumq́; Pontificem Aeschillum, impijs eorum conatibus resistentem, lapidibus obruerunt. Sed hęc in interregno perpetrata, confestim suffecto nouo & optimo Rege Halstano, suum finem accepere. Quòd autem nonnulli putent, hunc Suenonem Sanguinarium fuisse eundem, qui erat Rex Danorũ, ex Vlphone & Estrita genitus, non solum Sueonum, uerumetiam Danorum historijs repugnare uidetur. Sed oportuit aliquem alium fuisse, qui ad tam impiam blasphemiam se extolli pateretur. Ille enim Sueno Danicus, post amotam à se optimam Reginam Giutham, ad optimos mores (teste Saxone Danico) conuersus, ita in reliquum uitæ tempus uixit, ut nequaquam inter sacrilegos, aut blasphemos tyrannos, sed inter felices & optimos quoscunq; Reges iure connumeretur. Ad quod (si cætera testimonia deessent) satis efficacem probationem afferre potest illa memorabilis & publica pœnitentia, quam pro homicidio in ecclesia Roschildensi perpetrato sustinuit. Peccauit enim ut homo: at pœnitentiam egit ut humilis Christi confessor. Secutus est Dauid, & Theodosium, pluresq́; alios potentissimos Reges peccando: secutus est etiam eosdem pro peccatis pœnitendo. Quamobrem non solũ apud homines gloriam immortalem, uerumetiam apud Deum uitam meruit sempiternam. Nunc à diuerticulo ad Ingonem redeamus: qui (ut diximus) bellum in Schoningiam promouit, eamq́; subiugatam occupauit, donec nocturnis insidijs (cum se satis securum putaret) trucidatus est. Quod cum Vestrogothis nuntiatum fuisset, mox facto ingenti agmine in Schoningiam irruentes, omnia eius loca flamma & ferro deuastabant, corpusq́; optimi Regis nõ sine publico mœrore in Vestrogothiam reportantes, in monasterio Varnhem sepulturę commendabant: quod tunc in honore diui Benedicti erectum, & consecratum fuisse putamus, cum diuus Bernardus nondum illius ordinis regulam restituisset.

Quomodo item Egita 84. Rex externus & tyrannus sceleratißimus resipuerit. Ioan. Mag. lib. 16.

Egita deinde post mortem Eurigij, non solum quia gener eius erat, sed quia à Gothorum proceribus electus erat, ad defuncti soceri regnum magno Gothicæ Reipublicæ malo peruenit: Enimuero adeo transuersum animum ab omni iustitia & honestate habebat, ut eum in numero Regum conscribere recusarem, nisi lex historiæ bonos & malos complecti iuberet. Siquidem illustrissimos proceres, quorum beneficio ad regni fastigium euectus est, infinito odio prosecutus est. Plurimos namq; eorum diris supplicijs affectos occidit, plures proscripsit, pluresq́; dignitatibus deiecit. Præterea alios fortunis, alios prouẽtibus, alios possessionibus crudeliter spoliauit. Deniq; totius regni populum insolitis tributis, intolerabilibus oneribus, iniquissimis exactionibus oppressit, & ut omnium diuitum bona in se, & suum insatiabilem fiscum transferret, literas, chirographa, instrumenta, quibus ipsi se debitores Regis fateri uidebantur, maligno animo confinxit. Nec in propriam coniugem (quamuis illustrissimam) humanior, quàm in cæteros apparebat. Quippe ipsam omnium bonorum iudicio innocentem indignè à suo toro repudiauit. Verùm inter tot enormia facinora hoc laude dignum egit, quòd cooperator fuerit, ut tria concilia Toletana pro augenda, & cõseruanda fide Christiana conuocarentur: quæ non solum sua Regia autoritate confirmauit, uerum etiam humi prostratus sese sacrosancti Concilij orationibus suppliciter commendauit. De morte huius Egitæ nulla in historijs memoria habetur, nisi quòd nimis serò uitam & regnum morte permutauit.

De pijssimo exemplo recompensationis domibus, & personis Ecclesiasticis iustissimè faciendæ.

CAP. XXXI.

DAgobertus Magnus diuina clementia Rex Francorum. Omnibus regni sui primatibus, imò cunctis Christifidelibus pręsentibus & futuris. Notum facimus, quòd patre meo Lothario defuncto, paterni regni curam suscepi: sed iuuenili ductus leuitate deceptus, Regalis officij debitum neglexi: & maximè inter alios excessus meos, Ecclesiarum Dei destructor, & dissipator esse cœperam, nec diuinæ maiestatis oculos, nec hominum ueritus acclamationem. Tandem Dei benignitas obstinatæ mentis superbiam conterens, uirga correctionis iniquitates meas

meas correxit, & mihi castigato ueniam non negauit &c. Quasi autem modum pœnitentiæ imponens, in hoc mihi spem plenæ posuit indulgentiæ, si ad honorem Dei, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum sanctorum, quos magis offenderam, domum diuinis aptam seruitijs construerem &c. Igitur sub certa spe remissionis peccatorum nostrorum, reddentes alacri studio uotum, quod fecimus, Ecclesiam in honorem sanctæ Trinitatis, & sanctæ Mariæ construximus: quam sublimare, & Regali munificentia ditare decreuimus &c. Datum in monasterio Wissenburgensi mense Maio, anno regni eius 23. & anno Domini DC.XXIII. Quod monasterium ordinis est diui Benedicti, 8. milliaribus ab Argentina secundum Rheni cursum distans. Refert preterea Sigebertus in morte huius Dagoberti, de quo per uisionem cuidam reuelatum est, quòd anima eius ad iudicium rapta sit, & multis Sanctis contra eam pro expoliatione suarum Ecclesiarum reclamantibus, cum eam iam mali angeli uellent ad pœnas inferni rapere, interuentu sancti Martyris Parisiensis Dionysij, cui ipse maximè deuotus fuerat, à pœnis liberata est. Huius etiam filius Sigebertus à sancto Amando baptizatus, cunctis tunc tacentibus, infans 40. dierum, respondit Amen.

Exempla aliquot piorum Regum, quibus summæ Ecclesia Christi curæ fuit, eamq; suo patrocinio fouerunt: iuxtà etiam plura de Dagoberto, cuius hic fit mentio.
Ioan. Mag. lib. 16.

Sisebutus deinde, sublato per mortem Gunnaro, siue Gundemaro, ad Gothorum regnum concordi procerum electione circa annum à Christo nato DC.XII. feliciter peruenit. Huius præclara facinora, & Regios mores considerans, nequeo mihi ab insigni dolore temperare, quod in hoc nostro infelici seculo à talibus Regibus & Principibus nimium distare uideamur. Ille non dixit, Volo in primis curare regnum meum, & meum solium bene confirmare, deinde me ad restituendam collapsam Christi religionem conuertam. Sed primum omnium curauit, ut diuinæ maiestati debitus honor à cuncto populo sibi subiecto integre seruaretur: nihilq; omisit, quod ad augendam, conseruandamq; Christi fidem necessarium uidebatur: tantusq; erat in eo eiusdem sanctissimæ fidei zelus, ut ad eius piam exhortationem nonaginta Iudæorum millia suscepto baptismi sacramento ad Christum conuerterentur. Magnus profecto numerus, & dignissimus, qui laudem Gothico Regi conciliet immortalem: estq; ob id in sacris Decretalibus, præsertim in titulo De baptismo & eius effectu religiosissimus Princeps appellatus. Præterea omnes hæreses & errores, quibus Christianæ fidei synceritas uiolari, uel labefactari poterat, antequam altiores radices firmarent, autoritate & ratione extinxit. Siquidem orta per eam tempestatem hæresi Acephalorum, mox sanctissimum Archiepiscopum Hispalensem Isidorum in diuina lege eruditissimum rogauit, ut conuocato Pontificum, & prælatorum concilio, suborientes hæreses iuxta regulam à sanctis patribus institutam examinaret, & condemnaret. Aderat quoq; in eodem concilio Rex Sisebutus, in diuinis & humanis literis instructissimus, qui cũ summa eruditione summam clementiam coniungens, omnibus hæreticis, qui tunc apertis rationibus ab Isidoro conuicti fuerant, & ad cor redierant, pepercit. Et cum tantus esset erga diuinæ maiestatis honorem ampliandum, omnia illi pro uoto in temporali regno successerunt. Sæpe enim bella in Romanos promouit, & semper gloriosam uictoriam reportauit, recuperatis ab eorum imperio terris, uillis, oppidis, castellis, quæ Romani præsides Narbonensem prouinciam administrantes sibi subiugarant. Præterea non minus feliciter in Africanos, quam in Romanos dimicauit. Deinde hic optimus Rex post tot præclara facinora, totq; admirandæ uirtutis opera, quæ pro augmento diuini cultus, & subiecti populi salute perfecerat, non sine publico luctu in fata concessit, memoriamq; de se ad posteros transmisit gloriosam, & immortalem. Hic est enim, qui Hispanos à Romano imperio ita liberauit, ut nunquam amplius Romanis subiecti fuerint, teste Matthæo Balimerio in supplementis Eusebij & Hieronymi.

Ricardus quamuis pueriles annos uix egressus esset, tamen ob egregia patris sui Sisebuti merita in paternum regnum communi procerum consensu surrogatur. Persuasum quippe omnibus erat, ut filius optimo patre genitus, nihil à paternis uirtutibus degeneraturus esset. Sed is celeri & præmatura morte correptus, amplissimum regnum, quod uix toto seme-

stri rexerat, paruo tumulo commutauit, suoq; fato satis ostendit, mometaneum caducumq; esse omne mortalium imperium, pro quo pleriq; nimis infeliciter digladiantur.

Cintila, cum fatis absumptus esset Ricardus, à Gothorum proceribus Rex declaratur. Erant enim tanta eius merita erga Gothicam Rempublicam, ut nulli iustius, aut utilius Regia maiestas tunc deferri potuisset. Enimuerò sub Sisebuto optimo & potentissimo Rege, dux exercituum constitutus, multum strenuè & potenter se in re militari gesserat: nec posteaquam Rex factus erat, quicquam in armorum exercitio remissius egit. Quamobrem non minori hostibus terrori, quàm ciuibus amori fuit: in hos enim benignissimus pater, in illos terribile fulmen apparuit. Romanos sæpius quàm felicius Hispanias impugnantes ita repressit, & prostrauit, ut relictis omnibus ciuitatibus & terris, quas uel olim, uel nuper post Sisebuti mortem occupauerant, in Italiam trepidi remearent, nec unquam postea subiugandis Hispanijs animum adhiberent. Itaque Cintila primus Gothorum Regum sua singulari uirtute, & prudentia totam Hispaniarum monarchiam integrè libertati restitutam, ad suum principatum felici uictoria perduxit. Deinde Vascones in uicinas terras irrumpere ausos, non solum forti manu repressit, uerumetiam subiugatos coëgit, ut suis sumptibus & laboribus ciuitatem Olitensem ædificarent. Demum toto Reipublicæ statu domi & foris optimè instituto, Toleti extremum uitæ suæ diem absoluit, tanto omnium subditorum luctu, quantus uix posit in funere unici, atque optimi parentis impendi.

Sisenandus post mortem patris Cintilæ, non expectato procerum consensu, regnum per tyrannidem inuasit, excluso & occiso primogenito fratre Cintila, ad quē regnum iustè deferendum fuisset. Adiuuit huius Sisenandi temeritatem Rex Francorum Dagobertus, qui interim dum Gothi ob domesticum & fraternum odium periclitarentur, Vasconiam ab eorum regno auulsam regno Franciæ adiecit, fratremq; suum Arebertum ea prouincia donauit. Post cuius mortem cum se Vascones in libertatem uindicare, & ad Gothorum regnum redire conarentur, magno Dagoberti prælio superati, ad durius Francorum iugum redire compelluntur. Vnde satis apparet, illum Francorum Regem sub ea domestica Gothorum discordia potentem, formidabilémque euasisse. Sisenandus autem regnum, quod fraterna cæde occupauerat, paruo tempore, & minore utilitate administrans, nullam suorum gestorum memoriam ad posteros transmisit, nisi quòd ad melioris conscientiæ usum reuersus, quartum Concilium Toletanum celebrari procurauit, in quo multa ad diuinæ maiestatis gloriam, atq; augmentum, & conseruationem sanctissimæ fidei Christianæ constituta fuerūt, præsidente in eo sanctissimo Eugenio, postea Archiepiscopo Toletano, qui totam ecclesiam Occidentalium regnorum sua sanctimonia, & sacrarum literarum eruditione plurimum illustrauit. Deinde Sisenandus paulò pòst concilium Toletanum graui corporis ægritudine Toleti correptus occubuit.

Cintila post Sisenandi fata concordibus Gothorum suffragijs regio sceptro insignitus, temporum suorum tranquillitatem diuino beneficio concessam, ita ad honorem Dei, & subiecti populi salutem ordinare curauit, ut non ab hominibus, sed à Deo electus, & datus crederetur. Cum enim in tempore regni eius non deessent, qui hæreses suscitare, & errores in Christiana fide serere non uererentur, priorúmque conciliorum acta palàm in dubium reuocarent, piam ac summè necessariam operam adhibuit, ut iterum duo concilia Toletana celebrarentur: in quibus omnes priorum conciliorum constitutiones confirmatæ, multæqúe de nouo additæ fuerunt: quas sanctissimus pontifex Hispalensis Isidorus, qui in illis concilijs præsedit, non solum sua Pontificia autoritate, sed insigni ac pia eruditione, qua præditus erat, confirmauit, atque ut ab omnibus piè & efficaciter obseruarentur effecit: quod ei tunc haud difficile fuit, quando ille Rex in regno præsidebat, qui se hominem mortalem, non Deum immortalem more tyrannorum existimabat: qualis hic optimus Cintila erat, qui post temporalis regni administrationem gloriosa morte sublatus, gloriam meruit immortalem.

Tulgas mortuo patre Cintila, nullo procerum suffragio dissentiente, Rex Gothorum designatur, talemq; se in omnibus uirtutum officijs ostendit, ut illam eximiæ probitatis opinionem, quam de eo omnes conceperant, non inanem fuisse monstraret. Erat enim summa modestia præditus, liberalitate insignis, iustitia & clementia conspicuus, preterea religione, fide, pietate, uitæq; integritate nulli secundus. Proinde cum erga omnes se benignissimum exhiberet, ab omnibus non ut dominus, aut Rex timebatur, sed ut unicus omnium pater amabatur, & colebatur. Quicquid Pontifices, aut Reges ante eum pro felici Ecclesiæ statu, & Christianæ religionis incremento, ac publica regni utilitate constituerant, confirmauit, autoritatemqúe suam contra quosuis Ecclesiæ inuasores adhibuit, omniaqúe

alia

alia optimi Regis officia præstitit, quibus toti populo persuasum erat, ipsum fore Regem bonum & optimis quibusq; Principibus comparandam. Sed crudelia illa fata, quæ prosperis mortalium successibus inuident, hunc optimum Regem præmatura morte in urbe Toletana, uix expleto biennio à suscepti regiminis cura sustulerunt: cuius mortem subiecti populi adeo dolenter tulerunt, ut uix ullam admitterent consolationem.

De necessaria extirpatione errorum, & falsarum doctrinarum
CAP. XXXII.

NEc minus pœnitendum erit, præsertim Principibus Aquilonarium regionum, quòd contempta maiorum pacifica doctrina, ac pijssimis moribus, admiserint errorum magistros, auribus seruientes: qui propriæ prudentiæ ita ardenter inhærent, & assentiunt, ut nulla scripturæ ueritas, aut ratio, æstimari, recipi, aut pro dogmate legenda tradi possit, uel debeat, nisi eam approbauerint sacrilegi nouatores: quorum tamen ita discors opinio est, ut ne in una quidem ciuitate, domo, uel camerula idem sentire possint. Cuius erroris causa est ignorantia, uel deprauatio scripturarum, ac odium, quo feruntur in sapientes, ueram religionem cum doctrina conformiter, & ubique profitentes: eò quòd nulla religio (teste Lactantio) sine sapientia suscipienda, nec ulla sine religione probanda sapientia. Et ita summi uiri ueritatem attigerunt, & bene tenuerunt, ubi aliqui per infucatam eius interpretationem falsa opinione illusi, retrorsum abierunt, & demum in profundum errorem descendentes, & agnitam ueritatem impugnãtes, omnem Christi fidelium unitatem ad summam discordiam (in qua quotidie suspirãt oppressi) attraxerunt: quasi uerum prouerbium non esset, Vnus ædificans, alius destruens, minimè prosperabitur. Respiciant ergo cordati Principes, magnanimiq; Duces, quàm confusissimum sit, & ludibriosum, si ductores exercitus, alteri quàm proprio uictoriam fauendo Principi, sunt discordes: & ut apertius prospiciant casum diligenter consyderent, si in uno exercitu tot fuerint duces, quot legiones, quot cohortes, quot cunei, quot alæ: primum nec iussu poterit acies (unoquoq; periculum recusante) faciliter dirigi, neque quod suis proprijs consilijs utantur omnes, discretius temperari. Diuersitas enim affectuum parit ineuitabilem perditionem. Auferantur ergo impiorum dogmata, & cessabunt iurgia: extirpentur mores, & uiolentiæ hæreticorum nequissimæ, & ubique instar aureæ ætatis pax erit, & concordia dulcis.

De optimo remedio discordias, hæreses, schismata, ac reliquos detestabiles abusus abrogandi.

CAP. XXXIII.

QVemadmodum annis superioribus nonnullis Sacræ theologiæ professoribus, more seditiosorum studentium, posthabita ratione legum, & Canonum, nec non Christianæ tranquillitatis & dilectionis de rebus fidei coram laicis pulchrum uidebatur disputando opiniones & dogmata sua defendere & tueri: & insuper errores inducere, atque ui & metu miseram plebem obruere, & ad suas ineptias compellere, coramque simplici populo omnia sua uera esse, & seruanda præscribere: Ita & optimum, ac necessarium reducendæ securitatis erit remedium, ut autoritate Regum & Principum, quæuis errata iuxta laudabilem ueteris Ecclesiæ ritum, arbitrio & integritate bonorum hominum, quoad fieri poterit, obliterentur, & diligenter præcaueantur, ne amplius tam perniciosæ & illicitæ disputationes, toti populo incessanter nocituræ, Principum constitutione permittantur, scilicet ut nemo siue clericus, siue laicus, publicè uel priuatim (ut sanè D.

Brunus ultimo cap.6.lib.de hæreticis pro publico bono suadet)de fide Catholica propria autoritate disputet,& ea,quę à sacris Concilijs semel diffinita sunt,denuò in dubium reuocet:ne nouæ nascantur hæreses,aut semel extinctæ,in grauius Ecclesiæ damnum reuocentur.Decet enim salubriter decreta,stabili firmitate perpetuò fore permansura.Non enim omnium est(teste Gregorio Nazianzeno) publicè,& semper de Deo contendere,disputare,uel exquirere naturam:nec ita uilis est sacræ scripturę sermo,ut uulgo indocili,& homunculis reptantibus adhuc pateat imò nec semper,nec omnia,nec omnibus,nec ab omnibus sunt proferenda. Sed est & quando,& quibus,& inquantum,& eorum,qui ingenium, atq; industriam sumpserant in disciplinis speculatiuis,atq; eorum,qui norunt, amotis corporalibus,incorporalia & spiritualia conspicari.Sed ante omnia illorum est, qui & anima,& corpore iam purgati sunt,ut minimum qui certè purgantur. Qui uerò minus purus est,quomodo audet purum contingere?&c.Hęc autem post illa quoq; proferenda sunt,in quibus delectati sunt,cantica,post uentris,& eorum, quæ sub uentre sunt,curam:à quibus etiam hòc delectationis loco ducitur,si de rebus diuinis contentio moueatur,ut in controuersiarum certamine delectentur.Virtus prętereà & capacitas est in auditore attendenda,quia diuina mysteria non nisi à puris,& per puros sunt tractanda,qui sceleribus & sacrilegijs non fuerint inquinati.

De temerarijs disputatoribus prohibendis.

CAP. XXXIIII.

LEges igitur,quæ disputationes & tractatus,tam publicos quàm priuatos,de Deo & fide Catholica prohibent,non examinationem , & doctrinam scripturarum interdicunt, sed eorum tantum temeritatem coërcent,qui non uerentur propria autoritate de dogmatibus fidei disputare:imò noua,& falsa dogmata pro ueris asserere,& aliorum animis instillare,& quæ semel rectè diffinita sunt,in dubium reuocare,condemnare,& retractare,quasi ipsi soli sint Apostoli,soli prophetæ,soli magistri:non solum errantes ipsi,sed multos etiam alios in barathrum errorum suorum præcipitantes. Ac talem quidem disputatorem ita alloquitur prædictus Nazianzenus,referente eodem Bruno:Esto tu excelsus,et excelsorum superior,& supra nubes ascende,si libet,& inuisibilia conspicare,& ineffabilia sermone complectere:supra Heliam assumere,& supra Mosen facie ad faciem uide, si potueris,Deum:supra Paulum quoq; ad tertij cœli eleuare fastigia:cur & alios sub die uis plasmare?cur Theologos sub momento temporis facis?qui de diuina natura disserant,cum suæ sint uitæ adhuc penitus ignari,ut putes eos uelut inspiratam à te magis,quàm elucubratam suscepisse doctrinam , & imperitorum uerbis quàmplurimos agis conuentus?ut quid araneis colligas infirmos , & contrahis,uelut sapientiæ eis aliquid largiturus?ut quid examen uesparum aduersus fidem concitas?ut quid dialectica religionem decorare se credit,ubi magis per dialecticam religio fœdatur?quasi gigantomachia aduersus Deum pugnatur in terra &c. Optima ergo lex Platonis est,ne quis iuuenum quærere audeat, rectè ne an contrà,se leges habeant:sed uno omnium ore, unaq; uoce rectè, tanquàm à dijs compositas,concedi præcipiat,nec ullo modo aliter pati quicquàm à iuuenibus cogitari.Senem autem,si quid excogitarit,principibus,nemine iuuenum audiente referre.Hanc legem Platonis Eusebius lib.12. Præparationis Euangelicæ, & Marsilius Ficinus in lib. De religione Christiana probat,adolescentes non temerè de religione iudicare debere.Nam & secundum August.de legibus temporalibus,cum fuerint institutæ & firmatæ,iudici iudicare non licebit,sed secundum eas.

De for

De forti constantia tempore hæresum, ac schismatum obseruanda.
CAP. XXXV.

PErsecutionem, & exilium 33. annis propter fidem sustinens, semper notaueram admirabilem Dei clementiam sperantibus in se misericorditer astuisse, & ita cum tentatione dedisse prouentum, ut nullius hominis læsa fuerit constantia, qui firmo proposito, & opere perstiterat in sua suscepta, & iurata sanctissima religione. In quo tamen tentamine maiorem constantiam in sexu fragili, monialium scilicet, uideram, partimq; à fide dignis seruari perceperam, quàm in professis religiosis, aut sacerdotibus ordinatis: qui ad omnem uenti motum nulla facta resistentia, post seculum & carnis desideria abeuntes, turpiter defecerant: & hi respersi luxuriȩ luto, secum quoscunq; malè persuasos detraxerant in perditionem, maximè quia Satanam præuenerunt in tentatione, periculis sese ultro exponentes, dum fragiles ipsæ personæ constantissimè seruando regulam, steterunt aduersus omnes impugnatores. Cuius rei unum aut alterum è multis sufficiat adduxisse exemplum, prȩsertim in Imperiali ciuitate Lubicensi Germaniȩ inferioris ostensum: ubi circa annũ Domini M.D.XXV. moniales S. Annæ magno numero effossa humo noctis tempore, lignis & lateribus ianuas, & muros repararunt: quos (nescio qua potestate conniuente) impunè de die perfregerunt. Item in Rostochio, ne per similes homines extrahi possent castissimæ uirgines à monasterio, brachiorum manuumq; complexu more formicarum, immobiles sese reddiderunt. Item moniales S. Birgittȩ in Suetia ad nobilium nuptias incessanter stimulatæ, mortem potius eligẽtes, quam castitatem Deo consecratam contaminare, ullo modo consentirent. Ita & aliæ personæ similes pluribus in locis constantissimè perseuerant, ubi plures uiri turpissimè sunt collapsi: quia ut tempori se conforment, furem uidentes, currunt cum eo, atq; cum adulteris ponunt portionem suam: donec Deus iam tacens arguat eos, & statuat pœnas contra faciem eorum: ut & hi, & alij hæc intelligant, qui obliuiscuntur Deum.

De eodem, quòd in opinionem hæreticorum non est descendendum,
CAP. XXXVI.

BLanda admodum, & nimium perniciosa licentia multos hoc infelici æuo decipit, ut tempori se conformantes, remissiusq́ue agentes, non ita austerè uiuant, nec regulas obseruent, uti olim à patribus fuerat institutum: quia iam subtilior, inquiunt, est mundus, & grauiora tentamina fragilibus offeruntur: & ita de similibus argumentis serpentinæ scholæ in paradiso institutæ: quasi securiores forent in omni optata prosperitate, quam in tentatione, & flagellatione iustorum in qua perficitur uirtus: uel quasi pacem ampliorem consequantur in Republica, quando remissiori deuotione seruiunt in Ecclesia: prout præfectus Valentis blandè monere conatus est Magnum Basilium, ut tempori pareret, & non tot Ecclesias propter prauam dogmatum subtilitatem uexari pateretur &c. Cui respondit: Adolescentibus, inquit, hæc uerba congruunt: illi, & illorum similes, talia promissa respiciunt. Qui autem diuinis innutriti sunt eloquijs, corrumpere de diuinis dogmatibus, nec unam quidem syllabam patiuntur, sed pro his (si contingat) etiam omnes mortis species amplectuntur. Amicitiam autem Imperatoris magnam quidem cum pietate iudico: sine qua perniciem potius hanc appello. Cumq; præfectus sæuiret in eum, stultumq; uocaret, S. Basilius ait: Hanc quidem stultitiam semper habere exopto. Præterea Gelasij Papæ doctrina est, quòd in his, quæ ad fidem

pertinent,requisiti,aut rogati,ut impiorum uoluntati condescendamus, non ad inferiora descendendo deficiamus: ac propterea non condescendendū his, qui ex superiori loco à Catholica & Apostolica cōmunione,ad inferiora queq;,& ad hereticam,damnatamq; confusionem prolapsi sunt. Fateor condescendendum esse sed ita,ut ab errore reuocentur ipsi,non ut nos eorum errori communicemus. Descendit Dominus de cœlo,ut hominem ab errore liberaret, non ut eius misceretur errori. Sed & ipse præmonuit,ut qui in tecto consisterent, non descenderent, nec ad ea,quæ in domo uidentur esse tollenda. Rursus Apostolus,qui abundantius omnibus laborauit,cum de ueritatis custodia ageretur,clamat: Quibus nec ad horam cessimus subiectionis gratia, ut ueritas Euangelij permaneret apud uos. Qui ergo hæreticis ita condescendunt,ut eorum erroribus consentiant,hi non condescendunt ad subueniendum,sed ut cum ipsis ad inferna demergantur. Quo pacto nullus Catholicus hæreticis condescendere debet,sed mortem etiam prius pati,nedum corporis,bonorumq; periculum subire: quàm paternæ traditionis fidem ab omni præuaricatorum contagione discretam abroget, atque relinquat.

De Principum funeribus,sepulturis, & testamentis.
CAP. XXXVII.



TAndem omnibus huius uitæ cursibus diuerso uiuendi genere consummatis,restat uidere nouissimum spectaculum,quod in Septentrionalibus terris erga Principum,ac nobilium funera,tam uetusto quàm recenti tempore solitum est obseruari. Mos antiquorum erat, cadauera Principum in frondosis arboribus,præsertim quercinis,tanquam sacris locis numinibus consecratis,suspendere,aut flammis iuniperini ligni comburere,uel certis monticulis grandibus saxis,uel quadrato,uel rotundo ordine circumseptis, humi cum gladio & claua recludere,quemadmodum in primo huius operis libro de superstitioso paganorum sepulturæ ritu,deprehenditur usitatum: prout etiam Saxo lib.8.de uicto,& mortuo Danorū Rege Haraldo meminit: cui uictor Rex Suetiæ Ringo fastuosissimum adhibuit funeris cultum. Hæc enim pietatis conditio est,ut uictum uictor inferijs prosequatur: & qui defuncto hosti (teste eodem Saxone lib.3.) iusta persoluerit, superstitis sibi fauorem adsciscit: uiuumq; beneficio uincit,quisquis extincto studium humanitatis impendit. Longe tamen (Christiana religione suscepta) meliori modo uitæ,ac morti,& famæ, ac soboli nunc prospiciunt,quam ullo transacto æuo,hac potissimum ratione,ut quæ ad animæ salutem domus incolumitatem,subditorum pacem,& debitorum solutionem pertinent, mature disponant. Sed prius Ecclesijs stabilia bona contribuunt,unde eorum,hæredumq; memoria ad honorem Dei habeatur in æterna commemoratione. Sed heu dolor hac infelici tempestate prædia diuinis obsequijs multimoda uotorum, literarum,iuramentorum,ac sigillorum firmitate exhibita,ac immemorabili æuo pacificè possessa,infami uiolentia rapiuntur ad humanos abusus,& Deo, cui tradita sunt,subtrahuntur,ut illis inseruiant. Ideoq; sacrilegi sunt,qui opes suas,quas uel ipsi,uel maiores eorum semel Ecclesijs donauerunt, reuocant. Nam omne, quod Domino consecratur,siue fuerit homo,siue animal,siue ager,uel quicquid semel fuerit consecratum,sanctum sanctorum erit Domino,& ad ius pertinet sa-

cerdotum. Ergo qui à domino, & Ecclesia auferunt, uastant, inuadunt, uel eripiunt, ut sacrilegi iudicantur: de quibus etiam Ambrosius c. sunt qui 17.q.4. Tales Varense Concilium necatores egentium, & infideles appellat, ac ab Ecclesijs abijciendos suadet. Ita & Concilium Agathense omnes condemnat, qui oblationes parentum aut donatas, aut testamento relictas, retinere perstiterint, aut id, quod ipsi donauerint Ecclesiis, uel monasterijs, crediderint auferendum, uelut necatores pauperum, quousque reddant, ab Ecclesiis excludantur. Sed omnium pessimi sacrilegi sunt, qui res immobiles Catholicorum principum liberalitate sacrosanctis Ecclesiis collatas, ab ijsdem auferunt: grauiusque censebitur, si in hæreticos, et schismaticos transferantur: idque sacrilegij genus iure Canonum excommunicatione, infamia, carcere, exilio, & multa pecuniaria coërcetur. De Haraldo & Ringone supra lib. 5. cap. 8. 157.

De eodem.

CAP. XXXVIII.

OMnes Ecclesiæ raptores, eiusdemque facultatum alienatores, à limine sanctæ matris Ecclesiæ anathematizantur, & Apostolica autoritate pellũtur, damnantur, atque sacrilegi esse iudicantur. Item si quis oblata Deo dederit, alteri, uel acceperit (ut c. In canonibus 16.q.1.) præter Episcopi, uel eius Vicarij consensum, ad dispensandam misericordiam pauperibus, & qui dat, & qui accipit, anathema sit. Item qui res Ecclesiæ, iussu & largitione Principum, uel quorundam potentum, aut quadam inuasione, uel tyrannica potestate tenuerint, & filijs, uel heredibus suis (uti iam factum uidetur) quasi hæreditarias reliquerint, nisi citò res Dei admoniti ab Episcopo, agnita ueritate reddiderint perpetuo anathemate feriantur. Item ualde iniquum est, ut quæcunque pro remedio peccatorum, uel salute, ac requie animarum suarum unusquisque uenerabili Ecclesiæ reliquerit, à Christianis, & Deum timentibus hominibus in aliud transferri, uel conuerti permittatur &c. Vrbanus Papa sacrilegos perpetua infamia, aut carcere, aut exilio perpetuæ deportationis damnat. Pecunia Ecclesiastica furto, & rapina subtracta, reddatur in quadruplum iure Canonum. Item si qui monasteria, & loca Deo dedicata infringunt, & deposita, uel alia exinde abstrahunt, damnum nouies componant, & immunitatem triplicitèr, & ueluti sacrilegi canonicè subiugentur. De iure ciuili, qui publica sacra compilauerint, capite puniuntur. l. sacrilegi ff. ad l. Iul. pecul. Præterea qui ueteres, aut autoritate sanctæ Ecclesiæ, aut Catholicorum Principum, pro temporum, locorum, & personarum ratione abrogatas leges rursus propria temeritate reuocant, & pro legibus citant, tanquam qui nullo autore habito, falsis constitutionibus utuntur, ueluti falsarij puniuntur, quorum pœna olim erat, aquæ & ignis interdictio: hodie uerò deportatio. Et si seruus sit, qui admisit, ultimum supplicium.

De falsis interpretationibus legum, & scripturarum.

CAP. XXXIX.

EAdem etiam pœna tenentur, qui falsis interpretationibus leges dolo malo corrumpunt: cuiusmodi sunt, qui sacram scripturam Veteris & Noui testamenti, sacros Canones, & sanctorum Patrum scripta, de una lingua in aliam falsò transtulerunt, uel his ipsis aliquid addunt, aut detrahunt. Si enim falsi pœna tenentur, qui edicta publicè proposita dolo malo corrumpunt, quantò grauius puniendi sunt? qui diuina mandata Spiritu sancto autore scripta, atque omnibus fidelibus proposita, sacrilega mente deprauant, atque corrumpunt. Sic & qui

uerba sacrarum scripturarum, & legum captant, & secundum propriam ingenij uirtutem, uel intelligentiam ea legentes, uel docentes, in alium sensum, quam spiritus ueritatis exoptat, detorquent (siquidem id dolo faciunt) ut hæretici, & rei criminis falsi plectuntur. Ita Gregorius VII. Vladislao Bohœmorum Duci scripsit, ac prohibuit, ne (ut optauit) scriptura sacra uerteretur in linguam uulgarem: quoniam tam secreta maiestas est in ea, ut difficulter translatæ, sensus secretorum Dei poterit in ea postmodum deprehendi: imò nunquam deuotior fieret populus, quando sciens facilitatem in contemptum uerteret, quod in reuerentia consueuerat admirari, & iam in ceruisiaria taberna irrisoriè decantatur. Qui autem legumlatores, & earum iustos interpretes, aut alios quoscunque Catholicos calumniantur, pro diuersitate criminum puniuntur: & qui innocentes accusat, eadem pœna plectatur, qua intendebat calumniosam actionem, ne mentiendi licentia permaneat impunita: quam pœnam dum principes, Aquilonares præcipuè (quos uellem hęc omnia sanè intelligere, & celerius auertere) secundum municipalia sua iura prouidentius attenderent, pauciores essent Reipublicæ, & eorundem principum hostes, qui incessanter indigenas turbarent, Ecclesias destruerent, clerum spoliarent, & Regi mouerent contumeliosissimam rebellionem. Res enim secularium Principum semper in deterius lapsura cernitur, quando quod Deo dedicatum est, uel ipsi spoliant, uel qui conniuendo ubi possunt, & tenentur, raptores non puniunt, donec & ipsis Principibus iusto Dei iudicio truculentior iniuria inferatur, & præsertim fingentibus se nescire, quod crudeliter exequendum dederant in mandatis.

Adhuc de incomparabili astutia, & malitia sacrilegorum.
CAP. XL.

SED nec tales Herodianæ uulpeculæ, aut Pharaonis macri boues, omnia pinguia & uirentia deuorãtes, & nullum saturitatis uestigium relinquentes, sine pœna euadent. Dicit enim scriptura, quòd Spiritus sanctus effugiet fictum. Imò terribilius adijcit: Væ duplici corde, & labijs sceleratis, manibus malefacientibus, & peccatori ingredienti terram duabus uijs, quæ obliquè euntibus uidentur rectæ, sed celerius & periculosius gradientem, perducunt in laqueum, & perditionem. Vouent, & reddunt Ecclesiæ bona, sed simulato corde: ut ficta aliqua ratione ea repetant ad profanos usus, & hæreditate possideant, ac distribuant in generationes. Quàm autem grande malum hoc sit, semel Deo, quod uouerit, aut retinere, aut repetere, uel mortifera præuaricatione usurpare, exemplo sunt Ananias & Sapphira: quos de pretio agri quandam partem infideliter subtrahentes, non solum uox Apostolica, tanquam diuini iuris persuasores increpuit: sed etiam seueritas iustitiæ cœlestis occidit. Beatus denique Petrus non solum fraudis uitio memoratum Ananiam dixit obnoxium, quin etiam cor eius à Satana pronuntiauit impletum, dicens: Anania cur impleuit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, ut fraudares de pretio agri? nonne manens tibi manebat, & uenundatum in tua erat potestate? Qui utique fecisti hoc, non hominibus mentitus es, sed Deo. Si quis igitur rem Domino iam deuotam, carnali uictus illecebra, crediderit denuò reposcendam, non est legitimus rei suæ possessor, sed diuini iuris inuasor: & ideò qui furabatur, amplius non furetur: ne pro tantillula substantia (arguente, & prædicente conscientia) irreuocabilem infamiam, & detestabile nomen (quod Gothico uulgari Kirkietiuf dicitur) incurrant, & demum apud inferos horrorem, & cruciatum: quem utique etsi tam sceleratorum Principum filij, sacrilegam impietatem detestantes, & omnia probissimè agentes, euadere potuerint: tamen offensæ diuinitati, & læsæ

Ecclesię necessario erit satisfaciendum: ut rebus, & personis iuxta ueterem religionis integritatem, legitimè restitutis, in se, & sobole secutura sint securiores: alioquin paterna rapacitas redundat in filios filiorum. Habet & Plato in prima epistola contra tyrannum hoc carmen: Heu miser hic perij, nullis suffultus amicis.

De dignis personis Ecclesiæ restituendis, & indignis repellendis. CAP. XLI.

QVod autem de personis dignis, & honestis Ecclesiæ restituendis, uel præficiendis, unà cum ablatorum bonorum restitutione, dictum est, maximam habet annexam necessitatem: quia ex earum præsentia, ueluti hominum assiduè Deum pro publica salute deprecantium, pax, & amicitia pariter, & omnium rerum abundantia reuertetur. Nec formidanda erit discordia fratrum Regiorum, aut filiorum nobilium, quando tales adsunt mediatores, qui eos in dulci concordia fouere uelint, & poterint, ne mutuò se lacerent, uelut bestiæ in solitudine congredientes: quemadmodum in Aquilonaribus regnis iam imminet: & nisi Deus placatus auerterit, discordia hæc (ablatis regni thesauris) paritura uidebitur irreparabilem perniciem, & confusionem. Tuncq; in tormentis aperient oculos, & dicent, Meritò hæc patimur, dum nullam commiserationem cum consertus nostris (bonis omnibus spoliatis, atque eiectis) haberemus. Tunc etiam intelligent, quo modo irreligio, & uiolentia numinibus, ac sæuitia, & irrisio hominibus sit inuisa, ac odiosa. Nec deerit huic rei exemplum in gente Longobardorum, Gothorum sobole: quæ ut Paul. Diaco. lib. 5 cap. 6. refert, oraculo diuino contemptui habito, perijt, dum diui Ioannis Baptistæ Basilicam in Modicia constitutam, per uiles personas ordinari permisit, ita ut indignis, & adulteris, non pro uitæ merito, sed præmiorum datione, ijsdem locus uenerabilis largiretur. Quid autem nunc fieret superbis contemptoribus, & Ecclesiarum impijs sacrilegis, si Deus ultionum eos, eorumque apostatas Ecclesiarum occupatores, disperderet, & puniret? & utique (nisi pœnituerint) puniet eos. Refert etiam antiquus, & fidelis autor Sigebertus, quòd Clodoueus Rex Franciæ, corpus sancti Dionysij Parisiensis discooperiens, minus religiosè, licet auidè, os brachij eius fregit, & rapuit: moxq; in amentiam perpetuam incidit. Quid uerò tam audacibus, & atrocibus religionis (nostri infelicissimi temporis) persecutoribus, & sacrilegis iusta Dei retributione eueniet ab eo infallibiliter expectant, qui dixit: Nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur, & uiuat. Caueantq; scriptum fore: Potentes potenter tormenta patientur &c. Et quòd horrendum sit incidere in manus uiuentis Dei. Interim tamen dum aliena iniustè surripiunt, proprijs spoliantur.

Quæ hic Olaus de Clodoueo refert, de Clodoueo eius nominis II. sunt intelligenda, qui uixit circa annum Domini DC. XLVI. uel ut alij uolunt DC. LX. quamuis non desint, qui meliora de eo referant. Alias non præter occasionem Clodouei, eius nominis primi, uitam hic adiecimus, qui relicto paganismo fidem Christi amplexus à S. Remigio sacro fonte ablutus, multa contulit Ecclesijs beneficia, Arrianam hæresim persecutus, aliàs etiam res præclarè gessit: antecessit hunc annis circiter centum & quinquaginta. Ioan. Mag. lib. 16.

Optimo igitur, & Prudenti patri Alaricus minus prudens successit: qui defuncti patris uirtutes, & monita minus exequi curauit, quàm imminentis temporis discrimina requirebant. Pacem enim, quam pater Euricus cum Clodoueo, aliâs Ludouico, Francorum Rege prudenter cõposuerat, imprudenter euertit. Cum enim Clodoueus N. Romanũ ducẽ Suessionis bello urgeret, & ille tanto Regi impar bello uictus succumberet, ad Vesgothorum Regem Alaricum, qui Theoderici Ostrogothorum, & Romanorum, ac Italię Regis filiam con-

iugem habebat, ſupplex confugit. Quem cum Alaricus contra Clodoueum defenderet, totam belli molem in ſe, & ſuos Veſtrogothos conuertit. Igitur totis utrinq; uiribus concurritur, & pertinacißimis animis pugnatur: tandem cadente Alarico, cedunt Gothi, occiſa maxima eorum multitudine, ut teſtatur Rodericus Toletanus. Deinde Clodoueus uictoria importune uſus, uictos longe lateq; profligando, Tholoſam, & totam Frãciam Gothicam, & quicquid antea Euricus à Franciæ regno uictrice manu acceperat, uiribus & armis recuperauit, atque in ſuam poteſtatem redegit: fuiſſetq; tunc de magna Hiſpaniæ parte actum, niſi Oſtrogothi ex Italia irrumpentes, periclitantibus cognatis Veſtrogothis neceſſariam opem præſtò attuliſſent. Theodericus enim ipſorum Oſtrogothorum, & Italiæ Rex, ubi comperit Alaricum ſuccubuiſſe, bellum pro genero ſuſcepit in ſocerum: (tenebat enim filiam Clodouei coniugem) miſſoq; duce cum expedito exercitu, graui bello Francis congreditur, atque adeò atrociter iniuriam Veſtrogothis illatam uindicauit, ut in uno prælio triginta Francorum millia (prout lib. 9. ſuprà dictum eſt) occiſa corruerent. Recuperatæ ſunt ea cruenta pugna (teſte Didaco Valera) omnes ciuitates & terræ, quas Franci ſuperato Alarico occupauerant, & potentia Theoderici pro Amalrico filio Alarici conſeruatæ. Vnde eueniſſe credo, quòd apud Caßiodorum inueniantur Theoderici decreta ad Hiſpaniarũ gubernationem ædita. Extant & literæ ad magiſtratus in illis conſtitutos datæ, quibus ſatis apparet Thedericum non ſolum Romam, & Italiam prudenter rexiſſe, uerumetiam Hiſpaniarum terras à Francorum impugnatione liberas conſeruaſſe.

Amalricus uix puerilem ætatem egreſſus, patri in campis Vagladenſibus in bello Gallico occiſo ſurrogatur in regnum Veſtrogothorum, aui materni (ut diximus lib. 9.) uiribus defenſatus, alioquin intolerabili Francorum impetui nequaquam reſiſtere ualuiſſet. Aßiduè enim Franci Veſgothis infeſti permanſere. Erat quoq; non minus formidabilis illa controuerſia, quam domi ſuſtinuit, diuiſis Gothorũ animis in diuerſa erga diuerſos Principes uota. Pars enim mortui Alarici germanum Geſalaricum (quamuis illegitimo toro genitum) in regni ſolium euexit: in quo parum feliciter ad quatuor annos præſedit, & nonnulla prælia magis temerè, quàm prudenter contra Francos attentauit. in quibus tandem periclitatus, uitam pariter & regnum amiſit. Cœperuntq; Franci Gothos, & Hiſpanos, tum propter infelicem Geſalarici fortunam, tum propter Amalrici pueritiam contemnere, copiaſq;, quibus eos opprimerẽt, comparare. Quo comperto Theodericus Oſtrogothorum atq; Italiæ Rex, indignè tulit paternum regnum ab Amalrico nepote ſuo auferri. Proinde (ut Didacus Valera aſſerit) potentißimo exercitu inſtructus, ſe in Hiſpanias contulit, quas totis duodecim annis, donec Amalricus in perfectum uirum euaderet, per ſingularem prudentiam & potentiam gubernauit. At poſtquàm Theodericus relicta Hiſpania in Italiam rediſſet, breuiq; in fata conceßiſſet, Clodoueus Francorum Rex, qui nouiter ad ueram Chriſti fidem conuerſus fuerat, conſentientibus proceribus, bellum Veſgothis denuò intulit, non ſolum quia terras Francorum occupauerant, ſed quia Arrianæ perfidiæ aſſertores erant. Cum igitur in eo prælio nimis urgeretur Clodoueus, S. Martino equum, cui inſidebat, deuouit, ſi uictor euaderet. Voti compos promiſſum equum offerre non diſtulit. Sed dum eum pretio centum aureorum redimere uoluiſſet, nec equus inde moueretur, ducentos impendit, & confeſtim iumentum iam liberum ſequitur expectantem. Tum Rex ait: Martinus quidem bonus adiutor eſt, ſed ſtipendio pretioſus. Procerum deinde conſilio apud Pariſios habito, cum ſatis de gerendo bello aduerſus Gothos Arrianos conſtitutum eſſet, uouit (ut ſuperius diximus lib. 9.) baſilicam Principi Apoſtolorum (quæ nunc in ea ciuitate inſignis uiſitur) ſi uictoriam de fidei hoſtibus obtineret.

Igitur Veſtrogothi, cognito Francorum propoſito, uicinos & confœderatos ſuos Aluernos in belli ſocietatem aduocarunt. Quorum copijs ſuccincti, aduerſus Francos in aciem prodierunt: fit atrox & pertinacißima pugna pro regno, atq; Chriſtiana fide, quæ omni regno, & ipſa uita charior eſſe deberet omnibus Regibus, & Principibus Chriſtianis. Tandem in ea pugna ſuperatis Veſtrogothis, & Aluernis, utriuſq; partis duces ceciderunt. Eam uictoriam aſſecutus Clodoueus, priuſquam hoſtes uires reſumerent, confeſtim filium ſuũ Thedericum ex ancilla genitum, in Veſtrogothorum & Aluernorum terras immittit. Quibus ſuperatis, in Toloſam, quæ adhuc erat caput regni Veſtrogothorũ, Vaſconiamq; arma conuertit. Amalricus uerò unicus Alarici filius ſeſe intra Pyrenum communiuerat: qui etſi Toloſam cum paternis theſauris, & Vaſconiam amiſerit, Hiſpaniam tamen Vlteriorem cum Pyreni ſaltibus, prout pater poſſederat, defenſauit, pacemq; enixè petiuit: ad quam etiã Clodoueus inclinatus erat. Sed cum interim audiret, Arrianam hæreſim in Burdegalia, & ciuitatibus uicinis magis, quàm alibi in Veſtrogothorum regno feruere, in eas exercitum ducere non diſtulit, cædemq; & direptionem in Veſgothos exercuit, donec ſuſcepta ſyncera fide hæ

resi abrenunciarent. Quo facto, Episcopos illis Catholicos instituit, atq; cum gloriosa uictoria in Franciã remeauit. Quæ uictoria quantum displicuit Regi Ostrogothorum Theoderico, tantum placuit Iustino Imperatori, ut supra lib. 9. satis est ostensum. Exitus autem Regis Amalrici (iuxta historiam Valeræ) erat in bello contra Gilibertum Francorum Regem, in quo occisus uitam pariter & regnum amisit. Huius autem belli occasio hinc suscepta fuit. Postquam Amalricus superatis quam plurimis difficultatibus ad paternum regnum peruenit, ut suum regnum finitimorum Principum affinitate stabiliret, Totildam Franciæ Regum, Giliberti & Clotarij, qui patri Clodoueo mortuo successerant, germanam in coniugẽ suscepit, & liberaliter primũ, mox contemptissimè habuit. Quippe, ut dictum est, Arriano ueneno imbutus, rectæ fidei mulierẽ despiciebat. Hæc postquam diu passa esset illustrissima mulier, fratribus per literas significat, quæ à uiro infideli toleraret: laturaq; esset, nisi Amalrici petulantiam temeritatemq; compescerent. Prouocati igitur crebris & iustis sororis precibus Reges, arma comparare festinãt. Interim Gilibertus unus eorum excelso uir animo, non expectato Clotario, militem in Amalricum educit: qui etiam magnam quam potuit suorum manum mari terraq; contrahit. Pugnatum est æquis uiribus diu, acriterq;: sed Gothis cedentibus, uictoria penes Gilibertum remansit. Itaq; uictus Amalricus, dum fuga salutem quærere cogitaret, à milite Franco inter fugiendum confossus interijt. Quo comperto Rex Francus Gothos incredibili feruore persequi non destitit, donec ad ualidissimam urbem Toletanam peruenisset: quam obsessam, & à ciuibus non segniter defensam capit, captamq; militi tradidit diripiendam: atq; ita sorore recepta, & mox morbo (dum reduceretur) absumpta, in paterno monumento tumulatur.

Teudes, siue Teuda, difficillimis Reipub. temporibus procerum uoluntate in regnum surrogatur Amalrico, eo quod ille sine prole mascula obijsset, cum nunquam magis necessarius esset Rex in re militari peritissimus. Quippe Francorum Reges Gothis admodum graues imminebant, necdum plenè recuperata erant, quæ bello proximo ante mortem Amalrici perdita fuerunt. Igitur Teuda restituendis in pristinam libertatem atq; integritatem regnis intentus, omnia egit, quæ augendo Gothorum regno opportuna uidebantur. Gilibertus tamen Parisiorum Rex fortem illi manum opposuit. Sed cum par esset utrinq; potentia nunc hęc, nunc illa pars uictoriam reportauit. Peruenit aliquando Francus cum exercitu ad expugnandam Cæsaraugustanam ciuitatem, quod ibi Arrianam hæresim uigere putasset. Percontatus autem hominem, quem in agro deprehendit, quam religionem urbis habitatores sequerentur, essent'ne Christiani Catholici, an Arriani. Ille (ut erat agricola) pro suo captu (ut poterat) respondit, Sanctam inibi in Deitate Trinitatem, & unitatem in Trinitate credi. Gauisus Rex Gilibertus Pontificem urbis ad se euocat, eumq; alloquens ait: Quia catholicam plebem audio hanc urbem inhabitare, arma, quæ contra Arrianos sumpsi, indè conuerto. Sed quem interim hæc urbs inter cœlicolas patronum ueneratur? Ille refert, Diuum Vincentium martyrem esse præcipuum eius loci defensorem, quod eius in terris reliquiæ ibi seruarentur. Cui Rex: Ne tantum laboris ex itinere frustra susceperim, rogo mihi aliquid ex sacris eius reliquijs impartiri. Igitur Pontifex, & clerus communi consensu stolam, & tunicam sancti martyris Regi donauerunt. Ille suscepta dona quam sanctè adseruata secum duxit Parisium, ibiq; eidem sancto martyri Vincentio ecclesiam construxit, & dedicauit, institutis ibi monachis, quibus easdem sancti martyris exuuias diligenter conseruandas commendauit. Sed silendum non est, quomodo Valeranus Hispanus asserat hunc Teudem cooperatione illustrissimæ Reginæ Amalasuentę, Theoderici Regis Ostrogothorum filię, factum fuisse Regem Vestrogothorum, et tandem ob ingratitudinem accepti beneficij, à famulo eiusdem Reginę in ciuitate Hispalensi trucidatum.

Teudisclus, siue Teudegislus, post mortem Teudis consensu procerum in Vestrogothorum Regem assumitur. Sed nihil felicius illi successit in adepto regno, quam occiso nuper Teudę. Quippe quemadmodum ille ob suam intolerabilem ingratitudinem in fata uiolenta concessit, ita hic Teudegislus, qui studuit eius peruersa opera imitari, exitum haud dissimilem expertus est. Enimuero potestate Regia, quam à Deo in uindictam malorum, & laudem bonorum acceperat, ad maxima, atq; non ferenda uitia abutebatur, ut magis suæ Reipublicæ, imo omnis uirtutis atq; honestatis inimicus, quam Rex uideretur. Erat in primis nobilium uirginum, & matronarum corruptor, multosq; proceres, qui tam nefarijs conatibus eius resistebant, interficiendos curauit, ut eorum coniuges suę abominandę libidini liberius, quàm honestius inseruirent. Itaq; nobiles tam iusto dolore prouocati, ipsum inter conuiuia petulantius exultantem occiderunt.

Cum in præcedentibus de abolendis hæresibus ac restituenda uera religione egerit Olaus, necnon repellendis indignis, restituendisq; dignis: placuit eius rei aliquot exempla subijcere, quorum primum sumptum est ex histo. Ioan. Mag. lib.36. in uita Athanagildi, Luibæ, Leonegildi & Recaredi, 67. 68. 69. 70. Gothorum regum externorum, quo tempore floruerunt, Leander, Isidorus, Fulgentius, alijq; plures, sanctimonia uitæ & doctrina conspicui.

Agilaus post Teudegisli mortem à Gothis ad Regiam dignitatem sublimatus, primum belli negotium contra Cordubam assumpsit. Siquidem cum Cordubenses apertè rebellionem molirentur, hic contracto præualido exercitu in eos mouere non distulit. Sed quos imparatos opprimi posse putabat, nimis paratos, & ad arma promptissimos inuenit. Proinde uehemens, atq; atrox prelium inire compulsus, post longum & anceps certamen ab eius loci incolis superatur, amissaq; maiore parte exercitus, & filio, in Emeritam fugiendo peruenit. Cætera eius tempora quieta fuisse traduntur: quod maximè ex eo prouenit, quia Francorum Reges bella, quæ antea solebant in Vestrogothos Arrianos pro fide Christi extendere, tunc in mutuam patriæ, & suam perniciem conuerterunt. Sæpe enim Gildebertus & Clotarius, qui ea tempestate in Francia regnabant, fraternis atq; acerrimis odijs inuicem confligebant, qui honestius, & maiore cum pietate pro dilatanda Christiana fide in gentes hæreticas gladios suos extendissent. Sed erat tunc, ut nunc, Christi honor post terrenum & caducum regnum, atq; in infimo situ collocatus, qui debuisset regnis, & omnibus huius mundi bonis longa intercapedine præferri. Sed tum Deus iustus iudex Agilaum, qui Arrianæ blasphemiæ studuit esse imitator & defensor, ita puniuit, ut postquàm tempore paruo regnasset, eundem uita priuaret, & regno: à suis enim, quos ad ueram fidem promouere debuisset, iusto Dei iudicio trucidatur.

Athanagildus enim ueræ fidei Christianæ assertor, quamuis occultus, cum consideraret Agilaum in adepto regno nimis insolescere, atq; Arrianam perfidiam enixius defensare, cœpit consilia inquirere, quibus possit tam ingratum diuinæ maiestatis contemptorem à Regia maiestate deijcere. Erat tunc temporis quidã Amatus Romanæ urbis ciuis, & patricius, quem Narses, qui Italiam Iustiniani imperio restituerat, præfectum Narbonensis prouinciæ, & aliarum terrarum Gallicarum creauerat. Hunc igitur Amatum ueræ fidei catholicę defensorem, Athanagildus in belli societatem inuocans, bello Agilaum adoritur, eumq; tanquam de diuinis & humanis rebus malè meritum deiecit, & occidit. Itaq; Vestrogothorum regno occupato, diu feliciterq;, utpote per duos & uiginti annos (teste Blondo, & Volaterrano) regnauit, dignus qui inter optimos Reges connumeretur. Enimuero (ut habet Lucas Tuiciensis) Arrianam uesaniam auersatus, ueram Christi fidem, quamuis non satis apertè, profitebatur. Huius autem tempore ob diuturnæ pacis commoditatem Gothi & Alani in unam gentem (referente Blondo) hoc modo coaluerũt. Ea, inquit, longitudine pacis Vestrogothis Hispanias, Citeriorem Vlterioremq;, pacatissimas habentibus, Alani cum Vestrogothis ita cohabitarunt, ut in illius gentis nomen suum sensim cõfuderint, atq; immiscuerint. Eos enim Alanos didicimus à Sebastiano Valentiniani Imperatoris duce ex Bethyca, quam sperauerant retinere, ad Vesgothos cõfugisse: qui quidem Vesgothi suspectos habentes nunquam simul uno in loco statiua habere permiserunt: imò ne unquam possent, aut per seipsos rebellare, aut in Vandalos gentem amicam respicere, continuerunt illos in Hispania Citeriore: ex qua populorum mixtura facta est gentis utriusq; nominis compositio, quæ etiã nostra ętate perseuerat. Et qui eo modò Citeriorem Hispaniam incoluerunt Gothi & Alani, nũc dicuntur corrupto uocabulo Cathalani, gens profecto illius industriæ, quæ generi suo in omnibus respondeat. Et siue casu factum sit, siue ex ingenio, bene habet, quòd in nomine composito primam obtinet partem Gothica gens pręstantior, quæ & Romam capere potuerit florentissimam, & capta pauló pòst Hispanię regna mille iam annos, supraq; (licet aliquando minus integrè) conseruauerit. Pręterea in eodem loco Blondus adnectit, quomodo Romani imperij inclinatio tũc per Gothos extra Italię fines in Europa facta fuerit, quòd neq; in Gallijs, neq; in Hispanijs, aut in Germania, siue in insula Britannia, & prouincijs, quę Danubio adiacent, aliqualis ultrà fuit Romano Imperatori, aut Romanę Reipub. iurisdictio. Cęterum ad Athanagildum reuersi, inuenimus ipsum post diuturnum ac pacificum regnũ, naturali, non uiolenta morte apud urbẽ Toletanam occubuisse: quãuis Volaterranus asserat, ipsum suorum insidijs trucidatum, cum ego interim in hac re magis tribuã historijs Hispanorum.

Luiba in defuncti Athanagildi locum communibus procerum suffragijs surrogatur: qui peractis paucis annis in eo regio principatu, cœpit Regiæ dignitatis onera tantum fastidire, quantum imprudentiores homines ea concupiscere, & admirari consueuerunt. Proinde ne totam libertatem suam penitus amitteret, Leonegildum fratrem suum, siue (ut alij dicunt) filium, in regni consortem assumpsit, atque ita amplissimi principatus curas diuisit, ut per seipsum Franciam Gothicam, & nonnullas partes Hispaniarum ei uicinas regeret, cætera omnia permitteret Leonegildo. Hi Reges, etsi Arriana hæresi infecti essent, tamen permiserunt Catholicos Pontifices suas synodos celebrare. Siquidem eorum tempore non parua controuersia inter Hispaniarum & Galliarum Episcopos de celebratione Paschalis festiuitatis emersit, quæ difficile poterat humana industria diffiniri, quemadmodum in historijs Hispanorum latius continetur. Tandem Luiba, euoluto pauco annorum numero, mortifera ægritudine affectus, uitam regnumque in Narbona reliquit.

Leonegildus, qui uiuente Luiba partem Hispaniarum administrauit, nunc illi mortuo in toto regno successit: qui si tantus in propaganda fide Christiana fuisset, quantum terreno regno augendo, conseruandoque studebat, clarissimum inter omnes Principes locum haberet. Erat enim acerrimus Arrianæ perfidiæ defensor, omniumque Catholicorum hostis, & persecutor. Habebat nanque filium Hermegildum, cui uxorem Gildeberti Francorum Regis orthodoxi filiam accepit: quæ cupiens maritum ad ueram Christi fidem conuertere, egit cum Leandro Pontifice Hispalensi, ut uirum suum inuiseret, secumque de uera religione tractare dignaretur. Annuit pius Pontifex tam pijs, & iustis optimæ fœminæ precibus, & cum illo de uera religione conferens, ostendit ex sacræ scripturæ testimonijs intolerabilem Arrianæ perfidiæ impietatem, tantumque profecit, ut uolentem Christo lucraretur. Itaque Hermegildo ad Catholicam ecclesiam, & fidem cõuerso, pater eum ferro uinciri iubet, & in carcerem trudi. Sed nullæ carceris tenebræ poterant ueræ fidei lumen in eo accensum extinguere, quin potius gauderet se pro Christi nomine contumeliam pati. Perseuerauitque in ea Christi confessione, usque ad uitæ exitum per illustre martyrium. Ipso enim sanctissimo Dominicæ resurrectionis die orto iam sole, impius Rex pium & optimum filium in carcere clausum (misso spiculatore) securi percussit, Christoque pretiosum martyrem consecrauit. Vxor uero occisi sanguinarium Regem abominata, cum paruulo filio effugiens, incidit in manus militum Mauritij Imperatoris, qui tunc per quamcunque occasionem in Gallijs uersabantur: à quibus capta in Siciliam perducitur, ut inde Constantinopolim ad Imperatorem pro obside mitteretur. Non tulit fragilis mulier insolitam marini itineris nauseam. Vix enim terram Siciliæ attigit, & mortifera ægritudine correpta spiritum exhalauit, relicto paruulo filio, qui Constantinopolim ad Imperatorem est deductus. Interea Hildebertus Rex, ut iniuriam sororis uindicet, grandem exercitum contra Leonegildum in Hispanias educit: nec segnior ille occurrit. Itaque acerrimum prælium committitur, in quo utrinque cadunt quam plurimi, sed ex Gothis pars maxima. Nec alia res, quam iusti doloris uindicta quæsita uidebatur. Et quidem talis erat Leonegildus in Christianam fidem. Cæterum quæ ad Regis officium spectabant, strenuissimè exequebatur. Siquidem omnes rebelles ciuitates per Hispanias subiugauit, regnum suum potenter dilatauit. Cantabriam, & multas terras recuperauit, denique Calliciam, expulso inde Audeca Rege, & gente Sueuorum (quorum maiores in ea parte centum septuaginta annos regnauerant) regno Vestrogothorum adiunxit. Quem tandem post multa & insignia facta mors ex infirmitate contracta Toleti superauit, & extinxit.

Recaredus optimus Rex, patri suo Leonegildo in regno, non in moribus successit. Ille enim uehementissimum Arrianæ sectæ defensorem, hic Catholicæ fidei assertorem se exhiberet curauit. Ille terrenum regnum augere, & conseruare studuit: hic cœlestem simul & terrenum principatum ita curauit, ut hunc transitorium, illum sempiternum æstimaret. Quocirca ne Christianam religionem in postremis collocare uideretur, effecit, ut septuaginta duorum Episcoporum synodus anno Christi quingentesimo nonagesimoquarto per Hispanias, Franciam, Italiamque conuocaretur, in qua de religione, deque æterna Christi diuinitate constitueretur, quid sentire oporteret. Ibi Leander Hispalensis Pontifex, uir fide Catholicus, & in lege Dei exercitatissimus, atque in sacris scripturis doctissimus, acerrimè disputans, adeo confutauit sectam Arrianam, ut Recaredus ipse cum proceribus, & omni gente sua renunciaret paterno & gentili errori, seque cæteris per Catholicam ecclesiã fidelibus religione & fide conformaret. Quę res per omnes Hispanias, Gallias, & Italiam admirabili omnium lætitia, & profuso gaudio excepta est, nomenque Gothorum longè gloriosius reddidit, quam prioribus annis ulla in armis claritas efficere potuisset. Deinde omnes Arrianos ex omnibus Hispaniæ partibus effugauit, Catholicosque pontifices & sacerdotes ab exilio reuocatos in suas ecclesias, & prouentus restituit. Summo quoque honore eos affecit, qui pro Christi

nomine contumeliam hactenus sustinuerant. Præcipui autem cooperatores, & autores, quibus Gothica gens, abnegata hęresi, ad Orthodoxam fidem conuerteretur, erant tres sanctissimi Pontifices ex Gothico, & Regio sanguine procreati, Leander, Fulgentius, & Isidorus: quorum opera effectum est, ut nunquam deinceps uera apud Hispanos religio cessaret. Hoc itaq; ueræ religionis fundamento posito, Recaredus manum ad regni defensionem extendens, sæpe contra Romanos pugnauit, totiesq; uictor euasit. Refert Raphaël Volaterranus hunc Recaredum cum Francis bellum gessisse, atq; ex eis quadraginta millia occidisse: cum interim tantæ bonitatis erga suos fuisse asseratur, ut nullus esset in tanto numero subditorum, à quo non diligeretur ut pater. Tributa enim, & exactiones à patre Leonegildo imposita, in totum sustulit, & remisit. Quamobrem cum Toleti diem clausisset extremum, tantus ubiq; luctus audiebatur, unaquæq; domus suum præcipuum amicũ amisisse putaretur.

Luiba post optimi patris Recaredi mortem in paternum solium ascendit, optimæ quidem spei adolescens, utpote qui à Christianissimo patre didicerat, totam sui regni administrationem ad Dei gloriam, & proximorum utilitatem applicare. Quemadmodum enim omnium uirtutum officia in pio, atq; integerrimo patre relucebant, ita nihil aliud in tota filij uita, quam maiorum honestas, & summus erga diuinam religionem feruor apparebat. Quocirca nonnulli in Deum & patriam impij, in eum sine ulla causa insurgentes, ipsum non sine publico omnium luctu trucidauerunt, postquam duos annos in regno Gothorum compleuisset.

Alterum exemplum, quod contigit sub Cindasuindo 80. Gothorum Rege externo, ubi amoto Theodisclo hæretico primate Hispalensi, in ipsius locum Toleti constitutus est S. Eugenius in Archiepiscopum. Duæq; hæreses Heluidiana & Pelagiana in Hispania sopitæ: ex Ioan. Mag. lib. 16.

Cindasuindus deinde post Tulgę mortem Gothorum regnum, non expectata procerum electione, per uim & arma occupauit: quòd fortè non alia ratione ausus fuisset, nisi quia Reipub. plurimum metuebat, ne ad manus alicuius crudelis Principis deuolueretur. Enimuero talem se in occupato regno gessit, ut omnes partes optimi Regis diligenter exequeretur. Siquidem ante omnia temporalis regni negotia, totum animum suum ad augendum Dei honorem conuertit, decoremq; domus Dei enixius cæteris omnibus dilexit. Pontifices, prę latos, sacerdotes, & totum ordinem cleri prouentibus, priuilegijs, libertate donauit: contentionem illam, quæ erat inter pontifices, Hispalensem & Toletanum, de primatu Hispaniarum, per Summi Pontificis autoritatem aboleri procurauit, translata ab Hispali ad Toletum primatus sede, & dignitate: ad quod non paruam occasionem præstitit Theodisclus Græcus archiepiscopus Hispalensis, qui ecclesiam suam multis hæresibus & erroribus corrupit, ac infamauit: non ueritus multas hæreses in doctrinam, & libros, sanctissimi Isidori immiscere, abrasis pluribus, quæ ueram in Christiana fide pietatem sapiebant. Ob quam impietatem pontificatu deiectus in Africam concessit, ibique errores plurimos simplici populo prædicauit. Deinde cooperante Cindasuindo congregatum est septimum concilium Toletanum, in quo fuerũt quatuor Archiepiscopi, & triginta episcopi, cum alijs compluribus prælatis, & nuntijs eorum, qui adesse nequiuerunt. In eo concilio post multas, & utiles, ac necessarias pro Christiana fide constitutiones, sanctus Eugenius electus erat in Archiepiscopum Toletanum, & à Summo Põtifice confirmatus. Præterea idem optimus Rex misso ad Summũ Pontificem idoneo legato (quem credo fuisse sanctum Tayonem Episcopũ) supplicabat ad se transmitti Morales libros diui Gregorij Papæ. Cui Papa respondit, se quidem libros illos libenter mittere uelle, si inter tot librorum uolumina, quæ in Romanæ Ecclesiæ archiuio continentur, reperiri possint. Mœstus eo respõso nuntius, se in tẽplo sanctorum Apostolorum Petri & Pauli ad diuinum auxilium orando, & plorando conuertit: factumq; est, ut media nocte sancti Apostoli, & cum eis sanctus Gregorius ineffabili claritate fulgentes, illi oranti apparerent, locumq; designarent, in quo librum, quem quærebat, inueniret. Itaq; annuente Summo Põtifice, pretiosus illorum librorum thesaurus, in quibus tot integerrimi mores continebantur, in Hispanias est cum maximo Romanorum damno translatus. Qui si in hoc nostro infelici tempore ad Romanos remitteretur, profecto felicissimi fierent, qui cupiunt per Romanos mores instrui, & emendari. Cum autem Rex Cindasuindus tam integra esset erga Deum, & diuinum cultum pietate, factum est singulari

Dei be-

Dei beneficio, ut toto decennio, quo regnauit, nullus hostis domi aut foris Gothorum Rempublicam in aliquo molestaret. Vbique syncerus Christi cultus, ubique uera inter homines charitas, nusquam hæreses, nusquam in Regem, aut Rempublicam rebellio apparuit. Quocirca Cindasuindus gloriosa morte in urbe Toletana defunctus, meruit inter felices, & bonos Reges connumerari.

Recinsuindus, quem pater Cindasuindus quatuor annis antequam moreretur, in regni consortem assumpserat, à proceribus post patris fata in Gothorum regno confirmatur. Hic à paterna probitate & pietate nihil degenerans, primam curam de augenda & conseruanda Christi fide, & honorandis Dei ministris assumpsit: quod satis ostendunt illa tria concilia Toletana, quæ successiuè totis decem & octo annis, quibus regnauit, celebranda curauit. Nec minus in bello felix, quam in Christiana pietate conspicuus erat. Siquidem suo tempore Vascones in Hispanias irrumpere ausos non solum repressit, & profligauit, sed secutus à tergo fugientes, patriam eorum deuastando spoliauit, magnamq; ex eis multitudinem, quę bella maluerat quam pacem, occidit. Itaq; gesto feliciter bello, spolijs opulentus ad suos cum gloriosa uictoria remeauit. Quo etiam tempore extinctum est in hoc mundo illud gloriosum lumen omnium Occidentalium ecclesiarum sanctus Eugenius archiepiscopus Toletanus: in cuius locum Ildefonsus non minoris sanctimoniæ, & eruditionis, dignissimè surrogatur: in cuius tempore duæ hæreses, Pelagiana & Heluidiana ex Gallijs in Hispanias irrumpentes, maximam Hispaniarum partem corruperunt, & à rectâ fide abduxerunt. Quarum assertoribus Ildefondus sese tam uiriliter opposuit, ut publica disputatione, petitis ex sacra scriptura euidentissimis argumentis, cōuinceret eos esse intolerabiles Christianæ fidei inimicos: atque ob eam perfidiam ipsos quantocyus extra Hispanias eijci mandauit. Deinde nunquam à prædicatione diuini uerbi cessauit, donec confutatis hæresibus totam patriam Christo restituisset, omnibusq; persuasisset, sanctam Dei genitricem Mariam contra eorum impias assertiones uirginem esse perpetuam, & inuiolatam: quæ idcirco tam pio prędicatori suo uisibiliter, & miraculosè apparens, indumentum contulit, quo in summis ecclesiæ suæ festiuitatibus uteretur. Quod autem, uel quale fuerit, non satis exprimunt historiæ Hispanorum. Demum ipse Rex Recinsuindus, postquam toto tempore sui regni se omnibus exhibuerat optimum & iustum, liberalem ac gratiosum, summeq; affabilem, & benignum, contracta apud Palentiam graui ęgritudine, uitā transitoriā sempiterna commutauit.

Tertium exemplum ex libro.17. Ioannis in uita Stenchilli, qui missis legatis petijt ecclesiarum Antistites ab Archiepiscopo Bremensi.

Ericus Aorsel, alias Stenchillus post defuncti patris Erici fata, cunctorum procerum & populorum assensu in paternum principatum assumptus, tanto felicius regnauit, quanto maiorem solicitudinem propagandæ fidei Christianæ adhibere curauit: quæ ad eius tempore, diuina clementia palam & mirabiliter cooperante, non parua incrementa suscepit. Accidit enim, eo præsente, totaq; populi multitudine circunstante, quod sacerdos omnium nomine sacrificia idolis offerens, repentina cæcitate percussus collaberetur: deinde postquam diu & frustra à cæcis idolis cæcitatis remedium postulasset, atq; in proprias ædes reductus sopori se tradidisset, ecce illa misericors misericordissimi Dei mater non dedignata est afflictum peccatorem, omni humana ope destitutum, uisitare, consolari, & de mysterijs sanctissimæ fidei nostræ Christianę informare, Christiq; Apostolum ex impio malorum dęmonum nuntio suscitare. Inquit enim: Quia lumine intellectus, & rationis tuæ abusus, à Deo uero te ad dęmonum cultum conuertisti, iustè corporis tui oculis priuari meruisti. Igitur si corporis tui oculos recipere uolueris, crede in filium meum Iesum Christum, qui est Deus Christianorum, eiusq; fidem firmiter serua, & ab omnibus seruandam prædica. Credidit ille, & credendo usum oculorum perfectè recepit. Statimq; Christianæ religionis diligentissimus prædicator effectus, omnem in circuitu regionem peragrando, lumen ueræ fidei cordibus omnium incolarum infundere conabatur, ut & ipsi ab illa horrenda perfidę mentis cęcitate qua infeliciter tenebantur, liberati, lumen ad reuelationem gentium ab alto exortum aspicere mererentur. Nec deerat omnis salutis autor salutarem doctrinam fideliter annuntianti: Quippe breui tempore non paruus fidelium numerus in uineam Domini ab ipso cœlesti patrefamilias uocatus intrauit, ut uerum ostenderetur Christi uerbum: Messis quidem multa, operarij uero pauci. Quamuis enim nonnullę Christianorum reliquię à tempore Beronis Regis ad hęc tempora in Suetia permansissent; attamen petendi erant ex Bremensi

Metropolitano magis idonei doctores, qui uerbum Domini rectè tractare didicerant. Quocirca optimus Rex Ericus Stenchillus, missis solennibus legatis ab eodem Metropolitano, qui tunc erat Adagarius, aut eius successor, impetrauit ad se duos sanctissimos Pontifices in diuina lege doctissimos confestim emitti, uidelicet Adaluardum, & Stephanum: qui tanto honore à Rege & populo excepti fuerunt, ut ab hominibus maiorem assequi nequiuissent. Prædicabant Christi Euangelium continuè & diligenter, crescebat quotidie cum magno fructu diuini uerbi plantatio, baptizabatur magna populi multitudo, tantusque omnium ardor ad baptismum erat, ut euolutis paucis diebus nulli, aut paucissimi incolæ in uniuersa ciuitate Birchensi (quæ tunc frequentissima erat) inuenirentur, qui Christianæ militiæ ascripti non essent, quemadmodum in historia Pontificum Vpsalensium diffusius ostendere curaui. Sed non deerant illi pessimo humani generis inimico suæ solitæ artes, per quas tam ipsi optimo Regi Erico Stenchillo, quàm etiam sanctissimis Pontificibus grauissimas persecutiones, & insuperabilia pericula passim ab incolis regni suscitaret, præsertim illis, qui de sanguinis nobilitate magis, quàm de uirtute gloriabantur. Hi enim uidentes Christi legem suis operibus contrariam, cœperunt eius assertores primo occultè, deinde palam apud simplicem & ignarum populum, multis calumnijs atque improperijs afficere, ita ut Rex ipse una cum Pontificibus publico uulgi clamore ad interitum peteretur, quasi non esset ueri Dei cultor, sed nouorum dæmoniorum annuntiator: tantumque uesani populi furor à proceribus excitatus inualuit, ut Christiani Pontifices comprehensi, & uirgis cæsi, ac plurimis iniurijs affecti, ex Vpsala ad Bircham duorum dierum itinere redire compellerentur, cum interim Rex nunc huc, nunc illuc fugitando latebras captaret, nolens manus suas sanguine ciuium contaminare. Tandem postquam multos labores, & pericula pro augendo Christi cultu sustinuerat, ab ingratis ciuibus, & malignis proceribus impugnatus trucidatur.

De pacifica gubernatione bonorum Principum & periculo malignorum.

CAP. XLII.

ETsi nonnunquam boni Principes ob demeritia subditorum (quorum maximè interest, ut diutius uiuant) Deo permittente, è medio subtrahuntur, imò & filij eorum præmatura morte, ut parentes in alio seculo excipiant, rapiuntur: tamen ea felicitas Aquilonaribus indigenis obuenerat, ut gubernantibus pijssimis Principibus (quod rarius profectò acciderat) omnium securitas, atque pacis, & rerum opulentia abundaret: idque obuenerat ob causas superius lib. 8. cap. 4. de qualitate boni Regis allegatas. Insuper hic additur, quòd diutius, tranquillius, & securius multò præesse, ac prodesse solent, quando se (salua Regia honestate) amabiles humanos, clementes, affabiles, largos, atque munificos apud omnes, maximè desolatos, & quauis humana ope destitutos, exhibent: (unde populi fauor, & Principis honor accrescet) quam è contrario, quando omnibus sese minaces, & horrendos præbent. Seueritas namque, & austeritas, molestia, & subditorum multatio, & innocentum oppressio facit, ut Principes nimia elatione illusi, ad eam obstinatiam deueniant, ut pace contempta, sanisque consilijs spretis, fiant pertinaces in proposito, stupidi in iudicio, mente incorrigibiles, auaritia insatiabiles, tributis imponendis intolerabiles, alienæ quietis turbatores, duri, torui, immites, inflexibiles, inexorabiles, & omnigena uitiorum caterua repleti, neminem etiam animo ferentes. Tunc euenire solet, ut subditi ad libertatem respicientes, ea remedia, uel secreta, uel publica conspiratione cogitent, quæ nunquàm permittunt tam impium, & insolentem diutius gubernare. Cuius rei exempla, quia in recenti historia Gothorum & Sueonum, imò in alijs multis autoribus plurima, ac horrenda notata sunt, ex eis, si libet, requirantur: inueniturque, quòd corripi merentur, ut humani generis hostes.

Quum

Quum hic de pacifica gubernatione bonorum Principum agat Olaus, uisum fuit eius rei unum aut alterum exemplum ex historia Ioannis apponere, quorum primum sumptum est ex hist. Ioan. Mag. lib. 4.

Gotharus in locum patrui sui Tordonis communi Sueonum Gothorumq; consensu in Regem electus, præcipuam curam adhibebat, ut procerum à quibus in regni solium sublimatus fuerat, & totius populi expectationi satisfacere posset. Sciuit enim se Regiam dignitatem super illum populum assumpsisse, qui enixius studere consueuit conseruandæ suæ libertati, atq; ad res arduas ac præclaras facilius duci, quam cogi posset: quēadmodum in hac nostra tempestate nostros Gothos affectos experimur. Quos si proprij Principes ad insolita onera, uel tributa, siue prælia cogere tentauerint, citius uitam, quam assem aut teruncium à coactis extorquebunt. Cæterum si placido sermone ipsos studuerint inclinare, nihil tam arduum aut difficile fuerit, quod nō parato ac prompto animo exequantur. Eodem quoq; modo se in omnibus uirtutum officijs præstare contendunt, summoperè cauentes, ne ex tristitia, aut necessitate benefacere uideantur. Proinde ualde necessarium fuerit, ut qui huic populo Princeps constituitur magnam prudentiam cum singulari eloquentia coniunctam habeat: alioquin non diu expectauit, donec Gothorum Sueonumq; animos ad rebellionem paratos experietur. Hunc populi sui morem Gotharus prudenter considerans, nullas leges aut constitutiones condere, aut præcipere uoluit, nisi procerum ac populorum consensu approbatas. Verum postquam legitima approbatio eos corroborasset, diligēter effecit, ne frustra conditæ putarentur. Præfectos uero suos, qui ipsius nomine & autoritate in populo præsidebant, non legum, aut consuetudinum terræ ignaros constituit, sed sapientes, quorum mens magis honori & gloriæ Regis, quam eius lucro & augendis opibus inclinaretur, quiq; scirent se liberis hominibus præsidere, non bestijs, neq; ad suam tantum, sed magis ad populi utilitatem institutos. Erat nimirum ea Sueonū ætas tam felix, ut nihil ab illo seculo, quod Poëtæ aureum uocant, distare crederetur. Quæ enim maior felicitas alicuius gentis esse poterit, quam habere Regem, qui se nouit Regem, & patriæ patrem, non tyrannum esse, eaq; omnia tum per se, tum per suos præfectos subiectis populis benignè assiduèq; præstare, quę pij ac indulgentes patres indigentibus filijs solicitè præstare consueuerunt? Alias si Principes ab ea Regia uirtute degenerantes, uim pro legibus, seueritatem pro clementia, tyrannidem pro paterno regimine in subiectos exercuerint, multo tutius erit ultra Sauromatas, & glacialem Oceanum confugere, uel ad sitientes Afros commigrare, aut latebras in deserto cum ursis, leonibus, tigridibus, serpentibus, scorpionibusq; eligere, quam cum agresti tyranno, qui in stultitia sua confidit commorari.

Igitur cum Gotharus tanta moderatione suis præesset, tam domi quam foris ab hostium insidijs atq; incursu liber, diu feliciterq; regnauit, donec à Danorum Rege Frothone Vegeto iniuriam non ferendam accepisset. Siquidem is Frotho Noruegiæ Regem Frogertum, alias Frogerum (cuius filiam hic Gotharus coniugem habebat) ad singulare certamen prouocatum, astutius quam honestius occidit. Cum enim lege duelli cautum esset, ne alter alterum extra circum pugnæ destinatum impeteret, Frotho maiorem uitæ suæ, quam honestæ legis rationem habens, postulat, ut Frogertus ante ingressum pugnę arma secū permutet. Quod cum Frogertus animo nobili & liberali annueret, atq; à se gladium armaq; permutandi causa abijceret, à Frothone Dano dolosè transuerberatur. Quam iniuriam Gotharus ulturus, pregrandem exercitum ex Gothis Suecisq; contractum, contra Frothonem in Daniam usq; deduxit. Sed nec animus, nec uires Frothoni, ut armis arma depelleret, defuerunt. Itaq; commisso acri prælio, fortuna primum Danorum partibus fauere uidebatur: sed cum Gotharus suorum animos in medio pugnæ feruore deficere aduertisset, commemoratis tum suis optimis meritis, tum hostis dolis, & perfidia, trepidantem exercitum à fuga reuocauit, uictoriamq; à Danorum manibus potenter prudenterq; extorquens, Frothonem superatum extinxit, nihil eum adiuuante magnitudine nominis, quo à suis fortis, uegetusq; appellatus est. Veruntamen ut deuictam Danicam gentem sibi benigniorem efficeret, filium Frothonis Danum nomine, pueriles annos uix egressum, regno præfecit, ne Danici regni maiestas potius ad extraneos translata, quam in sanguine & familia Frothonis cōtinuata uideretur. Hac insigni uictoria Gotharus illustris effectus, maximo Sueonū Gothorūq; gaudio in patriā reuersus excipitur. Sed quia (ut plerūq; fieri solet) ex priori bello sequēs bellū excitatum emersit, non est permissus diuturnā in patria quietem deducere. Quippe Saxonię principes

Danum Danorum Regem (quòd ob puerilem ætatem regno inhabilis uideretur) regno deijcere, aut ad tributa sibi pendenda cogere moliebantur. In qua necessitate Danus constitutus, auxilium à Gotharo per legatos implorat, ut quem regno præficiendum curauerat, etiam conseruare non omittat. Igitur Gotharus non minorem ex Suecis & Gothis exercitum ad hoc secundum, quàm ad primum bellum eduxit: tantaq; classis ex illis copijs, atque adiunctis Danorum nauibus emersit, ut pelagus ipsum longè lateq; bellica classe coopertum uideretur. Qua potentia Saxones non solum repressi, sed ad tributa Danis pendenda coacti fuere. Reliqua huius Gothari tempora satis tranquilla feliciaq; fuisse traduntur, affirmantibus historijs nostris ipsum post longam senectutem apud Vpsalam metropolim in Regum monumentis collocatum.

Alterum nobis suppeditat Ericus, atq; Ioannes, 128. & 129. Reges interni: ex historia Ioan. Mag. libro 19.

Ericus Canuti Regis filius, ab exilio Noruegiano reuocatus, atq; in regna Suetiæ & Gothiæ, concordibus procerum, populorumq; suffragijs sublimatus, primam curam restituendæ Reipub. Christianæ, quæ nuper ciuilium bellorum turbine non parum concussa fuerat, adhibiturus, uenerabilem Pontificem Vpsalensem Valerium, non secus ac patrem, à quo Christo generaretur, in omnibus audiuit, eiusq; salutaria monita piè, ac diligenter amplexus, ab omni populo diligentissimè obseruari præcepit. Quamobrem septem illi anni, quibus Gothia & Suetia his duobus luminibus illustrata fuit, tam felices & tranquilli, ac omnium necessariarum rerum affluentia beati fuisse prædicantur, ut uix unquam diuina misericordia liberalior in illas terras fuisse credatur. Quæ enim est felicitas, quam Deus unquam negaturus sit populo suo, qui syncera fide illi Regi paret, qui summum omnium Regem fideli obsequio ueneratur? Preterea hic optimus Rex ab eodem sancto Pontifice Valerio persuasus, magnum inimicorum numerum, qui in necem fratrum eius cum Suerchero consenserant, in gratiam & amicitiam excepit, nulli ad uindictam imputans, quæ etiam potuissent iusta seueritate puniri. Eodemq; Pontifice autore, nullos præfectos, siue terrarum præsides, prouincijs administrandis adhibere uolebat, nisi qui magis commodo subditorum, quàm implendo Regio fisco inuigilarent, haberentq; eam rerum experientiam, qua possent ignaram plebem, & regnicolas de rebus gerendis instruere, utpote quomodo ædes utiliores extruerent, quomodo prata extenderent, noualia serendis frumentis aptiora redderent, agrorum fertilitatem conseruarent, quomodo piscatu, uenatuq;, & alijs quibuscunq; commoditatibus feliciores euaderent. Indignum quippe uisum est tam Regi serenissimo, quàm Pontifici prudentissimo, ut illi præfecti Regij constituerentur, qui nullis prorsus rebus, quàm emungendis pecunijs idonei essent, cum utiq; postrema in quocunq; bono Rege esse debeat pecuniarum cura: quam si primam habuerit, nihil omnino reliquum in eo erit, quo subiectis populis de suo principatu bonam spem polliceatur. Cæterum hic Ericus in insula Visingiana (quæ in uastissimo lacu Vether uersus Gothos Australes extenditur) continuam mansionem complexus, Gothos in fide & obsequio continebat, cum interim Valerius Archiepiscopus Vpsalensis apud Sueones, ne aliquem tumultum molirētur, diligentius prouideret. Erat hic Ericus Danorum Regis Valdemari gener. Ducta siquidem eius filia Richesa, genuit ex ea filium Ericum Balbum, postea Regem, & Ingeburgem, ex qua dux Ostrogothorum Birgerus (ut nonnullæ historiæ testantur) duos filios, Valdemarum & Magnum, successiuè Reges (de quibus postea dicemus) procreauit. Nec diu permissa est Suetia tam benigno huius Regis Erici præsidio gubernari. Octauo enim regni sui anno uitam hanc mortalem egressus, sepulturam in paterno monumento, in monasterio Varnhem apud Vestrogothos assecutus est, circa annos à Christo nato M. CC. XVI. Nec longè post Regina Richesa desiderio optimi mariti tabefacta, fatali necessitati succumbens expirauit. Credendumq; est, integerrimum Pontificem Valerium incurabilem animi ægritudinem ex morte amicissimi Regis contraxisse. Quippe pauco annorum numero post eius fata euoluto, uitam transitoriam sempiterna felicitate (ut piè credimus) commutauit.

Ioannes præmortui Suercheri Regis filius, tam procerum, quàm populorum consensu, ad utriusq; regni sceptra, sublato è uiuis Erico, sublimatur: dictusq; est, ob defectum ætatis, Ioannes Iuuenis, siue ab innata pietate Pius. Erat namq; benignissimæ indolis, spemq; de se maximam, & optimam toti regno polliceri uidebatur. Cum enim sub tutoribus ageret, nihil, quod ab eis uetabatur, facere audebat: maximè autē sapientissimo Archiepiscopo Vpsalensi Olauo obediuit, eiusq; consilia, perinde ac unici patris præcepta, uenerabundus impleuit:

rit: cui etiam maximarum, & difficillimarum causarum in suis regnis emergentium examinationem, decisionemque permisit, nihil dubitans, quin is, qui in diuina lege, & Christianis moribus esset instructissimus, de humanis etiam causis, & cõtrouersijs, certius sapientiusque iudicare posset, & uellet. Ita tenerae aetatis Princeps prudentiam, quam ex se nec praestare, nec polliceri poterat, alieno pectori prudentius erutam, sapienter subditis populis accommodauit. Attamen temporibus huius Ioannis, inceperunt nonnulli proceres Vestrogothorum negotium facere suo Episcopo Scarensi Benedicto, de praedijs ecclesiasticis: summaque eorum intentio eò intendere uidebatur, quò Christianum sacerdotium humilius efficerent, quàm olim erant sacerdotes Iudaeorum, qui suas possessiones, & colonos ab omni Principum onere liberos, & sibi solis, ac suae iurisdictioni diuino iure subiectos habebant. Cauebantque uehementer Iudaei, ne ipsam suorum sacerdotum libertatem à Deo institutam, in aliquo uiolarent, scientes seueram Dei ultionem diuinae legis transgressoribus continuo praeparatam. At praefato Vestrogothorum Pontifici Benedicto ea diuini iuris sanctio suffragari nequiuit, nisi Regio sigillo confirmata fuisset. Quod quàm praeposterum fuerit, alij prudentius attendant, qui nouerunt Regum iura diuinis legibus non praeponenda esse, sed per eas dirigenda: cuius oppositum nunquam sine publica omnium incolarnm pernicie euenire consueuit. Sed haec est malignorum, aut ignauorum procerum consuetudo, ut cum uideant rerum summam uel ad pueros, uel ad imprudentes praesides deuolutam, mox sibi, quicquid libet, idem etiam licere putent. Proinde nimis infelix est regnum, cuius Rex puer est, & cuius Principes magis lucra, quàm honestatem sectari didicerunt. Sed euenit huic adolescenti Regi Ioanni, quod in sacris literis dicitur: Raptus est, ne malicia mutaret intellectum eius. Quippe anno quarto, postquàm regnare, uel regium nomen portare coepisset, praematuro fato in insula Visingiana sublatus, publicum & maximum dolorem toti patriae incussit. Sepultus in monasterio Aluastra, anno Christi M. CC. XXII. non longè à patris, & aui sui monumentis.

De eodem ex literis sacris.

CAP. XLIII.

Neque incongruè huic loco testimonium afferunt sacrae literae, praesertim Deuteron. 28. super benedictionibus bonorum, & maledictionibus reproborum applicandae. Ibi etenim Dominus legitimè certantibus, praeter alia infinita bona pollicetur, & praestat uictoriam contra hostes: ut cum per unam uiam uenerint, per septem fugient à facie persequentis. Demumque bonis promittitur in eadem scriptura, quòd eos constituet in caput, & non in caudam: & erunt semper suprà, & non subter. Contra malos uerò ingredientes & egredientes, mittet Dominus famem, & esuriem, & increpationem, donec conterat, & perdat eos uelociter, propter adinuentiones suas pessimas, in quibus relinquunt Dominum: qui etiam adiunget eis pestilentiam, donec consumat eos. Praetereà percutiet eos febri, frigore, ardore, & aestu, & aëre corrupto, ac rubigine, & persequetur, donec pereant, &c. Tradet eos Dominus corruentes ante hostes suos: per unam uiam egredientur contra eos, & per septem fugient, & dispergentur, per omnia regna terrae: eritque cadauer eorum in escam cunctis uolatilibus coeli, & bestijs terrae, & non erit, qui abigat. Percutiet eos Dominus ulcere Aegypti, & partem corporis, per quam stercora digeruntur: scabie quoque, & purigine, ita ut curari nequeant. Percutiet eos Dominus amentia, & caecitate, ac furore mentis, & palpabunt in meridie, sicut palpare solet caecus in tenebris: omni tempore calumniam sufferent, & opprimentur uiolentia, & non erit, qui liberet eos, &c. Praetereà percutiet eos Dominus ulcere pessimo in genubus, & in suris, sanarique non poterunt à planta pedis usque uerticem capitis, &c. Filios, & filias generabunt, & non fruentur eis, quoniam ducentur in captiuitatem, &c. Aduena, qui cum eis uersatur in terra, ascendet super eos, eritque sublimior, &c. Seruient inimico, quem mittet Dominus in fame, & siti, & nuditate, & omni penuria: & ponet iugum ferreum super ceruices eorum, donec eos conterat. Praetereà post multa adijcitur: Insuper & uniuersos languores, & plagas, quae non sunt scriptae in uolumine legis huius, inducet Dominus super eos, donec conterat eos: & remanebunt pauci numero, qui prius erant sicut

astra cœli præ multitudine, quoniam non audierunt uocem Domini Dei sui, &c. Dispergentur in terras alienas: habebunt cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore: timebunt nocte & die, & non credent uitæ suæ: uendentur inimicis suis in seruos, & ancillas, & non erit qui emat. Hæc, & similia terribilis, & gloriosi Dei uerba, quisq; aut Princeps, aut subditus, incessanter consyderet, euitet, paueat, & caueat, ne plagis his corripiatur, & hora qua non putat, ad iudicium perpetuò, nisi pœnitentia purgatus fuerit, condemnandus eripiatur.

De turpi fuga, & ludibrio eorundem sacrilegorum.

CAP. XLIIII.

QVocirca comminationibus huiusmodi diuino iure in sacrilegos, & alios Ecclesiæ persecutores obiectis, si à maligno proposito, & nefario opere (quia illicò non puniantur) cedere, aut ablata restituere noluerint, procul dubio experiri cogentur, ex talibus uiolentijs eorum principatum non posse subsistere, nec fastidita subditorum patientia fieri diuturniorem. Nam etsi oppresi coram aliquo terreno iudice (eodem forsan, uel fœdiori crimine consperso) rectam sententiam, & executionem consequi nequierant: tamen clamore in cœlum porrecto multiplicatur supplicium, ut grauius puniatur oppressor. Interim eò miserior Rex, aut Princeps esse dinoscitur, quò ab omnibus habetur odiosior, & à nemine de præcauendo periculo informatur: imò quia crudeles armigeri, uel peregrini milites, bona ciuium & incolarum, iussu uel conniuentia Principis absq; pretio deuorant, fugientibus ipsis regnicolis in exilium, impius ipse Rex, aut Princeps auarus, murorum & uacuarum ędium, non hominum sentiat se Regem, & rectorem: tamq; horrendum, & ludibriosum experietur spectaculum, ut siue remaneat, siue post alios in exilium properet, semper quod alijs uersuto ingenio, & feroci tormento præstiterat, longe amplius suæ personæ inferri uidebit, maximè à militibus peregrinis, & falsis domesticis: qui non Principi tantum, thesauroq; eius, mille hominum iniurijs quæsito, insidiantur: uerumetiam Regi inferunt mortem: cui maior succedet infamia, quàm nequitiosa præcesserat uita. Gaudium enim sacrilegi uti hypocritæ, instar puncti breuissimum erit: imò & stirps ipsa, ac soboles secutura (teste Plutarcho in libro de Institutione puerorum) quando ad altum fulcrum, id est sublimem torum deuenerit, tunc humana uarietate filij solent descendere ad infelicem sortem, &c. Sed multò magis, quando scelus parentum punitur in filijs filiorum, & generatione: atq; interim de formidine, pudore, uerecundia, atque periculo infligendæ sibi necis, ab aliquo parentum suorum crudelitate oppresso, & spoliato, securi haud erunt. Quo casu quàm acriter multi sint ubique perempti, nil opus est peramplius ostendere.

Cum non solum hic de sacrilegis, & etiam in genere Tyrannis agat Olaus, ac quam misera eos sors maneat, etiam huius rei aliquot exempla apponemus. Illustrabunt etiam hæc cap. 42. proximè præcedentis partem posteriorem, exemplum primum ex Ioan. Mag. lib. 2. in uita Botuildi.

Botuildus deinde Attili filius, siue (ut alij dicunt) nepos, trucidato per insidias Danorum parente, concordibus procerum & populorum suffragijs ad paterna sceptra utriusq; regni Gothiæ & Suetiæ sublimatus, Regiæ administrationis officia ita exequebatur, ut principiũ gloriosum, finis nimium molestus sequeretur. Tota enim Sueonum Respublica, quæ sibi per eius prudentiam omnia felicissima pollicebatur, ad irreparabilem ruinam delapsa, tantum ingemuit, & defecit, ut multorum prudentium procerum diligentia atque labore uix

tandem

tandem poterat post longa tempora in pristinæ libertatis uestigium restitui. Quamuis enim clarissimis animi & corporis dotibus ita instructus esset, ut non electus, sed natus ad Regiam dignitatem ab omnibus æstimaretur, tamen parum earum rerum præstare curauit, ob quas ad tantum fastigium assumptus erat. Bella quæ ab eius parente, & atauis, in longinquas terras, & malè meritos hostes extendi consueuerunt, hic in illustres ciues, & uiscera regni sui intulit. Prudentiam, qua in rebus gerendis præditus putabatur, sæpius ad ciuium perniciem, quàm salutem conuertit. Malignis consultoribus aures & animum nimis adhibuit: quorum peruersa suggestione ad eam infelicem sortem deductus est, ut primò in patria contemptibilis, deinde in propinquis terris & regnis contemptus, publico odio iustè insectandus haberetur. Interea cum ea summa infelicitate laboraret, ut neque à ciuibus, neque ab extraneis amaretur, incidit illi non leue prælium cum Hugulino Danorum Rege. Qui comperta ipsius domestica cum proprijs ciuibus controuersia, non parum exultauit, eam occasionem diu optatam tandem aduenisse, qua iniurias in regnum Daniæ à Suecis multo tempore illatas uindicare posset. Siquidem ad memoriam reuocauit, quomodo Dani ab Hothebroto Suetico Rege facti fuissent Sueonum tributarij, deinde ab eius filijs, Attilo atque Hothero multis grauibus prælijs, & non ferenda ignominia lacessiti, demum à Roderico funditore Rege Suetico sub iugum, & in seruitutem missi: nec parum æstimanda uidebatur illa bellorum tempestas, quam pridem huius Botuildi parens, uel patruus Attilus, regno Daniæ non una, sed geminata irruptione inuexit.

Quamobrem nequaquam ulterius differendam esse belli expeditionem, sed statim instructa militibus classe, bellum nauale in Suecos transferendum putauit. Ea Danici Regis machinatione intellecta, Botuildus suam gentem parum ad bella pro tyrãno uoluntariam, nauibus imponit, duosque nauarchos, Hemotum & Hegrimum eidem præfecit: qui etiam publicum omnium odium in se ob perniciosa consilia Regi subministrata prouocauerant. Igitur Dani nauale & acerrimum prælium aggressi, utrunque classis præfectum primo impetu superatum occiderunt. Quibus unà cum nonnullis alijs trucidatis, Sueci se animosius & pertinacius defendentes, in sua littora salui redierunt, optimè animati & contenti, non solum quia hostibus in pugna pares fuissent, sed quia suos domesticos tyrannos de omnibus ciuibus, & tota patria pessimè meritos, marinis belluis sepeliendos reliquissent: quos utinã & nunc omnes illi perditissimi consiliarij subsequerentur, qui aures Principum adulationibus, & mendacijs, milleque alijs fraudibus in perniciem innocentum seducunt. Profectò nunquam tot bella, tot seditiones, tot Regum ac regnorum euersiones audiremus, si lateribus Principum & Magistratuum illi fideles consiliarij assisterent, qui suaderent maiorem rationem iustitiæ atque honestatis habendam esse, quàm sordidi lucri auri & argenti. Quis enim dubitat quin is Botuildus tanta nobilitate illustris, animique & corporis dotibus conspicuus, prudentia & militari fortitudine nulli secundus, si pares suæ fortunæ ac maiestati consultores assecutus fuisset, nunc in numero clarissimorum Regum conscriptus, memoriam sui nominis, ac laudem haberet immortalem, qui modò ut libero, ita iusto hominum iudicio, sordidum auaritiæ mancipium, & fœdum omnis nequitiæ portentum nominatur, tam remotus iam ab omni uera laude, quàm propinquus, dum ueniret, esse uoluit malignorum hominum adulationi? Sed hæc quiescant.

Cum interim Dani considerarent ipsum Botuildũ adeò exiguo fauore domi subnixum, sæpe in Suetiam sese irrupturos comminabantur, ut subiectus populus tributis & exactionibus ab eo nimis oppressus, tandem se in libertatem uindicaret. Nec callidos hostes callidũ fefellit consilium. Siquidem dum Danis ab Occidua regni parte resistere parat, Ruteni Danis confœderati ab Oriente in Suecos impetum facientes, nõ solum infelici Regi, sed toti regno negocium difficile & periculosum effecerunt. Quibus angustijs dum Rex sese circumseptum cõsideraret, nec ei possibile esset, uno eodemque tempore domesticas sedare discordias, hostibusque potentissimis ab Oriente & Occidente insurgentibus occurrere, regnũ relinquere, & fuga salutem quærere cogitauit. Nec diu distulit, antequam conceptũ propositum effectui mancipaturus, sese in classem ad hoc paratã immitteret. Sed priusquã anchoris & uelis eleuatis uento se cõmitteret, quidam thesauri eius custos, sed prodigus, Regij honoris dilapidator Storblindus, in aures eius susurro ædito, quæsiuit, an alicuius rei in terra oblitus esset. Cui Rex nimis tardè sapiens respondit, Ego (inquiens) nimis diu oblitus fueram bonorum procerum meorum consilia audire, in quam obliuionem nisi incidissem, ego saluus in salua patria, quam nunc turbatam relinquere cogor, permanerem. Moxque erectis uelis se ad Curetes fugitiuo similis recepit: unde tandem pacato in melius regno reuersus est, & tunc sanioribus usus consilijs, multa conatus est in statum feliciorem reducere. Sed fatorum necessitati succumbens, prius in mortem concessit, quàm uidere potuit suam piam intentionem

tam

tam desideratum finem attigisse. Mortuus tandem non longè ab Vpsalia in Regum monumentis apud patruum Attilum collocatus est, relicto nepote Carolo: de quo infrà lib. quarto latior sermo à nobis extendetur.

Alterum tyrannidis exemplum & miseræ eius sortis, ut pateret uerum esse illud Poëtæ: Ad Generum Cereris sine cæde & sanguine pauci descendunt Reges & sicca morte tyranni: ex Ioan. Mag. lib. 8.

Ostanus post præmaturam Adeli patris sui mortem, Gothiæ & Suetiæ Rex surrogatur: qui longè minora præstitit, quàm patria ab eius fide atq; integritate expectauerat. Factus siquidem Rex ita suos consanguineos erigit, & magnificare contendit, ut omnes credere possent, ipsum non ob salutem regni & incolarum, sed solum ob suam, suorumq; gloriam & fastum, ad regni fastigium conscendisse. Quicquid usquam in prouentibus Regalibus erat, quod proceribus de Repub. bene meritis in feudum conferri consueuit, illud in nepotes, & sordidam eorum familiam erogandum erat. Præterea exactiones, tributa, grauamina populis imponebantur, ut publico omnium mœrore Regia illa generatio inclita fieret, & fœlix. Vbiq; inter Sueones & Gothos querelæ, doloresq;, ob inuectum tam tyrannicum principatum, at in curijs Regiorum consanguineorum, cantiones, tripudia, & omnia lætitiæ genera audiebantur, ut quiuis sapiens iustè dicere potuisset, tale regnum nihil aliud fuisse, quàm publicum latrocinium. Accidit interea Ostanum cum suis contribulibus à Suetia in Gothiam ob nonnulla regni negotia descendere: in quo quidem transitu, quædam nobilium generatio circa oppidum Nicopense Regis aduentum obsequiosius & studiosius, quoad fieri poterat, excepit, omniaq; humanitatis studia, quibus putabat rigorem animi eius emolliri posse, adhibere curauit. Sed ingratum erat, quicquid ingrato præstabatur. Quocirca nobiles illi uidētes se, & omnia obsequia sua in oculis tyranni sordere, simulq; aduertentes ipsum ob inciuiles mores, & crudelia facinora, in conspectu totius patriæ, omniumq; incolarum uilipendi, atq; in summo omnium odio uersari, obseruato idoneo tempore, ipsum unà cum eius intolerabili progenie, & nequissima familia, somno uinoq; sepultum, immisso igne (sicut pessimè meritus erat) combusserunt, plaudentibus cunctis bonis, illud horrēdum monstrum de medio sublatum, quod potius super belluas & feras in desertis nemoribus, quàm super liberos homines imperium habuisset: eiusq; cineres ad perennem ignominiam in p[illegible]terfluentem torrentem iniecti fuere. Deinde illis nobilibus, qui tam nobile tyrannicidium peregerant, decreta est publica laus, & honor sempiternus.

Ingemarus improbissimi patris Ostani optimus filius, cognomento Canutus, quia sepe conabatur paternos mores suis consilijs immutare, palamq; ostendebat omnem patris tyrannidem sibi uehementer displicere, noluerunt illi generosi patriæ liberatores, eius innocentiam cum scelerato tyranno igne consumere, sed operam exhibere, ut procul à Rege atq; eius familia locatus saluaretur. Nec illud insigne beneficium in eum contulisse contenti, effecerunt etiam in publicis regni comitijs, in quibus de restituenda regni libertate agebatur, ut communi procerum populorumq; consensu in Regem assumeretur. Factus igitur Rex, tantum se in omnium uirtutum officijs exercebat, quantum pater in omnium uitiorum sordibus inquinatus apparebat. Militaris disciplinæ negotia ita ad pristinum usum & gloriam reducebat, ut iuuentus, quæ sub corruptis Ostani temporibus à strenuitate & fortitudine maiorum defecerat, nunc ad capessendam uirtutem prouocata, egregijs militiæ operibus præteriti temporis negligentiam aboleret. Pacatis enim domi & in patria omnibus Reipub. partibus, conscriptisq; fortissimorum militum copijs, traiecit in Russiam: quam commisso leui & incruento prælio, ad deditionem haud difficulter adegit. Russi enim non tantum ad eius potentem militiam, quantum ad eius famæ bonitatem respicientes, promisso tolerabili tributo, gaudebant se in eius societatem & confœderationem deuenisse. Deinde se ad Liuones & Curetes conuertens, pari industria uictoriam assecutus est. His peractis, cogitabat domesticæ quieti ad aliquot annos indulgere. Quibus euolutis, militiam suam in Hyberniam, Scotiam, Britanniam eduxit, bellaq; & plures insultus in illas insulas fecit: uerum etiam an uictor, uel uictus euaserit, plenè ex historijs, quas sequor, non inuenio. Postremò optimè paratam & armatā classem in Danos conuertens, eos post cōmissam acerrimam pugnam in deditionem suscepit. Quibus superatis, quū sibi minus prouideret, atq; in insula Balthici maris (quam Longam uocant) quasi securus uersaretur, Danorum perfidia & insidijs impetitus occubuit.

Tertium

Tertium exemplum itidem ex lib. 8. hist. Ioan. Mag. in uita Gostagi uel Ostani 90. Regis interni.

Gostagus post fata Algothi in regnorum administratione successit, iusto iniustissimus, proboq; reprobissimus, & agrestis tyrannus. Hic enim quamuis à principio Ostanus dictus esset, attamen ob tyrannidis magnitudinem Gostagi nomen obtinuit. Gostagus siquidem bonorum, siue prædiorum raptorem, lingua Gothica exprimere uidetur: quod utiq; nulli unquam tyranno iustius poterat adaptari, quàm huic sceleratissimo homini: qui ut erat à sanguine Regio remotus, ita quoque ab omni uirtute & honore remotissimum sese omni tempore ostendebat. Filius hic erat cuiusdam nobilis uiri ignoti nominis, qui ab omnibus adeò ridiculus æstimatus erat, ut eo loquente, siue ignauiter balbutiente, cuncti qui aderãt, immodico ora risu laxarent. Mater quoq; eius Thorilla uni marito nupta, omnibus exposita erat. Quocirca ex talibus parentibus, quid aliud quàm tale omnium uitiorum portentum poterat generari? Duabus tamen potissimum causis, ad regnorum sceptra conscendit. Prima, quod suæ prauæ malignæq; naturæ uitia, per summam astutiam occultare sciret: altera, quòd regni proceribus in bello Rutenico, ut gentem illam post fata Algothi rebellantem subiugarent, occupatis, ipse plebeiæ multitudinis auxilio stipatus, tyrannidem nullo resistente arriperet: in qua adeò crudeliter, & auarè, atq; impiè præfuit, ut uix ullus ab origine rerum usq; ad eius tempora, cum tanta feritate liberis hominibus dominaretur. Nullius res secura: nulla legum obseruantia: nulla domus, siue possessio ab iniurijs libera: uitæ integritas, morum honestas, omnisq; iusti & æqui ratio, euersa Repub. sublata est: homicidia, adulteria, rapinæ, furta, omniaq; enormium scelerum genera, loco clarissimorum facinorum ducebantur. Quæ enim uirtus adesse, & quod flagitium deesse potest in illa Repub. cuius Rex publicus patriæ hostis efficitur, nihilq; ab infami latrone differre uidetur? quemadmodum hic Gostagus, qui ita ciuium fortunas inuasit, ut nullus eorum sciret quid suum esset, aut quamdiu rerum suarum dominus existeret. Consiliarios, & ministros sibi simillimos habebat, per quos suæ iniustitię insaniam passim & ubiq; exercens, omnibus ciuibus, qui opulentiores putabantur, insidiosos delatores excitauit. Eratq; omnibus cuiuscunq; sortis hominibus liberum, quoscunq; locupletes, etiam in Senatu regni constitutos, deferre. Nec facilis erat delatis uia euadendi, cum conficta crimina eosdem haberent iudices, & testes, quos tyrannus subornauerat delatores. Quo euenit, ut etiã domini à seruis coram eo delati, omnium fortunarum, & uitæ discrimen sustinerent. Eo namq; ingenio omnium ciuium fortunas confiscauit: putabantq; illi secum clementer agi, qui miseræ uitæ reliquias unà cum opibus non amiserunt. Nec quicquam ex tot tantisq; opibus in regni utilitatem impendit. Arces, castella, oppida, prædia, uillas, possessiones, quæ ad Regios prouentus spectabant, funditus desolari permisit: & dum uideret proceres, aut ciues domos, siue arces erigere, illiberali ioco ad suos consiliarios ait: Sinamus hos homines domos pro nobis parare, quas postea cum uoluerimus occupabimus.

Neq; sibi in gerendis bellis dissimilis erat. Quippe ijs ingruentibus, nihil ex illo immenso thesauro suo, pro suorum subditorum salute deperire passus, adeò intolerabilia tributa eis imponebat, ut prius uitam è ciuibus, quàm guttam sanguinis ex hostibus eliciturus uideretur: compertumq; erat ipsum prius mille ciues perdidisse, quàm unum hostem inuasisse. Enimuerò ut erat contra fideles subditos inexorabilis tyrannus, & leonis fortitudinem præ se ferre uidebatur: ita in hostes bellum gesturus, omni lepore timidior apparebat. Solebant ante eius tempora Reges Gothorum primas in acie partes agere, & se uiros ostendere, at ipse deserto exercitu in propinquas arbores, uel montes ascendens, belli euentum speculabatur. Sępe etiam ad pueros & calones, qui ob imbelliam retrorsum ad monticulos missi fuerant, inuentus est, dũ acerrimis animis bella cum hostibus agerẽtur. In expugnanda uerò matronarum, uirginũ, & illustrissimarum fœminarum pudicitia, nulli secundus habebatur. Vix enim ulla nox in toto anno præterijt, in qua adulterijs, stupris, incestuosis nuptijs, & fœdissimo concubitu abstinuerit. Quo etiam tempore, operto uultu inter latrones incedens, obuios quosq; occidere, uel uerberare, inter ioca ducebat: & ne quid eius enormi petulantię deesset, muliebri ueste indutus, effœminatum scurram sese ubique, & totis noctibus ostentabat. Sed hęc & alia grauiora eius facinora, quę sciens prudẽsq; prętereo, dissimulãda uidentur, partim ob ueri Dei ignorantiã, partim ob summam illorum temporum infelicitatem. Ethnicus enim erat, & illi infelici tempori reseruatus, quo spurcissimus Mahumetes suę uesanię doctrinam seducendis hominibus obtrusit: quam nec Sabianus Papa ob suam ignauiam, nec Imperator Phocas ob suam stupidam imprudentiam, auertere curauerunt.

Hactenus de Gostago: qui utinam nunquam fuisset ad tantũ patriæ nostræ opprobrium natus, nec ullos suorum scelerum imitatores habuisset. Tandem inuentus est aliquis optimæ spei uir, Arthus nomine, qui tantam patriæ calamitatem diutius non patiens, collecta populi multitudine, pessimè meritum Regem, & ab omnibus desertum comprehendit, ipsumq; confestim unà cum pessimis consiliarijs eius, perinde ac uilissimos latrones, laqueo consumpsit, atq; insepultos abiecit.

Vltimum exhibet Dignerus 66. Rex internus: ex Ioan. Mag. lib. 7. ubi lector egregiam comparationem habet boni Principis & Tyranni.

Dignerus deinde in Sueonum regno procerum populorumq; consensu, quamuis ætate prouectus sublimatur: quem quidam à Regio sanguine alienum, quidam uerò Osteni ex sorore nepotem affirmant: omnes tamẽ ipsum optimis moribus nobilissimum, atq; in rebus bene gerendis expertissimum fuisse consentiunt. Totum siquidem studium suum eò conuertit, quò ostenderet se maiorem curam de augenda & conseruanda Republica, quàm de sua propria assumpsisse: summeq; cauit, ne sui satellites quemcunq; contra iustitiam opprimerent, præfatus Regiam dignitatem, & Regios prouentus à subditis populis nulla alia ratione impendi, nisi ut eos in pace & tranquillitate defendat, atque conseruet: à quo officio quantum deficeret, tantum se à proprio honore separatum ostenderet, assequereturq; ex Regia sublimitate sempiternam infamiam, à qua immortalem gloriam consequi potuisset. Erāt huic Dignero contrarijssimi mores ad eos, quos eodem tempore habebat ille perditissimæ uitæ Visburus Gothorum Rex, cuius paulò antè meminimus. Erat ille sordidissimæ auaritiæ mancipium, plus perniciosa metalla, quàm pretiosam uirtutem æstimans: hic omnia ad liberalitatem, magnificentiamq;, & ad uirtutem officia referebat. Ille subditos ciues iniustis atq; intolerabilibus tributis onerabat, & tamen de continua rerum inopia querulabatur: hic de Regijs prouentibus, quos ueterum leges præscripserant, optimè contentus, sese in omnibus diuitem, & bene fortunatum ostendit. Ille publico omnium suorum odio laborans, uitam in omni momento miseram, & formidine plenam deducebat: hic ab omnibus perinde ac communis parens dilectus, iucunda & continua tranquillitate gaudebat. Ille tandem per proprios filios cum tota ignaua familia sua immisso latenter igne combustus, perpetuum sui nominis dedecus ad futura tempora transmisit: hic ad senectutem bonam post felicis beatæq; uitæ cursum perueniens, egregia & nunquam casura laude ab omnibus, & in omni æuo iustissimè meretur extolli. Igitur quò magis felices tunc fuere Sueones, eò infelicius mei Gothi suam aduersam sortem deplorantes, doluerunt se à uetustissima Sueonum societate imprudenti consilio diuulsos. Sed non erat æquè facile Rempub. in præcipitem casum corruere, & ab eo in pristinum statum reuocari. Quippe illud est temerariorum, quorum infinitus ubiq; est numerus: hoc autem est officium sapientum, qui nimis pauci in toto orbe terrarum reperiuntur.

De uiolatione cadauerum, & sepulchrorum.

CAP. XLV.

QVidam etiam mortuorum sepulchra, uel ob odium defunctorum, uel spem reperiendi thesauri, uel salnitri coquendi, truculenta sæuitia uiolantes, impium & infame nomen, etiam ad posteros propagandum, hæreditare solent. De primo, scilicet ob odium & inimicitiam, nimis recens, & abominabilis memoria est de Rege Christierno, eius nominis secundo, qui anno Domini M. D. XX. non contentus proditorum opera hostem suum Illustrissimum Sueonum ac Gothorum Principem Stenonem iuniorem, uicisse in prælio, nisi etiam cadauer eius cum posthumo (ut superius libro 8. cap. 39. de crudelitate eiusdem Christierni dictum est) nimia insolentia exhumasset. Satis enim erat inimicum uincere: uicto autem insultare, aut illudere, ab omni humanitate alienum erat: imò adhuc omni barbarie indignius, excisa membra, crura uidelicet, & brachia ignibus semiusta hincinde in terrorem prouincialium, ob talem pœnam rebellantium, transmittere. Militari quidem laude, quia hostem uicisset, gloriari poterat: sed cum illius cadauer more lanionum ita demembratum circumferri permit-

teret, nimis insolenter, ac turpiter æuo sempiterno sæuijsse perhibetur. Ita & Sylla crudelitate sua fœdissima (cui nõ satis fuit uiuis hostibus illudere, nisi mortuorum ossa è sepulchris canino more eruta, in flumen mergi iussisset) de Marij cadauere effecit, testamento cauens, ut ipse cremaretur, ne ab hostibus crudelius ludibrium pateretur. Ita Alexander Magnus non fecit: quia sicuti bello fuit terribilis, ita parta uictoria clementissimus semper extitit. Nam cum uidisset Darium à proprijs famulis interemptum, grauiter ingemuit, & Bessum illius percussorem crudeli supplicio affecit. Darij uerò corpus dempta sibijpsi Regia chlamyde, qua tũc indutus erat, ornauit, & ad illius matrem perferri iussit. Hannibal quoq; Marcelli fortissimi hostis, cadauer splendidè ornatũ cremari iussit, & reliquijs in argentea urna positis, auream coronam imposuit, curauitq; ut ad filium mitteretur. Antonius cadauer Bruti, quem uicerat, purpureo paludamẽto suo inuolui iussit, & illius cineres ad Seruiliam eius matrem, & ad uxorem Portiam perferri curauit. Ita & Agesilaus Rex: qui sicuti in bello fuit pugnator acerrimus, sic post mortem mitissimus est repertus: quod utiq; huic, & omnibus similibus, laudem fortitudinis, & clementiæ gloriam peperit, & perpetuam famam longè amplius accumulauit.

De eodem, quòd propter thesaurum aperiuntur sepulchra.

CAP. XLVI.

REfert Franciscus Patricius Senensis, Solonem inter præclaras leges suas statuisse, ne quis in defunctos maledicere auderet. Pium namq; esse dicebat, sanctos eos putare, qui è uita discesserũt: & eorum urnas uiolare, inexpiabilis religionis arbitratus est. Vnde Alexander Magnus Darij uictoria potitus, cum in Persas uenisset, Polymachum uirum nobilem, quòd Cyri sepulchrũ demolitus esset, necari iussit, motus præsertim Epigrammate Græcis literis sic inscripto: Quisq; mortalium, & unde ueneris, te enim ademptarũ, scio hac lege. Cyrus sum, qui Persis imperium armis quæsiui: hoc quodcunq; est, humi est, in quo corpus meum tegitur: noli me irridere. Hæc uerba Alexandri mentem commouerunt, ut instabilitatem fortunæ cognosceret, & manibus defuncti Regis ultione uiolati sepulchri impio sanguine parentaret. Quanti etiam faciunda sunt monumenta sepulchrorum, placido Epigrammate Semiramis Regina animi excellentissimi docuit: quę cum sibi sepulchrum non admirandi sumptus constituisset, inscribi iussit hæc uerba: Quicunq; Rex pecunijs indiget, aperto monumento, quod uoluerit, accipiat. Has literas cum legisset Darius, opinatus thesaurum abscõditum esse, sepulchri lapidem deleri iussit: quo reuoluto, literas alias uidit, ad hanc sententiam scriptas: Nisi Rex auarus esses, & pecuniæ insatiabilis, mortuorũ monumenta nõ uiolasses. Vrbana quidem irrisione auaritiæ crimen carpsit fœmina excellentissima, & Epigrammatum sepulchrorumq; nimiam diligentiam contempsit. Quid nunc dicerent patres, & aui in Septentrionalibus Ecclesijs ante secula sepulti? quorum cineres effossa humo, simili auaritiæ titulo sub specie salnitri coquendi, à nepotibus, & filijs commixti stercore pecorino, uel fœtida urina rapiuntur ad ollas: quibus cineribus ethnica barbaries, ut in terra permaneant, ignoscere solet. O caninam crudelitatem, ô rabidam amentiam & temeritatem, ô rem non uisu modò, sed dictu quoq; abhorrendam, è sacris locis sacros eruere cineres, ut ictibus, & globis adaptentur bombardarum. Meritò statueretur hîc, qui Pompeiopoli Syriæ est tumulus Strati poëtæ: in cuius monumentum iacti lapides, e uestigiò in iacientem resiliunt; diuino potius miraculo, quàm naturali aliqua ratione. Anthei etiam 70. cubitorum longitudine sepulchrum, Plutarcho referente, sacrum reputatur: cuius aliqua pars læsa nisi illicò reparetur, continua pluuia durat.

De modo Illuſtrium, ac Nobilium uirorum ſepulturæ tradendorum.
CAP. XLVII.



VTcunque autem erga Deum, & ſanctam religionem ſe habeat hæc præſumptuoſa impietas, & erga defunctos, imò ſuper uiuentes uiolata crudelitas: cuncti tamen id facientes, grande obſequium autumant ſe præſtare Deo, quando talem conſcientiam ſibimet (ſacra lege contempta) aſſumunt, ut nullum ſe opinentur ſacrilegium committere, dum omnia ſuis ad inuentionibus inſtituunt, & armata manu defendunt. Pro more tamen antiquo (hoc præſertim infelici tempore ſimulatè magis, quàm ſyncera religione & cærimonijs Eccleſiaſticis) hæredes, & agnati, uolentes funera illuſtrium, & nobilium uirorum tradere ſepulturæ, uirum totaliter armatum equo cataphracto impoſitum, longoq́ Eccleſiaſticarum perſonarum pręmiſſo ordine, funus honeſtiſsima lectica collocatum, præcedere iubent: cui & nudum enſem capulo uerſus cœlum leuato, in dextera manu, & clypeum, quo in prælijs cum inſignijs uſus eſt, dorſotenus ferendum aſsignant. Hæcq́ omnia ſacro loco, quo tumulatur, libera donatione cum aliquot prædijs permittunt hæredes: licet equus, enſis, & arma, iuſto interueniente pretio, illicò redimantur ab eiſdem, ſolo remanente clypeo in ornatiori loco Eccleſiarum: ut oſtendatur talem, tamq́ inſignem uirum clariſsima ſtirpe fuiſſe productum, & pro honore Dei, ac iuſtitia fideliter pugnauiſſe, ac bona Eccleſiæ contributa, ſua propria ſponte, & liberalitate, diuinis ſeruitijs perpetuo iure poſſidenda fuiſſe, & eſſe oblata: ea etiam conditione, & cauſa, ut ſtirps inde naſcitura clarum teſtimonium ſortiatur à diuino loco, quàm illuſtris, & nobilis hæc familia fuerit, quæ poſt clariſsima geſta ſua funus, & inſignia, ac memoriam commiſerit Eccleſiaſticę cuſtodiæ, & eius ſuffragijs ſempiterno tempore duraturis.

De qualitate ſepulchrorum, & teſtimonio tranſactæ uitæ.
CAP. XLVIII.

PRouidendum tamen erit Principibus, ac nobilibus funebri pompa ad tumulum efferendis, ut potius pro iuſtitia, clementia, & liberalitate uniuerſali planctu, & aſsiduis precibus perpetuè uicturi commendentur Deo: quàm pro ſęuitia, rapina, & crudelitate, æternis ſupplicijs corripiendi, omnium execratione offerantur diuinæ ultioni. Nec uana oſtentatione glorientur in excellentibus præparatis aut pręparandis ſepulturis: quia uitę præcedentis acta, ſpoliorum & tyrannidis teſtimonia ſunt, non autem uirtutis, aut probitatis in quolibet heroico uiro requiſitę. Dicent quidem prætereuntes, qui doloſis artibus ſepultorum lucrati ſunt opulentias pretioſas, quod magnifica, ſumptuoſaq́ ſit hæc ſtructura: ſed rurſus alios atteſtari audient, hanc cum iniuria pauperum, & mille innocentum oppreſsionibus fuiſſe, & eſſe elaboratam: ac non multo inde tempore uel hoſtili furore, uel temporum edacitate uidebitur defectura: ubi euidentibus doctorum hominum ſcripturis, quàm commoda, uel pernicioſa uita ibidem ſepultorum fuerat, perpetuò exemplo oſtendetur. Fruſtra quidem putat ſe quiſquam ſui nominis memoriam beneficio pretioſi lapidis, aut ſtructuræ mar-

moreæ

more ex propagaturum, si nihil in uita, gloria, honore, & memoratu dignum gessit aut scripsit. Sunt etiam pleriq; non improuidi iudicij Reges & Principes: qui cum gloriosè regnauerint, solent posteris suis hanc curam relinquere sepulchrorum condendorum, qui iure naturæ eiusmodi pietatis officia præstare teneantur. Satis enim eis, dum uixerint, suffecisse uidetur ea egisse, quæ secundum uirtutem sunt, & perpetuam posteritatis laudem meruerunt. Nec incongruè huic loco annecti poßit, quomodo anno Domini M.C.XCIII. referente Vincentio in spe. hist. lib. 29. cap. 54. Salabadinus moriturus, uocato uexillifero dixit: Tu, qui soles ferre uexilla mea per bella, fer uexillum mortis meæ, scilicet panniculum uilem per totam Damascum super lancea, clamitando: Ecce Rex Orientis moriens non fert secum nisi hoc pallium uile. Et sic mortuus est.

De quibusdam optimis Principibus, subditorum humeris ad sepulchra Regum deportatis.

CAP. XLIX.

ACcidit preterea nonnunquàm, ut Principes non culpa sua, sed populorum (quorum magis, ut diutius uiuerent, intererat) ab æterno iudice immatura morte rapiantur. Illoq; casu eò luctuosior eorum æstimatur interitus, quo floridiori ætate, et acriori imminente prelio corripi uideantur. Taliq; modo, ut uita eorum uisa est benignior, ac æquior: ita & maioribus obsequijs, & longioribus terrarum spatijs eorum funera ad Regias sepulturas, seu monumenta, in humeris clarorum hominum, certatim ex diuersis prouincijs confluentium, deportantur: prout in historia sua meminit charißimus frater meus Io. Archiepiscopus Vpsalensis lib. 10. cap. 9. de Rege Magno cognomēto Ladalaas, quia omnia horrea sine clausura, sua iustitia, & pace tutatus est: quem subditi ab insula Visingiana itinere 12. dierum ad Stocholmiam ciuitatem Regiam publico patriæ luctu, presertim eorum, qui innocenter uiuere uolebant, quorum ipse inexpugnabile scutum erat, portabant. Nec deerant magno numero proceres: qui tam memorabile funus prosecuti fatebantur, se patrem, non Regem sepulturæ commendare. Eadem etiam fidelitas cuidam strenuo nobili, Bryntoni Bertelson dicto, M.D.X. ab animosa uxore exhibita fuit: quæ eum à prælio Schoningiano itinere 7. dierum in terram Vestrogothorum mortuum ab hostibus impetratum, tam opera filiorum, quàm subditorum reportari curauit. Ab hac quoque pietate, non discrepat insignis historicus Laurentius Valla: qui in fine historiarum optimi Regis Aragoniæ Ferdinandi refert, (de cuius indicibili bonitate lib. 8. cap. 4. plura bona narrata sunt) quod 30. millibus passuum & amplius, ad locum sepulturæ portatus sit, atq; in templo sanctæ Mariæ, quam intimè dilexit, sepultus: & hoc, quia catholicus, & religionis, ac omnium bonorum amator in uita fuit: alioquin proceres forsan minus pro eius funere soliciti fuissent tam insigniter honorando. Nouerunt enim Paulum Diaconum lib. 6. cap. 34. audacter, & rectè asserere, statuto Romanorum semper obseruatum fuisse, quòd nec funus, nec arma, nec effigies, nec memoria alicuius hæretici in Ecclesia Dei haberi, aut tolerari debeat, ut superius eodem lib. cap. 38. reperitur inductum. Et esto quòd inuidia malignorum, statuę, arma & clypei bonorum Principum, non permittantur in Ecclesiis, uel publicis locis honorari, parum referre uidetur: quia eorum uirtutes, & præclara gesta, in historias forsan redacta, nunquam aboleri poterunt, aut coram Deo amittere retributionem. Nihil tamen turpius est, quàm insolentia uictoriæ, euertere statuas heroum clarißimorum: quorum etiam subditi propter constantiam nequaquàm arguendi sunt, sed commendandi. Sic & ego aßidua meditatione animo repeto gloriosam memoriam reuerendißimi ac Illustrißimi D. Antonij Fabiani de Monte, S. R. E. Episcopi Card. Portuensis: qui ultimo ætatis suæ anno, mira benignitate fratrem

meum Io. Magnum Gothum Archiepiscopum Vpsalensem, & me, pro fide Catholica ab hæreticis è patria expulsos, Romam uenientes collegit, fouit, iuuit, atque omni humanitatis officio consolatus est: unde et intellecta causa nostri ad Vrbem accessus, nempe pro sola Orthodoxa fide, & unitate S. Se. Ap. in partibus Aquilonis restauranda, dixit nobis: Vos estis boni uiri, sed pauperes exules: ideò uos iuuabo in omni consolatione assequenda, ut nunquàm pœniteat hanc almam Vrbem in tam pia causa accessisse. Verum dum hæc, & similia, nedum in nos, sed & in omnes afflictos misericordem gerens animum, meditaretur afferre: ecce cœlestis magister adest, & uocat eum de terrena legatione Vmbrię, ad lucem claritatis æternæ: quam meruit splendore transactæ ætatis suę: in qua multos erudiuit in uerbo sicut & præfuit in exemplo. Nec mirum: quia Romanarum rerum fuit gnarus, & miris uirtutum meritis insignitus, uir certè clarissimus genere, pijssimus fide, tenacissimus iustitiæ, & largissimus pauperum alumnus, imò prudentia, sagacitate, & clementia nulli secundus: munificus in benemeritos, grauis in bilingues, seuerus in lasciuos, patiēs aduersus inimicos, nō sua, sed aliena suspicione excitatos: ideò nunquàm præceps in uindictam, sed ad iniurias generoso animo facilimè obliuioni tradendas affectus. Denique omnia opera sua in charitate inchoabat, & in summa mansuetudine consummabat. In eleemosynis (ut Paulus Diaco. Longob. histo. de Constantino Magno asserit) promptus, in iudicijs iustus, & in iudicando cautissimus: nullum despiciens, sed omnes diligens, ipse quoque dilectus à cunctis Ideoque cum ab Vrbe in Montem aureum tumulandus efferretur, ab infinita turba (planctu, gemituque plena) auditum est: Hic est uir misericordiæ, cuius iustitia obliuionem non accipiet. Hic fuit oculus cæco, & pes claudo, pater pauperum, & omnium mœrentium infatigabilis consolator: quia ab infantia miseratio creuit cum illo: cuius etiam ostium uiatori patuit, & peregrino, prout & ego in ueritate comperi. Quotiescunque enim in causis pijs (pręter quas nil unquam petere habui) domum eius accessi, toties mirifica consolatione repletus abscessi multiplices gratias Domino referēs, quod adiutorem bonę mentis & operum, eius instinctu obtinere meruerim, pręcipuè tantum uirum, & magnum amicum Dei: in quo felicissimo æuo, & gloria sempiterna posteritas lætetur. De Magno Ladalao suprà lib. 15. cap. 19.

De Medicis, & Medicinis.
CAP. L.



Laudantur fideles causidici, & aduocati periti, cum magna atque ardua negotia defenderint singulorum: sed multò gloriosiores habentur, qui artis excellentia nouerunt expellere, quod mortem uidebatur inferre, & salutem reddere sub morbo periclitanti, de qua coactus fuerat uehemēti cruciatu desperare. Ars hæc celebris est, quæ in homine plus inuenit, quàm in seipso cognoscit: periclitantia confirmat, quassata corroborat, & futurorum præscia dolorem extinguit, uel mitigat, ne causa succrescens incurabilius inueniat nutrimentum. Propterea inter utilissimas artes, quas ad sustentandū humanę fragilitatis domiciliū, & indigentiā diuina tribuerūt, nulla pręstare uidetur aliquid simile, quàm quod potest auxiliaris medicina conferre. Ipsa enim morbo periclitantibus materna gratia semper assistit, ipsa cōtra dolores pro humana imbecillitate confligit, et ibi eā subleuare nititur, ubi nullę diuitię, nulla dignitas poterit subuenire.

Obscura

Obſcura nimis eſt hominum ſalus, temperies ex contrarijs humoribus conſtans: ubi quicquid horum excreuerit, ad infirmitatem celeri mutatione corpus adducit. Hinc eſt, quod ſicut aptis cibis ualetudo feſſa reficitur, ſic uenenum eſt, quod incompetenter accipitur. Non enim caſu, uel uaga hominum uoluptate ægris ſuccurritur, ſed certiſsimis regulis prudenti ueterum examine approbatis: & his ſecurius ſe credunt, qui cunctas ægritudinum rationes agnoſcunt: quibus potius, certiusq́ cura ſalutis, etiam ſuſpectis credenda eſt, quàm trepidare in acceſſu præſentiſsimæ mortis. Imò medendi peritus inuitum frequenter ſanat ægrotum: dum uoluntas recta in grauibus paſsionibus non eſt, ſed potius illud appetitur, quod ſalutis iudice grauare poſſe ſentitur. Vnum tamen ſine exceptione formidare uidetur infelix æger, ut cum ſemel à malo, & inexperto medico, uel potius circulatore deceptus ſit, omnes putat etiam prudentiſsimos fore fallaces. Quod euenit, ut in Septentrionalibus regnis rariſsimi medici, qui fidelem curam languidis adhibeant, reperiantur: non quòd de arte, uel experientia bene curandi addubitent, ſed indiſciplinato regimine curandorum: nec quod herbæ Aquilonares (teſte Plinio lib. 27. in fine) cæteris omnibus efficaciores ibi non creſcant, ſed ſi plures adhiberentur medici uarietate conſiliorum, ac contrarietate medicinarum, periclitaretur infirmus. Etiam alia cauſa cæteris ualidior eſt, quòd aromata, ſeu medicæ res longo terrarum, mariumq́ circuitu, antequàm in remotas illas regiones perferantur, naturalem efficaciam, & uigorem, uel perdunt, uel lucri cauſa à portitoribus falſificatæ corrumpuntur.

De uarietate ægrotantium, morborum, & medicinarum.
CAP. LI.

CVm in illis regionibus duræ ſint qualitates elementorum, duræq́ complexiones hominum, maximè nobilium & magnatum, qui facili offenſa uiolant naturam, ut medici diligentia fruſtretur laude, & languidus ipſa ſanitate: propterea rariſsimi applicant ſe huic arti periculoſæ: ne fortè ob prædictos defectus & diſſolutum regimen, dum cupiant in alieno corpore curare languorem, in propria uita periclitari contingat. Et hæc phreneticorum gratitudo eſt, ut proprium curatorem interimant, ſicuti uiperini partus in diſſolutione materni uentris. Morbi autem Aquilonarium peculiares hi ſunt: Tuſsis, calculus, dentium oculorumq́ dolor, tormina inteſtinorum, febris, pituita, ſcabies, & Gallicus morbus, ac puerorum morbilli: peſtis etiam quo rarius uenit, eò ſeuerius interimit homines, in crapula præſertim infatuatos. Eſt & alius morbus caſtrenſis, qui uexat obſeſſos, & incluſos: talis ſcilicet, ut membra carnoſa ſtupiditate quadam denſata, & ſubcutaneo tabo, quaſi cera liqueſcens digitorum impreſsioni cedant: denteſq́ ueluti caſuros obſtupefacit: colores cutium candidos, ac cæruleos reddit: torporemq́ inducit cum nauſea capiendarum medicinarum: uocaturq́ uulgari lingua gentis Schoerbuch. Græcè Cachexia, forſitan à ſubcutanea mollitie putreſcente: quæ uidetur eſu ſalſorum ciborum, nec digeſtorum naſci, & frigida murorum exhalatione foueri. Sed uim tantam non habebit, ubi muri interius tabulis quorumcunque lignorum ſunt cooperti. Inſuper ſi diutius graſſatur iſte morbus, abſynthiaco potu continuato illum arcere, ſicuti & calculi radices, per decoctionem ueteris ceruiſiæ cum butyro epotæ, tollere ſolent: quæ paſsiones huiuſmodi calculi & renum, totaliter auferre, uel in magna parte alleuiare ſolent. Illi autem medici laudem maiorem aſſequuntur, qui ſimplicioribus medicinis utentes, frequentius languores curant. Nec ingrati ſunt genti, quando phyſicis adductis rationibus perſuadere norunt, ex coniugio ſenum uirorum & puellarum, gigni maſculos potius, quam fœmellas. Item qui inducunt ęgrotos uerbis ſolatioſis, ut amœnitatem

locorum uirentium,& garritum auium, imò & ranarum eligant,pro restauratione sanitatis. Sunt prætereà frequentissimi chirurgici in terris illis,eò quòd gens illa uix diem,uel horam sine conflictu præterire sinit.

De podagræ incommodis.
CAP. LII.

QVia hoc quoque malum solos magnates in Aquilone cruciandos detinet, nec ante subeundum sepulchrum fatigatos relinquit, uolui testimonium Cassiodori lib.10. Epistolarũ ex uerbis Theodahadi Gothorum Regis, adducere in hac forma: Hæc passio insanabilis,& sanitas passibilis,ligat solutos,contrahit neruos,& decrescere facit corpora,quæ nulla sunt mutilatione truncata. Constantibus membris proceritatis mensura perit,& minor cernitur, cui nihil subductum esse sentitur. Subtrahuntur superstiti ministeria membrorum: corpus uiuum est, nec mouetur,& inter insensibilia redactum,iam non proprio uoto, sed motu fertur alieno. Hæc uiua mors supra omnia tormenta sana dicitur:& melius habere fertur,qui euasisse causas tanti periculi non probatur. Deserit quidem dolor,sed dimittit reliquias fortiores,& nouo infelicitatis exemplo,passio uidetur abscedere,& æger non desinit ægrotare. Appendia ipsa cruciatis debitoribus aliquando soluuntur.Ista autem uincula sunt,quæ cum semel potuerint illigare captum,nesciunt in tota uita dissoluere.Infelicia signa relinquit abscedens,& more gentium barbararum hospitium corporis occupatum, suis iudicijs uiolenta defendit:ne ubi ferox ista cœpit succedere,aduersa illuc sanitas audeat fortassis intrare.Hoc licet omnibus uideatur esse contrarium,illis maximè, qui armorum exercitatione floruerunt:ne membra illa durissima languoris decoctione mollescant: & qui ab hoste foris superari minimè potuerunt, ab interna potius contrarietate uincantur.Graue est ergo uiro forti sic uiuere,ut nec mortem possit implere. Vtantur ergo aquis primum potu delinitorijs,deinde thermarum exhibitionibus siccatiuis: ubi meritò indomabilis ceruix illa passionis flectitur,quando interna plurima effusione mundantur,exteriora attractiua uirtute libera fuerint,& uelut duobus auxilijs congregatis in medium missa superantur. Amentur aquæ munera concessa diuinitus.Contra illam humani generis debellatricem, data sunt opportuna munimina lauacrorum: & quam non edomat iuge decennium,non mille potionum molliter introitus,uoluptuosis aquarum remedijs effugatur. Aquas uerò Bormias siccatiuas appellat hic autor,circa urbem Ticinum scaturientes.

De singulari remedio podagræ mitigandæ.
CAP. LIII.

NEque omittendum est hîc inserere,quomodo potentissimũs Princeps Suetiæ & Gothiæ,Suanto nomine, nimio cruciatu podagræ laborans, undequaq; remedia quæsita adhibuit. Sed nullum inter alia simplicia salubrius inuentum est,quàm quod à solatioso colloquio optimorum hominum accepit: qui eô fidelius, synceriusq; ei adhærebant, atq; omnia humanitatis officia exhibebant, quòd & ipse Princeps erat magnanimus,& liberalis, placidum uultum omnibus uocatis,uel casu occurrẽtibus ostendens.Is ad præliandum profecturus,ubi equo uectus, licet podagra pressus, procederet, signa alacritatis ore,& manu cunctis exercitibus præbuit:tantumq; eis impressit animum,ut ne unus quidem repertus esset,qui non illius heroicas,& Regias uirtutes admiraretur,facilimè mortem,uel quodcunq; grauissimum discrimen morte amarius,subire paratas. Erat enim de tota patria optimè meritus,natusq; ad res præclaras,ac magnificas,utpote qui animum excelsum,& Regium semper, & ubiq; præ se ferebat. Tota quoq; eius familia splen-

lia splen-



lia splendida, & bonis moribus ornata: quippe quemadmodum ipse morum grauitate pollebat, ita nullos effœminatæ leuitatis homines in suam familiaritatem admittebat: sed audaces, fortes, ualidos, & ex aliorum procerum curijs electos. Erat enim publico prouerbio receptum, quòd nullus in familiam Suantonis ascriberetur, qui securi in faciem cæsus conniueret. Erat præthereà in suos familiares adeò liberalis, ut sæpe uestes sibijpsi detraheret, & illis donaret. Plus enim in homines militares indulgens erat, quàm in seipsum: sæpeq; in largiendis stipendijs fiscum exinaniuit. Neq; enim ullam diuitiarum curam habebat, sed uirtutē, & gloriam sordidis diuitijs longè præferendo, potius fame perijsset, quàm ex incolarum iniurijs, aut Ecclesiarum, siue clericorum spolijs uictitasset: rectè existimans, Suetiam adeò opulentum regnum esse, ut eius Princeps satis magnificè uiuere possit, absq; eo quod cogatur rapinis, & sacrilegijs uitam infelicem, atq; infamem sustentare. Acerrimo etiam odio insectatus est detractores, & mendaces: quos nequidem è loco abscedere permisit, donec altera pars uocata se defenderet, & causa subornata puniretur. Prætereà rigidissimus in uerbis fuit, sed clementissimus in actione. Cultor diuini honoris maximus inter Principes sui æui semper est inuentus. Plura de hoc Suantone suprà lib. 9. cap. 21. pag. 363.

LIBRI XVI. FINIS.

OLAI MAGNI GOTHI ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS DE ANIMALIBVS domesticis

LIBER XVII.

PRAEFATIO.



ANIMALIVM genera uti multa, uariaq; sunt in toto terrarum orbe, suis prouincijs, & naturis appropriata, ac distributa, ut elephantes, cameli, leopardi, leones, struthiones, tigrides, simeæ, & id genus reliqua, sine pilorum densitate in calidis terris numero incomparabili multiplicata: Ita & in frigidis regionibus complures reperiuntur bestiæ, sed ualde pilosæ, propter asperrimas hyemes exuperandas: ut sunt ursi albi, uel nigri, alces alti, rangiferi proceri, lupi feroces, gulones uoraces, lynces perspicaces, lutræ fallaces, castores medicinales, damulæ pauidæ, uulpeculæ astutæ, nigræ, & albæ, atque aliæ alibi inusitatæ naturæ, & nominis bestiæ, successiuis capitibus inferius per ordinem diligentius insinuandæ: ea potissimum causa, ut pius inspector agnoscat, quàm admirabilis excelsi creatoris affectus, & amor est in omnibus creaturis suis, ubique terrarum suæ dispositioni subiectis, maximè in frigidissimo climate Septentrionalis plagæ (concessa naturali sagacitate) conseruandis: scilicet ut undique conclusa niuibus, & gelu tellure, pastum prohibente, nedum uiuere, sed & genus producere, atque alere possint, & inter asperrima elementa illæsæ manere. Sobriè tamen de uniuscuiusque

animantis genere, ubicunque uiuat, est sentiendum: quia inuariabilis naturæ lex ita statuit, ut nullibi melius, quàm ubi productum sit, persistere possit. Et ob id feruntur elephantes ad alienas terras producendi, non antè naues conscendere, quàm inuitati rectoris iureiurando de reditu fuerint certificati. Quod nec mirum est (teste Plin. lib. 8. cap. 1.) quia dociles sunt, ut Regem adorent, genua submittant, coronas porrigant, atque horum mirabiliora naturæ præcepto mirantibus cunctis, siue sua natura, siue alieno motu committant: uiuuntque, teste beato Ambrosio, communiter CCC. annis: & hoc, ut seruiant imperijs humanis, & homo ipsi benignissimo Deo.

De Arietibus, & Agnis.
CAP. I.



INsula est in Gothico mari, regno Gothorum, seu Suetiæ subiecta, Gotlandia, id est bona terra, ab omnibus eam frequentantibus sic nominata, eò quòd inter Aquilonares insulas meritò felix & abundans, ob plurimas naturæ dotes, computari debeat, & magnificari. Hæc arietes, siue uerueces, cæteris robustiores, & prociores producit: quibus quaterna, uel octona cornua crescunt: tantumque ferociæ à cornibus mutuant, ut tempore coitus, nisi serra, uel lima demantur, cæteris animalibus sint nocumento, ipsique pastori rebelles. Lanam habent longam, & mollem: quam aliquãdo Romæ exigua ueste resolutam, artifices birreta facientes, mirè commendarunt. Habet etiam tota Septentrionalis regio magnorum arietum, & ouium multitudines: in quibus & fœminæ cornua gerunt arcuata: quod Homero, & Aristoteli uidetur mirum: ubi Albertus in libro de Animalibus, de monstroso partu loquens, dicit se uidisse arietem quatuor magna cornua in capite gestantem, & duo longa in cruribus, instar cornuum caprinorum. Sunt & multa loca uersus polum Arcticum, ubi nec arietes, nec oues cornua habent, neque tauri, aut uaccæ. Ferocitas arietis cohibetur, si cornua iuxta aures terebrantur: aliàs in anfractum conuoluta, maiorem furiam excitant: famemque, ne humili herba pascatur, citius administrant: quia arida loca saniorem herbam habent, quàm palustria: quæ morbos inducunt. Aries albus fœtum generat alterius coloris. Fuscus uerò (teste Columella) nunquam generat album. Dicit enim Albertus, arietis lanam, totam sequi generationem. Arcentur etiam arietes à coitu per biennium, ut facilè libidinem augeat dilatio uoluptatis. Arietis uermem capiti inesse, Albertus negat physica ratione. Dicit etiam, arietes naturaliter agnellos diligere. Aries dimidio anno super unum latus, dimidioque super alterum dormire dicitur. Cornua etiam arietum (teste Plinio lib. 11. cap. 37.) cera feruenti torquentur in plures ramos.

De Ouibus.
CAP. II.

OVes bestię notę sunt, & mansuetæ, lac & lanam, tandemque cutem, & carnem dominis suis pro modico pastu & cura exhibentes, imò fimum ipsum ad multorum morborum medicinam. Ouis etiam compatitur suæ speciei, ut cum sana infirmam uiderit æstu laborare, se soli obijcit, ut laboranti faciat umbram. Igitur erubescat immitis homo, dum bestiæ benignam naturam desierit imitari.

Solitarijs

Solitarijs ouibus tonitrua abortum faciunt, non autem existentibus in cœtu. Flante frigido uento masculos cōcipiunt, calido uerò fœmellas: unde & in hyeme parti agni fiunt meliores. Lac nigrarum ouium melius est, & caprarum albarum: qui color magis abundat in frigidis terris. Ouis inter omnia animalia diutius dat lac, respectu suæ quantitatis, uidelicet per octo menses. Musicis sonis delectatæ, melius pascuntur: & hinc est, quòd pastores depingantur tibicines. Oues uiuunt 10. uel 14. annis. Vernali tempore pastæ melleo rore moriuntur: autumnali uerò, nimia uoracitate aristarum, maximè si illicò biberint: quia granorum tumore rumpuntur uiscera. Contra alios tamen morbos Albertus dat remedium, ut sumatur uenter arietis, & coquatur cum uino, & commisceatur cum aqua, detur& ouibus in potum: & remouebitur morbus. Ouis è domo uix eijcitur, & eiecta recurrit, etiam si ardeat uehementer. Carnibus arietinis, & ouinis, ueluti omnium ferè animalium sale maceratis, fumo uento& siccatis, crudis uescuntur homines Septentrionales toto anno, dummodò fuerint antiquæ. Decet enim fortes crudū manducare cibum: id& siue in militia uersantur, siue in agricultura, uel alijs locis.

De Agnis.
CAP. III.

QVamuis & hæc, sicuti prædicta de arietibus ouibus&, uideantur uniuersis notissima, ut superfluum sit, iuxta Suetonij sententiam, de rebus minimis facere mentionem: attamen Plinij suauior disciplina est, qui libro 11. cap. 2. dicit: In contemplatione naturæ nil potest esse superfluum, aut in natura rerum nihil incredibile existimari conceditur: æstimatio enim unicui& salua sit. Solini etiam uerbum est cap. 37. Operæpretium est nihil omittere, in quo naturæ sit spectāda prouidentia, licet natura plerun& fide carere uideatur, uel plurimum uilescere assiduitate spectaculorum. Agnorum ita& maxima cura ob frigoris immensitatem habetur in Aquilone, etiam diligens custodia ob coruos immanes, ut superius lib. 4. cap. 15. dictum est, & continuas insidias uulpecularum: quæ nedum assiduitate, sed importuna multitudine non exigua damna inferunt inquilinis: & rursus uenationibus retiarijs, aut foueis, uel sagittis apprehensæ, pellium lucro restaurant damnum. Agnus in tota gregis multitudine matrem noscit balantem. Ideo& ab ignoscendo dicitur agnus. Mater uerò agnum odore posteriorum recognoscit. Citò crescunt eis cornua, propter abundantiam lactis, & nutrimentorum: & hinc est tritum carmen,

Et sunt in Libya longis cum cornibus agni.

Euenit etiam, ut deficiente lacte ouino, agnos capris supponant enutriendos. Sed lanæ duritiem inde excipiunt, pauco usui adaptandam. Rursus hoc ipsum euenit, si hœdos ouibus supponunt lactandos. Agni etiam, qui casu aliquo non à matre, sed ab aliqua alia oue aluntur, similitudinem aliquam à nutrice trahunt. Hos alio quo& nomine uocari Varro ait in libro 2. de Agricultura ad Nigrum Turannium, his uerbis: Subrumi appellantur agni, cum mater parum habet lactis, & subijciuntur sub alterius mammam. Mamma enim rumus antiquo uocabulo dicebatur: inde rumare suggerere significat. Si ex felle ouis inungatur locus corporis, ubi incidit cancer, confert manifestè. Cerebro ouis uncti oculi aquam patientes, iuuantur. Stercus ouis cum aceto emplastratum, tollit uerrucas: permixtum ceræ liquefactæ cum oleō rosaceo, curat ignis combustionem. Congelatum sanguinem ex magna percussione, apposita cutis ouina statim corpore extracta, dissoluit. Ideo& lictores flagellatis quando& compatientes, cutem calidam cicatricibus imponunt: quæ curat per unum diem, & noctem. Et hæc dici potest flagellatorum medicina.

De Bobus

De Bobus, & Armentis.
CAP. IIII.



Regna Aquilonaria, præsertim Vermelandia ac Dalia, propter pascua uberrima, boues habēt electissimos, etiam prouinciæ Vestrogothorum: hicq; boues singulis annis non tam proceritate corporis, quàm numero magno multiplicantur. Habet & Noruegia, Suetia, & Finlandia similes, ad æstiualia, seu hyemalia plaustra, seu etiam agrorum usum aptisimè dispositos: quibus, sicuti & equis, ad uomeres uoluendos utuntur. Sed nunquam uaccæ plaustris trahendis, aut agris præparandis aptantur: imò nec ulli oneri, ob spem uitulorum gignendorum, subduntur. Sed hi adhuc tenerrimi à matribus segregati, sæuiente frigoris horrore, in æstuarijs ad hoc specialiter ordinatis, nutriri solent: hyemeq; productiore, asperioriq; inualescente, putaminibus quercinis loco fœni uel culmi, iumenta uescuntur. Aestate uerò, in lucidissimis noctibus pascua sumunt sub cura pastorum, propter improbos uermes, & bruchos: quos ipsi custodes piceis fumis, ubiq; pinorum combustione flammantibus, exurũt, aut arcent. Sed non ex integro: quia ingruente autumnali tempore, bruchi ingrediuntur cutes macrorum boum, ibiq; hybernant, ut tempore uernali cutem exeant, ac hospitem uexent: ueluti erucæ folia arborum depascentes, in quibus seminario folliculo hyemem inhærentes, transegerat quietiorem. Boues tamen, quibus uermes huiusmodi sunt infesti, è cœtu aliorum, quantum industria permittit, seorsum impinguandi, mactandiq; segregantur: tuncq; dorsotenus uelut cribrum cutis perforata apparet, pretium sui diminuens aliena labe. In ijs autem locis sanius conseruantur, celeriusq; impinguantur, ubi nec muscarum aculeis, nec bruchorum stimulis agitantur, & fatigantur, & herbarum uirentium satietate non priuantur. Nec est inconueniens, ut tempore famis ueteribus contusis piscibus, uēto maceratis, dum campi niuibus repleti sunt, uescantur, ut superius lib. 9. cap. 44. pro parte reperitur ostensum. Præterea ad hunc casum Plin. lib. 11. allegat Theophrastum dicentem, boues uiuo pisce uesci. Imò & lupulo è ceruisia depurata proiecto, intantum uorando delectantur, ut saltem faciant more ebriosorum. Boum uerò attritis ungulis in asperitate glacierum, saxorum, ac arenarum, aruina ungendo medentur agricolæ: etiam pice liquida ungendo pedes. Boum etiam (teste Isidoro) in socios eximia pietas est: nam alter alterum inquirit, cum quo aratra collo ducere solet, frequentiq; mugitu pium testatur affectum, si forte defecerit. Idemq; Ambrosius attestatur: Si mutetur bos compar, alius iugum trahere nescit.

De Canibus, & eorum diuersa natura.
CAP. V.

Etsi canum diuersitas, & mira proprietas in multis mundi partibus, quasi omnibus, uel plurimis nota sit: attamen Aquilonarium terrarum canes uti rigidiori cœlo, scilicet signo Cynosuræ subiecti sunt, ita & audaciorem ferocitatem præ cæteris habere uidentur. Huiusq; rei exempla cum superiori libro 5. capite 12. nonnulla adducta sint, onerosum non æstimabitur, ut similia iungantur eisdem, uidelicet homini data fuisse à diuino numine duo animalia pro solatio fidissima, canem uidelicet, & equum: canem, ut custodem, aduersus latronem la-

trando,





trando, & resistendo: equum pro defensore, ut habito sessore gaudeat exilire in hostem. Canis uilissimis cibis pascitur, ubi & equus facilimis escis enutritur, imò (ut infrà dicetur) piscibus tostis, carnibus uento siccatis, pane biscocto, atque arborum fungis: & ita uidetur homini benigniter à Deo cōsultum esse, ut equum laborum comitem dederit, canemque socium, & custodem. Canis communiter pro domino aduersus latrones, sicarios, grassatores, homicidas, insidiatores, fures, & contra alias quascunque feras sæuientes, pugnare dignoscitur, atque plures Reges eius beneficio fuisse saluatos, ubi custos homo repertus est pessimus occisor fuisse patroni. Masinissa Rex eo casu à multis citatur in euidens exemplum, quòd cum hominibus custodiendum se non crederet, canum custodiæ se permisit: quorum latratu sæpe latentium inimicorum euasit insidias, & uenientes in se aduersarios longè antè perdidicit, ac cauit, atque eorum beneficio pluries euasit uictor. Quinimò homines inter herbas dormientes, non rarò canes, ne serpentes os ingrediantur, obseruant. Sed unum infelicitatis genus eisdem canibus annexum est, ut quandoque patronum hostiles manus euadentem, seque in densa sylua, profunda niue, uel glacie abscondentem, sua præsentia prodant, quòd signo canis penes patronum immotè manentis, rapiantur in necem, uel captiuitatem. Cuius rei exempla, cum plurima sint in Aquilonaribus regnis, ea uolens hîc transeo, dum horum similia complurima superius ostensa sint libro undecimo de glacialibus bellis.

Adhuc de eisdem.
CAP. VI.

VErsus Septentrionales prouincias polo Arctico propinquiores, canes reperiuntur horribiles, ac feroces: idque Dei clementia factum agnoscitur, quòd bestiæ nocentiores reperiantur ibidem, ut inferius de luporum sæuitia ostendetur. In Islandia tamen, terra scilicet glaciali, circumdata Oceano, etsi canes diuersæ sortis cuiusuis generis reperiantur optabiles, tamen in delitijs illustrium dominarum, & prælatorum sunt candidissimi canes, pilo densissimo, quasi massa inuolutæ lanæ formati: quales ipse beatus Chrysostomus, catulos scilicet, Episcopis & prælatis pro solatio concedit, & non ueltres, uel molossos, aut cerberianos: qui nunquam recreant, sed turpissimo spectaculo infatuant suos inspectores: quibus pulchrum uidetur canibus huiusmodi nec ad gesticulationes, nec ad lasciuos ludos, sed ad inanes hominum perditorum aspectus uti, more Epirotarum, qui tales Molossos appellant. Quod autem ad nomina, atque uirtutes canum attinet, cæteris scriptoribus naturalium rerum mira diligentia notat Plin. libro 8. cap. 40. ubi de Colophonijs non iniucunda recenset, quòd uidelicet in magno studio canes rei bellicæ gratia instituebant, adeò, ut ex illis quasi cohortes quasdam instruerent, quæ in prima acie certarent mira quadam ferocitate, nec unquam prælium detrectarent. Hi in nocturnis congressibus sæpe uictoriam eis præbebant. Scribunt etiam ueteres, Regem Garamantum per seditionem regno expulsum, à ducentis canibus, quos uenationis gratia aluerat, fuisse restitutum, cum mira ferocitate contra repugnantes sæuirent, iterque per hostium cuneos patefacerent, donec eum tutum in Regiam aulam sisterent: & sic pulsis, cæsisque hostibus, diutius regnauit: deinde regnum moriens posteritati suæ reliquit. Et forsitan hac disciplina motus Rex Angliæ Henricus octauus (iuxta epistolam ab eius nuncio, Regi Poloniæ ex Spira M. D. XLIIII. missam) in suo exercitu, quem maximum ipsi

Cæsari Carolo v. contra Regem Galliarum in auxilium misit, quadringentos homines, ac totidem canes more gentis torquibus ferreis armatos constituit, dubia relicta hominum opinione, an ad uigiliam exercitus id fieret, an ad aliquod insigne stratagema acquirendæ uictoriæ simularetur. Quod factum qualecunqꝫ fuit, certum est posteà inter illos sublimissimos Principes nũquam defuisse rixas, non à canibus his excitatas, sed truculentis consiliarijs, & seditiosis susurronibus introductas, & confirmatas: ubi ipsi supremi Reges & delitiæ hominum essent, si totius orbis applausu ad concordiam redirent, canes Turcicos debellaturi.

De Canum memoria, fide, docilitate, odoratu, & ferocitate.

CAP. VII.

NVlli certè animali præter hominem maior est memoria. Itinera enim quantumuis lõga, atqꝫ inuia, canes diutius meminere, & hominibus ipsis memorant: ueteres quoqꝫ iniurias, post longum etiam tempus ulciscuntur: dominis antiquis post absentiam 20. annorum resti: uti applaudũt. In Cimbrico bello contra C. Marium pro dominis suis atrociter pugnauere canes, Cimbrorumqꝫ cadauera custodientes, nunquam abigi potuerunt, sed eadem mira sedulitate custodiebãt: & ut tutius illa à feris, alitibusqꝫ defenderent, plaustris illic passim relictis inferebant: custodiasqꝫ inter se partitas uicissim magna cum diligentia obseruabãt. Canis latratu interfectorem domini sui in sylua occisi, in urbem prosecutus, dẽtibus laniauit: isqꝫ crimen confessus sub torturis, se, sociosqꝫ sceleris prodidit, lege interimendos. Canis adhuc alius scribitur dominum suũ longè distantibus famulis insidiosè petitum, usquequò accurrerẽt, defendisse. Fides canum in hoc etiam notatur Lysimacho exhibita, quòd unus eorum mortuo cadaueri comburendo, facto eiulatu & gemitu, cunctis spectantibus igni se immisit. Et idem fecisse Hieronis Syracusanorũ Regis canem, Plinius attestatur. Item canis mortuo domino se fame tamdiu macerat, ut pariter cũ eo moriatur. Canis etiam in Romanis historijs repertus est cibũ portare ad os defuncti heri, eiusqꝫ corpus in Tyberim proiectũ adnatando sustinere uoluisse. Et hæc Plinius. Docilitas canum hæc est, ut dominum cognoscant, atqꝫ ei præ cæteris applaudant, & odientes eum infestent. Magna rursus eorum alacritas est in uenando, ut narium sagacitate uẽtum, & auram captantes, odore longè uenientem feram præsagiant, ostendant, lustrent uestigia, persequantur, latibula indicent &c. Caspij canes ferocissimi sunt, quorum sæuitia in homines potius, quàm feras exercitatur: & hoc, quia hominum cadaueribus à iuuentute aluntur. Generosi canes, teste Plutarcho, non prius arreptam mordicus prædam interimunt, quàm fatigatam uiribus deficere uideant.

De Equorum bonitate cognoscenda, & defectibus euitandis.

CAP. VIII.



LIcet equorum maximam multitudinem Septentrionales terræ ad suum, externarumque gentium optabilem usum producant: non tamen æquè præstantes in singulis prouincijs gigni, fouerique uidentur. Noruegici equi statura mediocres, admirandæ fortitudinis, & pernicitatis sunt in montibus, ac uijs saxosis penetrandis. Suetici uerò ac Gothici, paludes & colles altos, profundosqꝫ saltus indifferenter longiore

giore dieta, magnaq; celeritate absoluunt. Oelandici, quia paruuli sunt, ludicro magis spectaculo, quàm labori deputantur: licet & in illis egregij, laboriosiq;, distincto genere reperiantur. Equi etiam Finnonici bonę qualitatis sunt: sed sequentibus signis hi, & omnes boni diuersorum autorum iudicio cognoscuntur.

Iuba densa, capite breui.
Forti lumbo, & ęqualibus testiculis.
Ceruice prona, non more aprino erecta.
Auribus proportione parui corporis ad cuneum protensis.
Pectus latum, uenter modicus.
Lumbi presi, spina duplex, uel minus non extans.
Cauda ampla, subcrispa.
Crura electa, æqualia genua.
Vngulæ firmæ, mediocres.
Visibiles uenæ inter pilos.
Corpus ualidum, & robustum.
Altitudo robori correspondens.
Latera longa, clunes rotundi.
Corpus totum musculorum densitate, & plenitudine quasi nodosum.
Crura fortia æqualiter à genu ad pedem porrecta, sine nodositate, tumore, & mollitie
Pedes ęquales & plani in superficie, non asperi, rotundi, ut cornu concauitate terram undiq; tangant.
Vngulæ crassæ sint, neq; humiles, neq; ualde erectæ more caprarum.
Tibiæ pingues ossibus, non carne.

Adhuc de alijs signis ualentis Equi.

CAP. IX.

Caput paruum, & siccum, quasi ossibus imminens.
Oculi grandes, uelut ante caput iacentes.
Aures breues, & acutæ, antrorsum porrectæ.
Nares apertæ, profundius in aquas submergendæ.
Cauda longa, spissa, & rotunda.
Audax, & naribus sufflans.
Pedibus terram terens, ac circunspiciens.
Hinnitu membris tremens, quia fortis.
Facilè in quiete concitatus ad motum.
Facilè rursus à motu quiescens.
Se purgans, & uolutans in puluere, uel niuibus.
Colore niger, rufus, balius, siue badius, spadicus palmæ colore, uel castaneæ quem Virg. in Georgi. commendat.
Aureus, roseus, myrteus, glaucus, uel oculis uarijs, quasi pictus.
Scutulatus, canus, guttatus, uarius, ex nigro badioq; distinctus.
Cinerius, qui equis syluestribus conuenit, deterrimus est, ut Isidorus dicit: sed optimus, quando lata linea nigra in dorso notatur.
Candidus equus rarò est bonus uiatoribus, ob insultum latronum ex castris eminentioribus itinera contemplantium: quos periculosum est (tanquam lucerna in tenebris accensa) candidis equis ad spoliandum itinerantes prouocare.

Adhuc de aliis signis emendi Equi.
CAP. X.

PRæterea cautelæ in equo emendo hæ, & similes uidentur diligentius ad tendendæ.

Si frenum recipiat.
Si sessorem excipiat.
Si exceptum excutiat.
Si dimissus aufugit, aut celeriter recipitur.
Si uerbere torpens, uel excitatior fit.
Item de qua terra est, montana, uel palustri.
Cuius ætatis: quod difficile cognitu non est, quia annorum notæ cum corpore mutantur.

Dum bimus, & sex mensium est, medij dentes superiores, & inferiores cadunt. Cum quartum annum agit, his, qui canini appellantur, deiectis, alios affert. Intra sextum deinde annum molares superiores decidunt. Sexto anno, quos primos mutauerit, exæquat. Septimo omnes explentur æqualiter: & ex eo cauatos gerit, nec posteà quot annorum sit, facilè comprehendi potest. Item decimo anno tempora cauari, & supercilia nonnunquàm canescere, dentesq; prominere, & albescere Plinius dicit, contra morem omnium animantium. Item ætas longæua deprehenditur in equis Persicis, Epiroticis, ac Siculis in annos quinquaginta: breuior autem Hispanicis, Numidicis, & Gallicis extendi. Sed nec deest Solinus, qui mentionem facit de equo LXX. annorum. Varro utilem equum ad XVI. annum existimat. Nec optandi sunt æqui longæui, quia nec in re bellica, nec in rhedis trahendis, nec admissuris ualent, quia ultra XX. annum generare nequeunt, ut à doctissimis notatum est, qui de agricolatione scripsere: neq; equam utiliter ultra decimum annum concipere posse ijdem affirmant. Senectus equorum notari solet ex canis superciljs, imò etiam ex caudarum certis nodis, & immersis oculis, putredine plenis &c.

De Virgilij sententia in bonis Equis eligendis.
CAP. XI.

COntinuo pecoris generosi pullus, in aruis
Altius ingreditur, & mollia crura reponit.
Primus & ire uiam, & fluuios tentare minaces
Audet, & ignoto sese committere ponto.
Nec uanos horret strepitus: illi ardua ceruix,
Argutumq; caput, breuis aluus, obesaq; terga.
Luxuriatq; toris animosum pectus: honesti
Spadices, glaucíq; color deterrimus albis,
Et giluo. Tum, si qua sonum procul arma dedere,
Stare loco nescit, micat auribus. & tremit artus:
Collectumq; fremens uoluit sub naribus ignem.
Densa iuba, & dextro iactata recumbit in armo.
At duplex agitur per lumbos spina, cauatq;
Tellurem, & solido sonat ampliter ungula cornu.

Sed Columella lib. 7. de agricultura summa elegantia per singula quæque membra eximiam equorum formam ostendit, cui nihil adijci potest.

Adhuc

Adhuc alio modo capiuntur signa boni Equi.

Auris acuta, breuis, caput exiguum, caro dura,
Et grandes oculi, ceruix cum robore forti,
Et nares mundæ, comedens bene, pes sine uerme,
Et curtæ coxæ, iusti ungues, atque rotundi,
Audax hinnitu, sufflans, terram pede rumpens.
Istis quadrupedum signis cognosce ualorem.

Ad idem breuius.

Lucius	uidelicet latitudine capitis.
Anguilla	decora longitudine.
Serpens	erecta ceruice.
Leo	pectore lato.
Fœmina	rotundis clunibus.
Cattus	celeri cursu.

De domandis, & conseruandis Equorum pullis.
CAP. XII.



PVlli generosis equabus alternatis annis geniti, & copioso lacte nutriti, puriores sunt, & maioris spei: nam parentum bonitatem plerunque imitantur. Sed manu tangendi non sunt, quia ut dicit Palladius lib. 4. eos tactus lædit assiduus, etiam frigus: à quo summoperè sunt cauendi. Dabit & hilaritas, & agilitas non frustrandæ spei bonum documentum. Post bimatum domandi sunt usque trimatum: nam postea semper difficilius instruuntur. Si pullus altis cruribus uidetur, futuræ magnitudinis signum pollicetur: nam quadrupedum omnium magnitudo tibialis, tempore nō ualde crescit. Ad huius igitur proportionem & reliquum corpus augescit. Pullus mansuetior, tractabiliorque primum reddetur, mediocri esurie maceratus: deinde conuenienti cibo portionibus iustis refocillatus, directori fit obtemperatior: ut potius blandimentis, et certis uerbis quasi uirgis, & uerberibus mansuescat. Estque diligenter curandus, ubi propria natura per seipsam defectum nequeat restaurare. Ducendus etiam est per turbam omnibusque aspectibus, & sonitibus appropinquandus, ut si quid expauescere uideatur, sine terrore placidum, planumque, paulatim procedendo agnoscat. Bellicis tumultibus educandus, instruatur fossas transilire, primum exiguas, inde ampliores: quod fit lorotenus ante præsiliendo. Itidem muros, & saxa, ac trabes transilire prout mos est syluarum cultoribus in latrocinando, ac fugiendo: idque à fronte, à tergo, à latere, agili cursu fieri oportebit. Pauidi ac suspicantes, fugaces ac retrocedentes, omnino (nisi remediis iuuari poterint) sunt reijciendi.

De equorum defectibus sanandis.
CAP. XIII.

FVgacibus succurritur extractione longiorum pilorum in palpebris, ac pilorum à fronte dependentium. Retrocedentibus tollitur abusus, si fune aspero ē pilis equinis confecto, sub cauda immisso, sessor ambabus manibus huc illucque more freni trahendo fricuerit equum: idque caudale frenum dicitur, solummodo

pro hoc defectu auertendo. Expedit etiam, ut ad natandum cum armato (ubi fortitudinis signa fugiendo, uel aggrediendo exercenda sint) diligentissimè instruatur, ut mos est Scythicas terras inhabitantibus, præsertim circa Tanaim, ubi uastissima sunt flumina, nulliq́ue pontes, ob instabilem aquarum cursum, seu inundationem ex niuibus resolutarum: de quibus Strabo lib. 8. ad finem, & 11. plurima dicit, etiam lib. 17. de magna celeritate, & agilitate equorum, quomodo instructi dominos sequuntur, ut canes. Sed ne ab externis oris multa citentur exempla, tritum est in Septentrionalibus terris, iuuenes equos etiam robustos, & bellicosos, ita instrui, ducíq; ad campum, ut sessorem cognoscant, & liberi sequantur cum stante stantes, ac currente currentes. Securitas tamen hæc loris moderatur, ne lupis subitò ex insidijs ruentibus, equo fugiente domini surripiātur in escam, uel in glacie aperta occurrentibus simile quid contingat.

De conseruatione Equorum.
CAP. XIIII.

STabuli etiam pullorum pauimentum paruis, ac rotundis campestribus saxis stratum sit oportet, ne mollitie (quæ noxia equis generosis perhibetur) pedes & ungulæ destruantur: imò ut multa ægritudine, podagra præsertim, liberentur, capita lauanda sunt, non strigili tangenda: quia ossea materia constituuntur. Lauanda est iuba, quia loco scalæ sessoribus eam natura concessit, uti procomium capiti pro uisus defensione, & cauda pro noxijs uermibus abigendis. Crura lauanda non sunt, neq; inspersio ungulis quotidiana facienda. Loca sub uentre nō strigili, sed manibus diligenter purganda. Lotio tamen plurimū ad pullorū, equorumq; sanitatem conducit, & bonum habitum retinendum. Non à capite, uel cauda equitandus pullus, uel equus (ne noceat) accedatur: sinistroq; latere frena ori proportionata una manu aperto uenient imponēda, altera lorum teneatur à dextris. Loro ducatur, non freno: ne fiat diuersitas maxillarum. Frenum strictum, stupidum reddit equum, & inobedientē, etiam rigidè tentum. Præceptum optimum, ad equum tractandum nūquàm cum ira accedere rectorem, sed blandum, & mollem ne generosus equi animus, terrore ad rebellionem concitetur. In utranque maxillam assuescat uerti, & in conuersionibus tutè recipiatur: non subito, sed paulatim è medio cursu frenum contrahendū. Vtile quandoq; fuerit, quiescētem statim impellere, & ex equis equos petere, & ex celeritate rursus in proximo quiescere, & ex quiete iterum irruere. Cum equo magnanimo nil per uim agēdum: nimiam enim ferocitatem, non uiolentia, sed mansuetudine placida mitigare oportet. Pasta hordeaceę farinæ equorum ulceribus imposita, eūdem colorem, quem equus ante uulnus habebat, optimè redire facit. Generosos equos habuere Longobardi, ut dicit Pau. Diac. lib. 2. cap. 9.

De peritia, aut ignauia inexperti Equitis.
CAP. XV.

DEscriptis igitur generosis, ac magnanimis equis, iuxta præscriptam formam, aut meliorem: necesse est etiam, præcipuè in re bellica, talem inuenire ac adhibere sessorem, qui ita sua prudentia fortitudinem equi temperet, ut ab utrisque exercitium aliquod emanare uideatur uirtuosum. In pace quidem iucundum est, pro solatijs, & commodis, imò laboribus, uti fortissimis equis, & peritiam habere equitandi: sed in hostili conflictu, in quo tot circunstantiæ seruandæ occurrunt, ut uix in aliquo officio formidabilius negotium aggrediendum sit, & debitè terminandum, ualde necessarium est, suscepisse peritiam singularem.

Qui



Qui enim ineptè,& indecorè equo insidet,in primis ab alijs irridetur, deinde inutilis in pugna ad omnes bellicas actiones habetur:non aduersarij ictum sustinere aut cauere potest:non hastam suam dirigere:non eam ulna,aut cubito compresso stringere:non equum flectere:non ex eo iaculari:non arcũ tendere,aut quippiam utiliter,aut decore agere:sed paruo ictu,minimaq; succussione excutitur,adeò,ut ab omni equestri militia extrudendus sit, & præsertim nostris temporibus, quibus maxima ex parte equestri pugna certatur. Instruuntur enim cohortes cataphractorum equitum,qui cooperti sunt per omnes membrorum artus ferreis laminis:nulla ex parte uulneribus patent,tectisq; equis uehuntur,operimentis scorteis,siue ferreis:quorum quidem splendor adeò fulget,ut aciem oculorum occursantium perstringat. Equitandi itaq;(ut superius lib. 8. in multis capitulis dictum erat)ratio,à teneris annis percipienda est, antequàm corpus obdurescat, obstipumúe fiat,dum nerui sine rigore sunt,& membra facilè quoscunque usus accipiunt. Laudatur admodum Iulius Cæsar,quòd adeò agili corpore extitit, ut reflexis post terga manibus,equum saltibus,cursibusq; immotus ipse concitaret, & euestigio habenis regeret,statimq; in exiguum orbem circunflecteret,& à præcipiti cursu retineret:licet is equus tantæ celeritatis,ac ferocitatis esset, ut præter eum nullum pateretur sessorem. Ita & refertur de Alexandri Regis equo,qui à toruo aspectu,siue ab insigni taurini capitis,quod in armo inustum habebat,Bucephalus appellatus est. Magnæ admirationi omnibus fuit,sed maiori stupori equus Nicomedis Bithyniæ Regis,cunctis inspectantibus extitit:qui eo Rege interempto, ipse nullo admisso cibo,fame defecit. Flent & plurimi equi bellum ingressuri, tãquam præsagium cognoscentes,rem non bene successuram sibi,uel patronis. Imò et quidam iter longum ingressuri,solito auidius comedunt, ut aliquando sum expertus. Equæ tamen fame macerantur,unius diei inedia, ut sequenti die 30. milliaria Germanica currant: etiam quia currendo uesicas leuant, quod equis haud est concessum.

De Equis Sueticis,& Gothicis,cur cæteris præferuntur,& exportantur.

CAP. XVI.



A Suetia & Gothia quotannis plena nauigia equorum in Germanicis oris uendendorum, exportantur: quod eò lucrosius fieri cernitur, quò facili pretio, aut rerum commutatione(mediocris scilicet staturæ equi)emuntur, & deportantur: ubi Regio edicto nulli præliares equi ad exteras nationes euehi permittatur. Quod autem cæteris equi prædicti æstimantur meliores,ac in quouis exercitio durabiliores,multiplex ratio assignari solet: quia ad trimatum ferè hyeme,& æstate, etiam in asperrimo gelu, in syluestribus pabulis cum matribus sunt educati,ut indurati,& quasi infatigabiles ad operam moti,persistere uideantur: quia ramos,folia,frutices, & omne genus uilium escarum pro cibo non aspernantur.

Quòd sibi,ferramenta(ut in plurimum)absq; calcitratione,& in quouis loco sub pedibus infigi sinunt.

Quòd non permittunt reliquos equos sua annona uesci.

Quòd pulchra uarietate,& duro pilo sunt colorati.

Quòd biga,curru,theda,uehiculisq; applicari solent.

Quòd acutius in tenebris uiam intuentur, & sequuntur.
Quòd alacriter sessorem in aquis natando portant.
Quòd nulla glaciali asperitate, uel niuali inundatione tardantur.
Quòd sessorem calcitrando, mordendoq; adiuuant aduersus hostem.
Quòd caput cum freno bibituri ui q; oculos in aquis mergunt.
Quòd semper natura urgente in quouis loco mingunt.
Quòd fossas celeri saltu cum sessore penetrant.
Quòd itinera lutosa, profunda, & paludinosa non abhorrent.
Quòd montes ascendendo, descendendoq; præcipitia cauent.
Quòd rarissimè ob naturalem duritiem, uel nunquàm infirmantur.
Quòd si infirmantur, facilimo remedio restituuntur.
Quòd sic empti in terra aliena, talem sobolem propagant.
Quòd oneribus depositis, in arena, uel niue se inuoluunt, omnem quasi diurnam fatigationem eo motu alleuiantes, ut auidius comedant omnem escam.

Est & aliud equorum genus, exile, sed ualde uiuax: quod mercatores ab insula Oelandiæ pro gesticulationibus addiscendis emptum, educunt. Mirè enim dociles sunt, ut per circulos more canum saltãtes, sese mira agilitate in gyrum uertant. Dicit prætereà B. Ambro. in Apolo. Dauid equorum Græcorum hanc esse naturam, ut cũ uel in curuli certamine elisi fuerint, uel fortuito ceciderint, nequaquàm se mouere consueuerunt, & quandam tenent quietis, & patientiæ disciplinam. His, si casus non nocuit, quies prodest, certè non acerbatur offensio. Imò et sono citharæ audito, more chorisantium saltationes sub leui sessore cõstituunt, primum lentas, deinde celeres, & tandem celerrimas humano more: quales Volate. lib. 25. Totularios mannos uocat, & è Britannia uenire arbitratur.

De Equis præliaribus.
CAP. XVII.

MAximi uerò equi (ut parumper superius dictum est) quos Septentrio producit, presertim in regno Vestrogothorum, non solum publico edicto hippagogis educi prohibentur, sed ut militaribus exercitijs, & disciplinis ad omnem armorum usum pro patria defensione enutriri, custodiri, & adaptari debeant, satis strictè iubetur. Tales etenim equi hyemalibus bellis, quæ in Aquilonaribus regnis fiunt, ob connatum frigus assueti, hyemis patientes, animositate ac fortitudine armatum sessorem, quocunque direxerit, in offenso accessu, ac ualido cursu intrepidè comportant: & ob id omnibus generosis equis, quos Hispania, Neapolis, Gallia, uel Germania gignit assimilari possunt, si præferri non merentur. Licet Africis, Numidicis, aut Turcicis equis in celeritate cursus non comparantur: hanc tamen uelocitatem mira audacia, & fortitudine recompensantes, pro natura populi, loci, & temporis qualitate, maximis bellis satisfacere deprehenduntur. Neq; fortunata prælia in Aquilone, ob præcipitia, uoragines paludum, ac densitatem niuium, & perforatas glacies, etiam si quis uolare uellet, conficere posset, ut superius lib. 11. in pluribus capitulis fuerat enarratum. Igitur ad ueram sententiam generosi equi reuertendo, id certius teneri potest, quod Dominus ad Iob 41. loquitur de forti equo. Ait enim: Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circundabis collo eius hinnitum? Gloria narium eius terror, terram ungula fodit, exultat audacter, in occursum pergit armatis, contemnit pauorem, nec cedit gladio, feruens & fremens sorbet terrãm, nec reputat tubæ sonatæ clangorem, ubi audierit buccinam. Dicit etiam Solinus cap. 57 quod equi in bellis suæ partis inimicos norunt, adeò ut inter prælia hostes morsu petant. Prætereà equorum infirmitates ab Alberto sic nominãtur, Attractus, barbulæ, cancer, cornu, caro mortua, curua, focellæ,



focellæ, frenes, ſarcina, infundatura, lampiſcus, prurigo, radunculus, ſanguis corruptus, ſtiua, ſtranguria, ſcabies, ſuper os uenarum inciſio, uermis.

De docilitate Equorum.

CAP. XVIII.



QVam capaces diſciplinarum Aquilonares equi ſint, primo aſpectu pręſens imago demonſtrat. Qui enim curioſè ſtudent illuſtrium puellarum uenari fauores, aut ſenum languentia membra arte iuuare contendunt, ut in aperto campo ſcamnis deficientibus equos aſcendere, uel deſcendere poſſint, modo quo ſequitur, mediocres equos, & exiles, ad genuflexiones informant. Eligunt prodeunte natura aptioris uirtutis iuuenes equos, poſt bimatum, & trimatum, unius diei ciborum ſubtractione macerantes eoſdem: deinde extrahūtur in locum mollem, ut ibidem ex fouea genu flectendo comedant fœnum, uel auenam, & pueros ſuſtineant in dorſum ſaltantes, ac deſcendentes: ſæpiusq; id fieri ſolet, ut ſigno per uirgā dato ad tibias, genua flectant patrono in ſellā aſcenſuro. Quidā etiam in molliſsima niue hāc diſciplinā docent equos, donec docti dorſa ſua ex conſuetudine uirginibus, & matronis genuflexionem faciendo, præbuerint inſidenda. Aliquæ etiam plebeiæ ſortis puellæ, equos ad hoc officium diſpoſitos habent: uel aliter, maximè in nuptialibus feſtis (quæ equeſtrium pompa ruricolarum in pagis, tota generatione concurrente & tripudiante, fieri ſolent) nouis nuptis per pulchros equos concomitantes prouidetur. Imò & equi certo naturali inſtinctu ſymphonia audita, mouentur ad geſticulamenta: quod & Plinius lib. 8. atteſtatur. Certum etiam eſt, equos naturali lege propagationem horrere in propinquiori ſexu: contra quam qui errore decepti ſecus fecerāt, ſeipſos præcipitando interemerunt. Sed illis dimiſsis, dum ſenibus in campo ſcabellum non eſt equos deſcendendi, uel aſcendendi, tunc fideles ſerui dorſotenus ſe inclinant ut domini aſcendāt pro aptiori commoditate: talesq; famuli ab omnibus pro tanta fide recipiūt laudem, imò & patroni filiam matrimoniali fœdere in conſortem.

De Felibus, ſeu Cattis.

CAP. XIX.

FEles, ſeu catti, Græco uocabulo Aeluri nuncupati, ſatis magni, frequentesq;, candidi præſertim coloris, in Septentionalibus terris reperiuntur: qui nedum domos, humanasq; habitationes, horrea, atque granaria, ſed & agros ædibus uiciniores, mira ſagacitate murium gliriumq; præda compurgant. Qui uerò ſylueſtres ſunt, auibus, & minutulis animalibus inſidiantes, uiuuntur. Harumq; felium pelles ueſtibus ſubductæ, mirè proſunt aduerſus hyemales aſperitates. Sed periti incolæ cauent, ne ori dormientium hominum applicentur, cum ferè eiuſdem naturæ ſint, ut lupinæ pelles: quæ agninis, ouiniſq;, etiam mortuis, nocent. Domeſticæ feles ſummè arcentur à cunabulis puerorum, imò hominum adultorum, ne ori dormientium anhelitum ingerant: quia eo attractu humidum radicale inficitur, uel conſumitur, ne uita ſuperſit. Neque à periculo ſe credat immunem, qui audet contra ſolam felem, etiam nudo enſe, in eadem domo congredi, interimendam: eò quòd naturæ inſtinctu, guttur occiſoris (nullo

concesso effugio) inuadere solet. Fele tamen et anate ad ripas aquarum colligatis, mortale spectaculum imminere uidetur. Vt enim anati terræ locus haud conuenit, ita feli nequaquàm accessus in aquas congruere potest. Quocirca de dispari natura acerrimus generatur insultus. Quantæ autem uenerationis hæc bestia, felis apud Aegyptios sit, nemo negat, qui mores eius gentis agnoscit. Aestimant enim hanc insigniter honorandam, quia pellibus illius clypei muniuntur militares, aut ignibus semper assistunt: eisq; propter hoc honorificas exhibent sepulturas: imò & sibi cum luctu numinis amissi radunt supercilia, ut corpore proprio, & sensu testentur ipsius habuisse culturam.

De muribus, & Gliribus interimendis.
CAP. XX.



QVam onerosi incolę, aut hospites improbi in humanis ędibus sint mures, sorices, & glires, nemo qui eos audit, aut sustinere cogitur, ignorat: prout eadem querela fuerat ab antiquo æuo, & permanet in hoc die: magis tamen uetusto seculo, quàm præsenti: eo quòd ab his, & similibus despectis animalibus, & minutulis creaturis ueluti cuniculis, talpis, ranis, locustis, serpētibus, scorpionibus, uel euersa sunt oppida, uel fugati incolę, uel laceratæ prouinciæ, uel infeliciter annihilatæ. Nec defuere portenta publica, quomodo arrosis clypeis, esis fascijs, atq; corrosis ferramentis in officinis metallorum, portendebant acerrima bella. Imò & in Aquilonaribus regnis huiusmodi ostenta fieri notata sunt. Quòd autem superius imago senis mures, seu glires in foramen glaciale compellentis aspicitur, id præscriptis uerbis, & signis quorūdam hominum licet paucorum, solet fieri: qui ueluti hæreditaria uirtute hoc retinent, ut inuocati patientibus bestiarum damna, lustrando domum succurrant: totumq; noxium agmen secum adducunt, atq; in apertam aquam suffocandum insilire coarctant. Vnde autem, & quomodo uirtus hæc prodeat, uix aliter (seclusis præstigijs, & incantationibus) interpretari conceditur, quàm ex paterna benedictione in filios filiorum transfusa, ut fieri uidetur per habentes, ac exercentes uirtutem gratiæ S. Pauli in serpentibus tractandis, aut aconitis (nulla subsequente læsione) comedendis. Meminit Strabo lib. 17. Psyllos apud Cyrenaicam regionem, naturalem quandam uim habere contra serpentes, sicut & Tentyricę contra crocodilos, ut nihil ab eis patiantur, sed intrepidè natent, ubi reliqui homines occiduntur à crocodilis: quibus imperant prædicti Tentyricæ, alijsq; emolumenti, seu quęstus causa, quoties opus erit, eosdem pro spectaculo innocuè monstrant.

De portentosa ultione Murium aduersus impios.
CAP XXI.

REFERT Herodotus lib. 2. quod Aegyptio simulachrorum sacerdoti pro salute populi trepidanti, ac anxiè dormienti, numen per quietem auxiliarios contra impium Sanacharibum Assyriorum & Arabum Regem eidem sacerdoti mortem, & Aegypto destructionem machinantem, mittere promisisset. Vnde sacerdos alacriter animatus, sumptis secum institoribus, operarijs, & forensibus, dum nulli bellatores eum sequi uellent castra in Pelusio (qua primum inuaditur Aegyptus) posuit, ut hostem tam ferocem reprimere posset: eumq; nocte accedentem

dentem excepit. Et ecce affuere auxiliarij promissi, uis scilicet innumerabilis agrestium murium: qui inimicorum tum pharetras tum arcus, tum scutorum habenas abederunt, ut postera die hostes armis exuti, fugam fecerint, amissis multis. Eocq; nũc iste Rex (inquit Herodotus) in templo Vulcani lapideus stat, manu murem tenẽs, atq; has literas dicens: IN ME QVIS INTVENS PIVS ESTO. Huic etiam lapidi simile, uel forsan crudelius spectaculum, ostendit murium turris in Rheno flumine fundata, eò quod in illa à muribus cõsumptus est Hatto Antistes Maguntinus, ob multorum pauperum oppresionem, tempore caristiæ truculentisime perpetratam. Non attendebat infelix Pontifex ad dictum Sapientis Prouerb. 11: Captans annonam, maledictus in plebe est: benedictio autem in capite eius, qui participat: prout optimè Ambrosius asserit lib. 3. Officiorum cap. 6. & 7. ubi dicit, peregrinos, & pauperes tempore famis urbe non arcendos.

Adhuc de sæua ultione Murium.
CAP. XXII.

PRæterea Munsterus in orbis descriptione effigiata, aliam murium turrim ponit, prædicta longè horribiliore: in qua allegat quendam Poloniæ Regem, Popilium nomine, miserabiliter, modo quo sequitur, perijsse. Conuiuia celebrantem, mero madentem, sertis coronatum, unguentis delibutum, crapula & luxu resolutum, inuadunt mures, de cadaueribus patruorum, quos ipse, & uxor eius Regina ueneno interfecerant, ingenti magnitudine egresi, & in conuiuantem tyrannum, consortem eius, & filios rabidis morsibus insiliunt, militum caterua nequaquam abigente, quoniam humano suffragio fatigato, mures infatigati perseuerabant, die noctuq;. Extruuntur ardentes foci, & in medio eorum locatur Popilius, coniunx, & filij: illuc autem & mures per flammas transeuntes, parricidam rodere non cessabant. Ad aliud tandem elementum uentum est. In nauibus abducitur occisor patruorum Popilius, cum suis in stagni altitudinem: mures tamen incessanter secuti abductos, & naues rodebant intantum, ut aqua perforatas rimis ingressa, submersionem minaretur. Ideò nautæ timentes præfocationem ab aquis, deduxerunt nauem in littus: unde alia caterua murium occurrens, iuncta prioribus acrius infestabat. His uisis, defensores diuinam ultionem cognoscentes, omnes fugerunt. Popilius autem protectoribus nudatus, recepit se in turrim altiorem in Crusuicza: ubi mures rapido cursu ascendentes, consumpserũt & uorauerunt duos filios, uxorem, & facinorosum Popilium. Ecce non est potestas contra Dominum, aut consilium, ubi minuta animalia, & imbelles mures Popilium miserabiliter consumpserunt: quemadmodum pediculi, uermes minutiores muribus, Arnolphum Imperatorem pulpa, carnibus, ac uisceribus exesis, medicis nequicquàm proficientibus, ad internecionem usque perduxerunt, solis cartilaginibus, & ossibus relictis.

De Hircis, & Capris.
CAP. XXIII.

HIrcorum, & caprarum in Aquilonaribus terris longè maior est abundantia, quàm in reliquis Europæ locis, ob montana pascua, & pastorum caprariorum diligentisimam curam. Hirci itaque ibidem sunt magno corpore, crasis cruribus, breui & plena ceruice, auribus flexis & depresis, paruo capite, longo, spisso ac nitido collo, cornibus altis & latis, animosi, bellicosi, & robusti, ita ut lupis mediocribus, canum tamen auxilio, congredi non formident: ferè omnes colore albi sunt: ita & capræ, ac hœdi. Hyeme pascuntur pinearum arborum corticibus, atque musco, & populeis uirgis. Pelles eorum maximis



ximis nauigijs quæstus & lucri causa, decadumq; numero exportantur ad Germanicas oras: ubi rursus amplius disperguntur in orbem. Similiter & casei, propter efficaciam nutrimenti, ac medicinæ, scilicet stupidæ ac ingrossatæ carnis, uel turgentis. Carnibus caprinis crudis, sole, sale, uetoq; siccatis, incolæ auidius uescuntur, quam illico mactatis: idq; tempore æstatis, & agriculturæ. Nautis in anchoris uentum conuenientem expectantibus, magnam securitatem locorum mutatione, in littoribus præstant pascentes capræ, eò quòd naturali instinctu, imò ad exonerandam uermium molestiam, uadunt contra uentos: qui etsi austeri sunt, non tamen bestias has ad aborsum fœtus constringunt. Vis enim frigoris tolerandi maior est in animalibus Septentrionis, quàm reliquis mundi oris. Quod autem superius cernitur anguis ante pedes hirci, signum est, hircos, caprasq; ibidem persequi serpentes: qui aliàs incolis damna facturi, nimium multiplicarentur.

De Suibus, & Porcellis.
CAP. XXIIII.



SVes, etsi cunctis hominibus in corpore, & natura non ignoti sunt, tamen quia à propitio numine ad solam hominum utilitatem, & leuandum domesticum cibum concessi sunt, omnimoda gratitudine ab omnibus (exceptis Aegyptijs, & Iudæis eos execrantibus) acceptantur: licet nullum alium usum hominibus præstare possunt, sicuti cæteræ animantes, quæ uel in cultibus agrorum adiuuant, uel plaustra collo trahunt, uel onera tergo gestant, uel indumenta exuuijs suis exhibent, uel copia lactis exuberant, uel custodiendis domibus inuigilant. Populis tamen Aquilonaribus mos est, nouæ nuptæ plebeiæ conditionis, pro initiandis augendisq; armentis, & domestica supellectile, liberaliter donare porcam, ouem, & uaccam: atq; marito equinos pullos, canem, felem, & anserem. Varro grauis autor lib. 2. cap. 4. asserit à natura hominibus ad epulandum solummodò datum esse suem. A suillo quoque pecore immolandi initium sumptum esse ueteres affirmant: & proinde in fœderibus faciundis porcus occidebatur: qui nostris temporibus longè securius, & honestius pro pace firmanda (saluo Christianorum bono ritu) mactaretur, quàm tot myriades hominum pro minima telluris angustia, tam impacabili odio trucidarentur. Atque ob id uel facete, uel seriosè dictum Cæsaris Augusti attendendum erit, quo tempore Herodes Iudæorum Rex Christo omnipotentis Dei filio nuper nato, mortem meditaretur. Nam cum audiuisset inter pueros, quos in Syria Herodes intra bimatum iussisset interimi, filium quoq; eius occisum, ait: Melius arbitror, Herodis porcum esse, quàm filium. Et hoc ex Latinis scribit Macrobius 2. lib. Saturna. cap. 10. Sed nec Plinij doctrina lib. 8. cap. 51. negligenda est: qua dicit, furto abactos sues, audita suaui uoce pastoris, submerso nauigio, quo uehebantur, inclinatione unius lateris, ad propria suggrundia remeasse. Qua comparatione si Principes benignitate suos subditos ad pacem uocarent, aut cogerent, utique porcum pro fœ-



pro fœdere firmãdo minimè opus esset occidere, uel dilaniare: quod si subditi exhibitæ benignitati (spreta pace) contradicerent, utiq; expauescere oporteret, ne in eos, tanquam rebelles porcos, spiritus discordiarum irruerent, non flumine sed sanguine suffocandos.

De utilitate eorundem, & Porco Troiano. CAP. XXV.

ASserit præterea præallegatus autor Varro, illum esse ignauum, atq; improuidum patremfamiliâs, qui succidiam in carnario suspenderit, à lanio potius emptam, quàm à domestico fundo. Suillam pleræq; nationes affectarunt, iuxta illud Iuuenalis satyra 6.

Obseruant ubi festa mero pede sabbata Reges,
Et uetus indulget senibus clementia porcis.

Est profectò suilla caro ad familiam bene alendam admodum necessaria: præbet enim firmissimum nutrimentum, & salubre corpus efficit, ubi modestè sumitur, maximè cum iusculo sit præparata: idq; Cornelius Celsus attestatur, carnem magis alere iurulentam, quàm assam: & assam magis, quàm frixam. Bonæ igitur ualetudini potius, quàm paruæ uoluptati consulendum erit. Elixam frequentius apponere præstabit, cum propter salubritatem, tum quia familiæ commodior erit. Sed iterum clamat Iuuenalis,

Quanta est gula, quæ sibi totos
Ponit apros, animal propter conuiuia natum.

Neq; alio ex animali, Plinio teste libro 8. cap. 51. numerosior materia ganeæ: quinquaginta propè sapores cum cæteris singuli. Hinc censoriarum legum paginæ, atq; sumptuaria edicta creuere, maximè quòd L. Titus abiecit temporibus suis, quòd porcum Troianum Romani ciues mensis inferrent: qui sic uocatus est, quòd inclusis alijs animalibus esset grauidus, uelut Troianus ille equus armatis militibus plenus fuit. Sed hic porcus facilè cedit Aquilonaribus aulis: pro quibus maximi boues, tam uolatilibus, quàm terrestribus animalibus cocorum peritia grauidi, & repleti ad copiosissimos ignes assantur, atq; centurionibus ordinatim sedentibus distribuuntur. Ita & apud Indos in usu fore compertum est: nam in curia Pretiosi Principis eorum, bos ingens, uel aliud quoduis animal uastum, omnigenis animantium generibus fartum, compendiosè assatur, atq; esurientibus distributum offertur: porcusq; dicitur Indianis.

De Rangiferis. CAP. XXVI.



IN partibus Septentrionis utriusque Bothniæ (sic enim extremi Aquilonis terræ, quasi à fundo uasis, uocantur) & magnæ Lapponiæ, bestia tricornis est, de genere ceruorum, sed longè procerior, robustior, ac uelocior, Rangifer duplici ratione dicta: una, quòd in capite ferat alta cornua, uelut quercinarum arborum ramos: alia, quòd instrumenta cornibus, pectorique, quibus hyemalia plaustra trahit, impo sita, Rancha & Locha patrio sermone uocantur: quorum cornuum duo cæteris maiora, eo loco, quo ceruus, habet: sed ramosiora, ac extensiora, ad ramos quindecim aucta. Aliud uerò in medio capitis, ramu

sculis circunstantibus cęteris breuioribus,situm est,caput undiq; contra inimicas bestias,præcipuè lupos,armatum reddens,imò admirationis decus inter cætera monstra pręsentans. Cibus huius bestiæ est,muscus montanus,candidus, præsertim in hyeme,niuibus in superficie soli coopertus:quas niues,licet densas, naturæ instinctu(quasi syluester equus)perforat,cibum quęsiturus.In ęstate uero folijs,ac frondibus arborum,stando eundoq; melius,quam se inclinando floribus ac herbis,propter cornua nimis antrorsum incuruata,uescitur:idq; laterali, & obliqua capitis inclinatione.Iubatum habet collum,ueluti equus,ungulas bisulcas,& ferè rotundas,à natura tributas,eò quòd eius transitus,aut cursus etiam admisso sessore,fit super altas niues,in uallibus,campis,aut montibus condensatas. Quod obliquis ceruicibus ob ramosa còrnua pabulantur,absq; similitudine non contingit. Solinus enim cap.42.dicit,apud Garamantas Aethiopiæ gentes, armenta obliquis ceruicibus petere escas,ne prona in humum cornua figant.Verum fragor,ac strepitus pedum,ungularumq; tantus est,ut æquè cito sonus audiatur, ac bestia concernatur: neq; cum cursum intenderit,ulla bestia eius euadet celeritatem, pręsertim in hyeme,quando robustior,atq; agilior est,ut uniuersæ syluestres feræ.

De utilitate huius animalis.

CAP. XXVII.



MAnsuefacta hæc animalia, ueluti armentarij greges, maximam præstãt dominis suis utilitatem,uidelicet in lacte, pelle,neruis,ossibus,ungulis,cornibus, pilis,ad uictum delicatiorem.Quidam terrarum incolæ possident 10.15.30.70.400. uel 500.qui pastorum cura ad pascua ducũtur, & reducuntur,stabulisq;,ob agmina montanorum luporum (cæteris ferociorum) grassantia,clauduntur.Educti in terras alienas,præsertim ultramarinas, ob cœli soliq; mutationem,aut insolitam escam(nisi pastore consueto cibentur)non diu supersunt:quemadmodum olim Illustrissimum Principem Suetiæ Stenonem Sture iuniorem,Duci Holsatiæ Friderico sex huiusmodi animalia misisse notatum est, duosq;,masculum & fœminam,Lapponicæ gentis coniuges,eisdem animalibus adiunxisse custodes:quibus è sua natiua terra translatis,atq; alienæ directioni subiectis,quia optata quies,uiuendiq; ratio subtracta erat,nec ipsi,nec bestiæ singulari aura destitutæ,diutius in uita mansere.Similiter & à Rege Suetiæ Gostauo circa annos Domini, M.D.XXXIII.postquam aliquot illustribus uiris terrę Prussię cum ad spectaculum,tum ad generis propagationem,decem similes utriusq; sexus rangiferi emissi essent,syluestri libertate donati sunt:at nihil inde compertum erat,an ipsa mutatio loci profuerit stirpis propagationi.

De curulibus plaustris Rangiferorum.

CAP. XXVIII.

TAmetsi hæc figura seipsam declarare uidetur,addenda tamen est eius interpretatio,nulli fastidiosa:scilicet ut agnoscatur, quibus adiutorijs, & solatijs dies suos expendant populi Aquilonares. Et ideo uidendum est,duo esse genera tangiferorum,syluestrium uidelicet,& domesticorum: qui usibus humanis subdita mansuetudine fideliter inseruiunt, ubi feræ naturæ reliqui in solitudine relicti







relicti, augmento generis se sociant, ut interim uenatione premantur. Qui domestici sunt, curulibus plaustris aptãtur, optimeq́; grauissima plaustra per rura, camposq́; deducũt, res scilicet pretiosarum pellium, pannorum, piscesq́; diuersæ speciei continentia: eò quòd pro maiori parte Lappones ichthyophagi sunt, inexhausta fertilium aquarum piscatura uiuentes, ut & infrà de eorum diuersis exercitijs erit aperiendum. Iter itaq; eorum est in uallibus planis, Noruegiam (ad quam frequentius proficiscuntur) respiciens, tanquam in rerum commutatione locum uiciniorem, ac populi fidelioris amicitiæ seruandæ commodiorem. Qui uerò his currubus præfecti sunt, uulgari gentis nomine Quenar appellantur, singulis diebus, si ita beneplacitum est, aut exigit necessitas, centum & quinquaginta millia passuũ, id est triginta milliaria Gothica, siue Germanica, conficientes: currusq́; eorum animalium non minoris grauitatis, quàm equorum reputantur. Neq; in hoc loco omittendus est Fl. Vopiscus, qui asserit, Aurelianum Imperatorem quatuor iugalibus ceruis, currui deuicti Regis Gothorum Cannabæ applicatis, insedisse, atq; Capitolium more triumphantium intrauisse: quos ueriùs crediderim fuisse rangiferos, omnes ceruorum uires in fortitudine, & celeritate exuperantes.

De Aureliano 33. Cæsare Romanorum, eiusq́; rebus gestis, disciplina militari, insigni triumpho, quorum hic Olaus paucis meminit. Ioan. Mag. lib. 6. in uita Cannabæ 28. Regis: aliàs de Galieni socordia suprà lib. 8. cap. 19. pag. 290.



Tandem currente anno à nato Christo CC. LXXI. superbissimus Claudius ignauissimo Galieno à suis interfecto, in imperio surrogatur, tãtum ad arma & magnifica facinora promptus ac paratus, quantum alter luxu, delicijs, & omnibus flagitijs contaminatus. Hic Claudius cum nihil magis aut æquè necessarium putaret, q̃ Gothorum audaciam & potentiam à Romanorũ ceruicibus, siue prouincijs coërcere, totas, aut certè maiores Romani imperij uires contra fortissimam gentem (quæ tũc plusquàm cæteri populi timebantur) cõscribere curauit. Sed non dormierunt Gothi, cõtra quos tanti belli moles instruebatur. Quippe qui prius 150. millia ad deuastandas Romanas prouincias emiserant, audita fama bellici apparatus, qui Romæ fiebat, bellatorum suorum copias geminabant. Nec deerat ab ea Gothorũ militia fœmineus sexus, qui muliebribus corporibus uiriles animos inserens, promptius ad arma, q̃ ad uoluptates conuolabat. Prius tamen quàm ad pugnam ueniretur, longè & latè uagati, uelut procella quædam quacunq; irent prouincias Romani populi afflixere. Enimuerò hinc inde in partes diffusi, multa prius Romanis dãna intulerũt, quàm aduersus tantam uim hostium Claudius satis potentem exercitum, quem comparauerat, effundere tentaret. Primò itaq; pugnatum est in Mœsia circa Martianopolim: terraq; & aquis res gesta fuit. Quæ quidem pugna eum exitum habuit, ut nulla potuerit maior clades, iuxta testimonium Pollionis, Gothorũ rebus infligi. Tradit enim Romanus scriptor innumeros mortales aut cæsos, aut captos: multos etiam naufragio perijsse, cæteram multitudinem disiectam nec semel & in uno loco, sed in pluribus locis pari felicitate pugnasse Romanos, præcipuè circa Byzantiũ & Thessalonicen, & ad oram Macedoniæ, diuersisq; terris, nullamq́; Gothis pugnam non interim funestam & exitialem fuisse, ut omnes Romanę prouinciæ seruitiorum multitudine spolijsq́; eius gentis replete sint. Libet partem epistolę adducere, quam Claudius post uictoriam ad Senatum Romanum dedit, & ad Iunium Bocchum;

chum, qui Illyrico pręſidebat, in qua nimis magnum mortalium numerum eo bello cõſumptum tradit. Deleuimus, inquit, trecenta uiginti Gothorum millia, duo millia nauium alto mare depreſsimus. Hîc autem quid dicam ſatis hæreo: unum tamen ô Claudi, ſiue Claudiane ſcriptor hîc admiror: ſi tot Gothorum millia in hoc bello corruerunt, rogo unde iterum tot Gothi confeſtim ſuccreuerint, uiresq́; reparauerint, ut uix anno elapſo difficillimum negotium potentiſsimo duci Aureliano, & toti Romanæ Reipub. faceſſere potuiſſent? Proinde ſi Gothis ęquè doctus ſcriptor accidiſſet, quemadmodum Romanis, multa utiq; aliter de ſua gente tradidiſſet: quamuis adhuc nonnulla uetuſtiſsima fragmenta Gothicæ hiſtorię in eorum prima patria inueniantur, ex quorum antiquitate aliquādo conſummatior hiſtoria de Gothicis rebus (ut ſpero) elicietur: interim oportebit ut nobis ex illis hiſtoriarum monimentis quæ à Romanis traduntur, ſatisfactum putemus. Attendendum tamen eſt teſtimonium Liberiani, & Flauij Vopiſci, qui aſſerunt Trebellium in hiſtoria Claudiana adulationibus corruptum, plura addidiſſe ueritati: quibus ego eò facilius cõſentio, dum excepto eo Trebellio, priſcorum nullus tot occiſorum recordetur. Præterea Sabellicus de ipſo Trebellio ait, quòd de Claudio è familia Conſtantini prognato, adulatione plena omnia ſcripſit.

Cannabas, ſiue Cannabandes, Cinnæ Regi in Gothorum regno temporibus ualde perplexis ſucceſsit, quando Aurelianus Romanũ regebat imperium: qui cum adhuc dux eſſet exercituum, præceptum ab Imperatore Claudio ſub hac epiſtola accepit: Claudius Imperator ſuo Aureliano S. Expetit à te munus ſolitum noſtra Reſpub. aggredi: quid moraris? tuo magiſterio milites uti uolo, tuo ductu tribunos: Gothi oppugnandi ſunt, Gothi à Thracijs amouendi, eorum enim pleriq; Europam uexant: omnes exercitus totumq; militem in tua poteſtate conſtituo: ſolitam nobis ædé uirtutem: tecum erit frater Quintilius cum occurrerit. Ego alijs rebus occupatus, ſummam belli illius tuis uirtutibus credo. Quis iam dubitat quantus fuerit reſpectus, aut terror Gothici populi, contra quem Imperator fortiſsimũ ducem, & proprium fratrem emiſerit? Libet etiam hic inſerere epiſtolam, quæ pridem Valerianus, ſiue, ut inquit Flauius Vopiſcus, Romanus Senatus gratias agit Aureliano, quòd Gothos ad Nicopolim uicerit: Gratias, inquiens, Aureliane tibi agit Reſpublica, quòd ſe à Getarũ poteſtate liberaſti. Abundamus per te præda, abundamus gloria, & his omnibus quibus Romana augetur felicitas. Accipe igitur pro rebus à te optimè geſtis coronas murales quatuor, uallares quinque, nauales duas, ciuicas duas, puras haſtas decem, uexilla bicolora quatuor, tunicas rurolas Ducalis ornamenti quatuor, pallia proconſularia duo, togam prætextam, tunicam palmatam, togam pictam ſubarmalem profundam, & ſellam eburneam: te enim Conſulem deſignamus, & de more ſcipionem dabimus, ac faſces. Hæc Senatus. Valerianus autem ad Aelium Xiſum præfectum ærarij ſcripſit, ut Aureliano Conſuli deſignato Circenſes ludos æedituro, in eorum apparatum ex fiſco daret aureos Antonianos 300. Philippicorum argenteorum tria millia nummorum, quinquagies ſeſtertiûm æris, tunicas multitias uirides decem, lineas Aegyptias uiginti, mantilia Cypria paria duo, tapetia Afra decẽ, ſtragula Maura decem, centum ſues, atq; oues totidem, maiores hoſtias duas, minores quatuor: præterea conuiuium publicum Senatoribus Equitibusq; Romanis ædi iuberet. Tum Aurelianus dicitur Imperatori his militaribus uerbis gratias egiſſe: Ego, inquiens, domine Valeriane Imperator Auguſte ideò cuncta feci, ideò uulnera patienter accepi, ideò equos & commilitones meos laſſaui, ut inde gratias ageret Reſpublica, & conſcientia mea: at tu plus feciſti. Ago ego gratias bonitati tuæ, & accipio Cõſulatum, quem tu & Senatus datis. Deus faciat ut etiam totus populus Romanus ſic de me iudicet. Si quis igitur dubitauerit quæ & quanta fuerit eo tempore apud Romanos exiſtimatio de Gothorum potentia, is præmiſſa Valeriani uerba perpendat, & honorem tam inſignẽ conſideret, qui præſtitus erat uni duci, qui uel uno prælio ſuperior, retroēgiſſe hoſtes uidebatur.

Ego autem aliquando accuratè in hiſtorijs quæſiui, an tanta fuiſſent Aureliani arma, ut per ea tantę potentię hoſtes uincere aut coërcere ualuiſſet: tandem inueni eius mirificam & optimam artem, qua non ſolum Gothos, ſed uniuerſum orbem ſuperare potuiſſet: artem inquam, qua effrenatam militum licentiam intra militaris diſciplinę leges ſeueriter continebat: quam qui ſcire uelit, legat eius epiſtolam, quam ad quendam tribunum militum dedit, quem præſidio pręfecerat. Si uis, inquit, tribunus eſſe, imò ſi uis uiuere, manus militum contine: nemo pullum alienum rapiat: ouem nemo attingat: uuam nullus auferat: ſegetem nemo deterat: oleum, ſalem, ligna nemo exigat: ſua quilibet ſit annona cõtentus: hoſtili pręda, non prouincialium lachrymis diteſcat: arma deterſa ſint, calceamenta fortia: noua ueſtis ueterem excludat: ſtipendium in baltheo habeat, non in pompa: torquem, armillas, & annulũ deponat: miles ſanguinarium equum defricet: captum animal non uendat: alius alij ut famulus obſequatur: à medicis gratis curentur: haruſpicibus nihil dent: in hoſpicijs caſtè ſe

habeant:

habeant: qui litẽ fecerit uapulet. Huiuſmodi erat militaris diſciplina ſub Imperatore Ethnico: quam ſi noſtri Chriſtiani Reges ſeruarent, profectò hoſtibus formidabiliores, & ciuibus amabiliores haberentur, nihilq; tam nobili eorum uirtuti uſquam præualeret. Nunc à digreſsione ad Cannabam reuertamur: Qui etſi ægro animo ferebat tantum Gothici ſanguinis iampridem in Romano prælio exhauſtum fuiſſe, tamen erecto & excelſo animo cogitabat reſiduas uires ſuas ita augere & confirmare, ut ſi Romani denuò contenderent collapſæ Gothicæ gentis fortitudinem experiri, deprehenderent Gothos fortuna ſuperari poſſe, animos autem deſpondere non poſſe. Interea Aurelianus Imperator effectus, magnam Romanæ militiæ uim in terras Orientales contra Palmirenos, & Zenobiam eorum Reginam educens, multa prælia in eo ductu circa Illyricum & Thraciam, quæ à Gothis grauiter denuò uexabatur, peregit. Igitur Cannabas ad tumultuaria arma excitatus, exercitum (quem ſubitus caſus admiſit) eduxit, fortiterq; pugnans occubuit. Gothi tamen qui ſupererant, ne ſic morerentur inulti, magnam ſtragem in occiſi Regis occiſores commiſerunt: qui poſtremò multitudini cedere coacti, manus uictas Romanis porrexerunt, multiq; eorum ad Aureliani triumphum Romam tranſmiſſi fuerunt. Methodius tamen, & Iordanes Gothis (ut Irenicus ſubſcribit) eandem uictoriam tribuerunt.

Hic igitur Aurelianus poſt Orientis uictoriã uario apparatu inſigniq; triumpho Vrbem ingreſſus eſt. Tres ſiquidem Regij currus illi prælati fuerunt, argento auroq; inſignes, Odenati Regis unus, alter Perſicus ab eius gentis Rege dono miſſus, tertius Reginæ Zenobiæ, quo infelix Regina ſe Romam uictrix inituram dixerat. Sed id omen in malum uertit: uincta enim eodem curru inuecta eſt, priuſquã de ea ſit triumphatum. Cerui quadrijuges quarcum currum traxere, quem Cannabæ Gothorũ Regi ademerat: eodemq; Aurelianus in Capitolium inuectus, ceruos (ut antè uouerat) Ioui immolabat. Præceſſerunt elephanti uiginti, feræ Libycæ Palæſtinæq; cicuratę ducentæ, tigres quatuor, cameli, pardi, alces, gladiatorũ paria octingenta, ex barbaris gentibus captiui, Blemiæ, Arabes, Indi, Bactriani, Hyberes, Perſę, Sarraceni, Getę, Alani, Roxolani, Sarmatę, Galli, Sueui, Vandali, & Germani. Fuerunt & Palmirenorum Principes, & Aegyptiorum, qui ex rebellione ut hoſtes triumphati ſunt: & quod omnium maximè conſpicuum fuit (inquit Italus Sabellicus) mulieres quędam uirili habitu dimicantes, quæ cum Gothis captæ fuerant, quando pleręq; alię in pugna perijſſent: eas Amazonum progeniem eſſe titulus indicabat. Creditum tunc fuit à compluribus Romanis ipſam Gothicam gentem unà cum nomine penitus extinctam, nec in reliquum tempus eius reliquias à Romana Republica formidandas eſſe, attamẽ eò res breui deuenit, uiuente adhuc Imperatore Aureliano, ut uideret per eam gentem uaſtatum Illyricum, Mœſiamq; deperditam. Pręterea cum conſideraret Daciam, quam Traianus trans Danubium prouinciam conſtituerat, nõ poſſe per Romanas uires ab importunis Gothorum armis defenſari, deſperata eius diuturniore poſſeſsione, exercitum inde reuocauit, deinde abductos ab ipſa populos in Mœſia collocauit: quam ſuam, uel Romanorũ Daciam uoluit appellari, quæ nunc duas Mœſias diuidit. Credendum tamen eſt ipſum multa uariaq; cogitatione ſecum egiſſe, antequam in illam populorum trãſmigrationẽ conſentiret, quos alias ibidem in pręſidijs Romanæ Reipub. collocaſſet. Nec ſatis feliciter ea ſolicitudo illi ſucceſsit. Quippe dum pacandis illis terris diligentius quàm ſecurius inuigilaret, domeſticis inſidijs impetitus opprimitur, Gothoſq; magis irritatos, quàm Romano imperio obſequioſos, in fata concedens reliquit. Huius ſucceſſor Tacitus breui tempore imperans nulla damna Gothis intulit, nullaq; uiciſsim ab eis illata ſuſtinuit. Probus uerò ſummam Romani imperij aſſecutus, curauit omnia probè & prudenter adminiſtrando, ne à ſuo nomine uel innata probitate degenerans uideretur. Is enim poſtquam in Germania feliciter triumphaſſet, Sarmataſq; potenter repreſſiſſet, tetendit iter per Thracias, atq; omnes Gothicos populos, quos in Romanorum amicitiam accepit: monuitq; ut in ſuis ſedibus quieſcentes, nullum damnum Romanis prouincijs inferrent, à quibus etiam nihil niſi pacem & concordiam expectarent. Itaque ſub hoc Probo, & illo Charo, ſiue etiam ſub Diocletiano, & eius collega Maximiano, qui ſucceſſu annorum imperabant, Gothicus populus in Romanorum cõfœderatione permanſit, uictoriamq; de Perſis, quam Romani ductu Galerij imprudenter amiſerant (ut mox dicemus) potenter reparauit.

Sed operæpretium fuerit prius noſſe Diocletianum ob maximas totius imperij difficultates, in quas inciderat, ſibi in conſortem imperij aſſumpſiſſe Maximianum cognomento Herculeum. Deinde cum plura contra imperium ſuccreſcerent monſtra, quàm uno & altero Hercule expugnari poſſent, creauit etiam alios duos Cæſares, Conſtantium Claudij nepotem, & Galerium Maximinum, prudenter & optimè factum ratus, ut quò plures eſſent Imperatoriæ maieſtatis aſſertores, eò pauciores fierent eius impugnatores. Sed prudentia

illa Diocletiana, quæ Christi nomen insolentissimè contemnebat, & se pro Deo adorari iubebat, prohibere nequiuit, quin ubiq; terrarum plures uno tempore rebellarent, alius hic, alius ibi, uel alibi. Inter cæteros Narseus bellum contra Romanos in Mesopotamia mouit, contra quem Galerius Maximinus à Diocletiano missus semel atque iterum conflixit. Fueruntq; eius prælia Romanis parum prospera. Quippe hostium multitudine superatus, totoq; exercitu amisso, ad Diocletianum qui non longè aberat, peruenit: à quo tam indignè ob rem ignauiter gestam exceptus est, ut aliquot millia passuum (ut erat purpura indutus) ante illius currum coactus sit pedibus iter facere. Qua insigni contumelia affectus, non continuò animum deiecit, sed reparandis uiribus toto studio intentus, Gothos ex Thracia, Mœsiaq; eduxit: quorum forti opera usus in Armenia prosperè cum Narseo conflixit, uictumq; ingenti prælio castris exuit, uxorem & liberos unà cum Regia gaza cepit, & cum his multos Persarum nobiles, ipsumq; in ultimas regni solitudines egit: sicq; priore contumelia detersa, Romanis uictoriam prius amissam restituit. Gothos quorum auxilio uicerat, diu in prælio habitos dilexit, uotisq; eorum grata compensatione satisfacere curabat, ipsiq; rursus Romanæ Reipublicæ ita inseruire studebant, ut semper eam auxiliaribus copijs sustentarent, donec suam militiam negligentius ab ipsa expeti, simulq; militaria dona & stipendia negari considerarent. Proinde sub Augusto Constantino Magno ad apertam irruptionem in Romanum imperium consurgentes, Thraciam, Mœsiamq; ferro & flamma inuaserunt: uicti tamen à Constantino, & in suas antiquas sedes redire compulsi, plurimos ex suo numero amiserunt, ut Sabellicus & Blondus affirmare uidentur. Sed Iordanés illis apertè contradicit. Constantinus enim animaduertens eius gentis mores, quòd beneficijs ac fœdere in officio contineri posset, armis autem nec subiugari, nec deleri posset, ueterem cum ipsa confœderationem renouauit: in qua inter alia Gothi obligati fuerũt, ut sub Romanis signis pro stipendio (quando uocarentur) militarent: quod etiam & magnificè præstiterunt. Eorum namq; militari fortitudine non semel usus est in Licinium sororium suum, quem Galerius Maximinus Cæsarem creauerat, ipseq; Constantinus data in coniugem germana Constantia, Augustum fecit. Sed neq; ea humanitas potuit pertinacis hominis animum à rebellione reuocare: erat enim ingenij duri, bonarumq; literarum, & Christiani nominis persecutor, quamuis interim putaretur Reipub. maximè necessarius, & in re militari peritissimus. Igitur cum Constantinus nihil apud eum beneficijs proficeret, statuit armis agendum esse contra ingratum: nec uno prælio, sed iterum atq; iterum ipsum superauit. Habebat enim Constantinus in omni bello quod feliciter gessit, auxiliares Gothorum copias sibi fideliter ac diligenter militantes, quibus Licinij exercitus (quamuis fortissimus, & sæpe reparatus) cedere cogebatur. Hic tandem Licinius Christi, & omnis humanitatis inimicus, à suis militibus quemadmodum diu meruerat, trucidatus est.

Hildericus patri suo Cannabæ, cui cognomen erat Ouida, in regno Gothorum successit, eo tempore quo Romanum imperium Constantino Magno Imperatore regebatur: qui etsi Gothos inter sui principatus auspicia magno prælio fudisse, uiresq; eorum plurimum extenuasse diceretur, attamen (ut paulò antè diximus) postea ipsos in prima amicitia & confœderatione obseruabat. Quod satis probare uidentur illi duo præstantissimi Gothorum duces, siue Reges (ut scripsit Iordanes) Ariaricus & Atharicus, qui Constantini militiam continuè secuti, tantos se in eius maiestate cõseruanda præstare curauerunt, quantum à principio eius felicibus successibus se obijcere studuerunt. Horum fideli ac diligentissima opera Licinium sæpissimè (ut meminimus) rebellantem superauit, & occidit. Deinde cum Constantinus famosissimam illam Constantinopolitanam ciuitatem urbis Romæ æmulam, ex suo nomine ædificaret, prædicti Principes quadraginta millia Gothorum ad Imperatoris, & nouę urbis presidium contra uarias gentes, quibus ea imperij sedes minus opportuna uidebatur, eduxerunt: qui se ubiq; tam uiriliter & strenuè gesserunt, ut apud suos & alienos, florentissimi regni Reges, non duces dicerentur. Neq; tunc solum ad tantam gloriam Gothi, & eorũ Principes ascendisse uidebantur, sed quotiescunq; nacti fuerunt in Romana Repub. magnanimos magnificosq; Imperatores, toties aliquod præclarũ opus, & sempiterna laude dignum pro ipsa Repub. peregerunt. At ubi Imperialis celsitudo per Principes ignauos, & sordida auaritia inquinatos occupata fuit, mox aliquid rebellionis ab ea gente meditatum est. Quis enim populus, nisi ignauo abiectoq; animo fuerit, se subijci abstineat tam sordidæ auaritiæ portentis, quibus uilissima metalla omni uirtute præclariora uidentur, quiq; citius scurris & parasitis ingentem auri uim à probis ciuibus contra ius & fas extortam effundunt, quàm teruncium uiro alicui de publica omnium salute optimè merito largiantur?

Gebericus in defuncti patris Hilderici locum surrogatus, pacem quam pater cum Romanis pepigerat, integram conseruabat. At cum Vandalis graue illi belli negocium incidit,

quo



quos quia uicini erant, cogitabat suo dominio subiugare. Habebant autem sub Rege suo Visinaro mansionem ad ripam Danubij Borealem, à Gothis autem ad Occidentalem supra gentem Marchomannorum, qui ab illis ad Occidentem habitabant: à Meridie Danubij ripam, ab Aquilone Hermunduros habebant. Igitur Vandalis hoc modo collocatis, contigit inter eos & Gebericum Gothorum Regem nonnihil controuersiæ incidisse, ob quam Gothus perarmata suorum maxima multitudine contendit in Vandalos: quos magno acerrimoq; prælio superauit, occiso Rege Visinaro, multisq; mortalibus. Tum Vandalorum reliquiæ ea irreparabili strage suscepta, missis ad Constantinum Imperatorem legatis, orant se ad Romani imperij confœderationem admitti, sedesq; in Pannonia liberas sibi assignari. Quibus impetratis, fœdus cum Constantino pepigerunt. Nec ab illis sedibus usq; ad tempora Honorij Imperatoris exiuerunt, quando (ut infrà dicemus) à Stilicone ad occupandas nouas in Gallia sedes euocabantur. Gothi igitur Vandalorum uictores, cum uiderent eam gentem ad Romanorum pacem admissam, noluerunt amplius contra ipsam arma extendere, obstante confœderatione, quam pridem cum Romanis iniuerant, qua cautum erat, ut omnes in gratiam Romanorum susceptos, amicitia non armis prosequerentur. Hic fortasse quispiam interrogat, quæ nam gentes sint, aut fuerint Marchomanni, & Hermunduri, quibus uicini erant Vandali. Ad quod respondendum puto, non solum in una plaga mundi, uerum in toto orbe terrarum crebrius esse gentium nomina commutata. Vnde si quis Ptolemæum, Strabonem, Plinium, aliosq; ueteres tum Geographos, tum Historicos inspexerit, inueniet plurima gentium & terrarum nomina, quorum uestigia nusquam hac nostra ætate inueniuntur. Mutationes autem nominum multis modis accidere solent. Quandoq; enim Reges suppressis priscorum nominibus, sua propria subiectis populis communicauerunt, quandoq; uictrices gentes abolito uictarum nomine, rursus suum indiderunt: ut Hungari superatis Pannonibus Hūgariam, Turci ex Asia Turchiam, Tartari ex Sarmatia Tartariam nominauerunt. Quod quia nostris seculis factum fuisse comperimus, uetustis illis seculis idem factitatum fuisse non dubitamus. Proinde minus facile est ostendere, qui olim fuerint illi Marchomanni, nisi in testimonium attulerimus Cornelium Tacitum, qui Germaniam, & eius populos diligentius cæteris Romanis scriptoribus tradere conabatur. Is Hermunduros circa ortum Albis fluuij ponens, occasionem dedit, ut eos hodie Morauos existimemus: in quorum montibus fons est & scaturigo Albis fluminis. Iuxta Hermunduros Narisci, ac deinde Marchomanni, & Quadi agunt: quibus superandis M. Antonius, & Aurelianus, ac Probus Romani Imperatores non parum olim laborauerunt: atq; ob eam uictoriam à Romanis scriptoribus immortali laude extolluntur, in nullo inferiores æstimati ab illis, qui periculosa bella Punica superarunt. Nunc ad Gothos, à quibus digressi sumus, redeuntes, consideremus ipsos sub potentissimo Rege Giberico post superatam fortissimam gentem Vandalorum in longæua pace, & temporum tranquillitate quieuisse.

De uehiculis hyemalibus Rangiferorum.

CAP. XXIX.



HYemalium uehiculorum usu miram commoditatem assequuntur prædicti Lappones, maximè quod lubricitate huiusmodi uehiculorum cum niue conformi, longa peragunt itinera, ad loca rerum commutationibus deputata, prout superius lib. 11. cap. 37. de forma eorum extitit declaratum: & edicto, ne externis hominibus ob maximam celeritatem accommodentur. Hic uerò ostenditur, quòd ea uelocitas causatur ex pellibus tenerrimorum rangiferorum, uehiculis his hyemalibus subductis, hac præcipua arte, ut anterior pars pellis, antrorsum cō suatur sub rheda: quo fit, ut pili foras euersi, nedum lubricitatem generent progrediendi, sed & resistendi firmitatem, ne retrò labatur auriga: alioquin in collibus altis nunquam haberetur, aut proficeretur optatum iter. Imò eo compendio uiatores arcubus sagittisq; extensis, syluestres rangiferos uenatu acquirere solent.

De commoditate partium huius animalis. CAP. XXX.

LAc deputatur ad usum domestici nutrimenti, ac serum illius, ad potum conuenientem. Pellis pro tegumento humano, tam corporis, quàm lectorum: imò equestrium sellis, culleis, & follibus artificũ diuersorum aptatur: ualde enim tenax, & fortis est, ac durans. Nerui loco lini (ibidem ob frigora non crescentis) ad indumentorum usum, instar fili præparati, deputantur, prout superius lib. 4. capite 10. de colligatione nauium ferro deficiente fuerat interpretatum. Ossa atque cornua, arcuum & ballistarum artificibus, auidè ea pro rerum commutatione quærentibus, applicantur. Similiter & ungulæ spasmaticis prosunt. Pili pro farciendis, mollificandisq́ꝫ sellis equestribus, atq́ꝫ puluinaribus pro hospitibus honorandis, & hyeme reprimenda. Carnes eius animalis optimæ, & salubres sunt, sale uentoq́ꝫ siccatæ, durabiles ad plures annos: licet interim mos genti sit, ex uenatione ueteribus adiungere recentiores.

LIBRI XVII. FINIS.

OLAI MAGNI GOTHI ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS DE ANIMALIBVS syluestribus

LIBER XVIII.

De Alcibus, seu Onagris, & siti eorum. CAP. I.





PRAEMISSIS animalibus domesticis, humano usui familiarius inseruientibus, ac etiam syluestribus, in simili effectu idẽ facientibus: cum eisdem solitudinem deinceps alias feras oportebit adducere, atque in primis alcem, usitatiori modo syluestrem onagrum apud omnes Aquilonares interpretes appellatum: de cuius natura, magnitudine, usu, ac proprietate, cum non exigua altercatio sit inter scriptores naturales, prout Irenicus Germanicarum rerum diligens historicus & scriptor, lib. 7. cap. 14. monstrat: honestum æstimabitur, ut opinionibus auditis, uagabundo alioquin animali certa tribuatur origo propaginis, ut sit in Aquilone, unde tot millia eius generis pellium magnis nauigijs exportantur ultra mare. Cæsar libro 6. ut capras esse putat. Plinius libro 8. cap. 15. iumento, aut alij animali comparauit: ceruicis tamen, & aurium proceritate distingui à iumento. Has tamen in Hercinia Cæsar ponit, Solinus in Germania, Hermolaus Barbarus in Gallia Transalpina: & medium



dium tenere inter cerui, & cameli magnitudinem, ait. Multa Iulius Capitolinus, & Pausanias. Hermolaus alces inuentu raras esse scribit, quòd & Plinius nunquam in hoc orbe uisas putat. Ad ultimum tamen eas in Scandinauia (id est extremis regionibus Aquilonis) ponit, atq; somno arbore decisa capi. Solinus propenso labro ipsas scribit, ut nisi in posteriora recederent, ali non possent. Hermolaus olfactu è longinquo uenatorem eas sentire æstimat. Zacharias Lilius uarijs pellibus eas formauit, & magnitudine capras antecellere, crura earum sine nodis rigere, ut cum ceciderint, eleuari non possint. Recentiores autem conformius sentiunt, ut alces sint ab Aquilone, tanquam loco originis, multiplici ratione prodeuntes, ubi uulgariter Elg, aut Elgar appellantur. Pulli autem uenatorum industria capti, ita successiuè mansuescunt, ut naturali urgente siti, epotent maxima ceruisiæ uasa, à discumbentibus eisdem propinata. Qua autem lege id fieri soleat, respondeant ipsi insatiabiles potatores.

De Alcium medicinis dexteri pedis, & captura earum.

CAP. II.



VNgula exterior dexteri lateris, pedis posterioris, onagri masculi, qui non genuit, abscisa à uiuo pede securi, uel alio instrumento auulsa post medium Augusti, spasmum, aut morbum caducum patienti adhibita, continuò sanat. Simile scribitur de pelle hippopotami, quòd è sinistra parte frontis inguini alligata, uenerem inhibet. Alces igitur instar ceruorum gregatim in uasta solitudine uagantur, insidijsq; extensorum telorum, industria uenatorum sæpisime capiuntur, uel maximorum canum insultu retruduntur in antra rupium, ut inde rarò uiuæ euadant: imò quiescentes humi, uel erecti stantes onagri maximi, à minima quandoque mustela guttur insiliente mordentur, ut sanguine decurrente, illicò deficiant morituri. Adeò insatiabilis est hæc bestiola in cruore sugendo, ut uix similem suæ quantitatis habeat in omnibus creaturis. Hacq; bestia cannis imposita, chordaq; directa, quidam prædantur nidos hirundinum, columbarum, & gallinarum, ut earum extrahant pullos: quibus mirè insidiatur, hoc solo instinctu, ut sanguinem sugat, quasi uentrem haberet elephante maiorem. Sic & Plinio autore lib. 8. cap. 25. ichneumon per fauces, ut telum aliquod, illabitur in os crocodili, eiusq; erodit aluum. Sic & erinacius ursum, & minimus serpens interemptorem, imò & ipsi delphini cultellato dorso Nilum ingredientes, suum hostem interimunt crocodilum: ubi alioquin impares uiribus essent extra amnem. Callent enim in hoc cuncta animalia, sciuntq; non modò sua commoda, uerum & hostium aduersa: nôrunt sua tela, nôrunt occasiones, partesq; dissidentium imbelleis. In uentre mollis, tenuisq; cutis est crocodilo: ideò se ut territi immergunt delphini, subeuntesq; aluum, illam secant spina. Nec solæ bestiæ aduersantur crocodilo, sed & gens Tentyricarum ferox, & pusilla: quæ (ut suprà capite 20. lib. præcedenti dictum est) minaci uultu, & manu audet inire conflictum cum crocodilis: qui timidos fugant, & audacibus minimè resistunt.

De pugna Alcium, ſeu Onagrorum contra lupos.

CAP. III.



SEd nec ſufficit commodo, atque utili animali homines ſuſtinere uenatores telis aſperis, ſagittisq́ latis, millenis inſidijs ſeſe in uaſta ſolitudine impetentes: imò & beſtiolas contemptibiles, muſtelas ſcilicet præmiſſas, reſpectu tam proceræ altitudinis ſuæ: niſi & ferociſsimos lupos, montanos præſertim, ſufferat inſidiatores: eo uidelicet modo, ut cum aſperrimæ hyemes ſint, denſæq́ niues, ipſi lupi fame preſſi, heremi latebras uaſto agmine circumeuntes, expoſtulent prędam: lacubusq́ congelatis onagros ineſſe ſpeculantur: in quos irruentes, & ungulis, & cornibus uel interimuntur, uel effugantur. Tanta enim uis eſt in ictu ungulæ, ut illicò tactum lupum interimat, aut fodiat: quod ſæpius in canibus robuſtiſsimis uenatores experiuntur: imò elabente cane, oppoſita arbor illiditur, quaſi fungus adeſſet. Onagri naturæ inſtinctu, ut proximo ſuperiore cap. monſtratum eſt, norunt apta certamini loca, ſcilicet in lubrica glacie, in qua macronatis ungulis ſunt ſolidiores, ubi lupi quaſi in uaginis ungulas retinent uiribus uacuatas: atq́ ita in conflictu manẽtes, non procul abſunt uenatores, qui fatigatam partem prælio excedentem, ad interitum uſq́ ſubſequi ſolent, alieno periculo prædas opulentiores conquiſituri. Fit enim atrox certamen, ut pauci onagrorum, at multi luporum lacerati linquantur: quos ob pellium ualorem uenatores acceptant, atq́ interim onagri, ſeu alces, in tuta recedunt. Lupi procul dubio ſuper congelatum niuium cacumen, tanquam leuius inſultantes, exciperent uictoriam, ubi alces graui pondere niuibus immerſæ lupis fierent eſca. Ita prouidens natura (ut ſupradictum eſt) unicuiq́ animanti idoneum campum pro ſui defenſione diſtribuiſſe uidetur.

De Ceruis, & Damulis.

CAP. IIII.



LIcet in Septentrionalibus terris plus, quàm in alia orbis ulla regiõe, uidentur aſperrima frigora prædominari: tamen innumerabilis ibidẽ etiam ignoti generis animalium multitudo reperitur, ut partim dictum eſt, atq́ peramplius oſtendetur. Inter quæ ad eſum humanum prædicti onagri, & hic dicendi cerui, damulæ, atque capreoli, nobiliorẽ ſortiti ſunt æſtimationem & ob id eorũ uenatio ſolis nobilibus, atq́ eorum officialibus, & priuilegiatis regnicolis, ut ſunt hoſpitum receptores, & Eccleſiarũ præſides, antiqua lege reperitur admiſſa: atq́ etiam ne auiditate uenatorum (quorum maximus ibi numerus eſt) ſolitudines euacuentur in ſobolis propagatione. Cornibus tamẽ in nemoribus, tanquam pignore futuræ prædę relictis, utuntur occupatores: licet non facilius ſit ea inuenire, quàm ceruas proſpicere parturientes, aut onagrum liberum in terra ſalſuginis rugiẽtem. Singulis annis ceruos cornua ueris tempore amittere Pli. lib. 8. cap. 32.



cap. 32. opinatur, & noua reparare Sed interim quasi mutili & inermes, locis abditis soliuagi latent. Ceruorum uenatio facilis est: quia inermes, & timidi, nullum habentes præsidium, nisi in celeritate fugæ. Proinde filios saltu, & cursu edocent, ut fugere possint. Mares cerui cornibus inter arborum ramos manentibus, uenatoribus cedunt. Sunt etiam cerui simplices admodum, ut nonnunquàm uiso uenatore stupeant, & omnia admirentur, uiatoresq; eminus sequantur. Sæpe etiam ui canum urgente, ad hominem confugiunt Mulcentur etiam cãtu puerorum, sed magis pastorali fistula delectantur: & præcipuè uirginum, quibus iacentes se attrectari permittunt, & hinnuli, ac damulæ illas sequuntur blandioribus sonis allecti. Cerui fugiunt audito canum latratu, quem fallunt sequentes uentum. Erigunt aures, & acutè audiunt, deprimentes obtusi fiunt. Dictami Cretensis hærbæ usu uenenatas sagittas eijcientes, uulnera propria sanat, centum annis uiuentes. Præda uenatione capta, nobilior est: insidijs, fastidiosa putatur. Ceruinæ carnes esæ, febres arcent, ut in aliquot illustribus fœminis actum esse Plinius lib. 8. capite 32. testatur.

De Castoribus.
CAP. V.




ETsi Solinus Ponticas aquas tantummodò inhabitare, & genus propagare estimat castores: tamen in Rheno, Danubio, atque paludibus Morauiæ reperitur id genus in copia magna. Sed salua hac opinione, diuinæ prouidentiæ attribuendum est, quòd maxima horum animalium abundantia est in Septentrionalibus aquis eo quòd quietiores sunt, quam Rheni, uel Danubij: ubi strepitus est, & incessabilis nauigantium labor. In Aquilone infiniti fluuij sunt, & arbores aptissimæ, pro domibus ædificandis: quas & mira fabricant arte, docente magistra natura. Gregatim etenim ad cædenda ligna incedunt, dentibusq; ligna præscindunt, & præscissa ad sua latibula miro modo comportãt. Nam unum ex suo grege laboribus inutilem, desidem, aut ignauũ, uel senio confectum sed maximè alienæ societatis, & gregis profugum, pro uehiculo pedibus eleuatis supinum, in terram dorsotenus sternunt: inter coxas, & crura ligna ordinant, & componunt: & eum trahentes ad suas mansiunculas, à lignis exonerant. iterumq; exeunt, & redeunt, donec institutæ domunculæ fuerint elaboratæ, situ scilicet bicamerali, uel tricamerali, ut corpus ab aquis emineat, atque cauda in eis quiescat, quæ ut pedes posteriores, pro piscibus in escis habetur. Est enim cauda instar piscium squamosa, coriaria, tum densitate suffulta, atq; nodis latentibus mirè distincta, delicatissimam prębens escam, atq; medicinam ijs qui saucijs intestinis elanguent. Nec periti coci eius præparationẽ ignorant, siue pro cibo, siue pro medica refocillatione sit pręparanda. Dentes habet acutissimos, ut arbores iuxta flumina quasi ferrea nouacula cædat: quin & hominis, uenatoris præsertim, parte comprehensa, non antè, quam fracta concrepuerint ossa, morsu resoluit.

De opinione Solini circa Castoreum.
CAP. VI.

QVod autem Solinus dicit, castorem se castrare, ne captus hominibus prosit, in Septentrionalibus oris nulla uidetur assertio ueritati coniuncta, ut Plin. lib. 32.

lib.32.cap.3.testatur:quia à uenatoribus captus,testiculos semper habet annexos maiori uel minori quantitate,iuxta magnitudinem animalis:sed substrictos,& adhærentes spinæ,nec adimi posse sine uitæ iactura. Agricolæ ex eius structuris depressis uel eleuatis,agros sublimiori uel humiliori loco præparant, ob aquarum inundationem maiorem uel minorem. Pro compertissima etiam medicina fœminæ Septentrionales parituræ habent,quòd quantitate unius auellanæ nucis huius castorei cum ceruisia pota,mirè alleuiat parturientem. Prætereà tempore pestis odoratui suppositũ omne toxicum arcet:quia odoris grauis,gustu amaro,& friabile est. Sternutamenta etiam olfactu mouet. Somnum conciliat cum rosaceo perunctо capite,& per se potum in aqua:& ob id phreneticis utile est,cum similibus à Plinio 32.lib.cap.3 recitatis:ubi multa mira,& utilia adducit. Pelles autem huius animalis,quasi plumæ molles sunt,& delicatæ,ac ideò pretiosæ,miram uim contra asperitatem frigoris expellendi retinentes:magnatum,& illustrium uirorum uestitus est satis pretiosus.

De Gulonibus.
CAP. VII.



INTER omnia animalia,quæ immani uoracitate creduntur insatiabilia,hoc animal præsenti figura expressum,in partibus Suetiæ Septentrionalis præcipuum susceperat nomẽ,ubi patrio sermone Ierff dicitur, & lingua Germanica Vielefrass, Sclauonicè Rossomaka à multa comestione:Latino uero non nisi fictitio, Gulo, uidelicet à gulositate appellatur. Grossities eius,ut magni canis:aures, & facies, uelut catti:pedes, & ungulæ asperrimæ: corpus uillosum,& prolixorum pilorum subfuscorum:cauda ut uulpis,licet breuior,sed crinium densiorum: unde optima conficiuntur hyemalia capitum tegumenta. Hoc igitur animal uoracissimum est. Reperto nanq; cadauere, tantum uorat, ut uiolento cibo corpus instar tympani extendatur:inuẽtaq; angustia inter arbores, se stringit,ut uiolentius egerat:sicq; extenuatum,reuertitur ad cadauer,& ad summum usq; repletur:iterumq; se stringit angustia priore,repetitq; cadauer, donec eo consumpto,aliud solicita uenatione inquirat. Creditur à natura creatum ad ruborem hominum:qui uorando,bibendoq; uomũt,redeuntq; ad mensam, noctes & dies continuaturi,prout Mechouita in sua Sarmatia opinatur. Caro huius animalis omnino inutilis est ad humanam escam:sed pellis multum commoda, atq; pretiosa. Candet enim fuscata nigredine, instar panni Damasceni, diuersis ornata figuris:atque pulchrior in aspectu redditur, quò artificum diligentia & industria,colorum conformitate,in quocunq; uestium genere fuerit coadunata: soli Principes,& magnates eo indumento tunicarum more confecto, hyemis tempore utuntur:quia calorem adducit citius,& eum diutius seruat inductum: idq; non solum in Suetia,& Gothia,sed & in Germania,ubi raritas harum pellium maiorem sortitur æstimationem,quando nauigijs una cum cæteris mercibus fuerit appretiata.

De hone-

De honeſtandis hoſpitibus in harum pellium tegumentis.

CAP. VIII.


NEque incolæ terrarum quæſtus cauſa permittunt has pelles educi in alienas regiones, cum & earum tegumentis tractent in hyeme hoſpites honorabiliores: argumentum oſtendentes ſufficiens, ſeſe nihil amœnius, clariusq́ ducere, quàm bonos hoſpites quouis tempore & ordine magnificare, etiam in uehementi frigore, quando inter alia beneficia lectos tam pretioſis pellibus ſtratos, eiſdem exhibent præparatos, prout 16. libro de hoſpitalitate gentis cap. 12. extitit declaratum. Sed neque ſilendum exiſtimo, quòd dormientibus ſub harum pellium tegumentis euenire ſolent ſomnia, quaſi eius animalis uitæ, naturæq́ conformia, in inſatiabilitate deuorandi, & beſtijs inſidijs faciendis, & præcauendis: quod forſan ſub ratione fit, ut qui ſpecies calidas, zinziber, aut piper comedunt, comburi uideantur: & ſaccharum manducantes, aquis ſuffocari credantur, prout Plutarchus habet in Problematibus ſuis. Videtur & aliud ſubeſſe naturę ſecretum, ut ijs pellibus induti, bibendo & comedendo nullum ſaturitatis ueſtigium relinquant. Inteſtina huius animalis, citharœdorum opera ad uſum chordarum (uoluptate gentium) formata, ſeu extenſa, raucum generant ſonum: qui temperamento chordarum dulcium citò reſoluitur in amœnitatem. Vngulæ in modum circuli uertiginoſis capitibus, ac tinnientibus auriculis appenſæ, celeriter recuperandæ ſanitati proſunt. Sanguis eius aquæ calidæ admixtus, uenatoribus eſt pro potu: imò etiam melle rariſsimo conditus, in nuptialibus triumphis propinatur. Aruina, ſeu pinguedo eius, putridis ulceribus per modum unctionis adhibita, celerrimè ſanitati confert. Dentium uſus incantatoribus patrocinatur. Vngulæ prędictę recenter extractæ, cattos, canesq́ demonſtratæ fugant, quemadmodum auiculæ uiſo uulture, uel erythrotaone.

De modo uenandi Gulones.

CAP. IX.

VEnatorum arte uaria acquiritur hoc animal inſidioſum (cuius facies partim catto, partim cani ſimilis eſt) ſolo reſpectu pretioſæ pellis, hoc modo: Portatur in ſyluam cadauer recens, ubi frequentius hæ beſtię uagari uidentur, præſertim in niuibus altis: (æſtate enim nil ualent pelles) quo cognito per odorem, & apprehenſo, ueſcitur, donec uentrem inſtar tympani extenſum, inter arbores anguſtas non ſine cruciatu cogatur exonerare: ſicq́ occupatũ, lata dimiſſa ſagitta uenator occidit. Eſt & alius modus huius beſtiæ capiendæ, per trabes tenuiſsima chorda diſtinctas, ut eius leui motu, cadauer edendo ſtranguletur: uel etiam in effoſſas ſcrobes, ſeu cauernas obliquas, ut fame urgente cadauere immiſſo ueſcatur, incidens capitur. Aliaq́ uia uix conceditur, ut à canibus apprehendatur, cum ungulas, dentesq́ adeò acutos habeat, ut eius congreſſum formident canes, qui in ferociſsimos lupos uires ſuas extendere ſolent. Huic guloni in auibus magnis aſsimilantur harpyiæ, quę in ſolitudine iuxta mare Ionicum morantur, tam rabidæ famis, ut ferè nullo cibo perhibeantur ſatiari. In marinis monſtris ahunus cunctis alijs inſatiabilior: cuius corpus extenditur, donec uomitu extenuet uentrem prout Albertus & Vincentius atteſtantur. Ita & hippopotamus, fluuialis equus: qui naturali aſtutia inter arundines pedem uulnerando, ſaginam deponere nouit, impreſſaq́ complanare ueſtigia, ut uenatores fallat inſequentes, prout Plinius & Solinus dicunt.

De Leporibus.
CAP. X.



QVia in frigidis nationibus Septentrionis maxima est leporum multitudo, uolui paucis eorum naturam saltem in mira colorum mutatione declarare, cum plurimi beatum Ambrosium lib. 5. Hexam. cap. 23. allegant, quasi pro miraculo dicentem, eos hyeme albescere, & æstate in pristinum redire colorem: ueluti ubique per orbem hoc credatur esse portentosum, aut mirum. Est igitur certissimum, omnes lepores Aquilonares post æquinoctium autumnale, primo præsertim niuium casu, candidum (dimisso griseo) induere pilum. Quæ autem mutationis ratio sit, satis diffusè pertractat Albertus lib. 19. de animalibus cap. 8. ubi summa uarietas huiusmodi, aut ex infirmitate, aut colore cutis, aut ætate, aut situ cœli, & terrarum, aut temporum (ut in hac instituta materia) fieri asseritur, quia sicut accidit hominibus secundum ætates alteratio, ita & alijs animalibus ex temporum mutatione. Fortior nanq; est diuersitas temporum, quàm ætatum. Amplius animalia utentia multis cibi generibus, & edendi modis, efficiuntur plerunque diuersi coloris: & ideo color apum est unus: color autem uesparum rubearum, & citrinarum, est diuersus: modi enim diuersi cibi, causæ sunt alterationis colorum. Rationabiliter autem hoc accidit, quòd ex diuerso cibo superfluitas diuersorum humorum generatur: ex quibus & cutis, pili, cortex, pluma, & pennæ in auibus proueniunt. Vidi & ego mures candidum saccharum continuè comedentes, album induisse colorem, atq; itidem eundem exuisse sacchari comestione subtracta. Autor libri rerum naturalium dicit, hermineam bestiolam (quam alij hermelinam uocant) de genere mustelarum, totam præter caudam (quæ semper nigerrima est) mutare pellem, de subfusca scilicet in albam. Idéq; parandrum facere ait in terra, & polypum, ac trebium in aqua. Quantum uerò ad escam leporum Septentrionalium regionum, certum est, eos (frigore, ac niuibus conclusa terra) uesci corticibus arborum pinei, quercini, tremulei, ac populei generis, & alijs sagacitate naturæ conquisitis, non antem niuibus, ut Plinius opinatur lib. 7. in mensibus hybernis. Somnumq; capiunt sub densis abietum ramis, altitudine niuium (fouea relicta) condensatis. Habet nanq; hoc genus arborum maius frigoris temperamentum, propter densitatem ramorum, & latebras secretas in animalibus conseruandis, quàm quoduis aliud fruticum genus. Aestate uero in rupibus, & petris domicilium eligit securum, cum se nouit naturali cooperante timiditate, omnibus animantibus datum in prædam: quam sola uelocitate, & fuga ubi poterit, euadere meditatur: non autem quando ludit cum mustela: quia hæc etsi lusum ostēdit (ut præsenti lib. cap. 2. de alce, seu onagro dictum est) tamen collo eius in tantum premendo se astringit, ut illico guttur leporis quantumcunque ualidè currentis, dentibus, ut sanguinem eliciat, confringat, et manducet. Ita dolo, non uiribus bestiolæ superatur: etiam accipitris uelocitate: contra quem, ut flexuoso cursu aduersus canem, uix, aut rarò se reseruat immunem.

De Le-



De leporum uarietate.
CAP. XI.

SVnt & duplices lepores, montani uidelicet maiores, & campestres exiliores: in quorum genere cuniculi deprehenduntur: qui subito partu, & eo plerunque damnoso, nimium multiplicantur, ut Plin. lib. 8. cap. 31. & Strabo lib. 3. in uerbo cuniculorum meminere. Sed hi nulli, aut rari sunt in Aquilone, ob terrę durissimam congelationem: quàm hyeme nequaquàm penetrare ualerent, uti in terris arenosis Germanicæ nationis, Hollandiæ, ac alibi &c. Leporum cibus ualde communis est, & usitatus in Septentrione, maximè elixus cum iusculo atro pro more gentis, satis salubri, atque eius generis carnibus assis. Vnam infelicitatem pleræque mulieres utrum gerendo incurrunt, ut uel esu, uel saltu super caput leporis facto, generent infantulos oris leporini, inter os & nares diuisa labia perpetuò retinentes: nisi statim à principio assuant particulam pectoris tenerrimi pulli, illicò occisi, & sanguinolenti. Qui podagram patiuntur, pedes imponunt iusculo leporis cocti temperato calorem relicto. Renes etiam leporini inueterati, pedibus alligati, podagram leuant. Contra dolorem pedum frigore adustorum (ut plerunque ibidem accidit) cineres pili combusti apponuntur, & prosunt. Pellium leporinarum, candidarum præsertim, maximus quæstus, & usus est apud institores Moschouitarum: qui plura millia uestium uel uendunt, uel pendunt Tartaris, ut redimant quietem, pace securiore fruituri.

De Lyncibus, & pellibus eorundem.
CAP. XII.



LYnces in Septentrionalibus syluis non adeò frequentes generantur, ut lupi, licet impares haud sint in auiditate prędarum. Quod autem Plinius lib. 8. cap. 38. asserit, eorum urina gemmam lyncurium uocari instarque carbunculi rutilantem humi defossam generari, atque in succinum conuerti, uerisimile non uidetur, ut cum hæc bestia alijs inuidens, urinam suam arena, uel terra opertam, profundius claudat, quò nunquam perueniunt muscæ, ranæ, araneæ, uermes, bruchi, culices, neque formicæ: quæ passim in succino omnium colore uariato inclusę uidetur, prout superius lib. 21. cap. 8. 9. ac 20. diffusius est ostensum. Nec lyncum transitus est prope riuos, uel aquas, sed campos, & syluas: unde lyncurium, siue succinum inde generatum ad mare, & deinde ui tempestatum in tot millibus librarum, in littora Prutenica detrudi, & colligi posse, credibile non sit. Natura igitur lyncis est, ut non respiciat retro, sed continuo progressu, & saltu præcipitet cursum. Cibus illi syluestrium cattorum frequentior, aut suauior est: quia sicut illis libentius uescitur, ita & eorum latibulis, ut rapiat, insidiatur. Pelles eius mollioribus plumis, & pulchrioribus maculis prǽditæ, satis carè uenduntur, pręsertim in asperrima hyeme prædatæ: tunc enim in uirtute, & colore sunt aptiores, uti æstate uiliores, imò deteriores. Qualiter autem & hæ, & aliæ pelles falsificentur, uideat qui uelit, supradicto 6. lib. cap. ultimo.

De Lupis, & sæuitia eorundem.

CAP. XIII.



SIcut Africa, & Aegyptus inertes, paruosq́ lupos gignunt: ita frigidus orbis Septentrionis (teste Plinio lib. 8. cap. 22.) hos asperos, & truces emittit. Et uere sic esse, sæuitia & malitia eorum ostendit, præsertim tempore coitus, & frigoris immensi, quando uiatores armatos incedere oportebit, ut se, iumētaq́ sua illæsos conseruent, præcipuè mulieres partui uiciniores: quibus lupi capto odore magis insidiantur. Ideoq́ nulla fœmina sola permittitur itineris, quin armatus custos illi assistat, prout suprapoſita figura demonstrat. Euenit enim plerunq́ mense Ianuario, ut hyemalibus uehiculis homines itinerantes, agminatim ab utroq́ latere accurrentes lupos, si uiuere uelint, arceant sagittis, & bombardis: unde fit, ut non secus uiatores ad priuata negotia, etiam Ecclesias rurales transituri, in armis prædictis sint prouisi, quàm ad publica certamina forent profecturi: imò in tantam sæpissimè ferociam, & rabiem urgente fame, frigore, & naturali congressu incidunt, ut humanas habitationes intrantes, rapta iumenta ibidem celerius deuorent, uel secum in syluas lacerata deportent. Sed neq́ impunè hoc faciunt: habent etenim et in his malis remedia ruricolæ, quod falces ferreas alligato cadauere ponant in niuibus: ut lupi prædam uoraturi, pedibus amputatis pœnas luant, uel sagittis impetiti, illico moriantur, uel subterraneis specubus auiditate prædę immersi, fame macerentur. Imò & plures diuersi generis rapaces bestias, ut prędictos gulones, & uulpes in eandem specum cadentes, habebunt socios mortis: qui communi sæuitia cum eis omnia deprædabantur.

De incidenti causa expulsionis Regis Daniæ Christierni II.

CAP. XIIII.

REx Christiernus non perpendens, aut scire contemnens, cur Gothica, & Suetica gens semper uteretur arcubus, & sagittis pręcipuè fortibus ballistis: quasi perniciosæ feræ ibidem non essent, hominibus & armentis semper nocituræ, edictum publicauit in principio sui regiminis (modico interuallo durantis) ne quis in regnis illis Aquilonaribus, huiusmodi armis uteretur, sed sub graui pœna illicò combureret ea, alioquin ut reus criminis læsæ maiestatis, quisq́ puniretur. Quo præcepto stante, plura millia ballistarum ubique comburebantur: licet aliqui præuidentes rerum mutationem, aliquot millia arcuum meliorum in abditis syluis reseruarunt. Sed uisa crudelitate sæuientium beluarum in hominibus, & iumentis rapiendis, uocatis ubique artificibus, auctoq́ pretio, celerrimè loco combustarum ballistarum multò plura millia recuperarunt: imò & de laricibus, quasi è cornibus conglutinatos arcus fabricarunt. Quod cum Regij præfecti iuxta constitutam legem uindicare proponerent, agricolæ (quorum bona depopulabantur à bestijs) dum causa necessitatis de arcendis bestijs, per hæc arma nihil efficerent, allegata, quasi uir unus numero 40. millium cum singulis ballistis exeuntes, præfectos illos, & quotquot eorum complices statutorum Regiorum executores, inuenire poterant, cum Rege, & post eum per Scanialandicas syluas fugientes è regno exturbarunt: documentum posteris præbentes, ut sic Regibus &

Principi

Principibus obediant, ne se, atque proles, & iumenta sua bestijs permitterent deuoranda. Caueant Principes à delatoribus, adulatoribus, & susurronibus: & de arcubus, ac sagittis non erit formidandum. Nero Imperator dira crudelitate execrabilis, tantum delatoribus tribuit, ut falsa etiam, quæ deferebantur, pro liquidis ac cõpertis acciperet, & quàm primum grauissime, sæuissimeque ulcisceretur: & ex minimis causis malorum cumulum exaggerabat: & facta etiam dubia ui tormentorum uera uideri adigebat: carnifex, uincula, & cruentæ questiones, sine discrimine ullo ætatis, uel dignitatis, semper præstò aderant, & calumniatorum funestas uoces expectabant: quibus Principis aures intentæ erant, nec excusantibus, aut defendentibus unquam patebant. Oportet ergo consilio Sapientis, iustum & humanum esse omnem hominem, maximè Principem multis imperantem. De hoc Christierno suprà lib. 8. cap. 40.

Quantum noceant tam Principibus quàm subditis, delatores, adulatores, maliq; consiliarij eorundem, non minus, quàm in hoc Christierno elucescit, in uita Magni Schmech 134. Regis interni, qui ad dignitatem regiam euectus est anno Domini 1319. atq; eam ob causam eius historiam hic apposuimus: ex Ioan. Mag. libro 21. Eius tamen turpem obitum (utpote qui potius aratro quàm regno dignus) & ea quæ huic historiæ cohærent, habes suprà lib. 2. Operis præsentis cap. 24. pag. 75. in uita Alberti.

Magnus igitur occisi ducis Erici filius, amoto à regni solio Birgero, per summam ducalium militum industriam Rex Gothorum & Sueonum designatur. Mathias enim utriusque regni gubernator anno Christi M. CCC. XIX. non solum senatores & proceres, sed totius plebeiæ multitudinis nuntios ex uniuerso principatu ad Vpsalensem Metropolim pro sufficiendo nouo Rege conuocauit. Est autem non procul ab eo loco lapis, quem Morasteen appellant, Regiæ electioni ab antiquissimo tempore dedicatus: ad quem innumerabilis incolarum multitudo confluxit. Tum quidam ex senatu regni præcipuus orationem grauem & elegantem coram congregata multitudine proponens, ostendit, quàm necessarium esset, post tot domesticas & periculosas controuersias, in unum Principem, & Regem consentire, idque in eo loco, quem antiquorum autoritas Regiæ electioni deputauerat. Demum uerba sua ad diuinam misericordiam conuertens, rogabat, ut Deus periclitanti populo suo talem Regem præficere dignaretur, qualem desolatæ patriæ necessitas magno desiderio postularet. Qua oratione finita, Mathias gubernator hunc Magnũ Erici filium, uix tertium annum egressum, coram proceribus & tota populi multitudine uidendum eleuauit: tantumque sua eloquentia, qua magnifica ducum gesta, & aui eius Magni Regis merita ad cœlos efferebat, profecit, ut tandem post plura consilia hinc inde proposita, unanimi omnium consensu in Regem assumeretur. Aderant quoque Noruegianorum legati, qui ostenso omnium illius regni procerum consensu, ipsum post materni aui fata Regem elegerũt. Non enim Haquinus alium post se Regem, quàm filiam huius Magni matrem reliquit. Aduenerunt etiam à terra Gotlãdiæ (quam Birgerus in Daniam fugiens reliquerat) oratores, à quibus Magnus in tam tenera ætate Rex salutatus, prius potentissimus Princeps constitutus est, quàm illa intolerabilia onera, quæ boni Reges sustinent, cogitare potuisset.

Accidit paulo pòst tempore Schoningianos sub grauissimam seruitutem Teutonicorum & Holsatorum deuenisse: nec habebant aliquam humani auxilij spem, cum etiam Dani ab eisdem hostibus grauissimè uexarentur, ut nec suæ propriæ libertati consulere possent. Quocirca Schoningi, missis in Suetiam oratoribus, auxilium in tantis calamitatibus implorabant, se, suamque patriam (quemadmodum ab initio fuerat) regno Gothorum subijcientes. At Sueonum & Gothorum proceribus uisum est, nihil in eo difficili negotio facere, nisi Danorum Rex Christophorus, consentiente sui regni senatu, eandem Schoningorum, & Hallandorum, ac Blechingorum liberationem postularet. Qui cum perpenderet impossibile esse, ut se, & Daniæ regnum tam acriter ab utroque latere impugnatum in libertatem uindicaret, consensit: imò per literas & nuntios rogabat, ut Schoningia cum Hallandia, & Blechingia ad regni Gothici coronam, à qua abstracta fuerat, restitueretur. Proinde Hemmingus Archiepiscopus Vpsalensis cum omnibus suis coepiscopis se ad Vardbergum, terræ Hallandiæ oppidũ, in medio mensis Nouembris contulit: ibique summa prudentia usus,

hostiles turmas, quæ iam illas terras penitus desolauerant, data eis ingenti pecunia, à calamitosorum ciuium capitibus amouit. Continuò namq; acceptis à Sueonibus & Gothis septuaginta millibus marcarum argenti puri ad graue pondus Coloniense, terras illas in manibus Sueonum & Gothorum reliquerunt. Præterea tenebantur eodem tempore Schoningi regno Sueonum in magna auri summa pro trecentis militibus, & ducentis equitibus à captiuitate redimendis. Quo facto, Hemmingus Vpsalensis, & Petrus Lundensis Archiepiscopi, unà cum cæteris Pontificibus & Prælatis, qui aderant, plenamq; facultatem à Danis habebant, iudicabāt, & declarabant, Schoningiam cum reliquis nominatis terris, omni uia iuris, adeoq; indissolubili pacto unitam esse debere regno Gothiæ, & de cętero perpetuis temporibus censenda esset regni Gothiæ, & non Danię pars, repositis terminis eiusdem regni Gothiæ, ut ab initio regnorum fuerāt, in medio freto Eresundiano, quo Daniæ regnum ab Aquilonaribus terris, & regnis separatur. Hanc opem nisi tunc Gothi & Sueones Schoningianis præstitissent, futurum omnino fuisset, ut Teutones non solum Schoningiam, sed totam Daniam occupassent. Deinde Archiepiscopus Lundensis, cæteriq; Prælati Schoningiani sese ad perpetuam fidelitatem regno Gothię, consentientibus Danis, astrinxerunt, omniaq; legitimo contractui necessaria, quæ apud bonos & fideles ualere solent, præstiterunt, quemadmodum literæ in archiuio ecclesiæ Vpsalensis reconditæ, & hîc insertæ satis apertè demonstrant.

SEQVVNTVR LITERAE DE REdemptione Schoningiæ.

Vniuersis præsentes literas inspecturis, Petrus Lundensis, & Hemmingus Vpsalensis diuina miseratione ecclesiarum Archiepiscopi, Petrus Lincopensis, Siggo Scarensis, Frenderus Strengenensis, Odgyslus Arosiensis, Henningus Aboënsis, & Boëtius Vexionensis ecclesiarum eadem miseratione Episcopi, Ioannes monasterij Sanctorum omnium in Lundis, Ragnaldus in Aluastro, Sueno in Hergede, Vinmarus de Varnhem, Andreas de Sinth, Folcho de Nouaualle, Michaël de Biackaskog, Henricus de Saba, N. de Thomatorp, & Andreas de Asylo Abbates, Petrus Dalbiensis, & Godefredus de Ekilstuna Priores, nec non capitula ecclesiarum Cathedralium, & cōuentus monasteriorum prædictorum. Salutem in Domino sempiternam. Cum regnum Suetiæ, & terra Schaniæ ita legaliter & indissolubiliter unita sint, & coniuncta, quòd unum de cętero regnum censeri debent perpetuis temporibus, ac unius Regis præsidio gubernari, sicut patentes literæ, & manifesta instrumenta super hoc ædita lucidius ędocent & declarant: nos unionem memoratam prompto & beneuolo amplexantes affectu, firmiter promittimus, quòd magnifico Principi domino nostro charissimo D. Magno Suetię, Noruegiæ, ac Schaniæ Regi illustri, suisq; successoribus & hæredibus, pro dicto regno Suetiæ & Schanię in unione pręfata retinendo, necnō pro eodem cum suis iuribus, & iustitia contra omnem hominem defendendo, astabimus fideliter uerbis, factis, consilijs, & auxilijs, quantum possumus, iure ecclesiæ, ordine, & officio nostro saluis, habituri deinceps limites dicti regni Suetię, qui antè citra Schaniam tenebantur in ipso passagio Orasund, eosdemq; usq; illuc unà cum alijs confinijs, & limitibus eiusdem regni Suetiæ & Schanię, ubicunq; illud hostiliter inuadi contingat, cum omni fidelitate, & toto posse nostro uiriliter & unanimiter cum Dei adiutorio defensuri. Cęterum reuoluentes sedulò in intimis cordis nostri, quàm plena sit periculis, & onusta dispendijs intestina dissensio, ea potissimum, quæ solet multoties ex uacillatione regiminis prouenire: & tantis malis, quātum Deus permiserit, prospicere circa regni regimen cupientes, firmiter promittimus, quòd inclytum domicellum, Ericum filium dicti domini nostri Regis seniorem, iuxta consilium & uoluntatem eiusdem domini nostri, in Regem, & dominum nostrum supra dictum regnum Suetiæ & Schanię terras, prouincias, & insulas tributarias ad idem regnū pertinentes, omni quo decet honore, secundum debitam formam, & consuetudinem ab antiquo iure in regno Suetiæ approbatam, in loco pro electione Regis deputato, unanimiter & concorditer elegimus, obligantes nos, & nostrum quemlibet extunc ad seruandum sibi cum omni obedientia, fidelitate, seruitijs, homagijs, & fauore, prout ex debito ueri subditi tenentur domino suo facere, & uero Regi, saluo per omnia eidem domino nostro Regi Magno patri eius iure regendi ut prius, pręcipiendi, ordinandi, ac statuendi toto tempore suo, quo superstes fuerit, circa nos subditos suos, & regni res, ac negotia, quæ pro commodo & utilitate ipsius regni uiderit expedire. Item promittimus firmiter, ut prius, quòd si præfatum dominum nostrum Regem Magnum (quod Deus auertat) nobis uiuentibus migrare contigerit ab hac luce, inclytæ dominæ nostræ Blancæ, & dicto domino nostro Regi Erico ad honorem, & ser-

uitium

uitium in omnibus fideles erimus, eisq; in suis iuribus in Suetia & Schania fideliter astabimus, iuxta posse: & si idem Ericus Rex noster protunc minor annis fuerit, sibi & regno suo Suetiæ & Schaniæ iuxta consilium, consensum, & ordinationem nobiliorum eiusdem regni Suetiæ & Schaniæ, tutor indigena deputetur, & castra omnia, & regni munitiones cum eorundem consilio, & prouisione per indigenas gubernentur, donec eum ad legitimam ætatem Deus dederit peruenire. Si uerò dictum dominum nostrum Regem sine liberis existentibus decedere contingat, tunc alium de filijs domini nostri Regis prædicti Magni superuiuentibus, qui conuenientior & aptior habeatur, in Regem & dominum nostrum super antedictum regnum Suetiæ & Schaniæ, terrasq; prouincias, & insulas memoratas, & nullum alium ritè, & rationabiliter, ut conuenit, eligemus. Item, si ipso domino nostro Erico Rege supradicto superstite, uel eius liberis existentibus; contingat dominum Haquinum fratrem eius, quem idem pater ipsorum dominus noster Rex Magnus regno suo Noruegiæ præficiendum duxerat, principatum, seu regnum regni Suetiæ & Schaniæ contra istud patris sui, & matris factum uelle usurpare, tūc eidem domicello Haquino totis uiribus resistemus: quod etiam proceres, & domini in regno Noruegiæ promiserant, quod eidem domicello Haquino in nullo penitus consilium, auxilium, uel fauorem ministrabunt, quorum prætextu contra hanc constitutionem ueniat, uel contrauenire attentet in futurum. Similiter si contingat dominum nostrum Regem Ericum supradictum ad regnum Noruegiæ uelle se intrudere, domicello Haquino, & eius liberis existentibus pari modo promittimus, quod in hoc facto ipsi domino nostro Regi Erico memorato nullatenus coadiutores erimus, aut fautores. Et si contingat quod uterq; dictorum fratrum, uel eorum alter contra premissa patris eorundem, & nostra facta uenire uoluerit, & alienigenarum, seu extraneorum ad hoc auxilium adduxerit, & per hoc regnorum predictorum aliquod hostiliter inuadere, seu subintrare attentauerit, extunc regnum utrunq;, scilicet Noruegia, Suetia & Schania, unanimiter, & insimul totis uiribus, & posse huic eorum uoluntati efficaciter resistere laborabit. Quodcūq; regnorum prædictorum prius, uel pluries circa talia fuerit necessitatum, ad hoc finaliter, & intentè, ut eorum paterna tam prouida pacis, simul & concordiæ præordinatio in suis uiribus, & pleno robore irrefragabiliter perseueret. Et si memoratum dominum nostrum Regem Magnum plures contingat habere liberos, protunc promittimus, ut superius, quod ipsorum quemlibet utriusq; sexus in suo iure, & honore iuuabimus, prout ipsis, & eorum statui, conditioni, simul & sexui congruerit, & competit, secundum leges, & statuta regnorum prædictorum, tam Suetiæ & Schaniæ, quam Noruegiæ, & iuxta consuetudines in eisdem regnis approbatas. Verum si quis cuiuscunque conditionis, aut status contra præmissa, uel eorum aliquod in parte, uel in toto se opponere, aut ea annihilare, uel infringere quomodolibet nostris temporibus attentauerit, promittimus firmiter, sicut supra, quod eidem, quominus id efficiat, totis uiribus & posse nostro, uiriliter & unanimiter resistemus consilijs & auxilijs, quantum possumus, iure ecclesiæ, ordine, & officio nostro saluis. Quamuis autem libera & spontanea uoluntate, ac affectanti animo huiusmodi negotium pro bono pacis fecisse dignoscimur, per hoc tamen iuribus, & consuetudinibus in regno Suetiæ & Schaniæ ab antiquo tēpore de Regia electione obseruatis, in nullo penitus uolumus derogari, quin ad nos, & successores nostros Regum electio cum iuribus suis omnibus, post mortem dicti domini nostri Regis Erici, uel alterius domini nostri domini Magni filij, quem ipso domino nostro Erico Rege prædicto sine liberis (quod absit) mortuo, in Regem (ut præfertur) eligemus libere reuertatur. Vt autem præmissa omnia, & eorum quodlibet maioris habeat roboris firmitatem, sigilla nostra presentibus duximus apponenda. Datum Vardbergis anno domini M.CCC.XLIII. in octaua beati Martini Episcopi.

Hac igitur indulgentissima fortuna Magnus trium regnorum potentissimus moderator effectus, principium sui imperij gloriosum habebat, finem autem nimis difficilem, atq; infortunatum. Quandiu enim prudentissimus regnorum gubernator Mathias Chetelmundi uiuebat, & unicuique, quod iustum & æquum erat, faciebat, nulla in regno discordia, nulla bellorum formido, neque ulla innocentum, & pacificorum hominum oppressio usquam emersit. Interim Magnus consensu, & consilio procerum, præsertim Mathiæ gubernatoris, coniugem sibi ex Regio sanguine in Francia Blancam nomine accepit: ex qua pater factus est duorum filiorum, & trium filiarum. At sublato è uiuis Mathia, paulatim Magnus desijt esse uirtute, & probitate magnus. Cœpit enim comessationibus, delicijsq; magis, quam Reipub. utilitatibus inseruire. Nec pati poterat consilia sapientum, qui ad uanitates se abiecerat perditæ iuuentutis: maiorem quippe rationem uoluptatis, quam honestatis præ se ferre, non erubuit. Factumq; est, ut quantum Rex à uirtutum officijs cessauit, tantum tota Respublica tenderet ad ruinam: & quantum erat imminutus numerus sapientum consi-

liariorum, tantum adauctus est numerus fatuorum: sub quibus tandem tota patria non modo periclitata, sed penitus desolata iacebat. Interim tamen uisum est Magno bellum contra schismaticos Moscouitas præparare. Quod cum sanctissimæ uiduæ Birgittæ tunc in Suetia clarescenti compertum esset, fideliter, & ex diuina relatione eum admonere curauit, ut à suo exercitu eos milites amoueret, qui sibi alium belli finem, quàm publicam Christianæ plebis pacem proposuisse uiderentur, utpote qui magis rapinas, incendia, & urbium direptiones, quàm uerum ueri Dei cultum ad schismaticas gentes extendere curarent: quod maximè de Teutonica & Danica militia Deum præmonuisse dicebat: eligeretq; in eorum locum Sueones & Gothos, qui nihil aliud ab hostibus, quàm licentiam malè faciendi auferrent. Sed imprudens Rex non solum hanc, uerumetiam omnes alias reuelationes à Deo inspiratas contemnens, colluuiem ingentis, atq; inconditæ militiæ secum trahens, primo insultu magnam Moscouiæ partem uictrice manu subiugauit, occupata eorum præcipua arce Pechense. Sed non deerat uaferrimis Moscouitis ingenium, quo hostium auaritię callidissimis promissis illuderent. Cum enim intelligerent Regem nimia auri fame laborare, tantum auri & argenti se quantocyus allaturos spondebant, quantum ipse, & totus exercitus eius uix optare potuisset. Sed quid accidit? Credidit infelix Rex perfidissimis schismaticis, qui prius credere noluit Birgittæ mulieri sanctissimæ. Confestim igitur suæ temeritatis pœnas luens, uidit infinitam Moscorum, Tartarorum, & Lituanorum multitudinem aduolare, non aurum, aut argentum, sed ferrum in aculeos sagittarum conuersum afferre, & mortem inferre paratam.

Itaque cum ad extrema, & penè ineuitabilia pericula deductus esset, à solis Sueonibus, quos in postremo stipendio collocauerat, seruatus euasit. Hi enim magno labore, & non minore industria uicini fluminis meatum effodientes, Regem (quamuis malè meritum) à mille periculis non sine omnium admiratione eduxerunt. Qui uerò in præsidio arcis remanserant, à Moscouitis crudelissimo mortis genere affecti, trucidatiq; corruerunt: quorum casum ingratus Rex inter parua damna reputans, palàm ostendit, se maiorem turpissimorum histrionum, quàm fortissimorum uirorum æstimationem habere. Quippe morum similitudine turpibus amicitia adiunctus, prudentes, & sani consilij homines abiecit, factus enormium uitiorum, & nefariæ libidinis portentum. Ea namq; flagitia relicto Reginæ toro commisit, quæ à uerecundo ingenio nequeant nominari. Quæ enim scelera tam horrenda esse possunt, quæ non committuntur à Regibus & Principibus, quando relicto Dei timore, uilissimorum hominum consilijs se permittunt? Iusto igitur dolore Regina commota, coram Hemmingo Archiepiscopo Vpsalensi clàm conqueritur, Regem uiolata matrimonij lege ad nefariæ libidinis consuetudinem se penitus contulisse.

Quocirca Hemmingus suo officio satisfacturus, assumptis secum coëpiscopis suis, & quibusdam ex regni proceribus, Regem piè, paternèq; admonet, ut publicam suæ uitæ infamiam publica morum conuersatione castiget. Quæ quidem honestissima admonitio ita ab indurato Rege excepta est, ut nulla suæ Regiæ dignitatis, aut Pontificiæ autoritatis ratione habita, iuraret, se inceptæ uitæ institutum nequaquam mutare uelle. Hoc pertinacis animi responso accepto, Pontifices, & cæteri Gothorum, Sueonumq; proceres formidabant, ne diuina indignatio ob tam horrenda Principis facinora in omnes eius subditos prouocata deseuiret. Proinde duos ipsius filios, Ericum Sueonum & Gothorum, Haquinum uerò Noruegiæ Reges, siue regni consortes constituunt, existimantes, quòd pater filiorum honorem, perinde ac propriam dignitatem æstimaturus esset, quemadmodum à principio æstimasse, & consensisse uidebatur. Sed ea erat in facinoroso Principe inconstantia, ut non longo post tempore filium Ericum à regni consortio amouere, & perdere conaretur. Quendam enim militem non solum ducem, sed dominum totius regni constituens, edicto præcepit, ut Ericus non Rex, sed Dux uocaretur. Ericus autem auxilio procerum subnixus, arma in aduersarium ducem mouens, omnia castra, & ciuitates, & terras ab eo recuperauit, atq; in Schoningiam abire coëgit. Cuius eiectionem Regina adeò graui animo tulit, ut Superos, & Acheronta pro eius reductione flectere cogitaret. Nam Valdemarum Danorum Regem celeriter accedens, promisit, ut si eundem ducem in pristinum statum, à quo deiectus fuerat, restitueret, ipsa protinus efficeret, ut Schoningia facilè, & sine armis ad coronam Daniæ rediret. Gratissima fuit astuto & auaro Regi Valdemaro tam grandis & insperata promissio. Sed cum uoluntati Reginæ satisfacere conaretur, dux ille ab Erico impugnatus occiditur. Tunc Regina uehementi dolore afflicta, imò nouercali dolo affecta, apud Regem Magnum effecit, ut Ericus ad designatum diem compareret, perinde ac si de regnorum negotijs tractandum esset. Paruit autem Ericus ab utroque parente uocatus. Sed uenientem ita excepere parentes, ut tutius se ad tigrides, & quascunque immanes belluas,

quàm

quàm ad eos contulisset. Nam à crudelissima matre toxico impetitus extinguitur, præfatus se ab eadem matre mortem accepisse, e qua uitam susceperat. Infamis profectò mulier, quæ potius ab extrema barbarie, quàm à regno Galliæ illuc peruenisset. Hanc enim omnium primam lego, quæ uenena apud nostros miscere docuisset. Sed diuinæ benignitati debemus, quòd nullas, aut certè paucissimas hactenus habuerit in nostris terris imitatrices.

Recuperatum igitur infami scelere regnum Magnus nihil prudentius, quàm antea administrabat. Enimuerò nobiliores regni proceres, qui incorruptam Erico fidem seruauerant, graui odio insectatus est: illiqúe uicissim sanguinarium Regem, qui eorum Regem tam nefarijs insidijs auferri permiserat, nequaquam poterant non odisse: nec poterat eius contaminatissima uita, nisi in summo contemptu, & publico omnium odio uersari. Creuitq; indies ea ciuilis controuersia, usque ad præsentissimam totius Reipublicæ perniciem. Quod cum Valdemarus Danorum Rex satis compertum habuisset, confestim Danicæ consuetudinis memor, cogitabat ea domestica Sueonum & Gothorum discordia ad aliquam eximiam Danici regni utilitatem uti. Primùm itaque missis literis, & legatis, Regem Magnum ad suas partes, & singularem amicitiam inclinare contendit. Nec sua spe frustratus, plura, quàm honestè sperare potuisset, assecutus est. Siquidem Magnus, uisis dulcissimis literis, & magnificis promissis Valdemari, quiescere non potuit, donec ad eius colloquium in terram Schoningiæ descenderet: ubi ab ipso tam blandis obsequijs, & suauissimis colloquijs exceptus est, ut putaret se in sinum indulgentissimæ matris redijsse. Valdemarus enim ita egregijs uerbis ipsum lactabat, ut Magnus in omne reliquum tempus, Blanditus, & Lactatus per conuitium uocaretur. Quippe tam effœminatè se gessit, ut omnem Gothicam seueritatē penitus abiecisse uideretur. Nec dubitabat plus fidei apud unum blandiloquum Danum reponere, quàm apud omnes Gothorum & Sueonum proceres, quorum sudore, & sanguine factus fuerat tot terrarum & regnorum Princeps: imò abiecta omni erga patriam charitate, cum illo Rege in propriorum regnorum desolationem omnino consensit, factus suorum subditorum insignis hostis, prædo, & proditor. Enimuerò illarum literarum exemplaria, quibus terrarum Schoningiæ, Hallandiæ, Blechingiæ liberatio, uel redemptio inserta erat, spontè, & liberè in manus tam insignis hostis assignare non erubuit, nihil ab eo pro tam ingenti argenti summa reposcens, nisi quòd toto studio conaretur Suetici regni proceres, à quibus pro suis enormibus sceleribus tam liberè reprehensus fuerat, opprimere, & in abiectam aliquam conditionem redigere: propter quód si Valdemarus æquam mercedem ex terra Schoningiæ non haberet, permitteret etiam illi duas optimas insulas, Elandiam & Gotlandiam, quæ semper fuerant regnis Gothiæ & Suetiæ obedientissimæ, diripiendas & desolandas. Hîc meritò & iustè exclamare possem: O insensate, & dire tyranne, nimis ingenti pretio duros carnifices in capita tuorum fidelissimorum ciuium conducis.

Commouit ea Gotlandiæ deuastatio omnes Germaniæ ciuitates, præsertim illas septuagintà capitales, quæ missis legatis hostilia Valdemaro, ob direptum eorum insigne emporium Visbycense, nuntiabant. Sed iam Valdemarus ob confœderationem, quam cum Magno iniuerat, audacior effectus, earum legationem quibusdam ludicris uerbis reiecit, & contempsit, sumpta responsione ex septuaginta anseribus, quibus principes, & totidem gallinis, quibus imbelliam ciuitatum denotare uolebat. Quam quidem responsionem Dani etiam hodie magno applausu extollunt. Nec minus, imò maximè commoti fuerunt omnes Suetię incolę, considerantes suum Regem Magnum omnia temerè, & nihil prudenter agere, totoq; studio in suorum subditorum exterminium ferri. Quocirca Pontifices, & proceres filium Regis Haquinum adhortantur, ut desolatæ patrię misereatur, prouideatq;, ne tam ipse, quàm pater eius ex toto imperio, citius quàm credi posit, amoueātur. Persuasus igitur Haquinus tantorum uirorum autoritate, & consilio, patrem in ecclesia maiore ciuitatis Calmarnēsis captiuat, atq; in arce eiusdem ciuitatis custodiri fecit. Quo facto, principes optimè consolati, suadebant Haquino, ut imperium à patris tyrannide liberatum ita cōfirmaret, ut accepta ex Holsatia coniuge, sese aduersus futuras hostium insidias Holsatica affinitate præmuniret. Paruit Haquinus optimè suadentib. proceribus, legatosq;, qui spōsam Elizabethā Henrici Holsatię comitis germanā adducerēt, expediuit. Intereà tamen, cùm illi impositam prouinciā diligenter prosequerētur, Haquinus patrē à captiuitate absoluit, absolutūq; quocūq; uellet abire permisit. Confestim igitur Magnus ad suauissimū amicum suū Valdemarū Danum accessit, effecitq;, ut eius filia Margareta Haquino desponsaretur, insidięq; in mari, et terra ponerentur, quibus legati pridem in Holsatiam missi interciperentur. Quę omnia, ut

Sueonibus erant nimis odioſa, ita Valdemaro gratiſsima, & iucunda. Statimq́; filiam Haquino deſpondit, & proceres ex Holſatia cum nouella ſponſa ad Suetiam per mare regredientes comprehendit, comprehenſosq́; multis contumelijs affecit, & hinc inde per arces regni Daniæ cuſtodiendos diſtribuit. Cuius rei indignitate uehementer commotus eſt dux Albertus Magnopolenſis, qui Regis Magni ſororem Euphemiam habebat: eratq́; eidem uirgini ex Holſatia ductę proximo conſanguinitatis gradu coniunctus. Proinde inſtantiſsimis precibus apud Valdemarum egit, ut Sueonum proceres, illuſtriſsimamq́; uirginem libertati reſtitutos abire pateretur.

Sed cum precibus nihil effici poſſe uidebat, armatam claſſem Daniæ littoribus imponit, totisq́; quatuordecim ſeptimanis ferro, flammaq́; Danicas inſulas deuaſtauit, donec Valdemarus captiuos ſequenti cap. nominatos, ad naues ducis aſsignaret. Qui mox à duce in Suetiam abire permiſsi, non patriam, ſed exilium intrauerunt. Iam enim Magnus à Valdemaro perſuaſus, non ſolum illos, ſed pleroſq́; alios præcipuos Gothorum & Sueonum proceres omnino proſcribendos decreuerat: in quorum numero non poſtremũ locum habebat Magnus Store, ex Gyltharum familia in Veſgothia oriundus: quem meum in paterna linea atauum agnoſco. Hic ut erat patriæ ſuæ amantior, ita à tyranno maiorem perſecutionem ſuſtinebat. Cauſa aũt ob quã tam illuſtres uiri proſcribebantur, nulla alia erat, niſi quia Regẽ à perditis moribus ad uitam Regia maieſtate dignã reuocare conabãtur. Hi igitur uigintiquatuor erant, qui tyrannide Magni à patria expulſi, primò inſulam Gotlandiæ adierunt, deinde peracta hyeme ad ducem Magnopolenſem ſe conferentes, in primis ſe excuſare cœperũt, quòd illuſtriſsimæ uirgini ex Holſatia adductæ, non tam feliciter ſucceſſerat, quemadmodũ ab ipſis, & omnibus bonis magno deſiderio fuiſſet optatum. Quorum excuſationem optimus Princeps benignè admittens, reſpondit, eis non eſſe imputandum, quod aliena culpa eſt commiſſum. Deinde ipſis bene ſperare, & in ſua terra manere iuſsis, de omnibus uitæ neceſſarijs liberaliſsimè, & ad plures annos prouidit. Interea tamen ſummũ ſtudium apud Magnum tum per literas, tum per nuntios adhibuerunt, ut ſuorum iuramentorum, & promiſſorum memor, melius terris, & populis ſibi ſubiectis conſuleret, terramq́; Schoningiæ ad Gothici regni unitatem reuocaret: nec putaret Regiæ honeſtati conuenire, auulſas regni partes in eorum poteſtatem transferre, à quibus mala ſæpiſsimè, bona autem nunquam, aut rariſsimè rependi conſueuerunt. Præterea dux Magnopolenſis ſummã diligentiam apud Magnum adhibuit, ut tot, talesq́; proceres de patria optimè meritos, in priſtinam gratiam aſſumeret, eorumq́; conſilijs potius, quàm aliorum de negotijs regni minus expertorum uteretur. Sed erat inane, & uacuum, quicquid apud Principem omnis humanitatis expertem agebatur, maximè talem, qui ſine ratione, & lege uiueret, ac regeret, ut omnium, pręſertim fidelium ſubditorum uitam euerteret, aut perderet libertatem.

Tandem poſtquàm aduertiſſent eum nullo obſequio, nullis precibus, nulliſq́; ingenijs mitigari poſſe, ad nouiſsima conſilia conuerſi, apertas ei literas miſerunt, quibus ſignificabant, ſe poſt ea tempora eius gratiam, aut amicitiam minimè curaturos, ſed efficacius quò poſſent in ipſius deſtitutionem cooperaturos. Et ne tãtum minis potentes eſſe uiderentur, confeſtim Albertum eiuſdem ducis Magnopolenſis filium natu maiorem, ipſius Magni Regis ex ſorore nepotem, in Regem Suetiæ elegerunt. Crantzius tamen cauſam potiſsimã huius electionis eam fuiſſe affirmat, quod Magnus inter dotalia pacta cum Henrico Holſatiæ duce ita cõueniſſet ut ſi ipſe Magnus coniugiũ Haquini filij ſui cum ſorore germana Henrici detrectaret, mox regnum Suetiæ ad Henricũ, uel quẽ ipſe Henricus uellet, translatum eſſet, omnesq́; proceres à iureiurando, quod Magno præſtiterãt, abſoluti, & ipſi Henrico obligati cenſerentur. Qui demum ab Hẽrico ad Albertum (cuius filiam nuper duxerat) miſsi, filium eius Albertum in Regem elegerunt. Erant autẽ inter hos electores duo præcipui Pontifices unus Lincopenſis Nicolaus regni Archicamerarius, alter Vexionenſis proximus regni conſiliarius, Dominus Carolus de Topta regni Marſcalcus, Nicolaus Sture Dapifer, Ericus Caroli Camerarius, equeſtri dignitate inſignes, cum non paucis eiuſdem regni proceribus Albertum fortiſsima claſſe ſubnixum aſſumentes, nauigationemq́; ex Varnæ fluminis per Roſtochium labentis oſtio inſtituentes, ad inſulã Gotlãdię primo applicuerũt, effeceruntq́;, ut omnes eius incolæ eidem, perinde ac legitimo, & indubitato Gothorum Regi, obedientiam fidelitatẽq́; pręſtarent. Deinde eũ uſq́; ad Stocholmiã Sueonũ regiam deducentes, prompto omnium conſenſu recipiuntur, abhorrentibus cunctis Magni ignauiam, & intolerabilem in omnes ordines tyrannidem. Tum Pontificum, & ſenatorum regni edicto tam nobiles, quàm plebeiæ multitudinis nũtij ex uniuerſo Gothorũ, & Sueonũ imperio ad ciuitatẽ Stocholmẽſem conuocantur: ipſiq́; Regi Magno, ſi ſuã cauſam ex ęquo, & iuſto defendere uellet plena facultas eſt conceſſa. Sed eo non comparente, nec aliquo pro eo reſpondere uolente,

lectæ sunt contra eum in publico regni consistorio grauissimę querelæ, uidelicet, quod esset abominandis criminibus notoriè infectus, atq; in eis ita obstinatus, ut nec fidem Christianam, nec Catholicæ Ecclesiæ autoritatem in aliquo æstimaret, eo deterior Ethnicis, & barbaris principibus factus, quo diuina maiestate, & sapientia contempta, sese (Deo resistens) pariter & regnum suum iusto regimine destitutum subijceret inopinatę calamitati: idq; iusto uindice Deo factum est ut qui uellet alios in pręcipites casus, ruinamq; emittere, ipsi certum foret pariformiter interire. Præterea iuramenta, quæ in sua coronatione ex more regni fecerat, non solum multipliciter uiolauerat, sed pro ioco, & ludo reputauerat: terras regni pro sua uoluntate ad manus hostium tradere, inter egregia facinora duxerat: subiectos populos omni uexationis genere molestare, nec ullum finem tributis, & oneribus imponere, ad Regiam gloriam spectare asseruerat. Insuper nec iudicijs, nec legibus alicubi in toto regno ullum uestigium reliquerat: imo non secus ac publicus regni hostis, ad se omnium ciuium fortunas, nulla iustitiæ, aut ęquitatis ratione habita, passim transtulerat. Quocirca totius senatus autoritate iudicatus est ipso nomine Regio indignus: omnesq; regnorum Gothię & Suetię incolę, ab eius obedientia senatus decreto absoluti. Deinde amoto à regni administratione Magno, proceres ipsi, ne in alienam familiam Regia dignitas translata uideretur eiusdem Magni ex sorore nepotem Albertum in Regio solio collocauerunt. Haquinum uero similiter ut patrem, quia eius sceleribus plus, quam patrię fauerat, pręterierunt.

De multiplici genere Luporum.

CAP. XV.

SVnt montibus Doffrinis, Suetica ac Noruegiana dominia diuidentibus, lupi albicantis coloris, gregatim ut pecora partim in uallibus, partim in montibus euagantes: quorum esca sunt animalia imbecillia, ut mures, talpę &c. Syluestres, & cõmunes lupi sunt, qui armẽtis incolarũ mira importunitate insidiantur, ut uaccis, uitulis, capris, ouibus &c. Contra quos, pauperiẽ incolis facientes, uenatio publica loco, die, & hora instituitur, ut retibus, canibus, ac reliquis insidijs interimãtur. Non enim tantã curã habent pro ueteribus lupis intercipiendis, quàm catulis ne coalescant, interficendis. Quidam etiã ex catulis sic interceptis, etsi domestici fieri uideantur in uinculis clausi, tamen sæuissimi generis non obliti, quibusuis alijs etiam uolatilibus insidiantur. Fœtus tamen ex ijs, & cane domestica procreatus, ualde inimicus efficitur in omne aliud luporum genus, quod gregibus insidiatur. Est & genus luporum Thoes dictum, cæteris longitudine procerius, sed breuitate crurum dissimile, uelox saltu, uenatu uiuens, innocuum homini: habitum, non colorem mutat: per hyemes hirtum, ęstate nudum. Meminit Pau. Diaco lib. 4. cap. 38, lupum demonstrasse uiam errabundo: quod portentoso euentui ueniet attribuendum, prout Vincen. lib. 27. cap. 87. asserit, in territorio Gebennensium lupum quendam magnitudine corporis, ferocitate alijs dissimilem, homines deuorasse, & plusquam 30. animas diuersi sexus, & ętatis uita priuasse. Etiam lib. 31. cap. 16. luporum rabiem tantum sæuijsse, ut filios ab uberibus matrum interceperint laniandos.

De Lutris, & earum diuersitate, ac pellium falsitate.

CAP. XVI.

LVTRAE quadrato ore mordaces, ut castores: quibus similes in pellibus triplo tamen longiores, & in Septentrionalibus aquis, præsertim superioris Suetiæ, Helsingiæ, Medelpadię, Angermanniæ, Iempthiæ, & Bothniæ utriusque reperiuntur: quarum pelles, sicut castorum, atque aliorum animalium, mira multitudine uersus Moschouitas, & exinde uersus Tartaros exportantur: quia in ijs locis frigidioribus, pro humanis tegumentis, rerum commutationibus



potius, quàm nummis auidissimè comparantur. In Suetia autem apud quosdam magnates adeò cicurantur, seu domesticantur lutræ, ut signo dato per cocum, uadunt in piscinam, piscem magnitudine ab eo designata suscipiẽtes, rursumq́ alium & alium, donec sufficit imperatis satisfecisse. Caro eius solummodo ualet pro bestijs uenatione apprehendendis. In magno etiam usu gentium Aquilonarium pelles earum sunt, ad fimbrias (propter corij tenacitatem) uestium ampliandas. Numero decadum, ut castorinæ, atq; uulpinæ, seu mardurinæ &c. diuenduntur: carbonibusq́, & piceo fumo falsificantur, ut appareant nigredinem tenere resplendentem: sed mox linteo albo attritæ, colore relicto sophisticationem ostendũt. Ita & luporum pelles carbone, ac creta puluerisatæ, linteo confricatę, demonstrant falsificationem. Ita & sciurinæ (Dosse Italicè dictæ) pelles, creta respersæ seipsas panno adhibito atro ostendunt, quis naturæ, uel artis color sit inueniendus, & ęstimandus, ut supra lib. 6. cap. fi. nonnihil est dictum.

De Sciuris.
CAP XVII.



HOrum animalium minutorum infinita est multitudo in Septẽtrionalibus syluis, pilorum densitate & colore distincta, una adiecta infallibili regula, quòd quantò magis tractus terrarum uergit ad Septentrionem, tantò pulchriores, frigore causante colorem, sunt harum bestiarum pelles, sub eleuatione poli scilicet 77. graduum incipiendo uersus supremum polum: in quo spatio uenatores magis fatigantur, quam satiantur, hac infinita præda ubiq; in arboribus, ueluti grege piscium in aquis abundante, ea præsertim commoditate, quod arbores non sunt sublimes, in quibus hæc animalia ludunt. Sed reflectẽdo ad Meridionalẽ regionis sitũ, quantò magis reditur ad Austrum, tanto deteriores & magis fuscæ occurrũt pelles. Caro huius bestiolæ assa, uenatoribus est pro esca suaui. Dentes uerò p̃stigiatoribus seruiũt, ut ijs detegãt futuros euẽtus.

Adhuc de eodem animali pręscio futurorum.
CAP. XVIII.



TRanatat hæc bestiola per amnes exiguo ligno, caudã habens pro uelo expansam: non enim ei natura alium cõcessit natandi modum, propter exiguum corpus, & nimiam pilorum densitatem in cauda uillosa: qua citò imbuta aqua, mergeretur in fundum. Neque pedes habet huic necessitati accommodatos; alioquin sagacissima est tempore caloris, ut cibos habeat pro parte longæ hyemis reconditos,

ubi



ubi dormiendo, & quiescendo reposuerat nidos: quos claudit ad latus, uel aperit iuxta flatuum asperitatem. Nuces autem corylinæ, & faginæ, siue pinei pampini, sunt cibus earum. Estq; alia earum species, quæ somno pascitur pro cibo. Miræ pernicitatis sunt in saliendo de una arbore in aliam: caudaq; librant motum, & agilitate ungularum acutissimarum in ramis exultant, ludosq; pulcherrimo spectaculo super congelatas niues ostendunt. Harum pelles decadum numero ad plura millia, quasi ad totam Europam nauigijs institorum exportantur, pretij augmentum uiarum longitudine, atq; uoluptate eas concupiscentium, accumulantes. Senibus quidem utilis, & honestus uestitus est: sed minimè deseruit armatis, aut fortibus uiris: quibus congruit lupina pellis, uel gulonina, prout suprà capite septimo reperitur.

De Marduris, & Zebellis, ac pellibus eorum.

CAP. XIX.



MArduri, ac zebelli, frigidarum regionum animalia sunt, uniuersis in nomine tantummodò nota: paucis tamen in proprietate uirtutis: nisi ex qualitate pellium, quales bestiæ sint, agnosci possint. Id autem in eis deprehenditur, quòd ualde agiles sunt in cursu, & saltu præualentes. Ferè etiam ut sciuri, cauda quasi pro temone utentes, de arbore in arborem ramos ungulis apprehendendo, saltant: sed morsu terribiles sunt, pro sui generis exilitate. Dentes enim natura eis quasi nouaculas dedit, & ungulas ualde subtiles, & acutas. Sed ut caro ad nullum usum ualere dicitur, ita & pelles horum animalium sunt plurimum appretiatę, apud remotas præcipuè nationes: quæ luxui magis intendunt, quàm commoditati. At earum differentia in hoc deprehenditur, quòd mardurinæ grossioris pili sunt à uertice ad caudam, non autem econtrà contrectatæ, pulchrum ordinem habentes: haud ita zebellinæ, quæ à cauda ad uerticem contrectatę, ęqualem seruant decorem: quia uillosiores sunt, & densiores pili: quę ob id citius uermibus consumuntur, quàm reliquę pelles, nisi sint in continuo motu, aut absynthij ramis interpositis conseruentur. Et si pelles zebellinę ad apertum solem siccandæ appenduntur, plus uno die consumuntur, quàm tritæ, uel portatę forent per unum annum. Viuens enim bestia semper latitat in umbroso saltu, ex insidioso quæstu auicularum quærens uictum: libidinosissimum animal, & ualde fœtidum in naturali congressu, ut infrà de muribus Ponticis, seu hermelinis ostendetur. Vtreq; tamen pelles, hę scilicet & istę, pilos habent in tactu blandiores, satis superuacaneum generãtes luxum: qui uermibus tandem consumitur, ac moritur horis suis, postquàm tanti empta sit uoluptas aliena. In extremis Moschouitarum syluis zebellus nascitur, & magno terrarum, mariumq; spatio deportatur ad alienigenas: quod uetusto gentis huius Moschouiticę artificio prouenit: quę mineras auri, aut argenti in terris suis (amnibus, & paludibus plenis) non obtinens, aurum solidum & argentum, putrescentibus ijs commercijs, magno suo lucro, mercatorumq; miro quæstu pertrahere nouit. Sed rursus metalla hæc, ueluti ad prælia pro ornatu corporis, & iumentorum, uel potius uitæ pretio hosti exhibenda comportat, ut hæres nil habeat: ita ij, qui ad luxum emerunt pelles eas, uermibus consumendas citius, quàm heredibus possidendas adseruant. Nec satis feliciter ignaræ mulieres Italicę odoratui subijciunt has pelles zebellinas, ob rationes silentio potius

tius premendas,quàm aperiendas:eò quod eis maiora uitia insunt, quàm bonæ uirtutes,ne crebrioribus Senatusconsultis, propter inanes sumptus arcendos, opus sit,ubi rei malitia patet.

De Hermelinis,quos secundum Plinium mures Ponticos opinor. CAP XX.



COnduntur(ut Plinius lib. 8. cap. 37. scribit)in hyeme Pontici mures, & ij duntaxat albi:quod qualiter intelligi poterit,saluus sit sensus unicuique, sine iniuria tamen naturæ philosophāti. Si hyeme clauderentur,& asperrimo gelu,nunquàm appareret albissima pellis huius bestiolę,quę æstate subrufa uidetur in fine Maij, quando deposita albedine, propagationi intendit inter nouas herbas,prout fateor me obiter inter equitandum uidisse apud Helsingos populos Septentrionales M.D.XVIII.ita ut in congressu propter nimiam coniunctionem,in cursu uelocissimo cohærerent,atq; dentibus striderent,tantum fœtorem in magna parte syluæ diuersarum arborum(quia ibidem plures congrediebantur)relinquentes,ut uix meminerim me deteriorem sensisse unquam. Asserit idem Plinius lib.10.cap.65,mures lambendo generari:quod in his animalibus simile uero haud uidetur:quia more communi bestiarum coeūt,licet uolens taceo modum copulationis. Hæ autem bestiolæ singulo quoque triennio,ut in plurimum præ nimia comestione ad maximum lucrum mercatorū amplientur ac prolongantur in pelle:quod eo modo nedum in Noruegia,sed & in prædicta Helsingia,atq; uicinis prouincijs diœcæsis Vpsalensis euenit,scilicet ut bestiolę quadrupedes,Lemmar,uel Lemmus dictę, magnitudine soricis,pelle uaria, per tempestates & repentinos imbres è cœlo decidant:incompertum unde,an ex remotioribus insulis,& huc uento delatæ,an ex nubibus feculentis temerè natæ deferantur.Id tamen compertum est,statim atq; deciderint,reperiuntur in uisceribus herbæ crudæ nondum concoctæ.Hæ more locustarum,in maximo examine cadentes,omnia uirentia destruūt,& quæ morsu tantum attigerint,emoriuntur uirulentia.Viuit hoc agmen,donec non gustauerit herbam renatam: conueniunt quoq; gregatim quasi hirundines euolaturæ, sed stato tempore aut moriuntur aceruatim cum lue terræ:(ex quarum corruptione aër fit pestilens,& afficit incolas uertigine,& ictero)aut his bestijs,dictis uulgariter Lekat, uel Hermelini, consumuntur:unde ijdem hermelini pinguescunt,& reddunt pellium mensuram lōgiorem. Et hę quoque pelles decadum numero,prępertim 40.pelles in quolibet fasciculo, ut zebellinæ,mardurinæ,uulpinæ,castorinę,ac sciurinæ,uel leporinæ, uenundantur,atq; nauigijs in regiones longinquas exportantur.Sophisticantur & illę modo in lib.6.cap.ultimo ostenso: quod attendant atris chirothecis eas tangendo, qui emere uolunt.Et hæc fideliter scribo,ne dolosis artibus ob miserrimum lucellum intendant mercatores,qui putant impunè fallere Deum,ut hominem dolos & fraudes ignorantem.

De ue-



De uenatione huius animalis.
CAP. XXI.

QValiter autem hermelini (ut uocabulo Italico, imò & Gothico utar) à uenatoribus capiantur, & ad quem usum deputentur, paucis ostenditur, & in primis supradicta positione transuersorum lignorum subtilissima chorda adhibitorum: quæ (ingredientibus harmelinis tribus, quatuor, uel octo simul) mota, repente eos in sua pressura claudit: taliaq; signa, ob nimiam multitudinem harum bestiolarum, passim sunt extensa. Item sunt & foueæ, seu fossæ oblongæ, quibus superstenuntur subtilissima ligna, atq; super ea nix, ut quasi appareat continuus, atque solidus campus: in quam fossam magno numero cadentes bestiæ, à patrono loci, uel eius substituto captæ, occiduntur. Item sunt & canes adeò celeres, & sagaces, ut eas comprehensas morsibus occidant. & comportent, uel ante pedes patroni cumulando colligant. Item sagittarij inter adolescentes, plurimi adeò triti sunt, ut nec in sagitta, nec præda arripienda fallantur. Caro autem huius animalis, propter esum uilium escarum, nihil ualet: sed pellis sola: quæ propter candidissimum colorem in summis Principum utriusque sexus ueneratur aulis. Licet ipsa bestiola sit luxuriosissima, ut prædictum est: in uno tamen admiranda, quòd ad finem Maij certis diebus operam pręstet propagationi: & ita naturę legibus est contenta. Illustres personæ utriusque sexus his pellibus continuo candore interpositis raris caudis nigris, utuntur, maximè in amplissimis uestium fimbrijs, antiqua honestate seruatis. Sed heu dolor eò iam processit ille modus, ut illo despecto uestes in mille partes discissæ, foris indicent, paruum intus adesse pudorem, aut integritatem, uel pudicitiæ securitatem in ea ęde, quando totus paries foris, uel ruptus est, uel tot habet pro furibus intromittendis apertas fenestras, prout superius lib. 14. cap. 2. de pudico uirginum ornatu erat dictum. Nec aliud hic uidetur expectandum, nisi quod Deus perdet omnes iniquè agentes superuacuè. Honestis tamen, ac legitimis personis, et coniugibus concessus est habitus, seu ornatus iste pellium hermelinarum, & cuiuscunq; generis nouis nuptis.

De natura Taxorum.
CAP. XXII.



VISI sunt superioribus capitulis fibri, siue castores, quomodo domos structuri in aquis, unum uidelicet alterius societatis profugum, uel alienigenam, in lignis comportandis, ad terram supinum statuunt, uentriq; eius onus pedibus constringendum imponũt, ac demum eundem pertrahunt in locum destinatum. Ita præsenti cap. similis naturæ sagacitas apparet, in animalibus, quæ Taxi dicuntur. Hi enim, quia in specubus, ac subterraneis antris naturaliter habitant, mansionem mirabili modo confingunt, ita uidelicet, ut unum taxum constituant terræ pedibus suis effossæ uectorem: qui supinatus extensis cruribus, & erectis, supra uentrem suum terra effossa accumulatur, oneraturq;: per pedes ab alijs exportatur: totiesq; hoc faciunt, quousq; mansionis latitudo habitatoribus sufficere possit. Sed habitationem huiusmodi tanto labore partam, non sine difficultate posteà tuentur. Primam namq; hostilitatem patiũtur ab insidijs uulpeculæ: quæ cum domum nunquàm fabricat, dolis confisa malignis & solitis,

taxorum foueam ingreditur, ac fœtore stercoris tãtum inquinat, ut horrore suam domum relinquere cogantur & securitatem. Attamen ne insidiosę uulpis impunita perduret astutia, sæpissimè uenatorum industria canum proditionę comprehenditur, & excoriatur. Profectò æqua lex esset, ut alienę possessionis inuasores partes uulpiũ fierent, qui uulpiũ insidias, & mores malis artibus imitari conantur.

Adhuc de eisdem.
CAP XXIII.

EST igitur taxus animal agreste, magnitudine uulpis, licet staturæ humilioris: quia tibias habet curuas, pilosq; plures albos, quàm nigros, præsertim in dorso, & in latere: caput in medio nigrum, & in lateribus album. Pili eius duri sunt & spissa pellis, ac fortis: dentes acuti, ideoq; mordax. Vnde à canibus, uel alijs bestijs molestatus, seipsum resupinat, & dentibus pedibusq; repugnat, præcipuè contra uulpes: à quibus haud alijs armis, quàm fœtido stercore è proprijs ædibus abiguntur. Duplex eorum genus est domesticum uidelicet, ualde ludicrum: & syluestre, rigidioribus setis respersum. Dicitur etiam taxus caninus, quia in uaria findit pedem, ut canis: etiam porcinus, quia in duo findit ungulam, uti porcus. Videtur autor libri de nat. rerum dicere, taxum habere crura breuia, nec in utroque latere æqualia, sed in sinistro breuiora: unde fit, ut in uestigia rotæ, quæ attritione currus faciunt, positis pedibus dextri lateris, ualenter currat, sicq; suos persecutores effugiat. Verum hoc Alberto Magno non placet, cum multos uiderit sine eo defectu: egoq; in Septentrionalibus terris nunquam eam pedum inæqualitatem uidi, nec ab alijs uisam audiui. Ibi etiam uulpibus sunt maiores, pellem habentes uillosam, & setis rigidam, atq; tenacem: de qua pharetras omnes & militares cooperiunt, & uenatores, ut sagittas à pluuia, & niuibus illæsas conseruent. Fiunt & uestes integræ habitus uirilis, prout & ex lupis, ex hac pelle, contra frigora: & omnem casum niuium sufferendum. Morsus eius fortissimus est, & exitialis, ac uenenatus, propter nimium uermium reptilium scarabeorum, & murium comestionem.

De Vrsis piscantibus.
CAP. XXIIII.



VRsi albi maximi, & fortissimi, qui unguibus glaciem rumpunt, & foramina multa faciunt, in Islandia sæpius præno minata, reperiuntur: per quæ glacialia foramina se in mare immergunt, & sub glacie pisces capientes, eos extrahunt, & ad littus deferentes, inde uiuunt: idq; toties, quoties opus fuerit, reiterant, pro sua suorumquè catulorum sustentatione: quos etiam, ut similiter piscari debeant, naturali instinctu informant. Pelles horum ursorum albæ, per uenatores offerri solent summis altaribus Cathedralium, uel Parochialium Ecclesiarum, ne sacerdos celebrans in pedibus tempore horrendi frigoris gelu patiatur. In Ecclesia Nidrosiẽsi, id est Metropoli regni Noruegiæ, cõtinuis annis tales reperiuntur albę pelles, uoto uenatorũ fideliter in omni prẹda raptę, atq; oblatę: etiã pelles luporũ, pro cereis emẽdis, atq; ad reuerẽtiã Sanctorũ cõburẽdis. Quòd aũt multitudo alborũ ursorũ sit, & per quos successiuis temporibus, apprehẽsi, annales historię Hispanorũ in lõga narratiõe ac probatiõe attestãt: ad quos curiosum lectorem, ubi occurrerit, & placuerit, breuitatis causa remittendũ duxi.

De Vr-





De Vrsis artificiosè interficiendis.
CAP. XXV.



DE nigris, ac ferocibus ursis, in Aquilonaribus regnis capiendis, is seruari solet modus, ut cum in autumno maturis certis arborum rubeis fructibus, instar uuarum conglomeratis, arbores ascendendo, uel humi stando, arbore ad terram tracta, uescitur, sagax uenator ballistis adaptas latas sagittas, quæ pilos bene penetrent in eum relaxet: ex quo terrore, & uulnere, tantum subito concutitur, ut impetu quodam esos fructus quasi grandines, & lapillos per recessum emittat: & mox in occurrentem statuam, instar hominis, uel spectri, ex industria collocatam irruit: atq; in ea dilanianda laborat, donec aliam lethalem recipiat sagittam ab ipso uenatore, post saxum, uel arborem sese abscondentem. Mira etenim furia accepto uulnere: atq; uiso sanguine, quodcunq; occurrens ferit, & maximè ipsa ursa, quando catulos alit.

De insidiosa uenatione Vrsorum.
CAP. XXVI.



ATtendunt quàm diligentissimè ursi ceruorum transitum, & maximè enixis catulis ipsa fæmina: quæ non tam fame urgente, quàm raptu catulorum, in omne obiectum animal seuire consueuit. Illa etenim huiusmodi uiolentijs prouocata, ursi fortitudinem, dolos, & insidias, ut raptum uindicet, longè superat & excellit. Latitat enim inter densos arborum ramos, & uirgulta: cui si ceruus cornuum gloria, aut narium uirtute, uel cursus celeritate cõfidens, incautius appropinquat, mox in eum irruit iugulãdum: & si primam sui defensionem, triumphumq; in cornibus ponat, illorum tamen nodositate & pondere fessus, ursinaq; rabie agitatus, ad humum deprimitur, ut uiribus & uita destitutus, illicò corruat deuorandus. Accedit deinde cornutum taurum, simili astutia utens, se super dorsum eius proijciens: cumq; ursam abigendo, cornibus se liberare nititur, ipsa cornua, scapulasq; tenet ungulis, donec pondere fatigatus corruat moriturus. Deinde dorso, uelut sarcina, imposito tauro, bipes syluarum latebras ingreditur, ut eo uescatur. Verum cum hyeme committitur hæc præda, canibus prodita, uel niualibus uestijs ursa, non facilè euadet illicò uenatores undiq; concurrentes. A trigesimo die conceptionis, quinos ut plurimum catulos, paulò muribus maiores, informes, & candidos carne, sine oculis, sine pilo, unguibus tamen apparentibus, parere solet: quos paulatim lambendo matres figurant. Nec quicquam rarius hominibus, quàm parientem uidere ursam. Ideò mares quadragenis diebus latent, fœminæ quaternis mensibus. Specus si non habent, ramorum fruticumq; congerie ædificant mansiones impenetrabiles imbribus, molliq; fronde, & musco constratas. Septenis diebus graui somno premuntur, ut uulneribus uix excitari queant: tuncq; mirè pinguescunt, suctu præsertim dextri pedis. Fœtus rigentes apprimendo pectori fouent, idq; ueluti uolucres oua sua.

De Erinacij, & Vrsi conflictu.
CAP. XXVII.



LIcet erinacius pinnas habet cacumine aculeatas, quibus sibi poma colligit ad uictum, atq; recondit in cauis arboribus, & ursum in nido molestat: attamen mole opprimitur ursi, ingenio adhibita, ea uidelicet forma in imagine superius, uel simili expressa, quando scilicet conuoluitur erinacius in formam pilę, ne quid in eo pręter aculeos comprehendi possit: quo tamen remedio, aut urinæ aspersione, contra ursum ulciscentem hospitium uiolatum præualere nequit: neq; ursus eam prædam, licet miseram, & inopem, quasi spinosam escam, uorare potest. Quocirca rediens in cauernam suam quiescit, atq; suctu ungulæ uiuit, & impinguescit: casuq; quo caperetur, & caro eius assaretur, præter morem omnium carnium nigresceret, licet nullum argumentum minimi humoris, in aluo eius inueniretur, neq; circa cor, nisi exiguæ guttæ, nihilq; sanguinis in reliquo corpore. Procedunt uernali tempore mares præpingues: cuius rei causa non prompta est, quippe qui nec somno quidem saginentur præter 14. dies. Manifestum relinquit Aristoteles, ursum agrestem hyeme latere: sed utrum hoc faciat propter frigiditatem, an propter aliud, quęstio est: quę tamen uidetur sequentibus causis posse solui, uidelicet quod uestigijs niuibus impressis, non rapiatur in prædam: quodq; naturæ instinctu hoc fit, ne luporum agmine, qui hyberno tempore plus sæuiunt, lacerari possit: neue acuta glacie lædat pedum molliores plantas. Ideoq; propter frigiditatē latere uix creditur: quia adeò uillosus est, ut ne niuibus, pruina, uel glacie penetrari possit: imò omnes in asperrima hyeme utuntur ursina cute, pro calore conseruando, dum iter agunt per dies & noctes in uehiculis suis. Est etiam pugna ursorum contra apros, sed rara uictoria: quia plus præsidij habent in dentibus, quàm cerui, uel tauri in cornibus, aut celeritate. Equas grauidas dentibus, ac calcitratione pedum ualidi caballi defendunt ab ursis. Pulli agilitate cursus se defendunt: attamen pauorem semper retinent, ut inutiles sint ad bellum in quo sub stratagemate solet aliquis armatus occurrere in pelle ursina, propter equos ab ursis alias uexatos. Attamē id notandū erit, quod sæpe minores bestię angustiatę, maiores interimunt & fortiores, ut superius de mustela et alce, atq; hic de erinacio spinoso & urso uilloso exēplificat, ut loco cedat: imò fortissimis pugnatoribus euenit, ut pericula ab exiguo hoste, nō pręuisa, aut cōtēpta, pati cogātur.

De Vrsis prædantibus mella.
CAP. XXVIII.



DIctum est superiori cap. 26. quomodo ursa insidians, plena fraudis fera informes utero partus edere soleat, sed natos lingua lingere, atq; in speciem sui similitudinemq; lambendo formare, ut beatus Ambrosius in Hexame ait. Hic uero ostenditur: adultos educi catulos in antra fauorum, ut in syluis, & campis inueniant pastum, ubi uitæ sumpsere principium, cum gustauerint mandragorę mala.

Sed





Sed eunt obuiam, ne malum in perniciem inualescat: & formicas deuorant, ad recuperandam sanitatem. Sed nec mirum est, quòd mella deuorent, cum Aristoteles lib. 8. Nat. cap. 5. ursum uocet animal omniuorum, quippe qui & fructus arboris, quas conscendit corpore lubrico, edat, & leguminibus, ac apibus, perfringens alueos, cancrisq́, ac formicis uescatur, & carne. Propter quam escam frequentius instituta publica uenatione per totam syluam, sub certa distãtia loci, ubi damnum dederat, interfici solet, ut inferius cap. de uenatione ostendetur. Puncturas apum, propter mellis suauitatem, parum reputat, ut conuulneratum ab apibus os leuet, & sanguinis grauedinem. In dominijs autem Regis Poloniȩ, Podolia uidelicet, & Valachia, reperiuntur terræ cauernosæ infinitis apibus, & fauis plenæ: & hinc est, quod tot centena millia librarum optimæ ceræ nauigijs ab Orientalibus institutoribus lucri causa portantur ad Occiduas terras.

De occisione Vrsorum per ferream clauam. CAP. XXIX.



QValiter apibus ursi insidiantur in terris, iam uisum est: ita quanta auiditas rapiendi mellis in altis arboribus etiam illis inest, præter præmissæ imaginis signum paucis ostendetur. Cum in Aquilonaribus terris, maximè Podolia, Russia, atq; uicinis locis, ob infinitam apum multitudinem, domestica aluearia, arte fabricata, pro infinitis apum examinibus domi condendis non sufficiũt: facilè terrarum incolæ sinunt, ut ad cauas arbores arte, ad eum usum aptatas, uel à natura sic relictas, euolent, stirpem multiplicaturæ. Vrsis igitur ad rapinam mellis assuetis, eo modo parantur mortiferȩ insidiæ, ut (cum debilissimum caput habeant, uti leo fortissimum, quòd aliquando alapa accepta exanimentur) claua lignea, ferreis cuspidibus circundata, super foramen egredientium apum ex altiori ramo, uel alias suspendatur: quæ impatientis ursi, mella rapturi, capite reiecta, reuertens interimit rebellantem, ut uita priuatus carnem, & pellem domino exhibeat, pro exiguo melle. Carnes sale conditæ, quasi suillȩ asseruari solent, sicuti & ceruinæ, alcinæ, uel rangiferinæ, pro castrensibus cibis: aruinaq́; pro medendis uulneribus, quacunq; occasione susceptis.

De raptu puellæ, & generatione Vlfonis astutissimi ac fortissimi uiri. CAP. XXX.



NIsi Saxo Danorum scriptor, atq; reliqui post eum, tot circunstantijs recenserent puellȩ raptum, parum referret huius historiæ meminisse. Attamen quia simile nonnihil apud alios autores ostenditur indignum non erit, opus naturæ potius admirari, quàm temerè tantillulum in abditis eius rebus conuitiari, cum & uerecundia matrimonij licitis subdatur legibus, non contemnendis. Quantum igitur ad raptum puellȩ attinet, sic ut sequitur ex noua

historia charissimi fratris & antecessoris mei Ioan. Magni Archiepiscopi Vpsalensis lib. 18. ex relatione Saxonis accepta, diffusius manifestatur. Ait enim: Cuiusdã patrisfamiliâs in agro Suetico filiam, liberalis formæ, cum ancillulis lusum egressam, eximiæ granditatis ursus, deturbatis comitibus complexus rapuit: exceptãq; unguibus præ se leniter ferens, ad notam nemoris latebrã deportauit: cuius egregios artus nouo genere cupiditatis aggressus, amplectendi magis, quàm absumendi studium egit: petitamq; laniatui prædam, in usum nefariæ libidinis uertit. Continuò enim ex raptore amator effectus, famem concubitu soluit, ardoremq; gulæ ueneris satietate pensauit. Quoq; eam indulgentius aleret, crebris incursionibus uicinum acrius incessabat armẽtum: nec nisi lautioribus antè uesci solitam, sparsis sanguine dapibus assuefecit. Adeò enim captiuæ species efferatam raptoris sæuitiam fregit, ut quem sanguinis sui cupidum extimescebat, amoris auidum experiretur: pastũq; ab eo perciperet, cui fore protinus alimonia metuebat. Tandem fera à canibus, & retiarijs circumuenta, ac uenabulis occupata, confoditur. Vt ergo duplicis materiæ benigna artifex natura, nuptiarum deformitatem seminis aptitudine coloraret, generationis mõstrum usitato partu edidit, syluestremq; sanguinem humani corporis liniamentis excepit: natoq; filio paternum nomen à necessarijs imponitur: qui tandem agnita suæ propaginis ueritate, à patris interfectoribus funesta exegit supplicia: cuius filius Trugillus Sprachaleg, nihil à paterna uirtute deficiens, Vlfonem genuit: à quo Rex Sueno, & cætera Danorum Regum stemmata, ceu quodam deriuata principio, longo successionis ordine (teste Saxone) profluxerunt. Quomodo autem similes partus iudicabuntur, Augus. de Ciui. Dei plurima dicit de simili propagine, utri sexui magis sit attribuenda.

Ioan. Mag. Crediderim ego id à uindice Deo effectum, ut Dani, qui de sanguinis nobilitate plus nimio gloriantur, Suetiamq; frequentius, quàm felicius impugnare consueuerant, Regibus à fera Suetica genitis, obnixos uertices inclinare cogerentur. Quam acer autem hic Vlpho Sprachaleg Suecus ursi nepos fuerit in bello, quam etiam astuti & uafri ingenij, supra uidere licet lib. 8. cap. 27: pag. 325. in uita S. Olai.

De raptu fistulantium Subulcorum.
CAP XXXI.



SAtis tritum est ursos, sicuti & delphinos, ceruos, oues, atq; uitulos, imò & agnos plurimum delectari musicis melodijs, rursusq; certis horrisonis cornibus, seu tubis, adeò ab armentis arceri, ut sono percepto, in longos syluarum recessus abscedant. Quod quia non ignorant pecorum pastores, bicornibus fistulis ludentes, aliquando per ursos rapti, continuè sufflant, donec fame urgente ursus discedat alimoniam conquisiturus. Quocirca accepto caprino cornu, interdumq; uaccino, sonum horridum excitant, ut territa fera, immunes ad armenta dispersa recurrant. Quòd bicornem fistulam, uulgari gentis Seeckpipa dictam, secum ad pascua ferant, ita naturæ usus docuit, ut oues, & armenta auidius escam sumant, atq; compressius pascantur in herbis: quod & Paulus Diacon. lib. 5. cap. 37. meminit. Ita & Plinius de ouibus, atq; agnis: de quibus infrà de auibus specialiter dicendum erit.

De chorea





De chorea Vrſorum Lithuanicorum.
CAP. XXXII.



QVomodo bruta animalia quadrupedia, uolatilia, uel natatilia diſciplinantur, inter alios ſcribentes diffuſius tractat Albertus Magnus lib. 21. de Animalib. licet huic ſubiecto ſpectaculo uix cõgruat, ut inde ſuſcepta ſit hæc diſciplina. Ruſsi etenim, ac Lithuani, gens fortis & bellicoſa, Sueonibus & Gothis in Orientalibus plagis uiciniores, pro ſingulari uoluptate ducunt, ferociſsimas beſtias ſemper ad manum habere domeſticatas, ac omni eorum arbitrio ſingulariter obtemperantes. Vnde ut id celerius fiat, in caueis, uel catenis eas recenter è ſyluis captas, præſertim urſos, aliquantulum fame macerandas obſeruant, unum, uel plures magiſtros cõformiter ueſtitos, eis eſcas porrecturos deputantes, ut è cibis uſum, & luſum, ac tactum cum eis etiam ſoluti ingrediantur. Adhibent & dulcem ſonum fiſtularũ, quo plurimum gaudent, ut eos ſtudioſius, pelle etiam urſina indutos, ad ludicros geſtus, & choreas aſſueſcant: ac tandem diſſona tubarum uoce ad pedes erigendos, tanquam acriore ſigno inducant: & finaliter ut à choreę inſpectoribus, matronis præſertim, & uirginibus, pileo anterioribus ungulis porrecto, bipedali inceſſu mercedem ſaltus exquirant: quæ ſi illiberalior uiſa fuerit, directoris nutu murmurant, atq; capite moto nummum petunt augeri. Ita mutus interpres, linguæ ignarus, in exteris terris, ubi hæc ſpectacula fiunt, mutæ feræ ſignaculo præſcribit aſtutum quæſtum. Nec tamen id fieri uidetur, quòd ſolum eo exili quæſtu uiuant ita proficiſcentes: quia ij urſorũ ductores ſunt ad minus ſex, uel duodecim ualentes uiri: in quorum ſocietate quandoq; ſunt filij magnorum nobilium, & magnatum, ut remotas nationes, mores, locorum diſtantias, arma, concordiam, uel diſcordiam Principum ijs ludicris artibus agnoſcant. Verum cum aliquando deprehenſi ſunt in Germania uiatores ſpoliaſſe, atq; urſis obieciſſe deuorandos, technis his oppoſitæ ſunt leges grauiſsimæ, ne amodo eò ingrediantur. Dicit præterea Volater. lib. 25. Roxolanos, & Lithuanos, ingentes hodie urſos uenari: qui Principibus illorum ſunt in delicijs manſuefacti, maximè cuidam Suidergal, qui urſam aluit è ſylua uenientem, manuq; cibum capientem, & mane oſtium cubiculi adeuntem, unguliſq; pulſantem, donec intromitteretur: quæ res occaſionem poſteà hoſtibus ſuis tribuit, ut ſimulatione urſæ eadem hora ſolita ingreſsi eum interemerint.


De agilitate Vrſorum.
CAP. XXXIII.



OCcurrit & aliud ſpectaculum, quo urſi capti deportantur in naui, atq; in funibus aſcendendo, uel deſcendendo, ludicras exhibent exercitationes: aliquando etiam utiles, pro rerum inopinato euentu. Nam accidiſſe meminere prouincialium hiſtoriæ, quendam à pirata æmulo ſuo liberatum fuiſſe, hac occaſione, quod territus erat is pirata in acceſſu ſceleris perpetrandi, ex eo quòd à longe fu-

nibus uidit ascendentes, & descendentes homines (ut putabat) pro defensione nauis, ut moris est, è sublimiori malo nauis. Nec alij erant, quàm iuuenes ursi, in funibus colludentes. Præterea amœnius est spectaculum, quod eis ad aquas extra naues aspicientibus, maxima multitudo marinorum uitulorum admirabunda occurrit, ut quasi innumeri porci uideantur hincinde circumnatare nauem: fitq;, ut hastis longis, atq; hamatis, affixa chorda capiantur à nautis. Similiter & cæteræ bestiæ quæ captum uitulum marinum eiulantemq; more porcorum iuuare conantur: imò & ipsi ursi ad natandum dimittuntur ut eos admirantes uituli capiantur, uel alias orta tempestate, cœloq; tonantes eminentes extrahantur, prout inferius lib. 20. de phocis, & uitulis marinis peramplius ostendetur.

De Vrsis uoluentibus rotas.
CAP. XXXIIII.



NE autem domesticati ursi escas, quasi solis spectaculis reseruati, inutiliter consumant, rotis applicantur in curijs magnatum, ut uno uel duobus socijs, aut pluribus annexis, pondera aquarum, uel alias res eleuent à puteis altis: idq; conuenientibus urnis magnæ quantitatis capacibus, ad hoc specialiter ordinatis. Nec solum in hoc iuuaminis genere, sed & magnis plaustris pertrahendis applicantur: quia magna fortitudo eis inest in brachijs, ungulis, & lumbis. Sed nec inuisum est, ut in pedes erecti saccos, uel ligna ad locum designatum comportent, aut in portis magnatum pro custodibus, ne noxiæ intrent bestiæ deputentur. Mirum tamen ludum, dum paruuli sunt, cum pueris domesticis impune exercent. Adest etiam exemplum externum, quòd domiti leones trahebãt currum M. Antonij, peracto Pharsalico bello Romæ triumphantis, ut superius dictum est de iugalibus ceruis, uel rangiferis. Mos autem Aquilonaribus est, non bestijs, sed armis monstrare triumphos.

De Vris, & eorum ferocitate.
CAP. XXXV.



ETsi ferocissimum hoc animal, ũidelicet urum, Gothia, aut Suetia non habeat: tamen quia eius figura in Charta mea Gothica, siue Septentrionali descriptione, præcipuè in Lithuania, unà cum alijs animalibus inserta est, uolui eam huic loco imponere, ut unicuiq; bestiæ assignari debeat originis suæ locus. Est igitur Vrus bos agrestis, adeò ferox, & fortis, ut armatum militem equo insidentem, cornibus eleuet, & prosternat. Neq; enim homini, neq; feræ, quam prospexerit, parcere nouit: idq; crudelius plerũq; euenit, quia maximę uelocitatis est, cornua antrorsum quasi directè mittens, ueluti bubali cornua retrorsum ad terga mittuntur. Hercinia Germaniæ maxima sylua, uersus Indiam per mare Caspium protensa hanc bestiam nutrit: cuius cornua in tantum protensa sunt, ut Isidorus & Solinus dicũt, quòd ob insignem capacitatem inter Regias mensas

potuum,

potuum gerula fiant: imò auro argentoq; circumdari solent, atque inter amplissimas epulas tabulis Principũ præsentari. Caro eius nihil differt à communi boum carne, nisi solennioribus præparamentis multarum specierum, ut uiscositas eius totaliter elixetur. Vrorum autem genera multa sunt. Quidam habent cornua alta, & longa: quidam breuia, & spissa, ac fortissima: & hæc genera in saltibus Herciniæ syluæ uersus Lithuanos, & Russos procreantur. Horum similes plures alias uidi in uiuarijs Serenissimi Regis Poloniæ Sigismundi primi M. D. XXVIII. prope Regiam curiam Balesta, uiuente clarissimo uiro domino Boner. Et ij uri reseruabantur, dum uideretur, ad usum Regiæ coquinæ. Meminit etiam horum, Germanicarum rerum scriptor Franciscus Irenicus lib. 7. cap. 13. his uerbis: Sunt & uri taurorum maximi in Germania, penè omnem tauri speciem habentes, nisi quòd barbas longissimas nutriunt, ac cornibus breuiusculis apparent, alioqui pro tanta corporis mole. Cæsar, & Solinus ex eorum cornibus pocula fieri indicant. Virg. lib. 2. Georg.

Syluestres uri assiduè capreæq; sequaces
Illudunt. Et lib. 3.
Quæsitas ad sacra boues Iunonis, & uris
Imparibus ductos alta ad donaria currus.

Adhuc de eisdem Vris, & captura eorum.


CAP. XXXVI.

SVnt etiam deprehensi in partibus Prussiæ, & Russiæ, integros currus cornibus euertisse: quod tamen uidetur minus esse, quàm robustissimum equum, & sessorem eius cum integris armis deijcere. Imperitum uulgus eos bubalos, teste Plinio & Solino, uocat, quòd bubali penè ad ceruinam faciem in Africa procreentur. Sed (ut dixi) uri antrorsum, & bubali (qui & buffali dicuntur) retrorsum cornua mittunt. Cæsar dicit eos capi in speluncis: sed prædictus Franciscus Irenicus modum adijcit eos capiendi: quem & didici uerissimum esse: ut inter fortissimas trabes angustissimam faciant speluncam: quam ramusculis fœnoq; cooperiunt, ut per insidias irritata bestia, uenatorum calliditate prouocetur: ubi uel fame, uel sagittis laceratur ad mortem. Nam si uires suas in patenti loco exercere ualeret, nihil tam firmum foret, quod cornibus & calce non infringeret. Sed domesticari nec paruuli excepti possunt. Meminit etiam uenationis harum bestiarum Volater. lib. 7. sub nomine bonasorum, quos uenatores ob carnis dulcedinem uenantur, periculo licet magno: quod ut euitent, hunc seruant modum: Locum, in quo uersantur, sepiunt, uno tantum relicto aditu, qui in imam uallem deducat: unde feræ per eum de industria perunctum ac lubricum, in uallem ruunt: sicq; capiuntur debilitati. Corium urorũ cum pilis balthei more scissum, corporiq; spasmum patientis circumligatum, illicò confert: unde & mos genti est, ubi bestiæ hæ capiuntur, hospitibus gratis dono offerre cingula. Adhuc dicit Perottus, binas urnas unius capitis cornua tenere: & forsan de primo genere locutus est, quod alta, atq; longa cornua gerit.

De Vulpibus, & earum dolis.

CAP. XXXVII.

QVod uulpes, sicuti & lepores, infinita multitudine, atque in colore mutabiles, in Septentrionalibus terris reperiantur, iam satis est dictum, ut & hoc mirabilis naturæ spectaculum consideretur. Sunt igitur in Septentrionalibus syluis uulpes nigræ, candidæ, rubeæ, crucigeræ in dorso, aliæq; cœlestino colore re-



spersæ: omnes tamen in eadem malitia, atq; astutia participantes. Nigræ pelles pretiosiores cæteris æstimantur: quia Moschouitarum Principes frequentius his utuntur, ut superius lib. 11. cap. 10. de receptione oratorum alienigenarum declaratur. Deinde cruscigeræ pelles, hoc est, quæ nigra cruce dorso tenus sunt à natura signatæ, propter maiorem ornatum, & pellium magnitudinem: quam non nisi in maturiore ætate uulpes consequitur. Hæq; pelles, uti nigræ, magno commercio Moschouitarum, & Russorum, & Tartarorum appretiantur: quamuis nigræ annexam habent suspicionem, quòd atro colore, fumo uidelicet picearum tedarum sint adulteratæ, prout superius lib. 6. cap. ultimo plura enarrata uidentur, atq; hoc eodem lib. cap. 20. de pellibus mardurinis, zebellinis, seu zapherinis. Candidæ pelles minoris sunt reputationis, & coloris cœlestini, aut asurini, propter multitudinẽ, & pilorum casum: minus enim cutibus adhærentes durant. Attamen qui curiositati student, aut utilitati, mixtura diuersarum pellium operimenta arcendi frigoris pro usu dormientium conficiũt: quia magnum calorem citò inductum conseruant, leuesq; sunt, senioribus conuenientes. Rubeæ uulpes prædictis omnibus frequentiores, ubiq; reperiuntur, facileq; uestigijs post se in niuibus relictis, uenatorum sagacitate, & canum celeritate capiuntur, prout & lepores, ursi, cerui, lupi, lynces proprijs uestigijs se uenatoribus produnt: æstate uerò odore canum.

De diuersa natura carnium, pellium, & utilitate bestiarum.

CAP. XXXVIII.

SOlæ carnes uulpium, & luporum damnantur: quia eorum natura immunda est, & pluribus morbis subiecta, præsertim rabiei. Sed uulpes resina, siue lachrymis pini esis, morbos omnes expellit, uitamq; prolongat. Vnde & Ambrosius dicit: Vulpes est animal odio dignum propter rapinam, despectum propter infirmitatem, incautum suæ salutis, dum insidiatur alienis. Sed resina sibi medetur: & tali remedio mortis imminentis spatia profert. Plin. libro 8. asserit quomodo in Thracia uulpes locis rigentibus (animal alioqui solerti auditu) gelatos amnes, lacusq;, non nisi ad pastus ituræ, redituræq; transeunt. Itaq; obseruatum est, uulpem aure ad glaciem posita coniectare gelu crassitudinem. Verum hæc naturalis coniectura in Aquilonaribus cõgelatis aquis, nunquam aut rarò succurreret illi, cum glacies adeò spissa fortissimo superueniente gelu, etiam repentino constringitur, atque casu niuium condensatur, ut prius fame conficeretur, quàm fractæ, uel frangendæ glaciei quærendo cognosceret signum. Adhæc uolubilitate pedum, & tortuoso gressu, atq; cursu, fraudibus æquè ac escis intenta, agilitate canum facilimè circumuenitur, præsertim uulpes nigri, rubei, ac cœlestini coloris: nam coloribus produũtur, dum candidæ uulpes, aut lepores niuibus colore conformes, à canibus non uidẽtur. Ita pauidis bestijs mitigato remedio benigna natura succurrit. Aestate autem alio modo capiuntur. Nam etsi subterraneas specus, foueasq; alieno labore paratas occupant, ut superius cap. 22. de taxis habetur: tamen rapina hac sæpissimè periclitantur. Venatores enim, ubi eas delitescere nôrunt, canes industria assuetos, seu exercitatos, ad foueæ summitatem immittunt, ut latratu prodant inibi bestias latitantes. Itaque sine mora egesta terra uiuæ, uel mortuæ capiuntur. Vel etiam campestres foueas faciunt, quibus cadauera immittunt, funiculis & trabibus

bus alligata, ut insidioso pastu bestias comprimant comedentes. Vel etiam ualidos arcus forti chorda extensos, sub cadauere in niuibus ponunt, tenuiq; filo confirmant, ut eo leuiter soluto, illicò capite, uel pede, uel alio membro quod occurrerit, rapiatur in prædam. Verum cadaueribus illis longè lateq; tortuosa uestigia, uelut aratro, niuibus imprimunt, ut deducantur ad insidiosam escam. Et is frequentior modus est sub fortissimo gelu.

De doloso ingenio Vulpium.
CAP. XXXIX.



CApitulo de taxis 22. eiusdem lib. dictũ est, quomodo uulpes propriã domunculam nunquam faciens, fœtido suo stercore emisso taxorum foueas ingreditur, ut egestionis putore, fouea polluta uilescat. Ideoq; Aristoteles rectè uulpe animal in terrestribus dicit ingeniosum, & malarum operationum, inter uolatilia solum coruum similem habens, auiculas deplumantem. Vulpes igitur pressa fame, frigore, & niuibus, accedendo ædes humanas, fingit latratum canis, ut confidentius domesticę bestię eam accedãt. Insuper fingit se mortuam, ut & beatus Hieronymus in Epistolis suis ostendit: ac resupina flatum attrahit, lingua porrecta. Tunc aues incautè descendentes, quasi cadauer comesturas aperto ore rapit, & uorat. Et ob id etiam Isidorus uulpem uocat animal insidiosum, & fraudulentum. Præterea quãdo esurit, nec inuenit quod mãducet, rubea terra se inuoluit, ut appareat quasi cruenta: proijciens se in terram, retinet flatum: quam uidentes aues non spirantem, linguamq; ore eiectam, mortuam putant. Sed mox ut descenderint, eas attractas deuorat. Præterea cum uidet non posse propter aculeos superare echinum, se resupinat, atq; ita mollem corporis partem lancinans enecat. Vesparum etiam quandoq; multitudinem cauens simulatè se abscondit, extante cauda: circa quam ut illas certatim occupatas, uilloq; denso implicitas animaduertit, egreditur, atq; ad saxum, siue arborem perfricando obterit, ut extinctas deinde pascatur. Eodem ferè commento cancris, & pisciculis insidiatur, ripam oberrans: caudaq; in aquam demersa, illi nouitati occurrũt, uillisq; obuoluti illicò extrahuntur. Præterea cum pulices habet, fasciculum mollis fœni ore accipit pilis inuolutum, seq; paulatim posterius inchoando in aquam mergit, ac totum corpus, ut pulices aquam fugientes, ad caput ascendant. Deinde caput immergit, ut in fœnum fugiant: quo facto, fœnum relinquit in aqua, & mox enatat.

Adhuc de dolis Vulpinis.
CAP. XL.

PRæterea cum famem patitur, ludum simulat cum lepore: quem illicò rapit & deuorat, nisi fuga, ut frequentius fit, suam uitam conseruet. Canes etiam quandoque uulpes euadit latratu, se canem fingens: sed certius, dum ramo se suspendit, canes errare cogit, incerta uestigia insequentes. Solet etiam uenatorem, & canes eludere, dum gregem caprarum intrans, unam ex eis occupat, eius dorso insiliens, ut per cursum capræ fugientis, propter odiosum sessorem, citius euadat. Nam & aliæ capræ sequuntur: quas cum uenator turbari timet, canes reuocat, ne pereant plures. Capta quoque in pedica, quandoque morsu sibi pedem

pedem præscidit, ut uel sic euadat. Cum uero fuga nulla patet, se mortuam simulat, ut à pedica extracta fugam arripiat. Præterea cum canis eam insequitur, & assecutam apprehendere nititur, uillosam caudam suam per insequentis ora trahit: sicq; canem eludit, donec syluarum latebras ingrediatur. Vidi & ego in scopulis Noruegię uulpem, inter rupes immissa cauda in aquas plures educere cancros, ac demum deuorare. Idq; non rarum est spectaculum, cum nulli pisces, ita ut cancri, immissæ rei præsertim uillosæ, adhærent: etiam aridis piscibus, in aquas ad emollendum emissis. Qui podagra uexantur, calida huius bestiæ pellicula extracta, atq; pedibus circumligata sanantur. Adeps etiam eiusdem animalis, auribus & membris podagram patientis adhibita, prodest. Pinguedo eius torminosis, & omni dolori confert. Cerebrum eius infanti sępius datum nunquàm caducus erit. Et ita hæc, & similia pro simplicibus medicinis per experientiam obseruant Aquilonares.

De Venatoribus, & Venationibus.
CAP. XLI.



Compertum omnibus relinquitur, multos esse uenatores, atque diuersa ingenia eorum in Aquilonaribus terris, qui tot ferocibus bestijs sine suæ sanitatis iactura occurrere possunt. Cum uero pręmissum sit in aliquot capitulis, quàm sagaces sint uenatores, iuxta animalium proprietates, in eorum captura facienda, utilius uidebitur exinde adducere, quales ibi sint uenatores, aut reperiantur in alijs terris. Certum est eos nedum ibidem, sed ubiq; patienter in omnibus oportere tristissimos sufferre casus, undecunque suborto, maximè illis in locis, ubi non minus intractabilibus elementis, quàm sæuis animalibus erit congrediendum: & interim niues, & æstus ferre, famemq; prædæ auiditate equitando, currendo, prosiliendo, montesq; scandendo tolerare, atque cum feris dubio sub euentu pugnare, arteque & uiribus experiri, an ipsorum promptitudini, uel ferę uictoria cedat: atq; inde egregij milites, & expertiores quorumcunq; certaminum duces, imò & Principes ad publicum gubernium felicibus auspicijs educi solent, ut plures attestantur annales. Venatio etenim claris Principibus semper est grata, atq; olim (otio non concesso, dum rigidè, & non delicatè, ut nunc, Magnatum filij educabãtur) gratissima fuit, quasi peculiaris quędam exercitatio. Nec quidem immeritò: speciem nanq; non paruam fortitudinis pręse fert, & similitudinem quandam cum re bellica tenet: ducem præficit sibi uenatio, cuius dicto omnes auscultãt: hostem excursoribus prouocat: exploratores in speculis disponit: insidias abdit: apertum Martem simulat: diuortia, quę ad fugam patent, obseruat: per saltus quidem, & arua pedites pręmittit: loca plana, & aperta equitum alis pręcingit: cornuum strepitu progressui, receptuiq; canit: dat signa prædę, ac uictorię: prædam aduenientem, aut euadentem significat: moueri castra indicat: adeò ut concludendum sit, uenationem bello ac pugnæ simillimam esse. Vnde Virgilius poëta pręmissis astipulatur, dicens:

Venatu inuigilant pueri, syluasq; fatigant.
Flectere laudis equos, & spicula tendere cornu.

Item Mantuanus de Germanis & Gothis:

Assueta per alpes
Frigora agens, certare ursis, niue candida semper
Per iuga ueloces cursu pręuertere ceruos.

De ex-

De externis exemplis Venatorum, ac Venationum.

CAP XLII.

ETsi Gothi, teste Iordane, & Paulo Diacono, deditissimi asserantur uenationibus, ut in ijs cum Hunnis descenderent in discrimen, & inde in acerrimum bellum: tamen nulli, aut rari talium eorum exercitiorum nomina, tempora, uel gesta in scriptis exhibuere: imò satis parce, & minutatim de præclarissimis eorum bellis scribunt, quæ propter saluandos oppressos, aut amplianda dominia fecere uetustissimis æuis, quemadmodum Saxo in principio suarũ historiarum conqueritur, & post eum antecessor meus D. Io. Gothus Archiepiscopus Vpsalensis, causas negligentiæ satis arduas afferentes. Ergo pro solatio Aquilonarium populorum, aliundè uenari congruit honestissima exempla, ut saltem agnoscant, maximos olim in orbe Principes nequaquam otio torpuisse, aut deditos fuisse turpissimæ uitæ. Alexander cognomento Magnus, ubi tantillulum quieuit à prælijs, assidua uenatione oblectabatur: unde & leonẽ, uelut æmulus Herculis, fortissimum interemit. Sed ad Pencesten ursi morsu, & unguibus laceratum scripsit, quod si quis uenatorum eum in ursi congressu destituerit, tanquam desertor debitas pœnas luat. Bellator maximus Rex Ponti Mithridates, XLVI. annis cum Romanis uaria fortuna confligens, uenationis studio uenena euasit, & insidias. Annos enim circiter septem, ut superius lib. 8. cap. 35. habetur neq; urbis, neq; ruris tecto usus est: sed inter syluas quasi errabundus uagabatur, atq; in diuersis mõtibus pernoctabat, ferasq; insequebatur, ac milites indurauit. Crœsus Lydorum Rex (quem Solon super nimia felicitate gloriantem arguebat) filium perdidit in uenatione. Darius Persarum Rex potentissimus, inter prima bellorum respiracula uenationi intendebat. Epaminondas Thebarum princeps, uenationibus durante uita semper operam dabat. Ferdinandus Aragonum Rex optimus, etsi uenationi intentus esset, nunquàm tamen solus trucem bestiam est aggressus: quod & alij obseruabant. Gelonus Herculis filius, uestigia patris secutus, uenator & bellator eximius fuit. Hadrianus Imperator Masorem Germanum quotidie secum in uenatione habuit, quia peritissimus erat. Iason Regis Thessaliæ filius, pro uellere aureo uenatus est. Caroli Magni uenatorius gladius, auro circundatus, adhuc uisitur in Aquisgrano. Sed nec deessent in exemplis allegandi, qui uenatorio exercitio frequentius uel uerè, uel fictè instituto, patriam tyrannis interemptis libertati restituerunt: ut Pelopidas quidam Thebanus, qui ex uenatore Dux factus est in maximo principatu. Item Viriatus Lusitanus primus Hispaniarum magnus Dux decem annis uario euentu contra Romanos acriter pugnans, cum pastor esset, militiem disciplinam ex sola uenatione didicit, cui quidem operam dedit: & à uenatoribus Dux factus, cum nulla generis, aut maiorum cõmẽdatione clarus esset, uniuersum Hispaniæ exercitũ magna cum laude diutius duxit. Et ita de pluribus alijs, quos Francisc. Senensis Episcopus Caietanus de Regis institutione recenset.

De periculis Venationum in spectaculis.

CAP. XLIII.

NE autem longius per uastas solitudines, & peregrinas allegationes euagetur hęc uenatio, Mantuani uerbum adhibendum est dicentis: Quis scelerum comprehendere formas? quis omnia pœnarum percurrere nomina possit? Quasi diceret, omnia periculorum plena in uenatione, ueluti expectatio uulnerum in atrocissimo bello. Et ob hoc non incongruè inserta est huic loco epistola Theoderici Regis Gothorum, quam Maximo uiro illustri (ut lib. 5. apud Cassiodorum

dorum habetur) scripsit in hunc modum: Si Consularem munificentiam prouocant, qui peruncta corporum flexibilitate luctantur: si organo canentibus redditur uicissitudo præmiorum: si uenit ad pretium delectabilis cantilena: quo munere uenator explendus est? qui ut spectantibus placeat, suis mortibus elaborat. Voluptatem præstat sanguine suo, & infelici sorte constrictus festinat populo placere, qui eum non optat euadere. Actus detestabilis, certamen infelix, cum feris uelle contendere, quas fortiores se non dubitat inuenire. Sola est ergo in fallendo præsumptio, unicum in deceptione solatium. Qui si feram non mereatur effugere, interdum nec sepulturam poterit inuenire. Adhuc superstite homine perit corpus, et antequàm cadauer efficiatur, truculenter absumitur. Captus esca fit hosti suo, et illum (proh dolor) satiat, quem se perimere posse suspirat. Spectaculum tantum fabricis clarum, sed actione deterrimum, in honore Scythicæ Dianæ repertum, quæ sanguinis effusione gaudebat. O miseræ deceptionis errorem, illam desiderasse colere, quæ hominum morte placabatur. Primum sibi per lucos, & syluas agrestium populorum uota, & uenationibus dedita, hãc triplicem deam falsa imaginatione finxerunt: ipsam scilicet in cœlo Lunam, ipsam in syluis Dianam, ipsam apud inferos Proserpinam esse, firmantes. Sed solum Herebi potentem, non improbè forsitan æstimarunt: quando tali falsitate decepti, in profundas uiui tenebras cum suis erroribus intrauerunt. Hunc ludum crudelem, sanguinariam uoluptatem, religionem impiam, humanam (ut ita dixerim) feritatem, Athenienses primum ad ciuitatis suæ perduxere culturam, iustitia permittente diuina, ut ad illusionem spectaculi perueniret, quod falsæ religionis ambitus inuenisset. Hoc Titi potentia principalis diuitiarum profuso flumine cogitauit ædificium fieri, unde caput urbium potuisset extolli.

De eodem continuatio.

CAP. XLIIII.

ET cum Theatrum, quod est hemisphærium, Græcè dicatur, Amphitheatrum quasi in unum iuncta duo uisoria, rectè constat esse nominatum: oui speciem eius arena concludens, ut concurrentibus aptum daretur spatium, & spectantes omnia facilius uiderent, dum quædam prolixa rotunditas uniuersa collegerat. Itur ergo ad talia, quæ refugere deberet humanitas. Primus fragili ligno confisus, currit ad ora beluarum: & illud, quod cupit euadere, magno impetu uidetur appetere. Pari in se cursu festinat & prædator, & præda: nec aliter tutus esse potest, nisi huic, quem uitare cupit, occurrerit. Tunc in aëre saltu corporis eleuato, quasi uestes leuissimæ supinata membra iaciuntur, & quidam arcus corporeus supra beluam libratus, dum moras descendendi facit, sub ipso uelocitas ferina discedit. Sic accidit, ut ille magis possit uideri mitior, qui probatur illudi: alter angulis in quadrifaria mundi distributione compositis, rotabili facilitate præsumens, non discedendo fugit, non se longius faciendo discedit, sequitur insequentem, poplitibus se reddens proximum, ut ora uitet ursorum: ille in tenuem regulam uenire suspensus inuitat exitiabilem feram: & nisi periclitatus fuerit, nil unde uiuere possit, acquirit. Alter se gestabili muro cannarum, contra sæuissimum animal, ericij exemplo, receptatus includit: qui subito in tergus suum refugiens, intra se collectus absconditur: & cum nusquam discesserit, eius corpusculum non uidetur. Nam sicut ille ueniente contrario reuolutus in sphæram, naturalibus defensatur aculeis, ita iste consutili crate præcinctus, munitior redditur fragilitate cannarum. Alij tribus (ut ita dixerim) dispositis ostiolis paratam in se rabiem prouocare præsumut, in patenti area cancellosis se postibus occulentes, modò facies, modò terga monstrantes: ut mirum sit euadere, quos ita respicis per leonum ungues dentesque uolitare. Alter labenti rota feris offertur: eadem alter erigitur, ut periculis auferatur.

Sic hæc machina ad infidi mundi formata qualitatem, istos sæpe refouet, illos timore discruciat, omnibus tamen uicissim, ut decipere possit, arridet. Attamen his antiqua liberalitate constituta sunt præmia, ut miseris satiatis iustitia uideatur habere uigorem, & illi pro intentato periculo, solatio non careant desiderato. Heu mundi error dolendus, si esset ullus æquitatis intuitus, tantæ diuitiæ pro uita mortalium deberent dari, quantæ in mortes hominum uidentur effundi.

De ferocia Hominum in Lupos conuersorum.
CAP. XLV.



QVoniam præsenti lib. cap. 15. de diuerso luporum genere dictum est, pretium operæ me facturum esse arbitratus sum, si in fine huius lib. de animal. syluest. luporum genus ex hominibus conuersum, quod Plinius lib. 8. cap. 22. fabulosum, ac falsum confidenter existimandum esse affirmat, tales in terris ad Septentrionem maximè uergentibus, etiamnum magna in copia reperiri, adijcerem. In Prussia, Liuonia, atq; Lithuania, quamuis luporum rapacitatem per totum penè annum incolæ haud exiguo cum damno experiuntur, quia eorum pecora ingenti multitudine passim in syluis, dummodò exiguo interuallo à grege aberrant, dilaniantur, ac consumuntur: tamen hoc dispendium non adeò magnum ab illis reputatur, quàm quòd ab hominibus in lupos conuersos sustinere coguntur. In festo enim Natiuitatis CHRISTI sub noctem, statuto in loco, quem inter se determinatum habent, tanta luporum ex hominibus diuersis in locis habitantibus conuersorum copia congregatur, quæ posteà eadem nocte mira ferocia cum in genus humanum, tum in cætera animalia, quę feram naturam non habent, sæuit, ut maius detrimentum ab his, istius regionis inhabitatores, quàm unquam à ueris & naturalibus lupis accipiant. Nam uti compertum habetur, ædificia hominum in syluis existentium, mira cum atrocitate oppugnant, ipsasq; fores effringere conantur, quòd tam homines, quàm reliqua animantia ibidem manentia consumant. Cellaria ceruisiarum ingrediuntur, ac illic aliquot ceruisiæ, aut medonis tonnas epotant, ipsaq; uasa uacuaq; in medio cellarij unum super aliud eleuando collocant: in quo à natiuis ac genuinis lupis discrepant. Locum uerò, ubi forsan illa nocte quieuerunt, harum terrarum incolæ fatidicum arbitrantur: quia si alicui in eo quid aduersi contigerit, ueluti uehiculum obuertatur, atq; ipse niuibus inijciatur, planè sibi persuasum habent, eum isto anno morte moriturum, quemadmodum id à multis temporibus per experientiam explorarunt. Intra Lithuaniam, Samogethiam, ac Curoniam est paries quidam, ex quodam castello diruto reliquus, ad hunc certo anni tempore aliquot millia eorum conueniunt, ac uniuscuiusq; agilitatem in saltando explorant: qui hunc parietem transilire nequiuerint, uti pinguioribus ferè euenit flagellis ab eorum præfectis cęduntur. Deniq; constanter asseritur, inter hanc multitudinem etiam istius terrę magnates, atq; ex prima nobilitate uiros uersari: qui quomodo ad eam uesaniam, ac metamorphosin longè terribilem, quam deinde statis temporibus negligere haud possunt, plerunq; perueniant, sequenti cap. docebitur.

De Metamorphosi hominum in Lupos.
CAP. XLVI.



PLinius inter eos, qui unquam naturalis historiæ argumentũ attigerunt, atq; etiam tractandum susceperunt, facilè princeps, suprà citato loco refert, Euantem autorem Græcorum haud spretum tradere, quod Arcades scribant, ex gente Antæi cuiusdam sorte electum ad stagnũ quoddam regionis eius duci, uestituq; in quercu suspenso tranare, atq; in deserta abire, transfigurariq; in lupũ, & cum cęteris eiusdem generis congregari per annos 9. Quo in tempore si homine se abstinuerit, reuerti ad idem stagnum: et cum tranauerit, effigiem recipere, ad pristinum habitum addito nouem annorum senio. Hæc metamorphosis etsi Plinio uero similis haud uidetur, ac impudens mendacium esse opinatur: tamen ad Euantis, Agriopæ, aliorumq; autorum sententiam saluandam, in allegatis oris talia in hunc usq; diem accidere, aliquot exemplis declarabitur. Quandocunque enim aliquis rerum nouarum præter diuinam institutionẽ cupidus, siue Germanus, siue indigena, in collegium istorum maledictorum hominum, qui in lupos, cum eis integrũ uidebitur, conuertuntur, associari cupit, ita ut certis anni temporibus ad destinata loca, per omnem uitam suam unà cum suis asseclis conueniat, damnumq; ac mortem ipsam cæteris mortalibus, & pecoribus inferat: hanc mutandi rationem, ipsi naturæ maximè contrariam, à quodam huius ueneficij perito per poculum ceruisiæ propinando (dummodo is, qui huic illicito consortio applicatur, illud acceptat) certis uerbis adhibitis consequitur. Posteà quando sibi consultum uidebitur, hominis idæam, in cellariũ aliquod, aut abditam syluam se conferendo, in lupi formam totaliter transmutare potest. Deniq; hanc iuxta placitum post aliquod tempus relinquere, atq; illam uicissim assumere sibi integrum est.

De exemplis, in quibus homines in Lupos conuersi sunt, & è contra.
CAP. XLVII.

AC ut ad exempla perueniamus. Cum nobilis quidam longam per syluam iter faceret, aliquotq; seruilis conditionis rusticos, huius ueneficij haud ignaros (quales plerunque istis in oris reperiuntur) secum ducebat: dies ad uesperam tendebat: tum etiam in sylua pernoctandum erat, quia in proximo nullum hospitium fuit: denique fame ac penuria premebantur. Tandem unus eorum repentinum consilium proponit, cæteros debere esse quietos, nec ullum tumultum, si quid uiderent, excitare: se à longinquo gregem ouium pasci conspicere, curaturum, ut absq; magnis laboribus unam ex his ad cœnam, alioquin satis exiguam, haberent assandam. Statim deinde in opacam syluam, ne ab aliquo conspiciatur, se confert, ibiq; formam hominis in lupum transfigurauit: quod in nullo hæc metamorphosis distare uisa est, ab illa Lycaonis (quamuis is propter scelera transmutatus) cuius in hunc modum Ouid. Metamorphos. I. meminit:

Frustraq; loqui conatus: ab ipso
Colligit os rabiem, solitæq; cupidine cædis
Vtitur in pecudes: & nunc quoq; sanguine gaudet.
In uillos abeunt uestes: in crura lacerti.

Fitlu

Fit lupus, & ueteris seruat uestigia formæ.
Canities eadem est: eadem uiolentia uultus:
Iidem oculi lucent: eadem feritatis imago est.

Posteà in ouium gregem haud aliter quàm magno impetu irruit, & unam ex eis retrò in syluam fugiendo diripuit: quàm aliquantò pòst in lupi forma ad currum defert. Socij autem huius prædæ consciij, talem grato animo suscipiunt, & in curru clàm abscondunt: qui uerò in lupum se transformauerat, ad syluam iterum reuertitur, humanamq; formã rursus assumit. Contigit quoq; in Liuonia haud multis ab annis, inter nobilis cuiusdam cõiugem, atq; seruum suum (quorum illic maiorem copiam, quàm in ulla alia Christianorum regione habent) quòd altercarentur, homines in lupos mutari haud posse: demum ille prorumpit, extemplo eius rei exemplum uelle ostendere, dummodò sibi facultas concederetur: ac cellarium solus ingreditur: unde paulò post lupi forma indutus egrediens, à canibus per agrũ ad syluam tendens effugatur: qui ei oculũ (etsi satis acriter se defendebat) eruunt. Postera autem die, ad dominam suam monoculus redit. Vnde Euantis opinio, quam Plinius citato loco refert, saluatur: quòd scilicet homo in lupũ per annos 9. transfiguratus, cum suam effigiem reciperet, ad pristinum habitum, atq; ætatem nouem annos addiderit. Certò etiam cõstat, si lupus ex homine transmutatus occisus, aut alicuius membri mutilationẽ passus fuerit, quòd statim quando hominis figuram reassumet, isto membro carebit. Sin uerò à canibus, aut uenatoribus interfectus, nũquam talis homo amplius apparebit. Deniq; recenti adhuc memoria compertum relinquitur, quomodo Dux Prussiæ, tali ueneficio parũ fidei adhibens, quendam huius maleficij expertum, uinculis clausum coẽgit, ut in lupũ se transformaret: quod ita factum est. Hunc tamen, ne huiusmodi idololatria impunita maneret, igne posteà comburi mandauit. Talia enim flagitia tam diuinæ, quàm humanæ leges seuerissime puniunt.

LIBRI XVIII. FINIS.

OLAI MAGNI GOTHI ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS DE AVIBVS

LIBER XIX.

PRAEFATIO.




ETSI plurima in Septentrionalibus terris, tam campestrium, quàm aquatilium auium genera sunt, cęterisq; nationibus nota, ut superuacaneum sit de earum naturis aliquid adducere, maximè cum à ueteribus scriptoribus id argumentum copiosè fuerit tractatum: attamen in frigidissimis his terris & aquis, nonnihil peramplius ostendi poterit, quod optimũ lectorem semoto fastidio recreare, aut lectum meminisse iuuare queat. Mirantur enim plurimi, nec frustra, quomodo rigentibus undiq; campis densitate niuium, concretis ubique aquis solidissima glacie, longisq; frigidis noctibus per multos menses durantibus, nedum uiuere, sed & genus propagare probentur. Quocirca nemo præcipiti iudicio (hortante Platone in principio de legibus) ignotæ rei na-

turam,ob difficilem eius notitiam, damnet, aut arguat,donec acrius inquirat,& æquius intelligat,atque perfectius dijudicet, quid artifex ipsa natura producere, productumq; suis legibus statuere possit. Multa enim sunt,quæ sensus humanos, etsi uideantur,latere solent,atq; sui admirationem potius, quàm notitiam scrutatoribus ingenerant. Nec nisi minutuli Philosophi eiusdem Platonis iudicio censendi sunt,qui nihil nisi sensibus comprehensum asserere,aut credere uolũt. Quibus integer naturalium rerum terrarumq; scriptor Celtes,qui quinq; annis uniuersam perlustrauit Germaniam,satisfacere possit,ubi ait: De uolucribus autem, ut apud grauissimos autores, nihil compertum habeo: multa enim desijsse,quæ hodie non sunt,& multa renasci in rerum natura, quæ olim non fuerunt, constat: quod noua cœlestium corporum(si quid in mundo nouum amplius emergere potest)factum configuratione crediderim. Hæc Celtes. Cui etiam Plinius lib.10.cap. 15.suffragatur his uerbis: Sunt prætereà complura genera depicta, in Hetrusca disciplina,seculis non uisa: quæ nunc defecisse mirum est,cum abundent etiam quæ gula humana populatur.

De multiplici genere Auium, & earum distinctione.

CAP. I.



DIstinguuntur itaq; in frigidis, sicuti & alijs nationibus aues,ut quædam carniuoræ sint, ut aquilæ: & quædam semine utantur,ut anseres: quædam fortuito cibo,ut cornices: quædã uermibus,ut galli: quædam in aëre reflexo uolatu nutriuntur,ut hirundines. Est etiam diuersitas in copula: qua carẽt, quæ rapinis intendunt, ut aquilæ,& accipitres. E contra uerò grues,& columbæ societate gaudent. Aliæ aduentitiæ,ut ciconiæ, & hirundines: aliæ manibus subiectæ, quæ tactu manu uescuntur,& mulcentur,ut accipitres,& monedulæ: aliæ communi domicilio fruuntur cum hominibus, ut hirundines: aliæ deserta, ut turtures,frequentant, libertatis amore uictum quærentes: aliæ obstrepunt,ut picæ: aliæ canunt,ut merulæ: aliæ noctu ululant,ut bubones: alię die cantant,ut ferè omnes: alię æstate,ut cuculi: aliæ utroq;,ut passeres & aquilę,tempore perennes: aliæ uocem humanam imitantes,ut psitaci,quibus ueluti raris hospitibus importatis, gaudet regio Septentrionalis,nam & ibi loquentes secreta domestica reuelant: aliæ Regibus subiectę, ut grues,& apes: quædam cõfricantur ad purgationem in cinere,uel arena, ut sturni: quędam semetipsas regunt, ut pici,& graculi: quædam rarius apparentes, ut corui albi,& falcones,picæ,& passeres. Magna quoq; differentia uocum,& morum: rapax aquila,lasciuus gallus, diligens pauo,libidinosa columba,dolosa perdix atq; zelotypa,crudelis struthio,quę in Septentrione nũquam uidetur,sed eius natura suffertur: item garrula pica,monedula furax. Est & alia uolucrum distinctio in pedibus,& rostris. Aut enim habẽt ungues aduncos,ut aquilę,& falcones: aut digitos palmipedes,ut anseres,& aquaticę ferè omnes. Est & alia distinctio,ut quædam mutent colorem,ut turdi,& grues in senectute: quædam uocem, ut gallinæ: quędam colorem & uocem,ut merulæ,& luscinix: quædam senio canant,ut cygni, tuncq; precones sui fati: quędam in ęstate dulciter, & in hyeme malè canunt: quędam diuersis uocibus quolibet die mutant uocem,ut kyces: quędam tacent in hyeme,ut turtures,& hirundines: quędam hyeme uariant,& quędam ęstate cantum.

Adhuc de earum distinctione.

CAP. II.



QVædam etiam aues rapinis intentę, ut superius dictum est, societatē horrent: Nam propter auiditatem prædandi, uel insidias explorandi, nec ipsæ conueniunt, nisi lege coniugij: refugit enim auaritia cōsortium plurimorum. Aues rapaces acuti uisus sunt, quia indigēt ex alto remotius, profundiusq; uidere: quibus pennæ fluunt, & redeunt ad uigorem: nec nisi duos producunt pullos. Si plures, proijciunt eos, ut aquilę. Omnes aues prædatrices uenantur prædam alterius generis, non de sua specie, contra naturam piscium Solus nisus expers est pietatis huius. Aues prædatrices fugitiuę loris reuocantur. Distinguuntur etiam aues in sumendis nutrimentis. Quędam enim carnes comedentes, incuruata rostra habent, ut eas teneant: quædam grana comedentes, subtilia habent rostra, atq; lata, sicuti aquaticæ, ut è profundo uictum rodant: quædam etiam rostra longiora habent, & hæ crura longiora: quædam colla recta. Vulturum rostrum in senectute arcuatur. Bubo à reliquis auibus deplumatur. Reliquę aues perdunt plumas in pullificatione. Est & genus auium quoddam, præeminentes in medio capitis plumas instar galeæ habens. Vultur ea quę uenatur, uel cum quibus pugnat, stupefacit alis percutiendo. Aquilarum pennæ mixtas reliquarum alitum pennas deuorant, prout superius dictum est, de pellibus luporum, & ouium: ita & cattorum, ac glirium. Est & alia differentia earum in alis, ungulisq; plurium, uel paucorum digitorum: quia pleræq; quatuor digitos habent, tres anterius, & unum posterius. Bubo tamen duos ante, & duos post. Omnes autem aquaticę pellem in digitis habentes, gregatim ambulant. Picus marinus uncorum unguium est, ideò semper in uolatu. Nec aues terrestres uncos habent ad ambulandum, pręsertim in petris, idoneos. Suntq; breuioris colli, & magnarum alarum.

De Auium differentia, ex Cassiodoro libro octauo.

CAP III.

GOthorum Rex Athalaricus uolens ostendere pulchram eam fore ciuitatem, quæ populorum probatur habere conuentum, asserit, feris datum esse, agros syluasq; quęrere: hominibus autem, focos patrios supra cuncta tueri. Aues ipsę gregatim uolant, quę innoxia uoluntate mitescunt. Canori turdi amant sui generis densitatem. Strepentes sturni compares sequũtur indesinenter exercitus. Murmurantes palumbi proprias diligunt cohortes: & quicquid ad simplicē pertinet uitā, adunationis gratiam non refutat Contrà, animosi accipitres, aquilę uenatrices, & supra omnes alites acutius intuentes, uolatus solitarios concupiscũt: quia rapaces insidię innoxia conuenticula non requirunt. Ambiunt enim aliquid soli agere, qui prędam cum altero non desiderant inuenire. Sic mortalium uolũtas plerunq; detestabilis est, quę cōspectum hominum probatur effugere: de illo aliquid ueraciter credi, cuius uitę testis non potest inueniri. Hęc ille. Soliuagę etenim aues, ut dictum est, & infrà dicetur, semper insatiabiles sunt, atq; rapaces, etiam sub marinis tempestatibus in littoribus aberrantes, ut pisces exquirant. Huic etiam proposito non incongrua applicari poterit animantium distinctio, per diuum Ambrosium libro 5. Hexame. cap. 12. facta: tria uidelicet eorum esse genera, terrenum,

num,uolatile, & aquatile. Ante quam differentiam dicit, auium nat uram esse quòd cum eunt cubitum,quasi peracto læto munere,ęthera cantu mulcere solen quod uelut solenniter surgente & occidente die,instaurare consuerunt,ut decur si,uel adorituri nocturni iuxta ac diurni temporis laudes suo referant creatori. E demum ad finem capitis precatur adesse lusciniam,ut dormientes excitet à somno:ea enim auis significare solet diei surgentis exortum,et effusiorem diluculo de ferre lætitiam. Tamen si illarum suauitas deesset,sunt gementes turtures,& raucæ columbæ,ut homo excitetur ad laudem altissimi creatoris.

De Accipitre,& diuersis eius speciebus.
CAP. IIII.



IN partibus Aquilonis huius auis natura generosior,ac fortior,quã in cæteris mundi partibus esse censetur, maximè propter cœli soliq; rigorem, & abundãtissimam escam uolucrum,scilicet suæ naturæ conuenientium,pro solido nutrimento. Sanguine enim,corde,ac pectore earum auidius nutritur, magnamq; uenandi audaciam, affectumq; sumit:qui & naturali superbia,ac tyrannide magis quandoq;.quam necessitate stimulatur ad raptum, & delectatur in illo. Sunt etiam,qui cor tantummodo latere per rostrum aperto deuorant:aliquando etiam cerebrum appetunt,reliqua parte corporis reiecta. Qui uenationi student per accipitres,cancros eis offerunt manducandos:ex quorum esca mira satietate delectantur: auideq; uolatilia uenantur, ut gratam pro exquisita esca restituant prædam:idq; facilimè faciunt ob uolatus agilitatem,quam supra reliqua uolatilia habent,pennasq; acutas,quæ singulis annis ueteribus abiectis eis renouantur. Estq; huiusmodi naturæ,quòd auem,quam uesperi prædatur,ungulis sub pectore ob inducendum calorem seruat,maneq; liberaliter sine iterata rapina absoluit. Sunt igitur accipitrum genera multa:alij non nisi à terra rapiunt auem,alij circa arbores,alij in sublimi sedentem,alij in aperto uolantem. Deniq; accipitrum genera 16.inueniuntur. Ex his Circon altero pede claudum. Triorchem à numero testium:hunc Romani Buteonem appellant. Aesalona Græci uocant,qui solus omni tempore apparet. Est etiam nocturnus accipiter Cymindis uocatus, qui cum aquila pugnat:ungulisq; ei infixis pariter rapiuntur à uenatore. Adhuc quidam syluestres, quidam domestici dicuntur. Syluestris domesticas aues rapit,& continuò uorat:idq; solet fieri aucupis adiutorio,qui citò impotenti audaciæ succurrit.

Adhuc de natura Accipitrum.
CAP. V.

DOmesticus accipiter domino rapinam syluestrem porrigit:unde cor, & intestina recipit in escam. Et hi trepidioribus locis plus delectantur, citiusq; carne bouina,uel porcina impinguantur,uti gallinacea carne iuuene marcescunt, & ueteri temperantur. Ante aucupium commodius in locis non nimium tenebrosis seruantur,ut alternis diebus producantur. Sed ante omnia cauendum,ne teneris infantulis exitio sint. Nulla nanque bestia quantumcunque domestica, adeò grassatur in infantulos,ut simiæ,& magni accipitres:qui aduolant cunabula, ungulasq; tam fortiter imprimunt oculis,& naribus prolium, ut uix euolaturi eximant. Hiq; sunt corpore amplo,oculis uarijs ac perlucidis,uultu hilari,grossis pedibus,

dibus,longis unguibus,delitiose comedentes, cunctasq; aues inuadentes: quia nullas timent aues,nisi pauonem,qui eos necat secundum Augustinum: imò & lepores,cuniculos,uulpeculas,porcellos,anseres, grues, anates, & gallos syluestres uenantur,presertim fame & frigore urgente,quando aduolant domos humanas:ubi subtilibus filis ala permotis,intra ianuam reclusi capiuntur:tandem longo ieiunio domesticantur,ferè eodem modo quo falcones,ut infrà dicetur. Est & aliud genus accipitrum in Septentrionalibus terris,quod domesticis auibus insidiatur,ut anserulis,anatibus,& pullis:hyemeq; tempus suum cognoscens, latitat in nidis:audax in paruis,& timidum in magnis. A niso etiam fugatur, & gallo:tandemq; emoritur fame. Nisus rapax,ultra omnium ferarum naturam sæuiens in suum genus,prout homo,ibidem in magna multitudine reperitur. Solus frequentius uolat,ne in præda sustineat sodalem. Passeres,cæteræq; auiculæ eius insidias fugientes,quam celerrimè sese recipiunt ad rubos spinosos. Tardioresq; rapiuntur in momento,uti sępius uidi:quia solum uitæ pręsidium remanet inter spinas, ut columbarum in certa arbore Indiæ,ab insidiante dracone.

De Aquilarum natura, & differentia earundem.

CAP. VI.



AQuilam autem nobilem & rapacem, ab acumine uisus,teste Isidoro, sic dictam,omnibus notam relinquo. Veruntamen quia in Seprentrione maxima eius generis multitudo propter ferarum abundantiam reperitur,aliquid de earum natura præmissa distinctione præsentibus interponam. Sex igitur sunt genera aquilarum.

Primum herodius, qui & girfalcus dicitur,auis inter omnes nobilissima,colore cœruleo,ad albedinem tendens, præterquàm in pectore & alis,ubi cœlestem colorem euidentius imitatur:adeò fortis, ut Aquilam rapiat:etiam adeò animosus,ut si in aëre post quatuor uel quinq; grues, uel alias aues dimissus fuerit,non desinat à præda,donec omnes ad terram successiuè deijciat,cane ad hoc edocto rapiendas. Nec reuocatus herodius is præ indignatione descendit,donec rapiat elapsam. Nec plures generat: quam unum pullum Alberto teste.

Secundum genus post hos nobilius est,quod anseres,cygnos,cuniculos,& lepores præcipuè rapit,quando pullos habet, Herodio quantitate minor, coloris uarij,ex albis & cinereis pennis intermixtis,candidas pennas habēs in breui ano.

Tertium , quod truncatis insidet arboribus , unde denominationem accipit: estq; cinerei coloris:anates, & anseres uenatur: duobus prædictis generibus in quantitate,& audacia minus.

Quartum,quod accipit pisces,uarium in uentre,album & nigrum in dorso, & in struma nigras habens maculas:unum pedem habet anserinum ad natandum, alium ungulis acutum ad rapiendum. Insidet arboribus super flumina piscibus insidians:quorum maxima est multitudo in Aquilonaribus aquis.

Quintum genus paruum est , uarijq; coloris , sed ingenio pollens : nam ossa in sublimi portata , uersus saxum , ut rumpantur, ob medullam exugendam emittit.

Sextum genus candidum,uiuens ex uenatione leporum , cuniculorum , porcellorum,catellorum,uulpium,& similium. Aquila tantum pullos diligit,ut sagittarum ictibus se pro illis interponat tanquam scutum.

De pro-

De proprietate Aquilarum, & cubatione.

CAP. VII.

OMne autem genus earum hoc proprium habet, quòd pellibus uulpinis, & leporinis casu inuentis, uel ab eis extractis, oua fouenda inuoluunt, nidisq; beneficio caloris solaris cubanda reponunt. Non enim continuò cubare possunt, manentes in nidis: quia ungulæ tantum curuantur, ut rebus prędandis ineptæ redduntur. Curam tamen erga pullos educandos maximam gestant, pisces, aues, lepores eis in escam afferendo. Quod cum considerant sagaces uenatores, nidos ascendunt, anosq; pullorum ligaculo stringunt, ut comedendi incurrant impedimentum. Soliciti itaq; parentes erga sobolem ægritudine liberandam, omnia genera ferarum in cœlo, terra, mariq; recepta, nidis importãt, ut diuerso medicamine, uno uel altero modo suscepto sanentur. Congeritur in hanc rem maxima escarum copia: quam aucupes extrahunt, comeduntq;, uel uendunt. Nec sterili quęstu id accidere solet, cum aliquando lepores, gallos syluestres, anseres, anates, lucios, & pisces magnos, plurium florenorum æstimatione inueniunt, inuentosq; domesticis cibis apponunt, uel magno pretio uendunt. Colligitur, aucupem unum quãdoq; plus duorum pullorum prouentu lucrari, quàm colonum aliquem prædijs binis. Ne tamen pulli huiusmodi fame pereant, anum soluunt, animæq; in famelico corpore pendenti appositos cibos permittunt, iterumq; restringunt, quantò longius id natura concedit. Est namq; aquila adeò generosi animi, ut pullos proprios nunquam dimittat, antequam sibijpsis enutriendis sufficiant: nec eis putridas escas apponit, sed recentes. Nobilitate naturæ aquila nedum alijs auibus secum permittit pastum, uerum eo deficiente, ex eis unam rapit deuorandam: unde & pennæ aquilæ in pharetris telis appositæ, pennas alitum consumunt, præcipuè anserinas. Item uisa aquila cæteræ aues pro eo die tantum terrentur, ut uix famem pulsuræ exeant in prædam.

De Anate, & genere eius.

CAP. VIII.



ANas ab assiduitate natandi dicta, omnibus nota, tam syluestris quàm domestica, alioq; modo & genere diuisa, hic ueniet annotãda, maximè quòd in Septentrionalibus aquis tanta earum, præsertim syluestrium, copia est, ut ferè cunctas aquas cooperire uideantur. Non enim eas aucupes exturbant, nisi rarò: quia anatum carnes frigidæ sunt, & grossi nutrimenti: imò uerius, quia longè meliores ex syluestri uenatione, quàm aquatica, habent carnes. Et licet anates diuersi sint generis, tamen omnes conueniunt in forma rostri, seu oris lati, & figura pedum membranalium ad natandum, colore secundum qualitatem regionis ab inuicem discrepantes. Domesticæ tamen propè candidæ sunt uniuersæ: sed syluestres non nisi in tepidis aquis morantur, quarum subterraneæ uenę calidam quasi sulphuream exhalationem continuè subministrant. Ne tamen glacie cõstringantur aquæ huiusmodi, naturę instinctu circulariter, & obliquè natantes, eas aquas seruant apertas, tantumq; uociferantur, ut ad magnã uiarum distantiam inde audiantur. Cum uerò uehementia frigoris fuerint superatę, in sublime se eleuant, uastum mare uelut unicum præsidium pro securissima statione petentes.

De mirabili generatione Anatum Scotiæ.
CAP. IX.

PRæterea prope Glegornum (teste Scotorum recentiore historico) ad duas leucas est rupes Bassensis, in qua est arx inexpugnabilis: circa quam magnarum anatum (quas Sollendas uocat) piscibus uiuentium, est mira multitudo: quæ cum anatibus ferinis communibus, aut domesticis, non sunt eædem in specie specialissima: sed quia eis in colore, & figura persimiles sunt, nomine communi anatum congaudent. At discriminis causa Sollendę uocantur. Hę anates in uere turmatim à Meridie in rupem de Bass quotannis ueniunt, et rupem duobus uel tribus diebus circumuolitant: quo in tempore rupem inhabitantes, nullum tumultum faciunt. Tunc nidificare incipiunt, & tota æstate manent, ac piscibus uiuunt: & incolæ rupis, piscibus ab illis captis pascuntur. Ascendunt enim illarum nidos, ut superius de pullis aquilæ dictum est, & ad libitum pisces accepiant. In capiendis autem piscibus mirabilis est huius auis industria. In fundo maris lynceis oculis piscem contemplatur: contra quem se præcipitat, sicuti contra ardeam nisus: quem protinus ore, & ungulis extrahit: etsi à rupe aliquo alio interuallo distet, alio pisce meliore uiso priorem elabi permittit, quatenus posterius uisum capiat: & sic semper recentissimos pisces habent, tota æstate rupem inhabitantes. Iuniores anates, aut anserculos in terra uicina uendunt. Si ex his bis, uel ter quis comederit, sapidissimæ apparebunt: aues enim istę pinguissimæ sunt. Earūq; pinguedinem artificiosè extrahunt, quia in multis medicaminibus prodest: & partes macras uendunt. In fine autumni rupem triduo circumuolant, & posteà agminatim ad partes Meridionales pro tota hyeme auolant, ut illic uiuant in æstate: quia quando nobis est hyems, Meridionalibus est æstas. Diutissimè hę anates uiuunt: quod per quasdam signatas incolæ perpenderunt. Triginta, aut quadraginta in rupe bellatores harum auium fructus alit, & domino rupis nonnihil uectigalis penditur. Præterea alius Scothorum scriptor, qui diligentius rerum secreta pertractat, dicit in Orchadibus ex quodam fructu arboris cadente in mare, generari anates: qui paululum susceptis alis euolant ad domesticas, uel syluestres.

De Anseribus.
CAP. X.



SYluestrium, domesticorumq; anserum mira est multitudo in Septentrionalibus regnis, & maximè tempore cubationis quo syluestres redeunt à Meridionalibus plagis, idq; circa initium Aprilis: hiq; cinerei, nigriq; coloris, & rubei rostri ac pedum sunt, ueluti domestici ferè omnes candidi, & magni reperiuntur. Syluestres sunt in multiplici differentia, uidelicet in quantitate, colore, uolatu, & origine. Quidam enim alijs sunt maiores, ut cinerei coloris: quidam nigri, & cinerei, altè uolantes: quidam candidi nigerrimas pennas in extremitate alarum habentes, & hi altissimè uolant: quidam ex arboribus nascuntur, ut præcedenti cap. de anatibus Scotiæ dictum est. Plinius etiam ponit unum genus anseris uocans ipsum Comagene: cuius adipem proficere dicit in adiutorium preclarissimi medicaminis, quod Comagenum uocatur: & conficitur ex adipe huius anseris cum cinnamomo cōfecto, & in uase æreo sub niue recondito, donec fri-

nec frigore diu congelante maturetur,& maceretur. Vtuntur tamen homines Septentrionales adipe anſerino domeſtico in cibis condiendis, loco butyri: etiam in medicinis ad perfrictiones, conuulſiones, cæcosq; dolores ſubitos. Hic adeps butyro coniunctus, ſanguinem ſiſtit: eoq; ignis ſacer, carbunculus, ulcera linguæ, & labiorum, cutis in facie, & grauitas aurium ſanatur. Anſerino adipe utuntur Aquilonares ad rimas labiorum, totiusq; uultus, ortas ex frigore. Isq; adeps melli coniunctus, & morſui canis rabidi adhibitus, ad celerem ſanationem prodeſt. Carnibus anſerinis ſale conditis, uentoq; ſiccatis, tam coctis quàm crudis, poſt æſtiuale ſolſtitium, uti omnium aliorum animalium, utuntur Aquilonares. Sed ante ſolſtitium hyemale augurium ſumunt ex oſſe pectoris anſerini, quàm ſæua, & quàm durabilis erit hyems, hoc ſcilicet modo: Si clarum eſt eſis carnibus, hyems rigida apparebit. Si ſpiſſum, & opacum, nix plurima, hyemsq; tepida ſequetur. Anſer tædio longiſsimæ noctis ante diluculũ in forti frigore plus ſolito cantat: quia fame, & frigore concutitur, etiam in tantum, quòd albeſcit roſtrum, & ungues: cuius unicum remedium eſt, paleis uti ſubſtratis. Nec minus intentatis inſidijs, aut orto incendio clamat, prout tritum exemplum eſt de anſere Capitolino: de quo tot & tanta ſcribuntur, maximè à S. Auguſt. de Ciuit. Dei.

De moralibus exemplis, ex Anſeris natura trahendis.

CAP. XI.

CAlliſtheni Ariſtotelis diſcipulo imperatum fuit, ut ab Ariſtotele ad Alexandrum miſſus, hanc præcipuam ſeruaret diſciplinam, ut quàm rariſsimè, & iucundè admodum apud eum loqueretur, qui uitæ mortisq; poteſtatem in acie linguæ haberet. Scribunt enim qui animalium naturam diligenter ſcrutati ſunt, aliqua animalia ratione carentia, ſalutem alto ſilentio tueri: ueluti anſeres, qui linquentes præ nimio calore Orientalem plagam, Occidentalem, ſeu Aquilonarem petentes, cum montem Tantaurum aquilis abundantem præteruolare cœperunt, timentes rapaciſsimas illas uolucres, roſtra lapillis obſtruunt, ne conſuetudinis, aut neceſsitatis uis uocem eis eliciat, qua aquilis proditæ periclitentur. Verũ poſtquàm uerticem montis eius, collesq; tali ſilentio deuolarunt, calculos reſpuunt, & ſecuriore nexu per aperta cœli ſtrepitu, ac clarioribus uocibus feruntur. Proinde cui in ſimili caſu onus legationis, uel aliud incumbit, anſeris exemplo cogitet tacere, & cum quibus loquetur, opportunitate prouida uti. Emiſſum namq; uerbum (ut uulgò dicitur) nunquam reuocari poteſt. Ideoq; anſerum more potius, quàm Calliſthenis utatur. Illi enim paruo ſilentio uitam tutati ſunt, hic autem uel modica loquendi licentia eam amiſit, cum nec dicto optimi præceptoris auſcultaſſet, nec ſanctam illam Pythagoræ taciturnitatem didiciſſet. Opportuni namq; ſilentij maior eſt laus, quàm tempeſtiuæ orationis. Eſt & alia uirtus huius animalis, quòd nutritores ſuos adeò amat, ut quaſi ſapere, & intelligere uideatur. Eſt & anſer animal pauidum, & auditu acerrimo: quod ipſa natura præſcribit, ut quò timidiora animalia ſunt, eò diligentiora ad cuſtodiam habeantur, quandò metus optimus cuſtodiendi ſit artifex. Ita quoq; anſer à beato Ambroſio libro 5. cap. 13. in Hexameron commendatur. Ait enim: Nocturnas autem anſerum quis non miretur excubias? qui uigilias ſuas etiam cantus aſsiduitate teſtantur. Deniq; eo etiam Romana Capitolia à Gallo hoſte ſeruarunt. Meritò illis debes Roma, quòd regnas. Dij tui dormiebant, & uigilabant anſeres. Ideò illis diebus anſeri ſacrificas, non Ioui. Cedunt enim dij ueſtri anſeribus, à quibus ſe ſciunt eſſe defenſos, ne & ipſi ab hoſte caperentur.

De Gallis



De Gallis.
CAP. XII.

GAlli etiam præcisè in media nocte inchoant cantum, horisq́ (ut cunctis notum relinquitur) interpolatis continuant ad lucidum diem: eoq́ frequentius canunt, quò magis diei successerit hora. Crista plerunq́ consumitur gelu, pendetq́ abscindenda, ut stupida caro, ex albedine turpis, & pallida apparens. Tanta est Aquilonarium obseruantia in gallorum nocturno cantu, ut nullum horologium eligatur rectius in noctium progressione, uel distinctione. Sciunt etiam gallum facile sentire auræ mutationes, ex motu solis contingentes: cumq́ canit, se erigit, & alis percutit ueluti nuntius (ut beato Ambrosio placet) uigilans, ad laborem solicitans dormientes: idq́ iucundius auditur in pagis, cauatisq́ montibus uicinis, ubi echo per uentum duplicat cantum: quo audito, tempestiuius transitur ad opus. Veteri etiam obseruantia receptum est, & adhuc seruatur, ut post gallicinium noctis, securiores à phantasmatibus, dæmonijsq́ nocturnis, quam anteà, sint uiatores. Ideoq́ prima cura est nouis inquilinis, ædes ingredientibus: habitandas, ut rubei coloris potius habeant gallos, quàm alterius: (nam ferè omnes candidi sunt) quia cæteris omnibus perhibentur sagaciores. Canente gallo, latro fugatur, peregrinus & hospes solatur, & ægris incommodum alleuiatur. Parientibus ergo fœminis, summaq́ ægritudine laborantibus, gallus non longè abest, ob felix omen, & temporis lapsum indicandum, ut probat Volater. lib. 25. quos & dicit strepitu suo bellum, & faustam partubus natiuitatem annuntiare. Vtq́ tandem ad mensam conuiuantium meliores, crassioresq́ offerantur, iuniperis, baccis, seu leguminibus, in toto Aquilone abundantibus, sicuti & aliæ syluestres uolucres, saginantur: ut elegantiores, sanioresq́ carnes eorum reddantur.

De Ciconijs.
CAP. XIII.



IN Septentrionali Gothia et Suetia grad. eleua. poli Arctici 56. in Meridionali situ, uersus 90. gradum procedendo, solummodò ciconiæ rubeo rostro & pedibus, sed pennis nigris inueniuntur, uerno tempore à calidis regionibus aut à uastis & abditis paludibus, mitiori cœlo subiectis, ubi hyeme latuerant, reuertentes. Aduenæ nocturno uolatu cum gruibus ueniunt, ueteraq́ domicilia repetunt, eo scilicet naturæ instinctu, quòd potius in paludibus quàm hominum domibus nidos, pullos producturæ ponant. Aues etenim hæ plus aquatiles sunt, quàm terrestres: unde & lumbricis, ranis, muribus, piscibus, & carnibus, ac serpentibus uescuntur: sed bubonibus nunquàm animal ad pastum conquisitum rostro comminuit, glutitq́, ac in struma retinet, donec mollificatum mittat ad stomachum: unde reijcit ad pullos enutriendos. Hæc auis nigra est, fortissimi rostri: acerrimè pro nido & pullis, etiam ad mortem usque pugnat, alam unam ante crus quasi pro scuto opponens Aquilas, & cæteras rapaces aues tempore pullorum insequitur: quas si sola exturbare, aut superare nequierit, alias conuocat, uictoriam parem ex hostibus habituras: qua obtenta, rostri percussione alacritatem ostendit: etiam quando socia accesserit, uel pulli prosperantur in pastu: tuncq́ diu sonat, caput antè & retrò sæpius plicando. Nocturno autem concussa timore sonat,

& sibilat,auxilium in noxias bestias petitura. Præterea unum ex pullis,uel quia degener est,uel quia tædio pascendi ducitur,deplumatum nido deijcit,uulgi iudicio uelut decimas pendens,aut domino fundi censum pro hospitio præbens. Eximia tamen illis circa filios est pietas. Nam adeò nidos impensè fouent, ut asiduo incubitu plumas exuant. Quantum autem tempus impenderunt in fœtibus educandis,tantum & ipsæ inuicem aluntur à pullis:nam frigida earum membra refouentes,eas in pastu procurant,donec redierit fortior ala ad parentum senectutem nutriendam. Tradit & Volateranus,& Aelianus,eas teste Alexandro Magno,ob pietatem deorum beneficio in quibusdam Oceani insulis in homines conuerti: quare eis nocere,omnibus locis ducitur impium,& indignum,maximè in Thessalia,ubi serpentum immanis est copia: quos dum escandi gratia insectantur, incolas liberant à magno ueneni malo. Quare ibidem ciconijs honor,& immunitas est concessa,ut capitale fuerat,occidisse ciconiam,uti hominem. Nec dubium,eas castitatis sectatrices esse,fœdusq; coniugij adinuicem seruare.

De naturali pietate Ciconiarum,& Ardea.

CAP XIIII.

LOquitur etiam de earum pietate & clementia beatus Ambrosius in Hexameron. Nam depositi patris artus, per longæuum senectutis plumis nudatos,circumstans soboles pennis proprijs fouet: & quid dicam? collatitio cibo pascit,quando etiam ipsa naturæ reparat dispendia,ut hincinde senem subleuantes, fulcro alarum suarum ad uolandum exerceant,& in pristinos usus desueta membra reducant. Quis nostrum patrem ægrum non leuare fastidiat? quis fessum senem humeris suis imponat? At uerò auibus graue non est,quod pietate plenum est:unde & auis hæc Romanorum usu Pia uocatur. Est & aliud genus (Isidoro teste)meropes,siue gauli: qui parentes suos recondunt,& alunt,quando senescunt, deficiuntq; uolare &c. In partibus uerò inferioris Germaniæ omnes ciconię sunt uariæ,culmina ædium humanarum inhabitantes, eiusdem naturæ cum nigris in Septentrione. Abituræ autem,ut dicit Perottus,in certo loco congregantur,ita ut nulla sui generis nisi captiua relinquatur. Domesticantur nigræ,& uariæ: sed frigora intensa fortius tolerant nigræ. Est deinde alia auis palustris,Ardea dicta,in Septentrione ut in plurimum cinerei coloris, unum intestinum sicuti ciconia habens:uictum quærit in palustribus ripis, & aquis: præsenti capitulo iuncta, propter magnam utriusque concurrentem proprietatem. Ardea dicta est,quia ab arduo uolatu nomen sumit: unde altißimè uolat duplici ratione,aut scilicet ob metum accipitris,aut imminentes tempestates. Si uerò accipiter eam in sublimi molestat,stercore misso in pennas eius,eas putrescere facit: ubi Solinus scribit de Bonaso,qui spatio trium iugerum stercus post se mittit in uenatorem, & maxima bestia Zubro secundum Albertum. Ita & lupus urinam spargit in persequentem. Ardea,quæ paludibus inhęret,notas sedes deserit,imbresq; formidans supra nubes uolat,ut procellas imbrium non sentiat. Ardea, Plinio teste, cum in medijs arenis tristis extat, diras tempestates prænuntiat. Ardeæ uerò albæ extra Aslogiam in Noruegia sunt in maxima copia, ut stercoris uredine destruant arbores,& frondes subiectas nidis. Ita & in Hedensoe,non longè ab oppido Sundenii in Pomerania.

De Cygnis.

De Cygnis.

CAP XV.



CYgnus,siue olor(ut omnibus uidetur notum)uolucris mitis & mansueta,à canendo sic dictus,eò quòd sonum carminis dulcedine modulatis uocibus, propter longum collum & inflexum, fundit, quo necesse est eluctantem uocem reddi sonoram.Rarius tamen cæteris auibus cantat,nisi in productione pullorum, aut urgente forti frigore:idcq; in Septentrionalibus aquis,ubi aues istæ durante tepiditate,longiori se continent mora: & tandem frigoribus superatæ acerrimis,i ele in sublime efferunt, & euolant ad calidas regiones:tuncq; inter niues candidas,permixtas atris nubibus,sola uoce prodeunte in magnis agminibus,ordine etiam literali pulcherrimo spectaculo per altissimas nubes euolare cernuntur,prognostico incolis terrarum relicto,quòd hyems ualidissima sit secutura.Sed hoc prognosticum quantò seuerius exinde uisum fuerit, tantò lætius omen terrarum incolis administrat,prout superius lib.1.dictum est:& infrà dicetur.Habent enim incolæ multas commoditates ex eo asperrimo gelu. Tandem mitigato tempore redeunt ad ueteres aquas: Verum quia carnem suauem,mollesq; plumas tanquam merces pretiosas incolis portant,diu sine insidijs haud perseuerant.Nouere per experientiam uenatores, eos suaui citharæ, tibiarumq; cantu naturaliter delectari:ideoq; mentita bouis,uel equi imagine,aut sub ipsa bestia uiua ad littus in cithara canunt,donec appropinquanti cygno, dulciq; uoci intento,ferreum hamum hasta infixum pectori immittant, chordaq; hastæ annexa ad littora trahant.Nec solicitus est cygnus superuiuens, aut plures: quia non formidant iam captum littus adire,propter solitum pastum: sicq; cygnus sui fati præco,cithara deceptus incidit in fatum,quod alijs concinere solet. Alias in senecta leuiter cum melodia,uita soluitur,penna capiti traiecta.Cantat enim, ut ait Plato,non ex tristitia,sed potius lætitia,propinquante fato.

Adhuc de assertione plurimorum autorum de natura Cygnorum.

CAP. XVI.



AMbrosius dicit:Cygnea carmina sub graui terrore mortis imminentis delectant:naturales enim edũt modulos,quibus paludes resonant dulcissima suauitate. Iorath tamen dicit, olorem dulci modulatione minimè delectari,sed cum suauissimè modulatur,tũc signat,quod morti suæ magis uicinatur. Plinius lib.10.cap.23. olorum morte narrari cantum flexibilem falsum arbitratur aliquot experimentis. Cygnus itaque,uti plumas habet albas, ita carnes nigras,fortitudinem in alis habens:quod colericam signat complexionem.Ideò iracundus,oneris impatiens,nec libenter uolat.In lacubus, & stagnis quiescit. Vno pede natat,altero dirigitur ut uelo. Piscibus nutritur, & herbis. Penes aquas nidi-

ficat in arundineto. In pullis educãdis solicitus: qui primum cinereum, deinde candidum colorem habent. Auis hæc plena conuitijs fertur, ut ea clamante, reliquæ uolucres omnes sileant: unde & olor dictus, quasi alogos, quod Latinè dicitur iniuria. Est tamen nautis placida in prognostico uisa, ut Aemilius dicit:

Cygnus in auspicijs semper lætissimus ales.
Hunc optant nautę, quia non se mergit in undis.

Non longè à Londino Regia ciuitate Angliæ, in flumine Tamesia reperiuntur plura millia cygnorum domesticorum: etiam in lacu Scotię, Spina dicto. Olores, siue cygni, ad alia loca pabuli, gratia migraturi, cõgregati comeant, tali ordine uolandi, ut impetu rostrato ferantur, quò facilius aëra findant, quam si recta fronte impellerent: à tergo dilatati, ut in cuneum porrigatur agmen, colla præcedẽtibus imponunt: fessosq; duce tergo illum recipiunt. Cygnus in capite percussus, facilè moritur: alioquin multas sustinet læsiones. Casiodorus lib. 1. dicit beluas ipsas sono hominum conformi plurimùm delectari. Ita & Plinius dicit passim, quòd uidelicet aues ut cygni, pisces ut delphini, terrenęq; bestiæ cantu mulcentur, somniq; dulcedine capiuntur, ut superius dictum est.

De Columbarum genere, & colorum uarietate.

CAP. XVII.



QVamuis in Aquilonaribus terris nullus, aut rarissimus sit usus columbariorum construẽdorum, atq; columbarum specialiter enutriendarum: attamẽ quæ ad hanc artem attinent, pro informatione earundem terrarum, aliqua honesta compendia populis illis inspectione huius libri poterunt demonstrari: ut ex aliorum ingenijs commoda solatia assequi ualeant, & quatenus opus fuerit, sine cuiusuis iniuria imitari. Vnde autore Palladio, columbarium accipere potest sublimis aliqua turricula in prætorio, uel alio excelso loco constituta, læuigatis & dealbatis parietibus, in qua columbæ recipiantur, ac nutriantur: cuius cellæ duo subiecta cubicula fiant, unum breue, ac propè obscurum, quo columbæ claudi possunt: (quas nutrire facilimum est) aliud uerò turdos nutriat. In columbarijs à quatuor partibus fenestrellæ breuissimæ fieri debent, ut columbas solas ad introitum, exitumq; permittant. Nidi quoq; inferius figurentur. A mustelis tutæ fient, si inter eas uetus lini folliculus projciatur. Inducunt alias, si cymino assiduo pascantur, uel eis alarum extremitates melle inungantur. Rutæ ramulos plurimis locis oportet contra animalia inimica suspendere. Est etiam habenda auis tinnunculus, uel alia, quæ terrore suo accipitrem à columbario deturbet. Inducendæ sunt columbæ, ut aues huiusmodi ament. Fertur enim, si in quatuor angulis defodiantur in ollis nouis oblitis, non mutare sedem columbas, multiuaga alioquin aue. Est enim ars illis inter se blandiri, & corrumpere alias, furtoq; comitatiores reuerti. Verum ut hoc ipsum fiat, pauci inter Septentrionales populos, quibus curiositas ista, non necessitas placet, præbent in pastum columbis pisa melle tincta, quatenus inter osculandum blandiendumq;, hac oris suauitate campestres columbæ mansuetas comitentur in antra: eoq; casu multæ capiuntur: quæ mox ut sunt ingressę, certis repagulis antra huiusmodi clauduntur. Accipitris impulsu uastum mare ingrediuntur, ac se manibus hominum committunt pertractandas, prout & ego in mari Germanico constitutus uidi.

De pul-

De pullis Columbarum, & uirtute medicinali eorum.

CAP. XVIII.



DVplices in Septentrionalibus terris sunt species colũbarum syluestrium scilicet, & domesticarum. Quæ syluestres sunt, satis frequenter in escam hominum, arte & industria uenatorum captæ deputantur: non autem ut ordinarius cibus, sed pro uoluptate permissus. Harumq́ columbarum pullos ex cauis arboribus, seu rupibus extractos, iuuenes heremi scrutatores sæpe quæsitos, ad ædes reportant: ijsq́ uescentes auidiores redduntur, ut eos deprædentur ex syluis. Domestici uerò pulli uerni reputantur meliores, ob sana nutrimẽta: sed pinguiores in autumno, ob maturiorem pastum. Medici, licet rari sint in regionibus illis, pullos teneros ex syluis raptos, suadent dari phlegmaticis, sed non colericis, & calidis à natura. Item omni morsui columbam recenter occisam applicant & sanatur. Item stercus columbarum doloribus apponunt, ut humores desiccentur. Item sanguine columbæ sanant podagram, uel mitiorem faciunt. Item sanguine columbę leuant oculorum maculas: fluxumq́ sanguinis eodem naribus instillato sistunt. Item stercore columbarum mixto melle uerrucas tollunt. Item sanguine columbæ ex ala dextera accepto, oculo infirmo medentur. Recenter enim eductus, acutus ualde est, & dissolutiuus: & ideò eum congruere asserunt lippientibus oculis: quorum alioqui dolor frequentius generatur ex uehementissimis uentis frigidis: qui uidentur magis foris urere, quàm aliqua intrinseca causa.

De Coruis syluestribus, & domesticis

CAP. XIX.



QVarto libro cap. 15. huius uoluminis dictum erat de legibus coruorum necandoru m Islandiæ, atq́ quod in ea terra glaciali sunt ferocissimi corui, etiam albi, ac ursi albi, atque reliqua ob frigoris asperitatem in alijs regionibus Aquilonis animalia alba, prout proximè superiori libro de leporib us, ac uulpibus albis fuerat declaratum, & probatum. Nũc uerò quia specialiter de auibus est agendum, coruus quoque ueniet in proprietate sua perstringendus. Illud satis arbitror dictum, quod siue syluestris sit, siue domesticatus, semper naturam sæuiendi, rapiendi, & furandi habet, ut necessum sit ubiq́ eius arcere crudelitatem: in campo, ne deuoret agnos: in domo, ne infantulis in cunis uagientibus eruat oculos: & in loculis, ne subtrahat ęra, ut Cicero Valerio Flacco de monedula uisus est dicere: Non plus aurum tibi, quam monedulæ committendum est. Ait etiam Plinius monedulæ miram inesse furacitatem, pręcipuè auri & argenti. Monedula dicta quasi monetam tollens: uoceq́ iuuenis imbuitur humana, ut amplius noceat, & præsertim agris triticeis: à quibus non nisi per spectra agris imposita arcetur. Igitur ut de coruo candido uideatur exemplum, Perottus asserit,

quòd Alphonso Regi Siciliæ coruum candidissimum misit Rex Britannorum aliumetiam Rex Scytharum, aucupio mirabilem: quo reliquos coruos, & phasianos uenari solebat. Rursum si Scythæ saltem Europiani agnoscere uellent, quanta docilitate polluerint Romani corui, intelligerent eosdem plus, uidelicet quadraginta millia florenorum meruisse, prolatis quatuor adulatorijs uerbis, quàm forsitan multi Britannorum Scytharumq́ Reges toto æuo uniuersis canibus, aut coruis, uel etiam falconibus acquirere ualuerunt. Idq́ tali modo accidisse scribitur: Redeunti Cęsari Augusto in curru triumphali, gesticulatoris cuiusdam coruus singulariter institutus, hæc uerba locutus est: Aue Cæsar, Victor, Imperator. Qui ob id uiginti millibus nummorum aureorum emptus est. Sed multò pluris alius cuiusdam sutoris coruus, qui Cæsari dixit: Opera & impensa perdita. Vtcunq́ se habeāt hæc trita adagia in Latio, certum est, omnes coruos totius Aquilonis nunquàm pro uerbis, & uocibus suis recepisse mercedē, licet 64. uoces formare dicantur: inter quas pessima quædā est. Cras cras, omnibus pollicitatoribus ualde communis, & pluribus perniciosa. Prætereà alia est uox, Erit erit: & nunquam erit. Et ita de reliquis, quę garritu, latratu, crocitatione, uocis resorbitione, strangulatione diras trucesq́ tempestates, imbres, & euentus rerum uniuersis absq́ nummis exponunt. Imò in ceruisiarijs tabernis cicures corui retrò, uel à latere clandestinæ furantur pecuniam ab inebriatis, certoq́ loco reponunt, ut symposio soluendo per conscium furti addatur aliquid pretij: & ita gratis bibere uidentur, ubi coruus pro omnibus soluit.

De Coruis marinis.
CAP. XX.

EST & aliud genus coruorum, aquaticum, siue cornices anguillarum, appellatum. Hæ aues nigerrimæ sunt, præter pectus, & uentrem: quibus cinereum colorem natura præscripsit, & incomparabilem uorandi auiditatem. Venantur pisces, tardi sunt uolatus, diuq́ sub aquis manent, quando se immergunt. Habent rostra dentata, ut falces messorum: quibus retinent lubricos pisces, anguillas præsertim: quas adeò gulose uenantur, & uorant, ut eas per aluum, tanquam per canale egerant uiuas. Sunt etiam hæ aues ingratissimę naturæ, quia stercoribus egestis cortices, ac arborum ramos, ubi habitant, inficiunt, ut subitò arescant. Idq́ ardea facit: quæ æquè ac ille in altis arboribus nidum collocat prope piscosas aquas, ut fere omnia genera auium aquaticarum. In uere producunt oua. Est et aliud genus coruorum, quod in principio hyemis septem diebus nidificat, & septem diebus pullos cubando producit. Hyemis autem principium intelligitur, quando quarta cœli hyemem facit, cum scilicet sol intrat Tropicum Capricorni hyemalem, usq́ ad Arietem. Accedit etiam huic coruo, ingrato auium generi, alia auis aquatica, Morfex dicta, totaliter nigra: quæ ei insidiatur, rostrum habens serratile, ungues fortes: quibus aquis immersa. grandes pisces uenatur, & edit. Gregatim in arboribus nidificat iuxta aquas, pullos piscibus pascens. Relinquens nidos, si sentit se grauari, nouum cibum euomit, alioqui peritura. Hæc saturata, alas sole siccandas expandit, diuq́ aquam cauda percutit, antequàm ad uolatum eleuatur. Sortitur ergo aliud nomen, quòd Humusculus, uel Humidusculus dicatur. In omnibus littoribus Septentrionis tam æstate, quam hyeme hæc auis uersatur.

De inimica aue huius Corui.
CAP. XXI.

AVis est Platea dicta, Septentrionalis aquæ incola: quæ acerrimus uindex est auiū se mari mergentiū, ut piscib. uescantur. Ideoq́ his insidiatur hoc modo

Aduolat eas, capitaq; mordet, & corripit, donec ad usum extorqueat prædam: quam mox dimittũt taliter lacessitæ. Hæc aliquando conchylibus se replens, cum testis grauari se sentit, calore uentris semicoctas eijcit, conchyliaq;, & ostreũ quod intus est, laté exugit & edit. Prætereà inter pisces Oceani latos, & aculeatos, Raia dictus reperitur: qui hominem à canibus marinis natantem, ad deuorandum raptum, & suffocatum defendit, nec deserit, donec uiderit eum à periculo euasisse: de cuius clementia, et aliorũ crudelitate, plura inferius ostendentur: ut saltem hinc humana temeritas sese discat comprimere à ferina crudelitate, nulli inferenda, sed innocentia ubiq; defendenda. Hic piscis coruum marinum sub undas se mergentem, sæpissimè ad pastum rapit, ne etiam in aquis careat ultore suæ rapacitatis.

De Erythrotaone.
CAP. XXII.



Haec auis nigerrimi coloris est, rubeam habens cristam fortem et altam, rostrum aduncum, et ungulas acutas, de genere uulturum, aquila grandior: cui in odo ratu præfertur, ut aquila cæteris in acumine uisus. Habitat in Aquilonaribus syluis, imò saltibus Tridentinis, ubi eam M. D. XLV. gustaui. Dulcissimi saporis est caro eius, siue assa fuerit, siue lixa. Nec unquàm facilius capitur, quàm sub umbra equorum: eo scilicet modo, ut eam sagittare uolens in arbore sublimi (ubi semper quiescit) necesse habeat secum ducere iumentum ad locum opportunum, ut supra dorsum eius ab extenta ballista extrudat uiolentissimam sagittam, latam scilicet in dente, ut pennas penetret nimis fortes, & condensatas. Nec errante sagitta statim euolat: quia fragorem auditum existimat à collisione arborum (ut in uentis semper fit) exijsse, & non à sagitta. Cum uerò in terram pastus causa descenderit, aquilam à cadauere, cæterasq; rapaces aues, etiam solo terrore perturbat, solis imbecillibus, & minutulis parcens. Venatur lepores, & uulpes, cæterasq; minutulas bestias unguli exportandas, percussione alarum. Miro robore ualet, ac uiribus ungularum: unde omnem prædam primo ictu stupefacit. Venatur & aquaticas aues, ut nec euolando, nec se submergendo ab eius persecutione sint immunes, pondus obseruans prędæ uiuę, uel mortuæ suscipiendæ, ut eam non exportet in nidum, uel arborem altam, nisi conformis sit unguibus eius: & ita cibat pullos. Plurimam famem sufferre potest: sed eam mira uoracitate luporum more restituere nouit: eaq; uoracitatis ratione euenit, ut in pectore, uel intestinis cadaueris cor, & mollia uorando, reti uel laqueo tanquam caueis inclusus circundetur. Maiori tamen discrimini submittitur, quãdo cum nocturnis alitibus ingreditur pugnam: de quorum numero otus est, de die nunquàm apparens: cui acriter congrediens, tantum mutuis ungularum impressionibus configitur, ut & ipse, & aduersarius orto die uenatori fiant præda. Et hoc quoq; Albertus fatetur fieri inter VVormatiam, & Treuerim in Germania. Ne autem uideatur hęc rapax auis in aquis simili compare carere, ecce auis Linachos occurrit: quæ tantæ rapacitatis est, ut cæterę eam in mari uidentes, se terrore eius submergant, & pro tota ea die non nisi à longe emergant, eò quod illa obseruat aquæ superficiem, ne aliquæ eam euadant.

De Falconibus, & eorum distinctione.
CAP. XXIII.



EX quo falconibus tanta reuerentia, honosq; conceditur, quòd procerum manibus, gemmis, margaritisq; adornati insideant deportandi, ut suo raptu specta- culum aliquod gestantibus se demonstrēt: nefas crederetur, huiusmodi auium præfe- ctos, seu barisellos, presentibus uolucribus haud rectum attribuere locum. Aquilona- res igitur montes hos generant ualde fero ces, sed generosos, etiam candidos: qui bal listis incolarum, nisi omnimodam uim in rapiendo fecerint, tanquam aues sacræ non impetuntur: alioquin damna facien- tes, quantumcunq; nobiles, aut candidi sint, sagittas incolarum non euadent. Ha- bitant tamen in rupibus quasi inaccesis, uiuentes ex raptu piscium: quos ob ni- miam multitudinem diminuere nō sufficiunt homines etiam innumerabiles, nisi concurrerit adiutorium rapaciū bestiarum. Adeò natura ludit in rebus abundan- tia, uel defectu sagacissimè temperandis. Abundant etiam ibidem accipitres, & milui, ac corui, ob aquaticarum auium segnitiem, ac tardum uolatum: quia nimi- um fertilitate fundi saginantur. Dicit etiam Albertus, quòd in animalibus Septen trionis multa est rapacitas, ferocia, ac audacia: quia corpora illa magna sunt, & multi spiritus, & ferocitatis. Volateranus Alberti sententiam sequēs, inter septem falconum genera subalbidos ponit in Septentrione, propter frigus, humorem, & locum, in quo nascuntur. Ponitur etiam falco lanarius: qui stat in aëre contem- plans prædam, ubi subalbidus unguibus & rostro audacius aduolando ferit: non ita falcones nigri, qui tardiores sunt: quia corpora nigra, seu fusca, porosa sunt, de facili euaporantia spiritus, qui sunt uehicula uirtutis: tuncq; lassantur, & debili- tantur, quamuis sunt agilia per naturam. Econtra autem alba, frigida, consertas ha bent carnes: & quia sunt multi humidi, multorum sunt spirituum, & propter car- nium consertionem non citò euaporantia: & ideò diu durant in labore. Genera ta men falconum ab aliquibus ponuntur 8. ut Symmacho, & Theodotione: ab ali- quibus 10. ut Alberto, & sequacibus suis. Sed quoad nobiliores, primum sacrum, siue aëlium, uel aëriphilum: secundum girofalconum: tertium montanum: quar- tum peregrinum: quintum gibbosum: sextum nigrum: septimum album à Suetia: octauum rubeum, quia maculas rubeas & nigras habet: nonum hyacinthini pe- dis: decimum minimum quantitate, quod uulgariter smerlin uocatur.

De curandis Falconibus, & alijs auibus uena- torijs, more Aquilonarium.
CAP. XXIIII.

QVando habet dolorem capitis claudendo oculos, & mouendo caput in di- uersum, datur ei lardum cum puluere piperis, & caro pullina alternatim.

Quando aperit rostrum, & percutit pedem, habet malum humorem in capite: tor quendus est stylo argenteo in naribus, ut exeat humor, & ungatur recen- ti butyro.

Quando sternutat projciens aquam de naribus, habet nimium humorem: & ca- piantur tria grana saxifragæ, cum totidem granis triti piperis cum aceto, & ap- plicentur naribus cum lana bombacina, aut subtili stupa lini.

Quando

Quando collum inflatur, aperiatur uena auricularis, ut gutta exeat, & comedat ranam, & detur cibus pullinus.

Quando leuato pede percutit crus suum rostro, habet guttam salsam: aperiatur uena inter crus & coxam.

Quando habet pediculos, ungatur caput cum axungia ueteri, admixto argento uiuo, & misceatur sępius.

Quando habet febres, scilicet quando ei calent pedes, & contremiscit, axungia gallinæ cum forti aceto admixto aloë, detur ei interpolatè, & deinde testudo limax dicta.

Quando cibum reprojicit, habet uiscositatem in stomacho: dentur carnes passerinę aspersę cum trito gariophyllo alternis diebus, & rursus pipio alternatim: si tenuerit, sanabitur.

Quando non longè egerit, detur cor porcinum cum seta porcina minutim incisa, usq; in diem tertium, & liberabitur.

Quando habet lumbricos, detur limatura chalybis depurati, super carnem porcinam sparsa triduo, & proderit.

Quando tineæ comedunt pennas, detur uinum calidum, & piper tritum, & infundatur in gulam falconis, & teneat donec digeratur.

Quando podagram patitur, id est, pedes sine extrinseca læsione tument, detur oleum oliuæ, & butyrum, æqualiter, & aloë, iecinioris modo coacta, unius unciæ: quolibet die misceantur, pedesq; triduo ungantur: poneturq; ad solem, & comedat carnem catti.

Quando habet pruritum, hoc est, quando se pectit, & scalpit, & pennas trahit, detur stercus anseris, ouis, & aloë, ęqualiter, forti aceto temperata: bulliantur ad solem triduo, uel igne lento: in quo balneetur falco: edatq; carnem columbinam cum melle, & pipere: sit in loco obscuro diebus nouem, usquequò apparuerit penna bona in cauda: tuncq; lauetur aqua rosacea, & sanabitur: iterum tamen sæpius lauetur.

Quando est uulneratus, albumen oui, & oleum oliuæ, uel butyrum recens, æqualiter mixta, et apposita prosunt. Purgetur uulnus lauando cum calido uino, non aqua, donec cutis texerit carnem.

De Garrulis, & Cornicibus, ac Graculis. CAP. XXV.



GArruli syluestres domesticantur, ac uoces articulatas addiscunt, ut suprà dictum est de imperialibus coruis. Sed garrulus à graculo natura, coloreq; distinguitur: nam graculus est totaliter niger, de genere cornicum, in Septẽtrione rarissimè apparens, sed frequens in Germania inferiore garrulus autem diuerso colore, garritu, ac uolatu lateraliter inter arbores garriendo peruolat: nec quisquã transire potest, cõtra quem nõ garriat importunè. Aliarũ auium uoces nõ delectationis, sed garritus causa imitatur. Vnde garrulitati nimiũ intendẽs, à niso rapitur in escam: exemplum ardelionibus prębẽs, ne aliena sic scrutẽtur ut propria obliuiscantur. Habet & omnium uolucrũ colorem: & intantum furit, & insanit, niso uel catto uiso, ut in ramis arborũ se suspendat. A iuuentute domesticatus, diutius garriendo mirè loquitur. Cattum domesticũ, tanquam hostẽ insidiantem, continuo garritu, ut auferatur, prodit. Nuces, & glandes pro hyemali esca

æstate

æstate recondit, signum loci & rei custoditæ à transitu nubium sumens: quo fit, ut stulta memoria illusa sibijpsi famem, alijsq; ei solicitudini non intentis escam exhibeat copiosam. Discant ergo ex eo pecuniosi & auari, ne damnata solicitudine congestos thesauros mittant ad hostes, & ingratos hæredes. Cornices sunt in Septentrionalibus terris mixtę, coloris cinerei, & atri: ungulis et rostris plurimum potentes: carnibus, alioq; pabulo indifferenter, etiam nucibus alto casu confractis utentes. In hyeme cibum cum porcis sumentes, ascendendo descendendoq; semper resident super dorsa eorum, propter ungulas frigoribus non consumendas. Solicitæ genetrices sunt pro pullis educandis. Cornicem incubantem mas pascit more coruorum, teste Alberto. Vtraq; auis inauspicatę garrulitatis. Vterq; parens fœtum secum uolantem diu nutrit, pietatis amore. Discant ergo homines, hortante Ambrosio, amare filios ex usu cornicum: quæ etiam uolantes filios sedulò prosequuntur, & solicitè, ne fortè teneri deficiant, cibum suggerunt, ac plurimo tempore nutriendi officia non relinquunt.

De bona Auium natura attendenda.
CAP. XXVI.

DIscant homines ex auibus hospitalia iura seruare cum ciconijs. Item pericula sua communicare cum necessarijs, ut cornices: & ab eisdem castitatem, quia inter se fidissimæ sunt. Mira etenim his castitatis & matrimonij cura, haud palàm coëuntibus: extincta consorte, alteri uiduitas impolluta manet. Sunt etiam cornices in augurijs, & incantationibus aptæ, ut Alberto placet. Plin. dicit lib. 19. cum contra aquam (ut aliæ terrestres aues) clangorem dant, seseq; perfundunt, imbrem præsagiunt. Vero e[illegible]erimento etiam receptum est, ut sese in Septentrione niuibus perfundant, ut turdus uel alauda arena, aut puluere gallus: tuncq; profundum casum niuium præmonstrant. Insidias etiam omnium rapacium uolucrum improba uoce, & uolatu domesticis auibus demonstrant: imò & sola uoce, ut Suetonio iocanti placet:

> Nuper Tarpeij consedit garrula cornix.
> Est bene non potuit dicere, dixit Erit.

Pica insuper quasi poëtica dicitur, eò quòd uerba in discrimine uocis exprimere, & importuna garrulitate uocē imitatur humanam, colorem ex nigro & albo communiter habens: quanquam in Septentrione totaliter candidæ sint, licet rarò reperiantur. Vidi ego in Polonia M. D. XXXVII. transiturus ad Concilium generale Mantuæ conuocatum, prope Gnesnam toto corpore candidam picam à nobilibus terræ, ad propagationem generis diligenter inquiri. Communis autem pica, frigore pressa, hominum ædibus se confidit, ueluti & corui, cornices, & similia, ut facilimè capiantur, prout lib. 1. cap. 19. multis effectibus probatum est. Sustinet tamen hæc auis ultra cæteras immensum frigus: sed parcitur illi, ne capiatur: quia noxias bestias, lupos, uulpeculas, lutras domesticis animalibus insidiantes, plurimo garritu prodit. Lætiore etiam cantu lætos hospites insinuare uidetur aduenturos. Alia de earum mira natura, refert Plin. libro 10. quomodo adamant uerba, quæ loquuntur, cura atq; cogitatione intentionem non occultantes. Constat emori uictas difficultate uerbi, ac nisi subinde eadem audiant, memoria falli. Hilarantur uerbum audientes sæpius repetitum.

De Gryphis, & alijs Auibus.
CAP. XXVII.

NEq; Plinio, neq; Alberto physica ratione aliqui uidentur gryphi esse in rerum natura, nisi secundum traditiones historiarum. Dicunt enim eos antrorsum



trorſum aquilæ formam effigurare in capite, roſtro, alis, ac anterioribus pedibus, licet multò maiori quantitate: in poſteriori uerò parte, cauda, cruribus imitari leonem: & in aquilinis unguibus lõgos habere ungues, in leoninis uerò, breues & magnos: è quibus ſcyphi fiunt, uti ex ouis ſtruthionum ad bibendum: & ideò quoſdam longos, quoſdam breues gryphorum ungues inueniri. Habitant in Hyperboreis montibus, infeſti maximè equis, & hominibus: tantaq; fortitudine præditi, ut equum, & armatum ſeſſorem rapiant. Iſidorus tamen dicit, eos gryphos ea ratione uocari, quaſi animalia quadrupedia, ac pennata: uiuereq; in montibus prædictis, equis infeſtos, etiam ut hominem decerpant. In Aſiatica Scythia terræ ſunt locupletes, ſed inhabitabiles, referente Solino. Nam cum auro & gemmis affluant, gryphes uniuerſa tenent, alites ferociſsimæ, & ultra omnem rabiem ſæuientes: quarum immanitate obſiſtente, aduenis rarus acceſſus eſt. Viſos quippe decerpunt, uelut geniti ad plectendam auaritię temeritatem. Arimaſpi cum his pugnant, ut lapides, qui ibi ſunt, intercipiant: ex quibus ſunt ſmaragdus, cyaneus, & cryſtallus. Dicitur etiam libro de nat. rerum, gryphes eſſe quadrupedes, capite & alis aquilæ ſimiles, ſed multò maiores. In nido ſuo lapidem agathen ponunt, nec dubium quin ad aliquid utilem. Hi equis, & hominibus maximè infeſti ſunt, ita ut homines armatos prælíando ſuperent, & occidant. Dicuntur aurum effodere, & in effoſsi inſpectione gaudere. Gryphem in India, teſte Volaterano, quadrupedem eſſe aligerum tradunt, uiribus potentem, leonis more recuruis unguibus, dorſo nigrum, priori parte purpureum, alis albicantibus, ore aquilino, igneis oculis, captu haud facilem, niſi pullum. Præterea nidificare in altis montibus: & illi congredi nullum, niſi leonem, & elephantem, audere. Aurum inſuper in deſertis fodere, & accedentes arcere, ex eoq; nidos texere ferunt: ad quod ſurripiendum ſæpe uenit mille, aut duum millium hominum exercitus magno cum periculo, tum etiam quæſtu. Tertio deinde, aut quarto redeunt anno ex Aeliano. Philoſtratus uerò in uita Apollinis libro tertio ſcribit hanc auem, ſimul & phœnicem ſacram eſſe ſoli, currumq; ſolis hiſce gryphibus iungi: ſuperare inſuper elephantes, & dracones, omnia deniq; animalia, præter tigridem, quæ ob uelocitatem ab eo aufugit: uultu quoque non multum ab humano differre. De animalibus autem bigeneribus, Vincen. in ſpec. nat. libro 22. plura dicit. Etiam Plin. libro octauo capite 21. ubi de equo pennato, & ſimilibus multa dicuntur. Porphyrio eſt auis, contra modum aliarum unum pedem habens latum ad natandum, alium uerò fiſſum ad ambulandum: & id genus eſt in Balearibus inſulis. Pegaſus (de quo Plinius) eſt equus pennatus, cornutus, & armatus, quem Aethiopia gignit. Habet & alas, ut aquila: ualde monſtroſus. Struthio alta beſtia eſt, per me uiſa in Concilio Vincentino M. D. XXXVIII. in pedibus fiſsis animal, & roſtro auis: de quo in Iob plura dicuntur: & quomodo ferrum glutit, & digerit, alibi requiretur. Auriphrygius eſt auis, ſic dicta, quaſi auram phrygiam ſequens. Habet unum pedem cum uncis acutis ad prædandum, alterum uerò latum ad natandum. Gyro multiplici utitur in aëre, nunc more ludentis, nunc more inſidiantis, uſq; dum prædam in aquis cernens, impetuoſè deſcendat, altero pede prædam rapiens, altero natante rapientem adiuuans.

De Gruibus.

De Gruibus, & uigilia militari.
CAP. XXVIII.



GRues peregrino agmine cum ciconijs ab Australibus locis ueris tempore in Septẽtrionales terras uenientes satis, uel in maiori parte lib. 2. cap. 11. demonstratæ sunt, & ex Solino cap. 15. quatenus lectori placuerit, adhuc in earum mirabili natura notari possunt, hoc reseruato ad hunc passum, de auibus Septentrionis, quòd prænominatę grues non conferunt in mutuam operationem, secundum Albertum, nisi uigilias, & uolatum: quæ Liburnicarum more rostrato impetu ueluti & anseres, feruntur, facilius ita findentes aëra, quàm si recta fronte impellerent: à tergo sensim dilatante se cuneo, porrigitur agmen, largeꝗ; impellenti præbetur auræ. Colla imponunt præcedẽtibus, fessosꝗ; duces ad terga recipiunt. Quæ autem domesticatæ sunt, mirè lasciuiunt, gyrosꝗ; quosdam indecoro cursu uel singulæ peragunt. Vigilias habent nocturnis temporibus, lapillum pede sustinentes: qui lassatis somno decidens, indiligentiam sono coarguat. Cæteræ dormiunt, capite subter alam condito, alternis pedibus insistentes. Dux erecto prouidet collo, ac periculum prædicit. Ex hac gruum uigilia, uisus est Alexander accepisse exemplum uigilandi, dum non crederet exercitui fortunam suam dormiẽdo. Vnde ne à somno deciperetur, ænea pelui supposita, brachioꝗ; extra cubile exerto, pilam in manu tenebat argenteam, ut cum neruorum uigorem sopor laxaret, lapsæ pilæ tinnitus somnum rumperet. Hoc quidem documentum Regem illum excellentissimum à gruibus accepisse arbitrandum est, qui nocturnas excubias lapidis pondere semper exercent, ne à somno decipiantur. Qua diligentia si usus fuisset Thrasybulus Atheniensis, restitutor oppressæ patriæ à 30. tyrannis, nunquàm hostili irruptione noctu famulis suis dormitantibus interfectus fuisset: relicto exemplo, uerissimum esse militare pręceptum, Nihil in bello oportere contemni. Neꝗ; sine causa dicitur, Matrem timidi non rarò flere. Verum qui uidere uelit de cauendis nocturnis insidijs, uideat parum caput 5. lib. 10. & meliora speret.

De Hirundinibus ab aquis extractis.
CAP. XXIX.



ETsi multarum naturalium rerum scriptores memoriæ prodiderunt, hirundines mutare stationes, hoc est, exurgente leui hyeme, repetere terras calidiores: attamen in Septentrionalibus aquis sæpius casu piscatoris extrahuntur hirundines, in modum conglomeratę massæ: quæ ore ad os, & ala ad alam, & pede ad pedem post principium autumni sese inter cannas descensuræ colligarunt. Notatum enim est, eas eo tempore suauissimo completo cantu taliter descendere, & pacificè post principium ueris inde euolare, atꝗ; repetere uetustos nidos, uel nouos naturali solicitudine fabricare. Massa autem illa per imperitos adolescentes (nam antiqui, & experti piscatores eam remittunt) extracta, atꝗ;

cta atq; in æstuaria portata, caloris accessu hirundines resolutæ, uolare quidē incipiunt, sed exiguo tempore durant: quia immatura acceleratione non liberæ, sed captiuæ sunt reductæ: documentum præbentes, abortiuum partum esse cauendum. Accidit etiam tempore uerno, liberè reuertentes, nidosq; ueteres intrantes, aut nouos construentes, superueniente horrida hyeme cum denso casu niuium, omnes pariter emori, ut nullæ in tectis, aut fluminum ripis tota ea æstate uideantur, præter paucissimas, tardius à profundioribus aquis ascendentes, aut aliunde peregrinantes, quæ naturæ beneficio sobolem reparaturæ, hyeme penitus in Maio soluta, aduolare cernuntur. Agricolæ enim ex earum nidis sublimius, uel depressius ædificatis, prognosticum capiunt, an in uallibus, an in montibus, uel collibus (propter imbrium incrementum, uel decrementum) sint seminaturi. Imò nec bonum omen capiunt incolæ ex tectis, ubi hirundines habitare perhorrescunt: quia ea culmina casura creduntur. Et cum triplex hirundinum genus sit, istud primum est, quod cum hominibus habitat, scilicet candidum pectus habens, & caudam longiorem bifurcatam, garriensq; perpetuò in domesticis nidis. Secundum genus agreste & nigrum, in rupibus & saxis, ac ruinis murorum habitat: quod alto uolatu siccitatem, & humili pluuiam præsagire uidetur. Tertium genus ripale, uentre subrufum: & hæ hirundines statim non ædificant, cauando terram, propter fluminum inundationes.

Adhuc de Hirundinibus, & medicinis ex eis inuentis.

CAP. XXX.



HIrundinem, referente Ambrosio, accipiamus maternæ sedulitatis in filios grande documentum. Hirundo quidem minuscula est corpore, sed præsublimis pro affectu: in nido constituendo tam sapiens est, ut hominum domicilijs pullos suos commendet, ubi nullus eos incurset. Ore festucas legit, & luto illinit, ut conglutinare possit: sed quæ lutum pedibus deferre nequit, aqua pennas infundit, ut eis puluis hæreat: & limus fiat, quo festucas sibi colligat, & hærere faciat. Si qua uerò eius pulli fuerint cæcitate perfusi, remedium habet, quo uisum reformet. Volaterranus dicit eam quinos pullos producere, quibus ex ordine cibos administrat: & si quem debilem, & implumem uiderit, molliores plumas adducit, & supponit. Ipsum quoque nidum (ut Plinius refert) plumis mollibus, floccisq; consternunt tepefaciendis ouis, simul ne durus sit teneriotibus pullis. In fœtu summa æquitate cibos alternant. Notabili munditia pullorum egerunt excrementa. Adultos etiam circumagi docent, & foras emittere stercus. Dicitur autem hirundo, eò quòd non sumat cibos residens, sed in aëre edat. Alijs auibus non impetitur, nec unquam præda est: idq; benigna naturæ prouidentia factū existimatur, cum se, pullosq; suos tam sterili aëris quæstu cibare cogatur. Passeres tamen, dum nidos earum habitaturi ingrediuntur, cum exercitu uenientes hirundines, lutum ore ferentes, subitò claudunt, ac suffocant eos: documentum prebentes, alterius libertatem minimè esse uiolandam. Pulli earum combusti, conferunt morsui canis rabidi. Item puluis combustorum pullorum, morbos faucium curat, uulneraq; linguæ, & labiorum sanat. Item hirundo in mulso cocta, pectus optimè purgat: & cor eius puluerizatum, & bibitum idem facit. Maiores hirundines si combustæ fuerint, puluis earum melle mixtus, & inunctus, caligines oculo-

rum detergit. Hęc etiam squinanticis prodest, & uuę fauciumq́ tumorem compescit: quod ignorarunt medici, curantes charissimum fratrem meum Io. Magnum Archiepiscopum Vpsalensem M.D.XLIIII. ex eo morbo Romæ mortuum. Pulli hirundinum, qui in Augusto sunt, lapidem chelidonium, aliquando in epate, aliquando in stomacho gestant: quem ego diuersicolorem inueni. Pulli autem conuersis ad se uultibus in nido, generosi sunt: posteriora uerò uertentes, degeneres. Strabo lib. 17. in uerbo hirundines, asserit eas gigni septenum cubitorum, quæ gulam perforatam habent, atq; per hanc respirant.

De Lago &c.

CAP. XXXI.

LAgus est auis aquatica, moribus mergo contraria. Nam ut mergus tempestatem maris fugit, sic lagus in ea lætatur, & ludit. Viuit indifferenter in terra & mari, uolans ac natans, prout animal lutra inter bestias syluestres & aquatiles. Lagus etiam lepus dicitur Latinè. In stagnalibus locis, uel petrosis nidum collocat, miro ingenio factum: sed sæpius in profundo manere delectatur. Larus est de genere milui, tam in aqua, quàm in aëre pro præda uolitans, semperq́; famelicus perseuerans. Mergus ab assiduitate mergendi & natandi dictus, demisso in profundum capite, aurarum signa sub fluctibus colligit: & cum præuidet æquoris tempestatem, ad littora cum clamore tendit. Mergus, ut Plinius dicit, in arboribus uere nidificat, ultraq; ternos pullos non producit: estq́; de genere insatiabilium animalium, quibus à uentre protinus recto intestino cibi transeunt sicuti lupis ceruiarijs: qui, ut cæteræ aues aquaticæ, pennas rostro purgantes, aut maria & stagna fugientes, præsagiunt uentum. Plinius lib. 30. dicit ossifrago unum tantum esse intestinum, omnia deuorata conficiens: cuius extrema pars adalligata prodest contra colum. Est etiam quædam species mergorum cornuta, à re sic uocata, eo quòd rubeas plumas masculus, & fœmina uarias, uelut cornua in capite gestant, contra omnium uolucrum genus in cauda pedes habentes, ita ut stando in terra (quod rarius accidit) sicut homo gestu pectoris erigantur: quas aues beatus Martinus diuina uirtute coëgit aquam contra naturam suam deserere, & arida loca, ac deserta petere, prout alibi habetur, quod S. Hieronymus leonem asino custodem deputauit. Horum pulli statim ut oua exeunt, tanto uigore pollēt, ut si matrem eos perdere contigerit, uirtute propria uiuant, hyemeq́; pinguiores sunt, propter paucitatem motus: quia omne animal sereno aëre gaudet, & in eo plus uagatur: sed multo magis frigore urgente, quando frequentissimos faciunt motus circulares, & quadratos, ne congeletur aqua, prout superius de anate dicebatur. Nepa est auis longi rostri, cinerei coloris, ùt perdix in dorso, et in uentre ut nisus. Hęc susceptura cibum, in luto tantum rostrum infigit, ut nisi pede illud extrahat, persecutoribus suis fiat præda: & ideò in die quiescit, & nocte ac aurora cibos quærendo uagatur, etiam currendo: & ita capitur retibus, propter carnis dulcedinem, præsertim quæ minor est, instar turturis hyeme latitans in cauernis. Aquatica uerò maior, gemitu importuno indicat tempestates.

De Onocrotalo.

CAP. XXXII.

ONocrotalus in numero aquatilium, multas in uentre recondens escas, & posteà extrahens, & manducans, habet similitudinem oloris: nec differre existimaretur, nisi faucibus inesset alterius uteri genus. Huc omnia inexplebile animal congerit, mira capacitate, ut mox perfecta rapina sensim inde in os reddita,



dita, deferat in aluum ruminatis modo. Auis hæc rapax est, & longi ac serratilis rostri, instar oloris: quod in aquam, uel terræ lutum infigit, & quasi cornu sonans, horribilem sonum emittit. Suntque duo genera, aquaticum, & syluestre: & utrunque inter aues splene caret. Folliculos magnos in gutture habet: quibus primo cibus mollificatur: deinde uentri, ut digeratur, transmittitur. Alia cibi receptacula non habet. Ideoque in aquis potius uiuit. Gallia etiam Septentrionalis hanc auem habet: cuius quoque Hieronymus meminit, quòd fixo in puluere rostro horrendè clamat. In Oriente reperitur etiam hæc auis eiusdem naturæ & proprietatis: quippe cum uocem edere uoluerit, caput in aquis ponit, & illic instar rugitus clamorem emittit. In faucibus enim quosdam habet folliculos quibus cibum primò concipit & post horam in uentrem mittit, ibique eum digerit inexplebile animal. Plinius dicit, quòd multas simul escas recondit. Ideoque Dominus per Esaiam capite 34. ciuitati desolandæ comminatur his uerbis: Non erit transiens per eam, & possidebunt eam onocrotalus, & ericius, & ibis, & coruus habitabunt in ea. Omnia hæc animalia diri portenti signa sunt. Nec dissimiles onocrotalis osinæ aues perhibentur: quę magnitudine cygnis comparatę, fluuios ac piscinas inhabitant, rostrum habentes magnum, & à gutture usque ad pectus instar sacci receptaculum longum, & amplum: in quo magnam simul reponunt copiam piscium, ut scilicet paulatim digestis cibis, paratam escam reperiant, quò ingluuiem, licet insatiabilem, sedent. Neque tales famelicę bestiæ alibi, quàm in aquis, ubi copia piscium reperitur, grassari solent. Est etiam bestia Botaurus appellata, quæ similem onocrotalo naturam habet, ut Vincen. in spe. nat. lib. 16. cap. 43. diffusius affirmat.

De Auibus sub niue reclusis.
CAP. XXXIII.



SVnt in Septentrionalibus terris galli syluestres, quantitate similes phasianis, licet multo breuiore cauda, & absoluta nigritia in toto corpore, & candentibus aliquot pennis in extremitate alarum, & caudarum. Mares rubea & eminenti crista, fœminæ uerò humili ac lata, colore griseo decorantur. Hæ aues mirabili natura sustinent frigus immensum in nemoribus, uti anates in aquis, prout suprà dictum est cap. de anate. Verum cum niues instar collium terræ superficiem ubique cooperiunt, ramosque arborum diutius deprimunt, & condensant, certos fructus betulę arboris (Gatulo Italicè dictæ) in forma longi piperis uorant, & glutiunt indigestos: idque tãta auiditate, ac quantitate, ut repletum guttur toto corpore maius appareat. Deinde partitis agminibus sese inter medios niuium colles immergunt, præsertim in Ianuario, Februario, Martio, quando niues ut turbines, typhones, uel tempestates grauissime è nubibus descendunt, prout superius cap. de niuibus lib. primo est expressum. Cumque coopertæ sunt, penitusque ut nulla uideatur conglobatæ, certis hebdomadis cibo in gutture collecto egesto, ac resumpto uiuunt. Venatorum canibus non produntur: attamen sagacitate expertorum uenatorum sępius euenit, ut canibus in odore errantibus, ipsi

ſignis deprehenſis maximum numerum uiuarum auium comprehendant, extrahantq; ad magnum lucrum. Sed id fieri oportebit celeriter: quia audito canum latratu, mox uigore alarum (non ſecus ac agmina apum) erumpunt, & ſe in ſublime efferunt. Quod ſi præſentiunt niuem imminere maiorem, prædicto fructu iterum deuorato, aliud domicilium captant, inq; eo manent uſque ad finem Martij, uel celerioris reſolutionis niuium, ſole Arietem egrediente: tunc enim niue liquefacta, naturæ inſtinctu (ut multæ aliæ aues) à latebris ſurgunt, oua pulloſq; producturæ: & hoc in montibus, ubi uepres ſunt, & arbores denſæ. Mares & fœminæ uiciſſim oua cubant, & uterque pullos obſeruat, & præſertim mas, ne ab aquila, uel uulpe rapiantur.

De uenatione earum extra niues,

CAP. XXXIIII.

HAE aues in maxima turba congregatæ uolant, atque in altis arboribus, præſertim betulinis, manent: nec deſcendunt, niſi propagationis cauſa, quia in earum arborum ſummitate habent ſufficiens nutrimentum. Et eo uiſo, ſcilicet quòd ſeſe dilatent per campos, etiam niue repletos, uenatores ſiue ruſtici, ad quos rura ſpectant, baculis ſeu fuſtibus longitudine 8. uel 10. pedum, obliquo ſitu è terra ſupra niues erectis, è quorum ſummitate dependet laqueus ad omnem tactum mobilis, uenantur huiuſmodi aues: quia in congreſſu naturæ mirè ſaltant, uti perdices currunt: & ita incidunt in laqueos, atq; pendentes manent. Cumq; una funiculo uidetur ſuſpenſa, aliæ eam liberaturæ aduolant, & ſimilibus laqueis irretiuntur. Eſt etiam alius modus eas capiendi, uidelicet ſagittis ſub umbra equorum (prout ſuperius dictum eſt de erythrotaone) ut minus inſidias ualeant præcauere. Tempore autem propagationis, inceſſabili garrulitate alterutrum ſe ſuperare uolentes canunt, mares præſertim, ut longo latoq; ſpatio per omnes ſyluas audiantur: ſeq; cantu frequentius produnt. Eſt etiam alia auium ſpecies, Bonoſa dicta, carnes habens exterius nigras, interius albas, ſatis delicatas & ſapidas more perdicum, licet ſint magnitudine phaſianorum. Tempore coitus maſculus hianti ore currit, donec ſpumet: tunc fœmina occurrens ſpumam recipit, indeq; uidetur concipere, & parere oua, atq; educere pullos: quod Alberto non placet. Carnes uerò ſupradictarum auium, ſylueſtrium ſcilicet gallorum, ſunt admodū dulces, & temperatæ, ut caponum: & ob id ingenioſè, ut dictum eſt, hyeme ſcilicet laqueis, & æſtate ſagittis capiuntur.

De niualibus Auiculis.

CAP. XXXV.



EST preterea admiranda quarundam auium Aquilonarium natura, quòd in ſyluarum ſolitudine ita ſeſe contineant, ut ibi genitæ humanis habitaculis nunquàm, uel raro appropinquent. Sturnorum magnitudinem, & colorē eſtate habent: hyeme uerò multiplicatis niuibus ſemper candidæ apparent, ueluti cygni. Pedes earum rubei, ut nigrarum ciconiarū: ſed roſtrum croceo colore decorum, breue tamen & acutū. Cibus earum, ut ceterarum auium, uermiculi, inter cortices rimoſarum arborum latitantes, uel aridi pinorum, aut abietum, aut coryli

coryli fructus: quæ etiam sub asperrima hyeme uim nutrimenti non amittunt. Sed difficile capiũtur retibus, laqueis, arcubus aut ballistis, ob niuium profunditatem cum pulchriorem colorem habeant, quàm saporem. Vbi uerò alites prędictæ con cauitates niuium, ueluti abditas specus sortitę fuerint, eas ingrediuntur, sese balne antes, uti puluere gallus, uel sturnus arena: deinde cacumina arborum niuibus op pressarum repetunt, tanquam locum naturę beneficio maiorem uoluptatem administraturum: imò & necessitatem, ut eminentius præcaueant insidias importunas accipitrum: quibus uisis se in medias niues intrudunt, ut passeres contra miluum inter spinas, & demum niuibus consumptis, inter arbores densas tempore ueris. Quando ab albedine in cinereum colorem naturali uarietate transeunt, uitam degunt placidam, nullum inter rapaces alites accipitre minore sentientes hostem seueriorem. Quòd uerò cernuntur arbores sub candidis illis auibus incuruatę, maximam abundantiam niuium signat: quia proceræ arbores uelut semicirculi, aut arcus in terram depressæ, per menses Decembrem, Ianuarium, & Februarium, aut amplius detinentur. Adhæret enim nix densa, latioribus ramis frigore congelata: augeturq́ frequenti niuium casu, ut sæpius importabili onere uastæ arbores uel rumpantur, uel in partes diuidantur.

De ponderosis Niuibus, & Culicibus hyemalibus. CAP. XXXVI.

HAEcq́ niuium magna pressura continuè durat, usquequò solis ascensu, & Austrino uento consumitur. Deinde post tantum, tamq́ diuturnum naturæ certamen, rediuiuo humore huiusmodi arbores incuruatę, ad pristinam libertatem, & decorem resurgunt, eminentius in sublime tendentes, quò terra niuium humore resoluto, singulari fertilitate fuerit impinguata: quod & agricolis pro liberaliori commodo cedit. Resolutione enim niuium agri fœcundiores redduntur, citiusq́ germinant, quàm quiuis alij agri diligentissimo labore præparati, pro ut superius lib. 13. in primis capitulis est enarratum. Similiter et prata, ac pascua tantum luxuriant graminum ubertate, ac diuersitate, ut necessum sit inde arcere iumenta, ne nimio herbarum esu crepent, aut debilitentur: imò ubi prata sunt, falcibus sępe truncare herbas. Accedit prætereà aliud naturæ portentum uersus Septentrionem, quomodo in plerisq́ locis penes terrarum calida spiracula minutuli culices generantur, Austroq́ flante modicum è terra eleuantur, & innumerabili agmine supra niues turbato uolatu mouentur: & sicut nulli sunt molesti, ita unico flatu uenti Borealis asperi, ueluti hemerobij extinguuntur. Sed tamen rediens Auster nouos producit ex eisdem cauernis, & similibus, ut plurima pars hyemis etiam culices uideat in aëre perstrepentes. Simile Strabo lib 11. in uerbo Vermium ostendit. Est etiam hîc consyderandum propter coloris similitudinem, quod caladrius albus secundum legem immundus, cuius interiora femoris curant caliginem oculorum, in atrijs Regum inuenitur. Homini infirmo, morituro faciem auertit: sed uicturo faciem intendit, ægritudines eius assumens, & dispergens eas: aliquando etiam ob hoc moritur ipsa auis. Licet autem flaccescant arbores niuium densitate, & teneri rami nimio pondere more arcuum deprimantur, atq́ plures arbores pronæ in terram inclinentur: tamen sub eis, tanquam in opacis locis, frigido uento liberis, habitant diuersę bestiæ in maxima securitate. Sed nec silendum est, itinerantes sub his incuruatis arboribus, tanquam fornicibus perficere uias suas: leues tamen ictus casu niuium aliquando sustinere.

De Ouis insularibus diuersarum auium.
CAP. XXXVII.



QVia aquatilibus auibus tutum minimè est, oua ponere in terra firma, aut pullos producere longè ab aquis, propter noxias bestias, uulpeculas scilicet, & mustelas: ideò naturæ instinctu in insulis (quarum infinitus in Aquilone numerus est) & rupibus fruticum germine denudatis, maximo agmine, ac numero diuersi generis cohabitant: nidosq; earum aliquæ in nudo silice, aliquæ tortis aridisq; stipulis, uel gramine sicco reponunt, ouaq; innumera pariunt: quæ quibuicunq; nauigantibus liberè cedunt occupanda, ita ut maxima uasa colligant, & in forum uendenda comportent, aut sale (corticibus exuta) ad domesticum cibum, non ingratum, longo tempore seruent: boniq; saporis sunt, licet à feris accepta. Anas tamen in terra prope aquas, aut insulas educit pullos. Inter eas aues fulica aquatica est, nigri coloris, de genere mergorum, anate minor: quæ in mari, & circa stagna habitat, non uagabunda, sed permanens in loco suæ generationis. Cadaueribus uescitur piscium à rapacibus auibus dimissorum: præter quos ipsa insidiosè inter rupes alios uenatur: è quibus uiceuersa cæteris auibus magna liberalitate escam partitur. Tempestatibus gaudet, eò quòd ludendo se submergit, & enatat. Matutino clangore tempestatē præsagit. Fulica, ut dicit Ambrosius, pullos aquilæ nido deiectos, reuerenda clementia cum pullis suis pascit ac nutrit: hominibus ratione utentibus exemplum præbens, quanta debeant erga peregrinos, & pauperes, ac tribulatos pietate moueri. Item si fulica locum inuenerit, ubi pacem & pastum habet, inde non recedit. Nidum tamen in petris ponit prope ripas, & oua plurima parit: quæ à fluctibus minimè rumpuntur. Ouorum igitur tantam uim dicit Isidorus lib. 13. cap. 7. ut lignum perfusum ex eis non ardeat, ac ne uestis quidem contacta aduratur. Admixta quoque calce cum albumine oui, quo & succini frusta solidantur, conglutinant uitri fragmenta: imò id uerum est, quando calx est uiua: uel minio admixto, quando calx uiua non occurrit. Generaliter oua omnium uolatilium, tam syluestrium quàm domesticorum, uel aquaticorum, naturam eorum sapiunt, unde genita sunt. Oua aquatilium auium pallida sunt, & uaria, ac punctis distincta. Intus autem omne ouum uolucrum bicolor. Aquaticis lutei plusquàm albi, idq; ipsum magis luridum, quàm cæteris auibus. Oua uolucrum ex calore fragilia: aquatilium rotunda, reliqua ferè fastigio cacuminata. Quæ oblonga sunt oua, gratioris saporis putat Horatius Flaccus. Rotunda fœminam, reliqua marem gignunt. Omnibus ouis medio uitelli parua inest uelut sanguinea gutta: quod esse cor auium existimatur. Optima fœtura ante uernum æquinoctium, uidelicet in regionibus calidis, & temperatis: sed in Septentrione ad finem ueris, glacie uix resoluta, quando redeunt aues, ut pullos in insulis excludant. Plura de ouis si quis scrutari desiderat, inter alios uideat Albertum lib. 17. per totum de ouis &c.

Adhuc de Ouis certarum auium.
CAP. XXXVIII.

LArus auis est de genere milui, tam in aëre, quàm in aqua prædam uenans, ouaq; instar gallinarum producens. Est & carthates auis nigra de genere

mergorum,

mergorum,plurimum piscibus nociua,quos è stationibus turbat,ac uorat. Meantæ aues anatibus maiores (Germanicè Meuen,ac Gothicè Maaker dictæ) breui collo & pedibus, coloris cinerei, oculis glaucis, rostro partim croceo, partim rubeo,semper clamantes Mea mea. Hæ uesci cupiunt cadaueribus hominum: unde naufragis,& submersis in tempestatibus insident deuorãdis. Multa harum auium genera reperiuntur,quæ oua in nudis rupibus plurima ponunt. Sunt & merguli, tempestates præsagientes: auidè uorant,ac in littore se conseruant. Sunt & aliæ, quæ longè lateq; per agros, & loca campestria uolando se subducunt,ne grandinibus ab æthere tempestuosè in mare cadentibus,infestius corripiantur, aut interimantur. In littoribus Noruagicis etiam sunt innumerabiles insulæ,usq; ad suppolares terras progredientes: in quibus uti plurimæ aues alibi non reperibiles sunt, ita & oua producunt innumera: quæ occupantibus cedunt. Sed unum est cæteris spectaculis miserabilius,quòd gallina ex anatum ouis, pariter & proprijs pullos producens,proprio fœtu secum gaudet in fricatione uentris cubatione fatigati: alterum uerò aquis se immergentem uocat ad escam, qui nec matrem agnoscit etiam uociferantem. Ita forsitan est de quouis suppositítio partu, prout latius in sequenti capitulo ostendetur de pullis pauonum, qui contemnunt gallinam nutricem,uti & anatum pulli.

De Pauonibus.
CAP. XXXIX.



PAuones in Aquilonaribus terris, uti rari reperiuntur,ita & chari habentur, præsertim ob pennarum decorem,& utilitatem. Oua, pullosq; producunt semel in anno: licet in tenera ętate, ob immensum frigus,pauci pulli coalescunt. Attamen in Ostrogothia, & Vestrogothia, ac Suetia plures generãtur,& maxima diligẽtia educantur,ita ut primis diebus farina hordeacea in modum pillularum confecta uescantur: posteà caseo recenti à lacte expresso, (na terũ nocet) deinde 35. die euoluto, hordeo solido nutriuntur: ac ultimo in apertis,& cãpis,ubi naturæ instinctu seipsos liberius sustentare possunt,pręcipuè ubi uulpes non habeant ad eos accessum. Quòd autem cæteris auibus diligentius fouentur,causam præstat utilitas,& pulchritudo pennarũ,quã pictores,& textores Aquilonariũ terrarum in colorum uarietate distinguẽda imitãtur,cũ magnorum artificũ picturæ rarò,ob itineris prolixitatem,à remotis terris afferãtur. Rusticana simplicitas hos alites Angelico uestitu cœlitus missos putaret nisi horribili clamore,& serpentino capite ipsa natura refelleret opinionẽ. Nec mirum: quia Volateran. libro 25. dicit: Pauone primum in India uiso,Alexandrum ferunt admiratum, prohibuisseq; edicto, ne quis eam auem necaret. In Græciam demum delata, diu quæstui fuit: primum elegantibus tantum mercede indicatus, deinde ad eorũ spectaculum admissa multitudine. Masculi (seorsum quinis fœminis sufficientes) oua perquirunt, ut frangãt ob libidinosum ardorem: pullosq; suos ueluti alienigenas persequuntur, antequàm illis cristarum insigne nascatur. Sed oua pauonum gallinis maioribus,& electioribus in cubando supponũtur: sicq; supposita sępius manu uertere oportet,ut eo facilius fœtus educatur adulterinus: circa quem non minor gallinæ cura est, quàm aliàs de pullis anatum: qui aquis se immergentes, parientem natura urgente non sequuntur uocantem. Pulli uerò pauonũ citius crescentes,nutricem facilè contemnunt: & ita solicita gallina solatio productæ sobolis ubiq; defraudatur.

De mira natura Pauonis, & Psittacis.
CAP. XL.

AVgustinus lib. 21. cap. 4. de Ciui. Dei de pauone loquens ait: Quis, nisi Deus creator omnium, carni pauonis mortui dedit, ut non putresceret? Hoc utiq; cum auditum incredibile uideretur, euenit, ut apud Carthaginem hæc auis cocta nobis apponeretur: de cuius pectore pulparum, quantum uisum est, seruari iussimus: quod post tantum dierum spatium, quantum alia quæcunq; caro putresceret, prolatum atq; oblatum, nihil nostrum offendit olfactum. Item repositum post dies plusquàm triginta idem quod erat inuentum est: idemq; post annum, nisi quòd aliquantum corpulentiæ siccioris, & contractioris fuit. Idem in eodem cap. septimo: Cùm ergo dicimus de multis rebus mirabilibus, quæ nobis in promptu sunt, ipsi de illis rationem reddant, ut de carne non putrescente pauonis, cum putruerit & Platonis. Isidorus: Caro pauonis ita dura est, ut putredinem uix sentiat, nec facile coquatur. Hieronymus contra Iouinianum: Fimus pauonis feruorem podagræ dicitur mitigare: & ideò fimum suum, ne hominibus prosit, resorbent, utilitatibus hominum inuidentes: ut superius de urina lyncis dictum erat. Accedit prætereà suprapositæ imagini pauonis, decorus & gratus Aquilonaris hospes psittacus, de Indicis oris per longa maris nauigia adductus in Septentrionem: qui cum tanto ingenio polleat, ut uoces proferat articulatas, dominum & reliquos eius domesticos salutando, in magna habetur æstimatione, cibaturq; sacchario aliunde per mare importato, ne naturali originis suę, ut creditur, frustretur alimento. Idq; fieri solet per pueros, aut nobiles puellas, quibus garrulitas inest ab ipsa natura. Item risum, pariter & gemitum, atq; alia gesticulamenta proferens, hominum excitat hilaritatem. Aspectu uirginum delectatur, & tactu, atq; caput exhibet fricandum. Deluditur autem in propria forma speculum osculando. Cum uerò domestica secreta reuelare cœperit, uilipenditur, ut alius quispiam afferens testimonium ueritati, eam non amanti. Psittaco autem datum est in suo genere fortissimum caput, ueluti urso debilissimum. Pauo uiginti annis, & uultur centum uiuere dicitur.

De Perdicibus, & uenatione earum.
CAP. XLI.



PErdix, ut omnibus ferè notum relinquitur, est auis dolosa, & luxuriosa. Vnde masculis pro fœminis certantibus, uicti calcantur coitu à uictoribus. Ita sexũ obliuiscitur libido præceps. De nocte conuersis posterioribus sedent perdices, & tempore libidinis, linguis adinuicem extensis desiderio coitus æstuant. Volantes sui iuris non sunt, quia in ipso aëre metas habent, quas transire non audent. In frigidis tamen locis maximè coalescũt. Perdix prope terram uolat: quæ cũ in multis sit astuta, in hoc tamen decipitur, quòd sicubi possit, caput abscondendo credat se totam latere, & cum ipsa neminem uideat, putat quoq; neminem se uidere. In hoc quoque fatua est, quòd alienos pullos, uti adulteri filios putatiuos, fouet & nutrit, more domesticæ gallinæ, cum eos citius sit amissura, quos non peperit: quia loco ouorum amissorum, uel derelictorum, damnum resarcit in alienis. Veruntamen, ut dicit Ambros. lib. 6. Hexam. fraudis suæ

dis suę fructum habere non potest: quia cum pullos suos eduxerit, eos amittit: ubi enim ueræ genitricis uocem audierint, quæ oua generauit, relicta ea, ad illam se naturali quodam munere & amore conferunt, quam ueram sibi matrem ouorum generatione cognouerint. Capiuntur multis modis, uno uidelicet frequentiore in terris Aquilonaribus, ut uenator serpat sub cute uaccina in terra: quē femina spargentem perdices accedunt securè, donec retibus inuoluantur circumquaq; in circuitu ordinatis. Capiuntur & à fistulatore, qui extensis retibus domesticam unam perdicem offert certamini aliarum: & ita accensæ rabida libidine accurrunt, & capiuntur. Capiuntur etiam retibus rubeo colore perunctis, cum uenator in frutice clausus eas fistula uocat. Frigoribus compresse uolitant ad nemora uasta: sed neq; ibi à uenatoribus sunt securæ, propter delicatam escam solidæ carnis earum. Ius perdicum recreat stomachum. Morbo etiam regio resistit cerebrum perdicis in tribus uini cyathis sumptum. Oculis contusis fel perdicis prodest cum ęquo pondere mellis coctum, & datum. Fel contritum & appositum, ualet ad oculorum claritatem restituendam. Oua perdicum æreo uase decocta cum melle, ulceribus oculorum, & glaucomatis medentur, ut Plinius refert. Epar perdicis siccatum, diligenterq; tritum, ac bibitum, epilepticis prodest.

De docilitate quarundam Auium.
CAP. XLII.



VLtra prædictas aues, tam terrestres quàm aquaticas, maiori uel mediocri forma, ac proprietate descriptas, plurimæ minutulæ ibidem, etiam ualde canoræ reperiuntur: quæ cōmuniter in alijs regionibus suauissimè cantant. Atq; ut magis articulatè id efficiant, à præceptoribus instruuntur, sicuti sunt sturni, merulę, turdelę, cardueles et calandra. Sturni autem, etsi in niuibus saltantes præsagiunt imminere tempestates, tamen capti, atq; in cauea tenti, propter gracilem linguę latitudinem, facillime instruuntur ad cantum, ut Vincen. in spec. nat. lib. 16. cap. 140. attestatur. Auis est nigri, et cinerei coloris, cum quibusdam respersis maculis generata. Nisum insidiantem, & subtus uolantem stercoribus opprimūt, atq; in arenis paludibusq; sedent. Merula, quæ 9. uoces, quibus omnis cantilena componitur, quasi inimitabiles habet, gloriabunda in hominum præsentia canit, uerno præsertim tempore, quia hyeme balbutit. Nigra, croceis pedibus, & ore, melior est, quàm alia cinerei coloris. In Achaię partibus candida inuenitur. In Septentrione ante glacierum recessum mirè cantat, à uerno æquinoctio usq; post solstitium æstiuale. Diligit habitare in paludibus, ac uastis syluis. Turdela magnitudinem & ferè colorem turdi præferens, uere canit uoce mira, & multiplici. Domesticatur ueluti cæterę aues, ut melancholiam leuet. Vincen. in spe. nat. lib. 16. cap. 142. Carduelis ædiculis clausa, cornu suspensum rostro trahit, ut bibat, pedibus pro manibus utens: sed post potum inordinatè cadere sinit: in quo mirum uidetur, quòd natura huiusmodi auibus eam astutiam concessit, quam nec boui, nec magnis animalibus uoluit impartiri, ut uasculo in bibendo supponat pedem, ne cadat, & illicò rumpatur. Calandra est auis parua, propè cōsimilis alaudæ, colore fusca, plumis despecta, sed mira modulatione uocis. Audientes lætificat, omniumq; auium uoces expressè imitatur. Itaq; quando capta ergastulo includitur, ibi quoq; captiuitatis, & calamitatis suæ oblita, uix unam diei horam sine cantu præterit: adeoq; spatiari diuersis auium cantibus gaudet, ut nec de se solicita sit.

Adhuc de Auibus sonoris, quę in extremis oris Aquilonis reperiuntur.

CAP. XLIII.

IN primis philomela occurrit, quę, ut omnibus notum relinquitur, auis est parua, dulciter cantans, uoce quàm corpore maior: potius uitam, quàm cantum uicta deponit multiplicem ędens sonum, inflexum, grauem, acutum, eleuatum, depressum, & circunflexum. Aduolat cantãtem, ut tacitè edocta uincat eandem: seq; se inuicem prouocant, quasi in genere omnium musicorum instrumentorum. Breuiterq; (ut Plin. lib. 10. cap. 29. asserit) omnia tam paruulis in faucibus, quę tot exquisitis tibiarum tormentis ars hominum excogitauit: ut non sit dubium hanc suauitatem pręmonstratam efficaci auspicio, cum in Ore Stesichori cecinit infantis. Ac ne quis dubitet artis esse, plures singulis sunt cantus, & non ijdem omnibus, sed sui cuiq;. Animoso certamine canunt. Meditantur alię iuniores, uersusq; quos imitentur accipiunt. Audit discipula intentione magna, & reddit, uicibusq; reticent. Intelligitur emendatę correctio, & in docente quędam reprehēsio. Refert eodem loco Plinius, candidam dono datam fuisse Agrippinæ Claudij Principis coniugi: iussas canere cœpisse, sæpe anteà uisum. Habuit & turdum Agrippina sermones hominum imitantem: imò & Cæsares iuuenes sturnum Latini Græciq; sermonis docilem. Carduelis prędicta uescitur semine papaueris, rutæ, aut cannabi: quorum cortice extracta, puram medullam eligit in escam. Comedit & minimas nuces, eodem modo nucleos à pelle excorians. Multa sunt genera huius auiculę: tria tamen præcipua in Borealibus terris Quoddam enim genus dorso cinereum, lateribus croceum, capite anteriori rubeum. Quoddam paruum, & croceum. Tertium uerò in pectore totum est rubeum, ac flammeum. Quartum genus cinereum in dorso, & in pectore croceum, residet in lino dulciter canens, aut arundine exili. Omnia hæc genera gregatim uolant, facilimeq; per uiscum uirgis impressum ad hastam, ubi ulula (quam omnes persequuntur) sedet, capiuntur. Remanēt semper in Aquilone, etiam sub asperrima hyeme: in qua nō deerit eis uictus. Deniq; sciendum est, quod aues paruæ, præcipuè tempore coitus, sint cæteris loquaciores.

De diuersis Auibus natura contrarijs.

CAP XLIIII.



REperiuntur etiam plereq; aues diuersæ speciei, magnitudinis, & coloris in uasta solitudine uersus polum Landzrygga dicta, id est, terræ dorsum: quarum pręsentia solis aspectibus aucupium sine ulteriori naturæ notitia offertur. Peregrinæ sunt à uicinioribus Scythiæ desertis per terras & maria perueniętes, uerno pręsertim tempore, ut rupes hominibus inaccessas, sobolem producturæ inhabitent atq; autumno recedant. Nec aliquæ nisi captiuę relinquuntur: inter quas quędam apparent discolores, è uertice emittentes antrorsum plumas albas, totum caput tegentes: acutissimasq; ungulas quantitate aquilæ habentes: ac ex serpentibus, & muribus uictum quærunt. Videntur præterea aues candidæ toto corpore, præter caudam, quæ fusco est, & rubeo com mixta colore, coruo maiores: quæ bufones, ranas, bestiasq; uenenatas comedere

uisę sunt: ideò aucupes ab illis abstinent intercipiendis. Prætereà aliç, ut ululç, sed luce uolantes, in putridis arboribus habitantes apparent. Admiratur Plinius lib. 10. cap. 29. miram naturæ differentiam: quia alia alijs locis neg: t, tanquam genera fruticum, frugumúe, sic & animalium: non nasci, translatitium: inuecta emori, mirũ. Quid est illud unius generis saluti (noctuę uidelicet in Creta) aduersum? queúe est ista naturæ inuidia? aut qui terrarum dicati auibus termini? Rhodus aquilam non habet. Transpadana Italia iuxta alpes Larium lacum appellat, amœnum arbusto agro, ad quem ciconiæ non transmeant. Picus Martius in Tarentino agro negatur esse. Perdices non transuolãt Bœotiæ fines in Attica: nec ulla auis Achillis sepulchrum infestat in Ponto. Nec Herculis ædem Romæ in foro Boario, muscæ, aut canes intrant. Non tamen hic negat Plinius inuectitias (teste Theophrasto) in Asia esse columbas, pauones, & coruos, sicuti superius dictum erat de psittacis, seu papagallis. Alia est etiam admiratio, quòd quædam mutant colorem & uocem certo tẽpore anni, ac repente fiunt aliæ, ut grues, quæ senectute nigrescunt. Merula ex nigra rubescit. Turdis color æstate circa ceruicem uarius, hyeme concolor. Sunt etiam aues anate maiores, uersicolores, quæ canum latratus per omnia imitantur: item aliæ boum mugitum. Item aliæ, quæ equorum hinnitum faciunt, ut à pascuis abigant inimicum.

De Auibus ignoti nominis in Lacu albo.

CAP. XLV.



Lacus albus inter Scricfinnos, & Biarmos, ac Moschouitas uersus polum Arcticum situs, dominiorum & gentium terminos habet, longus & latus, adeóq; piscosus, ut quibusuis piscatoribus, æstiuo præsertim tempore, exhibeat se sine sui diminutione liberalem. Quare ad eum multę gentes accedunt, domesticam prouisionem ex eius abundantia facturæ per totum annum. In eo lacu, & penes eum habitant infinitæ species auium, continuum garritum ferè sex mensibus sub clarissima luce dierum ac noctium, usq; ad graue fastidium emittentium. Quædamq; earum ignoti nominis sunt, & maximè mollium plumarum, ut incolæ eas uenantes, exinde acquirant ingentem quæstum. Opus enim est in his regionibus frigidissimis, pro arcẽdo gelu uti plumis, & mollibus lectis, præcipuè pro aduentitijs uiatoribus, qui talibus asperitatibus non sunt assueti. Cernuntur hic diuersorum hominum habitus, in nauibus (Strudzar, et Haapar dictis) Moschouitarum, scilicet, Finnonum, & Scricfinnorum, quibus stante regionum pace, pacifica est compiscatio ineunda, ut nulli (quod mirum est) iniuria pro quæstu, seu captura piscium, aut auium irrogetur: nisi furto (quod raro accidit propter continuam lucem) aliquid ablatum fuerit, aut falsificatum. Gens enim illa Moschouitica more Græcorum astuta est, & uaria in uerbis. Videntur etiam aues onocrotali, saccum sub gutture habentes, ne & deesse uideatur inexplebilis auis: de qua suo loco, sicuti & coruo, & reliquis nonnihil fuerat allegatum. Item in hoc lacu infiniti cygni, anates, & anseres reperiuntur.

De aui-

De auibus Alle alle dictis.
CAP. XLVI.



EST in hoc lacu quoddam auium genus admodum frequēs, imò & in alijs finibus maris Bothnici, ac Suetici, quod tempore æstiuo nunquam intermissa uoce clamitat, Alle alle: unde propter hoc ubiq; ab incolis aues illę Alle alle appellantur. In eo namq; lacu propter dulces aquas à calidis fontibus undiq; scaturientes, multarū, ac magnarum uolucrum (prout priori cap. dictum est) tanta multitudo reperitur, ut quasi spatiosa littora, & uasta flumina cooperire uideantur, pręcipuè corui marini, siue cornices anguillarū, morfices, ac mergi, anates duarum specierum, & cygni, pręter minuta aquatilia infinita. Hos igitur coruos, & reliquas inexplebiles aues, uenatores facilius ob grauem tardumq; uolatum, duobus uel quatuor cubitis super aquas eleuatas, capiunt: eo uidelicet modo, quòd in arctis scopulis, uelut insularum ianuis, in utraq; ripa hastis atra retia, uel aqueo colore tincta appendunt: quæ trochleis sursum deorsumq; repentè mobilia redduntur, ut agmine magno aduolaturas aues depressis, subitoq; leuatis in obliquū casum retibus inuoluant: quod necessariò auibus illis euenit, ob grauem tardumq; uolatum, quem recto & lineari motu seruant institutum, ita ut paucæ periculum euadant. Etiam anates, aliæq; aues quandoq; retibus huiusmodi subijciuntur. Hæ igitur aues nigrę & pigrę, siue natantes, siue uolantes, semper Alle alle uociferantur, quod Latinè sonat Omnes omnes, etiam quando retibus sunt inclusę: quam uocem irrisoriam solicitus auceps interpretatur, quòd nequaquàm omnes habeat in sua potestate, neq; unquam per retia quoq; sexcenta sit habiturus. Sunt & hę aues maxima multitudine in scopulis Suetię, & Gothię superioris, licet non tanta, ut in lacu prædicto, alijsq; fluminibus huic uicinis. Capiūtur etiam aquaticę aues in uasculis littoralium arborum, ramis per modū nidorum appensis: in quæ anates pręcipuè sese recipiunt, ad producendum oua & pullos, propter uulpeculas, à quibus in terra infestationem patiuntur. Item capiuntur & uisco, præsertim paruulæ.

De Vpupis, & alijs Auium generibus.
CAP. XLVII.



VPupæ quando ad Septentrionales campos stato tempore è regionibus alienis adueniunt, ueris tempus accedere indicant. Auis gemitu plena, & clamore, ob ouorum, aut pullorum custodiam. Vulpes in herbis opportuno clamore latitare indicat: ita & canes, ac cæteras bestias ab omnibus locis abigēdas exclamat. Bellum eis cum hirundinibus, ac picis, & monedulis est. In paludum tuberibus oua ponit, & pullos educit. Domesticata uenando muscas domum purgat, etiam in murium raptu. Pluuiam gemitu indicat: quòd & nepę campestres faciunt, cuculi equarum dictæ: quæ transuerso uolatu, citatoq; forti

sonitu



sonitu, imbres illicò adesse presagiunt. Item nepę maiores longissimis rostris pluuiam adesse predicunt: ita & pici arborum. Est etiam auis, quæ pluuialis dicitur, perdicis magnitudine, uarijs pennis ornata, croceo, albo, nigroq; distincta colore: hæc creditur solo aëre uiuere (quod omnino Albertus negat) licet pinguis sit, & in uentre eius nihil inueniatur. Hanc grauibus baculis uenantur aucupes, quos altius in aërem ad deterrendum eam iactant, ut ita auem ad ima uolantem, & fugientem acquirant. Vincentius li. 16. cap. 39. citato autore de nat. rerum, loquitur de auibus paradisi pulcherrimis, quod nescitur unde ueniant, aut quò uadant: non enim origo earum, uel propagatio uidetur, sed certis temporibus congregatę, terras quas inhabitant, alio migraturæ relinquunt, ac iuxta Alber. de tempore in tempus loca mutant. Item auis est acanthis dicta, quæ equos edit, & persequitur. Similiter & alia Assalon dicta. Auis subis, apud Nigidium sic appellata, aquilarum oua frangit, ut refert Plin. lib. 10. cap. 14. Sunt & apodes, quæ carent usu pedum, multum uolantes, de specie hirundinum. Nidificant in scopulis: & hæ toto mari cernuntur, continuoq; naues sequuntur à terra recedendo, atq; semper eas circum uolitant. Item è uolucribus solę hirundines indociles sunt, & è terrestribus animalibus mures nil addiscunt: cum tamen leones iuga subeant, ac onagri, seu alces, plaustra pertrahant. Quædam aues nullam, nisi in nido retinent quietem: aut pendent, aut iacent. Et ingenia ęquè uaria, ad pastum maximè.

De Auibus nocturnis, & earum cibis.
CAP. XLVIII.



NOn putaui fas esse, pręterire nocturnas uolucres, quia ut reliquæ supra dictæ, ita & hæ ad decorem uniuersi à summo Creatore sunt productæ. Offertur autem in primis bubo Septentrionalium tenebrarum obseruator, auis diri ominis, ut Virgilius asserit:

> Ignauus bubo dirum mortalibus omen Affert, &c.

Lunam tamen clarissimam intuetur ut aquila solem. Sed quia uisum in meridie habet debilissimum, coruos sustinet hostes atrociores: uerum sibijnuicē aduersantur in nidis. Nam uti coruus meridie comedit oua bubonis, ita bubo oua corui de nocte: neq; sic decrescit generatio rapax. Cæteræ etiam aues bubonem deplumant, uerum resupinus fortissimis unguibus se defendit, maximè minoris generis bubo: maiores uerò in rupibus, & desertis, & umbrosis arboribus tempore pręsertim ęstiuali manent, cum hyeme arcibus, ac turribus Ecclesiarum horrisonam semper ingerunt uocem. Visum habet flammeum, aures cuneatis plumis eleuatas, ungues acutissimos: nunquàm uolans quo libet, sed trāsuersus aufertur. Otus est auis bubone minor, noctuis maior, auribus plumeis eminentibus. Aliarum auium imitatrix, ac parasita reputatur, & saltatrix: & facilè capitur. Mures persequitur, quia cadaueribus, & carnibus uiuit. Capiuntur hæc nocturna auium genera per lucernas accensas in horreis rusticorum: ibi enim congregantur, ob quęstum, & pastum murium latitātium. Mortua otus in stabulis super equos suspensa, creditur eos ab ęgritudinibus pręseruare. Vlula est auis à planctu luctuq; nominata: cum enim clamat, fletum imitatur. Augurum iudicio ad dexteram uolans, & tacens, prosperitatem significat: gemēns tristitiam. Vespertiliones aues agrestes, pedes auium habent, cauda carentes, alas membranaceas è corio indistinctas: dentibus ut mures. Victum nocte quærunt. Pullos pariunt

lacte nutriendos: quod nullis alijs uolucribus est concessum. Vbera admouentes (teste Plin. lib. 10. cap. 61.) gemellos uolitant amplexæ infantes, secumque deportãt. Culices gratus eis pastus. Caprimulgi nocturni fures sunt, interdiu uisu carentes. Pastorum stabula intrant, caprarumque uberibus aduolant propter suctum lactis: qua iniuria uber emoritur, caprisque cæcitas (quas ita mulsere) oboritur. De die manent in petris. Noctua glaucis oculorum pupillis tenebras non sentit, quia obscuriore nocte uolatum habet crebriorem, et hunc inoffensum. Sole exorto uisus eius hebetatur. Noctua contraria est apibus, uespis, crabronibus, & sanguisugis. Strix est auis nocturna, à sono sic dicta. Lucanus:

Quid trepidus bubo, quid strix nocturna queruntur.

Plura qui uidere uelit de auibus nocturnis, uideat Volater. lib. 25. & Plin. lib. 10. cap. 16.

De Vulturum differentia, & proprietate, quos Aristoteles & Plinius Aquilas appellant.

CAP. XLIX.

QVandoquidem supra eodem lib. aquilarũ genera diuersa secundum Albertum, quæ frequentius in Septentrionalibus oris reperiuntur, demonstrata sunt: hic uulturum (quos Aristoteles & Plinius aquilas appellarunt) differentiam, ac proprietatem inserendam esse duximus. Quòd autem ab his alioquin primas tenentibus, in animalium proprietatibus describẽdis dissentimus, maximè autoritate Alberti Magni mouemur cui ora Aquilonaria magis fuere cognita: qui etiam sibi aquilarum naturam apud nos commorantium intimius perspectam habens, in hunc modum lib. 32. de Animal. scribit: Scias quòd Aristoteles, & quidam Philosophi alij aquilam, et uulturem in idem genus auis ponunt, aquilam quidem ab acumine, uulturem autem à uolando & capiendo nominantes: propter quod quidam dicunt nobilissimum auis genus esse uulturem. Hactenus ille. Vulturum igitur sex genera, uidelicet pygargus, qui ab albicante cauda dicitur, ac si albicillum nomines. Hic gaudet planis, & lucis, & oppidis: hinularius etiam à nonnullis cognomine appellatus: montesque, ac syluas suis fretus uiribus petit. Aliud genus magnitudine secundum & uiribus, plangus aut clangus nomine, saltus & conualles, & lacus incolere solitum, cognomine anatarius, & morphnos à macula pennæ: hunc Homerus in exitu Priami percnon uocat. Est tertium genus, colore nigricãs unde nomen accepit, ut fuluius uocetur, Græcè melænaëtos. Hinc magnitudine minimus, sed uiribus omnium præstãtissimus est. Colit mõtes, ac syluas: & leporarius, eò quòd propriè interficit lepores, cognominatur. Hic solus bono nutrimẽto fœtus suos alit, atque educit: hic denique pernix, intrepidus, strenuus, quippe qui non clãgat aut murmuret, citoque uenetur. Aliud etiam est genus, ab alarũ notis, quę maiæ sunt, percnopterus, alias oripelargus appellatum. Hic est capite albicante, corpore maiore, quàm cæteri adhuc dicti: sed breuioribus alis, cauda longiore. Huius quantitas, quasi aliorum uulturum medietas, uulturi nanque speciem planè refert: subaquila, & mõtana ciconia cognominatur. Manet in locis multarum arborum. A coruo, cæterisque alitibus capitur: grauis est enim, uictuque iners. Ex naturali malitia exanimata fert corpora: ieiuniæ semper auiditatis, & querulæ murmurationis. Porrò aliud genus uulturum est, quod haliætus, hoc est marinus uocatur, ceruice magna & crassa, alis curuantibus, cauda lata: moratur hic in littoribus & oris. Accidit etiam huic sæpius, ut cum ferre quod ceperit nequeat, in gurgitem demergatur. Hunc etiam Plinius lib. 10. cap. 3. inter uulturum genera recenset, & ex eis uultures procreari affirmat. Denique aliud genus gnesium, id est uerum, germanumque appellant. Vnum hoc ex omni uulturum genere esse ueri incorruptique ortus creditur: cætera enim genera & uulturum, & aquilarum, & accipitrum, & minu-

et minutarum etiam auium, promiscua adulterinaq; inuicem procreat. Maximus omnium uulturum hic est, quia cæteros uel sesquialtera portione excedit. Colore est rubeus, conspectu rarus, more eius, quem suprà cymindem intra accipitrum genera uocari diximus. Vnum par uulturum occupat magnam syluam: unde fit, ut etiam pullos suos à nidis expellant, & longè fugent, æmulos scilicet rapinæ, ne ullo pacto uicinos habere patiantur. Demum senescentibus rostrum superius accrescit, incuruaturq; subinde magis magisq;, ut tandem fame intereant. Erythrotao Septentrionalis, uulturi haud dissimilis, grauis corpore & pondere, capitur in terra, ut refert Plinius lib. 10. cap. 22.

Adhuc de Vulturum generatione, & pietate.
CAP. L.

TRadit beatus Ambrosius in Hexameron lib. 5. cap. 20. in generatione uulturum non interuenire concubitum, & sorte coniugali minimè misceri, atque ita sine ullo masculorum concipere semine, & sine cõiunctione generare: natosq; ex his in multam ętatem longæ uitæ procedere, ut usque ad centum annos uitæ eorum series producatur, nec facilè eos angusti ęui finis excipiat. Et ita generatio eorum suscipitur introducta. Pietas autem horum animalium ab alio graui autore Cassiodoro libro 2. Epistolarum sic adduci, & accipi potest, ut inde eliciatur excelsa illa uirtus, quæ generosis hominibus, maximè supremis principibus, inesse probatur. Ait enim Rex Gothorum Theodericus, uulturum pietatem commendans, atq; detestans crudelitatem famulorum, qui dominum suum turpiter interemerunt, atq; inhumatum (omissâ funeris reuerentia) indignè abiecerunt, ut seuerissimè castigentur: quatenus qui exemplis prouocantur pessimis, pœnis arceantur aspectis. Proh dolor, pietas in auibus inuenitur, quæ ab humana conditione deseritur. Vultur ipse, cui uita est cadauer alienum, tãtæ magnitudinis corpus nec exiguis alitibus probatur infestum, sed magis accipitrem, uitam plumigerum auium persequentem, alis cædit, ore dilaniat, totoq; suo pondere periclitantibus nititur subuenire: & homines parcere nequeũt, cuius se genus esse cognoscunt. Ille non uult extinguere, quo poterat uesci: serui maluerũt occidere, qui eos superstes consueuerat enutrire. Fiat ergo pastus pij uulturis, qui necem potuit crudeliter desiderare. Tali potius sepulchro recipiatur, qui dominum reddidit insepultum.

De Cuculo, & multiplici genere Picorum.
CAP. LI

EST etiam in Aquilonaribus syluis optatæ lætitię annuntiatrix auis omnibus nota, Cuculus appellata, circa principium Maij erumpens in uocem sonoram: quam ferè in finem mensis Iulij continuat. Sed hoc in uastis nemoribus, ob inimicas aues, naturali odio eam in omnibus molestantes, eò quòd et ipsa (coccyx Græcè dicta) alijs sit insidiosa. Nidum enim proprium non facit, sed in alienis, palumbi scilicet, alaudæ, uel passeris solitarij, ponit sua oua cubanda, & alterius labore producit pullos: qui à testa exeuntes, pulchritudine, ut educentur, prouocant nutricem: quæ specie & forma impinguescentis sobolis gaudens, fœtus suos damnat, atque absumi patitur, donec ab adulterino fœtu euolaturo interimatur: & demum ipse coccyx à suo genere, uidelicet accipitre, dilaniatur. Nulla auium carnis dulcedine superat coccycem: quæ & fridigissimæ est naturæ, ut Aristo. lib. 6. de animal. cap. 7. placet. Albertus dicit hanc auem minimè æstate colligere, quæ sit hyeme comestura: sed latitat in concauitatibus arborum, aut cauernis terrarum, plumis spoliata. Quandoq; etiam autumno capta hęc auis, educatur in uaporarijs, ut quasi species falconum, ad uenandum aptari possit.

Sed degeneris naturę suę non oblita, deuorat omnes occurrentes domesticos pullos: & ob hoc posteà occiditur. Alio autem tempore ponit unum ouum in nido fulicæ, & eius oua sugit: illa uerò futuri euentus ignara, sedulò fouet ouum, pulloq; producto ab eo necatur. Mirabile quoddam de cuculo refert Albertus lib. 23. quo quis loco primum audiat alitem illam, si pes dexter circumscribatur, ac uestigium id effodiatur, hanc terram interimere pulices, ubicunq; aspergatur. Prætereà picorum genera plurima sunt in Aquilone, magnitudine monedularum, asperrima hyeme in corticibus arborum quærentes uictum: quorum aliqui nigerrimi sunt, rubeam habentes cristam, aliqui glauci, aliqui uirides, aliqui uario colore respersi, signa asperioris hyemis uenturæ gemitu prænuntiantes.

De Prognostico diuersarum Auium.
CAP. LII.

Latissimo terrarum spatio incolis Septentrionalibus per maxima loca habitantibus, hæc suppetit ratio uenturos euentus cognoscendi, præsertim in natura auium terrestrium, & aquaticarum more augurum, qui ex gestu, motu, uolatu, uoce, & garritu auium, futura prædicunt. Aues enim aquaticæ in terram uolantes, procellam: & terrestres si ad irrigua, & loca palustria transuolant, serenitatem portendunt: de quibus in extenso Plinius loquitur libro decimooctauo capite ultimo.

Alauda cantu imminentem auroram prænuntiat.

Anser continuo clangore diras tempestates, pluuiamq; aqua se spargens prædicit. Pectore uerò puro, & candido, postquàm lixus uel assus est, significat immensum frigus.

Anates se sæpius balneantes, & mergentes pluuiam notant.

Ardea nubes petens imbres, & procellas præsagit: dumq; medijs arenis tristis insidet, diras tempestates.

Bubo noctis monstrum, in urbe uisus solitudinem imminere demonstrat.

Cornices contra aquas clamantes, & aqua uel niue se perfundentes, copiosum imbrem præsagiunt, prout Isidorus allegat: Tunc cornix plena, pluuiam uocat improba uoce, insidias etiam bestijs, uel hominibus paratas, aliaq; plurima mutabilitate uocis ostendens.

Coccyx eiusdem naturæ est cum cornice, fereq; garritu idem designat.

Coruus est citissimus mutationis aëris nuntius: & alia crocitationis uoce prophetat, quia 64. uoces formare dicitur, teste Fulgentio: alia uoce auram tranquillam, alia tempestuosam, alia niuem, alia densam nebulam monstrat.

Cygni à terra auolaturi, sublimiori uolatu incolis relinquunt horrendum frigus, aliàs æstate nautis bonum omen, ut Aemilius ait:

Cygnus in auspicijs semper lætissimus ales.
Hunc optant nautæ, quia non se mergit in undis.

Ciconiæ horas diei crepitatione rostri diuidunt: quod & Iordanes de Attila Aquileiam obsidente, & uincente attestatur.

Doffrinarum alpium Noruegiæ aues, uti uariæ & mirabiles sunt, ita incolis mira ostendunt.

Diomedeæ aues Græcis tantummodò adulantur.

Herciniæ syluæ aues, lucentes frequentiori uolatu, tenebras densiores signant.

Fulicæ, seu fuligines clangore tempestates præsagiunt.

Gallus noctis horas cantu diuidit: eoq; frequentius reiterato, frigus præsagit.

Grues circulari uolatu in sublimi aëre serenitatem, humili autem tempestatem, præsertim ad mediterranea tendentes, & clamore pluuiam præsagiunt.

Hirundo deserẽs culmina inhabitare, eorum casum portendit: uolatu aquas percutiens,

cutiens, tempestates: altè nidificans, in montibus tutè seminandum: humiliter, in uallibus ruricolis signat.

Ispidarum pelles & plumæ, parieti infixæ mutationem aëris, ueluti coloris, ostentant: & Alberto teste, hæ aues custoditæ, thesaurum augere creduntur.

Lagus ludens super aquas, tempestatem præsagit.

Mergus à mari fugiens, grauissimam imminere tempestatem ostendit.

Meanta tempestate imminente plus solito clamat, gaudetque se præda submersorum posse satiari.

Noctua in imbre garrula serenitatem, & in sereno tempestatem signat, uoceque importuna mortem imminere præsagit.

Nepa gemebunda uoce per aërem uolans, nebulas densas, & pluuias signat.

Otis in culmine domus, uel turribus, ridenti similis cum auditur, fortissimum frigus ostendit.

Picam communem continuato garritu, lætos aduentare hospites, ubique signare receptum est.

Querquedulæ ferè omnes aquaticæ, quarum quędam species quercus aridas inhabitant, pauco uel multo garritu aëris mutationem significant.

Sturnus aurora surgente nimium murmurans, pluuiam: parum uerò garriens, serenitatem præsagit.

Turdi niuibus se balneantes tempestates, & niuium casus uehementiores imminere præsagiunt.

Vlula clamans tristitiam, silentio uerò prosperitatem significat.

Vultures agminatim uolantes, strages hominum quò uolant ostendunt.

Adducit etiam Volateran. libro 25. plura alia uolucrum signa, futuræ mutationis temporum, & elementorum, &c.

LIBRI XIX. FINIS.

OLAI MAGNI GOTHI ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS DE PISCIBVS

LIBER XX.

PRAEFATIO.



ABSOLVTIS præcedenti libro terrestribus atque aquatilibus auibus, eò relaxatur rerum ordo, ut ad natatilia in gurgite, uel fluminibus uiuentia descēdatur, uideaturque quid in aquis Septentrionalibus producitur, quod pręter uitæ spiraculum parū commune in forma, uel proprietate habeat cum cæteris bestijs aliarum aquarū, & regionum. Habent enim lacus & amnes Aquilonares, adeò multiplices piscium species, in figura, qualitate, & quantitate ab alijs distinctas, ut delectabilius esset uti eorum sapore, quàm altercari de nominum appellatione. Intuitus aliquando sum forum piscarium abundantissimum Venetorum: sed uix quatuor, aut quinque piscium genera, scilicet lucios, tenchas, anguillas, orches, ac squatinas reperi, quæ cōparari poterunt Aquilonaribus piscibus multiplici uarietate distinctis: quorum ueriora nomina si Latino,

tino, uel Greco sermone elici, aut indicari nequeunt, ueniam facilimè merentur sapore gratissimo, quādo parum famelico stomacho de nominibus, uel æquiuocis (cuius nominis, uel generis sunt) ratiocinari proderit, ubi delicatius præparati, ac oblati iucundius exhilarent suos inquisitores. Nec fide carebūt, si insoliti sunt aut inuisi: quia in lib. De animal. conformi omnium sententia dicitur diuersa animalia sua propria sortiri loca, ut leones in Libya, & rangiferi in Suetia: ita & de auibus, piscibusq; ueniet ubilibet existimandum. In contemplatione enim naturæ nihil potest esse superuacaneum, nihilq; incredibile conceditur intelligendum, ut unicuiq; existimatio sua salua sit, quando conformioribus causis et rationibus approbata fuerit, atq; rerum experientia corroborata. Cum Isidoro tamen animaduertendum est, quòd bestijs, & uolatilibus prius (tanquam anteâ uisis) nomina imposita sint, quàm aquatilibus: & his, cognito eorum genere ex similitudine terrestrium animalium, aut ex propria specie, natura, moribus, coloribus, uarietate, & sexu nomina data: similitudine, ut ranis, uitulis, leonibus marinis: ex moribus terrestrium, canibus, uulpibus, lupis, in aquis existentibus, eò quòd improba uoracitate sua alios deuorant, uel persequuntur: ex colore, ut umbris, auratis, aureis uellis: ex uarietate, ut trutis, bocitibus: ex figura, ut orchibus, rotis, serris: ex sexu ut musculo, eò quòd sit ipsius balenæ masculus: cuius coitu concipit, producit, & lactat fœtum. Sed de his, & similibus particularius sequenti libro 21. de piscibus monstrosis plurima successiuè ostendentur, ut interim uia aperiatur ad loca piscibus magis abundantia.

De triplici Bothnia terræ Septentrionalis, & abundantissima eius piscatura.

CAP. I.



Bothnia, quæ sinum Gothicum, siue Sueticum ad Septentrionem terminat, latissima est terra diuisa in tres magnas prouincias, Occidentalem, Aquilonarem, & Orientalem. Qui Aquilonarem incolūt, piscatu maximè uiuunt: non quòd agrum sterilem habeant, sed quia tanta est his copia piscium optimorum, ut in omnium necessariarum rerum permutationem abundè sufficiat. Suntq; in omnibus rebus locupletes: siquidem ex Hispania, ac Lusitania optimum uinum, & sal: ex Anglia, & Flandria pretiosum pannum: ex Germaniæ ciuitatibus uariam domorum suppellectilem & ornatum, præter domesticum cultum: ex Suetia, & Gothia triticum, siliginem, hordeum, & omne genus necessarij leguminis illuc nauibus aduectum, comparant. Omne littus, insula, sinus, amnis, riuulus illic exuberantem piscium copiam toto anno, maximè tempore æstiuo, quo omnia ibi amœnissima sunt, præbet. Insulæ circa maris littora plurimæ sunt, & iucundissimæ: quæ herbis, arboribus, & graminibus, maximam recreandi delectationem exhibent. In arboribus auium diuersi generis suauis concentus: piscium mira uarietas, sese super undas ludendo efferentium: piscatorum maximus in omni loco prouentus: nulla illic nociua belua in mari: nullum perniciosum reptile, aut formidabile animal propè in terra: nullæ tenebræ tempore totius æstatis: nullus ardor solis: aër salubris, & temperatus: omnia ibi iucunda, quieta, & transquilla. Verum quod magis mirum est in tanta locorum, & temporum amœnitate, ac licentia, nullum turpis lasciuiæ facinus admittitur, castus, & uerecundus inter homines utriusque sexus conuictus: nec incestus, nec fornicatio, nec adulterium fit,

aut nominatur in illis: tantum enim ualet lex Domini immaculata apud simplices illos populos, ut ipsorum castimoniæ multi in lege diuina doctissimi cedere uideantur. Labitur ex montibus huius Aquilonaris Bothniæ (id est fundi maris) undosus, & profundus amnis: qui duobus ostijs fertur in mare, relicto in medio breui spatio, in quo fundatum est oppidum, quod Thorna, id est turrita insula dicitur: cuius latitudinis eleuatio est circiter 82. grad. longitu. 42. Est autem hoc oppidum in loco plurimum amœno, & commodo situatum: nec aliud emporium frequentius in toto tractu suppolari, quàm est hæc Thorna. Ad ipsam enim confluunt Russi albi, Lappones, Biarmi, Bothnienses, Finni, Sueci, Tauasti, Helsingi, & complures alij, ex partibus Noruegię, per altissimos montes, & uastas solitudines, ac Lempthiam regionem: & hi omnes, partim oblongis nauiculis, incitatissimis fluuiorum casibus aptatis, partim curribus domitorum rangiferorum instar ceruorum utuntur, partim etiam pandis perticis, quibus conspersa niuibus iuga montium citò superant, celeriq; allapsu concurrunt, uti in principio huius uoluminis explanatum reperitur.

De multitudine Piscium huius Emporij.
CAP. II.



COmportati pisces diuersarum specierum ex piscaturis superiorum fluminum in hunc locum, mercatoribus longinquarum prouinciarum rerũ commutatione uenundantur: & hoc in colligatis fasciculis quingentarum grauium librarum, quod pondus illic est usitatius: & pręterea in maximis uasis sale conditi pisces, seu alio modo suauioris saporis conciliandi gratia fumigati. Ad hanc insulam frequentiorem nauigationem Holmenses, Aboënses, Raugmenses, & Eregrundenses, quotannis in maximo capiẽdo lucro instituunt, ac mercimonia non pecuniarum numeratione (eò quòd gens illa nummos non æstimat) sed commutatione rerum necessariarum, prout libro 4. cap. 5. fuit enarratum, distrahunt. Et id quidem fit, quia ad hoc emporium ob populi simplicitatem, ac credulitatem, plerunq; à dolosis mercatoribus importata moneta, deprehensa sit falsa, uafro præsertim ingenio Moschouitarũ, qui illuc circa æstiuale solstitium (uti ego M.D.XIX. uidi) in magno numero, nauigia in humeris aliquando inter distantes aquas portantes, concurrere solent. Sed dolus eorum cum detegitur, repentinam illicò recipit ultionem, prout superius lib. 6. cap. 13. clarius patebit intuenti: ubi etiam de damnis uilissimæ monetæ plura dicuntur.

De piscatura Salmonum.
CAP. III.



VIx alicubi in tota Europa uberior salmonum piscatura reperitur: quàm in Bothnico mari uersus Lappones, è quorum montibus & terris, uastissima flumina dulcium aquarum descendunt: contra quę pulcherrimo spectaculo, quasi milites micantibus armis, sub solari ęstu ascendere uidentur salmones, tanto præsertim agmine, ut superiores montium aquæ prædam reseruent piscatoribus suis. Dicitur nanque

salmo à saltu: caudã enim ore replicat, & reflectit, firmiter eam ore tenẽs, donec saltus agilitate locum abruptũ conscendat: ad quem tendens contra fluminis impetũ à proposito non desistit, quousq; dulcibus aquis (quas auidè desiderat) reficiatur: a: postea uicissim desiliendo, ad nota domicilia intra cauernosas rupes reuertitur. Gaudet enim alternatim salsis, & dulcibus aquis. Crescit hic piscis in longitudine 6. uel 7. pedũ, magno præualens robore, sed ponderosus & grauis: omnisq; quam habet agilitas, à potentia uirtutis eius est potius, quàm leuitate corporis. Hic, ut dicit Plin. lib. 9. cap. 18. olim preferebatur omnibus piscibus marinis, & maximè in Aquitania. Carnes eius rubeæ sunt: quæ licet dulces & gratæ sint, ualde tamen satietatem cito manducantibus ingerunt: quod uerum est recentes auidius sumptę. Dum uerò sale condiuntur, gratiores æstimantur, ita ut magno pretio ac multitudine emptæ, ad superioris Germaniæ partes usque, primum nauigijs, & demum curribus aduehantur. Neque genus hoc piscium, quantumcunque capiatur, deficere uidetur in loco natiuo suo. Vidi enim ego circa æstiuale solstitium in extremis Bothniæ littoribus circa Thornam, adeo magnam eorum multitudinem capi, atq; in tanto numero extrahi, ut fortissima retia rumperentur. Nititur enim hic piscis, dum sentit se retibus pressum, omnibus uiribus se liberare, caudam ad os applicando, ut circulari saltu exiliat: idq;, licet tardus sit, & piger ob suam pinguedinem, celerrimè ostendit. Cor eius extractum diutius omnium cordibus animalium mouetur. In Rheno, & Vistula, ac Duna, uel Dzuina prope Rigam in Liuonia, magno pretio comparantur salmones: hiq; fumo querno ad gratissimum saporem indurantur, prout & generaliter fieri solet apud omnes aquas Septentrionales. In regionibus autem Ostrogothorum ac Vestrogothorum, etiam plurimi capiuntur. Flumina enim illic in plerisque locis 20. uel 30. pedum altitudine reperiuntur, maximè penes Vestrogothos in prouincia VVermelandia dicta, quę olim regio titulo decorabatur: ubi lacus dulcium aquarum centũ millibus passuum in longitudine, & 40. in latitudine patet, cui nomen Vener est: in quem 24. magna flumina à montibus Noruegię illabuntur, unum solum exitum uersus Meridiem habentia: qui Trolhetta id est, dæmonum caputium appellatur. In fluminibus illis recentibus in maxima copia salmones capiuntur, inq; genere suo maxima producunt oua, cicerculas, uel pisa in quantitate superantia, ac maculas nigras in cute respersas habentia cum magno decore. Maximus deniq; horum piscium, ubicunq; capiuntur, quęstus est, & adhibito ingenio capiendi maior indies excrescit.

De piscatura Vitulorum marinorum.
CAP. IIII.



QVia in mari Bothnico & Finnonico maxima uitulorum marinorum, siue phocarum multitudo reperitur: idcirco naturam eius, & demum uenãdi modum, quem uideram, paucis annectam. Vitulus marinus, qui & Helcus Latinè dicitur, à similitudine terrestris uituli sortitur nomen: habetq; corpus durum, & carnosum, ideoq; difficulter interficitur, nisi elisis temporibus capitis. Vox eius est ut tauri: quatuor habet pedes, non autem auriculas: quia regimen uitæ eius, & mansio est in aqua. Si enim auriculas haberet, multum humorem susciperet, natationemq; sibi in aqua prohiberet. Animal generat completum: parit ut homo omni tempore, sed maximè cum primis capris. Vitulus marinus pilo uestitus, auerso coitu, ut canis, inuitus adhæret: parit animal in terra more pecudum,

pecudum, nunquam tamen plures geminis fœtus, licet autor de natura rerum dicat, tres. Fœtum non ante 12. diem à partu in mare producit, subinde assuefaciens. Ipsis in somno mugitus, unde nomen uituli. Accipiunt tamen disciplinam, uoceq; pariter & uisu populum salutant, incondito fremitu: nomine uocati respondent. Nullum animal grauiore somno premitur. Pinnis, quibus in mari utuntur, humi quoq; pedum uice serpunt, sursum deorsumq; claudicantium more se mouentes. Pelles eorum etiam detractas corpori, sensum æquorum retinere traditur, semperq; æstu maris recedente inhorrescere. Dextera pinna uim soporiferam, somnosq; alliciendi capiti subdita habet. Pauidi fulminum, tutissima putant tabernacula è pellibus uitulorum marinorum confecta, eò quòd solum hoc animal in æquore, ut aquila in æthere, à fulminis ictu immune est, & securum. Octauius Augustus, licet non minus seuerus, quàm facilis et clemens patronus, ac dominus esset, tonitrua fulguraq; paulo infirmius expauescebat, ita ut semper, & ubiq; pellem uituli marini pro remedio circumferret. Pellis enim hęc secundum Albertum lib. 24. pilosa est, nigris albisq; maculis distincta. Hoc animal lactando, catulos mammis nutrit, duodecimo die in mare producens. In somno ita altè stertit, quòd somnus eius mugitus esse uideatur, ut aliàs balena, rosmarus, siue morsus, & cetus in arena, uel monticulis eminentibus super aquas.

De modo piscandi eos, & eorum medicina.

CAP. V.

Modus uerò piscandi eos, ex suprasculptis imaginibus facilimè deprehenditur. Piscator namq; mentita pelle nigra, cum longa hasta ferro hamata, super glacie curuatus iacet, mugituq; uitulum uocat, qui mox accedit, putans nouam suscipere coniugem, propria interfecta: est enim (ut Albertus refert) super omnes beluas crudelior uxoricida, ut unam alteri superinducat, donec ab aliqua earum defensione fuerit interemptus: uerum non consortem, sed iaculum, non luxuriam, sed laqueum inuenit, ut occidatur. Nam spiculum per hastam immissum, manet in corpore, donec debilitata belua ex suscepto uulnere, per funem attrahatur. Capitur etiam dormiens, præsertim hamato mucrone, quia profundissimè dormit, ut & alij quidam pisces, de quibus infrà capite de rosmaro sequenti libro dicetur. In aquis dulcibus naturaliter non sunt uituli marini, secundum Albertum libro 20. capite 3. nisi auiditate prædæ eò se conferant, ut infrà de captura halecum dicetur. Canicis uti homini, & equo, sic quoque uitulo marino accidit: senectutiq; reuerentiam iuniores semper habent. Vbi enim in scopulis 30. uel 40. uel plures dormiendo iacent, tanquam pecorum greges, fideliter notatum est, senes pariter, & iuniores seorsum dormire: unde & seniore in aquas descendente, nec unus è toto grege in scopulo montano, lato, uel in glaciei parte natante remanet, nisi pariendi causa. Huius animalis pili in corio detracto ubicunq; fuerint, compositione, & erectione sua indicant fluxum, & refluxum maris, ueluti aliorum animalium marinorum, quæ pilosa sunt. Nam si mare turbatum in fluctus surrexerit, & pilus similiter erectus exurgit: si uerò mare pacificum fuerit, pilus in planum sternitur: sicq; maris status in re insensata, & mortua deprehenditur. Bothnici nautæ prognosticum suscipiunt ex uestitu proprio, de pellibus huiusmodi composito, an mare tranquillū, & prospera nauigatio sit speranda, uel periculum in mari subeundum. Tranquillus in uita Tiberij scribit, pellem hanc ictum fulminis auertere, ne noceat. Et hoc quoque repetit Volateranus libro 25. Præterea Plinius libro 32. asserit facies expauescentium morsum canis rabidi, perungi debere adipe uituli marini. Idem quoque adeps lichenas, & lepras soluit. Coagulum eiusdem uituli comitiales bibunt cum equino lacte: eodemquę coagulo magi

in lethargum uergentibus ad olfactum utuntur. Coagulum phocarum etiam uirtutem habet castoreo similem, & epilepticis prodest. Item pro præfocationibus matricis, mulieribus bibitum ualet: uerum coagulum integrum in aqua manet, sophisticatum mox soluitur: quod attendant medici.

Adhuc de uirtute huius bestiæ.
CAP. VI.

FEl etiam horum uitulorum marinorum ad multa ualet, si quis Dioscor. quæsierit. Item bestiæ hæ adeò animosæ sunt, ut audito tonitru, ursoq; fulmine ac coruscatione, gaudentes ascendãt planos monticulos, sicuti ranę exultant accessu pluuiarum. Nauigaturi Bothnienses, seu Aquilonares nautæ, uersus Germaniã in asperrima hyeme, pinguedine huius belue liniunt tabulas nauium, ne glacie congelentur ad nauis demersionẽ. Item pinguedo hęc, Seeltraán uulgariter dicta, plurimum ualet ad inungendum diuersa genera coriorum, ac pellium, quas alutas appellant: unde caligę molliores cõficiuntur: quemadmodum uidetur, quomodo in Prusia hac pinguedine per aquarũ rotas aluta pręparatur, atq; distrahendi gratia in Flandriam, & tandẽ in Italiam, Galliam, ac Germaniam transportatur. Tergora etiã bouina, nisi uncta fuerint hac pinguedine, uel ceti, non ualent ad conficiendũ ocreas uiatorum in pluuia, eò quòd arcet omnem humiditatem, & diutissimè conseruat eas: nec mures hac pinguedine calceos, uel ocreas unctas rodunt, aut lora equorum ad præsepia ligatorum, sicuti alia, scilicet bouina, uel arietina pinguedine uncta. Imò hoc bonum naturaliter inest huic corio, ut fulmine non tangatur, ubicunq; fuerit alligatum. Item superius lib. 11. cap. 23. plura notata sunt de hac pinguedine, quomodo tempore obsidionis super aquas inter glaciem apertas effusa, impedit congelationem.

De perplexitate comedentium carnes huius Vituli tempore Ieiunij.
CAP. VII.

CVm hoc animal carnem habeat, & laridum, more domesticorum porcorum, nõnulli scrupulosè se torquent, ne his, scilicet interioribus carnibus, uescantur in Quadragesima, ea securitate, sicuti lardum uel pinguedinem, quæ foris est, & auulsa carnem retinet sibi coniunctam. Quocirca rectoribus Ecclesiasticis hæc causa discutienda committi consueuit: dumq; in unam, & alteram partem physica ratione multa adduci, probariq; solent, nec satis concorditer diffiniri, simplicioris ingenij uiri, multis posthabitis causis, in utranq; partẽ prolatis, dicunt, & probant, ex ipso uitulo marino sumendam fore demonstrationem, hanc uidelicet, ut cum partum fecerit in littore, si ad syluas à uenatore compulsa belua fugerit, abstinendũ eius esu erit tempore prohibito: si uerò ad aquas, securissimè ea uescendũ erit. Et ita seruatur, ut infinitæ hominum multitudines hac pinguedine utantur in obsonijs suis, loco olei: atq; ob eam causam carnes in maxima quantitate, ueluti latera porcorum, in uasa recluduntur. Pinguedo tamen huius uituli marini solidior, defertur ad amplam Germaniam. Solebat nihilominus esse ualde utilis, & delectabilis olei usus in Aquilonaribus regnis, imò & lucrosus quæstus ipsis mercatoribus, donec quidam nouitatis cupidi (ut ieiunium tollerent) dixerũt populo, quòd Hispani lauarent suos leprosos in oleo, ideoq; nequaquam eo uescendum. Illisq; creditum est, nec quisquam amplius oleum ab ingeniosis illis impostoribus emere in animum sibi induxit: & ita in hac parte bonum quæstum se perdidisse lugent, tum etiam in alijs rebus indiscretè diffamatis.

De Lupis,

De Lupis, siue Lucijs.

CAP. VIII.



SVnt lacus dulcium aquarum in montanis Lapponię CCCC. milliarium Italicorum longitudine, latitudine uero C. & amplius: in quibus tanta est luporum aquatilium (quamuis & aliorum piscium) copia, ut non solum alendis hominibus, per quatuor amplissima Septētrionalia regna sufficiant, sed etiam latius sale, soleq́ siccati nauigijs, uelut lignorum magnę strues, in amplam Germaniam uendendi exportentur. Itidem de lacubus Finlandiæ censendum erit. Est igitur lupus, piscis fluuiatilis, ore lato, dentibus acutissimis, minorum piscium deuorator: cui tamen perca squamis, & pinnis asperrimis armata resistit, ut sibi non præualeat: tamen ex insidijs transuersam percam, ore compressam lupus ipse minutim lacerat, & deglutit: adeò nullus, etiam armatus piscis, à uoracitate eius permanet immunis. Vescitur lupus, seu lucius, bestijs uenenosis, ut bufonibus, ranis, & huiusmodi: nihilominus ægrotantibus consilio medicorum deputatur inter sanos cibos. Retibus inclusus facilimè euadit, si attrahendo retia piscatores lento utuntur tractu, celerrimè etenim retia attracta non euadit. Lupus hic aquatilis nominatur, & si fluuiales aquas, cibumq́ pro uita sufficientem habuerit, successu temporum ad longitudinem octo pedum euadet: piscemq́ ferè ad sui magnitudinem uorat. Nam ubi uictum subegerit, caput primum ore comedit, quo digesto, paulatim sequentia, donec totum consumat. Pari quoque generi suo parcere recusat, uel ob naturalem crudelitatem, uel quia auidus est cibi, rapinæq́ impatiens. Prætereà & propria semina persequitur, ubi induerint formam piscis: neque à spinas acutas, ac squamas aculeatas habentibus abstinet: stomachum nanque habet ita gutturi continuatum, quòd aliquando eijcit eum, auiditate gluttiendi piscem.

De eiusdem Piscis captura.

CAP. IX.

FOEmina huius piscis cum oua spargit, multum à loco, ubi morari consueuit, abscedit, ibiq́ oua parit, ut filij sui non sint sibi impedimento ad prædam capiendam: idq́ fit uel naturali crudelitate, uel cibi, uel rapinæ inuidia. Capitur multis modis, hamo uidelicet lato, ex aurichalco, uel rutilante ære ad hoc fabricato, cui appositus est piscis candidi coloris. Item furca ferrea dentata sub tenebris, ad ignem piceis tedis accensum: quem cum auidè miratur, ferro furcaq́ percutitur. Insuper quando sub glacie ludit in fine Martij: tunc enim proijcit oua tantumq́ strepitum ualido capitis motu aquæ ostendit, ut ultro piscantibus signum suæ capturæ demonstret. Domunculis etiam capitur, ex asserculis longis confectis, ac in arundine firmatis: quas ingressus grassatur in quoslibet pisces deuorandos. Proceres gulæ, qui hosce pisces in piscinis pro claris hospitibus excipiendis, præcipuè in Germania seruant, plus in eos singulo mense expendunt, quàm in equos ad equestrem militiam enutriendos. Sexaginta enim lupi magni mense uno plures pisces, quos carpiones uocant, aliunde quæsitos, pede humano longiores, piscinis immissos consumunt, quàm alias equi decem in pabulo. Habent etiam nonnulli, nedum pro uoluptate, sed domestico usu fabricatas

penes

penes aquarum littora lacunas, ubi piscium agmen sub libera captiuitate ludentium, & delectatione reficit animos intuentium, & hospitibus parat appetitum. Currunt auidi ad manus hominum, & antequam cibi fiant, escas expetunt. Pascit homo delicias suas, & dum habet in potestate quod capiat, frequenter euenit, ut repletus omnia derelinquat. Lupi autem sale conditi, longo tempore inter castrenses cibos seruantur. Sed siccati sole, sale, & uento, longè utiliores sunt: quia crudi fuste, uel malleo contusi, escam exhibent conuenientem. Sale uerò conditi uiscositatem sibi annexam etiamnum retinent. Dentes luporum combusti mediocriter, & in puluerem redacti, rupturas equorum sub ephippio aspersi, atque membrana cooperti, continuò sanant.

De Piscatione per flammas.

CAP. X.



QVia superiori cap. de furca ferrea dentata, qua lupi aquatiles facile capiuntur, mētio facta est: ideò prima uirtus eius erit hic ostendenda: quia ea, ob plures hamos, sagaces piscatores in captura luporum, ac anguillarum precipuè utuntur, maximumq; quęstum facilitate talium instrumentorum assequuntur: eo tamen modo, quòd in lintribus monoxylis, aut duobus ex lignis confectis, in prora piceis tedis alacriori, quoniã tenebræ sunt, suscitata flamme, uideant lupos, & anguillas admirationis causa in magna multitudine accedentes, atq; eos ferro hoc hamato transfossos, ad usus suos retrahant. Quandoq; etiam suppositis lignis grossioribus, in natantibus crustis glacialibus extructo igne, simili ferro, quasi in nauicula starent, acquirunt pisces: qui ita stupidi redduntur ut nullum adesse periculum putent. Similiter & frondibus in nauigio erectis capiuntur, quibus quiescendi gratia sese submittunt. Sæpe etiam accidit, ut sæuientibus tonitruis, anguillæ tanquam non securę in gurgite, aquas exilire uolentes, uel retibus, uel hamis, uel cassibus, ac ligneis ædificijs quadratis perforatisq;, in maximo numero capiantur: & hinc est maior incolarum prouentus, quando tonante cœlo ab antris excitantur anguillæ, alias difficulter exituræ. Item appenso sufficientis ponderis saxo, cuneata uasa lignea perforata, culmis pisorum repleta, & ad fundum usq; demersa pro ingressuris piscibus seruant. Nec frustra: alligatis enim funibus extrahuntur ad summum usq; repleta. Is modus est nouiter inuentus, & mirè lucrosus. In hyeme latent in limo profundo, ubi stagna non congelantur: quæ si totaliter glacie constricta fuerint, simul omnes respiraculum ab aëre non habentes, pariter suffocati moriuntur, prout alias uidi, & infrà de glaciali piscatura dicetur. Diu etiam, scilicet sex diebus anguillæ extra aquas, præsertim Borea flante, in agris pisis consitis uiuere solent: sed sabulo, uel cinere sparso, inde egredi non possunt. Mirè delectantur sub frumentarijs molendinis, ob dulcedinem farinæ minutatim descendentis. Maxima anguillarum multitudo in Aquilonaribus terris reperitur, tam sale conditarum, quàm fumo siccatarum: & hæ crudæ comeduntur. Quomodo autem glomeratæ anguillæ mirabili multitudine uoluuntur in lacu Benaco, in agro Veronensi, mense ferè Octobri, uideatur Plinius lib. 9. cap. 22. ut in excipulis eius fluminis, ob hoc ipsum fabricatis, singulorum millium globi reperiantur.

De æstiua Piscatione, & Aucupio.

CAP. XI.



DVo præcipuè obseruare solent prouidi piscatores, ut in aurora ante solis ortum, quando uisus piscium maximè fallitur, gregatimq́ cibaria quærũt, & cum magno silentio piscari possint. Imago igitur superioris hominis, duobus officijs, exercitijsq́ notatur, aucupis uidelicet, & piscatoris. Aucupis, ob maximam aquatilium auium multitudinem, anatum, fulicarum, & mergorum: quæ æquo euentu, laboreq́ super caput callidè rapiuntur, ut inferius pisces in aquis. Eliguntur ad hoc perficiendum aridi fungi betulini ligni, quos maximos ea regio gignit: qui per uadosas aquas proijciuntur, ut uagantes aues sint securiores. Auceps autem magno fungo, uti galea, caput contectus, ac mentotenus stagnum ingressus, insidias eis ut struat, ad uolucrum natantium agmen progreditur: hæ uiso fungo capiti aucupis imposito, persuasum sibi habentes, unum esse ex reliquis natantibus, appropinquantes manu ipsius aucupis intercipiuntur: et ita successiuè plures accedunt, similiter interficiendę. Nam auceps exerta sensim manu, uolucrem incautam cæco raptu pedibus prehendit, & demersam subtrahit in manticam ad id præparatam. Cęteræ uolucres sua sponte subnatasse comitem arbitratæ, quęrẽdi uictus causa (uti solent) nil solicitæ, omnes suum iter prosequuntur, ut sic in aucupis & ipsę manus cadant. Quod autem altera manu amplo casse piscatur, non frustra agit: quippe aqua pedibus eius turbata, piscium oculos alioquin debiles, debilissimos facit, adeòq́ incautos reddit, ut ultro in retia tendant. Prætereà hamo post tergum, brachiumq́ lõgo fune dimisso, non importunè piscatur. Vbique etenim tanta piscium occurrit multitudo, ut quibuscunq́ piscarijs instrumentis, etiam singulis membris applicatis, facilimè capiantur, maximè in sinibus maris, & fluminibus, quò magna societate se recipiunt pisces, ut tranquillius tempestatibus liberati ac securiores degant. Sed nullibi tuti, ubi humano ingenio poterunt deprehendi.

Adhuc de ingeniosa Piscatione.

CAP. XII.

ESt & alius modus piscandi sonoris insidijs inuentus, cum constet, plurimos pisces sensum auditus habere, ut soni dulcedine rapiantur. Retia tenduntur in longum aquæ, uel in transuersum, & ante retia super aquas instrumentum instar arcus, ita ut fluitet super undas: in superiori autem huius arcus parte nola, seu campanula suspenditur: ob cuius sonum pisces gregatim adueniunt, tinnitum nolę mirantes: unde apertis insidijs capiuntur. Quidam pisces domesticantur, iuxta Alber. lib. 21. cap. 6. ut campanæ sonum audientes, ad alimentum capiendum conueniant. Pręterea naturalium scriptorum turba delphini insaniam, quanta soni dulcedine rapiatur, enarrat: præsertim Solinus cap. 22. Nec pigeat unum referre casum, quem uidi: citharœdum uidelicet in aperto mari cithara acuto sono canentem, plurimos allexisse delphinos: qui postquàm spatio unius horę sonum in tranquillissimo mari (ubi nec festuca uentis mouebatur) audierant, flatu, caudaq́ turbarunt aquas: cumq́ abiere, signum gratitudinis forte monstrãtes, extemplo secutæ sunt tempestates tam horrendæ, tamq́ sæuæ, ut uix uita ex adeo magno periculo

liberari potuerit. Quidam etiam piscatores pisciculos filis alligant uiuos, filaq; per longum & latum trahunt, ut maiores ob prædam, & uoracitatem grassantes reti circumueniant. Quidam etiam fossas faciunt iuxta fluminis ripas, ut aqua ingrediatur, tabulisq; obstruunt, ut pisces quietem capturi, ibi delitescant: qui deinde per insidias rapiuntur: idq; frequentius autumno, quàm æstate contingit, propter sæuiores tempestates. Quidam etiam ponunt oblongas cuneatasq; sepes, ex saxis lignisq; congestas in modum pyramidalem, ad medium fluminis usq; ne tamen uicinis publicus piscium meatus, qui per medium flumen protenditur, uenaq; regia huius gentis appellatione nuncupatur, omnino occludatur, atq; sic in orificio pyramidali, ubi nassa depressa, ac extensa manet, comprehendantur.

De glaciali Piscatura.

CAP. XIII.



HOc capitulum modum ostendit diuersum, qualiter sub glacie capiuntur pisces, Borbochæ dicti, seu Lake uulgari gentis idiomate appellati: quos piscatores sub tenui glacie uisos, ictus grauis mallei stupefactos, subtus sistere cogunt, atq; supinato motu peruertere uentrem, ut glacie perforata, eos apprehendant semiuiuos. Et hic modus circa solstitium hyemale frequentius usu uenire solet. Est & alius modus piscandi sub glacie, cæteris communior, per hamos: quibus pisciculi alligati, maiores sui dulcedine inuitant ad rapinam, lupos præsertim, qui reliquis piscibus perhibentur magis insatiabiles. Mittitur subtilis funis 60. uel 100. passuum, inter duo foramina lōgè directeq; distantia, per noctem integram, sub glacie cum hamis plurimis dependentibus permansurus: quem cum piscatores sequenti die uicissim extrahunt, miram piscium multitudinem consequuntur: hiq; pisces de uaria sorte sunt, & ut plurimum ualde pingues, propter meliorem pastum, & tutiorem quietem, quam obtinent in frigidis locis, presertim in lacubus degentes, & masculi, qui fœminis sunt pinguiores, præter halecē, ut in fine dicetur. Dicit etiam Aristoteles lib. 8. cap. 19. De animal. quod aliquando per algorem accidere uidetur, ut pisces moriantur: & propter hoc, cum alibi, tum in Nauplio agro terræ Argiuę, in uadis, fluuijs, ac lacubus, multos cęcos captos esse, cum hyems fuisset asperrima: præterea multos albos habentes oculos. Capitones maximè, ac mugiles per hyemem de facili excæcari, si modum aqua excesserit: oculosq; eorum albescere, & macilentos circa hoc tempus capi, deniq; per nimium frigus ad postremum interire. Quæ positio uerissima est, scilicet quòd glacie inclusi moriantur, nisi rupturam, aut respiraculum aliquod habuerint unde auram sumant: præsertim anguillæ, quas 6. uel 8. pedum longitudine, glacie resoluta, putridas aliquando extrahi uidi, reliquosq; pisces mortuos, & fœtentes: ac ob id possessores lacuum, & stagnorum, sæpius aperturas faciunt glaciales: moxq; pisces ad aëris respiracula accurrentes, manibus capiuntur, atq; super glaciem disperguntur: ubi continuo frigore constricti, per totam hyemem recentes manent: & ita in remotas partes uendendi, uel rerum commutatione distrahendi gratia, ad publicam utilitatem exportantur.

De mo-


De modo reducendi congelatos Pisces ad mollitiem, ut coquantur, & Piscatura in hyeme.

CAP. XIIII.

Congelati pisces instar duri ligni, uel saxi, decoquendi, primum ponantur in frigidissimam aquam, ut resoluantur squamæ, & mollescant: & nequaquàm in calida aqua: quia nedum squama resoluitur, sed noxiam etiam uiscositatem inducit, & insipidum piscem reddit: quemadmodum & homines in pedibus, ungulis, aut digitis frigore adusti, aqua frigidissima sanantur, quæ calorem genuinum paulatim iterum reducit, ubi calida aqua eum totaliter adimit, nec unquam ad adustas partes redire permittit. Quare autem id fieri debeat, inter problemata Aristotelis, & Plutarchi, atq; alios naturalium rerum indagatores, quatenus opus fuerit, rationes requirantur. Prætereà alius modus, quàm supradicti, in hyeme piscandi seruatur, scilicet quòd piscatores foueam prope ripam faciant, atq; canalem currentis aquę largum constituant: quem in continuo motu, ne congeletur, obseruāt: ut pisces recentem aërem capturi, eò se conferentes capiantur. Estq; notandum secundum Aristotelem loco suprà allegato, quòd omnis piscis naturaliter in capite lapidem habens, hyeme magis lędatur, quàm qui non habet: quia huius lapidis rigor efficit, ut per algorem huiusmodi pisces gelentur, & ob frigus ingruens profunda petāt: de quorum genere sunt chromes, lupi, phagri, umbræ, atq; hi, qui uulgari Gothico Torsck, Batauorum uerò uocabulo Cabbelau dicuntur: qui etiam totum ferè per annum longis hamis ex fundo maris trahuntur. Huius generis pisces Reuerendissimus ac Illustrissimus Elector, & Princeps Imperij, Dominus Adolphus Archiepiscopus Colonieusis, inter alios optimos adduci Tridentum M.D.L I. tempore Concilij generalis iussit. Pauci tamen Prelati Italicę nationis hos pisces, licet delicatè præparatos, ob soliditatem quam in se continent, ausi sunt gustare: mihi uero gratissimi erant, ob connatum saporem, satis multis annis intermissum. Dicit insuper Plinius li. 9. cap. 57. in Ponti regione apprehendi quosdam pisces in glacie, maximè gobiones, non nisi patinarum calore uitalem motum facientes. In his quidem, tametsi mirabilis, est tamen aliqua ratio. Demum corticibus tiliæ, palustribus iuncis, cannabi, ac lino omnes Septentrionales ad texendā piscibus retia utuntur: piceq; liquida perungunt, salmonum præcipuè: denique fortissima sint, instar capiendorum ursorum, summopere prouidere oportebit.

De glacialibus Instrumentis.


CAP. XV.



HAEc imago multorum alijs nationibus inuisorum instrumentorum glaciem calcandi, perforandiq; formam demonstrat: sine illis enim impossibile est tantam soliditatem penetrare, ut saxea illa durities excauetur, pro foraminibus incidendis, diuidendis, ac piscibus extrahendis: uel in tanta lubricitate gressus, aut cursus intentandi, & producendi: quemadmodum superius lib. primo cap. 28. specialius de quolibet instrumento, & causa eius reperitur expressum: imò latius in re militari, & glacialibus bellis, quàm necessaria sunt similia instrumenta lib. 11. cap. 23. & pluribus sequentibus demonstratum est: ubi etiam qualis sit uesti-

tus militum armatorum in uehementissimo gelu, & longissima nocte, cum similibus ad bellum requisitis, satis copiosè enarratum. Hoc autem capite sufficiat hęc instrumenta monstrasse. Horum uerò instrumentorum ad glaciei soliditatem effringendam excogitatorum, Herodianus quoque lib. 6. meminit, dicens, Rhenum & Danubium hyemis tempore frigore obduci: ac equitibus patere campi instar, & adeo rigidos, ut qui hausturi ex illis aquam sint, non tam urnas aut uasa secum, quàm secures & dolabras portare: cæsamque inde aquam sine ullo uase ueluti lapidem auferre posse.

De Piscatura equestrium piscatorum.
CAP. XVI.



MOdus hic piscandi supra glaciem, in magnis lacubus, & dulcibus aquis, ac finibus salsi maris, singulo quoque anno à mense Nouembri in finem Martij, & amplius, quoties opus fuerit, pro multitudine piscium capiendorum obseruatur. Siue enim glacies spissa, siue niue cooperta, siue clara, siue lubrica, aut prout frigore constricta sit, apparuerit, aut quomodocunque natura eam produxerit, nunquàm deest ingenium, aut uoluntas publicæ utilitati in necessarijs rebus fideliter inseruiendi. Ita frigus & æstum pariter æquo animo tolerant populi Septentrionales. Pro calcanda uerò glacie, calceis tabulatis utrisque pedibus congruentibus, ferreæ cuspides triangulares, ęqualiter in glaciem lubricam cuspidibus uersis alligantur: quo fit, ut ad omnem motum solidior figatur gressus, quemadmodum in firma terra. Si ferrum non adsit, nudis sotularibus sine cadendi formidine firmiter gradiuntur piscatores. In calceis uerò corij uncti, nequaquàm stabiliuntur pedes, propter gelu, quod corium huiusmodi illico induratum in glacialem lubricitatem cōuertit, maximè si rara nix unius noctis, aut mediæ super glaciem sit respersa: quia hæc improuisum reddit casum in momento: alta uerò, siue spissa, uestigijs solidiorem incessum & cursum permittit. Volentes igitur piscari sub glacie, duo magna foramina, latitudine 8. uel. 10. pedum, centum & quinquaginta, uel 200. passibus, à seinuicem directo distantia, aperiunt: inter quæ 30. uel 40. minora foramina, latitudine unius pedis et semis, ab utroque latere distantia 30. pedum, intermedia cōstituunt: tum per ea à primo grandi foramine immissos funes hastis longis sub glacie dirigunt, directosque ad alterum magnum foramen, extremas horum funium partes sessoribus equorum extrahendos committunt: iniunguntque, ut eò uelocius equos ad trahendum incitent, quò retia ad exitum properare uidentur, ne pisces captos se sentientes, maximè lupi, impetuoso strepitu retia frangant, & euadāt. Et sic extrahuntur plerunque pulcherrimo spectaculo, adeò grandi multitudine, et diuerso genere pisces, ut non libra (cuius usus ibi non est) sed integris plaustrorum, magnorumque uasorum mensuris diuidantur.

De Cursu glaciali pro Piscibus, uti alias pro pallio, & cur sæpius Piscatura instituitur.
CAP. XVII.

ACcidit plerūque, ut in tanta multitudine piscium, uiri iuuenes pecuniam non habentes, à piscatoribus gratiam & fauorem obtineant, quòd celeritate glacialis cursus, posita meta longissima, in lubrica glacie aliquam piscium quantitatem sta-



tem stadio completo, assequi sua fortunã ualeant. Nec eis negatur, quod honestè uel laboribus meruerant, uel alia liberalitate eisdem sit ultro concedendum. Communiter 20. uel 30. magni pisces (qui fortè totidem florenos ualerent Romæ) proponuntur eisdem lucrandi. Adhunc tamen cursum pro pallio, siue brauio, equorum & hominum, in simili casu repetendum ueniet cap. 24. ac 25. libri primi huius uoluminis. Quod autem tanto labore, & industria sub glacie sit piscandum, multiplex ratio urget, tempus scilicet propagationis piscium, quorum plura genera in asperrimo frigore oua emittunt: qui sociétate plures pisces, non naturali amicitia sibi coniunctos, sed tanquam suorum ouorum deuoratores habent. Vtilitas etiam, & necessitas publica urget, ut de abundantia piscium populo prouideatur: naturaq; piscium exigit: qui nisi glacie perforata respiracula susciperent, quotquot in flumine, uel stagno uersantur, subitò morerentur. Pisces longi miro modo impinguantur uento Septentrionali, quemadmodum lati aura Meridionali. Neq; uno solo lacu, sed ferè in omnibus tempore hyemis, fit hęc, uel similis piscatio glacialis maximè in amplioribus stagnis, ut sunt Meler, Vener, & Vether, lacus recentes: tempusq; hi demonstrãt, naturali sua proprietate, quo tutè in eis piscatio fieri non posit. Vether autem precipuè suam naturam hominibus, ne ob hoc graue aliquod periculum incurrant, significat: tempore enim resolutionis glacierum uehementissimo strepitu incipit ebullire, & à fundo commoueri, magnaq; uiolentia rumpi in paruas rimas, uel scissuras, quæ plerunq; fiunt in glacie: & has in modico temporis spatio ualde latas faciens. Licet autem tunc glacies in densitate etiamnum plus, quàm palmas 6. uel 7. habeat: tamen cooperante superiore impetu uenti, tota in plures particulas diuiditur, ita ut multi pedestres, uel equestres super ipsam existentes, sæpius submergantur, si eius naturam ignorent, aut negligant, celerrimè fugiendo ad littus, seruare uitam: uel saltem audita, & uisa horribili glacierum collisione, maiori particulæ natanti adhærere, quæ ui uentorum celerius iactatur ad littus. Inuocatione tamen Sanctorum, multi ab his periculis, ut in legendis eorum sæpissimè refertur, miraculosè liberantur.

De mirabili euentu huius glacialis stagni. CAP. XVIII.

RVricola quidam plaustrum fœni ex aduersa parte huius lacus (Italicorum milliariũ 16. in latitudine, longitudine uero 60. habentis) in aliud littus transuecturus, audiuit crepitum fieri, atq; glaciem in rimas exiguas paulatim rumpi. Quocirca intelligens naturam eius, citò uiscerum inferiorum urgente impetu, illam ruptum iri, ac fuga opus esse, ut quàm celerrimè suę consuleret saluti: relicto plaustro fœni, equis citatis uelocissimè festinauit ad proximum littus. Quod quatuor armati equites retro eum constituti uidentes, hũc celerrimè (quasi furem, aut latronem, propter eorum accessum præ nimio terrore fugientem) uelocissimeq; insequuntur, atq; in littore apprehendunt: & causa intellecta, quòd ob crepitum glaciei mox resoluendæ, secundum experientiam eius, ac nullum maleficium, aufugisset, ualde lętati sunt, se præter suam intentionem, tum etiam industriam à suffocatione liberatos fuisse. Vnde & rusticus ille eisdem in littore demonstrauit, plaustrum suum non in glacie, sed apertissima aqua natare: quod & illis periclitantibus (nisi quàm citissimè aufugissent) euenisset. Per hunc lacum qualitercunque

congelatum, ab Ostrogothis ad Vestrogothos, & è contra, solet fieri iter: sed nunquàm fortunatum equestribus turmis, qui terris illis hostilia arma meditantur inferre. Neq; etiam in uicino nemore amplissimo, Holueden uulgariter dicto, felicia auspicia senserunt, uidelicet cum Danica temeritas ibidem sæpius tentauerit uires suas demonstrare: quæ prima sepulchra eodem in loco inuenit, ne ad ulteriora tormenta procedere opus haberet. Demum hic gregario Danorum militi, Ostrogothorum exercitus prima stipendia ferro numerare consueuit.

De Piscibus Nigri fluminis ad Arcem nouam in Finlandia.

CAP. XIX.



ARX est in extremis terris Finlandiæ suppolaris, regno Suetiæ subiecta: Noua arx dicta, eò quòd miris ingenijs extructa, arte, naturaq; munita sit: nam in rotundo monte collocata est, unicum habens introitum, & exitum uersus Occidētalem partem: idq; per ratem grandibus catenis ferreis alligatam, quæ forti labore singulis diebus trochlearum beneficio, ob aquarum impetum, per noctem à custodibus Regis Suetiæ deputatis, uel feudum ibi tenentibus, ad unam partem fluminis attrahitur. Hoc castrum præterlabitur uastissimus fluuius, inscrutabilis profunditatis, ex albo lacu ortus, successiuè descendens: à fundo nigri coloris efficitur, præsertim in circuitu huius arcis, ubi omnes pisces nigros habet, & generat, non tamen ingrato sapore existimatos, ut sunt salmones, trutæ, percæ, lupi, & cæteri de genere mollium piscium. Producit etiam trebium piscem æstate nigrum, ac hyeme candidum, qui (ut Alberto libro 24. placet) in Oceano efficitur macer, & cum pedalis est, pinguedinem habet quinque digitorum: quæ sale condita, aurum ex aquis, quamuis in profundissimas deciderit, extrahit, & de fundo facit fluctuare. Tandem uerò nigrum lacum efficit, transiens per Viburgum, quemadmodum Nilus nigrum flumen facit, ubi se exonerat. Solinus cap. 37. etiam amnis atri coloris meminit, qui ab Atlante monte exit, atq; se per intimas & exustas solitudines protendit: quæ torrente perpetuo soleq; nimio, plus quàm ignito, nunquàm ab æstu uindicantur. Iordanes dicit Valamir Regem Ostrogothorum inter Scarniungam, & nigram aquam castra tenuisse. Dicit etiam Plin. lib. 31. cap. 2. in Armenia fontem esse, ex quo nigri pisces illicò mortem afferant in cibis, donec ueniatur ad fontem alueo oppositum, ubi finitur id genus piscium: quod in hoc flumine minimè formidandum erit. Petrus Martyr lib. 4. Crediti continentis, adducit riuum nigrum, in cuius ripa populi ensibus ligneis, ac sudibus præustis, & hastis oblongis in bellis utuntur, sed non sagittis.

De portentoso Citharœdo huius fluminis.

CAP. XX.

QVod autem superius cernitur imago instar citharœdi modulantis in medijs undis, portentum signat, uidelicet, quod arcis præfectus, uel capitaneus in fata subito ruet, aut è sublimibus muris negligens, & somnolentus custos (castrensi lege) moribundus præcipitabitur. Intereà aqua hæc à spectris, ac monstris omni tempore

tempore apparentibus, haud est immunis, prout Solinus supradicto cap. meminit de Atlante monte, qui lucet nocturnis ignibus, ac choris Aegipanum undiq; personatur. Audiuntur & cantus tibiarum, & tinnitus cymbalorum per oram maritimam, prout etiam superius allegatum est lib. 3. cap. 10. de fatalibus sororibus & nymphis: quod etiam Plin. lib. 9. cap. 5. ad similitudinem præsentis materiæ refert, cognitu non indignum. Dicit enim: Tiberio Principi nuntiauit Olysipponensium legatio ob id missa, uisum auditumq; in quodam specu concha canentē Tritonem, qua noscitur forma: & Nereidum falsa opinio non est, squamis modo hispido corpore, etiam in quo humanam effigiem habent. Nanq; hæc in eodem spectata littore est, cuius morientis etiam gannitum tristem accolæ audiuere longè &c. Quæ etiam sit natura Syrenum in dulci modulatione, ad decipiendum nauigantes, Philosopi conscribunt, rationesq; pro euidentia rei plures adducunt: imò & sacræ scripturæ expositores uerissima monstra eas dicunt: etiam quòd serpētes sint in partibus Arabiæ, equis cursu uelociores: quorum quidam alas habent, ut uolare posſint: morsq;, antequam læsi dolorem sentiant, apparet. Præterea cunctanti Iulio Cæsari, ostentum tale factum est, Suetonio teste: Quidam eximia magnitudine & forma, in proximo (scilicet littore fluminis Rubiconis) sedens, repente apparuit arundine canens: ad quem audiendum, cum præter pastores, plurimi etiam ex stationibus milites concurrissent, interq; eos & æneatores, rapta ab uno tuba prosiluit ad flumen: & ingenti spiritu classicum exorsus pertēdit ad alteram ripam. Tunc Cæsar, Eatur (inquit) quò deorum ostenta, & inimicorum iniquitas uocat: iacta est alea, inquit. Deniq; Plin. lib. 5. cap. 1. dicit, prope montem Atlātem esse fluuium nigrum, qui per solitudines nigri pulueris, eminentibus interdum uelut exustis cautibus, loca inhabitabilia feruore decurrit, quanquàm hyberno tempore illud per Suetonium Paulinum consulem Romanum expertum sit.

De mixtis Piscibus cum Hirundinibus.

CAP. XXI.



PRoximo libro superiore 19. cap. 29. introducta erat hæc imago super hirundinibus hyemali tempore ab imperitis piscatoribus de aquis extractis, atq; in ædes calidas importatis, & citò extinctis: nunc autem ostenditur hac figura mixtos pisces cum hirundinibus capi, multotiesq; sine auibus illis hoc modo fieri glacialem piscaturam, ita ut retibus sub glaciem missis tot pisces diuersi generis capiantur, quòd uix educentium uires sufficiant, nisi sociæ manus ad extrahendum accedant. Patroni enim lacuum aliquos sibi reseruant aquarum angulos, quasi priuilegiatos, ut ex eis, ueluti ex pecorum stabulis infalliībiliter pro uoluptate eximant desiderabiles pisces. Mergunt sæpius dulces fabarum, pisorumq; frutices, & culmos ad istos angulos, quatenus semper ea loca pisces habeant pro pascuis uberioribus, & reperiantur frequentius, cum opus sit, ibidem. Omnibus interim modis cauetur, ne uiua calx ponatur prope aquas, quia omnium piscium pestis est irremediabilis. Cauetur etiam ne quis arbores semitruncatas demergat in fundo pisculento, ne retia rumpantur: insuper ne saxa ignita proijciantur in piscinas, neq; lapides quadrangulares.

De Piſcibus diuerſorum generum.

CAP. XXII.



VAriæ figuræ piſcium præſenti capitulo atq; imagine deſignatæ, miram ac diuerſam eorum multitudinem circunquaque per Aquilonaria littora inueniri oſtendunt, quorum uſus, nomina, naturæ, & proprietates, nec apud Philoſophos, nec alias nationes, uti in præfatione huius libri dictum eſt reperiuntur: ut piſciculi forma palmam longitudine non excedens, leporinam faciem, ac ſpicula in dorſo habẽs qui quoslibet etiã magnos piſces ſolo aſpectu terret, & in fugam conuertit. Deinde piſces aculeati dorſi, inſtar ferrę, qui aſperis illis aculeis, ac pinnis acutis, antrorſum (dum nocere intendunt) admotis, omnes offendunt: & hi duo tanquam aquarum, & piſcium latrones, ubi capiuntur, uti inutiles ob ſpinas, & aculeos, ac carnem inſipidam abijciuntur. Sunt & piſces cornu in capite gerentes antrorſum, ſicuti roſtratæ, uel Liburnicæ naues, in uentre ora habentes, macilenti, & inſipidi, ob corporis macritudinem, quam incurrunt alios piſces perſequendo. Piſces præterea arcuata figura, capitis bubalini, ac ſoleæ ferreæ ſimilitudinem habentes: in uſu eſcarum plurimum frequentes, cum in grege electorum piſcium ad cibum capiuntur. Qui uero electiores ex uſitatis aliorum uocabulis reperiuntur, hi ſunt. Araneus piſcis, ſpicula in branchijs habens, quibus appropinquantes percutit: etiam in dorſo ſpinas altas, ſimiliter nociuas. Aniger bonarum, & albarum carnium, rotundus, & longus eſt, dulcisq; ſaporis. Praſmi piſces pingues, ac lati, & lõgi unius, uel duorum pedum. Borbochæ piſces fluuiatiles, & in lacubus degentes, breuiores anguillis, ſed magnis uentribus: profunda petẽtes, præterquàm in hyeme, quando ſub glacie (ut ſupradictum eſt) malleo ſtupefacti capiuntur. Carnem habent dulcem, pellem uiſcoſam, non ſpiſſam, epar magnum, rotundum, & dulciſsimum. Euoluto duodecimo anno maximus euadit, mutatq; nomen, ac ſolaris uocatur. Glanis (teſte Plin. lib. 9. cap. 43.) piſcis, qui ab Alberto claucius, & clauis dicitur, tantę eſt aſtutię, quòd auerſos mordeat hamos, nec deuoret, ſed eſca ſaltem ſpoliet, uti mugil, & uulpes marina: quod ſentiens piſcator, ſæpius hamum ſubito attrahit, ut hunc, et ſimiles uentre arripiat. Capitatus, quia caput ad magnitudinem reliqui totius corporis: & dicitur clauæ figura aſsimilari. Reor illum Gothico uulgari dici Simpa: niger, ſiue fuſcus eſt piſcis, ſub lapidibus deliteſcens, pedalis longitudinis, rubeum epar poſt coctu ram habens.

Adhuc de diuerſis generibus Piſcium.

CAP. XXIII.

CArpiones aſtutum genus piſcium, caput in fundum ne capiantur mittentes, in Septentrionalibus aquis non reperiuntur.

Gobio eſt piſciculus fluuiatilis, albus, ſed nigris maculis reſperſus, in Orientali Finlandia prope Viburgum pedalis longitudinis: idoneus cibus caſtrenſi rigori, dum ſole ſiccatus eſt.

Muræna piſcis notus, utriusq; ſexus, cũ ſerpẽte (teſte Ambroſio) coit ſibilo eius de aquis euocata: quod Alberto haud placet: extra aquã ut anguilla non uiuit. Genus murænarum triplex eſt: unum pedalis longitudinis: alterum bipedalis, quod oculata



oculata uocatur: tertium tripedalis, quòd in coctura indiget speciebus multis. De muræna Volateranus lib. 25. satis pulchra dicit. Septem stellas aureis maculis uiuæ dorsotenus habent.

Mugil piscis notus, similis lupo, cum quo æstate, ut socius, & hyeme ut hostis manet.

Mullus piscis est lati capitis longitudine 6. uel. 8 pedum, Suetiæ lacum, Meler dictum, inhabitans, Germanis VVelss dictus.

Pungius omnium piscium minimus, duas habet lanceolas, unam hinc, & aliam inde in radicibus pinnarum uentris.

Tencha cubitalis longitudinis, in multis lacubus Septentrionis reperitur, licet in parua sit ęstimatione, propter uiscosam pellem, & escam putrescentis terræ.

Prætereà compertum est sæpius mare Liuonicum, siue Finnonicum, ingredi pisces peregrinos maris Pontici. per uastissima flumina Moschouiæ, ac Russiæ descendentes, etiam à mari Caspio, quod plures specus, & subterraneos meatus habet, ut Strabo testatur. Sunt & alia genera piscium ignoti nominis & naturæ, non autem saporis, quoniam sępius capta piscantibus gratissimum comedendo saporem exhibuere.

De electione uiuorum Piscium.
CAP. XXIIII.



IN multis ciuitatibus, & oppidis Aquilonarium regionum, ea commoditas, & nobile naturæ donum existit, ut omni die nauigijs uiuos pisces diuersi generis, & saporis, etiam pro exiguo pretio habere possint: quos tamen non libra, propter multitudinem & abundantiam, sed sportulis ad æquam æstimationem à piscatoribus ciues emunt: & hoc præsertim circa pontem regiæ Holmensis fieri soluerunt, ubi uaria genera piscium æstate nauiculis, & hyeme uehiculis oblongis super glaciem, per equos in grandibus plaustris, ueluti saxa, uel ligna, in forum uenundanda apportantur: qui etiam arbitrio, non pondere emuntur: quoniam si libra emerentur, æquitas minimè obseruaretur, dum piscis mollis et uiuus idemq; congelatus uariaret pondus, ab alijs gelu haud constrictis. A frigore tamen ad mollitiem tantum aqua frigida reducũtur, non autem calida, ut suprà eodem lib. cap. 14. dictum est: quia calidum corrumpit, et frigidum resoluit. Pisces igitur congelati branchiarum rubedine, & grauitate eliguntur, etiam si ante menses quatuor uel quinq; extra glaciem fuerant, tamen in frigore sine sale conseruati. Genera uerò talium secundum uirtutem locorum, unde pisces extracti sunt, & hominum uoluptatem comparãtur, ut sunt magni, mediocres, & minores: macri, pingues, & odoriferi: squamosi, uiscosam pellẽ habẽtes, & pinnati. Ex piscibus duram carnem habentibus, eligitur minor: ex mollibus maior, ad terminum aliquem: ex locis petrosis ferè omnes sunt optimi: ex aquis dulcibus, pręsertim fluminibus, eliguntur puriores. Et hoc est iudicium Auicennæ.

Adhuc de electione Piscium.
CAP. XXV.

MArini pisces, ut Auicennæ placet, optimi sunt in petrosis, & arenosis locis habitantes, & qui contra flumina uagantur, cum plurimis exercitijs agitati sint:

sint: unde sapidiores, & saniores redduntur. Etiam electio est in illis ob escam, qua uel herbis, uel radicibus, uel sordibus enutriuntur: adeò luctatur uentris necessitas cum luxuria gulę, prout in simili Seneca meminit De naturalibus quæsti. lib. 3. de mullo asserens: Incredibilia sunt opera luxuriæ: in cubili natant pisces: & sub ipsa mensa capitur, qui statim in mensam transferatur: parum recens uidetur, nisi qui conuiuæ manu moritur. Obseruatur morientium color, quem in multas mutationes mors ipsa luctante spiritu uertit &c. Nolunt attingere, nisi eodem die captum: quò peruenere delitiæ? Ad hunc fastum peruenere delicatorum uentres, ut gustare non possint, nisi quem ipso conuiuio natantem uiderunt, oculos, antequam gulam pascentes. Ita quotidie subtilius, & elegantius aliquid excogitat luxuriæ furor, usitata contemnens. Hi itaq; non sunt ad poma dentibus, ore, uentre contenti, sed oculis quoq; gulosi. Nec Plinij uerba lib. 9. cap. 34. hoc loco omittenda sunt. Dicit enim: Iam quidem ex tota rerum natura damnosissimum uentri mare est, tot modis, tot mensis, tot saporibus piscium, quibus pretia capientium periculo fiunt. Dicit etiam eodem lib. cap. 17. mullum unum 8. millibus nummum emptum, cocorumq; pretium plus, quàm militarium equorum ascendere. Deinde: At nunc coci triumphorum pretijs parantur, & coquorum pisces. Nullusq; prope iam mortalis æstimatur pluris, quàm qui peritissimè censum domini mergit. Veruntamen uti hæc uesania, prudentum conformi sententia dudum damnata est, ita insatiabili potentum, ac petulcorum gula, ut luxuriæ comes, imo parens, ad Sybariticas delicias indies magis ac magis inuitatur. Rarissimè hac uesania uexantur principes Aquilonis, ob cœli rigorem, & animi fortitudinem, ad arma, & bella propensi. In summa tantum hic colligitur ex Plinio, & Seneca, quòd unus pisciculus Echeneis detinere potest maximam nauim, & integer sturio non potest satiare uentrem.

De Piscibus salsis, siccatis, & fumigatis.
CAP. XXVI.



Capitulum hoc de multiplici genere salsorum, siccatorum, ac fumo induratorum piscium tractat, ea præsertim ratione quod talibus cibis nutriuntur durissima illa corpora Septentrionalium populorum: in primis siccis piscibus, ut lupis, mugilibus, prasinis, borbochis, & quos Gothicè Sijck appellant: qui omnes ut strues lignorum, tum mensura cannarum, seu cubitorum, tum ponderum maiorum, ut centenariorum, millenariorum, ac eorũ quæ uulgari Gothico Schippunt appellantur, libramento communius uenundantur. Aptandi itaq; hi pisces esui humano, biduo forti lixiuio, ac uno die pura aqua, ut ad gratam mollitiem redeant, resoluuntur: deinde cocti, ac salso butyro respersi, mensis etiam Principum ut nutrimentum desiderabile & uoluptuosum, imponuntur. Posteà diuersi generis recentes pisces cum siccis alternato ordine, & festiuitate, obsonijs interpositis eduntur, præsertim in eorum symposiis & ædibus, qui luxum & felicitatem in esca reponunt. Reliqua hominum turba cœli rigore semper urgetur, ut non quàm delicata, sed quàm fortia comedat, curam habeat. Quidam pisces malleis ex robusto ligno apparatis, ante decoctionem fustigantur: quidam etiam sole, saleq; siccati, crudi tunduntur, ac manducantur: quos Siick uulgari sermone uocant: suntq; genere duplici præsertim in mari Bothnico, in quod influunt maxima flumina ex altissimis montibus Noruegianis. Fumigati pisces non infimam sortiuntur æstimationem

mationem,ut salmones,prasmi,siick,halec,murænæ,mugiles,& boctes. Salmonum tamen genus cæteros omnes præcellit,eò quòd uices omnium escarum sua bonitate supplet,tum quòd ante quemlibet potum esus gratum appetitum parat. Estq; uiatoribus grata,& parata esca:crudi enim optimum saporem habent.Idem de arengis passis,quas Germani Bucking appellant,sentiendum est:quæ satis care à Romanis emuntur,& auidissimè nullo generato fastidio(præter morem aliorum piscium)manducantur:nauigijs uerò Flandrorum per portus Hispaniarum in Vrbem quotannis,nisi bella impediant,deferuntur.Sunt & boctes, ac orches pisces fumigati,qui in esum genti Septentrionali conceduntur. Plin.lib.32 cap.2. dicit:Salsamenta omnium generum in Italia Beneuenti recentia effici constat. Pisces marinos in usu fuisse protinus à condita Roma,autor est Cassius Hemina:cuius uerba de ea re hic subijciam:Numa constituit,ut pisces qui squamosi non essent,ni pollucerent patrimonia,commentus ut conuiuia publica & priuata, cœnæq; ad puluinaria facilius compararentur,ni qui ad polluctum emerent, pretio minus parcerent,eaq; præmercarentur.

De Piscibus sale conditis.

CAP. XXVII.

SAlitis piscibus infinita gentium multitudo nutritur,ut supra hoc lib. dictum est cap.de electione piscium uiuorum, & cap. præsenti dicetur. Itidem ferè omnes qui uento siccantur,aut fumo macerantur,etiam sale,ut longius diutiusq; interni sapores illæsi permaneant,condiuntur: ac æqua æstimatione,non libra (ut dictum est)sed numero decadum,& quantitate uenundantur.Horum maximus, & necessarius usus in castrorum obsidione,& classica pugna attendi solet,quales sunt arēgæ,anguillæ,prasmi,& quos in uulgari lingua Torsck appellamus,quemadmodum superius dictum est lib.9.cap.19. de necessarijs rebus ad obsidionem tolerandam.Si quis uerò huiusmodi salitos pisces immiscendo corruptos falsificauerit,aut uasis putridis conseruādos crediderit,grauiter à fisco mulctatus restituet pretium acceptum:& tales pisces in aquam proijciuntur,uel in publico foro comburuntur.In aquam autem perrarò mittuntur ne fortè reliqui pisces boni saniq;,fame urgente his uescentes inficiantur.Integri uerò pisces infinita multitudine signo magistratus apposito ualidantur,ut in remotas terras pro lucroso quæstu in uasis ad hoc fabricatis exportentur.Et ut omnia iustè rectèq; fiant,iurati officiales,sicuti præfecti annonæ,ita & piscium,pelliumq; scrutatores ac æstimatores,sunt deputati.Cætera de piscibus petantur à Paulo Iouio,qui constanter asseritur eos amplo calamo descripsisse,sed rarò,uel nunquàm quoad saporem degustasse: uerum clarius ab Hippolyto medico Tiphernate,qui ad uiuum omnia resecando mira solicitudine,& fide bona, hoc tempore de diuersis piscium generibus scripsit, maxime de delicatioribus , huic regioni magis congruentibus , propter stomachorum imbecillitatem : mea autem scripta ut dura sunt , ita & de durissima gente agunt.

De Halece,siue Arenga.

CAP. XXVIII.

HAlec in littoribus Meridionalis Gothiæ terræ Schoningiæ,ueteri iure ad regnum Gothorum,cuius pars est(teste Saxone)spectantis,sub principio autumni in tanta multitudine plerunque capitur , & infinitis in uasis sale conditur, exportaturq; , ut sufficiat in salsamentorum genere maiori parti totius Europæ cibandæ. Congregantur enim illic super latas , longasq; ripas in do-

micilijs



micilijs,& tentorijs spatio duorum men-sium,ex omnibus uicinis nationibus di-uersæ sortis mercatores,pretio,uel rerum commutatione huiusmodi halecē emen-tes,ut nauigijs abducant.Euenit plerunq; ut leuissimo pretio comparari queat, ex maximo eius accessu,quoniam tam uasta in multitudine littoribus offertur, quòd non solum retia piscantium lacerētur,sed etiam in agmine illo bipennis,uel lancea militaris in medio piscium immissa firmetur:idq; Regio fisco maximū in lucrum cedit.Lex enim grauibus uallata pœnis,mercatoribus huiusmodi imposita est, ut ante omnia uectigali Regio soluto,ad sua abeuntes saluum conductum,siue testi monium à Regio præfecto accipiant:duas quidem ob causas, tum quòd licentia recedendi eis libera concessa sit,tum quòd ad propria reuertentes, apertis docu-mentis demonstrare queant,nemini isto in loco,ubi tam piscaturam,quàm merca turam exercuere,uiolētiam,iniuriam,uel damnum intulisse.Capitur & halec duo bus,aut tribus milliaribus ab eo loco:sed degener est in sapore, & æstimatione,ac uilip ēditur.Est etiam eodem tempore copiosissima halecis piscatura in littoribus Angliæ,& Scotiæ:quę per piscatores Flandriæ instituitur: à quibus postea sorti-tur nomen,ut Romam ille piscis delatus,halec Flandrorum appelletur. Non ta-men adeò pingue genus est piscium,licet lōgum & crassum,ob sterilem fundum & pastum minus uberem,ac undarum conflictum,quemadmodum halec Septen trionale,quod propter gratum saporem ubiq; in maiori pretio habetur.Non uide tur ex puro elemēto,scilicet aqua,semper uiuere,ut Isidoro placet,ueluti salaman-dra ex solo igne:sed pingui esca in maris fundo,ac scopulis reperta nutritur,maxi mè tempore,quo è mari littoribus appropinquat.

De natura Halecis.
CAP. XXIX.

VIsum est autori in libro De naturis rerum asserere,quòd halec est piscis mari nus,admodum paruus in Occiduo mari , quod mediterraneum est inter Britanniam & Germaniam. Cumq; unumquodq; ferè genus piscium marino-rum habeat suum tēpus,quo sit bonum & delectabile,hoc ab Augusto ad finem Octobris copiam sui præbet:gratiq; saporis tum temporis esse,cunctis qui eo ue scuntur,notum relinquitur.Recenter captus , delicatior uidetur : salsus autem in usus hominum ultra quam alij pisces(preter salmones)integer durare potest.Om nium ferè piscium solus aqua uiuit,quod Albertus lib.24.De animal. negat. Du-ctus extra aquam statim expirat,nulla mora inter aëris contactum & eius expira-tionem,quando aqua extrahitur,uisa. Oculi eius instar luminis noctu lucent in mari:imò quod magis est,huius piscis maximo motu,& reflexu uasti sui agminis, quasi fulgura & coruscationes per æquora excitata apparent, fulgura halecis com muniter nuncupata. Vbicunque super aquas in mari lumen uidet,gregatim adna tat,& hoc astu ad retia statis temporibus allicitur, quasi paratus ad capiendum,ut iussu Dei(qui dat escam in tempore opportuno)ad usum & nutrimentum infini-torum hominum rapiatur.Hyberno tempore in abdito maris ad consuetum ter-minum,usq; dum capiatur,se abscondit.Appropinquat etiam littoribus propter contemplandos ignes copiosos,ante tentoria mercatorum accensos,ueluti in mi litaribus castris.Est & halec longitudine unius palmæ in mari Bothnico uersus Thornam,quod non minus quàm ante dictum, gratissimi est saporis & nutri-mēti:atq; hoc ferè omni tempore capitur,maximè in æstate & autumno ac hyeme sub



ſub glacie. Tanta etiam (referente Alberto in lib. De animal.) multitudine poſt æquinoctium autumnale capitur, quòd funes retium ſcindere oporteat. Hic piſcis non habet inteſtinum niſi ieiunum, & ideo in uentre eius nihil inuenitur: tamen propter hoc ſola aqua haud uiuit, quemadmodum ſuperius notatum eſt. In hoc genere piſcium fœminæ uulgi æſtimatione carius emuntur, quia oua earum ſtomachum ſatiant, dum ſtato tempore à piſcibus ueniet abſtinendum: quod & ſimiliter aliorum piſcium oua, ut ſalmonum, & quos Gothi ſiick uocant, faciunt. Deniqꝫ mas & fœmina eandem afferunt utilitatē, ſale, ſole, & uento ſiccati, tanquam paratior eſca ad præſentiſsimum uſum. De halece Schoningiæ Celtes loquitur:

Oceanum Codanumqꝫ uidens, ubi Scandia diues
Haleces totum mittit piſcoſa per orbem.

De lapſu Piſcium, Ranarum, Murium, Vermium, & Lapidum.

CAP. XXX.



QVia hæc materia phyſicis rationibus, & experientia demonſtratiua (quòd fieri ſoleat) comperta eſt, ſuperuacaneum eſt, quòd in ea probanda repetantur plures cauſæ cauſarum, aut faſtidioſæ probationes. Sufficit enim hic indicaſſe, ſimilia etiam in Septentrionalibus oris contigere: & forſitan ſæpius ac frequētius ibi, quàm alibi ob nubium uiſcoſitatem, & incluſum fœtificum calorem a ſulphureis mineris (quæ ibidem infinitæ, & efficaces ſunt) aut alijs fœcundis exhalationibus excitatum. Quantum ad mures attinet, ſatis dictum eſt ſuperiori lib. 18. cap. 20. quomodo, & qualiter infinita murium multitudo de nubibus demiſſa, impinguat beſtiolas illas Hermelinas uulgariter appellatas. Ranæ ſimiliter, & uermes ſæpe è nubibus decidunt, ſicuti & piſces: imò & triticea, ac ſiliginea grana, quæ germinant uſqꝫ ad flores cœleſtini coloris, atqꝫ exinde emittunt fructum ſatis multiplicatum. Verum de his rarò contingentibus parua fit mentio in annalibus moderni temporis, uti alias maior uidetur fuiſſe facta in hiſtoria effigiata, dudum Norinbergæ impreſſa, quoniam ille liber plenus eſt eiuſcemodi portentis, aut naturæ purgamentis. Meminit Plinius lib. 2. cap. 58. Anaxagoram prędixiſſe apud Græcos, tali die caſurum ſaxum è ſole: quod ita euenit atqꝫ pro maiori portento deinceps habitum. Et ipſe quoqꝫ Plin. eodem cap. dicit ſe talem uidiſſe in Vocontiorum agro paulo antē delatum. Prioribus etiam capitulis plura adducit idem autor de uigore fulminum, ſed 56. cap. de prodigioſis pluuijs, lacte, uidelicet ſanguine, carne, ferro, lana, & lateribus coctis pluiſſe: atqꝫ ob id aruſpices cauenda præmonuerunt ſuperna uulnera; magni enim conſules occiſi ſunt.

De Piſcinis, & ſemine Piſcium.

CAP. XXXI.

SVnt etiam in Aquilonaribus terris, qui piſcinas pro ſingulari quorundam piſcium quæſtu extructas habent, quas aliquando emiſſis aquis deſiccant, atqꝫ piſcibus euacuant, ut nullo penitus relicto, eaſdem pro alio genere imponendo euacuatas relinquant: unde & reductis aquis, atque piſcibus impoſitis nouis, ſimul exoriuntur ex ſemine priorum piſcium latente in limo, ueteris ſpeciei piſces,

atq; amplius cæteris immiſsis coaleſcere deprehenduntur, Aegyptiacis Nili piſcibus non diſsimiles, qui poſt annum à ſemine ſparſo, & in limo recedente aqua relicto, acceſſu redeuntis aquæ quaſi infinita multitudine reuiuiſcunt. Quidam etiam ſemen exenterando piſces receptum, in humido loco per hyemem cuſtodiunt, ut tempore propagationis poſt uernale ęquinoctium in aquas emittant. Verum ſtatim in aquas haud proijciunt, eò quòd à piſcibus famem patientibus, ob pigritiam quærendi uictus, illico deuoraretur, prout plurimi tam malignæ naturæ ſunt, ut uel propter præmiſſam rationem, uel odium proprij germinis augendi, uel luxuriam (ut in terreſtribus animalibus dictum eſt) continuandam uorent proprium ſemen. Hoc autem tam fertile genus, niſi in tam infinita multitudine in ſtar grani papaueris, uel milij, infinito numero de uno piſce emitteretur, non poſſet coaleſcere in aquis ad ſuſtentandam humanam uitam. Cui optimè, ſed temperatè natura ſubuenit, ut ubi ſint homines uoraciores, ueluti in terris frigidis gelu cito urente & conſumente) ibi prouidit de maioribus beluis marinis: ubi uerò graciles morantur populi, piſces ordinauit tenuiores.

De differentia multiplici Piſcium, ac Piſcibus uenenatis.

CAP. XXXII.

QVoniam in hoc præſenti tractatu de uario ac multiplici genere piſcium, qui in Septentrionalibus oris maiori in copia, quàm alibi, propter frigus annexum occurrunt, egimus: antequàm monſtra marina adiungantur, etiamnum differentiam eorum longè diuerſiſsimam, quanquàm ferè omnes in aquis degant, paucis inſerendam eſſe duximus. Ac primum quidem quoddam monſtroſum genus piſcium eſt, in littoribus Noruagicis ſtupendæ magnitudinis, ſimilimum illi, quod Plinius balenam appellauit, quaternum iugerum: de quo genere in ſequenti lib. latius agemus. Quædam genera piſcium differunt ſecũdum tegumenta. Alia enim corio & pilis teguntur, ut uituli marini, hippopotami, canes marini: alia corio tantum, ut delphini: quædam uiſcoſa pelle, ut anguillę, borbochæ, capitati, tenchæ, quorum omnium ingens copia apud Septentrionales populos: quædam ſquamis, ut ſalmones, praſmi, & eius generis ſimiles, quos Plin. piſces uocat: alia aſpera cute, ut ſquatinæ (qua lignum & ebora poliuntur) paſſeres, raiæ, percæ: alia molli, ut murenæ, oculatæ, trutæ, & ſimiles. Eſtq; hæc differentia inter piſces, ut alij alibi principatum obtineant: coracinus in Aegypto: zeus, idem faber appellatus, Gadibus: circa Ebuſum ſalpa, obſcœnus alibi, & qui nuſquam percoqui poſsit, niſi ferula uerberatus. Huius uſus frequentiſsimus eſt in Septẽtrione, ac uulgari Gothico Stockfiſck appellatur. Differunt præterea piſces, quod alij ſunt plani, ut paſſeres, pectines, raiæ, rhombi, ſoleæ: alij longi, ut anguillæ congri, lamuetræ, murænæ, oculatæ. Inter planos aliud eſt genus cartilaginem, non ſpinam habens, ut oculatæ, paſtinacæ, ſquatinæ, raiæ, quæ in maxima multitudine in Septentrione ubiq; capiuntur: & huius generis ſunt, quos Gręcia bouis, lamiæ, aquilæ, raræ nominibus appellat. Tales etiam in Boryſthene flumine Ruſsiæ eſſe Pompo. Mela tradit. Piſces quidam pro diuerſitate temporis mutant colorem, ut mænæ, quæ hyeme candidæ, & æſtate nigriores exiſtunt: phycis omni anni tempore candida, uere uaria. Quidam in hoc à cæteris differunt, quod in aquis uolitant, ut hirũdo, ſanè perquàm ſimilis uolucri hirundini: item miluago, qui quoties extra aquã uolitare cernitur, tempeſtates mutantur. Trebius Niger tradit, loligines tanta multitudine ex aqua euolare, ut nauigia demergant. Piſcium quoq; genus quoddam eſt ueneno ſum, ut lepus marinus, colore tantum lepori ſimilis, qui in Indico mari etiam tactu peſtilens, uomitum diſſolutionemq; ſtomachi protinus creat: araneus æquè peſtiferus: uerũ hos duos lõgè ſuperat uenenoſiſsimus radius, qui aliàs paſtinaca appellatur

pellatur

pellatur, quoniam arbores infixus radici necat, arma ut telum perforat ui ferri, & ueneni malo. Preterea stella marina adeò est uenenosa, quòd omnia in mari contacta adurat, omnemq; cibum statim peragat. Ctesias in Armenia scribit esse fontē, in quo (ut supra eod. lib. relatum est) nigri pisces, qui in cibis illicò mortē afferunt. Horū deniq; uenenatorum piscium Seneca lib. 3. nat. quæst. meminit. Insuper pisces differunt, quòd alij animal generant, qui uiuipari ab Aristotele appellantur: alij oua pariunt, ac ouipari dicuntur. Animal, ut delphini, balenæ, & reliqua cetorum genera, quæ non branchias, sed fistulam habent: quibus adduntur pristes, bòues, ac uituli marini, quorum maximam copiam in sinu Gothico enumerauimus. Nullum ex his oua habere cernitur, sed statim fœtum, ex quo redacto in formam animal cōstat: quemadmodum homo & quadrupedes, quæ animal pariunt. Oua uerò pariunt omnes, qui squamis teguntur, ut salmones, carpiones, prasmi, mugiles, lupi, & qui candidi appellantur, & qui leues, reliquaq; genera infinita: præterquàm anguillę, qui scopulis se atterunt: ea strigmenta uiuiscunt, nec alia est earum secundum Plin. procreatio. Quidam pisces ab humanorum unguium similitudine dactyli appellati. His natura in tenebris remoto lumine, alio fulgore clarerē concessit: et quantò maiorem humorem habent, tantò clarius in ore mandentium lucent: in manibus splendent, atq; etiam in solo, ac ueste decidentibus guttis. Deniq; differunt inter se pisces, quòd alij mutuam amicitiam colunt, alij pro diuersitate temporis inimicitiam fouent. Mugil & lupus mutuo odio flagrant: conger & muræna caudas inter se prærodunt. Nigidius autor est, prærodere caudam mugili lupum, eosdemq; statis mensibus concordes esse. Amicitiam è cōtrario maximam balena & musculus inter se colunt, quando obrutis eius oculis prægraui superciliorum pondere, infestantia uada prænatans magnitudinem eorum demonstrat, oculorumq; uice fungitur. Plures piscium differentias qui uidere uelit, uideat Aristotelem 6. 8. & 9. lib. de Animalibus, & Plin. lib. 9. ac de ingenijs & mansuetudine eorum lib. 32. cap. 2. Hinc monstrorum in mari uiuentium naturas prosequemur.

LIBERI XX. FINIS.

OLAI MAGNI GOTHI ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS DE PISCIBVS monstrosis

LIBER XXI.

PRAEFATIO.



ADMIRABILE spectaculum uastus Oceanus in suo gurgite cunctis nationibus offert: diuersos partus ostendit, hosq; non tam magnitudini & comparatione syderum mirabiles, quàm forma minaces adducit, ut nec cœlo, nec terra, aut eius uisceribus, aut domesticis instrumentis aliquid abscondi uideatur, quod non adsit in sua profunditate recentum. In eo namque Oceano tam lato, supino, molli, ac fertili accremento accipiente semina genitalia, sublimi semperq; pariente natura, pleraq; esse monstrifica reperiuntur: quę perplexis, et in semet aliter atq; aliter nunc flatu, nunc fluctu conuolutis, ex se

ac alijs principijs generare formas uidentur, ut quicquid nascatur in ulla parte naturæ, etiam in mari esse nobis persuasum habeamus, & perquàm multa alibi nusquam reperibilia, ibidem inueniri. Nec solum animalium simulachra mari inesse licet intelligere intuentibus, sed uuam quoq; in eo gladium, serras, equorum capita in paruis cochleis eminere. Prętereà spongias, urticas, stellas, lamias, miluos, monachos, uaccas, lupos, erythinos, spondylos, mures, passeres, merulas, coruos, ranas, phorcos, boues, arietes, equos, asinos, canes, locustas, uitulos, arbores, rotas, cantharos, leones, aquilas, dracones, hirundines, & similes. E quibus quædam beluæ in terram exeunt, pastæq; radices fruticum ac satorum remeant: quædam Australi, & quædam Aquilonari uento hausto impinguescunt. Sunt & beluæ in mari quasi hominis figuram imitantes, lugubres in cātu, ut nereides: etiam marini homines, toto corpore absoluta similitudine, qui ascendere nauigia nocturnis temporibus uidentur: statimq; degrauari quas insederint partes compertum est, & si diutius permanent, etiam ipsę naues merguntur. Imò per fidelem Noruagicorum piscatorum assertionem addo, nisi tales capti illico dimissi fuerint, adeò sæua tempestas exurgit cum horrido planctu eius generis hominum, ac nonnullorum aliorum monstrorum, ut cœlum ruere uideatur: piscatoresq; uitæ suæ uix etiam summo labore succurrere, multò minus piscibus insidiari poterunt. Quocirca in tali casu piscaria lege cautum est, & obseruatur, ut monstrosi pisces taliter attracti, secundum figuræ uarietatem illicò abscisis hamatis funibus dimittantur. Atque his paucis à nobis adductis de uarijs piscium, ac monstrorum in mari existentium generibus non contenti, uideant latius Plin. lib. 32. cap ultimo, & Ambros. lib. 5. Hexamer.

De Piscatura periculosa in Noruegiano Oceano.
CAP. I.



PEriculosa piscatura in Noruegiano Oceano ob multiplices rationes dicitur, quia in aperto mari longissimo tractu à littore committitur. Diris tempestatibus ortis, celerrimè piscatores fluctibus obruuntur: tum fluitante mole maxima glacierum disperguntur: balenarum monstrorumq; pugna in diuersa diuiduntur: denique horribili quorūdam piscium seu monstrorum è gurgite extractorum forma, & attactu in manibus eneruantur, ac nisi eos (prout supradictum est in pręfatione) illico dimiserint, mota tempestate suffocātur. Si igitur quidam piscatorum temerarij certamine commisso cum belua, eam intra nauim (cucullati hominis formam habentis) induxerint, mox ululatu & strepitu socialium bestiarum obruti, nec hamos ad capturam piscium proijcere, nec remis laborare, uixq; uela pro fuga arripienda, nisi mōstrum dimiserint, expandere queunt. Hæc monstra etsi æquè atq; pisces electi (salpæ communiter dicti) in retibus apparuerint, tanquam inutiles eijciuntur, sed electi in naui reseruantur, magnoq; uenduntur lucro, tum in loco ubi capiuntur, tum in uicinis regnis, ac ultimis Germaniæ oris. Plura millia piscatorum in pagis extremæ regionis Noruegiæ habitant, Andanes, Trondanes, Duuanes, Gamblauick, Nyauick dictis, & alijs circumiacentibus terris apud VVardahus, idest castrum, siue Domum pręsidij totius regni. Mense Februario, & Martio, imò & Ianuario, robustis nauibus horum locorum incolę piscandi gratia à littore in altum uadunt, quantū scilicet intra biduum nauigando conficere possunt, rebus necessarijs ad uictum 20. uel 30. dierum spatio secum

secum comportatis. Locus autem, ubi frequentius hanc piscaturam exercere solent, inter Noruegiam & Islandiam situs est. Neq; hi piscatores, dum tempestates sæuiunt, in anchoris manēt, sed fluxu refluxuq; maris fluitando piscantur, donec naues sint undiq; plenæ. Sola autem eis salus in repetendo littore indicio gnomonis nautici consistit: quia per hunc ortis uentis, quo iter suum dirigant, agnoscunt. Estq; notatum, quotiescunq; extrahuntur à mari monstrosi pisces leonina, uel humana facie, & similibus, quòd semper discordiam, & bella in terris portendant.

De periculo Piscatorum, & qualitate Piscium.

CAP. II.

NEc leue periculum illis ipsis piscatoribus imminet, quando hamis attrahūt maximæ fortitudinis, molis, ac 12. pedum longitudinis pisces, ut sunt rhombi, squatinæ, & reliqui pisces alati: qui cum apparuerint ab aquis extrahendi, sæpe piscatores in mare retrahunt, nisi se funibus firmati in naui anteà præmuniant, aut mutua ope hoc in labore sibi inuicem subueniant. Qui uerò felici uento tantis maris periculis superatis, nauibus piscosis ad littora propria appellunt, pisces extractos purgatosq;, integros uel in partes diuisos, salito liquore conspergunt: sole flatibus asperrimis, frigore, atq; aëris rigore ad siccandum exponunt: tum in excelsas quasi lignorum strues componunt: quas in naues uicissim collocant, atque ad celeberrimum totius Noruegiæ emporium, Bergen nūcupatum, pro rerum commutatione, aut pretio distrahendas exportant. Et hinc uerius hoc genus piscium Bergerfisck uulgari gentis idiomare uocatur, & non Stockfisck à fuste, uel baculo ut mollior ad coquendum fiat pluries fustigatus. Non tamen uno eodemq; genere hic Bergensis piscis, sed quantitate, uel bonitate æstimatur. Nam aliud est genus longioris quantitatis, asellus dictus: cuius uentres in bicubitales ligulas instar funium abscisos, & aëre desiccatos, quasi longè delicatiores cibos Aquilonares eligere, & uendere solent, Roedscher dictos: Similiter & extremas caudas eorum piscium in magnis uasis ad quæstum, siue delicatam escam reseruant, quas Spore Germani uocant. Præterea ex uentre rhomborum etiam fiunt ligulæ cubitales uel bicubitales, sed latiores alijs, ualde pingues, quas incolæ Raff uocāt: eisq; pro pane & obsonio utuntur. Fortibus enim hominibus iste cibus conuenit, non delicatis: ferè eius saporis est, ut semē piscium induratum, Italicè Bottargi dictum: sed illæ longè pinguiores. Capitibus horum piscium loco lignorum pro cibis coquendis utuntur incolæ Noruegiæ. Capitur etiam in littoribus Noruegiæ, præcipuè in scopulis Asloënsibus, quidam piscis in maxima multitudine, Makreel dictus, sale sufficienter conditus optimus, & sine sale pessimus.

De Piscibus Islandiæ.

CAP. III.



EST & alia piscium distinctio & qualitas, qui in Islandicis aquis infinita multitudine ab incolis illius loci capiuntur, molliori scilicet carne, & longitudine ab istis, quos in superiori cap. introduximus, differentes. Præterea aselli, rhombi, uituli marini, merlusia, Gothicè Torsck appellata: inter quos balenæ, pristes, atq; alia monstra marina apparent: quorum indomabili immanitate miræ aquarū turbationes excitantur. Pisces uerò electiores ibi capti, ab

pti,ab Italis & Hispanis Marlucz,in Romam usque etiam per Hispanos,aut Lusitanos delati,appellantur.Tempus capturæ eorum est in Februario,Martio, & Aprili:piscesque capti frigidis uentis exiccantur,ac demum in apertis campis, quasi lignorum combustibilium strues compositi,per mensuras longorum cubitorum, siue cannas Italica mensura,ad plura millia mercatoribus Germanicis diuendũtur, aut pro frumento,ceruisia,panno,& similibus in rerum commutatione distrahuntur.Si uerò pondere uendendi sunt,idipsum in centenario, ac millenario numero, & æstimatione distincto fieri solet Huiusmodi pondus uernacula eorum lingua VVaagh dicitur,ueluti apud Gothos, Suecos,& Germanos Schippunt communiter appellatum(300.maioribus libris constans)in ponderando obseruatur.Gentis huius quasi melior,& maior prouẽtus est in piscibus,propter quos,ut superiori lib.10.cap.15.dictum est,fiunt maximæ nauales pugnæ inter diuersarum nationum mercatores:quia ad hanc insulam nauigaturi mercatores quæstus causa,non aliter se instruunt,quàm aliquod atrox prælium subeundum foret,ut in prælegato loco demonstratum uidetur.Præterea cum humanus hostis sufficere haud uideatur,occurrunt uastißimæ beluę instar montium in magna multitudine, nauigantibus,nisi prospexerint,periculum illaturæ.Sed his inter alia remedia per clangorem acutę sonantis tubæ succurritur: cuius tinnitum eædem beluę audiendo sufferre minus ualentes,ad gurgitem ac maris abyssum uicißim aufugiunt, prout infrà de physetere ostendetur.

De mira abundantia Butyri Islandiæ.

CAP. IIII.

IN eadem prætereà insula Islandiæ tanta butyri saliti, ob pecudum multitudinem,& pascuorum ubertatem,reperitur copia,ut non sufficientibus uasis aut tonnis,cistas uel capsas ex odorifero ligno confectas,30.uel 40. pedum longitudine,4.uerò,uel 5.altitudine, quotannis pluribus in locis repleant, atque in domesticum usum,imò & mercatorum commutationem conseruent. Piscibus enim tostis , huiusmodi butyro inunctis, loco panis frequentius utuntur: unde etiam Ichthyophagi appellati,prout inferius dicetur de structuris ex oßibus & costis marinarum beluarum.Capsæ autem huius abundantis butyri,reperiuntur in Abbatia Helgafiel gentis idiomate appellata:quæ in butyro,& piscibus siccis, quasi melioribus thesauris,est fundata, quemadmodum & duæ Ecclesiæ Cathedrales Scalholdensis,et Holensis,unà cum nobilium mansionibus plurimis,habentibus similem prouentum.Pro potu gens illa utitur exotica ceruisia, è ciuitatibus Germaniæ maritimis nauigio adducta.Præterea sunt apud eas gentes,fontes cerealis liquoris dulcedinem habentes,qui omni earum necesßitati in bibẽdo,certa etiam cum delectatione,ac sano sapore subueniunt,quemadmodum in simili refert Solinus cap.51.De Choaspi amne,inquiens:Choaspes ita dulcis est,ut Persici Reges quamdiu intra ripas Persidis fluit,solis sibi ex eo pocula uendicarint,& cum eundum foret peregrè,aquas eius secũ uectitarint.Ac cap.46.de Euleo flumine,quod ortum à Medis tam puro fluore inclytum habeat,ut inde omnes Reges non alias quàm eius aquas bibant.De ichthyophagis similibus plurima Strabo meminit, etiam Plinius,Solinus,ac alij historiam mundi describentes. Hi autem Islandenses sani,iucundi,& liberales sunt:diu sine medicina,etiam supra centum annos uiuunt:facili causa prouocantur ad arma,ac bella,quæ satis crudelia gerunt: denique tam ad pedestrem quàm equestrem expeditionem in omni euentu cuncta disposita habent, ueluti superius lib. 10. cap.15. ac alijs in locis extitit allegatum.

De hor-





De horribilibus Monstris littorum Noruegiæ.
CAP. V.



SVnt monstrosi pisces in littoribus, seu mari Noruagico, inusitati nominis (licet reputentur de genere cetorum) qui immanitatem suam primo aspectu ostendũt horroremq; intuentibus incutiunt, tum in formidinem diutius conspicientes pariter & stuporem uertunt. Horribilis etenim formę sunt, capitibus quadratis, undique spinosis, & acutis, ac longis cornibus circundatis, instar radicis arboris extirpatæ: decem, aut duodecim cubitorum longitudine, colore nigerrimo, prægrandibus oculis: quorum ambitus 8. uel 10. cubitos excedit: pupilla uerò unius cubiti, rubeum & flammeum colorem referens, qui à longè in tenebrosis temporibus inter undas, ueluti ignis accensus, piscantibus apparet: pilos, ut anserinas pennas, spissos & longos, in modum dependentis barbæ: reliquum uero corpus ad magnitudinem capitis (quod quadratum est) ualde pusillum, cum ultra 14. uel 15. cubitos in longitudine minimè habeat. Vna harum beluarum plures naues & grandes, fortissimis nautis confertas, facilime subuertit, aut mergit. Huic admirandæ nouitati idoneum testimonium perhibet longa, ac clarissima epistola Erici Falchendorff, Archiepiscopi Nidrosiensis Ecclesiæ (quæ totius regni Noruegię metropolis est) Leoni 10. circa annos salutis M. D. XX. transmissa: cui epistolæ annexum erat alterius cuiusdam monstri horrendum caput, sale conditum. Meminit etiam Plin. lib. 9. cap. 33. pectinum ungues in tenebris etiam ore mandentium mirè lucere, & dactylorum: de quibus eodem lib. cap. 61. Totum igitur caput huius beluæ, cornibus instar durissimi corij circundatum, ualde graue est, quia natura sic fortè instituit, ut citius mergatur: nec alibi maior naturæ lasciuia: lusit enim in cornibus ac armis animalium, ut Plin. lib. 11. cap. 37. testatur, & Perottus in lib. quem Cornucopiæ intitulauit.

De Physetere, & eius in nautas crudelitate.
CAP. VI.



IN genere cetorum physeter siue pristes ducenum cubitorum, seueram admodum cõsecutus est naturam: in perniciem enim nauigantium plerunq; ultra nauium antennas se extollit, haustosq; fistulis fluctus supra caput collectos ita eructat, ut nimbosa alluuie plerũq; naues fortissimas deprimat, aut maximo periculo nauigantes exponat. Nec mirũ: pristes enim (teste Vincẽtio) est belua tãtę altitudinis, ut attollens se super fluctus, ingentis colũnæ similitudinem referat: altiusq; ueluti diluuium quoddã eructans, nautas pauefacit fluctuantes: cuius calamitosæ rei testimonium Strabo lib. 15. de illo magno Nearcho bellicæ classis Alexandri Magni præfecto, affert, dicitq;: Physeterum magnitudines fluctum maximum, & accumulatum, & caliginem tãtam reflationibus excitarunt, ut quæ ante pedes erãt, conspici nõ possent. Sed cũ nauigationis duces illis ti

mentibus,& causam ignorantibus indicassent beluas esse,quæ facilè tubarum sonitu,& plausu exaudito discederent:(in quo Plinius concordat lib.9.cap.3.)Nearchus naues in fluctum egit,quà maximè arcebatur,ac tubis beluas exterruit. Illæ undas subeuntes,nauale certamen à puppi minabantur,uerum subito cessauere. Quod & nunc in Indiam nauigantes asserunt, beluarum scilicet magnitudines, quæ nec gregatim,nec sæpius se offerant,sed discedant clamore,ac tubis repulsæ. Hæc Strabo. Meminit etiam Petrus Martyr lib.1. Crediti continentis,monstri, seu immanis cuiusdam piscis,qui circuiuit biremem,caudæq; ictu gubernaculum in frusta confregit. Idem asserit,monstrum marinum integrum uirum in littore dormientem ad mare rapuisse. Hircus,siue aries(teste Volaterano lib.25.)rapacissima bestia est:quia homines & nauigia inuoluit,spiritu graui,& uehementi,quo sanè instrumento ad prædas utitur.Item aries marinus in mari(teste Plin.lib.9.cap.44.) grassatur ut latro.Et nunc grandium nauium in salo stantium occultatus umbra, si quem nandi uoluptas inuitet,expectat:nunc elato extra aquam capite, piscantium cymbas speculatur,occultusq; adnatans mergit.

De suffocatione nauium per monstrosos Pisces.
CAP. VII.



OS etiam hæc belua magnum & amplum habet,circulare, ueluti muræna,quo escam uel aquam fugit,pondereq; suo in proram,uel puppim iniecto & impresso nauim deprimit,et submergit:quandoque sola aqua(ut præmissum est) nocere non contenta,dorso, uel cauda nauim, ut minusculū aliquod uas,crudeliter euertit.Spissum,& nigrum corium habet in toto corpore,pinnas longas in forma latorum pedum,ac caudam bifurcatam latitudine 15.uel 20.pedum,qua circunuentas nauium partes uehementius stringit. Verum malignitati eius remedio occurritur opportuno,tuba uidelicet militari(ut dictum est superiori cap.)ob asperum acutumq; sonum,quem ferre haud potest: & magnis,ac immanibus uasis,seu dolijs eiectis,cursum beluæ impedientibus, siue pro lusu ei oppositis:aut ualidis tormentis,seu bombardis, quarum sono magis, quam ferreo,uel saxeo globo terretur,cum globus huiusmodi uel aqua, uel pinguedine obstante uim perdit,uel paululum uulnerat uastissimum corpus,immensa pinguedine instar ualli munitum. Paulus Orosius in uita Caligulæ asserit,anno imperij eius 5. in Theram, aut Theramnem insulam de profundo emicuisse beluam triginta stadiorum extensam spatio. Quòd autem uariæ sint beluæ uastæ, & immanes in Oceano,satis examinatum reliquit Plin.lib.9.cap.5. inquiens: Tiberio Principe contra Lugdunēsis prouinciæ littus in insula simul trecentas amplius beluas reciprocans Oceanus destituit,miræ uarietatis & magnitudinis: nec pauciores in Santonum littore. Imò & addendum erit,in Noruegiano littore frequentius,tum uetera,tum noua cerni monstra, maximè propter inscrutabilem aquarum profunditatem,uti superius lib.2.cap.12. est expressum. In profundo etiam maris multa piscium genera sunt,quę nunquàm,uel rarissimè hominum aspectibus præsentantur:quemadmodum præclari ciues Venetijs,qui in omni uita sua algam circumnatantem littori suo haud transierunt.

De inimi-

De inimicitijs, & amicitijs quorundam Piscium.

CAP. VIII.

SED neq; illa animalia aquatica à mutua infestatione sunt libera: & hoc propter quadruplicem rationem, uidelicet naturalem superbiam, cibum, coitum, & fœtum, ut infra dicetur de balena & orca, atque hic de mugili & lupo, qui mutuo flagrant odio. Lupus & muræna caudas suas mutuò prærodunt, alioquin statis mensibus sunt concordes. Polypum intãtum locusta pauet, ut si iuxta uiderit, omnino moriatur. Locustam conger timet, rursus polypum congri lacerant. Omnes autem uiuunt, etsi eis caudæ amputentur. Seneca in lib. Naturalium quæst. plurima adducit de certamine beluarum marinarum: & Alber. lib. 24. de animal. quomodo carabi ex genere cancrorum gregatim acie instructa, cum alijs aciebus generis sui pro pascuis, pullis, uel fœminis pugnãt. Multis etiam generibus piscium conuenit amicitia naturalis, ut musculo cum balena: de quo Plin. lib. 9. cap. ultimo. Alijs in magna societate uiuere, ut haleci. Quidam separantur per se, ac solitariè degunt. Multis impossibile est alios admittere socios. Quidam diligunt seinuicem, quidam non. Omnes autem piscium greges rectorem habent. Loligines pugnaturæ turmis se muniunt. De animalibus inter se semper mutuas inimicitias fouentibus, Volaterran. lib. 25. & alibi multa dicit. De multiplici etiam generatione piscium Vincen. lib. 17. cap. 141. plurima annotat. Ponit & Volaterran. lib. 12. cap. De locis nuper repertis, quod Oceani monstra speciem equorum, uitulorum, ac luporum præ se ferant, tum quod aduentu nautarum in littus exiliant. Mitem autem multorum animalium interpretationem adducit beatus Ambrosius in Hexameron lib 5. ut unicuiq; attribuat aliquid boni, quo homo se, suosq; mores emendet. Quòd uerò in mari maiores bestiæ sunt terrestribus animalibus, facit humoris luxuria, & alta profunditas, in qua & abundantia uictus est, et securitas euadendi pisces insidiantes.

De pugna Balenæ contra Orcam.

CAP. IX.



BAlena, etsi quantitate maxima, centum scilicet, aut 300. pedum longitudine, & uastissima corporis mole prædita, tamen orcam quantitate minorem, sed agilitate tam in saltu, quàm aggressu crudeliorem, sibi infestam habet. Est autem orca similitudine carinæ inuersæ, belua truculenta dentibus, quibus ceu Liburnicarum rostris secreta balenę, ac uituli eius corpus lacerat, uel celeriter aculeato dorso discurrit eam agitando, ut in uada littoraq; protrudat. Illa uerò, scilicet balena, pondere uasti corporis ad flexum immobilis, ad repugnandum astutiæ orcæ iners, in fuga unicum pręsidium collocat: licet ea fuga infirmior sit, eo quòd ignaua belua pondere suo onerata, ad uada periculaq; euitanda directore indigeat. Vnde fit, ut eam longissimus præcedat piscis, colore candidus, quem Isidorus masculum balenæ, & Plinius musculum uocat, qui ob naturalem amicitiã beneficiũ huiusmodi pręstat. Dicit enim idẽ Plin lib. 9. cap. ultimo: At è contrario amicitię exempla sunt, præter illos de quorum diximus societate, balena & musculus: quando prægraui superciliorum pondere obrutis eius oculis, infestantia magnitudinem uada prgnatans demonstrat, oculorumq;

lorumq́; uice fungitur. Ingreditur etiam arenam balena æstuante sole, ibiq́; uti uitulus marinus profundè dormit, ita ut funibus alligata sepius occupantibus cedat, ut idem Plin. eod. lib. cap. 19. dicit de exocœto, marino mure, polypo & muræna. Celetus (de quo Alber. lib. 24. de animal.) adeò graui somno opprimitur, ut manu dum dormit capi queat, quemadmodũ etiam de rosmaro, siue morso, inferius dicetur. Deniq; delphini, balenæ, & quęcunq; fistulam gerunt, quomodo edita per summa æquoris fistula dormiant, apud Aristotelem lib. 4. cap. 10. de animal. requiratur.

De multiplici genere Cetorum.
CAP. X.

MVltiplex est genus cetorum, quidam enim hirsuti, & hi maximi (ut Alber. attestatur) quatuor iugerum magnitudine: (iugerum uerò habet secũdum Plin. lib. 18. cap. 3. in longitudine pedes 240. in latitudine 120.) quidam planę pellis, hiq́; sunt minores, atque in Occidentali, ac Septentrionali Oceano capiuntur. Quod quatuor iugerum sint, Plin. lib. 9. cap. 3. & Solinus cap. 65. asserit: sed lib. 32. cap. 1. dicit Plin. cetos 126. pedum longitudinis, & 360. latitudinis in flumen Arabiæ intrasse. Quidam rictum oris habent dentatum, ac longissimum, uidelicet longitudinis 12. uel 14. pedum, ac dentes sex, uel octo, uel duodecim pedum. Duo tamen dentes canini cæteris sunt longiores, subtus sicut cornu ad modum dentium apri, uel elephantis. Hoc autem genus ceti habet os aptum ad manducandum: oculos adeò amplos, ut ambitus uniuscuiusque 15. homines sedentes admittat, imò 20. uel amplius, secundum beluæ quantitatem. Cornua præterea longitudinis sex, uel septem pedum, 250. super quemlibet oculum habet, cornea duritie, ad rigidam uel placidam, anteriorem uel posteriorem motionem, & uentilationem. Hæc simul cohærent ad oculorum protectionem tempore tempestuoso, aut cum alia eum inuaserit belua inimica. Neq; mirum, quòd tot cornua, licet satis molesta, habeat, cum inter oculos in fronte spatium est 15. uel 20. aut amplius pedum. Quantę autem magnitudinis, aut longitudinis costæ, & ossa eius sint, aut in quem usum reseruata prodesse queant, etiam pellis, caro, pinguedo, in sequentibus capitulis ostendetur. Similitudinem autem prędictæ orcę, quę lingua Noruagica Springhual dicitur, id est saltans, ab agilitate & celeritate, qua balenam urget, & eius secreta petit. Qui amplius uidere uelit, uideat Solinũ cap. 45. de delphinis Nili, quorum dorsa serratas habent cristas. Hi delphines crocodilos studio eliciunt ad natandum, demersiq́; astu fraudulento tenera uentrium subternatantes secant, & interimunt, ut astutia formidabilem beluam, scilicet crocodilum deleant, quam fortitudine nequeunt superare.

De crudelitate cuiusdam Ceti.
CAP. XI.



CVm Procopius lib. 3. belli Gothorum plurima de Totila, ac armis, & stragibus suo tempore in Italia perpetratis commemorat, uolui etiam huic proposito hoc memorabile portentum accõmodare: quòd eadem tempestate, hybernoq́; tempore, cum Byzantij, tum & in alijs locis terræmotus facti, asperiores quidam & maximi, noctuq́; omnes, atque adeò, ut qui ea incolerent loca, ruinis iam iam suspicati

suspicati oppressum se iri, ingenti formidine tenerētur, cum alias nullo affecti sint malo, tunc item & fluuius Nilus ultra 18. cubitos supra alueum ipsum ita elatus excreuit, ut sua inundatione præter solitum uniuersam irrigarit Aegyptum, quod nullo anteriori seculo accidisset. Ideoq; hominibus stuporem, & animalibus exitium intulit admirandum. Per id tempus etiā cetus quidam marinus piscis (quem Porphyrium Byzantini uocant) mirificè capitur. Hic sane circa annum iam quinquagesimum, ut Byzantinis ipsis, ita & finitimorum locorum tunc incolis infestior fuerat, non continenter, sed per temporis interualla. Nam & nauigia pleraq; ad ima depresserat, multarumq; nauium uectores ac nautas turbando, & uim inferendo longius disturbarat: cuius beluæ capiendę magnum Iustiniano Imperatori studium fuit: peragere tamen, quod ei animo inerat, nulla hic potuit arte. Sed quemadmodum in capturam hæc belua uenerit, paucis ostendetur.

De captura huius Ceti, & magnitudine eiusdem.

CAP. XII.

ERAT fortè in summa tranquillitate tunc mare, delphinorumq; grex ingens circa ostium Euxini ponti uno agmine confluebat: qui subitò ceto illo conspecto, quocunq; licuit, perfugium habuere: pars tamen maxima ad Sagaridis fluminis exitum sese ex fuga recepit. Cetus uerò in eo tum primum delphinorum aduentu, nonnullos ex his, sed improuidos equidem uorauit. Siue itaq; fame tunc detineretur, siue id ex certamine ageret, continenter, & tam diu fugientes hos insectatur, quoad tandem in continentem ex incursu delatus, nec uolens quidem, profundiori se limo immersit. Vnde quibusuis modis eruere se connitendo, nullo potuit pacto limoso è loco exolui, sed quò magis enitebatur, eò & acrius limo se immergebat. Quæ res ubi ad circumiecti loci incolas passim est perlata, concursu undiq; facto, in cetum mox irruunt, securibus undequaq;, & crebris ictibus præcidendo: neq; hoc pacto conficere beluam potuere. Funibus demum pręualidis colligatam, magna ui hominum extrahunt, & plaustris deuehendam imponunt. Cuius magnitudinē cum cura emensi, cubitis in longitudine 30. in latitudine 20. hanc esse comperibant: quam illi per cœtus partiti, ut cuiq; libuit, uel sibi sale conditam seruarunt, uel fortè depasti mox sunt. Byzantini uerò, siue terręmotu pauefacti, siue Nili inundatione insolita moti, siue ceti prodigio ducti, futura statim animo præsagire, quæ de se fortè quisq; excogitarat mortalium more: qui dum præsentibus molestijs opprimuntur, temerè contemplando quædam futura prognosticantur, prout cetum illum absumptum, à malis uindictam sumere præferebant. Strabo asserit lib. 1. uix ad Græcos balena maiorem beluam inueniri: & illa plerunq; à ualidiore uoratur.

De monstroso Pisce in littore Septentrionalis Angliæ M. D. XXXII. reperto.

CAP. XIII.

ETSI hæc monstrosa belua pro portento ab incolis illius regionis habita sit, atq; cum stupore ob insolitam magnitudinem conspecta: attamē littora Noruegiana inter Bergensium, ac Nidrosiensium ora, quasi continuum domesticumque hospitem talem beluam habent. Ideoq; locum hìc inter grandioris maris incolas obtinet, ea relatione, qua uerè descriptus erat à quodam nobili Anglicano, sub hac forma: Proiecit in arenam apud Thinemuthum, mare nostrum hoc mense Augusto M. D. XXXII. mortuam beluam molis, & magnitudinis ingentis, quæ iam magna ex parte discerpta est, remanet adhuc tamen, quantum centum

fermè



fermè ingentia plauſtra uix auehere potu-runt. Aiunt, qui primum beluam uiderunt & uti poterant diligenter perſcripſerunt, longitudinis illam fuiſſe 30. ulnarum, hoc eſt pedum nonaginta: à uentre ad ſpinam dorſi (arenis immerſam) ſpatium eſſe circiter octo, uel nouem ulnarum: certum non habetur. Nam 27. die Auguſti ipſe ibi affui fœtēte iam belua, ut uix ferri poſſet fœtor. Coniectant dorſum ipſius ad ſpatiū trium ulnarum eſſe in arena immerſum, quando quidem quotidie alluitur, & operitur fluctibus arenoſis. Rictus oris longitudo ſex ulnarum, et dimidię: mandibulæ ſeptem ulnas ac mediam continent: circuitus alicubi ulnæ unius & dimidię, alicubi minus: omnino ſicut quercus grandis eſt. Triginta coſtas in lateribus habet, magna ex parte longitudinis 21. pedum, circuitu unius pedis & dimidij: tres uentres, ueluti uaſtos ſpecus: & triginta guttura, quorum quinq; prægrandia ſunt. Habet duas pinnas: utraq; quindecim pedum in longitudine: uix poterant decem boues alteram earum abſtrahere: Palato adhęrebant quaſi laminæ corneæ, una ex parte piloſæ, qualem iam unam uides ſupra mille. Non eſt fabula Polidore, ſed res uerisſima, quamuis non omnes unius magnitudinis. Longitudo capitis à principio uſq; ad rictum, ſeptem ulnarum. De lingua uariatur: maior pars cenſet ſeptem ulnarum fuiſſe longitudine. Aiunt genitale ei fuiſſe prodigioſæ magnitudinis: membrum (inquam) maſculinum uir quidam cum dilaniaret, ferme ſubmerſus fuiſſet, in uentrem beluæ cadens, niſi coſta arrepta ſe ſuſtentaſſet. Spatium inter oculos ſex ulnas tenebat: oculi, & nares tanto corpori ualde impares, & quales bobus eſſe ſolent. Cauda bifurcata, & ſerrata, latitudine ſeptem ulnarum. In capite duo magna foramina erant, per quæ putatur beluam plurimam aquam, ueluti per ſiſtulas eiectaſſe. Nulli deniq; illi fuere dentes: unde colligitur non fuiſſe balenam: nam balenis aiunt maximos eſſe dentes: exceptis laminis aliquot corneis, quæ in ore huius piſcis erant.

De Xiphia, Monocerote, & Serra.

CAP. XIIII.



QVia & hęc belua uerſatur in Septentrionalibus aquis, meritò alijs monſtroſis ueniet adiungenda. Eſt enim xiphia ſecundum Albertum lib. 24. de Animal. nulli alteri ſimile, niſi in aliqua proportione ceto. Caput habet horridum, ut bubo: os profundum ualde, ueluti barathrum immenſum, quo terret, & fugat inſpicientes: oculos horribiles: dorſum cuneatum, uel ad gladij formam eleuatum: roſtrum mucronatum, quo naues perfoſſas, ut Plinius lib. 32. cap. 2. aſſerit, in Oceano ad locum Mauritaniæ, qui Cotta uocatur, non procul Lixo flumine ſubmergit: ubi quaſi in primo originis loco diutius conſeruatur. Littora uerò Septentrionalia plerunque ueluti latrunculi, ac noxij hoſpites damna ſemper occurrentibus nauigia perforando, ac ſubmergendo illaturi ingrediuntur. Vocantur & xiphię gladij, Siciliam attingentes, qui uenatione thynnorum, ac eorum comeſtione mirum in modum impingueſcunt: capiunturq; hoc

modo,



modo, uti refert Strabo lib. 1. Manentibus in statione frequentibus duorum remorum scaphis, speculator quidam communis supernè instat: duos singulæ scaphæ tenent: alter remigat, alter hastam habens manet in prora. Cum primum uerò speculator super eminentiam galeotæ signo indicat (beluæ uerò supra mare pars tertia eminens fertur) scapha propius appellitur. Deinde iacto manu telo, uulnus incutit. Tum euulsa sine cuspide de corpore hasta, quod telum sanè est hamatum, ut educi facilè queat, aptecꝫ infixo ei funiculo appenso, sauciata acclinat belua, donec agitata suffugiensqꝫ lassetur. Tunc in terram subducunt, aut intra scapham accipiunt, nisi prorsus immensum corpus existat: quod si in mare telum exciderit haud sanè perit. Est nancꝫ uel è quercu, uel ex abiete compactum, adeò ut querna grauitate demersum, deinde in sublime relatum facilè possit apprehendi. Contingit autem interdum & remigem in scapha per magnum galeotarum gladium uulnerari: cum instar apri beluæ uigeat impetus: asperrimè fit ipsa uenatio. Hæc Strabo. Monoceros est monstrum marinum, habens in fronte cornu maximum, quo naues obuias penetrare possit, ac destruere, & hominum multitudinem perdere. Sed in hoc pietas diuini numinis nauigantibus prouidit, cum ferox sit hæc belua, tarditas sua, quam habet maximam, præuisa, timentibus eius accessum fugam concedit. Serra belua similiter marina est, ingens corpore, caput habens cristatum, durum, sicut serra dētatum: subter nauibus natans secat easdem, ut intrante aqua mersis hominibus, eorum cadaueribus satietur. Est & aliud genus serræ, se erigens contra uelificantes: quod mox 30. uel. 40. stadijs peractis, lassum descendit in mare. Orcarum gladio dorsotenus eleuato sæpe piscatores uulnerati deficiunt: ita & loliginum tactu manum retrahunt stupefactam.

De modo piscandi Cetos, & Balenas.
CAP. XV.



QVia mira auiditate balena fertur in esum halecis, & uitulorum marinorum, tanquam piscium cæteris omnibus pinguiorum: idcircò sæpius periclitatur in scopulis arenosis, qui maris æstu, siue fluxu, atqꝫ refluxu, quasi denudati ab aquis, immersæ beluæ exitum non concedunt, ut se recipiat ad gurgitē propinquiorem: unde tanto cum impetu fortitudine caudæ laborat, quòd fossa amplissima relicta, ueluti in nido ligata (obstantibus undique arenis) enatare non possit. Hoc cum piscatoribus innotuerit, turmatim accurrūt, funibus atqꝫ anchoris fortissimis (ne æstus reditu eos euadat) intra rictum oris, atqꝫ capitis spiracula, seu branchias, bestiam hanc ligant: magnaqꝫ manu, multiplicatisqꝫ uiribus eam in littus attrahunt, uel ita constringunt, ut nulla etiam magna potentia in aquas resilire ualeat. Eoqꝫ casu feliciter arridente, diuisa præda, quisqꝫ regreditur ad alias domesticas occupationes, donec iterum occurrat similimus, uel alius optatior quæstus. Saneqꝫ in tempestatibus contingit, ut aliqua immanis belua, ui inimicæ bestiæ uulnerata, uel fatigata, seu cunctis uiribus destituta, uentorum ui ad littus proijciatur, præda ut sit occupantibus eam. Verum ubi dubitatur quòd illi rediture sint uires, gladiolos, aut grandes acutissimosqꝫ tribulos sub latus quiescentis immittunt, ut sanguine impetuoso ferri motu effluente, uita destituatur. Accidit etiam, & quidem facilius, quòd beluam in arena ad obiectum solis profundissimè dormientem, funibus & anchoris ita firment, ut in prædam uenantibus cedat.

De mira affectione Balenarum erga fœtum.
CAP. XVI.



Beati Ambrosii in Hexamer.lib.5.cap.3.trita sententia est, quòd sicuti uolatilium, terrestrium, ita & aquatilium uaria generatio reperiatur. Hincq; receptum est, quòd piscium alij oua generent, ut trutæ, lupi, & percæ: alij uiuos fœtus de corpore suo edant, ut mustelæ, caniculæ, ceti, delphini, phocæ, seu uituli marini. Qui oua generant, non nidos texunt ut aues, neque cum molestia sui nutriunt, sed aquis oua fouenda committunt: ipsaq; aqua fœtus animat & creat, tanquam blanda quædam mater animantium. Cum ergo ouum cadit, aqua quodam naturæ suæ gremio, quasi blanda nutrix illud suscipit, & animal celeri fotu reddit: continuo enim tactu parentis animatum ouum cecidit, & piscis exiuit. Qui autem uiuos fœtus emittunt, cum partus ediderint, si quid forte insidiarum terrorisq; præsenserint circa catulos suos quenquam moliri, quò tueantur eos, uel teneræ ætatis pauorem materno affectu comprimant, aperire ora, & fœtus suos innoxio dente suspendere, interno quoq; recipere corpore, & genitali feruntur aluo abscondere: atq; iterum fotu quodam eos sui caloris animare, & spiritu alere, duosq; in corpore uno uiuere, donec aut in securitatem deferant, aut corpore suo obiecto, natos suis defendāt periculis. Qui humanus affectus hanc piscium pietatem possit imitari? Ecce natura seruat in piscibus, quod rarò inuenitur in hominibus. Balenæ igitur branchias non habentes, fistulis spirant: quod in paucis animalibus inuenitur. Fœtus suos gestant cum infirmantur, & inualidi sunt: & si parui sunt, eos in ora suscipiunt. Hoc idem imminente tempestate faciunt, & post tempestatem illos euomunt. Quando propter defectum aquæ fœtus impediuntur, ne matrem sequantur, mater aquam ore receptam, instar fluuij, ad eos eijcit, ut sic inhærentes terræ (quemadmodum in superiori imagine uidetur) liberet. Adultos etiam diu comitatur. Adolescunt autem celeriter, & decem annis crescunt.

Adhuc de aliorum Piscium affectione erga suos fœtus, & pietate in suam speciem.
CAP. XVII.

Piscis Abren dictus, tempore tempestatis maris natos suos in uentre saluat, & posteà serenitate oborta euomit eos. Galalca, secundum Albertum lib.24.de Animal. animal est marinum, quod fœtum in utero uiuere sentiens extrahit, & lactat: sin autem extractum immaturum comperitur, in uterum reponit, nutritq;, donec ad maturitatem formetur. Torpedo, iuxta Plin.lib.9.cap.51. octogenos fœtus habens inuenitur: eaq; intra se parit oua præmollia, in alium uteri locum transferens, atq; ibi excludens: & circa æquinoctium parit. Est & piscis testudineæ formæ de quo Pet. Martyr 8.lib. Crediti continentis deca.3. mira refert, quòd licet sit monstrosus, mirè diligat hominem, ut permittat se ab eo aliquoties capi. Rursus asserit eodem lib. in principio, piscem esse in mari Caspio cani similem, qui dente hominem secet, & deuoret. Ad hoc etiam propositum uerba Cassiodori in ultima epistola lib.11. de pietate loquentis, non incongruè uenient applicanda. Dicit enim quorundam piscium hanc esse naturam, ut se muniant ab insidijs, & alios irretitos iuuent. Pisceus (inquit) lupus arenis se mollibus, ut plumbati lini insidias euadat, immergit:



immergit: qui ubi supradicta retia eius tergum frustra dirasérint, alacer in undas exilit, & uitati periculi gaudia liberatus agnoscit. Scarus esca pellectus, cum iunceum carcerem cœperit introire, mox ut ad se exitium suum inuitatum fuisse cognouerit, in caudam labitur, paulatim se ab angusto subducens. Quem si alter eiusdem generis cognouerit irretitum, extrema eius mordicus trahit, ut qui sibi captus non potest subuenire, alterius solatio probetur euadere. Sic & sauri argutum piscium genus à uelocitate nominati, cum se insidias nexuosas impulerint, quasi quibusdam funibus æquabiliter illigati, totis nisibus trahentes retrorsum, socios conantur liberare captiuos. Plura sunt, si talia perquirantur. Omnia enim, quæ possunt habere contraria, facilis casus absumeret, si curam propriæ salutis non haberent.

De spermate Ceti, quod Ambra dicitur, & eius Medicinis.

CAP. XVIII.



CEtus humanæ propagationis more cum balena congrediens, ob uelocitatem coitus multum sperma emittit, & resoluit, atque sic resolutum uulua totaliter non admittit. Spargitur amplè per mare in diuersis figuris, colorem cæruleum habentibus, magis tamen ad albedinem tendentibus, sibijnuicem conglutinatis: atq; à nautis solicite (ut inter nauigandum in Oceano sparsum uidi) colligitur, ut medicis purgandum uendant, qui purgatum ambram uocant: eoq; (ut Iorath autor est) contra guttas, & paralysin, tanquam præcipuo, & pretiosissimo unguento utuntur. Præterea Platearius asserit, quòd ambra sit sperma ceti, id est balenæ, & quòd calida sit & sicca in secundo gradu. Est autem alba, & si inuenitur coloris gypsei, melior est. Sophisticatur autem cum puluere ligni aloës, & styrace, musco, & quibusdam alijs. Sed hoc agnoscitur: quia sophisticata ad mollitiem facilè reducitur tanquam cera, ambra uerò integra non ita liquescit. Habet uirtutem confortandi, ualetq; cōtra syncopin, & epilepsiam. Preterea Constantius in lib graduum dicit, quòd ambra de uentre cuiusdam maximæ bestiæ egrediatur. Quidam tamen dicunt, quod in fundo maris nascatur, calida & sicca in secundo gradu existens, & frigidas naturas confortans. Auicenna asserit: Ambra (ut æstimo) est manatio fortis in mari, melior grisea quia fortis, deinde uaria, post citrina. Et adulteratur cum gypso, & cera, & ladano: nigra specie mala est. Multoties autem assumitur ex uentre piscis: qui si eam comedit, moritur. Est autem calida & sicca, & uidetur esse calida in secūdo gradu, sicca in primo. Cōfert autē decrepitis propter subtilitatem suæ calefactionis, tum etiam cerebro, sensibus, ac cordi.

De causa cur sperma animantium non sit nigrum, sed album.

CAP. XIX.

QVod sperma multam similitudinem cum unguento habeat, ut superius dictum est, inconueniens non uidetur: quandoquidem Alber. lib. 16. cap. 9. de Animalibus dicit, sperma in multis cōuenire cum substantia olei: tum etiam spissari calido in corpore animalis existens, & solui frigido, quando sub dio stat extra

corpus animalis. Causas prætereà ibidē ponit, quare sperma animalium exit spissum & album à corpore generantis. Ex calore enim interiori generatur, & adunatur in eo spiritus multum calidus, qui inspissat & dealbat substantiam eius: cum autem exierit, & infrigidatur, dissoluitur calor, qui est in eo, & euolat cum calore spiritus: sed hoc accidit spermati, quando infrigidatum incipit desiccari. Præterea, quòd quidam dicunt sperma elephātis esse nigrum, ut carbo, propter terreum in ipso contentum, & per consequens magna generari ex eo ossa in corpore elephantis, &c. arguit Albertus eodem loco impossibile: sed necessarium esse, quòd sperma unum ad naturam animalis sit magis terrestre, quam aliud secundum diuersitatem complexionis animalium. Sperma tamen animalis, cuius corpus est terrestre, efficitur terrestre, & album, & spissum, propter aëris admixtionem, sicut et alia spermata. Neque Aethiopis sperma nigrum est, cum deprehenditur dentes eorum esse albissimos. Causa enim albedinis spermatis est spumositas ipsius, quæ spuma est albi coloris, præcipuè illa, cuius substantia est ex partibus paruis, uentosis, & ampullis minutissimis latentibus. Similiter accidit mixtioni aquæ, & olei, fortiter factæ. Sperma autem esse butyrosum & spumosum, antiqui fabulantes non ignorabant: quandoquidem deam coitus Venerem, quæ cupidinem lactat, dixerunt natam esse de spuma testiculorum. Qui autem hac ratione Alberti haud contentus, meliorem cum in his, tum in alijs (si possit) indagare uoluerit, liberum ei relinquitur.

De pinguedine, carnibus, ossibus, & corijs Cetorum, ac similium animalium.

CAP. XX.



CEtis, seu balenis è mari piscatorum arte, ingenio, & magno labore extractis, siue ui uentorum ac tempestatum, aut inimicorum piscium furia littoribus impulsis, incolæ prædā securibus, & ascijs partiuntur, ita ut ex unius balenæ, siue ceti carne, pinguedine et ossibus, 250. uel 300. plaustra repleri possint. Carnem et lardum in multis, & magnis uasis, inter cæteros immensos marinos pisces sale condiunt, eaq́ pro commoditate, & esca domestica utuntur, alijsq́ ad eum usum uendunt in remotas orbis partes deferenda: Pinguedo, uel adeps ceti, magna est in toto corpore, sed maxima in capite circa cerebri medullam: unde quandoq́ 12. lagenæ, quarum quælibet uix ab uno homine portari potest, quādoq́ 30. uel 40. huius pinguedinis plenæ (quęlibet Barile Romanū magnitudine sua superans) per totidem uiros fortes uix portatu idoneæ extrahuntur eliciunturq́. Vtilitas uerò huius saginæ ea est, ut lampadibus infusa, & aucta semper, ad altaria, siue alia loca sacra, tam noctu, quàm interdiu continuò lumen administret: priuato etiam usui, ac domestico, cum in hyeme nulli ibidem dies sint, plurimum deseruiens. Ossa pretereà eius minora defectu lignorum domestico foco adaptantur: imò & aliorum piscium capita, uti etiam Solinus cap. 25. gentem Neurorum ponit, quæ ossibus adolet ignes focorum. Adest & assertio Volaterrani lib. 25. qui pro miro adducit, Scythas animalia, & Tylenses loco lignorum pisces comburere: quod in Septentrione ultra Nidrosiam non est, quia ibi (lignis ob frequentes tempestates haud crescentibus) continuò comburunt ossa piscium in maxima multitudine (ut supra dictum est) captorum. Ex corio denique balenæ fiunt balthea, loculi, tractorij funes pro usu campanarum, diu durātes: imò partita

pelle



pelle unius beluæ, 40. homines ex ea uestiri queūt, quemadmodum Solinus cap. 67. refert de Chelonophagis, qui corijs piscium uestiuntur. Dicit & autor libri De nat. rerum, quòd in mari Occidentali pisces sunt, ex quorum pellibus homines ampla, & pulchra faciunt sibi uestimenta, prout suprà de multis generibus pellium est ostensum. Item Paulus Diaconus de corio bisontis meminit, quòd in eo 15. uiri unus iuxta alium cubare potuerint.

De multiplici usu, & medicina pinguedinis Cetorum.

CAP. XXI.

NAutæ hac præcipuè utuntur pinguedine ad nauium tabulas foris inungendas, ne in horrida, siue asperrima hyeme, glaciales aquæ nauibus submergendis adhereant, aut congelentur, quia aquarum constrictionem prohibet, prout superius lib. 11. cap. 23. & lib. 12. cap. 11. fuerat ostensum. Aurigæ etiam necessarium eius usum sibi uendicant in rotis curruum perungendis: imò & pellium præparatores, ut etiam superius dictum est de pinguedine uitulorum marinorum. Nec Plinius libro 32. capite 1. eius usum Arabis deesse asserit, sicuti nec aliorum piscium adipis, in camelis perungendis, ut asili ab his fugentur odore. Pulmone marini piscis si fricetur lignum, ardere uidebitur sicut oleum: unde & ex quorundam pulmonibus oleum fieri consuetum est. Adeps marinorum, ac fluuiatilium piscium liquefactus, oleo, & melle admixto, oculorum claritati confert. Est et Auicennę opinio, quòd adeps piscis confert aquæ oculi, ac acuit uisum cum melle. Dioscorides asserit, quòd adeps piscium fluuiatilium melle mixto, solutus in sole, caligines oculorum detergat. Demum Plin. lib. 15. cap. 7. dicit ichthyophagos ex piscibus oleum factitium ad plurimam rerum utilitatem exprimere.

De structuris ex ossibus Cetorum.

CAP. XXII.



FActa mētione quàm maxima sint corpora cetorum, siue balenarum, in capite, dentibus, oculis, ore, cute, ossa locū exigunt, ut & suam inueniant declarationem: quæ talis est: Cum uehementia frigorum in extremis partibus Septentrionis, & ualidæ tempestates ibidem haud sinant in altum crescere arbores, è quibus erigi possint necessariæ ædes: ideò prouida natura incolis prospexit, ut ex ingentissimis beluarum costis fabricare ualeant domos, & reliqua necessaria in eisdem. His enim beluis marinis ad littora tam inimica ui aliarum bestiarum appulsis, quàm uenatione hominum frequenti attractis, ut illic incolarum præda fiant, uel putredine consumantur, certum est ex eis relinqui talia, tamq; uasta ossa, quòd ex his integræ habitationes, tum quoad parietes, portas, fenestras, tecta, sedilia, tum etiam quoad mensas, confici queant. Hæ enim costæ 20. 30. aut plurium pedum sunt: præterea spinæ, spondyli, atque uasti capitis bifurcata ossa haud paruam in se quantitatem habent: quæ omnia artificum industria ita serris & limis aptantur, ut faber lignarius adhibita ferrea iunctura compendiosius nihil extruere posset. Meminere similia Plin. lib. 9. cap. 3. & Strabo lib. 15. qui in

hunc modum hæc de re loquitur: Ichthyophagorum regio in India secus mare est, & magna ex parte arboribus caret, raritas in ea palmarum. Deinde: Vescuntur piscibus, tum ipsi, tum eorum pecora: & aquas pluuiales, aut fossiles potant: pecorum carnes piscibus præbent: domicilia ex ossibus cetorum, & ostreorum conchis magna ex parte faciunt. Nam trabium, & fulcrorum usum costæ præstant, portas maxillæ: ex uertebris fiunt mortaria, in quibus pisces subiguntur ad solem assati: posteà ex his panem conficiunt frumenti paululum admiscentes. Hæc Strabo.


Adhuc de externis exemplis huiusmodi structurarum.

CAP. XXIII.

ASserit Plinius lib. 9. cap. 3. dicens: Gedrosos, qui Arbin amnem accolunt, Alexandri Magni classium præfecti prodidere, in domibus fores maxillis beluarum facere, ossibus tecta contignare, ex quibus multa quadragenum cubitorum longitudinis reperta. Sunt etiam qui spinis dorsi huius beluæ, seu uertebris concauatis, uelut mortarijs, pro speciebus conterendis utantur. Præterea Volaterranus lib. 25. dicit se uidisse anno Domini M.CCCC.XCVIII. apud uada Volaterrana repertam in littore extinctam, siue balenam, siue cetum, siue alterius generis beluam, magnitudine pedum centum, cuius dorsi uertebræ sexaginta fuere: septem ex eis Volaterras allatas: quarum quælibet equi ephippium æquabat. Sunt & testudines in Taprobana insula, quarum tanta est magnitudo (teste Solino cap 66.) ut superficies earum domum faciat, & numerosam familiam non arcte receptet. Et idem cap. 47. inquit: Ioppe oppidum antiquissimum orbe toto, utpote ante inundationem terrarum conditum. Id oppidum saxum ostentat, quod uinculorum Andromadę uestigia adhuc retinet: quam expositam beluæ non irritus rumor circumtulit: quippe ossa monstri illius M. Scaurus inter alia miracula in ædilitate sua Romæ publicauit. Annalibus nota res est. Mensuræ quoque ueracibus libris continentur, scilicet quòd costarum longitudo excesserit pedes 40. & excelsitas elephantis fuerit Indicis eminentior. Porrò uentriculi spinæ ipsius, latitudine semipedem sunt supergressi. Hęc Solinus. Horum quoque ossium in eundem modum Plin. lib. 9. cap. 5. meminit. Sunt denique maxima cetorum ossa in scopulis Islandiæ, & Noruegiæ, in quibus tanquam saxis naufragia fiunt.

De Domibus ex erectione integrarum costarum.

CAP. XXIIII.



EXesis igitur, ac dissolutis carnibus, & intestinis huius uastissimę beluæ, sola ossa remanent in modum magnæ carinæ, quæ demum imbribus, & aëre purgata, uiribus hominum ad hoc uocatorum, instar domus erigitur: tum industria constituentis patroni, fenestris in culmine tecti, uel lateribus beluæ collocatis, in plures & commodas habitationes diuiditur: ianuæque fiunt ex corio eiusdem beluæ, longè prius ad eum, aliumque usum extracto, atque uentorum asperitate indurato. Separatim etiam intra hanc carinam, quasi domum erectam, distinguuntur cameræ pro porcis, & alijs

alijs animalibus,more aliarum ædium lignearum:relicto semper sub culmine huius structuræ loco,pro gallis quasi horologijs,ut homines nocte(quę ibidem hyeme continua est)ad opus excitentur. Dormientes inter has costas non alia insomnia uident,quàm si continuè in fluctibus marinis laborarent,aut in tempestatibus ad naufragium usq; periclitarentur,prout in simili superius lib.18.cap.8. de gulonibus extitit declaratum. Refert etiam Plin.lib.11.cap.37.maxima animalia aquatilia habere pectora carinata,atq; costas multas pulchro naturæ ordine distinctas sicuti in alijs animalibus terrenis:ut sunt homini octonæ,suibus denæ, cornigeris tredecim,& serpentibus triginta.

De anchoris dorso Ceti impositis.
CAP. XXV.


HAbet etiam cetus super corium suum superficiem tanquam sabulum, quod est iuxta littus maris:unde plerunq; eleuato dorso suo super undas, à nauigantibus nihil aliud creditur esse,quam insula.Itaq; nautæ ad illum appellunt,& super eum descendunt,inq; ipsum palos figunt,naues alligant,focos pro cibis co quendis accendunt:donec tandem cetus sentiens ignem sese in profundum mergat,atq; in eius dorso manentes,nisi funibus à naui protensis se liberare queant,submergantur. Hic cetus(ut superius de physetere,& priste dictum est)aliquando fluctus haustos ita eructat,quòd alluuie nimbosa plerunq; classem nauigantium deprimat:& cum in mari tempestas oritur,se super fluctus attollit,ut in his commotionibus,ac turbinibus naues mergat. Arenas aliquando dorso sustollit,in quibus ingruente tempestate(ut libro De nat.rerum habetur) nautæ, terram se inuenisse gaudentes,anchoris demissis falsa firmitate quiescunt, ac ignes accensos belua sentiens,subitò commota se in aquas mergit,hominesq; cum nauibus,nisi anchoræ rumpantur,in profundum attrahit. Quòd uerò nauigantibus terra apparet cetorum ac balenarum immensitas, Ambrosius in Hexame.lib.5.cap.11.fidem facit. Dicit enim: Cetus est piscis infinitæ magnitudinis,qui si quando supernatat fluctibus,annatare insulam putes,montes altissimos summis ad cœlum uerticibus eminere:qui non in acta,nec in littoribus,sed in Atlantici maris profundo fertur uideri,ut eius conspectu nautæ à nauigandi in illis locis præsumptione reuocentur,nec secreta elementorum adire supremæ terrore mortis usurpent. Idem eod. lib.cap.10. Cete illa immensa genera piscium,æqualia montibus corpora. Et paulò ante: Vltra terminos orbis terrarum mare norunt,quòd nullæ interpolent insulæ,nec terra aliqua interiaceat,uel ulterius sit posita. Illic igitur, ubi diffusum late mare omnem spectandi usum,utilitatis gratia nauigandi intercludat audaciam, condere se feruntur. Deinde: Habent suas regiones & habitacula distributa, manent in his inoffenso uicinorum limite,nec uago transitu mutationes quærunt locorum,sed tanquam patrium solum diligunt,& in his immorari dulce arbitrantur. Hæc Ambrosius. Meminit & Strabo lib.16.in uerbo Dracones magni, quòd super eorum dorso in Libya herba innascatur.

Adhuc de magnitudine eiusdem Ceti.
CAP. XXVI.

IN ceto(ut autor est Iorath) magis terrestris, quàm aquea dominatur natura: quando enim senescit,radices,frutices,& arbusta super se colligit,quæ crescũt super ipsum , & multiplicantur . Vnde beatus Hieronymus inquit, cetos & testudines tanta magnitudine eminere,ut nauigijs anchorarum stationem capiendis instar insularum sufficiant. Confirmat etiam hoc præsens propositum diui Brendani Britãnię Pontificis marina peregrinatio in septenniũ usq; deducta, atq;

in catalogo Sãctorum commemorata, quòd uidelicet ipſe cum ſuis ſocijs piſcem ingentem, nomine Iaſonem, inuenerit: in quem, inſulam eum eſſe ſibi perſuadentes, deſcenderunt, ignemq́ʒ accenderunt: dumq́ʒ piſcem ſe mouere ſentirent, ad nauim repentè fugiendo uix uitam illo ſe continuo mergente ſeruarunt. Præterea iuſſu Brandani piſces ſuper undas ſe leuarunt, uoceq́ʒ tonante Deum laudauerũt. Verum ne temerario iudicio cuiuſuis talia tanquam uero haud ſimilia refutentur, attendere ad Platonem oportet dicentem, Non eſſe à nobis calumnianda, quæ libris ſacrorum delubrorum conſcripta referuntur: prout Alber. lib. 23. de phœnice aue Arabiæ allegat. Cetus non comedit ut alij piſces, manducando ſcilicet, cibũq́ʒ dentibus comminuendo: ſed tantummodo glutiendo intra uentriculum piſces immittit. Habet enim oris meatus ſtrictos ad piſces abglutiendos, quos odorifero anhelitu attractos deuorat, et in uentrem mittit. Habet inſuper in gutture quandam pellem membranæ ſimilem, quæ multis meatibus perforata, non ſinit quicquam, niſi minutum, ingredi uentrem. Meminit demum Strabo lib. 16. Eratoſthenem tradere, ſe uidiſſe cetum in littus de mari eiectum centum & quinquaginta cubitorum longitudine. Eſtq́ʒ notatum, quòd quando cetus, ſeu balena ludit ſuper aquas, grauiſsimas indicat aduenire tempeſtates.

De porco monſtroſo Oceani Germanici.
CAP XXVII.



DIctum eſt ſuperius eodem lib. cap. 13. de monſtroſo piſce reperto in littoribus Angliæ, cũ clara deſcriptione totius corporis, & ſingulorum membrorũ eius, quòd ſcilicet M.D. XXXII. ibidem uiſus ſit, & ab incolis in prędam raptus: nunc autem ad memoriam reducetur monſtroſus ille porcus, qui M.D.XXXVII. poſteà anno, in eodem Germanico Oceano repertus eſt, totusq́ʒ in omnibus ſuis partibus portentoſus uiſus. Habuit enim porcinum caput, quartam lunę partem in occipite, quatuor pedes draconis, duos oculos ab utroque latere in lumbis, tertiũ in uentre ad umbilicum inclinantem, atq́ʒ in poſterioribus caudam bifurcatam inſtar uſitati piſcis. Facta eſt eo tempore in urbe Roma interpretatio, & imprimendo publicata, quid ſingulę illius beſtię partes portenderent, uidelicet hæreticos porcinam uitam plerunq́ʒ agere. Per lunam in occipite immutatio ueritatis, quæ non in fronte, ſed in occipitio porci exiſtit, ſignificatur. In lumbis ac uentre, oculi ſcandalis pleni ſunt: ideoq́ʒ amputandi. Per pedes denique draconis quatuor mortalium affectus, & operationes peruerſiſsimæ indicantur, à quatuor angulis orbis terrarum malitiosè irrumpentes, inq́ʒ piſce præcipuè tanquam curioſo inſidiatore apparentes. Vtcunq́ʒ igitur ſit de hoc prodigioſo porco, meritò hic infelicis huius æui impuris hominibus proponi poterit, ut per eius ſimilitudinem monſtroſos mores horreant, uirtutesq́ʒ ac benignitatem amplectantur. Certum eſt porcum marinum prędandi artem, & ſeuitiam multum truculentam probè nouiſſe: ferociorq́ʒ exiſtit, quando uitulum marinum tanquam ſocium in omni præda aggredienda ſibi adiunctum habet. Autor deniq́ʒ libri De natura rerũ concludit, quòd potentiores & ualidę beluę, ſemper imbecilliores & debiliores deuorent, uti in trito prouerbio Gothico fertur, Maiores fures minores plerunq́ʒ ſuſpendere.

De Ro-



De Rosmaro, siue Morso Noruagico.
CAP. XXVIII.



NOruagicum littus uersus loca ad Septentrionem magis uergentia, maximos ac grandes pisces elephantis magnitudine habet, qui morsi seu rosmari uocantur, forsitan ab asperitate mordendi sic appellati: quia si quem hominem in maris littore uiderint, apprehendereq; poterint, in eum celerrimè insiliunt, ac dente lacerãt et in momento interimunt, ueluti alius quidam truculentas piscis Tiburonus dictus, qui à profundis cauernis Caspij maris in Oceanum Scythicum discurrit, & post aliquantulum tempus ad id reuertitur, ut Pet. Martyr lib. 8. Crediti continentis in principio refert. Rosmari itaq; hi pisces, siue morsi dicuntur, caput habentes bouinæ figuræ, hirsutam pellem, pilosq; spissitudine ueluti culmos, uel calamos frumenti latè defluentes. Dentibus sese ad rupium cacumina usq; tanquam per scalas eleuant, ut rorulento dulcis aquę gramine uescantur, seseq; uolutando mari uicissim exponant, nisi intereà somno profundissimo oppressi, pendendo in rupibus dormierint: quoniam tunc piscatores appropinquantes quantocyus poterunt, pellem à lardo secundum caudam soluunt & in hoc, quod solutum est, funes fortissimos mittunt, eosq; in scabrosis rupibus, uel propinquis arboribus firmant: saxis deinde funda ad caput, ut excitetur, proiectis, eum descendere cogunt, maiori parte pellis funibus firmatæ spoliatum: unde debilitatus exanguis, ac semiuiuus redditur in opimam prędam, maximè propter dentes, qui pretiosi sunt apud Scythas, Moschos scilicet, & Ruthenos, ac Tartaros (uti ebur apud Indos) ob duritiam, candorem, & grauitatem: qua de causa etiam framearum manubrijs artificum excellenti industria accedẽte adaptantur. Et hoc Miechouita quoq; Polonię historicus in sua duplici Sarmatia attestatur, & Paulus Iouius post eum ex relatione cuiusdam Demetrij, à magno Duce Moschouitarum ad Clementem 7. missi.

De pelle eiusdem Rosmari.
CAP. XXIX.

PEllis, siue corium huius animalis, ut nigrum & fortissimum est, ita bono pretio emptum ad maxima leuanda per trochleas, combinandaq; pondera reseruatur, præcipuè pro campanis altarum turrium: imò & huius pellis fortitudine grauissimæ campanæ ad lignum, in quo uertuntur, ac machinæ bellicæ colligantur. Est & aliud marinum monstrum in Arcadia secundum Plin. lib. 9. cap. 19. adonis, siue exocœtus, ab eo, quòd in siccum somni causa exeat, appellatum. Hoc per maris tranquillitatem in terram se confert, ac inter rupes prostratum altè soporatur. Aues aquatiles maximè exhorret. Dormit ut balena, & uitulus marinus, in arena, solis uehementi ardore ad grauem somnum excitatum. Quod uerò superius de usu dentium dictum est, haud inconuenienter huic loco annecti poterunt duo illi dentes elephantis portentosæ longitudinis (decem enim pedes singuli continebant) de quibus Aurelianus Imp. sedem proposuit Ioui summo ædificare, si plures eiusmodi magnitudinis inuenisset, prout Sabellicus refert in uita Aureliani lib. 7. Ennead. 7. Morsorum, siue rosmarorum dentes ualde artificiosè elaborantur in usum ludi Latrunculorum, seu Schacorum, quo mirè & ingeniosè

utuntur omnes populi Septentrionales, maximè Principes & clarissimi uiri: & hoc ob plures causas, quarum una est cæteris honestior (uti superius lib. 15. cap. 12. dictum est) ut eo scilicet ludo parentes temperantiam, & modestiam procorum, qui ueniunt ad nuptiale fœdus filias petituri, explorent. Non enim eo in ludo se continere poterunt, quin suæ uirtutis & patientiæ in casibus prosperis aduersisque pro tempore, loco, et conditione fortiter tolerandis, aliquod specimen exhibeant. Dicit etiam Plato in lib. De legibus, ubi tractat gradus ebrietatis, quod nullam habemus uoluptatem commodiorem ea, quę inter bibendum ludo mores examinat, si modo prudens quædam cautio adhibeatur: ibi enim probatur utrum difficilis, aut agrestis animi sit, an uenereus, an prodigus &c. Dentes autem pisces aliqui grandes, ut balena, & hic rosmarus siue morsus, exertosque ueluti aper habent: quidam serratos, ut raiæ: quidam serratos, sed pectinatim coeuntes, ne contrario occursu atterantur, ut lucij uel lupi: quidam continuos, ut carpiones, sicuti & homines. Et ita denticulata asperitas alijs conceditur, alijs uero mordacitas cultellata.

De Piscibus alatis.

CAP. XXX.



ETsi aliquorum sententia est non prodesse piscibus, habere quatuor alas & duos pedes, aut duas alas & duos pedes, aut aliud membrum omnino ambulationi deseruiens, cum uideatur otiosum: est tamen piscis quidam duas alas membranaceas habens, qui uolat per spatium modicum, posteàque desilit in maris profundum, quem & hirundinem Plin. lib. 9. cap. 26. uocat. Pedes eius sunt sicuti auis, sed cauda caret propter uolatum, hirundini quæ in arena riparum nidificat, plurimum similis. Inuenitur etiam piscis in mari Germanico inter Angliam et Noruegiam, qui habet duos pedes et quatuor alas: quæ mouentur flexæ ad inferiora uentris & pectoris sui, sicut aliarum auium alę. Sunt autem duæ ante iuxta branchias, & duæ posterius ante caudam, suntque alæ membranaceæ, spissæ quidem ualde iuxta corpus in parte, quæ est loco adiutorij brachij, & tenuiores in parte anteriori alæ: & hanc dispositionem habent etiam alæ posteriores. Branchiæ autem istius piscis non habent fissuram uersus uentrem, uel pectus pertingentem: sed hi pisces habent branchias, quę terminantur super humeros alarum anteriorum, quatuor foraminibus quadratis, ita quòd duo sint propinquiora capiti, & duo propinquiora alæ dextræ, similiterque disponuntur branchiæ in sinistro latere. Caput autem istius piscis, color, pellis, figura corporis, ac sapor carnis, est ferè sicut piscis, qui raia uocatur. Crura autē eius sunt cartilagines sine iunctura, et subtus in pedibus habet foueas, ut fortius figatur. Cauda autem eius non est uti raiæ, sed similis caudæ aliorum piscium, nisi quod est aliquantulo longior. Denique ante caudā in loco dorsi, ubi stringitur solida pars corporis, quæ est post concauum uētris, habet & pinnam more aliorum piscium, ualde tamen magnam respectu sui corporis. Capitur hic piscis inter raias & squatinas, ut plurimum minus utilis, propter steriles carnes, & exiguam pinguedinem: uerum difficilimè è profundo fune & hamo, ob resistentiam alarum, eruitur &c. Pisces præterea quidam lati corporis sunt, qui quatuor pinnas habent, duas in uentre, & duas in dorso: & hę pinnę, quibus utuntur, alæ uocantur: quales per omnia similes habent pisces lepores marini dicti: hi enim duas pinnas in uentre habent,

bent, et duas directè super eas in latere uersus dorsum. Est etiam de supradictorum genere ludolatra animal marinum, quatuor habens alas, duas in facie, & duas in dorso, quibus magna uelocitate fertur in omnem, quem elegerit uolueritq́ locum. Miluago piscis est secundum Plin. lib. 32. cap. 2. super aquam uolitans: qua lætitiæ nota tempestatum mutationem significat, contra morem aliarum beluarum, ut sunt ceti, uituli marini, delphini, & balenæ.

De Loligine, alijsq́ alatis, ac serratis Piscibus.
CAP. XXXI.



LOligines beluæ pennatæ longitudine quinûm cubitorum, uti sagittæ extra aquam se efferunt, etiam tanto in numero, quòd naues obuiantes demergant, prout testes sunt Isidorus, & Albertus lib. 24. tum etiam Plinius lib. 32. cap. 2. Dicit etiam Isidorus, in Oceano Mauritaniæ non procul à Lixo flumine, tantam multitudinem loliginum esse, ut obuias naues ab aquis euolantes nedum molestare, sed & mergere possint. Vnum hoc omnibus, qui ab his molestantur, plurimum prodest, quòd ultra biennium haud uiuunt, quemadmodum Aristo. lib. 5. De animal. cap. 18. tradit. Hoc tamen genus loliginum est de lacertorum genere, miramq́ in magnitudinem crescit. Plin. lib. 32. cap. ultimo loliginem uolitantem uocat. Prætereà ibidem marinorum piscium multa, miraq́ nomina, ac naturas refert, scilicet caniculas, dromones, cornutas, gladios, serras, acipenseres, auratas, asellos, acarnes, aphyas, alopeciades, araneos, boctes, bates, banchos, batrachos &c. Idem autor lib. 9. cap. 44. de ariete marino loquens asserit: Grassatur aries ut latro: & nunc grandium nauium in salo stantium occultatus umbra, si quem nandi uoluptas inuitet, expectat: nunc elato extra aquam capite, piscantium cymbas speculatur, occultusq́ adnatans mergit. Idem eodem lib. cap. 27. Draco marinus captus, atq́ immissus in arenam, cauernam sibi rostro mira celeritate excauat. Pectûculus sicuti loligo uolat, imò et sagittæ modo festinat. Demum aculeato pisce digitus, uel manus tacta illico incurabiliter intumescit, cui solummodo fortè acetum succurrere uidetur. Sed caniculæ marinæ morsus maximè periculosus est in ipso attractu, quo se eximere solet atq́ hominem secum attrahere in mare deuorandum.

De periculis Nautarum, infestatione maximarum beluarum, auium, & minimorum pisciculorum.
CAP. XXXII.



CErnuntur in hac suprapositâ imagine tria spectacula trepidantibus nauarchis satis formidolosa, infestatio scilicet nautarum à grãdibus balenis eructantibus haustas fistulis aquas in nauim, uolucribus innumeris, ac minutissimis pisciculis retinentibus naues. Primo periculo subuenitur proiectione magnorum uasorum uel aspersione lixiuij ab omni parte nauis ex castoreo confecti, uel alto clangore tubarum

barum: secundum à coturnicibus auibus illatum, ardentibus faculis cõtra alitum alas extensis remouent: tertium, quia subtus in undis latitat, nũquam uel rarò eius euitandi facultas datur, quòd minimum corpore, sed maximum naturæ potentia hostem, semipedalem scilicet pisciculum, echeneidem, uel remoram dictum supe rare nequeant: qui ex eo secundum Isidorum nomen sumpsit, quòd nauem adhæ rendo retineat. Ruant licet uenti, sæuiant procellæ, nauis tamen quasi radicata in mari stare uidetur, nec moueri, nõ retinendo, sed tantummodò adhęrendo. Hunc Latini moram appellauerunt, eò quòd cogat stare ipsa nauigia. Dicit etiam Ambrosius lib. 5. Hexam. cap. 9. Echeneis est animal in mare exiguum, uile, & despica bile. Hic tamen cum uentorum procellam præsenserit, calculum ualidum arripit, eumq; uelut saburram uehit, & tãquam anchoram trahit, ne excutiatur fluctibus. Itaq; non suis se librat uiribus, sed alieno stabilit & regit pondere. Stabilimentũm præterea dat alijs, quod sibijpsi pręstare non potest: sibi enim de lapillis mendicat, quod nauibus abundanter tribuit. Talibus itaq; minusculis creaturis illuditur ho minum impotens superbia, ut Plin. lib. 32. cap. 1. clarius asserit: Heu uanitas huma na, cum rostra illa nauium ere ferroq; ad ictus armata, semipedalis inhibere possit, ac tenere deuincta pisciculus. Fertur Actiaco Marte tenuisse prætoriam nauim Antonij, properantis circumire, & exhortari suos, donec transiret in aliam. Ideoq; Cæsariana classis impetu maiore protinus uenit. Tenuit & Caij Principis nauem ab Astura Antium remigantis, etiam auspicialis pisciculus. Siquidem nouissimè tum in Vrbem reuersus ille Imperator, suis telis confossus est. Nec longa fuit illius moræ admiratio, statim causa intellecta, cum è tota classe quinqueremis sola non proficeret, exilientibus protinus qui id quærerent circa nauim, inuenere adheren tem gubernaculo, ostenderuntq; Caio, indignanti hoc fuisse, quod se reuocaret, quadringentorumq; remigum obsequio cõtra se intercederet &c. Et hoc quidem adhęsione semipedalis pisciculi factum est, ut nauis 200. aut amplius pedum cum omnibus suis armamentis, ac ponderibus retineretur, nullam aliã ob causam mihi planè persuasum habeo, nisi quòd Deus mirabilis in creaturis suis glorificaretur. Pisciculus autem ille comedi non potest, quia infert mortem. Dicunt deniq; Soli nus cap. 18. & Plin. lib. 10. cap. 23. nautis infelix satis omen ex coturnicibus immine re: quippe noctu è transmarinis partibus in tanto sępe agmine uenire, ac uelis insi dere, ut nauigia mergant. Atq; ita infertur, hominibus paratos esse hostes in ęthe re minusculas coturnices, in terra feroces bestias, in aqua permaximos cetos, & despicabiles semipedales pisciculos, potentissimas naues retardantes.

Adhuc de Echeneide ex testimonio Cassiodori libro primo.
CAP. XXXIII.

THeodericus Rex Gothorum arguens moram apportantium annonam in maxima tarditate, scribit Fausto pręposito in hunc modum: Cum siccitas pręsentis anni, quę localiter certis solet desęuire temporibus, terrenis uisceribus nimio calore duratis, abortiuos messium fœtus non tam edidit, quàm imperfecta ubertate proiecit: maiori nunc studio quærenda sunt, quę etiam in abundantia experi consueuerunt. Et ideò frumenta publica, quæ de Calabro, atq; Apulo litto ribus per cancellarium uestrum æstatis tempore consueuerant destinari, nec autumno uenisse, modis omnibus permouemur: cum solis reflexus Australia signa discurrens, naturæ ordine modificatus, tumultuosas procellas aëris permistione resuscitat: quod ab ipsis quoq; mensibus datur intelligi, quando ex numero imbrium futurorum competenter nomina susceperunt. Quæ ergo talis mora, ut in tantis tranquillitatibus uelocia necdum fuerint destinata nauigia? cum stellarum non mergentium lucidum sydus tendi carbasa festinanter inuitet, & aëris sereni fides



fides properantium nequeat uota terrere. Aut fortè incumbēte Austro, remigijsq; iuuantibus meatus nauium echeneis morsus inter undas liquidas alligauit: aut Indici maris conchæ simili potentia labijs suis nauium dorsa fixerunt: quarum quietus tactus plus dicitur retinere, quàm exagitata poßint elementa complere. Stat pigra ratis tumentibus alata uelis, & cursum non habet, cui uentus arridet: sine anchoris figitur, sine rudentibus alligatur: & tam parua animalia plus resistūt, quàm tot auxilia prosperitatis impellunt. Ita cum subiecta unda præcipitet cursum, supra maris tergum nauigium stare constat infixum, miroq; modo natantia inconcusse retinentur, dum innumeris motibus unda rapiatur. Sed ut dicamus aliam piscis naturam, fortè nautæ prædictarum nauium torpedinis tactu segnißimè torpuerunt: à qua tantum insigentium dextræ prægrauantur, ut per hastam, qua fuerit uulnerata, ita manum percutientis inficiat, quatenus uiuæ substantiæ pars sine sensu aliquo immobilis obstupescat. Credo talia incurrerunt, qui se mouere non possunt. Sed echeneis illis impedimentosa uenalitas est: concharum morsus, insatiata cupiditas: torpedo, fraudulenta simulatio. Ipsi enim studio prauo faciunt moras, ut occasiones incurrere uideantur aduersas: quod magnitudo tua, cui specialiter conuenit cogitare de talibus, celerrima faciat emendatione recorrigi: ne inopia non tam à sterilitate temporis, quàm à negligentia matre nata esse uideatur. Alias huius Theoderici uitam habes sup. lib. 8. cap. 5. pag. 249.

De Polypis.
CAP. XXXIIII.



IN littoribus Noruegiæ polypus, siue multipes animal est, fistulam in dorso habens, qua mare transmittit, eamq; modo in dexteram partem, modò in sinistram transfert. Cæterum per brachia uelut acetabulis dispersis ac denticulatas forcipes, omne quod sibi appropinquat, inuoluit: animal carens sanguine. Quicquid comedit, aggregat in cauernis ubi manet: deinde putamina erosa carne egerit, adnatantesq; pisciculos ad ea uenatur: testas etiam & crustas cancrorum reliduas ejcit. Mutatur color eius ex lapidis colore cui adhæret, maximè accedente timore ob aspectum congri inimici sui. Habet quatuor pedes medios magnos, & in totum octo: paruum corpus, quod pedum magnitudine compensatur: aliosq; adumbratos pedes, strictos, qui uix percipi queunt. His se sustentat, mouetur, & tuetur, tum etiam apprehendit quicquid à se fuerit remotum: supinusq; adhæret saxis, ut uix amoueri poßit, nisi re aliqua fœtida admota. Polyporum multa sunt genera: terreni maiores quam pelagici: omnes brachijs, ut pedibus ac manibus (sicuti Plin. lib. 9. cap. 29. asserit) utuntur. In hyeme & uere pariunt unum ouum simile nuci, de quo solo innumeri pisces generantur, sed propter paruitatem plurimi corrumpuntur. Polypus fœmina secundum Aristotelem lib. 5. cap. 18. de animal. modo incubat ouis, modo in ore sui cubilis aßidens, brachium super ouis exporrectum tenet, excluditq; quinquagesimo die. Tempore coitus, ut ferè reliqua animalia, insipidas carnes habent, quia non pascuntur, neq; ob libidinem saturantur, & intantum uehementi coitu debilitantur, ut à paruis pisciculis deuorentur, & facilè à suis cubilibus detrahantur, cum antea nihil tale ijs usu eueniat: tum uerò paruos, nouellosq;, quamuis recens natos, nullo eiusmodi malo affici narrant, quinimò ualidiores esse, quàm grandes, confirmant. Præterea extra coitum adeò magnam fortitudinem habent, ut hominem inuadant: quod

notent Principes,ne effœminatos,uti prius dictum est,ad bella educant, quia nihil ualent in prælio. Dicunt etiam Plin.& Alber.lib.24. de animal. quod nullum atrocius animal in aquis ad conficiendum hominem naufragum,urinantem, aut natantem:sed si inueniatur,elanguescit uis. Reliqua autem huius beluæ exercitia uideantur apud Plin.lib.9.cap.30.& lib.32.cap.ultimo. Similiter et apud Alber.lib. 14.de animal.tractatu 1 cap.4. Huic etiam polypo testudo Indiana asimilatur:que cum sit longitudine octo cubitorum,& latitudine quatuor,homines tres uel plures inuadere audet,sed resupinata super latum dorsum nil potest.

De crudelitate quorundam Piscium,& aliorum benignitate.

CAP. XXXV.



HOmo apparet hic natans in aquis salsis, quem piscis de genere caniculárum marinarũ Boloma Italicè,& Haáfisk Noruagicè dictus, adeò auide turmatimq; ex insidijs adoritur,ut non tantum mortu, sed pondere etiam in profundum demergat,deuoretq; teneriora membra,nares uidelicet,digitos,& genitalia:donec superueniat raia, ut iniuriarum uindex, quæ per aquas armata naturalibus pinnis discurrit, ac quodam impetu demersi hominis grassatores abigit,eumq; ut enatet,pro uiribus urget: eatenus quoque eum custodit, quatenus spiritu penitus extincto post aliquot dies dum mare naturaliter se purgat,sursum feratur. Dicit Alber.lib.24.de animal.delphinos in aquam proiectum etiam mortuum,uel natantem hominem dorso suo suscipere, ac saluum in littus portare,si odore talem hominem carnes delphini deprehenderint non comedisse ubi uero hoc ab eo factum exploratum habuerint,si modo præsentes sint,mox de uoratur ab eis. Cernitur illud miserabile spectaculum in Noruagicis oris,quando lauandi gratia homines,exotici uidelicet nautæ periculorum & insidiarum ignari,è nauibus in undas exiliunt. Latitant enim caniculæ, siue bolomæ huiusmodi sub nauibus in anchoris manentibus,uelut aquatici arietes(de quibus suprà dictum est)ut homines rapiant naturæ malitia stimulante. Veruntamen hoc periculum urinatores stylis præacutis lineis annexis euitant,quibus arietes marinos,& has caniculas interficiũt:quia nisi his perfossi fuerint,haud recedunt. Ita sub aquis cum eis atrox oritur dimicatio. Inguina enim hominum,& calces,omnemq; candorem corporum hæ beluæ appetunt. Huius caniculæ cutis in asperitate ad expoliendа ligna & ossa,eãdem naturam cum cute raiarum habet. Vtroq; pisce uescuntur homines,licet unus crassiore carne sit altero,ut raia,quæ dentato ore,eoq; amplo sub collo,& horribilibus oculis,ore difformi & liuido,non sine piscatorum periculo capitur. Habet enim amplissimas alas,quas cum hamo attrahitur,in transuersum mittit,sæpiusq; ob suam magnitudinem piscatorem è naui extrahit,ni sociorum auxilio adiutus fuerit,uel seipsum(quod frequentius fieri solet) tunc confirmauerit,uti superius eodem lib.dictum est de periculo piscatorum cap.2.

De Spon



De Spongijs, & Vrticis.
CAP. XXXVI.



Figura hæc, quæ ut rosa cernitur, spongiæ marinæ & urticæ formam ostendit: spongia autem ualde multiplicata penes littora Noruegiæ, eius est naturæ, quòd conueniat cum cęteris animantibus in motu dilatationis & cõtractionis. Quędam uero earum immobiles sunt à saxis, & si abrumpantur à radicibus, recrescunt: quædam autem sunt mobiles de loco ad locum & hæ in maxima copia in littoribus prædictis reperiuntur. Cibantur limo, pisciculis, & ostreis. Viuentibus idem qui madentibus, nigricans color. Adhærent nec parte, nec totę: intersunt enim fistulę quædam inanes, quaternæ ferè aut quinæ, per quas pasci existimantur. Sunt & alię, sed supernè concretę. Et subesse membrana quædam radicibus earum intelligitur. Viuere constat longo tempore. Vrticæ uis & natura est, secundum Plin. lib. 9. cap. 45. ut sit pruritu mordax, ueluti urtica terrestris. Contrahit ergo se quàm maximè rigens, ac prænatante pisciculo frondem suam spargit, complectensq; deuorat. Aliàs marcenti similis, & iactari se passa fluctu algæ uice, contactos pisces, attrituq; petræ scalpentes pruritum inuadit. Deinde: Tacta uredinem mittit, paulumq; si fuit interualli, absconditur. Ora ei in radice esse traduntur: excrementa per summa tenui fistula reddi, quibus etiam inesse sensum Plin. eod. cap. arbitratur, quippè quòd nec animalium, neq; fruticum, sed tertiam quandam ex utroq; naturam habeant, urticæ uidelicet, & spongię. Aristoteles de ea lib. 4. animalium cap. 6. sic refert: Sentit, & manum admotam corripit, adhærescitq; perinde ac polypus suis brachijs, ita ut caro intumescat. Os medio in corpore continet, & de saxo quasi de testa uiuit, & prænatantes pisciculos excipit retinetq;, sicut manu admota hominis agi dictum est, deuoratq; in hunc modum, quæcunq; nacta est, esculenta. Est etiam genus quoddam urticæ, quod & echinos & pectunculos in quos offenderit, corrodit. Reliquam eius, ac triplicem spongiarum naturam Aristoteles, Plinius, Albertus, ac alij tradunt.

De Stellis marinis, & Vermibus longissimis.
CAP. XXXVII.

Stellam secundum Plin. lib. 9. cap. 60. in mari sapientia claros autores mirari uideo: cuius figura hæc est, quòd parua admodum caro eius sit intus, extrà duriore callo. Huic tam igneum feruorem esse tradunt, ut omnia in mari contacta adurat, omnem cibum statim peragat. Carnes autem marinæ stellæ contra marini draconis ictus ualent appositæ, uti refert idem lib. 32. cap. 5. Stella uerò iuxta Alber. lib. 24. de animal. piscis est in mari Occidentali, in figura stellæ formatus. De hoc dicitur, quòd igneum calorem in se habeat: quia quicquid deuorauerit, mox in uentre eius ita coctum inuenitur, sicut biscoctus panis. Hæc Albertus. Quibus sit hoc cognitum (teste Plin. loco suprà allegato) experimentis, haud facilè dixerim: multoq; memorabilius duxerim id, cuius experiendi quotidie occasio est: adeò humana calamitas (nunquàm in admirandis, & inuestigandis rebus satiabilis) causam multorum haud præstat, ut cogatur his, quæ oculis coram conspiciuntur, etiam absque aliqua ratione dare fidem. Sed hic quoque piscis inutilis hominibus est ad esum. Est prætereà in littoribus Noruagicis

uermis glauci coloris, longitudine 40. cubitorum, & amplius, uix spissitudine infantis brachij habens: lineæ modo, ita ut eius progressus difficulter percipi queat, per mare se transmittit, nemini noxius, nisi humanis manibus pressus: unde contactu tenerrimæ cutis eius tangentes digiti intumescunt. Vexatus, & detentus à cancris, tortuosum cursum euadendi gratia attentat: sed frustra. Cancer enim brachijs suis quasi denticulatis forcipibus, tum etiam pedibus ita eum stringit, ut non secus ac nauis anchora demissa, firmetur. Hunc uermem sæpius uidi, ab eius tactu nautarum informatione abstinens. Volater. tradit in uno flumine Aegypti uermes nasci septenum cubitorum, crassitudinem uix pueri decem annorum habentes. Aureum uellus est animal marinum de spongiarum genere, sed rarius, ac mollius ad modum lanæ. Lanugo eius in auri splendorem conuertitur: dilatatur et prolongatur sicut uellus, moueturq́ dum est in mari, motu dilatationis & contractionis, quemadmodum spongia: noctu lucet ut igneus globus. Sturicus animal est marinum, medium inter plantam & animal, sicut stella, quinq́ angulos habens, rubei corij, & in medio rimas, quibus attrahit nutrimentum: nemoq́ prouidus homo eo uescitur. Maxima eius multitudo est in littoribus Noruegiæ.

De Pisce, quem Noruegiani Suuamfysck appellant, maxima pinguedine eius, & alijs quibusdam Monstris marinis.

CAP. XXXVIII.



VArietas horum piscium, siue potius monstrorum, hic inserta est, ob eorum mirabilem formam, ac multifariam naturę proprietatem, cum littoribus Noruagicis inter alias beluas sæpius appropinquant: capiunturq́ propter pinguedinem, quam habent copiosam, ac abundantem. Eam namq́ piscatores, ut carnes, supra ignem coquendo expurgant, uenduntq́ ad usum corij inungendi, aut causa luminis in lampadibus, cum tenebræ continuæ fuerint, conseruandi. Occurrit igitur in primis rotunda forma monstrum, Noruagico idiomate Suuamfysck dictum, quod Albert. lib. 24. de animal. Hahanc siue Ahunum appellat, cęteris omnibus marinis beluis animal gulosius: continua etiam præda uix satiatur, stomachum distinctum non habere dicitur: unde quicquid comedit, uertitur in sui corporis crassitudinem, ut nil aliud uideri possit, quàm una massa pinguedinis adunata. Dilatatur & extēditur supra modum: cumq́ amplius extēdi nequeat, pisces per os facilè eijcit, quoniam, ut cęteri pisces, collo caret. Os eius continuatum est uentri. Est autem adeò crassum hoc animal, quod urgente periculo carnem, pinguedinem, & pellem suam, uti hericius, super caput reduplicet, & contrahendo se caput abscondat: neq́ id sine sui detrimento facit, quia inimicas bestias timens, fame urgente se non aperit, sed esu carnium suarum sustentatur, magis eligens in parte consumi, quàm à beluis totaliter deprædandum uorari. Scrutatur tamen ut saluetur, si periculum est sublatum. Ita hippopotamus piscis Nili fluminis (teste Solino cap. 45.) inter arundines uulnerat pedes, ut profluuio sanguinis leuet saginam. Est & aliud monstrum marinum secundum Albert. lib. 24. de animal. Cahab dictum, pedes paruos habens respectu magnitudinis corporis sui: unum tamen longum, quo loco manus utitur in omnibus membris suis defendendis: & per ipsum ori suo cibum porrigit, herbasq́ eradicat. Habet autem pedes

pedes maximè cartilagineatos, & formatos ad modum pedis uaccæ, aut uituli. Hoc animal natãs in aqua spirat, & cum spiritũ emittit, ad aërẽ redit; aquãq; eijcit in altũ, ut delphini, & balenæ. Apparet etiam huic aliud simile monstrũ Circhos, iuxta Alber. aut Cricos dictũ, habens cutẽ testaceam, mollẽ, partim nigram, partim rubeam, fissuras duas in pede, quæ tres digitos efficiunt. Pes dexter huius animalis ualde paruus, sinister uerò magnus longusq;: & ideò dum ambulat, totum corpus fert super sinistrum, & alium post se trahit: aëre sereno absolutum incedit, commoto autem uento, nubiloq; cœlo applicatur lapidibus, & immotum quiescit, ac fortiter adhęret, ut uix auelli queat. Natura hæc satis admiranda, quæ sereno tempore sana, tempestuoso infirma inuenitur.

De Vacca, Vitulo, Equo, Lepore, & Mure marino.

CAP. XXXIX.

MArina Vacca monstrum est magnum, robustum, iracundum, & iniuriosum edens partum sibi similem, sed non supra geminum, unum tamen sæpius, quem plurimum diligens solicitè secum ducit, quocunque tandem se per mare transmittit, aut in terra gressus dirigit: decem mẽsibus impraegnatur: demum hoc animal aliquando 130. annis per caudę ipsius amputationem probatum est uixisse. Vitulus marinus superioribus capitulis pro parte naturę suæ demonstratus est hoc uno præsenti loco adiecto, quòd eo maior halecis deprædator inter aquatilia haud inueniatur. Accedit namque retia, in quibus halec secundum branchias, uel aliam partem corporis captum retinetur, unumq; post aliud deuorat, ut paucum remaneat dependens. Equus marinus inter Britanniam, & Noruegiam sæpius uidetur, caput habens equinum, & hinnitum emittens: pedes autem fissos cum ungulis ad similitudinem uaccæ, tam in mari, quàm in terra pastum quærens. Raro capitur, licet ad magnitudinem bouis deueniat. Caudam deniq;, ut piscis, bifurcatam habet. Mus marinus in terra scrobe effossa parit oua, et rursus obruit terra. Tricesimo die refossa aperit, fœtumq; ad mare producit, primo cæcum, & deinde oculis illuminatum. Lepus marinus uarij generis esse in Oceano deprehenditur, sed captus mox ob suspicionem ueneni, quocunq; saltem indicio lepori conueniat, dimittitur. Habet autem post caput quatuor pinnas: duas, quarum motus est secundum longitudinem piscis, & illæ sunt longæ sicut aures leporis: & duas, quarum motus est à dorso secundum uentris piscis profunditatem, quibus grauitatem capitis sui eleuat. Hic lepus in mari formidabilis, in terra uti lepusculus pauidus, timidusq; reperitur. Habentur & longè plura piscium nomina, genera, & uirtutes apud Plin. lib. 32. ubi diuersarum aquarum & marium enumerat pisces: inter quos satis multa genera ex libro Ouidij adducit, quem in Ponto supremis suis temporibus meditatus est, titulum eidem De piscibus imponens. Hic tamen ob iniuriam temporum haud reperitur, licet satis auidè à plurimis studiosis desideretur. Centum septuagintasex piscium genera, quę in mari, ac fluminibus, lacubusq; degant, ponit Plin. lib. pręallegato cap. ultimo. Rursus lib. 9. cap. 14. piscium species septuaginta quatuor ponit, præter crustis intecta, quæ sunt triginta.

De natura, tempore, & loco Piscium, quo se æstate conferunt.

CAP. XL.

NE autem prolixius insumatur augmentum in rebus forsitan omnibus haud obscuris, finaliter cum beato Ambrosio cap. 10. lib. 5. Hexamer. asserendum erit, unumquodq; genus piscium pręscripta sibi domicilia habere, quę sui generis

nullus excedat,non incurset alienus,ita ut hoc genus piscium in illo sinu maris alatur,& gignatur,illud in alio,nec confusum reperiatur,sed quod in uno loco abundet,alibi desit. Hic enim sinus maris cephalos alit,lupos ille:ille saxatiles, locustas alius. Non est libera uagandi potestas,nec tamen interclusa montibus copia,aut fluuijs interlabentibus transitus impeditur:sed usus naturæ impressus,tanquam patriæ finibus unumquenq; se retinere,& ultra incolas prodire suspectum. Sed homines potentes,quibus mare non sufficit,diuidunt sibi elementa, faciunt uiuaria atq; apothecas ostrearum,ut conuiuia escarum numero instruant, quando mare non posit implere. Sunt tamen aliqua genera piscium,qui non ingenij facilitate loca mutent,sed fouendi partus necessitate:quæ opportuno atq; legitimo procurantes tempore,ex plurimis locis à diuerso sinu maris innumeri uelut communi consilio conuenientes,coniuncto agmine Aquilonis flatus petunt:& ad illud Septentrionalium mare partium quadam naturę lege contendunt. Deinde:Quid autem rationabilius hoc piscium transitu,cuius rationem quidem uerbis non explicant,sed factis loquuntur? Pergunt enim æstatis tempore ad fretum Ponti,eò quod reliquo maris sinu hic sinus dulcior sit. Posteà:Quis autem ignorat,quòd etiam ea quæ marina sunt,aquis plerunq; dulcibus delectentur? Deniq; dum flumina sequuntur,& ad superiora ascendunt,frequenter alieni generis pisces capiuntur in fluuijs. Cum hæc igitur causa Pontum illis faciat gratiorem, uel quòd æstus temperet solennis illic flatus Aquilonis,tum opportuniorem cæteris iudicant,in quo generare,& partus posint proprios opportunius enutrire:quod teneri fœtus rigorem(laborem habet textus)alienæ regionis sufferre uix posint, quos illic fouet aëris blanda ac benigna clementia. Itaq; peracto munere, omnes simul eo,quo uenerant,agmine reuertuntur. Huius enim Ponti sinus Boreæ obiecti amœnitate perfruiti,rursus hyemis aspera declinare contendunt,& Septentrionalis plagę sæua fugientes,in reliquos se sinus conferunt,in quibus aut uentorum mollior sit placiditas,aut solis soleat uernare tēperies. Nouit igitur piscis pariendi tempus: nouit tēpus eundi,atq; redeundi:nouit tēpus perfunctionis, & iactationis:& nouit ut non queat falli:quia nō rationis ęstimatione,& disputationis argumēto utitur,sed inspiratione naturæ,quæ uera est magistra pietatis. Hæc Ambros.

De pulchra comparatione naturę Piscium, & Hominum.

CAP. XLI.

DEniq;(teste Ambrosio in suprà allegato cap.)omnes animantes præscripta habent pariendi tempora,homo solus indiscreta atq; confusa. Reliqua genera clementiam temporis quęrunt,mulieres solę partus suos inclementer effundunt. Vaga enim & intemperans libido generandi,uagam pariendi ætatem exhibet. Pisces tanta maria transmittunt, ut utilitatem aliquam generi suo quærant: nos quoq; diffusa æquora transfretamus. Sed quanto honestius quod succesionis amore,quàm quod pecuniæ auiditate suscipitur? Deniq; illis ad pietatem, hominibus ad quæstum transmisio deputatur:illi sobolem præferunt omnibus mercibus chariorem,homines mercem longè imparem ad periculi uicem misera lucri cupidine reportant. Itaq; illi patriam repetunt,homines derelinquunt: illis natando incrementum generis acquiritur,hominibus minuitur nauigando. Quis igitur neget diuinitus illis infusum ingenium esse huiusmodi, atque uirtutem? cum uideat istos in Aquilonem tam solennem obeundæ fœcunditatis peregrinationem uiuaci ingenio componere,alios in exiguo corpore tantum ualiditatis assumere,ut maximas naues plenis currentes uelis, in medijs fluctibus sistant: sicuti breuis pisciculus echeneis(de quo superius eodem lib. cap. 32. & 33. dictum est)tanta facilitate memoratur nauem ingentem sistere, ut quasi radicatam mari hærere

uideas,



uideas, nec moueri: aliquandiu enim immobilem seruat. An & huic quis putet sine creatoris munere tantum potuisse suppetere uirtutis? Quid gladijs, serris, canibus marinis, & balenis tribuendum est? quarum magnitudo (ut idem Ambrosius hoc lib. cap. 11. testatur) tanta est, ut si quando supernatent fluctibus, insulæ annatare putentur, montesq; altissimi summis ad cœlum uerticibus eminere. Hæ balenæ nō in acta, nec in littoribus, sed in Atlantici maris profundo feruntur uideri, ut eorum conspectu nautę à nauigandi in illis locis præsumptione reuocentur, nec secreta elementorum adire supremæ mortis terrore usurpent, prout superioribus aliquot capitulis præsentis lib. 21. fuerat declaratum.

De clementia Piscium erga Homines.
CAP. XLII.

ETsi superioribus capitulis plurima ostensa sunt de magna pietate, quam beluæ, seu monstra marina demonstrant afflictis naufragantibus, ne pereant: tamen inclytæ adhuc eorum uirtutes reputantur, quibus ipsis hominibus in aquis prosunt, quando à terrarum incolis uel deseruntur, uel crudeliter moribundi ejciuntur: prout euidens exemplum prædictus autor de Iona adducit, quem cetus excepit ad uitam, reddidit ad prophetandi gratiam: emendauit aqua, quem terrena deflexerāt: psallebat in utero ceti, qui mœrebat in terris. Et ut utriusq; redemptio non prætereatur elementi, terrarum salus in mari antè præcessit, quia signum filij hominis, signum Ionæ. Sicut iste in utero ceti, sic IESVS in corde terrę. In utroq; remedium, maius tamen in mari pietatis exemplum: quoniam exceperunt pisces, quem homines refutarunt: & quem homines crucifixerūt, pisces seruauerunt. Petrus quoq; in mari titubabat, sed non labebatur: & confessus in fluctibus, negauit in terris. Itaq; illic quasi deuotus manu apprehenditur, hic quasi oblitus aspectu censorio conuenitur. Hęc Ambrosius. Qualis etiam clementia animalium terrestrium, auium, & aquatilium prædictorum erga homines exerceatur, in pluribus capitulis superius est relatum.

De magnitudine Noruagici Serpentis, & aliorum.
CAP. XLIII.



QVI naualibus exercitijs in littoribus Noruegiæ, uel mercaturæ, uel piscaturę operam nauant, conformi testimonio stupendam sanè rem asserunt, serpentem uidelicet uastæ molis, ducentorum pedum & amplius longitudine, ac uiginti pedum spissitudine, in rupibus & cauernis penes oras maris Bergensium uersari: qui uitulos, agnos, porcos uoraturus, ab antris solum lucido noctis tempore in ęstate exit, uel polypos, locustas, & genera marinorum cancrorum ut deglutiat, maria transmittit. A collo deinceps dependentes pilos cubitalis longitudinis habet, squamasq; acutas, atro colore, & flammeos oculos rutilantes. Hic nauigia infestat, hominesq; se in sublime instar columnæ erigens rapit, ac deuorat: neque id sine portentoso spectaculo regni, instante mutatione, euenire solet, nempe quòd Principes in fatum concedent, uel in exilium turbabuntur, aut bellicus tumultus euestigio subsequetur. Est & alius miræ magnitudinis serpens in insula Moos dicta, diœcesis Hammerensis: qui ut cometa orbi reliquo, sic is regni Noruegiæ mutationem portendit,

prout uisus est anno M.D.XXII.altè super aquas se extollēs,atq; in modum sphæ rę conuoluens.Existimatus est hic serpens coniectura collecta ex longinquo uisu quinquaginta fuisse cubitorum:quem expulsio Regis Christierni, atq; grauis Prælatorum persecutio secuta est:imò excidium patriæ demonstrauit, ueluti Isidorus dicit de auibus Diomedis.De quibus refert Solinus cap. 8. quod inter aduenas iudicent:si Græcus sit,propius accedant,& quantum intelligi datur, uelut ciui blandius adulentur:si uerò quis gentis alterius fuerit,inuolare eum, atq; impugnare.Quæ ob hoc feruntur Diomedis socij facti,quòd ędem sacram omni die huiusmodi studio celebrent:Aquis imbuunt plumas, alisq; impendio madefactis confluunt rorulentæ,ita ædem excusso humore purificant,tunc pennulis superplaudunt,inde discedunt,quasi peracta religione.Hæc Solinus. Philosophatur præterea Albertus lib.25.de animal.in principio, de serpentibus asserens, falsam eorum esse opinionem qui dicunt omnes serpentes esse frigidos per naturam suæ complexionis.Deinde ponit duas causas longitudinis,uel breuitatis eorum: quarum una est naturalis habitudo,quæ in omni animali ex specie cōstituitur, eò quod omnium natura constantium terminus est,& ratio magnitudinis,& naturalis augmenti.Alia uerò est cibus & locus,calidus uel frigidus,minus uel maius extendens humidum uiscosum,quod est materia generationis eorum. Ponit idem Alber.serpentem Haren,siue Aren dictum,similem serpenti,siue draconi,qui Caren ab eo appellatur,longitudine sex cubitorum.Dicit etiam Plinius lib.8.cap.14. de magnitudine serpentum in hunc modum:Nota est in Punicis bellis ad flumen Bagradam à Regulo Imperatore ballistis tormentisq;,ut oppidum aliquod, expugnata serpens,centum uiginti pedum longitudinis.Pellis eius, maxillæq; usq; ad bellum Numantinum durauere Romæ in templo:quod & Liuius, ac reliqui classici historici attestantur.Deinde eodem loco inquit, fidem his facere, quę in Italia boæ appellantur:in tantam amplitudinem exeuntes,ut diuo Claudio Principe occisæ in Vaticano solidus in aluo aspectatus sit infans.Hæ primū bubuli lactis succo aluntur:unde etiam nomen traxere,quemadmodum & Isidorus refert.

Adhuc de magnitudine Serpentum.
CAP. XLIIII.

ASserit etiam Alber.lib.25.dracones omnes corpore esse ualde magnos,& ut plurimum triginta cubitorum,qui tamen libentius in frigore, quàm calore uiuunt.Pręterea asserit lacertam apud Indos longitudine 24. pedum, quod & Plin.lib.8.cap.39.testatur:etiam in Hispania magnitudine cruris humani sub genu inueniri.Solinus etiam cap.45.tantam enormitatem serpentum adducit,ut ceruos,& animantium alia ad parem molem tota hauriant:quinetiam Oceanum Indicum,quantus est,penetrent,insulasq; magno spatio à continenti separatas, pabulandi petant gratia.Idq; ipsum palam est, potentia amplissimę magnitudinis fieri,ut per tantam sali latitudinem ad loca permeent destinata.Etiam hydri secundum Plin.lib.6.cap.23.in mari longitudine uicenum cubitorum.Volater. lib. 12. cap.De locis nuper repertis,allegat serpentes mille passuum longitudine, qui certo anni tempore armenta,& pastores ipsos totaliter deuorant.Strabo lib. 16. allegat Posidonium scribere,in Macra campo fuisse uisum serpentem mortuum iugeris longitudine,& crassitudine tanta,ut equites ex utraq; parte astantes, seinuicem intueri non possent:hiatu autem tanto,ut hominem equo insidentem reciperet,exuuiarum squamam quamlibet clypeo maiorem.Deniq; S.Donatus Episcopus spuit in os draconis,eumq; interfecit,quem octo iuga boum ad cremandum uix trahere potuerunt.Hic draco(teste Zozomeno)in uia publica circa pontem iacebat,caprasq;,oues,equos,boues,& homines deuorabat.

De diuer-

De diuersitate, ac colore uario Serpentum.

CAP XLV.



ARbitrantur plurimi in solis regionibus calidis habitare serpentes, ob cõnatam frigiditatem eisdem animalibus inhærentem, tum quòd calore magis multiplicentur, ac citius incrementum suscipiant: sed reuera frigida illa Europæ pars in Septentrione etiam pessimos habet, et enutrit serpentes, licet quoad naturam ueneni debiliores, quàm sint Africani. Et quamuis constanter asserat Plin. in præfatione 7. lib. historiæ suæ, naturaliter serpentem in genus suum non sæuire: tamen in littoribus Aquilonarium fluuiorum haud rarum est spectaculum, cernere serpentes acerbissimè sese morsibus petentes: sicuti stelliones in Italia contra scorpiones, & enhydri iuxta Solinum cap. 45. aduersus crocodilos Aegyptiacos, parum in naturali malitia à seinuicem discrepantes, continuò pugnant. Vtcunq; se habeat huiusmodi certamen, certum est plures, & noxios esse serpẽtes in frigidissima plaga Septentrionis, terrestres scilicet, qui acrius aquaticos persequuntur: & hi in terris manent, ac diuersis nutrimentis minutarum herbarum, in quibus acriorem ueneni uim cognoscunt, auidius reficiuntur, maximè in locis montosis productarum: hiq; deteriores sunt in lædendo homines ueneno suo, quàm littorales, aut riparij. Serpentes autem ieiuni, satiatis sunt crudeliores: ita & irati, ac prouocati. Coloribus diuersis distinguuntur, nigro scilicet, cinereo, arenaceo, candido, rubeo, uario, guttis deniq; distincto, de quorum genere est Sabrin, & similes: quorum morsus aperit omnes poros naturales aurium, oculorum, narium, è quibus sanguis emanat, & aquosa sanies pauca ex membro corporis læso surgit, dolor in stomacho, constringitur anhelitus, oritur difficultas reddendi lotium: quam subsequitur spasmus. Remedijs uerò contra hæc serpentum uenena utuntur Aquilonares, theriaca uidelicet Veneta, quæ cęteris omnibus prestantior reputari solet, ab exoticis mercatoribus in maxima quantitate ob questum terris illis importata. Nigri coloris serpentes, partim aquas, partim terras inhabitant, partim tubera in paludibus existentia, (Gothicè Tuuar dicta) partim rupes petrosas aquis contiguas. Hi serpentes de genere aquaticorum sunt, atque noxij existunt: inter quos & Berus serpens aquaticus locum habet, astutus, nequitiosus, & lethifer. Dicitur hunc coire cum murena: quod uidetur Alberto libro 25. fabulosum, licet beatus Ambrosius libro quinto Hexam. cap. 7. coitum illum attribuat uiperę omnium adulterarum pessimę. Cinerei coloris est aspis, & ceristalis secundum Alber. aliàs cristalis, de genere uiperarum, longitudinis duorum cubitorum: qui morsu suo alienat sensum & rationem, caliginem oculis inducit, & spasmum mortificantem. Est & alius serpens cinerei coloris, Hęmorrhois dictus, unius cubiti, hominem morsu suo per sanguinis fluxum interficiens. Arenacei coloris serpentes sunt, de quorum genere est Ammodites, longitudine cubitalis, maculis nigris distinctus per corpus, supra dorsum habens uestigia linearum. Hic morsu suo uehementissimum dolorem cum tumore infert, unde uirus fluit, quod à tertio die in septimum usq; hominem necat. Sabrin serpens iuxta Alber. etiam arenosi coloris, cum punctis albis & nigris corpus distinctum habens, longitudine unius aut duorum cubitorum, naturamq; in morsu similem cum ceraste, siue cornuta. Quomodo aũt hominem interficiat, suprà hoc capite demonstrauimus.

Adhuc de colore, & nominibus Serpentum.
CAP. XLVI.

CAndidi ac uarij, de quorum genere est fabrin iam descriptus, & Alfordius, siue Affordius, similem naturam cum fabrin habens. Fului, ut pareas, ore lato, morsu maligno, sed plurimum ueloces, atque in cauda semper ambulant. Rubei omnibus alijs sunt peiores, ut in plurimum cubitalis longitudinis, imò & pedalis, ac semipedalis, ut Altinanti iuxta Alber. ex insidijs plus nocens. Citrini coloris est serpens cenchris, à colore milij sic dictus: eius morsus uti uiperæ uenenosus est. Serpentes aquas inhabitantes duri & asperi capitis sunt, multiplici specie distincti: de quorum numero est Berus supradictus. Item natrix à nando dictus, quòd in aqua quoque uenenum spargat, ciboscque inficiat, ut si quis ex infectis quicquam gustauerit, illicò moriatur. Item coluber secundum Plinium lib. 32. cap. 5. in aquis uiuit. Serpentes in rupibus morantes plerunque nigri sunt, quos uulgari gentis idiomate Snock appellant, quamuis etiam ibidem uarij in magna multitudine reperiantur. Hi mortalibus in rupibus uersantibus, æstate præsertim, haud parum molesti sunt, cum etiam ueneno suo sæpe homines occidant. Antra incolentes lacertæ sunt, & hæ quoque multiplices: sed non ita noxiæ, ut serpentes, attamen cauendæ sunt. Terram & aquam indifferenter inhabitant chelydrus & andrius. Chelydrus semper directus ambulat, quia si se multum torserit, dum currit, statim crepat. Andrius uerò secundum Alber. in aquis, campis, & syluis habitat, aspide minor, sed latioris capitis, surdus, deterior & nocentior cæteris, quia morsus eius inducit uertiginem, & uomitum choleræ fœtidæ, ac debilitatem corporis, ut in hora moriatur læsus: & si tertiam horam superuixerit, ob fortem medicinam, & complexionem, tamen ulterior spes uitæ haud relinquitur. Scytale serpens est duplicis speciei: unus admiratione suæ pulchritudinis detinet inspicientes, piger, paruus, & ignei ueneni, ita etiam quòd ille quem lædit, statim moriatur: atque Slaa Gothicè uocatur. Hic frigidissima hyeme pellem deponit, sicuti stupefaciens aspis, quæ pellem mutat. Hic etiam, uelut alij serpentes in hyeme latitantes, se recipit in uiscera terræ, à solis uidelicet ingressu in Libram, usque dum Arietis signum exeat: intra quem terminum si solis attractu antra exierit, atque calore haud tempestiuo nimis diu delectatus fuerit, niue geluque antrum constringente, moribundus extra illud relinquitur, prout superius de hirundinibus est specificatum. Alius (teste Isidoro) amphisbæna dicitur, eò quòd duo capita habeat, unum in loco suo, alterum in cauda, currens ex utroque capite tractu corporis circulato. Hic solus serpentium frigori se committit, primus omnium procedens.

De habitatione ac mansione Serpentum.
CAP. XLVII.

VIdetur (licet rarò) mirum spectaculum in Aquilone, quomodo profundè sub radicibus arboris betulinæ manent serpentes: quorum multitudo suo afflatu calorem in radicibus excitat, ut folia huius arboris semper durante hyeme uiridia permaneant. Quocirca gens naturæ secreta ignorans, arborem sacram putat, quasi magno numini consecratam. Nec multum dissimile asserere uidetur Solinus cap. 40. in quadam Africæ gleba non sine miraculo lucum uirere undique secus agris arentibus. Hyeme tamen in cauatis arboribus, uel rupibus serpentes latent, pro cibo somno utentes: aliàs in æstate cibus eorũ herbę, carnes, & aues sunt, quarum pennas & plumas posteà euomunt: demũ si possunt, lac, & uinum (quod secundum Plin. libro 10. cap. 72. pręcipuè appetunt) uel modicam aquam bibunt. Sunt & plures serpentũ species, ut (iuxta Solinũ cap. præallegato) quantus nominum

num

num tantus mortium numerus, tot uenena quot genera serpentum, tot pernicies quot species, tot dolores quot colores (ut Isidorus dicit) habeantur: sed nulla infestiora, quàm aspidum genera, & rubea rarius apparentia. Veruntamen omnia genera, aut species serpentum in Septentrione enumeratas, Africa in multitudine, ac serpentibus uenenosis superat: de quibus Strabo lib.15. multa & miranda dicit, & Solinus cap. iam citato. In Septentrione tempore ueris fricatione serpentes cutem exuunt inter saxa: quæ cutis inueterata adiuncta cera dentes celerrimè euellit. Plutarchus in lib. De aspidibus dicit Aegyptios pro delitijs unà cum pueris aspides educare, tantumq; mansuescere, ut uocati mensis assistant, pultes farina & melle confectas deuorantes: eorum Reges diadema aspidum figura ob imperij firmitatem portant. Opimatum dicunt naturæ scrutatores, præcipuè Alber. lib. 26. de animal. uermem uenenosum, qui cum serpente non uiribus, sed audacia & astutia pugnat, atq; eum adhærendo gutturi ipsius, mordendoq; sine intermissione uincit: unde etiam auelli haud poterit, donec eum interficiat. Idem facit uermis qui dicitur secundum Alber. spoliator colubri. Cornu ceruinum suffitum in abigendis serpentibus aptum, ut Volater. lib.25. de ceruis commētatur, & Plin. lib. 28. cap.9. Item euphorbia herba suo lacteo succo, quæ ob id miris laudibus celebratur, contra serpentes, & uenena iuuat, uti idem Plin. lib. 5. cap. primo in fine tradit. Quomodo deniq; locustæ, cum libet, serpentes necent, ac occidant, faucibus eorum apprehensis mordicus, uideatur prædictus autor lib.11. cap.29.

De pugna pastorum contra Serpentes.
CAP. XLVIII.



SVnt & aspides in partibus Aquilonaribus scabrosa cute, dura siccitate, cinereo colore, oculis scintillantibus, longitudine trium uel quatuor cubitorum, ueneni acumine hominem interficientes ante horas quatuor, nisi remedijs opportunis occurratur, theriaca scilicet Veneta, aut alio cum ceruisia antiqua bibito, aut succo fraxini expresso, & epoto, uti Plin. lib.16. cap.13. docet, aut furfure more emplastri apposito. His remedijs pro se pastores, sed theriaca pro pecoribus inungendis cum sale in circuitu tumoris utūtur. Nam hi serpentes eleuati super pectus ad mediū cubitum incedūt, uenenumq; in magna quantitate, diuersissimo colore in gutture collectum in resistētem aut obuiū hominem expuunt, ac celerrimè sub antra & saxa fugiēdo se recipiūt. Hoc autē ita esse meo ipsius exemplo comprobare queo, quia ante L. annos is casus in Arosiensibus pratis mihi accidit, dum more scholarium in medio Augusti collecturus eram grana iuniperorum, quæ tunc primum in Aquilone maturescunt. Sunt etiam serpentes, qui arcuato, seu rotato cursu uelociter mouentur, decem pedes saltādo: & insuper pugnant, strepitum uehementē inter herbas sole siccatas facientes. Verum benignitate naturæ factū est, ut sonitu prodātur, quādo nocituri accurrunt. Venenum autem sic exputum, in uestem occurrentis multiplici colore distinctum descendit nec anguis posteaquàm uenenū expuendi in hominem sibi audaciam assumpsit, apparet. Sūt etiā domestici serpētes, ut penates in Aquilonis extrema plaga reputati, qui lacte uaccino uel ouino nutriti, cum infantibus sub tectis ludūt & plerūq; in cunis, ut fidi custodes, dormire uidentur: quos lædere pro piaculo existimatur. Sed hi ritus reliquiæ sunt ueterū superstitionū, omnino suscepta Catholica fide interdicti. Si uerò fulgure uel domestico incēdio domus huiusmodi deletę aut peste

grassante

grassante habitatoribus euacuatæ fuerint, remanent serpentes in antris exustę domus, tantoq; agmine coalescunt, ut difficultatem nouo cultori pariant, quominus tutè cum ipsis cohabitare possint. Cernuntur etiam serpentes innumerabiles sub quercubus in æstatis initio, ducem (cui candida crista ut corona eminet) tanquam apes suum rectorem, sequentes. Creduntur ueterum relatione lapidem flatu suo gignere, ex aliqua uenenata particula eo in loco, ubi manent, inter folia producta, uel reperta. Talium serpentum congregationem Solinus cap. 60. etiam meminit circa Caspias portas uersari: qui undiq; gentium conuenæ, à uerno statim die illuc confluunt, maximo impendio uiatorum, quibus omni tempore, præterquam hyeme, accessum ad istos populos negant. Terra tamen Aquilonaris, ubi fraxinea arbore abundat, uenenatis his bestijs caret: quod & Plin. loco supra allegato testatur quamuis idem autor eodem lib. cap. 34. hederam serpentum frigori esse amicam dicat. Fauorabile deniq; uerbum Isidorus de natura serpentum profert, quod hominem nudum & dormientem nunquam lædant: idq; mihi in pueritia & adolescentia serpentibus sine læsione sæpissimè congredienti contigit.

De Theriaca, ac alijs remedijs aduersus uenena. CAP. XLIX.

CErtum itaq; relinquitur, serpentes euomere uirus exitiale, multiplici colore distinctum: quod eò nocentius est, quo grauius irritati per calorem illud ejiciunt. Nec percutiunt, cum natura frigidi sunt, nisi quando calescunt. Nam quando frigidi sunt, nullum tangunt. Percussus itaq; serpentum ueneno, primum obstupescit: deinde ubi ipsum uirus calefactum exarserit, statim hominem (nisi remedijs efficacibus occurratur) extinguit. Tale autem remedium theriaca pręstat, quæ est antidotum serpentinum, quo uenena (ab eo quod uenas necent, dicta) pelluntur, ut pestis peste soluatur. Verum, ut aliqua eius compositio Aquilonaribus incolis innotescat, operæpretium duxi uerba Plinij lib. 20. cap. ultimo, præsentibus, donec aliud melius remedium contra uenena occurrat, inserere hoc modo: Recipe aduersus uenenata animalia serpilli duum denariorum pondus, opopanacis & milij tantundem singulorum, trifolij pondus denarij, anethi & fœniculi seminis, & anisi, & ammij, & apij denariorum semim singulis generibus, erui farinæ duodecim. Hęc tusa cribrataq;, uino quàm possit excellenti digeruntur in pastillos, uictoriati pondere. Ex his singuli dantur ex uini mixti cyathis ternis. Hac theriaca magnus Antiochus Rex aduersus omnia uenena usus traditur. Hæc Plinius. Quatenus autem talis compositio aduersus uenenum ualeat, an uerò ea præstantior, meliorq; esse possit, qua læsæ sanitati celerrimè subueniatur, ne toxico præualente ueneno infectus succumbat, artis medicæ periti in eius compositione dubio procul experientur. In Aquilone tamē contra pestem (licet rarò grassantem) infallibile remedium cuiusdam electuarij apud plurimos suę sanitatis custodes habetur, quo nedum tempore pestis, sed & in cunctis ægritudinum principijs utuntur: atq; ita fieri solet: Recipiatur aloës hepaticę, alias iecorariæ lotę libra media bene tusæ, cinnamomi electi uncia media, masticis unc. med. cornu ceruini tosti unc. med. centaureæ minoris unc. med. gentianæ unc. med. dictami albi Cretici unc. med. lupini tosti, ut siliqua adimi queat, unc. med. Hæc omnia seorsum in puluerem redigantur, & deinde simul commisceantur. Posteà capiatur mel quinq; librarum, quod bene super ignem in patella ærea despumetur, atq; in eo, cum à feruore tepuerit, prædicti pulueres misceantur, inq; modum pulmenti undique uoluantur. Hoc modo electuarium habebitur quod in aurora cū bono uino albo, ad quantitatem nucis auellanæ sumptum omne uenenum, & pestiferum ab humano corpore sine ulla uiolentia expellit. Habet hoc electuarium alias miras operationes auertendi multas ęgritudines per facilimam purgationem, quocunq; tempore se-

pore securissime sumptum. Scio multos homines, nullis adhibitis medicis, hoc solo electuario per continuos sexaginta uel nonaginta annos, etiam in ultimam usque senectam, suam sanitatem conseruasse: inter quos diuę memoriæ Iacobus Archiepiscopus Vpsalensis, qui ad centesimum ætatis suæ annum peruenit, ac M.D.XXII. uita functus est.

De Thrissa pisce nuper etiam in Prussia reperto.

CAP. L.


ARistoteles inter naturalium rerum indagatores facile principatum tenens, lib. 8. de animal. cap. 13. asserit, piscibus hanc ferè inesse naturam, quòd præscripta sibi domicilia, ubi frequentius per naturalem quandam inclinationem morari soleant, non sine aliqua graui causa transgrediantur: tamen diuersa genera piscium, distincta maria, lacus, atque flumina, pro ratione temporis inhabitare, atque illa, tum pastus uberioris, tum uehementiæ caloris & frigoris, denique commodius fouendi fœtus gratia, prout ille à natura inditus affectus dictat, aliquando permutare concedit. Deinde diuersa loca, tempora, atque nutrimenta, diuersos pisces producere, ita ut alij alijs in locis principatum obtineant, quemadmodum superius lib. 20. cap. ultimo relatum est, constanter affirmat: ut apud Cretam insulam gobiones pisces, omneque saxatile genus plurimum pinguescere: qui tamen alijs in locis aridi reperiuntur. Huic diui Ambrosii in 5. lib. Hexamer. cap. 10. sententia, quæ hoc lib. cap. 40. inserta est, astipulatur: tum etiam Plin. lib. 9. cap. 18. ad hunc locum pertinentia pulcherrima adducit. Quare etiam operępretium me facturum esse iudicaui, si talem antehac inauditum casum, præsertim istis in oris ubi contigit, qui mihi per literas à quodam fide digno uiro, cum hic liber excuderetur, annuntiatus est, in fine huius libri, ad confirmandum horum summorum philosophorum opinionem, quæ uerissima est, adiungerem. Quandoquidem Itali in hunc usque diem se solos frui delicijs piscis cuiusdam sibi persuasum habent, quem communiter Thrissam, nostræ ætatis Gręci corruptè Phrisiam, Romani Laccia appellant: quidam ex eo clupeam, cuius Plin. lib. 9. cap. 15. meminit, esse opinantur, quòd id genus piscium Veneti etiamnum Chiepam nuncupent: talem etiam hoc anno in Prussia circa mare (ut uocant) recens, eo in loco, ubi in sinum Balthicum, seu Codanum iuxta Celtem, se exonerat, uidelicet circa castra Balge, & Lockstede ad ducem Prussiæ pertinentia, in maxima multitudine captum esse compertum habetur. Nam horum piscium, quos Pruteni Porpel appellant (nomen anteà incognitum) piscator quidam duodecim millia & sexcentos, seu quod idem est, sexagenas (uti appellant) mille octingentas, mense Maio intra quatuordecim dies, præter alios pisces, quorum etiam haud parua copia erat, cepit. Non est igitur, quòd in posterum Italia de hoc pisce, tanquam sibi soli à diuino numine concesso glorietur, cum idem prorsus genus per Dei benignitatem alijs in oris quoque repertum sit. Vnde Aristotelis, Plinij, ac diui Ambrosii sententia, pisces aliquando loca mutare firma permanet. Verum ad insecta transeamus, quoniam hæc immensæ subtilitatis animalia restant.

LIBRI XXI. FINIS.

OLAI MAGNI GOTHI ARCHIEPISCOPI VPSALENSIS DE INSECTIS animalibus

LIBER XXII.

PRAEFATIO.



ACCEDVNT & superioribus figuris ac imaginibus aliquot minuta animalia, quibus naturę inscrutabilis ratio maiorem adiunxit admirationem, quòd nihil etiam in minimis otiose productum uideatur. Quomodo uero producuntur, aut ad quem finem seu effectum conseruantur, studiosis diligentius apud optimos autores (ubi ita uisum fuerit) indagandum, ac plenius considerandum relinquo: inter quos quantum Isidorus 12. Etymolo. lib. cap. 8. de minutis animalibus præcipuè uolatilibus pulcherrimè tractans, præstiterit, haud satis enarrari potest. Quantum etiam in talibus specialiter exprimendis dudum Sapiens laborauerit, Prouerb. 30. cap his uerbis explicatur: Quatuor (inquit) sunt minima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus: formicę populus infirmus, qui præparat in messe cibum sibi: lepusculus plebs inualida, qui collocat in petra cubile suum: regem locusta non habet, & egreditur uniuersa per turmas suas: stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis. Quæ omnia animalia, licet parua corpore sunt: habent tamen insignem quandam innatam prudentiam: formicæ quidem ad sedulitatem monent: lepusculi suo exemplo ueram quærendam securitatem, quæ in petra (id est CHRISTO) est, informant: qui cum in terra timidi, in mari formidabiles. Horum Ambrosius in hunc modum lib. 5. Hexamer. cap. 10. meminit: Lepusculus quoque timidum animal in terris, in mari formidabile, citam, & quæ non facilè posit auferri, corruptelam inuehit. Voluit enim te creator nec in mari satis ab insidiantibus esse securum, ut propter pauca, quæ noceant, quasi in excubijs positus, arma fidei semper, & scutum deuotionis accinctus, à Domino tuo debeas salutis sperare præsidium. Hæc Ambrosius. Locustæ iustitiæ exemplum proponunt. Sine rege enim sunt, attamen in uolando suum ordinem tenent, & homines etiam sub magistratu in officio contineri nequeunt: araneus suo exemplo ad laborem inuitat. Insuper formicæ, quod homo deposita pigritia pro euitanda inopia laborare debeat, euidens exemplum ostendunt. Lepusculus, herinaceus, & cuniculus, quia animalia naturaliter timida sunt, intra petras refugium quærunt. Locustæ obliquo uolatu longinqua loca petentes, flatu rigido in mare sæpius suffocandæ proijciuntur, uel messem corrodentes patria lege interimuntur: attamen more militari explorando, pugnandoque prudentissimè diriguntur. Stellio de araneorum genere, quod uiribus à natura non obtinet, solertia & industria palatijs Regum inhęrens acquirit. Reliqua huc pertinentia Iob prosequitur cap. 12. de indicijs rerum naturalium, ad quid sunt institutæ.

De Ara-

De Araneis.

CAP. I.



IN primis itaque araneorum occurrit multiplex genus, colore, magnitudine, et naturali instinctu diuersum, ac mirabile. Vnum quantitate nucis, continuo in lucidis noctibus & diebus, sub fenestris grandioribus deprædans muscas, quę propter abundantiam ferculorum conuiuantibus sunt molestæ. Aliud genus, minus scilicet quantitate, sed suo ueneno magis nociuum, quod in foribus ędium uenatur, tantumq; cumulum muscarum retibus aggregat, ut afflatu exigui uenti retia facilimè dissoluantur: quæ tamen euestigio ad nouam prædam capiendam reficit. Hoc etiam genus contra frigidum accessum uentorum telas uillosas instar subtilissimę cutis conficit: idq; non solum inter hominum habitationes latas & altas, sed etiam inter arbores syluarum plurimum patulas, ut in his teneras lacertas, bruchosq;, & uespas capiat: fœmina telam producit, mas uerò minuta animalia uenatur. Huiusmodi tela humili uel sublimi loco posita, auguria agricolis pręstat ad semina in collibus, uel uallibus proijcienda, ut superius de castorum, seu fibrorum ædificijs est notatum. Pręter hæc duo genera (ut pręmissum est) etiamnum aranei differunt, quòd alij sunt magni, & quasi rotundi, alij oblongi sicut columna, alij parui, alij minutissimi, alij subtiles: quidam cinerei quidam uirides, quidam uarij per totum corpus, & hi plures lineas in dorso albissimas habent: quidam longorum pedum, qui discurrunt in gramine, & humiditates fructuum, ac animalium mortuorum, si aliqua inueniūt, sugunt: quidam in foraminibus terrę sedent, & per saltum parua animalia, quæ transeunt, inuadunt, exuguntq; ea: quidam denique super aquas erectis cruribus discurrunt, Trixales Græcè dicti, pisciculos prędantes, ac cyniphibus insidiantes. Coit araneus in fine ueris, & cum coire cupit, marem filo attrahit: oua autumno parit, & in principio ueris fœtum producit. Araneus uerò telam conficiens quinq; obseruat: Materiam à superfluitate humidi ex cibo quotidiano assumpti, quo nimium euacuato tabescit: tempus, quia tota die ruptam telam mane retexit, uel ueterem reficit, maximo tamen cum studio in aurora circa hanc laborat: situm telæ, quia in angulosis locis, penes parietes, uel arbores, in sublimi telam suam libenter suspendit: figuram, quoniam hanc in productione linearum per fila sua rotundam, triangularem, uel oblongam efficit: deniq; modum operationis, quia magnus posteriori pede ab aluo filum, unde rete suum contexere queat, extrahit: aliud autem genus de ore filum emittit, ex quo anteriori pede telam longè lateq; conficit. Quemadmodum enim Dominus mulieribus (teste Ambrosio lib. 5. Hexam. cap. 9) texturæ sapientiam dedit, sic etiam araneum, qui tam subtiliter ac doctè laxos casses in foribus suspendit sapientiæ immunem haud reliquit. Hic demum araneus secundum Plin. lib. 11. cap. 24. orditur telas, tantiq; operis materiæ uterus ipsius sufficit: siue ita corrupta alui natura stato tempore, ut Democrito placet: siue est intus quędam lanigera fertilitas, tam moderato ungue, tam tereti filo, & tam æquali deducit stamina ipso se pondere usus. De telis araneorum etiam Paulus Diac. lib. 6. cap. 4 pulchra meminit.

De Oestris, & Locustis.
CAP. II.

OEstrus animal est armentis aculeata punctura permolestum: dictio Græca, quæ Latinè asilus interpretatur: sed in Septentrionalibus terris uulgari gentis idiomate Hestabrymss appellatur. Quoad indicandum inimicorum insidias inter nemora, Gothi hac præcipuè bestiola utuntur, culmum siue straminis festucam caudæ suæ infigendo, ut eo uolare cogatur, ubi deponendi culmi adiutorem inueniat, quem naturæ instinctu hominem esse cognouit: unde eius uestibus insidet, donec à stramine, & homo ab insidijs intentatis liberetur, prout Saxo Danorum historicus lib. 3. de quodam Amletho Regis filio ostendit. Quomodo autem animalia periclitantia apud homines remedia quærunt, Volater. lib. 25. huius rei plurima exempla adducit. Sunt etiam rutili atque prægrandes scarabei, aridam terram fodientes, qui in Aquilone uulgari lingua Getingh appellantur: hi inter gramina situm molliorem habent, fauosque paruæ ac fistulosæ modo spongiæ, medicato melle fingunt: quod à uulpibus studiosè quæsitum, plerunque uoratur &c. Sunt & locustæ arenosi coloris, magnitudine crabronum, quæ tanto cum agmine uolant, ut solem obumbrent: arboribus teneris, præsertim quernis, insident, earumque folia melleo rore conspersa, non solum uorando depopulantur, sed & corticem ad solidum lignum usque absumunt. Hæ autem densè uolantes non aliter, quam flamma & fumo picearum tedarum, manibus discurrentium iuuenum obiectarum, abiguntur: qui etiam iuuenes perticas, siue longas hastas ferūt, atque in earum summitate picea ligna humani capitis magnitudine alligata, & comburentia, ac fumigantia seruant, ut discurrendo inter segetes, ueluti pastores inter armenta his bestiolis eas opponant, ne contactu suo pestifero segetibus noceant, aut morsu corrodant. Et hoc terrarum incolæ tanquam lege decreta, quoties pestis talis ingruerit (quod tamen singulis annis haud accidit) obseruant, ueluti Plin. lib. 9. cap. 29. de Cyrenaica regione attestatur inquiens: In Cyrenaica regione lex etiam est ter anno debellandi locustas, primo oua obterendo, deinde fœtum, postremo adultas, desertoris pœna in eum qui cessauerit constituta. Et in Lemno insula certa mensura præfinita est, quam singuli enecatarum ad magistratus referant. Deinde: Necare & in Syria militari imperio coguntur. Tot orbis partibus uagatur id malum, prout superius lib. 4. cap. 15. de lege coruorum necandorum, & similium dictum est. Meminit idem autor lib. 10. cap. 26. quomodo hæ locustæ seleucidibus auibus pœnas luant, his uerbis: Seleucides aues uocātur, quarū aduētū ab Ioue precibus impetrant Casij mōtis incolæ, fruges eorū locustis uastātibus. Nec unde ueniāt, quoue abeāt, compertum, nūquàm cōspectis, nisi cū præsidio earū indigetur.

De Scarabeis, Crabronibus, & duplicibus Vespis.
CAP. III.



ETSI cerui uolantes de genere scarabeorum habere originem existimantur, tamen eorum natura purior, & audacior est in pugna, & uirtute medicinali: syluaticusque scarabeus dicitur, nō stercora comedens, sed folia arborum: cornua ceruorum cornibus in figura similia habet, quæ sunt mobilia in capite suo: etiam per ipsa apprehendit & tenet, uti Albertus lib. 12. tractatu tertio cap. 7. diffusius attestatur.

Cornua

Cornua igitur illa ſyluaticorum ſcarabeorum prælonga ſunt, biſulcis dentata forcipibus, in cacumine, cum libuit, ad morſum coeuntibus. Infantibus pro amuleto ex ceruice ſuſpenduntur: etiam in formam coronæ redacta, capitum tegumentis affiguntur, preſertim adoleſcentum, quibus precipuè commiſſa eſt uenatio cornutorum ſcarabeorum: frigore latitant in antris. Hos ſecundum Plin. lib. 11. cap. 28. Lucanos Nigidius appellat. Aliud rurſus eorum genus, qui è fimo ingentes pilas auerſis pedibus uolutant, paruosq́; in ijs contra rigorem hyemis uermiculos fœtus ſui nidulantur. Alij uolitant magno cum murmure ac mugitu. Alij focos, & prata crebris foraminibus excauãt, nocturno ſtridore uocales, maximè in paſcuis Aquilonarium equorum. Sunt etiam in Septentrione oblongi crabrones, quos Plin. eodem lib. cap. 21. ueſpas maiores uocat: in uolatu & murmure non diſsimiles ſcarabeis, ſed aculeum nocentiſsimum habent. Sunt præterea duplices ueſpæ, minores & maiores: Minores ſcilicet, quæ uermes, muſcas, ac araneos grandiores uenantur, habitantq́; ſub tectis, ueluti in ſacco corticato, quoniam è luto nidos faciunt, in quibus ceras reponere queant: piſcatoribus ualde infenſę, quia omnium piſcium humorem, antequàm indureſcant ſolis ardore, exugunt. Punctura earum rubeum apoſtema cum uehementi dolore inducit, ſed id curatur folio maluæ appoſito, uel potius ſucco.

De grandioribus Veſpis.
CAP. IIII.

ALIAE præterea ueſpæ ſunt grandiores, de genere potius crabronum, quę in arborum cauernis, quercuum præcipuè, degunt & habitant, fœtusq́; producunt. Hyeme, ut cætera inſecta conduntur: colorem citrinum habent, plus ad glaucinum per lineas inſtar minorum ueſparum tendentem: etiam aculeos peſtiferos, ita quod ueneno ſuo per aculeum animalibus immiſſo, pullos equinos, aut hominem incaute ſine cooperimento humi dormientem interficiant. Aliquando pũctura earum ſpaſmum inducit, tibiarum dolorem, ac genuum debilitatem. Hæ autem ueſpę lingua Gothica Bool getingh uocantur. Ex his etiam uidetur tritum illud prouerbium, Ne prouoces crabrones, originem ſuam traxiſſe: quia uno prouocato, terribili agmine omnes ad uindictam ſumendam exeunt, prouocantemq́; niſi fuga àb his ſe liberauerit, aut cooperimento ueſtium munierit, punctura uenenata, aculeorumq́; uulnere ſæpius repetito, uel extemplo de uita tollunt, uel grauiter debilitatum penitus in longum tempus inutilem reddunt. Auertere tamen earum à quercubus egreſſum, uel occludere foramen ne exeant uolẽtes, betulaceos cortices cum piceo ligno in magna quantitate ardentes accipiunt, atq́; ad foraminis fauces ſuſpendunt: per quam flammam ac fumum, quandoquidem unicum ſaltem à nido exitum habent, extinguuntur & ſuffocantur. In his uerò noxijs inſectis obtruncandis, hi præcipue ſtudium ſuum collocant, qui ingentem numerum equarum propagandę ſobolis gratia in paſcuis habent, ne equulei, de quibus opulentum expectant quæſtum, lęſione talium ueſparum interficiantur. Inſidiatur deniq́; iſtis uermis quidam ſecundum Albertum ſpoliator colubri dictus, qui eſt coloris aurei, uiridi colore interlucente. Currit enim in puluere uiarum campeſtrium ac alibi, has ueſpas, ac ſcarabeos ad deuorandum, exugendumq́; humorem perſequens: ab Auicenna etiam ſpoliator colubri appellatus, quia per caudam ad corpus colubri in ſole iacentis aſcendit, & primo caput colubri confricando demulcet, poſteà uerò mordet, nec deſerit eum etiam fugientem, donec cerebrum penetret, & carnibus mortui (ut ſupradictum eſt) ſatietur. Hic uermis primo natus à parentibus cibatur, poſteà ſine cibo diu immobilis iacet, tandem ad curam ſui excitatur, atq́; ſeipſum nutrit.

De molestissimis Culicibus extremi Aquilonis.

CAP. V.



VErsus extremas Septentrionis terras & aquas, maxima est molestia grandiorum culicum, præsertim in punctura, & fastidiosissimo sono, quando in continua dierum ac noctium luce dormiēdum est. Verum ad eū tandem horū molestiam Aquilonares absynthio utuntur, aceto perunсto, ac tosto, & fumigato, ut eo graui odore percepto aufugiant. Simili modo recedunt, quando caput, cæteraq; membra decoctione absynthij asperguntur uel rutę anigenæ, cum haberi queunt: uel atramento sutorio, permixto cum iunipero usto, & fumigato. Dormientibus autem tentoriolum ex panno linteo, uel cortice confectum necessarium est, sub quo tanquam uelamēto, contra iniuriam culicum tutò dormire liceat, ac nullus omnino sonoris istis insectis aditus pateat, ne duplici malo, punctura uidelicet, & fastidioso sono quiescentes molestentur. Huius culicis uim, atq; inextricabilem perfectionem Plin. lib. 11. cap. 2. pulcherrimè his uerbis enarrat: In magnis siquidem corporibus, aut certè maioribus facilis officina sequaci materia fuit: in his tam paruis, atq; tam nullis, quæ ratio, quanta uis, quàm inextricabilis perfectio? Vbi tot sensus collocauit in culice natura? & sunt alia dictu minora. Sed ubi uisum in eo prætendit? ubi gustatum applicauit? ubi odoratum inseruit? ubi uerò truculentam illam, & portione maximam uocem ingenerauit? qua subtilitate pennas annexuit, prœlongauit pedum crura? disposuit ieiunam caueam uti aluum, auidam sanguinis, & potissimum humani, sitim accendit? Telum uerò perfodiēdo tergori, quo spiculauit ingenio? Atq; ut in capaci cum cerni non possit exilitas, ita reciproca geminauit arte, ut fodiendo acuminatum pariter sorbendoq; fistulosum esset. Aculeum igitur in ore habet, à quo culex nomen accepit. Terebrat pellem animalium, ut sanguinem bibat: sed hoc longè auidissimè in meridiano solis æstu perficit, quem tantū appetit, ut in solis feruore etiam aliquando seipsum adustione lædat: ad dulcia non aduolat, sed acida petit. Aliud etiam culicum genus longè subtilius est, quod teneris insidet quercubus, ac ramis sub rosis exortis, alijsq; recenter è terra productis: sed hoc ualidis tempestatibus abigitur, aut aqua sulphurata super ramos aspersa.

De remedijs fugandi Culices, & Cimices.

CAP. VI.

PRæterea ut iumenta in pascuis à culicum muscarumúe infestatione libera permaneant, iuniperorum rubos ubique tam in campis, quàm syluis abundantes, uel pineas arbores, ubi greges pascuntur, penes radices pastores incendere solent, similiter & iuncos odoratos, ac aridas radices herbę serpentarię, quoniam horum omnium fumis mirè arcentur. Deinde ad effugandum culices, & cimices è domibus, fit suffitus cum minutissimis partibus pini, quæ dum serratur, in magna multitudine colliguntur: aut cum nigella: similiter cum myrto sicca, & cum sulphure, & bdellio, ac spina fœtida, tum etiam stercore uaccino. Item pro eodem malo abigendo aspergetur domus ex decoctione radicis lupinorum, uel nigellæ, uel absynthij, uel rutæ. Cimices grauis odor rubearū pellium, quæ à Germanis Reusch leder appellantur, mirificè tollit: hæ autem à Moschouia per Bulgariam in Italiam

et Romam uenales aduehuntur: ita et calx uiua cum sulphure mixta eos interficit. Occiduntur prætereà cimices mixtura ex oleo, argento uiuo, sale, aceto, & amaro pomo facta, simulq; cõtrita, decocta, ac rimis lectorum bis uel ter immissa: sed simplicius & frequentius feruentissima aqua, quæ intimius penetrat, etiam semina uermium noxiorum corrumpente. Quòd uerò culices tam multi, frequentesq; in suppolaribus illis terris uagantur, hanc præcipuè causam habet: quia nulli uespertiliones, qui hos similiaq; insecta noctu deprędari solent, propter continuam dierum & noctium lucem, ibidẽ manent, neq; alię lucifugę seu nocturnæ aues: quamuis quędam à natura deputatę, culices ac muscas in escam colligẽtes, reperiantur. Verum ut à putrescentibus celeriter incrementum accipere apparent, ita & aspero flatu euanescere citò consueuerunt: pastu nanq; deficiente, ad cognatam putredinem pascendi euolant, atq; ibi tabescunt: quod & Plin. lib. 15. cap. 19. innuere uidetur. Meminit deniq; idem Plin. lib. 13. cap. 6. culices ex folliculis cuiusdam arboris nasci, etiam ex caprifico, quemadmodum lib. 11. cap. 35. attestatur: sed cuncti rigore uentorum Aquilonarium citò consumuntur.

De Sanguisugis, ac Vermium differentijs.

CAP. VII.



Cernitur in hac imagine suprapositã homo pedibus immersis in aquam, atq; illis sanguisugæ adiunctæ: similiter & equus talem bestiolam ad pedes habens adhærentem: quod hac ratione factum ostenditur, quia commune remedium est hominibus & iumentis, superfluum sanguinem, siue putridum, in Aquilonaribus terris huiusmodi remedio tollere, licet illis ordinaria phlebotomia cum uentosis, aut corniculis inflammatis haud desit, prout lib. 15. cap. 35. de balneis, & uentosis, ac phlebotomia reperitur expressum. Verum ut opinio eorum discutiatur, qui perpaucos maximè huius generis uermes in frigidissimis illis terris, ac aquis inesse posse autumant, ubi terra subtus in saxeam duritiem ad quinq; uel septem pedes, similiter et aqua congelatur: annectendum hic erit de generatione, et natura diuersorum uermium, quomodo in tam arduis frigoribus incolumes seruari queant. Sunt autem uermes aut terræ, aut aquæ, aut aëris aut frondium, aut lignorum, aut uestium, aut carnium, aut piscium, deniq; caseorum. Terræ uermes, qui annulari contractu in directum partes corporis gradatim porrigendo mouentur, hyeme secundum Aristo. lib. 8. de animal. cap. 14. in ruinis, seu uenis terræ, quo nullum penetrat frigus, præsertim sub niuibus altis, terram congelari prohibentibus, latitant, dormiunt, atq; conduntur. Hæc etiam nix talpis uiam liberam pro muribus, ac uermibus huiusmodi deuorandis relinquit, quoniam mures sub alta niue inter paludum meatus, ac terræ cauernas discurrunt, atque etiam fœtum producunt. Experimentum huius rei facilimè resoluta ostendit quæ ueluti retia perforata, uestigia ac nidos murium procreatorum indicat. Aquę uermes: de quorum genere rana est, hyeme latens in riuis calidis, & aliquando in aquis sub terra, quæ hyeme sunt calidæ: in uere ad aquas procedit: aliquando in autumno frigore correpta habitationes humanas intrat, atq; in ignem, uel cineres, aut hominum sinus repit. Estq; sciendum, quod ranæ tempore autumni, naturali silentio subiectę, una tamen imperiosè uociferãte innumeræ in uicinis paludibus latitãtes, ueluti tempore coitus respondent, & uicissim subito silent: demum exci-

tatę importunius clamant, iterumq; silent: nec ulla eminet supra aquas, tardantem hyemem significans.

Adhuc de diuersitate Vermium.
CAP. VIII.

AEris uermes: de quibus superius eodem lib. cap. 1. dictum est, quales sunt aranei semper in labore permanentes, qui etiam in hyeme tam inter homines, quam in stabulis iumentorum telam suam suspendunt: ubi & papiliones Faedele Gothicè dicti, uermes multorum colorum rubei, candidi, hyacinthini, & uarij, sub tectis latitant, qui asperrima in hyeme capti, ac calidis locis immissi, mox ut reliquæ muscæ uolant. Frondium uermes: hi in sacculum instar testæ densissimæ se includunt, in quo per hyemem cum semine pendent, donec surgente calore uerno uita priuentur, quam semini offerunt. Lignorum uermes: de quorum genere est teredo, eò quod terendo edat lignum: hunc Isidorus Latinè termetem uocari inquit: nascitur ex humore corrupto in ligno, & nascēdo paulatim exedit lignum, consumiturq; humor naturalis. In tali autem ligno hic uermis procreatur, quod non est excisum in ultimis tribus diebus decrescentis lunæ: in aridis lignis Indiæ propter siccitatem non inuenitur: per Europam tamen in omnibus lignis plurimi reperiuntur, licet rarius in tilia, & quercu. Viuit hyeme in arida medulla quercus, & uastæ tiliæ. Vestium uermes: qualis est tinea, à tenendo dicta, quia eo usq; lanæ, ac pilis insidet, quo erodat: de exhalatione corruptæ lanæ originem suam trahit, quam posteà corrodit, maximè pilos zebellinos, & mardurinos. Carnium uermes & laridi: ut est tarmus, qui in larido porci nascitur quando putrescit, estq; hirsutus uermis, & quoq; in carne anserina inueterata procreatur. Vermis quidam candidus, nigro capite, qui nascitur in pane biscocto: hunc castrensi obsidione per biennium in regia ciuitate Holmensi clausus, cum alijs satis hilariter comedi. Vermis deniq; alius caseorum, saliens instar arcus in pinguibus caseis, qui nullo frigore interimitur. In his etiam uermes instar atomorum solis quasi corpora indiuisibilia, atq; sensu imperceptibilia: quorum quidem motus in infinita multitudine, ac crassitudo aliqua eorum cernitur, sed uera forma difficilimè percipitur. Vermis uerò propriè est, qui nascitur in carne putrefacta, tinea in uestimentis, eruca in olere, teredo in ligno, tarmus in larido. Ex medulla spinæ dorsi humanorum cadauerum nascitur (teste Pythagora) serpens, ex bobus apes, ex equis crabrones.

De Apibus, & earum nutrimentis.
CAP. IX.



REgiones Aquilonares uti in plurimis rebus tam necessarijs, quàm etiam superfluis, in usum cæterarum nationū communicandis, abundāt: ita & singulari naturæ benignitate prouidente, maximā mellis copiam habent, magnāq; curam semper, & ubiq; circa apes adhibent, ut pura custodia seruentur, & coalescāt. Cum autē mella de aluearijs exempta sunt, mos est genti tantum nouellis apibus dimittere, quantū eis sufficere uidetur ad hyemalem uictum, scilicet duas partes: quia in hyeme, ac principio ueris, anteaquam flores apparent, ex melle, contritis ficis, & uuis passis aliunde quæsitis maximè uiuunt. Sed quia res

res istæ exoticæ sunt, & rarò inueniuntur, mel eis pro esca præcipuè relinquitur: quod etiam minoris, quàm prædicta, uenditur: quamuis necessitate urgente loco mellis contusis fabis, pisis, libis ex papauere confectis, triticea farina mulso humectata, etiam carnibus pullorum recẽter occisorum, in minutissimas partes confractis nutriãtur. Refert Plin. lib. 11. cap. 16. quod apes à bruma ad Arcturi exortum diebus sexaginta somno alũtur sine ullo cibo: ab Arcturi exortu ad æquinoctium uernum tepidiore tractu iam uigilant, sed etiam tunc alueo se continent, seruatosq; in id tempus cibos repetunt. Dicit tamen Aristo. lib. 8. de animal. cap. 14. & 17. quòd formica, mus, talpa, ac reliqua insecta, atq; minuta animalia per hyemem in tabernaculis suis latitent: tum quod apes in aluearijs quamdiu algor uehemens est condantur, ne cibum sibi præparatum gustare, & si quà erepserint, ieiunas spectari, uentre translucente: quamuis contrarium lib. 9. cap. 40. sentire uideatur. Quiescere præterea eas ab occasu Vergiliarum, usq; ad tempus uernum: quod in Septentrione saltem pro apum exitu principium, uel medium Maij intelligitur, quoniam tunc primum arbores folia producere, florere, campi ad largiorem fructum, animaliumq; uberiorem pastum germinare incipiunt, apesq; mella in maiori copia colligunt. Pro noua tamen propagatione in Iunio examina surgunt, nouas mansiones quæsitura: circa solstitium æstiuale agmina & principatus diuidunt: quo tempore patronis diligentior cura aërei gregis custodiendi incumbit, ne ab aspectu euolet, prout infrà dicetur. Est etiam notandum, quod arescentibus floribus in campis, ob nimiam ac continuam aëris siccitatem, nutrimentum apibus mel, aut aliud æquiualens, ex dulcibus quibusdam confectum præstet.

De modo quærendi Apes sublimius euolantes.

CAP. X.

CVM uerò sublimius uolant, solicitum insequentis aspectum ingenio multiplici fallunt, ne ubi stationem habent, reperiantur. Quocirca qui domicilia earum indagare sibi proposuerunt, ad limpidas aquas progrediuntur, ad quas aquandi causa apes, cum sobolem faciunt, in maxima multitudine conueniunt: ubi plures comprehensę, candidoq; filo digiti longitudine cum pice signatę, uolatu continuo ad principalis agminis manentem locum, uerum accessum patefaciunt: uel alias cum gypso, rubricaúe molli circa fontes in dorso signantur quo statio earum propinquior an remotior, per celerem aut tardum reditum consyderari solet: deniq; canum sagaci latratu (ut etiam Palladio lib. 5. placet) apũ examen in arboribus hærentium, per strepitum, quem satis magnum edunt, facilimè demonstratur. Posteà deprehensæ securi, uel serra leniter rami, aut frondes, quas insederint, ab altissimis arboribus, ut commodius alueis imponi queant, separantur. Inuestigantur autem matutino tempore, ut tota dies ad sequẽdum sufficiat: uespeti enim peracto opere ad aquas non reuertuntur. Vasa quibus apes recipientur, dulcibus ac odoriferis herbis, & melle interius liniuntur: quo euenit, ut multiplicatæ ad ea libentius reuertantur: utq; id opportunius fiat, fumo à speluncis, uel arborum cauernis, quibus adhærere solent, exturbantur, & plausu, tinnitúue æris, ne alio se conferant, quando forsan animum auolandi habẽt, sed mansionem in alueo ad hoc destinato retineant, conuocantur. Si hoc modo per triduũ conseruantur, et respiraculis paruis cibus apponitur, posteà fugitiuæ minimè creduntur, pręsertim si stercore primogeniti uituli orificia alueorũ illinita fuerint: & hoc quoque Palladio lib. 1. placet. Hic etiam lib. 2. asserit, quòd nouellæ apes uagãtibus animis facilè nisi seruentur, effugiẽt: atq; eius euolationis signũ esse, biduanum uel triduanum antea præmissum murmur: cui tamẽ per solicitum custodem remedio opportuno

facilè

facilè occurritur, uasis uidelicet pauco melle liniti appositione, quodq; tenui puluere, aut aqua mulsa, aut lacte, nimio strepitu exeuntes conspergantur, uel fasciculi ex odorifera herba mellissophyllo, siue melittena (cuius flores, uti Plin. lib. 21. cap. 20. refert, plurimum appetunt) confecti alueorum orificijs admoueātur. Vbi autem stationem examen firmauerit, attendere solent insequentes domini, atq; in suam potestatem redigere, nisi atrijs, aut turribus templorum adhæreat, quoniam tunc dictamine pietatis totum examen Ecclesiæ deputatur, ut inde cereos conficiat. Si uerò super cunabula, aut dormientium infantum ora consederit, illi cedet: & expectatur euentus integerrimi ciuis futuri, ut idem Plinius lib. 11. cap. 17. de Platone affirmat, cuius os infantis existentis apum examen circundabat, suauitatem illam prædulcis eloquij portendens: quemadmodum etiam beati Ambrosii, unde posteà quoq; & melliflua effluxere eloquia, pro medicina omnium sitientium animarum.

De cautela in Apibus comparandis. CAP. XI.

QVantum ad emptionem apum id seruatur, ut alauearia plena emantur: quæ plenitudo uel inspectione, uel murmure magno, uel frequentia commeantis examinis cognoscitur. etiam circa eas comparandas attenditur, quod paruæ sint & uariæ, tum in rotunditatem compactiles, atq; constrictę, quia diligentius laborant, & fauos ac mella subtilius formant. Ex uicina potius regione, quam longinqua emuntur, ne ad inconsuetum aërem delatæ corrumpantur: maxima enim earum pestis est rigidus aër, & turbulentus. Per noctem in dorso ad longinqua loca aluearijs occlusis deportātur, sed melius in curribus ubi palustria, ac plana sunt loca, quandoquidem singulis curribus quindecim, uel uiginti aluei simul et hi quidem commodè imponi queunt, prout mos est in terris Brabantię, & Flandrię, ubi aluearia ad campestria pascua distinctis æstatis temporibus, nutrimenti causa deferuntur, ibiq; sine custodibus in maximo numero dimittuntur, grauissima pœna adiecta in quencunq; huiusmodi publici boni depopulatorem: qui licet testibus conuinci nequeat, seipsum tamen impertinentis rei uenditione facilimè prodit. Non enim circa parietem dominorum aluearia cum apibus custodiri possunt neq; etiam debent (ut Palladio lib. 1. uidetur) ubi infinito numero apum statim in exiguo terræ spatio idoneum nutrimentum deficeret.

De nocumentis Apum. CAP. XII.



PRo cō pertissimo in terris Aquilonaribus habetur ut post resolutionē den sarū niuium, cāpi & prata mira in uarietate multiplices herbas, & diuersarū arborū suauissimos flores producant: quibus apes post longum ieiuniū hyemale nimia uoracitate abutētes, ęgritudinē sæpius incurrūt imò subitā mortē, prout etiā Palladius lib. 4. his uerbis testatur: Apibus nocet plerūq; felicitas sua, nā si nimijs floribus annus exuberat, dum solam curam generādi mellis exercent, de prole nihil cogitant: cuius omissa reparatione, populus idem labore confectus, totius extinguitur gentis exitio. Itaq; idem Palladius remedium affert ut interiectis trinis diebus clauso foramine ad pascua non permittantur exire:

quod

quod ad generandum sobolem plurimum opinatur conferre. In hyeme circa apes singularem dispensationem esse adhibendam Aristoteles lib. 9. de animal. cap. 40. docet, ut secundum multitudinem eis prouideatur. Redduntur enim otiosiores, si in eximendis fauis plus mellis relinquatur: itaq; pro examinis numero relinquendum est. Agunt etiam anxius, si plus demetatur, quàm ut residuum cibo sufficiat: atq; etiam si alueus iusto amplior sit, desidiosiores redduntur: ægrius enim, quasi desperent, operi incumbunt. Et Plin. lib. 11. cap. 16. refert (quod ratio persuadet) pro hyeme duas partes mellationis apibus relinquendas esse: tum etiam in eximendo melle alueos expendere operæpretium, ne ob inopiam cibi desperent, effugiant, uel moriantur, aut econtrà ob mellis copiam ignauæ fiant. Fures quoq;, lenones, ac mulieres menstrua patientes, accessu suo ad aluearia apibus plurimum nocent. Palladius lib. 4. idem asserit de exercentibus rem uenercam, cibos acres, ac odoris immundi, & omnia salsamenta comedentibus: cui Plin. eodem lib. cap. 18. his uerbis astipulatur: Odere apes fœdos odores, proculq; fugiunt, sed & infectos. Itaq; unguenta redolentes infestant, ipsæ plurimorum animalium iniurijs obnoxiæ.

De inimicis Apum.
CAP. XIII.

IMpugnant eas (teste Plin. præallegato libro cap. 18.) naturæ eiusdem degeneres uespæ, atque crabrones, & è culicum genere, qui uocantur muliones: populantur hirundines, & quædam aliæ aues. Sed in fauo fucus exortus examinis apum morbus est; cuius tamen malitiam in uno natura repressit, quòd non habeat stimulum: terrestres uerò fuci stimulo noxio utuntur ad senium defectuosum (morituri) citò uergentes: & hi malefici à Platone Dialogo 8. in uerbo Duo genera fucorum nominantur. Insidiantur apibus aquantibus ranæ, quę maxima earum est operatio tum, cum sobolem faciunt. Nec hæ tantum, quæ stagna riuosq; obsident uerum & ruberæ ueniunt ultrò, adrepentesq; foribus per eas sufflant: ad hoc prouolant, confestimq; abripiuntur. Nec sentire ictus apum ranę traduntur. Inimicæ & oues, difficile se à lanis earum explicantibus. Cancrorum etiam odore si quis iuxtà coquat, exanimantur. Inimica et echo est resultanti sono, qui pauidas alterno pulsat ictu: inimica & nebula. Aranei quoq; uel maximè hostiles, cũ præualuere, ut intexant, enecant alueos. Papilio etiam hic ignauus & inhonoratus, luminibus accensis aduolitans, pestifer: nec uno modo. Nam & ipse ceras depascitur, & relinquit excrementa, quibus teredines gignuntur, ceræ depopulatores: filis etiam araneosa, quacunq; incessit, alarum maximè lanugine obtexit. Hæc Plinius. Lacertæ deniq; apibus sunt infestæ, cum inter herbas mella colligunt, etiam quando aluearia ingrediuntur, ad earum ingressum uigilant. Huic malo optimum remedium præstat minimum foramen ad quantitatem apis formatum, etiam stercus bouinum circumquaque linitum, quod & contra uermes, frigus, ac uentum ad apum conseruationem mirè confert.

De alijs nocumentis Apum, & earum remedijs.
CAP. XIIII.

MVltitudo quoq; muscarum negotia impedit apum, ac tempora pluuiosa. In aluearijs inuenitur uermis, qui in modum aranei telam facit, & dominatur super totum aluearium, mel putridum reddens: sed is (ut Palladius lib. 4. in principio refert) suffitu aridi stercoris bouini, in uere collecti, sine apum læsione facilius ab alueis fugatur. Sunt & apes solitariæ quædam, & otiosæ, quæ uolando per aërea loca, quasi exercentes se cum apibus operosis, intrant aluearia, & comedunt mel: sed apes operosæ eas interficiunt, ac extrahunt,

maximè reges,quorum officium est rempublicam suam æquis legibus tueri,et gubernare.Si quis apes secundum Ambrosium lib.5.Hexamer.cap.22.oleo casu superfundat,properè necantur,eò quòd obstructis poris,aërum spiramen illud haurire non possint:continuoq́; si quis acetum his superfundat,illico reuiuiscunt,eò quod uis aceti citò illos poros,qui concretione olei(alias magis continuo olei humore)obstruuntur,humore acido feratur aperire. Contra lacertas, aliaq́; insecta ab aluearijs arcenda,ponantur altius à terra,fimoq́; bouino paruo relicto foramine,fores(ut dictum est)obliniantur.Contra uentos,pruinas,& tempestates erigantur parietes,uel sepes altę,frondibus & folijs arborum, uel herbarum condensatæ.Contra sordes,quas tempus hybernum contraxit,uel uermiculos, tineas, araneos,& papiliones,purgamentum fiat,fimo bouino,tempore mensis Aprilis,ut à Palladio sæpius est notatum:qui & lib.5.dicit:Mense quoq́; Aprili purganda sunt aluearia(quod in Aquilone in mense Maio intelligitur)à sordibus,& maximè papilionibus,qui tunc propter florentes maluas abundant.Qualiter autem ursis resistatur appetentibus mella,superius lib.18.cap.29.est expressum,quòd scilicet arbores ascendentes ad deprædanda mella,claua aculeata ab arbore pendente,atq́; mota,ipsi in capite debilissimo læsi interimantur.Rimæ deniq́; seu fissurę fructiferarum arborum ui tempestatum,aut alia uiolentia ortæ, nullo celeriori remedio, aut meliori medicina restaurari queunt,quàm recenti fimo bouino,per quem illico quasi uisco,uel bitumine uicissim conglutinantur.

De Apibus infestantibus ebriosos.

CAP. XV.



LIcet apes iniuria aliquorum animalium lacessitæ,stimulo seu aculeo,ueluti unico à natura concesso armorum genere,sese acerrimè uindicare norunt: nulla tamen aduersus uiolentum hostem acrior pugnandi causa existit,quàm hominem ebriosum fœtido anhelitu,quē maximè abhorrēt,domicilijs earū appropinquantem, aculeis petere.Sępius enim cōtingit,ut ob nimiā crapulā homines quasi mente capti, aut omni ratione priuati,nō solum nesciāt aperta euitare pericula,sed quod in ipsa etiā celerrimè ruant,ita ut pars pręcipitio, pars aqua,pars suffocatione cōclusi spiritus extinguatur. Sed fortunatior multo cæteris iudicatur,qui incauto accessu aculeis lædentium apū ad sensum,& sanam mētē reducitur,ut à maioribus antedictis liberatus periculis, àmodo sobrietatem summo studio colere addiscat.Stigmata tamē,seu pūcturæ in facie èbriosi remanent,tāquā carnea quædā massa,nulla prorsus discretę faciei forma apparēte:quas peritiores,ac sobrietati magis operā dātes,succo uirentis maluæ,aut unctione,recentis butyri adhibita tollūt.Moriūtur autē secundū Aristotelē lib.9 cap.40. apes quando pungūt,quoniā sine intestini eruptione aculeum haud emittere possunt: sæpe plurimū nocet ei,qui ab apibus ictus est, nisi locum,in quē aculeus infixus cum aluo stringat,& ab eo aculeum extrahat.Nam & ictu sui aculei maxima animalia,ut equos,& eorum pullos,necant.Pugnant etiam apes contra extrahentes mella.Item iuxta eundem autorē loco prærallegato,breuiores apes,lōgas pugnando interimūt:etiam omne insectū quod extraneum est,aluearibus custodum negligentia intromissum.Apes(teste Plin.lib.11.cap.17.)deficiente cibo alicuius aluei,impetum in proximas faciunt rapinæ proposito.At illæ cōtrà dirigunt aciem & si custos adsit,alterutra pars,quæ suis fauere sentit, non appetit eum . Ex alijs quoque sæpe dimicant causis:easq́; acies contrarias,duo imperatores instruunt,

maximè rixa in conuehendis floribus exorta, & suos quibusque euocantibus: quæ dimicatio iniectu pulueris, aut fumo tota discutitur: reconciliantur uerò lacte, uel aqua mulsa.

De officijs Apum.
CAP. XVI.

APum ignauia, ut prædictus autor eodem lib. cap. 16. asserit, fumo crebriore excitatur ad opera, nam nisi incubauere, fauos liuidos faciunt: rursus nimio fumo inficiuntur: quarum iniuriam celerrimè sentiunt mella, uel minimo contactu roris acescentia. Hæc Plinius. Portas more castrensium seruant. Tempore matutino secundum Aristotelem loco supra allegato, omnes silent, donec una gemino aut triplici bombo, uelut buccina omnes excitet: tunc si dies mitis futurus est, uniuersæ ad opus prouolant. Ventos enim, hyemem, & imbres præsagiunt: cuius rei indicium est, quòd non auolant: & quando sereno tempore adhuc in alueo uolutantur, apiarij hyemem expectant. Cum autem redierint, atque aduesperascit, primum item tumultuant, paulatimque subinde minus strepunt, dum una circumuolitando susurret, eodem quo incitauit bombo, & hoc castrorum more quasi dormiendum præcipiat: tum repentè omnes conticescunt. Cæterum effecto penitus opere, educto fœtu, functæ munere omni, exercitationem tum solennem habent: spatiatæque in aperto, & in altum datæ gyris uolatu editis, tum demum ad cibum redeunt. Earum etiam diuersa genera, & officia, Aristoteles eodem loco in hunc modum recitat: Singulis autem muneribus se distribuunt, ut aliæ flores conuehant, aliæ extruant, aliæ poliant fauos, & dirigant: aquam tunc portant, cum prolem nutriunt. His prædispositis subitò opus, maximè sub tempore sereno, præparant. Cernuntur præterea iuxta beatum Ambrosium lib. 5. Hexame. cap. 21. certare de munere, alias inuigilare quærendo uictualia, alias solicitam castris adhibere custodiam, alias futuros explorare imbres, & speculari cursus nubium, alias de floribus ceras fingere, alias rorem infusum floribus ore colligere, nullam tamen alienis insidiari laboribus, & rapto uita quærere, atque utinam raptorum insidias non timerent. Hęc Ambrosius. Vna tamen huius mellis quod colligunt utilitas, in superioribus libris, præsertim 18. ubi de ursis & melle agitur, omissa est, aut libro 9. capite 19. quòd uidelicet ad obsidionem diutius tolerandam, copiam mellis habere, ad potum saniorem conficiendum, quando deficit, plurimum præstat, maximè pro his, qui hausta aqua continuè infirmantur: quibus forsan uita functis, obsidio defectu consiliorum (quod sæpe contingit) sustineri non posset. Quomodo autem potus ille fortior, uel tenuior conficitur, libro 13. capite 24. & sequenti abundè monstratum est.

De Apibus sub niue, & glacie seruandis.
CAP. XVII.



SED neque Aquilonares regiones ob asperrimas hyemes apibus, aut melle carent, præsertim homines Meridionalia & Orientalia loca inhabitantes, licet Iordanes uerum dixerit, suppolarem oram Aquilonis incolentes, apum usum non habere, cum alioquin per totam penè Septentrionalem plagam in omnibus ferè locis sit maxima abundantia mellis, prout superius plurimis in capitulis est ostensum.

sum. Quod autem in extremo climate polari apes non sint, cum uehementissimus uentus Circius, tum crabronum, uesparum, ac locustarum innumera multitudo in causa est, contra quas bestiolas nequaquam solę apes se opponere ualent. Satis tamen ingeniosè Septentrionales eas sine morbo, & diminutione ab algore uehementi per hyemem custodire norunt, eo scilicet modo, quòd in medio mensis Septembris culmo siligineo, uel arundine, aluearia undiq; cooperiant, primo ueniente frigore aquam desuper spargentes, ut congelentur: deinde altam niuem super eundem culmum ueluti longissimam cutem congerunt, ut nullo demum frigore quantumcunq; forti accedente, obtruncari queant: alioquin per negligentiam talis prouisionis faciendę, multæ apes morerentur. Aliquę etiam apes, spissis inclusæ lignis, pineoq; cortice coopertis, inter densas niues per hyemem fere spatio octo mensium à frigore illæsæ permanent. Sic autem reconditæ secundum Plin. lib. 11. cap. 16. diebus sexaginta sine ullo cibo aluntur: posteà in mensem Maij usque uigilant, sed propter frigus etiamnum imminens alueo se continent, atque cibos, quos æstiuo labore quæsiuerunt, in id tempus seruatos repetunt. Hyeme denique peracta, tantò plus in reparando labore, & colligendo melle proficiunt, quantò in locis amœnioribus, ac magis floridis campis, hortisúe sint collocatæ: taliaq; loca omni fertilitate repleta, in Aquilonaribus terris innumera reperiuntur.

De immunitate Apum ob utilitatem, ac regiminis ratione.

CAP. XVIII.

INcolæ igitur terrarum uidentes eas multiplici ratione super omnia insecta animalia habere principatum, esseq; solum propter usum hominum genitas, magna easdem legum libertate conseruant, ut ubique locorum permaneant inoffensæ. Agricolis etiam uenturam pluuiam è foribus aluearij dependentes, & ex eisdem celerrimè euolantes, redeuntesúe præsagiunt, suoq; communi labore omnibus ordinem adhibent, quo cereas structuras unanimi moderamine absoluant. Cum uerò secundum Aristot. migrare in animo habēt, uox solitaria & peculiaris quædā aliquot antè diebus intus mittitur, & biduo aut triduo paucæ circū alueum uolant: an rex etiam inter eas sit, explorari haud potest, quoniam difficile cognitu est. Hic tamen magno cum agmine exit: satellites quidam, lictoresq;, tanquam assidui custodes autoritatis sibi assistunt, pluresq; turmæ eum circundant. In hunc modum collectæ apes, noua domicilia quęsiturę auolant: quę possessoris uisu per campos, & syluas diligentius obseruantur, ut eas in alienum fundum descendentes, ea scilicet seruata lege, quæ naturali æquitate in omnibus nationibus est communis, repetat. Apum seniores dulcius propter experientiam mellificant, quàm iuuenes: sed acrius pungunt. Rex eorum secundum Ambrosium lib. 5. Hexamer. cap. 21. formatur insignibus naturæ clarus, ut magnitudine corporis præstet, & specie, tum quod in rege præcipuum est, morum mansuetudine. Nam etsi aculeum habeat, tamen eo non utitur ad uindicandum. Sunt enim leges naturæ non scriptæ literis, sed impressæ moribus, ut leniores sint ad puniendum, qui maxima potestate potiuntur. Sed & apes illæ, quæ legibus regis haud obtemperauerint, pœnitenti se mulctant condemnatione, ut immoriantur aculei sui uulneri. Deniq; ipsum regem suum summa protectione defendunt, & pro eo pulchrum perire putant: cui plus deuotionis, quàm Indi, uel populi Sarmatarum suis Regibus exhibent. Reges apum secundum Aristotelem loco iam suprà allegato, nunquàm foris uisuntur, nisi cum migratur, & tūc ita, ut reliquæ omnes circa ipsum principem suum glomerentur. Quandoquidem autem pluralitas Principū in omni imperio obest,

obest,ita quoque in apibus errorem, omniumq; mortem, ac perniciem inducit. Quamobrem cum plures reges habent,per quos sigillatim diuiduntur,& si fortè paucæ prope multas consistunt, concedunt paucæ ipsæ ad plures, regesq; suos derelinquunt, ac ipsi qui pluribus præest,adhærent: sin uerò posteà primus rex eas insequitur,ac insuper molestare cupit,cum tyrannidem exercere in animo habeat,eum interimunt.Seneca libro primo de Clementia dicit,naturam regi apum aculeum detraxisse,iramq; eius inermem reliquisse. Vnde magni Reges euidens sibi exemplum quærere possunt, quòd pudeat eos ab exiguis animalibus mores non trahere,cum tantò moderatior animus hominum esse debeat, quantò uehementius nocet.Denique mira secundum Plin.libro 11.capite 17.apum circa regem obedientia. Cum procedit,unà est totum examen,circaq; eum conglobatur,cingit,protegit,cerni non patitur. Reliquo tempore cum populus in labore est,ipse opera intus circuit similis exhortanti,solus immunis. Circa eum satellites quidam,lictoresq;,assidui custodes autoritatis. Procedit foras non nisi migraturo examine. Hæc Plinius.

De Melle,& eius probatione.

CAP. XIX.

MEllis abundantia magna est in Septentrionalibus terris, ut in plerisque locis paulò antè de apibus fuerat annotatum,præcipuè libro decimooctauo capite uigesimooctauo & uigesimonono. Attestatur Plinius libro undecimo capite decimoquarto,fauos Septentrionales cæteros magnitudine superare,ponitque in exemplis octo pedum longitudinis uisum fauum. Sed reuera adhuc longiores in Podoliæ terris Regi Poloniæ subiectis, reperiuntur: ubi apes propter pascuorum ubertatem,odorem suauem, florem abundantem, ac saporem iucundum,maximas siccarum terrarum foueas fauis melle plenis replent,ita ut immanes ursi in tales foueas cadentes,ob nimium mel deuoratum suffocentur. Et hinc est,quòd tot tantaq; nauigia Orientalium gentium,ceræ plena,per uniuersam Europam dispergantur:ceram quidem ad finitimas oras emittunt,uerùm mel pro infinito usu,præcipuè omnigeno potu, uino deficiente, sibi in magna copia reseruant,prout superius libro decimotertio in plurimis capitulis satis superq; tractatum est. Post æstiuale igitur solstitium,uti optimum mel (etiam per excellentiam bonum)colligitur,ita & in illis terris sine fraude doloue in sua puritate conseruatur:licet ultra mare translatum,insatiabili mercatorum auaritia adulteretur.Quomodo autem id fieri soleat,emendent hi, qui id flagitij committunt:& nemo deinceps addiscere sibi proponat,qualiter hæc execrabilis ars perficiatur.Mella enim, quæ post solstitia colliguntur, adeò salubria sunt,ut nedum pro sano cibo in pane,potu,& escarum condimentis usurpentur, sed etiam pro electissimis medicinis diligenter custodiantur:quandoquidem in Aquilonaribus terris medici (ut libro decimosexto capite 50. dictum est)rarissimi sint,sed salubris aër, escarum sana uirtus,& melleus potus,optimam medicinam præstent. Hic quantò uetustior est à tempore suæ decoctionis (nempe sex,uel duodecim annorum) tantò efficacior ad multorum morborum remedia adhibitus reperitur. De hoc denique melle æstiuo,quod à tempestiuitate præcipuè nomen habet,& quod præcipuè circa æstiuale solstitium colligitur, Plinius loco suprà allegato in hunc modum meminit: Immensa circa hoc subtilitas naturæ mortalibus patefacta est,nisi fraus hominum cuncta pernicie corrumperet.Namque ab exortum syderis cuiuscunque, sed nobilium maximè,aut cœlestis arcus,si non sequantur imbres,sed ros tepescat solis radijs, medicamenta non mella gignuntur,oculis,ulceribus, internisq; uisceribus dona cœlestia. Quòd si seruetur hoc Sirio (id est Canicula) exoriente,casuq;

congruat in eundem diem (ut sæpe) Veneris, aut Iouis, Mercurijúe exortus, non alia suauitas, uisq́; mortalium malis à morte uocandis, quàm diuini nectaris fiat. Hęc Plinius. Mel ferè per seculum durat, obsidione clausis inęstimabile solatium, ad innumerabiles defectus subleuandos.

De Formicis.


CAP. XX.

FOrmicas tam alatas, quàm sine alis in multiplici specie habent terræ Aquilonares: quæ maiores, & alatæ sunt, in solitudinibus ædes ex folijs capillatis pinorum, ac insectis pectinum modo abietum confectas, atque magno altoúe cumulo congestas inhabitant. Has ursi leuandi pruritus gratia in naribus impetuosè molestant, sed celeriter ab earum domibus recedunt, ne aliquas in suum nidum comportent, quæ quandoque sobole multiplicata eos à proprijs cauernis exturbare possent. Præterea in turribus altis Ecclesiarum, regijsq́; pomarijs sua domicilia collocant: ubi aliquando notatæ sunt euentum abbreuiandi imperij Regum portentoso omine præsagiuisse, quòd uidelicet Reges à plebeia multitudine uel occisi, uel è regno expulsi sint. Quando autem tale aliquod portentum imminet, tunc tenuiores formicæ iniuria maiorum excitatæ, arborem, præsertim antiquam pyrum, in qua grandiores morantur, infinita multitudine ad iniuriam illatam ulciscendam ascendunt, pręliumq́; graue in ea committunt: quod nullo modo anteà dirimere, licet ab utraque parte plurimæ earum ab arboris frondibus moribundæ ruant, quàm maiores superarint, earumq́; mansionibus potitæ sint, in animo habent. Hoc genus portenti binis in locis, Vpsaliæ scilicet, & Holmiæ M. D. XXI. notatum est contigisse, quando Rex Daniæ Christernus II. ab incolis Suætiæ è regnis Gothorum ac Sueonum expulsus est, atque omnibus fortunis spoliatus. Tales enim nullius æstimationis creaturæ per iniuriam illatam prouocatæ, inuictæ pro diuersis generibus detrimentorum acceptis, ad uindictam atrociter sumendam existunt: neque aliter, quàm iratorum numinum prodigiosi nuntij, nihil boni suis prælijs annuntiantes, reputari queunt. Sunt præterea formicæ rubeæ, paruę, urina sua ualde noxium pruritum excitantes: atque hę ab Aquilonaribus uenenatę appellantur, & in tuberibus pratorum habitant. Verùm hoc genus formicarum ab alijs iam enumeratis in laborum assiduitate haud dissimile esse uidetur, quoniam etiam uestigia cursus sui in duro silice relinquit, prout refert Plinius de eo, libro undecimo capite 30. in hunc modum: Silices itinere formicarum attritos uidemus, & in opere semitam factam, ne quis dubitet qualibet in re quid posit quantulacunque assiduitas. Hęc Plinius. Vnde meritò omnis piger ac desidiosus ex his, ne fame pereat, exemplum assumere debet: nec dubitet quantum sedulitas in re qualicunque erogata ualeat. Studiosa formica in continuis laboribus suis summa cum diligentia uersatur: ideoq́; in disciplina, industria maxima, ac conuersatione imitanda est. Non enim frustra piger à beato Ambrosio libro sexto Hexamer. capite quarto, ad formicam mittitur, ut eius assiduitate laborando se à frigore, & egestate tutum reddat.

De Marga-

De Margaritis, & earum generatione.

CAP. XXI.



NE autē margaritarū delicata materia post descriptionē pisciū omissa, intacta relinquatur, in primis fatendum est, in Aquilonaribus terris quosdam esse amnes gemmiferos: quoniam hi conchas producunt, è quarum testis albicantes margaritæ, licet pallidæ propter aërem gelidum, extrahuntur. Aër enim iste rori admixtus, circa medium mēsis Augusti in concham descendit, causamq; præstat, ut quantocyus margaritæ in ea contentæ maturescant. Hæ autem ita extractæ, in ornatu ac pretio apud Septentrionales habentur, atque ubi debito ordine collocatæ fuerint, pulchritudinem micantem obtinent: quæ illustratione mangonum augetur. Et hi quoque splendidiores Orientis margaritas, seu uniones maximo numero, præsertim in usum, uel potius abusum illustrium fœminarum, imò communis sortis mulierum, ad oras Aquilonarium apportant, quæ talibus tanquam rarioribus gaudent ornamentis, atque ijs in coronis, brachialibus, humeralibus, ac capitum deniq; tegumentis utuntur. Nulla tamen mulier ibidem quantumcunque illustris, uisa est unquam margaritas, uniones, aut gemmas propter graue opprobrium euitandum, auribus apposuisse, quasi non unicuique membro suum decorem & uenustatem, absque aliunde à uermibus uilissimis mutuato splendore artifex ipsa natura attribuisset. Olim honestissimæ mulieres, Reginæ præsertim, & Ducissæ, gemmas margaritasq;, ut superius libro decimoquarto cap. octauo dictum est, maximo pretio emptas, proprijs manibus laborando, ad usum & ornatum sacrorum uestimentorum ministrorum summi Dei deputarunt, cuius maiestati nunquam satis dignum putabant se posse obsequium exhibere. Sed proh dolor eò processit ardens muliercularum insania, atque æstuans luxuriæ pruritus, ut pilos capitis subtiliter pretiosis unionibus & margaritis retorqueant, totum forte thesaurum in hoc inani ornatu dilapidantes: quòd fortassis effœminati huiusmodi fallaci spectaculo magis, quàm ambigua pudicitia, quę tot exoticis signis prostituta uidetur, in earum amorem (plurimis uenalem) allici queant. Et ubi forte fortuna inter tales personas connubium sequitur, quid maritus præter unam concham margaritis plenam, sed stupidam adipiscitur? Prætereà neque ipse multum prouidus reputabitur, dum nihil excellentius in fœmina, quàm talem inanem fucum, & forsitan scissas uestes, odores, ac blandiloqua uerba desiderauit, per quæ tandem etiam omnes suos sensus infatuatos experietur. Igitur amputando hac in re omnem perplexitatem, uir fortis consilio Sapientis Prouerb. cap. ultimo, producat mulierem fortem, in qua confidat cor suum, & spolijs non indigebit. Denique notandum est, quòd Nero omnes scurras, & protomimos pretiosis margaritis ornauit, ut forsitan sibi similes essent.

Conclusio huius Operis.

CAP. XXII.

TAndem ab Aquilone rebus plurimis adductis,atq; in lucem editis,alibi per orbem minus (ut apparet) usitatis,perplexo instituto,ne prolixius aut fastidiosius diuagetur,aliquando finis optabilis erit imponendus. Vereor autem ne occasione comperta has lucubrationes leuiter magis,quàm utiliter iactare uideamur,cum exigua atq; sterilia de proprijs nos assumpsisse, opulentiora uerò ab alieno thesauro,quasi ornatiora uasa pro nobilioribus hospitibus,aut inspectoribus exhilarandis,mutuasse confitemur. Idq; aliorum more bona fiducia freti eò syncerius fecimus,quò ueterum scripta atq; dicta (tanquam uetus moneta, quæ purior existimatur)tutiora ad imitandum probantur: neq; aliquid censeri poterit proprium, quod antiquitas diligentissima millies ad posteros non transmiserat examinatum. quod etiam in hoc uolumine,qualecunq; sit,si nihil aliud efficit, saltem uarietate sua,atq; picturarum diuersitate fastidium legentium deprehenditur moderari. Atque in hoc nostro proposito iudicando,aliquis non incongruè uerbis diui Augustini lib.11. de Ciui.Dei ca.22. inniti poterit,sic dicentis: Diuina prouidentia nos admonet non insipienter res uituperare, sed utilitatem rerum diligenter inquirere:& ubi nostrum ingenium,uel infirmitas deficit,ita credere occultam,sicut erant quædam,quæ uix potuimus inuenire:quia & ipsa utilitatis occultatio,aut humilitatis exercitatio est,aut elationis attritio, cum omnino natura nulla sit mala. Hæc ille. Nemo etiam præcipiti iudicio (hortante Platone in principio de Legibus,ut superius in præfatione libro 19. citatum est)ignotæ rei naturam,ob difficilem eius notitiam,damnet,aut arguat,donec acrius inquirat,& rectius intelligat,atq; æquius dijudicet,quid artifex ipsa natura producere,productumq; suis legibus statuere possit &c. Qui autem præsentis uoluminis collectanea fastidierit,aut minus utilia putauerit,nostræ humilitatis consilium est, ut se conuertat ad amœnius studium,in quo quicquid inuestigatur,est ueritas, quicquid præcipitur bonitas,& quicquid promittitur felicitas,Ipse autem mediator Dei & hominum, IESVS CHRISTVS homo,ueritas est sine fallacia, bonitas sine malitia,& æterna felicitas sine miseria: cui sit honor, & gloria ab Aquilone, mari, ac omni natione in æuum sempiternum.

AMEN.

LIBRI XXII. FINIS.

APPENDIX EORVM QVÆ ABSOLVTO HOC OPERE, EX HISTORIA IOANNIS MAGNI

ſuperfuerunt: eaq́ quò hiſtoria eſſet integra, hic ad calcem Operis ſunt adiecta. Ne autem humanus Lector in hac Appendice uerſetur, tanquam uiator in regione peregrina: hic, quæ τῶν ἡμῶν παραλείπομεν, ſint proximè antecedentia uel cohærentia: annotauimus ut plurimum etiam, quo potuiſſent per occaſionem referri.

Ex lib. 1. Cohærent autem hæc ijs, quæ habentur ſuprà lib. 2. cap. 24. pag. Operis præſentis 75. proximè ſequentia pag. 144.



GAPTVS deinde defuncto Bericoni (teſtantibus Methodio & Iordane) ſucceſsit in regno Gothorum: qui principatum iure belli quæſitum & propagatum, potentia & armis conſeruare ſtudebat. Quippe quemadmodũ gentes, quas Berico in ſubiectionem redegerat, nihil enixius emoliebantur, quàm amiſſam libertatem recuperare, ita ipſe neceſſarium putabat omni ingenio et diligentia prouidere, ne abiecto ſubiectionis iugo, ex ſeruis liberi, ex ſubditis Principes erigerentur. Nec minor animo eius ſolicitudo inceſsit de continuo & domeſtico ſuorum Gothorum tumultu. Quippe quemadmodum in patria ſuſcitare tumultus, negociumq́ ſuis Principibus faceſſere conſueuerant, ita in alienam terram prouecti, mores à maioribus ſuis imbibitos ſeruantes, oſtenderunt ſe cœlum, non animos migrando commutaſſe. Tandem hic Gaptus fatis, an in armis abſumptus fuerit, autores quos ſequor, ſilentio ſuppreſſerunt.

Augis Gothorum fortiſsimus (quemadmodũ Iordanes affirmat) mortuo Gapto, in Gothorum Regem erigitur: cui graue bellorũ negocium contra fortiſsimos Curetes contigiſſe traditur. Ipſi enim Vlmerugorum uerſus orientem ſolem uicini, cum ſe ſatis munitos arbitrarentur, præſidijs fluuiorum & ſaltuum, paludumq́ impedimentis, contendebant principatum Gothicæ gentis abijcere: non quòd ab ea grauibus & intolerabilibus tributis moleſtarentur, ſed quòd indecorum atq́ probroſum ducerent, uitam habere alienæ gentis arbitrio ſubiectam. Ille tamen conatus, ut erat ex temerarijs ingenijs excitatus, ita ad felicem exitum perduci nequiuit. Quamuis enim Curetes contra Augem & Getas progreſsi, uiriliter & pertinaciſsimis animis pugnaſſent, ipſumq́ Regem Augim primas in acie partes ſtrenuè agentem occidiſſent, ſe tamen & patriam ab illa ſubiectionis infamia liberare nequiuerunt. Mox enim Gothi Amalum ex procerum ſuorum ordine nobiliſsimũ, utpote Augis filium, uacanti regno præficientes, uictoriam è manibus hoſtium, quibus nimium fauiſſe fortuna uidebatur, extorſerunt.

Amalus igitur præmortui Augis filius in ordine Gothorum Regum poſt Briconem quartus, creditam ſibi Rempub. tanta diligentia atq́ induſtria gubernauit & auxit, ut ſuperioris ætatis Principes (quanquam rerum geſtarum magnitudine præſtantes) non ſolum æquauerit, ſed planè ſuperauerit. Nam cum Curetes poſt amiſſam (ut diximus) libertatem, nouandis denuò rebus omnem operam accommodarent, ſibiq́ ad rebellionis ſocietatem Eſtonicam gentem indomitã coniungerent, Amalus ui hoſtium conſpirationes amicorum ſocietate infringere poſſet, miſsis nuntijs Gotillam Gothiæ & Suetiæ Regem, Briconis nepotem (de quo infrà dicetur) cõtra ipſos in prælium excitauit. Et ita communibus duorum fortiſsimorum Regum armis Eſtones, Curetes, & Magnopolenſes, manus uictas Gothico imperio iterum tradiderũt, recepto in humeros gemino iugo pro ſimplici. Nam poſtea non ſolum Amalo, ſed Gotillę ut obnoxia mancipia obſequebantur. Nec rarò accidit, ut eodem tempore paterfamiliâs uni ipſorum Regum, & filius eius, aut ſeruus, alteri ſine ulla indulgentia parêre cogeretur. Ex his antiquiſsimo Rege Gothorum originem habuiſſe dicitur præclara Amalorum apud Hiſpanos familia, quæ non ſolum illuſtriſsimos proceres, ſed potentiſsimos & optimos Reges ac Pontifices ex ſe produxit.

Baltus ſiue Galtus pręmortuo Amalo in regno ſucceſsit: cuius geſta ſi fidelis antiquitas ad poſteritatis notitiam perfectius tranſmiſiſſet, non breuem hiſtoriam, ſed hiſtoriarum libros eius imperiũ, quod uaria fortuna adminiſtratum fuit, nobis ſubminiſtraſſet. Siquidem eius tempore ſuborto inter Gothos domeſtico tumultu, ad tantam ſeditionem deuenerũt, ut Gepidę ſiue ſponte, ſiue coacti, ab ipſis deficere, & ſibi nouas ſedes (ubi nunc Valachia eſt)

quærere cogerentur. Nec multo post tempore, subactis uicinis in maximam multitudinem coaluerunt, Regemq; sibi præficientes, non solum Vandalis, sed Gothis terrori ac formidini esse cœperunt. Neq; silentio implicandum est, quod quemadmodum ex Amalorũ cognatione, Regia stemmata apud Ostrogothos longo ac splendido successionis ordine profluxerũt, ita etiam uicissim ex illustri Baltorum generatione, Vestrogothi sacerdotes & Reges sibi co optare consueuerunt: quod infra magis explicare conabor. Hic tamen animaduertendum puto, Baltos à principio Galtos, hoc est, Verres dictos fuisse. Potest hoc persuaderi ab antiquissima & nobilissima Gyltarum, hoc est, Verrea familia, quæ etiam hodie apud Vestrogothos perseuerat: à qua etiam ego secundum paternam lineam (ut à parente meo accepi) originem duco.

Ex lib. 2. Præcedentia his proximè Regneri scilicet uitam habes pag. 110. Sequentia autem pag. 105. Sunt etiam exempla hic bellorum Campestrium & Naualium, de quibus lib. 9. & 10. & alia, sicut in toto uolumine, lectu iucunda, ac scitu utilia, maximè in eminentia constitutis.

Hothebrotus Regneri filius nihil à paternis uirtutibus degenerans, quemadmodum in regno, ita in rerum gerendarum magnitudine successor fieri contendebat. Enimuerò postq; ad memoriam reuocasset graues & insignes iniurias, quas pridem Russi, Estones, Sembi, Curetes, cæteriq; Orientales populi cum Frothone Danico confœderati, aduersus patrem Regnerum, & regnum Suetiæ perpetrarant, statuit principia suorum bellorum contra ipsorum terras & populos, ut iustè, ita etiam potenter extendere. Nec erat aliquis ex proceribus, aut populis in toto regno, qui tam iustam & necessariam expeditionem detrectaret. Igitur effusa in illas, & alias uicinas regiones tota Suecorum Gothorumq; potentia, immensam populorum cladem ędidit, imperiumq; suum longè lateq; proferendo, leges tributaq; deuictis à se nationibus præscripsit. Deinde cum magnifica uictoria in Suetiam reuersus, diu pacificeq; regna & subiectas gentes gubernauit, atq; interim speciosam uirginem Gyritha, ex illustrissima Noruegianorum Regum familia sibi matrimonio coniunxit, ex qua filios duos, Attilum & Hotherum procreauit. Tandem cum considerasset militarem disciplinam sub longa temporum tranquillitate labefactari, Sueticamq; & Gothicam iuuentutem, nisi continuo armorum usu exerceatur, à parentum & proauorum fortitudine facilius degenerare: proinde circumspiciendum esse aliquem speciosum gerendi belli titulũ existimauit. Sed cum Orientis incolę, Ruteni, atq; Estones, & cęteri pridem ab eo deuicti tributa penderent, imperata facerent, nullamq; rebellionem molirentur, nec liceret bello lacessere Noruegianos, obstante antiqua concordia, & nouo affinitatis respectu, subiecit animo memoriam iniuriarum, quas Frotho Danicus Rex Sueonibus & Gothis in eo iniusto bello (in quo pridẽ occubuit) irrogarat: qua nimium prouocatus, omne regnorum suorum robur contra Roë Danorum Regem, Frothonis nepotem educens, commisso acerrimo prelio uictor euasit. Veruntamen cum pugna in Dania gesta esset, & facilè auxiliares Danorum copiæ instaurando bello adhiberentur, Roë resumptis ex nouo militum supplemento uiribus, denuò bellum infeliciter tentat. Nam aduersus Hothebrotum inuicta Gothorum & Sueonum militia roboratũ congressus, æquè infelicem belli fortunam secundam, sicut primã expertus est: seq; tunc uictori Hothebroto uictum submisisset, nisi pertinax Danorum fiducia ipsi, ut etiam tertiò aleam Martis experiretur, suggessisset.

Roë igitur, reparatis uiribus sui exercitus bis superati & profligati, non secus ac amens & furens in hostium cuneos irrumpens, confestim Rex à Rege confossus interijt. Progressus ad interiora regni Daniæ uictor Hothebrotus, totum regnum occupat, arcibus præsidia imponit, leges & tributa uictis præscribit. His gestis non minore triumpho ex subacta Dania, quàm alias ex deuictis Orientis regionibus in Suetiam est reuersus, cunctis fausta & felicia acclamantibus, quòd eius fortitudine & industria Suetiæ imperium à flumine Tanai uersus Orientem, ad Albim fluuium, uel Visurgum in Occidentem extensum esset, & ampliatum. Respondebat amplitudini principatus, amplissima ubiq; pax & concordia: cui conseruandæ non minus studium Hothebrotus impendit, quàm antea propagandis augendisq; regni terminis impenderat, ut liquidò constare posset, utrunque tempus, & belli & pacis, ab ipsius prudentia rectissimè gubernari. Demum non paucis annis in summa tranquillitate & pace euolutis, nonnulli Suetię proceres, cum uiderent sibi illicita non licere, optimo Regi domesticam discordiam (perniciosum omnium rerum publicarum malum) pepererũt: qua implicatus nequiuit latissimo principatui ita consulere, ut omnes eius partes in obedientia & unitate continerentur. Proinde Danorum primores idoneam occasionem ad rebellandũ nacti, pręsidia ab Hothebroto arcibus imposita trucidantes, ostenderũt se magis recuperandæ

randæ

randæ libertatis, quàm ſeruandæ fidelitatis rationem habere. Quo comperto Hothebrotus ex omnibus regnorum ſuorum populis copias contrahens, potentiſsimum eduxit exercitum: quem nauibus impoſitum, contra rebellantes Danos traijcere properabat. Sed cum medium & tranquillum maris curſum agere uideretur, orta ſubitò ſæuiſsima tempeſtate obruitur, & inter marinas undas inuictæ fortitudinis ſpiritũ exhalauit, relictis poſt ſe duobus præſtantiſsimæ indolis filijs, Attilo & Hothero, quos ſapientiſsimo Regi Noruegiæ Geuaro dudum commendauerat educandos.

Attilus igitur (ut diximus) à prudentiſsimo patre Hothebroto genitus, atq; à ſapientiſsimo Rege Geuaro mirificis artibus, quæ ad ciuilem conuictum, & militarem diſciplinam conferre poſſent, inſtructus & educatus, defuncto parenti tam ob ſua prǽclara merita, quàm iure hæreditario in ampliſsimo principatu ſucceſsit. Huic primum & præcipuum belli negocium ex rebellantibus Danis procreatum eſt. Siquidem mortuo Hothebroto rebellionem, quam eo uiuo moliebantur, pertinacius duce Helgone exequentes, tributa negabant, Suecos in præſidijs relictos iugulabant, arma aduerſus Attilum præparabant, nullumq; ſtudium, quo ſeſe infinito Suecorum odio teneri oſtenderent, omittebant. Si quiſpiam Suecorum inter eos occideretur, uel mutilatorum membrorum iniuria ſimul & damno afficeretur, lege ſanxerunt ne eius læſio iuxta traditas antiquitus leges, ſed longè uiliori æſtimatione ſarciretur. Quocirca Attilus Danos in Suetia manſionem complexos, non minore, neq; pacabiliore odio proſecutus, etiam propriam reginam Vrſiliam, eò quòd Danici ſanguinis eſſet, uehementius odiſſe cœpit: quæ tandem poſt longam animi amaritudinem ex mariti odio conceptam, conſilium callidius quàm honeſtius, quo diuturnas moleſtias ſibi illatas uindicaret, inuenit. Quippe marito conſuluit, ut Roluonem filium ſuum, quem ſibi Dani prǽfecerant, ad ſe ex Dania in Suetiam uocaret, eoq; in ſedandis Suecorum & Danorum controuerſijs conſultore & cooperatore uteretur: futurum affirmans, quòd Dani ipſius autoritate & prudentia perſuaſi, à rebellione ceſſarent, imperata facerent, tributa perſoluerent, nullasq; iniurias amodo excogitarent. Pulchra quidem hæc Reginæ conſilia credulo marito uidebantur, quamuis reuera graues inſidias eius uitæ & fortunis moliretur. Enimuerò cõſcius maternǽ machinationis filius Roluo, accerſitus aduenit. Sed quia mater iam plurimos annos in Suetia extra natale ſolum tranſegerat, nec filium (quem adoleſcentẽ reliquerat) agnoſceret, neceſſarium fuit, ut efficacibus ſignis & documẽtis probaret ſe illum Roluonem eſſe, qui uocatus adueniſſet. Mater certior de filij fide & cõſtantia circa res gerendas effecta, quicquid inſidiarum in mariti iugulum, & theſauros eius dudum animo conceperat, per maternam fiduciam (abſente eodem marito) aperiebat. Dixit in promptu eſſe maximã auri uim, quam Hothebrotus ex deuictis Orientalibus nationibus, & ſubactis Danis coaceruauerat, antiquosq; priorum Regum theſauros: qui ſi furtim in Daniam tranſuehantur, non ſolum Suecos potentia & bellorum neruo deſtituent, ſed Danis opportunum auxilium, quo ſe citius in libertatem reſtituent, ſubminiſtrabunt. Proinde opus eſſe maxima in tanto facinore cautela & prouidentia, ne Regia ſeueritas aurum auferentibus (rupta gula) uitalem auferat auram. Cætera cogitando, & ſilendo, ut ſecum reuoluat, imperauit.

Interea reuerſus ex negocijs Attilus, cum Roluonem adueniſſe cognouit, omniaq; optata & felicia, propter quæ uocatus fuerat, magnificè polliceri, magnifico & Regio apparatu conuiuium inſtruit, in quo cum uarius de uirtutibus, & earum officijs ſermo incidiſſet, rogatus Rex, quæ uirtus Regiam dignitatem magis ornaret, reſpondit liberalitatem Regibus & Principibus ſummum præſtare ornamentum, ſeq; in eius ſtudijs magis, quàm aliarum uirtutum exercitijs delectari. Deinde iuſſus Roluo dicere, quæ uirtus milites magis decoraret, affirmabat, militares homines nulla uirtute plus quàm patientia (quæ omnia uincit) commendari. Quam ſententiam, obiecto contra præſentem & flagrantem ignem nudo latere ita probauit, ut à præſentibus non modò ut peritus diſputator, ſed ut efficax uirtutum executor diceretur. Rogatus Attilus ſuam ſententiam de Regia liberalitate monſtrare, dona in præſentes plurima liberaliter erogauit, & inter cætera torquem aureum ingentis ponderis collo Roluonis, ad oſtendendam eius claritatem, appendit. Sed quicquid in Reginam, & eius filium expendit, ingratiſsimis & ſubdolis inimicis erogatum fuit: nulla enim alia cauſa ſermonem ad uirtutum commendationem conuerterant, niſi ut ſub earum ſpecioſiſsimis nominibus peſsima flagitia, & impudentiſsima furta, quæ ex profundo dolo meditabãtur, abſconderent. Siquidẽ tertio conuiuij die, poſtq; ereptos theſauros uehiculis impoſuiſſent, omniaq; ad accelerandum nocturnam fugam ſatis diſpoſuiſſent, Regina lucentis lunǽ beneficio uſa, maritum opibus & toro, ſeipſam uirtutibus atq; honore ſpoliando, ad turpiſsimæ fugæ præſidium ſe conuertit. Interim Roluo nimis credulo Regi uerba dedit, horamq; alternis ſermonibus extrahens, animum eius, ne de Regina cogitaret, occupauit. Demum cũ pu-

caret ipſam à periculis expeditam ad ſecura loca perueniſſe, uenia abeundi petita, curſu celerrimo ſe contulit ad fugientes: quorum uires cum magnitudini ablati theſauri non ſufficerent, magnam eius partem abijcere cogebantur, ſatius arbitrantes pecunia, quàm uita priuari. Imminebat enim eis à tergo Attilus nimis importunè: cõprehendiſſetq;, ni uelocitate uehiculorum ad paratas naues perueniſſent, quippe cui ſumma uoluntas erat, raptores in furca efferre, & theſauros in fiſcum, unde compilati fuerant, referre: ſed ſaluauit fortuna fugaces, qui uehementiſsimo remorum conatu, inſequentis conatum fruſtrauerunt.

Igitur Attilus ſecum amaro animo perpẽdens tot & tam inſignes iniurias, uidelicet Suecos in Dania crudeliter occiſos: deinde cæteros uiuos in uiliſsimo numero haberi, nec dignos putari quorum damna iuxta legum formulas ſarciantur: poſtremò ſeipſum ab illis tot contumelijs affectum, tot inſidijs petitum, tanto & tam immenſo theſauro ſuo, ſibi à maioribus relicto, ſpoliatum: tori conſortẽ à ſuo latere abductam: neq; deinceps uidebantur finem facere uelle iniurijs, quas ex induſtria & pertinaci malitia Suecis irrogabant: iureiurando ſe aſtrinxit, ut quicquid odij, aut damni, uel contumeliarum in Danos irrogare poſſet, id toto ſtudio præſtare contenderet. Hic enim eſt ille Attilus, quem plures antiquæ Danorũ & Suecorum hiſtoriæ affirmant tanto odio in Danos exarſiſſe, ut primò latrantem canem, quem Racchonem uocabat, eis in Regem aſsignaret, deinde eo à canibus diſcerpto, gigantem Laës ipſis pręficeret. Cui mortuo ſeruus eius Suio ſucceſsit, quem inſuperabilis multitudo pediculorum uſq; ad nuda oſſa cõſumens, horribile mortis genus cunctis intuentibus oſtendit. Noſtris quoq; temporibus apud Viburgum in Dania locus eo euentu nominatus demonſtratur. Interea quidam Hiartmannus ex Suetię proceribus, Attilo cõſangnineus, & ſumma amicitia coniunctus, quamuis ſororem Roluonis Schuldam tori conſortem haberet, nequaquam tamen potuit pacato animo tam atroces iniurias Regi ſuo, & regno Suecorũ à Roluone indigniſsimè illatas ſufferre. Quocirca impetratis ab Attilo Gothorum & Suecorum copijs egregiè inſtructis, in Daniam armata & ualida claſſe contendit: non ut tributa (quemadmodum Saxo Danicus aſſerit) perſoluat, ſed ut primum omnium conetur concordiam tam inſigniter labefactam reſarcire: quo conatu non ſuccedente, armis impetat, & opprimat iniuriantem. Exceptus à Roluone hoſpitaliter, & communi apparatu magnificè inſtructo. Verũ quia inter pocula (ſicut adhuc eſt mos illarum regionum) de bellis, de Repub. & de iure Regum, de illatis & acceptis iniurijs, de reſarciendis damnis, & ſimilibus grauiſsimis cõtrouerſijs ſermo longius ꝙ commodius extraheretur, offenſis inuicẽ acriter animis ad arma deuentum eſt: fit atrox & cruenta pugna, non inter abiectæ ſortis homines, ſed inter præſtantiores utriuſq; partis proceres. Demum occiſo Roluone, Hiartmannus Daniæ regnum occupat. Sed quando diſponendis noui regni negocijs intenderet, ſuamq; ſalutem Danorum fidei nimis credulo animo committeret, inter epulandũ occiſus interijt. Quibus cognitis Attilus mixtum dolore gaudium concepit. Doluit quidem uehementer, quòd fideliſsimus amicus Hiartmannus indigna & pręmatura morte ſublatus eſſet, ſed effuſiore gaudio ꝙ cõmodum erat, ob inimiciſsimi Roluonis necem exultauit. Dum eius inferias per ſummã hilaritatem celebraret, potione auidius ſumpta in morbum à quo difficile curari poterat, collapſus eſt: imò Saxo affirmat eum crapula tũc obijſſe, quem etiam antea mortuum dixerat, atq; Hiartmannum à Roluone in eius regnum ſub titulo præfecturæ fuiſſe ſurrogatum: quæ mihi uidentur adeò contradictorio ſenſu inuicem repugnare, ut neceſſarium fuerit alteram partem eſſe à ueritate alienam. Durauit enim uita Attili, donec ſubacto regno Daniæ (ut teſtatur Saxo) fratrem ſuum Hotherum natu minorẽ Daniæ Regno uictrici manu præfeciſſet. Quamuis enim Dani poſt occaſum Hothebroti ſucceſſori filio eius Attilo malè paruiſſent, ſicq; nũc Helgone, nũc Roluone duce in libertatem uindicare tentaſſent, attamen ſublatis eiſdem rebellionis autoribus, tandem coacti Suecorum imperio colla ſubmiſere. Attilus enim comperta occiſione Roluonis & Hiartmanni, non continuò ob ebrietatis intemperantiã (ut narrat Saxo) mortuus eſt, ſed plurimum gauiſus eſt, occaſionem diu optatam adueniſſe, qua rebelles Danorum animos ad manſuetiores mores reuocaret. Igitur prægrandem exercitum ex terris & populis ſibi ſubiectis comparatum deducit in Daniam, portumq; Selandiæ Iſoram ingenti claſsis numero occupat, imminentis fortunę beneficio uſurus. At Dani cum uiderent ſe Attilanæ potentiæ inferiores, incertam belli fortunam deditione præueniunt, hoc enixius poſtulantes, ut contentus eſſet ipſis Regem conſtituere fratrem ſuum Hotherũ: qui cum mitioris eſſet animi, omnium in ſe beneuolentiam prouocauit. His uotis Danorum poſtquàm Attilus optatum pręſtitiſſet aſſenſum, Hotherus Rex à Danis conſalutatur. Hoc modo Danis ſub Suecorum poteſtatem miſsis, Attilus in Suetiam cum glorioſa uictoria reditum accelerauit: & cum ſine liberis eſſet, Hotherum in regni conſortem aſſumpſit: & tandem longioris æui ſenio confectus, Vpſaliæ diem clauſit extremum.

Ex lib. 2. Proximè præcedentia habes in ipso Opere pag. 160. uitam scilicet parentis Roderici Regis. Subsequentia de tyrannide filij sui infrà pag. 644.

Attilus Roderici filius & hæres, in defuncti patris regno concordibus Suecorum & Gothorum suffragijs sublimatus, militari fortitudini & disciplinæ ita se totum tradidit, ut suo tempore nulli secundus in ea putaretur: nec solum in propinqua, sed longinqua militia conspicuus euasit. Siquidem omni studio conabatur maiorum suorum gloriam superare, aut æquare: idq; facilius se assecuturum credidit, si partum ab ipsis parentibus nobilitatis fulgorem, otio desidiæq; non relinqueret corrumpendum. Idemq; de exercenda iuuentute Gothica in omni exercitio militari, cōtinuè & prudenter cogitabat. Nullam enim perniciosiorem pestem in quacunq; Republica reperiri posse credebat, quàm iuuentutem otiari, uel corruptis moribus imbui. Proinde postquàm militiam suam longè lateq; contractam, nō modò militaribus armis & exercitijs, uerumetiam honestissimis uirtutū officijs, ad res arduas atq; honestas instituisset, Orientalibus terris & populis bellū inferre properauit. Quibus ad imperata coactis, memoriæ & considerationi subiecit, Veremundum iniusto titulo Daniæ regnum occupare, secluso se legitimo Roderici successore & hærede. Igitur nuntium, qui auiti & paterni regni possessionem, uel annuum tributum à Veremundo exigat, præmittere curauit, ne prius bellorum incommoda, quàm pacis conditiones quæsiuisse uideretur. Negante utrunq; Veremundo, Attilus ualidam classem electissimo milite instructam cōtra Daniam educit. Sed cum didicisset præcipuum Danici regni robur apud Iuthos congregatum, illuc seipsum, totiusq; classis potentiam exponere non dubitauit. Occurrit Frouinus totius Regni exercitus præfectus, innumeris Danorum copijs sociatus: fit diuturna & atrox pugna, nec remissius certamen erat, quàm si pro summo honore, & ipsa uita ageretur. Interea' increscentibus bellis, accidit ipsos agminum duces in mutuum deuenire congressum, ferroq; inter se ita concurrere, ut publicum bellum in singulare certamen commutarent. Id'q; totis uotis uterq; ad bellum natus, & in bellis educatus, optare uidebatur. Tunc enim tantus honor duello dabatur, quantus uix triumphali curru inductis in urbem Romam Imperatoribus exhiberi solebat: quandoquidem singulare certamen propria, triumphus sæpe aliena uirtute comparatur. Igitur signo dato, uterq; exercitus à pugna cessauit. Describitur circus, descendunt in pugnam pugiles paribus armis & animis, conditio adijcitur, si Frouinus uincat, libera sit à Sueonibus Dania: si uictor fuerit Attilus, Dania Suecis tributum pendat, & se uictam fateatur. Quo euenit, ut crebrescentibus utrinq; plagis, Attilus armis superior, prostrato Frouino priuatæ uictoriæ publicam iungeret, passimq; diuulsa Danorum agmina profligaret.

Itaq; parta de Danis uictoria, permissus est Veremundus Daniæ regnum sub tributo administrare. Attilus autem in Suetiam uictrices turmas reducens, ab incolis ingenti gaudio suscipitur. Sed cum postea Dani à pactis discederent, nec imperata facerent, aut promissorum rationem haberent, Attilus comparatis denuò copijs, & grandi exercitu armatus traiecit in Daniam, rebelles ad promissum, & debitum obsequium reducturus. Fit iterum uehemens & acerrima pugna, indignantibus supra modum Suecis, quòd toties uictus hostis arma resumeret, & rebellaret. Sed tum alea belli in fauorem Danorum (ne superarentur) conuersa, Suecos nec uictos, nec uictores in suas terras redire permisit. Veremundus tamen formidinem, quam de Attili uirtute & militari experientia dudum conceperat, nequaquam deponere potuit, donec ipsum in numero uiuorum uersari cognosceret. Quocirca ipsum per insidias de medio uiuentium tollere constituit. Cuius rei causa filijs pridem occisi Frouini, Rethoni & Vigoni ad se accersitis, negocium occidendi æmuli imponit, promissa in præmium facinoris paterna ditione, & muneribus magnitudine facti condignis. Lætati iuuenes sibi tam gratum negocium sub certissima magnorum præmiorum spe præcipi, ad quod sua sponte & toto desiderio ducerentur, fideles efficacesq; operas suas pollicentur: statimq; in paternæ ultionis uota coniurati, sumpto leuioris armaturę apparatu, Suetiam solitarij petunt, ingressiq; nemus, in quo Regem absq; comite uersari solitum, fama cognouerant, telalatebris mandant: deinde (ut hodie quoq; in Suetia fieri uidemus) Regem supplices adeunt: queruntur de infelici rerum euentu, quo patriam relinquere cogantur: implorant illam eximiam Suecorum cōmiserationem, quę omnibus aduenis promptissimè exhiberi cōsueuit: pollicentur fidelissima ad quodcūq; pręceptū obsequia: seq; in numerū minimorum suorū ascribi supplicant. His aūt consentaneis uerbis Attilus se suamq; credulitatem flecti permittens, in primum, aut primo proximū militię gradū eos conscribi pręcepit. Deinde summam

Danici

Danici eloquij suauitatem auidis auribus accepturus, quærit, quis in illo prelio nuperrimè in Dania confecto, magnum illum & præstantissimæ fortitudinis uirum Frouinum, Regium præfectum occidisse diceretur. Mox ad hæc Rheto natu maior inquit: Dubium adhuc est, quisnam sit tanti uiri occisor: necesse enim est, ut cæteros omnes mortales in militari fortitudine, & omnium uirtutum claritate transcendat, qui tantum, tamq; insigne totius militiæ decus extinxit.

Tum Attilus, Ego (inquit) sum ille, qui in publico duello tam egregiam laudem hac mea dextra promerui. Moxq; subintulit de occisi Frouini liberis, de eorum ætate, de animo in paternæ necis autorem, de eorum minis in occisorem. Ad quæ omnia rotundæ uolubilisq; facundiæ dulcedine ita responderunt, ut Attilus sufficiens documentum insidiarum, quas meditabantur, accipere potuisset. Sed nec usq; in præsentem diem plenè intellecta fuerat eorum uersutia, & conatus, tametsi ipse confestim imprudentissimę crudelitatis suæ pœnas persoluerit. Paucis enim elapsis diebus, cum Attilus acuendi roboris, uel recreandi animi gratia, solitariæ digressionis negocio uteretur, ipsi Dani receptis armis, solum & imparatum adoriuntur, confessi se eos esse Frouini filios, de quibus pridem fuerat sciscitatus, & ut paternam mortem ulciscantur, aduenisse. Quo comperto, substitit ille interritus, & ne in præmatura fata suam florescentem adolescentiam temerè præcipitarent, admonuit. Tangit (inquiens) animum meum quidam erga uos commiserationis affectus, quos noui iusto dolore in hæc præsentissima pericula deuenisse. Parcite ætati uestræ, parcite indoli, reseruate uos feliciori fortunæ, ne dum parentis necem temerè ulcisci properetis, in numerum ulciscendorum incidatis. Proinde paternę mortis iniuriam pecunia à se rependi permittant: quod utiq; ascribi possit eorum gloriæ, & claritudini sempiternæ. Hæc uerò se non timore perculsum, sed miseratione adolescentiæ eorum motum admonuisse. Sed nimis tarda, & inanis illa admonitio erat, quæ feroces iuuenum animos in uindictam pertinacissimè accensos emollire nequiuit. Quippe post multa uerba hinc inde frustra iactata, in Regem pariter insiliunt, & quod tunc summè probrosum erat, duo unū trucidauerunt: ob quam infamem uictoriam Dani à Teutonibus suggillati, Semiuiri dicebantur, quòd non auderet unus eorum uni congredi, nisi alterius præsidio munitus & suffultus. Hoc patrato facinore, iuuenes ad suum Regem Veremundum reuersi, primis ab eo honoribus excipiuntur, utilissimum ab eis opus æditum, & promissis præmijs dignissimum iudicante. Plus enim utilitatem, quàm honestatem æstimando, non illud quod uirtus agendum suasit, sed id quod securitatem maiorem præstare potuisset, approbare uidebatur.

Ex lib. 4. Proximè præcedentia habes infrà pag. 641. in uita Gothari pientissimi Regis parentis huius Adulphi, & subsequentia suprà pag. 391. poterant huc referri ad lib. 10. de bellis naualibus, &c.

Adulphus deinde in defuncti patris Gothari imperium ob optimi patris merita, tum ob eximiam suæ propriæ uirtutis indolem, concordibus procerum populorumq; suffragijs eleuatur: qui non minus paternarum uirtutum imitator, quàm regnorum hæres & successor fieri contendebat. Quicquid enim in paternis operibus præclarum animaduerterat, illud aut superare, aut æquare summo studio conabatur. Proinde subiecti populi non se Regem, aut animum Regis, sed solū corpus amisisse gratulabantur, promptoq; & lęto animo omnia quæ pręcipiebat, exequebantur, scientes ab ipso nihil nisi pium, iustum & honestum imperari. Ita optimę spei adolescens omnium subditorum animos sibi obsequiosos effecerat, ut nec domi, nec foris ab aliquo hoste impeteretur, sed ob præstantissimas suas uirtutes plurimum ab omnibus amaretur: idq; per annos multos, donec Dan Danorum Rex, cum se satis confirmatum in suo regno putaret, atq; ad memoriam reuocaret, patrem suum Frothonem à Gotharo huius Adulphi parente occisum, cœpit animum suum ad uindictam paternę necis excitare, cum potius perpendere debuisset se Gothari beneficio ad paterni regni sceptra promotum, atq; à potentissimis hostibus liberatū: insuper etiam in regno & libertate conseruatum fuisse. Sed cum plus in eo ualeret uindictę appetitus, quàm ratio, arma in Adulphum parat, à cuius parente, ne Saxonum armis opprimeretur, aut sub tributum redigeretur, protectus est. Verum ubi suam suiq; regni potētiam longè inferiorem attenderet, quàm quòd securè bellum mouere posset in Adulphum, qui non solum potentissimis regnis & populis imperaret, sed ob summam suorum ciuium beneuolentiam insuperabilis appareret, Saxones ac Vandalos, fortissimas quidem gentes, & bellis maximè assuetas in suam militiam conscribit: tantamq; bellatorum multitudinem contraxit, ut non modò Gothos &

Sueones, uerumetiam totam Europam se suo imperio subijcere posse consideret. Attamen Adulphus ad respectum tantæ multitudinis nihil territus, sed magno atq; constanti animo cuncta ad tantū belli apparatum opportuna ac necessaria strenuè administrat, nihilq; omittit, quod ad erigendos & confortandos suorum animos aptum accommodumq; putabat: quanquam iam minimè opus esset ipsos monitis aggredi, quos dudum maximis uirtutum meritis sibi fecerat ad omnes fortunæ casus addictissimos.

Enimuerò cum edictum de milite cōscribendo proposuisset, nullus inuentus erat in toto eius principatu, presertim armis idoneus, qui non summoperè contenderet in militiam pro tam bene merito Rege conscribi: eratq; maximus numerus eorum, quos Rex à militiæ proposito ægerrimè poterat reuocare: imò si militum numero nauium numerus respondisset, tota patria quasi suis sedibus auulsa, cum suo Adulpho hostibus obuiam prodijsset. Itaque quò maior erat utriusq; partis apparatus, eò magis admiror Saxonem Danicæ historiæ scriptorem, huius belli memoriam non fecisse. Nec opinari possum illud ei incognitum fuisse, quod ego Romæ constitutus inter uetustissima fragmenta Danicarū & Anglicarum rerum in ædibus D. Birgittæ relicta inueni: ex quibus facilè apparere poterat, hoc bellum inter precipua numerari posse, quæ inter Gothos & Danos unquam contigerant, simileq; fuisse illi, quod longè postea inter potentissimos Reges Haraldum Daniæ, & Ringonem Gothiæ Suetiæq; confectum est: nisi fortassis illi Dani, qui Saxonis libros transcripserant, ea omisissent, quæ patriæ suæ decorem minuere uidebantur. Siquidē hoc nauali & acerrimo prælio Dani, Saxones, Vandali, omnesq; alij sub Danorum signis militantes, unà cum Rege suo Dano ita uicti, fugati, deletiq; fuerunt, ut uix scalmus, quo exitus cruentissimi belli in Daniam nunciaretur, euadere potuisset. In hac uictoria Adulphus nonnihil à sua & Gothicæ gentis modestia alienum fecisse commemoratur. Nam Tosthonem quendam perfidissimum transfugam, qui Dano autor mouendi belli extiterat, ad sua genua prouolutum, ueniamq; procuratæ rebellionis suppliciter implorantem, ab astantibus cum exprobratione ingratitudinis interfici iussit: quod à Gothis ut seuerum existimari consueuit. Quippe supplicem, aut debilem, uel arma abijcientem occidere, etiam hodie apud Gothos inter opera sempiterno opprobrio digna computatur. Deinde concessam à superis uictoriam prosecutus, totum Danorum regnum sibi subiecit: quod etiam collocatis per opportuna loca præsidijs, usq; ad uitæ suæ exitum prudenter potenterq; gubernauit: eiusq; filij & nepotes usq; ad Fridelеuum, cognomento Celerem, Frothonis tertij patrem, in pace ac tranquillitate Daniæ regno sub tributum misso præsidebant. Quod si Saxoni parum placuit, ideoq; silendum putauit, danda est uenia homini magis in suos, quàm alienos affecto. Cætera huius Adulphi gesta, quæ procul dubio plurima insigniaq; fuerunt, indagare nequiui, nisi quòd latissimum imperium assecutus, omnes eius partes ad leges iustitiamque ita composuit, ut inter maximos memorabilesq; Reges & heroēs, sempiternam ac gloriosam memoriam habere mereatur.

Algothus Adulphi consanguineus, uel nepos, defuncto patruo in regna Sueonum, Gothorumq;, & Danorum successit. Qui in nullo à maiorum suorum, & optimorum Regum probitate degenerans, imperium eorum prudentia propagatum & auctum ita conseruauit, ut nullum optimi Principis officium omisisse, aut aliquam Reipublicę partem neglexisse notaretur. Quippe cum ad bonum Principem spectet, pacem concordiamq; inter subiectos populos componere, ut extincto omni odio, alter alterius commodo promouendo augendoq; suas operas diligenter ac fideliter accommodaret, summoperè contendebat pacem inter Sueones & Danos constituere. Sed conatus ille ut erat omni humanitate ac pietate plenus, ita inter tam dispares animos perfectam amicitiam conciliare nequiuit: imò usq; in presentē diem uix aliquis tam prudens Rex, tam prestantis ingenij Pontifex, aut alius quispiam in omnibus uirtutibus instructissimus inuentus fuerat, qui ex omni parte extinguere potuerat inueteratum illud odium, quo Dani in Sueones & Gothos, uicissimq; Gothi & Sueones in Danos feruntur. Videturq; nonnullis illud dissidium ab origine regnorum suum principium, occasionemq; suscepisse, quum ipsa natura ipsos Danos suis insulis inclusos à Sueonibus Gothisq; interiecto mari separauerit. Quamuis etiam aliquando sub uno Rege, ut sub hoc Algotho, regna illa fuerant gubernata, tamen æmulationes & contentiones nunquam sinebant populos illos perfecto amore adunari. Causas tam impacabilis controuersiæ dicant alij, & forsan apud Saxonem, & alias Danorum historias iusię causæ inueniantur. Spectaret profectò ad Danorum honestatem, non nimium abuti Sueonum modestia. Ego interim oro Deum, ut fideles suos saltem in unitate fidei Christianę congregatos conseruet, & hinc tandem ereptos, sibi in æterna felicitate unire dignetur. Cum igitur in hoc honesto proposito Algothus, non tantum quantum uellet proficeret, totum animi sui studium ad-

hibuit, ut iustitia in omnes subiectos cuiuscunq; regni, aut nominis essent, æqualiter seruaretur, cogerenturq; timore pœnarum sese mutuis commodis adiuuare, qui id amore uirtutis & humanitatis efficere noluissent. Cæterum bellis'ne aliorum lacessitus fuerit, an alios lacessiuerit, non inuenio. Proinde conijcio ipsum imperio per manus maiorum acquisito contentum fuisse, totumq; animum studijs pacis impendisse. Studia autem pacis sunt, leges condere, mores componere, uicos, uillas, castra erigere, portus munire, omniaq; ad futuros bellorum euentus prouidere. Beatus enim Rex est, qui tempore belli de pace, & tempore pacis de bello cogitat. Præterea summum pacis studium est, publicam concordiam inter ciues seruare, qua quisq; suam libertatem tutam securamq; cognoscat. Tandem hic Algothus uiolenta'ne, an naturali morte occubuerit, alijs scribendum relinquo.

Ericus Algotho patre genitus, eiusq; in regnis Gothiæ, Suetiæ, Daniæ successor, non contẽtus latissimo imperio, quod paterna industria propagatum acceperat, sed traiecta in Estones, atq; Curetes, & Vandalos bellica classe, meditabatur quomodo posset longius latiusq; suum extẽdere principatum: fauitq; meditationi fortuna. Nam Estones & Curetes uisa classis Gothicæ potentia, deditione temerarium bellum quantocyus prçuenerunt. Ericus incruenta uictoria in sua regna reuersus, cum putaret se longa tranquillitate & pace gauisurum, repentinæ insidiæ subortæ apparuere. Nã Danię proceres, ut se ab Erici iugo astutius quam honestius eximere possint, non paucos ex Suetica nobilitate per occultos nuncios in suam sententiam adducere curauerunt: prudentia tamen Regis effectum est, ut perfidi nuncij cum nonnullis defectionis autoribus comprehensi, patibulis appenderentur. Serpsit nihilominus occulta proditio, eò periculosior, quo incertis autoribus maiora indies susciperet incrementa. Igitur sapiens Rex postquam secum perpendisset, quibus consilijs sine armis efficacius superandæ essent tam periculosæ insidiæ, statuit non potentia, sed prudentia, non uiolentia, sed beneuolentia, non seueritate, sed mansuetudine sibi utendum esse. Siquidem illud genus uincendi optimum existimari solet, quo Reges & Principes, per patientiam atq; clementiam animos delinquentium à maligno proposito ad ueræ uirtutis officia reuocare contendunt. Proinde quos maiore suspicione notatos habebat, eos maioribus beneficijs sibi obnoxios efficere studebat. Nec inane erat tam liberale atq; benignum ingenium, quo ex perfidis osoribus, occultisq; calumniatoribus, fideles atq; obsequiosi subditi subito apparebant. Præterea ut subditarum gentium fidem erga se firmius conseruaret, maiorem tributorum partem relaxauit, præfatus se longe feliciorem ex fide, quam ex pecunia subditorum ciuium fore: nec tantum sibi lucra prodesse possent, quantum obessent, si partis per tyrannidem opibus ditissimus esset, atq; interim publico omnium odio laboraret. His ingenijs perenni laude dignis, magnum & memorabilem triumphum de domesticis hostibus agens, gloriosum exemplum ad posteros, & magnanimos Principes transmisit, quo facilius & laudabilius possent subiectos populos in fide atq; officio continere, uel à perfidia & rebellione ad prompta obsequia reuocare. Quæ quidem modestissima Principum ingenia si hac nostra in felici tempestate in usu essent, profecto neq; terra tantum humani sanguinis exorberet, neq; Regum & Principum thesauri, magna atq; honesta parentum solicitudine congesti, in perniciosos milites, terrarum prædones erogarentur. Longe enim præstantius esset subdito ciui per ignorantiam, aut fragilitatem delinquenti magno animo ignoscere, & cum uicino Principe etiam cum nonnullo damno conuenire, quam in subditorum capita, aut contra uicinos, qui nihil uel certè parum male meriti sunt, tam importunam hominum colluuiem inæstimabili ære & damno congregari: qui nunquam aut raro tantum hostibus, quantum proprijs dominis, ad quorum præsidium uocati fuerant, nocuerunt. His itaq; moribus, & hac singulari prudentia benignitateq; Ericus diu et in magna felicitate regnauit, peruenitq; ad annos optatæ senectutis, in qua tandem deficiens, locum in monumentis Regum apud Vestrogothos accepit.

Ex lib. 5. Proximè præcedentia habentur pag. 161. Subsequentia autem pag. 162.

Vilmerus Getherici filius, dum adhuc Haldanus in regno Sueonum præsideret, mortuo patri successit: qui nihil à paterna magnanimitate degenerans, arma potius in extraneos & remotè positos hostes, quam in domesticos & uicinos Sueones conuertere studuit. Quippe (ut præfati sumus) cum illis Gothis à patre præfectus fuisset, qui in transmarinis regionibus (redeunte in Gothiam Getherico) remanserant, inuictæ militię studium tam diligenter exequebatur, ut strenuo patri strenuissimus filius successisse uideretur. Enimuero non solo imperio Curetum, Estonum, Vlmerugorum, Samogetarum à patre relicto contentus, sed

totas suæ Gothicæ gentis uires in Russos, à quibus prius lacessitus fuerat, conuertit, eosque deuictos sub tributa coegit. Illi enim cum comperijssent uicinam sibi Esthiam sub Gothorum imperium deuenisse, non parum formidare cœperunt tam potentem populum suo lateri propinquasse. Proinde eorum Rex Heruitus suscitata ex terminis uicinorum principatuum controuersia, bellum Vilmero indicit, ad quod Gothi tam alacres concurrerunt, quasi nihil unquam iucundius, quàm arma tractare didicissent: priusq; armis accincti intra Russiæ terminos se diffundebant, quàm de sua ipsorum defensione deliberasse putarentur. Quocirca Russi magis ingenio, quàm uiribus aut armis utendum rati, inusitati acuminis clauos aduentantibus hostibus obiectabant, repressuri eorum impetum, quos putabant ad arma fuisse tardiores. Sed qui maiora bellorum pericula ante superare didicerant, etiam minutulos clauos prudenter euitauerunt. Secuti enim exemplum Starchateri, qui primus ligniferis docuit decurrere plantis, lignea pedibus tegmina submisere: quo præsidio substratos humi aculeos integro expeditoq; gressu conculcabant. Est autem ferrum hoc quatuor disparitum stylis, ijsdemq; taliter cõstitutis, ut in quamcunq; partem illud iaciatur, trium pedum æqualitate subsistat: quod (ni fallor) Latini Tribulos appellant, ut habet historia Herodiana libro quarto, in uita Macrini.

Progressi deinde Gothi ad interiora Russiæ, omnia rapinis, flammis, cædibus inuoluebant, donec concurrente utroque exercitu, atrocius certamen restaret: certatumq; est diebus duobus tam pertinaciter, ut uix nocturnæ tenebræ frameas à crudeli cæde reuocare potuissent. Tandem Gothi uictoriam non incruentam assecuti, omnes Russiæ partes usque ad Tanaim fluuium Europæ & Asiæ limitaneum, suum imperium (exemplo illorum ueterum Gothorum patrum suorum) extenderunt, sedesq; ibidem ad plures annos firmauerunt, interea Vilmero Gothorum regnum in patria à patre Getherico relictum respiciente, & in bonis legibus, ac optimis moribus potenter & prudenter gubernante: qui etiam Gothis in Russia relictis, exemplo patris priusquam ab eis discederet, filium suum Nordianum præficere curauit: deinde per annos non paucos cum summa autoritate latissimi imperij sui terminos in fide & obsequio continens, nomen præclarum inter clarissimos Reges & Principes ad omnem posteritatem transmisit. Cuius & aliorum multorum plurima & egregia facinora, nobis illa antiquorum simplicitas abscondita effecit, ut nunc plura & pessima nostri temporis flagitia, quàm optima ueterum opera nos scire fateamur. Quæ enim priscorum historia tanta, tamq; nefanda scelera continet, aut unquam continere potuit, quanta nunc passim in summis, mediocribus, & infimis hominibus experimur? Sed hæc diuino iudicio committenda sunt, à quo corruptissimi nostri temporis mores breui aut emendationem, aut punitionem expectabunt.

Nordianus Vilmeri filius, amplissimum principatum ab auo Getherico, atque à patre gloriosa uictoria partum, sibiq; relictum, non æquali fortuna assequi & conseruare potuit. Quippe cum domi & in patria Gothi ac Suecones discordia plurima laborarent, ipseq; Heruitus Russiæ Rex comperta per ueram famam morte potentissimi Vilmeri, cœpit multis ingenijs ad recuperandam amissam libertatem aspirare: cauitq; omnibus ingenijs, ne insidię quas occultis dolis in Gothos meditaretur, eis apertæ fierent, pœnasq; citius quàm libertatem consequeretur. Emergebat tamen post multos occultos conatus dudum conceptę perfidiæ partus: & cum Gothi omnia secura putarent, nihilq; minus quàm Rutenorum rebellionem cogitarent, tunc subitò Heruitus apparuit innumerabilibus Scytharum & Russorum copijs suffultus: tantoq; impetu aggressus est Gothos, ut si in eius exercitu perseuerantia & impetus pares fuissent, mox sublata fuisset Gothis omnis spes atque occasio resistendi. Verùm cum ille impetuosissimus furor paululum remitteretur, Gothi se in maxima multitudine perarmant, parati uires uiribus opponere, & imperium uirtute maiorum partum atque ampliatum defendere, prius sanguinem & uitam, quàm honorem in se à maioribus transfusum ignauiter amissuri. Fit igitur utrinque bellum atrox & cruentum, in quo multi ex utroque exercitu desiderati fuerunt. Tandem quia Russis in proprio solo pugnantibus recentes militum copiæ semper suppeditabantur, uictoria ad indigenas se conuertit, quæ extraneos seuerius auersata fuit. Quamuis enim Gothi tam ob multitudinem, quàm militarem disciplinam insuperabiles uiderentur, tamen nimijs & incredibilibus hostium copijs coacti sunt Russiæ imperium manibus incolarum relinquere: factumq; est, ut ex Russia (duce Nordiano) in Lituaniam & Poloniam in maxima multitudine diffunderentur, & tandem post nonnulla tempora cum cæteris Gothis, qui olim Septentrionalem Gothiam, communemq; patriam egressi fuerant, in Thracia coniungerentur. Fatendum tamen est non omnibus Gothis tunc placuisse ad incertas sedes commigrare, sed natale solum potius repetendum: quos Heruitus uictricibus & maximis copijs succinctus insequebatur, & par-

tem Suetiæ sub suum Principatum redegit. Sed parum admodum ei us durauit imperium. Nam confestim se in suam Rusiam recipiens, filium sui nominis Heruitum administrando nouo regno præfecit, quem Sueones sine mora impugnatum, expugnatumq; occiderunt.

Ex lib. 6. historiæ Ioan. Mag. his continuo ordine antecedunt, quæ referuntur de Ostrogotha Rege parente ipsius: pag. 459. iisdem autem subsequentia pag. 290.

Cinna à Iordane, & à Pomponio Læto Echina, ab aliis uerò Omba dicebatur: qui post Ostrogotham in Regem Gothorum sublimatus est. Huius tempore Romana Respublica uario modo periclitata fluctuabat, dissidentibus inter se Principibus eius de imperio, ad quod tandem Decius trucidatus duobus Philippis uelocius quàm honestius peruenit. Nec cessauit ea discordia, donec peragratis plurimis terris ad extremos Romani imperii limites diffunderetur. Quocirca Cinna idoneam occasionem inuadendi Romani imperii aduenisse ratus, duos potentissimos exercitus conscripsit: quorum unus ad deuastandã Mœsiam octoginta millia pugnatorum habebat: nec minor erat alter, quem suo ipsius ductu contra Euthesiam nouam urbem promouit, quam Traianus in terris Sarmatarum ad suę uictorię monimentũ erexit. Decius igitur pacata utcunq; domestica Romanorum discordia, terribilem contra Gothos exercitum eduxit. Quod cum Cinna didicisset, uoluit potius honestè fugere, quàm manus turpiter aut temerè conserere. Itaq; in Thracia Philippopolim urbem opulentam expugnaturus retrocessit. Decius uerò ut cognouit hostem retro abiisse, nõ quieuit donec in Thraciam ad radices Hemi montis (qui non procul à Philippopoli distat) perueniret. Sed prius expugnata & direpta est urbs à Gothis, antequam Imperator auxilia afferret. Tum Gothi auctis fortunis locupletati animos erexere, ausi iusta acie se Romanis exercitibus (quamuis numero & uirtute præstantioribus) opponere: uicti tamen à Decio in illo primo congressu, ad angustias locorum, quæ in Dardaniis sunt, expulsi detrusiq; fuerunt, iamq; pro uictis habebantur. Quippe duo potentissimi Decii Imperatores pater & filius, totius militiæ Romanæ fortitudine stipati, obstinatissimè ipsos obsidebant: expugnassentq; nisi Gothi à Decii ęmulis pręmoniti fuissent, quomodo pręparatas insidias euadere possent.

Sunt (teste Pomponio Læto) qui scribunt Gothos misso ad Decium legato ab eo postulasse, ut omni præda, quam opulentam habebant, relicta, sinerentur in suas antiquas sedes trans Istrum remeare. Quod Decius obstinato ad eorum perditionem animo pertinaciter negabat, præfatus se omnino uelle perdere gentem adeò inquietam, quæ sola plus negotii faceret Romano imperio, quàm cęterę omnes, quæ uniuerso orbe continentur. Iamq; se uoti compotem credens, quendam ex limitaneis ducibus Mœsiæ Gallum Trebonianum ad obsidendos exitus, ne euadere possent, cum bona copiarum parte emisit. Hic dux pridem humanam Gothorum conuersationem expertus, persuasit eis ne pariter conglobati hostem exciperent, sed in duas turmas diuisi, alii se prope paludem in insidiis collocarent, dum alii impetu in Romanos facto fugam uersus paludem simularent, Deciumq; & eius militem ad insidias, in quibus omnino periclitaretur, protraherent. Gothi consilium Galli primo aspectu reprobantes, putabant illud magis in suam quàm in hostium perniciem excogitatum: at dum ad nouissima remedia circumspicienda cogerentur, uisum est cæteris omnibus magis efficax & opportunum. Igitur in pugnam descendentes, admirationi fuere Imperatori, qui iam eos uictos ac prostratos reputabat, ignoransq; se proditum, certam sibi uictoriam pollicebatur, statimq; exercitum præualidum educens, nihil restare credebat, quàm uenire, uidere, uincere: sed aliorsum sese alea belli conuerterat. Nam Gothi uti constituerant, ad primum belli impetum simulato metu Decianos ad insidias perduxerunt, perductosq; uehementissima pugna excipiunt: fiuntq; utrinq; magnę strages, Cæsarianis difficillimè in palustri loco prælaintibus. Decius pater cum filio occubuere: senior fortè equo sedens, ne uiuus ad manus hostium deueniret, insiliit in uoraginem propinquę paludis: nam quæsitum eius cadauer nusquam poterat reperiri. Pomponius Lætus ambo Decios sponte præcipitatos existimat, ut uerendum Deciorum exemplum imitati, se pro futura uictoria deuouerẽt. Cæterum siue casu, siue consilio perierint, gratum fuit Senatui populoq; Romano eos periisse.

Silendum tamen non est, Iordanem nonnihil diuersi à præmissa narratione continere. Scribit enim Decium dum concitato cursu cõtendit ad succurrendum Philippopoli à Gothis obsessæ, peruenisse in medio itinere ad Beroam, alias Berceam, ibiq; super eum dum equos lassumq; exercitum refoueret, Cinnam cum Gothis in modum fulminis irruisse, uastatoq; exercitu ipsum in Mœsiam profligasse, indeq; reparato exercitu rursus contra Gothos

thos rediisse, qui interim Philippopolim ceperant, & Priscum ducem sibi contra Decium conciliauerant. Ventum tunc fuit ad atrocem conflictum, in quo Decij filius sagitta saucius crudeli uulnere trucidatur. Quod pater attendens, quamuis ad milites confortandos magnanimiter dixisse fertur, Nemo tristetur, perditio unius militis, nō est Reipub. diminutio: tamen paterno affectu uehementer commotus in confertissimos hostes se immisit, aut mortem, aut filij ultionem exposcens: ex qua quidem pugna nunquam rediit, nec cadauer eius (quamuis solicitè quæsitum) usquam comparuit. Traditur Dijs suis ante ingressum pugnę in Abritto Mœsiæ urbe immolasse, indeq; loco nomen Aræ Decij inditum fuisse. Ita Gothi uictores non solum Romanam militiam, sed Romanum Imperatorem unà cum filio contrucidarunt: nec erat qui illorum uiribus & armis resisteret. Tandem Aemilianus primò, deinde Gallus cum Volusiano summam Romani imperij adepti, quemadmodum affirmat Iordanes, mox fœdus cum gente Gothorum pepigerunt. Quod fœdus Marcus Antonius Sabellicus omnem cladem ignominiamq́;, quæ unquam populo Romano irrogata fuit, excessisse proclamat. Hic enim in uita Galli Imperatoris ait: Post omnium gentium stragem teterrimam, multò tetrior fuit omni clade populi Romani ignominia, qui Scytharum factus est tributarius, ex eo fœdere quod Gallus cum ea gente percusit. Sed quid, ô Sabellice, si illi Scythæ (sic enim Gothos per contemptum appellare uidêris, quando alij eos Getas appellant) tributis contenti non fuissent, sed sua potentia Romanam Rempub. mutuis dissidijs tunc fœdissimè collapsam obruissent? Nonne tunc Gallus Imperator & imprudentissimus & perniciosissimus in Rempub. fuisset, quandoquidem magis ciuium lucris, quàm inconcussæ eorum libertati in temporibus difficillimis consuluisset? Fuit illud annuum tributum ducentarum drachmarum aurearum, quod tunc populus Romanus (teste Pomponio Læto) Gothis persoluit.

Ex lib. 6. & 7. His connexim antecedentia habentur pag. 266. cohærentia pag. 234.
Etsi propter memoriam Starchateri potuissent hæc inseri lib. 5.
aut ob cruenta prælia nono uel
decimo.

Torismundus prædicti Hunimundi filius, magno omnium procerum consensu in summa spe totius gentis in paterni regni sceptra peruenit: qui etiam omnium expectationi magnoperè satisfecisset, nisi in primo iuuentutis flore cum conaretur famam extendere factis, extinctus fuisset. Non tamen ignauus perijt, sed Marte cruento. Pugnabat belli fulmina nulla timens. Siquidem secundo anno adepti regni, siue iniurijs Gepidarum lacessitus, siue illo uetusto odio utriq; genti cognato, siue etiam alia quacunq; occasione prouocatus, exercitum uiribus & armis instructissimum eorum terris inuexit: magnoq; prelio commisso Gepidæ superantur, cæduntur, fugantur: iamq; manus uictas uictori Gotho porrigebant, & subito subruentis equi casu uictor unà cum uictoria expirauit. Quem infelicem casum Ostrogothi adeò dolenti & amaro animo tulerunt, ut nihil unquam amarius sibi accidisse putauerint: tantumq; defuncti Regis amori tribuebant, ut totis quadraginta annis nullum alium Regem in eius locum surrogarent. Eiusq; filius Geremundus subito patris occasu perterritus, paterni regni sceptra contemnens, sese cum filio suo Viderico ad militiam Theodorici Regis Vestrogothorum (de quo inferius dicetur) tacita sui generis claritate cōtulit, multaq; & præclara facinora contra Attilam Hunnorum Regem peregit, uolens potius in aliena terra sub glorioso Rege militare, quàm in patrio regno Hunnis confœderato, uel subiecto imperare: tantum displicuit magnanimo Principi uel ipsa subiectio, uel sola subiectionis opinio. Deinde Valamirus cum fratribus suis Theodemiro & Vindemiro ad Ostrogothorum regnum tempore Attilæ peruenit: de quibus quia inferius libro nono loqui intendimus, nunc satis erat sola nomina eorum commemorasse, ut interea à Thracia & remotioribus terris in Gothiam & Suetiam reuersi, diligentius inquiramus quidnam Gothi in sua patria egerint, cum cæteri in procul positis regionibus tot bellorum motus sustinuerint. Sed operæpretium fuerit oculos ad calcum quinti libri (à quo digressi sumus) paululum reuocare.

Quocirca Euginus, siue ut alij dicere uolunt Vginus, mortuo cōsanguineo suo Haldano, post multas consultationes tandem ad Gothiam (cuius tunc Rex erat) regnum Suetiæ communi procerum ac populorum consensu adiunxit. Quamuis enim Haldanus dum uiueret, ipsum in regno Suetiæ indubitatum successorem propter eius optima merita designasset, tamen quia ea designatio nullo procerum consensu confirmata fuit, necessarium erat ipsam post Haldani fata in difficultates non paruas incidere, opponentibus se Eugini electioni il-

lis Suetiæ primoribus, qui pridem Haldanum à regno ob seueritatem censuerant amouendum: qui tunc (ut putabant) suorum uotorũ facilè compotes euasissent, nisi potentia & prudentia Vgini eorũ conatibus obstitisset. Proinde quòd Haldanus seuerius imperasset, quòd nobiles complures puniuisset, quòd patriam multis tributis pro naualibus bellis operasset, id totum uni Vgino imponunt: præualuit tamen ea pars, quæ Haldano & Eugino ut iustis Principibus fauere uidebatur. Itaq; Euginus regnum Suetię difficulter assecutus, optimum Regem se tam Suecis quàm Gothis præstare curauit: meruitq; sua summa & singulari probitate, ut etiam Danię proceres ipsum in suum Regem sponte sine ullo bello postularent. Erat enim in eo iustitia cum clementia & æquitate ita coniuncta, ut omnes in quibus erat sanior mens, uehementer dolerent ipsum non prius, sed in tam prouecta ætate ad omnium regnorum illorum administrationem peruenisse. Quamuis etiam ab omnibus subiectis regnis & populis plurimum amaretur, & coleretur, ipseq; uicissim omnes & singulos ut pater filios amplecteretur, attamen à Danis ita dilectus erat, ut non ex Gothis, quorum nomini sæpius inuident, sed ex cœlo ad eos descendisse uideretur. Causa tam eximij amoris ea fuisse creditur, quia iam Regius sanguis apud eos defecerat: credebantq; se Regia stemmata à uetustissimo Gothorum Regum sanguine feliciore auspicio restituere posse: neq; enim quieuerunt, donec eis filium suum Siualdũ Regem etiam uiuens designaret. Quo facto, Daniæ regnum sponte Gothorum regno se subiecit. At Suetiæ proceres, in quibus nimis diu durare solet uindictę appetitus, cum ad memoriam reuocarent Eugini & Haldani potentiam, qua antea oppressi fuerant, statuerũt bellum Eugino inferre: nec diu huiuscemodi animi sui statutum distulerunt, antequam electo ex se Rege Ragnaldo, expeditas Sueonum copias cõtra ipsum iam ueteranum educerent. Igitur Euginus (cui tum ob aduersam ingrauescentis senij ualetudinem, tum ob spectatam in omnibus probitatem parcendum fuisset) bello suorum Sueonum lacessitus occubuit: qui apud Danos, & in aliena terra, cuncta felicia, & supra omne uotum prospera expertus est.

Regnaldus & nobili, & Regio sanguine in Suetia ortus, passus est (ut diximus) se per factionem optimatum in Suetia ad regni solium contra Euginum sublimari. Audax quidem facinus, & in primo regni ingressu satis felix, sed non eodem cursu post lætum principium ultima successerunt. In prima siquidem pugna (cuius nunc meminimus) de sene Eugino facilè triumphauit, at non sic in secundo bello, quod contra filium eius Siualdum susceperat, euenit. Hic enim Regnaldus indignè ferens quòd ipsi Dani se ita sponte Gothorum Regi subiecissent, filiumq; Eugini Siualdum in Regem constituissent, cogitabat eodem exemplo quo patrem occiderat, etiam filium confestim tollere, ne quis apud Gothos & Danos, nisi Suetico sanguine illustris imperaret. Quocirca electissimas bellatorum copias ex Suetia in Daniam expedire curauit. Conueniunt ambo exercitus in Sielandia Danorum insula, fitq; atrocissima & pertinax pugna: Sueones pro gloria & imperio pugnabant, Dani uerò pro salute & libertate. Nusquã poterat tantis odijs, tamq; graui ac diuturno prælio pugnari, quantum in eo cruentissimo congressu, qui totis tribus diebus continuatus erat, solis noctibus pugnam dirimentibus. Tandem huic importunissimæ pugnæ cędes Regnaldi finem imposuit, cunctis eius commilitonibus ad casum Regis consternatis. Erant in ea pugna (exceptis gregarijs militibus) quadraginta Sueonum fortissimi, in quorum etiam numero erat Starchaterus. Hi cum nullis unquam bellorum fulminibus concuti consueuerint, in hoc tamen prælio sublato Rege, salutem à fuga quærere non uerebantur: quos etiam fortissimus & inuictus pugil Sueticus Starchaterus insecutus, documẽtum præbuit, nullum hominem tam præstantibus esse uiribus, quin aliquando suam fragilitatem agnoscere compellatur.

Amundus Regnaldi in Danico bello occisi filius, patri in Suetię regno concordibus procerum uotis surrogatur. Huic fuere plures filij in bellicis rebus, & militari disciplina instructissimi, Hacho, Heluinus, Hagbartus, Amundus. Ad hunc igitur Hachonẽ natu maiorem, cui tunc apud Sueones maxima piraticæ autoritas deferebatur, omnes illi Sueonum fortissimi, qui Regnaldiano bello superfuere, quasi quædam reliquiæ delapsæ eius commilitium amplectuntur. Neq; ignauiter eorum fortissima opera usus in Hybernos, & alias Occidentalis Oceani insulas transferre curauit, multosq; populos & terras partim sub iugum misit, partim in cineres redactas desolauit. Interea fratres eius Heluinus, Hagbartus, & Amundus, ne domestico otio contabescerent, classem armis uirisq; potentissimam eduxere: eoq; præsidio sese satis munitos existimantes, totum mare Gothicum piraticis uexauere operibus. Incidit inter hos, & Sigari Danorum Regis filios, Algerum & Alphum, nauale atque atrox prælium, quod tam pertinacibus utrinq; uiribus agebatur, ut neutra pars alteri cederet, donec nocturnæ tenebræ telorum usum pugnantibus prohiberent. Tunc enim clausis oculis corporeis, cæperunt oculi mentis in utraq; parte efficacius aperiri, considerantibus

hinc

hinc inde damna, pericula, uulnera, occisiones, quas inani gloria seducti perpeti cogebantur. Quocirca reddita diurna luce, placuit utriusq; partis Principibus, ad pacem concordiámq; perpetuam conuenire: tantaq; amicitia acerbo odio successisse uidebatur, ut se intimo ac fraterno complecterentur affectu. Sed uehementior quàm diuturnior existens, finem magis molestum, quàm optatum accepit. Hagbartus enim pactæ amicitiæ fiducia fretus, cum Sigari filijs petita Dania in aulam Regiam per eos comiter exceptus est: in qua cum uersaretur, à filia Regis Signe tam ob uirtutem, quàm ob generis nobilitatem adamatur: nec potuit generosi animi adolescens nõ amare illustrissimam uirginem, à qua se tam grato amore concupisci cõperiebat. Sed obseruato opportuno tempore ignorantibus eius fratribus, ipsam sibi in sponsam data inuicem fide assumpsit.

Erant eo tempore multi Dani, & Teutones, qui eandem uirginem in coniugem postulabant: in quorum numero præcipuum locum habebat quidam Hildigisleus, claro inter Teutones loco natus. Is cum comperisset sibi à Regia puella præferri Hachonẽ, uel Hagbartum, Amundi Regis filios, indignanti & grauissimo animo tulit illum sui cõtemptum, prælertim cum intellexisset sibi à uirgine exprobratum, quòd præter uultus uenustatem, & claritudinem parentum, nullis præclaris facinoribus, siue rerum gestarum gloria illustraretur, Hagbartum uerò Sueticum (quem sub Hachonis nomine summis laudibus extulerat) in militaribus exercitijs, & magnitudine rerum gestarum illustrissimum nominasset. Proinde Hildigisleus non ad arma more uirorum, sed ad insidias more mulierum acceptas iniurias uindicaturus se conuertit. Boluesium enim quendam natura & moribus pessimum, amicitias abrumpere, & odia serere solitum, magnis muneribus datis inducit, ut fœdus quod Sigari filij cum Hagbarto & fratribus eius pepigerant, acriori odio permutarent. Nec segniter artem, quam ab ineunte ætate ad multorum perniciem didicerat, executus est, hortando Regios iuuenes, ut Suecorum amicitiam nusquam utilem, sed ubiq; periculosam atq; insidiosam deuitarent. Cuius malignæ suggestioni tantum tributum erat, ut Sigari filij promissæ fidei obliti, ad arma uelocius quàm honestius conuolarent, ipsosq; Suecones ad publicum & naualem conflictum prouocatos trucidarent.

Cecidere in eo prælio fortissimi proceres Amundus & Heluinus: at Hagbartus nolens in aliena regione iniquis uiribus Martis aleam experiri, ab ea pugna prudentius declinauit. Sed denuò copias contrahens, & acerrimum bellum instaurans, gloriosam uictoriam de fratrum occisoribus reportauit. Deinde sumpta muliebri ueste, omniq; fortitudine deposita, ad Signem Sigari filiam se recepit, siue ut se de occisione fratrum eius excusaret, siue ut furtiuo potiretur amore, parum in Sueticis historijs expressum inueni: quanquam Saxo Danicus multa eius temeraria facta commemorat, uidelicet quomodo filiam Regis uiolauerit, quomodo deprehensus in eo scelere fuerit, quomodo complures electos milites, antequam comprehendi poterat, trucidauerit, quomodo in concione ad pessimi Boluesij consilium damnatus fuerit, quomodo in furca strangulatus interierit, tandem quomodo Signe ob infinitum amorem, quo erga unicum sponsum suum ducebatur, se ipsam iugulauerit, atque igni pariter cum tota aula regia exurendam tradiderit. Hic iterum & meritò exclamandum esset in illa humani generis portenta, quę exemplo illius perditissimi Boluesij ea consilia imprudentibus Principibus suggerũt, unde regna, nationes, populi incredibili celeritate euertuntur, & tamen non desinunt ignaui proceres talium cõsilijs se, & omnem suam, ac suorum salutem committere. Erat eodem tempore in aula Sigari Biluisius, qui omnia ad amicitiam & pacem à tenera ætate conuertere didicerat. Is summoperè conatus est persuadere ut Sigari filij fœdus cum Hagbarto & fratribus eius initum nequaquam rumperent, sed conseruarent: cuius optima consilia quia contempta, uel neglecta fuerunt, secuta est in primis Regiorum liberorum clades & occisio, filiæ uiolatio, & infamis exitus, ac tandẽ Regis Sigari mors: omnesq; Daniæ nobiles unà cum omnibus Regij sanguinis reliquijs propter ea Boluesij consilia penitus extincti fuerunt.

Ex lib. 7. Quibus proximè antecedunt, quæ habentur pag. 193. subsequuntur autem Fliolmi fata pag. 531. Etsi propter Apotheosin Frothonis potuissent referri priora ad lib. 3. posteriora autem, de peritia Gothicæ iuuentutis, in arte gladiatoria, ad cap. 16. lib. 15.

Ingo postquam Amundus, & filius eius Hacho paucis annis in Suetiæ regno præfuissent, unanimi procerum ac populorum consensu in eiusdem regni solium collocatur. Hunc etsi Ericus Vpsalensis affirmet Vilmeri filium, & ad principatum utriusq; regni, Gothorũ uidelicet

delicet & Sueonum, à principio, & eodem tempore perueniſſe, attamen aliæ hiſtoriæ (quas probabiliores in hac parte exiſtimo) teſtantur ipſum antea pluribus annis Sueonum regno præfuiſſe, & demum poſt graues controuerſias, atrociaq; bella, in quibus Siuardus Gothorum Rex oppreſſus interijt, in Gothico regno ſucceſsiſſe. Præterea idem Ericus ſcribit hunc Ingonem poſtquam utriuſq; regni monarchiam aſſecutus fuiſſet, celebratis apud Vpſaliam comitijs, inuiolabili decreto (conſentientibus Principibus populiſq; Sueonum) ſtatuiſſe, ut caput, & ſedes regni Suetię in metropoli Vpſala deinceps cenſeretur, quemadmodum olim Humelum Regem præcepiſſe memorauimus. Iuſtum quippe uiſum eſt Ingoni & proceribus, ut præcipua æſtimatio de illo loco haberetur, in quo præcipua Deorum cultura tunc ſeruabatur. Fuiſſet etiam eodem tempore operæpretium inſpectis celebrioribus regni Gothiæ locis, decretum ædidiſſe, an apud Oſtrogothos, uel Veſtrogothos Regia ſedes collocanda fuiſſet, quamuis dudum Scarinus (ut antè diximus) Scaram ciuitatem ex ſuo nomine erectam, caput, & regiam omnium Gothorum haberi uoluiſſet. Sed hæc & ſimilia ad Principum uoluntatem ſuborta aliqua neceſſaria cauſa permutari conſueuerunt. Reliqua huius Ingonis tempora felicia pacataq; fuerunt, donec ſenio confectus, apud metropolim Vpſalam (quam cæteris regnorum ſuorum locis ſemper prætulerat) uitam & regnum morte commutaret.

Nearchus præmortui Ingonis primogenitus, poſt paterna fata in utroq; regno Gothiæ & Suetiæ ſucceſsit, tantaq; iuſtitia, & æquitate, ac clementia ſubiectis populis imperauit, ut ob ſingulares & ſummas uirtutes ſuas, non ſolum optimis Principibus, ſed ipſis Dijs ſimilis haberetur. Siquidem regna ipſa à prudentiſsimo parente adeò bene inſtituta accepit, ut facilè ſe optimum Regem ibi pręſtare poſſet, ubi publicus ſubditorum conſenſus ad pacem, & concordiam, omniaq; uirtutum ſtudia ſummo conatu conſpirabat. Proinde nec alijs in circuitu Principibus & populis bellum intulit, nec ab alijs illatum ſuſtinuit. Quis enim (niſi admodum imprudens) auderet alicui Regi, ſiue Principi bellum inferre, quem noſſet à fortiſsimis & fidelibus ſubditis contra omnem bellorum impetum fideliſsimè muniri, & defendi? Itaque in huius optimi Regis hiſtoriam nihil moleſtius inſeri poteſt, niſi quòd breuiſsimus fuerit eius principatus, qui in multos & felices annos extendi meruiſſet.

Frotho deinde (quem alij rectius Froë nominant) Ingonis optimi Regis filius, poſt præmatura Nearchi fratris fata tam ob ſpectatiſsimam memoratorum Regum probitatem, quàm ob maximam ſpem, quam omnes de eius præclara indole conceperant, utriuſque regni monarchiam, nullo ex proceribus uel populo contradicente, aſſecutus eſt. Hic publicæ omnium expectationi & ſpei ita ſatisfecit, quòd in nullo à patris, uel fratris ueſtigijs degeneraſſe notaretur: imò quemadmodum eius imperium aliquantò diuturnius erat, ita etiam facilius ab omnibus prædicabatur. Quippe eo regnante tam tuta ubique erat proborum innocentia, ut ſubiectis populis nihil niſi iuſtum, æquum, & pium eueniret: ipſeq; optimus, & immortali laude dignus Rex, potius uitam ſuam, quàm iuſtitiam, ſiue innocentiam uiolari permiſiſſet. Hæc cum de Ethnico Rege ſcribo, uehementi dolore perfundor, nos infelices homines, qui Chriſtum per quem Reges regnant colimus, tam remotos eſſe à talium Regum præſidio, & tutela. Sed abſit ut ob id animum deijciamus, qui in æternam felicitatem recipiendi ſumus, quando illi humani generis tortores ad ſempiterna tormenta detrudentur. Nunc ad Frothonem reuerſi, uideamus quid ei ſimplicium Gentilium gratitudo pro tam eximijs beneficijs rependere ſtuduerit: illud nimirum, quod putabat omnem humanum cogitatum tranſcendere. Quippe ut diuinas uirtutes in eo relucere credebat, ita ipſum in Deorum numerum referebat: & fortaſſe longè rationabilius, quàm Romani ſuum Iouem Cretenſem, omnium flagitiorum genere ſordidum, quem iam in numerum infernalium dæmonum relatum non dubitamus.

Vrbanus poſt optimorum Regum Ingonis & filiorum eius fata, conſentientibus incolis in regna ſucceſsit. Hic quemadmodum ab ineunte ætate in arte militari, & præſtantiſsimis moribus educatus fuerat, ita filios ſuos Nordianum & Oſtenum in ſpem regni genitos, per nobiliſsimum & fortiſsimum Gunnonem ſatrapam erudiendos curauit: à quo inter cætera multa militaria exercitia, quæ ad firmandas acuendaſq; uires attinebant, etiam uitandi inferendiq; ictus conſuetudinem ſtudioſo exercitij genere contrahebant. Solitũ quippe erat Gothorum iuuenes adeò perfectè artem gladiatoriam addiſcere, ut aduerſę frontis ſupercilium ineuitabili ictu ferirent: quo ſi quis recepto, uerſilitate palpebræ timidius conniueret, mox aula eiectus ſtipendijs defungebatur. Tantum enim uirium animis eorum à natura & conſuetudine ſine exercitio militari inſitũ erat, ut etiam receptis in uultũ ictibus, nec leues quidem ſuperciliorum nutus æderent, atq; aduerſus omne percuſſoris irritamentũ in eodẽ ha-

bitu

bitu animum continerent, in nullo mollius ſe gerentes, q̃ pugiles Olympici, de quibus Cicero, & fideliſsimi autores teſtantur, quòd grauiſsimas plagas excipientes, & cæſtibus contuſi, nihil omnino ingemuerint. Proinde affirmare auſim, quòd Aquilonaribus militibus nunquam illud Ennianum iure potuerit improperari:

Vos etenim iuuenes animos geritis muliebres. Aut illud:

Salmacida ſpolia ſine ſanguine & ſudore.

Sed tales ſemper inuenti ſunt, ut eis nullus labor inſolitus, nullus locus aſper, aut arduus eſſet, non armatus hoſtis formidoloſus, nõ mors ipſa terrorem eis incutere ualuiſſet, ut quandoq; in duello morientes, ſoluto in riſum ore, per ſummam doloris diſsimulationem ſpiritum efflauerint, tamq; inuicto animo fuerint, ut bello intercepti ſæpe in libertatem reſtitui potuiſſent, ſi quantulaſcunq; preces pro uitæ prorogatione porrigere uoluiſſent. Sed precariæ uitæ uſum animi magnitudine contemnentes, uitam perinde atque paruulum aliquod beneficium reſpuerunt, mortis ſententiam ſua ſponte complectentes: adeò ſalutem dedecore, uel dedecoris ſpecie mercari uirtus ignorat. Ex quibus moribus ſatis animaduerti poſſe exiſtimo, quomodo Gunno Regios liberos inſtituerit, quos tunc oportuit non ſolum natalium claritate, ſed illuſtriſsimorum geſtorum magnitudine cæteros omnes ſuperare. Reliqua huius regis Vrbari geſta ueterum negligentia conſepulta, ad meam notitiam minimè peruenerunt.

Oſtenus in defuncti parentis Vrbari regna perueniens, quamuis eſſet ad pacem concordiamq; inclinatiſsimus, utpote qui à puero didiciſſet, quantum horroris atq; incommodi bella afferre ſoleant, attamen ob grauiſsimas iniurias, quibus à Noruegianis laceſsitus erat, animum ad bella & cædes conuertere cogebatur. Illi enim Nordianum fratrem eius, quem pridem in Regem aſſumpſerant, ſtructis inſidijs necauerunt, ſurrogato in eius locum Regnaldo, qui tam ætate, quàm ægritudine corporis laborabat. Quod cum Oſteno compertum fuiſſet, ſtatuit fratris occiſionem ita uindicare, ut non ſolum necis autores, ſed tota Noruegia doleret, ſe inflictæ uindictæ acerbitate deſolatam. Tunc ſubiens Gunno licentiam laceſſendæ Noruegiæ, importunis precibus ab Oſteno impetrauit. Qua impetrata, animum ſuum ad omnem crudelitatem pertinaciſsimè obfirmauit, præfatus ſe chariſsimi alumni Nordiani necem ita uindicaturum, ut nulla unquam poſteritas obliuiſci poſsit crudeliter occiſi, & ſeueriter uindicati Regis euentum. Primumq; Iatriæ prouinciam adortus: omnia eius loca ferro, flamma, cædibus, impacabili furore uaſtabat: tantaq; uehementia uictoriam proſequebatur, ut promiſcuæ cædis auidus, nihil conditioni, aut ſexui, uel ætati indulgendum putaret. Sed neq; miſerationis, aut uerecundiæ reſpectum egit, quominus fœmineo ferrum ſanguine cruentaret, matreſq; cum liberis communi ſtragis ſæuitia trucidaret. Sordebat ei omnis præda, & à rapinis totum animi ſui propoſitum auertebat, ad id ſolum intentus, quò publicas uias, & ſemitas cadaueribus obſitas, cruoreq; undiq; perfuſas, calcaret, mallens funeſti, quàm auari uindicis nomen habere.

Tandem incolæ proximum & indubitatum periculum publica deditione præuenientes, à ſuo Rege Regnaldo deficiunt: qui nihilominus ſpem repellendi hoſtis aſſumens, audet ſe, ſuorumq; paucitatem in apertum belli diſcrimen immittere, animo quàm corpore uegetior: alienis namq; humeris fulta ueſtigia proferens, in prælium deſcendit. Quod quum imprudentius quàm felicius geſsiſſet, à Gunnone oppreſſus occubuit. Gunno igitur uictoriam aſſequutus, didicit Regnaldum deſperatis antea rebus, filiam Drotham in ſubterraneis latebris unà cum Regijs theſauris, & ſupellectili, ac neceſſaria familia, & apto in longum tempus ſumptu incluſiſſe. Quibus auditis, omnes ingenij ſui neruos ad eam inueſtigandam intendit. Quam tandem repertam in coniugem duxit: genuitq; ex ea filium Hildigerum nihil à paterna ſeueritate degenerantem, quemadmodum inferius ſuo loco ſubijciemus. Hìc Saxo Danicus multis uerbis exaggerat, quomodo Gunno iſte deuictæ gentis ſuperbiam domiturus, canem Noruegianis in Regem præfeciſſet: quod ſi factum fuiſſet, profectò longè minus pernicioſum morſum illi regno inflixiſſet, quàm ille unus morſus erat, quo à Noruegia auulſæ fuere inſulæ Orchadum. Sed hæc uideant illi quorum intereſt, ego ad Oſtenum reuertar: quem longè clementiorem erga deuictam gentem Noruegianam fuiſſe credo, quam Danorum hiſtoriæ perſuadere contendunt. Nec diu illi uictoriæ ſuperuiuens, regnis & uita priuatur, apud Vpſalam metropolim in Regijs monumentis collocatus.

Ex lib. 7. Antecedentia habes pag. 531. proximè subsequentia pag. 403.

Suercherus Fliolmi filius, postquam pater morte apud suos Vestrogothos assumptus est, ad Gothici regni administrationem peruenit. Quæ quoniam diuturna non fuit, intentionem, quam pro Reipublicæ restitutione optimè instituenda habebat, ad optatum effectum deducere nequiuit. Fuit enim à paternis moribus tantum remotus, quàm uirtutes à uitijs remotissimè distant. Erat siquidem pater sordidæ ebrietatis mancipium, filius autem uisa paterni uitij ignominia, nihil præclarius sobrietate duxit: pater plus histrionibus & scurris, filius uerò proceribus & prudentibus magnoperè, & semper delectari consueuit: illi otia, huic negotia magis placuerunt: illum ignauia, hunc prudentia memorabilem effecit. Quippe ut ille nihil in moribus Regia maiestate dignum habebat, ita huic omnia (præterquam temporis diuturnitas) cumulatissimè affuerunt, quæ ad felicem beatumque statum regnorum, & Principum opportuna creduntur. Sed durum & ineuitabile fatum tam admirandæ indolis Principem in primis regni auspicijs oppressit. Cum enim Daniæ regnum in uarias atque discordes præfecturas distractum, Gothicis armis subijcere statuisset, iamque ad id copias paratas, & proximè transmittendas haberet, ecce subito equi casu brachium dextrum subiectis saxis ita collisit, ut breui pòst tempore, cum casus ille ex solicitudine suscepti belli maiora sumeret incrementa, uitam præmatura morte commutaret, dolentibus cunctis subditis, qui sibi à tam optimo Principe omnia prospera & felicia pollicebantur. Creditur apud ciuitatem Scarensem, non procul à collibus Kindiæ unà cum patre tumulatus.

Valander prędicti Suercheri filius, non modò in paternum principatum, uerumetiam in bella quæ contra Danos susceperat, surrogatus est. Exercitum enim, quem pater ante occasum suum parauerat, in Hallandiam, & Schoningiam, celerius quàm credi poterat, effudit. Tum Ostarus earum prouinciarum præfectus, ob inopinatum hostis insultum, & copias suis uiribus superiores, pugnam deditione præuenit, promisso annuo tributo, & fideli in omnibus famulatu, ea conditione adiecta, ut Valandri ope contra Danorum incursiones defenderetur: fuissetque tunc Valander in reliquas Daniæ partes progressus, nisi Attilus Suetiæ Rex occasionem ex eius absentia nactus, Ostrogothos Suetiæ uicinos improuisa pugna adortus fuisset: ob quam necesse fuit arma à Danorum ceruicibus excussa, in defensionem patriç reuocare. Facto igitur cum Attilo congressu, saucius è bello excessit, concordiamque cum eo pepigit, ut neuter alterius terminos, siue populos, ferro, uel flamma, aut alio quocunque genere hostilitatis infestaret. Facta ea pace, non diu distulit, antequam naualem exercitum in Rethonem atrocissimum piratam, quem Rutenorum Rex mari Venedico, siue Suetico infestando immiserat, compararet. Verùm cum in eius belli procinctu multa solicito atque anxio animo administraret, somnumque admodum fessus captaret, subito fato extinguitur. Creditum à plerisque fuit, ipsum à dæmonio, cui se ob assequendam uictoriam deuouerat, suffocatum. Suntque historiæ, quæ corpus eius apud Ostrogothos Regijs exequijs tumulatum fuisse affirmant.

Ex lib. 7. Præcedentia habentur pag. 404. cohærentia pag. 648.

Quemadmodum paulò superius diximus, mortuo Osteno Gothorum & Sueonũ Rege, ortam fuisse inter utrosque populos controuersiam, qua necesse fuit hos & illos sibi Regem proprium assumere, ita nunc ad hunc Attilum (qui tunc à suis Suecis in Regem sublimatus erat) animum conuertentes, intelligimus ipsum fuisse uirum in bellicis rebus, & militari industria admodum instructum, multaque bella in Danorum præfectos (qui tũc populare, siue uerius diuisum regimen in Daniam induxerant) prosperè gessisse. Proinde (ut parum antè meminimus) Valandrum Gothorum Regem iusto bello impugnasse uidebatur, quando ille transmisso in Daniam exercitu, alterius belli fructum in se transferre niteretur. Quippe iam cum Attilo in gratiam redierant, eique tributa pendentes, se satis securos existimabant. Quòd autem Ericus Vpsalensis dicit huic Attilo ascribi, quòd canem aliquem Danis in Regem præfecisset, non est integrum. Veteres enim Danorum historiæ illud facinus Attilo Hothebroti filio (de quo prius diximus) attribuunt: hic autem Attilus erat omni modestia præditus, bellaque tum in Danos, tum in Rutenos, & alias procul positas nationes fortitudine militari, & non contumelijs extendebat: magisque ea honesta militia profecit, quàm si militem numero & fortitudine longè præstantiorem, sed in omnem lasciuiam

proiectum,eduxiſſet.Quippe ſi eius imperio Gothia unà cum Suetia ſubiecta fuiſſet, ipſiusq; conſilijs tota utriuſque regni monarchia moderata fuiſſet,nequaquam Moſcouitarum Princeps ſuos piratas in ſinum Gothanum tam liberè immiſiſſet.Semper enim uerisſimum fuerat,Suecos & Gothos in unam militiam adunatos,terrorem ſuis hoſtibus incuſsiſſe,ſeparatos uerò facilè ab inimicis deuictos & afflictos. Hic tandem Attilus poſt plura & magnifica geſta apud Vpſaliam defunctus eſt,locumq; in Regijs monumentis(prout uiuens optauerat)impetrauit.

Ex lib. 8. Habes proximè antecedentia pag. 41. in uita Holſtani: ſequentia uerò pag. 12.

Biorno igitur utriuſque regni Gothiæ & Suetiæ Rex,quamuis ſubiecta regna ſtrenuè à Snionis Danorum Regis armis & uiribus defenſaret,attamen nulla uis tanta erat,qua poterat eius calliditatem ſuperare. Cum enim Snio conſideraret ſuam potentiam minorem eſſe,quàm poſſet Biornoni bellũ cum aliqua ſpe felicioris euentus inferre, & tamen omnino ſecum conſtituerat,Gothorum Regis filiam,quamuis iam Biornonis uxor eſſet, ſibi in ſpem adipiſcendi regni per matrimonium copulare. Quod quia nimis arduum erat, quendam ſub ſpecie inopis & mendici in aulam Biornonis tranſmittendum curabat:qui egregij diſsimulatoris officio fungens,omnem operam adhibebat,quomodo poſſet in Reginæ colloquium,ſub ſpecie mendicandæ opis,peruenire.Erant tunc,quemadmodum nunc,plures Dani in aula Reginæ ſeruientes:horum callido ingenio uſus,haud difficulter uoti compos euaſit.Siquidem eorum conſilio ſe in arctum angulum,per quem Regina tranſire conſueuerat,abdidit:quę cum adueniret,ut ſui miſereatur exclamat.Deinde propius accedens,quaſi petitam opem accepturus,ſubmurmurat:Snio te amat. Regina quoq; in arte diſsimulandi nullo aſtuto uiro inferior,progreditur.Deinde actis negotijs,per uiam , qua egreſſa fuerat, reuertitur, mendico in eodem loco perſeuerante, quaſi per importunitatem accepturus opem,quam prius Regina negaſſet:quæ tunc palam uerba conſolatoria præmittens,occultè inſinuauit.Amantem me amo.Gauiſus optato reſponſo mendicus, non quieuit donec ſimili aſtutia locum,& tempus inueſtigaſſet. Tempus erat brumæ initium,& locus prope ſinum maris in Bœckerœr,quaſi diceres fagorum congeriem.His ex ſimulatore mendico compertis,Snio iam in ſummam ſpem aſſequendi Gothici regni erectus , tempus deſignatum expectat:cuius commoditate fretus,Reginam (ut ſperabat) ſublatis mariti opibus lauandi ſpecie digreſſam,nauigio in Danię partes deportandam curabat. Secuta deinde fuere atrocia inter Reges bella,quæ tales raptus ſemper comitari conſueuerunt,multaq; mortaliũ millia,in quibus nulla illius rei conſcientia, aut conſenſus inerat, perierunt. Non enim ſemel,ſed ſæpenumero,& ancipiti euentu,uariaq; uictoria(ut dicit Saxo)dimicatum eſt inter hos Reges,cum alter iuſtas nuptias uiolatas uindicaret,cõiugemq; repoſceret, alter iniuſtas tueretur.Durauit illud pernicioſum bellum in plures annos,cum tanta utriuſq; partis pertinacia,et incommodo,ut ſublatis agricolis,ipſi quoq; agri deſolati iacerent.Proinde nonnullis apparet Saxonem rectè opinatum fuiſſe,quòd Longobardi propter huius famis incommoda Scandianam patriam exilio commutaſſent:ſed in his à recta temporum ſupputatione multum diſſentire cõuincitur,prout ſuperius in Gotharo diximus.Imò Albertus Crantzius circa hũc paſſum inſurgens,queritur Saxonem Danicas hiſtorias nimis mutilatas tradidiſſe.Quod etiam nulla ratione negari poteſt.Quippe cum omnis ſcriptorum turba affirmet,trigintaduos Reges Lõgobardis,ab eorum ex Scandiana inſula exitu,uſq; ad ultimum ipſorum Regem Deſiderium,ſupra quadringẽtos annos ſucceſsiuè præfuiſſe,ipſe Saxo per tot ſecula tantummodò tres Reges,Biornonẽ,Haraldum,Gormonẽ, aſsignat:Sueticæ uerò hiſtoriæ interim uigintiſex Reges enumerant.Crediderim ego eundẽ Danicum ſcriptorem ea ratione res Danicas per tot tempora diſsimulaſſe,ne inſignes patrię ſuę calamitates,quas tunc multis modis paſſa eſt,commemoraret.Siquidem ut ex Sueticis hiſtorijs colligimus, poſtquàm(ut dictum eſt)Snio Danorum Rex, Biornonis Suetiæ Regis coniugem per inſidias raptam,ſecum in Daniam tranſtuliſſet, occaſionemq; cruentiſsimis bellis præſtitiſſet, Dania ipſa eiſdem bellis non ſolum uaſtata,ſed ferè deſolata,ad extremam ruinam deuenit: in qua nunc Scotis & Anglis,nunc Noruegianis & Suecis, ſiue Gothis, nunc Vandalis & Teutonibus,nunc Gallis & Friſonibus parens,uix regni nomen et titulum retinere ualebat. Cecidit in primis ea diuturna pugna ipſe Snio Danus: & Biornus Sueticus poſt adeptã de Danis uictoriam,uxoremq; recuperatam,parũ ſuperuiuens,in fata apud Vpſaliã conceſsit.

Raualdus autem præmortui Biornonis filius,circa annos Chriſti quadringentos ſexagintaquatuor, Sueonum, Gothorumq;, & Danorum regnis præficitur. Hic etſi in omnes ſubiectos

subiectos populos esset moderatissimi animi, attamen tanta sæuitia in Danos ferebatur, ut nullam penitus gratiam apud ipsum inuenire possent. Siquidem tenacissima memoria suæ matris raptum, quo in Daniam deducta fuerat, conseruans, omne ingenium suum eò conuertere studebat, quò omnibus posteris compertissimum fieret, tam temerariam illustrissimæ Reginæ abductionem, grauissimis pœnis aliquando punitam, uindicatamque fuisse. Erat in eius consilio Siggo quidam, generis nobilitate conspicuus, cæterum moribus adeò dissolutis, & peruersis, ut putaretur ab aliquo extremæ uilitatis rustico procreatus. Ab hoc Raualdus persuasus, multa crudelius, quàm modestius in Danos commisit. Nam illustrissimas nobilissimorum uirorum coniuges, maritis inspectantibus, & nihil contrà niti audentibus, ad infelicis stupri commercium passim à suis Suecis rapi permisit: sæpeque eas in publica prostibula publicæ omnium libidini seruituras relegabat. Similemque uim in uirgines per suos exerceri consensit. Hæ enim quantò illustriore loco natæ erant, tantò uilioribus cerdonibus, histrionibus, & similibus infimæ fæcis hominibus matrimonio tradebantur. Itaque unus unius Sueticæ Reginę raptus, omnium Danicarum mulierum raptu ita compensatus erat, ut uniuersi Daniæ incolæ duram pœnitentiam usque ad filios filiorum sustinerent. Proinde Dani longè prudentius egissent, si à tam atroci iniuria nulla necessitate prouocati abstinuissent. Tunc enim alijs populis in uirtutum officijs pares, parem Regis benignitatem nacti, & in omnibus eorum uotis experti fuissent. Cæterum hic Raualdus morbo, an bello decesserit, uel ubi locorum sepultus fuerit, non potui apud autores, quos sequor, inuenire.

Suartmannus Raualdo in regnis Gothorum, & Sueonum, ac Danorum succedens, incertum reliquit, plus'ne crudelitatis per uniuersum Daniæ regnum in uiros, quàm eius successor Raualdus in fœminas exercuerit. Quippe cum uideret Danos Sueonum Gothorumque iugum nimis grauatè sustinere, occultisque & insidiosis molitionibus ad amissę libertatis iura recuperanda continuè anhelare, tanto furore accensus erat, ut per sua numina iurauerit, se Danicas insulas, occisis earum incolis, in solitudinem redacturum: fecissetque tam crudeli proposito satis, nisi quidam prudentiores consiliarij, Suetica modestia præditi, iuuenilem animum eius à tam atroci uindicta reuocassent, præfati ab omni homine, maximè autem à Regibus & Principibus, longè abesse debere nō modò crudelitatem, sed omnē crudelitatis opinionem. Quibus consilijs persuasus, parum mitius quàm decreuerat, delinquentes puniturus, magnum Danorum numerum proscripsit. Nec pauci erant, quos in Angliam, Galliam, Germaniam, cæterasque tum uicinas, tum remotas terras uendidisse dicitur. Cæteris autem, qui paruo numero in Dania residebant, tam seueriter dominabatur, ut longè humanius egisse uidebatur in eos, quos uilissimo pretio uendiderat, aut in longinquas nationes damnatos proscripserat. Qualis uerò erga suos Gothos & Sueones fuerit, parū ex historijs compertum habeo. Proinde mihi persuadeo, quòd apud eos satis moderatum, bonumque Principem se gesserit: alioquin in Sueticis historijs tyrannidis notā minimè euasisset. Solent enim res crudeliter atrociterque gestæ, tenaciore memoria retineri, & diligentius ad perpetuam posterorum considerationem destinari, cum interim optima bonorum Principum gesta citius dilabantur, uel tenuissima memoria ad futurorum notitiam transmittantur. Euenit huius Suartmanni obitus in terra Ostrogothorum, circa annum Christi quingentesimū nonum, postquàm annis circiter uigintiocto regnasset.

Tordo igitur posthac in paternum principatum surrogatus, in nullo se clementiorem erga Danos exhibuit, quàm isti duo memorati Reges, per quorum manus tam inclyta regnorum sceptra acquisiuit. Quocirca cum Daniæ proceres animaduerterent suam Daniam, armis & exercitibus Sueticis Gothicisque miserabiliter obtritam, situ & squallore marcidam, culturæque inopem iacere, prętereà se, & uniuersos Daniæ incolas, adeò insigni paucitate contemptibiles, ut nihil prorsus reliquum spei haberent, quo uel se, uel charissimas coniuges suas, siue liberos tueri possent, imò tam deiectas, & desperatas omnes suas fortunas, ut nihil ultrà ad suam ipsorum calamitatem addi potuisset: proinde communi inter se consilio habito, firmiter decreuerunt, aut honesta morte occumbere, aut dudum amissam libertatem aliquando recuperare. Sed cum rursus attenderent Gothorum uires tantas esse, ut Danorū uiribus nequaquam superari possent, cœperunt se paulatim ex patria in Angliam, Galliam & Germaniam, cæterasque terras ad suos, qui pridem à seuero Rege proscripti fuerant, subducere. Deinde missis hinc inde nuntijs, consilia liberandę patrię inquirebant, seque mutuò confortare, exhortari, & urgere non cessabant, donec exercitum ingentem ex Anglia, Hollandia, & Gallia compararent: sibique quendam Heroldum, siue (ut uerius puto) Haraldum ex suis, Danico sanguine illustrissimum, gerendi belli ducem præfecerunt. Hic autem pręcipuus inter eos proceres erat, quos Rex Tordo cōcitatiore quàm prudentiore animo in Britanniam pridem relegauerat, fatis ita disponentibus, ut ille seruandus proscriberetur, à quo tandem

Dania pristinæ libertati restitui speraretur. Itaq; Heroldus primum ab illis Danis, qui in Britanniam confugerant, uel qui proscriptione damnati illuc inuiti peruenerant, deinde ab illis, qui per Galliam, & Germaniam dispersi fuerant, in Principem assumptus est. Iussusq; de sua gente primam agere curam, non distulit præualidam classem comparare: & citius quàm Tordo opinabatur in Daniam aduenïens, magnam eius regni partem occupauit. Occupasset etiam Tordonem, nisi se celerius ad Vestrogothos recepisset: apud quos paucis diebus manens, insuperabilem exercitum contraxit. Quo succinctus, confestim in Daniam rediit, totamq; Danorum multitudinem, nondum in regno nouiter recuperato cõfirmatam, facili Marte superauit, & profligauit. Quo euenit, ut Heroldus collectis infelicis pugnæ reliquiis, denuò in Angliam nauigaret.

Præerat eo tempore Britannis ille inuictissimus Rex Arthurus, de cuius amplissimo imperio, & mirificis triumphis, plura in historicis monimentis traduntur, quàm facilè credi possint. Hic igitur ab Heroldo contra Tordonem opem ferre rogatus, non grauatè amici precibus annuit, præfatus se nihil libentius unquam egisse, quàm illud bellum cum Rege potentissimo acturus esset, qui illa fortissima Gothorum & Sueonum gente, cæterisq; ualidissimis populis stipatus esset. Educitur itaq; ex Britannia, Gallia, Hollandia, maxima classis, in qua innumerabilis pugnatorum multitudo ad Daniæ liberationem aduehebatur: quæ etiam maximis Scotorum copiis, quas eorum Rex Angnischelus ducebat, adaucta, à Tordone non minore potentia ad nauale bellum præparato, intra illud fretum, quod Cimbros à Gothis separat, excepta est: statimq; ad acerrimum prælium deuentum est: quod toto triduo adeò pertinacibus animis ob summam utriusq; partis uirtutem agebatur, ut neutra earum saltem coniecturare posset, quorsum uictoria sese inclinaret. Tandem Germanica classis Gothos Sueonesq; à tergo inuadens, Arthurum, cuius signa sequebatur, uictoriæ compotem sine mora effecit, ipsosq; ut potius se, suamq; patriam conseruare, quàm Danis imperare curarẽt, coëgit. Itaq; Arthurus tam gloriosam uictoriam assecutus, Daniam ipsam non Danis (ut sperabant) sed sibi, suisq; Britannis, ac Scotis subiectam esse uolebat. Quo facto infelices Dani, cum se ab uno Sueonum Gothorumq; iugo liberatos putarent, geminum, imò multiplex, idemq; longè atrocius sibi impositum experiebantur: sub quo diutius oppressi, non modò ab Anglis & Scotis, uerumetiam à Noruegianis, quibus Arthurus (teste historia Scotica) consanguineum suum Loth in Regem præfecerat: præterea à Vandalis, & Teutonibus, à Gallis, & Frisiis, cæterisq; populis Arthuro subiectis, plurimum diuexabantur, quamuis Anglorum iugum sæpius excutere tentantes, Arthurum ad pertinacem indignationem prouocasse uidebantur. Quanto autem tempore Dania sub tam graui tyrannorum iugo laborauerit, historiæ quas sequor, non explicant: si tamen coniecturare liceat, pluribus annis, aut seculis, tam infeliciter oppressa desolataq; iacebat. Solent enim feliciora regna post tot bellorum tempestates tardè resurgere, quando tenuia (quale est ipsa Dania) nunquam, aut tardissimè ad pristinas fortunas restitui possent, cum interim Suetia pluribus annis (modò domestica concordia adsit) potentissimos exercitus alere, & potentissimis hostibus absq; aliqua sui læsione resistere queat. Sed nunc ad Tordonem redeamus: qui pace, uel induciis inter se, & Arthurum positis, ad plures annos quietè feliciterq; regnauit: quem alii apud Vestrogothos in ciuitate Scarensi, alii apud Suetios in Vpsalia sepultum affirmant. Nec apud me illæ historiæ probabiles uidentur, quæ asserunt Arthurum Suetiæ Gothiæq; imperasse, quamuis eas (ut nunc diximus) aliquando expugnare contendebat.

Rodulphus Tordoni fatis absumpto, in regnis amplissimis succedens, adeò magni & præstantissimi animi erat, ut nullos aut certè paucissimos summarum uirtutum suarum imitatores habere possit. Enimuero postquam aliquot annis apud Gothos Suecosq; cum admirabili prudentia & maxima morum honestate præfuisset, cœpit quadam ingenti animi magnitudine animaduertere, quam uana caducaq; sit omnis huius mundi pompa, & gloria, præsertim Regum & Principum: qui cum sint omnium hominum infelicissimi, nihilominus sese cæteris omnibus feliciores existimant. Quocirca ne ea uanitate usq; ad ultima fata irretitus detineretur, contempto desertoq; tam lato & magnifico imperio, se totum in pristinam libertatem uindicauit, sumptoq; secum honestissimo comitatu, potius elegit in alienis terris peregrinari, quam in propriis per cõtinuas afflicti animi molestias imperare. Non enim contentus erat Germanicas & Vandalicas terras perlustrasse, nisi etiam peragrata Græcia, tandẽ ad Gothos in Italia regnantes perueniret, disceretq; quantũ in armis apud exteras nationes ualuissent. Hic est enim, de quo Iordanes Gothus in sua Historia sic habet: Rodulphus nõ ante omnes, sed ante multos annos, cũ in Scãdia Rex esset, contẽpto proprio regno, ad Theoderici Regis Gothorũ gremiũ cõuolauit, & ut desiderabat inuenit. Cæterũ redierit ne post tot peregrinationes in patriã, an extra ipsam mortuus fuerit, omnino ignoro, quia autores, quos sequor, idipsum ignorare uidentur.

Ex lib. partim 8. partim 9. Quorum præcedentia habes pag. 649. subsequentia autem pag. 249. quæ poterunt ad librum 8. de Statu regni, uel quintum propter Attilæ prælia & immanem ipsius crudelitatem referri. Sub finem habes Aquileiæ euersionem & Venetiarum originem.

Arthus iste optimi Algothi Regis filius, post infelicem Gostagi tyrāni interitum, Gothorum Sueonumq; monarchiam dignisśime assecutus est. Hic est ille Arthus de Suetia, quem nonnulli inter nouem præstantissimos Principes collocare uolunt: quamuis nonnulli sint, qui eum locum Arthuro Britanno asśignent, Principi quidem ob rerum gestarum magnitudinem incomparabili, cui tamē hic Arthus Sueticus in nullo cesśisse uidetur. Præfuit ille multis populis & regnis: huius autem imperium fluuio Tanai ad Orientem, & Albia ad Occidentem, longisśimo terrarum tractu cōtinebatur. Ille Christianus: hic Ethnicus fuit. Ille circa annos à nato Christo quadringētos septuaginta: hic autem anno sexcentesimo trigesimo imperabat. Ille imaginem diuæ uirginis Mariȩ scuto suo impressam: hic tres coronas Suetici regni insignia habebat: ob quas Germaniæ proceres hūc inter nouem præclaros (de quibus diximus) connumerandum putant. Erat hic Arthus in omni morum honestate adeò conspicuus, ut eius nomen apud Gothos excellentisśimo & optimo cuiq; adaptetur, quemadmodum facinorosi à Romanis Nerones dici consueuerunt. Nec uidetur nomen Arthi multum differre ab illo Scythico nomine Arthe, de quo Ioannes Annius supra Berosum multa adducit. Siquidem tota huius Suetici Arthi familia, admirabili morum decentia composita incedens, nihil usquam in suis factis turpe, aut indecorū admisit. Vestitus erat simplex, modestus, mundus, nitidus, nihil in se uanitatis habēs. In uerbis summa urbanitas, nullius mendacij conscia, nec ullum turpiloquium, siue scurrilitatem admittens. Tantamq; in uictu frugalitatē habuisse dicitur, ut nulla unquam ebriosa potione sibi indulsisse putaretur. Et quū tales essent Arthi familiares ac ministri, summa inuicem pace gaudebant, domiq; non secus ac agni conuersantes, foris autem, & contra hostes, leonum ferociam imitabantur. Erat tunc prouerbij uice acceptum, ut Germani proceres satis laudasse uiderētur, quem Arthi Suetici familia dignum affirmarent. Sunt adhuc nostro æuo nonnullæ domus Arthi, quas illustres appellant, in oppidis Vandalicis secus mare Germanicū, utpote Gedani, & Sundis, in quas honestiores ciues sese laxandi animi causa, perinde ac aliquam summæ honestatis scholā frequenter recipere consueuerunt. Tali igitur familia Arthus illustris, inuictusq; effectus, plurima bella in Moschos, Liuones, Curetes, & alias uicinas gentes feliciter gesśit, nomēq; suum cunctis per Europam nationibus, formidabile & gloriosum effecit. Fateor tamē plurimam partem gestorum eius, quæ olim obiter inspexi, à memoria mea excidisse. Silendum uerò non est, ipsum absq; liberis decesśisse, & post fata in Regijs monumentis apud Vpsaliam collocatum fuisse.

Haquinus deinde Gostagi tyranni filius, ad sceptra peruenit, scelerato patre minus sceleratus. Cui filius Carolus succedens, parum superuixit, factus similis illi, de quo scriptū est: Ostendunt terris hunc tātum fata, nec ultrà esse sinent. Huic succedit eiusdem nominis filius Carolus. Itemq; post ipsum Birgerus regnorum fastigia conscendit. Cuius filio Erico splendidus in fastis locus, ob eius præclara in patriam merita, asśignatus est. Siquidem eius tempore Dania à diutina seruitute, qua uicinis regnis subiecta fuerat, respirans, Regem sibi prȩfecerat Biornonem: eiusq; ductu Erico Suetico Regi bellum inferre placuit. Sed nō erat tanta Danorum uis, ut confirmatam Sueonum Gothorumq; potentiam uel in minimo labefactare posset, prȩsertim hoc Erico regnante, qui subiectos populos non aliter ac indulgentisśimus pater charisśimos liberos foueret & amaret, rursusq; ab eis contra cuiuscunq; potentisśimi hostis impetum inuictus redderetur. Quæ autem bellorum materia tunc inter Sueones & Dacos inciderit, historiæ quas sequor, miro silentio prætereunt, quæ etiam nec eius mortem, nec locum, in quo post ultima fata quiescit, asśignare curauerunt.

Torillus, siue Totillus, parum idoneus posthac administrandis regnis præficitur. Is enim sordidȩ auaritiȩ mancipiū effectus, diuina & humana adeò perturbauit, ut ex delubris Deorum, qui apud Vpsalā magnifico diuitiarum apparatu colebātur, omnes thesauros usq; ad nudos parietes eriperet, omniumq; ciuiū fortunis perinde ac publicus prædo insidiaretur. Quo effectum est, ut Haraldo Danorum Regi congressus, à suis, quibus auarè & crudeliter imperauerat, desereretur, uitaq; ac imperio priuaretur. Cuius filius Biornus circa annos à nato Christo septingentos sexagintaquatuor, Rex à Gothis & Suecis constituitur: qui (ut accepi) diuturna pace gauisus, summa cum tranquillitate in fata concesśit, uno filio Alarico relicto, qui post patris mortem ad rerum summam peruenit.

Alaricus

Alaricus igitur ampliſsimo regnorum imperio potitus, iuxta patris exemplũ, paci tranquillitatiq; magnoperè cõſulebat. Omnes namq; per circuitum Reges & Principes, ſibi prudenter concilians, beneuolentia amicitiaq; eos ſuperabat, quos armis (niſi maiorem honeſtatis rationem habuiſſet) facilè ſuperare potuiſſet. Inter cæteros autem uicinos Principes, Gormonem Daniæ Regem ſingulari beneuolentia complexus, filiam ſuam unicam Sigritham illi in matrimonium dedit. Deinde unico filio Biorno regni ſucceſſore ſuſcitato, fatorum neceſsitati ſuccumbere coactus, ſepulchrum apud Vpſalam metropolim in Regũ monumentis aſſecutus eſt: de cuius filio Biorno infrà lib. 17. plura dicemus. Interim exordium ab illis Gothis in alienis terris militantibus, quos in fine ſexti libri reliquimus, aſſumemus.

Magna fortaſsis ordinis & temporis ratio, hic exigere uidetur, ut in rebus Gothicis commemorandis primum locum habeant Veſtrogothi, qui primum in Italiã & Hiſpaniam ingreſsi fuerunt, deinde Oſtrogothi, qui poſtea urbem Romam, & totã Italiam ab Odouacris tyrannide liberauerunt. Attamen uiſum eſt mihi commodius fore, quòd prius Oſtrogothorum geſta, uſq; ad ultimum eorum Regem Teiam, quemadmodum ante concluſionem ſexti libri incepimus, abſoluam: deinde Veſtrogothorũ hiſtorias, à principio uſq; ad ultimum eorum Regem Rodericũ, qui in Hiſpania regnauit, in locis idoneis expediam, ut facilius qui fuerint Veſtrogothi, uel Oſtrogothi, cognoſcatur. Eſt tamen in primis conſiderandũ, Oſtrogothos Hunnorum genti confœderatos fuiſſe, antequam eius Rex Attila diuinæ iracundiæ flagellum, per Europam arma circumferret. Proinde conſtitui prius nonnihil de Attilanis geſtis adducere, ut aptior deinceps illorum Regum memoria, per quos ipſe ad ſempiternam memoriam peruenit, habeatur. Quis autem fuerit Attila, maximè docet Priſcus hiſtoricus. Is enim à Theodoſio iuniore (cuius erat epiſtolarum magiſter) ad Bledam & Attilam Hunnorum Reges, orator in Scythiam miſſus, Imperatori ſcripſit, ingentia ſe flumina, id eſt, Tiſiam, Tibiſiamq;, & Driccã tranſiuiſſe, atq; ad loca perueniſſe, ubi Indigoia, ſiue (ut alijs placet) Vidicula Gothorũ fortiſsimus, Sarmatûm dolo aliquantò antea occubuiſſet: nec procul inde uicum fuiſſe, ubi Attilæ regia habebatur. Erat hic uicus à forma & magnitudine urbis nihil diuerſus, in quo lignea mœnia, ex tabulis nitentibus fabricata uidit: quarum tabularum compago ita ſolida uidebatur, ut uix ab intento poſſet iunctura tabularum comprehendi. Erant triclinia ambitu prolixiore diſtincta, porticusq; in omni decore diſpoſitæ, area uerò cortis ingenti ambitu cingebatur, ut amplitudo ipſa Regiam aulam oſtentaret. Fuit Attila breui ſtatura, patẽti pectore, capite grãdiore, minutis oculis, rarus barba, canis aſperſus, ſimo naſo, tetroq; colore, inceſſu ſuperbus, oculorũ aciem huc illuc toruè circumferens, extabatq; in ipſo motu corporis animi elatio, bellicæ rei cupidus, ſed manu temperans, conſilio utilis, ſupplicantibus exorabilis, propitius in fide ſemel receptis: & Attila quidem talis fuit.

Huius itaq; Attilę, & Bledæ fratris ductu, Hunni Thraciam, Myſiam, Illyricumq; fœdè populantes, Byzantio imminebant: uicti tamen uno prælio à Theodoſij ducibus, aliquandiu quieuere. Cæterum Attila (neq; enim minus unquam quieſcebat, quàm quum uictus eſſet) exercitum ſumma ope reparat, ualidisq; auctus copijs, Valentiniani opes decretò inuadit. Fuit hic motus priore illo multò terribilior, ſed Romanis rebus minus calamitoſus. Nam bellum à Bledæ fratris nece, quem Budæ incautum peremit, auſpicatus, multorũ procerum animos ad diuerſa cogitanda cõmouit. Erat enim Bleda mitioris ingenij, qui & periculoſas prohiberet expeditiones, & Reges Gothorum, & Gepidarum, qui copias cõiunxerant, & in quorum fide ſtaret tota uictoriæ ſpes, ſocios tanquam fratres, nõ ſubditos ab illo haberi, tractariq; contenderet. Ipſo autem Bleda interfecto, Attila ipſos ſibi potius ſubditos, quàm ſocios habere cœpit. Duxitq; eos poſtea tãquam ſui exercitus duces, quocunq; effrenis libido illum, audaciaq; traxerunt. Totum igitur animi ſui ſtudium eò conuertit, quò poſſet primas mundi gentes, Romanos & Veſtrogothos, ſibi ſubiugare: conatusq; eſt apud utranq; gentem odia, diſſenſiones, omniaq; inimicitiarum fomenta immittere. Primum quidem legatos ad Valẽtinianum Imperatorem mittens, aſſeruit ſe neq; eius amicitiam, neq; Romanam Rempub. in aliquo uiolare uelle, ſed contra Theodericum Veſtrogothorum Regem ſibi eſſe certamen, unde eum, & urbem Romam libenter excipi optaret. Cæteram epiſtolæ partem uſitatis ſalutationum blandimentis oppleuerat, ut ipſum, cui ſcripta erat, mendacijs circumuentum, in ruinam præcipitaret.

Eodem ingenio circa Theodericum Veſtrogothum uſus, hortatur ut à Romanorum ſocietate diſcedat, recolatq; quanta prælia, & cum quanta feritate ab eis ſuſtinuerat. Sic homo aſtutus, antequam bella gereret, arte pugnabat, annixus utroſq; tandem quietos reddere, quoad in eorum intima penetraret, ac illis coëundi præriperet facultatem. Prеterea Aecium præcipuum Romanæ militiæ ducem ſibi amiciſsimũ tentauit, cum quo aliàs fœdera de tranſitu in Italiam inierat, ipſiq; multa pollicebatur, ſi Veſtrogothos per ſuã, & Romanorum à

bello cessationē punire liceret. Tunc prudens Imperator Valentinianus, attendens quod tenderet callidissimi hostis intentio, legatos ad Vestrogothos, eorumq; Regem Theodericum confestim dirigere curauit: Prudentiæ, inquiens, uestræ est, fortissimæ gentium, aduersus orbis conspirare tyrannum: qui optat mundi generale habere seruitium: qui causas prælij non requirit, sed quicquid commiserit, hoc putat esse legitimū: qui ius fasq; contemnens, hostem se exhibet naturæ. Cunctorum proinde publicum hic meretur odiū, qui omnibus sese ostendit inimicum. Recordamini (quod certè non potestis obliuisci) quicquid Hunnus agit, insidijs agit. Vnde & nobis tacentibus, potestis ne ferre hanc Hunnorum superbiam? Vos igitur armorum potentes, fauete proprijs doloribus, & communes iungite manus, auxiliamini etiam Reipublicæ, cuius membrum tenetis. Quàm sit autem nobis expetenda, amplexandaq; societas, nemo prudens ignorat. His & similibus legati Valentiniani Regem permouere Theodericum. Quibus ille respondit: Habetis Romani desiderium uestrum: fecistis etiam nobis Attilam inimicum & hostem: prosequemur ubicunq; occurrerit: & quamuis infletur de diuersis superbarum gentium uictorijs, sciunt tamen Gothi confligere cum superbis.

His dictis Vestrogothus innumerabilem multitudinem contra uenturum hostem eduxit. Aecius quoq; fœderibus cum eo ictis, quantacunq; potuit auxilia ex subiectis imperio prouincijs, Italiaq; cōtraxit, misitq; ad omnes Romanorum quondam prouincias oratores: quorum suasionibus adducti Burgundiones, Meroueus Francorum Rex, Saxonesq;, et complures alij populi in eodem fœdere contra Attilam consentiunt, magis Attilæ odio, quàm Romanorum studio adducti. Erat Hunni superbia & seueritas omnibus terris nota: quæ res fecit, ut neq; Theodericus Vestrogothus magnis pollicitationibus (ut dixi) ad societatem belli inuitatus, flecti ad eum potuerit, nec Aecius promissa, quæ ab Hunno repetebantur, præstiterit. Rumor enim erat, Aecij impulsu res Romani imperij Hunnum (ut iam dixi) inuadere statuisse. Igitur Attila considerans sibi introitum ad Italiæ imperium per Romanorum & Vestrogothorū concordiam impediri, ad Galliam potentissimo exercitu succinctus transire decreuit. Habuit namq; secum tres Ostrogothorum Reges, Valemirum, Theodemirum & Vindemirum: qui nequaquam sponte, sed quia confœderatione cum Hunnis cogebantur, arma in Romanos, & consanguineos Vestrogothos conuertebant. Aderat & Gepidarum Rex Ardaricus. Præterea Marchomanni, Quadi, Heruli, Turingi, copias eius usque ad quingenta millia armatorum auxerunt. Germaniam itaq; cum strage & ruina peruagatus, in Galliam Hunnus irrupit, Remensesq; primò adortus, miserabili clade affecit. Perijt ea clade Nicasius urbis Antistes, uir sanctitate illustris: caput ceruice desectum diuina eloquia protulisse dicitur. Deinde Hunnus Aurelianam ciuitatem fortissima obsidione cingit. Sed cum eius populus ad piam exhortationem sui sancti Episcopi Aniani pœnitentiam ageret, magno & singulari miraculo liberatur.

In Cathalaunicis est inde campis acerrimè pugnatū, haud procul à Tholosa. Sunt autem campi Cathalaunici, qui & Mauricij nominantur, centum leucas (ut Galli uocāt) in longum tenentes, & septuaginta in latum. Leuca autem Gallica mille quingentorum passuum quantitate metitur. Fit ergo area innumerabilium populorum pars illa terrarum. Nulla hominum memoria maiores in Europa exercitus, infestioribusq; animis acie dimicarunt, nisi fortè in campis Brauellinis in Gothia: quam quidem pugnam superius in historia Ringonis, eodem tempore factam fuisse commemoraui. Fuit itaq; hoc Hunnicum prælium ab initio cruentum: tantaq; uis hominum confecta, ut humani sanguinis riui fluxisse dicantur. Quæ fama eò facilius fidem inuenit, quòd tanta sit utrinq; eo die cędes ædita, quanta uix ullo alio prælio: eratq; adhuc Mars anceps, quum uox quædam sine certo autore emissa, diremit certamen. Qualis autem illa uox fuerit, autores quos sequimur, non ponunt. Ad 180. millia hominum acie occubuisse dicuntur, exceptis 90. millibus Gepidarum, & Francorum: qui (ut asserit Iordanes) ante congressionem publicam, nocte sibi occurrentes mutuis cōcidēre uulneribus, Francis pro Romanorum, Gepidis pro Hunnorum parte pugnantibus. Et ita totus numerus desideratorum esset 270. millium: quem etiam numerum auxit fortissimus Theodericus Rex Vestrogothorum, Torismundi Regis immediatè succedentis pater. Fuitq; ea pugna Hunnis multò funestior, adeò ut Attila de morte sibi consciscenda post pugnam cogitarit, nisi Vestrogothi ad imprudens, aut callidum Aecij cōsilium in Hispanias reditum maturassent. Quo comperto, Hunnus afflictarum uirium sibi conscius, traiecto confestim Rheno, exercitum male affectum in Pannoniam reduxit. Exercet tamen in eo itinere multa crudelis tyranni facinora. Tungarensem ciuitatem primò obsedit, deinde captam diruit.

Post hoc uentum est ad Trecas, quarum Episcopus erat S. Lupus. Qui Attilæ occurrens ait: Tu quis es, qui uastas terras nostras, & populum Christianum affligis? Ego (inquit ille) sum Attila, diuinæ iræ flagellum. Ad quam uocem sanctus Episcopus iussit portas ciuitatis aperiri,

aperiri, dicens: Bene uenerit flagellum Dei. Miro autem modo Attila, totusq; exercitus eius cæcitate percussus, transiuit per mediam ciuitatem, ab una porta ad aliam, neminem lædendo. Eodemq; transitu crediderim (inquit Crantzius) occurrisse agmen sanctarum undecim millium uirginum ab urbe Roma, Vrsula duce: quod apud Agrippinam Coloniam martyrio consecrauit. Sed ratio temporum apertè contradicit. Nam sanctæ uirgin es passæ sunt anno Christi C C X X X V I I. tempore Antheri Papæ, & Maximini Gothi Imperatoris. Attila uero incidit in annum Christi C C C L V. Itaq; Hunnus in sua reuersus, magis ob acceptam cladem irritatus, quam à re bellica deterritus apparuit: eratq; in bello reparando uehementer occupatus: atq; id unum præter cætera meditabatur, qua ui, quà'ue arte Tholosanę pugnæ ignominiam aboleret, rependeretq; Romano nomini cumulatam cladem. Duo tūc superstites erāt, Torismundus Vestrogothorū Rex, & Aecius Romanus patricius, quorum uirtus in prælio Cathalaunico præcipua fuit. Hi Attilā in mora anxiū habebant, quominus continuo bellum inferret Italiæ. Cæterū fortuna Romani imperij, quæ in perniciem omnia trahebat, eam impendentium malorū breui sustulit morā. Aecius enim apud Romanos ob suspiciones affectatæ tyrannidis, & Torismundus apud Vestrogothos, uno fere & eodem tempore trucidantur. Attila igitur accepto tam læto de duorum maximorum inimicorum suorum morte nuntio, Italicam expeditionem maturauit, ratus nihil superesse amplius, quod suis conatibus obstaret. Regesq;, & primores gentium, qui ad id tempus cum Hunnis confœderati fuerant, secum in militiam assumens, primum Illyrici sinus oram circumuectus est, & Tragurum, Sibinicum, Belgradum, Iaderam, Sugniam, Polam, Parentum, Hemomiam: quæ oppida tunc, quum in Martiani Imperatoris Constantinopolitani cura essent, nullo firmata præsidio diripuit, atq; incendit.

Ad Arsiam uero fluuium, & Tergestinum sinum, Italiæ limites, nonnihil reperit copiarum, quas præfectus Liburniæ & Aquileiæ, Valentiniani Dux, ut commissam sibi prouinciam tutaretur, adduxerat. Sed illico repulsus miles Romanus intra Aquileiam se recepit: cuius fuga terrori addita, quem nomen Attilæ pridem dederat, effecit, ut ciues Aquileiani mulieres, liberosq;, quorum ætas armorum impatiens esset, ad Gradensem insulam mitterent, thesauros illuc, & sacram suppellectilem transportantes: principiumq; erigendæ inclytę urbis Venetæ eo tempore posuerunt. Obsedit itaq; Aquileiam quam diu, & acerrime, atq; pertinaciter. Nec minoribus animis à Romanis defensabatur, Tandem post triennalem & durissimam obsidionem, urbs illa in manus Hunnorum deuenit: quam Attila ingressus, adusq; solum euertit. Inde mouens Paduam, Vicentiam, Veronam, Mediolanum, Ticinum (quæ Papia dicitur) per spontaneam ciuium deditionem cepit, & tamen abiecto humanitatis respectu, diripuit, & euertit, aut lacerauit. Tum S. Leo Romanus Pontifex commiratione Christiani populi ductus, ad Attilam Mincij constitutum, se contulit, eumq; ab Italiæ uastatione per summam facundiam, quam à Deo acceperat, confestim auertit, mirantibus cunctis, quod mox ad eius exhortationem in propriam regionem remearet. Sunt qui scribunt, Honoriam Valentiniani Imperatoris sororem, ipsum per eunuchū ad Vrbem (ut eius uxor fieret) clàm reuocasse, ut ita (procurante malo dæmone) loca Sanctorum, quæ precibus summi Pontificis seruata fuerant, petulcæ mulieris malignitate corruissent. Reuersus tandem in suam regionem Attila, uirginem speciosam, post multas quas adhuc habebat uxores, in coniugem duxit: in cuius amplexu, prima nocte miseram animam exhalauit. Reliqua illius sæuissimi Attilæ facinora referant alij, ego ista ante Ostrogothorum historiam obiter, & non ex proposito commemorasse uolebam.

Ex lib. 16. Præcedentia habentur lib. 16. cap. 41. pag. 638. sequentia autem lib. 16. cap. 31. pagina 625.

Vitericus post præmatura Luibæ fata ad Gothorum regnum celerius, quam honestius peruenit. Hic enim cum nimis ambitiosè Regiam dignitatem in se transferri optaret, ducem eorum se constituit, qui innocentis Regis Luibæ sanguinem per nefarias insidias effuderat. Proinde regnum eius paricidio partum, magna ubique infelicitate laborabat. Sæpe in bellum contra Romanos descendit, & toties uictus fugatusq;, damna quam plurima, amissa ingenti militum multitudine, sustinuit. Erat nihilominus ante suscepta Regiæ maiestatis insignia in re militari admodum strenuus, & fortunatus. Sed postquam est sanguinarius effectus, omnia eius studia in deterius sunt prolapsa, adeo ut regnum, quod homicidio acquisiuerat, occisus à suis citius quam credidit deserere cogeretur, relicto ad posteros documento, ut quod alteri quis fecerit, ab alijs iustè patiatur.

Gundemarus, siue (ut nunc Gothi loquuntur) Gunnarus, Vestrogothorum regnum post occasum Viterici ingressus, duos hostes in sui regni auspicijs non contemnendos expertus est, Romanos uidelicet, & Vascones, contra quos copias non paruas educendas curauit: primumq; in Vascones mouit, quorum magnam multitudinem acerrimo bello cōgredientem cæcidit, & profligauit. Nec infelicius contra Romanos, & cæteros sui regni hostes pugnans, spem magnam subiectis populis de se præstitit, quod esset futurus Rex ad utrunq; tempus, & belli, & pacis plurimum opportunus. Sed non siuerunt fata ipsius regnum tam diuturnum fore, quàm felix ab omnibus sperabatur. Quippe duobus annis in transitorio regno completis, uiam uniuersæ carnis ingressus, Toleti in Regijs monumentis sepelitur.

Ex lib. 16. His antecedentia habentur lib. 16. cap. 30. pag. Operis præsentis 624. Oratio autem Nicolai quæ in Ioanne cohærebat lib. 8. cap. 1. pag. 240. Præstitisset etiam Vitisa tyrannidis & mali Principis exemplum, de quibus lib. 16. cap. 44. Operis præsentis.

Vitisa deinde maligno patri Egitæ in paterno regno, & flagitiorum enormitate succesit. Erat hic plusquàm credibile uidetur facinorosus, nequaquam optimis Gothorū Regibus, sed illis Romanis Caio Caligulæ, & Domitiano, imò ipsi Neroni comparandus. Quippe ut Nero (teste Suetonio) moderatissimus, & optimus adolescens uidebatur, ita hic Vitisa adolescens existens, patris tyrannidē blandis precibus mitigauit: sed ætate prouectior omnium tyrannorum rabiem sua seueritate superauit: adeoq; in sua adolescētia ab omni auaritia alienus erat, ut codicillos & chirographos, quos improbus pater ad occupandū diuitum fortunas confinxerat: flāmis aboleret. At postquam Rex effectus est, nihil usquàm ab eo tutū securumq; fuit, sed omnes subditorum facultates & diuitias suas esse dicebat: occupauitq; ex eis quantum suę insatiabili libidini placuisset. Præterea in adolescentia magno Christianæ religionis zelo duci uidebatur, quando sanctis Episcopis in conuocandis sacrosanctis Concilijs se pium, ac solicitum cooperatorem ostendit: at uirilem ætatem ingressus, Episcopos, sacerdotes, & quoscunq; Christi Dei nostri ministros persequitur, sanctorum patrum constitutiones, & omnem Ecclesiæ autoritatem, quæ eius enormibus facinoribus aduersabatur, sustulit & explosit. Adolescentia in eo erat casta, sobria, modesta, benigna, patiens: at in uirili ætate se totum in omnia uitiorum genera, præsertim in fœdissimum mulierum amplexum immersit, licentiamq; omnibus tam clericis, quam laicis præstitit, ut eius exemplo tot mulieres ducerent, quot uellēt. Quo factum est, ut omnis castitas, atq; honestas proscripta, et in prostibula relegata uideretur. Tamq; effœminati facti sunt Gothi ex illis corruptissimis moribus, ut pristinam fortitudinem penitus exuisse putarentur, facti enormium uitiorum seruitores, qui prius regnis & nationibus imperabant. Interea Vitisa considerans hos mores plerisq; cordatis subditis displicere, ne occasionē rebellandi assumerent, iussit ciuitatum mœnia demoliri, gladios in uomeres conflari, scuta, & quicquid armorum erat comburi, pacem securitatemq; (quæ nusquam impijs esse potest) omnibus ea iussione promittens, quibus ob illa horrēda peccata tam in præsenti, quam in futura uita ab irato Deo supplicia horrenda parabantur. Imò, ut uerissime in Hispanorum historijs scribitur, propter ea nefanda scelera, quæ sub isto Vitisa fiebant, Deus iratus Gothorum regnum, & omnes Hispaniarum terras, occisa inæstimabili hominum multitudine desolari permisit. Præterea sanguinarius Vitisa Theofredum regni hæredem, quem Egita Cordubam in exilium miserat, cepit, & oculis effossis squalido ignominiosoq; carceri mancipauit. Quo facto, Rodericus & Acosta, Theofredi filij, dum eos Vitisa persequitur, fuga elapsi ad Romanos confugerunt: quorum auxilio copias contractas, contra Vitisam mouēt, ipsumq; superatum, et captum oculis priuant, regnoq; destitutum in carcerem, quo patrem eorum afflixerat, Cordubæ detrudunt: in quo (ut meritus erat) infamem uitam infami morte conclusit.

Acosta Theofredi filius, post expugnatum deuictumq; Vitisam tyrannum, à Gothorum proceribus in auitum regnum dignissimē surrogatur: ex cuius gestis pauca ad posteros missa inuenimus, quia regni eius tempora triennio completa fuerunt. Est tamen uerisimile, ipsum optimam spem de se toti Respublicæ præstitisse. Nec est silētio implicandum, quod intolerabilem patris sui ignominiam, mortemq; nimis indignam, auxilio Romanorum adiutus, tam potenter, quam prudenter uindicauerit, seq; & totam patriam in pristinam libertatem restituerit, occiso tyranno, sub quo nihil liberum erat, præter id quod flagitium erat, & turpido.

Rodericus Theofredi filius, post Acostæ mortem tres annos regnauit: cuius perniciosa libido

libido finem attulit Gothorum non tam nomini, quam pacifico imperio à Saracenorũ gente euerso. Nam cum filiam cuiusdam Iuliani præfecti, qui Tingitanam prouinciam administrabat, uitiasset, dolor domesticus patrem ad ultionem solicitauit. Quocirca Iulianus loci commoditate fretus, missis clàm nuntijs, Saracenos ex Africa, quam nuper post subactam AEgyptum occupauerant, in Hispanias inuitauit: qui anno salutis D C C XIIII. Musa & Tarifa ducibus, à Miramomelino eorum tunc Rege missis, atq; per angustias Herculei freti ingressis, bienniј spatio omnem ferè Hispaniam occupant, præter Astures, & Cantabros: qui sicut olim nouissimi in ditionem Romanorum concesserunt, ita labente Romano imperio se soli tum natura loci, tum uiribus & armis protegentes, fidem Christi tutati sunt, ut neque primum Gothis, neq; deinde Saracenis usq; cesserint. Hæc est terra quæ nunc Gallicia dicitur, in qua habitat genus hominum inuictissimum. In eo Saracenico bello cecidisse dicuntur ad D C C. hominum millia utrinq; absumpta. Rex ipse Rodericus, qui filium Sancium cum parte copiarum obuium præmiserat, atq; is occubuerat, ad Xeritium oppidum occurrens, cum reliquo extinctus est exercitu. Saraceni tanto potiti imperio, cum latè ferro flammaq; omnia uastasent, regna inter se plura constituere. Primum Cordubæ, quod Abenalibeti regnum uocauerunt: alterum apud Hispalim: tertium apud Carthaginem nouam, usq; ad quorundam Principum tempora, quos uocant Almorades: eaq; in potestate, usque ad Ferdinandum tertium Regem perseuerauerunt. Hic demum anno salutis M. C C X V I. Toleto, Corduba, multisq; alijs recuperatis locis, Saracenos regnis ex magna parte deiectos, compulit Bethycam, quam hodie appellant Granatam, & Malacam (quæ prius sub Cordubæ regno fuerant) sese recipere, ac usque ad nostram ferè ætatem retinere: unde tandem Dei benignitate, ac nouissimi Ferdinandi Regis uirtute expulsi fuerunt anno Domini M. CD. X C II. Sed his omissis ad Gothos redeamus: quibus post uastatas à Saracenis Hispanias, tenuis quędam portio (quam Ducatum Aquitanię dixerunt) remanebat: finitumq; est eo tempore regnum, quod annis plusquam trecentis in Hispanijs Gothi tenuere, quos Vesgothos hoc est, Occidentales dixere: non ob eam causam, quod in Occidua mundi parte in Hispania regnauerint, sed quia hoc nomẽ ad Danubium renouatum, ex primæua sua patria Scandiana secum extulere, ubi hodie quoque (ut superius diximus) discrimen est Orientalium, & Occidentalium Gothorum. Ex prima aut illorum de Scandia egressione ad hæc usque tempora Leonis tertij Imperatoris, paulo plus uel minus (teste Alberto Crantzio) quam duo millia annorum & centum quinquaginta computantur, quibus primum ad Vlmerugiam, Cimeriam, Bosphorum: deinde ad mare Ponticum: posteà in Thracia, atq; Mœsia: inde ad ripam Danubij: iterum in Thracijs: postea per Italiam, & Hispanias res maximas (constitutis maximis regnis) peregerunt: quemadmodum etiam persuaderi queat per eam orationem, quam olim doctissimus Nicolaus Archiepiscopus Vpsalensis in sacrosancta synodo Basiliensi circa annos Domini M. C D. XL. proponere curauit.

Ex lib. historiæ Ioan. Mag. 17. in his sequentibus continentur multa memorabilia. Primo in Carolo Magno Germano Imperatore potentissimo, & Biorno inclito Gothorum & Sueonum Rege 100. interno, Pij & boni Principis exemplum, de quibus partim lib. 8. partim 16. Operis præsentis. In Gotrico & Resone astutiæ, perfidiæ & proditionis, de quibus pag. 319. Vltimo magnanimitatis & præter sexus naturam fortitudinis mulierum Septentrionalium, de quibus suprà lib. 5. cap. 27. 28. 29. 30. pag. 194. item 195. Aliâs orationem Nicolai Raualli, quæ in Ioanne proximè antecedit, habes lib. 8. cap. 1. pag. 240. Quæ autem subsequuntur lib. 5. cap. 17. pag. 165.

Biornus Biornonis ex filio Alarico nepos, qui nomen paterni aui referens, regnum quoque auitum Gothorum, Sueonumq; consensu assecutus est, eo felici tempore, & anno Christi D C C C. quo Romanum imperium meruit summa illius Caroli Magni prudentia restitui, & gubernari: cui gratissimum erat. Siquidem ipse Carolus omnes sui ingenij, atq; imperij uires ad augendam Christianam fidem conuertens, non solum armis, sed amicitia, societate, fœderibus, muneribus, quoscunq; poterat Reges, & Principes, etiam transmarinos, & Ethnicos, ad suæ pietatis uota inducere nitebatur, ut ad agnitionem ueræ fidei peruenirent, aut saltem mitiores essent in eos, qui Christum confiterentur. Imò teste Francorum historia magnam pecuniæ summam quotannis Christianis transmarinis pauperibus, qui per duros

tyrannos opprimebantur, mittere consueuit. Tali prudentia, imò tali pietate Biornum Gothorum Sueonumq; Regem, missis legatis in suam societatem induxit, ut ex ea gente auxiliares copias in Gotricum Danorum Regem opportuno tempore excitaret. Erat enim Gotricus acerrimus Christianæ fidei persecutor, & ob id totas uires suas Carolo eandem fidem Saxonibus solicitè inferenti semper opponebat, adeò ut Carolus uiuente Gotrico continuam rebellionem in gente Saxonica experiretur: quamuis Abbas Vspergensis asserat, pacem inter hunc & illum factam anno salutis D C C C X I. Saxo tamen oppositum sentire uidetur, cum affirmat, Carolum audita morte Gotrici effuso gaudio exultauisse, confessumq; fuisse nihil eo casu unquam suæ fortunæ iucundius obuenisse. Quod utiq; uerissimum erat non solum quia Gotricus potentissimus, sed quia etiam astutissimus erat. Insigni quippe astutia iampridem usus, Refonem quendam (qui iuxta nominis sui interpretationem astuta uulpecula erat) in Sueoniam sub transfugæ titulo immisit, ut seminatis inter Sueonū & Gothorum proceres odijs, uiam aperiret, qua in mutuam perniciem, & ciuilia bella prouocati seipsos perderent, & patriam desolaret. Hoc igitur proposito Refo in aulam Regis Biorni assumptus, atq; indulgentius habitus, primo apertè querulatus est, se multis iniurijs à Gotrico Dano affectum esse: deinde Regiorum secretorum in Suetia particeps effectus, quicquid Regia simplicitas & fiducia illius fidei occultandum commisit, mox ad nobilium notitiam (corrupta Regis intentione) ita deduxit, ut breui Regem proceribus, & rursus proceres Regi infensissimos reddidisset, nisi quidam inter eos inuenti fuissent illa uulpecula prudentiores, qui deprehensis eius dolis effecerunt ut publico iudicio conuictus suspensis ad collum eius lapidibus, pelago obrueretur: quasi talis pœna iustior esset, qua ponderosum proditoris crimen annexa corpori mole puniretur. Fateor tamen Saxonem aliter de huius Refonis nece scripsisse, utpote quod Sueones ipsum aperta ui necare ueriti, ex insidijs adorti occidissent. Sed quæ fuisset necessitas, ut illum occulte perderent, qui in omnes publice deprehensus est deliquisse? At de illa ingēti auri summa, quam Saxo in expiationem uulpeculę necis à Sueonibus expositam fuisse affirmat, ita sentio, ut potius sileam, quam me indigna respondeam. Idemq; dico de illa Sueonum subactione, quæ in eo passu affixa conspicitur. Certum quippe est, Biornum Regem nec aurum nec obsequium unquam Gotrico exhibuisse, sed in suis regnis, tum ob domesticam potentiam, tum ob Caroli Magni confœderationem, securissimum uixisse, et in ea securitate legatis ad Carolū missis postulasse, eruditos et pios in Christiana fide doctores ad se transmitti. Cuius pijs uotis Carolus satisfacturus complures & pietate, & doctrina præstantes ad eum cōfestim emisit: quorum præcipuus erat Herbertus primus ecclesiæ Lincopensis in Ostrogothia Pontifex, qui eiusdem ecclesię fundamenta primo fieri procurauit. Nec multo post Biornus, cum consideraret maiores esse labores ad propagandam Christianam religionem necessarios, quam possent Herberti, & sociorum eius diligentia (quamuis summa esset) superari, denuo per legatos apud Carolum agere decreuit, ut plures erigendæ religionis ministros ad se iterum mittendos curaret. Sed quia tunc Carolus in fata concesserat, totius legationis partes apud filium eius Ludouicum, qui patri in imperio successerat, exposuerunt, & nihil minus, quam sperabant impetrauerunt. Quippe hic Ludouicus omnes operas suas in obsequium fidei Christianæ diligentes & promptissimas ostensurus, mox in sui imperij auspicijs anno Christi D C C C X V I I. consensu in Stephani Papæ quarti celeberrimum plurimorum Pōtificum concilium Aquisgrani (ut habet historia Francorum) celebrauit: in quo multa pro dilatādo Christi cultu decreta, & constituta fuerunt: inter quæ etiam de conuertendis Gothis, & Suecis nonnulla concludebantur.

Deinde onus impositum erat Ansgario monacho Corbeyensi, ut Christi Euāgelium per Aquilonaria regna prædicaret. Itaque Sueonum Regis legatos confestim comitatus, ad Regem Biornum (quem alij Beronem dicunt) in Bircha ciuitate, tūc maxima, constitutum peruenit: quod satis cognitum erat Lupoldo Lubenburgensi, qui in libro De zelo Christianæ religionis ueterum Germaniæ Principum, ex Francorum historijs confirmat, quod Ludouicus Imperator Caroli Magni filius, conuertit Suecos ad fidem Christi per S. Ansgarium anno salutis D C C C X V I. quanquam à nonnullis falso asseritur, quod ipse S. Ansgarius primum in Suetiam uenisset anno Domini D C C C X X X I I. quando iussus est ab imperatore Ludouico baptizatum Maguntiæ Haraldum Danorum Regem in Daniam comitari. Vnde cum Dani nec Haraldum ad regnum, nec Ansgarium ad prædicandam fidem admitterent. Ansgarius confestim relicta Dania ad Sueones se conuertit, susceptus à Berone Rege ut dicere cœpimus humanissimè, permissusq; est sanctum Christi Euangelium cunctis incolis libere predicare. Nec ad Danos, nisi post euoluta multorum annorum tempora, Christianam fidem extendere sinebatur, utpote cum regnaret in Dania Ericus cognomento Impius, qui post Hemmingum Ludouici Imperatoris contemporaneum sexto loco successerat

cesserat

cesserat: quod apud Saxonem satis compertum habetur, cuius uerba in testimonium adduco. Ericus, inquit, ad salutares Ansgarij monitus, sacrilegę mentis errore deposito quicquid per eiusdem insolentiam commiserat, expiauit, tantum̃q; in excolēda religione se gessit, quantum egerat in aspernanda. Sed attendendum est hūc sanctum Christi præsulem Ansgarium non semel, sed sæpius (ut autor est Albertus Crantzius) in Aquilonaria regna, ob insignem dilatandę fidei amorem, quo succensus erat, se conuertisse. Erat enim omnium illarum terrarum Apostolus, & ueræ religionis enunciator. Proinde euenisse puto, ut nonnulli eum tardius in Suetiam peruenisse affirment, quam nihilominus in primis suæ iuuentutis annis diuini uerbi enunciatione plurimum illustrauit: de quo etiā nonnulla in historijs Pontificum Vpsalensium per me commemorata fuerunt. Cætera autem Beronis Regis tempora pacata quietaq; fuere, donec felici commertio uitam caducam, imperiumq; terrenum cœlesti & sempiterno commutaret. Sepultus in Bircha ciuitate Regia, quam uiuens sua continua præsentia decorauit.

Bratemundus, qui ex deo Fro' cognomen, & cognationem sortitus fuerat, post fata Regis Beronis à Gothis & Suecis in regni solium sublimatur, sed longè minore fęlicitate, quam Bero: qui sicut ad Christianam legem, & optimos mores se totum composuerat, ita illi in temporali regno omnia pro felici uoto successerunt. At hic Bratemundus postquam teneras fidei Christianæ radices auelli permitteret, omnia aduersa experiri cogebatur. Cum enim inter eum & fratrem eius Siuardum (qui etiam Fro' dictus est) grauis contentio de regni successione suboriretur, proceres et populi in diuersa uota distracti, uniuersam Sueonū et Gothorum Rempublicam sua discordia ad irreparabilem ruinam pertraxerunt, coactusq; est Bratemundus auxiliares copias à uicino Rege Noruegiæ Siuardo contra Siuardi fratris rebellionem implorare. Igitur Rex Noruegiæ opem periclitanti amico Bratemundo laturus, ualidum exercitum ex Noruegianis contractum in Suetiam adducit: fit pertinax & uehemens utrinq; pugna in campis Neritianis, qui Cœlestes, siue Erecti uocantur: nec quocunq; pacto pacari, aut interrumpi poterat, donec campi Cœlestes scelerati effecti, fraterno sanguine cruentarentur. Bratemundus enim à fratre Siuardo occisus, uitam, uictoriam, & regnum pariter amisit.

Riuardus igitur (quem Saxo Fro' cognominauit) quamuis suam originem in Deos referret, tamen se nimis remotum à bonorum Deorum operibus ostendit, quando comparato exercitu fratrem uita, & regno priuauit. Nec ea uictoria contentus, grandem bellorum apparatum in Siuardum Noruegiæ Regem educit, qui ex pugna nuper commissa fugiendo difficulter in suum regnum euaserat: collatisq; aciebus uictor Suecus Noruegiæ Regem oppressit, & Regno per uim occupato, laxauit frena libidini, Regiasq; fœminas, quotquot apprehendit, abiecta uerecundia uiolauit. Doluere quidem Noruegiæ proceres, sed quid facerent uictori? cuius armis cesserant, eius imperia tolerare necesse fuit. Sunt tamen inter eos inuenti, qui iusto dolore permoti, ad Regneri Danorum Regis opem respexere: qui etsi ætate adolescens erat, animo tamen forti atq; audaci meditabatur, quomodo Noruegianum regnum (unde maternum genus duxerat) à tam graui ignominia, & turpi seruitute liberaret. Igitur copias grandes contrahens, opem oppressis afferre decreuit. Cui aduenienti nobiles fœminæ, aut iniuriam passæ, aut quæ futuram iniuriam formidabant, insigniter armatæ occurrerunt. Nec enim tunc primum in Scandiana insula armari fœminarum agmina audiebantur, quemadmodum aliquoties supra ostendere curauimus. Pugna igitur utrinq; atrox & pertinax committebatur: factumq; est insigni fœminarum uirtute, ut ipse Fro' honestarum nuptiarum uiolator à fœminis oppressus occumberet. Erat quippe speciosum uidere fœminas in acie prælliantes cæsariem demittere, & sexum apertè confiteri, quo illustrior uirtus esset in corpore, quod per naturam creditur imbecillum. Sed iustus dolor iniurię uel acceptæ, uel formidatæ arma subministrauit, & uindicandi furorem in fœmineo corpore tantum accendit, ut uicti, uictoresq; faterentur eam uictoriam prælliantibus fœminis accidisse. Enimuero adeo ad omnia pericula primæ, adeo ad fortium uirorum arma interritæ conspectæ sunt, ut si Græci scriptores, qui Pantasileam efferunt, aut Romani, qui pugnacem Camillam ad sydera tollunt, talia reperirent in suis antiquitatibus uirtutum exempla, qua uoce detonarent quanquam Græci Pantasileam debeant Gothis, ex quorum illa sanguine (quod antea diximus) emersit. Itaq; Fro' Sueonum Rex nō solum geminas, sed multiplices pœnas in illo Noruegiano bello persoluit. Quippe & occisi fratris, & occupati alieni regni, corruptæq; Christianę pietatis, & omnis honestatis uindictam sustinere coactus, documentum pręstitit, ne quis in alios ea moliatur, quæ nolit in se commissa sustinere.

Ex lib. 17. Quorum antecedentia habes lib. 5. cap. 17. pag. 176. cohærentia autem lib. 9. cap. 4. pag. 351.

Carolus (quem Saxo Danicus Sorlum nominare uidetur) in defuncti Heroti Regis locum communi procerum conſenſu ſurrogatus, primam bellandi neceſsitatem contra Regnerum Danum ſubire coactus eſt. Cum enim audiuiſſet Regnerus mortuo Heroto Carolum ad regni faſtigia ſublimatum, omnes uias attentauit, quibus poſſet aliquem ex filijs ipſius, hoc eſt, Heroti ex filia nepotibus (amoto Carolo) ad Gothici regni ſceptra promouere. Ad quod ſatis idoneum & efficax medium exiſtimabat, ſi Gothorum & Sueonum nobiles in mutuum odium, pernicioſamq; controuerſiam excitaret. Quod cum facilè immiſsis in Sueones perfidis conſiliarijs effeciſſet, atq; in ſuam partem non paucos ex eorum proceribus attraxiſſet, mox præualidum exercitum conſcripſit, uocatisq; in belli ſocietatem filijs, magna fiducia, quam ex Sueonum diſcordia cõceperat, bellum tranſtulit in diſcordes. Acta ſunt in primis belli auſpicijs non parua militaris diſciplinæ prælúdia: uentumq; erat ex præludijs ad prouocationes: ex quibus poſtea ſecuta ſunt ſingularia certamina: deinde acriter pertinaciterq; totis aciebus pugna inualuit: in qua cum Carolus à ſuis deſereretur, facilè à Regnero, quem Suetica diſcordia potentiorem effecerat, ſuperatur.

Biornus deinde nulla legitima electione, aut ſucceſsione, ad Gothorum & Suecorum regna peruenit, ſed peruerſorum quorundam procerum, qui pro Regnero ſtabant, factione callidius, quàm honeſtius alienam hæreditatem inuaſit. Regnerus enim bellum in Carolum parans, clàm miſsis in Suetiam nuntijs ſignificauit ſe pro uero regni hærede Ingeuallo (qui Heroti primogenitus erat) arma in Carolum iniquum alieni regni occupatorem promouere uelle: eaq; promiſsione complures in ſuam partem allexit. Sed cum eorum ope & opera Carolum ſuperaſſet, magnificorum promiſſorum ſuorum protinus immemor, non Ingeuallum, ſed filium ſuum Biornũ Regio ſceptro inſigniendum curauit. Valuit quidem ea Regneri prudentia quamdiu præſens rerum ſtatus perdurauit: cum autem proceres ſe eius promiſsis circumuentos attenderent, paulatim à Biorno ad Ingeuallum deficientes, occaſionem inquirebant, qua Regem uiolenter impoſitum (collectis uiribus) uiolentius exturbarent. Quorum animos cum Biornus in ſe infenſiores conſideraret, nec ſuis uiribus contra tantam inimicorum potentiam ſatis confideret, periculoſum bellum ſecura fuga præuenit, profectus in ſuam Daniam, Regneri patris militiam deinceps ſecuturus: quem pater magis grato, quàm iucundo animo excipiens, piratarum principem conſtituit, iuſsitq; ut Britanniam & Orcades impugnaret, atq; expugnatas occuparet. Sed cum ea expeditio minus feliciter ſuccederet, tentauit pater, quomodo ipſum regno Noruegiæ præficeret: in quo tandem ſenio, deinde morte conſumptus interijt. Sunt qui aſſerunt hunc Biornum illo tempore in ciuitate Bircha, & ea parte Suetiæ regnaſſe, quando S. Anſgarius primum in eas terras fidem Chriſti prædicaturus aduenit: ſed ratio temporum eam aſſertionem non admittit: quin potius temporibus Biorni ſecundi (de quo diximus) illa Chriſtianæ legis promulgatio aſsignatur.

Ingeuallus, ſiue (ut alijs placet) Ingellus, quem quidam dixere Heroti nepotem, quidam uerò eius filium, magno procerum beneficio & conſenſu ad amiſſam paterni regni hæreditatem reſtitutus, totam animi ſui intentionem eò conuertit, quòd illi eximiæ & optimæ ſpei, quam de eo omnes patriæ incolæ conceperant, ſatisfacere poſſet. Sed cum adhuc multi per Suetiam & Gothiam eſſent, qui occultè exacti Regis Biorni partibus fauebant, uoluntatem magis bonam, quàm efficacem oſtendere poterat. Erat enim admodum difficile tam uaſtum Reipublicæ corpus ad ſanitatem pridem amiſſam reducere, quando latens in eius uiſceribus pernicies, ſuperueniente etiam abextrà grauiore morbo, quotidiana ſuſciperet incrementa. Siquidem Biornus à Sueonum & Gothorum finibus excluſus, non ſolum patris Regneri, ſed etiam Iuari fratris (qui per Galliam, Britanniam, Hyberniam, omnesq; Occidentales regiones, multa & præclara facinora ædiderat) arma & uires cõtra Sueones, & Gothos implorauit. Itaq; coactis undiq; copijs, celerius ad Sueonum limites peruenerunt, quàm Ingellus eos uenturos exiſtimabat: qui nihilominus ſtipatus magna militum multitudine, quam tumultuariè comparauerat, ſtatuit ſe opponere hoſti tam ſubitò irruenti. Sed cum in eo bellorum procinctu eſſet, ſecumq; maiorem procerum partem, ob captanda in tam urgentiſsimo negotio conſilia, congregatam haberet, ecce repentina flamma undiq; per occultos proditores immiſſa aulam ipſam, & Regem, omnesq; eius proceres confeſtim inuoluit, atq; abſumpſit.

Ex lib.

Ex lib. 17. Antecedentia habentur lib. 3. cap. 14. pag. 113. consequentia pag. 639. lib. scilicet 16. cap. 41. alias de Victorijs contra Estones, Curetes, Liuones, hæc referenda fuissent ad cap. 37. lib. 9. pag. 389.

Ericus Segersel præmortui Erici filius, paterni regni sceptra, nullo procerũ resistente, moderanda suscepit. Hic in omnibus bellis adeò fortunatus erat, ut nullum bellũ aggrederetur, quin subactis hostibus uictor egrederetur: quo euentu passim, & ab omnibus Victoriosi cognomen est assecutus. Quippe fortuna, ut eum omnibus Regibus illius temporis illustriorẽ efficeret, ubiq; potentissimos hostes illi obiecit, in primis autem Agnerum Regneri Danorum Regis filium: qui postquam bellũ in Anglos infeliciter attentasset, nec in Dania, quam duo fratres sui, Iuarus & Siuardus, inter se partitã occupabant, locũ suæ amplitudini aptum inueniret, decreuit uel totam Suetiam, uel partem eius in suam potestatẽ redigere. Sed erat illi nimis difficile, fortem Regem fortiter custodientem atrium suum superare. Præmonitus namq; Ericus exercitum præualidum contrahit, cui Ostanum ex satrapis nobilissimum pręfecit, totamq; gerendi belli summam committit. Itaq; ad acerrimum & cruentũ bellum deuenitur, in quo Agnerius fortissimè pugnans occubuit, cæsa antea maiore exercitus sui parte, cuius paruulæ reliquiæ in Daniam concito cursu refugerũt. Nec longè post eam uictoriam Ericus in grauius bellum incidit. Enimuerò bellaces illæ gentes Liuoni, Finni, Estones, Curetes, Prussi, Haraldi Danorum Regis piratica lacessiti, confœderatione inter se facta classem prægrandem, quam putabant subiugandæ Daniæ sufficere posse, pariter educunt. Hæc classis littoribus Gothicis in medio itinere, antequam Daniam attingere posset, necessitate uentorum appulsa, nõ sibi temperauit, quin Gothis omnia hostilia inferret, quasi Dani eorum auxilio freti piraticam in Orientem transtulissent. Quocirca Ericus omnem regnorum suorum militiam confestim in arma contractam, irruentibus hostibus obiecit. Quibus superatis & profligatis, classem militibus & armis instructissimam post eorum terga nõ minus feliciter, quàm uelociter transmisit, omnesq; hostium terras sine ulla bellorum intermissione impugnauit, & expugnauit, atq; sub sua potestate toto sui regni tempore continebat.

Itaq; huius Erici nomen non solum domi, uerumetiam in procul positis regionibus celebre habebatur. Proinde Otho Saxonicus: eius nominis primus Imperator, missis legatis eundem Ericum sui imperij cõfœderatum effecit. Quod cum Haraldus Danorum Rex compertum habuisset, intellexissetq; eam Gothorum Sueonumq; cum Romano imperio confœderationem in perniciem regni Danorũ excogitatam, cogitabat, quomodo Ericũ ab illa imperij societate auelleret, aut illatis bellorum difficultatibus à regno excluderet. Interea quidam Sturbernus Biorni olim intrusi in Suetiam Regis filius, ad Haraldum Danię Regem ex Suetia descendit, grauesq; admodum querelas super Erici seueritate exaggerans ostendit, se per ipsius potentiam paterna hæreditate, & magna regni parte, quæ sibi iure debebatur, spoliatum. Quibus querelis libenter auditis, Haraldus confestim decreuit totas Danicæ potentiæ uires in Ericum effundere. Sed cum iam in procinctu esset, & Gothiæ Occidentaliora impugnaret, tristem nuntium accepit, Othonem Cęsarem Occiduas Danię partes formidabili exercitu deuastare. Proinde reuocato exercitu, quem impugnandæ Gothiæ expediuerat, omne robur Danici regni concito cursu in Othonem reflexit. Sturbiornus autem sine auxiliaribus copijs bellum committere ausus, facilè superatur, expertus nihilominus summam Erici Victoriosi gratiam, à quo non solum libertate, uerumetiam honorifica præfectura, & prouincia donatus est. Deinde Ericus, omnibus suorum regnorũ terminis in pace & concordia positis, arma in Suenonem Danię Regẽ, qui exacto patre Haraldo ut præpropero, ita impio studio paternum regnum inuaserat, cõuertens, totum eius regnũ (teste Saxone) in suam potestatem redegit, ipsumq;, qui patrem à patria impiè eiecerat, à paterno regno iustissimo bello exclusit, totoq; septennio (teste Saxone) regno Danię potitus, amplissimum principatum (quem Tanais fluuius ab Oriente, & Albus ab Occidente terminauit) in pace, & magna tranquillitate gubernauit. Tandem euoluto septennio, illa eadem fata, quę Ericum hac mortali uita destituerunt, etiam Suenonem post multos miserabiles casus in paterni regni solium restituerunt.

Ex lib. 18. Priora habes lib. 8. cap. 37. pag. 328. Posteriora lib. 15. cap. 2. pag. 567. Poterant hæc referri ad lib. 16. cap. 42. de pacifica gubernatione bonorum Principum.

Haquinus Rode, siue Rufus, ex nobilissima Vestrogothorum familia ortus, in Gothorum regnum post fata Amundi surrogatur: fuissetq; iterum perniciosum schisma inter Gothos & Sueones renouatum, nisi utriusq; partis proceres opportuno remedio tantam perniciem

niciem prudenter & celeriter auertissent. Siquidem ad ea pacta, & conditiones tunc deuentum fuit, ut Stenchillus (quem tunc Sueones suum Regem designauerant) priuata sorte contentus maneret, donec Haquinus (qui inualescente senio maturiora fata expectabat) utrũq; regnum sua morte uacuaret. Similis quoq; conditio pacis eodem tempore inter Magnum Noruegiæ, & Canutum Daniæ Reges apposita fuisse memoratur. Hi enim de utroq; regno contendentes, tandem ad prudentum, et bonorum uirorum arbitria, eo modo pacificati fuerunt, ut qui prior decederet, superstiti utrunq; regnum relinqueret. Et ut ea pacta firmiora permanerent, adiectum est ab utriusq; partis proceribus iusiurandum, quo omnis cõtrouersiæ materia penitus tolleretur. Factusq; est eo modo Magnus Noruegianus Danorum Rex, Canuto paucis euolutis annis in fata concedente. Haquinus igitur utrunq; regnum sine cæde & sanguine assecutus, nullius unquam sanguine manus suas cõtra leges & iustitiam cruentauit, sed omnibus clemens & benignus effectus, summopere conabatur, se Christianum hominem, non crudelem Ethnicum, Regem non tyrannum, patrem patriæ, non euersorem Reipub. exhibere. Proinde ab omnibus suis ut pater amabatur, & ut dominus timebatur: nullaq; bella totis tredecim annis, quibus regnabat, alijs intulit, nec ab alijs illata sustinuit: sed domestica pace contentus, ostendit se magis curare suorum ciuium salutem, quàm quod eos hostium gladijs mactandos obijceret. Præclarum quippe uerbũ, & optimo Principe dignum est, malle unum ciuem seruare potius, quàm centũ hostes superare. Circuiuit sæpe regna, non sine maximo subditorum populorum commodo. Enimuerò iustitiam, & concordiam ubiq; restituit, aut conseruabat, summeq; prouidit, ne sui quenquam contra leges opprimerent, aut molestarent. Cæterum frequentius in Vestrogothia (unde ei origo fuit) uersabatur. Est enim in ea terra populus ad omnem humanitatem propensior, habetq; commodiorem portum in Occidua sui parte Lodhusiam, quàm si aliquis in tota reliqua Gothia & Suetia. Hunc si Suetiæ incolæ prudentius considerarent, nequaquam tot irreparabilia naufragia in mari Sueonico, aut in littoribus Curetum sustinerent: quæ nequaquam ex culpa simplicis populi proueniunt, sed eorum, qui minus experti ad moderandum tam amplum Reipub. statum sæpius assumuntur: qui etiã minus culpãdi essent, si expertioribus integram fidem accommodarent. Sed de his aliàs, nũc calamus ad Haquinum reflectatur: qui tandem mortem apud Vestrogothos (apud quos esse, & uiuere cœperat) ex graui ægritudine cõtraxit. Sepultus in ecclesia Leuene, in cuius uicinia plurimas hæreditarias terras possidebat.

Hisce proximè præcedentia habes lib. 4. cap. 18. pag. 142. subsequentia lib. 9. cap. 37. pag. 392. Poterant hæc propter pietatis in Carolo studium subiungi historiæ Dagoberti Francorum Regis pientißimi, de quo lib. 16. cap. 30. pag. 624.

Carolus præmortui Suercheri Gothorum & Sueonum Regis filius, post paterna fata in Gothorum regnum (ut diximus) sublimatus est: idq; duobus annis, antequam Sueones diuum Ericum suo regno præfecerunt. Hic Carolus, quia sibi nõ satis integrè cum Sueonibus à principio sui regni conueniebat, constituit suam potentiam uicini Danorum Regis Valdemari confœderatione, & affinitate communire. Quocirca missis solennibus legatis, neptem eius in coniugem impetrauit, eo tempore, quo Canutus eiusdem Valdemari filius nuper natus, sacri baptismatis sacramenta percepit: quod religiosæ executionis officium dux Gothorum Gutthormus, eiusdem Gothicę legationis princeps, sua pręsentia plurimum honestabat: qui deinde deducta ad Carolum sponsa, cum summo Regis & patrię applausu excipitur. Interea uerò, cum hęc affinitatis negotia inter Gothum & Danum agerentur, Ericus Sueonum Rex (quemadmodum nunc diximus) tum domestica suorum perfidia, tum malignis exterorum insidijs pertinaciter impetitus occubuit: uenissetq; eo tempore Suetia in exteraneorum, & crudelium tyrannorum potestatem, nisi Carolus opportuno auxilio periclitantibus Sueonum rebus consuluisset. Quamuis enim Sueones Danorum impetũ sine Gothorum auxilio auertissent, attamẽ Carolus sua plurimum interesse putans, ne Dani in Suetia dominarentur, collectis undiq; copijs, ad liberãdam ab imminente seruitute Suetiã properauit, deletisq; omnibus Danorũ reliquijs, à uictoribus Suecis in Regem Suetiæ assumuntur. Itaq; factus utriusq; regni Princeps, pacem in primis inter Gothos & Sueones, quę præteritis annis plurimum labefactata fuerat, conciliauit. Deinde apud Danorum Regem Valdemarum (cuius gener erat) effecit, ut pacem cum Noruegianis (quorum tũc Respub. ob domesticam discordiam nimium periclitabatur) componeret, & stabiliret. Parta hoc modo domi & foris pace, leges patriæ à sancto Rege Erico æditas, uel correctas, ubiq;, & diligẽter obseruari fecit, nusquam innocentiam à tyrannide impunè opprimi permittens. Deinde ne di-

uinæ, & Christianæ leges in aliquo uiolarentur, diligentissimè cauit: & si qui errores, aut hæreses in ipsas suborirentur, mox Pontificum arbitrio, & censura, ne altiores radices figerent, succindendos curauit: nihilq; de Pontificia autoritate sibi usurpare cõtendens, palàm ostendit, ad Regum pietatem spectare, Christo, & Põtificibus ab eo institutis benigno animo obtemperare, nolleq; eis in illis, quæ sunt Christianæ legis, temeraria impietate reluctari. Præterea ad Catholicæ Ecclesię unitatem toto desiderio intentus, non quieuit, donec missis solennibus ad Alexandrum Papam tertium legatis impetraret, ecclesiam Vpsalensem Metropolitano honore, & pallio Archiepiscopali insigniri. Habuisset tunc fortasse Lundensis Pontifex Aeschillus palliũ, quod Archiepiscopo Vpsalensi conferri potuisset: at Carolus, & regni Suetiæ senatores, prudentiores erant, quàm quòd paterentur, suã Metropolim alteri, quàm Summo Pontifici subiacere. Quamuis enim (ut superius dicere cœpimus) Nicolaus Cardinalis Anglicus, ab Eugenio Papa tertio, qui sedit anno Christi M. C. L. in Noruegiam missus, pallium pro Archiepiscopo in Suetia erigendo attulisset, illudq; (ut Dani dicunt) apud Lundensem deposuisset, attamen & honestius, & securius erat, ex primo fonte limpidam aquam haurire, quàm eam ex riuo multum à prima scaturigine separato postulare: imò potius Archiepiscopali dignitate caruissent, quàm ipsam à Lundensi, qui tunc Danicæ coronę subiectus erat, acceptassent: cum ipse Lundensis, aut Dani, nihil unquam pro plãtanda fide Christiana apud Suecones cooperati fuissent: imò multis antè annis Christi religio (ut dictũ est) ad Suecones, quàm ad Danos peruenit. Videtur igitur nimis insolens, & plena ambitionis opinio esse, qua nonnulli Dani se plantatores fidei Christianæ in Suetia, atq; ob id primas partes sibi à Suecanæ ecclesiæ Prælatis deferri uolunt. Si tamen aliqua talis præeminentia Lundensi Archiepiscopo permissa fuit, ea in cõcilio Basiliensi per Nicolaum Raualdi Archiepiscopum Vpsalensem abrogata fuit, & extincta. Sed nunc ista quiescant: ad Carolum redeamus. Qui una eademq; summè necessaria, & honestissima legatione apud Summum Pontificem egit, ut ecclesia Vpsalensis Sueonum Metropolis esset, & nulli externo Pontifici in aliquo subiecta esset. Primusq; Archiepiscopus erat Stephanus, cuius optimam uitam, & integerrimos mores, in Metropoli nostra Vpsalensi descripsimus.

His peractis, Carolus ad ecclesiarum & monasteriorum erectionem se conuertens, primò illud præclarum monasterium pro uirginibus, perpetuum cœlibatum sub regula diui Bernardi profiteri uolentibus, ædificauit, quod in uilla Vreta non longè à Lincopia distare uidetur. Præterea monasterium Aluastra, à patre Suerchero in honorem eiusdem diui Bernardi fundatum, muris, & plurimis ædificijs ampliauit: curauitq; apud Alexandrum Papam tertium, ut Stephanus nuper in Archiepiscopum Vpsalensem consecratus, illustrissimam, & sanctissimam uiduam Helenam de Schedui, ob summam uitæ sanctimoniam, & miraculorum operationem, in numerum Sanctorum referret, currente anno à nato Christo M. C. LXIIII. Nec longè post idem Archiepiscopus Stephanus, unà cum Aeschillo Archiepiscopo Lundensi, in translatione diui Canuti Danorum ducis constitutus, multa pro publica regnorum, & Regum pace prudenter effecit. Nec silentio implicandum est, quòd pia solicitudine Regis Caroli monasterium in uilla Saba erectum fuit: monachiq; in ipsum ex ordine sancti Bernardi introducti, uitam cœlibem, & Christianæ pietati conformem, usque ad hæc nostra infelicia tempora, in quibus omnis sanctimonia prorsus corruerat, obseruabant. Tandem inter hunc Regem Carolum, & Canutum diui Erici Regis filium, adeò grauis atq; implacabilis controuersia suborta fuit, ut necessarium esset, aut hunc, aut illum, uel utrunque in extrema pericula deuenire. Ipse enim Canutus sibi persuaderi permiserat, Carolum nõnihil operatum fuisse, ut pater à Danis impugnatus, uitam pariter & regnum præmatura morte commutaret. Quocirca collectis hinc inde copijs, Carolum in insula Visingiana commorantem adortus occidit: occisusq; in monasterio Aluastra prope paterna funera sepelitur, anno Christi M. C. LXVIII. postquam decimum regni sui annum attigisset.

Ex lib. Præcedentia habes lib. 9. cap. 37. pagina autem huius Operis 391. sequentia autem lib. 16. cap. 42. pag. 642.

Suercherus Caroli Gothorũ & Sueonum Regis filius, post Canuti fata ad utriusq; regni imperium sublimatur. Diuina siquidem prouidentia actum fuisse crediderim, ut à tempore sancti Erici Regis, quem Suecones elegerunt, & Caroli, quẽ Gothi eodem tempore sibi præfecerunt, alternis uicibus ex eorum posteritate Reges, qui utriq; regno præessent, eligerentur, usq; ad Birgerum Regem, qui tam amplum imperium desolari permisit, quãdo uniuersam

Gothorum

Gothorum & Sueonum Rempublicam illo turpissimo odio, quod cum suis fratribus foue bat, ad extremam perniciem deduxit, occasionemq; præstitit, qua prioris seculi felicitas in statum longè deteriorem collaberetur. Erat hic Suercherus, siue Suercho, in militari arte ual de peritus, atq; in rebus gerendis admodum prudens, & in sermonis elegantia nulli secundus: ante cuius tempora Petrus Archiepiscopus Vpsalensis Clementis Papæ tertij epistolis urgebatur, ut Canutum Regem, totumq; populum eius monarchiæ subiectum hortaretur ad communia arma, cum cæteris Christianis principibus, & populis in Saracenos Christianæ fidei hostes assumenda, aut sumentibus commeatu, auxilijsq; prouiderent. Quam piam, paternamq; Summi Pontificis exhortationem optimus Rex maturo consilio perpendens, decreuit, omnibus modis tam sancto negotio succurrendum esse: decretumq; suæ promissionis liberaliter executus fuisset, nisi præmatura fata ipsum celerius abstulissent. Quo sublato, Suercherus purpura insignitus, regni solium conscendit. Qui etsi eundem animum cum Canuto consentaneum haberet, ulletq; religionem Christianam nimium periclitantem efficacius adiuuare: obstitit tamen eius affectui bellum illud domesticum, quod à regni nobilibus ob seueritatem, quam in Canuti Regis liberos commiserat, sustinebat.

Appetitu enim uindicandi ita concitatus est in Suetiæ nobilitatem, ut naturæ suæ benignitatem summa seueritate permutaret: nec prius destitit, quàm optimi Regis Canuti liberos partim trucidaret, partim proscriptos omnibus bonis spoliaret: è quorum numero Ericus fuga salutem assecutus, in Noruegiam peruenit. Quocirca omnibus Sueonum proceribus & populis ad arma consurgentibus, Suercherus ciuili & periculoso bello implicatur. Quod cum Olaus Archiepiscopus Vpsalensis multis salutaribus consilijs auertere conaretur, inde graue odium bene suadendo contraxit, unde summam beneuolentiam meritò asse qui debuisset. Valdemarus enim Danorum Rex, à Suerchone auxiliares copias afferre rogatus, præualidum exercitum ex Danis & Bohœmis comparauit: quem ductu nobilissimi uiri Ebbonis Sunonis Sialandici, Vestrogothorum terris immisit. Vestrogothi autem aduentantes hostes tam cruento bello exceperunt, ut pauca bella in eorum terris confecta fuisse memorentur, in quibus plus, aut tantum humani sanguinis contigerat exhauriri. Quippe tam Bohœmi, quàm Dani, non solum uicti, sed penitus deleti fuerunt, anno Christi M. CC. VIII. magnitudinemq; acceptæ stragis nō nuntio aliquo, sed communi omnium exterminio ad suos remittere potuerunt. Monstratur adhuc nostris temporibus in Falonia terra Vestrogothorum, prope uillam Lena, illius memorabilis belli locus: nonnullaq; carmina in Danicæ gentis suggillationem (quod ibidem exterminata fuerit) passim & palàm circumferuntur. Deinde reparato exercitu, æquè infeliciter secundò in Gestilbro, sicut primò pugnam conseruit. Igitur Suercho Rex bis in bellum contra proprios subditos progressus, ut eos temerè ad iracundiam prouocauerat, ita ab eis cruento bello occisus occubuit, exemplo ad posteros relicto, quòd nulli Reges unquam in Suetia feliciter regnare possint, nisi qui in bono malum uincere didicerunt. Incidit autem huius Suercheri mors, in annum à nato Christo M. CC. X. Sunt nonnulli, qui dicunt, ordinem clericalem ab hoc Suerchone exemptum fuisse à iudicio seculari. Sed illi uel stupida ignorantia, uel ignaua malitia uehementer errant. Talis enim exemptio non à Regum & Principum indulgentia, sed à iure diuino, & naturali dependet. Fatendum tamen est, ipsos Principes diuinæ legis moderatores & executores esse, quando clerum priuilegijs, & libertatibus Deo concessis, uti permittunt: licet hoc nostro infelici æuo minus liberales sint erga Christi ministros, quàm Iudæi, uel Ethnici in suos sacerdotes.

FINIS.

BASILEÆ,

EX OFFICINA HENRICPETRINA,

ANNO SALVTIS M. D. LXVII.

MENSE MARTIO.





Histrionibus dare est demonibus immolari 588 in Olao
Septem fratres dormientes folio 8


P R Z
1 5 6 8